BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
45 - F
15

Digitized by Google

Digitized by Google

8.45.F.15

SERAPHICA THEOLOGIÆ MORALIS POLYANTHEA

Ordine Alphabetico in ſingularum materierum Titulos digeſta, Quodlibetarum pro omnium ferè Caſuum Conſcientiæ difficultatum Deciſione Reſolutiones, ceu redolentes Floſculos

EX SERAPHICI ORDINIS

Doctorum præcipuè, aliorumq; etiam tum veterum, tum recentiorum Theologorum, et Canoniſtarum probabilium opinionum viridarijs diligentiſſimè decerptos complectens

Ad communem vtilitatem, & quietem ſcrupuloſarum mentium, dum affirmatiua, vel negatiua in eadem Difficultate, vbi Ratio probabilius, vel auctoritas Canonica non defuit, ſententia ſine ſcrupulo ad libitum eligenda proponitur, Nec non in

MINORITARVM

Gratiam, dum in hoc opere, & SCOTI doctrina contra aliquos Recentiores præcipuè defenditur, & ex Seraphicæ Religionis Paradiſo in omnibus ferè Caſibus, ſaltem vt plurimum vernantiſſimos habent Reſponſionum Flores, quos porrigant inquirentibus.

A REVERENDO PATRE FR.

IOANNE MARIA DE CASTILENTO

Minoriticæ Obſeruantiæ Prouinciæ Sancti Bernardini Cuſtode, & Lectore Iubilato compilata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



VENETIIS, Sumptibus Franciſci Baba. M DC LII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

[illegible] [illegible]

REVERENDISSIMO PATRI

FR. PETRO MANERO

Totius Ordinis

SANCTI PATRIS FRANCISCI

Generali Miniſtro Viro ſapientiſsimo, atque integerrimo.

Fr. Ioannes Maria de Caſtilento eiuſdem Ordinis, Prouinciæ S. Bernardini Cuſtos Vocalis, & Lector Iubilatus. P. P. P.

SEraphica mea huius Theologiæ Moralis Polyanthea Pars Prima, quod tibi, Reuerendiſſime PETRE MANERO, totius Ordinis Sancti Patris noſtri Franciſci Miniſtro Generali, quodam ſympatico quaſi pondere propulſa ſemet deuoueat, dedicet, atque conſecret, ipſa, Tua Seraphica, qua polles, paternalis, & dominatiuæ amplitudinis ratio prædemonſtrat. Optimè calles, Vir eruditiſſime, ex Tui fœcundiſſimi intellectus, quem probe dixerim, omnium ſcientiarum, ἀποξενίας, bona acquiſita à filio cum Patre conuiuente, & in paterno agro laborante, ſiue ex parte, quæ ab ipſo agro proueniunt, ſint dicenda profectitia, ex qua autem à labore, & induſtria eius, habenda ſint aduentitia, vt ex Bartolo in l. cum oportet, C. de bon. quæ lib. *videtur docere noſter Ang.* V. Peculium §. 11., *ſiue abſolutè, & ſimpliciter ſint putanda profectitia, vt contendunt Recentiores apud doctiſſimum Molynam* Tom. 1. diſp. 134. *& Bonacinam* de reſtitut. quæſt. 10. punct. 1., *ſiue ſit diſtinguendum, vt notat Guidius* de mineral. lib. 3. tit. 15. quæſt. 32., *Bartolum verum dicere de iure Codicis, in quo diſtinguitur de profectitio, & aduentitio, Recentiores autem loqui iuxta iura Digeſtorum, in quibus præter Caſtrenſia, & quaſi Caſtrenſia omnia à filio elaborata Patri acquiri decernitur; ad Patrem tamen omninò, ſi profectitia ſint, quo ad vſum, & proprietatem*, l. ſi additio §. conquæſtus ff. de acquir. hæred. l. ſi finita §. de vectigal ff. de dam. infer., *ſi verò aduentitia quo ad vſumfructum*, l. 1. 2. & 3. C. de bon. quæ lib. & C. de bon. mat. per totum, *& nullo modo hic, & nunc ad filij diſpoſitionem pertinere naturali etiam ratione dictante conclamare Iuriſtas.*

In Seraphico autem Doctorum Paradiſo pijſſimæ recordationis Reuerendiſſimi Patres Benignus à Genua, & Ioannes à Neapoli Prædeceſſores Tui laborare me iuſſerunt, quatenus ad aures noſtri Ordinis Auctorum, aut ſaltem alicuius ex ipſis Veteris, vel Recentioris, ſingulorum, quoad fieri potuiſſet, Caſuum Conſcientiæ deciſionum flores ordine alphabetico in ſingulos materierum Titulos ad maiorem legentium commoditatem conſertos in breues redigerem Codices, Oneri, meæ licet puſillitatis conſcius, humeros promptus ſuppoſui memor dicti illius Sanctiſſimi Eminentiſſimæ Societatis Ieſu Patriarchæ Ignatij in Epiſt. ad Patres Luſit. Obediendum eſſe ſimili modo, quo ſolemus credere in rebus fidei; *ſanè, quia nec ab Eccleſia Catholica de fide credenda propoſita, nec à iuſto Prælato mandata humani iudicij trutina, vera ne, poſſibilia, an recta examinanda ſunt, ſed promptè abſque alia indagine, & remurmuratione credenda illa, exequenda iſta, Deum*

enim, qui nec falli poteſt, nec fallere, falſa nullo modo Eccleſiæ ſuæ inſpirare, aut reuelare, & per Prælatum ſubditum iubentem aliquod quantumuis arduum exequi, ſuppetias neceſſarias ad perficiendum commiſſum opus opportunè elargiturum, habendum pro certiſſimo, quod tam ex noſtri Ordinis Chronicis, quàm ex Vitis Sanctorum Patrum ſexcenta comprobant exempla; manus ergo operi admoui, & tandem ex informi omnium præfatarum materierum, quas mihi ſoli iamdiu paraueram, Chao, pars hæc prima vtcumque formata, è viuis ad cæleſtis Patriæ beatam vitam, vt piè credo, Reuerendiſſimo Patre Ioanne de Neapoli, qui ſibi eam prælo mandandi curam aſciuerat, nimis immaturè, mihi, & Ordini toti ſublato, exſpes lucis inter meorum ſcriptorum farragines ſuo latitabat viduata Mecænate; & ecce Reuer.mus Pater Daniel à Dongo Vicarius Generalis eidem iam ſuffectus ad Comitia meæ Prouinciæ S. Bernardini celebranda conuolans certior factus, quod hæc prima pars ab Ordinis Theologis iuſſu Reuerendiſſimæ memoriæ præfati Ioannis de Neapoli reuiſa iam fuerat, me vtique reluctantem, vt eam prælo ſupponerem, ſpeciali ſanctæ obedientiæ præcepto reuinciuit; dilata res ob longam, qua deinde preſſus fui, valetudinem, vſque ad Capitulum Generale proximum præteritum, in quo tu veluti aptiſſimus Atlas ad Seraphici Orbis pondus ſuſtinendum eligeris; en denique, te etiam annuente, hæc prima pars prodit in lucem; Quidni igitur à filio tuo licet humillimo in Paradiſo Doctorum Seraphici Ordinis, cui praes, præcipuè elaboratum opus, ſiue profectitium vocandum ſit, ſiue aduentitium, tibi, Reuerendiſſime Pater, ſemet deuotum, dicatum atque conſecratum omni iure dignoſcat?

Sed nunquid ſolum Seraphici Ordinis filiorum vniuerſalis es Pater? an non, & tu verè eorundem Dominus communis, & ipſi verè ſerui? Miſſa facio penes hanc difficultatem, an Prælatus Regularis ſit ſuorum ſubditorum dicendus verus Dominus, Theologorum placita tibi optimè nota, etenim id affirmare pſiphiſma videtur à noſtro Sanctiſſimo Seraphico Patriarca in ſuo Teſtamento comprobatum ſub illis verbis; Firmiter volo obedire Generali Miniſtro huius fraternitatis, & illi Guardiano, quem ſibi placuerit mihi dare, & ita volo eſſe captus in manibus ſuis, vt non poſſim ire, vel facere vltra voluntatem ſuam, quia Dominus meus eſt; *En, quod à noſtro ipſo Protoparente Prælatus in ordine noſtro Dominus declaratur, ſed nunquid Dominus ſine ſeruis? ſanè hoc Dominiũ abhorret relatio, ſubditi ergo Prælatorum ſerui omninò dicendi; quare tu verus Dominus meus, & ſeruus verus Tuus ſum Ego, mi Reuerendiſſime Præſul; at, at opera, & opera ſeruorum, vt non ignoras ex Iuriſtis* in l. per ſeruum §. fin. de acquir. rerum domin. *& quoad ſubditos Regulares præcipuè ex Bart.* in l. ſi ſeruus communis la 3. & in l. ſed, & quis §. 1. cum l. ſeq. ff. de vſufr. *abſolutè Dominis debentur, opus hoc ergo meum alium non valet tentare Patronum, niſi te Dominum meum.*

Cæterùm, vt verùm fatear, doctiſſime Vir, etiamſi totius Seraphici Ordinis ſupremus Pater, & communis Dominus non fores, adhuc Tibi mea hæc Theologiæ Moralis Polyanthea ſemet conſecrandam agnoſceret, agnoſceris dum tu Paradiſus, in quo conſita ſunt omnium odoramenta virtutum, & ſcientiarum flores renident vernantiſſimi, practicas enim Morales, & Polyticas à ſupernaturalibus directas in te vigere virtutes, Generale Vltramontanæ familiæ ſumma cum dexteritate, clementia, & iuſtitia cæleſti charitate ſociatis ad ſubditorum communem animarum ſalutem, & pacem feliciter geſtum gubernium ita demonſtrauit, vt ab ipſo ad totius Ordinis Clauum tenendum ex ſpeciali etiam Innocentij Decimi fæliciter regnantis diſpenſatione, communi omnium electorum conclamatione fueris euocatus.

Porrò, quod in ſpeculatiuis ſcientijs ſupereminens nemini ſecundus habearis, non ſolùm florentiſſimæ Hiſpaniarum Academiæ Te Scotiſtarum Achillem vocantes confitentur, ſed & ipſa Roma in publicis concertationibus Te modo quaſi Alexandrum obiectionum gordios nodos tuarum rationum gladio præcidentem, modo Herculem ſolidarum reſponſionum claua aduerſantium acutiſſimos acinaces retundentem, quin etiam veluti tonantem Iouem argumentorum fulminibus Antagoniſtas proſternentem experta tui ingenij incomparabile acumen, & altam fæcunditatem conteſtata eſt admirabunda.

Tibi ergo Sapientiſſime, PETRE MANERO, *dum Paradiſus omnium ſcientiarum floribus, & virtutum odoramentis renidens, & odorus efferris per Vrbem, & Orbem, hæc Polyanthea prima pars à plurimorum Doctorum Paradiſo collecta ſemet omni iure conſecrandam expoſtulat.*

Obſcura ſanè, & inſuauis eſt hæc mea Polyanthea, verùm ſi à Tuæ ſapientiſſimæ benignitatis affletur aura, habebitur profectò illuſtriſſima, & iocundiſſima, eius flores ſi odoraberis, odorabis ita, vt cæteris eos reddideris gratiores, vnde contra ipſam tali odore perfuſam liuida ceſſabunt Momorum iudicia, & Zoilorum æmulæ linguæ contabeſcent.

Eia humiliter, Te rogo, Reuerendiſſime, & humaniſſime Præſul, opellam hanc omni iure tibi debitam foue, vt Pater, faue vt Dominus, vt virtutum Paradiſus protege, quæ dum te facturum Tua mihi facillima pollicetur humanitas, animus meus ad cæteras edendas partes, ſi ita iuſſeris, allicietur auidiùs; interim ad Tua genua profuſus demiſſius te veneror, ſupplex largitorem omnium bonorum Deum exorans, vt te ad Seraphicæ Religionis fulcimen, incrementum, & ornamentum diutiùs ſeruare dignetur. Vale Decus morum, & minorum.

OPE-

OPERIS RATIO
AD LECTOREM.

POlyantheę, Lector humaniſſime, à voce Gręca, πολυανθία, quę florum congeriem Latinè ſignificat, non ex confictis illis Heſperidum hortis, ſed à Seraphico Minoritarum præcipuè Doctorum Paradiſo, necnon alienorum etiam tum veterum, tum recentiorum Theologorum & Canoniſtarum viridarijs ad omnium ferè Caſuum conſcientię, & moralis Theologię difficultatum compendioſam Reſolutionem, ex ſpeciali dato à Reuerendiſſimis Patribus Benigno à Genua, & Ioanne de Neapoli, quornm memoria in benedictione ſit, dum totius Ordinis Sancti Patris Franciſci, hic miniſterio, ille citramontanæ familiæ gubernio fungerentur, obedientiæ merito à me collectæ primam hanc partem tandem annuente Reuerendiſſimo Petro Manero Moderno eiuſdem Ordinis Generali Dynaſtæ, profero in lucem. Onus ſanè humeris meis, fateor, ſatis impar, obedientiæ tamen virtute ſuſceptum viſum mihi non impoſſibile, huius enim meritum non capit de impoſſibilitate ſolatium, quin ad ardua, & ferè impoſſibilia alas addit fortiſſimas, quod, & ipſe ex obedientiæ alacri executione à Deo ſperans onus impoſitum humili promptitudine ſuſcepi, opus incepi, quod potui feci, polulo mihi parum etiam feciſſe ſat eſt; magnum tamen me egiſſe, quod in re tam difficili facilis in Domino obediuerim de obedientiæ præcepto abſque cunctabunda remurmuratione, & curioſa indagine exequendo optimè ſentientes exiſtimabunt.

Inquiet, fortè Criticus, multi conſimilia conſcripſere, tu nouiſſimè vt placeas, quid noui? At, at, *Nihil ſub ſole nouum clamat Eccleſiaſtes c. 1. nec poteſt quiſquam dicere, hoc recens eſt*, & nihil dictum, quod non ſit dictum prius, docuerunt Græciæ Sapientes, hinc optimè notat noſter Antonius de Corduba in Prologo ſui Quæſtionarij Theologici, quod *Iam ſine Auctore loquitur nemò, & qui nunc ſcribunt, non aliud, quam ex libris, vt aiunt libros faciunt, nam vel ſparſa colligere, vel collecta magis explicata diffundere totum ſcribendi negotium eſt*.

Quod ſi adhuc me vrgeat; tu, vt nouiſſimè placeas, ſaltem Veterum opiniones nouis rationibus probare, vel reijcere debuiſſes, cum ſapientiſſimo illo Medicorum Protomagiſtro Hipocrate ei reſpondeo, qui in lib. 1. de Dieta, & ratione victus, vbi plurimos Auctores de eadem re elaboraſſe narrauit, & laudauit, eundem incudem tundere & ſe ipſum hiſce loquitur verbis. *Itaque redarguere ea, quæ non recta ſunt, minimè inſtituti, verùm his, quæ ſufficienter cognita ſunt, teſtimonium præbere animus eſt, quæcunque igitur recta, vt non ſit poſſibile me aliter conſcribere, rectè conſcribam*, & paulò infrà; *propterea hunc ſermonem propono, quod multi homines vbi audierint aliquem prius de aliqua re expoſuiſſe, eum, qui de rebus his poſterius diſſerit, non recipiunt non cognoſcentes, quod eiuſdem intelligentiæ eſt, ea, quæ retroſcripta ſunt, poſſe iudicare*.

Conſultius ergo dixerit Criticus, tu, vt nouiſſimè placeas quid renouati? Huc animus fortè mei ordinis Præſulum, qui tantùm onus hoc impoſuerunt mihi, vt ſcilicet, mos ille antiquus iam ferè antiquatus ſuorum potius, quam alienorum vtendi opinionibus Doctorum apud noſtri Cętus reſtitueretur Alumnos & iure optimo, ſicut enim aliena vti veſte, dum propria non cares optima, & alieni Agelli fructibus veſci, dum tui Pomarij affluis æquè ſaltem iocundis, eſt indecorum, vel penè inurbanum, ita propemodum alienorum vti authoritate Doctorum, dum adeſt tui Ordinis virorum excellentium optima, & eruditiſſima in eodem genere doctrina, eſt indecens, & quaſi vituperabile, quid ni flagitioſius exiſtimandum, ſi tuam ſplendidam veſtem tibimet inuidens alienam effutias, vel tui Agri dulciſſimos fructus alieno fœcunditatem ipſius ſanè ingratus obumbrans aſcribas? Næ ego non mentior, ò Minorita, eadem ferè eſt doctrina, vel ab Alenſi, D. Bonauentura, Scoto, Ricardo, Aureolo, Mayrone, Baſſolio, Angelo, Aſtenſi, Roſella, Miranda, Rodriquez, Fauentino, Coroliano, Aretino, & nouiſſimis Baſſęo, & Caſpenſi, & cęteris noſtratibus Antiquis, & Recentioribus, quorum ingens eſt numerus, vel ſaltem ab eorum doctrinalibus principijs emanans, quam tu aliquando, vel ab Examinatoribus interrogatus, vel in Academijs, & Concionibus elocutus alienorum Doctorum nominibus elargiris, cur potius ad tui Ordinis decus, ne tot excidat memoria Sapientiſſimorum hominum, alicuius ex ipſis citata doctrina ad tui Sodalitij ornamentum non vteris propoſita dubia ſoluturus? an ſatius videtur alienum panem fortè ſecundarium ſuffurari, dum tuo affluis primario?

Dices præ manibus ſunt libri Recentiorum alienigenarum, qui faciliori methodo difficultates proponunt, & ſoluunt, noſtratum non adſunt huiuſmodi Reſolutiones clariori ordine digeſtæ, ſed ſub tenebricoſo antiquo illo ſchemate conſepultæ, & hoc ſanè ſalſum puto, quod ſi fortè ſubuerum, en labor iſte meus, vt, ſi velis, habeas ſelectiſſimos Reſolutionum flores Minoriticam doctrinā, quantum meæ ſuppetiere vires, vt plurimum primario redolentes, vndè tuorum opiniones Doctorum, & Veterum, & Recentiorum in omnibus ferè multorum etiam alienigenarum cohoneſtatas ſequela Auctorum oſtentes in poſterum.

Habes, & tu, benigne Lector, quicumque es extra Ordinem, vltra Noſtrates, alios etiam productos Auctores, quorum cui malueris iuxta ſympathiam, vel genium in propoſitis Reſolutionibus ſententiam aſcribas.

Scoti porrò opinionem, licet eius in ſpeculatiuis mordicus Sectator, non ita proterue aliquando tuendam duxi in moralibus, nam ſi tum efficacitate rationis, tum frequenti Claſſicorum aſſenſu, tam ex noſtris, quàm alienis Doctorum ſententią aduerſa fuerit via probabilior, Scoticam tamen in ſua probabilitate relinquens, ſi hanc probabilius amplecten-

dam

Digitized by Google

dam proponam, ne ſtomacheris, *Amicus enim Plato, Amicus Socrates; ſed magis amica veritas*: maximè in materijs ad ſalutem animarum pertinentibus, in quibus tutiùs veritas ad ſalutem animarum, quam aſſentatio ad Amicorum obſequium eſt proſequenda; hinc etiam te monitum volo, quod ſi alienigenaram Sententia viſa fuerit probabilis, quam quam nullius ex noſtris doctrina comprobata, vt ſcrupuloſis mentibus opportunæ quietis fragrantiſſimos flores largiatur hæc noſtra Polyanthea, tuta conſcientia conſulto proponitur amplectanda.

Nec mireris, ſi in ſingulis omnibus, quæ in hoc opere ſcribuntur, noſtratum iuxta intentum, non affulgeat ſemper authoritas; memorem enim te volo, quod omnes collectiuè omnia ſciunt, & ſcripſere fortaſſe, ſinguli autem, naturali humano modo loquendo, nec omnia ſciunt, nec ſcripſere, nec fortè legere potuerunt, igitur, vel meam in legendo ſegnitiem, vel multorum carentiam librorum excuſare digneris, maximè, cum, vt plurimum in omnibus ferè, non autem in ſingulis amuſſim Reſolutionibus, alicuius ex noſtris ſententias fuerit dumtaxat apponendi propoſitum.

In extraordinarijs porrò caſibus, quorum reſponſiones potius à Iuris diſpoſitione, vel Iudicium placitis, quam à moralis Theologiæ principijs dependent, & conſequenter à nullo noſtro Doctore expiſcari potuerunt, omnem diligentiam adhibui, vt ex aliquo non antiquato Canone, vel Pontificia conſtitutione, ciuili etiam iure, aut ſacræ Rotę deciſione, vel Eminentiſſimorum Sacræ Congregationis Decreto, eas traderem communitas; in doctrinis autem communibus, & non controuerſis multorum Doctorum authoritates, ne codices grandiores ex ſola ipſorum citatione viderer contexere, & vt legentium faſtidio proſpicerem, tanquam ſuperfluas conſulto prætermittendas autumaui.

Cęterùm, ſi obmurmurent aliqui me alienis laboribus vſum fuiſſe, audiant Senecam virum doctiſſimum, lib. 1. de Ira c. 6. *Quid prohibet vti alienis ex parte, qua noſtra ſunt?* audiant Iſidorum Peluſiotam virum integerrimum lib. 3. epiſt.; *videris, vt nonnulli aiunt, alienis laboribus te ornare, atque aliorum ſudoribus frui, ceterum aliqui quidem hoc nomine te accuſant, ego verò non nihil laudo*: accipiant Hugonem Doctorem Eminentiſſimum in cap. 4. Matthæi, *Non eſt dedignatus Ieſus ab eodem incipere prædicationem, à quo Ioannes, vt non confundantur Prædicatores alienis laboribus vti*: quidni licebit Auctoribus alienos labores ad publicam vtilitatem editos imitari, vel ad ſui operis fulcimen incrementum, vel ornamentum adhibere?

Solatur autem me non parum, Lector humaniſſime, contra liuidos detractores, quod docuit Quintilianus lib. 10. de Imitat. quod, *In magnis quoque Auctoribus incidunt aliqua vitioſa, & à doctis mutuo reprehendenda*, admonet & alibi idem eloquentiæ Præceptor: *Neque ſtatim legenti perſuaſum ſit omnia, quæ, Auctores dixerunt eſſe perfecta*; me autem non Auctorem, ſed huius operis compilatorem potius, licet aliqua de mei ingenij promptuariolo, Deo dante, appoſuerim, puto, & nomino, animaduerſione ergo ſi plurima in ipſo inueniantur, quando magnos, vt ait Quintilianus, Auctores non dedeceat reprehenſio, me nec pigebit Auctoris etiam minimi indignū nomine dum præmefero, docti tamen & prudentes ſi quid caſtigatione dignum inuenient, ſanè humani ingenij non omnia exactè attingere valentis miſerabuntur infirmitatem, quod ſi inſcitiam accuſauerint oblatratores, nec iterùm pigebit, nec pudebit, cum ab omnibus commendetur Salurtianum illud, *Æqua laus eſt à probis probari, & ab improbis reprobari*; quin etiam rectè monuit Saluianus lib. 1. de Eccleſia. *Omnibus in magnis difficilè eſt, vt placeas*.

Quare oratum ſe volo, prudentiſſime Lector, vt cum me valdè ſciolum agnoſcam, ſi quid inconcinnè, ineruditè, inordinatè, & iniucundè in hoc opere dictum inuenias, mei ingenij hebetudini chriſtiana charitate compatiaris, ſi quid tibi iocundum, gratum, vel vtile in ipſo occurrerit, obedientiæ meritò, & Beatiſſimæ Virginis Deiparæ Patronæ, Sancti Michaelis Arcangeli fideliſſimi Protectoris, & Sanctorum Dionyſij Areopagitæ, eiuſque Diſcipuli Beati Sanctini Meldenſis Epiſcopi, necnon Thomæ Angelici, Seraficique mei Bonauenturæ, Sanctorum Doctorum huius mei laboris præcipua electione Auxiliarium interceſſionibus apud Deum, à quo omne bonum optimum, & omne donum perfectum, cui omnis honor, & gloria ſemper, pro tua benignitate aſcribere ne moleſtè feras.

Denique, cùm iuxta diuinum oraculum Prouerb. c. 10. *in multiloquio non deſit peccatum*, ſi quid contra bonos mores, catholicam fidem, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ decreta, & conſtitutiones fortè, quod abſit, in decurſu huius operis, cęteriſque in meis ſcriptis inueniatur, præter meam intentionem poſitum meæ ignorantiæ, vel inaduertentiæ potius dandum, quam malignitati, corde ſincero proteſtor, vndè quodlibet tale tanquam non benè dictum, vel ſcriptum reuoco, caſſo, oblitero, & me, meaque omnia caſtigationi, & cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ, Prælatorumque eius nunc, & ſemper, humiliter libenterque ſubmitto.

Tu intereà, candide Lector, qui ſincero es animo, hunc meum quantulumcumque laborem, cum obedientiæ meritò ſuſceptum pro tua humanitate boni conſulere digneris. Vale.

Appro-

Approbationes Theologorum Ordinis.

COllectos primæ partis aureos flores Seraphicæ Sapientiæ micantes, nec non mira, & multiplici eruditione decoratas ex Minoritico præcipuè Doctorum, & aliorum etiam tàm Antiquorum, quàm Recentiorum Theologorum, & Canoniſtarum viridario vndequaque conſentaneo, videlicet Seraphica Theologiæ Moralis Polyanthea *Caſuum Conſcientiæ, &c. per eximium humanarum, diuinarumq; litterarum virum Adm. Reu. P. Fr. Ioannem Mariam à Caſtilento Lectorem Iubilatum Prouinciæ S. Bernardini Min. de Obſeru. elaboratos ex commiſſione Reuerendiſs. P. Fr. Ioannis de Neapoli Miniſtri Generalis totius Ordinis S. Franciſci vidi, perluſtraui, in quibus omninò tum orthodoxæ fidei, tum bonis moribus conſona animaduerti, opus sanè dignum, quod prælo detur, & ab omnibus viris doctis præſertim, qui ad animarum lucrum rectis iuſtitiæ, vel charitatis ſtudijs obuijs vlnis recipiatur. Ex Aedibus S. Bernardini Ciuitatis Aquilæ die decimaquinta menſis Nouembris 1647.*

Fr. Siluester de S.Demetrio Lector Generalis olim præfatæ Prouinciæ Miniſter.

EX commiſſione Reuerendiſs. P. noſtri Fr. Ioannis de Neapoli totius Ordinis S. Franciſci Generalis Miniſtri perluſtraui primam partem Seraphicæ Theologiæ Moralis Polyantheæ ab Adm. Reu. P. Fr. Ioanne Maria de Caſtilento Lectore Iubilato, & in hac noſtra Prouincia S. Bernardini Minorum de Obſernantia Patre benemerito cómpilatam, quæ nihil continet fidei catholicæ, ac bonis moribus aduerſum, ideò ad omnium vtilitatem iudico typis excudendam. Dat. in Conuentu noſtro S. Mariæ Luminum Ciuitellæ die ſeptima menſis Iunij 1648.

Fr. Bernardinus à Ciuitella Lector Iubilatus, & eiuſdem præfatæ Prouinciæ Miniſter.

NOs infraſcripti Sacræ Theologiæ in almo S.Bernardini Aquilæ Liceo Lectores Generales primam partem Seraphicæ Theologiæ Moralis Polyantheæ ab Adm. R. P. Fr. Ioanne Maria de Caſtilento Prouinciæ S. Bernardini Min. de Obſeru. Lectore Iubilato, & Cuſtode Vocali compoſitam, & ab Adm. RR. PP. Syluestro de S.Demetrio, & Bernardino de Ciuitella eiuſdem Prouinciæ Exminiſtris, & Theologis reuiſam, & approbatam, & deinde ab eodem ſuo Auctore modificatam, & alijs Difficultatibus locupletatam ex commiſſione Reueren. P. Danielis à Dongo Vicarij Generalis totius Ordinis S. Franciſci perlegimus, & in omnibus conſonam bonis moribus, & fidei catholicæ, & valde quibuſcunque laborantibus ſcrupulis vtilem, ac noſtræ Seraphicæ Religionis Alumnis proficuam inuentam, ad Ordinis noſtri etiam ornamentum typis dandam indicamus. Dat. Aquilæ in Conuentu S. Bernardini die 17. Maij 1651.

Fr. Franciſcus Maria de Torricella eiuſdem Prouinciæ Deffinitor, & S. Theol. Lect. Generalis.
Fr. Ioſephus ab Adria Lector Generalis.

Facultas Reuerendiſs. Patris Generalis pro imprimenda prima parte huius Operis.

FR. PETRVS MANERO totius Ordinis Minorum S. Patris Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus.
Dilecto nobis in Chriſto Patri Fr. Ioanni Mariæ à Caſtilento eiuſdem Ordinis, Prouinciæ verò noſtræ Sancti Bernardini Lectori Iubilato, & Cuſtodi Vocali ſalutem in Domino.

MVneri noſtro deeſſe non poſſumus, quin eruditos noſtri Inſtituti viros pijs, & paternis proſequamur officijs, vtpotè qui ſolidæ doctrinæ cibo bonorum omnium animos oblectant, cùm igitur nobis innotuerit, te quoddam opus compoſuiſſe cuius Titulus eſt, Seraphica Theologiæ Moralis Polyanthea *in quatuor partes diuiſa, quarum primam partem iuxta Apoſtolicas, & Ordinis noſtri Conſtitutiones à Theologis eiuſdem Ordinis noſtri reuiſam, & approbatam prælo ſubijciendam exoptantes; propterea harum ſerie tibi id ad ſanctæ obedientiæ meritum iniungimus, & facultatem quantum in nobis eſt ad Dei gloriam, & vniuerſæ Chriſtianæ Religionis vtilitatem ſeruatis ſeruandis concedimus. Dat. Romæ die 5. Iunij 1651.*

Fr. Petrus Manero Miniſter Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato ſua Reuerendiſſimæ Paternitatis
Fr. Michael Angelus à Neapoli Secretarius Generalis Ordinis.

SYL-

SYLLABVS TITVLORVM.

Qui ordine Alphabetico continentur in hac Prima Parte.

A

A, Ab, Ad.
Abbas.
Abbatiſſa.
Abeſſe.
Abortus.
Abſolutio.
Accidia.
Accuſare.
Acceptio perſonarum.
Actio, Actus, Actor.
Adiurare.
Adiuuare.
Adminiſtrare.
Adulterium.
Aduocatus.
Æquitas.
Ætas V. Annus.
Affinitas.
Alchimia.
Aliena res.
Alienatio.
Alimenta.
Altare.
Ambitio.
Angaria.
Annus.
Appellatio.
Aqua benedicta.
Arbitrium, Arbiter.
Aſſaſſinus.
Aſtrologus.
Auaritia.
Authoritas.
Auxilium.

B

Banditus.
Baptiſmus.
Baro.
Beneficium.
Bigamus.
Biſſextilis Annus.
Bellum.
Blaſphemia.
Bona.
Bulla.

C

Calix.
Cambium.
Canones.
Canonicus.
Capella.
Capellanus.
Capitulum.
Carcer.
Cardinalis.
Caſus fortuitus.
Caſus Reſeruatus.
Caſus occultus.
Cauſa.
Cautio.
Cenſura.
Cenſus.
Ceſſio.
Character.
Caritas.
Chirographum.
Chriſtianus.
Circumſtantia.
Citatio V. Epiſcopus.
Ciuis.
Clauſura.
Clericus.
Cæcitas.
Cælare.
Coadiutor.
Cellatio à diuinis.
Cognatio, Cõſanguinitas.
Collegium.
Columba.
Comedia, V. Fabula.
Commodatum.
Commune.
Compenſatio.
Compoſitio.
Concionator, V. Correctio.
Conceſſum.
Condemnatus.
Conditio.
Concuſſionis crimen.
Concubinatus.
Confeſſio.
Confeſſarius.
Communio.
Cõfirmationis Sacramentũ
Confirmatio Actus.
Confraternitas.
Coniuratio.
Coniux.
Conſcientia.
Conſecratio Eccleſiæ.
Conſenſus.
Conſeruator.
Conſilium.
Conſulere.
Conſiliarius.
Conſuetudo.
Contemptio.
Contentio.
Continuum.
Contractus.
Contritio.
Contumacia.
Contumelia.
Chorea.
Correctio fraterna.
Credere, Creditor.
Culpa.
Curioſitas.
Cuſtos.

INDEX

INDEX DIFFICVLTATVM,

Quæ in ſingulis ſupra enumeratis Titulis enodantur.

Prior Numerus Difficultatem, Secundus Paginam, Tertius Columnam denotat.

A.

AN ratione Creationis, & Redemptionis teneantur fideles erga Deum dilectionis actum elicere. Difficultas 1. pag. 1. col. 1

An aliquo tempore determinato teneantur fideles ad dilectionis actum in Deum eliciendum. 2.1.2

An in ſententia probabili teneri ſcilicet fidelem in articulo mortis elicere actum dilectionis erga Deum, teneatur Confeſſarius admonere pœnitentem de huiuſmodi obligatione. 3.2.1

An aliquo die ſpeciali obligatione teneantur fideles actum dilectionis in Deum elicere. 4.2.2

An iuxta probabilem opinionem dilectionis actum die Dominico ſpecialiter erga Deum exhibendum teneantur fideles per totum diem, an verò determinata hora in ipſo die Dominico hanc obligationem adimplere. 5.2.2

An omittens auditionem Miſſæ, & actum dilectionis Dei die Dominico iuxta probabiliorem opinionem duplex peccatum admittat, an verò vnicum. 6.3.1

An quando tenetur fidelis, elicere actum contritionis, teneatur etiam elicere actum dilectionis. 7.3.1

Vtrum A, Ab, Ad præpoſitiones in tempore deſignando teneant ſe excluſiuè, vel incluſiuè. 8.3.2

Abbas.

An Monachus in Minoribus conſtitus poſſit aliquando eligi in Abbatem. 1.4.1

Vtrum Abbas in Sacris Canonibus, & Pontificijs conſtitutionibus veniat ſub nomine Monachi. 2.4.2

Abbas antequam ſit benedictus, an poſſit vti inſignijs Pontificalibus. 3.4.2

Vtrum Abbas habens iuriſdictionem Epiſcopalem poſſit concedere Dimiſſorias Clericis ſecularibus ſibi ſubditis. 4.5.1

Vtrum Abbas in ſua Abbatia Territorio poſſit dare licentiam aſſiſtendi Matrimonio, & benedicere ea omnia, in quibus Vnctio adhibetur. 5.5.2

Vtrum Abbates, & alij Prælati habentes iuriſdictionem ordinariam habeant eamdem auctoritatem abſoluendi, & diſpenſandi ſuos ſubditos conceſſum Epiſcopis in cap. liceat à Conc. Trid. 6.6.1

An Abbates, & Prælati Regulares gaudeant præfata Concilij auctoritate erga ſuos ſubditos Regulares. 7.6.2

An Abbates Regulares, ceteríque Prælati Religioſi teneantur de ſuperfluis ex Redditibus Eccleſiaſticis facere eleemoſinas. 8.7.1

Vtrum Abbas Regularis cui collata eſt Abbatia ſecularis ſi eam poſtea dimittat fiat ſubditus, & ſi non redeat ad Religionem cui acquerat. 9.7.1

Abbatiſſa.

Abbatiſſa vtrum eligi valeat Vidua effecta Monialis. Diffic. 1. pag. 7. c. 2

Abbatiſſa eligenda cuius ætatis debeat eſſe. 2.8.1

Vtrum Monialis illegitima poſſit fieri Abbatiſſa. 3.8.1

Vtrum Abbatiſſa poſſit eligi Monialis occultè corrupta. 4.8.1

Vtrum Abbatiſſarum electio fieri debeat cum ſchedulis obſignatis. 5.8.1

Vtrum Abbatiſſa in electione poſſit ferre ſuffragium Epiſcopus, vel alius ſuperior. 6.8.2

Vtrum Abbatiſſa in Electione poſſit Prælatus ordinarius abſens mittere ſuum votum per Procuratorem. 7.9.1

Vtrum Abbatiſſa poſſit licentiare Monialem ſuam ad aliud Monaſterium ſui Ordinis. 8.9.1

Abbatiſſa an aliquid poſſit recipere in receptione nouitia. 9.9.2

Abbatiſſa an poſſit paciſci de certa ſumma pecuniæ, donec dos promiſſa pro Moniali ſoluatur. 10.9.1

Abbatiſſa an poſſit dare licentiam ſuæ Moniali, vt ſibi legatum cenſum pro libito diſponat. 11.9.2

Abbatiſſa vtrum poſſit irritare omnia Vota Monialium, & alia iuriſdictionalia exercere. 12.9.2

Vtrum Abbatiſſa tempore Iubilei poſſit denegare ſuis Monialibus Confeſſorem extraordinarium in Bulla conceſſum. 13.9.2

An alloquentes Abbatiſſas excommunicentur, ſicuti alloquentes ceteras Moniales. 14.9.2

Abeſſe.

Abeſſe quinam propriè dicantur. 1.10.1

Abeſſe num dicatur, qui cauſaliter abeſt. 2.10.2

Abeſſe an dicatur qui facile ſpatio vnius diei accedere poteſt. 3.10.2

Vtrum Abſens vocandus ad actus capitulares. 4.10.2

Vtrum Abſens aliquando præſumatur habere animum non redeundi. 5.10.2

Abſenti facta donatio an valida. 6.11.1

Abortus, Abſolutio.

In Abortu quomodo cognoſcatur fœtus fuiſſe Animatus. 1.11.1

Quibus pœnis ſubiaceant procurantes Abortum. 2.11.1

An liceat abortum procurare in aliquo caſu ſi fœtus ſit animatus. 3.11.2

Vtrum procurare abortum fœtus animati liceat in præfatis caſibus. 4.11.2

Abſolutio.

Abſolutio actiua Sacramentalis à peccatis cui competat. D.1. p.12. c.2
An in neceſſitatis articulo poſſit abſolutio à peccatis etiam à laico aliquando impendi. 2.13.1
Abſoluat ne Sacerdos à peccatis oſtenſiuè ſolum, an verò etiam miniſterialiter. 3.13.1
Abſolutionem à reſeruatis, an teneatur ſuperior concedere per ſe, vel per alium impartiendam. 4.13.2
Abſolutionem à reſeruatis iniuſtè denegante ordinario pœnitenti an poſſit abſolui à Confeſſario. 5.14.1
Abſoluendi à reſeruatis habens auctoritatem intra tempus determinatum, an abſoluere poſſit pœnitentem, qui intra tale tempus incidit in reſeruatum. 6.14.1
Abſolutionem an debeat denegare Confeſſarius pœnitenti peccatum reticenti, quod ſcit extra confeſſionē perpetraſſe. 7.14.1
Abſoluere à Cenſuris quis poſſit. 8.14.2
An poſſit quilibet Sacerdos abſoluere à Cenſuris non reſeruatis. 9.15.1
Abſoluere an poſſit laicus ab excommunicatione in articulo mortis. 10.15.1
Abſolutus ab ordinario cum onere, vt ſatisfaciat, vtrum reincidat in excommunicationem ſi non ſatisfecit. 11.15.2
Abſolutio à peccatis ſub conditione de futuro, an liceat. 12.15.2
Abſolutio excommunicationis contra ius Tertij, an valeat in foro Conſcientiæ. 13.15.2
Abſolutio à quibuſcunque peccatis, & Cenſuris, an poſſit dari in periculo mortis. 14.16.1
Abſolutio à Cenſuris an proſit ignoranti. 15.16.1
Abſoluat quomodo ab excommunicatione Delegatus. 16.16.1
Abſolutio à cenſuris ſolita dari in Bullis per Regulam Cancellariæ quibus proſit. 17.16.1
Abſolutus ex priuilegio à reſeruatis Papæ in foro conſcientiæ num poſſit abſoluere publicè excommunicatum. 18.16.2
Abſoluens pœnitentem à reſeruato, à quo non poterat, quomodo ſe gerere debeat. 19.16.2
Abſoluere à reſeruatis an poſſit in aliquo caſu ſimplex Sacerdos Confeſſarius. 20.17.1
Abſolutio data contrito, & plenariam indulgentiam conſecuto quid operetur. 21.17.1
Abſolui an poſſint pœnitentes nequeuntes relinquere occaſionem proximam peccandi. 22.17.1
Abſolui an queant pœnitentes in aliquo caſu integram peccatorum Confeſſionem non facientes. 23.17.1
Abſolui an poſſit damnatus ad remigandum cum actuali intentione fugæ. 24.17.2
Abſoluere nolente in articulo, vel periculo mortis niſi pecunia data, quid agendum. 25.17.2
Abſolutionem, vel recuſationem ab aliqua cenſura per vim, aut metum extorquens an ritè abſoluatur. 26.17.2
Abſoluere an poſſint mendicantes ex priuilegio hodie à caſibus Papæ, vel Epiſcopo reſeruatis. 27.17.2

Acceptio Perſonarum.

Acceptio perſonarum quid ſit. 1.18.1
Acceptio perſonarum an ſit peccatum. 2.18.1
Acceptio perſonarum quando ſit peccatum mortale. 3.18.1
An ſit mortalis acceptio perſonarum, per quam promouetur aliquis ad dignitatem propter conſanguinitatem, vel amicitiam. 4.18.2
Vtrum acceptio perſonarum mortalis ſit dicenda, quando quis propter conſanguinitatem, vel amicitiam confert dignitatem digno prætermiſſo digniori. 5.18.2
Vtrum ſit dicenda mortalis acceptio perſonarum conferre beneficium ſimplex digno, prætermiſſo digniori. 6.19.1
Vtrum mortaliter peccet Patronus ſi prætermiſſis dignioribus eligat dignum. 7.19.2
Vtrum mortaliter peccat reſignans digno ſuum beneficium prætermiſſo digniori. 8.19.2
Vtrum præferre nobilem, & potentem minus litteratum ignobili magis litterato in collatione beneficij Curati ſit peccatum mortale. D.9.p.20.c.1
Vtrum abſque acceptione perſonarum liceat in temporalibus iudicijs præferre nobiles, & diuites pauperibus, & ignobilibus. 10.20.1
An ſit mortalis acceptio perſonarum, exhibere alicui reuerentiam propter diuitias. 11.20.2
Vtrum ſit dicenda acceptio perſonarum prius Sacram. Pœnitentiæ, vel Euchar. miniſtrare Diuiti, quàm pauperi. 12.20.2
Acceptionem perſonarum an incurrant mendicantes magis practicando cum diuitibus, & nobilibus, quàm cum pauperibus magis illis, quàm iſtis obſequendo. 13.21.1
Vtrum acceptio perſonarum mortalis ſit dicenda diſtributio Eleemoſinarum ex Teſtamento, vel alia particulari commiſſione pauperibus relictis pauperioribus facta. 14.21.2

Accidia, Pag.22. c.1.

Vtrum Accidia ſit generale, an verò ſpeciale peccatum. 1.22.1
Vtrum Accidia ſit peccatum capitale. 2.22.1
Accidia an ſit ſemper peccatum mortale. 3.22.2
Vtrum Accidia ſit omnium peccatorum grauiſſimum. 4.22.2

Accuſare. Pag.22.c.2.

Quænam requirantur ad legitimam accuſationem faciendam. 1.22.2
Vtrum ante accuſationē ſit neceſſaria ſecreta admonitio. 2.23.1
Quibus in caſibus teneatur quis accuſare. 3.23.1
An in prædictis caſibus teneatur quis accuſare eū, cui promiſerat cū iuramēto de non reuelando ſecretum cōmiſſum. 4.23.2
Vtrum omittens accuſare in caſu ſecundo obligetur ad reſtitutionem de damnis illatis. 5.23.2
Accuſare omittens, quem debet ex iuſtitia, an teneatur ſoluere illam pœnam, quam obligaretur ſoluere delinquens, ſi foret accuſatus. 6.23.2
Accuſatio quomodo reddatur vitioſa. 7.23.2
An liceat accuſare inferentem ſibi iniuriam. 8.24.1
Accuſari an valeat iterum de eodem ſemel accuſatus. 9.24.1
Vtrum accuſatus poſſit licitè dare aliquid accuſanti, vt deſiſtat ab accuſatione. 10.24.1
Vtrum delinquens poſſit dare pecuniam ne accuſetur, & debens accuſare poſſit licitè recipere. 11.24.2
Accuſatus pendente accuſatione à quibus prohibeatur. 12.24.2
Accuſare quinam prohibeantur. 13.24.2

Actio. Pag. 24. c.1.

Vtrum conceſſa alicui actione competat etiam exceptio. 1.25.1
Quanto tempore tollatur actio contra delinquentes. 2.25.1
Quotuplex dicatur actio Ciuilis. 3.25.1

Actor.

Actor in iudicio an poſſit eſſe excommunicatus. D.vnic. 25.2

Actus.

Actus quotupliciter capiatur. 1.25.2
Quænam requirantur ad actum politicè exequendum. 2.25.2
Actus geſtus ſub dubio valeat necne qualis præſumēdus. 3.25.2
Actus contra legem irritantem an ipſo facto valeat in vtroque foro. 4.26.1
Quomodo cognoſcatur actus à lege irritatus. 5.26.1
Actus celebratus abſque ſolemnitate ſubſtantiali an aliquando ſit validus. 6.26.2
Vtrum actus celebratus contra legem prohibentem ſit inualidus. 7.26.2
Actus contra legem naturæ an ſit ſemper irritus. 8.26.2
Actus quomodo interpretandi. 9.26.2
Quomodo dicatur actus exerceri. 10.27.1
Actus deliberatus an poſſit eſſe indifferens, ita vt nec bonus, nec malus ſit. 11.27.1
Vtrum actus internus peccaminoſus contrario actu non interruptus moraliter, ſed ſolum naturaliter continuatus ſuper eadem re ſint plura peccata. 12.27.2

Vtrum

Vtrum actu in eadẽ poſſint eſſe malitia numero diſtincta,& cõſequenter plura peccata neceſſario aperiẽda in Conf. 13.28.1
Vtrum actus exterior habeat diſtinctam malitiam ab actu interiori,& è contra. 14.28.2

Adiuratio.

Quid ſit adiuratio. D.1.p.29.c.1
Vtrum adiuratio creatura ſpiritualis ſit licita. 2.29.2
Adiuratio creaturarum irrationabilium,an ſit licita. 3.29.2

Adminiſtratio.

Adminiſtrator legitimus quis ſit,& ad quid teneatur. 1.29.2
Adminiſtrator de qua culpa teneatur. 2.30.1
Adminiſtrator,an teneatur de amiſſis caſu,vel fortuna. 3.30.1
Adminiſtratoris hæredes,an teneantur de culpa. 4.30.1
Adminiſtrationem indigno conferens ad quid teneatur. 5.31.1

Adoptio.

Adoptio quid ſit. 1.30.2
Adoptio quotuplex ſit. 2.30.2
Adoptio perfecta quare dicatur Arrogatio. 3.30.2
Adoptare quis nam valeat. 4.31.1
Vtrum Sacerdos poſſit adoptare. 5.31.1
Adoptatio an fieri valeat per Procuratorem. 6.31.1

Adoratio.

Quid ſit adoratio. 1.31.2
Quotuplex ſit adoratio. 2.31.2
Vtrum latria debeatur ſoli Deo Trino,& Vno à qualibet creatura. 3.32.1
Quanam adoratio Chriſto debeatur. 4.32.1
An adoratio latriæ ſolum, ſecundum naturam diuinam competat Chriſto. 5.32.1
Vtrum ſit catholica iſta propoſitio, Chriſti humanitas eſt adoranda latria per accidens. 6.32.2
Quanam adoratio competat humanitati Chriſti præciſè conſiderata in ſeipſa ſolum. 7.33.2
Vtrum adorandi ſunt Angeli, & cæteri homines ab eccleſia catholica in Sanctorum numerum relati. 8.33.2
Vtrum Angelus apparens in forma Dei ſit adorandus latria, an vero Dulia. 9.33.2
Adoratio an, & quomodo præſtanda iis, qui fama ſanctitatis clarent in vita,& poſt mortem. 10.34.1
Adoratio imaginum Sanctorum an liceat. 11.34.2
Vtrum inuiſibilis Deus, & Angelus corporea imagine liceat repræſentari. 12.35.1
An liceat adorare hominem tanquam Dei imaginem. 13.35.3
Quanam adoratio præſtanda ſit Sacris Imaginibus. 14.35.2
An maiori adoratione ſit veneranda Crux, in qua mortuus eſt Chriſtus,quam aliæ Cruces. 15.36.1
Quanam adoratio competat Clauis, ſpinis, veſtibus, capillis Chriſti,& cæteris inſtrumentis ſuæ Paſſionis. 16.36.1
An Beata Virgo Maria,& Chriſti diſcipuli ratione contactus adorandi ſint latria. 17.36.2
An capillis, qui ex Ieruſalem reuehuntur ſit aliqua adoratio exhibenda. 18.36.2
An ſicut qualibet Crux adorari debet latria reſpectiua,qualibet etiam lancea,& cætera inſtrumenta paſſionis eadem ratione ſint adoranda. 19.36.2
Quanam adoratio conueniat ſanguini, qui effluxit è venis Chriſti. 20.36.2
An de facto reperiatur in hoc mũdo aliqua Sacroſãcti Sãguinis particula,qui à latere,vel venis Chriſti emanauit. 21.37.1
Vtrum Reliquiæ Sanctorum ſint adorandæ. 22.38.1
Vtrum Reliquiæ Sanctorum adorandæ ſint abſolutè, an ſub conditione. 23.38.2
Vtrum adoranda ſint illa corpora Sanctorum, quæ in diuerſis locis dicuntur eſſe. 24.39.1

Adulatio.

Quid ſit Adulatio. D.1.p.39.c.1
Quotuplex ſit adulatio. 2.39.1
Vtrum adulator recipiens beneficium per adulationem incurrat ſymoniam. 3.39.2

Adiuuare.

Adiuuare aliquem promittens an teneatur irrequiſitus. 1.39.2
An filius Vaſſallus teneatur magis adiuuare Patrem inuaſum,quam Dominum ſuum. 2.40.1
An liceat furanter adiuuare ex metu incuſſo. 3.40.1
Vtrum adiuuans aliquando plus puniatur, quàm ſi ſolus principaliter committeret. 4.40.1

Adulterium.

Quid,& quotuplex ſit Adulterium. 1.40.1
Vtrum adulterium ſit peccatum grauiſſimum. 2.40.2
Adulteriũ an poſſit ſola fama p̃cedente à Iudice puniri. 3.40.2
Adulterium quomodo dicatur notorium. 4.40.2
Vtrum adulterium poſſit excuſari ſine culpa factum. 5.41.1
Vtrum adultera in adulterio comprehenſa licite à marito ipſo poſſet occidi. 6.41.2
Vtrum adulterio, vel alio modo illicito acquiſita communicanda ſint marito. 7.41.2

Aduocatus.

Quid ſit Aduocatus. 1.42.1
Aduocare an prohibeantur Clerici,& Religioſi. 2.42.1
Vtrum aduocare prohibeantur aliqui ſeculares. 3.42.2
Aduocare an poſſit quis contra eũ,à quo benefic. recepit. 4.43.1
Aduocatus an teneatur patrocinari extreme indigenti. 5.43.1
Quod ſtipendium poſſit accipere Aduocatus pro mercede ſui laboris. 6.43.2
Vtrum Aduocatus poſſit totum ſalarium promiſſum accipere in aliquo caſu,licet ſuam operam non impenderet. 7.44.1
Vtrum Aduocatus defendens propriam cauſam, & obtinens poſſit repetere ab Aduerſario aliquid pro ſuo ſalario. 8.44.2
Vtrum Aduocatus poſſit aliquid accipere pro aſſecuranda victoria,& litem ſuis ſumptibus proſequi. 9.44.2
De qua culpa teneatur Aduocatus, ſi victoriam non conſequatur. 10.44.2
Vtrum Aduocatus, qui ſpontè alienam cauſam defendendam ſuſcepit,poſſet parte victoriæ ſtipendium petere. 11.45.1
Vtrum Aduocatus teneatur Clienti meritum ſuæ cauſæ referenti apertam de iniuſtitia dicere veritatem. 12.45.1
Vtrum Aduocatus ſecreta ſui Clientis poſſit reuelare. 13.45.2
Aduocatus an poſſit tranſigere, vel compoſitionem tractare cum parte aduerſa. 14.45.2
Vtrum Aduocatus peccet cauſas Clientum antea acceptatas poſtponens aliis poſtea acceptatis. 15.46.1
Aduocatus an poſſit pro vtraque parte patrocinari. 16.46.1
Vtrum Aduocatus conductus ex ſtipendio puta centum aureorum poſſit medietatem alteri Aduocato pro lite ſui Clientis tribuere,medietate altera ſibi retenta. 17.46.1
Vtrũ Aduoc. de ſcriptura medico pretio accepta ab Actuario in fauorẽ Clientis poſſit iuſtum pretiũ ab eo exigere. 18.46.2

Affinitas.

Quid,& quotuplex ſit Affinitas. 1.46.2
Affinitas vt contrahatur an requiratur effuſio ſeminis ex vtraque parte intra vas. 2.47.1
Vtrum contrahatur affinitas cum muliere recipiente ſemen, ſed non immediatè ab ipſo viro. 3.47.2
Affinitas ſuperueniens Matrimonio contracto an priuet iure petendi debitum. 4.47.2
Vtrum affinitas impediat Matrimonium de iure naturæ in linea tranſuerſali. 5.48.1
Vtrum affinitas ex copula illicita impediat Matrimonium in aliquo gradu de iure naturæ. 6.48.1
An affinitas ex copula licita impediat Matrimonium de iure naturæ in linea recta. 7.48.1

Digitized by Google

Alchymia.

Quid ſit Alchymia. D.1.p.48.c.2
Vtrum liceat Alchymiam exercere. 2.49.1
Vtrum quodlibet genus Alchymiæ damnatum fuerit in c. Spondent, quod non habent. 3.49.1
Vtrum veræ Alchymiæ profeſſores poſſint aurum ſuo miniſterio effectum abſolutè vendere abſque deceptione. 4.49.2
Vtrum ſit abſoluendus Alchymiſta contendens aurum à ſe effectum eſſe eiuſdem ſpeciei cum auro minerali, atque adeo abſolutè vendendum. 5.50.1
Vtrum Alchimiſtæ contendenti ex ſuccis herbarum verum aurum ſe effeciſſe deneganda ſit abſolutio tanquam de ſuperſtitione ſuſpecto. 6.51.1
Vtrum Alchimiſtæ lapides Philoſophorū confectioni operā dāti tanquā rei illicitæ inhianti ſit deneganda abſolutio. 7.51.2
Alchymiam veram edoctus à Dæmone poſtea pęnitens an ea vti poſſit abſque ſcrupulo. 8.52.2
Vtrum Alchymia, quæ hodie à multis circumfertur exercenda tuta conſcientia permitti valeat. 9.52.2

Alienatio.

Quid ſit alienatio. 1.53.1
Quomodo, & quando intelligatur facta alienatio. 2.53.1
Alienatio bonorū Eccleſiæ quomodo dicatur prohibita. 3.53.2
Quænam ſolemnitates requirantur ad faciendam licitam alienationem de rebus Eccleſiæ. 4.53.2
Vtrum ſi in alienatione deſint præfactæ ſolemnitates validetur alienatio per ſolam Papæ aucthoritatem. 5.54.1
Vtrum in alienatione rei Eccleſiaſticæ reperta poſt triginta annos debeat præſumi adfuiſſe Papæ aucthoritas. 6.54.2
Vtrum alienatio facta cum hac conditione ſaluo Summi Pontificis aſſenſu nec aliter, nec alio modo valeat antequam impetretur incidatque, ſic alienans in pęnas. 7.54.2
Vtrum qui alienauit abſque debita ſolemnitate ſi pænitens reuocauerit ante traditionem realem poſſeſſionis incidat in pęnas Paulinæ. 8.54.1
Vtrum in præfato caſu liceat recedere à contractu antequam impetretur aſſenſus Apoſtolicus. 9.54.2
Quot, & quænam dicantur cauſæ legitimæ euidentes, ob quas liceat bonorum Eccleſiæ alienatio. 10.55.1
Vtrum alienatio ſit licita in neceſſitate euidente, ſi per fructus ſuæ Eccleſiæ illi poſſit prouideri. 11.55.2
Vtrū alienatio teneat ſi Rector tradat bona Eccleſiæ potius offerenti minus, quā magis in euidētē Eccleſiæ vtilitatē. 12.55.2
Vtrum alienatio facta à Prælato putante habere legitimam cauſam, quæ poſtea inuenitur inſufficiens, vel ſaltem dubitatur eſſe ſufficiens, ſit valida. 13.56.1
Alienationem in iure prohibitam, an faciat Prælatus renuncians legatum, vel hæreditatem relictam, vel donationem Eccleſiæ factam abſque debita ſolemnitate. 14.56.1
Quænam bona Eccleſiaſtica dicantur propriè prohibita alienari per Paulinam. 15.56.1
An pecunia Eccleſiæ inter immobilia numeranda, atque adeo in iure prohibita alienari. 16.56.2
Vtrum dicatur alienatio in iure prohibita, quæ fit per mutui dationem pecuniæ reſeruatæ pro Eccleſia. 17.56.2
Alienari an valeant arbores in Agris, & prædijs Eccleſiæ abſque ſolemnitate requiſita, & aſſenſu Apoſtolico. 18.57.1
Vtrum beneficiarius ſuæ Eccleſiæ oliuetum antiquum modicum, vel nullum reddens fructum poſſit extirpare abſque aſſenſu Apoſtolico, vt vineam ibi plantet. 19.57.1
An valeat alienari res Eccleſiæ ſterilis, quæ potius plus damni, quàm vtilitatis affert abſque aſſenſu Apoſtolico. 20.57.2
Quænam bona Eccleſiæ ſpecialius prohibeantur alienari in Paulina extrauaganti ambitioſæ. 21.57.2
Vtrum alienans Sanctorum Reliquias inſignes ſuæ Eccleſiæ abſque aſſenſu Apoſtolico incidat in pęnas Paulinæ. 22.58.1
Vtrum alienatio bonorum Eccleſiæ acquiſitorum contra præiudicium tertij ſit valida abſque aſſenſu Apoſtolico. 23.58.1
Vtrum alienatio bonorum inter Eccleſias ſit valida abſque aſſenſu Apoſtolico. 24.58.2
Quænam dicantur ſolita infeudari, & in emphyteuſim dari, & quomodo valeant licitè alienari abſque aſſenſu Apoſtolico in caſibus à iure permiſſis. D.25.p.58.c.2
Vtrum locatio facta vltra triennium puta pro ſexennio ſit inualida etiam pro primo triennio. 26.58.2
Vtrum alienatio prohibita in Paulina ea dicatur, qua beneficiarius obligatione ſola perſonali obligat ſe ad dandos fructus ſui beneficij vltra triennium. 27.59.1
Vtrum fructus beneficij ſolummodo poſſint locari abſque ſolemnitate vltra triennium. 28.59.1
Vtrum valeant alienari mobilia pretioſa Eccleſiæ, puta lampades Argenteæ, aureæ, Calices, Aulæa, & ſimilia, vt pretiam eorum conuertatur in fabricam, vel aliam Eccleſiæ neceſſitatem. 29.59.2
Alienare vtrum valeat Prælatus abſque aſſenſu Apoſtolico, & ſolemnitate requiſita res modicas Eccleſiæ. 30.59.2
Epiſc. an poſſit bona Eccl. carentis Rectore alienare. 31.60.1
Vtrum liceat alienare rem Eccleſiæ legatam ſub conditione, ne alienentur ſub pęna caducitatis ad ſuum hæredem. 32.60.1
Vtrum moniales Regularibus ſubiectæ ſine licentia ſui Prælati Regul. validā faciāt alienationē bonorū ſui Monaſt. 33.60.2
Vtrū Reg. Prælati poſſint alienare abſque aſſenſu Apoſt. 34.60.2
An quęlibet perſona alienans res Eccleſiæ abſque aſſenſu Apoſtolico incidat in pęnas latas in Paulina Ambitioſæ. 35.61.1
Vtrum laicus alienans res eccleſiæ incidat in excommunicationem latam à Concil. Trid. ſeſſ. 22. contra vſurpantes bona eccleſiaſtica. 36.61.1
An recipientes bona eccleſiæ alienata contra formam Paulinæ incurrant in pęnas eiuſdem. 37.61.1
Vtrum ad incurrendas pęnas Paulinæ requiratur neceſſario præſumptio, & ſcientia. 38.61.1
Vtrum alienans res eccleſiæ contra formam Paulinæ in locis, in quibus non eſt recepta incurrat in pęnas eiuſdem. 39.61.1
Quam pęnam incurrat Commiſſarius delegatus à Papa in cauſa alienationis rei Eccleſiaſticæ, ſi falſum decretum interponat in damnum eccleſiæ. 40.61.2
Vtrum Cardinales incurrant pęnas alienationis in Paulina inflictas, ſi bona eccleſiæ alienauerint. 41.62.1
Vtrum Papa alienans contra iuramentum de non alienandis bonis ſedi Apoſtolicæ factum ab ipſo in aſſumptione Cardinalatus, peccet mortaliter. 42.62.2
Vtrum Papa alienans bona eccleſiarum ſine iuſta cauſa peccet contra iuſtitiam. 43.62.1
Vtrum ſuadens Papæ alienationem bonorum Romanæ eccleſiæ præcipuè excommunicatione plectatur. 44.62.2
Vtrum Papa alienans bona eccleſiæ debeat ſemper præſumi habuiſſe iuſtam cauſam. 45.62.2
Vtrum reuocationes alienationum factæ ab eadem Summo Pontifice ſint validæ. 46.62.2

Alimenta.

Quænam veniant ſub nomine Alimentorum. 1.63.1
Vtrum Pater teneatur alimenta filio emancipato damnato, proſcripto, vel excommunicato præſtare. 2.63.1
Vtrum Pater filio illegitimo teneatur alimenta pręſtare. 3.63.2
Vtrum fiſcus teneatur præſtare alimenta filijs, & bonis paternis publicatis. 4.63.2
Vtrū frater teneatur pſtare alimēta alteri fratri indigēti. 5.64.1
Vtrū mater teneatur filio ſuo indigenti præſtare alimēta. 6.64.1
Vtrum fiſcus teneatur alimenta præſtare de bonis publicatis viri, vel vxoris alteri innocenti. 7.64.1
Vtrum teneantur hæredes præſtare alimenta per annum à morte mariti viduæ relictæ. 8.64.2
Vtrum teneatur Monaſterium ſuccedens in bonis coniugis alimenta præſtare alteri coniugi de ſuo beneplacito, & conſenſu relicto in ſæculo facto iam inopi. 9.64.2
Vtrum Monaſterium capax ſucceſſionis poſſit alimenta petere à Patre pro filio Monacho iam profeſſo. 10.65.1
Alimentorum expenſas, an poſſit repetere Monaſterium, ſi Nouitius moriatur ab inteſtato. 11.65.1
Alimenta quando, vnde, & vbi pręſtanda, & an tranſeant ad hæredes. 12.65.1

Appel-

Appellatio.

Quid,& quotuplex ſit appellatio. D.1.p.72.c.1
Quando,& quomodo quis debeat appellare. 2.72.1
An,quomodo, & de quibus poſſint appellare Regulares ad ſuos ſuperiores. 3.72.2
Vtrum appellare liceat à ſententia iuxta opinionem probabilem,vel etiam probabiliorem. 4.73.1
Vtrum Clerici, & Religioſi poſſint in aliquo caſu appellare ad tribunalia Regum,& Principum ſecularium. 5.73.1
Vtrum Regulares poſſint appellare immediatè ad ſuperiorem Generalem, vel etiam ad Papam omiſſis Prælatis intermedijs. 6.73.2

Apoſtaſia.

Quid,& quotuplex ſit Apoſtaſia. 1.65.2
Apoſtata an ſit cenſendus, qui ordinem deſerit animo reuertendi,ſeu tranſeundi etiam ad Religionem laxiorem. 2.65.2
Apoſtata àn dicendus Religioſus fugiens à perpetuo carcere. 3.66.1
Vtrum Religioſus ter, vel quater Apoſtaſiam committens tanquam incorrigibilis poſſit eijci ab ordine. 4.66.1
Vtrum Apoſtata, & fugitiuus poſſit vbicunque à ſuo ſuperiore carceri mancipari. 5.66.2
Vtrum ſi Apoſtata acceperit nummos mutuos, vel aliam rem, vt ſe aleret teneatur Monaſterium ſatisfacere mutuanti. 6.66.2
Vtrum bona Apoſtatantium,& fugitiuorum pertineant ad proprium ordinem,an vero ad Cameram Apoſtolicam.7.67.1
Quaſnam pœnas incurrat Apoſtaſiam committens. 8.67.1
Vtrum Clerici ſeculares dimittentes habitum dicendi ſint Apoſtatæ. 9.67.2
Vtrum detinens Apoſtatas excommunicationem incurrat. 10.68.1
Quam obligationem habeant Prælati reuocandi ſuos Apoſtatas. 11.68.1

Altare.

Quotuplex ſit Altare,& quomodo execretur. 1.69.1
Quænam deceant Altare. 2.69.2
Vtrum ad conſecrationem Altaris portatilis ſint neceſſariæ eſſentialiter Reliquiæ Sanctorum. 3.70.1
Quinam poſſit celebrare extra Eccleſias in Altari portatili. 4.70.1
An Altare portatile valeat fieri ex duobus lapidibus ad modum libri complicatis. 5.70.2

Ambitio.

Quid ſit Ambitio,& an ſemper mortalis. D.vnic.71.1

Angaria.

Quid ſit Angaria. D.vnic.71.1

Annus.

Annus quando, cui, & quomodo dicatur currere, vel incipere. 1.71.1
Anni quot requirantur ad faciendum tempus immemorabile. 2.71.2

Aqua naturalis.

Vtrum aqua naturalis in agro ſuperiori ſcaturiens poſſit impediri ab eius domino ne currat per fundum inferius alienum. 1.73.2
Vtrum aquæ latentes ſub terram indicio aliquarum virgarum licitè inueniri valeant. 2.74.1

Aqua Benedicta.

Aquæ benedictæ aſperſio a quo,& quomodo facienda.D.1.74.1
Vtrum per Aquam benedictam deleantur venialia ex opere operato,an ex opere operantis. 2.74.1
Vtrum liceat excommunicato vti Aqua Benedicta. 3.74.1
Vtrum Aqua non benedicta per commixtionem benedictæ efficiatur tota benedicta. 4.74.2

Arbiter.

Quid, quis, quotuplex, & quid poſſit Arbiter, vel Arbitrator. vnic.75.1

Aſſaſſinus.

Quinam dicebantur Aſſaſſini iure antiquo,& quinam iure nouo. D.vnic.75.2

Aſtrologus.

Aſtrologus quomodo peccet cõtra Bullam Sixti V.D.vni.75.2

Auaritia.

Quid ſit Auaritia. 1.75.2
Vtrum Auaritia ſit vnum ex ſeptem capitalibus. 2.76.1
An,& quomodo ſit peccatum mortale. 3.76.1

Aucthoritas.

Vtrum Aucthoritates Sanctorum Patrum licitè ſine ſcrupulo negari,& reijci valeant. 1.76.1
Vtrum Theologis,Philoſophis,& aliarum Artium liberalium profeſſoribus, & maximè Cathedraticis publico ſtipendio conductis pro aliqua ſpeciali Cathedra tuenda liceat abſque ſcrupulo recedere à propriorum Proto Magiſtrorum, vel Anteſignanorum doctrina contraria huic docendo recedere. 2.78.1

Auxilium.

Auxilium quiſnam dicatur præſtare. 1.81.2
Auxilium Eccleſiaſtico Iudici petenti, an teneatur præſtare Iudex ſecularis. 2.81.2

Banditus.

Banditus an impune ſine ſcrupulo peccati mortalis accidi valeat. 1.82.1
Banditus vtrum perdat ea quæ ſunt iuris ciuilis,vel naturalis. 2.82.2
Vtrum occidens Banditum quem neſciebat Banditum gaudeat priuilegio occidenti Banditum conceſſo. 3.82.2
Vtrum Exul ſi ſteterit in Eccleſia ſuæ Patriæ dicatur fregiſſe exilium. 4.82.2

Baptiſmus.

Quid,& quotuplex ſit Baptiſmus. 1.83.1
Baptiſmi inſtitutio quando facta fuerit. 2.83.1
Vtrum Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutem. 3.83.2
Quo tempore inceperit vniuerſalis obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum. 4.83.2
Vtrum Baptiſmum tenerentur ſuſcipere illi,qui ante Euangelij promulgationem ſanctificati, & in gratia fuerunt confirmati. 5.84.1
Quænam ſit materia Sacramenti Baptiſmi. 6.84.1
Quomodo materia proxima Baptiſmi ponatur in ablutione. 7.84.2
An materia proxima, & forma debeant eſſe in miniſterio Baptiſmi. 8.84.2

Vtrum in Baptiſmo ſufficiat, vt ablutio contingat quamlibet partem etiam minimam corporis. D.9.p.85.c.1
Vtrum Baptiſmus ſit validus factus cum ablutione vnius guttæ aquæ. 10.85.1
Vtrum liceat puerum in ventre Matris exiſtentem, ſi dubitetur viuus parturiendus per fiſtulam, vel alio honeſto, & idoneo modo baptizare, 11.85.2
Baptizari an debeat infans viuus, cuius mors dubitatur accelerari, vel etiam certo ſequi ex ablutione Baptiſmali. 12.85.2
Vtrum in neceſſitatis caſu poſſit quis baptizari valide aqua, quæ dubitatur eſſe naturalis. 13.86.1
An materia conueniens Baptiſmi ſit aqua reſoluta ex ſale, ex parietibus, vel lapidibus ſudans. 14.86.1
An in caſu neceſſitatis poſſit licite fieri Baptiſmus cum aqua roſacea, vel alia diſtillata. 15.86.2
Quænam ſit forma Baptiſmi. 16.86.2
Vtrum ſi in forma varietur ly in Nomine efficiatur Baptiſmus, 17.87.1
Vtrum in forma Baptiſmi neceſſario, & eſſentialiter exprimenda ſint ſingulæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis. 18.87.2
Vtrum Baptiſmus factus in nomine Chriſti ſit validus. 19.87.2
Vtrum Baptiſmus factus in nomine Genitoris, Geniti, & ſpirati ſit validus. 20.88.1
Vtrum mutatio, tranſpoſitio, vel multiplicatio Verborum in forma inualidet Baptiſmum. 21.88.1
Vtrum valide cum vnica forma ego vos baptizo in Nomine Patris &c. poſſint plures valide baptizari. 22.88.1
Vtrum ſi omittatur, ego, vel eius loco ponatur, Nos, in forma Baptiſmus ſit validus. 23.88.2
Vtrum omittens particulas; In; & Amen in forma valide baptizet. 24.88.2
Vtrum Baptiſmum valide conficiat, qui intincto digito in aqua cum ſigno Crucis, & forma liniret infantes baptizandi, 25.89.1
Vtrum cum euidenti periculo mortis ſibi inferendæ quis baptizare teneatur infantem, vel etiam adultum mox moriturum probabiliter. 26.89.1
Vtrum Mater prægnans in articulo, ſeu periculo mortis iam conſtituta liceat ſecari, vt filius abſtractus viuus poſſit baptizari. 27.89.1
Vtrum Adultus recipiens Baptiſmum debeat neceſſario habere contritionem ſuorum peccatorum. 28.89.2
Vtrum ficte accipiens Baptiſmum debeat fictionem confitens, etiam confiteri cetera peccata ante Baptiſmum commiſſa. 29.89.2
Vtrum in Baptiſmo ficte collato a malo miniſtro ſuppleat Deus ex ſua infinita bonitate illius defectum. 30.90.1
Vtrum præſente maiori in dignitate, vel ordine, vel officio volente baptizare peccet mortaliter minor baptizans. 31.90.2
Vtrum baptizans abſque ſolemnitate in caſu neceſſitatis cum peccato mortali peccet mortaliter. 32.90.2
In dubio Baptiſmi cui credendum, & an danda ſepultura Eccleſiaſtica, 33.91.1
An in Baptiſmo priuato, ſeu non ſolemni tenens infantem ex propoſito, vt Patrini munus obeat, contrahat cognationem ſpiritualem. 34.91.1
Vtrum in Baptiſmo ſolemni cognationem ſpiritualem contrahat, qui per Procuratorem munus Patrini nomine ſuo mandat obeundum. 35.91.1
Vtrum nolente baptizare ſine pecunia Moribundum, liceat dare abſque ſcrupulo peccati mortalis. 36.91.2
Vtrum baptizandi ſint pueri infidelium inuitis Parentibus. 37.92.1
Vtrum in caſu neceſſitatis in mutus aquam ſi fundat, & mancus formam proferat, validus ſit Baptiſmus. 38.92.1
Vtrum credens baptizare maſculum, vel filium Titij, attamen baptizat fœminam, vel filium Caij, valide baptizet. 39.92.2
Vtrum quis poſſit ſeipſum baptizare in neceſſitatis articulo. 40.92.2
An monſtrum ſit baptizandum, & quomodo. 41.92.2
Vtrum deferens paruulum ad Eccleſiam baptizandum cum pompa vanitate peccet mortaliter. D.42.p.92.c.2
Vtrum ſi ſuperuiuat baptizatus priuatim in periculo mortis, debeant in Eccleſia ſuppleri cæremoniæ baptiſmales etiam cum exorciſmis ſolitis, & an omittere ſit peccatum. 43.93.1
Vtrum coniux moribundo filio ſuo priuatim Baptiſmum conferens contrahat cognationem ſpiritualem, & quid dicendum de tenente in tali Baptiſmo priuato an contrahat cognationem. 44.93.1
Vtrum ſurdus, vel mutus adultus in partibus infidelium, vel ad noſtras partes perueniens petat baptizari poſſit, & debeat abſolute baptizari. 45.93.2
Vtrum Diaconus poſſit abſente Parocho ſolemniter baptizare abſque ſcrupulo irregularitatis. 46.93.2
Vtrum Amens, vel infirmus loquela priuatus, vel letargo oppreſſus ſit baptizandus ſi referatur, quod ante amentiam, vel infirmitatem petierit Baptiſmum, & an ſufficiat vnus Teſtis, quid ſi Teſtis dubitet, an vere petierit ſit baptizandus. 47.94.1
Vtrum ſit lethalis culpa baptizare ſine aqua benedicta baptiſmali in Baptiſmo ſolemni. 48.94.2
Vtrum infans in ſecundina inuolutus validè baptizetur. 49.95.1

Baro.

Quid ſit Baro, & an ſub eius nomine veniant Comites, Marchiones, Duces, & alij Titulati. 1.95.1
An perſona Eccleſiaſtica, & fœmina baronali titulo, & officio, ſeu iure poſſint gaudere. 2.96.2
Quales debeant eſſe Barones, etiam in foro conſcientiæ. 3.96.2
Vtrum liceat Baronibus adiutoria; & collectas, in quibuſcumque neceſſitatibus proprijs a Vaſſallis exigere. 4.98.1
Vtrum Baro in criminalibus ſolum feudatarius ſubfeudatarius, vſufructuarius tenens in pignus, nomine dotis, vel in affictum Terram Baronalem, poſſint adiutoria exigere a Vaſſallis, ſicut conceditur vero Baroni. 5.98.1
In quibus Caſibus liceat Baroni exigere Adiutoria à ſuis Vaſſallis. 6.98.2
Quantum debet eſſe adiutorium, quod tuta Conſcientia poteſt exigere Baro a Vaſſallis. 7.99.1
Vtrum liceat in Conſcientia Baronibus cogere Vaſſallos ſuos, vt ſibi vendant, & a ſe emant Victualia, & res alias, vel, vt non negotientur, nec vendant ſua niſi venditis Baronalibus rebus, vel vt ſua bona potius, quàm aliorum affictent. 8.99.2
Vtrum dentur caſus, in quibus abſolutè liceat Baronibus cogere Vaſſallos ad ſibi vendendum, à ſe emendum, ad ſua bona affictanda, & conſimilia pertractanda. 9.100.2
Vtrum Barones teneantur ad collectas, gabellas, & cetera onera communia in ſuis Terris ſubeunda, ad quæ alij Ciues Vaſſalli. 10.101.1
Vtrum Baro, qui in fine annuæ adminiſtrationis ſui Aerarij diſſimulauit, vel neglexit ſignificare eius debitum, poſſit tempore quo eum ſignificat repetere in propria ſpecie vinum, oleum, frumentum, & huiuſmodi, ſi debitor horum inueniatur, dato quod plures tunc valeant, quàm in fine dictæ adminiſtrationis. 11.101.2

Benedictio.

Vtrum paramentorum Altaris, & aliarum rerum ad Eccleſiam pertinentium, quæ ab Epiſcopo benedicuntur poſſit benedictio alteri delegari. D.vnic.102.1

Beneficium.

Quid, & quotuplex ſit beneficium. 1.102.1
An appetere beneficium Eccleſiaſticum ſimplex, vel Curatum ſit peccatum mortale. 2.102.2
Cui, quando, & quomodo conferri valeat beneficium Eccleſiaſticum. 3.102.2
An efficiens, vt collator beneficium, quod Titio conferre decre
uerat-

Digitized by Google

uerat, Mutio conferat ad reſtitutionem teneatur. Diffic.4. p.103.c.2
Beneficium Curatum alterum altero pinguis à docto, & doctiori ſimul appetitum vtri conferendum pinguius. 5.103.2
Vtrum filius valeat recipere beneficium, quod immediatè antea habuerat Pater in eadem Eccleſia. 6.104.1
An beneficium abſenti collatum, poſſit alteri conferri, antequam recuſet venire. 7.104.1
Quomodo, & quando dicantur vacare beneficia. 8.104.1
Quomodo, & quando dicatur beneficium vacare in curia. 9.104.2
Beneficium vacans infra quantum tempus prouideri debeat. 10.105.1
Beneficij priuatio in quibus caſibus incurratur ipſo iure. 11.105.1
Vtrum beneficiarius priuandus beneficio ob delictum, poſſit ante priuationis ſententiam latam in fauorem alterius ipſum reſignare. 12.105.2
Vtrum priuatus beneficijs, & officijs omnibus intelligatur etiam priuatus penſione. 13.105.2
Vtrum excommunicatus immediate intelligatur ſui beneficij fructibus priuatus. 14.105.2
An beneficij valor, & quantus debeat in ſupplicatione exprimi. 15.106.1
Beneficium habens in commendam ad quid teneatur. 16.106.1
Vtrum excommunicatus validè acceptet beneficium ſibi collatum, vel præſentatum tempore, quo non erat excommunicatus. 17.106.1
Vtrum beneficij electio, vel collatio facta excommunicato, ſed acceptata poſt obtentam abſolutionem ſit valida. 18.106.2
Vtrum beneficiorum nomine ad incurrendas ſymoniæ pœnas, veniant Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Guardianatus, Diffinitoratus, ceterique conſimiles gradus Regularium. 19.106.2
Vtrum Clericus poſſit ſine peccata retinere plura beneficia ſimplicia. 20.107.1
Vtrum idem Clericus poſſit plura beneficia ſimplicia ſimul retinere abſque Apoſtolica diſpenſatione. 21.107.1
Vtrum iuxta decretum Concilij Tridentini in d. c. 17. ſi habenti beneficium ſimplex ſufficiens conferatur alterum non ſufficiens vacet primum, an ſecundum. 22.108.1
Vtrum habenti duo beneficia ſimplicia, quorum neuter eſt ſufficiens ad congruam ſubſtentationem vitæ beneficiati poſſit alia vſque ad congruam ipſius ſubſtentationem licitè conferri, & retineri non obſtante præfato Conc. Trid. decreto. 23.108.2
An Regula de Triennali poſſeſſore ſuffragetur contra decreta Concilij Trid. præcipuè cap.4. ſeſſ.7. & c.17. ſeſſ.24. de Reformatione. 24.108.2
An prouiſio Apoſtolica mutet ſtatum, ſeu poſſeſſionem iuris Patronatus. 25.109.1
Quomodo, & qualiter ſit intelligendum beneficium ſufficiens ad honeſtam Clerici ſubſtentationem. 26.109.1
Quare, & a quo diſpenſari valeat beneficiorum pluralitas. 27.109.2
An duo beneficia vniformia incompatibilia in eodem beneficiario ſub eodem tecto dicantur ipſo facto vacare. 28.110.1
Vtrum aliquando poſſint permitti licitè plura Curata beneficia in eodem. 29.110.2
An, & in quibus caſibus beneficiarius poſſit ſuum beneficium reſignare. 30.111.1
Vtrum poſt beneficij reſignationem poſſit reſignans rogare collatorem, vt ſuo conſanguineo, affini, vel familiari conferat beneficium reſignatum. 31.112.1
Vtrum ordinarij in Romana Curia commorantes poſſint conferre beneficia in ſuis manibus reſignata. 32.112.1
Vtrum beneficiorum, & officiorum permutationes ab ordinarijs poſſint admitti. 33.112.2
An in permutatione beneficij de iure patronatus requiratur conſenſus Patroni. 34.112.2
An beneficij de iure Patronatus permutatio abſque Patroni conſenſu facta ab ordinario alicui pœnæ ſubiaceat. 35.113.1
Vtrum non emittens profeſſionem fidei intra duos menſes à poſſeſſione beneficij amittat fructus tam præbendæ, quàm diſtributionum. D.36.p.113.c.1
Vtrum beneficiorum, quæ per ſupplicationem ſignatam à Papa ſunt expedita, licitè capi valeat poſſeſſio. 37.113.2
Vtrum capturus poſſeſſionem beneficij, & impeditus a Penſionario ob non ſolutas penſiones antiquas ſuper tali beneficio, poſſit ei aliquid dare, vel promittere, ne impediat ſumere poſſeſſionem. 38.114.1
Beneficij fructus decedente beneficiario, ad quos ſpectent. 39.114.2
An beneficij fructus pendentes, & a ſolo non ſeparati, & non maturati pertineant ad heredem beneficiarij, an vero ad ſucceſſorem in beneficio. 40.114.2
Beneficiarij defuncti mobilia Sacra ad quem pertineant. 41.115.1

Bigamia.

Quid, & quotuplex ſit bigamia. 1.115.2
An bigamia qualibet inducat irregularitatem, & nullitatem Priuilegij Clericalis, & a quo diſpenſetur. 2.116.1

Biſſextilis Annus.

Vnde dicitur annus Biſſextilis, & an dies eius pro vno, an pro duobus ponendus. D.vnic.116.2
Beſtialitas. 117.1

Bellum.

Quid ſit Bellum, & an ſit licitum, & quomodo, & quando. 1.117.1
Quotuplex ſit cauſa iuſta mouendi Bellum. 2.117.2
An dubitans adeſſe conditiones, & cauſas iuſtè mouendi Bellum, poſſit adhuc licitè illud indicare. 3.117.2
Vtrum Bellum iuſtè ex vtraque parte moueri valeat. 4.118.1
An ſemper etiam exiſtente iuſta cauſa debeat ſemper Princeps mouere. 5.118.2
Vtrum milites vocati a Principe teneantur inquirere, an Bellum iuſtum ſit, nec ne? 6.118.2
Vtrum miles cognoſcens poſt factum bellum fuiſſe iniuſtum teneatur ad damna illata. 7.119.1
In bello iuſto ex vna parte, & iniuſto notoriè ex altera, quid debeant facere Duces Chriſtiani ex parte iniuſti belli pugnantes. 8.119.1
Vtrum Chriſtianis liceat in bello iuſto aduocare in ſuum auxilium etiam infideles. 9.119.2
Vtrum Chriſtiani abſque alia ſpeciali cauſa poſſint licitè infidelibus bellum mouere. 10.119.2
Vtrum in bello iuſto liceat quæcumque media ad procuranda victoriam. 11.120.1
Vtrum milites in bello iuſto inferentes damna contra Ducis Generalis prohibitionem teneantur ad reſtitutionem. 12.120.1
Vtrum in actuali conflictu, & poſt ipſum queant occidi impune innocentes etiam præſumpti in bello iuſto. 13.120.1
Vtrum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum bona in bello iuſto valeant licitè damnificari. 14.120.2
Bona, quæ in bello iuſto, vel iniuſto capiuntur, ad quem pertineant. 15.120.2
Vtrum in bello iuſto inter Chriſtianos ſeruanda ſint iura captiuitatis. 16.121.1
Vtrum captus in bello iuſto poſſit fugere abſque obligatione reſtitutionis. 17.121.1
Vtrum in bello Principes valeant compoſitionem inter ſe ſe facere cum præiudicio ſuorum ſubditorum. 18.121.2
Vtrum bona Chriſtianorum à manibus infidelium liberata in bello reſtituenda ſint Dominis Chriſtianis. 19.121.2
Vtrum Duces plures perſonas repræſentando plura ſtipendia licitè capiant. 20.122.1
Vtrum iuſto bello intereſſe valeant Clerici, & Religioſi. 21.122.1

Vtrum

Vtrum Mandatarius multa paſſus in bello poſſit ea à Principe mandante repetere. D.22.p.122.c.1
Vtrum commodans, vel locans equos, & arma eunti ad Bellum, poſſit ea repetere, ſi in ipſo Bello amiſſa fuerint. 23.122.2
Vtrum Princeps licitè valeat mouere Bellum contra alium Principem impedientem in ſuis locis, ne alij piſcationem, fodinas, mercaturam, peregrinationem, & nauigationem exerceant. 24.122.2

Blaſphemia.

Quid ſit Blaſphemia, & in quo conſiſtat. 1.123.1
Quotuplex ſit Blaſphemia. 2.123.1
An, & quales Blaſphemiæ ſint iſta, Renego Iddio, Renego S.Pietro, al diſpetto di quel Vecchiazzo, che mi mantiene al Mondo, al conſpetto di Dio, vel ſi dicatur Idolo mio, Dea mia, vel Potta di Di, ò di Maria Vergine, & conſimilia. 3.123.2
Vtrum imprecatoriè iurans, poſſa perdere Dio, la ſua gratia, il Paradiſo, vel per caput Dei, vel Corpus, & ſanguinem Chriſti ſit dicendus Blaſphemus. 4.124.2
Vtrum miſcere ſacra profanis ſit Blaſphemia. 5.124.2
Vtrum Blaſphemi committant peccatum Creaturis maledicentes. 6.125.1
An, & quomodo ſit peccatum Blaſphemia, & an paruitas Materiæ excuſet à peccato. 7.125.1
Vtrum Blaſphemiam ex habitu proferens non ſufficienter aduertens, quod dicat peccet mortaliter. 8.125.2
Vtrum Blaſphemia in Deum, & Sanctos ſpecie differant. 9.126.1
Quali pœna puniantur Blaſphemiæ ſimplices, & hæreticales. 10.126.1

Bona Caſtrenſia.

Quænam dicantur bona Caſtrenſia, & quaſi Caſtrenſia, & an Patri acquirantur. 1.126.2
An libri empti à Patre pro ſuo filio ſint dicenda ipſius bona quaſi Caſtrenſia. 2.127.1

Bona Profectitia.

Quænam dicantur bona profectitia, & ad quem ſpectent, quoad vſufructum, & proprietatem. 1.127.2

Bona Aduentitia.

Quænam dicantur bona Aduentitia, & ad quem pertineant quoad vſufructum, & proprietatem. 1.127.2
Vtrum Bona à filio acquiſita, ſi dubitentur data ne ſint contemplatione Patris, & an ſint de bonis Patris, vt Pater eſt, debeant dici Aduentitia. 2.127.2
Vtrum melioratio, vel deterioratio facta à Patre in bonis aduentitijs cedant reſpectiue in damnum, vel beneficium filij. 3.128.1

Bona Parafernalia.

Quænam dicantur bona Parafernalia, & quo priuilegio gaudeant. 1.128.1
Vtrum bonorum parafernalium maritus poſſit habere fructus, vel commodum. 2.128.1

Bulla Cœnæ.

Quid denotet Bulla Cœnæ. 1.129.1
Vtrum Bullæ Cœnæ excommunicationes dicendæ ſint excommunicationes à iure, an vero ab homine. 2.129.1
Vtrum Imperatores, Reges, Reſpublicæ, & Principes abſoluti valeant in ſuis Dominijs obſeruantiam Bullæ Cœnæ impedire. 3.129.2
Vtrum eadem crimina prohibita in iure communi, & in Bulla Cœnæ cadant ſub duplici cenſura. D.4.p.129.c.2

Excommunicatio Prima. Pag.130.c.1.

Vtrum primam hanc Bullæ excommunicationem incurrat Hæreticus mentalis, qui nullo verbo, nec nutu, ſuam manifeſtauit exterius hæreſim. 1.130.1
Vtrum hæreticus pure mentalis, qui ſuam hæreſim animo reuoluens facit aliquod ſignum indifferens, vel verba imperfecta edit ex ſe immediate non proteſtantia contra fidem, incurrat primam excommunicationem latam in Bulla Cœnæ. 2.130.1
Vtrum manifeſtans ſuam hæreſim mentalem abſque malitia hæretica puta in ebrietate, vel Conſilio petendo ab amico, vel Theologo incidat in primam excommunicationem Bullæ Cœnæ. 3.131.1
Quinam in hac prima excommunicatione dicantur hæreticorum credentes, fautores, & receptatores. 4.131.1
Quænam conditiones requirantur, vt dicantur Libri prohibiti in hac prima excommunicatione legi, retineri, & imprimi. 5.131.2
An legentes, retinentes, & imprimentes Additiones, Adnotationes, & Scholia Hæreticorum in Libros Catholicorum excommunicentur in hoc primo Canone Bullæ Cœnæ. 6.132.1
Vtrum legentes, retinentes, & imprimentes ignorantes eſſe Libros hæreticorum de Religione tractantes, hæreſimque continentes incurrant in hanc excommunicationem latam in primo Canone Bullæ. 7.132.1
Vtrum iubens legere, vel legentem audiens libros hæreticorum de Religione tractantes, vel hæreſim continentes incurrat in hanc primam excommunicationem. 8.132.1
Vtrum legens, & non intelligens, vel tacito ore ſolo oculo percurrens libros hæreticorum incidat in hanc primam excommunicationem. 9.132.2
Vtrum paruitas materiæ ab hac excommunicatione excuſet legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum. 10.132.2
Quinam veniant ſub nomine imprimentium, & defendentium libros hæreticorum in hac prima excommunicatione. 11.131.2
Quinam dicantur Schyſmatici in hac prima excommunicatione comprehenſi. 12.133.2

Excommunicatio Secunda. Pag.133.c.1.

Vtrum appellantes à Summo Pontifice, vt Dominus eſt temporalis, non autem vt eſt Dominus ſpiritualis incidant in hanc ſecundam excommunicationem. 1.133.1
Vtrum appellans ad præſens Concilium generale à Papa eiuſque mandatis incidat in hanc ſecundam excommunicationem. 2.134.1
Quando, & quomodo dicantur auxiliantes, & fauentes in hanc excommunicationem incurrere. 3.134.2

Excommunicatio Tertia. Pag.134.c.1.

Quinam dicantur Pyratæ, Curſarij, & latrunculi maritimi in hac tertia excommunicatione comprehenſi. 1.134.1
Vtrum aliud Mare præter Argentinum vſque ad Terracinam ſit mare Summi Pontificis, & ſubiectum huius tertiæ excommunicationis. 2.134.2
Vtrum nauigantes animo negotiandi, ſi incidenter in dictis Maribus deprædentur, vel aliquid ſurripiant in Nauibus, in quibus nauigant, incurrant hanc tertiam excommunicationem. 3.135.1
Vtrum in hoc Canone tertio contineantur latrunculi, qui in fluminibus influentibus in dicta maria deprædantur Naues in ipſis commorantibus. 4.135.1
Vtrum deprædantes in præfatis maribus infideles aduehentes merces cum ſaluo conductu incidant in hanc tertiam

tiam excommunicationem. Diffic.5.pag.135.c.2
Vtrum ingredientes prefata maria cum animo deprædandi, incidant in excommunicationem tertiam ſi nulla ſequatur actualis deprædatio. 6.135.2
Quando incurrant hanc excommunicationem receptatores, & fautores pyratarum. 7.135.2

Excommunicatio Quarta. pag.136. c.2.

Vtrum conſulentes, mandantes, auxiliantes, fauentes, & ratum habentes, & receptantes cum participatione furti excommunicentur in hoc quarto Canone. 1.136.1
Vtrum ſurripiens bona naufragantium, & immediatè pænitentia ductus reſtituat ea, incurrat in hanc excommunicationem. 2.136.1
Vtrum ſurripiens bona naufragantium ex Nauibus diſruptis ab hoſtibus, vel ante naufragium, vel poſtea, ſubiaceat huic quartæ excommunicationi. 3 156.2
Vtrum ſurripientes bona naufragantium in flumine, vel lacu incidant in hanc quartam excommunicationem. 4.136.2
Vtrum ſurripientes bona hæreticorum, & Pyratarum Chriſtianorum naufragantium, vel bona Chriſtianorum ab hæreticis, & infidelibus aſſecurata incurrant hanc quartam excommunicationem. 5.137.1
Vtrum ſurripiens rem naufragatam vulgarem tamen licet ſufficientem ad peccatum mortale incidat in hanc quartam excommunicationem. 6.137.1
Vtrum ſurripientes bona naufragata, quæ habentur pro derelictis, vel vt reſtituant Domino incidant in hanc excommunicationem. 7.137.1
Vtrum vtentes iuſto priuilegio, & iuſta conſuetudine in accipiendis bonis naufragantium incidant in hanc excommunicationem. 8.137.2

Excommunicatio Quinta. pag.138. c.2.

Vtrum ſub nomine pedagij, & Gabellæ comprehendantur in hoc quinto Canone Guidagium, portorium, taxa, collecta, præſtantiam, talea, & perficatus. 1.138.1
Vtrum qui obtenta facultate imponendi nouam gabellam puta ſuper vinum, vtatur ea ſuper alia re, puta ſuper oleum, incidat in hanc quintam excommunicationem. 2.138.2
Vtrum habens facultatem imponendi nouas Gabellas in terris ſuis ex antiqua conſuetudine immemorabili incidat, ſi imponat ſine alia facultate, in excommunicationem quintam. 3.138.2
Vtrum Princeps ſupremam authoritatem habens in terris ſuis imponens iniuſtam gabellam nouam incidat in hanc quintam excommunicationem. 4.139.1
An communitas nouam imponens gabellam, vel antiquam augẽs incidat in hanc quintam excommunicationẽ. 5.139.1.
Vtrum habens ſupremam poteſtatem preſſus iuſta cauſa imponendi nouam gabellam, ſi indiſtincte ſupra laicorum, & Clericorum bona eam imponat, incidat in hanc quintam excommunicationem. 6.139.2
Vtrum mandans, vel conſulens nouas imponi, & veteres augeri gabellas incidat in hanc quintam excommunicationem. 7. 139. 2
Vtrum terræ Dominus faciens poteſtatem alicui tenendi cimbam pro tranſuadando flumen aliquo ſoluto iuſto pretio incidat in hanc quintam excommunicationem. 8.140.1
Vtrum exigentes gabellas vltra taxam ſuperioris, vel iniuſtam à parato ſoluere, vel mutantes pretium æquale in aliud æquale incidant in hanc quintam excommunicationem. 9.140.1
Vtrum capientes defraudantes gabellas iniuſtas, & eos ad exactores portantes, vt puniantur, incidant in excommunicationem huius quinti Canonis. 10. 140.2

Excommunicatio Sexta. pag.140.c.1.

Vtrum falſificans litteras, & ſupplicationes legati à latere incidant in hanc ſextam excommunicationem. Diffic.1. pag.140. c.1
Quomodo, & quando dicantur falſificatæ litteræ Apoſtolicæ vel ſupplicationes. 2.140.2
Vtrum mutans quid modicum varians ſenſum, in nullius tamen præiudicium in litteris Apoſtolicis incidat in hanc ſextam excommunicationem. 3.141.1
Vtrum corrigens errorem factum à ſcriptore Bullæ contra intentionem Papæ hic excommunicetur. 4.141.1
Vtrum non perficiens inceptas falſas Apoſtolicas fabricare, vel ſenſum in eis immutare, vel perficient cum animo non vtendi incidat in hanc excommunicationem. 5.141.1
Vtrum quis tacita veritate vel ſuggeſta falſitate reddat inualidas litteras Apoſtolicas incidat in hanc ſextam excommunicationem. 6.141.1
Vtrum conſulentes, mandantes falſificationem litterarum Apoſtolicarum, & falſificantium fautores incidant in hanc ſextam excommunicationem. 7.141.2
Vtrum falſificans litteras Papæ, quas ſcribit, vt priuata perſona, puta ad aliquem ſibi bene viſum, vt veniat ad ſe imiſſendum, incidat in hanc excommunicationem ſextam. 8. 141. 2.

Excommunicatio Septima.

Vtrum tranſmittentes ad prænominatos infideles Aſinos, Mulos, Boues, & Camelos incidant in hanc ſeptimam excommunicationem. 1.142.1
Vtrum tranſmittentes ad nominatos infideles inſtrumenta quibus viuntur Agricolæ, fabri lignarij, ferrarij, & conſimiles artifices ligentur hac ſeptima excommunicatione. 2. 142. 1
Vtrum ad delicias ſpectantia tempore belli, vel etiam victualia veſtes, & ſimilia ad infidelos transferentes incidant in hanc excommunicationem. 3.142.2
Vtrum deferentes equos, arma, & cetera ſpecialiter prohibita in hoc Canone tempore pacis ad infideles excommunicationem hanc contrahant. 4.143.1
Vtrum Chriſtianus ex vna terra infidelium tranſuehens præfata ſpecialiter in Bulla prohibita ad aliam terram infidelium incidat in hanc excommunicationem. 5.143.1
Vtrum Princeps Chriſtianus non prohibens paſſum infidelibus tranſeuntibus ad damna Chriſtianorum excommunicetur in hoc ſeptimo Canone. 6.143.1
Vtrum mandans, vel conſulens deferri hic prohibita incurrunt excommunicationem, & an ſi effectus non ſequatur damnificationis. 7.143.2
Vtrum vendens prohibita infidelibus in terris Chriſtianorum, vel cum eis meliora commutans incidat in hanc ſeptimam excommunicationem. 8.143.2
Vtrum deferens in hoc ſeptimo Canone prohibita ad fideles Catholicos ſubditos Principis infideli in ipſorum terris commorantes incidat in hanc ſeptimam excommunicationem. 9. 144. 1.
Vtrum paruitas materiæ deferentem hic prohibita, puta vnum pugionem, vel enſem vnum ad infideles excuſet ab hac ſeptima excommunicatione. 10.144.1
Vtrum deferens hic prohibita ad infideles, & ſtatim repetit, vel quibus nunquam ſunt vſuri infideles contra Chriſtianos incidat in hanc ſeptimam excommunicationem. 11.144.2
Vtrum deferens hic prohibita ad ſchyſmaticos incurrat in hanc ſeptimam excommunicationem. 12.144.2
Vtrum certiores faciens infideles de ſtatu in damnum alicuius perſonæ particularis Chriſtianæ, incidat in hanc ſeptimam excommunicationem. 13.144.2
Vtrum certiores faciens infideles contra ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ de rebus, quæ antea ſibi iam erant nota incidat in hanc ſeptimam excommunicationem. 14.145.1
Vtrum metu graui coactus facere prohibita in hoc ſeptimo Canone incidat in eius excommunicationem. 15.145.1
Vtrum Princeps Chriſtianus præſtans auxilium, fauorem, & conſilium contra Principem alium Chriſtianum infidelibus ad

bis ad finem ne potentior factus ſuum Dominum inuadat, & ipſi reſiſtere nequeat, incidat in hanc ſecundam excommunicationem. D.16.p.145.c.1

Vtrum deferens hic prohibita ad terras infidelium ad redimendos Chriſtianos captiuos ab eorum manibus incidat in hanc excommunicationem. 17.145.2

Vtrum deferentes mercimonia, & alia, quæ prohibita ſpecialiter hic ſunt incidant in hanc excommunicationem. 18.146.1.

An portantes prohibita in hoc ſeptimo Canone vltra excommunicationem hic latam alias incurrat pœnas. 19.146.2

Excommunicatio Octaua. Pag. 146. 1.

Vtrum nolens vendere, & donare res ſuas, quæ tranſmittenda eſſent ad vſum Romanæ Curiæ neceſſarias incidat in hanc octauam excommunicationem. 1.146.1

Vtrum adducentes ad Romanam curiam canes, Accipitres, inſtrumenta muſicalia, & alia conſimilia ſi qui impediant, vel perturbent incidant in hanc octauam excommunicationem. 2.146.1

Vtrum quando Papa eſſet extra Romam, impedientes ne adducantur ad Romanam curiam neceſſaria excommunicentur in hoc octauo Canone. 3.146.2

An impedientes litteras directas ad curiam Romanam ne perueniant hic excommunicentur. 4.146.2

An impedientes ad Romanam curiam aduehentes copiam magnam mercium, quas curiales non ſolent emere in hoc octauo canone excommunicentur. 5.147.1

Vtrum Domini prohibentes, ne victualia Romam tranſueherentur, vt ſuorum ciuium conſulant annonæ, & graſcia, vel alio iuſto prætextu incidant in hanc octauam excommunicationem. 6.147.1

Vtrum ſpolians deferentem neceſſariam ad curiam Romanam pecuniam, quas ad proprium vſum portat incidat in hanc octauam excommunicationem. 7.147.2

Vtrum mandans, vel conſulens impediri delationem victualium ad curiam Romanam incurrat in hanc octauam excommunicationem. 8.147.2

Vtrum defendens eos, qui impediuerunt, vel inuaſerunt portantes victualia ad Romanam curiam incurrat in hanc octauam excommunicationem. 9.148.1

Vtrum impediens portantem victualia ad Romanam curiam in tanta ſolum quantitate, quæ ſufficit ad peccatum mortale incidat in hanc octauam excommunicationem. 10.148.1

Vtrum impediens proponentem portare Romam victualia in hoc octauo Canone etiam excommunicationem latam incurrat. 11.148.2

Excommunicatio Nona. Pag. 148. c. 1.

Vtrum interficiens, vel ſpolians, vel detinens venientem ad Papam, non vt Papa in ſpiritualibus, ſed vt eſt Dominus temporalis ad tractanda negotia merè temporalia incidat in hanc nonam excommunicationem. 1.148.1

Vtrum interficiens eum, qui in itinere incepto ad Sedem Apoſtolicam mutauit ſententiam accedendi, incurrat in hanc nonam excommunicationem. 2.148.2

Vtrum interficiens accedentem Romam, à qua ſedes Apoſtolica receſſerat putantem tamen Romæ adhuc eſſe incidat in hanc nonam excommunicationem. 3.148.2

Vtrum interficiens officialem curiæ Romanæ ab ipſa diſcedentem ad ſuam Patriam, vel alio excommunicetur in hoc nono canone. 4.149.1

Vtrum occidens Vagabundum recedentem à ſede Apoſtolica ſtatim antequam à Romæ Territorio ſit egreſſus incidat in hanc nonam excommunicationem. 5.149.1

Vtrum ſpolians accedentem ad ſedem Apoſtolicam iam ab alio prius occiſum incidat in hanc nonam excommunicationem. 6.149.1

Vtrum debeat dici excommunicatus in hoc nono Canone qui ad ſedem Apoſtolicam accedentem, vel recedentem habuit animum leuiter percutiendi, caſu tamen mutilauit, vel interfecit. 7.149.1

Vtrum mutilans manum aridam omnino vſui inutilem accedentis, vel recedentis à curia, vel barbam, vel digitum abſcindat incidat in hanc nonam excommunicationem. 8.149.2

Vtrum clàm ſurripiens à veniente ad ſedem Apoſtolicam pecunias, equum, veſtes, & ſimilia incidat in hanc nonam excommunicationem. 9.149.2

Vtrum rapientes vxores, filios, parentes, & ſeruos venientium, vel recedentium à curia Romana afficiantur hac nona excommunicatione. 10.149.2

Vtrum detinens, vel capiens accedentem ad ſedem Apoſtolicam mox dimiſſurus incurrat in hanc nonam excommunicationem. 11.150.1

An detinens, & capiens de mandato ſui ſuperioris ſine vi, ſed ſolo præcepto accedentem ad Romanam curiam afficiatur hac nona excommunicatione. 12.150.1

Vtrum interficiens commorantem in curia inimicitiæ, & odij cauſa incurrat in hanc nonam excommunicationē. 13.150.1

Vtrum offendens aliquo ex dictis modis in Bulla officiales curiæ incurrat in hanc nonam excommunicationem, 14.150.2

Vtrum mandans ſolum percuti accedentem ad curiam mandatarius tamen occidit, vel mutilat, vel mandatum reuocauit hac nona afficiatur excommunicatione. 15.150.2

Vtrum conſulens, fauens, ratum habens, permittens occidi accedentem ad curiam Romanam incidat in hanc nonam excommunicationem. 16.150.2

Vtrum occidens Iudæum Hereticum, vel alium infidelem venientem Romam ad tractanda negotia incurrat hanc nonam excommunicationem. 17.151.1

Vtrum interficiens &c. accedentem ad curiam non in ipſius odium, ſed ob priuatas cum accedente inimicitias incidat in hanc nonam excommunicationem. 18.151.2

Vtrum qui plures actiones in hoc Canone contentas facit circa eandem perſonam, puta ſpoliando, detinendo, capiendo, & demum interficiendo, & è contra qui plures perſonas vna actione hic prohibita ſimul offendit, puta vnico enſis ictu plures accedentes mutilat, vel occidit, vnam, vel plures excommunicationes incurrat. 19.151.2

Excommunicatio Decima.

Vtrum percutiens Romipetam incurrat in hanc decimam excommunicationem. 1.151.1

Vtrum occidens, vel deprædans muliones Romam petentes ligetur hac decima excommunicatione, & an qui ſolùm clàm ſurripit. 2.152.1

Vtrum præſtans auxilium, conſilium, & fauorem offendendi contra prohibitionem in hoc Canone Romipetas incidat in eius excommunicationem nondum ſecuto effectu. 3.152.1

Vtrum Romipeta alium Romipetam offendens aliquo ex modis in hoc decimo Canone prohibitis incurrat eius excommunicationem. 4.152.1

Vtrum familiares Romipetarum vno ex modis in Bulla prohibitis offendens incidat in hanc decimam excommunicationem. 5.152.2

Vtrum offendens Romipetam vt in hoc Canone prohibetur, ſi ſolùm ad loca ſacra extra mœnia Romæ, & non intra Romam accedat. 6.152.2

Vtrum offendens vt in hoc decimo Canone Romipetam pœnitentia ſibi à confeſſario, vel Iudice impoſita adimplenda; vel voti à ſe facti exequendi cauſa incidat in hanc decimam excommunicationem. 7.152.2

Vtrum offendens vt in hoc Canone Romam accedentem cauſa deuotionis, & negotiorum temporalium ſimul, & ſemel incidat in hanc decimam excommunicationem. 8.153.1

Vtrum offendens vt in Canone iſto accedentem Romam cauſa deuotionis, & cauſa negotiorum tractandorum in curia incidat in duas excommunicationes, ſcilicet latam in Canone nono, & in Canone hoc decimo. 9.153.1

Vtrum

Vtrum offendens vt in hoc Canone clericũ, vel Religioſum euntem Romam cauſa deuotionis abſque ſuorum ſuperiorum licentijs, & dimiſſorijs incidat in hanc excommunicationem. Diffic. 10. pag. 153. 2

Vtrum offendens vt in hoc Canone continetur reuertentem Roma cauſa deuotionis, & in itinere ad amicum deuertentem, vt eum viſitet, vel diutius ex iuſta cauſa infra iter puta ratione malæ valetudinis incurrat in hanc excommunicationem. 11. 153. 2

Vtrum ignorans ſe offendere Romipetam cauſa deuotionis incurrat hanc excommunicationem. 12. 153. 1

Vtrum occidens, vel mutilans, aut vulnerans Romipetam cauſa deuotionis, turpiter inuentum cum vxore, filia, ſorore, vel matre incurrat hanc decimam excommunicationem. 13. 154. 2

Excommunicatio Vndecima.

Vtrum expuens in faciem, vel aquam immittens, vel conſimilia iniurioſe faciens contra aliquem ex nominatis Prælatis, vel eorum pallium, & veſtem ſcindens in hanc vndecimam excommunicationem incurrat. 1. 154. 1

Vtrum inſequens aliquem ex Prælatis in Canone poſitis animo lædendi, ſi tamen nullum inter inſequendum damnum intulerit, incidat in hanc excommunicationem. 2. 155. 1

Vtrum expellens prædictos Prælatos in Canone à territorijs, & Dominijs, in quibus vel nullam habent iuriſdictionem, vel ſaltem habent iuriſdictionem temporalem ex Patrimonio, vel hæreditate, incidat in hanc excommunicationem. 3. 155. 1.

Vtrum approbans aliquam ex poſitis offenſionibus factis contra dictos Prælatos in hoc Canone, quæ tamen ſuo nomine facta non fuit, incidat in hanc excommunicationem. 4. 155. 2.

Vtrum offendens aliquo ex modis poſitis in hoc Canone eum, qui à Papa nominatus eſt Cardinalis, & electioni conſenſit, tamen galerum rubrum non recepit, nec in conſiſtorio eſt ei os apertum, vel Epiſcopum electum, & confirmatum, non tamen conſecratum incidat in hanc excommunicationem. 5. 156. 1

Vtrum offendens vt in Canone hoc Nuncium, vel legatum ſedis Apoſtolicæ redeuntem à ſua Nunciatura, vel legatione iam abſoluta, incidat in hanc excommunicationem. 6. 156. 2

Vtrum lædens familiares Prælatorum, qui in hoc Canone nominantur aliquo ex dictis modis incurrat in hanc vndecimam excommunicationem. 7. 156. 2

Vtrum Prælatus aliquis ex nominatis in Canone, ſi ſeipſum occidat, vel mutilet, vel percutiat, incidat in hanc vndecimam excommunicationem. 8. 156. 2

Vtrum offendens aliquo ex modis narratis in Canone aliquem ex Prælatis nominatis turpiter cum vxore, ſorore, vel filia inuentum incidat in hanc excommunicationẽ. 9. 157. 1

Vtrum mandans, conſulens, fauens auxilians lędentibus; vt in Canone præfatos Prælatos, non ſecuto effectu incidat in hanc excommunicationem. 10. 157. 1

Vtrum mandans occidi Epiſcopum Mutium, occidit autem Epiſcopum Titium mandatarius, & non Epiſcopum Mutium ex aliquo caſu incidat in hanc excommunicationem. 11. 157. 2

Vtrum receptans, & defendens lædentem aliquo ex dictis modis nominatos Prælatos, incidat in hanc excommunicationem. 12. 157. 2

Vtrum non impediens cum poſſit impedire actiones prohibitas in hoc vndecimo Canone, incidat in eius excommunicationem. 13. 157. 2

Vtrum ſciens conſpirationem factam in Cardinalem ab iniquis, ſi taceat, & non reuelet, incurrat hanc excommunicationem. 14. 158. 1

Vtrum committens hic prohibita in Prælatos prædictos afficiatur etiam excommunicatione in c. felicis, & in c. ſi quis ſuadente Diab. 15. 158. 2

Vtrum Prælatus aliquo ex dictis modis in Canone offenſus poſſit ſuum offenſorem propter hoc excommunicatum declarare. D. 16 p. 158. c. 2

Excommunicatio Duodecima. p. 158. c. 1

Vtrum recurrentem per ſolas litteras ad Romanam curiam ob lites, & negotia occidens, percutiens vel ſpolians etiam immobilibus incidat in hanc excommunicationem duodecimam. 1. 158. 1

Vtrum lædens in fama aliquem ex priuilegiatis in hoc canone puta voce, vel ſcripto contumelijs afficiendo incidant in hanc excommunicationem. 2. 159. 2

Vtrum ſpolians vnum ex priuilegiatis in hoc Canone ad compenſationem ſibi faciendam incurrat in hanc excommunicationem. 3. 159. 1

Vtrum recurrens ad curiam abſolutis negotijs recedens ſi offendatur vt in canone, incidat in excommunicationem hanc offendens. 4. 159. 2

Vtrum offendens vt in canone hoc Iudicem exiſtentem extra Romam, cui commiſſa eſt à Papa cauſa recurrentis ad curiam, incidat in hanc excommunicationem. 5. 159. 2

Vtrum lædens vt in canone hoc recurrentem ad curiam iniuſtè incidat in hanc excommunicationem duodecimam. 6. 159. 2

Vtrum recurrentem ad ſedem Apoſtolicam falſis teſtibus accuſans iniuſtè in odium talis recurſus, vnde ex tali accuſatione ſequatur in recurrente mors, vel percuſſio, vel ſpoliatio incidat in hanc excommunicationem. 7. 160. 1

Vtrum ratam habens interfectionem, ſpoliationem, vel percuſſionem recurrentis ad curiam incidat in hanc excommunicationem. 8. 160. 2

Vtrum occidens, percutiens, & ſpolians filios, fratres, vel conſanguineos recurrentes ad curiam in odium recurſus incidat in hanc duodecimam excommunicationem. 9. 160. 2

Excommunicatio Decimatertia. p. 160. c. 1

Vtrum bona fide putans ſcilicet ſe non habere friuolam recurrendi cauſam de facto a grauamine ſedis Apoſtolicæ, vel eius officialium appellet ad laicam poteſtatem incurrat in hanc decimatertiam excommunicationem. 1. 161. 1

Vtrum contra Iudicem Eccleſiaſticum iniuſte irreparabiliter opprimentem, poſſit quis ad ſe tuendum implorare auxilium alicuius laici vt priuata perſona eſt, abſque timore incurrendi hanc excommunicationem. 2. 161. 2

Vtrum appellans à ſententia collegij Cardinalium, vel ſacræ eorundem congregationis, vel Epiſcoporum incurrat in hanc excommunicationem. 3. 162. 2

Vtrum appellans ab Eccleſiaſtico ad laicum Iudicem pro grauamine in re temporali, vel ad Iudicem laicum à Papa conſtitutum in ſuis Terris, vel ad Prælatum Eccleſiaſticum habentem ſolam iuriſdictionem temporalem incidat in excommunicationem decimamtertiam. 4. 162. 2

Vtrum appellans contra formam huius Canonis, ſi Iudex laicus non admittat appellationem, incurrat in hanc excommunicationem. 5. 163. 1

Vtrum impediens priuata auctoritate, vel iuſtam cauſam putante ſe habere executionem litterarum Apoſtolicarum, vel eis non parens, nec obediens incurrat hanc excommunicationem. 6. 163. 1

Vtrum offendens contra tenorem huius canonis priuilegiatorum conſanguineos, & affines cognatione legali, ſpirituali, vel ratione impedimenti publicæ honeſtatis, vel copula illicita, eorumque colonos incidat in hanc excommunicationem. 7. 163. 1

Vtrum ratihabitio, & conſilium contra tenorem huius canonis, excommunicatione decimatertia feriantur. 8. 163. 2

Vtrum impediens executionem litterarum Apoſtolicarum Iuripatronatus laicorum derogantium, vel penſionem ſoluendam clerico vnius nationis præcipientium clerico alterius nationis incurrat hanc excommunicationem. 9. 163. 2

Vtrum Magiſtratus, vel alius officialis laicus prohibens executionem

Digitized by Google

cutionem litterarum Apoſtolicarum, antequam accedat conſenſus, vel examen de validitate à ſuo Principe, incidat in hanc excommunicationem. D.10.pag.163.c.2

Vtrum Princeps, vel magiſtratus laicus exigens à Nuntys, & legatis Apoſtolicis ſua legationis, & nunciatura litteras patentales incidat in hanc excommunicationem. 11.164.1

Vtrum Princeps requiſitus, vt ſuum conſenſum preſtet litteris Apoſtolicis ad finem, vt populus libentius pareat, incurrat in hanc excommunicationem, ſi ſubſcribat eos, placet, exequantur, vel alio modo. 12.164.2

Vtrum Prælatus Eccleſiaſticus, ad quem dirigi ſolet executio litterarum Apoſtolicarum, ſi executioni eas non tradat, vel quoquomodo impediat, ligetur hac excommunicatione. 13.164.2.

Vtrum de facto impediens, & prohibens ratione peſtis litteras, vel perſonas priuilegiatas in hoc Canone, vel de facto quoquomodo prohibens, vel impediens, ſi tamen non ſequatur effectus impedimenti, vel prohibitionis incurrat in hanc decimatertiam excommunicationem. 14.165.1

Excommunicat. Decimaquarta. p.165.c.1

Vtrum conatus auocare effectu non ſubſecuto, vel nondum in tribunali Eccleſiaſtico introductus de facto auocat, vel ſi auctoritate ſolùm propria, & non prætextu exemptionum, & priuilegiorum Apoſtolicorum de facto auocat cauſas in hoc Canone prohibitas in excommunicationem incurrat. 1.165.1.

Vtrum Prælatus Eccleſiaſticus habens poteſtatem laicam ſi auocet ad ſuum Tribunal cauſas ſpirituales ab alio Tribunali ſedis Apoſtolicæ, & ſuorum Iudicum, incidat in hanc excommunicationem. 2.166.2

Vtrum auocans contra formam huius Canonis à Tribunalibus aliorum Iudicum Eccleſiaſticorum incidat in hanc excommunicationem. 3.166.1

Vtrum Iudex ſecularis cauſam mixti fori inceptam in Tribunali Eccleſiaſtico eum negligente proſequi ad ſuum auocans incidat in hanc excommunicationem. 4.166.2

Vtrum ſolum impediens curſum cauſarum ſpiritualium, audientiam capitula collegia proſequentia cauſas ſpirituales incidat in hanc excommunicationem. 5.166.2

Vtrum compellens partes actrices contra tenorem canonis vt priuata perſona, & non iuriſdictionaliter, incidat in hanc excommunicationem. 6.166.2

Vtrum mandans hic prohibita per mandatum non ſufficienter verbis expreſſum incidat in hanc excommunicationem. 7.167.1

Vtrum Eccleſiaſticus ſponte à ſe patiens trahi ad Tribunal ſæculare incidat in hanc excommunicationem. 8.167.1

Vtrum auocans ex priuilegio Epiſcoporum, vel ex tolerantia Papæ cauſas ſpirituales ad ſuum Tribunal ſæculare, incidat in hanc excommunicationem. 9.167.1

Vtrum malitioſè impediens ſub prætextu ſupplicationis faciendæ Pontifici curſum cauſarum, ne quis gratia perfruatur Apoſtolica ſi nullum aliud habet iuſtam impediendi cauſam incidat in hanc excommunicationem. 10.167.2

Vtrum ſtante negligentia, vel oppreſſione Iudicis Eccleſiaſtici, Iudex ſæcularis ſub prætextu quod iure naturæ viſum vi repellere liceat, & innocens oppreſſus ſit ſubleuandus ex eodem principio iuriſnaturalis auocans ad ſuum Tribunal cauſas ſpirituales à Tribunali Eccleſiaſtico incidat in hanc excommunicationem. 11.167.2

Vtrum in terris infidelium, vbi non adeſt Tribunal Eccleſiaſticum, poſſit Iudex ſæcularis ad ſuum Tribunal auocare cauſas Eccleſiaſticorum abſque timore excommunicationis huius. 12.167.2

Vtrum excommunicationem hanc incurrat faciens contra tenorem huius Canonis ſub prætextu, quod hæc Bulla non ſit publicata, nec acceptata à ſua Republica, vel Principe. 13.168.2

Vtrum excommunicationem hanc incurrat faciens contra tenorem huius Canonis, ſub prætextu, quod hæc Bulla non ſit publicata, nec acceptata à ſua Republica, vel Principe. Diffic. 14. pag.168. c.2

Excommunicat. Decimaquinta. p.169.c.1

Vtrum Iudex trahens ad aliud Tribunal laicum clericum, ſimiliter Procuratorem, Aduocatus, & Miniſtri Iudicis trahentis ad ſuum Tribunal an afficiantur hac excommunicationem decima quinta. 1.169.1

Vtrum vexans conſanguineos, vel colonos Clericorum, eorum bona diripiendo, vt ſic cogat clericos ad ſuum Tribunal accedere, incidat in hanc excommunicationem. 2.169.1

Vtrum citans perſonam Eccleſiaſticam ad ſuum Tribunal ſolum incidat in hanc excommunicationem. 3.169.1

Vtrum trahens ad ſuum Tribunal perſonam Eccleſiaſticam ob patratum delictum tempore quo erat laicus incidat in hanc excommunicationem decimamquintam. 4.169.2

Vtrum Clericus enormitatibus ſe immiſcens ad Tribunal ſæculare abſque timore huius excommunicationis trahi valeat à Iudice ſæculari. 5.170.1

Vtrum trahens Iudex ſæcularis ad ſuum Tribunal clericum ſpurium incidat in hanc excommunicationem. 6.170.1

Vtrum faciens ſtatutum contra libertatem Eccleſiaſticam, ſi de facto non fuerit promulgatum, vel ſi promulgatum non tamen ſeruetur incidat in hanc excommunicationem. 7.170.2

Vtrum Pracones, & Miniſtri inferiores publicantes ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam de mandato ſuorum Principum, vel Magiſtratuum incidant in hanc excommunicationem. 8.170.2

Vtrum aliquod agens contra libertatem Eccleſiaſticam non authoritatiuè, ſed vt priuata perſona non ex vi ſtatuti, ſed proprio motu incidat in hanc excommunicationem. 9.170.2.

Vtrum excommunicentur in hoc Canone Principes, & Magiſtratus facientes, & vtentes ſtatutis contra Eccleſiaſticos in ijs ſolum, quæ ad conuictum politicum pertinent, non autem in ijs, in quibus Eccleſia, vt Eccleſia libera eſt. 10.171.1

Excommunicat. Decimaſexta. p.171.c.1.

Vtrum habens iuſtam cauſam certam, & non dubiam impediendi Prælatos, aut Iudices Eccleſiaſticos, ne ſua vtantur iuriſdictione Eccleſiaſtica comprehendatur in hac decimaſexta excommunicatione. 1.171.1

Vtrum mandans Prælato Eccleſiaſtico, vt excommunicationem à ſe iuſtè latam reuocet, incidat in hanc excommunicationem. 2.172.2

Vtrum priuata authoritate præciſa omni iuriſdictionis ſuſpicione impediens Prælatum contra tenorem huius canonis excommunicetur. 3.172.1

Vtrum impediens Prælatum ne ſua iuriſdictione delegata, vel iuriſdictione temporali vtatur in locis ſibi temporali ſubiectis incidat in hanc excommunicationem. 4.172.1

Vtrum impediens Epiſcopum electum, non tamen conſecratum, ne vtatur iuriſdictione Eccleſiaſtica, vel etiam conſecratum, ne vtatur poteſtate ordinis incidat in hanc excommunicationem. 5.172.1

Vtrum impediens Iudicem Eccleſiaſticum, ne vtatur iuriſdictione in cauſis pertinentibus ad ipſam ex mera, & ſola conſuetudine incidat in hanc excommunicationem. 6.172.2

Vtrum impediens Iudicem Eccleſiaſticum vtentem ſua iuriſdictione accepta à ſtatuto Concil. Prouincialis incidat in hanc excommunicationem. 7.172.2

Vtrum poſt ſententiam iniuſtam acceptam à Iudice Eccleſiaſtico recurrens ad Tribunal ſæculare, vt eius iudicium eludat, incidat in hanc excommunicationem. 8.172.

Vtrum à foro Eccleſiaſtico ad ſæculare recurrens, quando nec inhibitio, nec mandatum, nec quicquam aliud obtinetur contra Iudicem Eccleſiaſticum incurrat in hanc excommunicationem. 9.172.2

Vtrum curans tolli, & deleri à curia ſæculari decreta à Iudice ſæculari

ſæculari in fauorem, & confirmationem Eccleſiaſticorum decretorum niſi dat in hanc excommunicationem. Diffic. 10.pag.172.col.1

Vtrum procurans à Iudice ſæculari mandata non pœnalia contra Iudicem Eccleſiaſticum, vel ne litiget coram iſto incidat in hanc excomm. 11.173.1

Vtrum impediens Iudicem Eccleſiaſticum ne ſua vtatur iuriſdictione occidendo, vel vulnerando propter priuatas inimicitias, & non propter iuriſdictionem Eccleſiaſticam incidat in hanc excomm. 12.173.2

Vtrum Iudices Eccleſiaſtici ſe inuicem impedientes ne vtantur ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica afficiantur hac excommunicatione. 13.173.2

Excommun. Decimaſeptima. pag. 173.

Vtrum latrones deprædantes, vel etiam alij iuſtam cauſam prætendentes circa retentionem fructuum Eccleſiaſticorum incurrant in hanc excomm. 1.173.1

Vtrum vſurpantes iuriſdictionẽ temporalem ſolum Eccleſiaſticorum hac excommunicatione feriantur. 2.173.2

Vtrum vſurpantes res mobiles Eccleſiaſticorum, non tamen fructiferas incidant in hanc excommunicationem. 3.174.1

Quænam veniant ſub nomine iuriſdictionum, fructuum, reddituum, & prouentuum, quorum vſurpatio in hoc canone interdicitur. 4.174.1

Vtrum vſurpans fructus bonorum patrimonialium Clerici ad quorum titulum ordinatus eſt, vel aliorum bonorum ex hæreditate, vel legato ſibi obuenientium, vel redditum annuum legatum Religioſo incidat in hanc excomm. 5.174.1

Vtrum vſurpans redditus Oratorij priuati, Cæmeterij, & Hoſpitalis hac excommunicatione plectatur. 6.174.2

Vtrum vſurpans ipſa prædia, fundos Eccleſiæ, & ipſa beneficia incidat in hanc excomm. 7.174.2

Vtrum vſurpans fructus beneficiorum vacantium incidat in hanc excomm. 8.175.1

Vtrum vſurpans fructus, redditus, & prouentus Papæ vt eſt Dominus temporalis incidat in hanc excom. 9.175.1

Vtrum ſequeſtrans fructus beneficiorum Eccleſiarum, & Monaſteriorum ad tollendas diſcordias, & ſeruandos fructus ne diſſipentur, incidat in hanc excomm. 10.175.2

Vtrum Epiſcopus concedens auctoritatem ſequeſtrandi fructus beneficiorum incidat in hanc excom. ſi ſequeſtratio non debeat fieri ſecundum vim. 11.175.2

Vtrum mandans ſequeſtrari fructus beneficiorum &c. incidat in hanc excomm. 12.175.2

Excomm. Decimaoctaua. pag. 176.

Vtrum imponens hic prohibita imponi perſonis Eccleſiaſticis non tamen per ſe nec per alios exigens, incurrat hanc excommunicationem. 1.176.1

Vtrum imponens onera perſonalia Clericis in hoc decimooctauo Canone excommunicetur. 2.176.1

Vtrum exigens à perſonis Eccleſiaſticis prohibita in hoc Canone, at non ſub ratione prouentuum Eccleſiaſticorum incidat in hanc excommunicationem. 3.176.2

Vtrum exigens, vel recipiens à Clerico ſponte dante, incidat in hanc excommunic. 4.176.2

Vtrum exigens, vel mandans exigi prohibita onera in hoc Canone ab Eccleſiaſticis reſtituenda tamen in fine anni incurrat in hanc excommun. 5.177.1

Vtrum exigens minimam gabellam ab Eccleſiaſticis cum animo extorquendi maiorem incidat in hanc excomm. 6.177.1

Vtrum imponens Eccleſiaſticis taleas comminando mortem, vel bonorum incendium, niſi ſoluant eas incidat in hanc excommunic. 7.177.2

Vtrum conducens exactionem gabellæ impoſitæ Eccleſiaſticis ab alio principali Exactore, & an omnes quomodocunque exigenti cooperantur, incidant in hanc excom. 8.177.2

Vtrum imponens grauiores gabellas Conſanguineis, vel Colonis Agrorum Eccleſiaſticorum in contemptum, vt ſc. cogantur vel agrio incultos relinquere, vel gabellas ſoluere incidat in hanc excomm. D.9.p.177.c.2

Vtrum in hanc excommunicationem incurrat mutuam dans Eccleſiaſtico pecuniam, vt cum ea ſoluat gabellam. 10.177.2

Vtrum potens, vel etiam debens prohibere exactionem gabellarum ab Eccleſiaſticis, & tamen non prohibet incurrat in hanc excomm. 11.178.1

Vtrum Eccleſiaſtici Prælati imponentes Clericis ſuis, vel alijs Religioſis gabellas abſque Summi Pontificis licentia incurrant in hanc excommunicationem. 12.178.1

Vtrum imponentes onera realia, & perſonalia, vel exigentes gabellas à Colonis Eccleſ. incidant in hanc excom. 13.178.1

Vtrum hac decimaoctaua excomm. afficiantur imponentes collectas, & gabellas, aliaque onera hic prohibita ſuper bona patrimonialia Cler. vel ipſorũ induſtria acquiſita. 14.178.2

Vtrum afficiantur hac excomm. decimaoctaua exigentes onera impoſita bonis vulgo, Debiti Contratti, antequam peruenirent ad Eccleſiaſticos. 15.178.1

Vtrum incurrat in hanc excommunicationem, qui ſtatuto imponeret onera, & tributa omnibus prædijs ſuæ ditionis in futurum determinanda, ſi poſtea aliqua ex illis tranſeant in dominium Eccleſiaſticorum, & onera impoſita in ſtatuto exigantur. 16.179.2

Vtrum ſi dominus prædij promiſit pro ſe, & ſuis hæredibus ſoluturum ſe quæcumque onera imponenda à Republica, vel Principe dicto prædio, ſi poſtea tranſeat ad Eccleſiaſticos, poſſint onera imponenda exigi abſque timore huius decimæ octauæ excomm. 17.179.2

Vtrum exigentes gabellas, & onera à bonis, quæ pro indiuiſis poſſidentur à Clerico, & à Laico incidant in hanc excom. 18.179.2

Vtrum afficiatur hac excom. exigens gabellam à Clerico, qui in fraudem earum aſſumpſit habitum. 19.180.1

Vtrum exigens gabellam de bonis donatis Clerico in fraudem earum incidat in hanc decimamoctauam excom. 20.180.1

Vtrum exigens gabellam à Clerico minoribus ſolum initiato ſi non ſeruet quæ præcipiuntur à Sacr. Conc. Trid. incidat in hanc excommunicationem. 21.180.1

Vtrum exigens gabellam à Clerico Coniugato incidat in hanc excommunicationem. 22.180.2

Vtrum exigens gabellam à Clerico de rebus, quas negotiationi exponit, incidat in hanc excommunic. 23.180.2

Vtrum Clericus de rebus negotiationi expoſitis ante trinam monitionem teneatur ſoluere gabellas. 24.180.2

Vtrum exigens gabellã à Clericis ſub prætextu immemorabilis conſuetudinis afficiatur hac excommunic. 25.181.1

Vtrum pro publica vtilitate puta, pro reparatione pontiũ, viarum, mænium, munitione Arcis, Hoſtium expulſione, & ſimilibus cauſis concernentibus vtilitatem Clericorum, & Laicorum ſimul licitè abſque timore huius excomm. poſſit Clericis, & Eccleſiaſticis imponi gabella. 26.181.1

Vtrum in caſu vrgentis neceſſitatis nolentibus Clericis præſtare conſenſum pro gabellarum exactione, poſſint Principes ſæculares ipſos cogere ad earum ſolutionem abſque periculo excommunicationis. 27.181.2

Vtrum onera impoſita pro mundandis Cloaca, fontibus, & puteis, ſimiliter pro conductione Medici, et Cuſtodis Prædiorũ poſſint exigi à Clericis abſque timore excom. 28.181.2

Vtrum Clerici promittentes, & ſoluentes gabellas incidant in hanc excommunic. decimamoctauam. 29.182.1

Vtrum ſucceſſores eorum, qui male impoſitas Clericis gabellas exegerunt incidant in hanc excomm. ſi intra menſem non ſatisfecerint. 30.182.1

Vtrum Cenſuræ latæ in Conc. Later. & alijs Concilijs generalibus in hoc Canone innouatæ circa materiam gabellarum Clericis impoſitarum, vel exactarum afficiantur reſeruatione facta in hac Bulla. 31.182.2

Excomm. Decimanona. pag. 182.

Vtrum interponentes ſe contra Eccleſiaſticos actione aliqua non expreſſa in hoc Canone, incidant in hanc excom. 1.182.1

Vtrum hac excommunicatione ligetur proceſſans Eccleſiaſticum cum animo præſentando proceſſum ſuo ſuperioris Eccleſiaſtico, D.2.p.183.c.1

Vtrum banniens Eccleſiaſticum ex ſola extraiudiciali informatione ſi deinde non ſequatur eiectio, incidat in hanc excommunicat, 3.183.2

Vtrum habens generalem licentiam à Papa proceſſandi Eccleſiaſticos incurrat hanc excommunic. ſi in cauſa criminali proceſſet Clericum, 4.183.2

Vtrum Reges, Imperatores, & Principes facientes actiones prohibitas in hoc Canone incidant in hanc excom, 5.184.1

Vtrum Iudex laicus incidat in hunc Canonem ſi proceſſet Clericum conſentientem, vt contra ſe criminaliter procedat, 6.184.1

Vtrum Iudex examinans vt teſtem Clericum in cauſa criminali ſolum ad veritatem indagandam incidat in hanc excomm. decimamnonam. 7.184.2

Vtrum accuſantes,& exponentes querelam in cauſa criminali contra Eccleſiaſticum coram Iudice ſeculari incidat in hanc excomm. decimamnonam. 8,184.2

Excomm. vigeſima. pag. 184.

Vtrum inuadens præfata loca Romanæ curiæ ſubiecta ex prætenſa cauſa,licet iniuſta,incidat in hanc excomm. 1.185.1

Vtrum inuadens, & non detinens aliquem ex præfatis locis incidat in hanc excommunicationem? 2.185.1

Vtrum banditi, & alij facinoroſi homines deprædantes, inuadentes præfatas terras in hoc Canone excommunicationi ſubijciantur, 3.185.1

Vtrum inuadentes, & occupantes præfata loca S.R.E.ſub iuſto titulo compenſationis,præſcriptionis,vel donationis,vel alio iuſto prætextu incidant in excomm. 4.185.1

Vtrum cum falſa commiſſione ſummi Pont.intrantes in præfata loca,ibique iuriſdictionem exercentes aſſerendo ſe eſſe Legatos, & Commiſſarios Apoſtolicos incurrant in hanc excommunic, 5.185.2

Vtrum impedientes executiones ſententiarum punitionum emanatarum à Papa,vel ab Eminentiſs. Domini conſultationis ſtatus præpoſitis in hanc excom.incurrant. 6.185.2

Vtrum qui ex priuilegio, & legitima conceſſione exercent ſupremam iuriſdictionem in præfatis locis excommunicatione hac vigeſima afficiantur. 7.186.1

Vtrum approbans aliquod ex delictis in hoc Canone prohibitis incidant in hanc excomm. 8.186.1

Vtrum nulla ſecuta actione hic prohibita, incidat tamen, qui tali actioni auxilium, conſilium, & fauorem præſtitit in hanc excomm. 9.186.1

Vtrum qui loca S. R. E. vel eius iura ſpatio centum annorum bona fide poſſedit,ſi retineat contra tenorem Bullæ huius,an hac excomm. ligetur. 10.186.2

Vtrum publicatio huius Bullæ Cœnæ facta quotannis ſufficiat ad irrumpendam præſcriptionem contra detinentes bona S. R. E. 11.186.2

Vtrum in hoc Canone excommunicentur inuadentes, occupantes, & deſtruentes loca Dominorum, qui in temporalibus agnoſcunt Dominum directum, & ſupremum ipſum Summum Pontificem. 12.186.2

Vtrum inuadentes,occupantes,& vſurpantes bona priuatorum Ciuium intra Territorium Sedis Apoſtolicæ incidant in hanc excomm. 13.187.1

Excommun.vigeſimaprima. pag.187.

Vtrum Epiſcopus virtute facultatis ſibi traditæ à Conc. Trid. ſeſſ.24.c.6. poſſit à præfatis Bullæ excommunicationibus abſoluere. 1.187.1

Vtrum Epiſcopus poſſit phyſicè, vel moraliter impeditos abſoluere à præfatis caſibus Bullæ Cœnæ. 2.187.1

Vtrum fingens ſe abſoluere aliquem à caſibus huius Bullæ abſque intentione abſoluendi incidat in hanc excommunicat, 3.187.2

Vtrum abſoluens à peccatis in Bulla hac reſeruatis, non autem à cenſuris,incurrat hanc excomm. D.4.p.187.c.2

Vtrum abſoluens ſine facultate legitima à præfatis excommunicationibus Bullæ incidat in excomm. Papæ reſeruatam. 5.187.2

Vtrum abſolutio ſolita dari in litteris Apoſtolicis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum ſuffragetur excommunicato in hac Bulla; ſi non habeat actualem dolorem perpetratæ culpæ commiſſæ contra hos Canones, nec propoſitum abſtinendi de cetero, 6.188.1

Quęnam conditiones requirantur ad hoc, vt quis legitimè dicatur abſolutus ab excommunicationibus in hac Bulla reſeruatis. 7.188.1

Vtrum reuocationes factæ in hac Bulla circa priuilegia intelligantur etiam factæ circa priuilegia data per viam contractus oneroſi. 8.188.1

Vtrum teneantur ſub mortali Epiſcopi, & locorum ordinarij hanc Bullam in ſuis Eccleſijs publicare,& an ſolùm in Cathedralibus. 9.188.2

Vtrum prohibita in hac Bulla tranſgrediens antequam ad Valuas Sancti Ioannis Lateranenſis, vel Principis Apoſtolorum de Vrbe affigantur ad publicam notitiam hæ litteræ Apoſtolicæ incurrat in hac excommunicat. 10.149.1

Vtrum ligent Canones huius Bullæ per totum Orbem Terrarum,licet fuerunt ſolum Romæ publicati. 11.189.1

Vtrum peccent Confeſſarij ſi tranſumptum huius Bullæ apud ſe non habeant. 12.189.1

Quænam ſit perſona, cui adhibenda fides in iudicio, vel extra cuius ſigillum requiritur in Bulla pro authentica eius deſcriptione. 13.189.2

Vtrum Bulla Cœnæ Prædeceſſoris liget antequam publicata fuerit Bulla ſucceſſoris licet facta iam fuerit. 14.189.2

Calix.

Vtrum ex lapide, vel criſtallo fieri valeant Calix, & patena. 1.190.1

Vtrum ſi bona fide conficiatur à Sacerdote Sanguis Chriſti in Calice non conſecrato remaneat deinde conſecratus, 2.190.1

Quomodo Calix,& Patena execrentur. 3.190.2

Vtrum Calix ſit conſecratus ſolum in ſuperficie inaurata,quæ tangit immediatè ſanguinem Chriſti an vero totus, ita vt ſi auri ſuperficies abſumatur ſit reconſecrandus necne. 4.190.2

Vtrum Pixis in qua reſeruatur Sacratiſsima Euchariſtia Sacramentum ſit benedicenda neceſſario,& an intronee ornari debeat panno lineo benedicto, ad immediatum contactum Corporis Chriſti, 5.191.1

Vtrum liceat celebrare cum Calice non conſecrato, quo tamen alius Sacerdos celebrauit bona fide, & quid ſentiendum de Paramentis Sacerdotalibus Altari non benedictis, ſi ijs ſit vſus alius Sacerdos bona fide. 6.192.1

Cambium.

Quid ſit Cambium. 1.192.2

Quotuplex ſit Cambium. 2.193.1

An Cambium reale exercere cum lucro aliquo liceat. 3.193.2

Quomodo,& quibus licitum Cambium ad minutum, 4.194.1

Vtrum pecunia pluris,vel minoris,quàm valeat iuxta legalem valorem poſſit licitè cumulari. 5.194.2

Vtrum quis acceptas pecunias aureas, vel argenteas ab Amico,vel Domino, vt creditori ſuo reddat, vel pro emendis neceſſarijs,ſi cambiat cum aliquo lucro, vel cum pecunijs eiuſdem valoris, quibus poſtea ſatisfacit creditori, vel emit res illi neceſſarias,teneatur reſtituere lucrum acceptum. 6.195.1

Vtrum pecuniam adulterinam caſu acceptam poſſet licitè Campſor cum vera recambire. 7.195.1

Quęnam conditiones requirantur iuxta Bullam Pij V.adhoc,vt Cambium ſit reale,& licitè exerceatur. 8.195.2

Vtrum liceat Campſori pro pecunia data Neapoli, & Romæ reſtituenda à Campſuario, vel pro pecunia quam recepit Campſor Neapoli, vt eam Romæ recipiat Campſuarius aliquid plus exigere. 9.196.1

Vtrum

Vtrum cambium per litteras ad Nundinas liceat cum aliquo lucro. D.10.p.196.c.2
Vtrum cambium per litteras cum recambio, vel, vt vulgo con la ricorſa, liceat permittatur, & exerceatur. 11.196.2
Vtrum ſi campſor tradat pecuniam Neapoli ſoluendas ad Nundinas Romæ, poſſit cum eodem lucro in alio loco recipere. 12.198.1
Vtrum tertia pars ſcuti pro quolibet centenario ſit licita prouiſio danda Procuratoribus campſorum cambia, & recambia exercentium. 13.198.1
Vtrum campſori liceat pactum accipere à campſuario, vt ipſum pro pecunia data teneat in cambijs cum promiſſione ſoluendi lucrum cambij, & ſolitas prouiſiones donec ſors principalis extinguatur. 14.198.2
Vtrum pretium cambij poſſit augeri, aut minui à campſoribus. 15.198.2
Vtrum campſor poſſit obligare campſuarium, quod ſi non ſoluat traditam pecuniam in tempore, & loco determinato, teneatur eam accipere ad cambium, & recambium donec ſors principalis perſoluatur. 16.199.1
Vtrum campſor accipiens à ſuo campſuario partem debitæ pecuniæ poſſit eam computare potius pro extinctione lucrorum per cambia, & recambia decurſorum, quàm pro extinctione ſortis principalis. 17.199.2
Vtrum à campſuario, cui non fidit campſor poſſit pro tradita pecunia pignus, vel fideiuſſorem exigere. 18.199.2
Vtrum ſi Petrus pecunia, quam habet Neapoli, indigeat Romæ, & Mutius pecunia, quam habet Romæ indigeat Neapoli, in caſu quo alter alteri cambiat, poſſit alter ab altero lucrum cambij percipere. 19.199.2
Vtrum campſor bona fide tradens pecuniam Mutio ſoluendam Romæ, ſi poſtea comperiat Mutium nullo modo habere dictam pecuniam Romæ, poſſit tamen exigere quantum ex tali cambio cum altero facto recepiſſet. 20.200.1
Vtrum campſario poſſit imponi aliqua pœna ſoluenda ſi fuerit in mora ad ſoluendam pecuniam traditam à campſore tempore, & loco debito. 21.200.1
Vtrum pecunia cambio deſtinata connumeranda ſit inter immobilia. 22.200.1
Vtrum campſor acceptans litteras eius, qui decoquit pendente termino ſolutionis, teneatur ſoluere. 23.200.1
Vtrum cambium celebrans illicitum bona fide putans iuſtum, ex conſuetudine introducta celebrandi tale cambium peccet, & ad reſtitutionem teneatur. 24.200.2
Vtrum intentio bona campſuarij non accipiendi mutuas pecunias, & campſoris non dandi eaſdem mutuas, nec dandi, nec recipiendi lucrum ex vi mutui in cambio, de quo dubitatur an ſit iuſtum excuſet campſorem præcipuè à peccato, & reſtitutionis obligatione. 25.200.2

Canones.

Vtrum Sacri Canones ſemper in foro conſcientiæ ſint ſeruandi, & habeant vim legis. 1.201.1
Vtrum in caſu quo ius ciuile dubium eſt, & clarum ius Canonicum, & è contra, poſſit iuxta ius clarius ſtatuens in vtroque foro iudicari. 2.201.1

Canonicus.

Quid & quotuplex ſit Canonicus. 1.201.2
Cuius ætatis debeant eſſe accepturi Canonicatum, & quo ordine inter ſe ſedeant. 2.201.2
Vtrum diſpenſatus fieri Canonicus ob defectum ætatis, intelligatur etiam diſpenſatus habere vocem in Capitulo. 3.202.1
Vtrum omnes Canonici habeant vocem in Capitulo. 4.202.1
Vtrum Archidiaconus, vel Decanus, ſi in Sacris non ſint inſignitis, habeant vocem in Capitulo. 5.202.2
Vtrum habens duas voces in Capitulo, alteram vt Canonicus, alteram, vt Decanus poſſit vnam Petro, alteram Antonio dare. 6.202.2
Vtrum Canonicorum Coadiutores ſint veri Canonici, & ad quid teneantur, & quomodo in Choro ſedeant. Diffic.7.pag.202.col.2
An, quomodo, & quare poſſint Canonici licitè à Choro abeſſe. 8.203.1
Vtrum obtinens reſcriptum pro Canonicatu vacante poſſit prouideri de Canonicatu Eccleſiæ receptiuæ. 9.203.2
Vtrum Epiſcopus poſſit nouas Collegiatas cum certo numero Canonicorum fundare. 10.203.2
Vtrum Canonicus ſubmiſſa voce in ſua ſede, & non alternatim cum alijs officium recitans lucretur diſtributiones. 11.204.1
Vtrum Canonicus, qui fructus anticipatos percepit iuxta conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, ſi omittat officium recitare, teneatur ad reſtitutionem fructuum. 12.204.1
Vtrum Canonicus volens frui abſentia trium menſium priuilegio propter neceſſitatem ſpiritualem ſuæ conſcientiæ Romam accedat tempore Anni Sancti, vel etiam alio tempore lucretur diſtributiones quotidianas. 13.204.1
Vtrum Canonici, & Clerici præcedant Regulares in proprijs eccleſijs, & an extra eccleſiam præcedant habentes iuriſdictionem, & an cogi poſſint ab Epiſcopo, vt interſint Congregationi caſuum conſcientiæ. 14.205.1

Capella, Capellania, Capellanus.

Quid ſit Capella, quid Capellania, & quotuplex. 1.205.1
Vtrum Capella poſſit erigi ſine dote. 2.205.2
Vtrum ad Capellanum, an verò ad Patronum ſpectet Capellam de Paramentis, Mappis, Planetis, Calice, Miſſali, alijſque neceſſarijs ad celebrationem prouidere, & Capellam reparare, & dicta reficere. 3.205.2
Vtrum in præiudicium Capellæ, & Patroni poſſit circum circa ædificari ab alio, vel inſignia, & arma fundatoris liceant abradi, & alia poni. 4.206.1
Vtrum Capellania inſtituta cum certo onere Miſſarum in ſua Capella dicendarum poſſit conferri non Sacerdoti. 5.206.2
Vtrum Capellania, quæ actu Sacerdotalis eſt poſſit, vel altera vice ex conſenſu Heredis ſimplici Clerico ab ordinario conferri. 6.207.1
Vtrum Capellanus obligatus ratione ſuæ Capellaniæ dicere plures Miſſas in hebdomada poſsit eaſdem applicare, vel pro alio ſtipendio occurrente, vel pro ſua deuotione. 7.207.1
Vtrum Capellania amouibilis laica ſcilicet, quæ non eſt fundata auctoritate ordinarij in Eccleſia poſsit laico conferri, & pactum ſit de ea Simoniacum. 8.207.2
Vtrum decreſcente Capellaniæ penſione, ſeu redditu, vel excreſcente minui, vel augeri debeat onus Miſſarum. 9.207.2
Vtrum ſi Capella ſit legitimè impedita, vel deſtructa, Capellanus teneatur in alio loco celebrare, vt Miſſarum oneri in ipſa celebrandarum ſatisfaciat. 10.208.1
Vtrum Capellanus infirmitate impeditus teneatur in Capella per alium celebrare. 11.208.2
Vtrum Capellanus legitimè impeditus poſsit propria auctoritate alium Sacerdotem, qui in ſua Capella pro ſe celebret, ſubſtituere. 12.208.2
Vtrum Capellanus qui bis, vel ter in hebdomada celebrauit per decem annos, ſi poſtea inueniat tantum onus non fuiſſe impoſitum à fundatore, an teneatur ratione decennalis præſcriptionis proſequi tale onus. 13.209.1
Vtrum Capellanus obligatus ter, vel quater in hebdomada celebrare teneatur id munus potius in feſtis occurrentibus, quàm diebus ferialibus celebrare. 14.209.1
Vtrum Capellanus obligatus quotidie in ſingulos annos celebrare in ſua Capella, poſſit vnam, vel alteram Miſſam ſibi, vel ſuis cariſsimis applicare, & an ſi vnam ſolam teneatur in die Natiuitatis Domini pro fundatore, an verò tres pro ipſo celebrare. 15.209.2

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

An & quomodo Regularis poſſint ſecularibus in ſuis Eccleſijs Capellam ſeu locum pro ædificanda Capella concedere. Diffic.16.p.210.c.1

Candelæ.

Quomodo candelæ in exequijs Defunctorum data extra Eccleſiam Regularibus, & alijs aſſociantibus funus ſint diſtribuendæ. D.vnic.210.1

Capitulum ſede vacante.

Quid & quotuplex ſit Capitulum. 1.210.2
An in Capitulis ſemper acceptandum quod maior, & ſanior pars definiuerit, vel elegerit. 2.211.1
Vtrum in Capitulo Generali valeat Prælatus Generalis cum Patribus vocalibus condere nouas leges, & conſtitutiones obligantes ſuos ſubditos ad altiorem, & aſperiorem vitæ normam ſecundum, vel vltra ſuæ Regulæ inſtitutum. 3.211.1
Vtrum Capitulo ſuſpenſo, & interdicto, intelligantur ſinguli de capitulo ſuſpenſi, & interdicti. 4.211.2
Vtrum Capitulum Eccleſiæ cathedralis poſſit mortuo Epiſcopo, leges, & ſtatuta facere, donec reuocetur ab Epiſcopo ſucceſſore. 5.212.1
Vtrum Capitulum ſede vacante poſſit in aliquo caſu dimiſſorias litteras concedere pro ordinibus ſuſcipiendis ante elapſum annum à morte Epiſcopi, & in interſtitijs diſpenſare. 6.212.2
Vtrum capitulum ſede vacante ſuccedat Epiſcopo in iuriſdictione delegata ſiuè ab homine, ſiuè à iure. 7.212.2
Vtrum ſi vertatur quæſtio alicuius iuris vel iuriſdictionalis Epiſcopalis puta circa dubium de iure patronatus beneficij, vel de loco, an ſit ſua Diœceſis necne, ſuccedat capitulum ſede vacante in iuriſdictione talia definiendi. 8.213.1
Vtrum capitulum ſede vacante habeat ius viſitandi Diœceſim, ſimiliter diſpenſandi, abſoluendi excommunicandi, alienandi loca Eccleſiæ, executores Teſtamentorum compellendi, ſicut poterat Epiſcopus. 9.213.2
Vtrum capitulum ſede vacante poſſit beneficia conferre, præſentatas inſtituere, reſignationes beneficiorum accipere, & beneficio priuare ſecundum iuris diſpoſitionem. 10.214.1
Vtrum capitulum ſede vacante poſſit concedere Indulgentias, quas poſſunt Epiſcopi. 11.215.1
Quiſnam infra octo dies, intra quorum terminum cogitur ex Concilio Tridentino capitulum ad eligendum ſibi Vicarium capitularem debeat iuriſdictionem Epiſcopalem adminiſtrare. 12.215.1
Vtrum capitulum poſſit Vicarium à ſe electum, & confirmatum reuocare. 13.215.2
Vtrum capitulum poſſit dare conſultorem Vicario à ſe electo, ſi ipſe non fuerit Doctor. 14.216.1
Vtrum capitulum teneatur eligere perſonam de gremio ſuo in Vicarium ſede vacante, & an ſalariandus ab ipſo capitulo electus Vicarius. 15.216.1
Vtrum ſi moreretur Vicarius Epiſcopi, dum ipſe in remotis partibus degit, vnde prouidere non poteſt, poſſit etiam capitulum Vicarium creare. 16.216.1
Vtrum facta electione Vicarij ſede vacante, remaneat aliquid iuriſdictionis in ipſo capitulo Electore. 17.216.1
Vtrum capitulum ſede vacante poſſit à Vicario à ſe electo in aliqua cauſa ſuſpendi, vel interdici, & an Vicarius capitularis excommunicatus, vel ſuſpenſus ab ipſo capitulo abſolui valeat. 18.216.2
Vtrum capitulum ſede vacante poſſit agitare cauſas ſuæ Eccleſiæ, & an currat præſcriptio tali tempore contra ipſam Eccleſiam. 19.216.2
Quando expiret poteſtas Vicarij ſede vacante capitulo conſtituti. 20.216.2
Vtrum Vicarius capitularis teneatur ſtare ſyndicatui, & eorum quo finito officio. D.21.p.217.c.1
Vtrum Vicarius capitularis, ſiuè Canonicus ſiuè exter præcedat Canonicos cathedralis Eccleſiæ in choro, & proceſſionibus; & an lucretur abſens à choro quotidianas diſtributiones. 22.217.1

Carcer.

Vtrum Carcer ad ſolam cuſtodiam, an etiam ad pœnam ſit præcipuè inuentus. 1.217.2
Vtrum de facto poſſint Clerici, & Regulares carceribus mancipari, & an de carceratione poſſit dari appellatio. 2.217.2
Vtrum liceat priuatis ciuibus habere priuatas carceres. 3.218.1
Vtrum carceri mancipatus, poſſit licitè ſine peccato aufugere, & carceres effringere. 4.218.1
Vtrum Iudex teneatur carceres viſitare, & pauperibus prouidere. 5.218.2
Vtrum carceratos ob æs alienum à carcere vi extrahens teneatur ſoluere ſuis debitoribus, & an carceratus illi, qui etiam ſe inuito à carcere liberauit æs alienum ſuo debitori ſoluens teneatur reddere, quod pro ſui liberatione ſoluit. 6.219.1
Vtrum iniuſtè carceratus liberatuſque ſub promiſſione iurata redeundi obligetur redire. 7.219.1
Vtrum legatum liberandi carceratum quolibet anno licitè contendatur ad defendendum, ne quis carceretur. 8.219.1

Cardinalis.

Vnde Cardinalis nomen ſit deriuatum. 1.219.1
Quanta, & quam antiqua ſit Cardinalatus dignitas, & an Patriarcatu maior, & prima poſt ſummum Pontificatum habenda. 2.219.2
Vtrum Cardinalatus ſit ordo, & quo iure inſtitutus, & an minui, & augeri valeat. 3.220.2
Cuius ætatis debeant eſſe Cardinales. 4.221.1
An ad ſolos Cardinales pertineat eligere Papam, & quomodo formam teneantur ſeruare in eligendo. 5.221.1
Vtrum Cardinales teneantur intra gremium Conclauis, vel ſaltem Collegij Cardinalium eligere Papam. 6.222.1
Vtrum Cardinales teneantur eligere digniorem, & an electo digno, prætermiſſo digniori, tuta conſcientia poſſit dignus electus acceptare Summum Pontificatum. 7.222.1
Vtrum Cardinales ſi duo ſolum, vel etiam vnus remanerent in Conclaui poſſint validè Pontificem ſummum eligere. 8.222.2
Vtrum Cardinales electi, & creati à Papa antequam inſignia accipiant Cardinalitia, & os eis fuerit apertum habeant, ſi inter ea præmoriatur Papa, vocem actiuam, & paſſiuam in ipſius electione. 9.222.2
Vtrum ſi Cardinales non expectato tempore à iure definito ad expectandum abſentes, de facto eligant Papam ex ipſorum omnium, vel duarum partium conſenſu, electio ſit valida; quid ſi intra præfinitum tempus propter nimiam diſtantiam venire nequeant, an neceſſario expectandi poſt elapſum à iure tempus. 10.223.1
Vtrum ſi Papa moreretur, vel eſſet depoſitus eo tempore, quo Concilium generale eſt actu congregatum, ſpectaret electio Papæ ad Cardinales, an vero ad Concilium. 11.223.2
Vtrum Cardinalis impeditus poſſit vices ſuas alteri demandare in creatione ſummi Pontificis. 12.223.2
Vtrum Cardinales non Epiſcopi habeant ius præſentiæ, & Iudicij in Concilijs generalibus. 13.224.1
Vtrum Papa poſſit ardua Eccleſiæ negotia abſque conſenſu Cardinalium definire. 14.224.1
Vtrum Cardinales ſede vacante poſſint leges vniuerſales condere, & alia iuriſdictionalia exercere. 15.224.2
Vtrum Cardinales Epiſcopi dum Romæ commorantur excuſentur à reſidentia ſuarum Eccleſiarum. 16.225.1

Vtrum

Vtrum Cardinales ex omni natione ſint aſſumendi. Diffic.17. pag.225.col.1
Vtrum Cardinales in Conſiſtorio poſſint ſine ſcrupulo veritatem, & alia neceſſario dicenda tacere. 18.225.2
Vtrum Cardinales comprehendantur in Conſtitutionibus generaliter latis, & in Regulis Cancellariæ illis, quæ ſunt odioſæ. 19.225.2
Vtrum Cardinales in ſuis Eccleſijs Titularibus ordines minores conferre, cenſuras fulminare, Indulgentias concedere, beneficia prouidere, & eorum Reſignationes accipere, vltimas voluntates commutare, & in votis diſpenſare, in quibus Epiſcopi, & abſoluere à reſeruatis in virtute Concil. Trident. in cap. liceat ſeſſ.24. cap.6. & ſimilia Epiſcopalia iuria exercere licitè valeant. 20.226.2
Quamnam auctthoritatem habeant Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs, in quibus ſunt Monaſteria Regularium. 21.227.1
Vtrum priuilegia Epiſcopis à iure conceſſa extendantur etiam ad Cardinales. 22.227.2
Vtrum Cardinales teneantur legibus, quæ prohibent plura ſimul haberi ab eodem beneficia. 23.227.2
Vtrum Cardinales poſſint in Curia conferre beneficium Curatum vacans in ſua Diœceſi ſine concurſu, & an eius Vicarius poſſit beneficia conferre extra Diœceſim. 24.227.2
Vtrum Cardinalis ad Epiſcopatum aſſumptus ante poſſeſſionem adeptam poſſit conferre beneficia, & an conferre valeat beneficia Epiſcopatuum à ſe reſignatorum ante poſſeſſionem adeptam à Reſignatario iam preconizato. 25.228.1
Vtrum Cardinales poſſint beneficia ſimultaneæ Collationis ſibi cum Capitulo vacantia in menſe Apoſtolico conferre cum Capitulo, & an beneficia alias reſeruata, & quid de beneficijs reſeruatis vacantibus tempore anteceſſoris ſui non Cardinalis. 26.228.1
Vtrum electus in Cardinalem priora beneficia amittat, & an ad beneficia iuris Patronatus valeat præſentari. 27.228.2
Vtrum Regula octaua Cancellariæ excipiens Cardinales, excipiat etiam Cardinales à Curia abſentes. 28.228.2
Vtrum Cardinales Monaſteria Monialium ingredi valeant. 29.228.2
A quo Cauſæ Cardinalium decidantur, & quot teſtes contra ipſos damnando, requirantur. 30.229.1
Vtrum Cardinales poſſint habere familiam armatam, & priuatum carcerem ad ſuos familiares coercendos, & an eorum Iudices ordinarij, & an eorum Palatium gaudeat immunitate. 31.229.1
Vtrum condemnatus obuius factus Cardinali ſit liberandus. 32.229.2
Vtrum Cardinales ſoluantur à Patria poteſtate, & an in feudis valeant ſuccedere. 33.230.1
Vtrum credendum ſit Cardinali teſtanti de aliqua re, & an ſi Iudices recuſari poſſint. 34.230.1
Vtrum liceat à ſententia Cardinalis appellare, quid ſi apponatur clauſula omni appellatione remota in delegatione cauſæ, intelligatur etiam remota appellatione iuſta. 35.230.2
Vtrum Cardinales ex patrimonio diuites poſſint Eccleſiaſticis ad ſe, ſuamque familiam alendam opulenter vti redditibus. 36.230.2
Vtrum Religioſi ad Cardinalatum aſſumpti à Voto paupertatis ſtatim abſoluantur. 37.231.1
Vtrum Cardinales Religioſi teneantur præter tria ſubſtantialia, ad alia etiam præcepta ſuæ Regulæ aliaque ſtatuta à iure communi pro Regularibus edita. 38.231.2
Vtrum Cardinales teneantur ſoluere ſubſidium decimarum pro aliqua neceſſitate generali à Papa impoſitum. 39.232.1
Vtrum offendentes Cardinales factis, vel etiam verbis iniurioſis, vel etiam eorum palatia, domus, & familiæ ſuæ Clericos incidant in Crimen læſæ Maieſtatis, & in excommunicationem Bullæ Cenæ. Difficul.40. pag.232.col.1
Vtrum non reuelans cognitam conſpirationem in Cardinalem, quia ex correctione præmiſſa putat à tali crimine conſpirantes contrahi, incidat in excommunicationem latam à Pio V. 41.232.2
Vtrum non reuelans cognitam conſpirationem in Cardinalem, gaudeat immunitate Eccleſiaſtica. 42.233.1
Vtrum Cardinalis deponens in facto proprio, vel ſuorum familiarium faciat plenam probationem. 43.233.1
Vtrum Sacræ Cardinalium Congregationis declarationes ſint decreta deciſiua, & habeant vim legis. 44.233.2
Vtrum facultas teſtandi de bonis acceptis ex Redditibus Eccleſiaſticis à Papa detur pro prima vice ſolum, & expiret morte concedentis. 45.334.1
Vtrum Cardinales in teſtamento gaudeant priuilegio militum, & an teſtari debeat ſecundum iuris ciuilis, an ſolius Canonici formulas, & conditiones. 46.334.2
Vtrum vt Vxoratus promoueatur ad Cardinalatum neceſſe ſit, vt vxor eius Religionem ingrediatur. 47.235.1
Vtrum Cardinales veniant appellatione Clericorum in iure. 48.235.1

Caſus Fortuitus.

Quid ſit caſus fortuitus, & quomodo, & quando obliget, vel excuſet contrahentes. 1.235.2
Vtrum caſus fortuitus extraordinarius excuſet. 2.236.1
Vtrum in caſu fortuito ſterilitatis Agri ſit aliquod remittendum Agricolis de penſione Agri. 3.236.1

Caſus Reſeruati.

An & à quo reſeruandi ſint caſus, & quotuplex ſit caſus reſeruatus. 1.236.2
Vtrum ad caſuum reſeruationem requiratur iuſta cauſa. 2.236.2
Vtrum peccata venialia validè reſeruari valeant. 3.237.2
Vtrum peccata mortalia mere mentalia, & interna nullo opere externo manifeſtata, reſeruanti valeant. 4.238.1
Vtrum reſeruans ſibi cenſuras intelligatur reſeruare etiam culpas, propter quas cenſuræ feruntur, & an ſemper Papa cum cenſuris reſeruet ſibi caſus. 5.238.2
Vtrum abſoluens à reſeruatis abſque legitima prius accepta facultate à ſuperiore validè, & ſine peccato quandoque abſoluere directè valeat. 6.238.2
Vtrum ſuperior teneatur concedere facultatem ſubdito petenti, vt poſſit à reſeruatis ab alio ſibi grato Confeſſario abſolui, & an cum aliquo onere? quid ſi iniuſtè deneget, an licitè, & validè abſoluatur à Confeſſario. 7.239.1
Vtrum ſuperior auditis ſolis reſeruatis poſſit ab illis Sacramentaliter ſoluere, & reliqua abſoluenda inferiori Confeſſario, & tunc an teneatur pœnitens etiam denuo reſeruata confiteri inferiori. 8.240.1
Vtrum Confeſſarius poſſit abſoluere à non reſeruatis remittendo pœnitentem pro reſeruatis ad ſuperiorem. 9.240.2
Vtrum migrans in alienam Diœceſim poſſit abſolui à reſeruatis à ſuo Epiſcopo, & an ſi quis peregrinaretur hac ſolum intentione præciſa, vt poſſit extra ſuam Diœceſim abſolui à reſeruatis ſuo ordinario? 10.240.2
Vtrum non valens parti læſæ ſatisfacere poſſit licitè, & validè virtute Bullæ, vel priuilegij à caſibus, & cenſuris reſeruatis abſolui. 11.241.1
Vtrum Prælatus petenti concedens, vt cuilibet ex approbatis à ſe confiteatur, vel Parocho facultatem faciat audiendi peccata omnium ſubditorum ſuæ Parochiæ intelligatur conceſſiſſe licentiam ſuper peccata ſibi reſeruata, quid ſi facultatem ſuper iſta concedens dicatur conceſſiſſe etiam licentiam abſoluendi à Cenſuris. 12.241.2

Vtrum Papa concedens facultatem abſoluendi à peccatis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, det quoque facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis, & an etiam à reſeruatis in Bulla Cœna. D.13.p.242.c.1

Vtrum qui oblitus eſt confiteri Caſum reſeruatum cum habente auctoritatem; poſſit deinde abſolui à non habente auctoritatem, quod ſi Confeſſio cum habente facultatem abſoluendi à reſeruatis fuerit inualidam? 14.242.2

Vtrum reſeruatio Caſuum extendenda de caſu ad caſum, de dubio ad certum, ad ſtrictam conſuetudinem, & an extra Territorium reſeruantis. 15.243.1

Vtrum pœnitentiarius, vel ſuperior localis habens auctoritatem ab ordinario abſoluendi à reſeruatis poſſint eandem auctoritatem alteri ſimplici Confeſſario delegare. 16.244.1

An reſeruatio caſuum ceſſet in loco per aſſumptionem eius Epiſcopi ad Summum Pontificatum. 17.243.2

Vtrum Metropolitanus poſſit abſoluere à caſu, quem Epiſcopus ſuffraganeus Papæ reſeruauit. 18.244.2

An Vicarius Generalis poſt acceptam auctoritatem à ſuo Epiſcopo ſubdelegandi licentiam abſoluendi à Reſeruatis, ſi in reſeruatum poſtea incidat poſſit per talem auctoritatem alteri Sacerdoti ſubdelegatum ab illo abſolui. 19.244.2

Vtrum quis, poſtquam habuit auctoritatem, vt abſoluatur ab aliquo reſeruato incidit denuo in eundem antequam vtatur dicta auctoritate poſſit ab vtroque abſolui ex præfata habita licentia. 20.245.1

Vtrum habens caſum reſeruatum ſi in neceſſitate communicandi, vel celebrandi non habeat aditum ad habentem auctoritatem abſoluendi, debeat, & poſſit cum ſimplici Confeſſario integre confiteri, & valide ab eo abſoluatur. 21.245.2

Vtrum tempore Iubilæi abſolutus à reſeruatis cum animo adimplendi, quæ Bulla præcipit, ſi poſtea eam non adimpleat, puta non ieiunet, non faciat eleemoſinas, ſicut præſcribitur, teneatur peccata dimiſſa iterum confiteri. 22.246.2

Quinam, & quot ſint caſus Papæ reſeruati. 23.246.2

Quot, & quinam ſint caſus, quos poſſunt ſibi Regularium ſuperiores reſeruare. 24.247.1

Vtrum omnes præfati caſus ſint de iure actu reſeruati, & an ſuperior localis prohibeatur aliquod peccatum ſub excommunicatione ſibi reſeruare. 25.247.2

An pollutio voluntaria, ſeu ſimplex mollities extra ſecundam perſonam intelligatur reſeruata in caſu nono præfati decreti Clem. VIII. 26.247.2

Vtrum ſi Confeſſor valide abſoluere nequiuit à reſeruatis teneatur de inualiditate commonefacere pœnitentem. 27.248.2

Quinam dicatur Caſus occultus, in quo Epiſcopi habent facultatem abſoluendi, & diſpenſandi ex Conc. Trid. in c. liceat. 28.248.2

Vtrum quando caſus reſeruatus eſt notorius quoad actionem, occultus tamen quoad perſonam poſſit ab Epiſcopo abſolui, vel diſpenſari in virtute Concil. Trident. in dicto cap. 29.249.1

Vtrum caſus reſeruatus Papæ occultus in vno loco, publicus autem in alio poſſit abſolui ab Epiſcopo loci, in quo eſt occultus virtute Conc. Trid. 30.249.1

Quomodo, & quando caſus occultus dicatur deductus ad forum contentioſum, in quo prohibeatur Epiſcopis abſoluere, & diſpenſare iuxta mentem Concilij præfati. 31.249.2

An caſus occultus in vno loco deductus ad forum contentioſum, in alio vero non deductus poſſit de mente Concilij in hoc loco ab Epiſcopo eius abſolui, & diſpenſari. 32.250.1

Vtrum crimine occulto iam delato ad forum contentioſum, à quo Reus ſit abſolutus tanquam innocens poſſit tamen in foro conſcientiæ id, quis commiſerit ab Epiſcopo diſpenſari iuxta priuilegium Conc. Trid. loco cit. 33.250.1

Vtrum ſi poſtquam Reus de crimine occulto ab Epiſcopo in foro conſcientia fuerit abſolutus, vel diſpenſatus virtute Concil. Trid. loco cit. detegatur crimen. & probetur in foro contentioſo, ſuffragetur ei abſolutio facta iam ab Epiſcopo. D.34.p.250.c.2

Vtrum hodie poſſint Regulares virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere à reſeruatis Epiſcopis, & Papæ. Diffic.35. pag. 250. col.2

Cauſa.

Quo triplex ſit cauſa reſpectu actionum humanarum. Diffic.1. 252.1

Quomodo ſit vera illa propoſitio ceſſante cauſa ceſſat effectus. 2.252.1

Cautio.

Quæ, quomodo, & à quibus præſtanda ſit Cautio. Diffic. vnic. 252.2

Cenſus.

Quid, & quotuplex ſit Cenſus. 1.252.2

Ad quod genus contractus reducatur cenſus, & an licite contrahatur. 2.253.2

Quot conditiones requirantur ad hoc, vt contractus cenſuarius ſit abſolute licitus. 3.253.2

Vtrum præfatæ conditiones à Pio V. appoſitæ ad inſtituam cenſus ſint vbique ſeruandæ tanquam obligantes in foro fori, quam conſcientiæ. 4.255.1

An cenſus poſſit conſtitui ſuper ſimplici, ſolaque nuda perſona cenſuarij, vel alia re mobili puta oleo, frumento, & vino ſtando in ſolo iure naturæ. 5.255.1

Vtrum cenſus fundari valeat tam in re actu minus fructuoſa, quam actu magis fructifera penſione ſoluenda, & an cenſus creari debeat iuxta rationem prædij, quo res valet, an ratione fructuum, quos reddit quotannis. 6.265.1

An res cenſui ſuppoſita dicatur facta infructifera, ſi duobus, vel tribus annis, non ferat fructum. 7.256.2

Vtrum cenſus in alio cenſu, vel in re ſuppoſita alteri cenſui fundari poſſit. 8.256.2

An cenſualiſta poſſit penſionem exigere ex cenſu fundato in re aliena, vel alijs vinculis obſtricta. 9.257.1

Vtrum emphyteuta, feudatarius, & maritus poſſint cenſus ſupponere rem emphyteuticam, feudalem, & bona dotalia. 10.257.1

Vtrum iure naturali, vel diuino prohibeantur cenſum conſtituere generaliter ſuper omnia bona præſentia, & futura cenſuarij. 11.257.2

Vtrum cenſus poſſit conſtitui in diuerſis rebus immobilibus adinuicem ſeparatis. 12.257.2

Vtrum Beneficiarius poſſit cenſum conſtituere ad tempus ſuæ vitæ ſuper bonis, vel fructibus ſui beneficij. 13.258.1

Vtrum præciſa Pij V. conſtitutione poſſit ex natura contractus cenſualis inſtitui cenſus in alia quam in pecunia numerata. 14.258.1

Vtrum iuxta Conſtitutionem Pij V. ſit nullus contractus cenſualis, ſi non fiat numerata pecunia coram Teſtibus, & Notario. 15.258.1

Vtrum in foro conſcientiæ præciſa conſtitutione Pij V. poſſit ex natura ipſius contractus celebrari cenſus ex debitis præcedentibus, & penſionibus iam excurſis, & non ſolutis, & an ex pecunia credita. 16.258.2

Vtrum ſi cenſus vilius minori iuſto pretio ematur, penſiones ſint reſtituendæ iuxta quod ſuperant iuſtum pretium. 17.259.1

Vtrum pactum de anticipata ſolutione penſionis in cenſu, & vt venditor, ſeu Cenſuarius teneatur ad caſus fortuitos, poſſit in aliquo caſu licitò fieri. 18.259.1

Vtrum Cenſuario volente vendere rem ſuppoſitam cenſui præferendus ſit Cenſualiſta proximiori, qui ratione ſtatuti Ciuita-

Ciuitatis habet vis prælationis. Diffic.19.pag.259.c.2

Vtrum ſi cenſuarius vendat rem cenſui ſuppoſitam non admonito cenſualiſta poſſit agere pro ſua penſione exigenda contra cenſuarium ſuum, an vero contra nouum emptorem. 20.259.2

Vtrum ſi res ſubiecta cenſui pluribus vendatur, vel inter plures Heredes diuidatur poſſit cenſualiſta à ſingulis, totam exigere penſionem tanquam obligatis inſolidum. 21.259.2

Vtrum vbi Bulla Pij V. non ſeruatur, ſi res ſuppoſita cenſui pereat, teneatur cenſuarius ſoluere adhuc annuam penſionem. 22.260.1

Vtrum pereunte re ſuppoſita cenſui, puta Domo, vel Molendino, ſi iterum reædificetur maneat obligatus cenſuarius. 23.260.2

Vtrum cenſuarius teneatur ſoluere annuam penſionem ijs annis, in quibus nullos fructus ex agro cenſui ſuppoſito collegit? 24.260.2

Vtrum ad cenſuarium, an verò ad cenſualiſtam pertineat ſoluere expenſas pro ſcripturis gabellas, & tributa ſolita ſoluere ratione rei cenſitæ. 25.260.2

Vtrum liceat obligare cenſuarium in contractu cenſuali, vt in mora ſoluendę penſionis teneatur ad lucrum ceſſans, vel damnum emergens ipſi cenſualiſtæ. 26.261.1

An apponere in contractu cenſuali pactum, vt propter culpam non ſolutæ penſionis debito tempore incidat in penam aliquam arbitrariam, vel in penam commiſſi, ſeu amiſſionis rei cenſuariæ ſit contra ius naturæ, vel diuinum, vel ius commune. 27.261.1

Vtrum pactum in contractu cenſuali liceat de iure naturæ, vel communi poſitiuo, vt teneatur cenſuarius extinguere cenſum, & pretium reſtituere ſi puta per biennium non ſolueris penſionem, vel rem cenſitam vendat. 28.261.2

Vtrum pactum, vt cenſus augeri valeat ex penſionibus debitis, vel debendis ſit iure naturæ, vel communi poſitiuo prohibitum. 29.261.1

Vtrum iure naturali, vel ex ratione naturæ contractus repugnet pactum, vt cenſualiſta ad ſuum placitum poſſit cogere cenſuarium ad reſtituendum pretium, vel cenſum extinguendum. 30.262.1

Vtrum pactum quod ſi cenſuarius intra certum tempus non redemerit cenſus maneat irredimibilis, vel re intra aliquod tempus puta decennium nequeat redimere, poſtea vero queat, vel quod ſolum poſſit redimere in totum, & non in partes ſit contra naturam contractus cenſualis. 31.262.1

Vtrum cenſus volens redimere poſſit licitè de natura contractus penā apponere, vt maiori pretio redimatur. 32.262.2

Vtrum dentur caſus, in quibus cenſus minoris emi, & pluris vendi, quam à principio fuerit creatus. 33.261.1

Vtrum cenſum perpetuum, & irredimibilem habeat adhuc poteſtatem cenſuarius redimendi pro ſuo arbitratu? 34.263.1

Vtrum cenſuarius poſſit dare partem pretij alteri cum pacto, vt ſoluat partem penſionis correſpondentis pretio? 35.263.1

Vtrum cenſus redimi valeat alio modo, quàm in pecunia numerata? 36.263.1

Vtrum ex natura contractus cenſuarij liceat cenſualiſtæ in creatione cenſus petere fideiuſſores, vel pignora? 37.263.2

Vtrum ſcriptura ſit de neceſſitate requiſita ad validitatem contractus cenſuarij. 38.263.2

Vtrum cenſus irredimibilis ex natura contractus, & ex Pij V. conſtitutione ſit licitus. 39.263.2

Vtrum cenſus vitalitius præciſa Pij V. conſtitutione ex ratione contractus liceat? 40.264.1

Vtrum cenſus poſſit conſtitui ad certum tempus puta decem annos, quando annuæ penſiones in vnum collectæ ſortem principalem excedunt. 41.264.1

Vtrum ſi aliqua ex conditionibus appoſitis à Pio V. deſit in contractu cenſuali totus ſit habendus vſurarius, & nullus, an verò ſolum id, quod eſt contra diſpoſitionem Bullæ? 42.264.2

Quandonam, & vbi annua penſio cenſualis ſoluenda eſt? Diffic.43.p.264.c.2

Cenſura.

Quid & quotuplex ſit cenſura. 1.265.2

Quomodo cognoſci poſſit cenſum ſitne lata, an ferendæ ſententiæ. 2.265.2

Vtrum poteſtas ferendi cenſuras ſit de iure diuino data ſcilicet à Chriſto ſuæ Eccleſiæ. 3.266.1

Quiſnam ſit in Eccleſia Dei capax poteſtatis ferendæ cenſuræ Eccleſiaſticæ. 4.266.2

Vtrum Papa poſſit fœminæ poteſtatem cenſuras ferendi conferre. 5.266.2

Vtrum habens poteſtatem ferendi cenſuras aliquando inualidè ea vtatur. 6.267.1

In quibus regulariter reſideat poteſtas ferendi cenſuras Eccleſiaſticas. 7.267.1

Vtrum poteſtas ferendi cenſuras poſſit cuilibet Chriſtiano delegari à quolibet Prælato Papa inferiori ordinariam tamen ferendi cenſuras auctoritatem habente. 8.267.2

Vtrum ad incurrendam cenſuram requiratur ſemper culpa mortalis, an etiam pro veniali poſſit infligi. 9.268.1

Vtrum cenſura infligi poſſit pro peccato merè interno nullo exteriori ſigno manifeſtato. 10.268.1

Vtrum cenſuræ ſaltem maiores ferri valeant pro quolibet mortali, & an pro aliquo indifferenti, qui poſſit fieri mortalis. 11.268.2.

An cenſura lata contra furantes, vel detinentes rem alienam liget eos qui rem leuem abſtulerunt, vel etiam detinent. 12.268.2

Vtrum cenſura ſemper liget ſimplicem tranſgreſſionem facti ſub ipſa prohibiti? 13.169.2

Vtrum quando actus exterior non habet malitiam internam ſub cenſura prohibitam ſubiaceat ipſi cenſuræ. 14.270.1

Vtrum mandatum, vel Conſilium ſub cenſura prohibitum incurratur cenſura, ſi non ſequatur effectus mandatus, vel conſultus. 15.270.1

Vtrum pro peccato ſimpliciter præterito cenſura incurratur. 16.270.2

Vtrum Dæmones, animalia bruta, & homines iam defuncti poſſint cenſuris innodari. 17.270.2

Vtrum cenſuris innodari valeant perpetuo amentes, furioſi, ebrij, & dormientes. 18.271.1

Vtrum impuberes cenſuris ligari valeant. 19.271.2

Vtrum aliquis poſſit ſe ipſum cenſura innodare. 20.271.2

Vtrum collegium, & vniuerſitas cuilibet cenſuræ ſubijci valeat. 21.272.1

Vtrum ſuſpenſo capitulo, vel collegio intelligantur ſinguli de capitulo ſuſpenſi etiam quoad particularia munera ad ſe ſpectantia. 22.272.1

Vtrum ſub cenſura generaliter lata à iure, vel ab homine comprehendantur Epiſcopi. 23.272.2

Vtrum Imperator, & Reges, & alij priuilegiati ligentur cenſuris latis ab Epiſcopis in quorum Diœceſibus commorantur. 24.272.2

Vtrum cenſura vna irretitus poſſit alijs eiuſdem rationis cenſuris adhuc innodari. 25.273.1

Vtrum cenſura lata à pluribus eamdem poteſtatem habentibus ſuper eadem materia, & præcepto incurratur à tranſgreſſore tanquam vna, an multiplex. 26.273.1

Vtrum vna ligetur cenſura qui plures actus ſub cenſura vetitos ſucceſſiuè committit. 27.273.2

Vtrum tranſgrediens actum vnum cum pluribus circumſtantijs ſub cenſura vetitos, vna tantum incurratur cenſura. 28.274.1

Vtrum cenſura lata in genere puta qui fecerit hoc cenſura ligetur, incurratur eius effectus. 29.274.2

Vtrum cenſura lata ſub diſiunctione, puta qui fecerit hoc ſit, vel excommunicatus vel ſuſpenſus, vel interdictus liget aliquomodo tranſgreſſorem. 30.274.2

Vtrum cenſura lata ſub conditione ſuum ſortiatur effectum.

ctum. Difficult.31.pag.275.c.1
Vtrum licitè ſine vlla pæna, & validè feratur cenſura ſine ſcriptis. 32.275.2
Vtrum cenſura ferenda cum præuia monitione. 33.275.2
Vtrum cenſura lata abſque præuia monitione ſit de potentia abſoluta Papæ ipſo facto nulla. 34.276.1
Vtrum Iudex volens de facto cenſuræ ſubmittere tranſgreſſorem præcepti comminati ſub cenſuræ alicuius pæna teneatur antea monere. 35.276.1
Quotuplex neceſſariò requiratur præcedens monitio ad cenſuram ritè infligendam? 36.276.2
Vtrum ſemper perſonaliter ſit monendus tranſgreſſor? 37.279.1
Quotuplici ex capite dicatur iniuſtè, vel inualidè lata cenſura. 38.277.2
Vtrum cenſura ſemper ſit inualida ex parte cauſæ iniuſtæ verè non ſubſiſtentis, & in re ipſa falſæ. 39.277.2
Vtrum cenſura nulla ſit quando cauſa propter quam fertur in realitate falſa eſt, & Reus omninò innocens, conſtat tamen Iudici per allegata, & probata quod ſit vera. 40.278.1
Vtrum cenſura nulla in foro conſcientiæ valida tamen in foro fori ligatus celebrans incurrit irregularitatem, & actus iuriſdictionis exerceat validè in foro poli. 41.278.1
Vtrum cenſura ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè prolata ſemper ſit timenda, & ſeruanda. 42.278.2
An dubitans vera ne ſit cauſa ob quam cenſura eſt de facto innodatus debet ſe gerere tanquam cenſura ligatum. 43.279.1
Vtrum cenſura extra proprium ſuæ Iuriſdictionis territorium validè à Prælato, vel Iudice feratur. 44.279.1
Vtrum cenſura per modum ſtatuti lata liget delinquentes ſubditos extra territorium ferentis, & an in exempta Parochia, vel loco Regulari exempto intra territorium ferentis. 45.279.2
Vtrum dentur caſus, in quibus cenſura lata per modum ſtatuti afficit etiam delinquentes extra territorium ferentis? 46.279.2
Vtrum cenſura lata per modum ſententiæ liget ſubditos ferentis extra proprium territorium. 47.279.2
Vtrum cenſura lata à ſuperiore locali ligentur forenſes & extranei, ſi præceptum ſub cenſura prohibitum ibi violauerint. 48.281.1
Vtrum cenſura lata per metum incuſſum Iudici ſit valida necnè? 49.281.1
Vtrum cenſuræ validè, & licitè ferantur in die feſto. 50.281.1
Vtrum ſuperior teneatur denunciare excommunicatum, & quis iſte ſit ſuperior, qui poteſt denunciare. 51.281.2
Vtrum ignorantia inuincibilis ſeu probabilis iuris communis, & particularis excuſet ab incurrenda cenſura. 52.281.2
Vtrum ſciens actum prohibitum lege naturali, vel diuina, ignorans tamen inuincibiliter, ſeu probabiliter eſſe cenſuræ ſubiectum, ſicut non excuſatur à peccato, ita nec à cenſura excuſetur. 53.282.1
Vtrum cenſuram incurrat laborans ignorantia facti, & qualitatis facti inuincibiliter, ſeu probabiliter. 54.282.2
Vtrum aliquando etiam excuſet à cenſura incurrenda ignorantia culpabilis, & vincibilis. 55.282.2
Vtrum cenſuram latam ſub hac, vel ſimili forma contra quemcumque qui ſcienter temerè, conſultò præſumpſerit talem actum ſub cenſura vetitum, incurrat eam ignorans ignorantia craſſa, & ſupina, vel affectata. 56.283.1
Vtrum ignorans ignorantia comitante prohibitum ſub cenſura, incurrat eam ſi tranſgrediatur tale præceptum. 57.183.2
Vtrum erroneè credens percuſſionem laici ſubiacere excommunicationi, ſi actu percutiat cum hac erroneitate laicum incidat in excommunicationem. 58.284.1
Vtrum per appellationem ſuſpendatur effectus cenſuræ iam à Iudice latæ. 59.284.1
Vtrum à cenſuræ declaratoria ſententia appellari licitè valeat. Difficult.60.pag.284.c.2
Vtrum ab incurrenda cenſura excuſet impotentia etiam moralis faciendi præceptum ſub cenſura. 61.284.1
Vtrum iuſſus ſub cenſura facere aliquid intra determinatum tempus, & potens in principio illud exequi ſi præuideat ſe impotentem in termino dato non exequatur dum poteſt, incidat in cenſuram dum impotens eſt in termino dato. 62.285.1
Vtrum metus cadens in conſtantem virum excuſet ab incurſione in cenſuram. 63.285.2
Vtrum à cenſuræ effectibus excuſet vis, & metus cadens in conſtantem virum. 63.285.2
Vtrum cenſuram latam ad inſtantiam partis puta contra debitorem niſi ſoluat intra menſem, poſſit pars ipſa prorogare terminum, ita vt non cadat in cenſuram tranſacto termino dato à Iudice. 64.286.1
Vtrum debitor prædictus ſi vltra terminum prorogatum à creditore ſuo non ſoluat, cenſura ligetur prout monitorio comminabatur. 65.286.1
Vtrum cenſura lata in iure communi, vel particulari, vel etiã per ſententiam Generalem ſi nulli reſeruetur à ferente, poſſit abſolui à quocumque habente auctoritatem abſoluendi à mortalibus. 66.286.2
Vtrum cenſura incurſa, ceſſet poſt obitum Prælati, vel Iudicis, qui eam fulminauit. 67.287.1
Vtrum cenſura lata ab inferiori poſſit tolli à ſuo ſuperiore. 68.287.1
Vtrum in Iubileo, vel extra concedens Pontifex facultatem abſoluendi à reſeruatis ſibi cenſuris, intelligatur conceſſiſſe facultatem abſoluendi etiam à reſeruatis Epiſcopo, & ceteris ſuperioribus inferioribus. 69.287.2
Vtrum à cenſuris occultis Papæ reſeruatis abſoluat Epiſcopus virtute Conc. Trid. ſeſſ.24. cap.6. etiam forenſes ad ſuam Diœceſim prouenientes. 70.288.1
Vtrum cenſuras latas ad tempus puta ſuſpenſionem ad triennium in iure communi, vel in ſententia generali poſſit Epiſcopus ante tranſactũ præfinitum tempus tollere. 71.288.1
Vtrum Epiſcopus poſſit abſoluere à cenſuris publicis Papæ reſeruatis impotentes adire ſummum Pontificem, vt ab eo abſoluantur. 72.288.1
Vtrum præſente Parocho, vel alio ſacerdote auctoritatem abſoluendi habente poſſit ritè conſtitutus in articulo mortis ab alio ſimplici ſacerdote à cenſuris, & peccatis abſolui. 73.288.2
Vtrum præſente approbato confeſſario excommunicato vitando, vel irregulari poſſit abſolutè adire, & abſoluere conſtitutum in articulo mortis ſimplex ſacerdos. 74.288.2
Vtrum exiſtente opportunitate adeundi ſuperiorem pro reſeruatis poſſit ſine tali facultate ſimplex ſacerdos abſoluere à cenſuris reſeruatis conſtitutum in articulo mortis. 75.289.1
Ad quid teneatur ſacerdos abſoluens à cenſuris reſeruatis conſtitutum in articulo mortis. 76.289.1
Vtrum abſolutus in articulo mortis à cenſuris cum onere ſe præſentandi, teneatur adhuc ſe præſentare, ſi interea parti ſatisfecerit, vel cum ea ſe compoſuerit. 77.289.1
Vtrum abſolutus cum onere ſe præſentandi, ſi poſtea conualeſcens, vel impedimento liberatus ſpernat ſe præſentare incidat in eamdem, vel aliam cenſuram. 78.289.2
Vtrum abſens, ignorans, & inuitus abſolui poſſint à cenſuris. 79.289.2
Vtrum cenſura per ſigna, & nutus ſufficienter indicantia abſolutionem datam à ſuperiore verè tollatur. 80.290.1
Vtrum petens abſolui ab vna cenſura qui pluribus eſt irretitus à valente abſoluere ab omnibus remaneat ab omnibus abſolutus. 81.290.1
Vtrum habens poteſtatem abſoluendi à cenſuris poſſit abſolutionem ab eis præſtare extra Sacramentum pænitentiæ. 82.290.2
Vtrum petens ab habente poteſtatem, abſolutionem omnium cenſurarum, quibus eſt irretitus, ſi vnam reticeat ſcienter, & voluntariè, ab ea etiam maneat abſolutus. 83.291.2

Vtrum

Vtrum à cenſuris abſolutus tempore Iubilei cum animo adimplendi in ipſo mandata, ſi poſtea non adimpleat, reincidat in eaſdem cenſuras. Diffic 84.pag.291.c.1
Vtrum abſolutio cenſurarum cum conditione de futuro ſit valida. 85.291.1
Vtrum abſolutio cenſurarum ad cautelam ſit licita? 86.291.2
Vtrum cenſurarum abſolutio extorta per dolum, vim, & metum valida ſit. 87.291.2
Vtrum habens poteſtatem Ordinariam abſoluendi à cenſuris reſeruatis, ſi in ſententiam, vel Canone dicatur, vt non abſoluatur niſi parte ſatisfacta, abſoluere validè queat parte non ſatisfacta. 88.292.1
Vtrum delegatus cui committitur abſolutio cenſuræ cum partis ſatisfactione, validè abſoluat ſine ipſa. 89.292.1
Vtrum potens abſoluere à cenſuris ſatisfacta parte validè abſoluat moraliter impotentem reſtituere. 90.292.1
Vtrum cenſura ligatus dubitans an teneatur ſatisfacere poſſit abſolui à delegato abſoluendi habente poteſtatem ſolum ſatisfacta parte, ſi vere prius non reſtituat. 91.292.2
Vtrum cenſura ligatus ſub hac forma, ſis cenſura tali innodatus donec ſatisfacias parti, ſit intelligendus abſolutus abſque alia abſolutione ſtatim atque ſatisfecit. 91.293.1
Vtrum à cenſuris latis à ſuis ſuffraganeis abſoluere poſſit Archiepiſcopus. 93.293.1
Vtrum habens priuilegium eligẽdi confeſſarium approbatum, vt abſoluatur à cenſuris, poſſit eligere à quocumque ordinario approbatum. 94.293.1
Vtrum ligatus cenſura propter percuſſionem clerici teneatur ſatisfacere antequam abſoluatur. 95.293.1
Vtrum cenſurarum abſolutio conceſſa à ſuperiore intelligatur pro vtroque foro. 96.293.2
Quomodo præſtanda abſolutio in foro externo. 97.293.2

Ceſſatio à diuinis.

Quid, & quotuplex ſit ceſſatio à diuinis. 1.293.2
Vtrum ceſſatio à diuinis ſit cenſura, & an differat ab interdicto? 2.294.1
Quot conditiones requirantur ad validitatem ceſſationis à diuinis. 3.294.2
Quiſnam poſſit, & propter quam cauſam imponere ceſſationem à diuinis. 4.294.2
Quiſnam ſunt effectus ceſſationis à diuinis. 5.295.1
Quanam liceant tempore ceſſationis à diuinis. 6.295.2
Vtrum violans ceſſationem aliquam pœnam incurrat. 7.295.2
Vtrum ſeruanda ceſſatio, quando non ſeruatur ab eo, contra quam eſt lata, vel qui eam tulit. 8.296.1
Vtrum ille cuius cauſa poſita eſt ceſſatio teneatur ad aliquam reſtitutionem. 9.296.1
Quomodo fiat relaxatio ceſſationis. 10.296.1

Ceſſio bonorum.

Quid ſit bonorum ceſſio, & quod beneficium operetur, & an renunciari valeat. 1.296.1
Vtrum ceſſatio bonorum ita à reſtitutione excuſet, vt tuta conſcientia retinere valeat, quæ ad victum ſibi, ſuiſque ſunt neceſſaria. 2.296.2
Vtrum cedens bonis iuxta legum præſcripta teneatur ſaltem creditoribus ſatisfacere, quando ad lautiorem fortunam deuenerit. 3.295.2

Character.

Quid ſit character, & in quo ſubiecto imprimatur immediate. 1.297.1
Vtrum Chriſtus Dominus habuerit characterem, & quid dicendum de Angelis. 2.297.2
Quotuplex ſit character, & quinam eius effectus. 3.297.2
Vtrum character ſit indelebilis ab anima. 4.297.2

Charitas.

Quid ſit charitas, & quo ordine ſeruanda. Diffic.1.p.298.c.1
Quomodo ſit amandus Deus ſuper omnia ex charitate. 2.298.1
Quando charitatis præceptum diligendi Deum ſuper omnia hominem obliget. 3.298.2
Vtrum teneatur ex charitate quemlibet proximum etiam Inimicum diligere. 4.298.2
Vtrum teneamur ex charitate proximo indigenti ſubuenire cum periculo vitæ, & bonorum temporalium. 5.299.1
Quo ordine teneamur magis vni, quam alteri proximo in neceſſitate ſubuenire ex charitate. 6.299.2

Chyrographum.

Vtrum chyrographum puta mille aureorum abſentium poſſit emi minoris, quàm ſi forent præſentes. 1.300.1
Vtrum chyrographum, quod ob inopiam debitoris dubitatur inexigibile poſſit vendi licitè prò toto pretio. 2.300.1
Vtrum chyrographum falſum adductum in iudicio poſſit alio chyrographo falſo eludi. 3.300.1
Vtrum chyrographum dari ſolitum Dæmoni à magis, ſit neceſſariò repetendum in conuerſione magi volentis verè confiteri. 4.300.2

Chriſtianus.

Vtrum teneatur Chriſtianus ad explicitè ſciendos articulos fidei, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & præcepta Decalogi memoria retinenda ſub mortali. 1.300.2
Quid Chriſtianis inter infideles liceat, ſi in terris eorum commorari contigerit. 2.301.1

Circumſtantia.

Quid, & quotuplex ſit circumſtantia. 1.301.1
Quot ſint circumſtantiæ actus humani. 2.301.1
Quis quid vbi quibus auxilijs, cur quomodo quando. 3.301.2
Vtrum circumſtantiæ alleuiantes in confeſſione neceſſariò aperienda. 4.301.1
Vtrum circumſtantiæ aggrauantes ſint neceſſariò in confeſſione detegenda. 4.302.2
Vtrum ſolum circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſint neceſſariò in confeſſione aperienda. 5.303.1
Vtrum circumſtantia Epiſcopatus, Generalatus, Ordinis Sacri, Religionis, Nouitiatus, voti caſtitatis, Sodomiæ, coniugij, ſponſalium, affinitatis, & conſanguinitatis peccato carnis annexa ſint neceſſariò confitenda. 6.303.2
Vtrum circumſtantia graduum Inceſtus ſit neceſſario diſtinctè aperienda in confeſſione. 7.304.1
Vtrum virginitatis amiſſio ſit circumſtantia in confeſſione neceſſario aperienda. 8.304.2
Vtrum circumſtantia copulæ maritalis, & cuiuſcumque peccati carnalis in loco ſacro ſit neceſſariò in confeſſione detegenda. 9.305.1
Vtrum circumſtantia delectationis moroſæ ſit confitenda iuxta diuerſa obiecta ad quæ tendit. 10.305.1
Vtrum circumſtantia copulæ carnalis fidelis cum infideli ſit neceſſariè explicanda in confeſſione. 11.305.2
Vtrum circumſtantia pollutionis prauiſæ in ebrietate, vel comeſtione ſit neceſſariò confitenda. 12.505.2
Vtrum circumſtantia retinendi reliquias Sanctorum in actu venereo ſit neceſſariè confitenda. 13.306.1
Vtrum circumſtantia confeſſarij cum ſua filia ſpirituali ſit neceſſario confitenda. 14.306.1
Vtrum circumſtantia vxoricidij cum promiſſione ducendi adulterum ſit neceſſariò ab adultero confitenda. 15.306.1
Vtrum qui fornicatus eſt cum tribus fœminis integrè confiteatur ſi dicat, quod ter ſit fornicatus. 16.306.2

Vtrum circumſtantia mutans ſpeciem oblita in confeſſione poſſit repeti peccato principali non repetito. D.17.p.306.c.2

Vtrum circumſtantia manifeſtatiua complicis etiam ſi mutet ſpeciem neceſſariò confitenda, ſi infamia timeatur apud confeſſarium. 18.306.2

Vtrum circumſtantia occaſionis captæ ad peccandum ſit neceſſariò confitenda. 19.307.1

Vtrum circumſtantia furti facti de qualibet re quomodocumque in Eccleſia exiſtente ſit neceſſariò in confeſſione aperienda. 20.307.1

Vtrum circumſtantiam ordinis quem habet teneatur neceſſario aperire clericus mutilans, vel occidens. 21.307.2

Vtrum circumſtantiæ odij in proximum ſecundum diuerſa mala ei volita ſint neceſſariò confitendæ. 22.307.2

Vtrum blaſphemia circumſtantia in Deum, & in Sanctos ſit ſpecie diſtincta neceſſariò diſtinctè in confeſſione aperienda. 23.307.2

Vtrum circumſtantia diuinationum chyromantia, Pyromantia, Hydromantiæ, Negromantia &c. ſint diſtincta in confeſſione aperienda. 24.307.2

Vtrum circumſtantiam conſuetudinis in peccato teneatur pœnitens aperire à confeſſore interrogatus. 25.308.1

Vtrum circumſtantia peccati perpetrati in die feſto ſit neceſſariò in confeſſione aperienda. 26.308.1

Vtrum ignorantia affectata circumſtantia neceſſariò ſit confitenda. 27.308.2

Vtrum circumſtantia intentionis peccata reſeruata committendi, vt abſoluatur in Iubileo, vel aliud priuilegium ſit neceſſario in confeſſione aperienda. 28.308.2

Vtrum circumſtantia Inductionis parati iam ad peccandum ſit neceſſariò confitenda. 29.309.1

Vtrum circumſtantia iniuria illata Principi, ſuperiori, Patri, vel etiam ſacerdoti ſit neceſſariò in confeſſione detegenda. 30.309.1

Vtrum circumſtantia furti in notabili quantitate ſub ratione præciſa tantæ quantitatis ſit neceſſario explicanda in confeſſione. 31.309.2

Vtrum circumſtantia tranſgreſſionis præcepti à Prælato ſub obedientia impoſiti ſit neceſſariò confitenda. 32.309.2

Vtrum circumſtantia numeri perſonarum quibus miniſtratum fuit in peccato mortali Sacramentum Euchariſtiæ, vel pœnitentiæ, & quid de iuramento facto ſuper pluribus articulis ſimul ſit neceſſariò in confeſſione exprimenda. 33.310.1

Vtrum circumſtantia Euchariſtia ab alio confecta, miniſtrata ab alio in peccato mortali ſit neceſſariò aperienda in confeſſione. 34.310.1

Vtrum circumſtantia detractionis, vel de turpibus collocutionis coram pluribus, & diuerſis perſonis ſit neceſſariò confitenda iuxta numerum, & qualitatem perſonarum. 35.310.1

Vtrum circumſtantia plurium, qui vnico actu percuſſi, infamati, & damnificati notabiliter fuerunt, ſit neceſsario in confeſſione aperienda. 36.310.2

Vtrum circumſtantia finis in aliquo peccato ſit neceſsariò in confeſſione exprimenda. 37.310.2

Vtrum circumſtantia diei de præcepto ſeruandi cadentis in die Dominico aperienda ſit ab eo, qui ſacrum non audiuit in eo, & quid dicendum de frangente ieiunio in die Quadrageſimæ in quo tenetur etiam ex toto. 38.310.2

Ciuis.

Quot modis efficiatur quis ciuis alicuius ciuitatis. 1.310.2

Vtrum ciuis transferens Domicilium ad ciuitatem interdictam efficiatur etiam & ipſe interdictus. 2.311.1

Clauſura Religioſorum.

Quid per clauſuram intelligatur in monaſterijs, & conuentibus Religioſorum, & à quo determinanda. 1.311.1

Vtrum chorus, & Sacriſtia in clauſura comprahendantur. 2.311.2

Quomodo cognoſci poſſit Domus Religioſorum non ſubiacere clauſuræ. D.3.p.311.c.2

Vtrum cuiuſcumque conditionis, & ætatis mulieres prohibeantur monaſteria Religioſorum intrare ex lege clauſuræ. 4.312.1

Quibus pœnis afficiantur ingredientes fœminæ, & Religioſi eas admittentes, intra clauſuram monaſteriorum Regularium. 5.312.2

Vtrum fœminæ habentes priuilegium à Papa ingrediendi clauſuram Regularium poſſint intrare in clauſuram illorum, quibus ex vi Regulæ ſuæ Religionis prohibetur ſpecialiter ingreſsus fœminarum. 6.312.2

Vtrum ignorantia, inaduertentia, & neceſſitas excuſent mulierem ingredientem clauſuram Religioſorum ab incurſu in excommunicationem Papæ reſeruatam. 7.313.2

Vtrum ratione diuinorum officiorum fœmina licitè abſque metu cenſuræ in monaſteria Religioſorum ingredi valeant. 8.314.2

Vtrum fœmina licitè iuxta declarationes poſitas ingrediens clauſtrum regularium tamen ob malum finem, vel ex ſola curioſitate, & non cauſa deuotionis ingrediatur excommunicationem incurrat latam à Pio V. 9.314.1

Vtrum regulares valeant proceſſionem, vel aliud pium opus extra ordinarium inſtituere intra clauſura, ea præciſa intentione vt fœminæ poſſint ingredi ad videndam clauſuram, & an fœminæ ſcienter ita ingredientes incidant in excommunicationem. 10.314.1

Vtrum fœminæ licitè ingredientes clauſtra Religioſorum, ſi poſtea per alia interiora loca monaſterij diuagentur abſque occaſione diuinorum officiorum ex ſola curioſitate incidant in excommunicationem latam contra ingredientes à Pio V. 11.314.2

Vtrum religioſus ingreſsam mulierem illicitè, & contra Bullam Pij V. alloquens, & aſſocians incidat in pœnas latas contra Religioſos admittentes fœminas in loca Regularium. 12.315.1

Vtrum religioſus admittens, & introducens illicitè fœminas in clauſtra tenentur officia, quibus de facto à Papa priuatur deponere, & alias pœnas ſubire in publico, & an à dictis pœnis poſſit abſolui à Prælatis ſui ordinis. 13.315.1

Clauſura Monialium.

Quo iure introducta fuerit clauſura monialium. 1.315.2

Quibus pœnis ſubiaceant moniales ob egreſsum à monaſterio, vel introductionem, aut admiſſionem in monaſterium in caſibus non permiſſis illicitè violantes clauſuram, & ſuperiores indebitè ingrediendi concedentes facultatem. 2.316.1

Vtrum comitantes, & receptantes moniales egreſsas indebitè à monaſterio ſolum vrbanitatis, amicitiæ, vel honoris cauſa præfatis pœnis ſubiaceant. 3.316.2

Quænam ſint ea officia quibus priuantur clauſuram violantes, & abſque alia declaratione ea deponere debeant. 4.316.2

Vtrum paruitas materiæ excuſet violantem clauſuram à pœnis in præfata conſtitutione latis. 5.317.1

Vtrum ſuperiores poſſint implorare auxilium à magiſtratu ſæculari ad cogendas ſuas moniales ad clauſuram, & ille teneatur eis parere. 6.317.2

Vtrum ad Epiſcopum in caſibus à iure permiſſis pertineat dare licentiam monialibus exemptis, & alteri ordinario etiam Regulari ſubiecto exeundi à monaſterio. 7.317.2

Vtrum Vicarius Generalis Epiſcopi, vel ordinarij alterius poſſint dare licentiam monialibus à monaſterio exeundi in caſibus à iure permiſſis concedere. 8.318.1

Quinam ſint caſus à iure permiſſi in quibus liceat Epiſcopo, vel ſuperiore dare licentiam monialibus à clauſura egrediendi. 9.318.1

Vtrum vltra præfatos tres caſus à Pio V. expreſsos poſſit etiam in alijs caſibus ab Vrbano IV. pro monialibus S. Claræ poſitis, & conſimilibus etiam dari licentia à ſuperiore moniali, vt è proprio monaſterio egrediatur. 10.319.2

Quinam ſint caſus in quibus in praxe poteſt ſuperior tuta conſcientia

Digitized by Google

ſcientia licentiare ſuas moniales ad egrediendum à proprijs monaſterijs, & ipſæ licitè egredi valent. D. 11. p. 319. c. 2
Vtrum monialibus conuerſis licitè detur licentia egrediendi à monaſterio, vt eleemoſinas colligant. 12. 319. 2
Vtrum ſi monialis correctio in nullo monaſterio ſperetur poſſit licitè à monaſterio eijci à ſuperiore. 13. 320. 1
Vtrum monialis, debita cum licentia in caſibus ſuperius adductis à monaſterio proprio egreſſa teneatur ſtatim ceſſante cauſa egreſſus redire, & an peccet ſi tantiſper moretur, vel diuertat à directo itinere. 14. 320. 2
Vtrum infirmitas non contagioſa, ſed talis, vt ea vexata monialis nullo modo poſſit liberari niſi egrediatur, ſecus infallibiter moritura ſit cauſa ſufficiens ad concedendum ei egreſſum à monaſterio. 15. 321. 1
Quibus pœnis ſubiaceant ingredientes monialium monaſteria extra caſum neceſſitatis abſque debita facultate prius ab ſuperiore obtenta. 16. 321. 2
Vtrum habens licentiam in caſibus neceſſarijs intrandi in monaſteria monialium incidat in excommunicationem reſeruatam Papæ, ſi extra caſum neceſſitatis audeat ea ingredi. 17. 322. 1
Vtrum mulieres habentes licentiam ingrediendi monaſteria cum conſenſu expreſſo monialium incidant in excommunicationem intrantes cum conſenſu ſeorſim à ſingulis obtento. 18. 322. 1
Vtrum Epiſcopi, & alij ſuperiores tam Regulares, quàm non Regulares intrantes ſua monaſteria extra caſum neceſſitatis excommunicationem, & alias pœnas incurrant. 19. 322. 2
Vtrum Imperatores, Reges, vxores, & filij eorum, & filiæ per præfatas Pontificias conſtitutiones, & Concilij decreta prohibeantur ingredi monaſteria monialium cuiuſcumque ordinis. 20. 323. 1
Vtrum ingredientes monaſteria monialium præciſo omni prætextu facultatum, ſed ſolùm pro ſuo libito incurrant excommunicatione Papæ reſeruatam. 21. 323. 1
Ad quos ſpectat dare licentiam ingrediendi monaſteria monialium in caſibus neceſſarijs, & pro ſubiectis regularibus an ad Epiſcopos, vel prouinciales, & an ad prælatos locales. 22. 323. 2
Vtrum licentia ingrediendi monaſteria monialium ſit neceſſario danda in ſcriptis, itaut oretenus obtenta non excuſet ab excommunicatione contra ingredientes indebitè. 23. 324. 1
Qualis eſſe debet cauſa ſufficientis neceſſitatis ad dandam licentiam ingrediendi monaſteria monialium. 24. 324. 2
An quomodo, & quando liceat confeſſarijs monialium Medicis Chirurgis Pharmacopolis, Artificibus, & Baiulis, Ortulanis, & an cognatis ad viſitandam monialem infirmam, vel eius morti aſſiſtendum monaſteria monialium intrare. 25. 325. 1
Vtrum pro faciendo officio funeris, aperienda, & aptanda ſepultura, & pro quocumque opere, quod commodè extra monaſterium fieri nequeat, poſſint fratres Minores monialium obſequijs deputati ingredi monaſteria S. Claræ Ordinis immediatè ſubiecta. 26. 326. 1
Vtrum liceat Iudici monaſterium intrandi facultatem facere ad expellendum maleſactorem, vel eum examinandum, & in carcerem conijciendum. 27. 326. 2
Vtrum liceat ſuperiori cum honeſto comitatu ingredi monaſteria ſibi ſubiecta quacumque de cauſa, & an Epiſcopo in monaſteria exempta ad ſuum libitum pro viſitanda clauſura. 28. 326. 2
Vtrum liceat monialibus concedere ancillas ſæculares, quæ intra ſepta monaſterij eis inſeruiant. 29. 327. 1
Vtrum puellis poſſit à ſuperiore concedi licentia ingrediendi monaſteria ſibi ſubiecta educationis cauſa, & quanam conditiones requirantur. 30. 327. 2
Vtrum puellæ minores duodecim annis poſſint ſuperiores ad habitum ordinis admittere intra clauſuram, & an etiam in ætate infantili. 31. 328. 1
Vtrum Epiſcopi, & ſuperiores Regulares poſſint licentiam dare intrandi, & commorandi intra monaſteria monialium fœminæ in caſu quo eius honor, & vita periclitatur infallibiliter, ſi intra monaſterium non admittatur. D. 32. p. 328. c. 1
Vtrum ingreſſus cum debita ſuperioris licẽtia in monaſterium monialium ſi finito miniſterio, propter quod licitè intrare permiſſus eſt, incurrat cenſuras, ſi aliquantulum immoretur, nec ſtatim egrediatur. 33. 328. 2
Vtrum ingrediens monaſterium cum licentia vtilis operis ibi exercendi animo tamen inuiſendi monaſterium, vel aliquam monialem viſitandam, vel etiam ad aliquem alium prauum finem incurrat in excommunicationem. 34. 329. 1
Vtrum obtinens ex falſa cauſa licentiam intrandi monaſteria monialium tempore vero ingreſſus adſit vera cauſa, & an ingrediens cum falſa cauſa cognita à ſuperiore nihilominus eum ipſam concedente licentiam incurrat in excommunicationem. 35. 329. 2
Vtrum admittentes, & permittentes, vel facientes ingredi monaſteria monialium extra caſus neceſſitatis vrgentis ſiue ſuperiores, ſiue Abbatiſſæ, ſiue moniales ipſæ ſub prætextu facultatum à Papa, vel alio ſuperiore inferiori habitarum incidant in excommunicationem. 36. 329. 2
Vtrum admittens in monaſterium, vel iubens, conſulens ingredi aliquem pro ſuo libito abſque prætextu licentiarum extra caſus neceſſarios ſine vera licentia, vel etiam pueros, & puellas intra ſepta monaſterij incidat in excommunicationem. 37. 330. 2
Vtrum moniales illicitè ingreſſos clauſuram alloquentes, comitantes, detinentes incurrant excommunicationem. 38. 331. 1
Vtrum Medicum, Chirurgum, famulos, baiulos, & Artifices ſub prætextu licentiarum in caſu neceſſario tantum habitarum à ſuperiore admittentes moniales intra monaſt. extra caſum neceſſitatis incurrant excommunicationem, & pœnas Papæ reſeruatas. 39. 331. 1
Vtrum monialis ſcienter audeat habentem licentiam intrandi in monaſterium in caſu neceſſario tantum admittere propter aliquem alium bonum finem puta ne capiatur à ſatellitibus, vel ab alio percutiatur incidat in præfatas pœnas latas à Gregorio XIII. 40. 331. 2
Vtrum intra clauſtra monaſterij liceat monialibus habere claues Sanctiſſimi Sacramenti, & Reliquarum. 41. 331. 2

Clericus.

Vtrum clericus iure humano, an diuino ſit à iuriſdictione, & legibus Principum ſæcularium exemptus. 1. 331. 2
Vtrum clerici poſſint dici Vaſſalli Principum ſæcularium. 2. 333. 1
Vtrum clericus exemptionem à foro ſæculari ſiue in ciuilibus ſiue in criminalibus valeat renunciare ſaltem de conſenſu ſui Epiſcopi, vel ſuperioris, vel ſaltem ex conſuetudine talis renunciatio tolerari. 3. 333. 1
Vtrum contra exemptionem clericorum à foro ſæculari renunciatam, vel non ſeruatam per aliquod tempus etiam immorabile ex tolerantia Summorum Pontificum ſit acquiſitum ius Principibus ſæcularibus. 4. 333. 2
Vtrum tacitus conſenſus Summ. Pontificis ſi adſit tolerans in obſeruantiam contra exemptionem clericorum tollatur per reuocationem factam quotannis in B. C. 5. 333. 2
Vtrum clerici teneantur ſeruare leges ciuiles, quæ non ſunt contrariæ immunitati Eccleſiaſticæ, & quomodo. 6. 334. 1
Vtrum clerici teneantur vendere frumentum, vinum, & cetera etiam collecta ex prædijs Eccleſiaſticis iuxta prætium ſtatutum à lege, vel foro ſæculari, & an cogi valeant. 7. 334. 1
Vtrum clerici molientes contra ſæcularis Reipublicæ perniciem poſſint per Principes laicos puniri. 8. 334. 2
Vtrum clerici portantes arma prohibita à lege ſæculari de noctu inuenti ſine habitu, vel in flagranti aliquo crimine capi poſſint, armiſque ſpoliari à Iudice ſæculari. 9. 334. 2
Vtrum clericus exercens prohibitam venationem, vel piſcationem poſſit à Iudice ſæculari ſpoliari armis, canibus, & ceteris inſtrumentis. 10. 335. 1
Vtrum clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum cauſas per viam violentiæ poſſint cognoſcere Iudices ſæculares.

Difficult. 11. pag. 336. column. 1

Vtrum clerici aſportantes extra Regnum, vel ciuitatem victualia, & alia neceſſaria à Principe ſæculari ſub ipſorum amiſſione aſportari prohibita poſſint ab eius miniſtris licitè ſpoliari rebus in flagranti aſportatis. 12.336.2

Vtrum clericus ratione officij ſæcularis exerciti puta tutoris, conſiliarij, Aduocati &c. vel ratione falſæ menſuræ, quas ſuas res vendidit, poſſit à Iudice laico cognoſci, & puniri. 13. 336.2

Vtrum clericus delinquens ratione officij ſæcularis, vel contra legem ſæcularem, quam vi directiua tenetur ſeruare ſit puniendus à Iudice ſæculari pœna in ipſa ſtatuta. 14.337.1

Vtrum clericus crimen læſæ Maieſtatis admittens poſſit à Iudice ſæculari puniri. 15.337.1

Vtrum clericus citari valeat à Iudice ſæculari cum hac conditione (ſi putauerit ſua intereſſe) & an cogi poſſit ad reſtituendum depoſitum, quod obligauit ſe reſtituere coram Iudice ſæculari. 16.337.1

Vtrum clericus in cauſa reconuentionis in ciuilibus, & in cauſa ceſſionis bonorum ſui creditoris ad monſtrandum ſua iura poſſit à ſæculari Iudice citari, & an ob litem inceptam à defuncto, cuius hæres eſt clericus. 17.337.2

Quot ſint caſus, in quibus regulariter clerici amittunt priuilegium fori, & ſæculari iudici ſubijciuntur. 18.338.1

Quænam conditiones requiruntur, vt clericus in Sacris, vel beneficiatus, vel Religioſus profeſſus facinoroſis ſe immiſcens priuilegium clericale amittat, & Iudici ſæculari ſubijciatur. 19.338.1

Vtrum clericus prima tonſura, vel minoribus inſignitus, vt gaudeat priuilegio clericali, & c. Odoardus, debeat neceſſariò ab Epiſcopo in ſcriptis demandari ſeruitio Eccleſiæ particularis, an vero ſufficiat ſi cuilibet Eccleſiæ ex ſe per aliquod tempus etiam interpellatum deſeruiat. 20.338.2

Vtrum clericus incedens cum habitu ſine tonſura, vel ſine habitu inuentus à Iudice ſæculari poſt patratum delictum cum habitu, quid ſi propria authoritate eum reaſſumpſiſſet, gaudeat priuilegio fori. 21.339.1

Vtrum clericus in minoribus conſtitutus gaudeat priuilegio canonis, ſi Eccleſiæ non inſeruiat, & aliquando inueniatur ſine habitu. 22.339.1

Vtrum clericus beneficiatus, ſi non inſeruiat Eccleſiæ, vel ſi ſolum habeat titulum beneficij, vel ſolam penſionem gaudeat priuilegio fori. 23.339.2

Vtrum ille, qui poſt patratum delictum aſſumpſit habitum clericalem in fraudem curiæ ſæcularis poſſit puniri à Iudice ſæculari. 24.339.2

An ſi reus deprehenſus à Iudice ſæculari dicat ſe eſſe clericum vel à Iudice ſæculari dubitetur an ſit clericus nec ne, & an verum habitũ portauerit, pertineat cognitio clericatus, & habitus ad Eccleſiaſt. Iudicem, an vero ad ſæcularẽ. 25.340.1

Qualis eſſe debeat habitus clericalis ad hoc, vt cum eo incedens fruatur priuilegio fori. 26.340.2

Vtrum clericus teneatur ſub mortali incedere in habitu, & tonſura, & qua de cauſa tonſuram iubeatur deferre. 27.340.2

Vtrum clerici geſtantes arma peccent mortaliter, eiſque an Epiſcopus valeat ipſa portandi dare licentiam. 28.341.1

Vtrum clericus beneficiatus ſi non incedat in habitu, & tonſura perdat priuilegium fori. 29.341.1

Vtrum clericus incorrigibilis ipſo facto amittat priuilegium fori, & quid dicendum præcipuè in exercentibus incorrigibiliter artem Ioculatoris, Hiſtrionis, & ſcuræ, caupona, aut lanionis, aut ſæcularia negotia. 30.341.1

Vtrum clericus feudum poſſidens in cauſa feudi litigans, aut delinquens ſubiaceat iudicio Domini feudi, & an priuari valeat feudo ab ipſo Domino propter delictum. 31.341.2

Vtrum clericus irreuerentiæ ſigna faciens coram Iudice laico, vt falſum teſtimonium dicens coram eo valeat ab ipſo puniri. 32.342.1

Vtrum clerici prima tonſura, vel minoribus initiati non ſeruantes, quæ præcipiuntur à Conc. Trid. ad hoc vt gaudeant priuilegio fori debeant fieri exempti à ſolutione impoſitionum, collectarum, & Gabellarum ſæcularium. 33.342.1

Vtrum clerici teneantur impoſitiones eas ſoluere, quæ pro communi vtilitate puta murorum pontium viarum, vel pro aliqua communi neceſſitate, vt eſt peſtis, ingruens bellum. Difficul. 34. pag. 342. 2

An clerico liceat abſq; peccato negotiari per ſe, vel per alium, & quomodo dicatur verus negotiator. 35.342.2

In quos caſibus clericus non dicatur negotiator illicitus itaut ſpolio non ſubiaceat. 36.343.1

Vtrum clericus dicatur negotiator ſi res emptas ſua induſtria, & labore poſtea melioratas, vel mutatas carius vendat. 37.343.2

Vtrum clericis collecta imponi poſſint propter publicam, & communem vtilitatem deficientibus communibus redditibus, dato quod ſufficerent redditus particularium ciuium. 38.344.1

Vtrum clerici grauari dicantur ab impoſitione gabellæ, quando eius onus adijcitur actui ſeparato, vel non ſeparato ab ipſo contractu emptionis, vel venditionis. 39.344.2

Vtrum clerici de bonis ſibi donatis à laicis, & de bonis ſuper quæ erant poſita certa, & inuariabilis collecta antequam ad ipſos peruenirent quomodocunque, quæ ſolet dici debiti contratti poſſint licitè collectari. 40.344.2

Vtrum clericus ſit conueniendus in curia ſæculari pro cenſu debito Regi non ſoluto ab ipſo clerico ſoluendo. 41.345.1

Vtrum clerici poſſint trahere laicos in omni caſu vertente inter ipſos, an vero ſolum pro rebus Eccleſiæ, & earum fructibus ad Iudicem Eccleſiaſticum. 42.345.2

Vtrum clerico liceat aperire tabernam pro carne, vino, pane, & ceteris commeſtibilibus collectis ex ſuis bonis, quando Dominus loci vnam ſolam tabernam pro dictis rebus iuſſit aperiendam in ſua ciuitate, vel caſtro. 43.345.2

Vtrum ſi clerici negligant cum beneficio legis, & inuentarij hæreditatem ſuſcipere, teneantur vltra vires hæreditatis. 44. 346.1

Vtrum clerici poſſint vendere non ſolum ingroſſo, ſed etiam ad minutum vinum, oleum, & ſimilia, & ſi vltra pretium forenſe, & cum falſa menſura contra præceptum ſub amiſſionis bonorum vendibilium à Iudice laico latum vendent incurrant huiuſmodi pœnam. 45.346.1

Vtrum clericorum pecora inuenta in paſcuis alienis contra ſtatutum puniens talia pecora repreſaliandæ eſſe, poſſint à miniſtris curiæ ſæcularis abſque periculo excomm. repreſaliari. 46.346.2

Vtrum clericus minoribus inſignitus frangens relegationem ſibi impoſitam, vel aliquod aliud crimen in clericatu committens, ſi deponat deinde clericatum an poſſit cognoſci à Iudice Eccleſiaſtico iam factus laicus. 47.346.2

Vtrum clericus, & laicus in eodem crimine ſocij iudicandi ſint à Iudice laico, ſi ab ipſo deprehenduntur, an vero remittendi ſimul ad Iudicem Eccleſiaſticum. 48.347.1

Vtrum clericorum parentes, filij, fratres, & eorum familia tota, & an vxores ſacerdotum Græcorum gaudeant priuilegio immunitatis fori. 49.347.1

Vtrum clericus græcus poſtquam minoribus eſt initiatus ſi contrahat matrimonium cum Virgine gaudeat priuilegio fori. 50. 347.2

Vtrum clerici Procuratores eſſe valeant in cauſis laicorum, eorumque bona licitò conducere, & an artes honeſtas exercere. 51. 347.2

Vtrum clericis prohibeantur venatio, & lædere ludis fortunæ immediatæ ſubiectis. 52.348.1

Vtrum clerico inferens laicus iniuriam, vel damnum, vel percuſſionem à Iudice laico, vel Eccleſiaſtico ſit puniendus. 53.348.2

Vtrum clerici coniugati gaudeant priuilegio fori, & canonis, & gabellarum ſolutionis immunitate, & an etiam eorum vxores. 54.349.1

Vtrum clerici, quos vocant Diaconos Syluaticos gaudeant priuilegio clericali, & an in determinato numero pro qualibet Eccleſia ſint determinandi. 55.349.2

Vtrum clerici poſſint de fructibus beneficiorum teſtari, & ſuis hæredibus relinquere, & an teneantur ſub mortali pauperibus ero-

bus erogare ſuper effluentes ſuæ honeſtæ ſubſtentationi Eccleſiaſticos redditus. D.56.p.349.c.2
Vtrum Clericum cogens ad dandum ſibi quod in manu geſtat, vel repercutiens aliquantulum recomprimendo, & repellendo, & an Clerici impuberes ſe ipſos percutientes dicantur incidere in excommunicat. ſi quis ſuad. Diab. 57.349.2
Vtrum Clericus ſeipſum percutiens incidat in excomm. præfati Canonis ſi quis ſuad. Diab. 58.350.1
Vtrum Clerico propinans mortiferum venenum, ex quo ſequitur eius mors, vel damnum notabile incidat in excomm. ſi quis ſuad. Diab. 59.350.1
Vtrum qui Clericalem habitum cum prima tonſura ſuſcipit animo non ſemper Clericandi, vel non adſcendendi ad ordines Sacros, ſed ſolum vt gaudeat priuilegio Clericali, & exemptione ab oneribus ſæculi peccet mortaliter. 60.350.2
Vtrum Clericus ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora, vel ſine dimiſſorijs ab alieno Epiſcopo gaudeat priuilegio fori. 61.350.2
Vtrum Clerici poſſint exercere Medicinam, & militiam abſque alia Sum. Pontif. licentia. 62.351.1
Vtrum Clericus traditus Curiæ ſæculari dicatur ita ſpoliatus priuilegio Clericalis immunitatis, vt propria authoritate dicatur Iudex ſæcularis eum punire. 63.351.1
Quinam Clerici, an etiam Minoribus, & prima Tonſura inſigniti gaudeant priuilegio c. Odoardus de ſolut. &c. 64.352.1
Quænam requirantur, vt Clerici hoc beneficio c. Odoardus frui legitimè valeant. 65.352.2
In quibus caſibus Clerici non gaudeant hoc beneficio c. Odoardus. 66.352.2

Cæcitas mentis.

Quid ſit Cæcitas mentis, & an ſit peccatum ſemper mortale. D. vnic. 354.1

Cælare.

Vtrum Cælare propter pecuniam, vel gratiam peccatum alicuius, vel ſeruum, vel latronem fugientem apud Iudicem, vel Dominum reſpectiuè ſit peccatum mortale. D. vnica. 354.2

Colonus.

Vtrum Coloni, Affictuarij, & partiarij Regularium ſint immunes ab impoſitionibus ſæcularium, & an Coloni, & Affictuarij Epiſcoporum gaudeant priuilegio fori. Diffic. vnic. 354.2

Cognatio, Conſanguinitas.

Quid, quotuplex Cognatio, & quomodo diſtinguatur per lineas, & gradus. 1.355.1
Quomodo gradus conſanguinitatis cognoſcantur in aſcendentibus, & deſcendentibus tam in linea recta, quàm in linea Collaterali, & in quoto gradu matrimonium dirimat. 2.355.1
Vtrum inter aſcendentes, & deſcendentes in quolibet gradu de iure naturæ ſit prohibitum Matrimonium. 3.355.1
Vtrum in linea tranſuerſali ſit Matrimonium prohibitum de iure naturæ inter conſanguineos in primo gradu. 4.356.2
Quid ſit cognatio ſpiritualis, & inter quos, & quomodo contrahatur. 5.357.1
Vtrum cognatio ſpiritualis à non tangente verè ſuſcipientem Baptiſmum, vel Confirmationem, & an ab eo qui ſolum iam in neceſſitate baptizatum domi, quando ſolemnitas ſuppletur in Eccleſia ſolummodo tenet, & tangit. 6.357.1
Vtrum baptizantes priuatim ſine ſolemnitate, tenentes, vel ſuſcipientes baptizatum in dicto baptiſmo priuato, & non ſolemni contrahant cognationem ſpiritualem. 7.357.2
Vtrum non habens intentionem munus ſuſcipiendi in baptiſmo, vel habens intentionem ſuſcipiendi filium Petri, & tamen ſuſcipit filium Martini contrahat cognationem ſpiritualem. D.8.p.357.c.2
Vtrum non confirmatus, & non baptizatus ſuſcipiens, & tenens confirmatum, vel baptizatum reſpectiuè contrahat cognationem. 9.358.1
Vtrum ſi in Sacramento baptiſmi, vel confirmationis plures ſimul teneant, vel ſuſcipiant ſinguli cognationem ſpiritualem contrahant. 10.358.1
Vtrum ſit peccatum mortale deſignare, vel admittere plures Patrinos, vel ſuſceptores contra Concilij præceptum, & an Epiſcopus poſſit in tali pluralitate diſpenſare. 11.358.2
Quid ſit cognatio legalis, & in quoto gradu impediat Matrimonium. 12.359.1
Vtrum intentio Patris baptizandi quod tenens ſuum filium in baptiſmo non contrahat ſecum cognationem ſpiritualem impedire valeat effectum talis cognationis. 13.359.2

Collegium.

Quid ſit, & quot faciant Collegium, & eo deſtructo, ad quem eius bona, & priuilegia deuoluantur. D. vnic. 359.2

Commodatum.

Quid, & quotuplex ſit Commodatum, & an res vſu conſumptibiles commodato ſubiaceant. 1.360.1
Vtrum commodatarius poſſit vltra præfixum tempus vti re commodata, & an commodans poſſit ante præfixum tempus reuocare commodatum. 2.360.2
Vtrum commodatarius vtens re commodata ad alium vſum, quàm ab eo fuerit res poſtulata, & à commodante conceſſa peccet, & ad reſtitutionem teneatur. 3.361.1
Vtrum commodans rem vitioſam abſque præmonitione vitij, teneatur Commodatario ſatisfacere, ſi quod damnum ex eâ ſit paſſus; & an in infinitum, vel ſolum pro prima vice. 4.361.1
Vtrum ſi res citra culpam deterioretur, aut pereat caſu fortuito, domino pereat, an commodatario. 5.361.2
Vtrum ſi eodem caſu fortuito res peritura fuiſſet apud Dominum, quid ſi res commodata tradatur æſtimata teneatur Commodatarius de caſu fortuito ſi pereat. 6.362.1
Vtrum de omni culpa teneatur Commodatarius, ſi res pereat, vel deterioretur. 7.362.1
Vtrum commodatarius ex aliqua impotentia non reſtituens rem commodatam tempore præfixo excuſetur à reſtitutione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod Dominus patetur ex tali mora. 8.362.2
Vtrum commodatarius in æquali periculo rerum ſuarum, & rei commodatæ, vel etiam in æquali periculo rerum commodatarum duorum dominorum potius ſuas, vel Domini, & cuius Domini res commodatas teneatur ſaluare. 9.363.1
Vtrum commodatarius poſſit retinere rem ſibi commodatam in compenſationem eius, quod ſibi debet ſolui à Domino rei commodatæ. 10.363.1
Vtrum commodans teneatur ad expenſas factas à Commodatario pro re commodata, & an ſi per nuncium remiſſa pereat commodanti, vel commodatario. 11.363.1

Commune.

Quænam ſint regulariter rei communis proprietates. D. vnic 363.2

Compenſatio.

Quid ſit compenſatio, & quæ requirantur ad hoc vt ſit licita. D.1.364.1
Vtrum compenſatio fieri valeat in actionibus prouenientibus ex delictis. 2.365.1
Vtrum compenſatio admittenda in debitis ex pœnis, decimis, tributis, furto, rapina, depoſito, vel in debito in potentia, vel

debito ex mutuo,vel reciproco. Diffic.3.p.365.c.1

Vtrum quando debitum & iuratum, & quando ſunt anteriores creditores poſſit licitè fieri compenſatio. 4.365.2

Vtrum aliquando liceat compenſatio in rebus diuerſæ rationis. 5.365.2

Vtrum compenſatio liceat pro eo, quod ſibi debetur ea charitate, Religione gratitudinis, ſeruitutis, aut alterius virtutis ſicut fieri poteſt pro debito ex iuſtitia. 6.366.1

Vtrum qui facili via poſſet Iudicis authoritate implorata rem ſuam à debitore recipere, poſſit adhuc compenſationis beneficio vti, & an teneatur compenſationis factæ, monere hæredes, vel debitorem. 7.366.2

Vtrum debitor commodum aliquod, vel beneficium pretio æſtimabile conferens ſuo creditori æquiualens ei, quod debet, vt ſe abſolutione reddat immunem excuſetur per hanc compenſationem à reſtitutione; quid ſi ignorans ſe debitorem gratis contulerit daturus per compenſationem ſi ſciuiſſet ſe debitorem. 8.366.2

Compoſitio.

Vtrum compoſitio facta cum creditoribus pro minori ſumma excuſet etiam in pinguiorem fortunam aduenientem, & an ipſi factę à maiori parte creditorum debeat ſtare minor pars. 1.367.1

Vtrum compoſitio de bonis incertis dubijs an inter Petrum v. g. & Paulum ſint diuidenda, & de fructibus litigioſis beneficiorum ſit licita, & an ſuffragetur, quando creditor non facit fructus ſuos, & an ſi maiores ſint fructus beneficij, quàm valor taxatus compoſitio ſit valida. 2.367.1

Vtrum Papa licitè, & validè Bullam compoſitionis concedere valeat tam pro bonis certis, quàm incertis pro minori ſumma reſtituendis, & an hoc poſſit etiam Epiſcopus in ſua Diæceſi. 3.367.2

Vtrum ex præfata Bulla compoſitionis ita ſit immunis à reſtitutione debitor, vt comparentibus, vel cognitis poſtea veris Dominis non ſit obligatus eis maiorem ſummam reſtituere. 4.368.1

Vtrum de maiori ſumma incertorum legitimè retenta per bullam teneatur debitor alijs ſuis creditoribus certis ſatisfacere, ſi alia non habeat. 5.368.1

Vtrum caupones, tabernarij, Macellarij Piſtores, & conſimiles falſis ponderibus, & menſuris, vel etiam res falſificatas, vel maiori pretio vendentes indiſcriminatim etiam ſibi non notis poſſint accipere Bullam compoſitionis tuta conſcientia. 6.368.2

Conceſſum.

Quomodo intelligendum, interpretandum, & extendendum ſit conceſſum. D.vnic.368.2

Concubinatus.

Quid ſit concubinatus, & an ſit crimen mixti fori, & qua pœna puniatur. 1.369.1

Vtrum concubinarius ſit abſoluendus prima vice, etiamſi concubinam de facto non eiecerit. 2.370.1

Vtrum poſſint dari aliqua cauſa legitima, ob quas excuſetur concubinarius ab eijcienda ſtatim concubina, vnde interea poſſit abſolui licitè antequam eam de facto eijciat. 3.370.1

Vtrum concubinarius qui iam verè deſiſtit à peccando cum ſua concubina cum propoſito efficaci de non recidiuando poſſit permitti, vt aliquoties eam inuiſat cauſa alendi, vel viſẽdi filios ex ea ſuſceptos, vel etiam ne cum alio habeat occaſionem peccandi, ſi de hoc populus ſcandalizetur, quid ſi propter eamdem cauſam alendi filios ſuſceptos eam adiens incurrat periculum reincidentiæ poſſit abſolui. 4.370.2

Vtrum concubina ſua occulta concubinarius confeſſor poſſit validè excipere confeſſionem, & an concubinarij ſacerdotis miſſa licitè audiatur. 5.371.1

Vtrum clericus notorius concubinarius ſit ipſo facto ab officio, & beneficio ſuſpenſus, itaut ſi celebret incurrat irregularitatem. D.6.p.371.c.1

Concuſſionis Crimen.

Quid ſit concuſſionis crimen, & à quibus incurratur. 1.371.1

Vtrum concuſſionis crimen ſit mortale, & an ad reſtitutionem neceſſariò teneatur concuſſor. 2.371.2

Condemnare.

Vtrum Princeps ſupremus, vel eius miniſtri licitè valeant aliquando nõ adhibitis iuris ſolemnibus ſine citatione & defenſionis exhibitione, & proceſſus formatione delinquentem hominem morte damnare. 1.371.2

Vtrũ in condemnationis pœna mitior pars ſit ſequẽda. 2.373.1

Conditio.

Quid ſit conditio, & quomodo diſtinguatur à cauſa demonſtratione, & modo. 1.372.1

Quotuplex ſit, & quænam vera conditio. 2.372.2

Quænam conditio vitiet contractum, vel diſpoſitionem, & quænam vitietur, ita vt habeatur pro non appoſita. 3.373.1

Vtrum conditiones appoſitæ in legatis de nubendo, vel nubendo annullent aliquando diſpoſitionem. 4.373.2

Quomodo attendi debent conditiones ratione temporis. 5.374.1

Vtrum conditio appoſita poſſit cohoneſtare deſiderium, puta ſi hoc non eſſet peccatum, vellem facere illud. 6.374.2

Confeſſio Sacramentalis.

Quid ſit confeſſio Sacramentalis, & à quo iure inſtituta. 1.375.1

Vtrum tam fidelis, quàm infidelis teneatur ad ſacramentalem confeſſionem faciendam. 2.375.2

An etiam pueri fideles, & in qua ætate teneantur ad ſacramentalem peccatorum confeſſionem faciendam. 3.376.1

Vtrum fidelis omnia peccata mortalia interna, & externa, etiam dubia, & an venialia quoque ſacramentali confeſſioni ſubijcere teneatur. 4.376.2

Vtrum quoties fidelis adultus cognoſcit ſe peccaſſe mortaliter, toties ſtatim obligetur de iure diuino peccatum mortale ſacramentaliter confiteri. 5.376.2

An confeſſionem ſacramentalem quis facere teneatur ad vitandum periculum incurrendi in nouum peccatum mortale. 6.377.1

Vtrum fideles præcepto Eccleſiaſtico teneantur ſub mortali determinato aliquo tempore confiteri. 7.377.1

Vtrum Summus Pontifex teneatur ſub mortali confeſſionem annualem ſaltem facere. 8.378.2

Vtrum nullum habens peccatum mortale, nec veniale, vel ſaltem ſolum veniale abſque mortali teneatur annuam confeſſionem ſacramentalem facere. 9.378.1

An Eccleſia poſſit determinare, vt habens ſolum veniale, debeat ſolum venialis annualem confeſſionem facere. 10.378.2

Vtrum confeſſio annualis quoad obligationem incipiat à prima die Ianuarij, vſque ad vltimum Decembris, an verò à Paſchate ad Paſcha, & an neceſſariò in Paſchate, vel etiam ſufficienter in alia parte anni fiat. 11.379.1

Vtrum qui graue periculum ſubit obliuiſcendi peccata, vel qui in fine anni ſuſpicatur non poſſe habere copiam confeſſarij debeat anticipare confeſſionem ante Paſcha. 12.379.1

Vtrum confeſſionem annualem omittens facere in vno anno teneatur ſub mortali eam ſtatim ſupplere in anno ſequenti. 13.380.1

Vtrum qui ex obliuione non culpabili prætermiſit peccatum in confeſſione annuali, vel qui eodem anno iterum poſt confeſſionem annualem peccauit mortaliter teneatur iterum confiteri ex vi præcepti annuæ confeſſionis. 14.380.2

Vtrum

Vtrum irritans faciens ſua culpa confeſſionem annualem ſatisfaciat præcepto lato in c. omnis vtriuſque ſexus. Diffic. 15. pag. 381. col. 1

Vtrum eorumdem peccatorum iterata confeſſio ſit fructuoſa ad remittendam totam pœnam debitam pro peccatis commiſſis. 16. 381. 1

Vtrum ad confeſſionem ſacramentalem legitimè faciendam requiratur neceſſariò præuium peccatorum examen, & quale debeat eſſe, & an teneatur ea ſcribere, dum facit examen, ſi memoriæ defectum teneat. 17. 381. 2

Vtrum ſine præuio examine confeſſionem faciens confiſus in diligentia periti, & prudentis confeſſarij ordinatè per interrogationes in confeſſione ipſa ad memoriam reducentis ei peccata validam accipiat abſolutionem. 18. 382. 1

Vtrum confeſſarius teneatur examinare pœnitentem, & interrogationes ei ordinatè facere ſic ſupplendo defectum examinis, & imperitiæ. 19. 382. 2

Vtrum omnia peccata neceſſariò explicanda quoad ſpeciem tam moralem, tam phyſicam. 20. 382. 2

Vtrum ſingula peccata publica, & ſecreta quoad determinatum numerum ſint in confeſſione neceſſariò aperienda. 21. 383. 1

Vtrum confeſſionem facere apud vnum confeſſarium de leuibus, & apud alterum de grauioribus ad bonam famam ſeruandam liceat. 22. 383. 2

Vtrum admittens mendacium de veniali in confeſſione ſacramentali peccet mortaliter. 23. 384. 1

Quomodo facili poſſit ratione cognoſci numerus peccatorum, & quomodo in confeſſione aperiendus. 24. 384. 2

Quomodo facili ratione poſſit numerus peccatorum ad memoriam reduci. 25. 385. 1

Vtrum qui numerum certum peccatorum expreſſit, poſtea cognouit ſe maiorem, vel minorem numerum expreſſiſſe teneatur iterum exprimere maiorem, vel minorem confiteri. 26. 385. 2

Vtrum teneatur pœnitens ea peccata etiam confiteri, quæ certo nouit confeſſarius à ſe admiſſa, & an ſufficiat ſaltem dixiſſe, Pater confiteor ea peccata ſingula, quæ tu noſti à me admiſſa fuiſſe tali loco, & tempore. 27. 386. 1

Vtrum in confeſſione neceſſariò ſint aperiendi actus minus principales antecedentes, vel ſubſequentes, vel comitantes actionem principalem puta tactus, oſcula in peccato fornicationis. 28. 386. 2

Vtrum confeſſionem generalem faciens teneatur ſingula peccata mortalia alias ritè confeſſa iterum neceſſariò in confeſſione aperire. 29. 386. 2

Quænam dicatur confeſſio materialiter, ſeu mathematicè vt alij aiunt integra, & quænam formaliter ſolum integra, & quænam ſimul, & ſemel formaliter, & materialiter integra. 30. 387. 1

Vtrum quando pœnitens, ſi confiteatur aliqua peccata, timet probabiliter notabile animæ, vel corporis periculum, infamiam ſui, vel complicis, aut fractionem ſigilli in notabile damnum proximi, & alius non adſit confeſſarius poſſit ea legitimè reticere, & integra formaliter, formataque per abſolutionem acceptam dicatur confeſſio. 31. 387. 2

Vtrum confeſſio non integra materialiter facta à conſtituto in periculo, vel articulo mortis, vel à multis ſimul in aliquo imminenti periculo naufragij, vel hoſtium irruptione, aquarum improuiſa inundatione, poſſit eſſe formaliter integra, & gratia formata per abſolutionem. 32. 388. 1

Vtrum reiterans confeſſiones inualidas ex culpabili omiſſione peccatorum, vel numeri determinati vel etiam circumſtantiarum ſpecie diſtinctarum teneatur omnia etiam confeſſa recapitulare, an ſufficiat ſi omiſſa ſuppleat ſimul cum cauſa culpabili omiſſionis. 33. 388. 1

Vtrum multa peccata habens, nec vnico confeſſionis actu valens ea explicare ratione faſtidij, & vexationis ſui, vel confeſſarij, vel propter temporis indigentiam, ſi iteratis, & interpollatis vicibus de conſilio etiam confeſſarij ea in confeſſione aperiat in vltima poſtea confeſſione omnium interpollatè etiam confeſſorum peccatorum validam obtineat abſolutionem. D. 34. p. 389. c. 2

Vtrum ſacramentum pœnitentiæ informe reſpectu attritionis non ſufficientis ad recipiendam gratiam poſſit per ſubſequentem attritionem ſufficientem euadere formatum, abſque eo, quod apud eumdem, vel alium confeſſorem reiteretur eorumdem peccatorum confeſſio. 35. 390. 1

Vtrum confeſſio facta de peccato cum complacentia, & propoſito perſeuerandi in eo reddat abſolutionem validam licet informem. 36. 390. 2

Vtrum habens dubium iuris ſcilicet an hoc ſit peccatum, vel dubium facti an ſcilicet hoc quod eſt peccatum commiſerit necne, teneatur illud dubium neceſſario confiteri. 37. 391. 1

Vtrum deponens conſcientiam dubiam, ita vt ſtante dubio æquali velit ſequi opinionem docentem, vt in tali dubio poſſit quis ſequi quàm maluerit partem, teneatur adhuc tale dubium confiteri. 38. 391. 2

Vtrum confeſſus peccatum dubium, adueniente poſt confeſſionem certitudine, teneatur eum neceſſario confiteri. 39. 392. 1

Quænam ſint conditiones requiſitæ ad perfectam confeſſionem ſacramentalem, & an omnes ſint eſſentialiter neceſſariæ. 40. 392. 2

Vtrum mendacium admiſſum in confeſſione de maiori numero mortalium, quàm ſit admiſſus, vel circa peccata dubia confitendo ea vt certa ſit mortale. 41. 393. 2

Vtrum confeſſio ſacramentalis neceſſariò debeat eſſe ſecreta, ita vt ſit inualida ſi non foret ſecreta. 42. 394. 1

Vtrum ſolo proprio ore fieri confeſſio ſacramentalis debeat, an etiam nutu, ſi quis, vel ſcriptum aliquando validè perficiatur. 43. 394. 2

Vtrum de neceſſitate præcepti teneatur voce impeditus per ſcripturam coram ſacerdote ſua peccata, ſi nutibus, & ſignis non valeat ea explicare, & an liceat per litteras, ſi pœnitens ſit abſens à ſacerdote validè confiteatur. 44. 395. 1

Vtrum voce præpeditus, qui ſigna contritionis dedit, vel dat actualiter debeat abſolutè, an ſub conditione abſolui, quid ſi nullum ſignum dederit, & ſubita infirmitate correptus ſenſibus deſtitutus non poſſit dare ſignum contritionis, & iam ſit mortis proximus debeat, & poſſit abſolui, & quomodo. 45. 395. 2

Vtrum confeſſarius teneatur abſoluere pœnitentem iuxta eius opinionem probabilem, licet ſit contraria ſuæ probabiliori. 46. 396. 1

Vtrum confeſſarius ex defectu iuriſdictionis, vel ex prætermiſſa admonitione de confitendis circumſtantijs, vel numero peccatorum, vel de reſtitutione facienda malè noſcat abſoluiſſe pœnitentem, quid ſi abſque abſolutione dimiſerit pœnitentem ex obliuione teneatur pœnitentem adire, vt abſoluat eum ritè, & ad reſtitutionem eum obliget. 47. 396. 2

Vtrum ſacerdoti confeſſario notorie in peccato mortali exiſtenti liceat ſine peccato confiteri, & an eodem nolenti abſoluere ſine pecunia ſit danda, dum alius non adeſt, qui ſine pecunia abſoluat. 48. 397. 1

Vtrum confitens cum confeſſario valde ignoranti bona fide, vel cum confeſſario ſomno abſorpto inter audiendam confeſſionem teneatur reiterare confeſſiones. 49. 398. 1

Vtrum pœnitens, qui cum confeſſario habente ſolum authoritatem abſoluendi tempore aliquo determinato puta per menſem, vel annum ſi obliuiſcatur cum eo confiteri aliquod peccatum mortale citra ſuam culpam, poſſit recordatus talis peccati, cum eodem confiteri tranſacto iam termino ſuæ poteſtatis. 50. 398. 2

Vtrum confeſſarius licitè imponat pœnitentiam, quam vocant præſeruatiuam, & valeat cum iuramento obligare ad eam, & conſuetudinarijs ſaltem differenda abſolutio. Difficult. 51. pag. 398. col. 2

Vtrum confeſſarius leuiores pœnitentias quàm peccata audita exigãt poſſit imponere ex eo quod poſt abſolutionem dicat Paſſio &c. vel quicquid boni feceris, aut mali ſuſtinueris

d 2 ſit tibi

ſit tibi in remiſſionem peccatorum, & augmentum gratia. Difficult.52.pag.399. col.1

Vtrum confeſſio ita neceſſario ſit facienda ſacerdoti, vt etiam in neceſſitate inualida ſit facta fuerit laico, & an plectendus ſi tempore audiat, & abſoluat laicus. 53.400.2

Vtrum quilibet ſacerdos ſimplex non approbatus ab ordinario poſſit à venialibus ab excommunicatione minori valide, & licite abſoluere. 54.401.1

Vtrum Parochus poſſit abſoluere Sacramentaliter ſuos ſubditos extra Diœceſim proprij Epiſcopi, & quid dicendum de Regularibus, & alijs admiſſis ab Epiſcopo, vtrum ſubditos Epiſcopi approbantis poſſit extra ſuam Diœceſim ſacramentaliter etiam valide abſoluere. 55.401.2

Vtrum Parochus poſſit dare licentiam audiendi confeſſiones in ſua Parochia ſacerdoti approbato ſolum ab Epiſcopo alterna Diœceſis, & e contra, vtrum Parochianus abſque licentia ſui Parochi poſſit valide confiteri cum alio confeſſore extra ſuam Diœceſim. 56.402.1

Vtrum cum ſpe ratihabitionis approbationis ab Epiſcopo habenda valide ſacerdos confeſſiones excipiat. 57.403.1

Vtrum pœnitens qui extra confeſſionem commiſit peccatum aliquod graue coram confeſſario ſi illud poſtea etiam in confeſſione interrogatus reticeat, & nolit confiteri ſit repellendus, quid ſi ex confeſſione complicis ſciat peccatum an abſoluendus, ſi reticeat. 58.402.2

Vtrum confeſſio facta cum ſacerdote qui cum falſa ordinarij licentia confeſſiones excipiebat ſit tanquam inualida iteranda. 59.404.1

Vtrum confeſſarius cognoſcens pœnitentem bona fide in aliquo graui peccato ignoranter detineri, de quo admonitus, vix, aut nullo modo ſe emendaret an relinquendus ſub bona ſua fide. 60. 404. 2

Vtrum confeſſor poſſit cogere pœnitentem ad denunciandum cōplicem ſui delicti, & an ipſe confeſſarius poſſit abſoluere cōplicem ſui delicti, puta fœminam cum qua concubuit, aut hominem cum quo furatus eſt. 61.405.1

Vtrum pœnitens propria authoritate ſibi pœnitentiam Sacramentaliter iniunctam poſſit commutare. 62.405.1

Vtrum confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam ab alio impoſitam. 63.405.2

Vtrum confeſſarius commutaturus pœnitentiam impoſitam pœnitenti ab alio priori confeſſario teneatur etiam iam confeſſa peccata iterum à pœnitente audire in confeſſione, 64. 406.1

Vtrum confeſſarius ſui pœnitentis à ſe impoſitam pœnitentiam commutare extra confeſſionale poſt longum tempus valeat, an verò ſtatim ſolum id queat facere. 65.406.2

Vtrum ad confeſſionis validitatem ſufficiat deteſtatio ſola peccati abſque actuali propoſito vitandi peccata in futurum. 66.407.1

Vtrum confeſſarius approbatus ab Epiſcop.eo mortuo poſſit ſuſpendi à capitulo, vel eius Vicario, vt iterum examinetur. 67. 307. 2

Communio Euchariſtica.

Quo iure, quo tempore, & quoties communionis Euchariſticę præceptum obliget fideles, & in qua ætate. 1.408.1

Vtrum infideles teneantur præcepto diuino de Euchariſtia ſumenda. 2.409.1

Vtrum qui communionem Euchariſticam ſumpſit ſex, vel octo dies antequam in periculum, vel articulum mortis incideret, teneatur iterum communicare, & an ſi in dicto articulo communicatus peccet mortaliter poſt communionem, teneatur iterum communicare. 3.409.2

Vtrum Reo damnato iam ad mortem teneatur Iudex concedere tempus Sacratiſſimam Euchariſtiam ſumendi, & an ſi iudice concedente aquam, & ſufficientem dilationem Reo ſe diſponēdi, & intra tempus noluerit ſe diſponere, poſſit Iudex eum ita indiſpoſitum morti dare. 4.410.1

Vtrum quis pluries eodem die, & an in qualibet horâ eiuſdem diei valeat licitè communicare. D.5.p.410.c.2

Vtrum qui manè celebrauit, vel communicauit, ſi eodem die incidat in articulum vel periculum mortis, poſſit non ieiunus communicare per viaticum, & an communicatus per viaticum, ſi ſit deinde per triduum, & amplius ſuperſtes poſſit non ieiunus communicare ex deuotione. 6.411.1

Vtrum in articulo mortis non potens deglutire particulam cōſecratam, poſſit in cocleari cum modico vino miniſtrari, vel ſaltem ei ſanguinem conſecratum loco panis conſecrati tradi. 7.412.1

Vtrum Sacerdos ac etiam laicus in articulo mortis conſtitutus ſi nullus adſit Sacerdos, poſſit à laico quocumq; communionem accipere, & nullo etiam laico exiſtente an poſſit proprijs manibus ſibi communionem Euchariſticam porrigere. 8. 412. 2

Vtrum in loco vbi ſunt plura Horologia, ſi inter cœnandum audiat communicaturus in mane alterum iſtorum pulſans horam mediæ noctis debeat cœnam ſuſpendere, an verò valeat proſequi quouſque alterum pulſet, quid ſi dubitet an illa hora pulſata fuerit mediæ noctis ſignum. 9.413.1

Vtrum ſi quis poſt mediam noctem reliquias ſibi inter dentes relictas vel paululum ligni, vnguis, Metalli, & ſimilium, aut os abluendo paululum aquę, aut iuſculum deguſtando incidenter deglutiat, aut quid aromaticum inter dentes, vel tabacum in folio maſticet, vel in fumo, aut puluere illud ſumat poſſit in mane communicare tanquam vere ieiunus. 10.413.2

Vtrum moribundo exiſtenti in naui intra mare, vel flumen poſſit in ipſa miſſa celebrari ad illum communicandum, ſi nullo modo extra nauim in terra firma valeat in tali neceſſitate celebrari. 11.415.2

Vtrum amentiam, & phreneſim patientibus in articulo mortis ſit danda ſacra Euchariſtia communio. 12.416.1

Vtrum abſente Parocho, ſi periculum ſit in mora, poſſit Regularis miniſtrare in articulo mortis ſacratiſſimam Communionem infirmo, & an ſuis familiaribus abſque licentia Parochi. 13.416.2

Vtrum liceat ab excommunicato denunciato ſi alius non adſit ſacerdos, Euchariſtiam ſumere in articulo mortis. 14. 417.1

Vtrum moribundo cum periculo vomitus ſit danda Euchariſtia, & an ſub ſpecie vini, ſi ex potatione non ſequatur vomitus. 15.417.2

Vtrum ſacerdos non ieiunus teneatur celebrare Miſſam ad communicandum infirmum in articulo mortis, quid ſi nulla eſſet particula alia conſecranda, poſſit ei pars hoſtiæ maioris à ſe conſecrata pro viatico dari. 16.418.1

Vtrum ſacerdos communicaturus ex deuotione, vel præcepto non valens celebrare debeat vti ſtola de collo pendente quando communicatur ab alio. 17.418.2

Vtrum qui ad limen coram Altari cum alijs communicaturus acceſſit, ſi recordetur alicuius peccati obliti teneatur recedere, & confeſſarium denuo adire, vt illud confiteatur. 18. 419. 1

Vtrum qui ex legitima cauſa communicauit non præmiſſa peccatorum mortalium confeſſione, teneatur quam primum ea peccata opportunitate data confiteri. 19. 419. 1

Vtrum ſacerdos pollicè, & indicè impeditus poſſit alijs digitis communionem licitè dare. 20.419.2

Vtrum ſi quis communionem annualem anticipet tertia Dominica Quadrageſimę vel proroget poſt ſecundam Paſcatis ſatisfaciat præcepto. 21.419.2

Confirmatio Sacramentum.

Quid ſit confirmatio, & à quo, & quando inſtituta fuerit. 1. 419.1

Vtrum confirmationis ſacramentum ſit ad ſalutem neceſſarium. 2.420.1

Vtrum infantes rationis vſu adhuc non capaces, & ad tempus,

vel

Digitized by Google

vel perpetuo amentes licitè confirmationis ſacramento inungi valeant. D. 3.p.421.c.1

Vtrum ad ſolum Epiſcopum pertineat miniſtrare Sacramentum confirmationis, ſacrumque chriſma conſecrari, vt nulli alteri poſſit nec à Papa vtrumque demandari. 4.421.2

Vtrum Epiſcopus non confirmatus poſſit confirmare, & an in ſua Diœceſi ſubditos alterius Epiſcopi, & ſuos in alterius Diœceſi valeat licitè, & an neceſſariò ieiunus, & in feſto, & an ſemper in loco ſacro confirmare. 5.422.1

Vtrum non confirmatus licitè abſque peccato ordinibus inſigniri valeat. 6.422.2

Vtrum ſi Epiſcopus aliquo inſtrumento, puta calamo, vel bombice inungeret frontem confirmandi, valide conferret confirmationis ſacramentum. 7.422.2

Vtrum balſamum in confirmatione ſit de neceſſitate ſacramenti, & in qua quantitate miſcendum cum oleo oliuarum. 8.423.2

Vtrum in ſacramento confirmationis vnus ſolum debeat eſſe Patrinus, & an iſte neceſſariò debeat eſſe confirmatus ad contrahendam cognationem ſpiritualem. 9.424.1

Confirmatio Actus. Pag.424.c.2.

Vtrum actus qui nullus eſſet de iure poſitiuo ſi confirmetur ex certa ſcientia Papa dicatur accipere validitatis robur. D.Vnica.424.2

Confraternitas.

Vtrum liceat confraternitates erigere, & quomodo, & quibus priuilegijs, & Indulgentijs gaudeant. 1.425.1

Vtrum ad proceſſiones vocatæ confraternitates ſi renuant, poſſint per cenſuras ad veniendum ab Epiſcopo compelli, & quomodo inter ſe præcedere debeant, & an ab Epiſcopo viſitandæ. 2.427.1

Coniuratio.

Quid ſit coniuratio, & an ſemper illicita, & quæ pœna male coniurantium. Vnica.427.2

Coniux.

An, & à quo coniuges benedicendi, & an ſemel benedicti denuo benedicendi, etiamſi matrimonium fuerit inualidum, quid ſi benedictio nuptiarum omittatur, vel ante ipſam matrimonium conſumetur peccatum mortale incurratur. 1.428.1

Vtrum quando alter coniux non ſuſcepit benedictionem tranſiens ad ſecundas nuptias poſſit benedici tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, & an traducens tali tempore ſolemniter vxorem, vel conſumans matrimonium iam contractum, dum eo tempore non poſſunt benedici, peccet mortaliter. 2.428.2

Vtrum intra bimeſtre datum à iure coniugi ad cogitandum de intranda Religione, ſi interim alter non cogitet, teneatur reddere debitum, & an ſi ex ui extorta copula à viro, ipſa inuito adhuc viro poſſit intra dictum tempus intrare Religionem. 3.429.1

Vtrum ſi alter coniux ingrediatur religionem, vel ad ſacros ordines promoueatur de conſenſu alterius ſit neceſſarium, vt alter etiam religionem profiteatur, vel ſaltem caſtitatem voueat. 4.429.2

Vtrum mulier, quæ contraxit matrimonium cum viro ſeniori, vel admodum debili non valenti rumpere ſignaculum virginitatis, teneatur pati inciſionem, ſi commode per obſtetricem fieri poſſet. 5.430.1

Vtrum coniux infidelis volens poſt baptiſmum contrahere cum fideli debeat requirere conſenſum alterius coniugis infidelis habitantis in longinquis partibus. 6.430.2

Vtrum coniux teneatur alteri coniugi credere ſi fictè conſenſiſſe contractus matrimonij inter ſeſe inito, & conſequenter eſſe inualidum, quid ſi ab vno ſaltem teſte fide digno moneatur de impedimento dirimente debeat credere. Difficult. 7.pag.431. col.1

Vtrum coniugibus, qui in nocte præcedenti vſi ſunt matrimonio poſſit licitè ſuadere, vt in mane ſequenti ſacratiſſima reficiantur communione. 8.431.1

Vtrum coniuges contrahentes matrimonium in peccato mortali dupliciter peccent, & tanquam ſuſceptores, & tanquam miniſtri, & quænam ſint conditiones ad meritoriè conſumandum matrimonium. 9.431.2

Vtrum non ſeruans modum debitum reuerentiæ matrimonialis puta copulam habendo præpoſterè in vaſe naturali ſupergrediendo à fœmina, & à viro ſuccumbendo, vel ſtando, vel ſedendo, vel incipiendo in vaſe præpoſtero, & conſumendo in naturali peccet mortaliter, vel ſaltem venialiter. 10.432.1

Vtrum coniux poſt conſumatum matrimonium erigat ſe, vel mingat, vt ſemen effundat, vel emittentes in fine copulæ ſemen extra vas, ne generatio ſequatur peccet mortaliter. 11.432.2

Vtrum liceat viro accedere ad menſtruatam, vel prægnantem cum periculo abortus abſque ſcrupulo mortalis. 12.432.2

Vtrum ſit neceſſe coniuges in actu copulæ ſimul ſemen emittere, vel ſaltem vnus alterum expectare debeat, & ſi alter ſe retraxerit à copula, poſſit alter, qui non ſeminauit, ſemen extra vas effundendum curare, & ſi effundat extra vas vtrum ſit circumſtantia à coniugibus explicanda in confeſſione. 13.433.1

Vtrum coniux ſenex, vel infirmus, vel quia pauper, ne filios generet, quos non valeret alere, poſſit ſine peccato incipere copulam cum vxore in vaſe legitimo, & inde ſe retrahere, & non effundere, & an ſi propter debilitatem ſoleat extra vas effundere, liceat adhuc ei copulam coniugalem exercere. 14.433.2

Vtrum coniux abſente altero poſſit carnes ſuas ad voluptatem captandam tangere, vel moroſam delectationem habere de copula habita vt præſente ſine periculo tamen pollutionis valeat ſine peccato. 15.434.1

Vtrum coniuges vtentes copula ſimpliciter vel cauſa voluptatis, vel cauſa valetudinis capeſcendæ, vel ad vitandam fornicationem præciſa omni intentione generationis faciendæ, excuſentur à mortali, vel veniali. 16.434.2

Vtrum coniuges ſeſe oſculantes, vel libidinosè ſeſe in partibus pudendis tangentes propter ſolam voluptatem abſque ordine ad copulam, ſi abſit periculum pollutionis, peccent mortaliter, quid ſi adſit ſaltem periculum diſtillationis. 17.435.1

Vtrum coniux teneatur ſtatim reddere debitum petenti, & an raro negans peccet ſi ſemel, aut bis non reddat, quid ſi neget debitum beneuolè, & amicè petenti idest non ex iuſtitia peccet mortaliter. 18.435.2

Vtrum alter coniux peccet mortaliter, ſi actibus licitis puta Ieiunijs, & vitæ aſperitatibus ſiue actibus illicitis puta frequentibus adulterijs, & conſimilibus ſe reddat impotentem ad reddendum debitum, & an teneatur frangere ieiunium, ſi propter hoc reddatur impotens ad reddendum debitum. 19.436.1

Vtrum coniux propter periculum incurrendæ infirmitatis excuſetur à reddendo debito, quid ſi tempore incongruo ſcilicet immediatè poſt prandium, vel cœnam, aut immediatè poſtquam ſanguinem emiſit etiam in ſanitate de Medicorum conſilio, & an cum periculo infirmitatis teneatur ad alterius incontinentiæ periculum tollendum. 20.436.2

Vtrum coniux ſanus teneatur reddere debitum alteri leproſo, vel morbo gallico infecto, & an menſtruata coniugi petenti. 21.437.1

Vtrum coniugi ebrio, vel curioſo tempore ebrietatis, & furoris teneatur alter reddere debitum, & an lactans ſuam ſobolem viro petenti copulam obligetur concedere, quid ſi vxor non poſſet viuos parere filios, quos concepit. 22.438.1

Vtrum coniuges communi conſenſu paciſcentes de non petendo, & reddendo debito, ne filij procreentur ob carentiam alimentorum teneantur tamen in caſu incontinentiæ vitandæ ſibi inuicem reddere. D.23 p.438.c.2

Vtrum affinitas, vel cognatio ſpiritualis cum altero coniuge ſuperueniens poſt conſummatum matrimonium æque impediat petitionem debiti, ſi ſcienter, ac ſi ignoranter coactè, vel ex neceſſitate fuerit contracta. 24.438.2

Vtrum coniux teneatur alteri petenti illicitè mortaliter, vel venialiter reddere debitum ſub mortali. 25.439.2

Vtrum voto ſimplici caſtitatis adſtrictus poſſit licitè petere debitum, & alter licitè reddere teneatur ſub mortali ſi conſenſerit voto alterius, & quid ſi vterque vouerit caſtitatem de communi conſenſu, an alteri petenti poſſit licitè debitum reddere. 26.440.1

Vtrum coniux dubitans de ipſius validitate poſſit licitè petere, & reddere debitum, quod ſi opinari incipiat de eius inualiditate. 27.441.1

Vtrum coniux certo moraliter ſciens impedimentum dirimens valeat reddere debitum ignoranti illud, & bona fide contrahenti ſi adſit periculum vitæ, vel ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis, vt reddat, & quid in tali caſu conſulendum. 28.441.2

Vtrum coniux quæ cum impedimento dirimente contraxit intra tempus, in quo diſpenſationem petit, alteri coniugi talis impedimenti ignaro debitum petenti licitè reddere valeat. 29.442.2

Vtrum coniux impedimenti dirimentis conſcius poſt obtentam diſpenſationem debeat nouum conſenſum extorquere ad validandum matrimonium. 30.443.2

Vtrum vxor teneatur habitationem viri ſequi, & ſi pactum adſit ante matrimonij celebrationem de non transferendo eam extra ſuam patriam teneatur vir ſtare promiſſis: quid ſi maritus ſit vagabundus. 31.443.2

Vtrum in loco ſacro liceat aliquando coniugibus copula maritali vti & an in die feſto, Quadrageſima, & Aduentu. 32.444.1

Conſcientia.

Quid, & quotuplex ſit conſcientia, & quomodo differat à ſynderesi, & ſcrupulo. 1.444.1

Vtrum habens conſcientiam erroneam inuincibilem de aliquo præcepto diuino, vel poſitiuo, & cum hac conſcientia operans circa alterutrum excuſetur a mortali. 2.445.1

Vtrum conſcientia erronea dictāte bonum eſſe malum, vel malum eſſe bonum peccet non operans iuxta ipſam. 3.446.2

Vtrum habens conſcientiam erroneam de aliquo confuse apprehenſo ſit ne mortale, an veniale peccet ſolum venialiter ſecundum eam operans, quid ſi vtramque partem contradictionis erronee putet mortalem peccet mortaliter alterutram complectens, & an deponi poſſit abſque fundamento aliquo conſcientia erronea. 4.447.1

Vtrum habens conſcientiam erroneam, quod actus quem libere non exercet, nec poteſt libere exercere, ſit peccaminoſus, peccet adhuc mortaliter ſi illum exerceat, & ab iſto abſtineat. 5.447.2

Vtrum habens conſcientiam inuincibiliter erroneam de aliqua re, iuſſus à ſuperiore contrarium facere, teneatur abſque peccato obedire. 6.447.2

Conſecratio Eccleſiæ.

A quo Eccleſia conſecranda, & quo tempore, ſi polluta à quo reconcilianda, & in quibus caſibus reconſecranda. 1.448.1

In quot, & quibus caſibus dicatur Eccleſia polluta, & an per quamcumque delicti notitiam reputanda ſit polluta. 2.449.1

Vtrum per quantamcumque, & qualemcumque etiam per nares pugno, vel alapa factam ſanguinis effuſionem extra Eccleſiam cenſenda ſit polluta, & neceſſario reconcilianda. Difficult.3.pag.449.c.2.

Vtrum per quodcumque genus homicidij in Eccleſia factum ipſa polluatur, quid ſi ſacculo arena contuſus ſine ſanguinis effuſione, vel veneno cibatus in ipſa moriatur, deinde extra Eccleſiam cenſenda ſit adhuc polluta. 4.450.1

Vtrum vulneratus in Eccleſia, & immediatè extra eam fugiens abſque eo, quod nec ſtillam ſanguinis in Eccleſia emittat ſit dicenda tamen Eccleſia polluta. 5.451.2

Vtrum ſi cathecumenus, vel infans filius fidelis antequam baptizetur ſi in Eccleſia ſepeliantur remaneat polluta, & quid agendum per humationem excommunicati vel infidelis in Eccleſia antequam reconcilietur. 6.451.2

Vtrum quæcumque ſeminis effuſio etiam coniugalis reddat Eccleſiam pollutam, quid ſi ſolum ſit occulta. 7.451.2

Vtrum ſi effuſio ſanguinis, vel ſeminis fiat in porta, Atrio, cæmiterio, ſacriſtia, choro, vel campanili Eccleſia cenſenda ſit polluta, & an celebrans in Eccleſia polluta pœnam aliquam incurrat. 8.452.1

Conſenſus.

Quid, & quotuplex conſenſus, qualiter, & quando præſtandus ſit per modum ſimplicis complacentiæ, vel authoritatis, vel conſilij vel pro ſolemnitate, vel pro forma actus, vel contractus iubeatur à iure. 1.453.1

Quomodo, & in quibus caſibus ſit vera illa Regula, qui tacet, conſentire videtur. 2.454.1

Conſeruatores.

Quid, quotuplex ſit conſeruator, & qua dignitate præditus, an ſubdelegare valeat, & quando nominandus, & an etiam ſæcularis pro Eccleſiaſticis eligendus. 1.454.1

Vtrum quilibet Regularis poſſit conueniri coram ordinario, ſi intra præſcriptum tempus à Gregor. XV. non nominauerit conſeruatorem iudicem pro ſuis cauſis paſſiuis. 2.455.2

Vtrum conſeruator electus teneatur huiuſmodi onus acceptare, & an emolumenta aliqua pro eo exercendo accipere valeat, & quanto tempore in ipſo perduret, & iuxta libitum valeat amoueri, & continuari. 3.456.2

Vtrum conſeruatores valeant indifferenter ſua authoritate procedere in omni cauſa in quo Regulares actores ſunt, vel Rei ſiue pro locis ſiue pro famulis, ſiue pro animalibus in caſu manifeſtæ iniuriæ, & violentiæ. 4.457.2

Vtrum conſeruatores etiam extra propriam Diœceſim per cenſuras, & alia facti remedia poſſit contra quoslibet quacumque dignitate fulgentes, etiam ſi forent Regulares exempti iniurias, & violentias manifeſtas Regularibus inferentes procedere. 5.458.1

Conſilium.

Quid ſit conſilium, an petendum, quid ſi mandetur peti, actus ne ſit validus, ſi ſpernatur, vel omittatur. 1.459.1

Vtrum conſulens aliquod in damnum alterius teneatur ad reſtitutionem? quid ſi dubitet an ex conſilio ſuo fuerit damnum, vel ſolum accelerauerit paratum ad damnificandum ſuo conſilio. 2.459.2

Vtrum conſilium datum de damno inferendo ſi quis reuocare conatus fuerit, & tamen damnum ſecutum fuerit, teneatur conſulens adhuc ad reſtitutionem, an ſaltem teneatur admonere eum, qui paſſurus eſt damnum. 3.461.1

Vtrum liceat parato maius malum facere conſulere, vt minus malum faciat, quid ſi parato minus malum facere conſulat maius. 4.462.1

Vtrum conſulens delictum, aut aliquod indifferens, ex quo damna euenirent conſulto, teneatur illi ea reficere, quid ſi conſulat ex officio, vt conſiliarius aduocatus, medicus, Theologus, & confeſſor, an de omni culpa teneatur. 5.463.1

Digitized by Google

Vtrum Theologus, aut Confeſſarius poſſit in vtilitatem penitentis, vel Conſilium petentis opinionem probabilem conſulere contra propriam opinionem forte magis probabilem illi immediatè contrariam. D.6.p.464.c.1

Conſiliarij.

Vtrum Conſiliarij in parlamentis pro imponendis gabellis, & alijs oneribus poſſint relicta opinione probabili negatiua ſequi affirmatiuam probabilem. 1.464.1

Quenam ſint cauſæ ex quibus Conſiliarij deducere debent probabilitatem imponendi gabellas, & onera vaſſallis, ſeu vetera augendi. 2.465.1

Vtrum Conſiliarij Parlamentarij poſſint mittere Procuratores ad comitia, vt ſuo nomine ſuffragentur, & an hi poſſint alterum ſuſtinere ſi iniuſtitiam præuideant, quod ſi etiam Procurator fuerit Parlamentarius poſſit dare duo vota diuerſa, & quonam loco ſedere debeat in proprio ne, an in Procurantis ſi ſit huius vt dignior locus. 3.465.2

Vtrum Conſiliarius certus de iniuſta impoſitione concludenda poſſit non accedere ad comitia, & an ſi primum, vel vltimum cum tali certitudine tulerit ſuffragium, vel ſi dubitet ad eum efficaciter concurriſſe ſuo ſuffragio teneatur ad reſtitutionem. 4.466.1

Vtrum Conſiliarius qui contrarium votum tulit debeat ſe ſubſcribere determinationi contrariæ factæ à maiori parte Comitiorum. 5.466.2

Vtrum Conſiliarij tacere debeant ea, quę à Principe ſecreto ſunt Commiſſa pro aliquo futuro tempore, & an ſi à Confeſſario de re in confeſſione audita conſulantur teneantur ſub ſigillo confeſſionis ea reticere. 6.467.1

Vtrum Conſiliarij, Camerarij, Senatores, Conſules, ſeu Syndici vulgo di Regimento, & alij ad quos ſpectat prouiſio frumentorum teneantur ad ea prouidenda tempore quo vilius emuntur, & an vilius reuendere poſſint, quàm ea emerunt. 7.467.1

Vtrum Conſiliarij, Senatores, & ceteri ad quos ſpectat electio officialium ſuæ Ciuitatis peccent mortaliter, ſi prætermiſſis dignioribus eligant dignos, & teneantur ad reſtitutionem. 8.467.2

Conſuetudo.

Quid, & quotuplex ſit conſuetudo, & quenam eius conditiones. 1.467.2

Quenam dicatur Conſuetudo rationabiliter introducta, & à quo talis iudicanda, & qualis in dubio præſumenda. 2.468.1

Vtrum actus requiſiti ad introducendam conſuetudinem debeant eſſe ſine errore eliciti, & omnino voluntarij, & an à malitia alieni. 3.468.2

Vtrum Conſuetudinem introducentes contra legem peccent ſolùm in primo actu, an verò in ſingulis actibus vſque ad completam, & iam legitimè præſcriptam conſuetudinem. 4.469.1

Vtrum actus neceſſarij ad introducendam conſuetudinem debeant elici cum animo inducendi obligationem, & quomodo cognoſcatur an ſit obligatiua conſuetudo, quid ſi dubitetur an ſit introducta vt obligatiua. 5.469.2

Vtrum ad firmandam conſuetudinem ſit neceſſarius conſenſus expreſſus Principis, an ſaltem tacitus. 6.470.1

Ad quos ſpectet præcipuè introducere conſuetudinem legitimam habentem vim legis, quas perſonas liget, & an extendenda de loco ad locum. 7.471.1

Vtrum conſuetudo laicorum poſſit obligare Clericos, & Eccleſiaſticos. 8.471.2

Quanto tempore dicatur conſuetudo legitimè præſcripta tam inter præſentes, quàm inter abſentes, & quoto actu interrumpatur tam præſcripta, quam non præſcripta. Diffic.9. pag.472.col.1

Vtrum præſcriptio in conſuetudine requiratur etiam in foro conſcientiæ, quid ſi abſque præſcriptione adſit Principis conniuentia, vel populi conſenſus. 10.473.1

Quot actuum frequentia requiratur ad firmandam legitimam conſuetudinem. 11.473.1

Vtrum conſuetudo tollat legem contrariam maximè, cum adſit derogatoria conſuetudinis, & vtrum intelligenda de futuro, an præterita ſi derogatoria ſit generalis. 12.474.1

Vtrum conſuetudo immemorabilis cenſeatur derogata per clauſulam generalem reuocantem conſuetudines quaslibet. 13.475.1

Vtrum non vſus poſſit introducere conſuetudinem, quid ſi vbi vſus, vel conſuetudo ſit vniuerſalis, attendenda ſit particularis loci. 14.475.1

Vtrum per legem ſequentem abrogetur conſuetudo antecedens, quid ſi ſubſequatur alia conſuetudo priori conſuetudini contrariam, & quid ſentiendum in conſuetudine Eccleſiaſtica in tali caſu. 15.475.2

Vtrum conſuetudo habeat vim interpretandi leges, ſtatuta, priuilegia, & indulgentias. 16.476.1

Vtrum conſuetudo introduci poſſit contra legem diuinam, vel poſitiuam quoad tollendam excommunicationem, vel labem Symoniæ. 17.476.2

Vtrum conſuetudo poſſit abrogare pęnam legis manente obligatione legis, & e contra valeat obligare legem manente obligatione pęnę. 18.477.1

Vtrum ex actibus meræ facultatis introducatur conſuetudo, poſſitque introduci, vt contra voluntatem propria bona eripiantur. 19.477.2

Vtrum in omni pacto intelligatur actum, quod eſt conſuetum, & an in negotijs attendenda ſit conſuetudo locorum, & in iudicio conſuetudo perſonarum. 20.477.2

An in materia præcedentiæ, & numeri Teſtium in Teſtamento attendenda ſit loci conſuetudo, quid ſi Doctor alleget conſuetudinem loci, ſit ei credendum. 21.478.1

Vtrum conſuetudo portandi pectus, & vbera nudata à mulieribus in aliqua Patria recenter de nouo introducta ſit peccaminoſa, & ſub mortali tam à Superiore Eccleſiaſtico, quàm ſeculari extirpanda. 22.478.2

Vtrum antiqua conſuetudo fęminarum portantium publicè pectus, & vbera nudata poſſit ſub aliquo licito prætextu excuſari à mortali, & à Superioribus ſine ſcrupulo tolerari. 23.481.1

Vtrum conſuetudo antiqua, vel noua fęminarum portantium vbera, & pectus nudatum in aliqua Patria excuſari à mortali, & tolerari valeat ratione paruitatis materiæ, vel ſimplicitatis, & ignorantiæ. 24.481.2

Vtrum conſuetudo poſſit legitimè præſcribi contra præcepta ex vi Regulæ obligantia ſub mortali excuſans à culpa inobſeruantes. 25.482.1

Vtrum profeſſi aliquam Regulam iam conſuetudine antiqua relaxatam teneantur ſub mortali ad illam ſeruandam prout in ſuo primæuo rigore inſtitutam, & an tuta conſcientia eam in antiquo rigore ſeruantes in tali ordine, vel Conuentu cum inobſeruantibus conuiuere valeant. 26.482.2

Vtrum profeſſi Regulam conſuetudine legitimè iam præſcripta relaxatam contra perfectionalia Regulæ poſſint ad Reformationem cogi à Summo Pontifice, & ceteris Superioribus ordinis, ita vt ſub mortali teneantur viuere iuxta antiquum Regulæ rigorem. 26.482.2

Contemptus.

Quid, & quotuplex, & quando ſit peccatum mortale, vel veniale contemptus. D.vnic.483.1

Con-

Contentio.

Quid, quotuplex, & quando ſit peccatum contentio. D.vnica. pag.492.c.1

Continuum.

Quid ſit continuum, & quomodo differat à contiguo. D.vnica. 492.2

Contractus.

Quid, & quotuplex ſit contractus. 1.492.2
Vtrum quilibet dolus, error, & metus contractum annullet, quid ſi deceptus deſiſtere n.litâ contractu, teneatur adhuc decipiens ſtare. 2.494.1
Vtrum contractus celebrati abſque iuris ſolemnitate ſint validi. 3.495.2
Quęnam conditiones requirantur ad iuſtitiam contractus tàm proprie quàm impropriè dicti. Diffic.4.pag.496.col.1
Quęnam requirantur ad iuſtitiam contractus dandi credito, vulgo, in credenza, frumenta olea, & ſimilia, vbi errores aliquorum negotiantium aperiuntur. Difficul.5.pag.497.col.1
Vtrum contractus credito dandi frumenta tempore quo minoris valent, vt ſoluantur tempore, quo pluris venduntur poſſit aliqua condistione licitus fieri. Difficult.6.pag.498.col.2
Ad quod genus contractus reducatur traditio frumentorum in credito, vulgo detto, in credenzare, & an tradens frumenta tempore Autumni ſoluenda tempore Maij poſſit obligare accipientem, vt frumentum iuxta pretium menſe Maij ſtatutum in menſe Auguſti ſibi reddat. 7.499.1
Vtrum qui in menſe Auguſti non potuit reddere viginti ſarcinas frumenti decem ſcilicet pro capitali, & decem pro lucro poſſit creditor iterato contractu credentię relinquere illas viginti ſoluendam ab eodem currenti menſe Maij ſequentis. 8.499.2
Vtrum credito, ſiue expectata pecunia res aliqua pluris etiam vltra rigoroſam vendi licitè poſſit, quam numerata pecunia, & è contra quid dicendum de anticipata ſolutione minori. 9.500.2
Vtrum contractus, quo quis dat Mercatori mille aureos, vt ſaluo capitali in ſingulos annos reddat ſibi quinque aureos pro quolibet centenario, ſit licitus. Difficult.10.pag.501.col.2
Vtrum contractum vſurarium celebrans bona fide, quem ſi ſciuiſſet illicitum nullo modo celebraſſet, liberetur ab onere reſtituendi totum lucrum. Difficultas 11. pagina 502.col.1
Vtrum contractus quo Chyrographum immaturi crediti minori pretio ſoluto extinguuntur, ſit licitus. Diffic.12.pag.502.col.1
Vtrum contractus vulgo, lotto, o Beneficiata, & qui vulgo dicitur à godere, à godere liciti ſint. 13.502.2

Contritio.

Quid ſit contritio, quid Attritio, & quotuplex. D.1.503.2
Quomodo Attritio vera euadat Contritio formata, & perfecta, & an ex puris naturalibus poſſit haberi attritio talis, quę poſſit fieri contritio formata. Difficult.2.pag.504.col.2
Vtrum Attritio ex puris naturalibus poſſit fieri contritio formata. Diffic.3.pag.505.c.1
Vtrum ſufficiat ad Sacramentum pęnitentię validè ſuſcipiendum attritio cum ſolo propoſito virtuali vitandi peccatum, & quid dicendum de attritione implicita, ideſt ſola voluntas ſuſcipiendi Sacramentum, & quid deputata, & actu quo dolet ſe non habere attritionem ſufficientem de ſuis peccatis. 4.506.1
Vtrum contritio propriè accepta ſit neceſſaria neceſſitate medij in lege noua, ita vt iuſtificatus ex formali dilectione Dei teneatur ſuorum peccatorum actualem contritionem elicere. Diffic.5.pag.507.col.1
Vtrum contritio ſit neceſſaria homini viatori neceſſitate pręcepti, & quo iure, & in quibus caſibus. Difficult.6.pag.507.col.2
Vtrum fidelis teneatur quandocumque peccata commiſſa in mentem venerint, de eis actum contritionis elicere. 7.508.1
Vtrum contritionis actus neceſſario ſit eliciendus circa ſingula peccata, quę in mentem venerunt, & an ſi de vno inter cetera, quorum non potuit haberi memoria, habeatur contritio, cetera oblita deleantur, & quid de venialibus an deleantur deletis mortalibus per contritionem ſi ſpecialiter non deteſtentur. 8.509.2
Vtrum contritio ad hoc, vt formata, & perfecta dicatur requirat in actu deteſtandi peccatum, doloris intenſionem in aliquo gradu ſoli Deo cognitam, & certam etiam durationis menſuram. 9.510.1
Vtrum deteſtans appreciatiuè peccatum ſuper omne deteſtabile teneatur ſpecialiter velle potius ſe, vel vitam, vel filios, vel aliud temporale ſibi iucundius amiſiſſe, vel amittere, quam Deum offendiſſe, vel offendere, & an magis dolere debeo de grauiori, quàm de leuiori peccato. 10.511.2
Vtrum propoſitum vitandi peccatum de cetero ſufficiat in actu contritionis ſi ſolum foret implicitum, & an in tali propoſito debeat implicari fides ſe amplius non peccaturum. 11.512.1
Vtrum Deus poſſit peccatorem abſque prauia ſuorum contritione peccatorum ſaluare, & an id neceſſariò per gratię infuſionem. 12.512.2
Vtrum peccator ſtatim, atque peccauit teneatur contritionis actum elicere. 13.513.1

Contumacia.

Quid, & quotuplex ſit Contumacia, & an à Rebellione differat. D.vnic.513.2

Contumelia, Conuicium.

Quid ſit Contumelia, quid Conuicium, quomodo inter ſe differunt; & an ſit peccatum mortale, quid ſi per Eutropeliam, vel ex leuitate, & an petenda venia. Difficult.1.pag.514.col.1
Vtrum Contumelia ſuſtinere teneatur fidelis, & in quibus caſibus, & quando teneatur eas repellere. Difficult.2.pag.515.col.1

Chorea.

Quid ſit Chorea, an quomodo, & quo tempore, & loco ſine peccato licitè exerceri valeat. Difficultas 1.pag.515.col.1
Vtrum Clericus Choreas ducens peccet mortaliter, quid ſi ſolum priuatim in ſua domo cum ſuis conſanguineis recreationis cauſa incurret excommunicationem poſitam à ſuo ordinario contra Choreas ducentes. Difficult.2.pag.516.col.1

Vtrum

Vtrum inſpectio Chorearum, & ſimilium ſpectaculorum ad prophanitatem accedentium prohibenda ſit ſub mortali etiam ad ea inuitatis ex quadam vrbanitate vel curioſitate præciſo euidenti periculo mortali accedentibus. Diffic.3.pag.516.col.1

Correctio.

Quid ſit Correctio, quomodo, & de quo peccato facienda, & an modum excedens teneatur petere veniam, quid ſi eam faciat in mortali peccet. Difficultas 1. pag. 517. col. 1

Vtrum Prælati teneantur inquirere peccata ſubditorum, vt ea corrigant, & emendent. Difficultas 2. pagina 518. col. 1.

Correptio fraterna.

Quid, & qualis debeat eſſe correptio fraterna. Diffic. 1. p.519.c.1

Cuius virtutis actus ſit Correptio fraterna, & an ſit præceptum de iure non ſolùm diuino, ſed etiam naturali obligans quoſcumque etiam infideles, & facta ne ex malo motiuo ſatisfaciat præcepto. Difficul.2. pagina 519. col. 2

Vtrum non ſolùm maior minori, & æqualis æquali teneatur de peccato facere correptionem, ſed etiam minor maiori puta filius Patri, & ſubditus ſuo ſuperiori de certo eorum peccato. Difficultas 3. pagina 520. columna 1.

Vtrum correptio de veniali facienda obliget ſub mortali, & an de omni veniali ſaltem ſub veniali ſit facienda. Diffic. 4.pag.520.col.2

Vtrum Prælati, Magiſtratus, Prædicatores, & Confeſſores omittentes facere correptionem de mortali peccent contra Iuſtitiam. 5.521.1

Vtrum de peccato præterito iam exiſtente in habitu, vel reatu ſit correptio facienda ſub mortali. Diffic.6. pag.522. col.1

Vtrum adſit obligatio facienda correptionis de illo peccato, quod patrans neſcit eſſe peccatum. Difficul.7. pagina 522. col.2

Vtrum adſit obligatio facienda correptionis, quando dubitatur an ſit profutura, an nocitura, quid ſi credatur alia ratione, quàm per correctionem ſecutura peccati emendatio. D.8.p.523.c.1

Vtrum facienda correptio ei, cui in principio nocitura, profutura tamen poſtea dignoſcitur, & an ei, qui ex correptione peiores futurus, attamen damno tertij, & bono publico ex tali correctione conſulitur. Difficult. 9. pagina 523. col.2

Vtrum correptio ſtatim poſt peccatum factum adhibenda, & an aliquando differenda, & permittendum peccatum eo fine, vt ex hoc ſuam miſeriam recognoſcens feruentius reſurgat. D.10.p.524.c.1

Vtrum correptionis præceptum obliget fidelem cum proprij damni & incommodi probabili periculo. Diffic.11. pag. 524.c.2

Vtrum adſit obligatio ſub mortali faciendi correptionem peccatoribus publicis permiſſis puta meretricibus, vſurarijs, & huiuſmodi. D.12.p.525.c.2

Vtrum correptionis faciendæ modus Matth.18. à Chriſto Domino datus ſemper obliget ſub mortali etiam in publicis peccatis. D.13.p.525.c.2

Vtrum contra ordinem Euangelicum præfatum omitti valeat correptio fraterna facienda de peccato occulto alicuius Religioſi ſi ex immediata denunciatione talis peccati apud ſuum Prælatum ſperetur tutius emendatio. Diffic.14. pag. 527.c.1

Vtrum occultum crimen Religioſi iam emendatum, de quo tamen timetur recidiuum poſſit Prælato denunciari ſi ab ipſo ſperetur efficax remedium ſalutis proximi, & an idem poſſit reſpectiuè ſuperior localis. Diffic. 18. pagina 528.col.1

Vtrum Prælatus delictum occultum Religioſi delatum ſibi tanquam Patri loco correctionis fraternæ poſſit deinde iudicialiter inquirere, vt illum de tali peccato iuridicè puniat. D.16.p.528.c.2

An delictum occultum in damnum notabile proximi ſi periculum non ſit in mora, & interim ſperetur emendatio peccet contra iuſtitiam ſi quis prætermiſſa correptione fraterna deferat Prælato tanquam Patri. Diffic. 12. pagina 529.col.1

Vtrum ſi prius non fuerit facta correptio fraterna de peccato fratris debeat Iudex de eodem admittere denunciationem, vel accuſationem in foro fori. Difficul. 18. pagina 529.col.2

Vtrum ex vi denunciationis Euangelicæ poſſit Iudex trahere delinquentem taliter denunciatum ad iudicium in foro fori. D.19 p.530.1

Vtrum ſemper facienda ſit correptio fraterna coram Teſtibus, antequam delictum non emendatum per correptionem Prælato deferatur. D.20.p.530.c.2

Vtrum inter Religioſos poſſit licitè practicari, quod peccata carnalia occulta denuncientur ſuperiori nulla prius præmiſſa correptione fraterna, & an idem dicendum de hæreſis crimine. D.21.p.531.c.1

Vtrum dentur caſus in quibus correptio fraterna non obligat ſub mortali. D.22.p.531.c.2

Vtrum Confeſſarius valeat complicem delicti in Confeſſione actu interrogare, adhoc vt ei poſſit correptionem facere, & pœnitens teneat Confeſſario interroganti reſpondere. D.23. p.532.c.2

Credere.

Credere cui quis liceat, & credulitas an aliquando excuſet à culpa. D.vnic.p.533.c.1

Creditor.

Quotuplex ſit creditor, & an prius poſſit incerto aliquando reſtitui, quàm certo creditori. Difficultas 1. pagina 533. col. 2

Vtrum creditori cuius res extat apud Emptorem quàm ceteris, & an prius creditori ex contractu, quàm creditori ex delicto ſoluendum; quid ſi creditoribus ſoluatur iuxta morem patriæ, eiuſque leges ſpeciales. Difficult.2. pagina 534. col.1

Vtrum prius ſatisfaciendum creditoribus realibus habentibus hipothecam, vel pignus, quàm perſonalibus creditoribus non habentibus nec hipothecam, vel pignus, & inter ipſos cui primum. D.3.p.534.c.2

Vtrum creditoribus perſonalibus non habentibus hipothecam ſit prius ſatisfaciendum anterioribus, & an iſtis ex hipotheca anterioribus ſit ſemper prius ſoluendum, quàm ceteris non habentibus hipothecam, & quid dicendum de creditoribus ex contractu oneroſo, & gratioſo. Diffic.4. pag. 535. col.1

Vtrum creditori perſonali poſteriori diligentiori in petendo, vel pauperiori ex compaſſione, vel alteri poſteriori ex ſua beneuolentia licitè prius, quàm anterioribus alijs ſoluat debitor ſciens non poſſe ſe æquè omnibus ſatisfacere. Diffic.5. p.535.c.2

Vtrum ſciens debitorem impotentem ſoluere ſingulis ſuis creditoribus, ſi accipiat aliquid ab eo contractu oneroſo puta per emptionem, vel gratuitò puta per donationem, peccet, & creditoribus reſtituere teneatur, quid ſi neſciat in fran-

fraudem eſſe creditorum? Difficultas 6. pagina 536. col. 1

Vtrum debitor impotens de ſuis bonis ſatisfacere creditoribus, ſi renuit hæreditatem; vel legatum acceptare in fraudem creditorum peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur. D.7.p.536.c.2

Culpa.

Quid, & quotuplex ſit culpa. Difficult. 1. pagina 536. col. 2

In quo contractu, vel caſu quis teneatur, vel de lata, vel de leui, vel de leuiſſima. Difficultas 2. pagina 537. col. 1

Vtrum obligati reſtituere ex leui, vel leuiſſima culpa teneantur ſatisfacere ante Iudicis ſententiam. Difficul.3.pag.538. col. 1

Curioſitas.

Quid, & quotuplex ſit Curioſitas, & an, & quomodo peccatum. D.vnic.p.538.c.1

Cuſtos.

Vtrum Cuſtos permittens aliquem exire à domo, quam cuſtodit, teneatur ad damna, quæ facit extra ipſam, & quid de cuſtodibus animalium à lupis occiſorum an teneatur ad damnum. D.1.p.539.c.1

Vtrum Cuſtodes montium, ſyluarum, nemorum, fluminum, lacuumque reſeruatorum teneantur in eis delinquentes denunciare, quod ſi non denunciant, an teneantur ſoluere pœnam, ad quam tenebantur delinquentes, & quid dicendum de dono dato, & accepto, ne denuncient. Diffic.2.pag. 539.col.2

F I N I S.

NOMINA QVORVNDAM AVTHORVM,

Qui in hoc Opere citantur, non ita facilè apud alios inueniuntur, ideò vt legentibus fiat ſatis, hic diſtinctè præponenda curaui; ſunt autem ſequentia.

SAnctus Petrus Cœleſtinus Papa V. Illuſtriſsimæ Cœleſtinorum Congregationis Inſtitutor, qui Summam Caſuum Conſcientiæ breuem, ſed ſatis eruditam, & opuſcula moralia antequam ad Summum Pontificatum eueheretur, compoſuit; vide infra V. A, Difficultate prima, quomodo inuenta, & typis nuper edita.

Iacobus Vngarellus Minorita Canoniſta excellentiſsimus, qui Additiones valdè doctrinales ſuper textum Summæ Angelicæ edidit, quas potius ſcholia vocare libuit, quia per modum commentus apponuntur.

Guillelmus Vvorrillong Minorita vnus ex ſubtiliſsimi Doctoris Diſcipulis, qui in quatuor libros Sententiarum ſcripſit.

Franciſcus de Mayronibus Minorita ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum.

Beatus Ioannes de Capiſtrano Minorita, qui multa edidit opera, & præcipuè citatur in hoc Codice libellus, quem ſcripſit de ſanguine Chriſti pro ſententia B. Iacobi de Marchia tuenda.

Phi-

Philippus Faber Fauentinus Minorita, qui ſcripſit ſatis luculenter in Scoti ferè vniuerſa doctrina.

Angelus Vulpes Minorita, qui Scoti doctrinam in Summam reduxit.

Ioannes Baptiſta à Monza Minorita, qui ſuper Regulam D. Patris Franciſci ſcripſit.

Illuminatus Moronus Minorita, qui centum reſponſa centum celebrioribus quæſitis librum continentem compoſuit.

Sanctorus à Melfi Minorita, qui inter alia volumina Morales ſuper Ordinis Decreta, & Conſtitutiones edidit.

Cęterorum Authorum nomina in hoc Opere citata habes etiam apud alios, & præcipuè apud doctiſsimum Dianam, cuius intellectum ſicut puto omnium Caſuum Conſcientiæ deciſionum promptiſsimum ταμεῖον, ita etiam eius opera omnium Doctorum veterum, ſed per quam maximè recentiorum, vniuerſalem dixerim Bibliothecam.

SERA.

Digitized by Google

SERAPHICA THEOLOGIÆ MORALIS POLYANTHEA.

A, Latinè, Grçcè, αλφα, quatenus littera vocalis eſt, nihil ad præſens noſtrum inſtitutum, quia verò apud antiquos littera ſalutaris habebatur, vtpotè Abſolutionis nota, iure Redemptoris noſtri Dei deſignat hyeroglyphicum, hinc Apoc. c. 1. ſeipſum Alpham vocat Deus homo Chriſtus Ieſus tamquam rerum omnium non ſolùm Opificem, ſed & Reparatorem, quare, A, Creatoris, & Redemptoris ſimul memoriam redolens, fauſtum dabit huic noſtræ Seraphicæ Polyantheæ initium difficultandi occaſionem prçbens.

An ratione Creationis, & Redemptionis teneantur homines erga Deum dilectionis actum elicere, & qualis intenſio in dicto actu requiratur.

DIFFIC. I.

Dico primò, quòd ex communi Theologorum tenentur homines ratione Creationis, & Redemptionis dilectionis actum in Deum elicere. Ita *ex Emmentiſſimo, Sanctiſſimoq́, noſtro Doctore Seraphico in opuſc. de 3. precept. leg. & in 3. ſent. diſt. 37. dub. 3. Scot. in 3. diſt. 27. a. 3. §. Quantum ad ſecundum, & diſt. 9. a. 2. D. Th. 1. 2. q. 100. a. 5. & 6. Biel in 3. d. 9. a. 1. Marſil. in 4. d. 12. Sot. in 4. diſt. 17. a. 6. Suar. de pœnit. diſp. 15. ſect. 6. Lorca 2. 2. ſect. 3. diſp. 58. Vaſq. 1. 2. diſp. 166. c. 2. Sylu. 2. 2. q. 44. a. 6. Turrian. 2. 2. diſp. q. 2. dub. 3. Hurtad. de mend. 22. diſp. 174. ſect. 6. §. 17. Caſtr. Pala. T. 1. tract. 6. diſp. 1. p. 4. Sancio in ſelec. diſp. 1. n. 2. Nauar. Azor, & Valentia* apud prçcitatos Auctores, & alijs communiter.

Hæc autem obligatio dilectionis actum eliciendi erga Deum ratione Creationis, & Redemptionis deducitur prçcipuè ex ipſo iure naturæ; nam beneficia potiora ex ſola vi amoris nobis conferentem redamandi, & diligendi veluti quamdam ſympathiam, vehementemq; propenſionem in cordibus noſtris natura ipſa inſeruit; vndè vulgare illud proloquium, Magnes amoris Amor; horret enim natura ingratitudinis vitium, itaque cùm ex ſola ſui Diuini amoris Creationis, & Redemptionis beneficium nobis contulerit Deus noſter, vt nos monent D. Ioan. in ſua 1. Can. c. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus*, & c. 3. in Euang. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, & Paul. ad Roman. 5. *Commendat autem Charitatem ſuam Deus in nobis, quia cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ex hac ergo ratione tanti beneficij in nos tam amanter à Deo collati tenemur, ipſa natura propellente erga eius infinitam bonitatem dilectionis actus elicere, quod expreſſius concludit Ioannes in eadem ſua 1. canon. c. 4. aureis ſanè verbis iſtis, *Nos ergo diligamus Deum, quia ipſe prior dilexit nos.*

Quare prçceptum iſtud dilectionis Dei prçcipuis conditionibus mandatur nobis Deuter. c. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota fortitudine tua*, quod penè conſimilibus verbis profertur exequendum, Matth. c. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua.*

Dico ſecundò, quòd hic actus dilectionis Dei non eſt neceſſe, vt cum intenſione phyſica eliciatur, ſed ſufficit, vt cum intenſione morali appretiatiua, ſcilicet amoris Dei ſuper omnia alia amabilia, vt *ex D. Bonau. loco cit. q. vlt.* dicetur explicatius infra v. Charitas, quare ſcrupuloſi ne vexentur ex datis conditionibus diligendi Deum ex toto corde, ex tota fortitudine, ſi in portione delectabili non ſentiant dilectiones actum intenſum erga Deū, quia ſufficit, vt ametur Deus ſuper omne amabile appretiatiuè, ideſt plus appretietur Deus amandus, & ſequendus, quàm quodlibet creatum; etenim vt optimè docuit *Cæleſtinus V. Papa erudittiſſimus, paritérq́, Sanctiſſimus in ſuis Opuſculis*, quæ cum ſumma Caſuum Conſcientiæ ab ipſo compoſita antequam ad ſummum Pontificatum eueheretur, & propria manu ſcripta in ſuo ſepulcro exiſtente in ampliſſima Eccleſia Sanctæ Mariæ de Colle medio apud Aquilā panno ſerico inuoluta, & in alijs ſui Ordinis bibliothecis reperta, à Reuerendiſs. P. D. Cçleſtino Tellera Sipontino eiuſdem Eccleſiæ, & Monaſterij hodie Abbate meritiſſimo ſumma diligentia à ſacris illis tenebris eruta, in lucem idē ipſe edidit, typiſq; Neapoli mādauit; hic ergo Pontifex opuſ. 1. parte 4. c. 4. explicans illud Eccleſiaſt. 7. *Ne dicas in multitudine munerum meorum reſpiciet Deus, ait, quòd Deus magis attendit modum in facto, quàm factum in modo*; quo aureo proloquio docet nos, quòd Deus, qui noſtram optimè callet infirmitatem, & paupertatem, nulloq; noſtro indiget, non reſpicit primatiò noſtras phyſicas vires in actu intrinſeco, vel extrinſeco, itavt ad aliquam quantitatem phyſicæ intenſionis in actu intrinſeco, vel quantitatem extenſiuam in opere extrinſeco nos obliget, ſed potius reſpicit modum in facto, ideſt tam in actu intrinſeco, quàm extrinſeco, vt ſcilicet appretietur amabilis ipſe Deus ſuper omne aliud bonum amabile creatum in actu dilectionis intrinſeco, & in extrinſeco, quod exercetur, ad ſolam ſuæ Diuinæ Maieſtatis gloriam, & laudem, & ad ſui amorem dirigatur.

Ne ergo in hac materia ſcrupulis agantur fideles, quod Deus potius modum amoris erga ſeipſum poſtulat, quàm intenſionem phyſicam, ſeu factum amoris iuxta Cœleſtem Cçleſtini V. prçfatam doctrinam; quod magis explicitè docebitur ex D. Bonauentura noſtro infra v. Charitas. At verò

An aliquo tempore determinato teneantur homines ad dilectionis actum in Deum eliciendum.

DIFFIC. II.

Variant in hac difficultate Doctores; cçterùm vt à Recentioribus incipiamus,

Ioannes Sancius loco cit. ſemel in vita huic prçcepto nimis certè benignè docet à fidelibus ſatisfieri, quod à Vaſquez c. 2. dub. 6. vbi ſupra ſumpſiſſe videtur, qui magis explicitè loquens,

ſolùm in fine vitæ aſſignant hanc obligationem maximè implendam, hinc Valentia, Suarez, & Nauar, quos citat, & ſequitur Hurtad. de Mendoz. loco cit. volunt teneri quemlibet fidelem inſtante morte actum dilectionis Dei elicere eo communi fundamento, quia lege Charitatis tenetur quilibet ſeipſum diligere quęrendo ſibi ſecuritatem vitæ æternæ, & conſequenter pręcipuè in vltimo vitæ periculo vitare diſcrimen irreparabilis damnationis; at vero actu elicito dilectionis erga Deum ſuper omnia acquiritur ſecuritas vitæ æternæ, cùm ad ipſum ritè elicitum maximè pręſto ſit gratia ſupernaturalis ex meritis Chriſti, ergo tenetur quicumq; fidelis in vltimo vitæ periculo huiuſmodi dilectionis actum elicere erga Deum benedictum, vt ſibi in illo puncto extremo acquirat ſecuritatem vitę ęternę, & æternam ruinam irreparabilem deuitet.

Verùm, quod ſemel in vita docuit Sancius hoc pręceptorum maximum dilectionis Dei, in quo cętera fundantur pręcepta tot circumſtantijs à Deo ipſo promulgatum ſeruandum Deuteron 6 & Matt. 22. vt ſupra viſum eſt, ſit inquam ſemel in vita ſolum executioni mandandum, frigidis dumtaxat fidelibus ſuaderi fortè probabiliter poſſet, ſthomachum tamen tepidis, nedum feruentibus hoc audire proculdubiò facturum exiſtimo; vis enim amoris ad aliquoties ſaltem redamandum ſingularem Benefactorem impellet quemcumq; etiam tepentem, quid ni ſæpè ſæpius feruenter amantem? frigidi tamen, niſi aliud pręceptum extaret, poſſent excuſari ab inaduertentia, vel obliuione à ſępè ſępius, & in omni occaſione data eliciendi actum dilectionis erga Deum ratione creationis, & Redemptionis.

Quod autem ſubiungunt alij obligare pręceptum dilectionis Dei in articulo mortis, ſi priuatiuè quò ad reliquum tempus vitæ loquantur, & poſitiuè pro ſolo articulo mortis eidem ſanè ſubiacent cenſuræ; nam Deus primariò diligendus propter ſe, quia ſcilicet eſt ſumma bonitas digna, quæ ſuper omnia ametur obiecta creata quantumcumq; amabilia abſq; alio intereſſe proprio creaturæ, ſi ſolum in articulo mortis proponeretur ex pręcepto diligendus, videretur primariò diligendus propter intereſſe proprium creaturæ rationalis, ſcilicet vt in illo inſtanti conſulat ſuæ ſaluti æternæ, & pœnas effugiat inferni, Deus autem verius diligitur abſq; hoc intereſſe, & primariò propter eius infinitam bonitatem, qua nos beneficat in creatione, & Redemptione, iuſtificatione, conſeruatione, & glorificatione.

Si verò pręfati Doctores copulatiuè loquantur, ſcilicet pręter alias vices in huius vitæ decurſu, maximè tamen in articulo mortis moneant obligare pręceptum iſtud ſatis piè, probabiliterq; loquuntur, quia tali tempore magis ſatagere debet fidelis, vt Deo tamquam vltimo fini, ad quem tunc maximè appropinquat, per dilectionis actum ſeſe vniat, non tamen puto tunc obligare ſub mortali niſi in quantùm inuoluitur in actu contritionis formatæ. Vide v. Contritio.

Volunt etiam alij, & quidem probabilius obligari fidelem poſt vſum rationis adeptum, quando ſcilicet aduertit, ſecumque ruminat rationes Diuinæ Bonitatis, beneficiorumq; Creationis, & Redemptionis, vel alios de hiſce loquentes audit; eſſet enim ingratus niſi actum amoris erga Deum tam bonum, tam pium, tam beneficum non eliceret, ita colligi poteſt ex D. Bonauentura noſtro, vbi ſupra D. Th. Soto, Nauar. Ban. Lorca, & docet expreſsè Syluius q. 44. a. 6. ſ. Quęritur 3. loco, & mihi quidem maximè probatur, quia pręceptum dilectionis cùm ſit affirmatiuum, obligat ad ſemper, ſed non pro ſemper, ideſt obligat ſolùm quando opportuna occaſio eſt prę manibus, vt dicetur alibi; nulla autem magis opportuna occaſio redamandi Deum, & erga ipſum ſpecialem amoris actum eliciendi, quam quando eius in nos potiora Creationis, & Redemptionis beneficia recogitantur, vel proponuntur. Verùm

An in ſententia probabili teneri, ſcilicet fidelem in articulo mortis elicere actum dilectionis erga Deum, teneatur Confeſſarius admonere pœnitentem de huiuſmodi Obligatione.

DIFFIC. III.

NEgatiuè reſpondendum puto; etenim cùm hæc opinio ſit pia, & probabilis, non tamen adeo certa, vt alij grauiſſimi DD. eam non refellant, etiam probabili ratione ducti, ſcilicet obligare ſolum data occaſionis opportunitate, vt dictum eſt ſupra, vel pręcepto ſpeciali, vt infra dicetur, quare ſi hanc opinionem moribundo tamquam neceſſariò ſequendam, impoſneret Confeſſarius, eſſet eum in laqueos inijcere, qui fortè attritus, vel ex conſideratione pœnarum inferni, vel alio motiuo ſufficienti factus eſt deindè virtute Clauium contritus, dum ei proponeretur hæc obligatio eliciendi amoris actum in Deum ex præcepto ſubeunda ſcrupulis angeretur maximis, an ritè hunc actum ex pręcepto poſſet elicere in articulo illo mortis, in quo tot dolores, & peruerſę cogitationes à Dęmone propoſitę diſtorquent infirmum. Caueat ergo Confeſſarius hanc opinionem tamquam certam ſuadere, maximè cùm moribundum à tali obligatione poſſet excuſare ignorantia, vel inaduertentia; Expedit tamen, & valdè proficuum puto, vt moribundum in tali articulo ex alijs motiuis ſuadeat, vt actus feruentis amoris in Deum eliciat ſuper omnia bona mundi maximè diligendum, quod ſi ægrè nequeat, vel per infirmitatis dolores, vel imperitiam, vel impotentiam huiuſmodi actus elicere, ne nimium ſe torqueat Confeſſarius probabiliter ſaltem certus non teneri ex pręcepto in tali articulo talem actum elicere infirmum; Ita etiam nouiſſimè docet *Eminentiſſimus de Lugo de Sacram. Pœnit. diſp. 7. ſect. 13. Amicus T. 8. diſp. 9. ſect. 4. & ſapientiſſimus Diana p. 8. tract. 1. de poteſt. Pontif. ad Sacram. reſol. 91.*

An aliquo die ſpeciali obligatione teneantur fideles actum dilectionis in Deum elicere.

DIFFIC. IV.

NEgant aliqui cum *Suarez de Pœnit. diſp. 15. ſect. 6. n. 11.* dari aliquod tempus ſpeciale, ſeu particularem diem ad executionem huiuſmodi pręceptum, ſed à viro perito ſpecificandum putant tempus, & *de Charit. diſp. 5. ſect. 3. n. 4.* docet *Suar.* non eſſe multo tempore differendum, & dilationem trium annorum autumat eſſe grauem, vndè qui tanto tempore Diuinam non redamaret bonitatem, contemnere eam videretur; ita etiam *Caſtr. Pal. & Coninch. loc. cit.*

Breuius tamen tempus aſſignat *Soto in 4. diſt. 17. a. 6.* quem videtur ſequi *Lorca, & Hurtad. de Mend. loc. cit.* volentes in ſingulos annos, & propriè, vt Soto loquitur, in Paſchate implendam eſſe obligationem talis pręcepti dilectionis Dei, nam, vt probat Lorca, idem iudicium tulit Eccleſia de Sacram. Pœnit. & Communionis, ergo etiam idem iudicium faciendum de actu dilectionis, qui pręcipuè in vtroque Sacramento videtur includi.

Cęterùm parum pium ſaltē feruentibus in amore Dei Chriſtianis videbitur pręceptum dilectionis Dei omnium ſupremū, & vtillimum tamquam leuioris conſiderationis ſolius hominis arbitrio determinandum relinqui quo tempore obliget, vt volebat Suar. ſicut etiam ne grauentur frigidi, poſſet ſaltem probabiliter concedi ſemel in anno, ſcilicet in Paſchate ſolùm talis præcepti adimplere obligationem, vt contendunt Soto, Hurtadus, & Lorca; ſpeculatiua enim ratione non caret vtraq; ſententia, vndè ſaltem pro frigidis Chriſtianis eam non improbo, verùm ſequentem opinionem omninò ſequendam conſulerem.

Quare Antiquiores Theologi feruentiori pede in Deum ambulantes probabilius docuerunt ad actum dilectionis Dei eliciendum teneri fideles die Dominico, qui ſpecialius colitur in memoriam Creationis, & Redemptionis; æquum enim eſt, vt eo die potiſſimum redametur Deus, in quo pręcipui amoris per Creationem, & Redemptionem in homines à Diuina bonitate exhibiti memoriam recolit Sancta Mater Eccleſia, ita *Seraph. noſt. Doctor loc. cit. Scot. præcipuè in diſt. 9. cit. & diſt. 37. in eadem 3. Angelicus item Doctor, Biel, Marſil. & alij communiter proclamant.* Verùm

An iuxta probabiliorem Opinionem dilectionis actum die Dominico ſpecialius erga Deum exhibendum teneantur fideles per totum diem, an verò determinata hora in ipſo die Dominico hanc obligationem adimplere.

DIFFIC. V.

ALiqui durius iugum ceruicibus noſtris imponentes actum dilectionis Dei formaliter eliciendum putarunt à fideliba in ſolemnijs Veſperarum, & Miſſarum celebratione; Vems tamen ex *noſtro Seraphico Doctore in Opuſc. de ſex alis Seraph.*

raph.§. *Miſſarum celebratio,& ex D.Th. Opuſc.66.c.1.* cum Miſſa ad ſanctificandum, laudandumq; verè Deum, & conſequenter ad dirigendos homines ad Dei dilectionem, cùm nemo laudet aliquem verè, niſi verè amet, & diligat laudandum, ſic inter alios fines inſtituta ſit, videtur eorum intentioni conſonum hanc actum dilectionis Dei virtualiter adimpleri per ſolam Miſſæ attentam, deuotamq; auditionem, quod expreſſius docuit Theologorum Princeps ſubtiliſſimus noſter Doctor, loquens de obligatione dilectionis Dei adimplenda in 3. *diſt.*17. *q. vnic. a.*2. *§. Quantum ad ſecundum*, his verbis (illud pręceptum affirmatiuum *Deuteron.*6. *& Matth.*22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* non tantùm obligat ſemper ad oppoſitum fugiendum, ne ſcilicet inſit actus odij, ſed obligat pro aliquando ad actū elicitum, quia ille actus eſt circa finem; igitur homo tenetur habere aliquem actum virtuoſum, ita tenetur habere aliquem actū illius pręcepti circa finem gratuitè diligendum, quando autem ſit hoc, fortè determinauit hoc illud pręceptum Diuinum, *Sanctifica Sabbatum*, & maneat vnuſquiſq; apud ſe, idest recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum, & Eccleſia ſpecificauit quantùm ad Miſſam audiendam in die Dominico *de Conſecr. diſt.*2.*C. Miſſas*) hęc Scotus.

Ex cuius allata doctrina collige, diſcrete Lector, quantum aliqui DD. aliàs diſertiſſimi fortè, quia Scoti doctrinam numquam in ſuo fonte guſtarunt, falſas omninò multoties imponunt ſententias, inter quos Bartholomęus à Sancto Fauſto paſſim, vt in decurſu huius operis cernere erit, & in pręſenti difficultate pręcipuè qui *de Contritione q.*61. falsò impingit Scoto quid dixerit loco citato, teneri fideles ſingulis diebus feſtis contritionis, & dilectionis actus elicere; nam Scot. ibi de Contritionis actu non meminit, ſed ſolùm de actu dilectionis, quem tamen nec formaliter elicere debere, ait, fideles, ſed ſolùm virtualiter per Miſſæ auditionem die Dominico.

An omittens auditionem Miſſæ, & actum dilectionis Dei die Dominico iuxta probabiliorem ſententiam duplex peccatum admittat, an verò vnicum.

DIFFIC. VI.

DVplex peccatum admittere die Dominico omittentem audire Miſſam, & dilectionis actum erga Deum, aſſeruerunt *Ang. noſter V. feſtum §.*41. *& alij*, quia duplex diſtinctum pręceptum offenditur, & probabiliter ex Doctrina Scoti *diſt.*9. *citata*, dum ait verſùs finem, quòd, ſi neceſſitas excuſet ab audiēda Miſſa, tenetur aliquod aliud æquiualens perpetrare hiſce verbis (vt in illo die ſpecialiter deputato cultui Diuino aliquis actus habeatur relatus immediatè in Deum ad eius reuerentiam) ergo ex Doctrina Scoti duo erunt peccata, ſi aliquis actus æquiualens immediatè relatus in Deum pro Miſſę auditione, in qua virtualiter continetur actus dilectionis Dei exhibendus die Dominico, non reddatur. Attamen probabilius ex alia Scoti doctrina infra citanda v. Actus, negandū duplex peccatum admitti, quia quandocumq; vnum pręceptum datur propter aliud ſeruandum vnica pro vtroq; reputatur tranſgreſſio, vt alibi fuſiùs probabitur, & conſequenter vnum admittatur peccatum. Ita etiam *Caiet. v. Contritio, & 2.2.q.*122.*a.*4. *Sot. de Iuſt. & Iur. q.*4. *Couarr. lib.*4. *var. reſol. cap.*19. *n.*6. *Nauarr. cap.*13. *n.*17. *Suar. vbi ſup. & alij*.

An quando tenetur fidelis elicere actum Contritionis, teneatur etiam elicere actum dilectionis Dei.

DIFFIC. VII.

IN multis caſibus teneri fidelem elicere actum contritionis, puta quando adultus baptiſmum recipit, vel martyrium ſubire cogitur, vel quando non adeſt copia Confeſſarij, & tenetur quis conficere, vel miniſtrare, vel imminet periculum, vel articulus mortis, vel ſecundùm aliquos, quando aliud grande beneficium ſpecialius à Deo accipitur, vel quando iuxtà alios grauis aliqua tentatio maximè odij in Deum vitari non poteſt, vel noua peccata mortalia vitari non poſſunt, niſi Contritionis actus eliciatur, de quibus ſingulis ſuis locis dicetur Deo dante. An inquam in pręfatis caſibus teneatur quis etiā dilectionis actum elicere, ſanè quod virtualiter ſaltem includatur terminatiuè neneceſſariò dilectio Dei in actu Contritionis formato apud omnes eſt vulgatiſſimum axioma, cùm non poſſit eſſe actus Contritionis verus, pręciſa virtute Sacramenti, ſi non adſit deteſtatio peccati propter amorem Dei; quòd autem in dictis caſibus ſit neceſſarius alius actus formaliter, & immediatè elicitus dilectionis Dei propter illum, qui continetur in deteſtatione peccati propter amorem Dei, non video, vndè talis obligatio poſſit emanare, cùm ſufficiat illa deteſtatio facta pro amore Dei cum propoſito de non peccando in poſterum, & peccata confitendo.

Quod ſi quis experiretur in aliquo caſu particulari, puta in tentatione, qua premitur, odio habendi Deum, vel in noua peccata mortalia faciliter incidendi, medium eſſe neceſſarium ad euadendam talem tentationem, vel periculum elicere actum dilectionis Dei, teneretur ſanè elicere talem actum, quia ex communi doctrina noſtrorum Doctorum ſupra citata, & aliorum, tenetur quis accipere medium ſaluti ſuæ ſpirituali neceſſarium, cùm ex charitate teneatur quilibet ſe diligere in ordine ad euadendum irreparabile damnationis æternæ periculum, quamvis cum *Eminentiſſimo de Lugo de Pœnit. diſp.*25. *ſect.*4. *n.*54. dicerem non eſſe monendum pœnitentem de tali obligatione ſub mortali, licèt ibi loquatur de actu Contritionis præfatus Doctor, ſed eadem militat ratio in vtroq;, ne ſcilicet in nouos ſcrupulorum ſyrtes incidat peccator, vt ſupra etiam tactum eſt, dum actum dilectionis Dei concipit ſibi etiam eſſe neceſſarium ſub mortali elicere in tali caſu, ad quem difficillimè ſe præparare poſſet, verum dulci ſermone ad eum eliciendum propellat, varia, multaque beneficia Dei in ipſum tentatum repręſentando.

Deniq; in hac materia admonitos velim Parochos, Concionatores, & Confeſſarios, vt ſæpè ſæpiùs fidelibus inculcent, ratione gratitudinis Deo reddendæ, verumq; cultum Summæ Bonitati exhibendi propter duplex pręcipuè Creationis, & Redemptionis beneficium, inſtitutam die Dominico Miſſæ auditionem, vt ſcilicet per attentam Miſſæ auditionem ſpeciale gratitudinis, & amoris erga Deum demonſtretur in memoriam tanti beneficij, fore enim exiſtimo, vt fideles fortiter ad Miſſam attentè, & deuotè audiendam hoc ſtimulo gratitudinis compulſi, abuſum illum ferè communem inter ſe ſe, dum tantum Sacrificium peragitur, confabulandi tam infeliciter in Eccleſia Dei iam irreptum, vt potius ad Templum ſemet viſendi, vel aliquod negotium peragendi gratia, quàm ad agendas Deo gratias, & dilectionis Dei actum, cultumque debitum pręſtandū conueniſſe videantur, pœnitus abhorreant, & extirpent, ne ingrati in ipſo gratitudinis reddendæ actu habeantur: horrent enim homines, vt ingrati vocentur, & cenſeantur. Memores ſint fideles, quòd ſcelus hoc magnum eſt in Miſſa fabulari, licèt leuius habeatur, immediatè enim contemnitur Deus in loco ſancto ſuo, vndè apud *Hierem.c.*11. conqueritur quaſi admirans hominum impudentiam; *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa!* Vndè nullum aliud peccatum à mitiſſimo Domino noſtro Ieſu Chriſto funiculorum flagellis punitum fuit, niſi peccatum in Templo factum, quia ſcriptum eſt: *Zelus domus tuæ comedit me*. Caueant ergo fideles à tanto flagitio, ne Diuinam incurrant indignationem.

Vtrum A, Ab, Ad, præpoſitiones in tempore deſignando teneant ſe excluſiuè, vel incluſiuè.

DIFFIC. VIII.

A, Ab, quatenus prępoſitionis officio funguntur, ſignare terminum, à quo actionis in tempore pręcipuè deſignādo, ſicut, Ad terminum, ad quem non eſt, qui dubitet, cùm ex ipſa vocum ſignificatione pateat, an verò includant terminum, an excludant in tempore deſignando quęrunt Iuriſtæ, qui communius volunt, regulariter loquendo, excluſiuè ſe habere, quia dum terminum ſignant, actionem à termino excludunt, aliter actio non diceretur incipere à termino, à quo, nec finiri in terminum, ad quem. Hinc in noſtra Minorica Regula, dum Sanctiſſimus Patriarcha Seraphicus ieiunium pręcipit à feſto omnium Sanctorum vſq; ad Natiuitatem Domini ſeruandum, *ly* à feſto omnium Sanctorum tenet ſe excluſiuè, itavt ieiunij obligatio excludatur à feſto omnium Sanctorum, & incipiat die ſequenti, ſicut *ly* ad Natiuitatem tenet etiam ſe excluſiuè, itavt intelligatur actio ieiunij finita in die Vigiliæ Natiuitatis; ita ex noſtro *Corduba*, & alijs Expoſitoribus Reg. Seraph.

Attamen, licèt regulariter præfatæ præpoſitiones ſe habeant

excluſiuè, adſunt tamen caſus, in quibus incluſiuè etiam decet eas interpretari, & primò, quando in iure exprimitur incluſiuè interpretanda: ſecundò, quando dubium, fauor, æquitas, aut odiū incluſiuè ſuadeant accipiendas. Hinc axioma illud; Dies termini non computatur cum termino, licèt ſit regulariter verum, tamen, vt notat *Gomez in Reg. Cancell. de inform. Reſignant.* non valet in termino dato à Iure ad appellandum; nam in iſto caſu dies termini computatur cum termino ex particularis iuris diſpoſitione; Item ſi oriretur aliquod magnum inconueniens, quòd iſtæ prępoſitiones, A, Ab, Ad, teneant ſe excluſiuè, ratio æquitatis poſtulat, vt interpretandæ ſint incluſiuè, vt in praxi in titulis inferioribus deducetur, vide *Angelum noſtrum, v. Actus, tempus, ſtatutum, & Gloſ. quam ſit de elect. in 6. Tiraquell. de lignag. in Gloſ. 11. n. 33.* Et ratio eſt, quia benignior pars eſt ſequenda in terminis, & pręcipuè in iſtis prępoſitionibus, A, Ab, Ad, *Iuriſtæ ex lib. 1. de Vſucap. §.* & ideo docent benigniorem partem eſſe ſequendam in iudicando, an teneant ſe incluſiuè, vel excluſiuè, vide etiam *Angelum noſtrum loc. cit. & Sanctarell. var. qq. q. 78. reſol. 16. pagina mihi* 601 Hinc doctiſſimus ille Canoniſtarum gloria *Nauar. conſ. 18. de præben. & dignit.* videtur optimè concludere, quod quando fauor requirit incluſionem, dictæ præpoſitiones ſumendę ſunt incluſiuè, in odioſis verò excluſiuè ſunt interpretandæ.

Abbas.

ABbas à voce Gręca, Βατος, quæ menſuræ quoddam genus noſtro idiomate ſonat, & prępoſitione, A, quaſi Abbatis nomen ab hac dictione à batis, ſuam trahat Æthimologiam cōtendunt nonnulli, ex eo quia à batis dicitur ille, qui pręeſt menſuræ, & annonæ menſuras diuidit; priſcis enim primis illis temporibus Abbas potius erat nominis ſollicitudinis, & prouidentiæ indigentiæ Monachorum, quàm honoris, & præeminentiæ, ex *Gloſ. in c. Tuam de ætate, & qualit.* vndè notat noſter *Vngarell. in ſuis additionibus ſuper Angelum noſtrum, v. Abbas, & allegat Gloſ. in c. à Subdiacono diſt. 93.* & ibi dicit etiam *Gloſ.* quòd antiquo tempore Monaci omnes erant Laici, & ideo dicitur in illo textu, quòd Abbas debet ſubeſſe Hoſtiario, quia videlicet Abbas laicus erat, atq; adeo contendunt iſti Doctores, quòd ab hac voce, Βατος, Abbatis nomen ſumpſerit, quaſi à Batis, quia ſcilicet erat adminiſtrator, & prouiſor annonæ pro victu Monachorum Abbas illis primis temporibus; alij verò à nomine Hebręo Bath; quòd ſcilicet Hieronymo teſte, genus eſt menſuræ de ſpeciebus liquidis, vt olei, vini, quaſi Abbatis officium, vt dictum eſt nullum aliud fuiſſet, quàm pręeſſe diuiſioni annonæ inter Monachos.

Alij autem à voce Lybica, Batus, putant Abbatis nomen deriuare; Batus enim fuit Princeps Cyrenenſium, & lingua Lybica Principem ſonat abſolutè ſumpta hæc vox Batus, vndè iure Monachorum Principis nomen ab hac voce Batus, productum autumant.

Nec defuere, qui nomen Abbatis ab alia voce Gręca Αβατος, qui Latinè inacceſſum ſonat, deriuate voluerunt, ex eo quod, ſicut Monachus ſolitarium dicit, ita Principem Monachorum conſtitui putarunt eum, qui magis rigoroſa ſolitudine delectabatur, vndè videbatur Αβατος, ideſt inacceſſus; verum quid ſit de probabilitate iſtarum opinionum, humaniorum litterarum profeſſoribus delinquatur.

Certius autem ſit hanc Abbatis vocem à Syro nomine, Abba, iuxta Apoſtolum *ad Rom. c. 8.* Pater, noſtro idiomate perſonante ſuam trahere Æthimologiam, vt communius fatentur Canoniſtæ, quia hodie Abbatis officio non ſolùm ſollicitudo bonorum temporalium ſui Monaſterij, adminiſtratioque ſecularium rerum, vt priſcis illis temporibus, ſed etiam cura animarum ſpiritualis, ſubditoſq; corrigendi, iudicandi, puniendi annexus eſt honor, & pręeminentia, quare verus Pater eſt hodie Abbas, tam in foro fori, quàm in foro poli, atq; adeo neceſſariò debet eſſe Pręsbyter, & ætatis annorum vigintiquinq; vt ſtatuitur *in c. 1. de ætate, & qualit.* & vbi adeſt conſuetudo ab Epiſcopo Diœceſano ſolùm diebus, quibus poteſt minores Ordines conferre benedicitur, & Abbates Regulares paſſim vtuntur inſignijs Pontificalibus, Mitra ſcilicet, baculo, & annulo, Minoreſq; Ordines ſuis Monachis conferunt, & ſolemniter in Eccleſijs ſibi pleno iure ſubiectis duntaxat Populo benedicunt, vt communiter Summiſtæ. Vide Angelum noſtrum, v. Abbas. At verò

An Monachus in Minoribus conſtitutus poſſit aliquando eligi in Abbatem.

DIFFIC. I.

QVoniam de iure ordinario, & regulariter eligendus in Abbatem, vt dictum eſt, debeat eſſe Sacerdos, & vigintiquinq; annorū; attamen noſter *Vngarell. loc. cit.* docet diſpenſari poſſe aliquando, vt ſolis Minoribus initiatus, eligatur in Abbatem, quia Ordo Sacerdotalis non neceſſariò concomitatur officium Abbatis, cùm potius ad iuriſdictionem pertineat, quàm ad Ordinum executionem principaliter. Ita *ex Cœleſtino Papa V. in ſua ſumma Cœleſtina opuſc. 7. p. 4. ſect. 2. c. 10.* cuius verba formalia ſunt iſta: *Item Epiſcopus diſpenſat, vt aliquis ſit Abbas, licèt non poſſit ad ſacros Ordines promoueri, ſed contra, quia dicitur, Abbates, Decani, & Præpoſiti, qui Præsbyteri non ſunt Præsbyteri fiant; Reſpondeo hoc fieri in neceſſitate.* Vndè in vita dicti Pontificis, quam ipſe ſua manu deſcripſerat, antequam ad Pontificatum eueheretur *folio* 58. videtur innuere, quòd Sanctus Benedictus non fuerit Sacerdos, dum talibus verbis vtitur, *B. Benedictus, & multi alij Sancti noluerunt tam magnum myſterium tangere, quomodo ego, qui ſum nimis peccator, dignus ero tale opus perficere? hæc Cœleſtinus V.*

Tria autem concurrere debent in ſolis Minoribus inſignito, vt poſſit cum eo diſpenſari in tanto munere ſuſcipiendo, induſtria ſcilicet, ſcientia, & honeſtas; Virtutes enim hæ tres ſimul iunctæ ad Abbatialem iuriſdictionem exercendam videntur dignum, & idoneum reddere Monachum tamquam legitimam cauſam conſtantes, vt iure diſpenſari poſſit in perſona Minoribus ſolis decorata, vt eligatur in Abbatem antequam fiat Sacerdos, & vigintiquinque annorum ætatem, etiamſi non attigerit, ita ex pręfato *c. ad tuam,* deducit *noſter Vngarell. loc. cit.*

Verùm Monachi Regulares in hoc caſu ſuarum Conſtitutionum decreta, & Ordinis conſuetudinem à Summis Pontificibus approbatam conſulant, vndè iuri communi fortaſsè contrarium in hac materia ritè practicetur. Verùm.

Vtrum Abbas in ſacris Canonibus, & Pontificijs Conſtitutionibus veniat ſub nomine Monachi.

DIFFIC. II.

DIſtinguendum puto, nam vel Sacri Canones, & Pontificiæ Conſtitutiones ſtatuunt in materia odioſa, & tunc nomine Monachi non venit Abbas, vel ſtatuunt in materia fauorabili, & in hoc caſu Abbas venit ſub nomine Monachi, & ratio communis inter Iuriſtas, & Canoniſtas, vt alibi fuſius, fauores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda. Hinc ſi feratur excommunicatio contra Monachos in iure, vel aliqua Pontificia Conſtitutione, non intelligitur lata contra Abbatem, ita etiam ex noſtris nouiſſimè *Portell. v. Abbas n. 5. Nauarr. conſ. 75. de Regular. in prima impreſſ. & Nald. v. Abbas, n. 2.*

Abbas antequam ſit benedictus, an poſſit vti inſignibus Pontificalibus, & an extra ſuam Eccleſiam, & quomodo ſedeat coram Epiſcopo, & an precedat Canonicos Eccleſiæ Cathedralis.

DIFFIC. III.

DIco primò, quòd negant aliqui paritate rationis deducta ab Epiſcopo non conſecrato, cui non licet vti inſignibus Pontificijs, antequam conſecrationis munus accipiat; ergo nec Abbati, antequam benedictionem ab Epiſcopo accipiat, competit vſus Pontificalium, verùm probabilius dicendum arbitror poſſe Abbatem pręfatis inſignibus vti, antequam ſit benedictus ab Epiſcopo, quia Abbas non conſtituitur Abbas per benedictionem Epiſcopi, ſed ſolùm ex mera extrinſeca cęremonia, quę eſſentialiter non requiritur; nam in caſu contradictionis Epiſcopi, ſcilicet nolentis ex iniuſta cauſa eum benedicere, poteſt exercere ſuum munus Abbatiale, & conſequenter poteſt vti Pontificalibus, cùm vſus Pontificalium ſit conceſſus Abbati, vt Abbas eſt electus, & confirmatus à ſuo ſuperiore; itaque dignitas Abbatialis non dependet intrinſeco, & eſſentialiter à benedictione Epiſcopali; at verò Epiſcopus quò ad vſum Pontificalium dependet eſſentialiter à conſecratione; nam licèt Epi-

ſcopus

ſcopus electus accipiat immediatè iuriſdictionem, non tamen dignitatem Epiſcopalem, cui intrinſecè annectitur vſus Pontificalium ad ordinationes, & conſecrationes faciendas; conſecrare autem, & ordinare pertinet ſolum ad Epiſcopum conſecratum; ergo ad eum vt conſecratum, ſpectat vſus Pontificalium, vndè licèt Epiſcopus electus, & non conſecratus poſſit excommunicare, & alia iuriſdictionalia exercere, non poteſt tamen Ordines cõferre, nec ſolemniter benedicere, ergo nec Pontificalibus vti; Abbas autem quia ſolum vtitur Pontificalibus inſignibus ex ſolo priuilegio, & non ratione dignitatis, ſtatim atque eſt declaratus, & confirmatus Abbas à ſuo ſuperiore, vti poteſt hoc priuilegio independenter à benedictione Epiſcopi, quæ non perficit Abbatem in ſua ratione eſſentiali, ſed ſolùm eſt quædam cęremonia extrinſeca pręſupponens eſſe Abbatis in ſuo eſſentiali; & hęc eſt diſparitas, quare Abbas non benedictus vti poſſit Pontificalibus, non autem Epiſcopus non conſecratus. Ita etiam habetur *in deciſ.* 1841. *P. Franciſci Marci.*

Dico ſecundò, quòd Abbates non poſſunt vti Mitra, & baculo, nec pontificaliter celebrare extra propriam Eccleſiam, & iuriſdictionem, neq; cum licentia Ordinarij abſq; ſpeciali indulto Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, quo ſpecialiter concedatur alicui Abbati, vt cum inſignibus Pontificalibus celebrare valeat etiam extra ſuam Eccleſiam, & iuriſdictionem. Ita *Sac. Congreg. Ritu.* 2. *Auguſti* 1631. *Vide Barboſ. in Collect. Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 18.

Dico tertiò, quòd Abbates etiam Regulares benedicti præſente Epiſcopo, etiam in ipſorum Eccleſijs debent ſedere in ſede inferiori, & à ſiniſtris Epiſcopi, & ſine ornatu, *ex Sac. Congreg. in Aquilan.* 18. *Martij* 1617.

Dico quartò, quòd Abbates etiam benedicti non debent præcedere Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ in Choro, & proceſſionibus. *Ex Sacr. Congreg. Ritu. in Valuenſi* 8. *Iunij* 1602.

Vtrum Abbas habens iuriſdictionem Epiſcopalem poſſit concedere dimiſſorias Clericis ſecularibus ſibi ſubditis, Eccleſias viſitare, examinare inſtituendos ad beneficia tam curata, quàm non curata, & ad concurſum faciendum edictum ponere.

DIFFIC. IV.

DIco primò, Abbates quantumvis exemptos, & iuriſdictionem Epiſcopalem habentes ſuper Clericos ſeculares non poſſe litteras dimiſſorias ipſis concedere pro Ordinibus recipiendis ab Epiſcopo clarè haberi ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 10. ſub hiſce verbis: *Abbatibus, ac alijs quibuſcumq; quantumvis exemptis non liceat in poſterum intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſibi ſubditus non ſit, Tonſuram, vel Minores Ordines conferre, nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumq; etiam Eccleſiarum Cathedralium litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſecularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant; ſed horum omnium ordinatio ſeruatis omnibus, quæ in huius Sacroſanctæ Synodi Decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat, non obſtantibus quibuſcumq; priuilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Dico tamen ſecundò, huiuſmodi Abbates in duplici reperiri differentia, quorum aliqui habent ſolùm iuriſdictionem Epiſcopalem pleniſſimam in iure etiam viſitandi, & congregandi Synodum, alij verò ſimplicem auctoritatem Ordinariam abſq; iure congregandi Synodum, & primi quidem pręter Ordines ſacros conferendi auctoritatem habent omne plenum ius Epiſcopale, & ferè diſtinctas Diœceſes, alij verò ſecundi generis non habent Diœceſes ita diſtinctas, vndè citati ad Synodum à Diœceſano, intra quorum Diœceſes exiſtunt ſuæ Abbatiæ, debent conuenire, & ſubduntur ſtatuto Diœceſanæ Synodi. Difficultas eſt ergo inter Doctores, an præfata diſpoſitio Concilij ſicut eſt certa contra Abbates ſecundi generis, ita etiam ſit contra Abbates primi generis.

Affirmatur contra vtroſq; eſſe pręfatam diſpoſitionem Sacri Concilij, ita vt neutri poſſint vti priuilegio concedendi litteras dimiſſorias Clericis ſecularibus; & ratio eſt, quia pręfata diſpoſitio Concilij eſt generaliter lata contra quoſcumque Abbates quantumvis exemptos, nec aliqua ſit reſeruatio in fauorem Abbatum primi generis, ita probabiliter ex noſtris *Miranda in Man. Prelat. T.* 1. *art.* 5. *loc. cit. & Rodr. p.* 2. *c.* 10. *n.* 6. *& c.* 14. *n.* 2. *& alij.*

Attamen contrarium docent, nec improbabiliter ex noſtris *Villalob. in ſumm. T.* 1. *diffic.* 9. *& Hieron. Rodr. in Comp. Reg. qq. Reſol.* 1. quod etiam ſentiunt *Gratian. in Diſceptat. Forenſ. T.* 1. *cap.* 112. *& Barboſa de offic. Epiſc. alleg.* 7. poſſe ſcilicet Abbates primi generis habentes ius viſitandi, & Synodum congregandi dimiſſorias litteras concedere Clericis ſecularibus ſibi ſubditis, nec ipſis obſtare Concilij diſpoſitionem, quia cui conceditur maius, conceditur minus; cùm ergo præfatis Abbatibus concedatur ius viſitandi, & Synodum congregandi, in quo videtur conſiſtere pleniſſima iuriſdictio Epiſcopalis, videtur etiam conceſſiſſe minus dimiſſorias, ſcilicet concedendi; habent enim examinatores proprios ſynodales, à quibus ritè examinari, & approbari poſſunt; quare etiam cùm prædicti Abbates ſunt pleniſſimè exempti ab Epiſcopis ratione Synodi, quæ eſt maxima exemptio, & priuilegium extraordinarium videntur etiam exempti ab hac diſpoſitione non concedendi dimiſſorias, nam ſpeciali, & extraordinario priuilegio affectos non currere diſpoſitiones ordinarias probabo infra v. Priuilegium.

Dico etiam quartò, quòd habentes ius congregandi Synodum, & viſitandi, ſi alias legitimè haſce functiones exercuerint, poſſunt etiam examinare per ſuos examinatores, & ad concurſum vocare inſtituendos in beneficijs etiam Curatis; ita ex *Sacr. Congreg. apud Garziam p.* 7. *de Benef. c.* 2. *Barboſ. in Collect. Côc. Trid. ſeſſ.* 24. *de Reform. c.* 8. *n.* 50. *Collect.* 1. Cęteri verò Abbates quantumcumq; habeant iuriſdictionem Epiſcopalem non poſſunt examinare, nec ad concurſum vocare beneficiatos ab ipſis inſtituendos, ſed ad Epiſcopum, in cuius Diœceſi eſt, vel ad viciniorem pertinet examinare, ad concurſum vocare, & idoneos repertos ab eius examinatoribus, quos poſtea poterunt Abbates inſtituere. Ita ex *Sac. Congreg. apud Garziam, & Barboſ. loc. cit.*

Poſſunt tamen iſti Abbates viſitare Eccleſias ſibi ſubiectas, ſi id immemoriali conſuetudine habeant confirmata à Sede Apoſtolica, quibus in hoc caſu non obſtat diſpoſitio *Concilij ſeſſ.* 7. *c.* 8. Ita *Sac. Congreg. apud Barboſ. loc. cit. Collect.* 2.

Aduerte etiam hic, quòd Epiſcopus non poteſt viſitare loca ſubiecta Abbatiæ habenti iuriſdictionem ſpiritualem, & temporalem in locis ipſis *ex Sac. Congregat. in Theatina* 3. *Nou.* 1620. *in fauorem Abbatiæ Sancti Clementis apud Aternum, ſeu Piſcariam in noſtro Aprutio.*

Cęterùm in hiſce materijs conſulat vnuſquiſq; Abbas priuilegia ſuæ Congregationis, vel Eccleſiæ conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine recepta, vt inoffenſo procedat pede; videatur etiam *Stephanus Quaranta, v. Ordo*, vbi etiam adducit quandam declarationem Sac. Congregat. hanc difficultatem concernentem.

Vtrum Abbas in ſuo territorio poſſit dare licentiam aſſiſtendi matrimonio, benedicere ea omnia, in quibus vnctio adhibetur, alienos Clericos cum dimiſſorijs ſui Ordinarij Minoribus, & ſi ſit Epiſcopus etiam ſacris Ordinibus inſignire, ſuas functiones alteri delegare, & an Abbati ſit deferendus liber Euangeliorum oſculandus.

DIFFIC. V.

DIco primò, quòd licentiam aſſiſtendi matrimonio poteſt in ſuo Territorio dare Abbas ordinarius in ipſo, nam *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 1. hanc auctoritatem impartitur Ordinarijs locorum, non autem Epiſcopis pręciſè, ſic enim loquitur *Conc. Præterea eadem Sancta Synodus ſtatuit benedictionem à proprio Parocho fieri, neq; à quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij Sacerdoti concedi poſſe*; Itaque Abbas poteſtate Ordinaria in ſuo territorio poteſt vtique licentiam aſſiſtendi matrimonio concedere; Ita etiam *noſt. Rodr. p.* 1. *c.* 126. qui etiam *in c.* 234. docet poſſe quemcumq; Ordinarium cum ſuis ſubditis diſpenſare in impedimentis matrimonij non dirimentibus, in quibus poſſunt Epiſcopi, & iure, quia non ſunt peioris conditiònis animæ ſubiectæ alijs Ordinarijs, vt nequeant à ſuis Pręlatis

diſpenſari, cùm dicta diſpenſatio potius in fauorem animarum data eſſe videatur, quàm in fauorem dignitatis.

Dico ſecundò adeſſe declarationem Sac. Cōgregationis apud Quarantam, quæ ſtatuit Abbatibus Caſſinenſibus non prohiberi benedicere ea omnia, in quibus vnctio adhibetur, declaraturque ſolùm ijs Abbatibus eſſe prohibitum, quibus antea non competebat ex priuilegio Apoſtolico, ſicut competebat Abbatibus Caſſinenſibus; Tu autem hìc aduerte, quòd mendicantium Prælati ratione communicationis non poſſunt vti hoc priuilegio, cùm non competat eis vſus Mitræ, & baculi, & fortè neq; alij Abbates Regulares id poſſunt ratione communicationis, quia videtur ſpecialiter indultum factum Abbatibus Caſſinenſibus, quia habent pleniſſimam iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuis territorijs, verùm vnuſquiſq; ſuæ Congregationis priuilegia, vel legitimè introductam conſuetudinem in hoc caſu ſequatur.

Dico tertiò, quòd Abbates Regulares non poſſunt Minores Ordines conferre Clericis ſecularibus, etiamſi habeant litteras dimiſſorias à ſuis Epiſcopis ad huiuſmodi Abbates directas ſub nullitatis Ordines recipiendi pœna. Ita declarauit *Sac. Congregatio ſub die 27. Iunij 1631.* in qua cenſuit *Thomam Narduccium Camplenſem* promotum ad tales Ordines ab Abbate Campolenſi Ordinis Cœleſtini cum litteris dimiſſorialibus ſui Vicarijs Camplenſis inualidè ordinatum fuiſſe, atq; adeo indigere noua promotione. Ita habetur etiam apud *Ioann. Mariam Nouar. in lucer. Regul. v. Ordo.*

Dico quartò, quòd Abbas, ad quem ſpectat portare Sanctiſſimum Sacramentum, vel Reliquias in proceſſionibus, ſi nolit, vel nequeat, non poterit hoc munus alteri delegare, ſed vnus ex Presbyteris ſœcularibus eius Eccleſiæ ſuccedet in ſuo loco ſecundum præcedentiam inter ipſos. Ita *Sac. Congr. Rit. in Firmans Ter. S. Victoria 21. Martij 1618.*

Dico quintò, quòd Abbas Abbatiæ exemptæ non poteſt ſi ſit Epiſcopus in ea Ordines ſacros conferre abſq; licentia Epiſcopi, in cuius Territorio ſita eſt; at verò ſi Abbatia ſit nullius Diœceſis, quia habet populum diſtinctum poteſt in ſua Eccleſia Ordines etiam ſacros conferre ſi ſit Epiſcopus, populus enim eius omnino independens eſt ab Epiſcopo aliquo. Ita *Sac. Congreg. die 18. Aug. 1621.* quod etiam conſimiliter dicendum de Sacramento Confirmationis miniſtrando, vide *Barboſam in deciſ. Apoſt. Collect. 4. & Lezanam T. 2. v. Abbatia,* vbi etiam affertur declaratio Sacræ Congregat. in ſimili de Sacramento Confirmationis.

Dico vltimò, quòd Abbati Commendatario non datur liber Euangeliorum oſculandus, ex *Sac. Congreg. apud Gauantum in Rubr. Miſſal. p. 2. Tit. 6. n. a.* quibus exercent pleniſſimam iuriſdictionem, conſulat tamen vnuſquiſque ſuæ Congregationis approbatas conſuetudines, & priuilegia.

Vtrum Abbates, & alij Prælati habentes iuriſdictionem Ordinariam, habeant eamdem authoritatem abſoluendi, & diſpenſandi ſuos ſubditos conceſſam Epiſcopis in c. Liceat, à Conc. Trid.

DIFFIC. VI.

Datur Epiſcopis à *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* pleniſſima auctoritas diſpenſandi, & abſoluendi à reſeruatis etiam Sedi Apoſtolicæ, ſi caſus ſint occulti erga ſuos ſubditos ſub hiſce verbis: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus in delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcumq; caſibus occultis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis delinquentes quoſcumq; ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſoluere impoſita ſalutari pœnitentia.* Quæritur ergo in præſenti difficultate, an etiam alij Prælati Ordinarij habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſint vti eadem facultate diſpenſandi, & abſoluendi ſuos ſubditos.

Negant *Gonzalez de Beneficijs c. 11. p. 7. Suar. T. 4. diſp. 30. ſect. 2. & T. 5. diſp. 7. q. 5 punct. 1. n. 6* & alij, & afferunt quamdam declarationem Sacræ Congregationis, in qua decernitur talem poteſtatem competere priuatiuè quò ad omnes alios ſolis Epiſcopis, & ſatis quidem probabiliter, quia cùm iſta conceſſio Concilij ſit exorbitans à iure communi eſt ſtrictè interpretanda, nec extendenda ad alios, qui non ſunt verè Epiſcopi.

Attamen quia authentica non affertur declaratio allata Sacræ Congregationis, cui ſi foret authentica, omninò acquieſcendum; probabiliter mihi ſuadetur etiam opinio contraria affirmatiua, quia hæc conceſſio, licèt ſit exorbitans à iure communi, tamen eſt in fauorem animarum data, ratione cuius omninò eſt extendenda ad alios Ordinarios habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; & ratio eſt, quia non debent eſſe peioris conditionis animæ ſubiectæ huiuſmodi Ordinarijs non Epiſcopis, & parum eſſet iſtis animabus prouiſum, ſi ſemper ad Papam in occultis caſibus deberent facere recurſum, itaque ne videatur Concilium minus conſuluiſſe dictis animabus, dicendum eſt, quòd talis facultas data ſit Epiſcopis, non vt Epiſcopis formaliter, ſed quatenus habent iuriſdictionem Ordinariam ratione iuriſdictionis Ordinariæ, non autem dignitatis Epiſcopalis, ergo talis facultas tamquam fauorabilis pro ſalute animarum probabiliter extendenda eſt ad quoſcumq; Ordinarios Epiſcopalem auctoritatem habentes, ad hoc, vt æqualiter prouiſum ſit cunctis animabus in *d. capite ſacri Concilij*; Vide, quæ docet *noſter Vmarellus ver. Executor, §. 20. ſch. Z.* Ita etiam ex his docent *Rodriq. T. 1. qq. Regul q. 61. art. 9. Vecchius in Prax. nouit. diſp 9. Villalob. in ſumm. T. 1. tract. 21. diff. 9. n. 7. Caſpenſ. in cur. Theol. T. 2. tra. 25. ſect. 17. n. 18. Portel. v. Præl. poteſtas, n. 30. & ex alijs idem docent Auila de Cenſ. p. 7. diſp. 10. dub. 10. Sanch. in ſumm. T. 1. lib. 2. c. 11. Henriq. l. 6. c. 16. in Bul. Cœn lib. 3. §. 2. q 8. & Molyn. trac. 3.* & nouiſſimè *Diana p. 4. tract. 4. reſol. 221.* vtramq; opinionem probabilem putat, & probabiliorem videtur annuere affirmatiuã *in p. 7. tract. 3. reſol. 4.* quod etiam confirmari poteſt, quia præfata authoritas abſoluendi, & diſpenſandi data Epiſcopis per Concil. vt probant *Sayr. in Cl. Reg. l. 2. c. 11. Garz. de Benef. p. 7. c. 11. & Reta p. 4. caſ. 37. contra Bonacinam loc. cit. & Alterium de Cenſ. T. 2. diſp. 6. de ſuſpen. c. 3.* remanet apud Capitulum Sede Vacante, ergo datur non ratione Epiſcopalis dignitatis, ſed in fauorem gubernationis animarum, cùm verè Capitulum Sede vacante nō ſit Epiſcopus, ſed ſolùm habens iuriſdictionem Epiſcopalem, pari ergo ratione probabiliter dicendum de cæteris Ordinarijs iuriſdictionem Epiſcopalem habentibus, quod veniant nomine Epiſcopi in *dicto cap. Licet.* An autem

An Abbates, & Prælati Regulares gaudeant præfata Concilij authoritate erga ſuos ſubditos Regulares.

DIFFIC. VII.

In hac difficultate alij aiunt, alij negant, affirmant noſtri *Rodriq. Portell. & Sayr. loc. cit. & Fauſt. lib. 3. Theſ. Rel. q. 125.* propter eaſdem rationes in ſuperiori difficultate poſitas, & propter eaſdem negant Auctores contrarij. Verùm quicquid ſit de hiſce opinionibus certum videtur Prælatis Regularibus eandem auctoritatem, quæ conceſſa fuit Epiſcopis in dicto capite largitam fuiſſe à Pio V. die 21. Iunij 1571. vt refert noſter *Rodriq. T. 1. q. 61. n. 9.* ita etiam *Suar. & Marchi apud Dianam 8. p. tract. 3. reſol. 5.*

Vtrum autem Prælati locales Regulares habeant eamdem authoritatem abſoluendi, & diſpenſandi Epiſcopis datam à Cōcilio Tridentino erga ſuos ſubditos, affirmant noſtri *Rodriq. in Bulla fol. 910. & Portel. v. Abbas, n. 6.* ex priuilegio à Pio V. facto Prioribus localibus Dominicanis, vt per ſe ipſa poſſint in ſuis ſubditis in foro conſcientiæ vti omni authoritate abſoluendi, & diſpenſandi, quam habent Epiſcopi virtute Conc. Trident. qua authoritate poſſe vti etiam communicantes priuilegijs Dominicanorum, docet *noſter Portell.* qui etiam *in addit. loc. cit.* infert, quòd, licèt Concilium Tridentinum loquatur de diſpenſatione, vel abſolutione ab inhabilitate, & priuatione Officiorum, attamen, quia ſub nomine ſuſpenſionum veniunt huiuſmodi inhabilitates, & priuationes virtute talis priuilegij poſſint etiam ab iſtis priuationibus, & inhabilitatibus abſoluere, & diſpenſare Prælati locales, ita etiam *noſt. Rodr. in expoſ. motus proprij Pij V. de ingr. mulier. in Monaſt. Relig. num. 24.*

(·.·)

An

Digitized by Google

An Abbates Regulares, cæteriq́, Prælati Religioſi teneantur de ſuperfluis ex Redditibus Eccleſiaſticis facere eleemoſynas pauperibus.

DIFFIC. VIII.

ABbates, Priores, & alios Clericos curam animarum ſæcularium non habentes, teneri de ſuperfluis redditibus Eccleſiaſticis facere non ſolùm eleemoſynas pauperibus, ſed etiam eos inquirere debere ſicut tenentur beneficiarij Curati, vt Epiſcopi, & Parochi ea ratione ducti, quia Patrimonium Chriſti pauperibus debitum eſſe redditus Eccleſiaſticos, qui ſuperfluunt pro honeſta beneficiatorum ſubſtentatione aſſerunt nimis certè rigoroſè *Auendag. in reſponſ. Reſp. 19. Honcala, Lopez apud ipſum*,

At verò mitius, & probabilius id negant ex noſtris *Corduba*, quem citat, & ſequitur *Sanch. cum alijs in opuſc. T. 1. lib. 2. dub. 3.* quia Prælatis Regularibus non eſt data cauſa de pauperibus ſubſtentandis ex redditibus Monaſterij, qui loco pauperum prædicti Prælati habent Monachos, Oblatos, & familiares, quibus ex iuſtitia tenentur erogare redditus Monaſterij iuxta eorum honeſtas commoditates, & neceſſitates.

Illud tamen certum mihi eſt pauperibus inquirentibus eleemoſynas, licèt ex iuſtitia fortè non teneantur Prælati Regulares erogare de ſuperfluis, teneri tamen ex præcepto charitatis, quod fuſius dicetur infra *v. Eleemoſyna*.

Vtrum Abbas Regularis, cui collata eſt Abbatia ſecularis, ſi eam poſtea dimittat, fiat ſubditus, & cui, & ſi non redeat ad Religionem, cui acquirat.

DIFFIC. IX.

VIdentur aliqui diſtinguere, quòd ſi Abbas ſit de illis, qui habent propriam Diœceſim, quia eſt ſimilis Epiſcopo, vndè talis Abbas dicitur ſponſus ſuæ Eccleſiæ, ſicut Epiſcopus ab *Innocent. in cap. Quapropter, v. Viduitatis, de elect. & à Bart. in l. Si ita ſi quis, §. Is, cui, verſ. 3. ff. de legat.* Ideo Monachus habens huiuſmodi Abbatiam ſecularem, volunt, quòd à ſui Superioris obedientia omninò ſit exemptus, & ſoli Papæ, ſicut Epiſcopi ſubdatur, etiamſi renunciet Abbatiæ ſeculari. Ita videtur velle *Sanch. in Decal. l. 6. cap. 9. num. 35.* ſecus ſi ſit de Abbatibus illis, qui ſolũ vni Eccleſiæ præſunt, licèt ſint in illa Ordinarij, quia non ſunt ſimiles ita Epiſcopis, ſicut ij, qui habent Diœceſim, & poſſunt cogere Synodum, & viſitare ſubditas ſibi Eccleſias, quod ſanè credo multum congruere ad dignitatem Abbatialem extra Clauſtra cum tanta preeminentia habentem; attamen hoc licèt ſit congruum, non tamen neceſſarium ita, vt abſque ſpeciali priuilegio, vel conſuetudine legitima abſoluat talem Abbatem ab obedientia ſui Superioris Generalis, vt licitè in ſeculo remanere valeat.

Quare probabilius volunt alij de iure communi talem Abbatem hodie, quia ſunt vnita Monaſteria ſub vno Generali, remanere ſubditum ſuo Generali, à quo debet recipere aſſignationem alicuius Monaſterij, in quo degat. Ita *Panorm. in cap. Cùm ad Monaſt. n. 13. de ſtat. Monach. Graff. 2. p. Deciſ. l. 3 c. 23. num. 29. Tamburin. T. 1. de iure Abb. diſp. 13. quæſt. 4. nu. 5. Paſqualig. de Abb. Commendat. deciſ. 36.* Quod mihi ſuadet illud, quod Dignitas Abbatialis non mutat ſtatum Regularem ſubſtantialiter, nec tollit eſſe Monachum, licèt ſit Abbatia ſecularis, quia eadem eſt cum Abbatia Regulari; etenim eamdem habet iuriſdictionem Abbatia Regularis, & ſecularis, eodem modo benedicuntur Abbates tam Regularis, quàm ſecularis Eccleſiæ, vtunturq; Pontificalibus inſignibus; quòd autem Abbas ſecularis habeat maiorem iuriſdictionem, quia habet Diœceſim, non propter hoc habet aliquod ſubſtantialiter diſtinctum ab alio Abbate non habẽte, cùm non ſit magis Abbas vnus, quàm alter, licèt ſit maior Abbas vnus, quàm alter; itaque cùm Monachus factus Abbas Eccleſiæ ſecularis quantumcumque habet iuriſdictionem, & Diœceſim, remanet ſubſtantialiter Monachus; renuncians ergo Abbatiam, vel ab ea depoſitus, ſuo remanet ſubditus Generali.

Nec obſtat, quòd dicatur ſponſus Eccleſiæ ſuæ, atque adeò vtpotè ſimilis Epiſcopo abſoluatur à iugo obedientiæ; nam Epiſcopus conſecratur, & per conſecrationem abſoluitur à ſtatu Monachali, & aſſumitur ad ſtatum alium perfectiorem, vt habetur *cap. Statutum 18. q. 1.* vbi dicitur, *Quem Canonica electio à iugo Monaſticæ profeſſionis abſoluit, & ſacra Ordinatio de Monacho facit Epiſcopum, &c.* Abbas verò factus Monachus, vel Regularis etiam Eccleſiæ ſecularis remanet verè Monachus, & Regularis ſubſtantialiter, nec dicitur abſolutè ſponſus ſuæ Eccleſiæ Abbatialis ſicut Epiſcopus, qui per conſecrationem fit ſponſus ſuæ Eccleſiæ, ſed ſolùm ſimilitudinariè, quia gerit vicem ſponſi adminiſtrando ſuam Eccleſiam

Quare talis Abbas Eccleſiæ ſecularis quicumq; præciſo priuilegio, & conſuetudine ſuo Generali ſubditur, & ab eo puniendus, extra delicta, quæ ratione curæ animarum committeret, vt habetur *in c. Monaſt. de ſtatu Monach.*

Dices, Monachus factus Abbas perdit ius, quod habet ad monaſterium, vt ſubditus, & filius, à quo conſequenter non alitur, vt filius, & ſuperuenit aliud ius, vt alatur tamquam Pater, ergo ſi renunciat Abbatiæ, vel deponitur, non habet ius, vt alatur tamquam filius, & ſubditus à monaſterio, quia ius, quod extinguitur, non reuiuiſcit ex *c. Quæris, de Conſecr. d. 4.*

Reſp. quòd falſum ſit, Monachum factum Abbatem amittere ius ad monaſterium; nam licèt Superior inducatur in ipſo nobilius ius eſſe, ſcilicet Patrem, tamen cùm non abſoluatur à voto obedientiæ, verè eſt ſubditus habitualiter, & per accidens eſt, quòd hic, & nunc non obediat, vt patet in Superiori Generali durante ad tempus, qui poſt expletum officium remanet verè ſubditus.

Hinc tutius dicendum, talem Abbatem præfectum Abbatiæ ſeculari cuicumque, ſi renunciet, vel deponatur, omninò remanere ſubditum ſuo Generali, nec poſſe degere extra Clauſtra, vt Abbas exemptus à ſuo Superiori, præciſo priuilegio, vel conſuetudine legitima. Ita Doctores citati contra *Sanch. loco cit.* qui putat, quòd cùm verè remaneat Abbas, & ceſſet ſolùm adminiſtratio, non autem dignitas, poſſit remanere extra Clauſtra exemptus ab obedientia Superioris ſui, quod tamen congruum ſolum puto, & probabile, probabilius tamen practicanda contraria opinio.

Demum nota, quòd huiuſmodi Abbas Eccleſiæ ſeculari Præpoſitus, ſi ſit de illo Ordine, in quo vnuſquiſque fit filius monaſterij ſpecialis, pro illo lucratur *ex reg. Qui ſentit commodum, in 6.*, quia ſi renunciat, vel deponitur ad ipſum habet ius, vt alatur; ſi verò ſit de Ordine, in quo huiuſmodi filiatio non admittitur, ad Generalem pertinet, quod acquirit, quia ipſi ſubditur etiã ſi ex priuilegio Summi Pontificis eximatur, ad Religionem ſpectat, quod lucratur; Vide quę dicturi ſumus, *v. Regulares.* Vide *Nauarr. in c. Cùm dicatis, n. 72. & 73. & Molin. T. 1. de iuſt. diſp. 40. Riminaldum Iun. conſ. 343. n. 22. & conſ. 342. nu. 5. volum. 3. & conſ. 154. n. 5. vol. 2.* ex eo quod manet verè Religioſus ſubditus habitualiter ſuo Generali, & ſuæ Religionis filius, à quo alendus in caſu renunciationis, & depoſitionis; qui autem ſenſit incommodum, debet ſentire & commodum. Vide etiam *noſtr. Ang. v. Hæreditas, §....* Si verò talis Abbas moriatur extra Clauſtra, debet ſeruari diſpoſitio motus proprij *Gregorij XIII. incipit, Officij noſtri*, in quo præcipit, vt bona Regularium morientium extra Clauſtra incamerentur, & ad Cameram Apoſtolicam pertineant; Vide *noſtr. Portell. v. Bona, in addit. num. 1.* non tamen placet, quod ipſe docere videtur virtute talis motus etiam pertinere ad Cameram quæcumque bona Regularium etiam viuentium. Sed de hoc alibi.

Abbatiſſa.

Abbatiſſa vtrum eligi valeat Vidua effecta Monialis.

DIFFIC. I.

EX noſtratibus nouiſſimè *Portell. in dub. Reg. v. Abbas, n. 10. & Hyer. Rodriq. in compend. Reg. qq. reſol.* affirmant, quod etiam probat *Sanch. in ſum. T. 1. lib. 5. c. 5.* modò cętera habeat requiſita, & conſuetudo in contrarium non adſit, cùm ſtatus Vidualis caſtus Virginali æquiparetur, ergo ſi cętera habeat requiſita, & conſuetudo in contrarium non doceat, Vidua poterit fieri Abbatiſſa; at verò probabilius ex noſtris *Miran. in man. Pral. T. 1 q. 7. a. 6. nec non Caſtel. tract. de Elect. c. 17. & nouiſſimè Diana in dub. Reg. reſol. 99.* ex decreto Sacræ Congregationis prohibitum volunt fieri Abbatiſſam eam, quæ vidua fuit, & indultum ſpeciale Sedis Apoſtolicæ volunt requiri ad

hoc,

hoc, vt Vidua Monialis eligatur Abbatiſſa. Itaque, ſtante præfato decreto non poteſt tutè practicari prima opinio; Vide *Gauantum in man. Epiſc. v. Monial.* vbi refert *Decretum Sac. Congregat. ſub die 15. Iulij 1616.*

Abbatiſſa eligenda cuius ætatis debeat eſſe, & an vna ſoror alteri Germanæ Abbatiſſæ poſſit immediatè ſuccedere.

DIFFIC. II.

Dico primò, quòd *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 7.* ſub hiſce verbis præfixit ætatis tempus eligendis in Abbatiſſas: *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocumq; alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit, quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit, ſi hoc etiam incommodum Superiori, qui præeſt electioni videatur ex ijs, quæ in eodem monaſterio annum trigeſimum exceſſerit, & quinque ſaltem poſt profeſſionem emiſſam vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente, eligatur.* Hæc *Concilium Tridentinum* apertiſſimè ſtatuit, & ita in praxi ſeruatur; an verò Superior in tali caſu poſſit Monialem alterius monaſterij electam à Monialibus alterius monaſterij in Abbatiſſam ſtatim abſque Sacræ Congregationis licentia, ſola Concilij virtute transferre in aliud; Vide infra.

Dico ſecundò, quòd non repugnat iuri communi ſororem alteram ſuccedere in Abbatiſſatu alteri Germanæ ſorori immediatè tali officio functæ, modò canonicè, & ſine vlla fraude fuerit electa, quòd ſi adſint peculiares alicuius Ordinis Conſtitutiones id prohibentes, ſeruandæ ſunt. Ita *Sac. Congregatio in Vliſipponenſi 19. Aprilis 1619. apud Nouarium in lucer. Reg. v. Abbatiſſa, n. 8.*

Vtrum Monialis illegitima poſſit fieri Abbatiſſa.

DIFFIC. III.

Abbatiſſarum duplex genus; aliæ enim ſunt Abbatiſſæ perpetuæ, & benedictæ habentes iuriſdictionem in ſubditos extra Moniales, & iſtæ dicuntur verè Prælatæ; aliæ verò dicuntur Abbatiſſæ Triennales non benedictæ, nec iuriſdictionem habentes. Primi quidem generis Abbatiſſæ non poſſunt eligi Moniales illegitimæ abſque prævia diſpenſatione, quia iſtæ verè putantur eſſe Prælatæ; Prælatis autem interdicitur, vt ſint illegitimi, vt alibi dicetur; poſſe autem diſpenſari à ſuis Prælatis Regularibus, vt ſint Abbatiſſæ Moniales illegitimæ docent *noſt. Portell. v. Abbatiſſa, n. 7.* & ſequitur *Diana in dub. reg. reſol. 101.* Abbatiſſæ verò Triennales non benedictæ, ne fiant Moniales illegitimæ non requiri diſpenſationem aliquam, ex eo, quod cùm non ſint verè Prælatæ, non prohibentur eligi illegitimæ, docet *noſter Rodr. 2. p. c. 30. num. 12.* Tu autem in hoc caſu aduerte diligenter, quid ſui Ordinis Conſtitutiones ſtatuant, & quid laudabilis, & approbata monaſterij conſuetudo permittat.

Vtrum Abbatiſſa poſſit eligi Monialis occultè corrupta.

DIFFIC. IV.

Diſtinguunt aliqui duplex genus Monialium, alterum earum, quæ ſolemne votum ſolum profitentur Caſtitatis, alterum earum, quæ vltra votum ſolemne caſtitatis alio ſolemni ritu Virginitatis conſecrationem accipiunt, vt videre eſt apud *Turrecrematam.* Quare ſi fiat ſermo de Moniali primi generis ſi ſit occultè corrupta non peccat, etiamſi ſpontaneè petat eligi in Abbatiſſam, quia Virginitatis conſecrationem dum non recepit, ſufficit ſi verè caſtitati operam nauet in pœnitentia de habita corruptione; quid ſi fiat ſermo de Moniali ſecundi generis, ſi petat eligi, peccat mortaliter, ſi occultè fuerit corrupta, quia conſecratarum Virginum matrem ſe fieri debet erubeſcere, dum Virginitatis florem deperdidit; quòd ſi huiuſmodi Monialis occultè corrupta abſque ſua induſtria, ſed ſola ſpontanea Monialiũ poſtulatione eligatur Abbatiſſa, non tenetur ſuum prodere crimen, ſed poteſt poſt aliqualem renuntiationem recipiendi tantum onus proteſtando ſuam impotentiam, vt ſolent de more facere humiles Moniales, tuta conſcientia acceptare officium Abbatiſſatus, & illud licitè exercere, ſi dicta verbalis renunciatio orē acceptetur. Ita noſtrates aliqui *ex Bart. in l. 11. C. ſer. vel lib. l. 10. Bonacaſſ. lib. 1. Syntag. tit iur. de ſent. Excomm. vide etiam Turrecrematam eod. titulo in c. iudicial. Paluda. & Antonin. apud Sanch. in decal. l. 5. c. 54. n. 2.*

Vtrum Abbatiſſarum electio fieri debeat cum ſchedulis aſſignatis.

DIFFIC. V.

Generaliter loquendo, non eſt neceſſum, vt electio Abbatiſſæ fiat cum ſchedulis obſignatis, cum *Concilium Trid. ſeſſ. 21. c. 7.* concedat, quòd Epiſcopus, aut alius Superior ante feneſtellam vota audiat, vel accipiat.

Difficultas ergo eſt de Monialibus aliquibus Regularibus, quæ ratione alicuius Conſtitutionis ſpecialis tenentur ad electionem per ſchedulas faciendam.

Et quidem ſi ſermo ſit de Abbatiſſa ſubdita Prælatis noſtræ obſeruantiæ docet noſter *Rodriq. in ſum. T. 1. c. 105.* huiuſmodi Abbatiſſarum electionem factam ſolum oretenus coram Superiore abſque ſchedulis obſignatis eſſe omninò inualidam, quod probat ex *Bulla Sixti V.* quæ habetur *in Bullario fol. 1136.* vbi loquens de electione in ordine Fratrum Minorum de Obſeruãtia, ait, quòd electiones quorumcumque Superiorum, & Officialium per Fratres celebrandæ fiant per ſchedulas ſcriptas, & clauſas, decernens irritum quicquid in contrarium factum fuerit à quocumque. At verò nimis rigoroſè loquitur *noſt. Rodr.* contra electionem Abbatiſſarum in noſtro Ordine, dum Conſtitutionẽ præfatam de modo eligendi Superiores Fratres ab ipſis Fratribus extendit ad modum eligendæ Abbatiſſæ, maximè cùm in illa Conſtitutione non fiat mentio reuocationis modi eligendæ Abbatiſſæ dati à *Sacro Conc. Trid. loc. cit.* Itaque electionem huiuſmodi factam oretenus etiam Abbatiſſæ in noſtro Ordine validam puto iuxta modum à Concilio traditum, ita etiam *noſt. Portell. v. Abbatiſſa, in addit. n. 4.*

Vtrum Abbatiſſæ in electione poſſit ferre ſuffragium Epiſcopus; vel alius Superior.

DIFFIC. VI.

Affirmatiuè reſpondendum putat *Portel.* poſſe, ſcilicet Superiorem, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Ordinarius Regularis, vel ſecularis ſuffragium ferre in electione Abbatiſſæ, ea ductus ratione, quia Prælatus cum Monialibus ſubditis ſibi ad electionẽ concurrentibus facit vnum corpus morale in electione, cùm Prælatus tamquam caput tali electioni aſſiſtat, itavt inualida omninò fiat ſine eius aſſiſtentia, vel alicuius ab ipſo Delegati, itaque ſi ceteræ Moniales tamquam membra ſuffragium ferunt, multo maiori ratione Prælatus tanquam caput poterit in eadem electione ſuffragium ferre, quod *Portel. noſter in v. Abbatiſſa, n. 9.* confirmat ex praxi multorum Epiſcoporum, qui ſuffragati ſunt in electione Abbatiſſarum.

Verùm, licèt ſpeculatiuè videatur probabilis hæc opinio, attamen contrarium declarauit *Sac. Congregatio Epiſc. & Regul.* etiam in caſu, quo inter Moniales eſſet diſcordia circa electionem, vt refert *Lauorius lucubrat. l. 1. tit. 4. c. 24. n. 2. Caſtellin. de Elect. can. c. 17. Lezana T. 3. v. Abbatiſſa, n. 4. Tamburin. de iure Abb. diſp. 18. q. 6.* vbi addit electionem factam cum voto Epiſcopi, vel Superioris eſſe nullam, quod ſi non ſit concordia inter Moniales in eligendo, debet Præſidens aſſignare terminum competentem, intra quem debeant concordari, quo elapſo, ſi non elegerint, poteſt Superior quam maluerit, in Abbatiſſam eligere. Ita *Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in Aſſiſienſi 20. Nouemb. 1585. & Cremonenſi die 12. Octobris 1592.* Vide *Lezanam loco cit.*

Quare in praxi opinio noſtri *Portel.* non eſt ſeruanda ſtantibus præfatis Declarationibus Sac. Congregat. veris, & authenticis, quod non conſtat, quare cùm ſpeculatiuè ſaltem mihi probetur, ideo quæritur, ſtante probabilitate tali.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum Abbatiſſa in electione poſſit Prælatus abſens mittere ſuum votum per Procuratorem.

DIFFIC. VII.

EPiſcopo fuiſſe ſpeciali indulto conceſſum poſſe ſuum votum in electione Abbatiſſæ per Procuratorem mittere affirmat *Azor. T. 1. lib. 13. c. 10. q. 2. ex quadam Declaratione Sacræ Congregationis*, quam repetiri refert *in priuil. Minim. v. Conſilium*, addens ex eadem *Sacra Congregatione* poſſe Epiſcopum non ſolùm Procuratorem mittere, ſed etiam ſuum ſuffragium ſecretum in ſcripto. Verùm cùm de tali Decreto Sacr. Congregat. non conſtet authenticè, non videtur poſſe permitti abſentem quemcumq; mittere ſuum votum in aliqua Canonica electione facienda, quia non videtur eſſe ſecretò facta, ſicut iubetur in Sacris Canonibus, & pręcipuè *in c. Si quis, de Elect.* Verum eſt tamen, quòd tam Epiſcopus, quàm Superior Regularis abſens poteſt committere Pręſidi à ſe delegato in electione facienda, vt ſuo nomine ferat ſuffragium, cui maluerit in electione Abbatiſſę; ita etiam *noſt. Portel. vbi ſup. n. 4.*

Vtrum Abbatiſſa poſſit licentiare Monialem ſuam ad aliud monaſterium ſui Ordinis.

DIFFIC. VIII.

QVicquid ſit de iure antiquo certum eſt poſt *Decretum Pauli V. à Sacr. Congregatione publicatum ſub die 22. Nouembris* 1617. intimatum etiam Procuratoribus generalibus Ordinũ non poſſe Abbatiſſas quaſcumq; etiam cum licentia Epiſcoporum, vel ſuorum Pręlatorum Regularium ſuas Moniales licentiare, ſeu transferre de ſuo ad aliud monaſterium abſq; prę-uia ſpeciali licentia toties quoties talem translationem viderint neceſſariam impetrata à Sede Apoſtolica. An verò tale Decretum obſtet priuilegio Pręlatorum Regularium aliquorum, per quod ipſis indulgebatur, vt Moniales ſibi ſubditas ad aliud monaſterium ſuimet Ordinis fundandum, vel reformandum honeſto comitatu transferre valerent, alibi fortè demonſtrabitur.

Abbatiſſa an aliquid poſſit recipere in receptione Nouitiæ.

DIFFIC. IX.

ABbatiſſas aliquid poſſe recipere prohibitas à *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16. de regular.* vltra victum, & veſtitum Nouitiæ, nec etiam à conſanguineis eius poſſe recipere aliquid ratione commodati, vel mutui ſuſtinet ex noſtris *Rodr.* ſe retractans *in ſumm. T. 3. c. 144.* nam contrarium docuerat *in q. q. reg. T. 1. q. 48. art. 5. Villalob. in ſumm. T. 1. tract. 35. diff. 9.* quod etiam adſtruit *Suar. de relig. T. 3. tract. 7. lib. 5. c. 9.* Verum nimis fortè Monialium conſcientiam vexant pręfati D. D. quare non improbabiliter dicerem, ſi abſque vllo intuitu receptionis pręciſo omni dolo accipiat Abbatiſſa commodatum, vel mutuum à conſanguineis Nouitiæ non peccare Abbatiſſam, quia ex verbis Cõcilij videtur ſolum damnari receptio cum dolo, ita etiam noſter *Miranda in Man. Prel. T. 2. q. 8. art. 9.* quæ opinio tamquam mitior ſolùm conſulenda poſt factum ad tollendos ſcrupulos, ante factum tamen prior opinio, licèt rigoroſa, potius ſuadenda, quia in materia intereſſuum fęminis pręcipuè non ſunt laxandæ nimis habenæ, & fortè Concilium hoc conſiderans, in hac materia rigoroſè loquitur.

Abbatiſſa an poſſit paciſci de certa ſumma pecuniæ, donec dos promiſſa pro Moniali ſoluatur.

DIFFIC. X.

NEgarat noſter *Rodr. in q. q. reg.* poſſe Abbatiſſas paciſci de certa ſumma pecuniæ, donec dos pro Moniali ſoluatur, putans abſque labe vſuræ tale pactum practicari non poſſe. At verò ſeſe retractans *in addit. ad ſumm. t. 3. c. 144.* contrarium docuit, itaq; probabilius dicendum Abbatiſſas poſſe paciſci de certa ſumma pecuniæ arbitrio bonorum hominum, donec dos pro Moniali promiſſa ſoluatur abſq; aliqua labe vſuræ, etiam ſi monaſterium ſit opulentum; etenim ſi poteſt pro dote vxoris promiſſa, & non recepta paciſci maritus non eſſe deputandos fructus poſſeſſionis datæ in pignus, donec ſoluatur dos, ex eo quia debet alimentare propriam vxorem, ita etiam pari ratione poterit Abbatiſſa pro alimentanda Moniali paciſci de aliqua quantitate pecuniæ ſoluenda, donec dos promiſſa ſoluatur; ita docet noſter *Miranda tract. Monial. q. 8. art. 12. Hier. Rodriq. in Compen. reſol. 98. & Diana de Dub. Regul. reſol. 97.*

Hodie tamen *ex Decr. Sac. Congregat.* non poteſt tradi habitus Regularis cuicumq; fœminæ, niſi prius depoſitetur tota pecunia pro dote, & alimenta pro anno Nouitiatus ſoluantur. Vide infra *v. Nouitius.*

Abbatiſſa an poſſit dare licentiam ſuæ Moniali, vt ſibi legatum cenſum pro libito diſponat.

DIFFIC. XI.

MOniali, cui legata ſit aliqua quantitas pecuniæ ſuo libito diſponenda ſi cum aliquo ſeculari cenſum ineat ad ſui ſuſtentationem propriam de dicto redditu, qui cenſus poſtea fiat eiuſdem ſecularis, poſſe Abbatiſſam dare talem licentiam probabiliter autumo, quia quando ad libitum legatur pecunia, non videtur incorporata monaſterio, donec ipſa ſuum libitum exprimat, ergo poteſt dare licentiam, vt ineat pactum quomodocumq; ſibi placuerit facere pro ſui ſuſtentatione, qoia verè nõ dat licentiam alienandi res monaſterij, quod ſi talis pecunia fuiſſet incorporata monaſterio, non poſſet vtique Abbatiſſa dare licentiam, nec obſtare videtur *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 2.* prohibens Religioſos poſſe habere redditus, nec etiam de licentia ſuorum Pręlatorum, quia hoc procedit, quando Monialis prouidetur à Communitate de ſibi neceſſarijs; in caſu verò noſtro ſupponitur Monialem præfatam non habere à ſua Communitate neceſſaria ad ſui ſuſtentationem, quare videtur excuſata à prohibitione Concilij, vſquequo à Pręlatis conſulatur Communitati monaſterij. Aduerte tamen hoc ſolum licere Moniali pro veris neceſſitatibus, non autem pro fictis cauſis, pręcipuè pro donatijs mittendis; ita etiam docet *Rodr. p. 1. c. 9. n. 8. & 9.*

Abbatiſſa vtrum poſſit irritare omnia vota Monialium, & alia iuriſdictionalia exercere.

DIFFIC. XII.

ABbatiſſas poſſe irritare omnia vota Monialium, ſicut cęteri poſſunt Superiores Regul. habebitur infra fuſius *v. Votum*, Vide *noſtrum Rodr. 2. p. c. 91. n. 9.* Item poſſe eſſe capaces iuriſdictionis Ordinariæ, & delegatæ ex ſpeciali priuilegio Summi Pontificis, & conſequenter poſſe excommunicare, & alias cenſuras ferre docetur infra *v. Excommunicatio:* poſſe tamen conferre beneficia Clericis ſibi ſubditis, & eoſdem etiam ab officio, & beneficio ſuſpendere abſq; alio Indulto Summi Pontificis tenent *Gloſa in c. Dilecta filia, de Maiorit. & Obed.* & *Angel.* noſter *v. Abbatiſſa, § 4.* vbi notat etiam, quòd Clerici ita ſuſpenſi ab Abbatiſſa celebrantes, non ſint irregulares, quia eius ſuſpenſio facta abſque indulto Pontificis, non eſt cenſura Eccleſiaſtica, ſed ſimplex talis Officij depoſitio, vt colligitur ex *Panormit. in d. c. Dilecta.*

Vtrum Abbatiſſa tempore Iubilæi poſſit denegare ſuis Monialibus Confeſſorem extraordinarium in Bulla conceſſum.

DIFFIC. XIII.

ABbatiſſas tempore Iubilęi ex conceſſione data Monialibus à Pontifice de eligendo Confeſſario poſſe congregare Moniales, & ab eis exquirere quemnam vellent Confeſſarium extraordinarium tempore Iubilęi, & quem maior pars elegerit à ſuo Ordinario expetere, cęteriſq; electum denegare docent *Alfonſ. de Leone p. 2. q. 9. Molfeſ. in ſumm. T. 1. tract. 7. c. 16. Fauſt. de Iubil. lib. 4. q. 78.* Attamen opinio iſta parum videtur fauorabilis conſcientiæ Monialium. Quare dicendum puto, quòd ſi Abbatiſſa in Domino cognouerit Moniales aliquas expetere particularem Confeſſarium ſolum, vt occaſionem habeant cum ipſo confabulandi, vel alterius negotij ſecularis peragendi, & non pręciſè, vt ſuę conſcientiæ conſulant, tunc omnino poteſt pręfa-

ta

Digitized by Google

ta opinio ſuaderi, quia dolus nemini debet patrocinari, quod ſi dolus huiuſmodi omninò abſit,& Moniales aliquæ ſpecialem Confeſſorem poſtulauerint, vt ſuæ ſaluti ſpirituali confidentius, & diligentius inuigilent, non poteſt Abbatiſſa electum Confeſſarium ab ipſis denegare, cùm priuilegium detur in ædificationem animarum Monialium tempore Iubilęi, ita etiam docet *Bonac. de Sacram. diſp. 5. q. 7. punct. 4.*

An alloquentes Abbatiſſas excommunicentur ſicuti alloquentes cæteras Moniales.

DIFFIC. XIV.

POſito edicto, vt nullus Moniales alloquatur ſub pœna excõmunicationis ipſo facto incurrenda, quęritur an etiam alloquentes Abbatiſſas comprehendantur in pręfato edicto affirmat *Graff. de caſ. reſeru. lib. 2. c. 5.* quia eadem ratio militat circa Abbatiſſas,& cęteras Moniales. At verò probabilius puto non incidere in excommunicationem pręfatam alloquentes Abbatiſſas, quia ſicut dictum eſt, ſupra *ver. Abbas*, ſub nomine Monachorum in odioſis non venit Abbas, ergo ſub nomine Monialium in odioſis Abbatiſſa non venit; quare prohibens collocutionem cum Monialibus, de iure non prohibet collocutionem cum Abbatiſſa, niſi ſpecialiter exprimat prohiberi etiam collocutionem cum Abbatiſſa; ita etiam *Diana de dub. reg. reſol. 48.* §. *Nota tertiò*, quod etiam confirmari poteſt ex eo, quod aliquod indulgetur Abbatiſſæ ratione officij, quod non indulgetur alijs Monialibus apud ſacros Canones; vndè quando Moniales reliquæ debent colloqui cum aliquo, debent aſſiſtere duæ, vel tres Moniales *ex x. q. 49.* quãdo autem debet colloqui Abbatiſſa, ſufficit, vt vna vetula aſſocietur. *ex 18. q. 2. c. Diffinimus*, vt notat etiam *noſter Angel. v. Abbatiſſa*, §. 7.

Abeſſe.

Abeſſe quinam propriè dicantur.

DIFFIC. I.

DIcitur Abeſſe primò, qui alium audire, & intelligere non poteſt, quando in actione requiritur phyſica pręſentia, & de hac abſentia locutus eſt *Clemens VIII.* prohibens Confeſſionem Sacramentalem fieri abſenti, cùm ad hanc, vtpotè Auricularem, Phyſica pręſentia requiratur. Pęnitens ergo ſi abſit ita à Sacerdote, vt illum audire, & intelligere nequeat, non diceretur phyſicè pręſens, & per conſequẽs nulla eſſet abſolutio, quod ſi in tali loco eſſet pœnitens, vt poſſit audiri, & intelligi à Confeſſario, licèt abeſſet, puta per viginti paſſus, diceretur vtique pręſens, & poſſet abſolui, quia non dicitur propriè abeſſe, qui alium audire, & intelligere poteſt, quæ doctrina tuta conſcientia practicari poteſt in aliquo caſu incidenti, maximè tempore peſtis.

Dicitur abeſſe ſecundò eo tempore, quo quis ſe pręparat ad recedendum, & eo tempore, quo poſt reditum vtitur in componendis ſarcinulis; nam acceſſus, & regreſſus eſt priuilegiatus, ſicut ipſum negotium *ex cap. Cùm non deceat, de Elect. in 6. & Bart. in l. ab hoſtibus*, §. *Sed quid ſimpliciter, ff. In quibus cauſis Maior*, quæ doctrina fauorabilis eſt Canonicis, & alijs accipientibus portiones ex pręſentia, qui ſi priuilegientur, vt ratione negotij poſſint abſentes recipere tamquam pręſentes portiones, ſeu diſtributiones, poſſunt etiam eas accipere tempore, quo ſunt in loco, dum ſe pręparant ad recedendum, & poſt reditum, quo tempore vtuntur in componendis ſarcinulis accipere eaſdem diſtributiones, & portiones, licèt ad Chorum præſentialiter non conueniant, quam etiam doctrinam ampliandam putarem ad Commiſſarios accipientes ſalarium pro acceſſu, & receſſu, quia in lege Canonica, & Ciuili priuilegiatur eodem modo negotium, quo acceſſus, & receſſus pro eo, vt ſupra patuit.

Dicitur abeſſe etiam tertiò, qui mortuus eſt, quod notandum eſt pro ſtatutis aliquando loquentibus de abſentibus, quæ extendenda ſunt etiam ad mortuos, cùm verè mortuus dicatur abeſſe: *ex Gloſ. in c. Si delegatus, de off. & poteſt. Deleg. in 6.* Vide *v. Delegatus.*

Abeſſe num dicatur, qui cauſaliter abeſt, & adeſſe qui cauſaliter adeſt.

DIFFIC. II.

NEgant Canoniſtæ, & Iuriſtæ dici abeſſe eum, qui cauſaliter, ideſt ex probata cauſa abeſt, & taliter abſens volunt, quòd pro pręſenti habeatur; Vide *Abb. conſ. 62. in 2. Dubio, n. 10. colum. 2. & Bart. in l. Quæſitum*, §. *fin. de l. 3.* Hinc abſens cauſa ſtudiorum, & quacumque alia cauſa conſimili à iure probata, non dicitur abeſſe, ſed pro pręſenti habendus, & ex oppoſito, quod caſualiter adeſt, non dicitur adeſſe; vndè legans vxori omnia, quæ adſunt in domo, non dicitur legare ea, quę erant ibi cauſa mortis, infirmitatis, vel alterius negotij, quia hæc ibi erant ſolum cauſaliter, & non principaliter; vnde potius abeſſe, quàm adeſſe ſunt reputanda.

Abeſſe an dicatur, qui facilè ſpatio vnius diei accedere poteſt.

DIFFIC. III.

NEgant Iuriſtæ paſſim eum dicendum abeſſe, qui ſpatio vnius diei vocari, & accedere poteſt; nam *ex Authentica præſente, C. de fideiuſſoribus*, præſens eſſe dicitur, qui facilè haberi poteſt, & *Vulpianus* docet, quòd pręſens reputandus, qui in hortis, & qui in foro, & qui in Vrbe, & qui in continentibus edificijs, *l. 5. 6. & 7. ff. de Procurat. & qui in Vrbis continentia eſt; l. Abſen. ff. de Ver. ſignif.* Vndè abſentes dicuntur, qui in diuerſis Ciuitatibus, Territorijs, & Regni partibus commorantur. Verum eſt tamen, quòd ad effectus pręſertim pręſcribendi poſſunt pręſentes dici illi, qui in eadem Regni parte habitant, ne dum in eadem Ciuitate; Vide *Panormit. C. de quarta, n. 30. de Præſcriptionibus, Tuſcum concluſ. 572. Maſcar. concluſ. 7. Bonac. de Reſtit. diſp. 1 q. vlt. punct. 2.* Ex hac autem priori partę doctrinæ collige, quòd

Abſentia Pręlati Regularis vltra vnum diem naturalem transfert in Vicarium facultatem attributam tali Pręlato ex qualibet Conſtitutione abſoluendi, & diſpenſandi ſubditos, quia ſicut abeſſe non dicitur, qui ſpatio vnius diei vocari poteſt, ita è contra, verè abeſſe dicitur, qui vltra vnum diem vocari non poteſt, & ita declaraſſe *Pium V.* refert *noſter Rodriq. T. 1. regul. q. q. q. 61. art. 9.*

Ex poſteriori autem parte præmiſſæ doctrinæ collige, quòd

Abſens quando dubitatur extra ne, an intra Prouinciam ſit, debet iudicari, quòd ſit intra, ſi abſenti ſit fauorabile, quia in dubijs fauorabilibus reſpondendum ex communi Iuriſtarum axiomate; Vide *Nald. v. Abeſſe.*

Vtrum abſens vocandus ad actus Capitulares.

DIFFIC. IV.

NEgant paſſim Iuriſtæ abſentes vocandos ad actus Ciuiles, & Capitulares, ſiue intra, ſiue extra Prouinciam ſint, quia ſubſtantia electionis habetur per præſentes. Attamen valdè æquum eſt apud Religioſos, ſi commodè fieri poteſt, vt vocentur etiam abſentes extra Prouinciam, & ſi conſuetudo adſit decem annorum numero comprobata, vt vocentur abſentes, omnino vocandi ſunt, quia conſuetudo ex iuſtitia facit in tali caſu, vt abſentes ſint vocandi, an vero niſi vocentur, lectio ſit valida, attendatur conſuetudo preſcripta cuiuſcumque Capituli, de iure tamen volunt multi, quòd licèt vocatio abſentium ſit de iuſtitia, non tamen de ſubſtantia electionis; vndè dicenda eſſet valida, ſed de hoc infra fuſius *v. Electio.*

Vtrum abſens aliquando præſumatur habere animum non redeundi; Et an longa viri abſentia det vxori facultatem alteri nubendi, ſi mors neſciatur.

DIFFIC. V.

ABſentem per quinquennium præſumi non habere animum redeundi, & per conſequens eius officium vacare docent Iuriſtæ; Vide *Maſcar. Concl. 1290. n. 17. vol. 3.* quod tamen limitandum puto cum *Salon. q. 62. art. 5. controu. 4.* quando diſtantia magna, vel grauitas negotij peragendi aliud non ſuadeant,

Digitized by Google

deant, quæ ſi non adſint, Canonicus, vel Curatus, qui de neceſſitate præcepti debent reſidere per quinquennium à ſua Eccleſia, ſi abſuerint, vacare ſua beneficia eſt præſumendum, itavt ea alter iure queat impetrare, & obtinere.

Adde, quòd Canonicus abſens à ſuo Canonicatu per annum continuum debet priuari medietate fructuum, ſi iterum alio anno continuo fuerit vſus eadem negligentia priuandus omnibus fructibus, quos lucratus fuerit eodem anno, quod ſi perſeuerauerit in abſentia, priuandus non ſolùm fructibus, ſed etiam beneficio. Ita *Sac. Congregatio, teſte Armendar. in addit. ad Compilat. leg. Nauar. l. 2. Tit. 23. de Reſip. & Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 53. n. 146.* Bonus tamen Iudex arbitrabitur quanto tempore præter aſſignatum expectari debeat, antequam pœnas præfatas abſentiæ exequatur, eadem *Sac. Congregatio apud Garziam de Benef. p. 3. c. 2. n. 141.*

Abſentiā autem viginti quinque annorum viri, qui diſceſſit ab vxore, ſi nec per tãtum tempus eius notitia habita fuit an viuat, an verò ſit mortuus, non eſt ſufficiens tempus, vt eius vxor poſſit tranſire ad ſecundas nuptias. Ita *ex declaratione Sac. Congregationis in Mediolanenſi 20. Septembris 1627. apud Lellium in ſelect. Can. c. 20. n. 3.*

Abſenti facta donatio an valida.

DIFFIC. VI.

ABſenti factam donationem etiam Notario ſtipulante pro ipſo, nullam eſſe antequam acceptetur à Donatario, vt dicetur fuſius *v. Donatio*; Vndè ſi Donatarius decederet, antequam donationem ſibi factam acceptauerit, eius hęredes nullum ius acquirunt ad rem talem donatam, quare nec pertinet ad eos donationem acceptare, nec bona per donationem talem conſequi, ſed ad donantem ſpectant.

Abortus.

ABortus à v. abortio, quod immaturam dicit natiuitatem, ſuam ducit deriuationem, qui ſi omnino ſit caſualis, nullum inducit crimen, ſi autem doloſè procuretur, crimen homicidij eſt, maximè ſi fœtus erat animatus. Quare ſit

In Abortu quomodo cognoſcatur fœtus fuiſſe animatus.

DIFFIC. I.

COmmunius DD. volunt Abortum, ſi fiat poſt quadraginta dies, & cognoſcatur fœtus eſſe maſculus, omnino dicendum fuiſſe animatum, ſi verò ante quadraginta dies, non reputari animatum; ſi autem cognoſcatur fœtus eſſe fœmineus poſt octoginta dies volunt fœtum eſſe animatum, & non antea: in dubio verò maſculus ne, an fœmina ſit fœtus, vndè ex data doctrina non poſſit cognoſci animatus, ne fuerit, an inanimatus in abortu, debet vtiq; fœtus iudicari maſculus, atq; adeo animatus, ſi poſt quadraginta dies fuerit abortus: in dubijs enim ex *Scoti* doctrina tutior pars eſt amplectenda; ita etiam *noſter Vngarell. v. Abortus apud Angelum ſch. A.* imò ita practicari in Sacra Pœnitentiaria Romana docet inter alios *Nald. v. Abortus.*

Quibus pœnis ſubiaceant procurantes Abortum, & an gaudeat immunitate Eccleſiaſtica.

DIFFIC. II.

DE iure Ciuili latas eſſe pœnas debitas pro homicidio contra procurantes abortum fœtus animati, docet *noſter Angel.* cum *Vngarell. loc. cit.* quò ad forum verò animæ per *Xiſtum V.* promulgatæ fuerunt excommunicationes ipſo facto, & aliæ pœnæ etiam contra procurantes abortum nondum animato fœtu; Verùm poſtea per *Gregorium XIV.* prędictæ pœnæ quò ad fœtum inanimatum moderatæ fuerunt, & ad ius commune reductæ; quò ad animatum verò integræ practicantur, quia in ſuo robore permanere voluit idem *Gregorius*, vt patet ex verbis ſuæ Conſtitutionis; An verò excommunicatio lata contra procurantem abortum poſt fętum animatum, tollatur ab eo, qui habet poteſtatem abſoluendi ab omnibus excommunicationibus Epiſcopo reſeruatis, affirmandum puto cum *Bonac. de peccat. diſp. 2. q. 1. punct. 4.* qui etiam infert propinantem mulieri poculum ſterilitatis ante conceptum fœtum non incurrere hanc excommunicationem. An verò etiam mulieres conſulentes poculum ad abortum poſt animatum fœtum procurandum, incidant prędictam excommunicationem, affirmatiuè reſpondendum, quia excommunicatio prędicta extenditur à Pontifice etiam ad cooperatores potione, conſilio, fauore, & ope; Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Abortum autem procurans cum medicamentis malis non gaudet immunitate Eccleſiaſtica, itavt poſſit ab Eccleſia extrahi, ſi ad eam confugerit ex *Sac. Congreg. ſub die 3. Decemb. 1632.* apud *Lezanam T. 2. v. Abortus, n. 20.*

An liceat Abortum procurare in aliquo caſu, ſi fœtus ſit animatus.

DIFFIC. III.

IN duobus præcipuè caſibus pręſens difficultas venit examinanda.

Primò, an matri extremè indigenti pharmaco ad ſuam ſalutem recipiendam cum certo periculo fœtus, poſſint dari potiones facientes abortum, fœto non animato, in quo caſu, licèt multi negauerint, attamen affirmant communius licere, quando fœtus non eſt animatus dare potiones medicinales matri prægnanti, & ægrotanti cum certo periculo fętus, ſi nulla alia adſit via ad ſalutem recuperandam, & ratio eſt, quia fœtus, quando non eſt animatus, nulli fit iniuria, nec animæ periculum ſubitur, ſi fiat abortus; tum quia potior eſt ſalus matris viuentis, quàm fœtus inanimati, ergo potius reſpectus eſt habendus ad ſalutem matris viuentis, quàm fœtus inanimati. Ita ex *noſtris Corduba, & Rodr. p. 1. c. 5. Arragon. Sayr. Leſius, Henriq. Reginald.* & *Sanch.* quos citat, & ſequitur *Layman in Theol. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 3. p. 3. c. 4.*

Secundus caſus accidere poteſt in pręſenti difficultate, quando ſcilicet imminet periculum vitæ, vel magnæ infamiæ puellæ nobilis prægnantis, an liceat procurare abortum, quando fętus non eſt animatus, vt ſeruetur vita, & fama talis puellæ, negant *noſter Bellochius in Pr. Theol. mor. p. 2. q. 8. n. 78. Filiuc. T. 2. tract. 29. c. 6. Sanchez de matrimonio T. 2. lib. 9. diſp. 20. Diana p. 6. tract. 8. reſol. 37.* & alij communiter, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona. Attamen non deſunt, qui probabiliter opinantur poſſe, quando aliter non poteſt euadi periculum certum vitæ, & magnæ infamiæ pręcipuè puellæ nobilis, vndè facilè inimicitiæ notabiles poſſent oriri, licitè procurare poſſe abortum, modò fętus non ſit animatus, quia ſi fœtus non animatus pereat, nulli fit iniuria, & maxima fieret iniuria pręgnanti, & familiæ, ſi non ſequatur abortus, nec eſſet facere malum in hoc caſu, vt veniant bona, quia procurare abortum fœtus inanimati ad vitandum imminens periculum vitæ, & famæ exuit rationem mali, & recipit rationem boni, cùm de iure naturæ potius ſit eligendum vitam, & famam ſeruare viuentis, quam deſtruere eſſe non viuentis; Ita *Torreblanca de Mag. lib. 2. c. 43. Zarabel in repert. mort. v. Medicus, n. 15. Bordonus in Conſ. regul. reſol. 4. q. 4. n. 4. in fin. Lezana in ſumm. q. q. regul. T. 3. v. Abortus n. 5.* & *AEgidius Trull. in Decal. T. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. n. 1.* quę opinio defendi poteſt probabiliter, ſi probabiliter ſuſtentari debeat, abortum fętus inanimati, non eſſe intrinſecè malum; dato enim, quòd non ſit intrinſecè malum, poteſt vtique ex circumſtantia præfata periculi, & famæ bonificari; an verò ſit intrinſecè malum procurare abortum fœtus inanimati, ſpeculatiua fortè ratione negari poſſet, quod tamen in praxi ante factum non conſulerem faciliter.

Vtrum procurantes abortum fœtus animati liceat in præfatis Caſibus.

DIFFIC. IV.

DIſtinguendum puto in primo caſu matris prægnantis infirmæ; nam ſi medicinæ ſunt ordinatæ directè, & immediatè ad matris ſalutem, per accidens verò, & indirectè ad fœtus animati deſtructionem, vt ſunt ſectio venæ, pharmaca purgatiua, & conſimilia, licitum eſſe aiunt, quando aliter ſalus matris nõ poteſt haberi, niſi vti talibus medicinis, etiã cum certo periculo fętus animati; ita *noſter Rodr. & alij DD.* communiter; nam

ſicut

ſicut licitum eſt bellum iuſtum agere, quamvis indè ſequatur per accidens mors innocentis, ita etiam poteſt dari medicina licitè matri iuſtè indigenti, licèt per accidens ſequatur etiam fętus animati mors; quod ſi medicinæ, & remedia tendant, & magis directæ ordinentur ad occidendam prolem, quàm ad ſalutem certã matri reddendam, negant DD. vt notat *noſter Corduba apud Rodr. loc. cit.* poſſe dari matri prægnanti huiuſmodi pharmaca cum periculo certo fœtus animati, quia tunc mater non indigeret extremè illa medicina, cùm poſſet ſumere aliam directè ſanatiuam; tenetur enim curare, ne fętus animatus directè patiatur, quod tamen maius dubium faceſſit in hac difficultate, eſt

An quando medicina æquè ordinatur, tam ad matris ſalutem, quàm ad fętus animati occiſionem, nec habetur certitudo moralis, vtrum magis ſit profutura matri, an magis nocitura fętui, poſſit abſque ſcrupulo dari, & ſumi talis medicina, negant *noſtri Rodr. & Corduba loc. cit. Lopez, & Vegha* apud *Sanch.* vbi ſupra licitum eſſe huiuſmodi medicinam, quia vterque in hoc caſu eſt in æquali poſſeſſione ſuæ vitæ, ergo mater cùm non ſit ſecura de ſua ſalute per talem medicinam, non debet ſe exponere periculo occidendi fętum animatum.

Attamen probabilius videntur affirmare *noſter Villalob. in ſumm. T. 2. concl. 12. dub. 13. n. 2. Ioann. de la Cruz in Direct. p. 1. praecp. 5. q. 1. dub. 7. concl. 3. & 4. Sanch. de Matrim. T. 3. lib. 9. diſp.* 10. quibus adhęrere etiam videtur *Diana p. 3. tract. 5. Miſc. reſol.* 11. nec noſter *Rodr.* cum *Layman*, videtur improbare; nã pręferenda eſt ſalus matris in paritate rationis, & teneri volunt medicum ad præbendam talem medicinam, quæ ęquè ſit directa ad matris ſanitatem, quàm ad occiſionem fętus, multo magis quando dubium eſt, an magis ſit profutura matri, an magis nocitura fętui animato, & rationabiliter, quia potior eſt in iure ſeruãdæ ſuæ vitæ mater, cùm potior ſit conditio poſſidentis prius, prior autem eſt mater in poſſeſſione vitæ, quàm fętus animatus, pręterquamquod pluris æſtimatur vita parentis, quàm fętus, ergo in paritate rationis, vel in dubio potius prouidendum eſt matri, quàm fętui.

In ſecundo autem caſu de puella nobili prægnanti ſubitura periculum vitæ, & famæ, niſi procuretur abortus animatus, an liceat quamvis renuat mens mea in quæſtionem adducere, ne in iſta materia fręna nimium concedantur libidini operam dantibus.

Attamen, cuiuſdam Theologi licere abortum fętus animati etiam procurare ad puellæ nobilis vitam, & honorem defendendum protenuientis rationes, quas adducebat, diſſoluere non videbitur nec importunum, nec inutile.

Contendebat enim, quòd ſi certa ſit mors ſecutura in puella nobili pręgnanti cum magno ſuæ familiæ dedecore, & certo inimicitiæ grauis periculo licere abortum etiam fętus animati procurare eo fundamento, quia ſicut vir nobilis ſi aggrediatur ab aliquo, quamvis poſſet fugere, & ſic euadere mortem, poteſt tamen ſe defendendo licitè occidere, quia fuga eſſet ei dedecori, ratione ergo ſui honoris ſeruandi poteſt quis occidere aggreſſorẽ, licèt nõ ſeruet moderamen inculpatæ tutelæ, nec ex eo, quod occidendo aggreſſorem, eius anima ſubit damnationis periculum, debet ſe retrahere ab occidendo, vt ſuo honori conſulat, immò cum tali periculo licitè, & ſine peccato occidit, vt ſuam vitam ſine dedecore ſuæ nobilitatis defendat; ita à pari protenuiebat, quòd puella nobilis prægnans, vt ſuam vitam abſque dedecore ſuæ nobilitatis, & aperto periculo inimicitiæ grauiſſimæ poteſt procurando abortum occidere fœtum animatum nullo habito reſpectu ad ſalutem ſpiritualem, vel corporalem infantis, cùm potiorem deceat eſſe defenſionem honoris, & certæ ruinæ deuitationẽ, quàm ſit ſalus ſpiritualis, vel corporalis fętus animati, quia ſibi magis tenetur cauere mulier, & ſuæ familiæ honori, & indemnitati, quam fœtus animati ſaluti, & potius animæ ſuæ ſaluti ſpirituali, quàm ſuæ prolis; nam ſi depręhendatur prægnans certè occidenda, certum etiam ſubibit ſalutis æternæ ruinam, & ſuæ familiæ nobilitatis dedecus; vt ergo conſulat ſuæ ſaluti ſpirituali, corporali, & honori protenuiebat hic Theologus poſſe puellam prægnantem licitè procurare abortum fœtus animati.

Nec obſtare ſubiungebat, quòd puella iſta non gaudeat in iſto caſu priuilegio iuſtæ defenſionis ex eo, quod dedit operam rei illicitæ, dum præter leges matrimonij fornicariè comprehenditur pręgnans; nam etiam aggreſſus, qui dedit operam rei illicitæ, puta ſi fuerit inuentus cum vxore à marito, ſi defendendo ſe ab eius marito eum occidat, licitè occidit, quia dare operam rei illicitæ non tollit iuſtæ naturalis defenſionis priuilegium.

Ex quibus inferebat etiam procurantes abortum fętus animati non incurrere pœnas latas contra huiuſmodi abortum procurantes, quia pęnæ feruntur contra mortaliter illum procurantes, in hoc autem caſu nullum putabat eſſe peccatum, cùm cauſæ adſint à peccato excuſantes.

Cęterum hæ rationes nullius ſunt roboris, nec propoſitum ab eo intentum concludunt; nam certum eſt nullo modo licere primariò, & per ſe innocentem occidere, cùm vetita ſit occiſio de iure Diuino; licitè autem occiditur aggreſſor quicumq; licet foret fortè aggreſſor moraliter iuſtus, vt ſupponitur de marito aggrediente deprehenſum cum propria vxore, quia nullus aggreſſor hominis eſt innocens de iure naturæ, cùm contra ius naturale ſit facere alteri, quod tibi nolles fieri; naturali ergo ratione dictante poteſt quis ſe defendere contra aggreſſorem, eumq; licitè occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, ex eo quòd licet vim vi repellere cum dicto moderamine, vt alibi fuſius explicabitur.

In hoc autem caſu Infans in vtero puellæ eſt omninò innocens nullam habens in ſe cauſam primariam malitiæ ob quam mater occidatur, & periculum ſubeat ſalutis, & honoris; ergo non licitè occiditur, adde, quòd nullam vim facit matri prægnanti infans, ob quam repellendam liceat ipſi eum occidere; ergo ratione defenſionis non poteſt procurare eius abortum.

In rationibus autẽ adductis à Theologu præfato ſemper concluditur licita occiſio, quia ſemper ſupponitur occiſor repellere vim ſibi illatam; itaque vtrobique non eſt par ratio, cùm in hoc caſu nulla vis repellatur, ob quam liceret abortum curare.

Dicet fortè, pręgnans mater infirma poteſt ad vitam tuendam accipere medicinam, ex qua ſequatur abortus, ergo etiam in tali caſu.

Reſp. eſſe diſparem rationem, nam mater infirma ſumens medicinam neceſſariam ad ſuam ſalutem per ſe primò intendit ſuam ſalutem nullo modo intendens mortem ſuæ prolis, vndè per accidens ſequitur mors fœtus in ſuo ventre; at verò in caſu pręfato intenditur per ſe primò mors fętus animati per abortum, atque adeo non licet.

Abſolutio.

Abſolutio Sacramentalis à peccatis actiua cuinam competat.

DIFFIC. I.

ABſolutionem Sacramentalem à peccatis ſoli Sacerdoti Chriſtiano ritu Catholico ordinato de fide eſt conuenire, vt patet ex definitione *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.* & *Florent. in litteris Eugenij*; itavt à nullo alio, etiam ſi ſit Diaconus impartiri validè queat, quia ſicut verba illa in Euchariſtiæ inſtitutione *Hoc facite in meam commorationem*, ſolis Apoſtolis Sacerdotes repręſentantibus, quibus ex officio competit dumtaxat Euchariſtiam conficere, directa fuere, ita etiam illa verba *Ioannis* 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, dicta fuerunt Apoſtolis quatenus Sacerdotes erant, ergo ſoli Sacerdoti competit abſoluere à peccatis; actus enim abſolutionis iudicialis eſt, qui nequit exerceri, niſi ab habente poteſtatem, quam ſolis Sacerdotibus datam fuiſſe teſtatur communius Eccleſiæ, & Patrum ſenſus; hinc *Diuus Auguſtinus de Pœnit. diſt. 6.* ait: *Qui vult confiteri peccata ſua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem*; Idem proclamant communiter Theologi, *D. Bonau. Scot. Riccard. D. Tho. & alij in 4. diſt. 17. Angel. & cæteri Summiſtæ v. Confeſſio, Onuphr. de ſigil. ſect. 3. q. vn. Sayr. de Pœnit. c. 24. Valent. T. 4. diſp. 7. Suar. de Sacram. diſp. 16.* & alij communiter, contra quam Doctrinam Catholicam nihil facit auctoritas *D. Iacobi cap. 5. ſua Epiſtolæ Canonicæ*, dum ait: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; nam vel ibi loqui D. Iacobum de Confeſſione extra Sacramentali humiliationis cauſa facta dicendum, vt volunt *Scot. in 4. diſt. 17. Reginald. lib. 1. n. 6. Coninch. diſp. 8. dub. 1. & Onuphr. loc. cit.* vel dicendum eſt loqui de Sacerdotibus inter ſeſe, itavt *ly alterutrum*, referatur ad Sacerdotes approbatos, vt docent *Filiuc. tract. 73. 7. q. 4. Bonac. de Pœnit. q. 7. punct. 1. & Suar. loc. cit.* vnde *in Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. & can. 9.* vndè iure damnãtur aſſerentes quemcumq; etiam laicũ poſſe abſoluere à peccatis, quam hęreſim docuerunt *Valdenſes, Haſſitæ, Vuiccleſphitæ*, vt videre eſt *in Bulla Martini V. in*

Conc.

Digitized by Google

Conc.Conſtantien. quam etiam amplexus eſt poſtea *Lutherus*, vt referunt *Bellarm. de Sacram. in gen. cap.* 24. & *Roffenſis cap.* 3. quinimmò maledictus *Lutherus* magis impiè mulierem etiam poſſe à peccatis abſoluere crocitauit.

An verò in neceſſitatis articulo poſſit abſolutio à peccatis etiam à Laico aliquando impendi.

DIFFIC. II.

AFfirmarunt *Magiſter ſententiarum, & D.Th.in 4.diſt.*17. *cum Gloſa extra de Off. Ordinand. C. Paſtoralis, & alij*; tum ex *D. Auguſtino de Pœnit. in c. Quem pœnitet*, quia, vt ait *Sanctus Th. loc. cit. q.*2. Sicut Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, ita & Pœnitentia, ſed quicumque etiam laicus eſt miniſter Sacramenti Baptiſmi, ergo etiam in neceſſitate erit Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. Verùm communiter reiecta eſt à Theologis hęc ſententia, quia actus iudicialis nullo modo poteſt exerceri validè à non habente poteſtatem; laico autem numquam collata eſt huiuſmodi poteſtas, vt patuit ſupra, nec valet ratio adducta de Baptiſmo, quia non datur per modum actus iudicialis, & ideo poteſt à quocumq; impendi in neceſſitatis articulo; prę terquamquod congruit, vt Baptiſmus à quocumque in neceſſitate miniſtrari valeat, non autem abſolutio, quia Baptiſmus eſt neceſſarius ſimpliciter maximè paruulis non habentibus vſum rationis, ad hoc, vt regno Cælorum potiantur; at verò abſolutio non eſt ita ſimpliciter neceſſaria, quia ſolùm adulto datur, qui in neceſſitate, & in Sacerdotis defectu, actum Contritionis cum Dei adiutorio emittere poteſt, & ita ſaluari, vndè magis cõgruit, vt communior ſit Miniſtri Sacramenti Baptiſmi, quàm Pęnitentiæ. Quare communiter negant Theologi in abſentia Sacerdotis abſolutionem petendam à laico; Ita *Scot. D.Bonau. Riccar. in 4. diſt.*17. & *Angel. noſter v. Confeſſio, Onuphr. Suar. Valent. Bonac. Filiuc. Reginal. Coninch. loc. cit.* Excuſari tamen poſſet *Magiſter ſententiarum*, vt docet noſter *D. Bonauentura*, quod voluerit laico confitendum ex ſolo conſilio, non quod talis Confeſſio ſit Sacramentaliter valida, ſed quatenus per talem Confeſſionem oſtendit velle facere, quod in ſe eſt, quo etiam modo excuſari poſſet *D. Tho. ad Gloſſam autem, & D. Auguſtinum* reſpondet *noſter Vngarell. loc. cit. Scholio C.* ex eademmet doctrina D. Bonauenturæ, quod locuti ſunt ſolùm de conſilio, non autem de neceſſitate, vel meliusdicas *ex Scoto diſt.*17. §. *Si verò quæras*, ſic docente: *Talis Confeſſio poteſt eſſe materia verecundiæ, quæ eſt vna pœna debita peccato, & in hoc confitens ſoluit aliquam pœnam, quàm ſolueret, ſi confiteretur Sacerdoti, ſed quia accuſatio ad hoc, ex præcepto fit, & non ad aliud, vt ſequatur ſententia, & laicus nullam habet ſententiandi auctoritatem in iſto foro, ſequitur, quòd nullum præceptum eſt de accuſando ſe laico, & fortè melius eſſet non accuſare ſe illi, ſi poſſet talem verecundiam habere apud ſe recogitando eadem peccata, & ſic æquè puniri.* Hæc *Scotus*, & paulò infra ſic loquitur: *Quid igitur de malefactoribus damnatis confitentibus laico? Reſpondeo, ſimplicitas excuſat eos, ne in hoc peccent, & humilitas eorum eſt meritoria pro quanto volunt illud, quod pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ ſupplere, ſicut poſſunt, ſed viro diſcreto, qui benè ſciret, ad quid eſt Confeſſio inſtituta, nec fortè vtile foret, nec fortè neceſſarium talem Confeſſionem facere.*

Abſoluat nè Sacerdos à peccatis oſtenſiuè ſolùm, an verò etiam miniſterialiter.

DIFFIC. III.

ANtiquiores quidem Theologi cum *Magiſt. ſentent. in 4. diſt.*18. docuerunt Sacerdotes ſolùm oſtenſiuè peccata per abſolutionem dimittere, idest per abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ oſtendi ſolummodo à peccatis liberatos peccatores, nullo autem modo propriè abſoluere Sacerdotes; aiebat enim *Magiſter ſent.* quòd eo modo, quo Sacerdotes veteris legis non mundabant à lepra, ſed ſolùm oſtendebant mundatos, iuxtà illud dictum Chriſti ad leproſos: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, ita etiam volebat, Sacerdotes nouæ legis non verè abſoluere, & iuſtificare peccatores.

Verùm hæc opinio hodie à *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *c.*6. & *can.*9. damnata eſt, & licèt aliqui voluerint trahere in hanc opinionem damnatam noſtrum *Alenſem 4.p. q.*80. *m.*1. *a.*1. & *m.*2. *ar.*2. & *D.Bonau. in 4. diſt.*18. *a.*2. *q.*1. dum dicunt Sacerdotem per modum deprecantis, & impetrantis de congruo pęnitenti diſpoſitionem ad gratiam, & ita abſoluere, & ideo pręmitti volunt ante abſolutionem *Miſereatur tui, &c.* Tamen alijs in locis ſe ſe explicant iſti *DD.* quòd Sacerdos abſoluens licèt non imperatiuè principaliter gratiam conferant per abſolutionem, benè tamen imperatiuè miniſterialiter, vt videre eſt *Alenſem 4.p. q.*60. *m.*1. *art.*3. & *latius q.*73. *m.*5. *a.*7. & *D.Bonau. in 4. diſt.*17. *a.*4. *q.*3. & *a.*2. *q.*4. Quare communius antiquiores, & moderniores Theologi *Scot. in 4. diſt.*14. *q.*4. & *diſt.*18. *q.*1. *a.*2. *Riccar. in 4. diſt.*11. & 18. *D.Th. in 4. diſt.*17. & 18. & *c.*23. & *in* 3.*p. q.*83. *a.*3. & *q.*86. *a.*1. *Duran. Palud. Capr. in 4. diſt.*17. & 18. *Suar. Vaſq. Valen. Silu.* & alij recentiores, Sacerdotes verè miniſterialiter abſoluere non ſolùm oſtenſiuè, ſed verè iudicialiter, & non per ſolum nudum miniſterium peccata dimittere in Sacramento Pęnitentiæ, vndè talis veritas à *Concil. Trident. in Can.*9. *loc. cit.* ſub hiſce verbis canonizatur: *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo ipſe credat ſe eſſe abſolutum Anathema ſit.* Vide *noſtrum Vegham de iuſtific. lib.*9. *c.*14. & 15. & *noſtrum Cordub. q.*1. *in quæſt. Theol.* diffuſè hanc reſolutionem tractantes, ſcilicet, quòd Sacerdos abſoluens non ſolùm oſtendit peccatorem eſſe abſolutum, ſed etiã vero actu iudiciali imperatiuo tamquam Dei miniſtrum, & Iudicem in illo actu abſoluere, peccata dimittere, & gratiam conferre, quod expreſsè docent haberi à Chriſto *Matth.* 16. *Quodcumq; ſolueris ſuper terram, &c.* & *Ioan. c.*20. dum dixit: *Quorum remiſeritis peccata, &c.* in quibus miniſterium imperatiuum, & iudiciale remittendi, & abſoluendi clarè traditur, vndè *D. Chryſoſtom. lib.*3. *Dialog.* ait: *Hæc eſt excellentia Sacerdotum ſupra Sacerdotes veteris legis, quòd illi lepram oſtendebant corporalem eſſe mundatam, hi verò ſpiritualem probant ſimul, & mundant*; Vide pro hoc etiam, quod habetur *in cap. Præsbyter* 26. *q.*6. & *eadem quæſtione in c. Agnouimus*, & nil mirum, quia omnia in figura contingebant illis, nobis autem omnis perfectio per Chriſtum Dominum tradita eſt, atque adeo Sacerdoti Euangelico non ſolùm nudum miniſterium oſtendendi peccata remiſſa, verùm etiam plena, & perfecta poteſtas iudicialiter in virtute Dei peccata remittendi, & gratiam conferendi eſt conceſſa.

Abſolutionem à reſeruatis an teneatur Superior reſeruans concedere per ſe, vel per alium impartiendam.

DIFFIC. IV.

NOn defuerunt quidam Ordinariorum auctoritati plus æquo fauentes, qui voluerunt non teneri Superiores reſeruantes caſus impertiri per aliam auctoritatem abſoluendi, quia vileſceret eorum iuriſdictio. Attamen communius hanc opinionem reprobant, & omninò teneri Superiores concedere petentibus, vt poſſint per alios abſolui; ita *noſter Rodr. p.*1. *c.*55. *Bonac. de Pœnit. diſp.*5. *q.*7. *punct.*5. imò *Quaranta v. Caſus reſeruati*, *n.*1. docet ſub his verbis: *Inſuper debet Prælatus ſe facilem, & benignum præbere in concedenda facultate Confeſſarijs abſoluendi à caſibus reſeruatis, alias ſi ſine cauſa denegaret, peccaret ratione, quam affert Nauar. ex verbis D.Th. in c. Placuit n.*119. *de Pœnit. diſt.*6. *Et ſi Deus benignus, vt quid Sacerdos auſterus vult apparere? in capite autem alligant opera.* 26. *q.*7. *Hæc Quaran.* Quod multum deberent aliqui Ordinarij perpendere, qui aliquando hypocrito zelo, dum auctoritatem à reſeruatis abſoluendi denegant, & compellunt pręcipuè fœminas, & ſimplices ad numquam ſimilia reſeruata confitenda, vel ſaltem, dum à peccatis non abſoluuntur, prębent occaſionem, vt in alia peccatores faciliùs labantur; vndè optimè notat *Bonac.* quòd pęnitentes reſipiſcunt facilius conceſſa auctoritate, quàm ea denegata; nam poſtquam denegata fuerit, potius obdureſcunt, & obſtinantur in peccato. Vide infra *v. Caſus Reſeruati.*

Quare hìc admonitos humiliter velim, & enixè exoratos aliquos Ordinarios, expertus loquor, ne pro caſuum reſeruatorum abſolutione, mandent Confeſſarijs petentibus facultatem, vt ſuos ſubditos pęnitentes mittant Romam, vel ad Sanctam Ædem Lauretanam, vt ibi abſoluantur, quia caſuum reſeruatio, & ab illis abſolutio data eſt Ordinarijs in animarum ædificationem, & non in deſtructionem; talis autem miſſio pęnitentium pro reſeruatis Romam, vel ad Sanctam Ædem eſt periculoſa propter murmurationes de Auſteritate Pręlati, & propter intereſſe,

reſſe, & incommoda, quæ patiuntur pęnitentes propter huiuſmodi iter, vndè videtur in deſtructionem animarum, quare nullo modo paſſim ſaltem imponenda, tanto magis cauere debent, ne hanc miſſionem ideo iubeant, vt totum id, quod expenſuri eſſent Pęnitentes propter tale iter, tradatur expendendum ad mentem Ordinarij, vt ita Auctoritas à caſibus reſeruatis tradatur abſque mandati itineris incommodo, quia ſine labe ſimoniæ hoc fieri non valeret.

Benè tamen verum eſt, quòd Ordinarius multoties, præciſo omni intereſſe, vel paſſionis ſuſpicione, ſi ſaluti pęnitentis videret melius proſpici ex denegatione abſolutionis, non peccaret denegando, vt *noſt. Rodr. Bonac. loc. cit. & Suar. diſp. 79. ſect. 4. n. 5. Fillіuc. tract. 7. c. 10. q. 7 Reginald. lib. 8. n. 43. Coninch. T. 2. diſp. 14.* & alij aduertunt, quod tamen vix puto dicendum circa miſſionem pęnitentium Romam, vel ad Sanctam Ædem pro abſolutione à peccatis reſeruatis, à quibus poteſt abſoluere ipſe Ordinarius, vel alteri facultatem delegare; oues enim ſuas proprius Paſtor alteri cognoſcendas, & paſcendas non debet committere extra ſuum territorium, ne in itinere luporum rabiem experiantur; propter hoc enim Epiſcopis, & Ordinarijs ampla facultas etiam abſoluendi à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ conceſſa eſt, ne ſcilicet incommoda itinerum patiantur Chriſtiani. An verò

Abſolutionem à reſeruatis iniuſtè denegante Ordinario Pœnitenti, poſſit abſolui à ſuo Confeſſario.

DIFFIC. V.

AFfirmare videntur *noſter Rodr. loc. cit. Henriq. lib. 6. & alij*, quia in tali euentu iudicandum eſt, ac ſi ſuperior eſſet omninò abſens, tum quia eſt irrationabiliter inuitus Ordinarius iniuſtè denegans talem auctoritatem, vtpotè qui videtur vti ſua auctoritate in deſtructionem Animarum, ergo ipſo inuito irrationabiliter exiſtente, poteſt abſolui a ſuo Confeſſario, ne propter iniuſtitiam Paſtoris, pereat peccator; probabilius tamen negat *Bonac. loc. cit.* quia cùm talis denegatio, licèt iniuſta, tamen ſit valida, non acquiritur Confeſſario ius abſoluendi a reſeruatis, quia ſi denegat Ordinarius iniuſtè, poteſt habere recurſum ad ſuum Superiorem; Verumtamen puto, quòd ſi ad talem Superiorem non eſſet facilis acceſſus, vel moraliter impoſſibilis, vel etiam difficilis prima opinione vti poſſit Confeſſor tuta conſcientia, ſaltem enim directè abſoluens à non reſeruatis, abſolueret indirectè à reſeruatis, vt infra dicetur, Vide infra *v. Caſus reſeruati*,

Abſoluendi à reſeruatis habens auctoritatem intra tempus determinatum, puta per Hebdomadam Sanctam, an abſoluere poſſit pœnitentem, qui intra tale tempus incidat in reſeruatum.

DIFFIC. VI.

AFfirmant *noſter Corduba lib. 5. quæſt. 37 propoſ. 3. Graff lib. 9. deciſ. cap. 5 Henriq. lib. 3, cap. 16. Reginald. lib 8. Nauar. lib. 5. de ſentent. Excommunic. Bonac. loc. cit. Emmanuel Sà ver. Indulgentia poſt num.* 18. quia nec perditur priuilegium, licèt peccetur eo animo, vt tali priuilegio vtantur; vndè habens priuilegium, vt poſſit abſolui à reſeruatis, etiam ſi reſeruata admittat libentius, ex eo quia ſcit poſſe ab illis abſolui, poteſt adhuc ab ipſis virtute talis priuilegij abſolui, quia cùm priuilegium ſit gratioſum, datur independenter à tali malo animo, eſtque largè interpretandum, quod ſanè puto verum ex Sanctæ Matris Eccleſiæ pietate ſuperabundante, quam euacuari nullo modo poſſe à mala peccantium voluntate, nec ſuis priuilegijs abutentium impietate, modò hic, & nunc verè ſuorum delictorum pęnitentia comprimatur, indubitanter eſt aſſerendum.

Abſolutionem an debeat denegare Confeſſarius pœnitenti peccatum reticenti, quod ſcit extra Confeſſionem perpetraſſe.

DIFFIC. VII.

DIſtinguunt in hac difficultate DD. nam, vel Confeſſarius certitudinali euidentia nouit extra Confeſſionem peccatum aliquod à pœnitente commiſſum, quod in ipſa etiam poſtulatus reticet, & nulli alteri confeſſum non fuiſſe certo ſciat poſt admiſſum peccatum huiuſmodi, & in hoc caſu non debet illum abſoluere, quia ſacrilegium committeret indigno abſolutionem largiens, quod tamen etiam limitandum puto, niſi inuincibiliter obliuioſus talis peccati dignoſceretur; nā inuincibiliter ignorans, vel obliuioſus excuſari poteſt poſt adhibitam aliqualē diligentiam reuocandi ipſi in mentem occaſiones talis peccati, & an aliquando ipſius peccati confeſſionem fecerit cum altero, quod ſi dicat ſe nullo modo tale peccatum perpetraſſe, nec vllo modo ſibi in mentem occurrere, poteſt eum abſoluere, & relinquere eum in ſua bona fide, ſuadendo eum, vt de ipſo conteratur, in caſu, quo illud perpetraſſet. Verùm ſi renitentem ſe demonſtraret de tali dolore ſub conditione perpetrati, argumentum eſſet doloſæ reticentiæ eiuſdem peccati. Quod ſi ſolùm vel ex auditu, vel probabilibus ſignis topicè nouit admiſſum eſſe aliquod peccatum, quod etiam expoſtulatus negat in Confeſſione, debet eum abſoluere, quia in hoc ſoro credendum eſt pœnitenti tam pro ſe, quàm contra ſe, maximè ſi poſſet Confeſſarius legitimè ſuſpicari poſt admiſſum tale peccatum confeſſum fuiſſe alteri Confeſſario, non debet eum nimis curioſè vexare, debet enim præſupponere ipſius iam abſolutionem obtinuiſſe, dum illud reticet; Ita ex *D. Tho.* quem citat, & ſequitur *Bonac. loc. cit. Suarez. diſp. 52. ſect. 3. Reginald. lib. 8. c. 20.*

Abſoluere à cenſuris quis poſſit.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, quòd abſoluere poteſt ab excommunicatione etiam Clericus primæ tonſuræ, ſi ſit Iudex habens iuriſdictionem Ordinariam, vel delegatam; ita communiter docetur, & practicatur.

Dico ſecundò, etiam laicus ex poteſtate abſoluta Summi Pontificis dumtaxat, non tamen Epiſcopi poteſt ab excommunicatione abſoluere; Ita *Gloſa in c. Paſtoralis de Offic. Ordinar. & Ang. noſter, v. Abſolutio*, quinimmò

Dico tertiò, quòd etiam fœmina ex ſolius Summi Pontificis abſuluta poteſtate ſibi tradita poteſt excommunicare, & abſoluere ab excōmunicatione, vt docent *Nauar. conſ. 72. de ſent. Excomm. Palud. in 4. diſt. 19. q 2. Sotus diſt. 20. Vgol tab. 1. c. 2. Suar. diſp. 2. ſect. 3.* contra *Aulam, & Coninch.* vide infra *v. Cenſura*, vbi de hoc fortè fuſius hinc.

Dico quartò, quòd Clericus coniugatus de iure Ordinario excommunicare non poteſt, quia propter matrimonium excluditur à iuriſdictione Eccleſiaſtica ſpirituali. Quare propter eamdem rationem nec laicus Religioſus profeſſus cùm careat prima tonſura, poteſt excommunicare, nec abſoluere ab excommunicatione, præciſa tamen aliqua ſui Ordinis Conſtitutione à Summo Pontifice motu proprio, & ex certa ſcientia confirmata, vt eſt in noſtra Minoritica Obſeruantia, in qua indulgetur laicus profeſſus fieri Guardianus, & per conſequens vt Guardianus poteſt excommunicare, & abſoluere ab excommunicatione in foro fori.

Ratio autem quare ſolus Summus Pontifex, & non Epiſcopus poſſit laico, & fœminæ dare poteſtatem excommunicandi, & abſoluendi ab ipſa, illa eſt potiſſima, quòd ſolus Papa habet poteſtatem diſpenſandi ſuper Canones, non autem Epiſcopus. Cùm autem prohibeatur de iure Canonico Clericos coniugatos, laicos, & fœminas vti poſſe iuriſdictione Eccleſiaſtica, per quam quis poteſt excommunicationem ferre, & ab ipſa abſoluere, ſequitur, quòd ſolus Papa, & non Epiſcopus poſſit talem auctoritatem conferre; Vide infra *v. Cenſura.*

Dico quintò, abſoluere poteſt Summus Pœnitentiarius mortuo Papa ab omnibus, à quibus habebat auctoritatem abſoluendi à iure ſolùm, non autem à quibus habuit ſpecialem auctoritatem à Papa viuente, quia hæc expirat, ſi fuerit data ad beneplacitum ſuum,

Digitized by Google

ſuum, ſecus ſi ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, quia ſi deficit Papa,non deficit Sedes Apoſtolica. Collegium verò Cardinalium magna ſolùm ex cauſa poſt mortem Papæ abſoluere à reſeruatis docent communiter *DD.* Vide infra *v. Caſus Reſeruatus*,ſicut etiam.

Abſoluit ab omnibus reſeruatis Papæ eo modo, quo Epiſcopus,ex *Conc.Trid.in c.Liceat*,quilibet habens iuriſdictionem Epiſcopalem,ex noſtro *Vngarell. v. Executor*, §.20. *Scholio* ℞. Vide ſupra *v. Abb.ss*.

Dico ſextò, quòd abſoluere poteſt delegatus excommunicatum à ſe etiam expleta delegatione, intra annum tamen ſi velit obedire,non autem poſt annum; ita communiter *DD*.

Dico ſeptimò,abſoluere poteſt Iudex à ſe excommunicatum, licèt appellauerit ad Iudicem Superiorem, quia ex appellatione non amiſit iuriſdictionem in fauorem appellantis,ſed ſolùm impedita eſt,ne proſequatur in odium ipſius.

Dico octauò, quòd abſoluit Papa ſolo animo à cenſuris abſq; alia verborum prolatione,quod non poteſt inferior Papa; ratio eſt, quia cęteri Prelati ſubduntur formæ Iuris, cui non ſubditur Papa;ita communiter. Vide infra *v. Cenſura*.

An poſſit quilibet Sacerdos abſoluere à Cenſuris non reſeruatis.

DIFFIC. IX.

SVbtiliſſimus noſter Doctor in 4.diſt.25.q.1. §. *Qualiter relaxatur*, poſtquam affirmatiuam ſententiam docuit,ex *c. Nuper extra.de ſent. Excomm.* videtur negatiuam potius approbare ex illa regula: *Quod non eſt conceſſum,videtur eſſe prohibitum*. Attamen communior ſententia eſt affirmatiua, quia quando Pontifices,& Superiores volunt ſibi reſeruatas eſſe excommunicationes per verba explicita,vel virtualia hoc facere ſolent;quādo ergo non vtuntur verbis reſeruatiuis,ſignum eſt nolle ſibi eas reſeruare;vndè ad illam regulam: *Quod non eſt conceſſum,videtur eſſe prohibitum*, reſpondeo verum eſſe,niſi aliud appareat de mente ſtatuentis;in caſu autem noſtro videtur Prelatus nolle reſeruare, dum alias reſeruat, & non in iſta, imò *Philiar.* apud *Nald. v.Abſolutio,n.*3. docet talem abſolutionem de cenſura non reſeruata poſſe impendi etiam in foro fori coram Notario, & teſtibus à ſimplici Confeſſario. Hæc difficultas fuſiùs tractabitur *v.Cenſura, difficul.*64.

Abſoluere an poſſit laicus ab Excommunicatione in articulo mortis conſtitutum.

DIFFIC. X.

EXcommunicatus in mortis articulo conſtitutus preſentia Sacerdotis carens,an poſſit abſolui à laico preſente ad effectum, vt poſſit ſepeliri in loco ſacro, & pro eo Miſſæ celebrari valeant, ſi promptus ſit obedire mandatis Eccleſiæ, non eadem eſt Catholicorum Doctorum ſententia, & quidem communius negant, quia ad abſoluendum requiritur iuriſdictio Eccleſiaſtica,quam non habet laicus in mortis articulo,ex *Conc.Trid.ſeſſ.* 14.c.7.ſolis Sacerdotibus hanc auctoritatem ineſſe declarat; ita noſter *Villalob.in ſumm.lib.1.tract.6.diffic.*20. *Couar. in c. Alma mater,p.*1.§.11.*Suar.de cenſ.diſp.7.ſect.6. Sotus in 4.diſt.*18. *q.4.a.4.Garz.de Benef.T.2.p.12.c.5.* & alij communiter. Attamen non deſunt,qui probabiliter ſuſtineant,validam eſſe abſolutionem datam à laico in tali caſu ad effectum ſcilicet,vt poſſit intra Eccleſiam ſepelliri,& pro eo celebrari valeat. Ita noſter *Angel. v. Abſolutio* 3. §.17. *Sylu abſol.*1.*n.*8. *& Auila de cenſuris p.2.c.7. diſp.1.dub.3. Ioann.Valer. in differ.vtr.for. v. Abſolutio differ.*13.*Ioann.de la Cruz in Direct.p.2. de Excomm. Ledeſma in ſumm. T.1. de Excomm.c.8. dub.4. Sanch. in ſelect. diſp.* 44. *Raguc.in Lucer. Paroch. de Abſol. q.*124. *Diana p.3.tract.4.reſol.*133.*& in addit.*2.*reſol.*12. Quæ opinio potius mihi pia videtur, quàm probabilis vndequaque; poteſt enim piè credi, quòd Sancta Mater Eccleſia tanquam pia Mater ſecundùm hanc opinionem nolit reprobare immò ratam habere in caſu, quo quis ea vtatur, cùm poſſit piè credi, quòd ſicut abſolutio à peccatis conceditur ab Eccleſia cuicumq; Sacerdoti iuriſdictionem non habenti in articulo mortis;ita etiam cuicumq; laico concedat poſſe abſoluere ab excommunicatione in dicto articulo, qui ſicut capax eſt Sacerdos ratione Ordinis abſoluere à peccatis ſolùm habitualiter, ſi iuriſdictionem non habeat; ita etiam capax eſt laicus abſoluendi ab excommunicatione, vt dictum eſt ſupra; ergo ſi ratione capacitatis Ordinis datur auctoritas cuilibet Sacerdoti abſoluendi à peccatis in articulo mortis, poteſt piè ſaltem credi, quòd ratione capacitatis iuriſdictionis requiſitæ ad abſoluēdum ab excommunicatione, detur laico à Sancta Matre Eccleſia, eiuſq; Summo Pontifice tacita facultas, vt poſſit ab excommunicatione quicumq; etiam laicus conſtitutum in articulo mortis abſoluere,ſi non adſit Sacerdos,modò ſigna obedientiæ, & contritionis oſtendantur,ad effectum,vt poſſit ſepeliri in loco ſacro, & pro eo celebrari.

Quare Parochum piè exequentem Conſilium huius opinionis omninò excuſandum putarem à pœnis excommunicatos ſepelientes latis,cùm fauores ſint ampliandi,quod totum tanquam piè dictum ſubmitto Cenſuræ S. Eccleſiæ Romanæ.

Probabilius tamen puto cum noſtro *Rodriq.* Clericum prima tonſura initiatum,in quo videtur certius reſidere habitualiter iuriſdictio Eccleſiaſtica in actu magis proximo, quàm in laico poſſe conſtitutum in articulo mortis abſoluere ab excommunicatione.

Abſolutus ab Ordinario cum onere,vt ſatisfaciat, vtrum reincidat in excommunicationem, ſi non ſatisfaciat.

DIFFIC. XI.

AFfirmarunt quidam DD. excommunicatum abſolutum ab Epiſcopo, vel eius Vicario cum onere, vt ſatisfaciat, data opportunitate,ſi poſtea ex malitia non ſatisfaciat,reincidere in eamdem excommunicationem, quod probant ex *c. autem eos,qui de ſen.Excom.*

Verùm communius diſtinguunt Doctores,quòd ſi Epiſcopus abſoluens cum onere ſatisfaciendi, ponat pœnam reincidentiæ, ſi non ſatisfaciat,tunc abſolutum non ſatisfacientem reincidere, quia abſolutio datur cum hac conditione, quòd ſi ſolum ponat onus ſatisfaciendi, non imponendo reincidentiam ſpecificè, ſi non ſatisfaciat,non reincidit,quia abſolutio ſimpliciter habet effectum ſuum data ab Epiſcopo, ſi non ſpecificet reincidentiam, nec obſtat contra hanc doctrinam caput allatum,quia in pręfato Canone ſolùm imponitur reincidentia abſolutis à Sede Apoſtolica,non autem ab Epiſcopis.

Abſolutio à peccatis ſub conditione de futuro, an liceat.

DIFFIC. XII.

ABſolutionem à peccatis ita firmiter obtinere ſuum effectum, vt nullo modo poſſit dependere à conditione de futuro, docent communiter *Theologi in 4.ſent.* itavt ſi detur cū tali conditione,non ſolùm eſſet inualida, ſed etiam daretur cum peccato mortali,hinc ſi quis abſolueret,dicens: *Ego te abſoluo,ſi reſtitueris rem malè ablatam*,non ſolùm hæc abſolutio eſſet nulla, ſed etiam peccaret mortaliter, quia faceret iniuriam Sacramento, quod immediatè infundit gratiam. Quare omninò improbabilem autumo opinionem *Nauar. c.*26.*n.*10. putantis abſolutionem datam ſub conditione validam eſſe, & quidem ſi de ſola abſolutione ab excommunicatione loqueretur, excuſandus eſſet,quia hæc cùm immediatè, & per ſe non infundat gratiam, poteſt vtiq; ſub conditione de futuro impertiri.

Abſolutio excommunicationis contra ius tertij,an valeat in foro conſcientiæ.

DIFFIC. XIII.

NEgant communiter,quia excommunicatio ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſemper eſt timenda. Attamen non improbabiliter puto cum *Philiar.lib.3.c.*32. nec videtur diſſentire *Nald v.Abſolutio*, quòd abſolutio excommunicationis ex cauſa iniuſta latæ etiam notoriæ, & contra ius tertij teneat in foro conſcientiæ dumtaxat, & ratio eſt, quia iura ſunt promptiora ad abſoluendum, quàm ad condemnandum: benè tamen verum eſt, quòd hoc paſſim non eſt faciendum,niſi magna, & euidenti de cauſa, cùm taliter abſoluens peccare preſumendus ſit, ex eo quia excommunicatio timenda ſit,ſiue iuſta,ſiue iniuſta.

Abſolutio à quibuſcumq; peccatis, & cenſuris an poſſit dari in periculo mortis.

DIFFIC. XIV.

IN articulo mortis poſſe dari abſolutionem à quibuſcumque peccatis,& cenſuris à quolibet Sacerdote certum eſt ex *Concil. Trid.* vbi ſupra, an verò idem dicendum ſit in periculo mortis, ſcilicet quando quis aggreſſurus eſt iter per mare procelloſum,vel terras plenas latronum, vel hoſtium, aut quando quis ſe accingit ad prçliandum in bello iuſto,vel eſt factus banditus,quia quocumq; poteſt impunè occidi, affirmant communiter *DD.*, modò ſit probabilis ſuſpicio vehemẽtis mortis ſubeundæ;monet tamen *noſter Aſteſanus* banditis prçcipuè paſſim non dandam talem abſolutionem, quia paſſim non videntur habere veram peccatorum attritionem,quod ſi verè pœnitentes dignoſcantur, & periculum immineat,abſoluendi ſunt generaliter ab omnibus ſuis peccatis;idem docet *Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſc.*

Abſolutio à cenſuris an proſit ignoranti.

DIFFIC. XV.

AFfirmatiuè reſpondet *Gonzal. §.2. n.114. in 8. regul. Cancell.* & ratio eſt, quia abſolutio à cenſuris poteſt dari abſenti etiam, vndè poteſt accidere, quòd abſens neſciat ſe abſolutum,& tamen beneficium abſolutionis ſibi currere poſſit, non ſolùm à die ſcientiæ,ſed à die,quo fuit abſolutus, vt exemplo patet de Capitulo ſuſpenſo,& abſoluto in Curia, quòd neſciens abſolutionem ſibi datam, beneficium contulerat, & collatio valida iudicata fuit;ita ex *Rota apud eumdem Gonzal. loc. cit.*

Abſoluat quomodo ab excommunicatione Delegatus.

DIFFIC. XVI.

DElegatus ad abſoluendum cum illa Commiſſione particulari, ſi ſatisfecerit, abſoluens ab excommunicatione non ſatisfacta parte,inualidè abſoluit,quia abſoluit contra Cõmiſſionem ſibi datam; quòd ſi ſit delegatus cum commiſſione ſeruata forma iuris communis, tunc poteſt abſoluere validè ab excommunicatione,ſolùm prçſtita cautione de ſatisfaciendo,quia aliud non requiritur in forma iuris communis, vndè non eſt neceſſum, vt priùs actualiter ſatisfaciat abſolutus; ita communiter, imò *Auila de cenſ.* vbi ſupra non improbabiliter docet ſufficere cautionem iuratoriam,& *Nald. v. Abſolutio, n.15.* probabiliter putat abſoluentem ab excommunicatione in foro conſcientiæ virtute Priuilegij, vel Iubilęi mandantis ſatisfactionem partis nõ neceſſitari ad exigendam cautionem aliquam à pœnitente iuxtà formam *Ritualis Pauli V.* quia in foro conſcientiæ credendum eſt pęnitenti,ſe velle eſſe paratum ſatisfacere, ſi ſit potens actu, ſi verò ſit impotens, data opportunitate, quod mihi probatur, quia propriè cautio videtur requiri in abſoluendo in ſoro fori, in quo non creditur ita faciliter debenti ſatisfacere. Verum eſt tamen, quod etiam in foro conſcientiæ exiſtimarem eſſe neceſſariam cautionem ſaltem iuratoriam, antequam abſoluatur pęnitens ille,qui aliquoties,imò etiam per vnam vicem inueniatur non ſatisfeciſſe poſt abſolutionem habitam parti, iuxtà promiſſum Confeſſario abſoluenti, cùm non ſit credendum ei, qui ſemel fidem in foro tàm Sancto non ſeruauerit, modò adſit dolus,& non prçfuerit inaduertentia, obliuio, vel impotentia probabilis.

Abſolutio à cenſuris ſolita dari in Bullis per regulam Cancellariæ quibus proſit.

DIFFIC. XVII.

AD effectum conſequendi gratiam, quam Pontifex in aliqua Bulla concedit, ſolet per regulam Cancellariæ apponi abſolutio à cenſuris; non enim excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus poſſet frui tali fauore,niſi prius per abſolutionem fieret capax;quęritur ergo,an cuilibet excommunicato talis proſit abſolutio ad hoc, vt poſſit potiri gratia, vel fauore in Bulla conceſſo, reſpondent communiter DD. excommunicatum propter hæreſim,vel ſchiſma non gaudere tali abſolutione, ſicut etiam excommunicatum inſordeſcentem per annum integrum in excommunicatione non includi in tali abſolutione, cùm inſordeſcens per annum in excommunicatione, æquiparetur hæretico; vndè citari poteſt, quid ſentiat de fide, imò inſordeſcentem in quibuſdam excommunicationibus poſt quatuor menſes, nec frui poſſe tali abſolutione,docet *Rebuff. in Pr. tit. forma, & noua declaratio Prouiſionis nouæ, n.63.*

Abſolueas ex priuilegio à reſeruatis Papæ in foro conſcientiæ num poſſit abſoluere publicè etiam excommunicatum.

DIFFIC. XVIII.

AFfirmant probabiliter *DD.* quemlibet habentem ex priuilegio poſſe abſoluere à reſeruatis Papæ, poſſe etiam abſoluere ab excommunicatione quamvis ſit publica,& deducta in foro contentioſo,modò non ſit præiudicium Iudici,qui talem declarauerit excommunicatum, & aduerte, quòd ſolùm poteſt in foro conſcientiæ, hinc per talem abſolutionem non tollitur Iudici,quominus queat procedere in foro fori, quia poteſt procedere,ac ſi non eſſet abſolutus in foro conſcientiæ;quare huiuſmodi abſolutio nihil aliud operatur, niſi vt in foro conſcientiæ poſſit Eccleſiaſtica Communione frui abſolutus, & licèt Epiſcopis non ſit indultum à Concilio abſoluere publicè excommunicatos de reſeruatis Papæ, non tamen ſequitur eſſe maiorem auctoritatem Regularium quorumdam, qui ex priuilegio abſoluunt à reſeruatis Papæ, quàm Epiſcoporum, quia Epiſcopi habent maiorem auctoritatem in ratione ſtatuti,& in iure diſpenſandi in irregularitatibus; Ita ſentiunt ex noſtris *Rodr. in addit. ad Bull. n.49. §.9. & Bonac. tract. de Clauſ. q.1. punct.3. Soto in 4. diſt.22. a.3. Henriq l.7. c.13. n.2.*

Probabilius tamen puto dicendum cum noſtro *Sorbo in Compen. Priuil. v. Ingredi, & Nauar. conſ.28. de ſent. Excomm.* non licere habentibus ex priuilegio auctoritatem abſoluendi à reſeruatis Papæ abſoluere ab excommuuicatione deducta per Iudicem in ſoro contentioſo, nec etiam in foro conſcientiæ, quia licèt non fiat totaliter prçiudicium Iudici, cùm adhuc poſſit procedere contra talem excommunicatum, non poteſt tamen negari,quòd in aliqua parte illi non prçiudicet, cùm abſolutus in foro conſcientiæ minus curet Iudici parere, & hæc ſecunda opinio tutiùs practicatur,licèt prima ſpeculatiuè loquendo, non ſit improbabilis,ſed aduertat prçcipuè Regularis habens ex priuilegio poſſe abſoluere à reſeruatis Papæ, quod ſpeculatiuam rationem probabilem prioris opinionis paſſim non admittit *Sacra Congregatio*, cùm mihi conſtet Religioſum quemdam auſum cum prima opinione abſoluere excommunicatum iam declaratum à Iudice incurriſſe in excommunicationem reſeruatam, à qua poterat alias abſoluere ex priuilegio, punitum fuiſſe ab eademmet Sacra Congregatione.

Abſoluens pœnitentem à reſeruato, à quo non poterat, quomodo ſe gerere debeat.

DIFFIC. XIX.

ABſoluentem à reſeruato,à quo non poterat, ſi abſit ſcandalum, teneri petere licentiam à Superiore, & pęnitentem adire,& ſuadere, vt doleat de prçteritis, quò iterum abſoluatur, putant multi DD. Contrarium tamen docent noſter *Fauent. de Pœnit.* cum noſtro *Corduba, Henriq. & Valer.* quos citat, & ſequitur *Diana tract.15. miſc.1. reſ.60.* pęnitentem ſcilicet in tali caſu relinquendum ſuæ bonæ fidei, cùm abſolutus ab omnibus peccatis non reſeruatis,indirectè etiam abſolutus ſit à reſeruatis; *argum. ex c. Pia de Conſang. & affinit.* & hoc maximè ſuadet, quia adire pęnitentem,vt iterum cum licentia habita abſoluatur, vix poteſt fieri abſq; eius ſcandalo.

Verùm diſtinguendum probabilius puto, quòd ſi pęnitens ſit bonæ indolis, & facilè cognoſcatur, quòd non ſit paſſurus ſcandalum ex tali monitione, poteſt practicari prima opinio tamquam tutior, ſed tunc prius petenda eſt licentia à pęnitente, vt poſſit ſecum loqui de peccato confeſſo, nec faciat contra ſigillum Confeſſionis. At verò ſi pœnitens longius abſit, vel duræ ſit ceruicis, itavt faciliter ſcandalum ſit paſſurus propter talem admonitionem, ne admodum vexetur Confeſſarius,

quia

quia poteſt ſe tuta conſcientia ſecundam opinionem practicari.

Abſoluere à reſeruatis an poſſit in aliquo caſu ſimplex Confeſſarius.

DIFFIC. XX.

PRobabiliter admodum exiſtimo poſſe quemlibet Confeſſarium abſoluere à reſeruatis eum, qui neceſſariò eſt celebraturus, vel communicaturus, modò non poſſit habere veram cōtritionem ſufficientem, & non pateat faciliter aditus ad Superiorem, immineatq; grauis iactura honoris, vel ſcandali euidens periculum, vel alia cauſa grauis, ſi non celebret, vel communicet, modò promittat quamprimum Superiorem adire, vt licentiam petat, quo poſſit à reſeruatis abſolui, & licèt aliqui velint hanc opinionem practicari poſſe circa peccata reſeruata, non autem circa cenſuras, tamen probabilis opinio mihi videtur, quod etiam à cenſuris reſeruatis in tali caſu poſſit abſoluere Confeſſor, cùm pia Mater Eccleſia non debeat exiſtimari negatura fuiſſe abſolutionem in tali caſu; ita noſter *Vngarel. v. Confeſſio 5. §. 10. ſcholio C. Reginal. Suar. Medin. Henriq. Nal. & Bonac. de Pœnit. loc. cit.*

Abſolutio data contrito, & plenariam indulgentiam conſecuto quid operetur?

DIFFIC. XXI.

NEgarunt aliqui verè contrito, & plenariam indulgentiam conſecuto eſſe dandam abſolutionem, quia fruſtratoria foret, cùm per contritionem ablata fuerit culpa, & per indulgentiam pęna remiſſa; attamen hæc opinio omninò improbabilis eſt exiſtimanda, quia, vt docent *Theologi in 4. ſent.* licèt abſolutio ordinetur immediatè, & principaliter ad gratiæ infuſionem, tamen ſi eam inueniat per contritionem pręcedentem in anima pęnitentis auget eam abſolutio, vt Sacramentum eſt; ergo non eſt fruſtratoria, & conſequenter omnino danda, imò fieret iniuria pœnitenti, quia etiam, vt docet *Philiar. de off. Sacerd. lib. 2. de Sacram. cap. 23.* huiuſmodi abſolutio Sacramentalis remouet procliuitatem peccandi, & quaſdam etiam impuritates relictas à peccatis.

Abſolui an valeant pœnitentes nequeuntes relinquere occaſionem proximam peccandi.

DIFFIC. XXII.

NVllo modo abſoluendos eſſe pęnitentes, qui occaſionem proximam peccandi relinquere non poſſunt, contendunt multi cum *Nauarro*, cùm proxima occaſio ſit verus obex ad abſolutionis effectum fruſtandum; Attamen putant alij etiam probabiliter poſſe tales pęnitentes abſolui, ſi habeant iuſtam, & rationabilem cauſam, per quam fiunt imponentes ad relinquendam occaſionem proximam peccati, modò hic, & nunc habeant verum propoſitum cum Dei adiutorio cauere tale peccatum, imò volunt non eſſe neceſſe, vt credant ſe nullo modo caſuros, quia cauſa rationabilis excuſat à relinquendo occaſionem proximam, & propoſitum firmum de vitando peccatum aufert obicem, vt poſſit acquiri abſolutionis effectus; Ita *Nald. v. Abſolutio. Vuald. in Candel. tit. de abſolut. §. Caſ. Epiſ. reſer. Sanch. in ſelect. diſp. 10. Diana tract. 16. Miſc. p. 2. reſol. 47.* quam tamen opinionem tunc practicandam puto, quando vehemens contritionis ſignum apparet in pęnitente, aliter differenda Confeſſio, tutius enim experitur tum propoſitum non reincidendi, tum imbecillitas reincidentiæ ex dilatione, quàm ex facilitate abſolutionis.

Abſolui an queant pœnitentes in aliquo caſu ante integram peccatorum Confeſſionem.

DIFFIC. XXIII.

ABſolui poſſe pęnitentes in mari, ſeu conflictu belli periclitantes ante integram peccatorum ſuorum Confeſſionē, ad hoc, vt durante illo periculo mortis, cęteri omnes pariter, ſimulq; confiteri, & abſolui valeant, vnico abſolutionis actu, dicendo: *Ego vos abſoluo à peccatis veſtris*; cùm in tali caſu potius ſperandum ſit de miſericordia Dei diſpenſante in confeſſionis integritate, quàm relinquere tot animas in periculo damnationis, maximè ſi contritionis actum habere nequeant, ſed ſolum attritionem, quæ cum abſolutione poteſt facere eos contritos, & ita in gratia eos conſtituere docent noſter *Villalob. in ſumm. T. 1. tract. 9. dub. 33. Suar T. 4. diſp. 28. ſect. 1. Capeauill. de neceſſ. min. Sacram. temp. peſ. c. 3. q. 23. Molfeſ. tract. 5. c. 5. num. 51. Dian. tract. 16. Miſc. p. 2. reſol. 44.* Contrarium tamen docet *Nauar. conſ. 13. lib. 5.* cui vix adhęreo, cùm magis pia videatur opinio prior, nec ratione deſtituta.

Abſolui an valeat damnatus ad remigandum cum actuali intentione fugæ.

DIFFIC. XXIV.

NEgant in tali caſu dandam abſolutionem damnato ad remigandum, vel perpetuo carceri mancipato cum actuali intentione fugæ, quia meditatio fugæ actualis eſt iniuſta in præfatis, & per conſequens ponit obicem effectui abſolutionis conſequendo: Attamen magis piè, nec improbabiliter volunt alij prędictos damnatos ad triremes, vel carceres perpetuos, etiamſi actualiter fugam meditentur, & curent, poſſe abſolui, maximè ſi eſſet ſpes euadendi, quia obligantur ad ſtandum, ſed non obligātur ad ſponte ſtandum; non ergo eſt iniuſta meditatio fugæ, ſi ad ſponte ſtandum non obligantur, nullum ergo ponunt obicem abſolutioni, quod credo verius de ſolùm meditantibus fugam; quia poſſunt deſiderare fugam, dum non obligantur ſponte ſtare, ſed non videntur ita certum de procurantibus actualiter fugam, maximè ſi ſit ſpes euadendi, quia verè obligantur ſtare: ponunt ergo obicem abſolutioni, ſi actu fugam parant; non improbabilem tamen omninò exiſtimo ſecundam opinionem, etiam quò ad fugę procurationem, ſi talis detentio infirmitatem notabilem, vel vitæ periculum inducat.

Abſoluere nolente in articulo, vel periculo mortis, niſi data pecunia, quid agendum?

DIFFIC. XXV.

IN hac difficultate alij aiunt, alij negant dandam eſſe pecuniam, maximè ſi ſuſpicetur non poſſe habere contritionem ſufficientem ad recipiendam gratiam conſtitutus in articulo, vel periculo mortis; Vide infra *v. Baptiſmus*, quid agendum cum *Scoti* doctrina, & aliorum *DD.*

Abſolutionem, & reuocationem ab aliqua cenſura per vim, aut metum extorquens, an ritè abſoluatur.

DIFFIC. XXVI.

SI metus ſit grauis cadens in conſtantem virum, & conſimilis vis incutiens, & extorquens abſolutionem, vel reuocationem ab Excommunicatione, & cęteris cenſuris, non ſolùm non eſt ritè abſolutus, verùm etiam in nouam incidit excommunicationem latam contra extorquentes ex vi, & metu abſolutionem à cenſuris *in 6. in c. Abſolutionis de his, quæ vi, metuve cauſa fiunt.* Vide *Nald. v. Abſolutio.*

Abſoluere an poſſint Regulares Mendicantes ex priuilegio a caſibus Papæ reſeruatis.

DIFFIC. XXVII.

VIde infra *ver. Caſus Reſeruatus*, & ſupra *ver. Abbas.*

Acceptio perſonarum.

Acceptio perſonarum quid ſit.

DIFFIC. I.

ACceptio perſonarum accuratè ſatis à *noſtro Alen.* 22. *tract. de acceptat. perſon.* ita definitur. Acceptio perſonarum eſt iniuſtitia, qua perſona perſonæ antefertur in conferendo ei aliquod, quod ex debito iuſtitiæ alteri eſt conferendum, ratione alicuius conditionis tranſitoriæ non congruentis ad ipſam rem, puta diuitiarum, poteſtatis terrenæ, cognationis carnalis, & non ob meritum eius ad ipſam rem, ex qua definitione colliges, quòd

Acceptatio perſonarum non poteſt eſſe apud Deum, vt patet ex Apoſtolo *ad Rom.* 2. *ex Iacobo c.* 2. & *Act.* 10. *& Matth.* 22. *de Chriſto* dicitur; *Non reſpicis perſonas hominum*; idem docetur apud Sacros Canones, præcipuè in *c. Venerabilis, de Præben.* habetur: *Non generis nobilitas, ſed virtutum, vitaq; honeſtas gratum Deo faciunt.* Vide etiam in 32. *qu.* 4. *ſicut hunc*, & *de Conſecr. diſt.* 4. *c. Nec quicquam*; vndè malè conqueruntur præſciti, quòd Deus prædeſtinatis det gratiam, & non ſibi, quia (amiſſo, quòd etiam præſcitis dat gratiam ſufficientem, quia vult omnes homines ſaluos fieri, & ad omnium ſemper ſtat oſtium, & pultat, vt ſi quis voluerit aperire, introeat in cor eius per gratiam) non tenetur Deus nec præſcito, nec prædeſtinato; nulli enim debitor eſt in præſtanda gratia, etenim qui debet, dependet aliquo modo ab eo, cui debet: Deus autem à nemine vllo modo dependet, cùm ſit ſupremus, & abſolutus Dominus in vocando, gratificando, & præmiando, vndè in perſona Patrisfamiliæ dicit operarijs ſuæ vineæ: *Nonne licet mihi quod volo, facere?* Cùm ergo non debeat Deus in danda gratia, non eſt acceptator perſonarum, ſi hunc potius gratificat, & non illum, nec iuſtè conqueritur, qui gratiam à Deo non recipit; non eſſet gratia, ſi propter opera conferretur, vt conclamat *Apoſtolus ad Timoth.* 3. *& ad Rom.* 11. præterquamquod vt habetur *in l.* 1. *in ſe mandata, c. mandati; in re ſua quilibet eſt moderator, & arbiter*; cùm ergo res ſua ſit gratia efficax ſecundum beneplacitum ſuæ voluntatis, erit eius moderator, & arbiter; abſque ergo acceptionis perſonarum nota, cui maluerit, poterit eam largiri, ex iuſtitia enim nulli eam debet, ſi de gratia præueniente efficaci ſit ſermo.

Acceptio perſonarum an ſit peccatum.

DIFFIC. II.

ACceptio perſonarum ex communi DD. placito peccatum eſt, quia contra iuſtitiam eſt; dum enim aufertur vni perſonæ, quod ſibi deberetur, & alteri, cui non debetur, propter aliquem affectum temporalem traditur, fit manifeſtè contra iuſtitiam, hæc enim tradit vnicuique, quod ſibi conuenit, vndè tamquam vitium valdè nociuum bono communi, prohibetur a Deo *Deuteron.* 1. *Non accipietis cuiuſquam perſonam*; & vt notat *noſter Ang. v. Acceptio perſonarum*, §. 2. prohibetur expreſsè apud Sacros Canones, præcipuè *diſt.* 49 *c. vlt. & ſi*, 65. *c. Sacrorum*, 2. *q.* 4. *c. ſi quis Presbyter*, 11 *q.* 3. *c. Summopere*, & *cap. Decorem; de inſtitut.* vbi reprehenditur Patriarcha Conſtantinopolitanus, quòd ſolùm Venetos inſtituebat in Eccleſijs ſuis, quandoquidem Deus non ad nationes reſpicit, ſed ad idoneitatem virtutum, & *diſt.* 49. *in c fin.* habetur: *Panem polluit, qui doctrinam Dei male in populo diſpergit, & qui honorat potentem, & pauperem deſpicit.*

An acceptio perſonarum quæcumque ſit peccatum mortale.

DIFFIC. III.

ACceptio perſonarum quando ſit peccatum mortale ſub *diſtinct. ſequenti* declaratur à DD. vt notat noſter *Angel. v. Acceptio perſonarum*, §. 10. Etenim, vel aliquis non facit iuſtitiam, vel facit contra iuſtitiam negans, vel auferens alicui propter aliquem affectum temporalem, quod illi aliquo iuſto titulo debetur, & hæc acceptio perſonarum, mortale peccatum eſt ex ſuo genere, modò paruitas materiæ non excuſet. Secundò quando aliquis determinat, vel declarat contra Sanctam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, & Scripturæ ſacræ ex quadam complacentia, vt ſcilicet alicui petenti, vel amico, vel conſanguineo complaceat, & ſic ſemper eſt peccatum mortale; vndè inferas cum *noſtro Vngarell. ſchol. H.* quòd diſpenſans ſine rationabili cauſa in iure communi, vel particulari magis circa vnam perſonam, quàm aliam, puta hic, cum quo diſpenſat, eſt magis amicus, vel conſanguineus, peccat mortaliter, quia intentionem Sacrorum Canonum, & Superiorum videtur interpretari iuxta acceptionem perſonarum ita ipſis Canonibus odioſam. Tertiò cum præfertur malus bono, indignus digno etiam per ſimplicem complacentiam, ſemper eſt peccatum mortale, & hoc in ſex præcipuè caſibus reprehenditur apud Sacros Canones, & primò in his, quæ ſunt fidei, ca 29. *q.* 2. *c.* 1. 2. in pœnitentiarum impoſitione ex 26. *q.* 7. *c. Sacerdos*, & huc etiam ſpectat abſolutio, diſpenſatio in iure, voto, & regula ex ſola complacentia; tertiò in eleemoſynarum largitione *ex* 16. *q.* 1. *c. Sicut per*. Quartò in iudicijs, vt patet in regula iuris *in Iudicijs in* 6. & in ſententiæ definitione *ex* 3. *qu.* 9. *c. Neceſſe.* Quintò in hoſpitū receptione *ex* 42. *diſt. c. Quieſcamus*, Sextò in dignitatum promotione *in d. c. Venerabilis, &* 40. *diſt. c. ſecundùm loca, & c. multi*: huc etiam ſpectat dare vocem in Capitulo, aut parlamento ex ſola complacentia. *Argum. in diſt.* 4. *c. Mirabamur*; quando tamen in aliquibus ex dictis poſſit fieri aliqua excuſatio tangetur infra.

An ſit mortalis perſonarum acceptio, per quam promouetur aliquis ad Dignitatem propter conſanguinitatem, vel amicitiam.

DIFFIC. IV.

CErtum eſt apud omnes, quòd promouere ad dignitatem ſecularem, ſeu ſpiritualem conſanguineum, vel amicum non habito reſpectu an ſit bonus, vel malus, dignus, an indignus, ſed ſolum præciſè, quia conſanguineus, vel amicus eſt, vel propter aliud intereſſe dicenda ſit mortalis acceptio perſonarum; nam in dignitatibus conferendis ad congruentiam, & iuſtitiam, non ad carnem, vel ſanguinem reſpiciendum eſt, vt conclamant Canones ſupra citati *noſter Alen. & Ang. vbi ſupra, D. Tho.* 2. 2. *q.* 63. *Nauar. Miſc.* 38. *n.* 7. *Sot. de iuſt. lib.* 3 *q.* 6. *c.* 2. *Vaſq opuſc. de Benef. c.* 2 §. 4. *dub.* 7. & alij communiter; quod autem dubium faceſſit, eſt.

Vtrum acceptio perſonarum mortalis ſit dicenda, quando quis propter conſanguinitatem, vel amicitiam, confert dignitatem digno, prætermiſſo digniori.

DIFFIC. V.

IN præſenti difficultate, optima, vt ſolet, diſtinctione procedit *noſter Alen. loc. cit.* nam dignitas, vel eſt ſpiritualis, vel temporalis; ſi temporalis ſimpliciter docet, non eſſe acceptionem perſonarum mortalem, ſi digno conſanguineo, vel amico conferatur, prætermiſſo digniori, modò dignior nullum habeat ius ad talem dignitatem ex aliquo ſtatuto, vel legitima conſuetudine recepta; nam vt notat *noſter Ang.* §. 4. conſanguinitas eſt beneficium faciens ad negotium circa diſpenſationes, ergo quandocumq; non adſit ſtatutum, vel conſuetudo iubens promoueri digniorem, conſanguinitas poteſt iure mouere ad diſpenſandas dignitates potius conſanguineo digno, quam alteri; magis enim quis debet proximiori digno, quàm extraneo digniori, maximè cum non obligetur quærere digniorem, dum habet dignum, & idoneum in promptu, quam doctrinam *noſtri Alen.* videntur ſequi *Pet. de Nauar de Reſtit. lib.* 2. *c.* 2. *Ledeſ. in ſum. p.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *concl.* 7 *Gutter. Can qq. lib.* 2. *cap.* 12. *Garz. de Benef. T.* 2. *p.* 7. *c.* 16. *& alij.*

Amplia hanc doctrinam *noſtri Alen.* quam ſequitur etiam *Ang. ibidem*, quod ſi res temporalis ſit annexa rei ſpirituali, puta quia res Eccleſiæ ſunt diſpenſandæ, poſſit etiam conſanguineo digno potius diſpenſari, quàm digniori, modò conſanguinitas non ſit principalis cauſa motiua, ſed ſecundaria, ſcilicet vt non egeat, ſed non ita, vt luxurietur.

Quòd ſi beneficium, vel dignitas ſit omninò ſpiritualis, in hoc etiam cum diſtinctione procedit *noſter Alenſis*, nam ſi ſermo ſit de dignitatibus maioribus, ſcilicet curam animarum habentibus,

mor-

Digitized by Google

mortalem eſſe acceptionem perſonarum, ſi conferatur digno, prætermiſſo digniori; nam, vt *in c. Licet* 8. q. 1. habetur, *infideliter agit negotium domini, non meliorans, cum poteſt*, & videtur eſſe definitum etiam in *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. c.* 18. ſed hoc fuſiùs infra *v. Electio*.

Quod ſi ſermo ſit de beneficijs ſimplicibus, ſi ſolùm propter conſanguinitatem conferantur, itavt conſanguinitas ſit cauſa præciſa, & primaria conferendi digno conſanguineo prætermiſſo digniori, committi docet mortalem acceptionem perſonarum, quia ſpiritualia non dantur iure ſanguinis, ſed Diuino munere, ideſt ſpirituali conceſſione, vt explicat *noſter Vngarell. ſcholio F.* ſpiritualis autem conceſſio, ſeu poteſtas debet habere reſpectum ad congruentiam, quæ eſt, vt beneficia conferantur iuſſionibus, vt notatur *in d. c. Licet*, imò conferens aliquod beneficium ſolum reſpectum habens ad aliquod carnale, vel temporale, ſimoniam videtur committere, *ex* 1. q. 1. *c. Nonnulli*: illud tamen verum eſt, quòd ſi conſanguineus, & alienigena ſint pares in merito, non erit acceptio perſonarum, potius conſanguineo conferre, quàm illi, cùm conſanguineus cęteris paribus eſt magis proximus; limita modo non abſit ſcandalum; nam opus, quod de ſe licitum eſt, efficitur aliquando illicitum, ſi inde oriatur ſcandalum, vel alteri prębeatur occaſio peccandi, vt notat *noſter Vngarell. & Roſella hic* §. 1. *ſcholio G.* eſſet autem ſcandalum, & alijs proxima peccandi occaſio, ſi promoueatur conſanguineus, quando probabiliter dubitaretur, ne alij Pręlati ſuo exemplo mouerentur ad beneficia conferenda ſuis conſanguineis minus fortè dignis, vel quando etiam poſſet probabiliter dubitare, an conſanguineus aſſumendus ſit paris meriti cum prætermiſſo; Vulgaribus enim perſonis debet eſſe euidens paritas meritorum, ne in ſcandaloſas murmurationes in Prælatos Eccleſiæ procidant; limitatio autem, quæ in hac materia ſcandali poſſet iuuare Pręlatos, videatur infra *v. Scandalum*. Abſolutè autem loquendo videatur.

Vtrum ſit dicenda mortalis acceptio perſonarum conferre beneficium ſimplex digno, prætermiſſo digniori.

DIFFIC. VI.

AFfirmant nonnulli eſſe mortalem acceptionem perſonarum conferre beneficium ſimplex quodcumque digno, prætermiſſo digniori propter rationem *ex d. c. Licet allatam, quia infideliter negotium Domini agit, qui non meliorat, cum poteſt*; Ita *D. Tho. 2. 2. q. 63. & in quodl.* quem ſequuntur præcipuè *Bann. ibid. art. 2. dub.* 1. & *Vaſqu. opuſc. de Benef. c. 2. dub. 8.*

Alij autem nec improbabiliter mitiori pede incedentes aiunt, quòd licèt ſit mortale paſſim beneficia ſimplicia conferre dignis, prætermiſſis dignioribus, tamen ſi ſemel, vel bis prætermittatur dignior, non exiſtimant mortale, quia nullum incommodum notabile accidit Eccleſiæ propter talem omiſſionem; paucorum enim mediocritas digniorum virtute compenſatur; Ita videntur ſentire *Leſ. lib. 2. c. 34. dub. 14. & Reginal. T. 2. lib. 30. tract. 3. c. 15.*

Cęterum diſtinguunt alij, quòd beneficia ſimplicia, alia ſunt maiora, vt Cardinalatus, Canonicatus, Decanatus, & ſimilia, & hæc conferre digno, prætermiſſo digniori lęthiferam eſſe acceptionem perſonarum docent, alia ſunt minora, quæ ſine Prælatione, & dignitate conferuntur, & hæc conferre digno, prætermiſſo digniori, exiſtimant eſſe acceptionem perſonarum, quia fortè in minoribus hiſce beneficijs non requiritur tanta ſollicitudo, vt à dignioribus ſemper adminiſtrentur; ita videntur ſentire *Rebell. de oblig. iuſt. q. 1. lib. 3. q. 9. & Ioann. Mald. in 2. 2. tract. 9. cap. 7.*

Attamen in beneficijs ſimplicibus non Curatis non auderem peccati mortalis reum notare conferentem dignis, prætermiſſis dignioribus; moueor, quia cum *Concil. Tridentinum* ſit veterum Canonum renouator, & moderator, licèt ab antiquis Canonibus videatur abſolutè prohibitum quodcumque beneficium dignis conferre, prætermiſſis dignioribus; præfatum tamen *Sacrum Concilium* ſolum id prohibet de Curatis, quæ mandat omninò conferri dignioribus, vt patet *ſeſſ. 24. de reform. c.* 18. & alibi: beneficia autem ſimplicia videtur reliquiſſe arbitrio conferentium, vt dignis conferant, non habito reſpectu ad digniores, quod expreſsè videtur colligi *ex cap. 12. præfata ſeſſionis*, vbi loquens de beneficijs, & dignitatibus non Curatis, ſolùm ait idoneos ad illa permonendos ſub his verbis: *Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores aſciſcantur*: & infra ſermonem habens de Canonicatibus Cathedralium, & Collegiatarum inſignium, ſic hortatur: *Hortatur etiam Sancta Synodus, vt in Prouincijs, vbi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſijs, & Collegiatibus inſignibus conferantur tantum Magiſtris, vel Doctoribus, aut licentiatis in Theologia, vel iure Canonico*. Ex quibus verbis patet Concilium etiam dignis prętermiſſis dignioribus, poſſe conferri beneficia non ſolum ſimplicia, ſed etiam Canonicatus, & dignitates, quibus nulla ſubeſt cura; contra *Rebell. Malder. & alios*. At verò quando *c. 18. cit.* loquitur de Curatis, omninò ea dignioribus conferenda, mandat ſub his verbis: *Ex hiſq; Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atq; illi, & non alteri collatio Eccleſiæ fiat.* & infra loquens de patrono, ait: *Is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur; cùm verò inſtitutio ab alio, quam ab Epiſcopo erit facienda, tunc Epiſcopus ſolus eligat digniorem ex dignis, quem Patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat*: ex quibus apertè, & ſole clarius conſtat, quòd dignioribus ſolùm curata, non autem beneficia ſimplicia mandet Concilium conferri; hinc ſi antiqui Canones dignioribus quæcumq; beneficia conferenda iuſſerint, ſolùm de Curatis interpretari debêt iuxtà pręfatam *Concilii Tridentini* doctrinam, quod etiam videntur docuiſſe *noſter Alenſ. loc. cit. & Angel. hic* § 6. vbi ait, quòd in minori beneficio puta ſimplici ſufficit, quòd bonus ſit, idem affirmare videntur *Gutter. Can. qq. lib. 2. cap. 11. Garz. de Benef. T. 2. p. 7. c. 16. Pet. Nauar. de Reſt. lib. 2. cap. 2. & Diana p. 1. tract. 25. in Miſc. reſol. 38.*

Vtrum mortaliter peccet Patronus, ſi prætermiſſis dignioribus, eligat dignum.

DIFFIC. VII.

DIſtinguendum in hac difficultate videtur iuxtà doctrinam allatam à *Concil. Trident. in præf. c.* 18. nam ſi Patronus ſit Eccleſiaſticus, ideſt habens à iure Eccleſiæ alicuius præſentandi beneficium curatum, tunc loquitur *Concilium* apertiſſimè, vt videre eſt in auctoritate allegata, quæ de Patrono Eccleſiaſtico loquitur, quod digniorem præſentare debeat; loquendo autem de Patrono merè laicali, habente ſcilicet ius præſentandi ex iure aliquo merè laicali, contendunt DD., an digniorem præſentare teneatur, affirmat *Vaſq. opuſc. de Benef. c. 2. § 1. dub. 5. Malder. 2. 2. tract. 9 c. 2. dub. 2. Leſſ. lib. 2 c. 34. dub. 14. Azor. p. 2. lib. 6. cap. 21. q. 5. Gutier. Canon. qq. lib. 2. c. 11. & alij*, quod probant ex eo, quia debet Patronus laicus ſeruare modum in beneficijs Curatis pręſcriptum à Sacris Canonibus Epiſcopis, qui ſolum digniores iubetur eligere, verum licèt ratio hæc paritatis videatur incurrere, tamen reuera *Concilium Tridentinum* aliter diſponere videtur de Patrono laico, quem non arctat ad præſentandum digniorem, ſicut arctat Eccleſiaſticum, vt patet in *d. c.* 18. ſub his verbis: *Quod ſi ius patronatus laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis vt ſupra examinari, & non, niſi idoneus repertus fuerit, admitti*. Itaque *Concilium* à Patrono laico expoſtulat ſolum, vt præſentet idoneum, non vt digniorem quærat; Ita *Garz. de Benef. T. 2. p. 7. c. 16. Lamber. de iur. patron. p. 1. lib. 2. q. 10. a. 3. Petrus Nauar. de Reſt. lib. 7. c. 2. Valer. in diff. vtr. for. v. Electio, Ledeſ. in ſumm. p. 2. tract. 7. cap. 2. & Diana loc. cit. reſol. 37.* Ratio autem quare laicos Patronos *Concilium* non ita arctat ad præſentandum digniorem, fortè ea eſt, vt laici faciliores ſint, & promptiores ad fundanda huiuſmodi beneficia, dum non grauantur à Sacris Canonibus ad quærendos digniores; valdè enim eſſet eis hoc onerosum. Quod autem in hac materia notatu etiam dignum illud eſt, ſcilicet.

Vtrum mortaliter peccet reſignans digno ſuum beneficium Curatum, prætermiſſo digniori.

DIFFIC. VIII.

AFfirmant, & quidem probabiliter *Sot. de iuſt. lib. 3. q. 6. a. 2. Nauar. in Miſc. 78. Vaſqu. c. 2. § 4. dub. 7.* quia non videtur qua ratione eximendi ſint reſignantes à tali onere quærendi digniorem iuxtà pręſcriptum Sacrorum Canonum.

Verum

Digitized by Google

Verùm contrarium probabilius hodie ſuſtinent *Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 13. Pet. de Arag. 2. 2. q. 63. a 2. Reginal. T. 1. lib. 30. tract. 3. c. 14. Caiet. & Solon* quos citat, & ſequitur *Mald. 2. 2. tract. 9. c. 2. dub. 7.* & ratio eſt, quia praxis cognita, & tolerata à Summo Pontifice, vt admittatur dignus à reſignante præſentatus, etiam prætermiſſo digniore, facit tuta conſcientia poſſe aſſeri reſignantem digno, prætermiſſo digniori, non incurrere in acceptionem mortalem perſonarum; quòd autem talis praxis ſit æquitati conſentanea mihi perſuadetur ex eo, quod cùm reſignatio ſit à iure conceſſa in fauorem reſignantis, & fauores ſint ampliandi, videtur etiam æquitati conſonum, ne grauetur in quærendo digniori.

Vtrum præferre nobilem, & Potentem minus litteratum ignobili magis litterato in collatione beneficij Curati ſit mortale peccatum.

DIFFIC. IX.

IN hac difficultate illud eſt certiſſimum apud omnes, quòd ſi nobilis, ſeu potens ſit vir malus, & omninò litteratus nullo modo eſt admittendus, quia qui ſibi nequam eſt, alteri proficere nequit, & qui ſibi non parcit, multò minus parcit alijs, *ff de his, qui ante, de ſent. l. fin.* Vndè, licèt ſit multum potens, & ſperetur valdè profuturus temporali auxilio: attamen quia quando languor ſpiritualis eſt in capite, facilè in membra ſpiritualiter diffunditur, cùm ab exemplo malo Parochorum, præcipuè moueãtur idiotæ ad bonum, vel malum, ideò omninò excludendus eſt nobilis, & potens, ſi malus ſit: ita communiter DD. ſupra citati; Vide *noſtrum Alenſem, & Angelum*, vbi ſuprà, quòd ſi nobilis ſit bonus, & illitteratus, negant etiam aliqui debere admitti, licèt ſperetur multum profuturus temporaliter Eccleſiæ, quia ſibi cõſulere neſcit, nec alijs poteſt conſulere; eſt enim neceſſaria in Curato Clauis ſcientiæ, cùm debeat conficere, & adminiſtrare Sacramenta, & à peccatis abſoluere; itaq; illitteratus nobilis non eſt præferendus litterato ignobili, quod videtur decretum ſpecialiter *in c. Venerabilis, de Præben.* vbi litteratura videtur præferenda nobilitati.

Attamen noſter *Alen. vbi ſupra*, quem ſequitur etiam *noſter Ang.* §. 5. affirmat in aliquo caſu litterato ignobili poſſe præferri illitteratum nobilem, dummodo morum honeſtas ei ſuffragetur, & caſus eſt primus, vt per potentiam nobilis arceantur lupi ab iſta Eccleſia, qui non poſſent arceri per litteraturam ignobilis. Secundus caſus eſt, quando membra Eccleſiæ inter ſe ſunt ita confuſa, vt inter ipſa pax conſeruari nequeat, niſi diſtinctio inter ipſa ponatur, quam diſtinctionem ſola potentia nobilis, non autem litteratura ignobilis poſſet efficere. Quare licèt clauis ſcientiæ ſit neceſſaria ad regimen ſpirituale animarum, tamen quia hoc poteſt ſuppleri per Pontificem, dando in præfatis caſibus illitterato nobili Vicarium, ſeu Coadiutorem litteratum in adminiſtrandis Sacramentis, poteſt præferri nobilitas litteraturæ, in tanto enim bono, quod poteſt à potentia nobili recipere Eccleſia, non eſt irrationabile conferre ei beneficium etiam Curatum cum hoc onere.

Vtrum abſque acceptione perſonarum liceat in iudicijs temporalibus præferre nobiles, & diuites pauperibus, & ignobilibus.

DIFFIC. X.

DIſtinguunt Iuriſtæ, vt notat *noſter Vngarell. apud Ang. noſtrum loc. cit. ſcholio L.* nam ſi ſit iudicium extra pœnam imponendum, certum eſt, non licere acceptionem perſonarum, ſed vnicuiq; tribuendum, quod ſibi conuenit, & licèt dicatur *Eccleſ. c. 4. In iudicijs eſto miſericors pupillis: & Iſaiæ 1. Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo*; tamen vt *noſter Alen* optimè explicat, vbi ſupra loquuntur ſcripturæ ad finem, vt Iudex tueatur ſolùm pupillos ab oppreſſione potentium, itavt ſi viderint aduocatus pupillorum amore, vel timore deficere in cauſarum inſtructione, Iudex debet ſubuenire; in veritate autem ſententiæ nemini debet parcere; ita etiam *Angel. noſter* §. 7. quòd ſi ſit ſermo de pœnis inferendis, diſtinguunt iterum Iuriſtæ; nam ſi imponatur pœna pecuniaria, tunc Iudex poteſt magis punire diuitem, quam pauperem; ſi verò ſit corporalis, poteſt Iudex magis punire pauperem, quam diuitem, quia diues poteſt vtique magis ſuſtinere pœnam pecuniariam, & pauper magis pœnam corporalem; ille enim magis abundat pecunia, & magis eſt delicatus; vndè potius poteſt ſoluere, & minus pati, pauperes autem eum paſſim magis robore abundent, & minus pecunia, potius pœnam ſuſtinebunt, quam ſolutionem; ita *ex Bart. in l. Pedius ff. de incend. ruin. & naufr. & in l. Quædam, ff. de pœnis, & in l. propemodum, §. Sit autem vterq., C. de iud. Cyn. & Bal. in l. fin. C. de Summa Trinitate, Panormit. in c. Magnæ, de voto, & Gloſ. in c. Non cogantur. 41. diſt. & in c. 1. d. 40. & inter Theologos Angelicus Doctor 2. 2. q. 185.* Verum eſt tamen, vt concludit *noſter Vngarell.* quòd ſi quis peccauerit in derogationem ſuæ dignitatis, & officij, punitur vtcumque magis in dignitate, & officio conſtitutus; ſi autem aliter, habet locum præfata diſtinctio. Verùm in præſenti materia, non eſt relinquendum illud triuiale, ſed pulchrum dubium, ſcilicet.

An ſit mortalis acceptio perſonarum exhibere alicui reuerentiam propter diuitias.

DIFFIC. XI.

DIſtinguit, & optimè *noſter Alenſis* in hac difficultate loco ſupra citato, quem ſequitur noſter *Ang. hic* §. 9. nam ſi tantùm habeatur reſpectus ad diuitias, itavt tanto magis exiſtimetur honorandus, quanto magis abundat diuitijs, peccatum eſt; ſi verò magis honoretur diues, vel quia potens, ſitq; ſuperior ſecularis, vel Eccleſiaſticus, licèt ſit malus, quia, quamquam virtus ſola ſit cauſa honoris, honor enim eſt teſtimonium de virtute eius, qui honoratur, tamen, quia quis poteſt etiam honorari in virtute aliena, ideò diuites, & ſuperiores tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares, & parentes, cùm gerant in hoc mundo vicem Dei, qui eſt Pater, & Dominus omnium, & diues in omnes, qui inuocant illum, ſunt propter hoc honorandi, & in communitatibus ſemper debent habere digniores locos, non ſolum ſuperiores, & nobiles, ſed etiam diuites, vtpotè, qui maiorem partem ſubſtantię Communitatis, dum poſſident, magis ipſo indigent populares, & in hoc diuites Dei vicem ſuſtinent, ad hoc, vt tamquam Diuini Oeconomi ſuis diuitijs à Deo acceptis, cęteris proficiant; ſub hoc ergo titulo non eſt acceptio perſonarum diuitem honorare, & magis reuereri, quàm pauperem; ita tamen, vt notat *noſter Alen.* ne pauper contemnatur, & diues in peccato foueatur, dum honor ei defertur, ex qua doctrina videatur.

Vtrum ſit dicenda acceptio perſonarum prius Sacramenta puta Confeſſionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare diuiti, quàm pauperi.

DIFFIC. XII.

DIſtinguendum vtiq; videtur iuxtà poſitam doctrinam; nam ſi miniſtrare Sacramenta diuiti prius, quàm pauperi, fiat ſolo intuitu diuitiarum, vel propter quamdam vanam gloriam, ex eo quia Miniſter magis gloriatur miniſtrare diuiti, quã pauperi, ſanè peccatum acceptionis perſonarum, & inanis gloriæ committere talem Miniſtrum, nulli dubium eſt; quòd ſi hoc faciat intuitu congruentiæ, quia ſcilicet magis congruit expedire digniores, diuites autem digniores eſſe pauperibus, dictum eſt ſupra, nulla eſt acceptio perſonarum, modò pauperes non contemnantur, & relinquantur abſq; adminiſtratione Sacramentorum, quòd ſi pauperes ſcandalizentur, & obmurmurent, quia prius quàm ipſis adminiſtrentur Sacramenta diuitibus, malè agunt, & acri reprehenſione ſunt digni, quia dignitatem diuitiarum tamquam à Deo dependentem nolunt reuereri.

Adde, quòd miniſtrans præfata Sacramenta poteſt præferre pauperibus diuites abſq; aliquo ſcrupulo; primò ſi viderint diuites magis indigere, quàm pauperes; ſecundò ſi maior fructus ſit ſecuturus in diuite; tertiò quando viderint diuites non patienter expectaturos, paſſim enim iſti, ſi ſtatim non expediantur, obmuteſcunt, putantes ſibi iniuriam fieri, quando aliquod vrbanitatis ſignum ſibi maius non præſtatur, & ſępè ſępius in minas, & indigna verba prorumpunt in Sacerdotes, quòd ſi dicas pauperes etiam ſcandalizari obmurmurantes, quòd cùm Chriſtus Ieſus æquè paſſus ſit tam pro pauperibus, quàm pro diuitibus, Sacramenta etiam Chriſti diſtribuenda abſque aliqua acceptione perſonarum.

Reſpondeo cum *noſtro Alen.*, quòd ſi ſcandalum nullum ſit

ſecu-

Digitized by Google

ſecuturum in diuite, ſi non præferatur pauperi, non debet præponi pauperi diues, ſed ordine, quo venerint, expediendi ſunt, quòd ſi ſcandalum ſit ſecuturum in diuite, niſi præponatur pauperi, debet omninò præponi diues, modò ſuauiter moneatur pauper, vt patienter expectet cum promiſſione ſibi ſatisfaciendi, & tunc eſto quòd ſcandalizetur pauper, debet omninò præponi diues; quia de duobus malis neceſſariò eueniendis ab actione bona, minus eſt eligendum; minus autem malum eſt, vt ſcandalizetur pauper, cui poteſt facilè remedium adhiberi, & damnum Eccleſiæ, ex eo paſſim non prouenit; maius autem eſt malum, vt ſcandalizetur diues, qui non ſolum verbis, vt pauperes, ſed etiam aliquando re ipſa, vel offendendo, vel eleemoſynas, & alia bona prohibendo nocere valent Eccleſiæ, & ſuis Miniſtris, & licèt æquè paſſus, & mortuus ſit Chriſtus pro omnibus quantùm ad ſubſtantiam, tamen quantum ad applicationem, & Ordinem prius, & eminentiori quodam modo pro Maria Virgine Matre, & fortè prius pro vno prædeſtinato, quàm pro alio iuxta ordinem ſuæ voluntatis, præciſa tamen omni prioritate temporis ad ſuæ Eccleſiæ fundationem, vel conſeruationem. Quare nil mirum, ſi in applicatione miniſteriali facta à Sacerdotibus, licèt omnibus æquè quò ad ſubſtantiam applicentur Sacramenta, tamen prius Clericis diſtribuenda mandatur Euchariſtia, quàm laicis, ex eo quia honorabilior eſt Clerus, & tamen Chriſtus æquè paſſus eſt pro Clericis, & laicis; potior enim in honore, potior etiam debet eſſe in loco, & ordine; patet ex eo, quòd cum diuites ſint nobiliores pauperibus abſq; acceptione perſonarum poſſunt in adminiſtratione Sacramentorum præferri pauperibus, licèt æquè pro omnibus Chriſtus ſit paſſus, & mortuus quò ad ſubſtantiam, non tamen quò ad ordinem adminiſtrationis, quia in hoc congruit, vt prius iuxtà proprios gradus magis, & minus digni expediantur.

Acceptiones perſonarum an incurrant mendicantes magis practicando apud Nobiles, & diuites, quàm pauperes, & ignobiles, magis illis, quàm iſtis obſequendo.

DIFFIC. XIII.

SEraphicus noſter Bonauentura per duas quæſtiones diſtinctas reſpondet *in Apologia q. 22. & 23.* contra murmurantes de Mendicantibus, quarum ſolutionem ex ipſo hic ad litteram ponendam cenſui, cum Codex rarus ſit.

Item quæro, cùm deberetis ſicut pauperes Chriſti pauperibus eſſe familiares, & eorum cibis contentari, quid eſt, quod magis frequentatis menſas diuitum, quàm pauperum? Reſpondeo tria ſpecialiter inuitant, videlicet noſtra neceſſitas, quia cum itinerando per terram, laſſitudine, & fame fatigamur, apud illos promptius ſperamus obtinere refectionem, qui etiam pro honeſtate ſua panem ſuum quibuslibet tranſeuntibus non negant, quàm alios, quos neſcimus. Item pauperum inopia, quia ſi forte nos hilariter reciperent, expenderent nobiſcum pro ſua deuotione in vno prandio nobis etiam dolentibus, vnde ipſi pluribus vicibus refici poſſent. Item ipſorum diuitum ſalus, qui per occaſionem concipiunt noſtri familiarem notitiam, vt ad amorem Dei ſic eos paulatim trahamus, & ad ſalutis doctrinam eis ingeramus, & per tale meritum Deũ eis propitium faciamus, quia pauperes per ſe ingerunt ſe, & ſalutis conſilia ſtudioſe requirunt, qui non habent in hoc mundo conſolationem ſuam; diuites autem terrenis contenti, vel mundanis negotijs occupati, rarò humiliant ſe ad quærendum ſalutis conſilium, niſi per occaſionem aliquam ad hoc a bonis, & Religioſis trahantur prudenter, ſicut Dominus traxit Zaccheum, & alios publicanos manducando cum eis, & docendo, licèt non ignoraret Phariſeos, & Scribas indè murmurare, & occaſionem quærere detrahendi.

Item quæro cùm perſonarum acceptio ſit apud Deum culpabilis, & ab Apoſtolo Iacobo prohibita: Quare vos Religioſi magis honoratis diuites, quàm pauperes, & promptius eis ſeruitis in Confeſſionibus audiendis, & alijs conſilijs, & obſequijs, ſicut ſæpè videmus, & ſcimus.

Reſpondeo: Deus puſillum fecit æqualiter, & magnum, & æqualiter eſt illi cura de omnibus in quantum factura eius ſunt, & ad ſalutem pertinent ſempiternam; ideò igitur nos omnes diligere debemus in Domino, & tam diuitum, quàm pauperum ſalutem deſiderare, & pro poſſe noſtro promouere, ſicut expedit his, & illis, tamen diuitem plus debemus honorare quadruplici ratione, tum quia Deus in hoc ſeculo diuites, & potentes prætulit pauperibus quo ad mundi gloriam, vbi eſt neceſſe alios alijs ſubeſſe, vel præeſſe, vnus honorando potentes, eius ordinationi concordamus, quos & ipſe Deus honorauit in hac parte. Alia ratio propter infirmitatem ipſorum diuitum, qui ſi non honorarentur, indignando magis infirmarentur, & deteriores efficerentur, & grauamen nobis, & alijs pauperibus inferrent, ne offendiculum demus infirmis, ne per nos deteriores fiant, quos omnes potius debemus ad meliora trahere, & reuocare. Tertia, quia maior vtilitas prouenit ex correctione vnius diuitis, quàm plurium pauperum; Pauperis enim ſalus ſibimet prodeſt, diues emendatus multis, tam propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur, & prouocantur ad bonum, & propter alia bona, quæ per eum promouentur in alijs, & mala expediuntur. Eccleſ. x. Qualis Rector Ciuitatis, tales habitantes in ea. Conuerſio Conſtantini Imperatoris ad fidem plus profuit Eccleſiæ, quam multorum aliorum. Quarta. Cum a diuitibus plus recipiamus de corporali ſubſidio, iuſtũ eſt, vt eis vicem rependamus, & promptiores ſimus eis ad obſequia ſpecialia impendenda; Pauperes enim facilius expediuntur, quia tantis perplexitatibus non ligantur, diuites verò pluribus laqueis irretiti, frequentioribus, & diligentioribus indigent Conſilijs, adeo neceſſe eſt, nos circa illos ſtudioſius occupare, ne profundius in peccata mergantur; nam, vt dictum eſt iam; qui potentem in bono promouet, multos iuuat, ſicut è conuerſo ipſius ſubuerſio multorum eſt detrimentum. Hæc D. Bonauentura.

Vtrum acceptio perſonarum mortalis ſit dicenda diſtributio eleemoſynæ ex teſtamento, vel alia particulari commiſſione pauperibus facta relictis pauperioribus.

DIFFIC. XIV.

AFfirmarunt antiquiores Iuriſtæ debentem diſtribuere eleemoſynas pauperibus ex teſtamento, vel Commiſſione aliqua acceptionem perſonarum eſſe mortalem, ſi pauperioribus non diſtribuat; abſolutè enim pauperiores eligendos docetur *Arg. Tex. notab. in l. Quis ad declinandum, C. de Epiſc. & Cler.* etenim ſi ratione paupertatis facienda eſt eleemoſyna, hoc eſt, quia pauperes indigent, ergo eis, qui magis indigent, facienda eſt, quia in his quam maximè elucet virtus eleemoſynæ; Ita *Dec. conſ. 72. n. 3. Feder. de Sen. conſ. 95. n. 2. Ledeſ. 2. p. q. 18. a. 5. & Sim. de Prat. de interpr. vlt. volun. dub. 2. n. 94.* & alij.

Verùm negatiua opinio mitior eſt, & probabilis, ſufficere ſcilicet, quòd quis pauperibus impendat eleemoſynas abſque eo, quòd teneatur quærere pauperiores, non enim videtur Teſtator, ſeu committens ſuas eleemoſynas dandas pauperibus grauare executorem, vt exquiſitam hanc diligentiam faciat quærendi pauperiores, ſed dum pauperibus ſimplicibus mandat dari eleemoſynas de quocumq; paupere indifferenter dicendum eſt intellexiſſe mandantem, etenim ſi voluiſſet pauperioribus diſtribui, explicuiſſet ſuum animum, dum ergo non explicuit hanc conditionem, ſignum eſt noluiſſe grauare executorem, præterquam quod aiunt Iuriſtæ interpretandam legem contra Legiſlatorem, quando apertè potuit dicere legem, & non dixit, ergo etiam facienda eſt interpretatio contra Teſtatorem, quando potuit apertè declarare ſuam mentem, & non declarauit; ita noſtri *Corduba lib. 1. qq. Theol. qu. 18. & Rodr. p. 2. c. 41.* idem docent *Petr. Nauar. de Reſtit. lib. 4. Silu. v. Reſtit. 8. qu. 3. Mantic. de coniect. lib. 8. tit. 5. Gloſ. 1. n. 12.* qui citat *Bart. in l. Vnum ex famil. §. 1. & Bald. in l. Cum quidam ad fin. de leg. 2. & Ioann. Mart. lib. 5. tit. 4. leg. 14.*

An verò dictæ eleemoſynæ relictæ pauperibus in genere poſſint diſtribui Religioſis Mendicantibus affirmant *noſter Roſella, v. Reſtitutio 15. n. 8. Cardin. in Clemen. 1. n. 22. Imola n. 18. Anchar. n. 16 de Teſtam. Pariſ. conſ. 26. n. 14. volum. 4. Silueſt. v. Teſtamento 2. q. 2. Peralta l. 1. ex Fanel. §. Rogo, n. 7. ff. de leg. 2.* quia Mendicantes verè ſunt pauperes.

Conſulerem tamen Religioſum, cui hæc diſtributio facienda lata eſſet, ne quacumque leui de cauſa ſuo Monaſterio, & fratribus erogaret, maximè ſi redditus haberent mediocres, ne auiditate, & complacentia potius duci videretur, quàm vera æquitate, & miſericordia, qua motus erat principalis mandans ad dandas eleemoſynas; debet enim quanto magis poteſt executor mandãtis voluntati ſe ſe accommodare, aliter notam auaritiæ non effugeret; benè tamen verum eſt, quòd ſi pauperes non fuerint ſignati, licèt peccaret ex auaritia applicando ſuo Monaſterio non

indi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

indigenti eleemoſynas,tamen non tenetur reſtituere, quia verè pauperum titulo venit Monaſterium fratrum Mendicantium.

Immo addunt vnum notabile quidam DD. quòd ſi mandetur executori in teſtamento, vt pauperibus diſtribuat legatam eleemoſynam, ſi prętermiſſis pauperioribus, pauperibus ſolùm diſtribuat,peccet quidem,ſed non teneatur ad reſtitutionem, modò pauperiores non fuerint ſingulariter nominati, & ſpecialiter ſignati,& ratio poteſt eſſe, quia voluntas teſtatoris adimpleta eſt quò ad ſubſtantiam,conſequenter non tenetur reſtituere,quia ex diſtributione in pauperes conſequutus eſt Teſtator effectum ſpiritualem pro ſua anima,peccauit ergo ſolùm executor,quia modum non ſeruauit, qui non eſt ſubſtantia effectus ſpiritualis à Teſtatore præſenti, hanc ſententiam docuit *Conrad. in ſuis reſpon.p.1.q.*101.quem etiam ſecutus eſt *Diana p.*1.*tract.*15.*miſc.*1. *reſol.*39.

Accidia.

Accidia vnum ex ſeptem capitalibus à verbo Greco, ἀκηδία, quod triſtitiam,tędium,anxietatem ſonat noſtro idiomate, volunt quidam ſuam traxiſſe Æthimologiam, alij autem à verbo Acedio, vel Acedior, quorum primum anxium eſſe, ſecundum tędio afficere,putant deriuare,vndè potius Acediam, quàm Accidiam legunt, licèt in re idem ſignificatum omninò teneant: *Diuus autem Thomas* perbellè ſatis, vt ſemper ſolet,& notat *noſter Vngarell.* in hoc loco, *ſcholio A.* docet ſuam Æthimologiam trahere ab hac voce Acidum,quod idem eſt,ac acetoſum;acetoſa autem frigida ſunt,frigida porrò,vtpotè conſtrictiua in motu tarditatem inducunt, vndè aqua ex frigore in hyeme congelata,alioquin ex ſe fluxibilis, immobilis tamen permanet, quare metaphoricè Accidia à tali voce,Acidum,deriuans quamdam frigiditatem ſpiritualem,& defectum feruoris erga res Diuinas, ex quo accidioſus difficulter, & cum tędio mouetur ad operandum bonum denotat; itaq; omnes eò tendunt, vt ex nominis Æthimologia Accidiam demonſtrent quamdam pigritiam,tędium,vel difficultatem operandi ſpiritualia.

Vtrum accidia ſit aliquod generale, an verò ſpeciale peccatum.

DIFFIC. I.

Diſtinguendum eſt,nam vel Accidia ſumitur pro triſtitia de bono ſpirituali ſimpliciter,& abſolutè, & ita dicendum eſt peccatum generale,nec eſt vnum ſpeciale de ſeptem capitalibus, quia re vera quodlibet peccatum ex ſe inducit in hominem quamdam triſtitiam, renitentiam, & difficultatem operandi bonum ſpirituale in illo genere virtutis, cui opponitur commiſſum peccatum,hinc auarus habet renitentiam, triſtitiam faciendi reſtitutiones,& eleemoſynas dandi,vt optimè docet noſter *Vngarell.ex D.Angelico* 2.2. q 31. Secundo autem modo Accidia dicitur illud tędium, & moleſtia de bono ſpirituali in quantum afficit, vel vexat corpus ratione difficultatis, quam includit, vel quia eſt impeditiuum tale opus bonum delectationis, quam ſenſus obijcit, & ita Accidia à peccatis corporalibus, per quæ delectatio, quies, vel aliquod bonum corpori acquiritur, non diſtinguitur maximè à luxuria, & auaritia, nec iſto modo ſumpta Accidia eſt vnum ſpeciale de ſeptem capitalibus.

Accidia ergo tertio modo ſumitur pro triſtitia, & tędio de bono ſpirituali in quantum Diuinum eſt, ideſt in quantum debet fieri ob cultum,& amorem Dei, & hoc modo Accidia eſt vnum ſpeciale peccatum de ſeptem capitalibus, & ratio eſt, quia vt ſic opponitur ſpeciali virtuti, quæ eſt Charitas, quæ hominem inflammat ad gaudendum de bono opere ſpirituali in quantum ordinatur ad honorem, & cultum Dei.

Vtrum accidia ſit peccatum capitale.

DIFFIC. II.

Accidiam capitale vitium eſſe, commune eſt proloquium, ex eo,quia ab ipſa tamquam à capite alia peccata oriuntur;hinc *D.Greg. lib.*31. *moral.* ſex filias enumerat ab Accidia progigni.Prima dicitur deſperatio;ſecunda puſillanimitas,tertia otioſitas,quarta negligentia circa pręcepta,quinta vagatio mentis illicita,ſexta dicitur malitia, qua quis deteſtatur bona ſpiritualia.

Iſidorus autem de ſummo bono alias addit, quæ ſanè ad præfatas etiam reduci poſſunt. Prima dicitur ſomnolentia,ſecunda importunitas circa illicita, dum mens ſcilicet vult ſe indebitè, & immoderatè diffundere ad diuerſa, quæ etiam dicitur curioſitas, tertia verboſitas,cùm ſcilicet indebitè, & immoderatè quis confabulando abſtrahitur ab opere ſpirituali, quarta inſtabilitas cum diuerſorum ſcilicet fit mutatio locorum, vel propoſiti, quinta inquietudo corporis ex tędio ſpiritualium, cùm ſcilicet per immoderatus membrorum motus animus ad alia vagare dimittitur.

Accidia an ſit ſemper peccatum mortale.

DIFFIC. III.

Diſtinguendum eſt, nam vel habetur triſtitia circa ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & ita ex ſuo obiecto mortale peccatum eſt,ſi verò ſit circa ea, quæ non omninò ſunt neceſſaria ad ſalutem,nec alias ex Pręcepto debita, & ſic veniale peccatum eſt ex ſuo obiecto, iterum aut triſtitia deducit ad aliquod peccatum mortale,puta deſperationem,fortè quia tędio affectus quis de rebus ſpiritualibus, deſperat ea amplius poſſe facere, vel deliberatè diſponit ſpiritualia opera ad ſalutem neceſſaria amplius non facere, vndè iſti tales ſolent in hæc prorumpere indigna verba: Nollem eſſe creatus à Deo, ò vtinam eſſem animal irrationale,peccatum mortale eſt,quòd ſi hæc deſperatio ſit ſolùm circa ea, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, nec alias debita ex præcepto, non eſt regulariter peccatum mortale; ita ferè ex noſtro *Alen. & Angel. loc.cit. & ex D.Thoma* 2.2. *qu.* 35.

Cęterùm aduerte, quòd in prædictis caſibus tunc verè Accidia peccatum mortale adſtruitur, quando triſtitia contingit vſq; ad perfectum conſenſum rationis,ex qua deliberatè habetur deteſtatio boni propter amorem Dei, præualente ſenſuali appetitu omninò contra ſpiritum,& appetitum rationalem;quando verò non peruenit ad perfectum conſenſum rationis, ſed eſt in ſola ſenſualitate propter repugnantiam carnis contra ſpiritum ex quadam indeliberatione, ſolummodò erit peccatum veniale.

Vtrum accidia ſit omnium peccatorum grauiſſimum.

DIFFIC. IV.

Diſtinguit optimè, vt ſolet ſemper *noſter Alen. vbi ſupra* 2.2. *tract. de accidia*; nam vel accidia ſumitur in ſuo ſimpliciter genere,atq; ita non eſt maximum peccatorum,quia maius peccatum eſt Apoſtaſia à fide,& etiam ſuperbia;ſi verò ſumatur cauſaliter,quatenus ſcilicet cauſat otioſitatem,quæ omnium eſt cauſa malorum;Anima enim,quæ in bonis non occupatur,in multa defluit faciliter vitia,atq; ita Accidia poteſt dici maximum peccatorum, quatenus omnia cauſat peccata; iterum ſi Accidia ſumatur terminatiuè,quatenus triſtitia,& tędium terminatur ad deſperationem, ſanè omnium peccatorum grauiſſimum,dicenda eſt Accidia;ita etiam *noſter Ang.*§.2.

Accuſare.

Accuſare ſui nominis Æthimologiam *ex c.Forus, de verb. ſignif.* eſt quaſi ad cauſam vocare; vndè Accuſatio eſt delatio rei ad vindictam per libellum facta, vt notat *noſter Angel. v.Accuſatio,Clarus Pract.ſent.q.*112.*Farin.l.*1.*Prac.crim.q.*12. *Sayr.in Cl.Reg.lib.*12.*c.*14.*Bonac.in* 8.*Decal.Pracep. diſp.*10.*q.* 10.*q.*3.*punct.*1.*Filiuc.tract.*4.*c.*7.*q.*1.

Quænam requirantur ad legitimam accuſationem faciendam.

DIFFIC. I.

Qvinque requiri de iure communi, ad hoc, vt accuſatio ſit legitima, docent communiter Iuriſtæ, & primò requiritur, vt fiat in ſcriptis,aut etiam verbis, modò ab Actuario ſtatim in ſcriptis referatur, ſecundò requiritur ſpecificatio nominis accuſan-

cuſantis,& Accuſati;tertiò debet poni ſpecies delicti; quartò debet aſſignari tempus,ſcilicet annus,& menſis,& locus,vt ſciatur quando, & vbi delictum fuit patratum, & hæ quatuor conditiones habentur *in l.libellorum,ff.de accuſationibus*; an verò requiratur dies, in quo crimen fuit perpetratum, negant obligari accuſantem ſpecificare diem,in quo delictum fuit commiſſum, quòd ſi reus petat aſſignari diem,vt ſe defendat, quia vult probare ſe tali die à loco delicti abſuiſſe,tunc teneri accuſatorem etiam diem. *Maſcard.Gomez.Boſſ. & alij*, quos citat,& ſequitur *Farinac.loc.cit.q.1.n.20.* Quinta autem conditio requiſita in legitima accuſatione eſt, vt accuſans obliget ſe ad pœnam Talionis, quam tamen conditionem *Sigiſmundus Scaccia de iudic.c.51.n.13.* negat eſſe in vſu in curia ſeculari, & in curia Romana; Vide *Iul.Clar.c.5.q.81.Farin.q.16.n.4.Bonac.loc.cit.* Accuſator autem certum eſt, quatenus contra diſtinguitur à Denunciatore, quod ſuſcipit in ſe onus probandi,quod defert;Vide *noſtrum Rodr.in tract.de Ord.iudic.*

Vtrum ante accuſationem ſit neceſſaria ſecreta admonitio.

DIFFIC. II.

QVamuis accuſatio quantùm eſt ex natura ſua non requirat,vt præmoneatur reus,quia accuſatio,vt accuſatio eſt,fit ad vindictam criminum, ad terrorem aliorum, & emendationem delinquentis, vt notat *noſt. Ang. v. Accuſatio.* Attamen ſi delictum ſit occultum,quærunt DD. an ſaltem Chriſtiano more debeat accuſationem præcedere admonitio,vel denunciatio. Affirmant *Syluester v. Accuſatio n.3.& Sotus lib.5.q.5 a.1.* contendentes ſimpliciter ante accuſationem, præmittendam eſſe admonitionem,vel denunciationem,iuxtà Domini præceptum: *Si peccauerit in te frater tuus,vade,& corripe,&c.* Diſtinguunt tamen probabiliter alij, quòd quando ex admonitione ſperatur emendatio, vel quando ex accuſatione plus timetur mali, quàm boni,præmittendam volunt ante accuſationem,admonitionem, quia maius bonum anteponendum eſt minori bono; maius autem bonum eſt emendatio proximi, quàm vindicta, quòd ſi non ſperetur emendatio,nec timeatur malum ex accuſatione, non eſſe neceſſarium præmittere admonitionem, docet *noſter Rodr. loc.cit. Azor.3.p.lib.13.c.19 dub.3. Leſſ.lib.2.c.30.dub.3.Fillıuc. tract.44.7.q.2.Bonac.loc.cit.*

Quibus in caſibus teneatur quis accuſare.

DIFFIC. III.

ACcuſare primò quis tenetur, quando crimina ſibi nota vergunt in damnum ſpirituale, ſiue corporale communitatis,vt ſunt hæreſis, crimen læſæ maieſtatis, Rebellio,Conſpiratio in Principem,falſificatio monetæ,& ſimilia, bonum enim commune debet anteponi bono priuato, & tenetur quis damnū publicum impedire eo meliori modo, quo poteſt, vndè quando huiuſmodi crimina,& ſimilia ſunt in fieri,vel in procintu,vt fiát, ſi ſciantur,neceſſariò ſunt accuſanda,vel ſaltem denuncianda, quia tunc impeditur damnum Reipublicæ imminens, quòd ſi crimina non redundent in damnum Reipublicæ ſpirituale, vel corporale,non tenetur quis ea accuſare, & hoc modo intelligendos eſſe eos Doctores,qui nullo modo teneri aiunt, ſcientes crimina perpetrari,ad ea accuſanda, tradit *noſter Vngarell. ver, Accuſatio,ſcholio B.* ita etiam docent *D. Thomas 2.2.qu.63.a.1. Valent.T.3.diſp.5.qu.12.punct.1. Nauarr.cap.25.num.22. Clau. Regia lib.23.c.16. Toletus lib.5.c.6. Filiuc.tr.40.c.7. q.6. Bonac. loc. cit.n.6.*

Accuſare ſecundò tenetur quis, quando crimen in procintu eſt, vt fiat in notabile damnum tertij,ſi probare poteſt, ſaltem debet denunciare, ſi alia via non poteſt impedire tale damnum, quia quilibet tenetur ex charitate impedire damnum proximi; quod enim tibi vis fieri, alteri facere debes; ita communiter *DD. cit.* quòd ſi crimen non ſit in notabile damnum tertij, non tenetur quis accuſare, ſed ſufficit corripere,vt dicetur infra ſuo loco.

(*,*)

An in prædictis caſibus teneatur quis accuſare eum, cui promiſerat cum iuramento de non reuelando ſecretum commiſſum.

DIFFIC. IV.

AFfirmant communiùs Doctores loquendo de criminibus in damnum Communitatis, præcipuè hæreſis, & læſæ Maieſtatis,proditionis,& ſimilium, non teneri ſcientem ſeruare iuramentum factum de non reuelando,quia in tali caſu cenſetur iuramentum factum de re illicita,& iuramentum tacitam habet conditionem, modò liditè ſeruari poſſit; illicitum autem eſſe etiam ipſum iuramentum in tali materia docet *noſter Vngarell.* quia aperiret viam ad iniquitatem; ita etiam *noſt. Ang. v. accuſatio,ſcholio 6. Salon.2.2.q.66.a.1.Cl.Reg.& Bonac. loc.cit.* imò addo cum *Valen. diſp.5.q.12.* & *Petro Nauar. lib.7. c.4.* talem accuſationem omninò eſſe faciendam,non obſtante iuramento, etiamſi delinquens paſſurus eſſet graue damnum in fama, quia imputandum eſt ipſius culpæ propria infamia, dum in bonum publicum damna molitur, in cęteris verò criminibus vergentibus ſolùm in damnum tertij, non ita rigoroſè loquuntur *DD.*; quid autem ſit faciendum ſpecificabitur in proprijs locis.

Vtrum accuſare omittens in caſu ſecundo,obligetur ad reſtitutionem de damnis illatis.

DIFFIC. V.

CErtum eſt peccare mortaliter contra charitatem omittentem accuſare,vel ſaltem denunciare in præfato caſu; circa reſtitutionem verò diſtinguendum puto cum præfatis DD.;nam vel quis tenetur ex iuſtitia accuſare,vel denunciare, puta ſi fuerit fiſcalis,& ſimiles habentes tale onus cum ſtipendio, vel Officio, quia tunc taliter omittentes accuſare delinquentes, tenentur ad damna, quia violant iuſtitiam, ſecundùm quam prohibere damna tenentur ex officio, quod ſuſtinent; qui verò tenentur ſolùm ex charitate accuſare,ſi omittant, non tenentur ad aliquod reſtituendum, cùm obligatio reſtitutionis, vt dicetur ſuo loco, non oriatur ex violatione præcepti charitatis,ſed ſolùm ex violatione iuſtitiæ.

Accuſare omittens quem debet ex iuſtitia, an teneatur ſoluere illam pœnam, quam obligaretur ſoluere delinquens,ſi accuſatus fuiſſet.

DIFFIC. VI.

AFfirmant *Petrus Nauar.lib.3.c.4. Azor.3.p.lib.13.c.20. Cl. Reg.lib.12.c.14. Salon.q.68.a.1.controu.5.* & alij, quia ex violatione iuſtitiæ oritur obligatio reſtituendi quodcumque damnum ex ipſa ſequens;pœna autem ſoluenda à delinquente, ſi fuiſſet accuſatus, vergit in damnum fiſci,vel Reipublicæ: Contrarium tamen opinantur probabilius noſter *Corduba qu. 66. Sylu.v. Reſtitutio 4.q.5. Nauar.c.25.n.33. Leſſ. lib.2.c.13. Filliuc. tract.4.c.7. q.7. Bonac. vbi ſupra q.3.p.1.* & ratio eſt, quia huiuſmodi officiales ſunt ſolùm inſtituti primariò, vt damna impediantur, non autem vt pœnæ ſoluantur, preterquamquod pœna non debetur, vt ſuo loco dicetur, niſi à Iudice incurſa declaretur.

Accuſatio quomodo reddatur vitioſa.

DIFFIC. VII.

TRibus præcipuè modis accuſationem reddi vitioſam docetur *in 2.q.3.§. Notandum,& l.1.ff. de abolitione*; & primò redditur vitioſa calumniando, ſcilicet quando falſum crimen imponitur,taliter autem accuſans non ſolùm peccat mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem tenetur de omni damno illato, *ex c. vlt.de Calum.* Conuincitur porrò calumniam intuliſſe accuſato eo ipſo, quod non probat, quæ detulit,vt docet noſter *Vngarell. loc.cit.ſcholio P.ex Gloſ.in d.c.& Bart.in l.1.ff. ad Turp.* Secundò redditur vitioſa accuſatio ex tergiuerſatione, tunc autem dicitur tergiuerſari Accuſator,quando recedit à lite ſine licentia Iudicis, quod tamen intellige, ſi faciat, quia deeſt animus probandi

bandi contra accuſatum; tunc enim punitur accuſator in quinq; libria Auri;ex *l.3.ff.de Preuaric.* Si autem recedat ex compaſſione,& miſeratione, quam habet in reum, non peccat Accuſator, quò ad Deum, & in foro conſcientiæ, poteſt tamen puniri à Iudice in foro fori. Tertiò dicitur vitioſa ratione preuaricationis; tunc autem dicitur Pręuaricator, quando accuſator colludit cum reo falſas,& varias probationes ſimulando, vt habetur *l.1. & 2.ff.de Preuaric.* Vide *noſtrum Ang. v. Accuſatio* §.8.

An liceat accuſare inferentem ſibi iniuriam.

DIFFIC. VIII.

ACcuſare de iniuria nobis facta, licèt non teneamur, cùm meritorium admodum ſit remittere iniuriam, ſecundum illud *Matth.16. Dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; tamen licitè, & ſine peccato poſſumus accuſare inferentem nobis crimen, quod probatur ex eo, quòd accuſatio eſt actus virtutis iuſtitiæ,qui licitè exerceri valet, ſi bona intentione fiat,ſcilicet propter bonum commune,vt cęteri diſcant rectè viuere, quòd ſi propter odium formaliter quis accuſet,peccabit accuſans,ſi verò ſola immiſceatur aliqua paſſio fragilitatis cum bono fine prędicto,erit ſolùm veniale,vt docet noſter *Ang.*§.4. aliàs ſemper erit meritoria accuſatio, ſi abſolutè,& ſimpliciter fiat propter bonum commune, nec obſtat, quod aliqui dicunt, non licere Chriſtiann accuſare propter prætatam Domini ſententiam, quia tale Saluatoris noſtri dictum ſolummodò conſilium eſt,non pręceptum; Vide *Cl.Reg.Bonac.Filliuc. loc.cit. Salon. Aragon. & Caiet.* 2.2. q. 68. qui etiam admonet, quòd

Accuſans de crimine,de quo periculum vitæ ſubiret accuſatus, debet ſe proteſtari præcipuè ſi ſit Clericus, qui etiam in propria cauſa ad accuſandum admittitur dumtaxat, vt docet noſter *Angel.*§.3 ſe non intendere pœnam ſanguinis,ſed ſolùm bonum commune, res proprias defendere,& ſatisfactionem debitam recipere.

Accuſari an valeat iterum de eodem ſemel accuſatus.

DIFFIC. IX.

LIcèt negatiuè reſpondendum foret,vt docetur *in c. de his, de accuſat.* vbi habetur, quòd delictum vnius hominis ſæpius quæri non debet; *&* 25.*q.*9. habetur Diuina clementia dimiſſa ſemel peccata in vltionem vlterius redire non patitur; attamen in duobus caſibus poteſt iterum quis de eodem accuſari. Primò ſi doceat primum accuſatorem pręuaricaſſe, *ex l.3. ff.de Preuaric*, Secundò ſi ignoret accuſationem ab alio inſtitutam, ex *l. Si cui ff.de accuſat. & Gloſ.in d.c.de his*; ita *noſter Ang.* §.10.

Vtrum accuſatus poſſit licitè dare aliqua accuſanti, vt deſiſtat ab accuſatione.

DIFFIC. X.

DIſtinguendum in hac difficultate videtur, nam in cauſa criminali antequam accuſator ſe inſcripſerit de pœna Talionis,poteſt deſiſtere accuſator,vt ex *l. Mulier,& l. Quaſ. ff. ad Turp.* & conſequenter poteſt recipere tranſactionem aliquã. Poſt verò inſcriptionem de pœna Talionis non licet accuſato recedere,niſi,vt habetur *in l.2.& 3.C.de abolit. & in c. Quidam 5. quaſt.* 1. obtenta ſcilicet à Iudice prius licentia recedendi ex aliqua cauſa, puta quia per errorem, calorem iracundiæ, vel temeritatem accuſauerit: quæ doctrina vera eſt in criminibus, quæ non ſunt contra communitatem, nam

In cauſa publici criminis, vt veneficium, ſacrilegium, falſitas in ſcriptis publicis, & ſimilia non poteſt fieri tranſactio cum accuſatore, & ſi fiat nulla eſt, imò accuſatus ſi tranſegerit, habetur pro confeſſo *C.de tranſact. l.Tranſigere.ff. de Preuaric. l. in omnibus.*

Vbi autem eſt illata pœna ſanguinis licet vnicuique ſuum ſanguinem redimere, ex *l.1. ff. de bonorum*, & hoc verum, prætérquam in adulterio, in quo non licet tranſigere, ne frequenter contingat Sancta Matrimonij fides, notat tamen *noſter Vngarell. ſcholio Z.* quòd in adulterio præſumpto, quando ſcilicet quis,præmiſſa trina monitione, adhuc inuenitur alloqui cum propria vxore eius, qui admonuit, ne cum ipſa amplius alloqueretur, quia talis alloquens poteſt præſumi ſolùm adulteraſſe, poteſt dari licentia ad tranſigendum,ſi fuerit ex tali pręſumptione damnatus,vt docet *Bald. in d.l.Tranſigere.*

Vbi verò pœna ſanguinis non irrogatur,non licet tranſigere, prætérquam in crimine falſi, in quo licita eſt tranſactio, quia,vt notat *noſter Vngarell. ſcholio* ℞. damnatus de falſo,habetur pro mortuo, cùm nulla fides illi amplius adhibeatur; ſimiliter addit *noſter Ang.* quòd in crimine priuato licet tranſigere,quia Communitati non irrogatur iniuria; deniq; concludit,quòd cùm in iure Canonico omne crimen ſit publicum, & de nullo ſtatuatur pœna ſanguinis,nullo modo poſſet fieri tranſactio in criminibus Clericorum puniendis ſecundùm ius Canonicum, prætérquam in crimine, quod punitur pœna detruſionis perpetuæ, quia poteſt fieri in hoc etiam de iure Canonico tranſactio, ex eo quòd detruſio perpetua æquiparatur morti, vt notat *noſter Vngarell.*

Vtrum delinquens poſſit dare pecuniam, ne accuſetur, & debens accuſare poſſit licitè recipere.

DIFFIC. XI.

DIſtinguendum videtur etiam in hac difficultate, nam accuſans ſi ſit obligatus ex charitate, vel officio iuxtà ſuperius dicta, iniuſtè reciperet pecuniam à delinquente, ne accuſetur, quia contra iuſtitiam, & contra charitatem pecuniam turpiter accipit, quare & delinquens iniuſtè, & turpiter traderet, prouocando debentem accuſare ad peccandum, & conſequenter debens accuſare teneretur reſtituere totum id, quod acciperet pro tali omiſſione.

Quòd ſi accuſator ſit pars lęſa, poteſt licitè accipere pecuniam à delinquente,ne accuſetur;ius enim accuſandi cùm ſit aliquod temporale,eſt pretio æſtimabile, æquè adeò poteſt pro ipſo pecunia accipi;in criminibus tamen,in quibus, vt dictum eſt, poteſt fieri tranſactio.

Accuſatus,pendente accuſatione,à quibus prohibeatur.

DIFFIC. XII.

ACcuſatus,pendente accuſatione, de criminibus grauibus, ſi cum ipſa accuſatione coniungatur infamia delictorum, non poteſt ordinari,teſtificari, nec promoueri, non tamen pendente accuſatione priuatur muneribus, quæ habet, quia iſta non amittuntur, niſi poſt ſententiam Iudicis, hinc Abbati accuſato tenentur obedire ſubditi, donec à Iudice iuriſdictione priuetur; Vide *Abbatem in cap.ex parte, de accuſat. & Felin. ibidem Colum.* 2.

Accuſare quinam prohibeantur.

DIFFIC. XIII.

ACcuſare prohibentur primò Excommunicati, Proditores, publici concubinarij, & Vſurarij, & quicumq; à iure infames 2.q. 1.*c. Prohiben. & l. qui actus.ff.de accuſat.* & ratio eſt,quia ad accuſandum requiritur auctoritas,qua carent prędictę perſonę,vt notant *Clar.lib.5.a.10.Farin in Pr.crim.q.*12 Secundò repelluntur ab accuſando ſubditi reſpectũ Prelati, ſerui reſpectũ dominorum, filij reſpectũ parentum, ne diſſenſiones oriãtur inter domeſticos; tertiò ratione decentiæ ſtatus repelluntur Clerici, ne laicos maximè in cauſa ſanguinis accuſent, & laici repelluntur etiã,ne Clericos accuſent,niſi Patronus,& Parochianus; in caſu autẽ dilapidationis bonorũ Monaſterij,vel Eccleſiæ omnes laici admittũtur cõtra Clericos; Vide *Nald. v. Accuſatio n.*2.

Cęterum in cauſa hęreſis, lęſæ Maieſtatis, & boni publici etiã pręfati prohibiti accuſare admittuntur, quia non præſumuntur habere malam intentionem in rebus concernentibus ad bonum publicum, prætérquamquod bonum publicum debet eſſe priuilegiatum; Vide *Iul.Clar.lib.5.q.14. Farin.Filliuc.Sayr.loc.cit. & Couar.in Clem. Si furioſus, verſ.*3.

Actio.

ACtio,vt ad præſens ſpectat negotium, iuridicè, non autem philoſophicè loquendo, eſt ius proſequendi in iudicio, quod

quod ſibi debetur, & per conſequens eſt effectus, & filia obligationis Ciuilis, vt dicit *Gloſ. inſtit. de oblig.* Ita *noſter Vngarell. v. Actiones, ſcholio A.* qualiter autem actiones generales, & particulares formentur, & quales ſint, videatur *Innoc. de Off. Ordinand. cap. Concurrente*, & quia hæ potius ad forum contentioſum pertinent, vt *noſter Angel. loc. cit.*, ideò conſultò eas prætermittimus.

Vtrum conceſſa alicui actione competat etiam exceptio.
DIFFIC. I.

COmpetere exceptionem in conſcientia, & ante Iudicis ſententiam ei, cui datur actio, probant Canoniſtæ per regulam Iuris; *Qui ad agendum, in 6.* imò addunt, quòd licet actio ſit temporalis; aliquando tamen exceptio eſt perpetua, regulariter loquendo, quia exceptio ſemper durat, vſquequò purgetur, & per contrarium actum euellatur: Hinc ſi metu ſponſalia contrahantur, quia tali contrahenti cum metu datur actio ad reſiliendum à contractu, ſemper habet ius excipiendi contra dictum contractum, donec per alium actum ſpontaneum confirmetur contractus; Vide *Nald. v. Actio, n. 3.*

Limita etiam præfatam doctrinam, quod ſemper competit exceptio, cui datur actio, modò exceptio non prohibeatur à iure poſt aliquod tempus determinatum, vt patet in profeſſo Religionem, qui ante quinquennium habet ius excipiendi contra validitatem profeſſionis; poſt quinquennium verò amittit ius excipiendi, nec amplius admittitur, niſi fortè ante quinquennium inceperit conteſtari contra validitatem ſuæ profeſſionis, à Concilio enim Tridentino determinatur tempus quinquennij, vt poſt illum Religioſi nequeant excipere contra validitatem profeſſionis; Vide *noſtros in Compen. Priuil. v. Profeſſio, & Portell. in dub. Regul. ibidem.*

Aduerte etiam hìc, quòd in rebus Ciuilibus pulcherrimum eſt illud axioma contra Creditores moroſos, quod actio eſt inanis, quam excludit inopia debitoris *in C. olim nobis de re ſpol. ff. de dolo l. Namvis.*

Quanto tempore tollatur actio contra delinquentes.
DIFFIC. II.

ACtionem omnem ſpiritualem, & inquiſitionem quamlibet contra delinquentes tolli ſpatio viginti annorum, poſt quod tempus nemo poteſt accuſari de crimine perpetrato, nec accuſans debet à Iudice audiri, docent communius Iuriſtæ, & Canoniſtæ. Conſule de hac re *Iul. Clar. Pract. crim. q. 51. n. 37.* Limitanda tamen eſt hæc vniuerſalis doctrina in peccato hæreſis, in quo in fauorem fidei nullum datur priuilegium præſcriptionis, ſed ſemper non ſolùm dum viuit in hæreſim, qui incidit, poteſt accuſari poſt longum quantumcumq; tempus, ſed etiam poſt mortem inquiritur, vt defuncti memoria damnetur; limitanda ſecundò etiam præfata doctrina, quod paſſim non currit apud aliquos Regulares, & quò ad nos Minores Obſeruantes videatur *noſter Sanctorius in ſua Prax. crim. & in Commen. Conſtit. gener.* Singuli autem Regulares ſuas in hac materia conſulat Conſtitutiones.

Quotuplex dicatur actio Ciuilis. DIFFIC. III.

DVplex aſſignatur Ciuilis actionis genus, alterum ſcilicet actionum, quæ dicuntur bonæ fidei, alterum actionum, quæ dicuntur ſtricti Iuris. Actiones bonæ fidei ſunt illæ, in quibus propter bonam fidem contrahentis debet magis exuberare Iudicis officium, vt docet noſter *Ang. loc. cit.* & iſtæ ſunt venditio, locatio, conductio, negotiorum geſtio, mandati, depoſiti pro ſocio tutelæ, commodati pignorantia, permutatio, hæreditatis petitio, & ſimiles.

Actiones autem ſtricti Iuris ſunt illæ, in quibus ſolùm venit, quod ſtrictè exigit actionis natura, vt arbitrium, mutuum, & ſimilia, in quibus Iudex debet rigoroſè procedere ſecundùm quod iura exigunt, nec in ipſis debet ſuum officium exuberare; quòd ſi hodie in mutuis apud quoſdam locos ſeruaretur, tot vſuræ non pullularent, & communis paupertas non ita graſſaretur contra Nobiles, & ignobiles, ſed de hoc ſuo loco. De actionibus ſtricti iuris vide *Gloſ. in c. cum Venerab. de Excep.*

Actor.

Actor in iudicio an poſſit eſſe Excommunicatus.
DIFFIC. IV.

NEc per ſe, nec per Procuratorem poſſe Excommunicatum eſſe Actorem in iudicio, docent *Ang. noſter verb. Excommunicatio, & Felin. in cap. dilectus n. 3. de Reſcriptis, & nos fuſius proſequemus v. Excommunicatio.* Intereà hæc doctrina eſt etiam limitanda, quod tunc excommunicatus poteſt eſſe Actor in iudicio, quando illi imminet graue damnum, puta fuga debitoris, vel iactura honoris, & vitæ, quia in hiſce caſibus debet omninò audiri, & ratio eſt, quia in hiſce caſibus actio eſt potius defenſio, quæ cùm ſit de iure naturæ, non tollitur ab excommunicatione, quæ eſt de iure poſitiuo quò ad hunc effectum; hinc poteſt etiam eſſe Actor defendendo ſe non incurriſſe, vel petendo abſolutionem; quod ſi extra has cauſas compareat, vt Actor, vtrum peccet mortaliter, quærunt DD. & ſanè, ſi adſit contemptus Cenſuræ nulli dubium eſt peccare mortaliter, quod ſi abſit omninò cenſuræ contemptus, probabile eſt non peccare mortaliter, vt dicetur infra *v. Excommunicatio.*

Actus.

Actus quotupliciter capiatur. DIFFIC. I.

ACtus regulariter loquendo tripliciter capitur, vt notat noſter *Vngarell. v. Actus ſch. A.* Primò pro quadam ſeruitute, qua is, cui debetur, habet ius, quod poteſt per fundum, in quo ſibi hæc ſeruitus debetur, ducere iumentum, vel vehiculum, ſcilicet habens talem actum, ſeu ius, non ſolùm poteſt per ſe ambulare per fundum, ſed etiam cum iumento, & quadriga: Secundò capitur pro operatione, iuxtà illud *2. de anima:* Actus actiuorum ſunt in patiente benè diſpoſito: Tertiò in plurali, neutro ſcilicet Acta vocantur ſcripturæ negotiorum, quæ in iudicio agantur, vt habetur *c. de iudicijs l. vlt. ff. de re iudic. l. Actorum verba.*

Quænam requirantur ad actum politicè exequendum.
DIFFIC. II.

TRia regulariter requiri ad quemcumq; actum politicum rectè, & ritè exequendum docent DD. Primò, quòd actus exequendus liceat ſecundùm æquitatem, æquitas autem eſt iuſtitia quædam naturalis, qua vnuſquiſq; debet ſuam operationem dirigere erga proximum, ſicut vellet pro ſe facta. Æquitas autem dicitur iuſtitia dulcore miſericordiæ temperata; quælibet enim operatio politica debet clementia, & miſericordia commiſceri. Secundò requiritur ad actum politicum reſpicere quid deceat ſecundùm honeſtatem; eſt enim diuerſum dicere quid liceat, & quid deceat, quia multa licent, quæ tamen non decent, in actione ergo politica ritè exequenda non ſolùm exequi debet id, quod licet, ſed etiam reſpicere, an quod licet, etiam ſimul deceat. Vndè Principibus ſuadetur illud axioma: *Quod alia lex in toro, alia in foro:* id eſt multa licent, & decent Principes in toro, quæ non decent in foro, quod etiam attendere debet Clerici, & Religioſi, quibus ea, quæ licent in toro, multa fortè non decent in foro præcipuè circa iocos, cibos, & veſtes, vt ſuis locis dicetur. Tertiò in actu politicè exequendo videndum eſt, quid expediat ſecundùm vtilitatem; nam multa licent, quæ non decent, nec expediunt ſecundùm vtilitatem, quæ autem non expediunt, non debet bonus Politicus exequi, licet aliàs deceant, & liceant; Vide *noſtrum Ang. loc. cit.*

Actus geſtus ſub dubio valeat nec ne, qualis præſumendus.
DIFFIC. III.

REſpondeo, quòd actus geſtus ab habente duplicem poteſtatem in dubio ſemper præſumitur geſtus ſecundùm eam poteſtatem, ſecundùm quam tolerari poteſt actus, vt valeat; in dubijs enim fauorabilius eſt reſpondendum, & probatur *ex c. ſicut de elect.* vbi Archiepiſcopus præſumitur feciſſe actum, vt Archiepiſcopus, non vt Epiſcopus; Vide *Ang. noſtrum loc. cit.* & *Panorm. in c. niſi eſſent, de præben.* ponit etiam aliud exemplum

ſter Vngarell. ſch. E. de compromiſſo facto in aliquo Iudice, ui etiam ſit electus in eadem cauſa Arbitrator, ſeu amicabilis ompoſitor, in qua cauſa ſi excedat in iudicando, attribuitur poeſtati arbitrariæ benè iudicaſſe, quia poteſtas arbitraria poteſt ollere ius vnius, & alteri dare.

Actus contra legem irritantem an ipſo facto inualidi in vtroq; foro. DIFFIC. IV.

VAriant in hac difficultate DD. affirmare videntur *noſter Ang. v. Lex* §. 18. *Portel. v. Lex, n. 8. Leſſ. lib. 2. c. 17. dub. 6. Salas de legib. diſp. 16. ſect. 4. Layman lib. 1. tract. 4. c. 16. Bonac. de legibus diſp. 1 q. 1 punct. 7. §. 5. Couar. c. Quamvis pactum, p. 2. §. 4. Suar. lib. 7. de legibus c. 24. Azor. 3. p. lib. 6. c. 9.* & probat ex iuris regula 64. *in* 6. vbi dicitur: *Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi*: quod maximè procedere aiunt de actibus factis contra legem irritantem, hoc etiam ſanè probari poſſet ex eo, quòd cùm in legislatore reſideat poteſtas irritandi actus propter bonum commune ſeruandum, ſequitur, quòd talis irritatio obliget in vtroque foro.

Alij tamen in foro fori ſolùm inualida putant acta contra legem irritantem, validè tamen in foro conſcientiæ volentes declarationem irritationis faciendam in foro fori à Iudice, vt obliget in conſcientia. Ita *Sot. lib. 4. de iuſt. q. 5. n. 3. Molyna tract. 2. diſp. 81. Reginal. lib. 25. n. 105. Bannes 2. 2. preamb. q. 62.* imò *Panormit.* & alij volunt in vtroque foro valida eſſe acta contra legem irritantem, modò adſint requiſita de iure naturæ, & modò non ſit facta metu, & vi. Verùm hæc opinio tertia ab omni probabilitate videtur diſcedere, dum audet tollere à legislatore poteſtatem irritandi actus, quæ multum proficua eſt bono communi ad finem vitandi dolos, quæ in contractibus fieri ſolent: Secunda autem opinio probabilis mihi videtur ex eo, quod poteſt piè præſumi legislatorem ſolum in foro fori locutum fuiſſe, dum non ſpecificat inualiditatem actus in foro conſcientiæ, in quo laqueos potius vitare voluiſſe, quàm ponere Superiorem probabiliter credendum eſt, & de Principe potius præſumenda miſericordia, & clementia, quam rigor iuſtitiæ in dubio.

Quomodo cognoſcatur à lege actus irritatus. DIFFIC. V.

A Derogatorijs, & vocibus habentibus vim ipſo facto irritandi, & annullandi actum, quales ſunt, vt notat *noſter Vngarell. v. Lex, n. 18. ſchol. A Si ſecus fuerit attentatum, ſit inane, nihil operetur, vel ipſo iure ſit irritum, non valeat, habeatur pro infecto, careat viribus, incaſſum agat, fruſtra, vel inutiliter fiat, locum non habeat, fructus non faciat ſuos, non poſſit in conſcientia retinere, vel recipere.* Vide *Felin. in c. Rodulp. de reſcrip. n. 23. Salas diſp. 6. ſect. 8.*

An verò quando ponuntur hæc verba: non poſſit, non liceat aliter fieri, nullo modo aliter permittatur, reddatur actus irritus, & nullus, variant DD. Affirmat *Sanch. lib. 6. de Matrim. diſp. 38.* qui multos citat authores pro hac ſententia, & probat *ex Gloſ. in Reg. c. Non poteſt, de reg. iur. in 6.* hoc verbum non poteſt priuat potentia ad faciendum; ergo reddit actum nullum.

Attamen noſter *Portel. v. Lex n. 10. Couar. in c. Quamvis pactum, p. 2. q. 4. Suar. de leg. c. 31. n. 13.* negat hoc verbum non poteſt, annullare actum, ſed ſolùm aiunt per verbum non poteſt à lege indicari, oppoſitum non licitè fieri, & probabiliter; nam illud poſſumus, quod iure poſſumus, ergò ea licitè non poſſumus facere, quæ contra legem ſunt, & fieri non poſſe lex proteſtatur.

Verùm ex doctrina *noſtri Angeli v. Lex*, §. 18. *Rodriq. T. 2. qq. regul. q. 48. a. 2. & Bonac. loc. cit.* in hoc caſu inſpiciendum eſt, vtrum actus, ad quem faciendum forma præſcribitur, pendeat à poteſtate conceſſa à legislatore, vel an ſit actus propriæ authoritatis, quòd ſi actus pendeat à poteſtate Superioris, qui dum præcipit formam, ſimul etiam dat poteſtatem ad efficiendum actum ſeruata tali forma, poteſt dici cum prima opinione, per hoc verbum, non poteſt, Superiorem velle limitare poteſtatem, & conſequenter inualidare actum aliter factum. Si verò actus non pendeat à poteſtate Superioris, ſed eam lex, & legislator ſupponat in agente, velit autem ſolum præſcribere modum faciendi, per *iy* verbum, non poteſt, non videtur irritare actum, ſed ſolùm, quòd non licitè fiat; Vide *Ang. noſtr. v. Conc. §. 3. & Portell. n. 12.*

Actus celebratus abſq; ſolemnitate ſubſtantiali an aliquando ſit validus. DIFFIC. VI.

EX vrgentiſſima, & iuſta cauſa validum eſſe actum celebratum abſq; ſolemnitate ſubſtantiali in iure præſcripta affirmant *Couar. de ſponſ. c. 6. n. 12.* & alij, putantes per Epicheiam in cauſa neceſſitatis, & iuſtæ cauſæ vrgentis temperari rigorem legis, vt patet in præcepto ieiunij. Attamen communius docent inualidum eſſe actum celebratum abſq; forma ſubſtantiali præſcripta quavis exiſtente iuſtiſſima cauſa, quod ex eo patet, quia poſterius tamquam accidentale non poteſt immutare eſſentiam, & naturam rei; iuſta autem, & vrgentiſſima cauſa eſt quid poſterius, & accidentale reſpectù formæ præſcriptæ in lege eſſentialiter ſeruandæ, ergo eam non poteſt immutare, quæ doctrina practicatur exemplo in Sacramento Matrimonij, in quo apponitur tamquam forma ſubſtantialis præſcripta à *Conc. Trid.* quod celebretur in præſentia Parochi, & teſtium, aliter de facto nullum, quæ forma ſubſtantialis ob quamcumq; etiam iuſtiſſimam cauſam, & in quolibet vrgenti caſu neceſſitatis ſi omittatur, ſemper erit nullum; Ita *noſter Rodr. p. 1. c. 219. n. 17. Sanch. de Matrim. lib. 3. diſp. 17. Gutiter. de Matrim. c. 61. Henriq. lib. 11. c. 5. nu. 5. & 8. Bonac. loc. cit. num. 22.* & hanc ſententiam puto omninò ſequendam, quia Epicheia non admittitur contra ſubſtantiam formæ, vel materiæ præſcriptæ, vt patet in Sacramentis; non putarem tamen improbabile cum prima opinione, quòd quando forma ſubſtantialis præſcripta dependet à ſola voluntate præcipientis poſſit per Epicheiam validè immutari ex præſumpta Principis clementia in caſu neceſſitatis; quando verò dependet omninò ſubſtantia actus ab eſſentia contractus, vel materiæ, vel formæ nullo modo poteſt validè immutari, quæ doctrina communis practicabitur paſſim in hoc opere.

Vtrum actus celebratus contra legem prohibentem ſit inualidus. DIFFIC. VII.

NEgant communiter, aliud eſt enim prohibere, aliud irritare; nam prohibitio facit actum illicitum, irritatio facit actum nullum; hinc multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, iuxtà commune Theologorum, & Canoniſtarum placitum, & habetur *ex Gloſ. vlt. in c. penult. de ſponſal. impub.* probatur hæc ſententia ex praxi communi Pontificum, qui quando intendunt actum annullare, & irritare expreſsè ponunt clauſulas irritantes, & annullantes, nec ſunt contenti vti ſolis verbis prohibitiuis, vt patet præcipuè in Bulla *Sixti V.* ponentis verba irritantia expreſsè profeſſiones illegitimorum, & criminoſorum: quando ergo adſunt in lege clauſulæ ſolùm prohibitiuæ, & non irritantes, ſignum eſt actus oppoſitos illicitè fieri, licèt validè, eſſet enim nimis oneroſum credere quælibet verba prohibitiua in lege eſſe irritantia.

Actus contra legem naturæ an ſit ſemper irritus. DIFFIC. VIII.

DIſtinguendum videtur, nam ſi deeſt poteſtas moralis, & adeſt materiæ incapacitas actus ſemper irritus eſt, nam deſunt eſſentialia ad actus requiſita, hinc matrimonium celebratum viuente prima vxore iure naturæ eſt nullum, quia in viro deeſt poteſtas moralis tradendi corpus ſuum alteri mulieri, & hæc incapax eſt viuente prima, talem poteſtatem recipere; ſi verò deſint circumſtantiæ loci, & temporis, & conſimiles requiſitæ, non ſit ipſo iure nullus actus contra ius naturæ. Ita præcitati Doctores.

Actus quomodo interpretandi. DIFFIC. IX.

DIco primò, quòd actus, qui pendet, & poteſt ſe habere, vt ad permiſſum, & vt ad prohibitum, ſemper eſt interpretandus prohibitus *ex l. 1 §. Si pendeat ad Maced. & l. nec eos c. de captiu. & poſtlim.* nam ſtante regula vna prohibitiua, & altera permiſſiua, ſequenda eſt prohibitiua; ita *Gonzal. in 8. regula Cancell. §. 7. Proemia.*

Dico ſecundò; Actus in dubio præſumitur factus eo modo, quo non ſit delictum, vt Superior prohibens ſubditum ne celebret, non debet præſumi eum ſuſpendiſſe ſimpliciter, ſed ſolùm per ſimplicem prohibitionem, cuius tranſgreſſionem non induci

cit

Digitized by Google

eſt irregularitatem, quia præſumenda à Superiore potius benignitas, quàm rigor; Vide *Nauar.conſ.62.de ſent.excomm.* E contra verò actus, qui ad plura delicta ſe habere poteſt, interpretandus in duriorem partem delinquentes, hinc Epiſcopus conferens beneficium cum pacto, vt alteri detur pars fructuum ſimoniacus appellatur, quia non expreſſit ſe velle penſionem conſtituere, quod tamen fallit in Papa, qui ſemper cenſetur penſionem conſtituere; Vide *Nauar.conſ.20.de ſimon.*

Dico tertiò, quòd actus non valens eo modo, quo fit, valet eo modo, quo poteſt, dummodò contrahentium animus, & conſenſus talis præſumatur, quod in dubijs credere humanius eſt, hinc ſemper debet interpretari contrahens noluiſſe ſibi difficilia imponere, nec voluiſſe maius aliquod expreſſo, vt dicetur infra *Votum*; Vide *Alciat.lib.2.Parad.c.6.*

Dico quartò, quòd actus, qui in fauorem alicuius redditur nullus, non interpretandus eſt nullus, niſi parte inſtante, hinc collatio beneficij iuris patronatus ſine conſenſu Patroni non dicitur innalida, & nulla, ſi ipſe non reclamet; Vide *Pariſ.conſ.141.n.1.lib.4.& Rot.deciſ.77.n.4.p.1.diuerſorum.* quia pars contra ſuum intereſſe non reclamans intelligitur aſſentiri, & concedere; modò præſumatur ſcire id eſſe in ſui præiudicium, hinc omnis contractus tendens in fauorem alterius, numquam intelligitur nullus, niſi parte inſtante, & aduerte hic, quòd nullus poteſt opponere de nullitate, niſi is, ad quem pertinet ius, & fauor; Ita *Rota deciſ.334.n.7. Seraphin.*

Dico quintò, quòd actus inceptus attenditur in fine, non in principio, hinc ſi quis exiſtens Romæ contrahat per Procuratorem Matrimonium in Hiſpania, dicitur eius beneficium vacare tunc temporis, quando Matrimonium completur in Hiſpania, non autem Romæ, vbi fuit inceptus contractus; Ita *Gonzal. in 8. reg.Cancell.Gloſ.13.§.2.n.125.*

Dico ſextò, quòd actus præiudicialis veniens in quamdam conſequentiam, & ſecundariò non habetur in conſideratione; hinc Parochiale beneficium annexum Canonicatui non requirit tempus ad Parochi officium, ſed ad Canonicatum; Vide *Gloſ. in c. Quamvis, de pact. in 6. & Nald.v. Actus, n.8.*

Dico ſeptimò, quòd actus principaliter, & directus, non autem acceſſorius, & ſecundarius, interpretandus pœna, vel munere dignus ſecundùm legem, vndè furans, & inter furta inueniens litteras proditionis contra Regem, non euadit pœnam furti, nec munere dignus putatur; ita etiam miles agens contra præceptum Ducis, licèt occidat inimicum, pœnam incurrit, & munus non accipit. Animus enim, & intentio directa, & non acceſſoria, & incidentalis notatur à lege. *Couar. in Clement. fur. de homicid.*

Dico octauò, quòd actus quandoq; valere interpretandus eſt, licèt peccetur mortaliter in agendo, vt patet in deceptione infra dimidium iuſti pretij, *ex l.2.C. de rerum vendit.* licèt hoc non currat de iure Canonico. Adde, quòd multi dicunt fratrem pauperem non poſſe excludi in teſtamento ab hæreditate ſine peccato, & tamen teſtamentum validum putant.

Quomodo dicatur actus exerceri. DIFFIC. X.

Dico, quòd actus exerceri tunc dicitur, cùm vſu ferè quotidiano exercetur, & in tali actu videtur totus eſſe à propoſito, hinc dicitur quis exercere Alchimiam, qui quotidie ferè totus eſt in illa arte exercenda, & à propoſito, & non contingenter illam exercet, vndè qui per aliquas vices, & contingenter illi dedit operam, non dicitur exercuiſſe Alchimiam, vndè nec incurrit pœnas contra exercentes Alchimiam, quod benè nota procedere in multorum caſuum circa reſeruatione, & pœnas contra exercentes artes diuinatorias, & cętera crimina; Vide *Nauar. c. 27.n.150.* Aduerte hic etiam, quòd lata eſt differentia inter conſuetudinem, & exercitium, nam conſuetudo ſtrictiùs accipitur, vt infra dicetur, cùm per binos actus ferè inducatur: exercitium verò largius, cùm ad ipſum quotidianus ferè vſus requiratur, vt dictum eſt.

Actus deliberatus an poſſit eſſe indifferens, ita vt nec bonus ſit, nec malus. DIFFIC. XI.

Omnem actum vel neceſſariò bonum, vel neceſſariò malum, atq; adeò nullum dari actum indifferentem, qui nec bonus ſit, nec malus, volunt *D.Tho. & Caiet. 1.2.q.18.a.8. & Salas q.21.tract.8.diſp.11. Beccan.p.2.c.5.q.6. Sanch. in ſum. l.1.c.11. Bonac. de peccat. diſp.2. q.2. punct.4.* & alij, & probant, quia omnis actus, vel eſt elicitus iuxtà rectam rationem, & ita ſemper bonus, vel contra rectam rationem, & ita malus ſemper, vndè inferunt, quòd omne verbum otioſum eſt ſemper malum, quia non elicitur iuxtà rectam rationem, item fricare barbam, vel manus, vel eſt ob bonum finem, & ſic ſemper bonum, ſi ob malum, ſemper malum; item omiſſionem actus, cuius contrarius actus bonus eſt, malum omninò putant, vt ſi quis diceret: nolo audire Miſſam die feriato, peccatum aiunt committere, quia eſt contra auditionem Miſſæ, quæ ex ſe bona eſt, ſimiliter ſi quis diceret: nolo fieri Religioſus, peccaret, quia contrarius actus omninò eſt bonus.

Attamen contrarium docuerunt noſtri *Scot. in 2. diſt.41. & diſt.7. & quodl.18.a.1. Alenſ.3.p.q.35. D.Bonau. in 2.diſt.41.a.1.q.3. Biel ibid.q.1.a.2.* & alij, qui volunt dari actum in indiuiduo, ita indifferentem, vt nec bonus ſit, nec malus, ratio eſt, quia poteſt aliquis non apponere circumſtantiam reddentem actum bonum moraliter, vel meritoriè, & hic actus non erit intrinſecè malus, quia ex genere ſuo bonus, nec erit malus, quia nulla circumſtantia mala indutus, ergo nec erit per ſe malus, nec per ſe bonus, ſed indifferens, puta dare eleemoſynam propter vanam gloriam, eſt ſimpliciter malus, dare eleemoſynam propter amorem Dei, eſt actus ſimpliciter bonus, dare eleemoſynam, nec referendo actum, nec in bonum, nec in malum finem, erit actus ex ſe nec bonus, nec malus moraliter, & meritoriè, ſed indifferens, vt poſſit fieri malus, vel bonus.

Nec valet, quod ait *Caiet.* quod eſt malus, quia caret circumſtantia bona, nam eſſet nimis oneroſum, quod quis ſemper teneatur apponere circumſtantiam bonam actui, quia ſufficit ad hoc, vt quis non peccet, vt non adhibeat circumſtantiam poſitiuè contrariam; vndè *Ariſt.2.Ethic.c.4.in vita politica,* ait poſſe dari actum iuſtum, & tamen non eſſe iuſtè factum, quia ſcilicet non ſemper poteſt adhiberi referentia ex aliqua circumſtantia neceſſaria, quare *D. Hier. epiſt. ad Auguſt.* ait; *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria, inter vtrumq; indifferens ambulare, digerere, alui ſtercora, capitis purgamenta proijcere, ſputis reumata iacere; hoc nec bonum, nec malum;* hinc *Vaſq.1.2. diſp.52.* licèt primam opinionem teneat, attamen in praxi hanc *Scoti* opinionem à multis etiam ex aduerſarijs amplecti docet, cùm verè dicendum ſit, multos eſſe actus carentes debita referentia ad finem, qui nullo modo ſunt peccaminoſi, nec meritorij, quia, vt benè notat *Scotus*, ſolum actus habens malitiam poſitiuè contrariam, eſt dicendus peccaminoſus, vt facere eleemoſynam propter vanam gloriam, & non propter amorem Dei. At verò actus habens malitiam priuatiuè, non ſemper eſt peccaminoſus, nec de ſe meritorius. Actus porrò habens malitiam priuatiuè, eſt quando non datur actui referentia ad bonum finem, nec elicitur circa circumſtantiam bonam, vndè non poteſt dici meritorius, attamen nullam habet referentiam ad malum finem, nec aliquam habet circumſtantiam malam, vndè nec eſt peccaminoſus dicendus, puta dare eleemoſynam abſq; referentia ad amorē Dei, nec propter aliquem malum finem, dicitur habere malitiam priuatiuè, quia non refert actum eleemoſynæ ad bonum finem, nec habet circumſtantiam bonam, nec eſt meritoriè bonus actus. Attamen quia non habet malitiam poſitiuè contrariam, ſcilicet quia poſitiuè non refert actum ad malum finem, non eſt peccaminoſus, quare hic actus indifferens eſt dicendus, ſcilicet nec bonus, nec malus moraliter, & meritoriè.

Vtrum actus internus peccaminoſus contrario actu non interruptus moraliter, ſed ſolùm naturaliter continuatus ſuper eadem re ſint plura peccata. DIFFIC. XII.

Affirmant communiter, actus humanos phyſicè diſtinctos, ſemper ſingulos eſſe peccata, quando ſunt moraliter interrupti, & ex tali interruptione habent ſpeciales malitias numero diſtinctas. Quod autem hic requiritur, eſt de interruptione naturali, ſcilicet an actus internus contrario actu morali non interruptus, ſed ſolùm naturali interruptione, puta à ſomno, vel per conſiderationem ad alia, ſint plura peccata iuxtà plures interruptiones, aiunt ex noſtris *Riccar. in 2. a. 1. qu. 1. & Ocham quodl. 1.q.20. & ex modernioribus Vaſq. in 3.p. d. 4.q.91.a.1. Bonac. de Sacram. diſp.3.* hinc nolunt, quòd habens cogitationem turpem cum Cencia, & cum aſſenſu, deindè intellectu ad alia cogitante, ſi interrumpatur iſte actus, licet per ſomnum, deindè denuo Cencia inhoneſtè deſideretur, dicunt, quòd erit aliud pec-

Digitized by Google

catum, quia nouus actus ſpecialiter diſtinctus habetur cum noua malitia erga Cenciam.

At verò contrarium ſentiunt *noſter Pitig. in 4. T. 2. diſt. 17. qu. vn. a. 1. & Fauent. ibid. diſt. 14. diſp. 5. Canus relect. de Pœnit. p. 5. Ioann. de la Cruz, in direct. conſ. p. 2. de Sacram. Pœnit. Homob. de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 13. q. 83.* putantes, quòd ſi interruptio actus mali non ſit facta moraliter per actum contrarium, ſcilicet reuocando deſiderium inhoneſtum erga Cenciam, ſemper dicetur eſſe vnum peccatum continuatum per tale tempus, vſquequò non deſtruatur per actum contrarium, licèt ad multa alia diuerſi generis ſiue bona, ſiue mala diuagetur animus, & per aliquod tempus non recordetur de deſiderio habito circa Cenciam, quandoquidem licèt actu non permaneat deſiderium erga Cenciam, manet tamen habitu proximo, quia cùm non ſit per habitum contrarium deſtructum tale deſiderium, ſemper dicitur permanere, atq; adeò vnum peccatum continuatum eſſe putant, vſquequò per actum poſitiuè contrarium non euellatur.

Ceterùm mediando inter iſtas opiniones iuxtà intentionem *noſtri Alen. in 7. p. q. 107. membr. 3. a. 3. & Scoti in quodlib. 18. & in 2. diſt. 42.* dicerem, quòd ſi actus circa Cenciam eliciatur per modum tranſeuntis, & non propriè finaliter in ordine ad actum extrinſecum, vt ſolent facere iuuenes quodcumq; obiectum animo fornicantes, tunc cum prima opinione cenſerem, tot eſſe peccata diſtincta, quot erunt actus; at verò ſi Cencia concupiſcatur animo virtuali ſaltem eam conſequendi in ordine ad actū extrinſecum, tunc vnus actus erit, licèt pluries interrumpatur per cogitationem ad alia, vel per ſomnum, quia ſemper permanet eadem voluntas habitualis, vſquequò non reuocetur per actum poſitiuum contrarium, ſcilicet eliciendo actum nolitionis ergà Cenciam conſequendam. Quare conſulerem in tali caſu diligenter examinandos eſſe pœnitentes, an per modum tranſeuntis habuerit turpe deſiderium, an verò per modum propoſiti in ordine ad actum extrinſecum, & quanto tempore in tali caſu perſeuerauerit, vt grauitas, & qualitas peccati cognoſcatur; Vide *Dian. tract. 4. de Sacram. reſol. 95.*

Vtrum actu in vno, eodemq; poſſint eſſe malitiæ numero diſtinctæ, & conſequenter plura peccata neceſſariò aperienda in Confeſſione. DIFFIC. XIII.

Affirmant *Sayr. in 8. Reg. lib. 2. c. 5. Azor. T. 1. lib. 4. c. 4. q. 5.* & alij, quos citat, & ſequitur *Diana tract. 4. de Sacram. reſol. 164.* vndè volunt, quòd qui ſtatuit numquam ieiunare in Quadrageſima, vel numquam recitare Officium in toto anno, vel habuit voluntatem occidendi multos homines, tot peccata commiſiſſe dicatur, quot ſunt obligationes omiſſæ numero diſtinctæ, vel malitiæ etiam numero diſtinctæ; actus enim in eorum doctrina peccaminoſus multiplicatur iuxtà malitias numero diſtinctas, ergo in eodem actu tot ſunt peccata, quot ſunt malitiæ, ad quas terminatur idem actus, quare ſtatuens in toto tempore nunquam recitare Officium, tot peccata diſtincta committit in iſto vnico actu, quot obligationes habet numero diſtinctas recitandi Officium in toto anno, & habens voluntatem occidendi nouem homines, volunt, quòd in vnico iſto actu, committat nouem peccata, quia iſte vnus actus terminatur ad nouem malitias numero diſtinctas.

Contrarium tamen ſentiunt noſter *Fauentinus in 4. diſt. 14. diſp. 3. n. 50. Suar. in 3. p. diſp. 22. ſect. 5. Fillius. T. 2. tract. 21. c. 8. Duard. in B. C. c. 3. §. 3. q. 2. Megala in 1. p. lib. 5. c. 12. Bonac. de Pecc. diſp. 2. q. 4. punct. 3.* putantes in prædictis caſibus vnum ſolum eſſe peccatum in eodem actu, quia concretum non multiplicatur niſi ad multiplicationem ſubiectorum numero diſtinctorum, licèt in ipſo multiplicentur multæ formæ, vndè in vno homine ſi ſint plures ſcientiæ numero diſtinctæ, puta Theologia, Philoſophia, Aſtrologia, dicitur tamen vnus ſciens, & non multi ſcientes, quia licèt multiplicentur ſcientiæ, non tamen multiplicatur ſubiectum, ſed remanet idem homo habens plures ſcientias, ita etiam licèt in vno actu ſint plures malitiæ numero diſtinctę, tamen erit vnus actus peccaminoſus habens plures malitias, & per conſequens vnum peccatum terminatum ad multas malitias

Vtramq; tamen opinionem eumdem habere ſenſum dicerem diſtinguendo, quòd idem actus numero continens plures malitias ſit vnum peccatum ſubiectiuè, & materialiter, quia vnus numero actus eſt ſubiectum talium malitiarum numero diſtinctarum, atq; adeò ſpecificandæ malitiæ in Confeſſione, quot ſint in tali ſubiecto. Porrò idē numero actus terminatiuè, & formaliter ſumptus plura ſunt dicenda peccata, quia formaliter multas malitias continet, vel ad multas malitias terminatur numero diſtinctas, quarum quęlibet poſſet facere per ſe actum peccaminoſum, ſecundùm quam doctrinam poteris ad multos caſus in iſta materia reſpondere, vt foret de blaſphemante vnica blaſphemia duodecim Apoſtolos, de occidente tres vno ictu, de furante vnico actu centum oues ſimul, & ſemel vnius, vel plurium dominorum, & de inducente ſimul, & ſemel quatuor perſonas ad malum; poteris enim dicere cum prima opinione, quòd ſinguli iſti actus formaliter, & terminatiuè ſumpti ſunt plura peccata, ſubiectiuè verò ſumpti, ſinguli ſunt vnum peccatum.

Quare in prima opinione probabili præfata aperiendum eſt in Confeſſione in vno actu fuiſſe multas malitias numero diſtinctas certum eſt; in ſecunda autem, quæ etiam probabilis eſt in ſententia eorum, qui putant circumſtantias aggrauantes eſſe neceſſariò confitendas, certum eſt etiam in eodem actu confitendas eſſe ſingulas malitias, quia magis aggrauant eumdem actum peccati; in ſententia autem eorum, qui nolunt neceſſariò confitendas circumſtantias aggrauantes, adhuc talem circumſtantiam plurium malitiarum in eodem actu ſpecificandam in Confeſſione puto, quia pertinent non ſolùm ad qualitatem, ſed etiam ad quantitatem obiecti, circa quod verſatur actus, nec enim obiectum perfectè explicari poteſt in ratione malitiæ, niſi eius quantitas explicetur; quare in hoc caſu pluritas malitię videtur reducenda ad circumſtantiam Quot, quæ neceſſariò aperienda eſt in Confeſſione.

Ex qua doctrina patere etiam poteſt, quòd actus humani phyſicè diſtincti non ſemper ſinguli ſunt peccata diſtincta, ſed ſolum quando ſunt moraliter interrupti, & ſinguli ex tali interruptione habent ſpeciales malitias numero diſtinctas, quòd ſi tales actus diſtincti ordinentur ad vnam, & eamdem actionem malam complendam, non conſtituunt diuerſas numero malitias, ſecundùm probabilem opinionem ſecundam: ſic volens occidere Petrum, ſi enſem ſumat, aſcendat equum, ſclopum præparet, diligentias apponat, vt eum inueniat, licèt ſint multi actus humani, attamen quia ordinantur ad vnam numero malitiam, vnum peccatum conſtituunt. Item ſi alicui infligat plura vulnera, modò actus non ſint moraliter interrupti, & ab vna voluntate dependeant, vnum peccatum conſtituunt iuxtà DD. ſecundæ opinionis, multa ſecundùm DD. primę opinionis; vtramq; probabilem puto, niſi velis cum præfata diſtinctione loqui. Hinc patet etiam quid ſit dicendum de occidente vno actu, vel vulnerante tres Clericos an incidat in tres excommunicationes diſtinctas, in quo caſu illud certum puto, quòd ſi idem actus occidendi, & vulnerandi tres ſit elicitus morali cum diſtinctione, puta propter amorem Petri mandātis vnum occidi, vel vulnerari, & propter amorem Pauli mandantis alterum interfici, vel vulnerari, & alium propter amorem Mutij idem mandantis, tres excommunicationes incurrit, quia licèt ſit idem actus vnus phyſicus, eſt tamen triplex moraliter, & videtur moraliter interruptus, quod ſi non adſit hæc circumſtantia moralis multiplicitatis, ſed vnico actu phyſico, & morali percutiat tres Clericos, poſſet dici cum probabili opinione ſecunda, quòd vna eſt excommunicatio, quia peccatum vnum, cenſura enim fundatur ſuper peccato, ergò vbi vnum peccatum, vna cenſura, & quia in caſu interruptionis moralis præfatæ vulnerans tres Clericos vnico actu propter amorem trium perſonarum diſtinctarum facit tria peccata, tres incurrit excommunicationes.

Vtrum actus exterior habeat diſtinctam malitiam ab actu interiori, & è contra. DIFFIC. XIV.

Noſter *Ocham quodl. 1. q. 20. & Biel diſt. 42. q. 1. in fin. Gregor. de Arim. ibid. qu. 1.* & alij affirmant, quia actus interior, & exterior prohibentur diſtinctis præceptis, vt videre eſt in Decalogo, in quo diſtinctè ponitur: *Non mœchaberis*, & diſtinctè ponitur: *Non concupiſces vxorem alienam*, diſtinctè ponitur: *Non furtum facies*, & diſtinctè: *Non concupiſces rem proximi tui.* Pręterquamquod cauſa, & effectus idem eſſe non poſſunt, actus interior eſt cauſa actus exterioris, ergo idem, & vnum peccatum eſſe non poſſunt, ergo neceſſarias diſtinctas malitias induunt, vtpotè duo diſtincta peccata.

Ceterùm alij communius negant actum interiorem eſſe diſtinctum peccatum à ſuo exteriori; Ita noſter *Riccard. in 2.*

q. 42.

q.42.a.1.q.1. in corpore, & ad 3. D.Tho.ibid.q.1.a.1. Medin.p.2. q.20.a.3. Durand. & Capreol. in 4. diſt.42. Vaſq.p.2.diſp.44. & alij, licèt diuerſi ſint in modo explicandi, attamen conueniunt in hoc principali, quòd actus ioterior non eſt malitia diſtincta ab actu exteriori, quod probatur, quia, vt ait *Ariſt.3.Topicor.c.2. vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt tantum vnum*. Actus ergo exterior eſt bonus, vel malus propter actum interiorem, à quo dependet, ergo ibi eſt ſolùm vna bonitas, & vna malitia: Ercoim actus exterior de ſe ſine actu interiori nec eſt bonus, nec malus, hinc homicidium factum ab amente non eſt peccatum, quia non dependet ab actu interiori habente malitiam, cùm amens non poſſit dare malitiam actui interno, quia ratione careat, prę-terquamquod nemo explicat in Confeſſione diſtinctè ſe occidiſſe, & habuiſſe intentionem occidendi, ſed ſufficit dixiſſe ſe deliberatè occidiſſe, in quo virtualiter includitur actus interior, quandoquidem vnitas actus in genere moris ſumitur ab vnitate actus voluntatis dantis bonitatem, vel malitiam actui, ergo cùm vnitas actus voluntatis ſit in actu interiori, & exteriori vnicum erit peccatum vterq; actus.

Vtraq; opinio propriam videtur habere probabilitatem, tutius tamen media via incedendum puto ex doctrina *Scoti*, nam licèt multi Scotiſtæ putent *Scotum* cum prima opinione ſentire, vt videtur colligi *ex quodl* 18. & *in 2. diſt.42.* docet malitiam eſſe in actu interiori, & ab illo deriuari in actum exteriorem, vndè cum ſecunda ſententia videtur etiam opinari. Quare media via incedendo, cum diſtinctione dico, quòd actus interior in ſe formaliter ſumptus abſq; ordine ad exteriorem habet diſtinctam malitiam ab ipſo, quia ab exteriori non dependet, & poteſt eſſe in actu interiori conſumata malitia abſq; ordine ad exteriorem, & ideò diſtinctis pręceptis aliquando prohibetur, & in hoc ſenſu benè probat prima opinio, & *Scotus* ita loquitur *in quodl.loc.cit.* vndè ſi actus exterior non ſequeretur poſt actum internum cõſumatum, debet hic in Confeſſione aperiri, ſi verò conſideretur actus interior vt ordinatus ad exteriorem immediatè, itavt inter vtrumq; nulla adſit interruptio, tunc vnus eſt actus moraliter malus, vel bonus, & vna eſt malitia, vel bonitas vtriuſq;, & ita *Scotus* loquitur in ſecundo, & benè probat ſecunda opinio; ita etiam *Scotum* explicat *noſt. Fauent. in 4. diſt. 14. q.1. diſp. 2. c.2. num. 40.*

Quare ſi quis immediatè concupiſcat occidere, & abſq; interruptione morali occidat; tunc cùm actus interior ordinetur ad actum exteriorem immediatè abſq; alia interruptione morali non tenetur quis in Confeſſione aperire ſe habuiſſe intentionem occidendi, & occidiſſe, ſed ſufficit, ſi dicat, ſe deliberatè occidiſſe, quia pro eodem habetur actus interior, & exterior, cum vera ſit propoſitio Ariſtotelica, vbi eſt vnum propter aliud, ibi eſt tantùm vnum; quòd ſi quis habeat intentionem occidendi, ſed non immediatè intentio ordinetur ad exteriorem occiſionem, quia actus interior videtur moraliter interruptus ab actu exteriori, tunc in Confeſſione debet quis aperire ſe habuiſſe intentionem occidendi, & permanſiſſe tanto tempore actualiter, vel habitualiter in tali mala intentione, antequam occiderit; in hoc enim caſu actus interior cùm non ſit immediatè ordinatus cum actu exteriori habet malitiam diſtinctam ab ipſo.

Adiuratio.

Quid ſit Adiuratio. DIFFIC. I.

ADiuratio Creaturarum quid ſit, optimè explicat *noſter Riccar. in 3. diſt.37. a.3. q.2.* dicens, quòd adiurare eſt per inuocationẽ Diuini nominis, vel alterius rei ſacræ obſecrãdo, vel imperando inclinare creaturas ſecundùm ſe, vel comparatiuè ad agendum, vel patiendum aliquod, quare adiuratio bona erit, vel mala, ſecundùm quod intenditur per ipſam cõſequi ſiue bonum, ſiue malum; homines ergo adiurans ſi intendat inducere ad malum culpæ, peccat mortaliter, quòd ſi adiuret inclinãs ad aliquod bonum hoc, vel faciat obſecrando, vt fecit *Apoſtolus ad Rom.12. Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis, &c.* & ſic ferè ſemper licita eſt adiuratio, quòd ſi adiuret imperando, & hoc poteſt accidere dupliciter, nam vel adiurat ea, quæ ſibi tenetur obedire, & ſic licet, aut adiurat eum, in quem nullam habet poteſtatem, & ſic aſſumat nomen Dei in vanum, quia vſurpat poteſtatem in alio in nomine Dei, quam non habet, & ita peccauit Caiphas adiurans Chriſtum in nomine Dei, *Matt.16.* & hæc adiuratio illicita, vel etiam quis adiurat ſubditum, ſed non in eo, in quo eſt ſibi ſubditus, & ſic etiam peccatum eſt, quia non tenetur in eo ſibi obedire, vndè in vanum nomen Dei aſſumit.

Vtrum adiuratio Creaturæ ſpiritualis ſit licita.
DIFFIC. II.

CReatura ſpiritualis hic intelligitur tàm Angelus bonus, quàm malus, quare cum diſtinctione procedendo.

Dico primò, quòd Angelus malus, ſiue Dęmon non poteſt adiurari obſecrando abſq; mortali, quia, vt notat *noſter Riccard.* non licet obſecrare Dęmonem propter periculum familiaritatis cum ipſo contrahendæ, quæ ſemper eſt ſuſpecta; poteſt autem adiurari Dęmon imperando in nomine Domini, & hoc ſemper licitum maximè iuſtis, & Exorciſtis *ex Marci vlt. In nomine meo Dæmonia eycient.*

Sed aduertat adiurare volens hoc modo Dęmonem, vt curet ſe in gratia conſtituere ſaltem per Contritionis actum, ne irrideatur ab inimico, qui iuſtos timet, non malos, ſed de hac materia vide infra *v. Dæmon.*

Dico ſecundò, quòd licèt adiurare Angelos bonos, vt beneficium, vel auxilium præſtent deprecatiuè humiliter dicendo: Adiuro te Princeps glorioſiſſime Michael Archangele, vt per Diuinam bonitatem digneris mihi auxilium præſtare, quod non ſolùm licere docet *noſter Riccardus*, ſed etiam decere, nam humilitatem noſtram fatemur, & illorum fauorem exhibendo eis cultum, & reuerentiam pro nobis apud Deum interponimus; imperatiuè autem Angelos bonos adiurare nulli licitum, cùm nullo modo creaturæ rationali ſubſint Angeli. An verò Deus adiurari valeat, ſanè cum maxima humilitate per ſuam infinitam miſericordiam deprecando, vt nobis dignetur beneficia ſua conferre omninò licet, decet, & expedit; modus enim adiurationis deprecatiuæ, humilitatis, & reuerentiæ eſt argumentum; Ita ex noſtro *Riccardo, & Sylu. hic n.2.*

Adiuratio creaturarum irrationabilium an ſit licita.
DIFFIC. III.

DIſtinguit *noſter Riccard. vbi ſupra*; nam beſtiæ vel adiurantur ſecundùm ſe, & abſolutè, & ſic non licet, quia aſſumeretur nomen Dei in vanum, cùm illæ has adiurationes non intelligant, vel adiurantur in ordine ad Deum, puta, quando aliqui Sancti ad conuerſionem infidelium, vel ad confirmandam fidem in caſu neceſſario inuocant nomen Domini ſuper beſtias, aut alias creaturas irrationales, vt talis nominis virtute adiuratę, moueantur ad faciẽdum aliquod contra, vel præter ſuam naturam, & ſic ſemper licita eſt adiuratio iſta. Iterum vel adiurantur creaturæ irrationales in nomine Diaboli, vt aliqua ſupra ſuam naturam faciant, ſemper mala eſt iſta adiuratio, quia videtur expectari beneficium à Diabolo. Demum ſi adiurentur Dęmones in beſtijs exiſtentes, vel ipſis vtentes tamquam inſtrumenta ad nocendum, vt diſcedant, vel non noceant, paſſim tamquam licitum peragunt Exorciſtæ in nomine Domini, &c.

Adminiſtrator.

Adminiſtrator legitimus quis ſit, & ad quid teneatur.
DIFFIC. I.

ADminiſtrator legitimus dicitur ille, qui poteſt in iudicio agere, & conueniri, & extra iudicium etiam de aliquo diſponere, vt tradit *noſter Angel. v. Adminiſtratio*, & habetur in *c. ex litteris, de Probat. & Innoc. ibi allegat. l.2. § 2. C. de tut. ca-lum.* dicuntur autem veri, & legitimi adminiſtratores tutor, Curator, Sindicus, Oeconomus, & Executor vltimæ voluntatis, vt notat hic *noſter Vngarell. ſchol. A.* Quod autem adminiſtrator teneatur de mala adminiſtratione nulli dubium eſt, vt docet *Innoc. in c. ex præſentium de Pignor.* quare

Ille, cuius eſt adminiſtrator, habet actionem negotiorum contra eum, qui malè adminiſtrauit, vt habetur *ff. de negot. geſt. l.5. §. vlt. & 12. q.2. Si qui de reb. & c. Si quis qualib. condit.* Adde, quòd

A mala adminiſtratione nec excuſatur frater natu maior, qui poſt mortem patris adminiſtrauit bona fratris minoris, imò ſicut filiusfamilias adminiſtrauit viuente Patre, tenetur al-

rori fratri rationem reddere adminiſtrationis, vt docet *noſter Vngarell. loc. cit. ſch. B. ex Panormit. conſ. 12. incipit, vt clarè materia thematis liqueat;* & ad hoc benè ponderat arguendo à ſpeciali textu *in l. Cum oportet, §. non autem, C. de bo. qualit.* Pater autem adminiſtrans bona aduentitia filij non tenetur reddere rationem, vt dicetur infra *v. Bona.*

Adminiſtrator de qua culpa teneatur. DIFFIC. II.

DIſtinguunt Iuriſtæ, nam vel eſt Adminiſtrator ex ſola affectione, & ſic tenetur de lata culpa, quæ dolo æquiparatur, vt docet *Gloſ. in l. Cùm oſtendim ff. de fideiuſſ. tut. & l. curat. C. de negot. geſt. & c. quod Nerua, ff. de Depoſ.* quòd ſi Adminiſtrator ex officio, lege, vel ſalario adminiſtrat, de leui etiam tenetur culpa; vt colligitur *ex l. Quicquid, C. de arbitr. tut.*

Ceterùm ſi diligentiſſimus quis eſſet geſturus adminiſtrationem, & tamen alius eam ſua ſpontanea voluntate perquiſiuit de leuiſſima etiam tenetur, vt habetur *l. ſi pup. §. Videamus, §. de negot. geſt.* nam diligentiſſimus adminiſtrator vocatus tenetur de leuiſſima, ergo etiam, qui ejus loco adminiſtrationem ſponte requirit, tenetur de leuiſſima.

Vtrum Adminiſtrator teneatur de amiſſis caſu, vel fortuna. DIFFIC. III.

IN quinq; caſibus teneri Adminiſtratorem reddere rationem de amiſſis caſu, & fortuna docent communiter Iuriſtæ, vt notat *noſter Vngarell. hic ſchol. C.* Primò ſcilicet, quando acceſſit animo deprædandi rem à ſe adminiſtrandam, quod cognoſcitur, vt docet idem *Vngarell. ex Bart. in l. ſi pup. §. Sed & ſi quis, §. de negot. geſt.* ſi tempore reddendæ rationis aliquod ſupprimit, & celat, nam præſumitur tali animo deprædandi acceſſiſſe à principio, qui in fine aliquid ſupprimit, & celat, *arg. etiam in l. Sed & Iul. §. Perindè, ff. ad Maced.* & facit ſimiliter, quod qui celat res hereditatis perdit beneficium falcidiæ, *l. Paul. & l. Benef. ff. ad legem falcid. & l. Sancim. §. de illo, C. de iudic. delib.*

Preterquamquod ſemel malus in eodem genere mali ſemper præſumitur malus in hoc caſu in rebus omiſſis caſu, & fortuna, qui animo deprædandi accepit adminiſtrationem; ſecundò tenetur de caſu, & fortuna, ſi adminiſtrator noua negotia, & inſolita in adminiſtratione ſuſcepit, puta vaſa vitrea emenda, vt *in l. negot. ff. de negot. geſt. gloſ. 3.* præſumitur enim velle fraudare, qui inſolita negotia ſuſcipit in adminiſtratione: Tertiò ſi culpa proceſſit: Quartò ſi fuit in mora, vt habetur *in l. Cum res in fin. ff. de leg. 1.* Quintò ſi caſum recepit, vt *in l. ſiue ff. de neg. geſt.* Vide *Angel. noſtrum, & Sylu. v. Adminiſtratio.*

Adminiſtratoris hæredes an teneantur de culpa. DIFFIC. IV.

DIſtinguunt Iuriſtæ, nam ſi adminiſtrator peccauit adminiſtrando ex dolo, & lata culpa, & tunc tenentur hæredes etiam eius ſatisfacere adminiſtrato, vt docent *noſt. Ang. & Sylu. ex Innocentio;* ſi verò adminiſtrator in adminiſtratione peccauit de leui culpa, ſolùm in quatuor caſibus teneri etiam hæredes docent communius DD., & tres primi habentur *in l. 1. C. de Hæred. Tut.* Primus eſt, ſi lis fuerit inchoata contra Tutorem; ſecundus ſi aliquid ad hæredes peruenit de rebus adminiſtrati; tertius ſi de bonis adminiſtrati alijs ex gratia conceſſit, quod tamen poterat pupillo acquirere, quia *ff. de fur. l. ſi pignore dicitur eſſe ſpecies lucri ex alieno largiri, & beneficio ſibi debitorum acquirere;* quartus, vt notat *noſter Vngarell. hic ſcholio G.* Rector, qui ob negligentiam ſuam contra Eccleſiam ſuam præſcribit in fauorem tertij, tenetur de proprio Patrimonio ſatisfacere, *ex Gloſ. ſingul. in cap. Placuit 2. 16. qu. 3. & Panormit. in cap. Præſen. de pignor.*

Adminiſtrationem indigno conferens ad quid teneatur. DIFFIC. V.

MOrtaliter peccare conferentem indigno adminiſtrationem, & teneri de mala adminiſtratione affirmant Iuriſtæ, & Canoniſtæ, vt videre eſt apud *Innoc. in c. ex ratione, de ætat. & qualit. & allegat. l. Lucius, §. Imperator, ff. ad Munic. & in l. 1. in princ. ff. de Magiſt. conu.* habetur: *Parui refert, an nominauerint, vel fideiuſſerint, an in ſe periculum receperint;* quia omnes tenentur rationem reddere. Vide *noſtrum Vngarell. loc. cit. ſchol. H.*

Adoptio.

Adoptio quid ſit. DIFFIC. I.

ADoptio ab, Ad, præpoſitione, quæ extraneitatem ſignificat, cùm notet terminum, ad quem, & ſubſtantiuo optio, electionem dicente, quaſi adoptio ſit alicuius extranei electio, deriuatur. Quare à Iuriſtis, vt habetur *inſtit. de adopt. in gloſ.* ſic definitur: *Adoptio eſt legitimus actus, per quem, qui filius non eſt, pro filio habetur,* ſed diſtinctius Theologi, vt ex *Scoto in 3. diſt. 10. ex noſtro Riccardo in 4. diſt. 42. & D. Tho. ibid. diſt. 36. q. 2. a. 1. Coninch. diſp. 32. dub. 3. Sanch. lib. 7. diſp. 63. Becan. de Incarn. c. 18. q. 1. & alijs;* volunt, vt præcipuè ex doctrina noſtri Doctoris loc. cit. quòd ad adoptionem requiruntur tria etiam ſecundùm Iuriſtas; primò extraneitas à generatione naturali, ſcilicet, quòd adoptandus non ſit filius naturaliter genitus; ſecundò gratuita voluntas adoptantis iuxtà legem adoptionis; tertiò bonum, ad quod prærordinatur ex tali gratia. Quare Adoptio definitur à Theologis, quod eſt actus legitimus, quo perſona extranea aſſumitur in filium, vel filiam, nepotem, vel neptem; dicitur autem Adoptio actus legitimus, ideſt factus ſecundùm formam legis; hæc enim filiatio adoptiua inſtituta eſt à lege, ergo ſuam formam, & perfectionem debet ſumere à legis aſſignata norma; dicitur, quo perſona extranea, vt intelligatur, quòd ij, qui ſunt in poteſtate adoptantis, vt filij, & hæredes non poſſunt adoptari, dicitur in filium, vel nepotem, filiam, vel neptem, quia nullus poteſt adoptari in fratrē, ſororē, patrē, vel matrē, vt habetur *l. nec apud, C. de hæred. inſtit.* cùm ſit contra naturam, vt notat *noſter Ang. v. Adoptio, §. 5.* quòd pater, & mater tranſeant in poteſtatem filij, & frater, & ſoror in poteſtatem fratris, & ſororis reſpectiuè.

Quotuplex ſit Adoptio. DIFFIC. II.

ADoptio altera dicitur perfecta, & à Iuriſtis vocatur Arrogatio, quia fit authoritate Principis, & tranſit adoptatus per iſtam in poteſtatē adoptantis cum ſuis rebus, & liberis, *ex l. 2. §. vlt, ff. de adopt.* vndè arrogatus mutat familiam, & ſi feciſſet teſtamentum, rumpitur per arrogationem; fit etiam arrogatus hæres neceſſarius ipſius arrogātis ſaltē in quarta bonorū, ideſt legitima, ſuccedit q; ab inteſtato, & inter ipſos oritur vinculum cognationis legalis dirimens, vel impediens, vt dicetur *v. Impedimenta Matrimonij.*

Adoptio altera dicitur imperfecta, quæ non fit authoritate Principis, ſed ſolùm authoritate Magiſtratus inferioris, vndè per eam adoptatus non tranſit in plenam poteſtatem adoptantis, neque eius fit hæres neceſſarius, licèt ſuccedat adoptanti ab inteſtato, niſi emancipatus fuerit, non tamen ſuccedit in quarta, ſeu legitima neceſſario debita filijs naturalibus, & vt cōmunius Theologi volunt inter talem adoptatum, & adoptantem non oritur impedimentum cognationis legalis, vt optimè docent Moderniores *Sanch. Coninch. Filliuc. Reginal* quos citat, & ſequitur *Bonac. de impedim. Matrim. q. 3. punct. 1. §. 3. contra Guttier. de Matrim. c. 102.* volentem induci per vtramq; adoptionem huiuſmodi impedimentum, etenim cùm matrimonium ſit materia fauorabilis, debent impedimenta reſtringi iuxtà perfectam nominis ſignificationem, vndè iura in hac materia ſunt explicanda de adoptione perfecta, quia Arrogatio dicitur ſimpliciter apud ipſos adoptio, vt eſt *in c. vn. de cognat. leg.*

Adoptio perfecta quare dicatur Arrogatio. DIFFIC. III.

REſpondeo, quòd cùm perfecta Adoptio fiat ex authoritate Principis præſentis, qui rogat adoptantem, an velit recipere in ſuum, quem vult adoptare, & rogat deindè adoptandum, an velit tranſire in adoptantis poteſtatem, ex tali rogatione, arrogationis nomen ſibi vindicauit; adoptio autem imperfecta huius rogationis formam non requirit, quare, vt notat *noſter Angel. §. 1.* cùm in arrogatione requiratur vtriuſq; verbum expreſſum, non autem in adoptione imperfecta, ſequitur, quòd infans non poteſt arrogari, benè tamen poteſt adoptari, vt habetur *l. 2. & l. an Adoption. hoc probatur ff. de adopt.* quam tamē doctrinam

nam limitat *noſter Vngarell. ſchol. G. ex gloſ. in l. 2. ff. de adopt,* niſi coniuncti affirmauerint apud Principem hoc infanti expedire, *arg. d. l. 2.*

Adoptare quisnam valeat. DIFFIC. IV.

NEgant Iuriſtæ quemlibet poſſe adoptare volentes quinque conditiones requiri in eo, qui poteſt legitimè adoptare, vt *ex inſtituta de adoptione*. Prima eſt, vt adoptans ſit ſui iuris, & maior vigintiquinque annis, nam de iure communi minor annis vigintiquinq; non habet liberam adminiſtrationem bonorum, prçterquam de Caſtrenſibus, vel quaſi, licèt de iure particulari poſſit etiam minor iſte habere liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum; ſecunda conditio eſt, vt Adoptans non ſit fœmina, quæ tamen poterit ex ſpeciali reſcripto Principis in ſolatium filiorum amiſſorum ſolummodò, *ex inſtit. loc. cit. §. fœm.* Tertia eſt, vt adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum, nam adoptio eſt inſtituta ad ſupplédam carentiam filiorum; hinc Eunuchi nati cùm habeant naturalem impotentiam coeundi, non poſſunt adoptare, benè tamen ſpadones, ideſt Eunuchi illi, qui ſpada, vel gladio ſectos habent teſtes ex voluntate, vel vi, vel morbo; ſunt enim ſolùm impotentes accidentaliter, non naturaliter; qui autem ſunt impotentes ex frigiditate naturali, nec poſſe adoptare videtur per eandem legem; quarta autem conditio eſt, vt adoptans ſit adeò ætatis prouectæ, vt ſaltem decem, & octo annis ſit maior adoptato, immò Arrogans debet eſſe ſaltem annorum 60. niſi iuſta cauſa interueniat, *ex l. ſi pater, §. vlt. ff. de adopt.* iuſta autem cauſa eſt morbus, aut coniunctio perſonæ, alias debet intendere generationi, ex prçdicto *vlt. §.* quinta conditio, vt ſit prçſens tam Adoptans, quàm Adoptatus.

Vtrum Sacerdos poſſit adoptare. DIFFIC. V.

IN hac difficultate alij aiunt, alij negant; affirmant *Hoſtienſ. in Rubr. de cognat. leg. & Panormit. in c. vnico de cognat. leg. & Gloſ. in §. ſed, & illud Inſtit. de adopt. verſ. non poſſunt, & Bonac. loc. cit.* ibidem videtur affirmare, quia non videtur à lege excluſus.

Contrarium tamen probabilius ſentit *noſter Vngarell. loc. cit. ſcholio P.* nam Sacerdos debet vacare cultui Diuino, *ex c. Duo ſunt genera 12, q. 1.* tum quia non debet filijs theſaurizare, tum quia poſſet eſſe fraus, vt ſcilicet filij naturales Sacerdotis tegerentur ſub titulo adoptionis, *Arg. c fin. de cohabit. Cler. & mulier.* & ſanè loquendo de congruo optimè procedunt rationes *noſtri Vngarelli*, maximè cùm verè Sacerdos non ſit ſui iuris iuxta primam conditionem, ſed fortè in hoc poſſet diſpenſari ab Epiſcopo, tum quia nec congruit habere filios adoptitios, quibus negatum eſt habere filios naturales. Attamen de rigore iuris probabilis eſt prima ſententia, cùm Sacerdotibus iura expreſsè non negauerint hunc actum charitatis tam pium ſibi filios adoptandi.

Adoptio an poſſit fieri per procuratorem. DIFFIC. VI.

NEgant communiter Iuriſtæ, quia in Adoptione perfecta præcipuè non ſolùm requiritur conſenſus, ſed etiam diſpoſitio acceptantis, & recipientis in ſuum, & ideo non poteſt fieri per Procuratorem, nam, vt notat *Barth. in l. Gallus, §. forſitan, ff. de lib. & poſthum.* ea, quæ ſolum conſenſum requirunt, poſſunt fieri per ſolum Procuratorem, quæ verò aliqua diſpoſitione particulari complentur vltra conſenſum, eſt neceſſaria prçſentia diſponentis, nec poſſunt fieri per Procuratorem, vt etiam habetur *in l. neq; abſens, & in l. poſt mortem de adopt.* Ita *noſter Vngarell. ſchol. V. & Sylu. v. adoptio, n. 3.* ex qua doctrina collige, quare poſſit celebrari matrimonium per Procuratorem, non autem poſſit quis fieri patrinus in Baptiſmo per Procuratorem ſaltem in opinione probabili; Vide infra *v. Bapt. diffic. 35.*

Adoptio quoto gradu impediat Matrimonium; Vide *impedimenta Matrimonij.*

Adoratio.

Quid ſit Adoratio. DIFFIC. I.

ADoratio à verbo, Adoro, dimanat, quod ex præpoſitione, ad, & oro, componitur, *ly* autem, Ad, in hac compoſitione ex Grammaticorum doctrina plenum ſignificat, vnde Adoro quaſi plenũ oro indicat, & quia nulla res poteſt plenè noſtris deſiderijs adeſſe, niſi ſolus Deus primariè, & abſolutè, & participatiuè, & dependenter Sancti; hinc eſt, quòd Adoratio quid Diuini cultus, præter cçtera alia nomina prçfefert, & conſequenter ſoli Deo, & alijs Sanctis exhibetur.

Quidditatiuè autem à Theologis definitur. Adoratio eſt exhibitio reuerentiæ, vel propter bonitatem, vel propter dominium, iuxtà *Scotum in 3. diſt. 9.* vel propter excellentiam ſecundum *D. Tho. 2. 2. q. 84. a. 2.* ratione cuius vnus alteri ſe ſubmittit in recognitionem ſcilicet huiuſmodi bonitatis, dominij, vel excellentiæ; Ita etiam *Valentia T. 3. diſp. 6. q. 3. punct. 1. Filliuc. tract. 23. n. 20. Bonac. in 1. Decal. præcepto diſp. 3, q. 1. & alij*, ex quo infertur rationem prçciſam adorandi aliquem ſecundùm *Scotum* eſſe, vel dominium, vel bonitatem, & ſecundùm *D. Tho.* excellentiam eius, qui adorandus eſt, quia verò dominium, bonitas, & excellentia non eodem modo reperitur in Deo, & in creaturis; hinc eſt, quòd neceſſariò danda diuerſa Adorationis genera, Quare ſit,

Quotuplex ſit Adoratio. DIFFIC. II.

DIco primò, Adorationis genus aliud vocatur latria, quç datur ratione ſupremæ ſummæ, & infinitæ Bonitatis, dominij, vel excellentiæ. Quare cùm ſolus Deus habeat ſupremam, ſummam, & infinitam rationem bonitatis, dominij, vel excellentiæ, ſoli Deo debetur; alterum genus Adorationis datur ratione creatæ, & finitæ bonitatis, dominij, vel excellentiæ, & hoc genus Adorationis vocatur Dulia, quæ creaturis intellectualibus, & rationalibus, illis, in quibus prçcipua bonitatis, dominij, & excellentiæ ratio refulget, exhibetur. Verùm quia inter creaturas vna magis alia retinet bonitatem, & excellentiam, ſequitur vnam poſſe maiori dulia, quàm alia, & hæc Adoratio vocatur Hyperdulia, quo Adorationis genere colitur Maria Mater Dei ſemper Virgo immaculata, quæ omnes alias creaturas incomparabiliter excedit bonitate, dominio, & excellentia; Ita communiter Theologi, *Alenſ. in 2. 2. Scot. & D Bonauent. in 3. loc. cit. Riccard. diſt. 9 Ang. v. Adoratio §. 2. Rodriq. 1 p. cap. 8. D. Tho. 2. 2. q 103. ar. 3. & 4. Cl. Reg. lib. 4. cap. 3. Filliuc. tract. 23. n. 21. Bonac. loc. cit. & alij.*

Dico ſecundò, Adoratio quælibet adhuc duplex, altera dicitur externa, alia interna; externa fit per actum externum, quo quis teſtatur ſuam ſubiectionem erga alterius bonitatem, dominium, & excellentiam coram illo ſe genuflectendo, ſe proſternendo, caput aperiendo, & inclinando, & alia huiuſmodi ſigna faciendo; Adoratio autem interior nihil aliud eſt niſi proteſtatiua recognitio cultus, & reuerentiæ debitæ alteri propter ſuam bonitatem, dominium, & excellentiam; hinc collige Adorationem exteriorem non eſſe veram adorationem, niſi coniungatur cum interiori, quæ dat exteriori virtutem, alioquin ſi exterior non promanaret ab interiori, eſſet ficta, & nullius conſiderationis, & meriti adoratio; Ita communiter citati *DD.*

Dico tertiò, Adoratio adhuc eſt in duplici differentia; quçlibet enim Adoratio altera dicitur abſoluta, altera reſpectiua; Adoratio abſoluta eſt illa, quæ abſolutè, & abſq; alio reſpectu conuenit enti intellectuali, & rationali propter ſuam infinitam, vel finitam bonitatem, dominium, vel excellentiam, quæ per ſe digna eſt honore, reuerentia, & cultu in eo, in quo reperitur; reſpectiua verò adoratio eſt illa, quæ conuenit rebus ratione carentibus, quç per ſe non retinent aliquam bonitatem, ſanctitatem, & excellentiam, ſed ſolùm quatenus habent aliquem reſpectum, vel inſtrumenti, vel contactus, vel exemplaris ad aliquam perſonam increatam, vel creatam, in quo eſt bonitas, & excellentia per ſe; quia verò ratione huius reſpectus poteſt adorari illa res irrationalis, vt patebit de Cruce, imaginibus, & veſtibus Sanctorum, talis adoratio dicenda eſt reſpectiua; ita communiter ex *DD. loc. cit.*

Vtrum

Vtrum latria debeatur ſoli Deo trino, & vni à qualibet creatura.
DIFFIC. III.

SVmmam, & ſupremam Adorationem, quæ latria dicitur, exhibendam ſoli Deo trino, & vni abſolutè, & per ſe primo à qualibet creatura intellectuali, & rationali ex eo patet, quia quod Deus vnus, & trinus ſolus eſt infinitè, ſummè, & independenter bonus, infinitè, ſummè, & independenter excellens, ſummus, ſupremus, independens, & omnipotens Dominus nulli Catholicorum dubium eſt, iuxtà illud *Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies*. An verò poſſit vna perſona Sanctiſſimæ Triadis adorari ſine alia.

Diſtinguunt Theologi, & Scotiſtæ præcipuè; nam ſi *ly*, ſine, dicat ſolam præciſionem intellectus, itavt ſit ſenſus, ſicut poſſumus concipere, imò ſecundùm *Scoti* doctrinam ſicut Beatus in patria poteſt videre vnam perſonam ex Dei abſoluta potentia, alia non concepta, & non viſa explicitè, ita etiam poteſt viator hic vnam perſonam adorare explicitè, implicitè tamen alias credendo, & colendo, cùm à parte rei ſit in ipſis fundamentum diſtinctarum relationum, & attributorum appropriatorum, vndè vna perſona adorari poſſit, alia non adorata explicitè, hinc de facto ordinat Eccleſia Miſſam de Spiritu Sancto abſq; explicita reuerentia ad Patrem, & Filium, & Orationes etiam ad Patrem, & Filium diſtinctè dirigit.

At verò ſi *ly*, ſine, dicat diuiſionem explicitam adorationis vnius perſonæ ſine alia, impium eſſet hoc attentare, & hoc modo non dirigit Miſſas, & Orationes diuiſim ad diuinas perſonas, quia vna in tribus peſonis eſt eadem indiuiſibilis eſſentia, per quā ſumma bonitas, & excellentia eſt in ſingulis perſonis, vndè cum vna, & eadem indiuiſibilis ratio adorationis ſit in tribus, nullo modo diuiſim poteſt adorari vna perſona Diuina abſq; alia, benè tamen poteſt adorari vna ſine alia præciſè, ideſt poteſt adorari Pater Deus præſcindendo explicitè ab adoratione Dei Filij, & Spiritus Sancti, & è contra, cum hoc tamen, quòd cùm adoratur Deus Pater non adorando Deum Filium explicitè, adhuc adoratur Deus Filius, & Spiritus Sanctus implicitè, quia idem Deus, qui adoratur in Patre eſt indiuiſibiliter in Filio, & Spiritu Sancto, adorans ergo explicitè Patrem, neceſſariò implicitè adorat Filium, & Spiritum Sanctum; quare poteſt vtiq; quis diſtincta, ſeu præciſiua, non autem diuiſiua adoratione adorare vnam perſonam Diuinam, alia non adorata explicitè.

Quanam adoratio Chriſto debeatur. DIFFIC. IV.

CHriſtum, vt Deus, & homo eſt reduplicatiuè de fide eſt adorandum eſſe adoratione latriȩ, qua adoratur tota Trinitas, quia Chriſtus, vt Deus, & homo eſt verus Filius Dei eadem adoratione adorandus, qua Pater, & Spiritus Sanctus, quod probatur 1. *Ioann. 5.* vbi de ſe loquens Chriſtus ait: *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem*, & ex *D. Paul. ad Philippenſ. 2. In nomine Ieſu omne genuflectatur, &c.* ſecundò definitur hæc veritas *in Conc. Epheſ. 1. can. 8. & in S. Syn. collat. 8. c. 9. & 7. Syn. act. 6. T. 3. contra Neſtorium*, qui dicebat Chriſtum hominem non eſſe Deum, & ideò illi non competere adorationem latriæ; quod autem apud Theologos faceſſit negotium, eſt.

An adoratio latriæ ſolùm ſecundùm Diuinam naturam competat Chriſto. DIFFIC. V.

PRæſens dubium diſſoluunt Theologi per illam ſpeculatiuā, diſtinctionem de *ly* ſolùm, cathegorematicè, vel ſyncathegorematicè ſumpto, & dicunt certum eſſe Chriſto ſolùm ſecundùm Diuinam naturam competere latriam, ſi *ly* ſolùm, ſumatur cathegorematicè, ſcilicet quatenus contieet creaturam Diuinā, vt dictum eſt in ſuperiori difficultate, ſi verò *ly* ſolùm, ſumatur ſyncathegorematicè, quatenus ſcilicet dicit excluſionem alterius termini, ſcilicet humanitatis, itavt nulla debeat haberi ratio ad diuinitatem, & hic ſenſus poteſt habere duplicem intellectum; Primus eſt, vt humanitas Chriſti nullam includat rationem per ſe, per quam poſſit adorari latria, ſed ſola præciſa ratio ſit natura Diuina, & ita etiam verum eſt, quod Chriſtus eſt adorandus latria ſolùm ſecundùm Diuinam naturam, quia verè Chriſtus non eſt adorandus latria ſecundùm humanitatem pręciſè, etenim in quantùm homo præciſè, & reduplicatiuè non eſt ſummè bonus, neq; ſummè excellens, alter ſenſus eſt, quod *ly* ſolū, ſyncathegorematicè ſumptum excludat naturam humanam à termino adorationis latriæ, quæ debetur Chriſto, itavt Chriſtus includendo humanitatem non poſſit cathegorematicè adorari latria, & hic ſenſus eſt falſus, quia in adoratione Chriſti ſepararetur humanitas, quę inſeparabiliter coniuncta eſt verbo; adoratio autem debet ferri in totum Chriſtum tamquam in terminum adæquatum, in quo ſicut indiſſolubiliter natura huma eſt perſonata, ſeu vnita perſonæ Diuinæ, ita etiam à termino adorationis debitæ perſonæ Diuinæ non debet excludi humanitas, itaq; quando dicitur Chriſtus adoratur latria ſolùm ſecundùm Diuinam naturā, ſi ſenſus ſit, quod *ly* ſolum excludat humanitatem à ratione adorationis vera eſt, quia humanitas ſola non eſt ratio adorationis, ſi verò ſit ſenſus, quòd humanitas excludatur à termino adorationis falſa eſt iſta propoſitio: Chriſtus ſolùm ſecundùm Diuinam naturam eſt adorandus latria, quia humanitas indiſſolubiliter vnita verbo, indiuiſibiliter adoratur latria cum verbo: hic *Damaſcenus relatus à Scoto de fid. Orthod.* ſic ait; *Chriſtus Deus perfectus, & perfectus homo, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto vna adoratione cum incontaminabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes; adoratur enim in vna hypoſtaſi verbi, quia eius hypoſtaſis facta eſt*. & exēplificat paulò pòſt, quomodo humanitas licèt adoretur latria cum verbo, non tamen eſt cauſa adorationis, dicens: *Timeo lignum tangere propter ignem immixtum ipſi*; ita etiā eſt dicēdum, quòd humanitas adoratur latria in Chriſto propter Diuinitatem coniunctam ipſi.

Cȩterùm *noſter ſubtilis Doctor* magis vulgari diſtinctione explicat, quomodo ſit intelligenda iſta propoſitio, ſcilicet Chriſtus Deus adoratur cum incontaminabili carne, ſeu humanitate ſua, nā vel *ly*, cum, tenet ſe copulatiuè cauſaliter, quaſi ſit ſenſus, quòd humanitas ſimul cum Diuinitate ſit ratio adorationis latriæ, & ſic falſa eſt propoſitio; nam in hoc ſenſu ſola Diuina natura eſt ratio adorationis latriæ, quod ſi ſolum *ly*, cum, teneat ſe aſſociatiuè, & concomitanter, ideſt quatenus vnita verbo humanitas eſt adorabilis latria, vera eſt propoſitio, quod declarat exemplo de Rege purpura, qua veſtitur Rex; hæc enim adoratur eadem adoratione, qua Rex non cauſaliter copulatiuè, quia purpura non poteſt eſſe cauſa adorationis, verùm coniuncta Regi aſſociatiuè, & concomitanter adoratur cum ipſo Rege, in quo eſt cauſa Adorationis.

Nec grauator adducere aliud exemplum noſtri Doctoris ad maiorem intelligentiam huius propoſitionis; ait enim, quando adoratur Sanctus, vel colitur ſapiens, non ſolùm colitur, & adoratur anima, in qua eſt ratio adorationis, ſed etiam adoratur eadem adoratione corpus totum, licèt corpus non ſit cauſa adorationis, ſed ſolùm quia iunctum cum anima facit hominem, qui eſt terminus totus adorationis, ita etiam dicendum, quod humanitas, licèt in ſe non habeat rationem adorationis latriæ, tamen quatenus iuncta perſona Verbi, in qua eſt ratio adorationis præfatæ conſtituit vnum, & totum Chriſtum eadem adoratione debet adorari cum ipſa perſona Verbi. Hanc eamdem doctrinam ex *Scoto* deſumptam docent etiam cęteri Theologi, licèt ſub diuerſis terminis, vndè collige, quàm malè *Principem Theologorum noſtrum ſubtilem Doctorem* taxauerint *Capreol. in 7. diſt. 9. & Medina 3. p. q 25. a. 5.* cùm ei falsò impoſuerunt dixiſſe latriæ adorationem competere humanitati Chriſti vt cauſæ, & rationi adorationis, qua ſcilicet Chriſtus in quantum homo eſt Redemptor; redemptio autem eſt ratio adorationis latriæ in Chriſto; nam apertè *Scotus* reſpondens ad dubium iſtud ex *D. Auguſtino* ait, quòd

Adoratio latriæ etiam competeret toti Trinitati ratione Redemptionis, ſi redemptio eſſet ratio adorationis latriæ, nam tota Trinitas operata eſt redemptionem principaliter. Verùm cùm redemptio non habeat rationem ſummi boni, & ſummę excellentiæ, non habet rationem adorationis latriæ, nec in Chriſti humanitate.

Vtrum ſit Catholica iſta propoſitio, Chriſti humanitas adoranda eſt latria per accidens. DIFFIC. VI.

AFfirmauit *Durand. in 3. diſt. 9. q 2.* quia facit hunc ſenſum, quod humanitas Chriſti ſit adoranda non per ſe, & ratione ſuæ excellentiæ, ſed ſolùm per accidens, quatenus ſcilicet coniuncta eſt verbo, cui debetur talis adoratio.

Verùm licèt faciat ſenſum Catholicum ſic explicata pręfata propoſitio, tamen, quia SS. Patres Catholici fugiunt dicere, quòd humanitas Chriſti ſit per accidens vnita verbo, cùm vnio hu-

humanitatis cum Verbo ſit omninò ſubſtantialis, non accidentalis, ideo iure Catholici communiter ſe ſe abſtinent à tali propoſitione, ne dum dicunt humanitas Chriſti adoratur per accidens latria, videantur innuere, quòd humanitas Chriſti ſit etiam per accidens vnita Verbo.

Item modus loquendi *Suar. 3.p. diſp. 53. ſect. 2.* volentis, quòd licèt non poſſit dici Chriſtus coadoratur Deo, quia eſſet dicere, quòd perſona Chriſti adoratur cum perſona Dei, & indicaret duas eſſe perſonas in Chriſto, quod eſt hęreticum, poſſit tamen dici, quòd humanitas Chriſti coadoratur Deo, non videtur ſimpliciter amplectendus, nam licèt poſſet facere bonum ſenſum Catholicum, tamen quia videtur hic modus loquendi indicare duplicem adorationem in Chriſto, & humanitatis ſcilicet & Diuinitatis, ideo SS Patres *in Conc. Epheſ. c.* 8. damnarunt hunc modum loquendi ſub his verbis: *Si quis audet dicere aſſumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo, quaſi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emmanuelem ſuum, quod caro factum eſt, anathema ſit.*

Deniq; licèt non omninò ſit improbabilis aliorum Theologorum modus loquendi in hac materia diſtinguendum de latria ſimpliciter abſoluta, qua ſolùm Diuinitatem Chriſti prędicant adorandam, & de latria reſpectiua, qua nolunt humanitatem Chriſti venerandam, tamen quia hæc diſtinctio, licèt poſſet facere bonum ſenſum Catholicum, videtur ponere in Chriſto duplicem adorationem, quam abhorrent SS. Patres, & Concilia, dum vnica ſolùm iubent latriæ adoratione totum Chriſtum Deum, & hominem, ideo non eſt paſſim prædicanda, nec practicanda.

Quęnam Adoratio competat humanitati Chriſti pręciſè conſideratæ in ſe ipſa ſolum. DIFFIC. VII.

QVia in moralibus ſumus, relinquo contentionem cum *Vaſq. in 3. p. diſp. 96.* probante non poſſe humanitatem Chriſti adorari ſine Verbo authoritatibus Conciliorum, & Sanctorum Patrum; nam Concilia, & Patres inuehunt contra Neſtorium volentem eſſe duo ſuppoſita in Chriſto, & conſequenter duplici adoratione diſtincta, vndè negabat totum Chriſtum poſſe adorari latria; nos enim in præſenti caſu ſupponimus de fide non poſſe adorari humanitatem Chriſti de facto diuiſam à Verbo; verum cùm realiter diſtinguantur Verbum, & eius humanitas poteſt vtique intellectus abſtractiuè, ſeu pręciſiuè conſiderare aliquando humanitatem illam non conſiderato Verbo, cum quo indiuiſibiliter ſemper eſt vnita de facto. Dum ergo intellectus facit talem præciſionem, & abſtractionem, ſi voluntas eam venerari vellet ſic pręciſam, & abſtractam, quærunt iure Catholici qua ratione eſſet adoranda illa ſacratiſſima humanitas, nec irrogant hoc quærendo iniuriam ipſi, quia dato per impoſſibile, quòd Verbum relinqueret illam ſanctiſſimam humanitatem, deberet ſciri à fidelibus, quæ adoratio ei debetur, itaque non inſulsè, nec præter rem, vt volunt aliqui moderniores quæritur à Theologis quęnam adoratio debeatur Chriſti humanitati, vt ſic præciſè conſideratæ, non conſiderato Verbo, quo dubio reſoluto, manet etiam conſultum, quid dicendum de humanitate Chriſti, ſi per impoſſibile aliquando relinqueretur à Verbo, quare breuiter ex communi DD. ſententia.

Sacratiſſima Chriſti humanitas præciſiuè, & abſtractiuè conſiderata non conſiderato Verbo Hyperdulia adoranda eſt, quia cùm ex ſe conſiderata ſolummodò ſit ſummum bonum finitum ſolum debetur ei cultus debitus creaturæ ſummè excellenti: Hyperdulia autem eſt adoratio debita creaturæ ſummè excellenti; Ita ex *Scoto, Riccard. Ang. D. Th. Cl. Reg. Bonac. & Suar. loc. cit.* An verò

Digniori Hyperdulia foret adoranda humanitas Chriſti ſic præciſè in ſe conſiderata, poſſet vtiq; concedi in hyperdulia eſſe gradus iuxtà excellentias digniores adorandorum, nec obſtat, quòd Crux, quæ ſuſcepit Chriſtum mortuum adoretur latria, ergo multo magis ipſa humanitas Chriſti, nam ipſa non habet in ſe rationem adorationis niſi cum ſuo prototypo ſolum, & conſequenter debet adorari adoratione ſui prototypi; At verò humanitas Chriſti, & eius Mater Virgo Maria habent in ſe rationem adorationis iuxtà ſummam ſanctitatem, & excellentiam, quam receperunt, & ideo humanitas Chriſti, & Virgo Maria poſſunt adorari Hyperdulia tamquam adoratione ſibi competente abſq; alio actuali reſpectu ad vnionem hypoſtaticam.

Vtrum adorandi ſint Sancti Angeli, & cæteri homines ab Eccleſia Catholica in Sanctorum, vel Beatorum numero relati. DIFFIC. VIII.

NOn ſolùm antiquis illis, verùm etiam neque noſtris ferè temporibus defuere, qui negauerunt non eſſe adorandos homines, nec Angelos ſanctos, inter quos fuerunt Gnoſtici, & Euſtatiani ab Euſtatio Epiſcopo Sebaſtiæ, & deindè Vigilantius, & Eunomius, & recentiùs *Ioann. VViclef. Caluin. Luther. & alij*, ex eo, quod in ſcripturis habetur non eſſe adorandos nec Angelos, nec Sanctos homines, & pręcipuè aiunt haberi *ex Deuter. 6.* vbi dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, quod etiam reperitur à Chriſto *Matth. 4. & Paul. ad Timoth. 1. c. 1. Soli Deo honor, & gloria; & Eſther. 13.* noluit Mardocheus ſe inclinare coram Aman timens, ne transferret honorem Deo debitum, homini, & *Cornelius Act.* 10. reprehenditur à Petro, dum voluit eum adorare, dicendo: *Surge, & ego ipſe ſum homo, & Apoc.* 19. reprehenditur Ioannes ab Angelo volens eum adorare, ſub his verbis: *Vide ne feceris, cōſeruus tuus ſum*, pręterquamquòd ait *Caluinus in ſua peſtifera inſtitutione*, apud *Valdenſ.* & refertur etiam à *noſtro Fauent. in 3. ſent. diſp. 22. cap. 5.* Dulia, qua Catholici aſſerunt adorandos Angelos, & Sanctos Gręco vocabulo ſonat ſeruitutem, nos autem non ſumus ſerui Angelorum, & Sanctorum, ergo non debemus, ait *Caluin.* eos dulia adorare, ſed nec latria, quæ Deo debetur, ergo nullo modo adorandi ſunt.

Cęterùm hæc hæreticorum ſententia iure damnata fuit à *Felice I. in Conc. Rom. in ſua Epiſt. 2. Decret. in Conc. Grancen.* & paſſim in *ſeptima Syn.* & denique in *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. Habetur autem apud ſcripturas: Adoratio facta viris Sanctis, hinc 1. *Reg. c.* 28. Saul adorauit animam Samuelis ſibi apparentem, nec tamē reprehenditur à ſcriptura, & 3. *Reg.* 18. Abdias Propheta adorauit pronus in terra Eliam Nabucdonoſor *Dan.* 2. adorauit Danielem, & 4. *Reg. c.* 2. Filij Prophetarum audientes in Eliſeo requieuiſſe ſpiritum Eliæ, adorauerunt eum proni in terra, nec debet dici hunc fuiſſe amorem Ciuilem debitum Maioribus, nam Abdias erat vnus ex Principibus Regni, & Saul, & Nabuchodonoſor erant Reges; erat ergò adoratio ab ipſis exhibita tanquam debita ſanctitati eorum.

Quando autem in ſcripturis ſolus Deus adorandus iubetur, vel homines Sancti, & Angeli prohibentur adorari de adoratione latriæ intelligenda ſunt, quæ ſoli Deo propter ſummam infinitam bonitatem, & excellentiam exhibenda, prohibiturque creaturæ, quia tanta carent infinita bonitate: Dulia autem tamquam minori adoratione propter finitam bonitatem, & excellentiam, quæ eſt in creaturis adorandi ſunt Angeli, & homines Sancti.

Licèt autem propriè non ſimus ſerui Sanctorum non propterea, vt impiè effutiebat *Caluinus*, neganda eſt eis dulia, quæ ſeruitutem, & obſequium ſonat, etenim ex noſtra humilitate profitemur nos eſſe ſeruos Sanctorum, & Angelorum, quia eorum interceſſionibus apud Deum indigemus, & ideo iure ſeruitutem, & cultum, & obſequium eis præſtamus, pręterquamquòd præcipuè eos decet huiuſmodi cultus, & obſequium, quia magna fulgent excellentia, & verè Domini ſunt, & Reges Cęlorum, & hæredes Chriſti, quare ergo à nobis non debet eis præſtari cultus obſequij, & ſeruitutis largè ſumptæ ſaltem? Patet ergo veritas noſtræ propoſitionis, & hæreticorum falſitas.

Vtrum Angelus apparens in forma Dei ſit adorandus latria, an verò Dulia? DIFFIC. IX.

ADorandum latria Angelum in forma Dei apparentem docent *Filliuc. tract. 23. c. 1. q. 9. a. 2. & Bonac. loc. cit.* & probari poteſt ex eo, quia dum repręſentat formam, & pręſentiam Dei, puta Chriſti Crucifixi, adoratio videntis talem pręſentiam fertur immediatè in ipſum Deum crucifixum, non autem in Angelum, ergo Diuina Adoratio, & non Dulia eſt ei pręſtanda, aliter faceret iniuriam præſentiæ Dei per Angelum repręſentatæ.

Cæterũ in iſtis apparitionibus, vt notat *noſter Ang. §. 10.* imitanda eſt Virgo Mater Dei immaculata, quæ ad Apparitionem, & locutionem Angeli cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio; cauendum eſt enim, ne generis inimicus humani transformet ſe in

An-

Digitized by Google

Angelum lucis,quare nouitàs rei in hac matèria indiget multa conſideratione,& attentione;ſolent enim SS. PP. monere,quòd ſi in Apparitione Angelorum, & Sanctorum immediatè ſentiatur lætitia,& gaudium ferè ſemper eſt apparitio Diabolica, nam Appatitiones Angelorum, & Sanctorum paſſim in ſcripturis primò timorem incutere inueniuntur, & poſtea conſolationem afferre, vt patet in Apparitione Archangeli Gabrielis facta Mariæ Virgini,quam confortauit,dicens:Ne timeas Maria; apparitiones autem Dęmonum ſub forma Sanctorum lętitiam primò, & conſolationem tribuunt, in vltimo verò tędium, & afflictionem relinquunt. Horum exempla videantur in Chronicis noſtri Ordinis, & vitis Sanctorum Patrum.

Adoratio an, & quomodo præſtanda ijs, qui fama ſanctitatis clarent in vita, & poſt mortem.

DIFFIC. X.

IN pręſenti difficultate non videtur eſſe ſermo de cultu priuato, quo non prohibetur adorari aliquis exiſtimatus Sanctus, & Dei Amicus ex notoria eius ſanctitate, ſiue mortuus, ſiue viuens; nam priuatè eius Orationibus, & interceſſionibus ſe commendare nulli reperitur prohibitum;*in c.coram fin.de reliq. & innoc.Sanct.* prohibetur ſolùm publicè adorari eos,qui in Sanctorum numero non ſunt relati ab Eccleſia Catholica. Ita *Bellarm.n.1 de Sanct.c.10.Sanch.in ſumm.l.2.c.43.nu.3. Azor. q.8. Bonac. in 1. præcept. Decal.diſp.q.1.punct.7.* qui etiam addit hoc licere, etiam ſi certè non ſciatur eos Sanctos eſſe, ſed ſolùm ex fama vulgari,ipſoſq; inuocari poſſe, etiam ſi alij audiant,quod puto probabile,modò inuocatio non fiat in Eccleſia, aut loco iuridicè publico,vt eſt locus,vbi iudicia, vel parlamenta fiunt; in iſtis enim locis poſſet dici potius Adoratio publica,quicquid in contrarium videatur velle *Bonac.*; in hac enim materia non debent multum habenæ laxari, ne affectus humanus nimis procliuis in ſui beneuolos in eorum laudes protuens publico teſtimonio ſanctitatem ambiguam tamquam certam propalet, & confirmet.

Quare Dei præcipuo impulſu motus Sanctiſſimus *Vrbanus VIII.* in decreto facto in generali Congregatione Vniuerſalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis 1625. die 4. Aprilis mandauit, vt illi,qui Sanctitatis,vel Martirij fama defuncti erant, publicè, nec priuatim poſſint depingi cum laureolis, radijs, aut quocumque alio modo, venèrationem, & cultum præferente, donec à Sede Apoſtolica fuerint Canonizati,aut Beatificati,inſuper mandauit, ne imprimerentur eorum geſta,Miracula,reuelationes,ſeu quæcumque beneficia eorum interceſſionibus à Deo accepta ſine recognitione, & approbatione Ordinarij locorum, qui in ipſis recognoſcendis Theologos, alioſq; pios viros, & doctos adhibeant,& ad Sedem Apoſtolicam ea tranſmittant, ab eaq; reſponſionem expectent,aliàs impreſſa ſine tali recognitione,& approbatione nullam fidem habeant.

Inſuper ad eorum ſepulchra ne imagines, Tabellæ pictæ, ſeu vota ex argento,auro, cera, & alia materia ficta, neque luminaria apponantur ſine recognitione facta ab Ordinario, & Sedis Apoſtolicæ approbatione expreſsè vetuit in eodem Decreto Vrbanus, ex quibus patet quomodo hodie ſe gerere debet vnuſquiſque in adorando non beatificatos,nam licèt non prohibuerit Vrbanus VIII. priuatam ipſorum adorationem, & inuocationem, prohibuit tamen etiam priuatè in eorum imaginibus omnia ea apponere,quæ illos Beatos declarare poſſent,vt ſunt radij,laureolæ,luminaria,palmæ martyrij, lilia Virginitatis, Diademata, & quodlibet genus Votorum,ſimiliter prohibetur impreſſio miraculorum, beneficiorum, & reuelationum, non tamen priuata narratio.

At verò quia concedit Pontifex in eodem decreto poſſe publicè eorum imagines cum radijs, & laureolis depingi, & luminaria, & miracula, ad eorum ſepulchra apponi, quia aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorabilem temporis curſum,aut per Patrum,virorumq; Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tollerantia Sedis Apoſtolicæ pro Sanctis,aut Beatis fuerunt habiti,& adorati.

Quæritur quænam ſit dicenda in hac materia longiſſimi temporis tollerantia,& quidem ſi *Prateo* crèdendum ſit,tempus longiſſimum dicendum eſt tempus triginta, vel quadraginta annorum,ita ipſe probat *in ſuo lexico, v. Longiſſimum*,alij tamen probabilius,vt dicetur infra,*v. Præſcriptio*,centum annorum tempus vocant longiſſimum, quare omnes illi, qui ante centeſimum annum fuerunt habiti pro Sanctis, poſſunt & hodie adorari publicè, & publicè pingi cum radijs, illi verò, qui poſt centum ab hinc annos mortui ſunt cum fama ſanctitatis, non poſſunt publicè nec adorari, nec pingi pro Sanctis. An verò imagines non Beatificatorum ſine laureolis,& radijs, & miraculis poſſint domi retineri,& eas in Templo, aut alio publico loco cum alijs imaginibus non profanis ornatus cauſa apponere an liceat, affirmant communiter Doctores moderniores, & ſanè modò nullum adſit in ipſis imaginibus ſignum ſanctitatem præferens, nec videtur in decreto Vrbani VIII. præfato prohibitum.

Adde,quòd licere autumo pedes, & manus nondum beatificati oſculari, eiuſq; veſtes, capillos, & paginas accipere, ſiue viuus ſit,ſiue mortuus hic, qui fama ſanctitatis apud nos eluceſcit; hic enim cultus priuatus eſt,nec in Decreto Vrbani iſthęc prohibentur; limita tamen modò ex talibus demonſtrationibus non adſit ſcandalum aliorum, qui illum fortè non reputent virum iuſtum.

Cęterùm an in memoriam Sancti non Canonizati,nec Beatificati à Sede Apoſtolica,ſed ſolùm ſanctitatis,vel Martyrij famą celebris in eius Natali die ab operibus ſeruilibus abſtinere votum ei offerre, ieiunare, vel alia ſpiritualia exercere an liceat, affirmant *Bellarm.Sanch.& Bonac.* etiam taliter facta ab alijs ſciantur, modò à tota communitate non fiant publicè, ſed ſolùm priuatè, quia iſta à particularibus facta cultum priuatum ſolummodò redolent,quia non prohibetur;feſtum tamen diem publicum, vel publicum ieiunium celebrare, & publicum votum offerre nullo modo licere docent, quia iſta eſſent publica teſtimonia ſanctitatis,quæ prohibentur omninò in memoriam eorum,qui a non ſunt beatificati,quare an benè agant illi,qui in defunctorum cum fama ſanctitatis,& Martyrij die mortis recurrente,campanas ſolemniter pulſant, Eccleſiam aulęis feſtiuo modo ornant, ita vt maior ſolemnitas de Sancto aliquo Canonizato fieri nequeat,videant Ordinarij locorum, ad quos ſpectat, an iſthęc ſapiant cultum publicum in Decreto Vrbani VIII. prohibitum in memoriam eorum, qui ab Eccleſia non ſunt relati in numerum Beatorum;nam licèt aliqui ſimulent celebrare feſtum alicuius Sancti ea die occurrentis, in veritate tamen illius viri non beatificati intendunt memoriam celebrare.

Adoratio imaginum Sanctorum an liceat.

DIFFIC. XI.

ADoratio imaginum Sanctorum licèt fuerit ab Iconomadis hæreticis reſecta, tamen ex antiqua Eccleſiæ traditione ab ipſo Chriſto approbata, qui ſui imaginem vultus in linteo Veronicæ reliquit impreſſam, & Romæ publicè quot annis adoranda in Eccleſia S.Petri oſtenditur, & aliam ſui vultus imaginē ad Abagarum Regem Edeſſæ ab ipſo miſſam fuiſſe ſcribunt *Damaſc.lib.4.de fid.c.17. Euang.lib.4.Hiſtor.c.26.& Niceph. lib.2. c.17.& Synod. act.4.* refert,& approbat miraculum de imagine Chriſti à Nicodemo depicta, quæ contumelijs, & vulneribus à Iudęis affecta ſtatim ſanguinem emiſit,& S.Syluester legitur habuiſſe apud ſe imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli, quas Conſtantinus Imperator confeſſus eſt eſſe eorum effigies, qui ſibi apparuerant, demum in *Conc.Trid.* vſus Sacrarum Imaginum approbatur tamquam verè Catholicus Sanctiſſimus, & Antiquus.

Nec obſtat illud *Exod.*20.quod afferunt pro ſua impia ſententia tuenda præfati Iconomachi, vbi dicitur: *Non facies tibi ſculptile,neq; omnem ſimilitudinem*,quia,vt notant *noſtri Alenſ.3.p. q.30 & D.Bonau.in 7.diſt.9.a.1.q.2.*quos ſequitur *Vaſq.3.p. diſp. 104.ibi*, & in conſimilibus locis hic ſolùm prohibetur vſus ſculptilium, & imaginum Hebræis tamquam procliuibus ad idolatrandum, qui non ad prototypum, ſed ad ipſum materiale ſculptile adoratione ferrerentur, hinc clarius loquens *Moyſes Leuit.* 26. ait: *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile, nec titulos erigeritis,neq; inſignem lapidem ponetis in terra noſtra,& adoretis eum, ego enim ſum Dominus Deus veſter*, ex qua ſcriptura apparet prohiberi ſculptile, quod eſt propriè Idolum, Idolum autem ex *Origene homil.8.in Exod.*eſt ſimulacrum rei non ſubſiſtentis, ideòq; Iouis,v.g. dicitur Idolum,quia Iuppiter verè non eſt,vndè adoratio non fertur in prototypum; Deus ergo condemnat ſculptile,& imagines,quatenus ſunt Idola,ideſt rerum non ſubſiſtentium, & quatenus ſolùm Adoratio fertur in materiam ſimpliciter.

Cęterùm abſolutè non fuiſſe condemnatas imagines in ordi-

ne

ne ad verè ſuos Sanctos prototypos, conſtat *ex c. 25. Exodi*, vbi præcipitur poni imaginem Cherubim ſuper arcam, & *Num. 21.* fieri ſerpentem æreum, & *7. Synod. act. 4.* notat in parietibus templi adornatum, præterquamquod ſi in memoriam Virorum Illuſtrium, & ſapientum, vt ſunt Reges, Principes, Philoſophi, Poetę, & Oratores, licet imagines, & ſtatuas erigere, quare in memoriam Chriſti, & B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum non licebit imagines, & ſtatuas habere, vt ex viſibilibus eorum formis pro hoc ſtatu ad aſpectus contemplandos, & adorandos auidius, & vtilius feramur,

Quod autem aſſerunt hęretici vſum Imaginum damnatum fuiſſe in *Conc. Conſtantinop. 5.* reſpondeo illud potius fuiſſe Conciliabulum, & ideò reprobatum, & damnatum fuit. Item in *7. Synod. can. 100.* non prohibetur vſus ſacrarum imaginum, ſed abuſus fortè ab ipſis hæreticis introductis, in pictura redolens laſciuiam, vel ſuperſtitionem: Deniq; nec obſtat, quòd *in Conc. Elibert.* dicant hæretici fuiſſe prohibitum vſum Sacrarum Imaginum, nam, vt refert *noſter Fauent. ex Suar. & Alan.* illud Concilium non fuit generale, ſed Prouinciale ſolùm, in quo non vſus imaginum ſimpliciter, & abſolutè damnatur, ſed ſolùm prohibitum fuit, ne depingerentur in parietibus in ſua Prouincia, quia deformitatem in parietibus depictæ Imagines facilè patiebantur in illis locis. Tandem quod afferantur ab hæreticis, quod aliqui PP. Sancti reprobauerint vſum ſacrarum imaginum, dico, quod ab ipſis vel cõfitæ fuerunt illæ authoritates, vt patet in *7. Synodo*, in qua ab hæreticis duo teſtimonia *Epiphanij contra ſacras imagines*, allata tamquam apocrypha, & falſa, & ab Epiphanio non ſcripta, reprobata fuerunt, vel ſaltem dicendum, quòd Sancti Patres, & Epiphanius præcipuè contra Colliridianos hæreticos, qui Beatiſſimam Virginem, tamquam Deum adorabant, eius imaginem cultu Diuino, ſeu Latria adorandam prohibebant,

Vtrum inuiſibilis Deus, & Angelus corporea Imagine liceat repræſentari. DIFFIC. XII.

SOlus *Durandus* inter Catholicos *DD.* hucuſq; à me repertus fuit, qui *in 3. diſt. 9. q. 2.* reprobauit vſum imaginis Sanctiſſimæ Triadis, & Angelorum ſub forma corporea, ex eo quia falſa eſt repræſentatio ſubſtantię ſpiritualis ſub forma corporea. Attamen communiter Theologi ſecuti Catholicum ritum Sanctæ Eccleſiæ approbant vſum imaginum Sanctæ Triadis, & Angelorum, vndè non obſtare aiunt inuiſibilitatem ſubſtantiæ ſpiritualis, ne imagine aliqua corporea valeat reprçſentari; nam licet nec Angelus, nec Deus, quatenus eſt ſubſtantia ſpiritualis cadere valeat ſub noſtro ſenſu, & per conſequens vt ſubſtantia ſpiritualis eſt, reduplicatiuè depingi nequeat; at verò ſub illa forma corporea, ſub qua aliquando in ſcriptura ſacra apparuit, cur depingi non poterit? hinc Deus Pater ſub ſpecie Senis *Daniel. cap. vlt.* Spiritus Sanctus in Euangelio ſub ſpecie Columbæ, & Verbum caro factum eſt, & teſte *Auguſtino lib. 2. de Trin. cap. 11.* Trinitas apparuit Abrahæ *Geneſ. 58.* vbi dicitur: *Tres vidit, & vnum adorauit*; & *lib. 11. de Trinitate*, concludit, quòd hiſce imaginibus Deum depingi non eſſe damnabile, Angelos quoque ſub forma corporea apparuiſſe ſcripturæ paſſim loquuntur, vndè non inconuenit eos ſub tali forma depingi; Vide *noſtrum Fauent. & Aret. loc. cit. & Bellarm. in T. 2. contron 4. lib. 1. cap. 8. Vaſquez 3. p. queſt. 25. ar. 3. diſp. 102. Azor. 1 p. lib. 9. cap. 7. quæſt. 2. & 3. Bonac. 1. præc. Decal. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 3.*

An liceat adorare hominem, tamquam imaginem Dei. DIFFIC. XIII.

IMaginem Dei eſſe in homine certum eſt, ex illo *Geneſ.* dicto: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Dubitant ergo iure DD. an liceat hominem adorare tamquam imaginem Dei, nam ſi imago Dei manualiter facta ab homine, multò magis homo, qui ab ipſo Deo proprijs manibus, vt ita dicam, factus eſt ſui imago perfectiſſima, ad quod dubium optimè, vt ſemper ſolet reſpondet *D. Angelicus 3. p. q 25. a. 3.* non eſſe intrinſecè malum adorare hominem tamquam imaginem Dei, ſeu potius tamquam efformatum ad imaginem Dei, ſed non expedire, quia homo non eſt imago Dei inſtituta ad oſtendendum ſuum prototypum, ſed ad demonſtrandam excellentiam hominis inter alias creaturas; vndè poſſet oriri ſuſpicio, ſi adoratio Diuina daretur homini, quod non daretur ei, quatenus imago Dei; præterquamquòd

Poſſet etiam reſponderi ex doctrina *noſtri ſubtiliſſimi Doctoris*, non licere adorare hominem tamquam imaginem Dei, quia homo eſt Imago Dei inuiſibilis ſub forma inuiſibili non autem viſibili, quatenus ſcilicet propter tres potentias, ſcilicet intellectum, voluntatem, & memoriam formaliter diſtinctas in vna eademque anima rationali indiuiſibilis eadem vna eſſentia Diuina in tribus reprçſentatur, hic autem eſt ſermo de Imagine viſibili reprçſentante Deum ſub aliqua forma viſibili, ſub qua apparere dignatus eſt aliquando.

Quænam adoratio præſtanda ſit ſacris Imaginibus. DIFFIC. XIV.

PRo huius difficultatis reſolutione diſtincta, notandum, quòd Adoratio quatenus fertur in ſacram Imaginem, tripliciter accidere poteſt, vel quatenus ſimpliciter fertur ad materiam eius coloratam, vel igneam, auream, lapideam, & huiuſmodi, atque ita ſemper execranda eſt, cùm res inſenſibilis nullius ſanctitatis ſit per ſe capax; ſecundò poteſt ferri in imaginem, & Prototypon ſimul, & ſemel, ita vt terminus adorationis ſit prototypon in imagine, atque adeò abſoluta adoratione, qua prototypon per ſe deberet adorari ſeiunctim, adoratur ſimul cum imagine ſua, & imago cum ipſa; tertiò poteſt ferri Adoratio in imaginem, quatenus eſt exemplar ſui prototypi, & in hoc tertio ſenſu variant DD. quanam adoratione ſit adoranda, abſoluta ne ſui prototypi, an verò reſpectiua. Quare

Henricus de Gand. quodl. 1. q. 6. in cuius ſententia etiam citatur noſter Franc. de Mayr. diſt. 9. licèt mihi non videatur loqui ſecundum ſenſum Henrici, tenet, quòd imagines Dei, Chriſti, & Sanctorum debent adorari minori adoratione in eo genere, quo adorantur earum Prototypi, quare vult imagines Dei, & Chriſti adorandas eſſe minori latria, quæ ab ipſo vocatur hyperdulia, & imagines cęterorum Sanctorum, ſi ſint B. Virginis, minori Hyperdulia, reliquorum verò minori dulia, quę *in 7. Synodo*, dicitur veneraria Adoratio.

Verùm communior ſententia Theologorum eſt, imagines adoratione reſpectiua in eodem genere adorationis, quo adoratur ſuus Prototypus, non autem abſoluta, eſſe colendas; hinc imago Dei, & Chriſti latria reſpectiua, Beatiſſimæ Virginis Hyperdulia etiam reſpectiua, & cęterorum Sanctorum Dulia quoque reſpectiua adoranda eſt, & hanc adorationem reſpectiuam, qua imagines ſacrę, quatenus ſunt exemplata ſuorum Prototyporum coluntur venerariam adorationem vocet prçfata *ſeptima Synodus*, & ratio eſt, quia in ipſa imagine, vt exemplatum eſt ſui prototypi, nõ abſolutè ſanctitas, & excellentia aliqua eſt, quæ per ſe ſit cauſa adorationis, ſed in quãtum habet reſpectum ad vnum prototypum, ergò non abſoluta adoratione, qua ſuus Prototypus, ſed reſpectiua ad ipſum in eodem genere adoranda imago, quia eodem motu fertur quis in exemplatum, quo in prototypon, licèt non ita intenſo, quo in Prototypon, ſeu exemplar. Quare

Adoratio iſthęc reſpectiua ſemper eſt minor, ſicut minori amore amatur imago viri ab vxore, maiori autem, & intentioni ipſe realis vir, vndè adoratio reſpectiua minori etiam ſigno adorationis oſtenditur extrinſecè, quod patet ex præcepto, & ritu Eccleſiæ, quo habetur Crucifixi imagini faciendam ſolam profundam inclinationem, auguſtiſſimo tamen Sacramento genuflexionem, & tamen latria adoratur Chriſtus in Cruce, & in Sacramento, quia verò Chriſtus in Cruce depictus eſt ſolum exemplatum Chriſti Domini in Cęlo, & Chriſtus in Sacramento eſt ille verè Chriſtus, qui eſt in Cęlo, non autem exemplatum, ideò latria ſola reſpectiua, quę minor latria eſt adoratus Chriſtus in Cruce depictus, & in Sacramento abſoluta latria adoratur, vndè iura Eccleſia minori adorationis ſigno, ſola ſcilicet inclinatione Chriſtus in Cruce depictus, & maioris adorationis ſigno, ſcilicet genuflexionis adorandus præcipitur in Euchariſtia; Ita ex noſtro *Alenſ. 3. p. qu. 30. memb. 2. ar. 3. Suar. 3. p. diſp. 54. ſect. 4. Valden. T. 3. diſp. 6. qu. 11. Vaſqu. 3. p diſp. 108. cap. 3. 4. & 5.* vbi citat *Capreol. & Sot. Laym. tract. 3 cap. 5. Azor. p. 1. lib. 9. cap. 6. q. 1. Fillinc. tract. 21. cap. 1. Cl. Reg. lib. 4. cap. 3. Bonac. in 3. Præcep. Decal. diſp. 3. q. 3. punct. 3.*

Adde etiam in hac difficultate illud notatu dignum, quòd vna imago eiuſdem Prototypi maiori reuerentia colitur, quàm alia, ex eo quia per ipſam Prototypon maiora beneficia protulit, vel

ali-

aliqua pręcipuæ eius operationis argumenta ſunt demonſtrata, vt patet in miraculoſis imaginibus Chriſti, Mariæ Virginis, & Sanctorum, quod ex eo prouenit, quia maiori reſpectu deuotionis fertur quis in Prototypon, quo maiora beneficia per ipſam à prototypo recepit, maius enim beneficium maioris amoris eſt cauſa, & conſequenter maioris adorationis.

An maiori adoratione ſit veneranda Crux, in qua mortuus eſt Chriſtus, quam aliæ Cruces.
DIFFIC. XV.

RESpondent communius Theologi eodem genere latriæ reſpectiuæ adorandam eſſe Crucem, in qua mortuus eſt Chriſtus, quo aliæ Cruces, ſed duplici titulo reſpectiua latria adoratur illa Crux vna; primo quidem titulo adoranda eſt, quia repræſentat Chriſtum Crucifixum, & mortuum in ipſa; ſecundò adoranda eſt ratione contactus, quia in ipſa mortuus eſt, & ſanguine proprio decorata, & ratione huius contactus etiam adoranda eſt latria reſpectiua ſibi propria; latria verò ſub primo titulo eſt communis ſibi cum omnibus alijs Crucibus, hinc fit, vt alterius Crucis particulæ non poſſunt adorari poſtquam Crucis figuram perdiderunt, quia eum non repræſentent Chriſtum Crucifixum, & mortuum in Cruce, non habent amplius cauſam Adorationis. At verò particulæ ligni Crucis, in qua mortuus eſt Chriſtus, poſſunt adorari latria, licèt perdiderint formam Crucis, quia remanet in eis titulus contactus ipſius Chriſti, ratione cuius quælibet etiam eius particula debet adorari latria; Ita *noſt. Fauent. & cæteri DD. cit.*

Quenam adoratio competat clauis, ſpinis, veſtibus, capillis Chriſti, & cæteris inſtrumentis ſuæ Paſſionis.
DIFFIC. XVI.

EAdem adoratione, qua imago Chriſti Crucifixi, latria ſcilicet reſpectiua, adoranda eſſe quæcumque inſtrumenta paſſionis Chriſti, ſicut ſunt Crux, claui, ſpinę, flagella, & quęcumque alia, etiam quæ ratione contactus Chriſti ſanctificata fuerunt, communiter docent Theologi, quod patet ex eo, quia cuncta iſta habent reſpectum repræſentatiuum Chriſti, vel paſſionis eius, in cuius memoriam venerantur, ergo eadem adoratione reſpectiua adoranda ſunt, qua eorum prototypus Chriſtus; Crux enim etiam ſine Chriſto Crucifixo repræſentat Chriſtum in ea extenſum, & mortuum fuiſſe propter noſtram ſalutem, ergo cum habeat reſpectum huiuſmodi reducendo nobis in memoriam Chriſti mortem, debet latriæ reſpectiuæ adoratione coli, ſicut etiam claui, lancea, ſpongia, Præſepe, veſtes, & capilli Chriſti, ſi qui extarent, & alia contacta à Ieſu Domino noſtro eadem latria reſpectiua adoranda ſunt, quia, vel vt inſtrumenta paſſionis, vel vt receperunt contactum Chriſti, ſi habent reſpectum repræſentatiuum Chriſti tanquam Prototypi, in cuius memoriam venerantur, & ita dicendum eſt etiam de veſtibus, & alijs inſtrumentis officij, vel Paſſionis cęterorum Sanctorum, quod Hyperdulia reſpectiua ſi ſint B. Virginis, Dulia verò ſi ſint reliquorum Sanctorum, ſint adoranda.

Quod ſi quis dicat, quòd etiam Aſina, ſuper quam aſcendit, terra, quam calcauit, & impia manus, quę alapam infixit Sanctiſſimæ Chriſti faciei, ratione contactus deberent adorari latria reſpectiua, reſpondeo ex doctrina *Damaſcens lib. 4. cap* 12. quòd non omnia contacta à Chriſto ſumpſerant ex contactu rationē Adorationis, ſed ſolùm illa, quę habent aliquam circumſtantiam, qua Chriſti ſingularis actus aliquis, vel effectus pertinens ad ſalutem noſtram, vel Patris honorem, ipſum Ieſum repræſentare poſſunt tamquam Prototypon alicuius ſacræ actionis, vndè terra à Chriſto calcata, quia à cęteris etiam calcabatur non eſt adoranda, quia non repræſentat ſpecialem Chriſti actionem, ſicut nec Aſinam, quam aſcendit decet adorare etiam ſi alijs vſibus deputata non foret, tum ex indecentia obiecti, tum etiam quia ille contactus non fuit ordinatus ad repræſentandum Chriſtum, manus porrò impia, vt pars erat impij miniſtri percutientis, erat potius execranda reſpectu miniſtri, cuius erat pars; Item nec erant adorandi infirmi, quos tetigit Ieſus, quia ille contactus ordinatus erat ad propriam vtilitatem infirmi, non autem ad repręſentandum Chriſtum Redemptorem.

An Beata Virgo Maria, & Chriſti Diſcipuli ratione contactus adorandi ſint latria. DIFFIC. XVII.

NEgatiuè omninò reſpondendum eſt, quia Beatiſſima Virgo Maria, & Apoſtoli habent per ſe, & abſolutè fundamētum ſanctitatis, vndè ſi tribueretur eis honor latriæ reſpectiuæ ratione contactus Chriſti, videretur tribui eorum ſanctitati, & excellentiæ, non autem reſpectu ſui Prototypi; Ita ex *noſtro Fauent. D. Tho. Vaſq. Azorio, Filliuc. & Bonac.* Adde, quòd Beatiſſima Virgo Maria, & Apoſtoli non fuerunt contacti à Chriſto, ita vt ex illo contactu poſſent repræſentare Chriſtum ſub aliqua ratione particulari; vndè non habent ratione contactus aliquem reſpectum ad Chriſtum tamquam ad Prototypum, in quo poſſit fundari ratio adorationis latrię in ipſis, puta noſtræ Redemptionis, vel alterius boni.

Denique concludendum nullum viuens ratione contactus Chriſti, vel Sanctorum habuiſſe rationem adorationis latriæ reſpectiuè, ne idolatrandi priſcis illis pręcipuè temporibus daretur facilis occaſio.

An lapillis, qui ex Ieruſalem reuehuntur ſit aliqua adoratio adhibenda. DIFFIC. XVIII.

DIcendum videtur, quòd iuxtà qualitatem Sanctorum, quos aliquo modo repræſentant præfati lapilli, debetur adoratio reſpectiua eius generis. Quare lapilli deſumpti ex ſepulchro Chriſti, & alijs habentibus aliquem reſpectum ad Chriſtum latria reſpectiua colendi ſunt, ſi è ſepulchro Virginis, Hyperdulia, ſi de lapidibus ſanctificatis ex contactu, vel actione Apoſtolorum reſpectiua Dulia venerandi, & in praxi habetur, quòd Eccleſia permittit huiuſmodi lapillos in publicis, & priuatis Reliquiarijs inter alias reliquias apponi. Verùm non ſingulis lapillis adductis ex Ieruſalem debetur Adoratio, vt malè faciunt multi, ſed ſolùm ijs, qui habent aliquod fundamentum contactus, vel actionis Chriſti, vel Apoſtolorum, vndè fundetur reſpectus, qui efficiat in ipſis veram cauſam Adorationis.

An ſicut qualibet Crux adorari debet latria reſpectiua, quælibet enim lancea, & cætera inſtrumenta Paſſionis eadem ratione ſint adoranda.
DIFFIC. XIX.

RAtio difficultatis huius eſt, quia ſicut non ſolùm adoratur latria Crux, in qua Chriſtus mortuus eſt, ſed etiam omnes aliæ Cruces, ita etiam non ſolùm videntur adorandi claui, & lancea, quibus transfixus fuit Dominus noſter, & cętera alia inſtrumenta Paſſionis, ſed etiam omnes alij claui, & lanceę, ad quam dubitationem negatiuè reſpondent communiter DD. & diſparem eſſe dicunt rationem de Cruce, & de cæteris inſtrumentis *ex 6. Synodo can 73. & 7. Syn. act 6.* quia quælibet Crux poteſt repræſentare Chriſtum in ipſa extenſum; Crux enim immediatè viſa reducit in memoriam pretium Redemptionis noſtræ in ipſa exhibitum, vndè ſancitum eſt, vt numquam amplius pro reis ſuſpendendis, nec pro alijs vſibus deputentur Cruces, ſed tamquam repræſentatiuæ immediatè Paſſionis, & noſtræ ſalutis honore debito proſequantur; at verò alij claui, & aliæ lanceæ, & cætera inſtrumenta non ſunt repræſentatiua immediata Chriſti crucifixi, nec noſtræ ſalutis, ideò Diuinum latriæ honorem non merentur, vndè alijs viribus inſeruire permittuntur. Porrò quando Cruci coniuncta ſunt dicta inſtrumenta, vel in aliquo actu proximè repręſentatiuo Paſſionis, tunc adorari poſſunt latria reſpectiua, ſicut Crux; Ita etiam *noſter Fauent. & DD. præcitati.* Verùm antequam ad alia tranſeamus, non videtur abſurdum aliqua de ſanguine Chriſti difficultare.

Quenam Adoratio conueniat ſanguini, qui effluxit à venis Chriſti. DIFFIC. XX.

QVia difficultas iſta multis fortè videbitur inſulſa ex eo, quia putent non reperiri de facto ſanguinem illum ſacratiſſimum, qui à venis Saluatoris effluxit, ideò prius decidenda videbitur iſta.

An

An de facto reperiatur in hoc mundo aliqua ſacroſancti ſanguinis particula, qui à latere, vel venis Ieſu Chriſti emanauit. DIFFIC. XXI.

IN hac ſolemni difficultate variant DD. *D. Tho. 3 p. q. 54. a. 2. in corp. art. & ad 3.* ſuſtinet nullam omninò particulam ſanguinis emanati à corpore Saluatoris Crucifixi hodie reperiri in terris, ſed totum reaſſumptum fuiſſe à Chriſto In Reſurrectione, quòd autem ſanguis Chriſti videatur ſeruatus, & veneratus in multis Eccleſijs, hunc miraculoſum eſſe ab aliqua imagine Chriſti miraculosè emanatum putat, & quidem de iſtis miraculis multa extant exempla, & præcipuè apud *Athanaſium in lib. de Paſſ. Imaginis Ieſu Chriſti*; vbi narrat ab Imagine Chriſti lancea perforata à Iudæis ſanguinem effluxiſſe, quo aſperſi ægroti, ſanabantur, & Epiſcopum illius Ciuitatis ad varias Eccleſias miſiſſe particulas dicti ſanguinis, ſcribit præfatus Doctor.

Ratio autem *D. Tho.* quare ſanguis totus reaſſumptus fuerit à Chriſto in reſurrectione eſt hæc, quia ſanguis pertinet ad perfectionem humanæ naturæ, ergo ſi totus ſanguis reaſſumptus non fuiſſet, non reſurrexiſſet cum perfectione humanę naturę; ſententiam hanc *D. Th.* ſecutus eſt præcipuè *Turrecre. in c. Inſtitut. de conſecr. diſt. 2.* & præcipuè *ex Decreto Clem. V I. extra. de Pœnit. & remiſſ.* & habetur *in Directi. Inquiſ.* vbi decernitur ſanguinem Chriſti ſemper vnitum fuiſſe Verbo, ergo reaſſumptus à Verbo in reſurrectione, aliter Verbum pluribus vnionibus nouis daretur vnitum corpori, & particulis ſanguinis relictis in terra, quod videtur omninò abſurdum (licèt *noſter Baſſolius* hoc abſurdum non reputaret) Confirmant quoque hanc ſententiam ex eo, quia ſi in triduo Apoſtolus conſecraſſet ſanguinē Chriſti, verè conſecraſſet ſanguinem vnitum Verbo; ergo ſanguis reaſſumptus fuit cum corpore à Verbo. Cęterùm aliqui ex noſtris præcipuè *D. Iacob de Marchia*, vt tradunt *Fauent. in 3. diſp. 52. & Vulp. T. 1 p. 4. diſp. 7. a. 4.* cōtrariū docet, & *Sylu. in Roſa aur. q. 30. Caiet. & Medina, & alij Thomiſtæ*, primā putant probabiliorē, hanc autē dicunt non eſſe improbabilē; probatur autē primò ſentētia B. Iacobi *ex auct. Pij II.* qui in Bulla ad Abb. S. Mariæ Lātonenſis Diœc. edita 141. ait non repugnare veritati fidei Redemptorem noſtrum de ſanguine ſuo proprio ob ſui memoriam aliquam partem in terram reliquiſſe, & in litteris datis ab eodem *Pio II. ad noſtrum B. Iacobum de Marchia* fatetur ſe contrarium non determinaſſe.

Probatur ſecundò ex *Niceph. lib. 1. hiſtor. cap. 30.* habetur, quòd Maria Virgo, & Ioannes ſanguinem, & aquam à latere Saluatoris emanatum honorificè ſimul, & religiosè in vaſculo aſſeruaſſe, & *Syluest. in Roſ. aur. tract. 2. ſuper Euangelium feriæ v. infra octauam Paſchatis*, narrat à Carolo II. Rege Siciliæ in loco ſibi à Magdalena reuelato inuentum fuiſſe vaſculum plena terra, quæ ſanguinis Saluatoris fuerit permixta, ſeq; illud vaſculum vidiſſe teſtatur Syluester, & clauos, & ſpinas, lanceam, & ſudarium ſanguine reſperſa Saluatoris cerni aiunt, qui ea inſpexerunt.

Sanè, quod hæc opinio ſit magis pia, & probabilior mihi certum eſt ex præfatis teſtimonijs fide dignis, nec valet, quod ait *Vaſq. 3. p. diſp. 36.* ſcilicet remanſiſſe ſanguinem Chriſti in præfatis inſtrumentis, ſed non ſub forma ſanguinis, quia ſi non adeſt forma ſanguinis in dictis inſtrumentis, & vaſculis, ergo non adeſt ſanguis; forma enim eſt, quæ dat eſſe rei: irriſoria igitur eſt reſponſio *Vaſq.* dum ſanguinem ſine forma ſanguinis putat reperiri.

Caietanus autem, & *Medina*, vt vtramque opinionem concilient, diſtinguunt de duplici ſanguine, quorum alterum pertinere volunt ad conſiſtentiam, & veritatem naturæ humanæ, ſine quo homo non poſſet viuere, & habet formam ſtabilem, & eſt vehiculum ſpirituum per cęteras partes corporis, nutrimentalem dicunt alterum, eſtq; ille, qui generatur ex cibo, & vocatur propriè humidum nutrimentale, atque adeò in principio dicitur ros, in medio motus dicitur cambium, & in fine motus dicitur gluten, quaſi conglutinans alia membra: Primum ergo genus ſanguinis affirmant iſti DD. ſemper vnitum fuiſſe Verbo, & conſequenter totum reaſſumptum in Reſurrectione, & de hoc loqui volunt primam opinionem, & Decretum Clem. VI.; ſecundi autem generis ſanguinem vtpotè non pertinentem ad veritatem naturæ humanæ non fuiſſe vnitum Verbo aſſerunt, & hunc relictum fuiſſe in terra non repugnat fidei, vt ait *Pius II.* & teſtimonia allata verè dici poſſunt.

Quamquam diſtinctionem iſtam probabilem aliqualiter puto, tamen præfati DD. eam probabiliter reijciunt, quia, vt aiunt, quòd

Ex *Ariſt. 2. de part. animal. c. 3.* Omnis ſanguis eſt nutrimentalis, & à natura inſtitutus, vt ſit alimentum toti corpori, ſicut aqua oleribus, & plantis, & ideò per venas, tamquam per riuos diffunditur per totum corpus, & eſt talis, vt proximè conuertatur in carnem. Quare *noſter Vulpes* de mente *Scoti* talem diſtinctionem de duplici ſanguine putat non eſſe admittendam, ſed alio modo ad præfatam difficultatem reſpondendum.

Noſter ergo *Doctor ſubtilis in 4. diſt. 8. 9. 1 §.* de veritate huius Sacramenti docet, quòd ſanguis numquam fuit actualiter vnitus Verbo, ſed ſolùm potentialiter, quatenus ſcilicet ipſe ſanguis eſt in potentia, vt conuertatur in carnem à Verbo aſſumptam: Ex qua doctrina ſequitur, quòd ſanguis non pertineat actualiter ad perfectionem actualem naturę humanæ, ſed ſolùm potentialiter, & conſequenter non repugnat ſanguinem remanſiſſe in terra, quia non erat neceſſariò reaſſumendus totus, cùm poſt reſurrectionem non indigeret nutrimento, ad quam neceſſariò requiritur ſanguis, ſed ſi fuerit reaſſupta aliqua pars ſanguinis, hoc ſolum putat *Vulpes* ex hac doctrina *Scoti* reaſſumptum fuiſſe ad decorem vulnerum, & venarum; hæc autem reſponſio, quam affert *Vulpes*, licèt non ſit improbabilis ad mentem *Scoti*, ſpeculatiuè loquendo, tamen ad mentem ipſius *Scoti*, & maiorem præſentis difficultatis dilucidationem.

Dico, quòd cùm ex *noſtro ſubtili Doctore* Verbum aſſumpſerit totam naturam humanam, & omne, quod pertinet ad veritatem naturæ humanæ perfectæ organizatæ, ſequitur, quòd verè actu aſſumpſerit ſanguinem tamquam pertinentem ad veritatem naturæ humanæ perfectè organizatæ, vt poteſt colligi ex ipſo *in 4. diſt. 44. q. 1. §. de ſecundo principali, & loc. cit. diſt. 8. q. 1. §. de vnitate*, diſtinguit, quòd: *Corpus Chriſti poteſt accipi ſtrictè, prout includit partes animatas anima Chriſti, cuiuſmodi non eſt ſanguis, licet ſit in potentia propinqua, vt conuertatur in carnem animatam, & ſic corpus eſt aliud eſſentialiter à ſanguine, & in ſe poteſt eſſe aliud ſignatum; alio modo corpus poteſt accipi, vt omnia illa includit, quæ pertinent ad verum corpus organicum, ſiue ſint partes animatæ, ſiue ſint alia non formaliter animata, vt humores, & ſpiritus, & hoc modo ſanguis eſt aliquid corporis*; Itaque ſanguis ex *Scoto* pertinet ad corpus perfectè organizatum, ergo neceſſariò aſſumptus, & reaſſumptus à Verbo tanquam pars corporis perfectè organizati.

Cęterùm quia ex doctrina eiuſdem Doctoris non omnes partes corporis in Reſurgente in reſurrectione generali reſurgent, ſed ſolùm illæ, quas natura ex intentione magis fecit eſſe partes illius corporis, & ſunt illæ ex *Scoto*: *quæ adueniunt, vt augeant, non autem illa, quæ adueniunt, vt reſtaurent, ergo reſurget corpus ex illo, quod primo cōtractū eſt a parentibus, & alijs partibus generatis ex Nutritione propter augmentationem debitam corpori vſq; ad quantitatem ſufficientem illi corpori*, & infra reſpondens ad obiectionem, quòd non eſſet eadem caro in reſuſcitato, quam habuit ante mortem ait: *Dico, quòd non habebit præciſè eamdem, quam habuit in aliquo inſtanti, vel aliquo tempore vitæ ſuæ, ſed nec habebit totam illam, quam habuit in aliquo tempore præter illam, quam contraxit à parentibus.* & loquens infra ſecundùm aliam opinionem, ait: *Hoc autem probabile eſt, quòd corpus illud reparabitur ex partibus purioribus, quæ aliquando fuerunt partes huius corporis, ergo habebit totum illud, quod contractum eſt ex parentibus, quia hoc fuit puriſſimum, & de alijs genitis ex nutrimento ſemper purioribus vſq; ad quantitatem ſufficientem toti corpori.* Sequitur ex doctrina *Scoti*, quòd reſurgens partes ſanguinis ſolùm puriores habebit, alium verò ſanguinem impuriorem non eſt neceſſe, quòd reſumat, ex qua ſolida doctrina patet apertè non ſolùm quid ſenſerit *Scotus* in hac materia contra *Vulpem*, verùm etiam quid reſpondendum ſit pro concilianda vtraque opinione, & pro reuerentia Decretorum, & teſtimoniorum, quæ fuerunt allata pro vtraque parte.

Chriſtus ergo reſurgens ſolum illum ſanguinem puriorem reaſſumpſit, illum autem impuriorem non fuit neceſſarium, quòd reaſſumeret, ergo ſanguinis Chriſti aliqua pars potuit remanere in vaſculo à Virgine aſſeruata, vel in terra, in Cruce, In ſyndone, in clauis, in ſpinis, lancea, & cæteris inſtrumentis; purior autem ſanguis pertinens tamquam pars integralis ad corpus perfectè organizatum, potuit remanere in ipſius corde, vel iecore, quod dicitur fons ſanguinis, vndè ſi quis conſecraſſet in illo triduo ex ſuis Apoſtolis verum ſanguinem conſecraſſet vni-

tum Verbo hipoſtaticè, quia tunc aliqua particula ſanguinis ſaltem erat, vel in corde, vel in iecore, vel reſeruata in venis ad veritatem corporis organici retinendam, vel ſaltem ſi probabile eſt ſecundùm *Scotum diſt.* 12. *in* 3. Verbum per diſtinctas vniones fuiſſe vnitum corpori, & animæ.

Probabile eſt etiam, ſi totus contendatur ſanguis effuſus fuiſſe Verbum vnitum particulari vnione cum illo ſanguine puriori magis neceſſario ad veritatem corporis organici, qui erat neceſſariò reaſſumendus, & ex hac doctrina poteſt vtique opinioni Pontificijs decretis, & teſtimonijs, & obiectionibus allatis fieri ſatis.

An autem coincidat hæc doctrina Scotica cum diſtinctione allata Caietani moraliter dum ſcribo certum eſt, quòd in modo conciliandi opiniones coincidunt ferè, ſed in modo ponendi ſanguinem pertinentem ſpeculatiuè ad veritatem naturæ humanæ diuerſa eſt doctrina vtriuſque, ex quibus

Collige, ſanguinem Chriſti effuſum in Cruce, qui neceſſariò erat reaſſumendus poſt reſurrectionem ad veritatem, & perfectionem corporis organici vnitum ſemper fuiſſe Verbo, nec ab ipſo fuiſſe dimiſſum, vt probat multis rationibus *noſter Beatus Joannes à Capiſtrano in libello manuſcripto*, qui reperitur in bibliotheca Conuentus noſtri Ordinis dictæ Terræ Capiſtrani.

Ad difficultatem ergo poſitam ante reſolutionem huius, quænam ſcilicet Adoratio competat ſanguini à latere Chriſti in Cruce effuſo.

Reſpondeo diſtinguendo ſecundùm ſuperiorem doctrinam, quòd ſi ſit ſermo de ſanguine illo puriori pertinente ad veritatē corporis organici, ſi in illo triduo repertus fuiſſet effuſus, adorandus fuiſſet vera latria, quia erat vnitus Verbo, vtpotè neceſſariò reaſſumendus iuxtà doctrinam *B. Ioannis de Capiſtrano*; ſi verò ſit ſermo de ſanguine effuſo non pertinēte pręcisè ad veritatem corporis organici, cuius particula poteſt hodie vtique conſeruari, latria reſpectiua eſſet adorandus talis ſanguis, quia verè fuit vnitus aliquando vel actualiter, vel ſaltem potentialiter; ſanguini autem Chriſti conſecrato adoratio latriæ abſolutæ debetur, quia ex vi conſecrationis verè reperitur ſub illis ſpeciebus vnitus Verbo, vndè ab Eccleſia genuflexio eadem tamquam eiuſdem Adorationis ſignum ſtatuitur danda ſanguini Chriſti conſecrato, quę datur corpori conſecrato, vndè non placet aliquorum opinio, quòd ſanguis Chriſti conſecratus in Calice adoretur eadem adoratione, qua Crux, nam iſta non habet in ſe vnitum Verbum, ſicut ſanguis conſecratus; benè tamen verum eſt, quòd particulis ſanguinis Chriſti reſeruatis datur eadem adoratio latria reſpectiua, quæ Cruci.

Idem dicendum de ſanguine miraculoſo, qui emanauit ex aliqua imagine Chriſti, quod etiam latria reſpectiua ſit adorandus, quia licèt non fuerit vnitus hypoſtaticè Verbo, tamen repræſentat ſanguinem illum pretioſum, qui modò vnitur Verbo.

Vtrum autem ſanguis ille, qui ex aliqua hoſtia conſecrata miraculosè effuſus in multis locis reſeruatur debeat adorari latria abſoluta, an reſpectiua; Dico, quòd ſi probabiliter opinentur aliqui, adhuc ex vi conſecrationis vnitum Verbo eſſe, neceſſariò adorandum conſequenter latria abſoluta, & coram illo expoſito genuflectendum; quòd ſi probabiliter opinioni eorum ſtandum ſit, qui volunt ſanguinem illum poſt miraculum immediatè dimiſſum à Verbo, quia non eſt amplius ſanguis conſecratus, ſed miraculoſus, reſpectiua ſolùm latria eſt adorandus.

Vtrum Reliquiæ Sanctorum ſint adorandæ.
DIFFIC. XXII.

ADorandas eſſe reliquias Sanctorum, & deuota Religioſitate ſeruandas, definitum eſt de fide *in Conc. Carthagin. Mogunt. Bracard. & Trid. ſeſſ.* 23. præterquamquòd honor ipſis debitus ex miraculis ad ipſarum contactum, vel præſentiam factis, clarè patet. Nomine autem Reliquiarum intelliguntur corpora, oſſa, veſtes, & ſi quæ Sanctorum corpora, vel reliquias inuoluerunt, vel adhibita ſunt ab ipſis Sanctis actionis honeſtæ, vel ſacræ gratia, vndè confunditur luce clarius perfidia non ſolùm antiquorum, verùm etiam recentiorum hæreticorum, maximè *VVicleſ, Zuinclij, Lutheri, Caluini*, & aliorum negantium honorem præbendum Reliquijs Sanctorum, qui Templa fuerunt Spiritus Sancti, & modò regnant in Cęlis pro nobis intercedentes.

Nec nouus eſt in Eccleſia honor reliquiarum, nam *in ſeptima Synodo act.* 1. habetur eſſe traditionem Apoſtolicam, & 4. *Reg. cap.* 13. per oſſa Eliſei ſuſcitatus fuit mortuus, & *in Act. Apoſt. c.* 19. ſudaria Pauli ad infirmos deferebantur, & alia multa *in ſeptima Synodo, & apud D. Auguſtinum lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. de miraculis*, repetiuntur pro hac veritate.

Quòd ſi dicatur eſſe contra rationem adorandas eſſe Reliquias, etenim in cadauere, & ipſius reliquijs fit reſolutio vſque ad materiam primam in ſententia etiam multorum Catholicorum; materia autem prima non eſt ſufficiens cauſa adorationis in ipſis Reliquijs; nam non facit hæc obiectio contra honorem debitum Reliquijs, quia omiſſa diſputatione quid remaneat in cadauere poſt diſceſſum animę (nam Scotiſtę faciliter reſponderent, ſubſtinentes remanere formam corporeitatis, quæ fuit in ipſo corpore viuente) dicimus, quòd ſaltem cum materia illa prima fuerit informata anima illius Sancti repræſentat illum, vndè poteſt adorari reſpectiuè ad illum Sanctum, cuius aliquando materia fuit. Adde, quòd in ipſa remanent accidentia, quæ fuerunt in corpore illius Sancti, ergo habent aliquod fundamentum, ſuper quod fundari poteſt reſpectus tamquam cauſa adorationis, quòd ſi nullum remaneat accidens, per quod dignoſcatur fuiſſe de corpore alicuius Sancti talis reliquia, ſufficit, quòd conſtet oſſa, & conſimilia fuiſſe vel de corpore, vel recepiſſe contactum, vel actionem alicuius Sancti; fides enim certa harum conditionum eſt fundamentum tutum, vndè poſſunt adorari reliquiæ, ex quibus collige, quòd

Reliquiæ reſpectiua adoratione colendæ ſunt in eodem genere, in quo colitur eius Sanctus, cuius ſunt Reliquiæ, hinc Reliquiæ Chriſti adorandæ ſunt latria reſpectiua, Reliquiæ Virginis hyperdulia reſpectiua; Vide noſtros *Aretinum, & Fauentinum diſt. 9. in 3. Bellar. lib. 1. de Sacr. c. 1. & ſeq. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 11. punct. 5. & 6. Azor. T. 1. lib. 9. c. 8. Suar. T. 1. 3. p. diſp. 55. Sanch. in ſum. lib. 2. c. 43. Bonac. loc. cit. punct. 4. & alios.*

Vtrum Reliquiæ Sanctorum adorandæ ſint abſolutè, an ſub conditione. DIFFIC. XXIII.

REſpondent communiter Théologi poſſe abſolutè adorari eas Reliquias, quæ publicè expoſitæ ſunt adorandæ ab antiqua Eccleſiæ approbata traditione, & recenter inuentas, aut expoſitas ex Papæ, vel Epiſcopi auctoritate, facta prius ab ipſis diligentia cum conſilio Theologorum, & hominum proborum, vt docetur *in Conc. Trid. ſeſſ.* 25. quia in tali caſu adorans bona fide adorat, nec imprudenter adoratur, quòd ſi errat, errat ſolùm materialiter, formaliter enim verè adorat Sanctum, cuius Reliquiæ præfata authoritate exiſtimantur communiter eſſe.

At verò ſi Reliquiæ non ſint publicè expoſitæ non requiritur tanta diligentia, vt poſſint abſolutè adorari, ſed ad hoc, vt poſſint priuatè adorari ſufficit teſtimonium fide dignum, vel probabilis coniectura, qua ſufficienter monetur quis ad prudenter iudicandum eſſe veras Reliquias; moralis enim certitudo ſufficit ad prudenter operandum abſque errore; Ita noſtri *Aret. & Fauent. Suar. Azor. Bonac. loc. cit. Vaſq. de Adorat. lib. 3. diſp. 3. c. 8. Paul. Laym. lib. 2. tract. 7. c. 5.* ex quibus

Aduerte primò, quòd Reliquiæ, quæ afferuntur cum Bulla Apoſtolica, vel cum atteſtatione alicuius Epiſcopi: (nam poſſe Epiſcopum approbare Reliquias extra Diœceſim, cùm non ſit actus iuriſdictionis contentioſæ, ſed merè voluntariæ, dicetur ex noſtris V. Epiſcopus, & docet *Sanch. in ſumm. l. 2. cap. 34. Suar. & Bonacina loc. cit.*) non debent denuò approbari ab Epiſcopo Diœceſano, ſed ſolùm recognoſci ab ipſo, an ſint illæ eędem Reliquiæ à Papa, vel ab Epiſcopo approbatæ; ita DD. cit.

Aduerte ſecundò, quòd Reliquiæ incertæ, vel Apocryphæ non poſſunt, nec debent commiſceri cum certis, & approbatis, vt cum ipſis adorentur: etenim non valet, vt aliqui ſibi perſuaſerunt, paritas de aqua benedicta, cum qua commixta non benedicta, fit benedicta, vt patet *ex cap. quod in dubijs, de conſecr. Eccl.* nam partes aquæ cùm ſint homogeneæ, ita propter liquiditatem commiſcentur, vt eadem appareat, vndè commixta ſi fuerit in minori quantitate ſanctificatur, quaſi intraneata cum priori benedicta, non ſic autem Reliquiæ, quæ cùm ſint partes Æthrogeneæ non poſſunt commiſceri, ſed ſemper apparent diſtinctæ; Vide *Bonac. loc. cit.*

Vtrum adoranda ſint illa Corpora Sanctorum, quæ in diuerſis locis dicuntur eſſe. DIFFIC. XXIV.

Affirmant Theologi, modò in dictis locis eadem corpora ſint expoſita ex antiqua alicuius Eccleſiæ approbata, vel tolerata traditione, vel ſaltem authoritate Papæ, vel Epiſcopi, nam certè affirmandum eſt, quòd, licèt in vno loco non ſit corpus talis Sancti, reputatur ſaltem ſit corpus alicuius alterius Sancti ſuppoſiti loco illius, vndè ſi erratur in conditione, dum reputatur eſſe corpus illius Sancti, & tamen eſt alterius Sancti, non tamen erratur in ſubſtantia, quia verè adoratur corpus Sancti alicuius: Ita præfati DD. & *Armilla v. Canonizatio n.2.* Vide *Layman tract. 7. c. 5. & alij.*

An verò in tali caſu poſſit piè credi miraculũ multiplicati corporis eiuſdem in diuerſis locis ad Sancti honorem, & Populi deuotionem, ſi quantitas, qualitates, & alia accidentia correſpondeant in eodem corpore putato in pluribus, ſanè omnipotentiæ de poſſibili, & benignitati Diuinæ de facto id piè crederem non repugnare, licèt non ſit neceſſarium, nec fortè ſine ſpeciali reuelatione expediens id de facto affirmare, vt tangetur *v. Miraculum.*

Adulatio.

Quid ſit Adulatio. DIFFIC. I.

Adulatio iuxtà ſui nominis ætimologiam à verbo, adulor, emanat, quod à nomine Græco, δολος, quod ſonat noſtro idiomate, ſeruus, deriuatur ſecundùm aliquos, vel quia adulari eſt alicui ſeruire blandiendo, vel quia adulari propriè eſt ſeruientium, vndè aliqui hòc verbum, Adulor, ab aula volunt prouenire, quaſi ſolum in aula, & apud Aulicos reperiatur Adulatio, ſed quicquid ſit, de eius definitione quid nominis quò ad definitionem quid rei; Ita à noſtro *Alenſ. 2. 2. tract. de Adulat.* definitur.

Adulatio eſt peccatum ex ſermone vanæ laudis alicui exhibitæ ratione complacendi; laudare enim aliquem, de quo non eſt laudandus, vel pluſquam eſt laudandus, vel non eo fine, quo fieri debet, eſt adulari. Ita etiam colligitur *ex 6. q. 1. Sunt plurimi, & 71. d. §. Alias, & 11. q. 3. Nemo peritorum, & d. 47. Sunt nonnulli.*

Quotuplex ſit adulatio. DIFFIC. II.

Dico primò, quòd Adulatio poteſt accidere quatuor modis; primo laudando bonum, quod non habetur in perſona laudata; ſecundo augendo bonum, pluſquam in ea ſit; tertio laudando malum, ſeu vitium, quod habet quis, prædicando illud tamquam bonum, & virtuoſum; quarto, minuendo malum, ſeu vitium, quod quis habet non eſſe tam graue, vt alij putant.

Dico ſecundò, quòd regulariter loquendo, priores duo modi veniales ſunt, niſi adſit contemptus Dei, vel fidei, vel eius, qui laudatur, & etiam aliquando eius, qui laudat; tertius autem, & quartus modus ſemper eſt mortalis, ſi materia ſit mortalis, quod ſi materia ſit venialis, etiam adulatio erit venialis; Ita ex *noſtro Alenſ. loc. cit.* ex qua doctrina, vt diſtinctiùs procedatur

Dico tertiò, quòd tria ſunt genera adulatorum, quidam enim ſuis verbis, vel factis tenent medium modum in laudando, & delectando eos, cum quibus conuerſantur; ita etiam vt, cùm expedit, defectus non taceant, imò iuxtà occaſiones reprehendunt, & iſti dicuntur comici, qui regulariter laudant, & delectant, & parabolicè defectus cuiuſcumq; ætatis proponunt, & arguunt; iſti autem ſeruato modo honeſtatis non peccant, vt dicetur *v. Comedia,* quidam verò recedentes à medio, committunt defectus in magis laudando, & delectando, & in magis contriſtando aliquos, quàm par ſit, ſicut ſunt buffones vulgo, ſeu ſcurræ Principum, quibus videtur licere, vt Principibus ſuis placeant, nominatim ſingulorum defectus proponere, aggrauare, imponere, & deridere, & hi paſſim grauiter peccant, niſi fortè materia ſit admodum leuis, & ſolùm triſtitiam leuem inducant in proximum; Tertium autem genus eſt eorum, qui verbis ſolùm laudant, vt delectant, vt noceant, de quibus Dauid: *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Iſtius autem tertij generis

Dico quartò, quòd in triplici differentia poſſunt eſſe Adulatores, vt notat *noſter Alenſ.* aliqui enim dicunt malum eſſe bonum, vt foueant homines in peccatis, & hoc eſt mortale ſecundùm *Iſaia 5. Væ, qui dicitis bonum malum,* limita niſi materia eſſet admodum leuis, vt patet in præcitata diſtinctione 25. ſecundo ſunt, qui adulantur, non vt alicui noceant, ſed vt alicui proſint, vel complaceant, & iſtud eſt veniale, ſi verò adulentur, vt alteri proſint intentione etiam alteri nocendi, mortale eſt, ſi damnum ſit mortale; tertiò, ſunt qui adulantur circa ea, quæ non ſunt peccata, nec proſunt, nec obſunt, attamen propter aſſiduitatem vanæ gloriæ laudis exhibendæ, contemptum Dei, qui ſolus, & ſemper eſt laudandus, vel ſui ipſius laudatoris generant, & poteſt eſſe mortale, vel in eo, cui adulatur, ſi ex adulatione ſuperbiat, vel in eo, qui adulatur, quia dat occaſionem alteri peccandi mortaliter.

Dico quintò, quòd laudare aliquem veraciter ad bonum finem non eſt adulatio, nec vitium; laudare autem aliquem propter bonum finem multis modis poteſt contingere. Primo propter honorem Dei, ſic Heſter laudauit Aſſuerum *cap. 15.* vt populum Dei liberaret, & Daniel laudauit Nabuchodonoſor *cap. 2. & 4.* propter eumdem finem; ſecundo poteſt accidere ad beneuolentiam captandam, & ita Paulus laudauit Feſtum *Act. 25.* vt captata eius beneuolentia euaderet à manibus Phariſeorum; tertio poteſt eſſe bonus finis laudandi aliquem vtilitas proximi, vndè *Paul. 1. Corinth. 10.* ait: *Omnibus per omnia placeo, & cap. 9. Factus ſum omnia omnibus, vt omnes ſaluos facerem;* quartò poteſt quis laudari ad bonum finem, ſcilicet vt faciliùs ſufferantur tribulationes, vt dicitur de *Noema Ruth. cap. 2.* quinto vt facilius etiam ſufferantur reprehenſiones, & ita Paulus laudauit Corinthios, vt ſecurius eos reprehenderet; vltimo poteſt quis ſine adulatione licitè laudari, ad finem, vt ait Seneca; Quo Virtus laudata creſcat.

Vtrum Adulator recipiens beneficium per adulationem incurrat Simoniam. DIFFIC. III.

Affirmant *noſter Alenſ.* quia accipere beneficium propter adulationem, reducitur ad munus ab obſequio, obſequiũ enim illud adulatorium habet rationem muneris; quod ſi ſoluatur propter beneficium recipiendum, & de facto propter tale munus adulatorium ſolutum, accipiatur beneficium, ita vt ſine illo non eſſet ſibi collatum, videtur ſimoniacum, ait *noſter Alexan.* quia verè datur aliquod temporale propter ſpirituale. *Innocentius* tamen, & alij volunt ſolùm committi ſimoniam mentalem ab accipiente beneficium propter adulationem; nullo autem modo committi ſimoniam realem, etenim volunt, quòd ſimonia realis propter res datas, non autem propter verba, quod ſanè mihi probabilius perſuadetur, quia in materia odioſa ſtricta facienda eſt interpretatio; vndè ſimonia realis non videtur extendi ad dantem verba, quæ propriè non æſtimantur res. Quare recipiens beneficium per adulationem etiam ſi committeret ſimoniam mentalem non tenetur reſignare, quia mentalis ſymonia non punitur reſignatione, ſed realis.

Adiuuare.

Adiuuare aliquem promittens an teneatur irrequiſitus? DIFFIC. I.

Punctus huius difficultatis in eo ſitus eſt, vt demonſtretur, an promittens adiuuare, vel defendere aliquem in aliquo caſu particulari, vel etiam vniuerſali teneatur ſtatim, atque ipſi notum ſit auxilio ſuo indigere, eum adiuuare, vel defendere, an verò poſſit in conſcientia expectare, donec fuerit requiſitus, vt promiſſum adiuuamen præſtet in præſenti indigentia.

Affirmant aliqui putantes, quòd caſus ipſe neceſſitatis ſtatim atque cognitus eſt ab eo, qui promiſit, conſtituit in mora culpabili promittentem, aliter vana eſſet promiſſio, niſi promittentem obligaret, quando neceſſarius eſt effectus promiſſionis.

Verũ tamen apud Sacros Canones aliter videtur deciſum, ſcilicet promittentẽ debere requiri de ſua promiſſione ad hoc, vt teneatur adimplere promiſſum; ita ex *cap. Breui de iur. iurand. cum ſua Gloſ. & Abb. in conſ. 49. num. 3. volum. 2.* nec obſtat, quòd caſus cognitus conſtituit promittentem in mora culpabili, quandoquidem quando contractus eſt factus in fauorem accipientis ſolùm, non conſtituitur in mora debens dare, niſi requiratur à debente recipere; talis enim contractus eſt ſtricti iuris, qui non obligat niſi poſt requiſitionem; vt fuſius fortè alibi.

An filius Vaſſallus teneatur magis adiuuare Patrem inuaſum, quam Dominum, DIFFIC. II.

POtius patrem inuaſum, quàm dominum teneri adiuuare filium vaſſallum, affirmant quidã, quia Patri tenetur filius ex iure naturæ, & etiam ex iure Ciuili, domino autem ſolo Ciuili iure, nec obſtare aiunt iuramentum fidelitatis domino præſtitum, etenim intelligendum iuramentum ſemper factum abſque præiudicio iuris naturæ.

Cęterùm in hoc caſu diſtinguendum iuxtà doctrinam communem Theologorum, & Canoniſtarum bonum, ſcilicet commune ſemper anteponendum bono particulari, hinc ſi Pater inuaderetur quòad bona, & Princeps quò ad Statum, in hoc caſu filius tenetur potius adiuuare Principem, quàm Patrem; præponderat enim bonum commune, quod reperitur in defenſione Status, bonis paternis particularibus; quòd ſi inuadatur quòad vitam Pater, & Princeps, tunc diſtinguendum eſt, nam ſi Princeps eſt abſolutè neceſſarius Reipublicæ, tunc tenetur potius adiuuare Principem, quàm Patrem propter eamdem rationem boni communis, quòd ſi Princeps non ſit adeò neceſſarius, nec per mortem illius periclitetur bonum commune, in hoc caſu currit doctrina prioris opinionis, teneri ſcilicet filium Vaſſallum potius adiuuare Patrem inuaſum, quàm Principem periclitantem.

An liceat furantem adiuuare ex metu incuſſo. DIFFIC. III.

SI metus incuſſus ſit cadens in conſtantem virum, puta mortis, putant aliqui, quòd excuſet adiuuantem ex tali metu eum, qui furatur, à peccato mortali, & obligatione reſtitutionis, quare volunt, quòd, ſi furans mandet alicui ſub pęna mortis, vt ſibi parato furari ſcalam teneat, inſtrumenta aptet, & furata aſportet, poſſit abſq; peccato ei parere; verùm aiunt, quòd ſi iubeatur ſub eadem pœna portas perfringere, & feneſtras intrare, non poſſit abſq; peccato mortali, & reſtitutionis obligatione iſta exequi ea ratione, quia à primis actibus eſt ſeparabilis malitia, non autem à ſecundis; Vide *Leſ. lib. 2. c. 13. dub. 4.*

Immò addunt alij poſſe etiam ex metu mortis incuſſo cum furante portas infringere, & cum ipſo furari; Vide *Nald. ver. Adiuuare*, quod probabile puto, modò id faciat animo reſtituendi data opportunitate, hoc enim propoſitum aufert ab actu malitiam, ſed de hoc fuſiùs infra v. Reſtitutio. Furtum.

Vtrum adiuuans aliquando plus puniatur, quàm ſi ſolus principaliter committeret. DIFFIC. IV.

DIco primò dari caſum, in quo committens aliquod crimen plus punitur adiuuando ſolum, quàm ſi ſolus idem crimen perpetraret; hinc occidens principaliter Titium Patrem Antonij puniretur tamquam ſimplex homicida, ſed ſi idem adiuuaret Antonium filium ad occidendum Titium eius Patrem, dicendus erit Patricida, & parricidio puniendus, quod crimen magis punitur, quàm homicidium. Patet ergo quomodo dantur caſus, in quo punitur plus adiuuans, quàm ſi ſolùm committeret idem crimen. Ita etiã *Hoſtien. in ſum. de his, qui occidunt Patrem.*

Dico ſecundò, quòd adiuuans aliquando in materia furti, & duelli pœnam incurrit, quam non incurrit principalis; hinc adiuuans vxorem, vel filium ad furanda bona mariti, vel Patris incurrit pœnam furti, licèt vxor, & filius non incurrat, vt patet *in cap. ſi quis vxori, de furt.* Quare excommunicationem latam contra furantem bona Patris incurrit adiuuans filium, non tamen ipſe filius furans; item adiuuans pugnare volentes in duello incurrit excommunicationem latam à *Greg.* non tamen illi, ſi duellum actu non ſequatur; ita etiam *Sayr. in Cl. Reg. lib. 3. c. 4. & Nald. hic.*

Adulterium.

Quid, & quotuplex ſit Adulterium. DIFFIC. I.

ADulterium quaſi ad alterius torum acceſſio eſt, vndè apud Sacros Canones, & præcipuè 26. q. 1. dicitur adulterium alieni tori violatio ad diſtinctionem ſimplicis fornicationis ponitur violatio tori, torum enim propriè eſſe lectum maritalem, ſeu coniugalem docent Iuriſtæ, itaq; adulterium ſolum committere eos, qui ad alienam vxorem accedunt, & vxores, quæ cum alienis maritis concubunt communiter volunt Doctores.

Adulterium porrò in prima ſui diuiſione duplex ponitur à noſtro *Alenſ. 2. 2. tract. de Adult.* alterum vocatur ſimilitudinarium, ſiue adulterium ex quadam iuris interpretatione, & tunc committitur quando quis ita ardenter amat vxorem, vt etiam ſi non eſſet vxor, adhuc vellet concubere cum ea, & è contrario, ita virum amat vxor, vt ſi non eſſet maritus, vellet adhuc concubere cum eo, & ſic intelligendum eſt *cap. Origo 32. qu. 4.* ſecundò adulterium dicitur reale, quando coniugatus, vel coniugata rem habet cum alio, vel alia, vel quando ſolutus, & ſoluta cum maritato, vel maritata.

Vtrum adulterium ſit peccatum grauiſſimum. DIFFIC. II.

SAnè quòad Deum, & in ratione culpæ maiora peccata communiter affirmant eſſe inceſtum, peccatum contra naturam, & beſtialitatem, verùm quò ad homines ratione fidei, & honoris polluti grauius exiſtimatur Adulterium, vndè maiori pęna, maximè in iure antiquo puniebatur, in quo ſtatuta fuit pœna capitis contra Adulteros, vt habetur *in c. Caſtitatis, c. de Adulter.* hodie tamen niſi ab altero coniuge accuſetur, nulla pœna iure Ciuili imponitur, iure autem Canonico antiquo verberanda detrudebatur in Monaſterio vxor Adultera, hodie verò fit ſeparatio à Iudice Eccleſiaſtico, & in tali caſu mulier perdit dotem, & donata propter nuptias, & vterque adulter, ſcilicet tam Vxor, quàm Maritus, amittunt ius petendi debitum; Ita communiter.

Adulterium an poſſit ſola præcedente fama à Iudice puniri. DIFFIC. III.

AFfirmare videtur inter Iuriſtas *Andreas*, poſſe ſcilicet Iudicem ſine accuſatore, ſola præcedente fama inquirere, & procedere contra Adulteros, quia adulterium eſt crimen publicum, *l. 1. §. Si publico, ff. de adulter. & gloſſa* aduertit *in cap. 1. de off. ordinan.* quare Iudex tunc poterit ex officio inquirere in crimine Adulterij, quando frequens fama laborat contra Adulteros, quia tunc fama ſuccedit loco accuſatoris.

Attamen videtur probabilius contrarium ſentire *Matthæus de afflict. in conſtit. Neap. lib. 3. fol. 173. num. 9.* qui vult, quòd viro non accipiente vxorem in adulterio nemini liceat connubia Matrimonij fœdare, *ex l. ſi conſtante, & l. Miles, §. ſi voluit, & l. ſine me, ff. de adulter.* Verùm ſi vir accuſauit ſemel Vxorem, & poſtea deſiſtit, tunc poſſunt alij procedere ad accuſationem per dictã *l. ſi conſtante*, & per *l. Quamuis 2. c. de adulter.* ſi nihil conſtat publicè de Adulterio, nõ poteſt extraneus accuſare, ſed ſi vir accuſauit vxorẽ, & pepercerit, tunc alij poſſunt accuſare per *l. vim paſſam, ff. de adult.* & ſi nullus accuſat, in tali caſu tamẽ poterit Iudex procedere ex officio, aliter Iudex nullo modo poterit ex officio contra adulteros procedere, nã ſi hoc poſſet, vt quidã Doctor exclamat: Multorũ quotidie, & ferè omniũ connubia fœdarentur, vel ex turpis lucri gratia, vel odio, cum magno, & expreſſo Reipublicæ dedecore; Ideò ſalubriter ſtatutum per dictas leges, quòd nemini liceat accuſare, nec Iudici ex officio procedere, niſi prius vir ſuam adulteram accuſauerit.

Verùm, quòd aliquando poſſit Iudex ex officio procedere contra Adulterum probat *Thomas Gramaticus in deciſ. R. Neapol. deciſ. 31.* vbi ait, quòd quando crimen adulterij ore proprio confeſſa eſt adultera, tunc poteſt Iudex procedere, & punire, & ita fuiſſe practicatum, teſtatur in Curia Neap. contra quamdam Caſſandram, quòd fuiſſet fuſtiganda, à qua ſententia cùm fuiſſet appellatum, fuit poſtea in Monaſterium incurabilium detruſa.

Adulterium quomodo dicatur notorium. DIFFIC. IV.

DIco primò, quòd Adulterium dicitur notorium, vt colligitur *ex cap. fin. & cap. Tua, de cohabit. Cler. & Mulier.* quando vir habet vxoratam in eadem domo, menſa, & lecto, imò etiam quando vir, & mulier deprehenduntur in latebris ſeſe oſculantes, vel alios actus adulterio proximos perpetrantes, vt *ex l. ſi quis non dicam rapere, C. de Epiſc. & Cler.* Verùm etiam

Dico ſecundò, quòd poterit dici notorium adulterium commiſſum, ſi ſolus deprehendatur cum ſola in loco ſecreto; ita *Bartol. in d. l. & præcipue in l. 2. de fur. in prin.* vbi ſic ait: *Idē dico, ſi aliquis deprehendatur in domo alicuius, vbi pulchra eſt mulier, certè hunc facit adulterum manifeſtum, & ita debet intelligi l. cap. 5. ff. de adulter.* vbi poſt gloſſam dicit *Bart. Nota ergo ſi teſtis dicit, quod eum inuenit in Camera ſolum, vel oſculantem, vel tangentem, & iſta ſufficiunt ad probationem adulterij, & de hoc eſt expreſſio Textus in cap. 1. de teſt. & in cap. litteris, & in cap. 3. de præſumption.* & ponderat *noſter Vngarell. hic ſcholio S.* quod *Barthol. in d. l. ff. de furt.* intelligendus ſit iuxtà ea, quæ dixit in *l. cap. 5.* quòd non ſolùm ſi videat teſtis tangentem, ſed etiam ſi exeat de loco ſuſpecto. Quare

Dico tertiò, quòd vt teſtis probet adulterium, non eſt neceſſum, quòd reddat cauſam per ſenſum corporis, ſed ſufficit, quòd reddat cauſam, ex qua præſumitur ſenſus corporalis præſumptione iuris; Ita *Bald. in Auth. quas actiones in fin. C. de ſacroſan. Eccl.* & ſequitur etiam *Barth. in repet. l. penult. ff. ſi cert. pet.* ſicut enim ſufficit ſenſus remotus ab actu, ita ex eo præſumitur actus, vt in eo, qui vidit ſcholarem exeuntem de domo meretricis de nocte, nam præſumitur fornicatio, vt *in l. neq; natales, de probat.* vbi *Bald. in 1. colum. V.* ſed contra hoc ſic loquitur: *ideo dicit Ia. Bu. quod probatur aliquam eſſe meretricem non probato tactu, ſed probatis circumſtantijs veriſimilibus, vt quia paſſim intrabant domum ſcholares die, ac nocte, quia quando ſcholaris loquitur cum puella, non præſumitur dicere Pater noſter;* Vndè illud commune dimanauit proloquium: *Solus cum ſola non præſumitur dicere Pater noſter,* quod intelligendum verum ex loci ſolitudine, ex rerum paritate, diſparitate, & diuerſitate, ex quibus inducitur præſumptio inhoneſtatis, vt colligitur etiam ex *c. 2. de cohab. Cler. & Mulier. & c. Clericus diſt. 81.*

Quæ omnia iſta, licèt potiùs ad forum fori pertineant, quã ad forũ poli, volui tamē hic apponere, vt prudens Confeſſarius moneat fœminas, quarum audiunt confeſſiones, ne paſſim ſolę cum ſolis vmquam in cameris, & locis ſecretis alloquantur, nam præſumptio contra eas facillimè oritur, quòd ſint inhoneſtæ, & ſcandalum generant in mentibus audientium, vel videntium, præterquamquòd contra eas poteſt iuridicè etiam procedi.

Vtrum Adulterium poſſit excuſari ſine culpa factum.
DIFFIC. V.

Diſtinguunt Iuriſtæ; nam vel adulterium committitur ex ignorantia facti, quia ſcilicet putabat concubere cum proprio marito, & tamen cum adultero coiuit neſcienter præciſo omni dolo, vel commiſſum fuit adulterium per abſolutam coactionem, cui nullo modo, nec verbis, nec factis reſiſtere poterat fœmina, nullo modo animo conſenſit turpitudini, & in hiſce duobus caſibus excuſari poteſt adulterium à pœna, & à culpa, vt docent omnes communiter, & *noſter Ang. v. Adulterium, §. 7.* in hiſce enim duobus caſibus ſanè eſſet inuoluntarium in fœmina Adulterium, inuoluntarium autem excuſat à pœna, & à culpa, hinc noſter *Vngarell. hic ſchol. P. ex Bart.* narrat caſum de quadam muliere, quæ conuicta à marito, quia inuenta ſine ipſo prægnans, & accuſata ad finem dotem acquirendi, & faciendi diuortium, ſe excuſauit, dicens ſe per violentiam, & coactionem concubuiſſe cum quodam Domino Magiſtratum gerente, & reſponſum fuit, quòd ſi violentia fuit abſoluta, nec prębuit aſſenſum, ſed cum diſplicentia ſui animi coiuit, nec peccauit, nec pœnam legis incurrit, ſi autem vis facta fuit conditionata peccauit, & pœnitentia indiget pro peccato, quia tamen ibi dolus non fuit, dum verè coacta fuit, pœnam legalem nullo modo incurrit.

Nec obſtat, ait *noſter Vngarell.* quia potuit clamare, & ſic vitare adulterium, quia pudor, & verecundia maximè tempore nocturno excuſat fœminam honeſtam à tali clamore, vt patet exemplo de Lucretia Romana, probatur etiã, quia vbi ad incurrendam pœnam requiritur dolus, non ſufficit culpa etiam lata, *ex l. 1. ff. de ſicca l. 1. ff. de inſtit. liber. vir. & l. Nerua,* & quod ibi notat *Bart. ff. de pœnis.*

Cęterùm quando quis eſt in culpa lata, & ſi legis pœnam non incurrat, ſi verè abſit dolus in toto rigore, debet tamen aliter puniri, ex *Bart. loc. cit.* & notat etiam *noſter Vngarell. in fin.*

Quòd ſi Adulterium non fuiſſet commiſſum ex ignorantia facti, vt hucuſque dictum eſt, ſed commiſſum fuit adulterium ex errore iuris, an excuſetur à pœna legis, variant Iuriſtæ, affirmat *noſt. Ang.* & citat pro ſua ſententia *Bart. in l. qui contra; & Panormitanum,* & expreſſum volunt *in l. ſi in lege, ff. de adulter.* vbi errantes in iure excuſantur à pęna inceſtus, & adulterij, quod etiam patet *in cap. Lucretiam, & cap. propoſ. 32. q. 5.* quòd excuſet error iuris à pœna corporis, & dotis amiſſione adulterium ex errore iuris commiſſum, probatur *ex l. Si adulterium, ff. de adulter. & arg. Auth. inceſtas nuptias, C. de inceſtis nuptijs.*

Contrarium tamen tenent multi Iuriſtæ, quòd ſcilicet error iuris non excuſat à pœna; Ita *Ioann. Anton.* & alij, ſed de hoc nos fuſius *v. Ignorantia,* vbi videbitur quomodo ignorantia excuſat à peccato.

Interim hic aduerte, quòd error excuſans à dicta pęna legis iuxtà priorem opinionem debet eſſe iuſtus, vt notat *noſter Ang. loc. cit. §. 3. in fin.* errorem autem iuſtum docet *noſter Vngare. l. hic ſchol. Q.* tunc incurri, quando ſcilicet habetur iuſta cauſa errandi, puta quia pręciſa omni malitia, & dolo credebatur licere aliquo fide ſibi digno affirmante, vel quia non credebatur conſanguinitas, vel affinitas, vel putabatur diſpenſatum.

Verùm, vt in hac materia dulcius reſpondeatur, diſtinguendum videtur adhuc cum *noſtro Ang. v. Dolus §. 2.* nam vel lex ordinans pœnam requirit verum dolum in tranſgrediente, & tunc non incurritur pœna ipſius legis, ſi fiat contra ipſam ex errore ipſius iuris, vndè *Ang. in l. Senatus, C. de his, qui adſcribi,* docet, quod creditur alleganti ſe ignoraſſe ius ad excludendũ dolum, & per conſequens à pœna, quæ imponitur; ex *Bart. in l. ſi quis in tantum, c. vndè vi,* ait, quòd ſi minor credens ſibi licere rem propriam ſine authoritate occupet, non incurrit pœnam latam, *l. ſi quis,* quia non eſt in dolo, & *Bald. in l. Sed & ſi lege, §. ſcire, ff. de pœnis,* ait, quòd error iuris excuſat ab inuaſione, ne quis dicatur pręđo, quia lex ordinans pœnam requirit verum dolum in tranſgrediente, eſt tamen alio modo puniendus quilibet talis errans, ſi adſit lata culpa in errore, quia lata culpa reddit aliquo modo errorem peccaminoſum; quòd ſi lex requirat in pœnę impoſitione dolum etiam pręſumptum, tunc committens contra legem ex quolibet errore iuris, etiam ſi ſit ignorantia craſſa, & ſupina non excuſatur à pœna.

Ita concludendum, quòd cùm lex in Adulterio dolum verum, non pręſumptum requirat, poterit error iuris excuſare à pœna legis, licèt adſit lata culpa, non tamen à peccato.

Vtrum Adultera in adulterio deprehenſa à Marito, poſſit ab ipſo licitè occidi. DIFFIC. VI.

Certum eſt apud omnes ferè adulteram in adulterio deprehenſam à Marito, poſſe illicò impunè occidi ab ipſo in foro fori, cùm leges Ciuiles huiuſmodi vxoricidium debitis circumſtantijs commiſſum permittant, nec puniant, quod autem in pręſenti difficultate enotandum eſt, an etiam id liceat Marito in foro conſcientiæ abſq; ſcrupulo peccati mortalis.

Affirmant Iuriſtæ multi non ſolùm, ſed etiam *Leſſius* cum quibuſdam alijs Theologis id probabile putauit ex eo, quia huiuſmodi Vxoricidium in tali caſu permiſſum eſt, & inſertum in corpore iuris à Chriſtianis Imperatoribus, qui in tali caſu conſtituunt Maritum publicum iuſtitiæ Miniſtrum.

Attamen iuxtà Sacros Canones omninò improbabilis cenſenda dicta opinio in foro conſcientiæ; etenim vt ſuperiùs viſum eſt, adhuc mulier deprehenſa in adulterio poteſt ſe accuſare, itavt pœnam legis non debeat ſubire, ergò non poteſt licitè occidi, ſed debet accuſari, & audiri iuris ordine ſeruato, hinc *Emmanuel Sà* correptus à Magiſtro Sacri Palatij non retulit tamquam probabilem hanc opinionem Iuriſtarum, cum contraria canonizata habeatur apud Sacros Canones, pręcipuè *33. q. 2. cap. Inter hæc,* vbi Nicolaus Papa ſcribit Alberto Archiepiſcopo non licere ſecundùm Eccleſiaſticas leges viro adulteram Vxorem interficere.

Vtrum Adulterio, ſeu alio illicito modo ab Vxore acquiſita communicanda ſint Marito. DIFFIC. VII.

Negant *Nauar. c. 7. n. 134. Graff. T. 1. conſ. lib. 5. de furt. Bonac. de contract. diſp. 1. q. 3 punct. 2. & Diana 3. p. tract. 17. reſol. 7.* quia putant nullum ius Marito acquiri de rebus contra iuſtitiam, & honeſtatem acquiſitis ab Vxore, lucrum enim iſtud tamquam infame horret honeſta ſocietas coniugalis poni in communicatione domeſticæ œconomiæ.

Attamen *Pet. Nauar. lib. 3. c. 1. n. 100. Mol. de iuſt. & Iur. T. 1.*

Digitized by Google

tract. 2. *Reginald. & alij*, aſſerunt etiam attento ſolo iure communi adulterio, ſeu alio modo illicito acquiſita ab vxore communicanda Marito, quod eliciunt *ex cap. debet. de Bigam. & ex cap.* 2. *de donat. inter vir. & vxor. & cap.* 3. *de ſponſal. &* 26. *q.* 2. *cap. cum ſollicitat.*

In qua tamen difficultate illud certum puto, quòd ſi Maritus conſentiat ad hunc finem adulterare ſaltem virtualiter, communicanda ſint ei omnia, quæ lucratur ex adulterio Vxor, quia honori ſuo cedit, quod eſt pretio æſtimabile, vndè non peccare Maritum puto contra voluntatem Vxoris conſumendo taliter acquiſita, quòd ſi neſciente Marito, & ipſo numquam conſenſuro, aliqua acquirat ex adulterio Vxor, non poſſe de eo diſponere poſtquam reſciuerit contra voluntatem Vxoris probabiliter exiſtimo, & ratio eſt, quia hæc bona acquiſita modo illicito preter voluntatem Mariti, vtpotè cum periculo ſui ſanguinis ad bona extranea vxoris pertinent, & conſequenter nō communicantur Marito, non tamen omninò improbabilē contrarium puto, itaq; non auderem prorſus damnare virum de talibus diſponentem contra voluntatem vxoris, cùm probabile admodum ſit iure ſocietatis marito acquiri huiuſmodi lucra illicita.

Quod autem dictum eſt in hoc caſu de Marito erga Vxorem, idem dicendum probabiliter puto de Patre erga filiam fornicariam.

Aduocatus.

Quid ſit Aduocatus. DIFFIC. I.

ADuocatus quaſi ad aulam vocatus dicitur ille, qui in iudicio apud eum, qui iuriſdictioni preeſt, amici deſiderium exponit, & deſiderio alterius contradicit, ita notat *noſter Angel. v. Aduocatus ex l. ſciendum, §.* 1. *& ibi per DD. & l. Paulus, & ibi Bart. ff. de legat.* pro quo nota, quòd habentes iuriſdictionem non ſolùm ſunt Iudices ordinarij, & delegati, ſed etiam arbitri, & compromiſſarij, nam apud hos etiam poſtulatur, vt aduertit *noſter V ngarell. hic ſchol. A. & l.* 1. *§. idem Senatus, ff. de poſtulat.*

Hinc conſulentes in Camera, vel allegationes in ſcriptis facientes, non dicuntur aduocati, quia non dicunt apud iuriſdictionem habentem, imò notat *noſter V ngarell. ſchol. B.* quòd loquens ſimpliciter extra iudicium cum Iudice, & cauſam alicuius ſuſcipiat, non appellatur Aduocatus, quia Iudici, vt Iudex eſt, non exponit in loco iudicij cauſam, ſed potius loquitur per modum commendationis, quod etiam videtur docere *Bart. in l.* 1. *§.* 1 *ff. de poſtulationibus.*

Adde etiam ex *noſtro V ngarell.* vnum notabile, quod ſi quis ſine pretio ſolùm gratis coram Iudice defenderet alicuius cauſam etiam in loco Iudicij propriè non diceretur Aduocatus, quia Aduocatus pretio ad aulam vocatur, vndè prohibitus aduocare, ſi ſine pretio id faceret, non incurreret pœnas contra prohibitos aduocare *per tex. in d. l. Paul. in fin. ff. de legat.*

Aduocatus deniq; debet eſſe iuris peritus, & ſtuduiſſe per quinquennium ſaltem, & iuramento Doctorum Collegij approbatus *ex l. Nemini, C. de addit. Iudic. & Bart. in d. l. Aduocatus*; Vide *Ang. noſtrum, & V ngarell. ibid.*

Aduocare an prohibeantur Clerici, & Religioſi. DIFFIC. II.

DIco primò, quòd Epiſcopi ob decentiam, & dignitatem ſtatus, ſicut cęteri Superiores Eccleſiaſtici prohibentur aduocare *ex* 11 *q.* 1. *c. Te quidem, & diſt.* 88. *c. perlatum, & c. Epiſc. c.* 14. *q.* 5. *&* 21. *q.* 3. & ratio eſt, tum quia, vt notat *noſter V ngarell. hic ſchol. L.* redderetur vilis perſona Epiſcopi, & Prçlati Eccleſiaſtici, ſi coram Iudice ſtaret, vt poſtularet, nam Aduocatus proponit ſtando *ex l. quiſquis, C. de poſtul.* & Iudex debet ſedere, tum quia niſi prohiberetur aduocare Epiſcopus, & Prçlatus Eccleſiaſticus facilè propter lucrum deſpiceretur onus euangelizandi verbi Dei, & ſpiritualis curæ ſuarum ouium, ad quod ſpecialius tenentur.

Dico ſecundò, quòd repelluntur ab aduocando Sacerdotes coram Iudice tàm laico, quàm Eccleſiaſtico propter eaſdem ferè rationes; verum quia in ipſis ſimpliciter non eſt tanta indecentia, nec tantum onus, permittuntur ciuiliter in quatuor caſibus aduocare; primò pro ſe ipſo; ſecundò pro ſua Eccleſia; tertiò pro ſibi coniunctis, quando alium non poſſunt habere, coniuncti autem intelliguntur ſolùm affinitate, & conſanguinitate carnali, non autem affinitate ſpirituali, vel amicitia, vt notat *noſter V ngarell. ſchol. M.* quia in carnali coniunctione eſt verum vinculum ſanguinis indiſſolubile, *l. iura ſanguinis, ff. de regul. iur.* in coniunctione autem amicabili ſolùm adeſt vinculum dilectionis ſaltem præſumptiuè, atq; adeò non ita obligat, ſicut vinculum ſanguinis; non improbabiliter tamen puto, quod etiam pro affine ſpirituali poſſit aduocare Sacerdos, quia adeſt vinculum etiam indiſſolubile canonicum inter affines ſpirituales, quod vinculo ſanguinis æquiparatur; quartò permittuntur aduocare pro perſonis miſerabilibus, vt ſunt pauperes, viduæ, orphani, pupilli, & ſimiles.

Dico tertiò, quòd initiati ſacris Ordinibus repelluntur ſolùm aduocare coram Iudice ſeculari, præterquam in caſibus quatuor ſupra poſitis, permittuntur tamen coram Iudice Eccleſiaſtico paſſim aduocare, modò ſine ſalario id faciant; poſſunt tamen ſponte oblatum accipere, vt docet *noſter Ang. §.* 6. *ex* 23. *q.* 1. *c. vn.* licèt referat idem *noſter Ang.* id hodie non ſeruari iuxtà *Gloſ. ibi*, quia nemo militat ſuis ſtipendijs, & *noſter V ngarell. ſchol. P.* notat, quod textus loquitur de Religioſis aduocari permiſſis in cauſa ſpirituali, qui nihil debent accipere.

Dico quartò, quòd Clerici in minoribus ſi ſint beneficiati, nō permittuntur aduocare, niſi in caſibus ſupra poſitis, ſi verò non habeant beneficium, vel non ſufficiens permittantur etiam coram laico Iudice in cauſis tantùm Ciuilibus cum ſalario quoque aduocare, in cauſis autem criminalibus nullo modo permittuntur *ex cap. ſententiam* 23. *qu* 8. & licèt aliqui velint, quòd poſſint etiam in criminalibus pro reo defendendo ſolùm aduocare, tamen tutiùs putant abſtinendum *noſtri* *Ang. & V ngarell. ex Gloſ. in d. c. ſententiam.*

Dico vltimò, quòd Religioſi repelluntur etiam ab aduocando, permittuntur tamen pro vtilitate ſui Monaſterij aduocare etiam coram Iudice ſeculari, ſi hæc duo concurrant, mandatum ſcilicet Superioris ſui, & cauſa Ciuilis ſui Monaſterij, non autem criminalis, vt patet *ex cap.* 1. *& cap. fin. de poſtul.* An verò poſſint aduocare, vt conuertatur ſalarium acceptum à Clientibus in beneficium ſui Monaſterij, affirmat *Innoc. in cap. cum de ſent. & re iudic. Panormit.* tamen *in cap. ex parte de poſtul.* probabilius conſulit abſtinendum, ne intereſſati habeantur, vmbram enim etiam mali debent vitare Religioſi; Arbitror tamen in camera poſſe conſulere, & allegationes facere in cauſis criminalibus, & pro tali labore aliquid recipere pro ſuo Monaſterio; labor enim honeſtus mercede dignus eſt, *ex Bart. in l.* 1 *ff de rar. p.* Vide *Ang. noſtrum §.* 13. *Panormit. in rubr. de poſtul.*

V trum aduocare prohibeantur aliqui etiam ſeculares. DIFFIC. III.

EXcludi ſolent à munere aduocandi varia perſonarum genera apud Sacros Canones, de quibus eſt ſermo 3. *q.* 7. *c. infames*, & ſolent à Canoniſtis includi hiſce verſibus.

Non cuicumque datur, quod poſtulet, imò negatur Addictus pęnæ, ſeruus, puer, Actor arenæ, luminibus carens, mulier, muliebra paſſus.

Prohibetur aduocare addictus pęnæ, ideſt condemnatus pro calumnijs *in l.* 1 *ff de poſtul.*

Prohibetur puer ſcilicet minor annis decem ſeptem, Aduocatus enim debet habere annos ſaltem decem, & octo; Procurator verò debet impleſſe annos vigintiquinq;, debet autem eſſe maior Procurator, quàm Aduocatus, quia ille obligat ſe, non autem Aduocatus, *ex l ſi minor, ff. de Procurat.*

Actor arenæ intelligitur in præſenti difficultate ille, qui mercede conductus, pugnat cū beſtijs in arena, quia eſt infamis ipſo iure, & ideò prohibetur aduocare, ſicut etiam ſub nomine Actoris arenæ prohibentur etiam aduocare, qui ludos periculoſos lucri cauſa publicè faciunt, quia etiam ſunt ipſo iure infames, ſed nota hic cum *noſtro V ngarello ſchol. Q.* quod qui exercendæ virtutis cauſa certat cum beſtia, vel periculo ſe committit in capiendis auibus ex altis turribus, vel fructibus colligendis ex altis arboribus, præciſo omni ludo ioculatorio, non prohibetur hic aduocare, quia iſti potius virtutem redolet, & publicam vtilitatem reſpicit, quàm vitium, & ludum.

Cęcus autem prohibetur aduocare, tum quia non pręſumitur operam dare ſtudio cauſarum, & præcipuè quia non poteſt Magiſtratum honorare.

Mulier porrò, & muliebra paſſus non permittuntur aduocare,

re, ſeu poſtulare propter honeſtatem, benè tamen verum eſt, quòd tam cęcus, quàm mulier pro ſe ipſis poſtulare permittuntur.

Denique nec hæretici, nec infideles alij permittuntur aduocare apud Chriſtianos Catholicos propter ſuſpicionem ne dogmata ſanctæ fidei contaminent, *ex l. Nemo, C. de Poſth. & cap. Excommunicamus 1. de hæreticis*; demum prohibentur etiam excommunicati vitandi, *ex 11. q. 3. c. excommunicatos.*

Porrò admittens Iudex hæreticos infideles, & excommunicatos ad poſtulandum grauiter peccat, vt patet *in d. c. excommunicatos, & in c. Nemo, vel in foro, de Pœnit. diſt. 1.* ſi autem admittat reliquos ante dictos ad poſtulandum, modò non adſit grauis contemptus, non peccat mortaliter, quia non adeſt præceptum de ipſis grauiter prohibens, ſicut in præfatis ex eo, quod non redundat eorum aduocatio in graue damnum, & præiudicium Eccleſiæ, vel fidei; Vide *Ang. noſt. & Vngarell.*

Aduocare an valeat quis contra eum, à quo beneficia recepit. DIFFIC. IV.

DIſtinguunt DD. nam vel aduocat, & poſtulat pro ſe, vel patre, vel matre impotentibus, vel pro miſerabili aliqua perſona, & ſic poteſt abſq; vitio ingratitudinis poſtulare contra eum, à quo recepit beneficium, quia quis tenetur magis ſibi ipſi, & parentibus, à quibus eſſe per generationem, & educationem accepit; Deo enim parenti, & Magiſtro non poſſunt æquales gratiæ referri, debet ergo omninò quis pro parentibus aduocare contra quemcumque benefactorem, quòd autem debeat etiam pro miſerabilibus perſonis impotentibus aduocare contra benefactorem quicumq; Iuriſta, patet *ex ſpeculo in Tit. de Aduoc. §. fin. verſ. quòd ſi per imprudentiam*, ex eo ſcilicet, quia maiori vinculo, de quo infra tenetur miſerabiles perſonas adiuuare, quàm benefactorem, vt colligitur *ex cap. Prouidendum, §. ſi quis verò, de poſtul.*

At verò ſi aduocationem ſuſcipiat pro alijs, quàm pro ſe, parentibus, & miſerabilibus perſonis contra benefactorem, ingrati animi pœnas incurrit, vt patet *ex cap. fin. de poſtul.* vndè benefactor poſſet reuocare donationem factam tali Aduocato, modò donatio fuerit gratuita ſimpliciter, ſi verò fuerit donatio facta ratione laboris non poterit reuocari, quia in hoc caſu donatio non eſt beneficium gratuitum, ſed ſuccedit loco mercedis debitæ pro labore.

Aduocatus an teneatur patrocinari pauperi extremè indigenti. DIFFIC. V.

CErtum eſt in omnium ſententia teneri Aduocatum patrocinari pauperi in extremo, vel etiam graui neceſſitate exiſtenti gratis, quando non habet verè, vndè conducat Aduocatum, & à nullo alio patrocinium eſſet habiturus, faceret enim contra charitatem, niſi eum adiuuaret, & habetur *in l. 1. §. ait Prætor, ff. de poſtul. & l. 1. §. nec quicquam ff. de off. præt.*

Quod verò controuertunt DD. eſt, an teneatur ad id ſub mortali, & quidem ſi damnum, in quod incurſurus eſt pauper ex carentia Aduocati eſt leue, ſolùm venialiter peccare Aduocatum liquidò patet. At verò ſi graue ſit damnum paſſurus pauper grauiter indigens ex eo, quod Aduocatus noluit illi præbere auxilium abſque mercede præſtita, quam verè pauper tribuere non poterat.

Negant *Caiet. 2. 2. q. 71. a. 1. & Nauar. c. 25. n. 20.* teneri Aduocatum ſub peccato mortali, cùm id ſimpliciter conueniat Aduocato ex voluntaria charitate, ergo ſi patrocinium, quod à ſua voluntate gratuita dependet, non præbet, nullo modo peccat mortaliter, quod vix capere poſſum quomodo teneatur ex charitate, & non peccet, charitatis obligationem in graue damnum proximi derelinquens, non enim differret ab eo, qui non tenetur, præterquamquod falſum videtur obligationem dependere ſolum à charitate voluntaria, cùm præcipiatur tale onus ex legibus ipſis Aduocatis, vt patet *loc. cit.* Quare

Probabilius, & tutius dicendum cum *noſtro Angelo*, §. 10. *Cl. Reg. lib. 12. c. 33. Sylu v. Aduoc. q. 18. Leſſ. lib. 2. c. 31. dub. 7. Azor. 3. p. lib. 13. c. 29. dub. 6. Salon. Ban. Aragon. 2. 2. q. 71. Valen. T. 3. diſp. 5. q. 15. Sot. lib. 5. q. 8. a. 2. Bonac. in 8. præc. Decal. diſput. 10. punct. 4. Filliuc. tract. 40. c. 1. q. 6.* & alij, quòd mortaliter peccet Aduocatus negligens gratis aduocare pro paupere grauiter indigente, quia eſto, quòd leges Ciuiles fortè ad id non obligent Aduocatum ſub mortali, tamen præceptum Domini *Matth. 22. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, obligat Aduocatum ſub mortali pauperi extremè indigenti patrocinari.

Attamen illud etiam certum puto in hac difficultate, quod non tenetur Aduocatus ſponte ſub mortali ſtatim ſuſcipere patrocinium pauperis, ſed ſolùm poſtquam eſt requiſitus, vt docet *noſter Ang.* immò in tali caſu, quo pauper graue damnum paſſurus eſſet ex carentia Aduocati, tenetur Iudex Aduocatum pauperi cõſtituere cum ſalario iuxta facultatem pauperis, vel etiam ſi non habeat, vndè ſoluat, cogere Aduocatum, vt gratis patrocinetur pauperi impotenti, ne iuſtitia opprimatur à potentiori. Adde, quòd in tali caſu renuentem Aduocatum, poteſt, & debet Iudex ab officio aduocationis ſuſpendere *ex l. prouidendum, §. ſi quis verò, C. de poſtul. a. 29. l. Moris eſt in princ. ff. de pœn. & in l. 1. ff. de off. Præt. Vrb.* quod etiam iubet lex de Tabellione nolente conficere inſtrumentum gratis pauperi impotenti, vt notat *noſt. Vngarell. ſch. T. & Bald. in d. l. Prouidendum.*

Quod ſtipendium poſſit accipere Aduocatus pro mercede ſui laboris. DIFFIC. VI.

DIco primò hodie non eſſe in vſu Iura illa adducta à *Gloſ. in l. ſalarium, ff. de mand.* quæ decernebant Aduocatum non poſſe, ſicut nec Procuratorem accipere pro ſalario vltra centum aureos in vna cauſa, imò reuocata fuiſſe iſta iura per *proham. 6.* docent Iuriſtæ, & notat *Sylu. n. 10.* Quare

Dico ſecundò, quòd Aduocatus poteſt ſolum ſtipendium taxatum à lege, vel conſuetudine ſecundùm regionis morem accipere, nam tenetur ſequi pretium legale, & conſuetudinem, ſicut debent ſequi reliqui Operarij, & mercede conducti, meritò enim laboris pretium conſtituit lex, vel conſuetudo, non autem propria voluntas, vt dirimantur lites, & diſſidia inter conducentes operas, & conductos, & bonum publicum ne impediatur, vel ex auaritia conducentium, vel ex cupiditate conductorum nimis effrenata, quòd ſi pretium non ſit taxatum à lege, nec præſcripta conſuetudine Regionis propter eaſdem rationes pretium taxandum indicio boni viri habita ratione laboris, dignitatis, & ſcientiæ Aduocati, & difficultatis cauſæ, aliter faciens Aduocatus peccat contra Iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem; ita etiam *noſter Ang. hic §. 15. D. Th. 2. 2. q. 61. a. 4. Salon. Ban. & Aragon. ibid. Tolet. lib. 5. c. 60. Regin. lib. 25. Filliuc. tract. 40. c. 10. q. 8. Bonac. loc. cit. Cl. Reg. lib. 12. c. 23.* Attamen

Dico tertio, quòd quando non adeſt pretium taxatum à lege, vel conſuetudine poteſt petere ſalarium Aduocatus, quod ſibi libet, antequam incipiatur lis, modò alius bonus Aduocatus reperiatur, quia dum reperitur bonus alius Aduocatus poteſt illum petere, ſi pretium primi rigoroſum videtur, quod ſi alius Aduocatus bonus non reperiatur, non poteſt ſalarium, quod ſibi libet, ſed ſolum moderatum, attento labore, cauſæ difficultate, & perſonæ dignitate iudicio boni viri, vt colligitur *ex 3. q. 3. §. arceantur in tex. & in gloſ.* Vide *noſt. Ang. & Sylu. loc. cit.* Cauſa autem quare, dum non adeſt pretium taxatum à lege, vel conſuetudine, poteſt paciſci de pretio ſibi grato, modò adſit alius Aduocatus bonus abſq; eo, quod ſe remittat iudicio boni viri, eſt hæc, quia dum adeſt alius bonus Aduocatus, præſumitur primus petere moderatum ſalarium, ne ab alio Aduocato eius petitio corrigatur.

Dico quartò, quòd lite iam incepta non poteſt paciſci de ſalario Aduocatus, quia eſſet occaſio magni mali in lite, & poſſet cogere clientem, vt daret ſibi ſalarium immoderatum, ne cauſam perdat; itaq; Aduocatus vel ante litem inceptam, vel poſt litem finitam poteſt de quantitate, & qualitate ſalarij petere à ſuo cliente iuxtà doctrinam modò traditam.

Dico quintò, quòd Aduocatus ſalariatus de publico pro cauſis ciuium, non poteſt ab aliquo ipſorum litigante aliquid accipere, ſicut nec medicus ab aliquo ægroto, ſi fuerit ſtipendiatus à publico, benè tamen à non litigantibus, & à ſanis, quia ſalarium pro litigantibus, & infirmis reſpectiuè ſolum conſtitutum à publico; ita etiam *Ang. noſt. & Sylu. loc. cit.* Denique

Aduerte, quòd Aduocatus lite pendente non ſolùm prohibetur paciſci de ſalario, ſed etiam contractum quemlibet facere cum proprio cliente, *ex l. quiſquis vult, C. de poſtul. & 3. quæſt. 4. §. item ſi quis*; benè tamen poteſt poſt finitam litem cum cliente contractum celebrare; Vide *Ang. noſtrum §. 13.*

Vtrum

Vtrum Aduocatus poſſit totum ſalarium promiſſum accipere in aliquo caſu, licèt ſuam operam non impenderit.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quòd Aduocatus conductus annua mercede pro litibus omnibus, quas eſſet habiturus, poteſt petere totum ſalarium, etiam ſi nullam litem habuiſſet eo anno; ratio eſt, quia per eum non ſtetit in cauſa laborare; Ita communiter Iuriſtæ; Vide *Matth. de Affiict. in Conſtitut. Reg. Sicil. rubr. 82 de ſalar. Aduoc. Gutier. pract. qq. lib. 1. q. 32. & Diana p. 1. tract. 15. reſol. 42.*

Dico ſecundò, Aduocatus ægrotans, nec potens adiuuare clientem, non debet reſtituere ſalarium, quod anticipatè datum fuiſſet, etiamſi cliens alium Aduocatum conduxiſſet, quia non eſt in cauſa per ſe, propter quam non ſeruiat clienti, ſicut eſſet, ſi voluntario impedimento detineretur; voluntariè enim impeditus, eſt per ſe cauſa damni, quod ex voluntario impedimento ſequitur, atq; adeò de damno tenetur; qui autem impedimento inuoluntario prohibetur, non dicitur cauſa damni, niſi ſolùm per accidens, cauſa verò per accidens non influit in damnum, atque adeò non tenetur ad damnum; Vide etiam hic *Nald. num.* 10. An autem Aduocatus poſſit petere ſalarium pro toto tempore infirmitatis, vix probabile exiſtimarem, tamquam clienti oimis graue, non tamen omninò hoc improbabile exiſtimarem, ſi Aduocatus in infirmitate egeret, vel ſi ex labore extraordinario in cauſa clientis incidiſſet in morbum.

Dico tertiò, quòd Aduocatus, ſicut & Medicus, & lector ſi moriatur intra annum probabile puto, quòd hæres poſſit petere ſalarium pro toto anno, quia per accidens eſt, quòd pro toto anno ſuam operam non impenderit, cum ſanè voluntario impedimento non prohibitus fuerit; ita docet *V mus opin.* 201. quem citat *Nald. vbi ſup.* probabilius tamen poteſt contrarium dici cum *Bonac. & alijs loc. cit.* ſaltem in foro conſcientiæ, in quo effectus potius opere, quàm affectus eſt computandus.

Dico quartò, quòd Aduocatus poteſt petere ſalarium promiſſum lite iam incępta, & terminata per amicabilem compoſitionem, tanto magis ſi cliens noluit proſequi, patet ex ratione ſuperius adducta, quia per Aduocatum non ſtetit ſuam operam impendere; Ita *noſter Vngarell. ſch. F.* & quamquam *noſter Rodriq. in ſum.* 1. *p. cap.* 4. hoc ſolum admitrit quando Aduocatus fuit mediator in compoſitione litis; Attamen *noſter Vngarell.* probabiliter putat ex æquitate deberi etiam totum ſalarium, licèt non fuerit mediator, quia per eum non ſtetit ſuam operam impendere. Quare

Dico quintò, quòd Aduocatus poteſt ſalarium promiſſum pro decurſu totius litis accipere integrum, quandocumque ob defectum clientis cauſa non fuit proſequuta, puta quia non vult proſequi, vel quia confeſſus eſt aiiquid cliens, ex quo hic, & nunc cognoſcitur cauſa eſſe iniuſta, atq; adeò in conſcientia non proſequenda; quod tamen limita, modò nullum adſit pactum inter eos, vt ſolùm pro rata temporis ſoluatur ſalarium, ſi lis non ſit proſequenda; limita tamen ſecundò, modò non proueniat litis ceſſatio ex aliquo impedimento, vel defectu voluntario Aduocati.

Immò *Bonac.* cum *Rebell.* docet vnum notabile, quod Aduocatus nec poteſt petere totum ſalarium, ſi ipſe optaret, ne lis proſequatur, vndè cliens non curat proſequi litem, quia tunc pro rata debet accipere, quod credo verum, ſi deſiderium tale Aduocati ſit cauſa priocipalis, propter quam deſiſtat cliens à lite.

Dico ſextò, quòd Aduocatus non debet integrum ſalarium accipere, ſi tota lis non proſequatur, quando interea alteri clienti inſeruiat, & maius, vel æquale ſtipendium habet, quia iam affectus laboris pręmiandus in lite incepta, & non finita, recipit effectum mercedis ab alio cliente, vndè ipſe propter affectum prioris litis, non remanet vacuus; Ita etiam docere videntur *Bonac. Leſſ. Rebell. & Reginal. loc. cit.*

Dico ſeptimò, quòd ſi ſtipendium, puta centum aureorum, fuerit promiſſum pro tota lite, poteſt illud exigere, etiam ſi breui tempore terminetur, ſi verò fuerit aſſignatum ſoluendum pro rata in ſingulos menſes, donec lis terminetur, tunc accipiet pro rata temporis, ſi lis non proſequatur, quia cenſetur ſtipendium aſſignatum habita ratione temporis; Vide *Cl. Reg. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum Aduocatus defendens propriam cauſam, & obtinens poſſit repetere ab aduerſario aliquid pro ſuo ſalario.

DIFFIC. VIII.

Diſtinguendum puto, nam vel vt in ſua cauſa patrocinaretur, prohibitus fuit ab aduocationibus ſuorum clientum, quibus patrocinando conſueuerat aliqua lucrari, & in hoc caſu poteſt iure ab aduerſario ſuo lucrum ceſſans repetere, verùm ſi nullum ceſſaret ſibi lucrum propter aduocationem in propria ſua cauſa, non poteſt aliquid repetere ab aduerſario pro mercede, vel ſalario; ita habetur deciſum *in Rot. deciſ.* 434. & ratio eſt, quia vnuſquiſq; inſeruit ſibi ſine ſalatio, ergò ſi ſalarium non ſit ſibi debitum, non poteſt repetere: nemo enim conducit ſeipſum ad laborandum pro ſeipſo, ergò non debetur ſibi ipſi ſalarium, & conſequenter iniuſtè repeteretur.

Adde, quòd Aduocato remittente ſalarium ſuo clienti obtinenti cauſam, probabile puto non poſſe illud repetere ab aduerſario in expenſis damnato, ſi gratis omninò remittat, quia verè cliens nullum eſt paſſus damnum reſpectu aduocationis. At verò ſi Aduocatus remittat ſub titulo remunerationis debitum ſalarium pro Aduocatione, poteſt illud repetere ab Aduerſario, quia tunc præſumitur ab Aduocato ſolui debitum aliquod tali clienti, vndè cliens habet ius repetendi, quod ſibi ex debito præſumpto dimittitur in hoc caſu; Ita etiam *Ioann. Andreas, Panormit. & alij* apud *Nald. v. Aduocatus, num.* 2. Vide *Cla. Reg. lib.* 12. *cap.* 24.

Vtrum Aduocatus poſſit aliquid accipere pro aſſecuranda victoria, & litem ſuis ſumptibus proſequi.

DIFFIC. IX.

Diſtinguendum videtur puto pro prima parte difficultatis; nam vel eſt ſermo de palmario, & hoc certum eſt poſſe promitti pro aſſecuratione victoriæ: palmarium autem ſecundùm *Gloſ. l.* 1 *ff. de vir. cognat.* dicitur à palma, quæ victoriam ſignificat, & accipitur à legiſtis pro eo, quod datur Aduocato pro victoria, ſi adforet primariò tamen conſtituta mercede, vel ſalario pro labore, ſiue vincatur, ſiue non; debet autem eſſe palmarium modicum quid, non magnum, vt vitentur fraudes, quod ſi ſermo ſit de quocumq; alio, præter palmarium, prohibetur omninò Aduocatus accipere pro aſſecuratione victoriæ, vt habetur *ex l. ſi quis, c. de poſtul. & l. ſumptus, ff. de pactis*; vbi habetur, quòd Aduocato non licet paciſci de quota litis, ideſt non poteſt Aduocatus paciſci, quòd ſibi detur quarta, vel quinta, media, vel conſimilis pars rei litigandæ, ſi cauſa vincatur; Ita etiam *noſter Angelus loc. cit. & Salon.* 2 2. *qu* 71. *a.* 4. & iure optimo videtur iſtud ſancitum, oe per fas, vel nefas victoria procuretur, quæ etiam ratio ſuadet, ne Aduocatus poſſit ſuis ſumptibus litem accipere terminandam.

An verò Aduocatus valeat in foro conſcientiæ accipere aliquid pro aſſecuratione victoriæ alij aiunt, alij negant; affirmant *Victorell. in addit. ad* 25. *c. Nauarr. Valer. in diff. vtr. for. v. Contractus, diff.* 3. *& Diana* 2 *p. tract.* 16. *Miſc. reſol.* 49. putantes legem Ciuilem id ſolum prohibere in foro fori, non in foro conſcientiæ, quod & ego probabile puto, ſi verè abſit in Aduocato malitia per fas, & nefas vincendi litem.

Tutius tamen videtur mihi ad tollendos ſcrupulos, vt non ſub titulo aſſecurationis, ſed vt ardentius, & vigiliantius litem ſuſcipiat, aliquod promittat donare Aduocato.

De qua culpa teneatur Aduocatus, ſi victoriam non conſequatur?

DIFFIC. X.

Certum eſt, Aduocatum peccare contra iuſtitiam, ſi ex ſua culpa victoria non habeatur, & conſequenter teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt cliens, quia dum mercede conducitur ad tale officium, debet non ſolùm eſſe peritus ſufficienter, ſed etiam on nem ſufficientiam adhibere, ne ſua culpa patiatur cliens; quod autem hic dubium faceſſit eſt, teneatur ne de quacumq; leui culpa in defendendo ſuum clientem, an verò teneatur de lata.

Affirmant teneri de leui ex *noſtris Villalob. in ſumm. T.* 2. *tract.* 10. *diffic.* 4. *Sayr. Cl. Reg. lib.* 10. *tract.* 2. *c. p.* 8. *Petr. Nauarr. de Reſtit. lib.* 3. *cap.* 3. vndè conſulunt, vt paucas cauſas acceptent, ne culpam leuem contrahant, nam ad eam diligentiam teneri dicunt, quam cliens requirit, ſtante quod eum mercede conducit;

cliens

Digitized by Google

cliens autem requirit magnam diligentiam, & vult, quòd in ſua cauſa, nec leuis culpa committatur, ergo de leui culpa tenetur Aduocatus.

Attamen probabiliter etiam puto dicendum cum *noſtro Angelo hic §. 12. Vngarell. ſchol. A. Rodriq. in ſumm. T. 1. cap. 6. nu. 6. Ortiz in ſumm. cap. 8. Nauar. c. 25. n. 28 Graff. deciſ. aur. lib. 3. c. 8. Leſſ. & Azor. loc. cit. & Diana p. 1. tract. 15. reſol. 59.* Aduocatum ſolum teneri de lata culpa, etiam ſi mercede conductus fuerit, nam mercede conductus nō tenetur niſi ad diligentiā ordinariā, quam diligenter quique ſolent adhibere, nec maiorem cliens poteſt requirere ex iuſtitia conducto, aliter nimis graue onus eſſet illi, vt iuxtà conducentis cupiditatem ſuam operam exhiberet ex ordinario ſalario dato.

Cęterùm illud verum etiam arbitror, quod ſi conducens augeat ſalarium, vt maximam diligentiam adhibeat, tunc tenetur etiam de leui, & leuiſſima quoq; iuxtà obligationem, quam ex mercede extraordinaria ſuſcipit.

Aduertat etiam hìc Aduocatus, quòd ſecundùm qualitatem cauſæ cum ſolo ſalario ordinario maiorem, vel minorem diligentiam debet adhibere in ſtudendo, ſi enim cauſa difficilis eſt, maius ſtudium debet adhibere, quàm quando cauſa facilis eſt; Ita etiam *noſter Vngarell. Rodr. Leſſ. Azor. Bonac. Cl. Reg. Filliuc. & alij.*

Vtrum Aduocatus, qui ſpontè alienam cauſam defendendam ſuſcepit, poſſit parta victoria ſtipendium petere.

DIFFIC. XI.

NEgant *Andr. Panormit. in cap. finem litibus, de dolo, & contum.* quos ſequuntur *Cl. Reg. c. 26. & Reginald. lib. 25. num. 682.* quia propter opus ſpontaneè factum, cùm præſumatur factum ex charitate, vel gratis, nulla datur compenſatio, limitant tamē *Cl. Reg. & Regin.* modò nullum paſſus ſit damnum lucri ceſſantis, vel damni emergentis ex aduocatione hac gratis facta, quod probabile puto, non enim eſt de iure, quòd quis propter bonum alicui factum, patiatur damnum abſq; compenſatione. Aduocatus ergò parta victoria, quia fideliter dedit operam tali cauſæ, totum damnum, quod ex tali aduocatione, licèt ſpontanea recepit, poteſt repetere.

Diſtinguendum tamen puto probabilius in hoc caſu, nam ſi Aduocatus ſit mercenarius, poteſt omninò recipere ſtipendiū, licèt ſpontaneus ſuſceperit cauſæ defenſionem, quia virtualiter ſaltem habuit animum patrocinandi cum ſpe recipiendæ mercedis parta victoria, quod ſi omninò gratis ſtatuit exercere defenſionem cauſæ, non poteſt ſtipendium petere, quia illud gratis renunciare voluit, quando ſpontè cauſam ſuſcepit, ſi verò Aduocatus ſit nobilis, amicus, vel conſanguineus principalis litigantis, nullum debet petere ſtipendium, quia gratis omninò præſumitur ab ipſo ſuſceptum cauſæ patrocinium; Vide *Filliucium tract. 40. c. 10. quæſt. 9.*

Quod verò ſubiungunt *Nauar. & Leſſ.* quos citat, & ſequitur *Bonac. loc. cit.* Aduocatum ſcilicet ſponte, & gratis ſuſcipientem defenſionem cauſæ, & propter talem Aduocationem paſſum aliquod damnum emergens, vel lucrum ceſſans, non poſſe repetere huiuſmodi damnum à cliente poſt partam victoriam, quia cenſetur ceſſiſſe iuri ſuo, dum ſpontè, & gratis ſuſcepit patrocinium, videtur duriuſculum. Quare licèt de rigore iuris hoc probabile exiſtimem, de æquitate tamen puto clientem obligandum ad reſarcienda damna ſui benefactoris.

Vtrum Aduocatus teneatur Clienti meritum ſuæ cauſæ referenti apertam de iniuſtitia dicere veritatem.

DIFFIC. XII.

COmmuniter affirmant DD. Aduocatum teneri diligenter ponderare meritum cauſę relatę à clienti ad finem, vt poſſit ſtatuere, an ſaltem probabiliter poſſit contra aduerſarium defendi, quod ſi inueniat cauſam probabiliter non poſſe defendi, & iniuſtitiam continere, debet clientem apertè de ipſa admonere, & ſuadere, vt deſiſtat, & omninò ſeſe à tali patrocinio abdicare, quod ſi cauſam iniuſtam acceptet defendere, & clientem non admoneat, ſi eam amittat, tenetur ipſi reſarcire damnum, quod ſi vincat, tenetur parti ſatisfacere de damno, quod iniuſtè accepit ex ſuo patrocinio, eſt enim Aduocatus cauſa efficax damni, quod vtraq; pars patitur, ergo ad reſtitutionem tenetur vtrique, quòd ſi clientem admonuerit de iniuſtitia, & adhuc velit cliens ſuam iniuſtam cauſam proſequi, peccat quidem, ſed ſi perdatur, non tenetur clienti reſtituere damnum, quia volens hoc damnum paſſus eſt, tenetur tamen parti lęſæ Aduocatus ſatisfacere, ſi vincat.

Cęterùm ſi probabiliorem iuſtitiam videatur continere cauſa partis aduerſæ, modò probabilis omninò ſit cauſa ſui clientis, licèt minorem contineat probabilitatem, poſtquam Aduocatus debitè admonuit ſuum clientem, ſi tamen voluerit proſequi, poterit tuta conſcientia ſuſcipere patrocinium cauſæ probabilis, quia ſtante probabilitate, non poteſt dici iniuſta, & ſi vincat, non tenetur aliquid parti lęſæ ſatisfacere, quia quilibet tam Aduocatus, quàm Iudex, Confeſſor, & pęnitens poteſt ſequi opinionem probabilem tuta conſcientia relicta probabiliori, vt dicetur *v. Opinio.*

Vtrum Aduocatus ſecreta ſui Clientis poſſit reuelare.

DIFFIC. XIII.

PRęſens difficultas ad duos caſus decidendos ſe extendit, etenim poteſt quęri, an Aduocatus poſſit reuelare ſecreta ſui clientis, ſi ſub excommunicatione pręcipiatur ab Epiſcopo eorum reuelatio, ſecundò an poſſit ſecreta ſui clientis parti aduerſę aperire. Quare pro deciſione primi dubij.

Dico primò, quòd non tenetur Aduocatus reuelare ſecretum ſui clientis, ſi ſub excommunicatione mandetur ab Epiſcopo eius reuelatio, quia ſecretum eſt de lege naturæ, excommunicatio autem de lege poſitiua, primò autem parendum legi naturæ, quàm legi poſitiuæ; quòd ſi ſecretum clientis vergat in graue damnum Communitatis, poteſt vtiq; ſecretum aperire, quia vitare damnum Communitatis eſt de lege naturæ præceptum grauius obligans, quàm reticere ſecretum particularis perſonæ, an verò in hoc caſu antequam reuelet ſecretum in damnum Communitatis, teneatur corripere clientem, ad hoc, vt ſi reſipiſcat, non teneatur denunciare, alij aiunt, alij negant, de quo vide infra *v. Denunciatio*, vbi de hoc fuſiùs. Pro ſecunda verò parte difficultatis.

Dico ſecundò, quòd Aduocatus vel cognoſcit cauſam ſui clientis eſſe ſaltem probabiliter iuſtam, & tunc non debet vllo modo reuelare ſecreta ſui clientis, quæ ſi reuelet, & per talem reuelationem ſuus cliens cauſam probabiliter iuſtam perdat, peccat, & tenetur reſtituere, quia cauſa efficax eſt damni, quod patitur ſuus cliens. At verò ſi cauſa ſui clientis ſit iniuſta, & pars aduerſa iniuſtè ſit paſſura damnum, niſi reuelet ſecretum ſui clientis, poſſe tale ſecretum reuelare, docent *noſt. Ang. Leſſ. Cl. Reg. Azor. Filliuc. Aragon & Bonac loc. cit.* quia quilibet tenetur damnum proximi iniuſtè inferendum impedire.

Quod tamen limitandum puto; aduertere enim debet Aduocatus in hoc caſu, quod reuelatio debet eſſe tali modo facta, ne clienti ſuo ex tali reuelatione maius, vel ſatem æquale damnū proueniat, in eo enim caſu tutius debet abſtinere à tali patrocinio, & clienti ſuadere, vt omni meliori modo à tali cauſa recedat, demonſtrando ei mala, quę poſſint ſequi ex defenſione iniuſtæ ſuæ cauſæ, quod etiam currit, ſi reuelando ſecretum parti aduerſæ, Aduocatus ſuſpicetur ſibi damnum obuenturum, non debet reuelare; abſtineat tamen omninò à cauſæ iniuſtæ defenſione.

Aduocatus an poſſit tranſigere, vel compoſitionem tractare cum parte aduerſa. DIFFIC. XIV.

DIco primò, in cauſa dubia, in qua ſcilicet pro vtraq; parte adeſt probabilitas iuſtitiæ, vndè neutra pars eſt apertè iniuſta, poſſe Aduocatum, modò abſit dolus, vis, & metus, tractare compoſitionem, & tranſactionem cum parte aduerſa, ita communiter DD. tum quia nulli fit præiudicium, tum quia pax ſemper vtiliter procuratur. Verùm

Dico ſecundò, quòd Aduocatus non poteſt tranſigere, vel cōpoſitionem tractare pro ſuo cliente cum parte aduerſa, quando in principio cauſæ credebat eam iuſtam, ſed poſtea proceſſu temporis ex aliquo reſpectu non prius cognito, nec præuiſo, puta ex teſtium depoſitione, vel conſimili inuenit cauſam ſui clientis eſſe iniuſtam, nam inferret damnum parti aduerſæ, quæ iuſtitiam habet, ſi faceret tranſactionem, & compoſitionem in cauſa iniuſta ſui clientis, quòd ſi ex tali compoſitione nullum inferretur damnum parti aduerſæ; modò abſit dolus, vis, & metus, poſſet vtique tractare compoſitionem, quod enim alteri non nocet, &

alteri

alteri prodeſt, præciſa omni alia malitia, poteſt vtiq; licitè fieri; Ita etiam *Nauarr. cap. 26. num. 28. Clau. Reg. Bonac. & Leſſ. loc. cit.*

Vtrum Aduocatus peccet cauſas Clientum antea acceptatas poſtponere alijs poſt eas acceptis.
DIFFIC. XV.

Diſtinguendum puto, nam vel ſtipendium accepit Aduocatus a prioribus clientibus, & in hoc caſu eas poſtponere non licet, maximè ſi præiudicium proueniat prioribus clientibus, quia operam ſuam locatam iam prius alijs, cum præiudicio ipſorum repugnat iuſtitiæ, vt alijs poſterioribus impendat; quare peccant Aduocati paſſim acceptando plures cauſas, quas non poſſunt expedire ſine præiudicio prius venientium; Ita etiam *Cl. Reg. Reginal. Tol. & Bonac. loc. cit.* quod ſi ſtipendium à nullo priori acceperit, & veniant alij cum ſtipendio, poſſe prius iſtis, qui mercedem tribuunt, ſatisfacere ex eo, quia ex iuſtitia Aduocati tenentur ipſis, illis autem ſolùm ex gratia, maius autem eſt vinculum iuſtitiæ, quàm gratiæ.

Attamen in fauorem Aduocantium adhuc limitandam puto præfatam doctrinam, etenim ſi clientes etiam, qui ſtipendium tribuunt, ſciant, & cognoſcant ſuum Aduocatum acceptare plures cauſas, & nihilominus propter bonitatem, prudentiam, ſcientiam, & ſolertiam, vel dignitatem Aduocati non curent ita citius expediri, imò patiuntur poſtponi ad arbitrium ipſius, fortè quia cognoſcunt cauſas ſuas fęlicius abſoluendas à tali Aduocato, & ideò velint potius earum protogationem, quàm alteri Aduocato minus idoneo ſuas cauſas committere; in tali inquam caſu patientia cognita clientum poteſt excuſare Aduocatos à peccato.

Quare adhortandi ſunt Aduocati celebriores, quando talem patientiam clientum apertè non cognoſcunt, vt ipſis exponant, quod circa protogationem ſuo arbitrio expeditionem relinquant.

Aduocatus an poſſit pro vtraq; parte patrocinari.
DIFFIC. XVI.

Negatunt multi Iuriſtæ; primò, quia ſecundùm iura, allegans contraria, non debet audiri; ſecundò, quia lites fierent immortales, ſi quis pro vtraque parte poſſit patrocinari; tertiò, quia aperiretur via malitijs; quartò, quia Aduocatus videretur præuaricator, ſi modò affirmaret, modò negaret idem.

Attamen *noſter Angel.* diſtinguendo optimè reſpondet in hoc caſu, quod quando cauſa eſt dubia, & vtraque opinio tàm affirmatiua, quàm negatiua eſt probabilis, poteſt Aduocatus pro vtraque, modò ceſſet omnis malitia, ſine peccato aduocare; nam cùm adſit iuſtitia pro vtraque parte, probabilis arbitrio Iudicis definienda, nec Præuaricator eſt, nec malitias texit Aduocatus, dum fideliter pro vtraque parte iura, vel rationes allegat, ad finem, vt Iudex pro ſuo arbitrio vel componat, vel decretet pro ea parte, pro qua ſibi videbitur magis æquum, nec prolongarentur ex hoc lites, quia Aduocatus vnus eamdem diligentiam eodem ſtudio, & labore poteſt in cauſę dubio probabili ſatisfacere vtrique clienti, quod autem dicant Iura, non debet audiri contraria allegantem, verum eſt in cauſa, quarum vna iniuſtitiam apertam continet, altera iuſtitiam apertam, in hoc enim caſu non debet audiri contraria allegans, quia neceſſariò in vna falſus eſt, & pręuaricator.

Quare rationes primæ ſententiæ intelligendæ ſunt de Aduocato patrocinante pro vtraque cauſa, quando altera apertam continet iuſtitiam, & altera aduerſa apertam iniuſtitiam; ab hoc enim debet abſtinere Aduocatus, quia non ſolùm in foro fori damnatur, ſed etiam in foro conſcientiæ; Secunda autem opinio ſaltem in foro conſcientiæ omninò tuta eſt, ſi abſit dolus; in foro autem fori videant Iudices, an ſit admittenda, eam tamen defendunt *noſtri Angel. & Vngarell. hic §. 13. cum Speculatore in tit. de Aduoc. arg. ex diſt. 45. c. diſciplina.*

Vtrum Aduocatus conductus ex ſtipendio, puta centum aureorum, poſſit medietatem alteri Aduocato pro lite ſui Clientis tribuere, medietate altera ſibi retenta.
DIFFIC. XVII.

Negant *noſter Corduba, & Arragòn. loc. cit. & Clau. Reg. lib. 12. cap. 14. & Tol. lib. 5. cap. 62.* quia hic modus eſt contra voluntatem conducentis operam Aduocati talis, quia fortè cliens magis in ipſo confidit, quàm in alio, ſecundo eſt contra intereſſe aliorum Aduocatorum, ſi enim hæc induſtria liceret, vnus poſſet nimium ditari, & alij depauperari, quia propter induſtriam talem vnius potentis, vel fraudulenti non inuenirent qui eos iuſto pretio conducerent.

Attamen *noſter Rodriq. Nauar. Sot. Nald. Vaſq. Reginald.* & alij, quos citat, & ſequitur *Bonac. loc. cit. & de Sacram. diſp. 4. q. vlt. punct. 8.* contendunt id licere Aduocato, quia nulli in hoc caſu fit iniuria, dum æquè inſtituit idoneum Aduocatum, non enim facit iniuriam clienti, quia hic habet ſuum intentum, dum ſua cauſa defenditur ab æquè idoneo, nec fit iniuria Aduocato ſubſtituto, quia hic recipit mercedem iuſtam ſecundùm conuentionem inter ipſos factam.

Prima ſententia mihi vtiq; probabilior videtur, & in praxi conſulenda, pietati etiã maximè conſona eſt, hinc ex decreto *Vrbani VIII. de celebrat. Miſſarum*, conſimile prohibetur, vt ſcilicet ſtipendium pro Miſſa acceptum à Sacerdote, ſi ipſe nequeat celebrare, totum integrum alteri celebraturo tribuat, & nullo modo poſſit ſibi partem retinere.

Secunda verò ſententia, ſi ſalarium taxatum ſit à lege pro mercede Aduocatorum, nullo modo mihi probabilis videtur, quia ſaltem facit iniuriam legi in tali caſu Aduocatus retinens medietatem, quòd ſi ſalarium ſit arbitrarium, non videtur omninò improbabilis.

Vtrum Aduocatus de ſcriptura modico pretio accepta ab actuario in fauorem Clientis, poſſit iuſtum pretium ab eo exigere. DIFFIC. XVIII.

Diſtinguendum cenſeo; nam vel Actuarius dat ſcripturam modico pretio intuitu Aduocati, & ſic poteſt iuſtum pretium maius recipere, quia videtur donatum Aduocato, quod pluris valet, quod ſi intuitu clientis, vel indiſtinctè hoc faciat Actuarius, non poteſt Aduocatus maius pretium recipere, quia tunc nõ videtur donatum Aduocato, quod pluris valet; Ita *ex deciſ. Rotæ habetur, deciſ. 180. in antiqu.* idem docent *Bonac. Clau. Reg. Leſſ. loc. cit. & Nauar. c. 17. n. 69.*

Cęterùm in dubio in gratiam Aduocati, an verò clientis ſcripturam tradiderit Actuarius vili pretio, probabilius dicendum *cum Bonac.* in dubio traditam fuiſſe ſcripturam vili pretio in gratiam clientis, quia melior eſt conditio poſſidentis ſuam pecuniam, & in dubio potius iudicari debet minori pretio traditam ſcripturam propter amorem Dei, vel alium honeſtum finem.

Affinitas.

Quid, & quotuplex ſit Affinitas. DIFFIC. I.

Dico primò, quòd affinitas iuxtà ſui nominis ęthimologiam, quaſi ad finitas dicitur, mutata littera d, in f, quod dulcius ſonet eius prolatio, vt notat *noſter Vngarell. v. Matrim. 3. impedim. 18. ſchol. L.* ex eo, quia per affinitatem venit vna cognatio ad fines alterius cognationis, & ſimul parentantur. Multa erat iure antiquo affinitas, & largius vagabatur etiam inter affines affiniũ, & conſanguineorum, vt videre eſt in *c. non debet, de conſanguinitate, & affin. & in Gloſa ibi, & in 75. q. 3. per totum*; hodie verò reſtricta eſt ſolum inter conſanguineos ad certum gradum, vt videre eſt apud *Sacrum Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 4.* Quare

Dico ſecundò, quòd affinitas eſt vinculum, ſeu propinquitas; vel attinentia quarumdam perſonarum proueniens ex carnali copula licita, vel illicita vſque ad certum gradum ab Eccleſia præſcriptum cum conſanguineis alterius in eo gradu, in quo ipſi conſanguinei ſunt inter ſe, ex qua definitione infertur, quòd ſi Titius habeat copulam cum Berta, fit affinis in eo gradu cum conſanguineis Bertæ, in quo Berta cum illis, & è contra Berta fit affinis cum conſanguineis Titij in eo gradu, in quo Titius cum illis: Ex quibus

Dico tertiò, quòd per dictam copulam cum Berta, Titius non eſt affinis cum affinibus Bertæ, nec Berta cum affinibus Titij, & propter talem affinitatem conſanguinei Bertæ, & conſanguinei Titij nõ ſunt affines inter ſe, cùm affinitas non tranſeat in tertiũ, ex quo fit, quòd germanus alter poteſt ducere vxorem alteram germanam vxoris fratris ſui, & filius filiam nouercæ, quam duxit pater ſuus: Affinitas enim non generat affinitatem; Ita commu-

Digitized by Google

muniter Theologi *Alenſ.in 4.p.D.Bonau.Scot.& Riccard.in 4.diſt.41.* Vide *Ang. noſtrum v. Matrim.3. imped.15. Sanch.l.7. de Matrim.diſp.67.Henriq lib.12.Fillinc.tract.12.p.2.c.6.q.2. Molfeſ.tract.4.c.10. Regin.lib.31.Guttier.de Matrim.c.99.Bonac.de imped.matrim.q.3.punct.12.& alij.*

Dico quartò, quòd affinitas duplex, altera in linea recta, alia in tranſuerſali, ſeu laterali, in linea recta ponuntur aſcendentes illius perſonæ, cum qua fuit habita copula, aſcendentes verò ſunt ſocer, vitricus, nouerca; deſcendentes ſunt nurus, priuignus, & priuigna; in linea verò collaterali conſtituuntur conſanguinei, puta fratres, & ſorores, &c. Pater autem, & mater ſunt in linea recta, quorum praxim videndam remitto in arbore affinitatis fortè apponenda *v. Matrimonium.*

Dico quintò, affinitas habet etiam ſuum ſtipitem, vndè incipit, ſicut conſanguinitas: ſtipes autem erit Titius, qui cognouit Bertam in vna parte, & Berta erit ſtipes ex alia, in quo computantur gradus ſicut in conſanguinitate, de ſimilibus enim idem eſt iudicium; vndè inter Bertam, & Titium ratione copulæ carnalis inter ſeſe non dicuntur affines, ſed principium, & ſtipes affinitatis; Vide *noſtr. Angel.Guttier.Sanch.Fillinc.Bonac.loc.cit.*

Affinitas autem ex copula licita, quod matrimonium dirimat vſq; ad quartum gradum incluſiuè, & ex illicita vſque ad ſecundum incluſiuè, iuxtà *Conc.Trid.loc.cit.* tractabitur fuſiùs *v. Matrimonium.*

Affinitas, vt contrahatur, an requiratur effuſio ſeminis ex vtraq; parte intra vas. DIFFIC. II.

CErtum eſt in hac difficultate, quò ad contrahendam affinitatem requiritur ea ſeminis effuſio, quæ apta eſt ad generationem, quantum eſt in ſe, quod nequit ferè eſſe abſq; effuſione ſeminis intra vas mulieris, ita paſſim communiter antiquiores, & recentiores Theologi, quod autem hic controuertitur, eſt, an ſufficiat, ſi ſolus vir ſemen effundat, vel etiam requiratur, vt fœmina emittat ſemen.

Affirmant *noſter Ang. Guttier. loc.cit. & Sanch. de Marim. p.2. lib.7. diſp 64.* & alij ſufficere ad affinitatem contrahendam, ſi vir ſolus intra vas mulieris ſemen effundat.

Attamē probabilius mihi videtur dicendū ad affinitatē contrahendam requiri neceſſariò etiam effuſionem ſeminis in fœmina, & non ſufficere effuſionem ſolins viri, & maximè in via *Scoti* putantis ſemen fœminæ eſſe etiam actiuum, licèt minus principaliter, ad contrahendam porrò affinitatem requiri commixtionem intra vas, habetur 27. *qu.2.c. lex Diuin. conſtit.* idem pręter *Scotum* docent *D. Bonau. in 4.diſt.41.q.1. Altenſ.& Nicol.de Orbell.* apud *Sanch. Lop. in inſtr.confeſſ.p.6.c.50. Graff.p.1.lib.2. cap.80.* & ex veteribus *Innoc. Archid. Bellamara Cardin.* & alij apud eumdem *Sanch.* qui licèt vbi ſupra teneat opinionem contrariam, hanc tamen probabilem putat cum *D. Tho. in diſt.41. q.6.a.1.* Ita etiam recentiores *Hurtad.tract. de matrim. diſp.20. diffic.1.n.5. Ioann.Prapoſ.in addit.ad 3.p. D.Tho.q 5.de inſolub. matrim dub.9.& noſter Villalob.* licèt cum prima ſentiat, tamen etiam approbat hanc eamdem ſententiam ſecundam *in ſumm. T.1.tract.14.diff.11.* quod ſanè mihi videtur valdè probabile, quia affinitas oritur tam ex maſculo, quàm ex fœmina ſimul copulatis erga conſanguineos vtriuſque, ergò debet vtriuſq; ſanguis commiſceri, ad hoc, vt ſanguinum parentatio ſequatur in conſanguineis vtriuſque; prætérquamquòd ſi affinitas ad generationem prolis ordinatur, & ad iſtam neceſſariò requiritur vtriuſque ſeminis commixtio, ſequitur apertè non fieri affinitatem, niſi per vtriuſque ſeminis effuſionem in vaſe, ex qua doctrina valdè probabili.

Collige, quòd ſi quis habuit rem cum ſorore ſuæ Vxoris, ſi illa non ſeminauerit, nullam cum ipſa contraxit affinitatem, ac proindè dicendum nulla indigere diſpenſatione ad petendum debitum.

Collige ſecundò, quòd affinitas non oritur ex effuſione ſeminis eunuchorum, ſeu ſpadonum intra vas, quia non eſt aptum tale ſemen ad generandum, & conſequenter neq; ex effuſione ſeminis in vaſe præpoſtero mulieris, quia nec ibi eſt aptum ad generandum.

Collige tertiò, affinitatem propriè non oriri ex matrimonio rato, & non conſummato, quia non adeſt effuſio ſeminis; ex matrimonio autem rato ſolum impedimentum publicæ honeſtatis dimanare dicetur ſuo loco.

Vtrum contrahatur Affinitas cum muliere recipiente ſemen, ſed non immediatè ab ipſo viro.

DIFFIC. III.

CAſus poteſt eſſe, quòd mulier in balneo, v.g. emiſſum ſemen viri attrahat, vel recipiat ſemen viri alicuius per immiſſionem à Diabolo incubo, & ipſa è contra emittat ſemen, vndè fiat commixtio ſanguinum, an faciat affinitatem cum conſanguineis viri, cuius eſt ſemen.

Negant aliqui, quia ad affinitatem contrahendam requiritur copula carnalis, in tali autem caſu non eſt vera copula carnalis, quod poſſet etiam elici ex *Scoto in 4. diſt.41.& 42.* Ita etiam ſentiunt *Pontius de Matrim. lib.7.cap.33.& Diana p.3.tract.5. miſcell.*

Affirmant tamen in tali caſu contrahi affinitatem cum conſanguineis viri, cuius eſt ſemen, quia ex tali receptione ſeminis poteſt ſequi vera generatio, & de facto ſecutam eſſe multoties in vtroq; caſu cùm ex hiſtorijs, tum ex fide dignis habetur, ſi ergò ſequitur generatio ex tali receptione, vel immiſſione ſeminis, generatus neceſſariò erit filius dicendus eius viri, cuius fuit ſemen, ex quo videtur neceſſariò dicendum oriri affinitatem, aliter videretur quis poſſe naſci ſine patre, conſanguineis, & affinibus, hanc ſecundam opinionem docent *noſter Angel. v. Matrim. 8. §.15.& Sanch.de Matrim lib.2.diſp.21. Molfeſ. Fillinc.& Bonac.loc.cit.* & mihi magis arridet, maximè quia ex doctrina ſubtiliſſimi Doctoris commixtionem ſeminum facere copulam formalem, & per ſe, habetur, per accidens ergò eſt, quòd ſemen deciſum attrahatur, vel intromittatur ab alio.

Affinitas ſuperueniens matrimonio contracto, an priuet iure petendi debitum. DIFFIC. IV.

CErtum eſt iuxtà ſuperius dicta *ex Concilio Trid.* Affinitatem ex copula licita vſq; ad quartum gradum, & ex copula illicita vſq; ad ſecundum incluſiuè dirimere matrimonium, itavt affines inter ſeſe, ſicut & conſanguinei ſcienter matrimonium contrahentes abſq; diſpenſatione, excommunicationem incurrant, vt notat *noſter Ang. v.Excomm.7.ex Clem.5.de conſang.& affin.* quod ergo quæritur in hac difficultate, eſt, an affinitas ſuperueniens matrimonio contracto, puta ex copula mariti cum ſorore vxoris, vel ex copula vxoris cum fratre mariti impediat matrimonium, priuando ſcilicet iure petendi debitum.

Dico primò, quòd communiter Canoniſtæ affirmant talem affinitatem ſuperuenientem in præfato caſu priuare iure petendi debitum in primo, & ſecundo gradu, teneri tamen reddere debitum petenti, ſi ſit innocens, habetur *ex cap. diſcretionem, de eo, qui cogn.conſangu.*

An verò huiuſmodi affinitas ſuperueniens adducat aliud impedimentum, ſcilicet, quòd mortua coniuge, non poſſit petere debitum abſq; diſpenſatione affirmant *Azor.3.p.lib.3.c.10. Leſſ. lib.4.c.3.n.8.& alij*; negant tamen *noſter Corduba, Henriq.& Sanch.* Tu verò conſule *c. Tranſmiſſæ de eo, qui cognouit conſangu.* & intelliges quęnam iſtarum opinionum ſit probabilior; Vide infra *v. Matrim.*

Dico ſecundò, non oriri pręfatum impedimentum inter coniuges, quorum alter copulam habuit cum ſua propria conſanguinea, quia ex hac copula non ſuperuenit affinitas; hinc ſi Titius cognoſcat propriam ſororem, & vxor eius cum proprio germano rem habeat, nulla inter virum, & vxorem ſuperueniet affinitas ex præfata copula, quia affinitas, vt dictum eſt ſupra, non afficit tertiam perſonam, nec producit nouam affinitatem.

Dico tertiò, affinitas orta inter virum, & vxorem poſt matrimonium, vt ſupra, ſi copula fuerit ex conſenſu vtriuſque, facit, vt neuter poſſit petere debitum, quia vterque eſt in dolo, quod ſi ſcienter conſenſerit vterque animo, vt nequeant petere debitum ad inuicem, poſſe vtrumque petere debitum in tali caſu autumant *Nald. hic*, & alij, ex eo, quia dolus debet ceſſare in Sacramento vnionis, & pacis: an verò probabiliter, videant viri doctiores, an impedimentum à Sacris Canonibus introductum ratione pręfati doli, Sacri Canones tollant.

Dico quartò, quòd vir factus vxori affinis per copulam cum ſua conſanguinea poſt matrimonium ratum, & non conſummatum, non tenetur ingredi Religionem, aut votum caſtitatis emittere, vt aliqui voluerunt, cùm id nullibi in iure præceptum inueniatur, ſed petat diſpenſationem ad petendum debitum. Interea ſi petat vxor debitum, tenetur reddere, quia vt notat *noſter Vngarell.*

ſarell. ex D. Bonau. non debet vxor priuari iure ſuo propter malitiam viri, vt habetur etiam in præfato *cap. Diſcretionem*, & è contra.

Denique an affinitatis impedimentum occultum ex copula cum conſanguineis alterius coniugis inducatur abſq; ſententia Iudicis; Vide infra *v. Lex.*

Vtrum affinitas impediat Matrimonium de iure naturæ in linea tranſuerſali. DIFFIC. V.

Affirmarunt aliqui in primo gradu præcipuè lineæ tranſuerſalis affinitatem impedire matrimonium de iure naturæ, quæ copulam videtur horrere cum affinitate in primo gradu, vndè voluerunt non poſſe Pontificem maximum diſpenſare in primo gradu dictæ affinitatis lineæ tranſuerſalis, atq; adeò ne quis poſſit contrahere cum vxore germani fratris iam mortui, quæ ſententiam quàm falſa ſit, patuit ex eo, quod fuit cauſa Henrico Angliæ Regi apoſtatandi à fide, qui Catharinam vxorem ſui germani fratris mortui ex diſpenſatione Apoſtolica duxerat, & poſtea voluit eam repudiare contendens cum inſanis iſtis Theologis non potuiſſe Papam diſpenſare in tali gradu.

Falſa ergo omninò eſt cenſenda præfata opinio, vtpotè immediatè contraria ſacræ ſcripturæ, nam Iacob vir ſanctiſſimus duas ſorores matrimonio ſibi iunxit, & cum eis conſumauit, quod ſi fuiſſet de iure naturæ prohibitum contrahere in primo gradu lineæ tranſuerſalis, id nō feciſſet vir ſanctiſſimus; falſum eſt enim turpitudinem, & indecentiam tantam eſſe in copula inter perſonas in primo gradu lineæ tranſuerſalis, vt natura hoc horreat ſimpliciter. Quare vrgenti exiſtente cauſa multoties in tali gradu diſpenſarunt Pontifices maximi, ſicut fecit *Alexander VI. cum Rege Luſitaniæ, & Iulius II. cum Henrico VII.* Vide *noſtrum Rodr. cap.228. Perez de imped. affin. Guttier. de Matrim. cap.99. Sanch. lib.7. de Matrim. diſp.66. Rebell. q.15. Bonac. de imped. Matrim. q.3. punct.12.*

Vtrum affinitas ex copula illicita impediat in aliquo gradu Matrimonium de iure naturæ. DIFFIC. VI.

Affirmarunt multi, quos refert, & ſequitur nouiſſimè *Hurtad. de Matrim. diſp.10. diffic.2. & Coninch. de Sacram. diſp.22. dub.49.* ex copula illicita oriri affinitatem de iure naturæ, quod probant *ex D. Paul. 1. Corinth. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur, & erunt duo in carne vna*; quare de iure naturæ impedire volunt matrimonium alij DD. ſaltem in primo gradu lineæ rectæ.

Attamen negant ſimpliciter, & abſolutè oriri affinitatem de iure naturæ ex copula illicita *noſter Villalob. in ſum. T.1. tract. 14. diffic.17. Sanch. de Matrim. T.2. diſp.67. Pontius de Matr. lib.7. cap.33. Henriq. lib.12. cap.1. n.2.* & probabiliter quidem, quia de lege naturæ nulla ſunt nomina, quibus nominantur affines ex copula illicita, vt colligitur *ex l. non facile, §. Affinis, & §. Sciendum eſt ff. de gradib. affinit.* vndè infert *noſter Villalob.* quòd infidelis cognoſcens fœminam, poteſt eius germanam ducere, quia de iure naturæ, quæ etiam ligat infideles, nulla fuit inter eos affinitas, ſicut etiam ſi Chriſtianus haberet rem cum muliere infideli, poſſet propter eamdem rationem ducere eius ſororem fidelem, ex quibus

Adde, affinitatem ex dicta copula illicita non inducere impedimentum de iure naturæ, cùm ſit valdè probabile etiam tale impedimentum in primo gradu eſſe diſpenſabile, vndè diſpenſari poteſt, filium poſſe ducere concubinam patris ſui mortui, quamvis indecens, & illicitum ſit reputandum propter quamdam reuerentiam debitam patri; Vide *Perez, Ledeſm. Rebell. & Bonacin.*

An affinitas, & copula licita impediat Matrimonium de iure naturæ in linea recta. DIFFIC. VII.

Affirmant eſſe impedimentum de iure naturæ affinitatem in linea recta, atq; adeò indiſpenſabile, ex *noſtris Riccar. in 4. diſt.4. Conar. 2. p. c.6. Valen. T.4. diſp.10. q.5. Vaſq. 3. p. q.91. a.1. Coninch diſp.32. dub.4. Ledeſ. & Filliuc. loc. cit.* quia magna apparet turpitudo in copula inter aſcendentes, & deſcendentes, & talis, vt eam natura horreat omninò.

Contrarium tamen videntur ſentire *Scotus in 4. diſt.41. qui §. ad quæſtionem*, ita loquitur: *Ad quæſtionem ergo dico, quòd affinitas ſimpliciter impedit matrimonium, & ratio non eſt, niſi ſtatutum Eccleſiæ illegitimantis affines, & in eodem gradu impedit matrimonium, quo conſanguinitas, & hoc quidem de affinitate propriè dicta.* Hæc *Scotus*, ergò cum ex *Scoto* affinitas ſolùm ſit impedimentum inductum ex ſtatuto Eccleſiæ in nullo gradu impedit de iure naturæ: *noſter Ang. loc. cit. & Caiet. 2.2. qu.154. n.9. Henriq. lib.12. cap.9. Guttier. Sanch. & Bonac. loc. cit.* ſcilicet non repugnare de iure naturæ matrimonium inter affines in linea recta, quia nullam ipſi excogitare poſſunt in tali copula talem indecentiam, & turpitudinem, vt eam natura horreat, vndè volunt aliquando de facto diſpenſatum fuiſſe ab Eccleſia cum Nouercis.

Sanè ſi præfata diſpenſatio inueniatur authentica ſecunda hæc opinio omninò amplectenda, quam etiam probabilem docet *Filliuc.* Immò non abhorret ex ſententia à probabili ſaltem ratione, nam vt ex doctrina *Scoti loc. cit. diſt.40.* colligi poteſt iſtis verbis: *magis eſt contra legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in tranſuerſali*: Prohibitio copulæ de iure naturæ dupliciter prohiberi poteſt: Primò abſolutè, & per ſe primo ratione ſuperioritatis, & præſidentiæ, quam habent aſcendentes in deſcendentes ratione primi principij immediati, vndè naſcitur quædam irreuerentia circa copulam, nec poteſt adeſſe ex vi quadam inſita naturalitate coniugalis amicitia inter eos, ex quo per ſe primò, & abſolutè de iure naturæ prohibetur matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium: Secundò prohibetur copula de iure naturæ per ſe ſecundò, & mediatè, mediante ſcilicet reuerentia, quæ debet naturaliter deferri alteri aſcendenti cum deſcendenti ratione copulæ habitæ ad inuicem, vndè eorum affines in primo gradu lineæ rectæ ex quadam conuenientia naturali potius, quàm natura per ſe primò hoc dictante prohibentur ſimul contrahere, quare vt ex *Scoto* colligitur maior eſt contra legem naturæ copula in primo gradu lineæ rectæ, quam in linea tranſuerſali, quia in linea recta repugnat per ſe primò, & ſimpliciter de iure naturæ ratione ſuperioritatis naturalis, quæ naturaliter non admittit amicitiam coniugalem, non ita repugnat in linea recta tranſuerſali, quia non adeſt ratio ſuperioritatis, ita etiam dico, quòd inter affines in linea recta affinitatis non eſt illa ſimpliciter immediata, & per ſe ratio ſuperioritatis inter ipſos, vndè repugnet ex iure naturali per ſe primò copula, ſed ſolùm mediatè, & ſecundariò, quæ non importat tantam irreuerentiam, cùm non adſit tanta ratio ſuperioritatis, vt repugnet inter eos coniugalis amicitia ſicut in linea recta conſanguinitatis, ſed ſolùm ex quadam conuenientia naturali prouenit hæc prohibitio mediatè ſcilicet ratione copulæ habitæ cum altero aſcendente, vel deſcendente; itaque cùm conuenientia iſta naturalis non dicat prohibitionem ſimpliciter; puto probabiliter dicendum non impedire ſimpliciter de iure naturæ matrimonium inter affines lineæ rectæ in primo gradu, ſicut ſunt ſocer, nurus, ſocera, & gener, vitricus, & priuigna, nouerca, & priuignus; hanc ſententiam amplecti videtur *D. Tho. 2.2. q.154. a.9. ad 3. noſter Villalob. in ſumm. T.1. tract.14. diff.17.* quam opinionem videtur cōfirmare exemplo Adoniæ, qui Abiſach Sunamitidem, quæ fuerat vxor Patris ſui Dauid, petijt ſibi in vxorem *3. Reg.2.* & apud Ethnicos iure naturæ viuentes licitum reputatum fuit, & non repugnare iuri naturali, quod Demetrius Seleuciæ Rex ſuo filio Anthioco tradiderit in matrimonium Stratonicem, quam de facto ipſe coniugem habebat. Vide quæ *Pontius de Matrim. l.7.* latiſſimè differit pro hac opinione *Dianam 4. p. tract.4. Miſcell. reſol.43.* vbi citat multos Doctores pro hac opinione, cui *Scotum* adhærere iam ex præcitatis ſui verbis mihi probabiliſſimum videtur, & conſequenter in dicto gradu poſſe à Pontifice diſpenſari, in magna tamen, & grauiſſima neceſſitate probabiliſſimè puto ex eiuſdemmet noſtri Doctoris ſententia, dum *in 41. diſt. citat.* ait expreſsè affinitatem impedire matrimonium ex Eccleſiæ ſtatuto: hæc dicta ſint cum omni ſubiectione cenſuræ Sedis Apoſtolicæ.

Alchymia.

Quid ſit Alchymia. DIFFIC. I.

Alchymiam iuxtà ſui nominis æthimologiam à voce Arabica, al, & Ægyptia, chym, quaſi ab Ægyptijs, & Arabibus, vtpotè qui eius primos ſe fuiſſe inuentores gloriabantur, deriuaſſe dixerunt aliqui; alij verò à voce Græca, χυμεια, quæ fuſionem,

nem, nec deſunt qui ab Hebreo verbo, Alijchim, quod fluere noſtro ſonat idiomate, quaſi Ars fuſoria dicenda ſit Alchymia.

Dico ergo Alchymiam eſſe artem, quæ ignis præcipuè virtute alterando, reſoluendo, coagulando, corrumpendo, & purificando metamorphoſim, ſeu tranſmutationem imperfectorum metallorum in perfectiora argentum, vel Aurum intendit, quæ iure chryſopeia ab alijs vocatur, quaſi auri opificio principaliter intendens, quòd vtinam niterentur verè perficere in Reipublicę vtilitatem.

Vtrum liceat Alchymiam exercere.
DIFFIC. II.

SVppono ex vera Phyloſophia duplicem dari Alchymiam; alteram, quæ vocatur ſophiſtica, & præſtigioſa, qua eius cultores nulla pręuia alteratione, & corruptione naturali colorem argenteum album æri per arſenicum, ſeu quoſdam, vt aiunt, ſales, & ſimilia, & aureum flauum per tutiam, cadriam, vel oleum antimonij argento, vel æri inuiſcerare contendunt ad primam, vel ſecundam fuſionem, vel parui temporis ſpatio omninò effugientem. Altera dicitur Alchymia realis, & vera, qua præuijs alterationibus in materia idonea applicando actiua paſſiuis iuxtà veræ, & naturalis Philoſophiæ principia forma auri, vel argenti vera tranſmutatione artis miniſterio inducenda curatur. Quare primò

Dicendum, quòd prior Alchymia niſi paruitas materiæ, vel non iterata curioſitas abſq; animi malignitate, & ſuperſtitione excuſet, ſemper illicita eſt cenſenda, vndè ſine peccato nec doceri, nec exerceri poteſt, plena enim dolis, fallacijs, & periculis ſuperſtitionis, & falſæ monetæ cudendæ pręſumptione inuenitur. Ita etiam *noſter Ang. v. Alchymia*.

Dico ſecundò, quòd poſterior Alchymia, pręciſa omni ſuperſtitione, malignitate finis, vt infra explicabitur melius, nullo iure prohibita ſine mortali exerceri poteſt, nec enim prohibetur iure naturali, cùm hæc nulli damnum per ſe, nec Reipublicæ, nec priuatis hominibus inferat, immò natura non abhorret, ſed potius gaudet ab arte imitari iuxtà placita Philoſophorum, nec iure Diuino prohibetur, cùm nullibi in ſcripturis ſacris legatur vetita, nec iure humano Ciuili damnatur Alchymia, modò, (vt dictum eſt) non exerceatur modo ſuperſtitioſo, vel alias legibus odioſo, vt habetur *in l. vn. c. de Theſaur. lib. 2.* immò videntur laudari, veri Alchymiſtę labore proprio ſibi, & Reipublicæ cõmoda comparantes, vt docent *Oltrad. in ſuis conſ. conſ. 68. & Panorm. cap. 2. in fin. de fortil.* & alibi infrà citandi. Quare *D. Tho. 2. 2. q. 72. ar. 2. ad 1.* ſine peccato hanc Alchymiam veram exerceri poſſe affirmare videtur ſub his verbis: *Quòd ſi Alchymiſta facerent aurum verum, quod fieri poteſt, poſſent illud ſine peccato vendere*: hæc *D. Th.*

Dices: Alchimiam damnatam fuiſſe à *Ioann. XXII. in c. ſpondent*, ſed dico ibi Pontificem maximum damnaſſe ſolùm Alchymiam ſophyſticam, & præſtigioſam, pro cuius veritate elucidanda ſit ſequens difficultas.

Vtrum quodlibet genus Alchimiæ damnatum fuerit in c. ſpondent, *quas non habent.* DIFFIC. III.

VT clarius pateat an fuerit mẽs *Ioann. XXII.* fuerit *in d. c. ſpondent*, damnare quodlibet genus Alchymię, eius verba Canonis hìc adducere, & explicare operępretium duxi, vndè facilè colligent viri prudentes non omnem Alchymiam, ſed ſolùm pręſtigioſam, & ſophyſticam damnatam fuiſſe à Summo Pontifice.

Summus ergo Pontifex loquens contra Alchymiſtas hiſce vtitur verbis *in d. cap. Spondent, quas non habent diuitias, & pariter qui ſe ſapientes exiſtimant, in foueam incidunt, quam fecerunt, nam haud dubiè artis alchymiæ profeſſores alterutrum ſe ludificant, cùm ſuæ ignorantia conſcij, eos, qui ſupra ipſos aliquid huiuſmodi dixerint, admirentur.*

Ecce huius Canonis quaſi prohemium, in quo de ſophiſticæ Alchymiæ profeſſoribus ſermonem eſſe ait ex eo, quod iſti ſanè ſapientes ſe exiſtimantes inanibus quibuſdam dogmatibus à verę Philoſophiæ principijs abhorrentibus innitentes, in foueam paupertatis, & indigentiæ ſpondentes ſibi, & alijs diuitias, quas non habent, ſe ipſos, & alios detrahunt.

Cęterùm non ita veræ, & realis Alchymiæ cultores, qui non niſi ſapientiſſimi, & ingenioſiſſimi Philoſophi eſſe non poſſunt, vt optimè notat *Geber lib. de perfect. Magiſtr.* ſub hiſce verbis: *Artificem huius ſcientiæ oportet eſſe ſubtiliſſimi ingenij, & naturas metallorum, & eorum generationes, infirmitates, & imperfectiones in proprijs mineris ſcire, & cognoſcere antequàm perueniat ad hanc artem, non autem ad ipſam indagandam accedat artifex groſſo ingenio, & duro repletus*; ex quibus verbis *Gebri* patet veræ Alchymiæ cultores non eſſe de illis, qui ſe exiſtimant ſapiẽtes, & alter alterum ludificat, vndè de hiſce veræ Alchymiæ cultoribus non loqui Pontificem *d. c. ſpondent*, ſed ſolùm de ſophyſticis, qui propter ſuam ignorantiam alter alterum ludificat, & cùm verè fatui ſint, ſapientes ſe exiſtimant, & demonſtrant, verè patet in praxi de iſtis Alchymiſtis ſophiſticis.

Quòd autem veræ Alchymiæ ſectatores verè ſint Philoſophi ſapientiſſimi ſeſe, nec alios ludificent, exemplo *Raymundi Lulli*, patet, qui Philoſophus vtique ſubtiliſſimus Arnaldum iactabundũ de confectione auri multis rationibus vexauit, impoſſibilem contendens huiuſmodi Chriſopęiam, cui Arnaldus iam diſputandi tędio affectus: Eia, inquit, Lulle, craſtina die huius artis veræ, & realis in praxi te occulatum teſtem faciam, vt te, tuaſque rationes conuincam facilius, & euidentius; tranſmutationem metalli imperfecti in aurum vidit oculis proprijs ab Arnaldo factam Lullus admirabundus, & ex illo tunc eam ipſe ſcientiam amplexus eſt, & de ipſa ſcribit luculenter. Sanè Lullus Philoſophus acutiſſimus non erat vir, qui ab Arnaldo ludificari potuiſſet. Quare

Dicendum, Pontificem in dictis verbis non loqui de Philoſophis veris realis Chriſopęiæ effectoribus, ſed ſolùm de ſycophantis ſophiſticæ Alchymiæ miſerandis profeſſoribus, ſed ad alia verba Canonis in eodem capite explicanda fiat gradus, ex quo noſtrum propoſitum apertius liqueſcat.

Facultates exhauriũt, ita proſequitur Pontifex *in d. c. ijdemq; verbis diſſimulant veritatem, vt tandem quod non eſt in rerum natura eſſe verum aurum, vel argentum ſophiſtica tranſmutatione confingant, aquè interdum temeritas damnata, & damnanda progreditur, vt fictis metallis cudant publicæ monetæ characteres.*

Ecce quàm apertè ſolùm de ſophiſticis Alchymiæ cultoribus fallacibus, auaris, & malignis, & falſarijs loqui Pontificem in dicto *cap.* iſta verba demonſtrant, hæc autem tria vitia à veræ, & realis Alchymiæ cultoribus omninò exulant, pro quo pondera prudens lector conſilium ab *Hermete* huius ſcientiæ, ſeu chymicæ artis profeſſoribus datum, qui *in 4. tract. Roſ. Philoſoph. fol. 223.* & ſic ad illos loquitur: *Oportet illum, qui introduci vult in hanc artem, & ſapientiam occultam arrogantiæ vitium à ſe repellere, & pium eſſe, ac probum*, & infra: *fili ante omnia Deum oportet timere, in quo diſpoſitionis tuæ virtus eſt*, & ibidem, accipe Alchiphidium quid moneat huiuſmodi veræ artis cultores; *Scito fili, quòd iſtam ſcientiam habere non potes, quouſque mentem tuam cum Deo purifices, & ſciat te Deus habere rectum animum.*

En ergo, quod veræ Alchymiæ profeſſores timentes Deum probi, pij, purificatæ conſcientiæ, & animi rectæ oſtenduntur: non ergo Pontifex voluit in *d. c.* damnare veræ, & realis Alchymiæ ingenioſiſſimos cultores, ſed ſolùm ſophiſticos, fallaces, verę ſophiæ ignaros, & falſarios deceptores. Quare

Aduertat prudens Confeſſarius, ne ſtatim, atque in Confeſſione excipit Alchymiſtas, eos arguat, ſed prudenter inquirat ab ipſis modum an ſuphyſticum, an realem, & finem, an vtilitatis, an curioſitatis, an deceptionis gratia exerceant Alchymiam realem ne ſcilicet, an ſophyſticam, moneatque ſophyſticam omninò damnatam à *Ioann. XXII. in d. c. ſpondent*. Verùm in gratiam Confeſſariorum, ne ab Alchymiſtis decipiantur, ſit ſequens difficultas.

Vtrum veræ Alchimiæ profeſſores poſſint aurum ſuo miniſterio effectum abſolutè vendere abſque deceptione.
DIFFIC. IV.

SVpponit hæc difficultas Alchymiæ veræ profeſſores præciſa omni ſuperſtitione, & Dęmonum ope, humana ſolùm induſtria, applicando actiua paſſiuis verum aurum de facto efficere poſſe, quod in ſecundo Phyſicorum, ſi non apoditicè, topicè ſaltem à me probatum fuit, non eſſe impoſſibile, cùm ars imitari naturam valeat. Quare

Dico primò, quòd ſi Alchymiſta veræ Alchymiæ ductu metallum impurum ſola artis induſtria in aurum, præciſa omni ſu-

perſtitione, & fraude commutauerit, auri ſcilicet ſubtiliorem ſubſtantiam ſeparatam acutiſſimam in metallum depuratum, & idoneizatum ad eius actiuitatem recipiendam medijs cimentationibus introducendo, vndè ignis virtute actiuitatem dictæ ſubſtantiæ auri ſubtiliſſimi promouente dicta materia metallica tota ſit effecta aurum verum, tunc aduertat Confeſſarius, & admoneat Alchymiſtam, ne abſolutè iſtud aurum alchymicum non vendat pro auro naturali, quandoquidem licet pro annulis, torquibus, & reliqua aurea ſuppellectile facienda, & ornanda optimum ſit, tamen quia ars imitatur ſolam naturam, non tamen totam ferè naturę perfectionē ex ſolo ſuo miniſterio prębere ſolet ad infirmitates ſubleuandas, & ſanitatē conſeruandā tale aurū alchymicum, dubium eſt ſaltem, an virtutem naturalē habeat, nam ex cimentationibus materia illa metallica quaſdam aliquando retinere ſolet venenatas qualitates, vt ſi à Pharmacopolis adhiberetur in medicinis potius lęderet, quàm iuuaret. Quare

Dico ſecundò, quòd verę Alchymię profeſſores verum aurum ſi aliquando effecerint, poſſunt licitè vendere, verùm cum hac conditione, vt aurum dicant alchymicum eſſe, & non minerale, ad hoc, vt ignorantibus, & poſteritati conſulatur, moneant emptores potius ſuppelectili ornandæ ahibendum, quàm ad cudendum monetas, & medicinas faciendas, qui enim rem ſuam vendit monendo emptorem de ſua qualitate tàm bona, quàm mala non peccat, vt dicetur *v. Venditio.*

An verò abſolutè poſſint in conſcientiæ foro abſolui Alchymiſta, qui contendit ſuum aurum eſſe eiuſdem perfectionis cum auro naturali, & per conſequens abſque hac limitatione non poſita vendiderit, & velit vendere in poſterum in gratiam Confeſſariorum in ſequenti difficultate videbitur. Quare ſit

Vtrum ſit abſoluendus Alchymiſta contendens aurum à ſe effectum eſſe eiuſdem perfectionis, & ſpeciei cum auro minerali, atq; adeò abſolutè vendendum.

DIFFIC. V.

PRæſens difficultas petit illud ſolemne dubium, an aurum artificiale ſit eiuſdem perfectionis, & ſpeciei cum auro naturali. Quare pro maiori intelligentia Confeſſarij in hac materia hoc dubium practicè quantum fieri poterit explicandum duxi, pro quo

Dico, quòd probabile eſt via naturali per alterationem, & corruptionem in materia idonea præbente arte extrinſecum miniſterium applicando actiua paſſiuis natura ipſa ignis, vel planetarum virtute educente formam auri ab eius materia ſecunda pręparata de facto aurum verum eiuſdem ſpeciei, & perfectionis cum auro minerali generari, patet hæc propoſitio ex communi Peripateticorum doctrina, omnem formam præter rationalem, quæ de foris aduenit ex Diuino ſcilicet ſolo opificio, educi de potentia materiæ, docentium etiam per corruptionem formæ pręcedentis non ſolùm de potentia materię primæ, ſed ſecundæ, ideſt idoneizatæ ad talem formam, vndè ex materia ſecunda idoneizata ad equum generandum non educitur forma bouina, ſed equina, quia vt ſic idoneizata habet in ſua potentia formam equinam, & non bouinam.

Ceterùm poſſe materiam aliquam idoneizari ad talem formam vel per ſemina, vel ex influxu planetarum, vel ex ipſa corruptione formæ antecedentis, eſt communis opinio philoſophātium, non ſolùm ipſius naturæ ordine, ſed etiam artis miniſterio id poſſe fieri in praxi eſt deductum, vndè genita tàm ex applicatione artis, quàm ex ipſius ordine naturæ dicuntur eſſe eiuſdem ſpeciei, & perfectionis, quod exemplo practico dilucidatur: Oua gallinæ naturali ipſius calore fota, vtpotè materiam idoneizatam ex ſemine galli complectentia pullos intra tot dies excludunt, eadem etiam oua taliter idoneizata apud Ægyptios in Cayro, teſte *Plinio*, & apud Belgas etiam teſte oculato mihi hoc referente, ad calorem igneum temperatum applicata tempore determinato pullos excludunt eiuſdem ſpeciei, & perfectionis, quales ſunt qui ex ouis gallinæ appectoratis gignuntur ordine naturali, ergo etiam materia idoneizata cum ſemine auri, poteſt ita ſecundum artem ad calorem ignis applicari, vt ex ipſa aurum verum eiuſdem ſpeciei poſſit generari.

Quòd autem poſſit dari materia, in qua ſit ſemen auri, docent etiam Theologi grauiſſimi in quolibet metallo inditum eſſe ſemen auri, prætərquamquòd in mineris proximam auri materiam eſſe hydrargiron, & ſulphur rubeum vnctuoſum ex *Platone in Thymæo* habetur, & ibi *Proculus, & Calchidius, & Ariſt. lib. 3. Meteor. noſter Ianus Lacinius lib. 1. chemicæ artis cap. 13. Albertus Magnus lib. 3. de mineralibus tract. 1. c. 2. Contarenus lib. 3. Phyloſ. cap. 6. Georg. agric. de re metall. Theophraſtus lib. de lapidibus, & alij* docent idem, imò ſulphur rubeum vnctuoſum habere ſe in ratione actiui, & hydrargiron, ſeu argentum viuum in ratione potentiæ materialis in generatione auri, tradunt *noſter Lacinius vbi ſup. ex Auicenna.*

Quòd autem ipſa etiam metalla ſemina auri in ſe contineant, vtpotè à natura ordinata, ſingula vt ſint aurum, & accidentaliter remanere imperfecta, atque adeò vnam eſſe metalli ſpeciem ſentiunt *Albertus Theologus, & Philoſophus inſignis, & alij cum eo*, imò *Cælius Rhodiginus lib. 12. cap. 13.* de quodam Gallo homine miræ ſagacitatis, & ſubtiliſſimi ingenij, qui virtute aquæ ſeparatricis ab ipſo confectæ ex metallo quolibet aurum puriſſimum ſecernebat. Patet ergo, quòd poteſt dari materia cum ſemine auri, ergo ſi talis materia virtute artis, applicando ſcilicet actiua paſſiuis idoneizetur, itavt ex calore ignis debitè approximato poſſit excitari virtus actiua educens formam auri, ſicut educitur virtute Solis, poterit vtique probabiliter dici ex tali magiſterio generari aurum verum eiuſdem perfectionis, & ſpeciei cum auro minerali, ſicut pulli ignis calore excluſi ex ouis ſunt eiuſdem ſpeciei cum pullis excluſis ab ouis per calorem naturalem gallinæ; porrò quod verus Alchymiſta ſui naturalis intellectus acumine, & induſtria cum tali proportione neceſſaria apta, & congrua poſſit applicare actiua paſſiuis ita, vt generatio ſequatur auri ex doctrina *Theologorum Principis Doctoris noſtri ſubtilis, eiusq; fideliſſimi interpretis Lycheti in 2. diſt. 8.* probabiliter colligo, docet enim, quòd Angelus ſua virtute creata applicādo actiua paſſiuis, & cęleſtibus corporibus in ſitu conuenienti approximando poteſt generationem efficere corporis alicuius, quod natura ſolum nata eſt generare, & Angelis malis tribuit, parcite aures caſtæ, ſemen ab homine deciſum in ſua naturali qualitate ab ipſis ſeruatum in matricem fœminæ poſſe introducere, ex quo generatio hominis naturaliter fiat abſque alia viri commixtione, & *D. Auguſtin.* docet *lib. de Trinit.* angues à magis Pharaonis in virgas, & è contra conuerſos fuiſſe per naturalem mutationem, applicando ſcilicet actiua paſſiuis. Si ergò ad hęc difficilliora poteſt creatus intellectus ſua induſtria pertingere, multò magis poterit applicare actiua paſſiuis proportionata ad hoc, vt poſſit generatio auri fieri eiuſdem ſpeciei cum auro minerali; nec obſtat, quòd Angelus tamquam ſubſtantia ſeparata rerum naturas perfectiſſimè cognoſcit, & ideò nil mirum, ſi actiua paſſiuis ad generationem neceſſaria ſciat applicare, etenim intellectus animæ, & Angeli non differunt ſpecie reſpectu obiecti ex *Scoto in 2. diſt. 1. qu. 79.* quare quod licet Angelo circa obiecti intelligentiam, & cognitionem, licet etiam intellectui humano, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Angelus velocius cognoſcit, cùm non impediatur à ſenſibus, tardius verò intellectus noſter indigens miniſterio ſenſuum, itaque ſicut Angelo non repugnat ſcire applicare actiua paſſiuis, vt generatio ſequatur rei naturalis artis ſuæ miniſterio; ita etiam idem poterit intellectus humanus, licet tardius aſſequi, ex quibus videtur probabiliter deductum, non repugnare verę Alchymiæ profeſſori ſuę artis induſtria applicare actiua paſſiuis ordine proportionato, vt indè poſſit ſequi generatio auri eiuſdem ſpeciei cum auro naturali.

Confirmatur hæc doctrina ex eo, quod Alchymia qua parte artificialem manū admouere docet in oleis, ſalibus, gummis, & metallis alterandis, calcinandis, ſeparandis, purificandis, & cimentandis mœcanica eſt; quatenus autē docet, quænā ſint debita apta, & proportionata actiua, & paſſiua ad aurū generandum, & quomodo applicanda iuxtà temporum locorum, & calorum quantitatem, qualitatem, & ſitum theorica eſt fundata in ſuis primis, & veris principijs, ex quibus humanus intellectus poteſt pertingere veras regulas ad generationem auri eiuſdem ſpeciei cum auro minerali faciendam.

Patet ergò probabilitas huius opinionis, quod ſcilicet veræ Alchymiæ profeſſor iuxtà ſuam veram artem applicando actiua paſſiuis, poteſt aurum eiuſdem perfectionis efficere, & eiuſdem ſpeciei cum auro minerali, quod arguitiuè ex *Sotı* ſententia conatus ſum probare, ſed expreſsè etiam docuerunt *D. Tho. & Alb. Mag. loc. cit.* ambo D.D. primæ Claſſis, & Theologorum PP. ex quorum authoritate ſola, licèt multi alij non adeſſent, qui idem non ſentirent, probabilem poſſint reddere hanc opinionem. Quare ad principale difficultatis intentum reſpondendo

Dico ſecundò, quòd ſtante probabilitate præfata opinionis de-

debet Confeſſarius abſoluere Alchymiſtam, qui præciſa omni ſuperſtitione, & fraude contendit ſe verum aurum eiuſdem perfectionis cum auro minerali effeciſſe, & per conſequens ſi illud vendiderit abſolutè abſque monitione, quæ data eſt in difficultate præcedenti, non debet obligari ad reſtitutionem. Confeſſarius enim poteſt tuta conſcientia ſequi opinionem probabilem ſui pœnitentis, quamuis fortè ſua opinio ſit probabilior, vt dicetur alibi fuſius.

Tutius tamen operaretur Alchymiſta, ſi aurum ſuum probaret vulgo, à coppella, nam ſi totum remaneret certiſſimum ſignum, quòd ſit eiuſdem perfectionis cum auro minerali, vndè tuta conſcientia poſſet vendi, & tradi abſque alia monitione, quòd ſit chimica arte confectum, quod ſi non remaneret totum in pondere, quantum poſitum fuit ad probationem, argumentum eſt euidens non eſſe eiuſdem puritatis, & perfectionis ſicut minerale; vndè vendendum omninò cum monitione difficultatis præcedentis.

Vtrum Alchymiſta contendenti ex ſuccis herbarum verum aurum ſe effeciſſe, deneganda ſit abſolutio tamquam de ſuperſtitione ſuſpecto.

DIFFIC. VI.

DE hoc caſu interrogatus fui à quodam nobiliſſimo Equite Neapoli, dum in Regio Conuentu Sancti Didaci Theologiam legebam, cui non eſſe denegandam abſolutionem reſpondendum duxi, data hypotheſi, quòd Summus omnium Creator talem virtutem tradiderit quibuſdam herbis alterandi metalla in ordine ad ea tranſmutanda in aurum præciſa omni ſuperſtitione, & ope Dæmonum, & conſequenter dicendum, quòd tale aurum foret eiuſdem ſpeciei, & perfectionis cum minerali, nam, quod ex rebus diuerſæ ſpeciei naturali via applicando opportunè, & idoneè actiua paſſiuis diuerſam ſpecie ſubſtantiam à rebus prædictis alteratis, eiuſdem tamen ſpeciei cum genitis ex naturali generatione produci poſſe etiam quotidiana monſtrat experientia, nam capilli in aqua diutius poſiti ita demum alterantur, vt ex ipſis ſerpentes generentur eiuſdem rationis, & veneni cum genitis ex animali propagatione; ex cadaueribus equorum Veſpas, ex boum autem apes ex certo artificio applicato generari eiuſdem ſpeciei cum productis ex propagatione vel etiam producentes, quod aliæ naturaliter progenitæ. Item ex putridis Nauiũ fragmentis, & ex arborũ fructu in mari deciduo generari anates in Scotia, & apud Arduennas ligna poſita in certis fontibus lapideſcere tamquam notiſſimum narrat inter alios *Mart. Delrius deſquiſ. mag. lib. 6. c. 5. q. 1. ſect. 3.*

Ceterum vt propinquius ad noſtrum propoſitum accedamus ex herbis applicatis humano artificio cum alijs, tamquam actiuis, & paſſiuis idoneè approximatis diuerſæ ſpeciei ab ipſis progigni ſubſtantiam, experientia quotidiana etiam demonſtrat; ex baſilico enim ſub lateribus poſito exoriri ſcorpiones eiuſdem ſpeciei, & veneni cum genitis via procreationis etiam pueri ludificant. At verò viuentia quò ad eſſe nobiliora ſunt non viuentibus, vt docent Peripatetici, licèt aliqua non viuentia ratione nobilioris cauſalitatis, vt cæli reſpectu muſcarum nobiliora dicantur, ergò ſi herbæ applicatæ tamquam actiua ſuis paſſiuis generandi vim habent viuentia eiuſdem rationis cum genitis ex propagatione, etiam poſſe aurum, quod in entitate ignobilius eſt ipſarum virtute applicata idoneis paſſiuis progigni, quod ſit eiuſdem rationis, & perfectionis cum auro minerali, nec repugnat credere datorem omnium Deum benedictum inſeruiſſe virtutem iſtam aliquibus herbis metalla taliter alterandi, vt poſteà ex earum actiuitate in aurum verum eiuſdem perfectionis cum minerali tranſmutentur, cum herbis in alterandis corporibus etiam perfectis tam ad ſanitatem, quàm ad infirmitatem etiam, lethalem naturaliter inſita virtus quotidiana praxi appareat, ergo etiam poteſt inſeri à Deo ipſis herbis virtus naturalis tranſmutandi metalla in aurum. Quare

Concludendum omninò non poſſe denegari abſolutionem Alchymiſtæ, qui remota omni fraude, & ſuperſtitione, vel ope diaboli contendat cum ſuccis herbarum ſe verum aurum effeciſſe eiuſdem perfectionis cum minerali, & vt tale vendidiſſe, quia vti debet Confeſſarius opinione probabili, vt dictum eſt, & licèt ipſe ſuſpicetur in tali pœnitente ſuperſtitionem in confectione auri ex ſuccis herbarum, debet tamen credere pœnitenti in foro conſcientiæ tam pro ſe, quàm contra ſe alleganti probabilia.

An verò, quæ de lapidis Philoſophorum mirabili virtute circumferuntur, exquirat prudens Confeſſarius verane ſint, an falſa, vt in abſoluendo tales Philoſophantes, debita vti poſſit diligentia ſit ſequens difficultas.

Vtrum Alchymiſtæ lapidis Philoſophorum confectioni operam danti tamquam rei illicitæ inhianti, ſit deneganda abſolutio.

DIFFIC. VII.

IN præſenti difficultate neceſſe eſt, vt propoſito dubio fiat ſatis, aperire vtrum confectio lapidis, vt aiunt Philoſophici, ſit poſſibilis, & ea, quæ de ipſo circumferuntur, liceant, vel haberi, vel dici. Quare

Dico primò, quòd hunc lapidem, quem hodie vocant Philoſophorum varijs nominibus antiquiores iuxtà varias eius compoſitiones, ſeu effectus veros, vel ſophyſticos, vel ſomniatos appellarunt; alij enim Elyxir, aquam ſiccam alij, quidam aquam viuentem, aliqui ſanguinem humanum, alij Mercurium Philoſophorum, lathon, Draconem, Coruum, aliqui medicinam morborum omnium, & antidotum ſanitatis, alij lignum vitæ, alij aquam, ſeu oleum benedictum, & lac Virginis vocant hunc lapidem, quæ nomina ideò hic appono, vt doceatur Confeſſarius præter hæc tria vltima, ſcilicet lignum vitæ, oleum, vel aquam benedictam, & lac Virginis cętera poſſe permitti; hæc enim tria vltima regulariter ſcioli, & Philoſophorum indigni nomine à Chriſtiano cultu fortè aberrantes, & de fide ſuſpecti obloquuntur, vndè reijciendi ſunt talia nomina imponentes lapidi, nã falſam omninò doctrinam ex ſcriptura, & ſacramentalibus noſtris de lapide iſto ſub talibus nominibus prædicant, dicunt enim quòd ſicut lac Virginis Matris Mariæ carnem dedit Chriſto ab omni morbo præſeruatam, ita etiam volunt, quòd hic lapis ſit antidotum contra omnem morbum, atque adeò lac Virginis, dicendum, quòd hæreſim certè ſapit, cùm ex lacte Virginis præcisè, & abſolutè non prouenerit in carne Chriſti præſeruatio ab omni malo, ſed potius à ſacratiſſima hypoſtatica vnione.

Dicunt etiam, quòd ſicut lignum vitæ immortalitatem hominibus illud comeſturis donabat reſtaurando calorem naturalem, & humidum radicale reſtaurando, ita eamdem prorſus virtutem ab huius lapidis ſumptione prouenire crocitant, futile ſanè dictum, & nulla ratione comprobatum, quod Deus tantum donum arti tribuerit, vt immortales reddere poſſit homines.

Quòd autem vocent iſtum lapidem aquam benedictam, vel oleum ſanctum ſuperſtitionem etiam redolet, & falſitatem, volunt enim ex lapide iſto ita vel hydrargiron, vel aurum, & alia, metalla deferri, & fermentari ad auri multiplicationem ferè in infinitum in alijs metallis faciendam, ſicut parum olei ſancti, vel aquæ benedictæ magnam quantitatem olei, vel aquæ eiuſdem benedictionis, & ſanctificationis participem facit, & rurſum aiunt, quòd ſicut parum iſtius aquæ, & olei, quæ modò receperunt ſanctificationem, alias aquas, & olea non ſanctificata ſanctificant, quaſi velint flumina aquæ benedictæ, & ciſternas omnes olei ſanctificari, & benedici ex paruo benedicto; ita ex paruo puluere Philoſophico defecari metalla, in quibus miſcetur, ad auri multiplicationem ita, vt pars etiam quælibet iſtius metalli aliam quantitatem metallorum aurificare quaſi in infinitum, quare infinitum penè theſaurum inaniter repromittunt ſimplicibus, & pecuniarum cupidis ſub hoc exemplo aquæ benedictæ, & olei ſancti.

Quæ doctrina quàm falſa ſit, patet primò ex Philoſophia, quæ docet, quòd omne agens in agendo repatitur, & tandem conſumitur, vndè dato quòd ſit vis actiua in lapide tranſmutandi metalla, illa tamen toties communicata breui actionum periodo neceſſario conſumitur; patet ſecundò falſitas in ſimilitudine adducta, nam à veritate, & Eccleſiæ praxi alienum eſt flumina, & ciſternas olei benedicti, & ſanctificati poſſe ex paruo adiecto olei ſancti, vel aquæ benedictæ cum hoc ex proportionata ſola benedicti parte in aliam proportionatam infuſa ſolum benedici praxis eſt Eccleſiæ, & dolia vini, & arcas panis nec poſſe conſecrari, niſi adſit proportionatus numerus fidelium tanta ad actualem vſum copia indigentium eſt in ore Theologorum multorum, vndè nec ciſternas, nec flumina aquæ, vel olei benedici, & ſanctificari poſſe ex tot partium aquæ benedictæ, vel olei ſancti commixtione à conſimili eſt dicendum, quia ad vſum fidelium non eſſet neceſſaria tanta quantitas, niſi fortè exercitus Xerſis denuò compareretur in vnum.

Præterquamquod non valet arguere à morali ad naturalem virtutem, cùm magna inter ipſas ſit differentia, ex voluntate enim primi inſtituentis ſit moraliter, quòd pars aquæ benedictæ, vel olei ſancti non benedictum ſanctificet, & ad infuſionem ſucceſſiuè eiuſdem particulæ, quæ ex benedicto accepit benedictionem vſque in infinitum ſecundùm libitum ſuæ voluntatis in alijs non benedictis iterum, atq; iterum infundi benedictionem poteſt determinare Deus, & ex ipſius nutu Eccleſia, ſi tanta inter fideles eſſet neceſſitas aquæ, & olei benedicti; perpetuò enim voluntas moralis durare poteſt, vt patet in legibus, & ſtatutis, quod tamen non fuiſſe determinatum à Deo, nec ab Eccleſia patet ex eo, quod aqua benedicta iubetur in rubrica renouari deberi in ſingulas hebdomadas, & oleum ſanctum in ſingulos annos, & in deficientia tàm aquæ, quàm olei benedicti in parua quantitate commiſceri non benedictum cum benedicto vſus eſt Eccleſiæ, itaq; in imponendis nominibus iſtis ſacris, vel ſanctis lapidi Philoſophorum errant maximè ſcioli Alchymiſtæ. Quare

Dico ſecundò, quòd imponentes talia nomina præfata lapidi vel ipſis nominibus vtentes Alchymiſtas debet diligenter examinare Confeſſarius, an ex mera ſimplicitate, an verò ex contemptu Eccleſiæ, vel fidei id fecerint, vel dixerint, & iuxtà malitiam, vel ſimplicitatem impendant ſalutares penitentias expreſsè prohibendo, ne in poſterum talia nomina proferant, & ſi errare aliquo modo cognouerit eos in rebus ad fidē pertinentibus in ratione talium doctrinarum, quæ ſuperius ſunt allatæ Epiſcopos, vel Inquiſitores conſulat, quia ferè iſti talia obloquentes de lapide hæretici ſunt, vel ſaltem hæreticorum cultores, vndè

Dico tertiò, quòd Confeſſarius conſimiles perſonas de lapide præfatis nominibus obloquentes, diligenter interroget, ſi quid ſuperſtitioſum habeat in libris pro confectione lapidis, puta ſi Icones, & imagines Chriſti paſſi, reſuſcitati, aſcendentis, & ad dexteram Patris ſedentis, Beatæ item Virginis conceptæ, natæ, & aſſumptæ, ſub quorum miſterijs confectio lapidis figuretur, & conſimilia habeant, In quibus miſceantur ſacra prophanis, quòd ſi talia Inuenerit, non abſoluat eos, niſi prius ad Ordinarium, vel Inquiſitores huiuſmodi libri, & ſcripta tamquam ſuperſtitioſum maleuolentia deferantur, etenim à Sacramentarijs hereticis talia conficta præſumendum in contemptum fidei, ſi verò errorem in intellectu habeant dicti Alchymiſtæ pro abſolutione, vt dictum eſt ſuperiores conſulat.

Dico quartò, quòd ceteri veri lapidis Philoſophici artifices ſani in fide, an ſint, ex eo comperiat Confeſſarius, ſi iuxtà regulas naturales precisa omni ſuperſtitione, & ope diabolica nullo modo miſcendo ſacra prophanis, nec dictis, nec factis in confectione dicti lapidis procedant, quem ideò Philoſophorum lapidem communiter vocant, quia à Philoſophis antiquis collegialiter viuentibus non ſibi, ſed publicæ vtilitati multo ingenio inſigni induſtria, continuato labore, & maxima patientia ſecundùm axiomata, & principia philoſophica conficiebant, vndè fortè tanta auri copia antiquitus habita non tantùm à fodinis, quàm à Philoſophorum induſtria dicitur comparata, quod an omninò ſit certum prudentioribus remitto decidendum.

Dico quintò, quòd tales Alchymiſtæ contendentes operam dare confectioni lapidis Philoſophorum, præciſa omni ſuperſtitione in dictis, & factis, omnique fraude, & malitia remota abſoluendi omninò ſunt, quia verè rei ex ſe poſſibili, & licitæ incūbunt, ſi iuxtà regulas, & principia Philoſophiæ in tali confectione procedant, nec inania, vt ſupra de multiplicatione ferè infinita falſam proferant opinionem, etenim ab auctoribus non ſpernēdæ fidei refertur extitiſſe aliquos, qui de facto aurum ex lapide Philoſophico confecerunt, & precipuè ab Arnaldo de Villa noua Philoſopho acutiſſimo virgulas aureas in aula Pontificia à ſe confectas omnium examini protuliſſe, vndè veram, & realem ſcientiam Alchymiam tradunt *Oltradus relatus a noſtro Angel. v. Alchymia con. 74. de ſortileg. Ioann. Andr. in addit. ad ſpecul. tit. de crim. falſ. citatus à noſtro Vmartilo ibidem ſchol. P. Abb. in cap. ex tuorum de ſortil. & ibid. Bald. Ioann. platea in l. 1. c. de argenti pretio*, quod theſauris infertur, quos citat, & ſequitur *Delrius loc. cit. ſect. 4.*

Nec obſtat, quod *Penna comm. 36. ad 2. p. direct. Eymmerici queſt.* 11. ait Arnaldum predictum magicæ artis ſuſpectum auxilio Demonum veram chryſopeiam attigiſſe, nam in aula Pontificis iſta ſuſpicio ſi fuiſſet, ſanè punitus fuiſſet ab Inquiſitoribus in Eccleſia Dei ſemper in hiſce rebus oculatiſſimis, quod tamen non legitur factum.

Adde, quòd ab eodem *Delrio loc. cit.* narratur, quòd Londini in Arce Regia *Raymundus Lullus* verum aurum effecerit, & adhuc extare quaſdam pecunias aureas in huius memoriam rei inſculptas titulo nobile Raymundi, nec dicendum Demonum ope id factum, nam virum probum, & pium extitiſſe prædictum Raymundum referunt multi, preterquamquòd Reges non facilè decipiuntur Argi oculos in hiſce materijs per ſe, vel per ſeruos ſuos habentes.

Denique pro huius opinionis probabilitate accedit, quod *Cardanus, & Aragonius apud eundem Delrium ibidem* referunt de quodam Taruiſino Pharmacopola, qui argentum viuum cum quodam puluere ſibi ab hoſpite quodam Gallico donato propter hoſpitij remunerationem in verum aurum coram Andrea Gritto Duce Venetiarum, & aliquot Patricijs Venetis conuertit, Gallus autem requiſitus, vt ſcientiam doceret, alio adnaugarat interea, nec iterum Venetias redijt, multos etiam tales fuiſſe teſtatur *Phernelius lib. de abdit. rer. cauſ.* quare cùm probabile ſit demonſtratum opificium lapidis, non poteſt dici inaniter operam perdere, & illicitæ rei vacare ipſi incumbens, preciſa omni ſuperſtitione, fraude, & malitia.

Alchymiam veram edoctus à Demone, poſtea pænitens, an ea vti poſſit abſq; ſcrupulo.

DIFFIC. VIII.

VEram, & realem auri confectionem naturali via ſcilicet applicando actiua paſſiuis à Demone attingi poſſe tactum eſt ſupra, non enim hoc eſt ſupra naturales vires ipſius. *Si* ergò Demon hanc doceret Chriſtianum Catholicum per magicos circulos ad id coactos, queritur, an ſi poſtea abrenuntiata Demonis familiaritate, poſſit tuta conſcientia ea arte, præciſa omni ſuperſtitione, fraude, & malitia, vti.

Affirmatiuè reſpondendum cenſeo, nam licèt Magiſter fuerit malus, & illicitè cum ipſo fuerit conuerſatum, ad finem diſcendi talem artem, tamen hic, & nunc, ſi nulla adſit ſuperſtitio, nec pactum expreſſum, vel tacitum cum Demone ſolùm medijs naturalibus, licèt à Demone edoctis licita eſt, vtpotè vtilis, & honeſta, doctrina enim bona, licèt cum peccato addiſcatur, ſemper tamē licitè exercetur. Cùm ergò confectio auri probata ſit eſſe bona, etiamſi cum peccato addiſcatur, ſemper licita erit, ſicut etiam ſi Demon doceret modum liberandi ab aliqua infirmitate, præciſa omni ſuperſtitione, & pacto cum ipſo, ſed ſolùm medijs verè naturalibus, licet hic edoctus à Demone tale remedium peccauerit ediſcendo ratione familiaritatis cum Ipſo, tamen poterit eo ſemper ſine peccato vti, preciſa omni ſuperſtitione, & fraude; Ita etiam docet *Victoria relect. de mag. q. 4. n. 15. Nald. v. Demon, n. 1. & alij.*

Verùm diligens Confeſſarius admoneat virum huiuſmodi, vt à tali confectione auri, quam à Demone didicit, pro viribus abſtineat, ne Demones propter ſui penitentiam contra ſe indignatos, ad mala inferenda compellant, dum abſq; lucro animæ ſuæ vident traditam doctrinam abſq; peccato exerceri.

Vtrum Alchymia, quæ hodie à multis circumfertur exercenda, tuta conſcientia permitti valeat.

DIFFIC. IX.

EX dictis patere poteſt reſponſio ad preſentem difficultatem, tamen vt facilius Confeſſarij cognoſcant in fractione panis quomodo ſe gerere debeant cum tali genere perſonarum.

¶ Dico primò, quòd Alchymiam veram, & realem qui exercere velint, debent, vt docuere ipſimet præcipui DD. Alchymiæ, ſcilicet *Geber, Hermes, Arnaldus, & Alphydius* eſſe viri probi, pij, Deum timentes, Philoſophi inſignes, acutiſſimi ingenij, patientes, ſufficienter diuites, non ſuperbi, non auari, non mendaces, non pauperes, ſed animi recti, & purificatæ conſcientiæ, ſecùs effectum chryſopeiæ numquam experturos eſſe proclamant.

Quare ſi Confeſſarius cognoſcat Alchymiſtam non eſſe Philoſophum, nec ſufficienter diuitem, ſed potius indigentem facilè arguere poterit eſſe improbum, doloſum, & ſolius gratia lucri ſophyſticam ſolùm Alchymiam exercere, vt ſimplices decipiat, & ita ſuæ indigentiæ conſulat, & de tali genere perſonarum loquitur *Ioann. XXII. in præfato cap. ſpondent*, quod etiam genus perſonarum, vt optimè docet *Eymericus in direct. Inquiſ. fid.*

Digitized by Google

ſed.p.3.fol.443. in edit. Rom. & Ant. noſter v. Alchymia ſub fin. probabiliter ſuſpectum eſt, vt imploret auxilium Dæmonum ad hanc artem aſſequendam; ad hoc enim impellitur à paupertate, & ab arrogantia, vt ſe ſcilicet non ſolùm ditet, verùm etiam ſapientem demonſtret. Quare Confeſſarius cum iſto genere perſonarum diligentiam adhibeat, vt ſuauiter, fortiterq; à tali exercitio deturbet, dum veræ philoſophiæ principia, & axiomata non callet. Quare

Dico ſecundò, quòd hodie omninò illicitum puto Alchymiæ exercitium, quia ferè, & paſſim ipſi incumbentes ſunt ignorantes vera principia philoſophiæ ſolum quibuſdam axiomatibus falſis imbuti, quæ apud ſimplices iactantes magnos Philoſophos ſeſe exiſtimandos curant, paſſim, & ferè omnes ſunt paupetes, qui circum curſantes per diuerſas Ciuitates modò vnum decipiunt, modò alium ſimplicem hominem, & ſic ſuæ indigentiæ, & cupiditati conſulunt, vana ſpe multos ludificantes, & theſauros exhaurientes, vt optimè docuit *Ioann. XXII.* huiuſmodi ergò homines tamquam deceptores nullo modo abſoluendi, niſi prius ſcripta, & libros relinquant, & ſi adſit ſuſpicio, vt ſupra dictum eſt, conſulantur Epiſcopi Ordinarij, vel Inquiſitores.

Dico tertiò, quòd Alchymiam veram, & realem, præciſa omni ſuperſtitione, & fraude exercentes, licèt deſint hodie tum propter raram veræ artis experientiam, & veræ Philoſophiæ ignorantiam, tamen non videtur omninò illicitum Principibus dumtaxat, vt etiam docet *Caiet. 2.2. qu. 77. ar. 2.* huiuſmodi artis cultores aliquando retinere, vtpotè qui faciliter non permittant falſitates, & deceptiones, quas vt primum odorauerint, certè tale genus perſonarum à ſeſe depellendum curabunt, dum veram Alchymiam ignorare comperibunt.

Alienatio.

Quid ſit Alienatio. DIFFIC. I.

Dico primò, quòd Alienatio largo vocabulo ſi accipiatur, eſt quæcumq; datio facta alteri, ſiue transferatur dominium, ſiue non, ſufficit enim ad alienationem latè ſumptam, quòd fiat ſola poſſeſſionis, vel vſus translatio in alterum, hinc datio in Emphyteuſim, locatio, & conductio ad longum tempus, mutuatio, permutatio, & cętera id genus dicuntur alienationes largo vocabulo, vt docent *noſter Angel. v. Alienatio ex Innoc. c. Epiſcopi de reb. Eccl. non alienand.*

Dico ſecundò, quòd Alienatio ſtricto vocabulo, ſeu ſtrictè ſumpta propriè dicitur omnis actus, per quem transfertur dominium ex *tex. c. de fund. donat. l. 1. & l. Alienationis verbum ff. de ver. oblig. & gloſ. in c. nulli liceat, de reb. Eccl. non alienan.* vt ſunt venditio, & donatio, & conſimiles tractatus, vt communiter docent Iuriſtæ.

Dico tertiò, quòd alienatio primo modo ſcilicet largè ſumpta pro omni datione, ſeu translatione vſus, & poſſeſſionis ſemper interpretanda eſt eſſe alienatio in materia fauorabili, at verò in materia odioſa alienatio interpretanda eſt eſſe alienatio ſecundo modo ſtricto, & proprio vocabulo pro vera dominij translatione; Ita in *d. c. nulli autumat Panormit.* & iure quia fauores ſunt ampliandi, & pœnæ reſtringendæ iuxtà commune Iuriſtarum proloquium.

Quomodo, & quando intelligatur facta alienatio. DIFFIC. II.

Dico primò, quòd alienandi prohibitio ſi facta fuerit expreſsè, certum eſt, quòd ab initio inducit nullitatem ipſo iure, ita communiter DD. nam actus translationis dominij nullus eſt in non valente dominium transferre. At verò ſi ſolùm tacita fuerit prohibitio alienandi, talis alienatio intelligenda eſt ſolùm de alienatione perpetua, non autem de alienatione temporaria ſua vita ſcilicet durante, quia vt dictum eſt ſupra, fauores ſunt ampliandi, & pœnæ reſtringendæ, maximè quando non adeſt præiudicium tertij; quare prohibitus non expreſsè, ſed ſolùm tacitè alienare rem per fideicommiſſum ſibi traditam, poterit vita ſua durante eam alienare, quia ſucceſſori remanet dominium integrum poſt mortem alienantis; Ita ex *noſtro Ang. vbi ſup.* & expreſsè *Farinac. pract. crim. q. 25. n. 38. & 39. Sanch. in decal. lib. 2. c. 38. & Nald. hic n. 3.*

Dico ſecundò, quòd alienatio non dicitur facta, quando de fratre transfertur dominium in ſororem, vndè prohibiti alienari poſſunt dari filiæ nuptæ, vel ſorori; Ita *Ang. reſt. §. 1. ex Monal. C. de fluc. om. l. volunt. & gloſ. in c. Apoſtol. ſed v. Alienare, Menoch. conſ. 450. n. 1. & Nald. ibid.*

Dico tertiò, quòd alienare prohibito non ſuccedit fiſcus per confiſcationem, quod intellige, ſi vltra fidei commiſſum ſit expreſſa prohibitio alienandi, & in hoc caſu neq; acquiſita per confiſcationem, neq; bona aduentitia, & perfectitia tranſeunt in fiſcum; Vide *Iaſon in l. ſi ſtipulatus fuerim, §. cum ſtipulamur, de verborum oblig. & Nauar. conſ. 5. de accuſat.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ quomodo dicatur prohibita. DIFFIC. III.

Dico primò, quòd alienatio bonorum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, & piorum locorum prohibetur *in Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 11.* & præcipuè *in extrauag. Pauli II.* quæ incipit: *Ambitioſè de rebus Eccleſ. non alienan.* in qua prohibentur inconſulto Summo Pontifice, & ſine debita ſolemnitate ibi præſcripta præfata bona Eccleſiarum alienari.

Dico ſecundò, quòd *in prædict. Extrauag. Ambitioſè,* nomine alienationis intelligitur omnis actus, quo dominium transfertur, vel poſſeſſio, vel vſum ad longum tempus, niſi in caſibus à iure permiſſis, vel ab antiquo concedi ſolitis cum euidenti Eccleſiarũ vtilitate, modò ſint de fructibus, & bonis, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt. Quare prohibentur non ſolùm venditio, donatio, & permutatio, verùm etiam hypotheca, & locatio vltra triennium, quando ſcilicet locatio eſt de bonis, quæ ſingulis annis fructus reddunt, nam ſi alternis, vel ternis vicibus, ſeu annis fructus reddunt, poteſt fieri locatio pro rata temporis, itavt poſſit dici facta locatio reſpectus fructus colligendi per triennium, vt infra *v. Locatio,* item prohibentur conductio ad longum tempus, conceſſio, infeudatio, & Emphyteuſis præterquam in caſibus à iure permiſſis, & in bonis in Emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, modò ſit cum Eccleſię euidenti vtilitate.

Dico tertiò, quòd pœna alienantium contra formam prædictæ *Extrau. Ambitioſè,* prima eſt, quòd contractus alienationis ipſo iure eſt nullus; ſecunda eſt contra eos, qui non ſunt Epiſcopis nec Abbates lata eſt pęna excommunicationis ipſo facto, & priuationis beneficiorum, officiorum, & adminiſtrationum bonorum, quæ alienare præſumpſit, ſi verò fuerint Epiſcopi, vel Abbates incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, & ſi per ſex menſes permanſerint in interdicto, incurrunt ſuſpenſionem à regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ, vel Monaſterij, cui præſunt in temporalibus, & ſpiritualibus.

Dico quartò, quòd iſta prohibitio alienationis bonorum Eccleſiæ, & Monaſteriorum extenditur hodie ad quoſcumq; Regulares, etiam ſi gauderent ex conſuetudine, vel peculiari priuilegio de alienando contra forma præfatæ *Extrauag.* facta iuſſu *Vrban VIII. à Sacra Congregatione die ſeptima Septembris* 1644. in qua reuocantur omnia priuilegia, & conſuetudines, & præcipitur, ne in poſterum nullo modo alienent bona ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & locorum abſque ſolemnitate requiſita *in Extrauag. Ambitioſè,* quam in ſuo robore remanere voluit Pontifex contra Religioſos, ac ſi priuilegia contra eius tenorem emanata non fuiſſet, præterquam in caſibus à iure permiſſis ſub pœna priuationis vocis actiuę, & paſſiuæ, & perpetua inhabilitate ad illam in poſterum obtinendam; Vide *Bonac. diſp. 2. de alienat. bonor. Eccleſ. quæſt. 1. & Redoan. de alienat. q. 2.*

Quænam ſolemnitates requirantur ad faciendam licitam alienationem de rebus Eccleſia. DIFFIC. IV.

Multas ſolemnitates requiri ad faciendam licitam bonorum Eccleſiæ alienationem, colligitur præcipuè *ex c. 1. de his, quæ fiunt à Prel. & cap. ſine excep. 12. quæſt. 2.* Quare

Dico primò, quòd antequam fiat alienatio, debet præcedere tractatus inter Prælatum, & Capitulum expediat necne alienatio: ſecundò an potius iſtius, quàm illius rei: tertiò an per aliud remedium poſſit abſq; alienatione prouideri inſtanti Eccleſiæ neceſſitati, ſufficere autem, vt iſta tria vnico tractatu examinentur, probabiliter puto cum *noſtro Vngarell. hic ſchol. G. Riccio deciſ. 51. Vaſq. de reddit. c. 2. Couar. 1. variar. c. 13. quia de clemen. 1. de reb. Eccl. non alienan.* loquitur in ſingulari.

Dico ſecundò, quòd poſt præfatum tractatum requiritur neceſſariò conſenſus Capituli expreſſus de potius alienando hoc, quàm illo bono, & non ſufficeret tacitus, vt notant *noſter Vngarell.ſchol.H.Panormit.* quem citat, & ſequitur *Mol.diſp.*618. & iure quidem, quia *in cap.*1.*de his, quæ fiunt à Præl.* quando præcipitur conſenſus, ponitur *v.Collaudatio*, quod imponitur conſenſum expreſſum, vt patet viſu talis vocis ponderanti.

An verò ſit neceſſarius conſenſus abſentium negant communiter, & colligitur *ex d.c.*1. *& ex d.c.ſine exceptione*.

Cęterùm an ſufficiat, ſi conſenſus ſingulariter preſtetur, alij aiunt, alij negant, aiunt *Sylu.v.Alienatio n* 5. *Vaſqu.loc.cit.dub.* 12. modò prçceſſerit tractatus in pleno Capitulo. Negant tamen *Hoſtienſ. & alij*, quia ſingulariter exceptus conſenſus non eſt conſenſus Capituli, quod Congregationem ſonat, vtramque opinionem probabilem puto, modò prçceſſerit tractatus in Capitulo, & quando ſingulariter excipiendus eſt conſenſus, fiat precisa omni fraude, violentia, metu, & malitia.

Aduerte hic, quòd alienans Regularis Prçlatus, vel Abbatiſſa ſine conſenſu maioris partis Conuentus remanent excommunicati, & ſuſpenſi, & alienatio nulla; Ita *noſter Rodriq. qq. regul. T.*1.*q.*27. *& Portell. v. Alienatio n.*1. quod etiam dicendum puto de Superiore Eccleſiæ ſecularis, etenim non dicitur adeſſe conſenſus Capituli in ſua vera ſignificatione, ſi maior pars non ſuffragetur, vt infrà dicetur.

Dico tertiò, quòd ad validitatem alienationis requiritur, vt adſit euidens Eccleſiæ neceſſitas, quæ ſi non adſit, nulla eſt omninò alienatio, quia Papa ſemper ſub hac conditione, ſi in euidentem, concedit facultatem alienandi, quam conditionem diligenter abſque affectu humano ſtudeant inquirere Superiores, & Commiſſarij aliàs rationem Deo redituros ſe ſtrictiſſimè ſciant.

Dico quartò, quòd ad alienationem requiritur etiam ſubſcriptio, & maximè, vt notant *noſt. Ang. & Bonac. loc.cit.* in venditione, donatione, & permutatione, quod autem docent *Armilla v. Alienatio n.*6. *Leſ.lib.*2.*c.*24. *Molin. & Bonac. vbi ſup.* ſufficere ſubſcriptionem Notarij, ſi talis adſit conſuetudo probabile videtur, quia conſuetudo abrogat legem.

Dico quintò, quòd ad alienationem requiritur etiam conſenſus, & licentia Superioris: Aduerte autem, quòd nomine Superioris, hìc intelligitur Superior pleno iure, non autem Rectoris Ordinarij, itavt ſi Rector Eccleſiæ velit alienare requirat licentiam ſui Epiſcopi, ſi Epiſcopus alienet, requirat licentiam ſui Primatis, vel Papæ, ſi Abbas, Prior, vel Guardianus requirat licentiam ſui Prouincialis, ſi Prouincialis alienet, requirat licentiam ſui Generalis, ſi Generalis requirat licentiam Papæ.

Dico ſextò, quòd præter has ſolemnitates recenſitas, quæ requiruntur ſolùm de iure antiquo hodie per *Extrauag. Ambitioſè* latum à *Paulo II.* quæ in viridi eſt obſeruantia, requiritur in qualibet alienatione rei Eccleſiaſticæ auctoritas Summi Pontificis, aliàs nulla, & inualida, niſi fuerit de facto prius impetrata.

Vtrum ſi in alienatione deſint præfata ſolemnitates, validetur alienatio per ſolam Papæ auctoritatem.

DIFFIC. V.

AFfirmatiuè reſpondendum puto, quia debet prçſumi Papa voluiſſe ſupplere defectum huiuſmodi ſolemnitatum, cùm poſſit diſpenſare in Iure Cànonico, & ita deciſum fuiſſe in vna *Leodienſi cenſus* 29 *Ianuarij* 1596.*coram Domino Orano teſtatur Prax. Archiep. Neap.c.*99.*n.vlt.*

Cęterùm aduertendum eſt, quòd licèt diſpenſare prçſumatur Pontifex in cęteris ſolemnitatibus prçfatis, non tamen ſi deſit cauſa euidens, ſcilicet Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas, quia quando Papa concedit alienationem huiuſmodi, tacitè, vel expreſsè diſpenſat ſub hac conditione: *ſi in euidentem*; Ita docet *Rota* 2. *p. deciſ.*178.*n.*2.*Prax. Archiep.loc.cit in præfata Leodienſi, Sopranies apud Filliuc.tract.*44.*c.*5.*q.*11. *Redoanus q* 22. *Quaranta v. Alienatio n.*5. qui etiam docet vnum notabile cum *Menochio*, & aliis inſtari poſſe contra alienationem factam etiam ex auctoritate Pontificis, ſi euidens non adeſſet Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas.

Vtrum in alienatione rei Eccleſiaſticæ reperta poſt triginta annos debeat præſumi adfuiſſe Papæ auctoritatem.

DIFFIC. VI.

NEgant *Bald.l.*2. *C. de legit. hæred. Menoch. l.*3. *præſumpt.* 132. *Redoan. q.*38. *Afflict. deciſ.*103. *Crauetta de antiqu. temp.in* 3.*p.n.*18. *& Quaranta vbi ſup.n.*46. limitant tamen, niſi celebrata fuiſſet alienatio in loco, vbi eſſet notorium, & per conſequens veriſimile, quod Pepa ſciuerit, & tolerauerit talem alienationem, & cętera neceſſaria reperiantur, puta euidens Eccleſiæ neceſſitas, & in contractu fuerit reſeruatus conſenſus Papę, quatenus opus eſſet, itemque fuerit continuata poſſeſſio cum patientia Rectorum.

Attamen abſolutè affirmant tractu triginta, vel quadraginta annorum præſumi debere adfuiſſe conſenſum Apoſtolicum in tali caſu *Rota Rom.in deciſ.*179.*diuerſ.vol.*2.*Prax. Archiep.c.*98. & reſolutum fuiſſe teſtatur apud *Puteum deciſ.*165.*n.*4. *&* 7. *lib.* 2. *& in vna Rom.caſalis* 28. *Iunij* 1592. *coram Card. Seraph. & in vna Mediol.reſciſſ.permut. die* 10. *Ianuarij* 1597. *coram Illuſtriſſimo Card. Pamfilio.*

Aduerte hic etiam, quòd alienatio concedi ſolet à Pontifice cum commiſſione alicui facta, an ita res ſe habeat, quòd ſit euidens neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, ſi fortè non reperiatur decretum talis Commiſſarij de euidenti vtilitate, an diuturnitate temporis præſumatur adfuiſſe decretum, *ſi quæras*.

Dico cum *Quaranta loc. cit.* non debere præſumi adeſſe tale decretum, imò magnam præſumptionem eſſe, non adfuiſſe euidentem vtilitatem, dum non inuenitur decretum non adfuiſſe interpoſitum à Commiſſario, magna enim fuiſſet negligentia, dum inuenitur Bulla auctoritatis Pontificiæ cum prçfata clauſula: ſi etiam non fuiſſet curatum Decretum Commiſſarij iuxtà eamdem Bullam inſertum, ergò dum non reperitur tale decretum, debet prçſumi non fuiſſe euidentem vtilitatem.

Limitant tamen, & benè, quòd ſi ſubſecuta fuerit continuata poſſeſſio cum ſolutione Canonis non intermiſſa cum patientia, & ſcientia cuiuslibet Rectoris, poſſet dici præſumendum adfuiſſe tale decretum in euiden. vtilit. aliter enim reclamaſſent Rectores.

Vtrum Alienatio celebrata cum hac conditione, ſaluo Summi Pontificis aſſenſu, nec aliter, nec alio modo valeat antequam impetretur, incidatq́; ſic alienans in pœnas.

DIFFIC. VII.

DIcendum puto inualidam eſſe alienationem, & alienantem incidere in pœnas, ſi de facto fuerit tradita poſſeſſio, quia aſſenſus Apoſtolicus impetratus, eſt de ſubſtantiali forma huius contractus, vt patet ex præfata *Extrauag. Ambitioſè*, ergò inualidus eſt talis contractus, & conſequenter incurruntur pœnæ, ſi fuerit conſumatus contractus cum actuali poſſeſſionis traditione, & ita etiam docent *Genuenſ. in prax. Archiep. c.*45. ex declaratione facta à *Clem. VIII.* per commiſſionem datam Vicario Generali Archiep. Neap. vt Rectorem, qui ita alienauerat à cenſuris in vtroque foro abſolueret, & diſpenſaret in fructibus malè perceptis, & reualidaret titulum beneficij, modò pro ſuo poſſe prius talis Rector feciſſet, vt Eccleſia reintegraretur ſaltem mouendo litem in Iudicio, & hoc reſcriptum factum fuiſſe teſtatur 17. *Decembr.* 1599. & iure alienatio facta cum tali proteſtatione eſt nulla, quia talis proteſtatio eſt contraria facto.

Quòd ſi non fuerit tradita poſſeſſio, ſed ſolùm celebratus contractus cum tali clauſula; ſalus aſſenſu, &c. negandum eſt incidere ſic alienantem in pœnas, quia cùm non ſit adhuc tranſlatum dominium, non dicitur facta fuiſſe vera alienatio, & Eccleſia nullum patitur detrimentum, ergò cùm pęnæ ſint reſtringendæ ſolùm dicendum pęnas incurri ab eo, qui facit veram alienationem in ſtricto vocabulo.

Vtrum qui alienauit abſq́; debita ſolemnitate bona Eccleſiæ, ſi pœnitens reuocauerit ante realem poſſeſſionis traditionem incurrat pœnas Paulinæ.

DIFFIC. VIII.

AFfirmat, & ſanè nimis rigoroſè *Bonac. punct.*5. quia verè putat rem alienatam in omni rigore ſtatim atq; per mutuum

tuum

ſuum conſenſum celebratus eſt contractus alienationis, & per conſequens ſtatim per talem contractum fieri translationem dominij.

Cæterùm probabilius contrariũ puto, vt tactũ eſt ſupra in difficultate ſeptima, quia cùm ſimus in odioſis, non eſt facienda extenſio vltra proprietatem verborum, & legis intentionem, nam vt alibi dicetur, poſſeſſio ſolum transfert dominium rei, & numquam quis propriè dicitur dominus, niſi poſt acceptam pacificam poſſeſſionem, itaq; alienatio facta per ſimplicem contractum mutuum non dicitur alienatio in ſtricto vocabulo, quam ſolùm intendit Papa prohibere, vt Eccleſiæ indemnitati conſulat, & damna propellat. Quare cùm Eccleſia non ſentiat damnum, & læſionem, niſi poſt realem, & pacificam traditionem poſſeſſionis ſuorum bonorum, probabiliter dicendum ſolum alienationem in ſtricto vocabulo, quæ fit ſolùm per pacificam traditionem poſſeſſionis prohiberi, & puniri Paulina, quæ doctrina elicitur ex *cap. ſi quis Presbyter de reb. Eccleſ. non alienan.* vbi decernitur, vt Clericus ſubſcribens ſe alienationi bonorum Eccleſiæ excommunicetur, niſi alienans, & recipiens celeri reſtitutione ſibi proſpexerint, ideſt antequam Eccleſia detrimentum ſentiat de tali alienatione; Ita explicat *gloſ. ibi in v. Celeri*, ita etiam ſentiunt *Couar. 1. variar. c. 16. Nauar. conſ. 18. de reb. Eccl. non alienan. Quaranta, & Filliuc. loc. cit.*

Vtrum in præfato caſu liceat recedere à contractu, antequam impetretur aſſenſus Apoſtolicus.

DIFFIC. IX.

NEgant *noſtri Angel. hic §. 14. Rodriq. qq. reg. q. 27. a. 9. & Genuenſ. c. 99. Maſcar. concl. 57.* idem ſentire videtur *Nauar. comment. de alienat. n. 17. & Filliuc. tract. 14. c. 7.* & probabiliter quidem, quia diſpoſitio facta tempore habili, vel inhabili collata ad tempus habile à pari procedunt: *l. in tempus, vbi omnes ff. de manumiss. teſtam. l. hered. quia quibus*, facit etiam *cap. olim extrà de reſtit. ſpol.* debet enim ſtare promiſſis, vſquequò Papæ conſenſus expectetur; etenim alienationis promiſſio de re Eccleſiaſtica non requirit aſſenſum Apoſtolicum; promiſſio enim alienandi non eſt alienatio, ſed actus præuius ad alienationem, ſicut nec requirit aſſenſum Apoſtolicum, ad hoc, vt quis conſentiat alienationi faciendæ, nam aliud eſt alienare, aliud alienanti conſentire, cùm autem ſimus in odioſis non extendenda excommunicatio ad conſentientes, niſi exprimatur, ita etiam non eſt extendenda nullitas ad conſenſum, & promiſſionem alienandi, niſi exprimatur, ex Paulina autem prædicta *Extrauag. Ambitioſæ*, non exprimitur nullitas conſenſus, & promiſſionis, ſed ſolùm nullitas alienationis in ſtricto vocabulo, cum dominij ſcilicet translatione actuali; Ita etiam colligitur *ex noſtro Angelo vbi ſup. Ricc. deciſ. 56. & Bonac. punct. 2. loc. cit.* itaque probabiliter ſatis concluditur in tali caſu ſtandum eſſe promiſſis, nec poſſe recedere à contractu vſquequò impetretur aſſenſus Apoſtolicus.

Attamen volunt alij, quòd etiam ſi Iuramentum acceſſerit de non reuocando, poſſit adhuc reuocare ante obtentum beneplacitum, quod colligunt *ex c. ſi quis Presbyterorum, & ibi gloſ.* communiter recepta *in v. Alienat. de reb. Eccleſ.*

Præterea probant ex eo, quod conditio, ſi Principi placuerit, eſt impoſſibilis, *l. apud Iulianum, in fin. ff. de leg.* ergò pro nulla habenda eſt talis conditio, & conſequenter contractus nullus, cùm ſit realiter de facto, poteſt recedere, quia nullam obligationem contraxit.

Et ſanè probabili fundamento etiam nititur dicta opinio, maximè cùm affirmari debeat aſſenſum Apoſtolicum eſſe de ſubſtantiali forma contractus alienationis, deficiente autem ſubſtantiali forma, nullus eſt contractus, & conſequenter dicendum probabiliter nullum eſſe contractum alienationis ſine Apoſtolico conſenſu in vtroque foro, vndè nullam remanere obligationem ſtandi promiſſis poteſt tuta conſcientia practicari; Ita etiam *Sarmien. Pinell. & alij*, quos citat, & ſequitur *Vaſq. loc. cit. dub. 14. num. 49.*

Vtramq; opinionem probabilem puto, ea tamen amplectenda ſemper, quæ eſt in fauorem Eccleſiæ.

Quot, & quænam dicantur cauſæ legitimæ euidentes, ob quas liceat alienatio bonorum Eccleſiæ.

DIFFIC. X.

DIco primò, quòd quatuor aſſignari ſolent communiter à Doctoribus cauſæ legitimæ, ob quas licet alienatio bonorum Eccleſiæ, ſcilicet neceſſitas euidens, vtilitas euidens, incommoditas euidens, & euidens cauſa pietatis; Vide *Ang. noſt. hic §. 3. Quarant. Molin. Redoan. Bonac. loc. cit.* quare ad ſingulas explicandas accedendum.

Dico ſecundò, quòd neceſſitas dicitur euidens reſpectu alienationis faciendæ: primò quando Eccleſia ita eſt debitis onerata, vt aliter ſolui nequeant, niſi per alienationem alicuius ex bonis ſuis: ſecundò pro Eccleſia, vel eius domo reparanda, vel ſuffulcienda, alioquin laberetur, & maior deindè eſſet impenſa in reficiendo, vel cenſus ex ea non poſſet accipi: tertiò quando fundus eſt inſtaurandus, aliter fructus non poſſent percipi, iſtæ, & conſimiles dicuntur neceſſitates tales, vt legitimè pro ijs vitandis alienatio alicuius boni Eccleſiæ fieri valeat, ſi alio modo nequeat præſens remedium eis adhiberi.

An verò ſi ita vrgeat aliqua ex iſtis neceſſitatibus, vt ſolemnitates præſcriptæ adhiberi nequeant in alienando, vt ſubueniatur ipſis, ſit valida alienatio, affirmant citati *Ang. noſter v. Iuramen. 4 §. 2. Sopran. tract. 44. cap. 5. q 11. Redoan. q. 13. Bonac. punct. 3. & alij* ſanè probabiliter, quia ſecundum illud vulgatum: *neceſſitas non ſubditur legi*, præſumi enim debet, quòd Pontifex in neceſſitatibus imminentibus ſuum præbere velit aſſenſum, & ſolemnitates ſupplere, præterquamquòd non fit contra dictam Paulinã quando non adeſt præſumptio alienandi contra eius formam, vbi autem eſt neceſſitas imminens, non cenſetur fieri ex vituperabili præſumptione.

Dico tertiò, quòd alienationis ſecunda cauſa eſt euidens vtilitas, ideſt talis eſſe debet vtilitas, quæ conſurgit ex alienatione, vt conditio Eccleſiæ fiat melior, & locupletetur euidenter, puta quia maior cenſus, ſeu redditus, vel Ager fructuoſior, vel pretioſior res Eccleſiæ acquiritur ex tali alienatione, atq; adeò poteſt vendi, & permutari vnus Ager, vel Domus, vt fructuoſior, vt melior habeatur, poteſt vendi calix, vt pretioſior ematur; Ita ex *noſtro Angelo Quaranta, Genuenſ. Bonacina, & Vaſquez de reddit. cap. 2.*

Aduerte autem euidentem hanc vtilitatem debere eſſe in actu, non autem in potentia, ſcilicet non ſufficit, vt ex contractu alienationis poſſit ſperari vtilitas, ſed quod tempore contractus verè adſit vtilitas, limita tamen, niſi fortè fieret contractus tempore peſtis, vel belli, in quo ob temporum calamitatem eſſe nequeat præſens vtilitas, ſi tamen conſueuerit eſſe talis vtilitas extra dictas calamitates; Ita *Menoch. de arbitr. lib. 2. caſ. 172. & Sopran.* apud *Filliuc. tract. 44. c. 5. q* 8.

Dico quartò, quòd alienationis tertia cauſa eſt pietas, puta quia in tali loco propaganda eſt fides, atque idcircò ad fideles Neophitos, vel Cathecumenos alendos, ſeu ſuſtentandos neceſſitas ſit vendere aliquod bonum ſtabile, vel mobile Eccleſiæ, item quando pauperes fame deficerent, vel redimendi ſunt captiui Catholici de manibus infidelium, & habetur aliundè poſſe ſubueniri, & ſatisfieri in dictis caſibus pietas Matris Eccleſiæ ſuadet, vt ſua bona vendantur, & pretium in beneficium pauperum, & captiuorum conuertatur; Ita communiter DD. citati.

Dico quintò, quòd vltima cauſa alienationis eſt incommoditas, puta quia res eſt magis damnoſa, & incommoda, quàm vtilis, & Eccleſiæ commoda; Ita habetur *in cap. Terrulas 11. q 2.*

Vtrum alienatio ſit licita in neceſſitate euidenti, ſi per fructus ſua Eccleſia poſſit illi prouideri.

DIFFIC. XI.

DIſtinguendum puto, quòd ſi Beneficiarius habet luculentos fructus, & redditus ex beneficio ſuæ Eccleſiæ, itavt ſuperſint ſuæ honeſtæ ſubſtentationi, tenetur de illis ſuæ Eccleſiæ reparationi proſpicere, nec habet cauſam euidentem alienandi, quia damnum potius, quàm vtile faceret ſuæ Eccleſiæ, ſi pro eius neceſſitatibus bona præcipuè fructifera, vel honoraria alienaret, dum fructibus eorumdem bonorum poſſet eius neceſſitatibus fieri ſatis; Ita etiam videntur ſentire *noſter Angel. hic §. 4. & Genuenſ. in prax. Archiep. & Rotæ Rom. deciſ.* quòd ſi fructus vix ſufficiant Rectoris honeſtæ ſubſtentationi, dicerem, quòd debet parcere quantum poteſt impenſis ſuæ ſubſtentationi neceſſarijs,

at

at quod ſupereſt in beneficium Eccleſiæ indigentis ponatur, ſicut facit quilibet bonus Pater familiæ, qui vt alijs neceſſitatibus conſulat, partit ſolitis impenſis in victu, & veſtitu.

Cęterum ſi fructus non ſufficiant ad moderatum victum, & veſtitum, & cętera neceſſaria pro ſua dignitate, & qualitate, habet legitimam cauſam alienandi bona Eccleſiæ in eius neceſſitate ſubleuanda, quia tunc non tenetur ex ſtuctibus, de quibus debet prius ſibi conſulere, quam Eccleſiæ; vnuſquiſque enim plus ſibi debet, quam alteri.

Vtrum alienatio teneat, ſi rector tradat bona Eccleſiæ potius minus, quàm magis offerenti in euidentem Eccleſiæ vtilitatem. DIFFIC. XII.

DIcendum cenſeo, quòd peccat quidem Rector tradens minus offerenti bona ſuæ Eccleſiæ, quia pręiudicium ipſi facit. Attamen valida putanda eſt alienatio, modò adſit euidens Eccleſiæ vtilitas, quia adhuc manet cauſa ſufficiens alienationis, ſi dentur minus offerenti, quia lex non requirit maiorem vtilitatem pro cauſa valida alienationis, ſed ſolùm requirit euidentem vtilitatem, per accidens enim eſt, quòd ſit maior, vel minor vtilitas ad cauſam legitimam validæ alienationis; Ita etiam ſentire videntur *Quaranta, Sopran. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum alienatio facta à Prælato putante habere legitimam cauſam, quæ poſtea inuenitur inſufficiens, vel ſaltem dubitetur eſſe ſuffiesens, ſit valida. DIFFIC. XIII.

DIco primò, quòd valida eſt alienatio facta à Pręlato, qui putauit habere legitimam cauſam alienandi, ſi poſtea inuenit eam non eſſe ſufficientem, & ratio eſt, quia bona fide facta eſt alienatio. Attamen ſi lęſa ſit Eccleſia notabiliter, habet reſtitutionem in integrum, comperto iam errore; Ita ex *gloſ. in cap. ad noſtram de rebus Eccleſ. non alienand. Vaſq. Couar. & Bonac. loco cit.*

Dico ſecundò, quòd ſi dubitetur de cauſa legitima alienationis, tunc ſi Commiſſarij Decretum adſit de legitima cauſa, debet præſumi valida, quia non eſt præſumendus Commiſſarius deliquiſſe, cùm teſtes examinare debent, & per eos veritatem recognouiſſe, quia Pontifex in commiſſione dicit: Si tibi legitimè conſtiterit, legitimè autem non conſtat, niſi per teſtes iuridicè examinatos veritas habeatur, vndè ſi Eccleſia damnum paſſa ſit, debet probare Commiſſarium deliquiſſe, & veram cauſam non extitiſſe, vt gaudeat priuilegio reſtitutionis in integrum, verùm ſi non reperiatur Commiſſarij decretum, puto dicendum conformiter ad ea, quæ dicta ſunt in ſuperiori diffic. 6.

Alienationem in iure prohibitam an faciat Prælatus renuncians legatum, vel hæreditatem relictam, vel donationem Eccleſiæ factam abſq; debita ſolemnitate. DIFFIC. XIV.

DIſtinguit *noſter Ang. §. 16* inter donationem, legatum, & hæreditatem, ait enim, quòd donationem poteſt renunciare Pręlatus abſque debita ſolemnitate, quia per donationem, antequam acceptetur, non acquiritur ius ad eam, ergò non dicitur alienare Prælatus in ſtricto vocabulo, ſi renunciet donationem, antequam acceptetur. At verò exiſtimat legatum factum, & hęreditatem relictam immediatè transferre ius ad rem in legatarium, vel hæredem per voluntatem teſtatoris, etiamſi non acceptetur à legatario, vel hærede. Quare Pręlatus renuncians legatum, & hæreditatem ſine ſolemnitate, facit alienationem prohibitam in iure, & eius pœnas incurrit, quia verè dicitur alienare in præiudicium Eccleſiæ aliquod eius bonum, ita etiam cum *noſtro Ang.* ſentiunt *Quaran. n. 23. Lambert. de Iur. Patr. lib. 3. q. 9. a. 1. Corneus lib. 3. conſ. 117. Sopran. c. 4. & alij.*

At verò nec facere alienationem prohibitam in iure Prælatum renunciantem legatum factum, hæreditatemq; relictam Eccleſiæ abſque debita ſolemnitate opinantur *Panormit. in cap. Tua, de his, quæ fiunt à Prælatis, Syluest. v. Alienatio q. 19. Armill. num. 17. Sanch. de Matrim. lib. 6. diſp. 4. Rebell. lib. 18. q. 4. & Bonac. vbi ſupra punct. 2. n. 32.* quia re vera *Paulina* loquitur de alienante bona, at verò ius ad rem putant aliquod bonum non eſſe acquiſitum Eccleſię, antequam ſit acceptatum à Prelato, vndè volunt nullum dominium acquiſitum eſſe ex tali teſtamento ſuper res relictas, cùm dominium acquiratur per poſſeſſionem tantummodò iuxtà aliquos.

Sanè *noſter Vngarell. hic ſchol. N.* probabilior videtur iſta ſententia *Panormitani*, quod mihi etiam arridet, ſtando præcipuè in terminis dictæ *Paulinæ*; Papa enim ibi non excommunicat renunciantes bona Eccleſiæ oblata, ſed transferentes dominium actuale bonorum Eccleſię, repudiare autem dominium oblatum, non eſt tranſferre dominium in alium.

Vtramq; tamen ſententiam probabilem exiſtimant *noſtri Villalob. tract. 25. diff. 16. n. 7. & Hier. Rodri. reſol. 7. n. 21.*

Quod ſi Eccleſia lęſa fuerit ob dictam renunciationem poteſt vti priuilegio reſtitutionis in integrum, modò nõ ſit translatum dominium alteri Eccleſiæ, quia Eccleſia contra Eccleſiam non vtitur tali priuilegio, cùm ſemper ſit exiſtimanda potior conditio Eccleſiæ poſſidentis, ita etiam communiter ſentiunt DD. primæ ſententiæ; Vide *Angel. noſt. D. Donatio §. 48. Villalob. & Hier. Rõdriq. loc. cit. Riccium deciſ. 22. Quarant. n. 43. Vaſq. Molin. Sanch. & Bonac. locis ſupra adductis.*

Cęterum illud verum eſt, quòd ſi Pręlatus faceret ceſſionem talis legati, donationis, & hæreditatis nondum aditæ alicui extraneo, ad quem peruenire non poſſet abſq; tali ceſſione, nulla eſſet ipſa ceſſio, quia fieret contra formam pręfatæ *Paulinæ*, quandoquidem non eſſet mera denunciatio, ſed iuris translatio, quæ non poteſt fieri ſine hæreditatis editione: Vide *Quarantam num. 23. & 43.*

Quænam bona Eccleſiaſtica dicantur propriè prohibita alienari per Paulinam. DIFFIC. XV.

DIco primò, quòd prohibita alienari per *Paulinam* ſunt immobilia non ſolùm, vt Agri, poſſeſſiones, domus, &c. ſed etiam mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vt ſunt vaſa aurea, & argentea, ſuppellectiles pretioſæ, vt ſericæ Tappetes, & aliæ veſtes pretioſæ, quæ per triennium non corrumpuntur.

Dico ſecundò, quòd etiam prohibentur alienari per dictam *Paulinam* greges ouium, armenta bouum, equorum, & ſimilium, quia etiam numerantur inter mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, etenim faciliter totus grex, & totum armentum ſeruatur cum vtilitate Eccleſiæ, licèt ſingula animalia corruptioni ſubiaceant, tamen per continuam generationem te ſupplentur corrupta, ſi diligens cura, & cuſtodia adhibeatur, ad quam tenetur curandam Rector Eccleſiæ.

Dico tertiò, quòd prohibentur etiam alienari per dictam *Paulinam* iumenta, & mancipia affixa prędijs tamquam eorum partes, ſine quibus prædicta non poſſent ſolitos fructus reddere; in iſto enim caſu huiuſmodi iumenta, & mancipia reputantur inter immobilia, ſapiunt enim naturam rei, cui ſunt affixa, ſecus tamen dicendum, ſi liberè in prædijs ponantur, non tamquam eorum partes, ſed potius vel ad ornatum, vel curioſitatem Rectoris, quia non reputantur immobilia in hoc caſu.

An pecunia Eccleſiæ inter immobilia numeranda ſit, atq; adeò in iure alienari prohibita. DIFFIC. XVI.

DIco primò, quòd pecunia fructifera, qualis eſt, quæ in montibus, vel cenſibus collatur, pro bono immobili habetur etiam à Iuriſtis, vt docent *Alexander Iaſon, & Ripa in l. 1. §. Quaſitum, ff. ad Trebellian.* Quare hæc pecunia certum eſt, quod alienari nequit abſque ſolemnitatibus, & cauſis requiſitis.

Dico ſecundò, quòd illa pecunia, quæ ſapit naturam mobilis prætioſi, quæ ſcilicet ſeruando ſeruari poteſt, nec poteſt alienari abſque ſolemnitatibus, & cauſis iſtiuſmodi ſunt pecuniæ, quarum proprietas eſt Eccleſiæ reſeruatæ in arca propter inſtantes, & imminentes Eccleſiæ neceſſitates, item pecuniæ acceptæ pro venditione rei immobilis, ad alias res immobiles reemendas deſtinatæ; pecuniæ etiam acceptæ pro dote ad ſubſtentationem Monialium, tradita enim (vt notat *noſter Ang.*) pecunia talis deputata ad immobilia emenda pro re immobili reputatur *ex l. 4. § vſuris, §. de contradic. iud. Tut. & vtil. act.* Idem tenent *Syln. q. 6. Redoan. q. 16. Quaran. n. 25. Vaſq. c. 2. dub 13. Molin. tr. 2. diſp. 465. Bonac. loc. cit. punct. 2.*

Porrò licèt *Genuenſ. in Prax. Archiep. cap. 60. num. 8. & 9.* doceat pecuniam redactam ex venditione rei immobilis, & deſtinatam ad rem immobilem emendam non eſſe connumeran-

dam

Digitized by Google

iam inter immobilia, & conſequenter ſine ſolemnitate poſſe alienari, tamen vtpotè dictum in præiudicium Eccleſiæ non videtur probabile.

Cęterùm quando emenda ſunt immobilia, ad quæ deſtinatæ ſunt præfatæ pecuniæ reſeruatæ, non requiritur alia ſolemnitas, nec aſſenſus Apoſtolicus, quia recipiunt vſum, propter quem ſeruatæ fuerunt, idem dicendum de pecunia reſeruata pro imminenti Eccleſiæ vtilitate, vel neceſſitate, vel dote Monialium.

Dico tertiò, quòd ſi pecunia ſeruata ſit pauca, poteſt ſine ſolemnitate alienari, quia prohibetur ſolùm *in c. licet Heli de ſimon.* pecunia in magna quantitate, & ita deciſum fuiſſe etiam teſtatur *Genuenſ. in addit. n. 8. loc. cit. per Rot. Rom.*

Dico quartò, quòd pecuniæ oblatæ alicui Imagini miraculoſæ, ſi ſint in magna quantitate, non poſſunt alienari abſq; aſſenſu Apoſtolico impetrato, quia pertinent ad rem pretioſam, quę ſeruando ſeruari poteſt, & debet, & in hac materia de alienanda pecunia non ſunt laxandæ nimis habenæ, ne præiudicium Eccleſiæ inferatur.

Dico quintò, quòd cęteræ pecuniæ, quę regulariter loquendo, inter bona mobilia numerantur, vtpotè quæ potius ad vſum quotidianum, ſcilicet ad res alias neceſſarias emendas habentur, quàm ad eas ſeruandas non prohibentur alienari in *Paulina*, aliàs beneficiarius non poſſet pecunias, quas recepit ex ſuo beneficio in ſuos vſus impendere.

Dico ſextò, quòd Regulares accipientes pecuniam ad cambium cum ſolutione damni emergentis, vel lucri ceſſantis facere contra Bullam iſtam de alienatione videtur declaraſſe *Sac. Congreg. Concilij* 21. *Martij* 1626. apud *Nouar. v. Alienatio n. 1. & Lezanam T. 1. c. 10. & T. 3 v. Alienatio n. 5.*

Vtrum dicatur alienatio in iure prohibita, quæ fit per mutui dationem pecuniæ reſeruatæ pro Eccleſia.

DIFFIC. XVII.

DIſtinguendum puto, nam vel mutui datio eſt ad longum tempus, & tunc prohibita videtur in *Paulina*, ſicut locatio, & conductio vltra triennium, ſi verò non ſit ad longum tempus, ſed ad omnem Eccleſiæ requiſitionem, ſit reddenda, maximè inſtante Eccleſiæ neceſſitate, vel vtilitate, non video rationem, cur non poſſit mutuo dari, modò reſtitutio ſit certa per idoneas cautiones, & fideiuſſiones, hæc enim mutui datio non eſt propriè dominij tranſlatio in Bulla vetita, cùm Eccleſia nullo modo deterioretur, dum ius dominij non perdit, præterquamquod ſi locatio rei immobilis Eccleſiæ permittitur, ſi non ſit ad longum tempus, ergò etiam mutuæ pecuniæ datio permittenda eſt, ſi non ſit ad longum tempus, currit enim paritas vtrobique, quia ſolum vſus abſque translatione dominij conceditur in vtroque contractu, nec obſtat, quòd pecunia deſtinata ad emenda immobilia, vel ad aliam neceſſitatem Eccleſiæ imminentem non poſſit mutuà dari, quia iam ſortita eſt pecunia effectum ſuum, tamen quandocumque ad omnem requiſitionem Eccleſiæ mutuatarius certò ſit redditurus pecuniam Eccleſiæ, itavt nullum detrimentum ſit paſſura, non video cur nequeat alienari abſque aſſenſu Apoſtolico, ceſſante enim legis fine, leges etiam ceſſare, tamquam probabile docebitur alibi, in mutui autem datione cum pacto reſtituendi ad omnem requiſitionem Eccleſiæ, ceſſat finis *Paulinæ*, qui eſt prouidere indemnitati bonorum Eccleſiæ, ergò etiam ceſſat ipſa lex circa ſolemnitates, & aſſenſum Apoſtolicum.

Alienari an valeant arbores in agris, & prædijs Eccleſiæ abſq; ſolemnitate requiſita, & aſſenſu Apoſtolico.

DIFFIC. XVIII.

DIco primò, quòd ſi arbores ex natura ſua, vel antiqua applicatione ſunt de genere cęduo, vt ſunt illæ, quæ ſunt in ſyluis, & nemoribus cęduis, & ſimiliter arbores, quæ dicuntur mortuæ, & conſimiles, quarum pręcipuus vſus conſiſtit in paſſiua inciſione, iſtæ poſſunt à beneficiarijs, ſeruato tamen tempore, ſcilicet dum actu cęduæ ſunt, ſeruato etiam inciſionis modo alienari curando, vt præfatis conditionibus incidantur, quia habentur, vt fructus beneficij, quos in ſuam vtilitatem poteſt conuertere, vel vendendo, vel eis vtendo; Ita communiter DD.

Dico ſecundò, quòd ſi arbores ſint fructiferæ, vel ſi non fructiferę ad amęnitatem, & pulchritudinem prædiorum, & vinearum ſunt deſtinatę, non poſſunt vllo modo incidi, & alienari abſque ſolemnitate, & aſſenſu Apoſtolico, & ſi incidantur etiam iuſſu beneficiarij, incurruntur pœnę in *Paulina* contentæ, quia connumerantur inter bona, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, & debent, ſi enim poſſent incidi arbores fructiferæ redditus Eccleſiæ faciliter depauperarentur pro ſucceſſore, & ſi non fructiferæ ad amęnitatem, & pulchritudinem poſſent etiam incidi abſque aſſenſu Apoſtolico, prędia Eccleſiæ minoris valerent, & minori pretio locarentur abſq; dicta arborum amęnitate: patet ergo fieri contra vtilitatem Eccleſiæ, ſi huiuſmodi arbores poſſent ſine ſolemnitate alienari, & incidi, limitanda tamen eſt hæc doctrina. Quare

Dico tertiò, quòd arbores, quæ iam ſunt antiquatæ euelli poſſunt, vt nouæ plantentur, vel creſcant, item ſi arbor ſit opaca, vel noxia, qua ablata cęteræ arbores fructuoſiores fierent, poteſt incidi abſque alia ſolemnitate, eodem modo dicendum de arbore infrugifera, vt frugifera ponatur, in hiſce enim caſibus vtiliter geritur Eccleſiæ negotium, maximè cùm huiuſmodi arbores non poſſint dici mobilia pręmiſſa, quę ſeruando ſeruari queant, & debeant; Ita communiter DD.

Dico quartò, quòd alienari poſſunt arbores pręfatę abſque aſſenſu Apoſtolico, quando ipſis indiget beneficiarius ad reparationem ſuæ Eccleſiæ, maximè quando beneficiarius habet redditus ita exiguos, vt non poſſit aliundè emere ligna ſuæ Eccleſiæ reparationi neceſſaria, vel quando nullibi reperiuntur ligna magis accommodata reparationi, niſi quæ ſunt in fundo Eccleſiaſtico, vel ſaltem cum maximo incommodo, & impenſa aliundè ducerentur, vel demum quando vrgens neceſſitas non pateretur moram, vt ex longinquo detrahantur.

Adde, quòd multi abſolutè volunt arbores cedi poſſe pro reparatione Eccleſiæ ex eo, quia non eſt propriè alienatio cedere ligna ad reparationem Eccleſiæ, ſed potius quædam loci mutatio debet dici, & probabiliter quidem, præcipuè quia ſaltem per Epichęiam videtur iſte caſus exceptus, vt propter neceſſitatem propriæ Eccleſiæ ſuorum bonorum ligna cedi poſſint abſque alia ſolemnitate, & aſſenſu Apoſtolico; Vide *Bonac. loc. cit.*

Vtrum Beneficiarius ſuæ Eccleſiæ Oliuetum antiquum modicum, vel nullum reddens fructum, poſſit extirpare abſq; aſſenſu Apoſtolico, & vineam ibi plantet.

DIFFIC. XIX.

NEgare videtur *Sopran.* apud *Filliuc. tract. 44. de alienat. c. 4. q. 14. & Bonac. vbi ſup.* quia ſicut non licet beneficiario oliuetum cum vinea permutare ſine licentia Papæ, ita nec extirpare vt vineam plantet.

Affirmant tamen *noſter Rodriq. qq. regul. q. 27. Nauar. conſ. 6. & 7. de reb. Eccleſ. non alien. & Riccius deciſ.* 133 quia verè in iſto caſu nulla ſit permutatio, qua res Eccleſiæ alienetur transferendo dominium in alium, ſed ſolùm permutatio rei non frugiferæ in frugiferam, vel minus frugiferæ in magis frugiferam, in nullo enim lęditur Eccleſia, ſed melioratur, vndè prudenter, & vtiliter geritur Eccleſiæ negotium, non ergò in tali caſu, in quo Oliuetum antiquum, modicum, vel nullum ferens fructum, vt in ea vinea plantetur ſit contra intentionem *Paulinæ Extrauag.* hinc tuta conſcientia practicari poſſe hanc poſteriorem opinionem autumo.

An valeat alienari res Eccleſiæ ſterilis, quæ potius damni, quàm vtilitatis affert abſq; aſſenſu Apoſtolico.

DIFFIC. XX.

NEgant communiter *DD. apud Quaran. & Bonac. loc. cit.* vt enim fraudibus occurratur, debet omninò conſenſus Apoſtolicus impetrari, multoties enim videbuntur Beneficiario parum prudenti, vel intereſſato res inutiles, infructuoſæ, & damnoſæ, quæ tamen aliorum iudicio non ſunt tales, per Apoſtolicum autem aſſenſum clareſcet veritas, quia committitur ferè ſemper alicui, vt informationem capiat de veritate; limitant tamen hanc doctrinam præfati Auctores, modò res ſterilis pręfata non ſit exigua, vt habetur *cap. Terrul.* 12. *q.* 2. cuius capitis diſpoſitione non derogaſſe *Paulinam* declarauit *Sacra Congregatio Concilij teſte Quaran. n. 41.*

Cęterùm quæ dicatur res exigua, vt poſſit alienari abſque aſſenſu Apoſtolico iuxtà dictum *cap. Terrulas*, dicendum puto arbitrio boni viri eſſe relinquendum inſpectis diligenter hiſce con-

conditionibus, ſcilicet Eccleſiæ qualitate diues an ſit, an pauper, qualitate etiam locorum, temporum, & rerum; Ita etiam *Quaran. & Redoan. loc. cit.*

Quenam bona Eccleſiæ ſpecialius prohibeantur alienari in Paulina Extrauaganti, Ambitiosè.

DIFFIC. XXI.

SOlutio huius difficultatis dependet à verbis ipſius extrauagantis, quæ ſic loquitur: *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omnemq; pactum, per quod dominium ipſorum transfertur, conceſſionem, hypothecam, conductionem, locationem vltra triennium, nec non infeudationem, vel contractum Emphyteuticum præter quam in caſibus à iure permiſſis, ac de rebus, & bonis in Emphyteuſim concedi ſolitis, & tunc in euidenti Eccleſiarum vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt pro inſtanti temporis exigentia, ac perpetuo valitura Conſtitut. prohibemus;* hęc Pontifex. Quare iuxtà ipſius intentionem;

Dico primò, quòd alienationis nomine in pręfata *Paulina* veniunt veritum etiam pręcarium, transactio, oppignoratio, compromiſſum ſuper decimas futuras, vel aliud ius Eccleſiæ. Item etiam prohibetur ceſſio iurium acquiſitorum, nam omninò iſta ſapiunt veram rationem translationis dominij.

Adde, quòd videntur etiam prohiberi bona incorporalia, ſicut ſunt iura, & rationes, nam licèt propriè non ſint res mobiles, nec immobiles, reducuntur tamen ſecundùm Iuriſtas ad naturam rerum, in quibus fundantur, hinc actiones, & iura in re immobili putantur immobilia, & ſi in re mobili pretioſa putantur mobilia pretioſa, vt colligitur ex *noſtro Angelo* §. 8. & 15. & *Vngarell. loc. cit.* Ita etiam videntur ſentire *Panormit. in cap. Nulli, de reb. Eccleſ. non alien. Syluest. v. Alien.* q. 10 *Gom. 2. variar. c.* 14 *Vaſq. Molin. & Bonac. vbi ſup.* Vide etiam *Quarantam n. 26. & 3.* & licèt videatur *noſtro Angel.* aſſerere cum *gloſ. in auth. de non alien. Verſ. Memoranda*, quod poſſit cedere liti, & iuri ad rem mobilem Pręlatus abſq; aſſenſu Apoſtolico, tamen non improbat opinionem probabilem.

Dico ſecundò, quòd ex dicta *Paulina* certum eſt mobilia, quæ ſeruando ſeruari nequeunt, vt ſunt vinum, oleum, frumentum, Polata, legumina, vnum, vel alterum animal, puta vna, vel altera capra, vel ouis, non tamen totus grex. Similiter, quæ vltra triennium ſeruari nequeant pecunia modica, arbores cęduæ antiquatę, mortuę, & ſimilia, quę ſeruando ſeruari nequeunt, alienari poſſunt.

Dico tertiò, quòd ſub pœna nullitatis contractus prohibentur alienari, vt dictum eſt ſupra, bona mobilia, quę ſeruando ſeruari poſſunt, & debent; huiuſmodi ſunt pecunia in magna quantitate redacta pro imminenti neceſſitate Eccleſię, vel pro immobili re emenda, vel dote Monialium aſſignata, ſimiliter greges ouiũ, armenta bouum, & equorũ, mancipia, & inſtrumenta affixa prędijs tamquam eorum partes, arbores frugiferę, & non frugiferę etiam appoſitę ad amęnitatem, & pulchritudinem prędiorum; Vide *Angelum noſtrum, Molinam, Filliucium, et Bonacinam loc. cit.*

Vtrum alienans Sanctorum Reliquias inſignes ſuæ Eccleſiæ abſq; aſſenſu Apoſtolico incidat in pœnas Paulinæ.

DIFFIC. XXII.

AFfirmandum videtur, quia inſignes Reliquiæ computantur inter res pretioſas, quæ ſeruando ſeruari poſſunt; Ita *Riccius deciſ.* 36.

Attamen non improbabile puto contrariũ, etenim ſi verè perpendatur intentio *Paulinæ*, videtur loqui ſolum de rebus temporalibus, quæ pretio ſunt ęſtimabiles, ex quarum alienatione Eccleſia notabile patitur damnum, & ideò iſta ſolùm alienanda in ipſa prohibentur: Reliquiæ autem Sanctorum non eſt bonum aliquod temporale, nec pretio æſtimabiles ſunt, vndè ex ipſarum alienatione non incurrit Eccleſia aliquod notabile damnum temporale, atque adeò earum alienationem probabile eſt non contineri ſub pœnis *Paulinæ*. Ita etiam *Bonacina loc. cit.*

An verò, ſi ex concurſu ad venerationem alicuius Reliquiæ inſignis pingues eleemoſynas Eccleſia acciperet; incurrere in pœnas *Paulinæ* eam alienans etiam iuxtà ſecundùm primam opinionem videtur probabiliter affirmandum, quia indirectè ſaltem alienatur aliquod bonum temporale perpetuum in damnum Eccleſiæ.

Vtrum alienatio bonorum Eccleſiæ acquiſitorum contra præiudicium tertij ſit valida abſq; aſſenſu Apoſtolico.

DIFFIC. XXIII.

NEgant aliqui requiri aſſenſum Apoſtolicum in alienatione bonorum acquiſitorum Eccleſiæ contra pręiudicium tertij, puta quia reperiuntur fuiſſe alteri obligata, antequam Eccleſiæ acquirerentur. Etenim Eccleſia non potuit dominium acquirere rei, quæ erat alteri obligata, ergò verè non transfert dominium in tali alienatione, & conſequenter non requiritur conſenſus Apoſtolicus; Ita *Redoan. q. 51. c. 8.* Alij autem volunt requiri aſſenſum Apoſtolicum, quia putant rem verè affectam eſſe Eccleſiaſticam, dum de facto ab ipſa poſſidetur; Ita *Quaran. n. 36. & Bonac. punct. 2.*

Cęterùm licèt hæc videatur probabilis ſaltem ad fraudes vitandas prior tamen non eſt improbanda, aliàs grauarentur creditores dum rem ſuam abſq; notabili incommodo, & diſpendio, quod habetur ex interpretatione aſſenſus Apoſtolici, non poteſt recipere.

Vtrum alienatio bonorum inter Eccleſias ſit valida abſq; aſſenſu Apoſtolico. DIFFIC. XXIV.

AFfirmare videtur *Riccius ex parte deciſ.* 74. alienationem inter Eccleſias, puta quando Eccleſia vna emit ab alia, vel inter ipſas fit permutatio, vel donatio, vel alius contractus tranſlatiuus dominij, valere abſq; aſſenſu Apoſtolico, quia non videtur eſſe vera alienatio, quando bonum vnius Eccleſię transfertur in aliam, cùm verè dicatur tale bonum non eſſe translatum extrà Eccleſię dominium, cùm per accidens ſit, quòd potius hoc bonum ſit huius, quàm alterius Eccleſiæ.

Cęterùm communiter DD. aſſerunt requiri aſſenſum Apoſtolicum, nam abſolutè prohibetur alienatio in *Paulina*; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; Ita *Rebuff. Redoan. Prax. Archiep. Neap.* Vide *Quaran. loc. cit. n.* 15. Vide infrà *diff.* 27. vbi de conſimilibus fuſiùs.

Quenam dicantur ſolita infeudari, & in emphyteuſim dari, & quomodo valeant licitè alienari abſq; aſſenſu Apoſtolico in caſibus à iure permiſſis.

DIFFIC. XXV.

DIco primò, quòd probabile puto cum *Iul. Clar. §. feudum q. 13. Molin. diſp. 648. & Bonac. punct. 2. vbi ſup.* quod ea dicuntur ſolita tradi in feudum, & in emphyteuſim, vt non indigeant aſſenſu Apoſtolico, quæ ſemel iam fuerunt infeudata, & in emphyteuſim data, in fauorabilibus enim quę ſemel factum eſt pro ſolito accipiendum. Verum quod *Quaran.* velit requiri duas conceſſiones feudi, & emphyteuſis, & curſum quadraginta annorum, ad hoc, vt dicatur ſolitum ſecundùm rigorem iuris probabilius videtur, ęquius tamen procedit opinio prior, & tuta conſcientia puto eam amplecti poſſe.

Dico ſecundò, quòd ad hoc, vt ſolita in feudum, & emphyteuſim dari, & à iure permittuntur, poſſint validè alienari, debent tres conditiones concurrere. Primò, vt ſit euidens Eccleſiæ vtilitas: ſecundò, vt non alteretur pactum antiquum, itavt ſi tradita erit res Eccleſię pro hęredibus naturalibus tantùm, & non pro extraneis, vel ſi ad tres, vel quatuor vitas non poſſit denuò tradi pro extraneis, & in perpetuum: tertia conditio eſt, vt infeudatio, & emphyteuſis fiat antequam res caduca ſit incorporata Eccleſię, ſeu antequam dominium vtile reddeat in dominium directum Eccleſię, ſeu antequam ſit applicata menſę, & vſibus Eccleſiæ; Vide *Quaran. n. 40. Genuenſ. c. 6. Riccius deciſ. 26. Clar. §. Emphyteuſis q. 6. Mol. & Bonac. loc. cit.*

An verò Beneficiarius poſſit remittere in pręfato caſu tertiæ conditionis caducitatem Emphyteutę abſque aſſenſu Apoſtolico, affirmant *Quaran. num. 44. Clar. q. 10. Sanch. lib. 6. diſp. 6. Rebell. lib. 3. q. 11. Riccius deciſ. 136. Bonac. loc. cit.* & alij, & probabiliter quidem, nam caducitas non habet locum, niſi volente Domino, beneficiarius autem eſt dominus, an velit accipere, & non recipere ſolutionem, ob quam non ſoluendam caducitas incurritur, poteſt enim eam remittere, ergò poteſt caducitatem non accuſare, & conſequenter remittere antequam declaretur in-

incurſa per non ſolutionem in ſuo tempore. Attamen ſi ſemel declarauit incurſam caducitatem ob non ſolutionem factam, non poteſt eam amplius remittere, quia iam cenſetur ius acquiſitum Eccleſiæ, & conſequenter requiritur ſolemnitas neceſſaria.

An verò cenſeatur remiſſa caducitas à beneficiario, ſi penſionem antiquam pro tempore ſcilicet elapſo, propter quod incurſa erat caducitas, accipiat, affirmant *Menochius præſumpt.* 112. *lib.* 2. *Clarus quæſt.* 10. *vbi ſupra, & Bonacina loc. cit.* modò beneficiarius nullam fecerit proteſtationem in accipiendo penſiones pro tempore antiquo, quia cenſetur remiſiſſe caducitatem dum tacet.

Vtrum locatio facta vltra triennium, puta pro ſexennio ſit inualida etiam pro primo triennio.

DIFFIC. XXVI.

Dico primò, quòd probabile putant eſſe inualidam pro toto ſexennio, cùm in *Paulina* videatur copulatiuè inualida locatio pro toto ſexennio; Ita *Azor.* 3. *p. lib.* 8. *de locat. q.* 3. *cap.* 3. *Tuſc. T.* 5. *concl.* 406. *Riccius deciſ.* 113. *&* 121. *Leſ. lib.* 2. *c.* 24. *& alij.* Attamen.

Dico ſecundò, quòd mitius, & probabilius diſtinguendum videtur, nam ſi locatio facta ſit abſolutè copulatiuè inualida eſt, pro vtroque triennio, vt benè præfati DD. quòd ſi locatio fiat diſiunctiuè vltra triennium, ſcilicet cum hac clauſula: loco tibi hoc prædium pro triennio, quo elapſo, ex nunc pro tunc loco ipſum pro alio triennio, tunc valida eſt pro primo triennio, quia contractus primus eſt ſeparatus à ſecundo, ergò non viciatur à ſecundo, non eſt autem validus pro ſecundo triennio, quia videtur obligari vnica obligatione eadem pro alio triennio in fraudem legis; Vide *Bonac. loc. cit.*

Quod tamen limitandum, niſi adſit conſuetudo legitima in contrarium, per quam ſit introductum vnica obligatione per duo, vel tria triennia, quaſi per diſtinctos contractus validam fieri locationem; Vide *noſtrum Rodriq. T.* 1. *qq. regul. q.* 6. *a.* 11. *Couar.* 2. *var. c.* 16. *Vaſq. opuſc. de reddit. c.* 2. *§.* 2. *dub.* 4. *Rebell. de oblig. iuſt. lib.* 14. *q.* 6.

Dico tertiò, quòd non peccat contra *Paulinam*, locans vltra triennium, quando non ſingulis annis redditur fructus, ſed ſolùm alternis annis, & ratio eſt, quia tunc duo, vel tres anni reſpectiuè pro vno anno fructifero computantur, hic reddens fructum alternis annis ſolùm, poteſt locari pro ſexennio, & reddens fructus tertio quoque anno ſolùm pro nouem annis abſque alia ſolemnitate locari poteſt, nam in *Paulina* non reſpicitur decurſus annorum ſimpliciter, ſed decurſus annorum in ordine ad prouentum fructuum; Ita *Couar. c.* 16. *Rebel. Vaſq. Bonac. Azor. loc. cit. & Riccius deciſ.* 115.

Vtrum alienatio prohibita in Paulina *ea dicatur, qua Beneficiarius obligatione ſola perſonali obligat ſe ad dandos fructus ſui beneficij alteri vltra triennium.*

DIFFIC. XXVII.

Affirmant *Azor.* 2. *p. lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 6. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 3. *Scortia in ſelect. Epit.* 43. *theorem.* 115. *& alij*, quia verè alienari dicuntur res Eccleſiæ in fraudem *Paulinæ*, idem enim eſt locare prædia Eccleſiæ vltra triennium, quod fructus talis prædij dandi obligationem facere, ſola videtur eſſe mutatio contractus in verbis, non in factis.

Cæterùm alij probabilius negant eſſe talem alienationem prohibitam in *Paulina*, modò nullum ius tribuatur alteri in re Eccleſiaſtica, etenim in *Paulina* non prohibetur obligatio perſonalis dandi fructus, quos colligit ex terris ſui beneficij, ſed ſolùm obligatio realis, per quam datur ius alteri in bonis Eccleſiæ: per obligationem autem perſonalem non datur ius in rebus Eccleſiæ, vt patet. Quare per obligationem perſonalem cùm non fiat alienatio rei Eccleſiaſticæ, non prohibetur in *Paulina*. Licitè ergò ſecundùm hanc opinionem poteſt etiam cedere Beneficiarius quotidianas diſtributiones ſui beneficij nullum in re beneficij ius tradendo; cùm enim ſimus in odioſis, facienda eſt reſtrictio iuxta proprietatem verborum, quare in *Paulina* dum prohibetur alienatio, vel obligatio bonorum debet reſtringi ad alienationē, & obligationē realē, quę propriè eſt de bonis, & non ſunt extēdenda ad obligationē perſonalē: hāc opinionē poſteriorē ſequūtur *Quaran. Molin. Bonac. loc. c. & Nauar. de alien. n.* 10.

Vtrum fructus beneficij ſolummodò poſſit locari abſque ſolemnitate vltra triennium.

DIFFIC. XXVIII.

Alienationem fructuum cùm dicant exceptam in *Paulina Vaſq. Redoan. & Couar. loc. cit.* contendunt etiam fructus beneficij ſolummodò poſſe locari abſque ſolemnitate vltra triennium, non enim alienantur bona Eccleſiæ, dum fructus locantur, & iure, quia fructus dominium ſpectat ad beneficiarium, non autem ad Eccleſiam, vndè probabilis mihi, & tuta videtur hęc opinio, quòd poſſit abſq; ſolemnitate locare fructus ſui beneficij Eccleſiæ Rector.

Verumtamen probabilior in praxi videtur contraria opinio, quia vana videretur facta prohibitio locandi bona Eccleſiaſtica, ſi poſſent locari fructus, qui verè, & realiter locari non poſſunt, niſi in bonis, vndè colliguntur, ius transferatur: in *Paulina* verò conceduntur fructus locari illi ſolùm, qui ſeruando ſeruari non poſſunt: fructus autem futuri non ſunt in numero eorum, qui ſeruando ſeruari nequeunt, quia adhuc verè non ſunt; Ita *noſter Rodr. p.* 1. *c.* 18. *Guttier. lib.* 1. *can. qq. c.* 8. *n.* 15. *Ricc. deciſ.* 114. *Bonac. & alij.*

Aduertendum autem eſt in hac materia locationis, vt optimè notant *noſter Corduba q.* 103. *& Bonac. & Riccius loc. cit.* quòd ſi Beneficiarius firmet locationem factam vltra triennium iuramento ſe non diſſoluturum non tenetur ſtare tali pacto, nec iuramentum tenet, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, eſt autem hæc locatio interdicta ſub pœna excommunicationis, ergò non firmatur à iuramento, & licèt aliqui contrariam teneant, attamen, an probabiliter, alibi videbitur.

Vtrum valeant alienari mobilia pretioſa Eccleſiæ, puta lampades argenteæ, aureæ, Calices, aulea, & ſimilia, vt pretium eorum conuertatur in fabricam, vel aliam Eccleſiæ neceſſitatem.

DIFFIC. XXIX.

Affirmat *Riccius in prax. crim. deciſ.* 7. ex eo, quia dominium non transfertur in extraneum, vndè non videtur vera alienatio, per quam transfertur dominium in alterum, quæ translatio videtur ſolùm intendi prohibita in præfata *Paulina*.

At verò contrarium ſentiunt communius DD. quia ſunt mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, & ipſis vtitur Eccleſia ad cultum Dei, & miniſterium Sacrorum, ipſiſque ornatur admodum Eccleſia; Ita *Redoanus p.* 13. *Quaran. n.* 24. *& Bonac. loc. cit.*

Sanè prima opinio, licèt mihi non videatur improbabilis ſtante aliqua neceſſitate Eccleſiæ, quia re vera non dicitur alienatio in ſtricto vocabulo, quando bona Eccleſiæ non transferuntur in dominium alicuius extranei, ſed in beneficium ipſius Eccleſiæ reponuntur. Quare quando talibus rebus abundat Eccleſia, ita vt remaneant alia ſufficientia ad cultum Dei, & miniſterium Sacrorum, & ornatum ipſius Eccleſiæ probabiliter puto abſque aſſenſu Apoſtolico, ſed ſolum Superioris habita authoritate poſſe alienari pro alia Eccleſiæ eius neceſſitate; probabilior tamen, & tutior eſt ſecunda, & ante factum conſulenda, poſt factum tamen propter probabilem rationem, in qua fundatur prior opinio, non auderem affirmare, eum, qui in tali caſu, & conditione alienationem prædictorum attentaſſet, pœnas *Paulinæ* incurriſſe.

Adde, quòd ſtante conſuetudine, quòd talia conuertenda in vſum neceſſarium Eccleſiæ alienentur, non eſt improbanda, imò tuta conſcientia inſequi poteſt conſuetudo talis, cùm ipſa ſit optima legum interpres; Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Alienare vtrum valeat Prælatus abſq; aſſenſu Apoſtolico, & ſolemnitate requiſita res modicas Eccleſiæ.

DIFFIC. XXX.

Dico primò, quòd alienatio rerum modicarum Eccleſiæ permittitur *in cap. Terrulas* 12. *q.* 2. imò Prælatum, qui iurauit non alienare res Eccleſiæ non dici periurum, ſi alienet res modicas probabiliter puto, nam vt dicemus *v. Iuramentum*, res modicæ non comprehenduntur ſub obligatione, & vinculo iuramenti; Vide *Ang. noſt. ibi, Quaran. n.* 41. *Redoan. q.* 13. *Bonacinam punct.* 4. *loc. cit.*

Dico

Dico ſecundò, quòd in præſenti difficultate, licèt varient DD. quęnam dicatur res modica, ſtandum tamen dixi in ſuperiori difficultate iudicio prudentis viri attenta qualitate loci, temporis, & commoditatis; adde etiam attenta copia rerum eiuſdem generis, vt etiam aduertunt in parte *Quaranta, & Redoanus ubi ſupra*.

Dico tertiò, quòd rigoroſè admodum exiſtimat *Gemenſ. cap. 60. in prax. Archiep.* quòd Tertula, vel res Eccleſiæ aſcendens ad valorem decem aureorum dicatur modica. Quare mitius *Homobon. in conſult. caſ. conſc. vol. 2. p. 6. reſponſ. 8. ex Decreto Sacræ Congregationis*, quòd res pretioſa immobilis, ſeu mobilis ea eſt cenſenda, quę excedit valorem vigintiquinque aureorum, modica verò, quæ eſt infra, vel ſaltem valoris vigintiquinque aureorum, quæ opinio tuta conſcientia amplecti poteſt, maximè ſtante *Decreto Sacræ Congregationis*; alienari ergò poteſt abſque metu incurrendi pœnas *Paulinæ* res Eccleſię mobilis, ſeu immobilia non excedens valorem vigintiquinque aureorum abſque aſſenſu Apoſtolico, & requiſita ſolemnitate alienari, cum hac tamen conditione, vt eodem contextu pecunia numerata conuertatur in neceſſitatem imminentem, vel euidentem Eccleſiæ neceſſitatem; Vide etiam *Dianam p. 4. tr. 4. reſol. 223.*

Epiſcopus an poſſit bona Eccleſiæ carentis Rectore alienare.
DIFFIC. XXXI.

NEgant Canoniſtæ, vt optimè notat *Panormit. cap. 1. de his, quæ fiunt a Præl. num. 5. & cap. placuit 12. q. 2.* vbi oſtendit iuxtà Sacros Canones debere Epiſcopum conſtituere defenſorem talis Eccleſiæ in caſu alienationis ſuorum bonorum, & eo audito adeſſe imminentem, & euidentem neceſſitatem, vel vtilitatem prędictæ Eccleſiæ, tunc poteſt alienare, aliàs non ſeruaret diſpoſitionem Iuris; Vide *Ang. noſtr. §. 11. hic, Ricc. deciſ. 6. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum liceat alienare rem Eccleſia legatam ſub conditione, ne alienentur ſub pœna caducitatis ad ſuum hæredem.
DIFFIC. XXXII.

AFfirmare videntur *Sylu. hic q. 28. Sopran. & Azor. loc. cit.* putantes iſtam conditionem in rebus Eccleſiæ legatis eſſe turpem, & conſequenter habendam eſſe pro non adiecta.

Attamen probabilius, & tutius negant licere in tali caſu alienare rem Eccleſiæ ſub pręfata conditione, quandoquidem, cùm quilibet ſit rei ſuæ moderator, & arbiter, poteſt rem ſuam liberè, abſolutè, & cum conditione etiam legare, vndè conditio talis dependens à ſua libera voluntate, quæ moraliter ſemper poteſt durare in re ſua, ſicut patet in lege, & ſtatuto, non eſt exiſtimanda turpis; Ita etiam *noſter Portell. v. Alienatio in addit. n. 3. in p. Nauar. conſ. 8. de vendit. Azor. lib. 9. c. 2. q. 9. Filliuc. tract. 44. c. 4. q. 25. Ricc. deciſ. 45. & Bonac. loc. cit.*

An verò cum conſenſu Summi Pontificis poſſit res ſic legata alienari, affirmandum puto cum præfatis DD. quia Papa poteſt diſpenſare in voluntate Teſtatoris, vt dicetur alibi. Verùm debet in ſupplicatione facta Pontifici fieri explicita mentio, quòd res alienata ſit legata à Teſtatore cum hac conditione, quod nequeat alienari, vel ſi alienetur, incurratur pœna caducitatis, aliter ſi omittatur hæc mentio, nulla eſt alienatio contra voluntatem Teſtatoris, nam omittere illud in petitione, quod ſi fuiſſet expreſſum, non fuiſſet conceſſum, aut ſaltem non ſine magna difficultate, vitiat reſcriptum, vt habetur *ex cap. literis, de reſcript.* Summus autem Pontifex difficulter diſpenſat in voluntate Teſtatoris.

Aduerte autem, quòd licèt poſſit legare Teſtator rem ſuam cum prę fata conditione, tamen probabilius dicendum non poſſe apponere conditionem, quòd bona ſua relicta poſſint alienari abſque aſſenſu Apoſtolico, & ſolemnitate. Etenim hæc conditio videtur turpis, vtpotè contra iura vtilia Eccleſiæ, vndè habenda eſt pro non appoſita, poſtquam enim tranſeunt bona in ius Eccleſiæ, ſubduntur diſpoſitioni Iuris Canonici, & Pontificiarum Conſtitutionum, non autem voluntati Teſtatoris decernentis contra iura, prior autem conditio non eſt contra Ius Canonicum, ideò non dicitur turpis; Ita etiam ſentit *Couarr. cap. Tua de Teſtament.* & ſequitur *Quaran. num. 21. & 22.* Vide *Riccium deciſ. 7.*

Attamen non omninò improbabile cenſeo validam eſſe conditionem, quòd poſſit alienari res Eccleſiæ legata abſque aſſenſu Papali, & ſolemnitate requiſita, ex eo, quia non ſolùm poteſt rem ſuam vnuſquiſq; iuxtà ſuum beneplacitum legare, ſed etiam quia Papa videtur libenter acceptare haſce conditiones, licèt ſint contra Ius Canonicum ad finem, vt faciliùs fideles inducantur legare bona ſuæ Eccleſiæ, ita etiam contra ius permittit fundatoribus beneficiorum, vt poſſint diſponere etiam minoribus beneficia à ſe fundata conferri valere.

Vtrum Moniales Regularibus ſubiectæ ſine licentia ſui Prælati Regularis validam faciant alienationem bonorum ſui Monaſterij. DIFFIC. XXXIII.

NEgatiuè reſpondendum, cùm deſit ſolemnitas requiſita. Attamen benè verum eſt poſſe Generalē ratificare, & validare talē alienationē habita prius informatione, quod in euidētē ceſſerit Monaſterij vtilitatem, *ex Eug. IV. conceſſione, bull. 20. apud bullarium*, & refert etiam *Hier. Rodriq. reſol. 7. num. 3.* qui etiam notat prędidentem cum contractu, ideſt fratribus capitulariter congregatis poſſe ratificare alienationem factam à fratribus ſine conſenſu expreſſo fratrum capitulariter congregatorum.

Vtrum Regulares Prælati poſſint alienare abſq; aſſenſu Apoſtolico bona ſui Monaſterij.
DIFFIC. XXXIV.

DIco primò, quòd alienare ſi præſumpſerint Prælati Regulares bona ſui Monaſterij abſq; aſſenſu Apoſtolico, certum eſt incidere in pœnas latas in *Paulina*, quia vt rectè notat *noſter Portell. v. Alienatio in addit. n. 1.* Pontifices concedunt priuilegia aliquando Regularibus, quomodo poſſint alienare bona ſui Monaſterij, ergò ſignum eſt ipſis de iure etiam interdictam alienationem, vndè infert *noſter Portell.* quod multo magis prohibita eſt Prælatis Minoritis alienatio mobilium, & immobilium ſui Conuentus, quia minus dominium habent ſuper dicta bona, cùm in noſtra obſeruantia præcipuè particulari decreto ſubiacere dignoſcantur Sedi Apoſtolicæ.

Dico ſecundò, quòd alienare poſſe, permutare, vendere, & in emphyteuſim tradere per duas ſolùm generationes abſque aſſenſu Apoſtolico indulgetur à *Greg. XIII.* fratribus, & Monialibus Sancti Auguſtini de conſenſu, & approbatione Generalis, imò locationes perpetuæ eis conceduntur, modò adſit conſenſus duarum partium Conuentus, & ſint in euidentem vtilitatem ipſius; Ita *noſter Rodriq. reſol. 7.* vbi etiam docet priuilegium conceſſum fuiſſe Monialibus, & Tertiarijs ſubiectis Ordini noſtro, vt poſſint alienare abſque aſſenſu Apoſtolico, modò ſit in euidentem vtilitatem Monaſterij, & adſit conſenſus duarum partium ipſius.

Dico tertiò, quòd Generali, ſeu Congregationi, vel Capitulo Generali Societatis Ieſu conceditur à *Greg. XIII. & Iul. III.* poſſe abſque conſenſu Patrum Collegij, præcedente tamen ſummaria cognitione cauſæ, alienare, & dare in emphyteuſim bona Collegij, & renunciare legatis nondum acceptatis, & litibus.

Dico quartò, quòd alienare poſſunt mobilia, & immobilia inutilia Conuentui, & pretia eorum in vtiliora, & commodiora Conuentui conuertere Fratres Conuentus S. Mariæ de Monte Marta Sancti Hieronymi in Hiſpania ex Priuilegio ſpeciali dictis Patribus facta à Sede Apoſtolica, imò vt habetur in *compēd. Priuilegiorum S. Hieronymi*, poſſunt Fratres S. Hieronymi Hiſpaniæ ex priuilegio *Benedicti XIII.* de bonis immobilibus, modò non ſint data a Papa, & à Rege pro fundatione, alienare vſq; ad centum florenos, imò etiam ad ducentos florenos, & omnia bona, quæ commodè adminiſtrari non poſſunt. Alienatio autem prędicta ſemper intelligitur conceſſa, modò cedat in euidentem vtilitatem Conuentus; Vide *noſtrum Portell. loc. cit. n. 2. & in addit. num. 5.*

Dico quintò, quòd cęteri Regulares participantes Priuilegia pręfatorum Patrum in virtute communicationis conceſſæ ſibi à Sede Apoſtolica, poſſunt alienare cum iiſdem conditionibus bona ſui Conuentus abſq; aſſenſu Apoſtolico; Ita etiam docent *noſtri Rodr. n. 2. & Portell. n. 2. loc. cit.*

Aduertant tamen Fratres noſtræ Minoriticæ Obſeruantiæ, quod in ipſa Syndicus Apoſtolicus cum conſenſu Prouincialis, & Fratrum alienat bona Conuentus ſiue mobilia, ſiue immobilia quandocumq; contingerit alienare, vel iuxtà Priuilegia mentio-

Digitized by Google

rionata,vel cum aſſenſu Apoſtolico,vt probat etiam *noſter Hier. Rodriq. loc.cit.*

An quælibet perſona alienans res Eccleſiæ abſq; aſſenſu Apoſtolico incidat in pœnas latas in Paulina: Ambitioſè.

DIFFIC. XXXV.

DIco, quòd in dicta *Paulina* ſolùm puniuntur excommunicatione Clerici Beneficiarij, Superiores, & Adminiſtratores rerum Eccleſiaſticarum, & priuatione etiam beneficiorum, & adminiſtrationum abſque alia declaratione; Epiſcopi verò, & Abbates interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, vel etiam ſuſpenſione iuxtà ſuperius dicta, quandocumq; alienauerint res Eccleſiæ, contra diſpoſitionem dictæ *Paulinæ*. Vndè infertur, quòd Clericus non beneficiatus, nec adminiſtrator, vel laicus alienans abſq; diſpoſitione dictæ *Paulinæ*, non incurrit eius pœnas, imò nec ſubditi Regulares alienantes contra formam dictæ *Paulinæ*, afficiuntur eiuſdem pœnis: cùm enim ſimus in odioſis, non eſt facienda extenſio ad perſonas, quę non ſunt expreſſæ in dicta *Paulina*.

Vtrum laicus alienans res Eccleſiæ incidat in excommunicationem latam à Concilio Tridentino ſeſſ. 22. *contra vſurpantes bona Eccleſiaſtica.*

DIFFIC. XXXVI.

NEgant *Sopran.apud Filliuc.3.p.tract.41.cap.6.q.2. & alij*, cùm re vera quęlibet alienatio non ſit in rigore dicenda vſurpatio, nec improbabiliter, cùm enim ſimus in odioſis non eſt facienda extenſio verborum vltra proprietatem ipſorum, in plus enim ſe habet vſurpatio, quàm ſimplex alienatio, cùm maior malitia, præſumptio, & fraus requiratur in vſurpante, quàm in ſimpliciter alienante, vt dicetur alibi. Attamen *Bonac. punct. 5. loc.cit. & Alphon.de Leo. in Theſſor.Eccl.p.1.c.10. & alij* affirmant putantes eſſe veros vſurpatores rerum Eccleſiaſticarum quicumq; quoquo modo eas alienant, quod ergò probabile puto, modò adſit magna pręſumptio, & euidens contemptus Apoſtolicæ auctoritatis, & Eccleſię.

An recipientes bona Eccleſiæ alienata contra formam Paulinæ *incurrant pœnas eiuſdem.*

DIFFIC. XXXVII.

AFfirmatiuè reſpondendum eaſdem omninò pœnas in *Paulina* inflictas incurrere recipientes bona Eccleſiæ alienata contra ipſius *Paulinæ* diſpoſitionem, quia exprimuntur recipientes etiam in dicta *Extrauag.* & iure, quia recipiens dat cauſam proximam, & efficacem prohibitæ alienationis, & eſt concauſa principalis prędictæ alienationis; etenim cùm alienatio ſit contractus quidam, non poteſt celebrari abſq; recipiente, ergò quando punitur alienationem faciens, punitur etiam recipiens alienationem, quia recipiens includitur neceſſariò in contractu ipſius alienationis, iure ergò eadem pœna punitur.

Vtrum ad incurrendas pœnas Paulinæ *requiratur neceſſariò præſumptio, & ſcientia.*

DIFFIC. XXXVIII.

AFfirmatiuè reſpondendum, vndè alienans, vel recipiens ex mera ſimplicitate abſq; dolo, vel ex ignorantia iuris, vel facti non incurrit pœnas dictæ *Extrauagantis* iuxtà probabilem opinionem, de qua infra *v.Cenſura*, vel excommunicatio fuſius; limita tamen, modò non ſit tanta temeritas in alienando bona Eccleſię, vt ignorantem meritò non debeat excuſare; ingens enim temeritas ſcientiæ equiparatur; Vide *Nauar.conſ.19.de reb.Eccl.non alien.& Quaran.n.9. & 10.*

Vtrum alienans res Eccleſiæ contra formam Paulinæ *in locis, in quibus non eſt recepta, incurrat pœnas eiuſdem.*

DIFFIC. XXXIX.

NEgant communiter, nam conſuetudo contraria leges abrogat. Quare conſuetudini locorum ſtandum eſt, docent *Quaran.vbi ſup.n.4. Sanch.in opere morali lib.2.cap.22. Riccius deciſ.139.& Bonac. punct.5.loc.cit.* nec obſtare volunt vſum, & praxim *Pœnitentiariæ* abſoluendi delinquentes in hoc caſu, & rehabilitandi ad beneficia, id enim fieri aiunt ad tollendos ſcrupulos, & conſcientias pacandas, quam opinionem probabilem puto, ſi conſuetudo habeat eas conditiones, quæ ſufficiunt ad leges abrogandas, de quibus infra *v.Conſuetudo.*

Quam pœnam incurrat Commiſſarius delegatus à Papa in cauſa alienationis rei Eccleſiaſticæ, ſi falſum decretum interponat in damnum Eccleſiæ.

DIFFIC. XL.

DIco primò, quòd Commiſſarius, cui delegata eſt poteſtas à Papa inquirendi, an ſint veræ cauſæ alienandi, conſentiens, vel decretum interponens alienationi rei Eccleſiaſticæ abſque euidenti Eccleſiæ vtilitate, vel neceſſitate, ſiue id faciat, prętia pecunia, ſiue metus, ſiue gratis, ſi inferior Epiſcopo ſit in excommunicationem, ſi Epiſcopus ſuſpenſionem per annum ab executione officij incurrit, etiam ſi poſtea non ſequatur alienatio per realem, & pacificam poſſeſſionem, nam in hoc caſu Pontifex punit conſenſum, & decretum, quia per tale decretum, & cõſenſum, conſumata eſt malitia Commiſſarij, quod vt clarius conſtet, ponenda hìc cenſui verba formalia *Paulinæ*, ſic ergò ibi loquitur Papa: *Si quis autem Commiſſarius, vel Delegatus conſcientiæ ſuæ prodigus in grauamen, vel detrimentum Eccleſiæ per gratiam, aut timorem, vel ſordes alienationi conſenſerit, aut Decretum, vel auctoritatem interpoſuerit; Epiſcopus verò, aut Superior ab executione officij per annum nouerit ſe ſuſpenſum.* Hæc Pontifex.

Dico ſecundò, quòd extorquentes, ſeu doloſè procurantes alienationem, vel alienationis decretum, etiam ſi ſint laici, vel Clerici non beneficiati incidunt in excommunicationem dictæ *Paulinæ*, vt patet ex verbis Bullæ pręfatæ, in qua ſic habetur: *Is verò, qui dolo, vel fraude, aut ſcienter in detrimentum Eccleſiæ alienationem fieri procurauerit*, & infra, *aut qui per ſordes, vel impreſſionem alienationis decretum extorſerit.*

An verò iſta excommunicatio incurratur, nondum tradita pacifica poſſeſſione, reſpondendum puto negatiuè de Procurantibus, quia eorum malitia non eſt conſumata niſi poſt pacificam traditam poſſeſſionem; de extorquente verò decretum videtur probabiliter affirmandum immediatè poſt extorſionem decreti in damnum Eccleſiæ, immediatè incidere in excommunicationem, ſicut immediatè incidunt interponentes tale decretum, quia poſt extorſionem completa eſt malitia extorquentis, probabiliter ergò dicendum, pręciſa omni poſſeſſione tradita incurrere immediatè in excommunicationem.

Vtrum Cardinales incurrant pœnas alienationis in Paulina *inflictas, ſi bona Eccleſiæ alienauerint.*

DIFFIC. XLI.

IN pręſenti difficultate non eſt ſermo de alienatione bonorum Sedis Apoſtolicæ, certum eſt enim huiuſmodi bona alienantes Cardinales incurrere in pœnas latas in Conſtitutionibus *Innoc.VIII. Pij V. Clem.VIII. & Vrbani item VIII.* eſt ergò difficultas de bonis aliarum Eccleſiarum.

Negant aliqui putantes tantam dignitatem non comprehendi in pęnalibus, niſi ea fulgentes exprimantur, de qua opinione fuſiùs in *v.Cardinalis*, an ſit probabilis.

Pleraque tamen pars Doctorum volunt incurrere in pœnas *Paulinæ*, licèt non ſpecificentur Cardinales, & iure, quia probabile eſt comprehendi in pœnalibus legibus latis ad publicam vtilitatem Eccleſiæ, & in quibus agitur de iuſtitia ſeruanda, & fraude vitanda; Ita docet *Caputaquenſis deciſ.211.lib.1.*& idcircò comprehendi Cardinales in regulis Cancellariæ, in quibus agitur de fraude vitanda, docent *Caſſiodor. in reg. Cancell. quæſt.38. Sarnienſ.deciſ.64. in addit. ad Regul. Cancell. & Flam. Pariſ.lib. 12. quæſt.4.*

Adde, quòd ſi Cardinales ſint Epiſcopi, Abbates, & Commendatarij tenentur vinculo iuramenti non ſolùm bona Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam bona ſuarum Eccleſiarum particularium, & licèt iuramentum non emiſerit actualiter propter aliquam iniuriam, vt in Pontificali, adhuc tenentur in foro externo eodem vinculo non alienare, quia quæ ſolent, & debent fieri, facta eſſe pręſumuntur *ex l. vlt. C. de fideiuſſor.* Vide *Nauar. vbi ſup. Azor. lib.9.c.1.q.9. & Bonac. punct.5.*

An verò teneantur etiam in foro conſcientiæ non alienare Cardinales ſub vinculo iuramenti, quando iuramentum actu nõ emi-

miſerunt, affirmant *Nauar. & Sopran.* negandum tamen puto cum *Bonac.* probabilius, quia iuramentum eſt obligatio perſonalis, qua vocatur Deus in teſtem, non ergò contrahitur, niſi perſonaliter quis obligetur.

Vtrum Papa alienans contra Iuramentum de non alienandis bonis Sedis Apoſtolicæ factum ab ipſo in aſſumptione Cardinalatus, peccet mortaliter.
DIFFIC. XLII.

AFfirmant communiter mortaliter peccare Pontificem Summum alienando, vel infeudando Ciuitates, & Caſtra Cameræ Apoſtolicæ contra iuramentum de non alienando bona Sedis Apoſtolicæ, quod emiſit quando factus fuit Cardinalis, quia cùm iuramentum obliget ex iure naturali, & Diuino non ceſſat eius obligatio per aſſumptionem ad Papatum, verum eſt tamen, quòd exiſtente cauſa poteſt ſecum diſpenſare, vel committere ſuo Confeſſario, vt ſecum diſpenſet in iuramento, nulla autem exiſtente cauſa, nulla erit etiam diſpenſatio in iuramento, vtpotè de iure Diuino; Vide infra *v. Diſpenſatio.*

Vtrum Papa alienans bona Eccleſiarum ſine iuſta cauſa peccet contra iuſtitiam. DIFFIC. XLIII.

AFfirmant aliqui putantes non eſſe Dominum abſolutum, ſed ſolum adminiſtratorem bonorum Eccleſiæ cum plenitudine poteſtatis, vndè aiunt eſſe poſitum in ędificationem, non autem in deſtructionem Eccleſiarum, atq; adeò peccare mortaliter contra iuſtitiam, & conſequenter teneri ad reſtitutionem, ſi Papa alienet ſine cauſa bona Eccleſiarum.

Cęterùm alij contendunt Summum Pontificem eſſe Dominum abſolutum, & conſequenter poſſe pro libito ſuę voluntatis ea alienare etiam in damnum Eccleſiarum abſq; eo, quod peccet contra Iuſtitiam, quod mihi etiam probabiliter perſuadetur, quia licèt Deus, & Dominus Ieſus ſit vniuerſalis hęres, & Dominus omnium bonorum in Cęlo, & in Terra, attamen congruum fuit, vt conſtitueret ſuum Vicarium in terra Dominum, cum quo homines agere, tranſigere, & contrahere poſſent iuxtà neceſſitates ſpirituales ſibi occurrentes, vt patet in *Clem. 1. vt lite penden. & c. cuncta per modum 9. qu. 3.*

Verum eſt tamen, quòd ſi bona Eccleſiæ ſint data cum pacto, vt nullo modo in laicos alienentur, nec in alium vſum, licèt pium, conuertantur, peccaret Pontifex contra Iuſtitiam etiam in ſecunda ſententia, & tenetur ad reſtitutionem, ſi hęc alienaret, quia alium ſuo iure priuat, dum rem contra voluntatem tradentis alienat.

An verò poſſit diſpenſare in voluntate dicto modo legantis Eccleſiæ ſua bona affirmatiuè dicendum, modò adſit iuſta cauſa diſpenſandi, vt alibi fuſiùs tradetur; ſi verò diſpenſet cum iuſta cauſa, non peccat contra iuſtitiam, quia pręſumitur Dominus prefato modo legans conſenſurus iuſta exiſtente cauſa, aliter eſſet irrationabiliter inuitus, quod autem hìc dicitur de bonorum alienatione, conſequenter dicendum, ſi Pontifex beneficiarium ſpoliat beneficio, & alteri tradat, quod ſcilicet non peccat contra Iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem ſtando in terminis ſecundæ opinionis.

Vtrum ſuadens Papæ alienationem bonorum Eccleſiæ Romanæ precipuè excommunicatione plectatur.
DIFFIC. XLIV.

DIco primò, quòd ex *Bulla Pij V.* quæ incipit, *Admonet nos,* & confirmata fuit ab *Vrbano VIII. in Bulla,* quę incipit, *Sacroſancta, edita anno 1623.* Excommunicantur omnes Papæ conſilium dantes quomodocumq; ſuadētes, aut cum eo tractantes etiam ſimpliciter inſinuantes Pontifici, vt alienet bona Sedis Apoſtolicæ precipuè quocumque genere alienationis: *Inſinuare autem ex Iulio Claro, eſt ſimpliciter ſuam intentionem, ſeu mentem declarare.* Itaque etiam ſimpliciter abſque perſuaſione, & conſilio proponens Papę circa qualemcumq; alienationem bonorum Sedis Apoſtolicæ excommunicationem incurrit.

Dico ſecundò, quòd in prędictis Bullis non prohibetur conſilium, ſuaſio, & inſinuatio de alienatione bonorum, quæ ſunt applicata Fiſco Apoſtolco, iſthęc enim excipiuntur à *Bulla Pij V. per Conſtitutionem Gregorij XIII. & Xiſti V.* ſicut etiam excipiuntur à *Clem. VIII.* quæ Camera Apoſtolica a Baronibus ante tres annos, ſicut excipiuntur etiam qui ad tractandum huiuſmodi alienationes admittuntur ex ſcientia ipſius Pontificis permittentis, & non repellentis à dicto tractatu; præſumitur enim velle diſpenſare in prefatis Bullis, quòd ſi tractatus repellatur, incurriſſe in excommunicationem declarandus eſt, quia ſignum eſt noluiſſe diſpenſare.

Vtrum Papa alienans bona Eccleſiæ, debeat ſemper præſumi habuiſſe iuſtam cauſam.
DIFFIC. XLV.

DIco primò, quòd ſi Papa alienat ex motu proprio, & certa ſcientia debet pręſumi iuſta cauſa, licèt alienatio ſit gratioſa, & facta in conſanguineos, vel familiares, nam, ſi in facto Principis, non debet pręſumi delictum, nec pręſumi debet Principem agere, quod iure prohibetur, vt probant Iuriſtæ, multo magis hoc dicendum eſt in facto Pontificis Maximi, cuius acta nullo terreno Iudici ſubijciuntur, & nemo poteſt dicere ei, cur ita facis? *ex cap. Nemo 9. q. 3. & cap. Paſtoralis de offic. deleg.* poteſt etiam habere iuſtam cauſam alienandi in conſanguineos *ex cap. non ſatis diſt. 88.* quando ergò alienat ex motu proprio, & certa ſcientia, debet omninò pręſumi ex iuſta cauſa ſibi cognita alienaſſe, quam non tenetur alteri dicere, cùm nulli rationem reddere ſuorum actuum teneatur; Ita communiter *DD. Redoan de ſpol. q. 3. §. 1. Sopran.* apud *Felliuc. tract. 44. c. 3. q. 8. & Bonac. punct. 6. n. 14.*

Dico ſecundò, quòd Papa alienans in pręiudicium tertij iuxtà probabiliorem opinionem, quam ſequitur *Bonac.* regulariter loquendo, non debet pręſumi habuiſſe ſemper iuſtam cauſam, quia non videtur velle iuri alterius derogare, niſi exprimat velle pro hac vice ex iuſta cauſa mouente animum ſuum alterius iuri derogare, quod ſi non exprimat, debet pręſumi rationabiliter noluiſſe derogare, quod autem aliqui dicant abſolutè etiam in hoc caſu pręſumi debere Pontificem habuiſſe iuſtam cauſam, parum mihi probabile videtur, cùm non ſoleant Pontifices ita facilè alterius iuri pręiudicare.

Dico tertiò, quòd Papa alienans ad inſtantiam partis non ſemper pręſumitur habuiſſe iuſtam cauſam, quia in reſcriptis expeditis ad inſtantiam partis, vel ponitur, vel ſaltem intelligitur hæc clauſula: *ſi preces veritate innitantur.* Quare cùm petens poſſit errare, poteſt præſumi error in conceſſione *ex l. Reſcripto, C. de precib. Imperat. offeren.*

Vtrum reuocationes alienationum facta ab eodem Summo Pontifice ſint valida. DIFFIC. XLVI.

NEgare auſi ſunt aliqui ex eo, quia Papa non poteſt deſtruere contractum, cui iure naturali debet ſtare; alienans autem Papa bona Eccleſiæ in fauorem alicuius, pręſumitur tamquam Dominus donare, ergò cùm donatio ſit contractus iure naturali obligans, tenetur illi ſtare, nec validè poteſt eam reſcindere.

Cęterùm affirmant alij probabilius, quia etiam contractus de iure naturali obligans poteſt reſcindi validè, modò ſubſit cauſa iuſta, & vrgens, vt patebit ex alibi dicendis, & donationes ipſę ex multis cauſis reſcinduntur, vt dicetur *v. Donatio.*

Nec obſtat, quod alij dicunt, non poſſe ſaltem ſucceſſorem Pontificem reuocare alienationem factam à ſuo Prędeceſſore, quia par in parem non habet imperium, nam non benè ex hoc axiomate, inferunt ſuum intentum, quandoquidem ſucceſſor in hoc caſu non exercet in Papam prędeceſſorem iuriſdictionem aliquam, vndè poſſit dici habere imperium in ipſum, ſed ſolùm vtitur auctoritate in materiam ſibi ſubiectam, in quam ſicut poterat prędeceſſor, ita etiam & poteſt ſucceſſor vti auctoritate reuocandi, & reſcindendi.

Deniq; aduertendum, quòd Papa alienante, & eius ſucceſſore declarante rem alienatam in detrimentum Eccleſiæ, atq; adeò reſcindente alienationem, tenetur poſſeſſor rem reſtituere, & id, in quo ex tali poſſeſſione factus eſt locupletior, quia ex tali declaratione conſtituitur poſſeſſor malæ fidei.

Adde, quòd alienans rem Eccleſiæ inualidè, vel etiam abſque ſolemnitate, recipit venditionem cum fructibus, nam vt docet *Rota deciſ. 24. p. 1. in nouiſſ.* contra iuris regulas auditur allegans turpitudinem ſuam.

Qua-

Alimenta.

Quænam veniant ſub nomine Alimentorum.
DIFFIC. I.

Dico primò, quòd alimenta à verbo alere, ſuam ſignificationem tradeta omnibus eſt compertum, quare differunt alimenta à cibarijs, in plus enim ſe habet aliquem alere, quàm cibare, cùm cibare ſit ſolum potum, & cibum pręſtare, alere autem eſt viuentem quibuſcumq; ad viuendum neceſſarijs ſubſtentare, vt docet *noſter Angel. v. Alimenta ex Panorm. in c. cum ſecundum de praben. & c. ne liceat ibid.* Quare

Dico ſecundò, quòd nomine Alimentorum veniunt cibus, potus, medicinæ, habitatio, lectus, calceamenta, & veſtes iuxtà conditionem conuenientem alimentarij, *ex l. ſi quis à liber. §. non tantum ff. de liber. agnoſcen. & l. legatis ff. de alimen.* Vide *Ang. noſtr. & Pontan. de alim c. 1. Imol. in l. ſi cum dotem ff. de ſol. matrim. Azor. 2 p. c. 2. lib. 7 c. 4. quaſ. 2. & 19. Filliuc. tr. 28. c. 2. quaſ. 3. Bonac. in 4. Pracep. Decal. diſp. 6. q. vn.*

Verùm quò ad medicinas pręſtandas diſtinguit *noſter Vngarell. hic ſchol. B.* quod ſcilicet medicinę debentur ſolum ei, qui habet ſimpliciter alimenta abſque reſpectu operis exercendi, non autem ei, cui debentur alimenta, quatenus operarius eſt, niſi exprimantur, *ex l. diuortio, §. imped. ff. de ſol. Matrim.* tenetur tamen ſemper cuicumq; alimentario dare cibaria congruentia infirmo, vt ſunt pulli, caro vetuccina, & ſimilia, verum tamen puto, quòd ſi medicina eſſet modica, teneatur eam pręſtare infirmo etiam operario, qui ei obligatur alimenta prębere.

Dico tertiò, quòd nomine Alimentorum veniunt expenſæ pro ſtudio neceſſario, ſine quo alimentarius viuere non poſſet ſecundùm condecentiam perſonæ; Ita *Ang. noſter ex Bart.* quam tamen doctrinam limitat *noſter Vngarell. ibid ſchol. F.* quod ſcilicet expenſæ pro ſtudio dandæ illi ſolum, cui debentur alimenta ratione ſanguinis ſecunda iura, puta Pater tenetur filio ratione alimentorum expenſas prębere pro ſtudio ſuæ conditioni competentes, illi autem, cui debentur alimenta ex vltima voluntate, non teneri hęredem dare expenſas pro ſtudio, docet *Vngarell.* quod tamen puto colligendum eſſe ex modo, quo teſtator legat alimenta, etenim ſi teſtator ſolum videtur voluiſſe pręſtanda alimenta ad decentiam etiam ſtatus alimentarij, cenſeo dandas eſſe expenſas pro ſtudio, ſi viuere nequeat ſecundùm decentiam ſui ſtatus ſine ipſo, quod ſi teſtator colligatur, voluiſſe dare alimenta, quò ad viuendum ſimpliciter, tunc videtur currere limitatio *Vngarell.*

Dico quartò, quòd in ſtricto rigore impenſæ funerum non veniunt ſub nomine alimentorum, quia alimenta viuentem reſpiciunt, & viuenti debentur, non mortuo, vt etiam rectè notat *Bonac. loc. cit.* Attamen cauſa pietatis tenetur alimentario ſuo quis impenſas funeris prębere, ſi aliundè non habeat alimentarius pretium pro funere, & ita fortè locutus eſt *Molina tract. 2. diſput. 168.* putans impenſas funerum venire ſub nomine alimentorum.

Dico quintò, quòd Alimenta pręſtari debent iuxtà vſum regionis habito reſpectu ad facultates legantis, & ad dignitatem etiam alimentarij arbitrio boni viri; iſtæ enim conditiones ęquę ſunt, non enim eadem ratione æquitas poſcit, vt alimentetur nobilis, & ignobilis, & eadem ratione accipiantur expenſæ pro alimentis, & facultate locupletis, & pauperis; Ita etiam *noſter Ang. ex Bart. in tract. de duobus fratrib.* facit etiam quod habetur *l. Alimenta ff. de Alimentis, & l. cum his, §. in Perſona, ff. de tranſaction.*

Vtrum Pater teneatur præſtare alimenta filio emancipato, damnato, Proſcripto, & Excommunicato.
DIFFIC. II.

Dico primò, quòd certum eſt teneri Patrem de iure naturæ, & Canonico etiam, vt notat *noſter Angel. ibid. ex Inno. in c. 4. de regul.* pręſtare alimenta filio ſuo licèt emancipato, modò filius non ſit diues, & aliundè nequeat ſibi victum faciliter comparare; alimenta enim dantur ad ſubleuandam neceſſitatem, filio ergò aliundè diuiti, & valenti ſibi victum parare, iure negantur alimenta, quia non patitur neceſſitatem.

Dico ſecundò, quòd Pater filio proſcripto, & excommunicato tenetur alimenta miniſtrare, quia nec proſcriptio, nec excōmunicato ſolam obligationem naturalem à Patre, qua adſtringitur filium alimentare, & licèt *Pontan & Panormit.* velint filio excommunicato, quando extremè indiget, ſolùm teneri Patrem prębere alimenta, ne pereat, tamen duriuſculum videtur, quod excommunicatio tollat alimenta a filio, & non poſſit conuerſari cum Patre, & Pater cum filio; itaque limitandum videtur hoc dictum *Panormitani*, quod ſcilicet tunc filio excommunicato non tenetur pater dare alimenta, quando in contemptum Eccleſiæ inſordeſcit in excommunicatione, vt reſipiſcat.

Cęterùm proſcripto filio abſq; vlla limitatione pręſtanda à patre alimenta, docent *Pontan. Azor. Filliucius, & Bonacina loc. cit.*

Dico tertiò, quòd Pater filio iuſtè damnato, vt fame pereat, poteſt abſque peccato miniſtrare alimenta, non tamen tenetur, vt docent *Sayr. in Cl. Reg. lib. 12. cap. 18. Valentia 2. 2. T. 3. diſp. 3 q. 8. Filliuc. & Bonac. loc. cit.* quod mihi perſuadetur, quia lex, ſiue Iudex poteſt ex cauſa iuſtitiæ impedire effectum naturalem, ſed non poteſt tollere effectum iure naturæ debitum: quatenus ergò iuſtè damnatus eſt filius, vt fame pereat, impeditus eſt effectus naturalis in Patre pręſtandi alimenta, & ideo ſi ea non pręſtat, non peccat, nec tenetur, quia tamen remanet affectus naturalis poteſt ex vi ipſius ſine peccato alimenta præſtare.

Dico quartò, quòd pater tenetur pręſtare alimenta vxori filij ſui, ideſt ſuæ nurui, ſi indigeat, *ex l. ſi quis à liberis, ff. de liber. agnoſcen.* vbi habetur Patrem non ſolùm alimenta teneri liberis tradere, ſed etiam liberorum onera ſuſtinere, ſed onus eſt mariti alere vxorem, ergò hoc onus tranſit in Patrem, ſi filius habeat vxorem indigentem alimentis; Ita etiam affirmant *noſter Ang. & Bonac. loc. cit. & Sanch. l. 4. diſp. 26.*

Dico quintò, quòd Pater compelli poteſt per Iudicem, vt alimenta filio indigenti pręſtet; Ita habetur *ex c. de alend. liber. l. fin.* imò addit *Vngarell. vbi ſupra ſchol. I.* quod pater non alens filium, perdit patriam poteſtatem, *argum. l. necare, ff. de liber. agnoſcen.*

Vtrum Pater filio illegitimo teneatur ali[men]ta præſtare.
DIFFIC. III.

Dico primò, quòd Pater etiam filio ſpurio, & illegitimo ex iure naturæ, & Canonico fundato in æquitate naturali alimenta prębere: Ita docet *noſter Vngarell. ſchol. L.* & eſt ita deciſum *in Rota Rom. p. 1. deciſ. 724. & in nouiſſ. deciſ. 138. in Romana alimentorum coram Pamphilio*, hinc leges Hiſpaniæ prohibentes patrem alere filium ſuum ſpurium, vt optimè notat *Naldus hic*, tamquam diſſonæ pietati Chriſtianæ, & ęquitati naturali, non ſunt amplectendæ.

Dico ſecundò, quòd communiter DD. docent onus pręſtandi alimenta ſpurijs de iure tranſire ad hęredes Patris, hęreditas enim tranſit cum onere ſuo, bona autem patris ſunt obligata ad ſubſtentandos, & alendos ex iure naturali ſuos filios etiam ſpurios, quod ſemper etiam intelligendum eſt, niſi habeant aliundè, vt poſſint honeſtè viuere, puta ſi habeant artem, vel ſeruitium, vel peculium, vndè poſſint ſibi victum procurare, non adeſt obligatio eis alimenta pręſtandi, vt optimè notat *noſt. Ang.* quod tamen etiam limitandum puto cum *noſtro Vngarell. ſchol. K.* modò ſpurius non ſit Nobilis Patris filius, cui non liceat artem, & ſeruitutem exercere, quia tunc debentur alimenta, & notat *Bart.* apud pręfatum *Vngarell.*

Vtrum fiſcus teneatur præſtare alimenta filijs ex bonis paternis publicatis. DIFFIC. IV.

Diſtinguendum puto; nam vel bona paterna ſunt publicata ratione criminum non reſeruatorum, & tunc fiſcus tenetur tradere alimenta filijs de bonis paternis, quia hęreditas tranſit cum onere ſuo, quod ſi bona paterna ſint publicata ratione criminum reſeruatorum, vt ſunt hęreſis, & crimen lęſæ Maieſtatis, negandum puto teneri fiſcum prębere alimenta filijs: bona enim paterna etiam quò ad alimenta debita filijs publicantur omninò, quia in hiſce caſibus crimina parentum ob maximam enormitatem, tranſeunt etiam in filios quò ad pęnam confiſcationis. Benè tamen verum eſt ex quadam ęquitate, & pietate Chriſtiana deberi alimenta filijs paruulis, ne pereant omninò; Ita ſentiunt *noſt. Hier. Rodriq. reſol. 8. n. 16. Boſius in ſua prax. tit. de bon. publicat. Iul. Clar. lib. 5. recept. q. 78. n. 26. & Sanch. lib. 2. decal. c. 16.*

Digitized by Google

Vtrum frater alimenta teneatur præſtare fratri ſuo indigenti.

DIFFIC. V.

DIco primò, quòd alimenta fratri inopi indigenti, nec valenti ſibi victum curare tenetur frater diues præſtare iure ſanguinis, & fraterna naturali obligatione; Ita habetur *in cap. Mutus, ff. de iur. dot.* & docent *noſter Angel. ex gloſ. in l. Paren. C. de alend. liber. & Salscetus in d. l. Paren.* Ita etiam *Rota Rom. deciſ.* 538. *p.* 1.

Quod autem *Marcheſanus* 1. *p. tit. de commiſſ. appellat. in cauſ. alimen.* §. 1. *n.* 24. *pag.* 11. *c.* 7. velit quòd etiam frater teneatur alteri fratri alimenta prębere, etiam ſi Doctor ſit, & poſſit ſua induſtria ſe alere, nimis videtur durum, ſi abſolutè loquatur de alimento in ſtricto rigore, quod datur ad ſubleuandam neceſſitatem ſolum, niſi fortè loquatur de alimento vulgo, piatto; de quo

Dico ſecundò, quòd frater primogenitus, qui iure primogenituræ adijt totam hęreditatem, tenetur fratribus alijs alimenta vulgo, Piatto, tradere, etiamſi ſua induſtria poſſint ſibi victum congruentem acquirere, quia talia alimenta non dantur eis ſimpliciter ad ſubleuandam neceſſitatem, ſed etiam iure ſanguinis,

Dico tertiò, quòd etiam illegitimo fratri pauperi, & indigenti, nec valenti ſibi aliundè victum curare, tenetur frater diues alimenta pręſtare, ex eodem iure ſanguinis, & fraterna obligatione de ſuis bonis vndequaq; ſibi prouenerint; Ita tradit *Rota Rom. deciſ. præſ.* 138.

Ad cognoſcendum porrò, an aliquis poſſit ſe alere, nec indigeat alimentis, non debet attendi induſtria, quæ accidentalitati, periculo, & varietati ſubiacet, ſed videndum eſt, an habeat redditus ſufficientes, ex quibus ſubſtentari valeat.

Vtrum Mater teneatur filio ſuo indigenti præſtare alimenta.

DIFFIC. VI.

DIco primò, Matrem non teneri filio indigenti, & impotenti ſibi victum quęrere, alimenta pręſtare, dum pater eſt potens ea illi tradere, quando verò pater eſt impotens teneri matrem filio impotenti ſibi victum quęrere, alimenta tribuere, communis eſt ſententia ratione, & iure ſanguinis, & naturalis obligationis. Ita etiam habetur *in c. ſi quis à liberis, ff. de liber. agnoſcen.*

Dico ſecundò, quòd mater tenetur etiam filio illegitimo lactis alimentum pręſtare per ſe ipſam toto triennio, modò lacte non careat, & non habeat iuſtam cauſam non lactandi, *ex l. nec filium, C. de Patr. poteſt.* Ad aliud autem genus alimenti præter lac ex proprijs viſceribus, non tenetur in toto triennio, & ſi aliud expenſum fuerit pro eo alendo intra tale tempus poteſt repetere in vtroq; foro, niſi contrarium proteſtetur, vel contrarium ex coniecturis non appareat, quia non poſſunt repeti in hoc caſu, quandoquidem mater, & auia alimenta ſi pręſtiterint filio, & nepti cenſentur pręſtitiſſe affectu materno, & naturali, niſi contrarium proteſtentur, vel contrarium ex coniecturis non appareat; Idem docet de fratre *Rota p.* 1. *deciſ.* 724. Ita etiam *Paul. Laym. lib.* 5. *tr.* 10. *c.* 5. *Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Quod ſi ex iuſta cauſa non poterit mater lactare filium, tranſit ad patrem onus inueniendi mulierem, quæ lactet ſuum filium.

Dico tertiò, quòd in defectum matris, & patris tenentur aui, & alij aſcendentes alimenta pręſtare nepoti impotenti ſibi victum quęrere, vt docetur in pręfata *l. ſi quis*, nam onus, quod naturali obligatione cadit in patrem de alendo filium, debet cadere in magis filio proximum de iure naturali, mater ergò eſt proximior filio, deficiente ergò matre, Auus, & aſcendentes ſunt proximiores filio, quam collaterales, ergò deficiente matre, & patre, tenentur Auus, & aſcendētes alere ſuũ nepotē impotentem; Vide *noſt. Ang. & Vngarell. ſch. I. & Bonac. loc. cit. Sayr. lib.* 7. *c.* 6. *Nauar. c.* 14. *n.* 17. *Marcheſan. Filliuc. Pontan. loc. cit.* At verò

Alimenta quis debeat pręſtare filio in caſu diuortij pater ne, an mater; Vide infra *v. Filius.*

Vtrum fiſcus teneatur alimenta præſtare de bonis publicatis viri, vel vxoris alteri innocenti.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quòd certum eſt teneri virum vxori ſuæ, & vxorem viro ſuo alimenta pręſtare, quando alter eſt impotens, & indigens, alter autem locuples, & potens, *l. vir. & vxor. Auo pręterea, ff. ſol. matrim. l. ſi cum dotem, §. ſin autem, ff. de iur. donat. l. Mutus,* limitat tamen *noſt. Ang.* modò alter non ſit in culpa, quominus alteri teneatur debita pręſtare obſequia, *arg. l. Iulian. §. offerimus, ff. de act. empt. cum §.* 1.

Dico ſecundò, quòd alimenta, quando publicanda ſunt bona vxoris ob viri delictum, & è contra, debet pręſtare fiſcus vxori, nam tenetur fiſcus ea omnia præſtare, quæ debentur vxori ratione dotis, obligatio autem alimentorum eſt doti annexa, ergò tranſit cum bonis viri publicatis ad fiſcum; Ita etiam *noſter Hier. Rodriq. reſol.* 8. *num.* 17. *& Sanch. lib.* 2. *Decal. c.* 17. *Boſius in ſua pract. tit. de alimen. & Peregrin. de iur. fiſci lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 28.

Immò quia tenetur vir alere vxorem ablata dote ob eius crimen, vt contendunt *noſter Hier. Rodriq. n.* 18. *vbi ſupra, & Sanch. lib.* 9. *de matrim. diſp.* 5. *num.* 10. *Caſtillo in l. Tauri* 78. *in fin.* quia non ſolùm doti ſolutæ eſt obligatio alendi vxorem, ſed etiam ratione Matrimonij, quo vna, eademque caro efficitur vir, & vxor, ſequitur, quòd hęc obligatio etiam tranſit ad fiſcum alendi vxorem de bonis publicatis viri, ſi non adſint, vel adſint dotalia.

Vtrum teneantur hæredes præſtare alimenta, per annum à morte Mariti viduæ relictæ.

DIFFIC. VIII.

DIcendum, quòd alimenta teneantur pręſtare hęredes per annum à morte mariti viduæ relictæ, ſi habeant annum ad reſtituendam dotem, quod ſi aliundè fuerit alimentata per annum, non poteſt vidua petere alimenta pręteriti temporis, niſi interpellaſſet hęredes, qui fuerunt in mora pręſtandi alimenta, & in hoc caſu ſi vidua acceperit mutuam pecuniam, vt ſe aleret, tenentur hęredes reſtituere; Ita *noſter Vngarell. hic ſchol. G.* & dicit hanc eſſe communem, & veram doctrinam Iuriſtarum.

Vtrum teneatur Monaſterium ſuccedens in bonis coniugis alimenta præſtare alteri coniugi de ſuo beneplacito, & conſenſu relicto in ſeculo, facto iam inopi.

DIFFIC. IX.

NEgant *Sanch. & Surd. loc. cit.* teneri Monaſterium poſt factum Nouitiatum alteri coniugi facto inopi, & indigenti alimenta pręſtare de bonis acceptis alterius coniugis ex eo, quia pręfata bona ſunt incorporata Monaſterio ex conſenſu coniugis relicti in ſeculo, conſentiens autem alienationi, ſibi pręiudicat *ex l. ſi fundum per fideicom. & l. nihil, ff. de legat. & l. Mater, C. de rei vendic.* tempore autem Nouitiatus volunt deberi, quia adhuc non ſunt incorporata Monaſterio.

Cęterùm probabilius, & mitius dicendum teneri Monaſterium in dicto caſu alteri coniugi in ſeculo relicto quantumvis conſentienti ingreſſui, ſicut etiam filio, & patri indigentibus, & non valentibus aliundè ſibi victum curare, alimenta pręſtare de bonis Monaſterio reſpectiuè incorporatis, quia hoc onus alendi ex vi hęreditatis competebant de iure naturali coniugi, Patri, vel filio reſpectiuè ante Monacatum, ius autem naturale non poteſt extingui nec per ius Diuinum, nec humanum, ergo Monaſterium poſt Monacatum ſuccedens in hęreditate, ſuccedit etiam in onere, quod de iure naturæ competebat Monaco ante Monacatum.

Nec obſtat, quod dicunt conſentientem ingreſſui, & alienationi bonorum ſibi pręiudicare, quia ſi in cęteris hoc ſit verum, non tamen in ijs, quæ iure alio naturali, vel legari debentur, niſi exprimat, quia nullus pręſumitur renunciare iuri alimentorum, tempore pręcipuè indigentiæ, vt docent Iuriſtæ; Ita etiam ſentit *noſt. Hier. Rodriq. loc. cit. ex Ioan. Andr. in addit. ad ſpecul. tit. qui filij ſunt legitimi,* §. 1. *n.* 14. *& alij,* quod etiam confirmatur, nam ſi filius iure iurando renunciauerit iuri alimentorum, & poſtea fiat pauper, vel impotens, ita vt non poſſit ſe alere, poteſt adhuc petere alimenta, & pater tenetur dare, quia Iuramentum diſſoluitur ab obligatione iuris naturalis, quo tenetur Pater filium egentem alere; Ita etiam *noſt. Hier. Rodriq.* 1. *p. ſum. c.* 10. *nu.* 4. *Hier. Rodr. vbi ſup. n.* 15. *Anton. Gom. l.* 22. *Tauri n.* 13.

Hinc alimenta debita filio à Patre, ſi ingrediatur Monaſterium capax ſucceſſionis, licèt filius ante profeſſionem renunciauerit hęreditati paternæ poterit iam factus egens à Monaſterio petere alimenta, quæ ſibi debentur iure naturæ.

Vtrùm Monaſterium capax ſucceſſionis poſſit alimenta petere à Patre pro filio Monaco iam profeſſo.

DIFFIC. X.

AFfirmare videntur *noſt. Hier. Rodr. & Sanch. loc. cit.* quod Monaſterium poteſt petere à Patre alimenta debita filio, ſi monaſterium ſit capax ſucceſſionis, licèt ante profeſſionem renunciauerit hęreditati paternæ; nam ſi filius egens poteſt petere alimenta iure naturæ ſibi debita ante ingreſſum Religionis, pari ratione poterit ea petere Monaſterium ſuccedens eius iuri poſt profeſſionem; iuri enim naturali petendi alimenta, non videtur renunciaſſe filius per profeſſionem, ergò Monaſterium capax ſucceſſionis poteſt ex tali iure naturali petere alimenta à Patre ſui Religioſi.

Verùm an probabiliter ſentiant iſti DD. alibi examinabitur; interim cogita, an verè Monacus in Monaſterio capaci ſucceſſionis pręcipuè dicatur egens, & impotens ſibi victum quęrere, maximè dum ſeruitium pręſtat Monaſterio, ſaltem recitandi Diuina Officia in Choro. Verùm ſi omninò inhabilis factus eſſet propter aliquam infirmitatem non ex ſeruitio Monaſterij, ſed ex naturali indiſpoſitione, probabilis mihi videretur pręfata opinio ratione impotentiæ ſuperuenientis, cuius non fuit cauſa ſeruitium exhibitum Monaſterio.

Alimentorum expenſas an poſſit repetere Monaſterium, ſi Nouitius moriatur ab inteſtato.

DIFFIC. XI.

NEgandum videtur, quia ſi mutato animo Nouitius exijſſet ab Ordine, nec etiam Monaſterium repetijſſet expenſas alimentorum, ergò neq; poteſt repetere, ſi moriatur ante profeſſionem, limita tamen, niſi fortè adeſſet pactum dandi Monaſterio expenſas pro alimentis, vt ſolet fieri in Monaſterijs Monialium, in quibus expenſę promittuntur, nam in iſto caſu ex vi promiſſionis, debentur ſiue perſeueret, ſiue non, nulla habita ratione ad ſeruitium factum Monaſterio.

Alimenta quando, vndè, & vbi pręſtanda, & an tranſeant ad heredes. DIFFIC. XII.

DIco primò, quòd alimenta relicta, vt pręſtentur vſq; ad pubertatem, debentur maſculo vſq; ad decimum octauum, fœminæ verò vſq; ad decimum quartum, quia ſecundùm iura ætas pubertatis ratione alimentorum pertingit in maſculo vſq; ad decimum octauum; in fœmina verò vſq; ad decimum quartum, *ex l. Mela ait, de alim.*

Dico ſecundò, alimenta pręſtita per triennium ab hęrede, tenetur etiam in futurum pręſtare, etiam ſi teſtamentum ſit minus ſolemne, *ex l. 1. C. de fideiuſſ.*

Dico tertiò, quòd alimenta legata alicui vſq; dum morabitur cum hęrede, vel alio, mortuo vtroq;, vel alterutro, adhuc debentur alimenta, ſicut etiam debentur, ſi ex iuſta cauſa diſcedat, *ex l. 1. c. de legat. l. Caio, & Seio infra de alim.*

Dico quartò, quòd alimenta debita alicui, qui moritur in prima die anni, in quo incipit habere alimenta, debentur hęredibus ſuis per totum illum annum, *ex l. nec ſemel, ff. quando dies legati.* quod intellige etiam ſi ſit legata vera ſumma pecuniæ pro alimentis; Ita *Viuius opin. 101. n. 22. & 24.*

Dico quintò, quòd alimenta in futurum debita non poſſunt tranſigi cum legatario ſine Iudicis Decreto, *ex l. cum his, ff. de tranſact.* benè tamen tranſiguntur pręterita ſine Prętore, *ex l. de alimen. C. de tranſact.*

Dico ſextò, alimenta pręſtanda ſumi debent ex lucro capitalis, non autem ex ſorte principali, niſi quando lucrum non ſufficeret; Ita *Rota deciſ. 686. n. 2. p. 1. in nouiſſ. Farinac.*

Dico ſeptimò, quòd alimenta pręſtanda ſint in domicilio hęredis, regulariter ita putant *Rot. in deciſ. 688. in nouiſſ. nouiſſ. & Menoch. de arbitr. c. 68. n. 12.*

Dico octauò, quòd alimenta relicta illegitimo à parentibus, non tranſeunt ad eius hęredes; Ita *Dec. in c. præſenti n. 39. de probat. & in conſ. 611. colum. 1. & in conſ. 301. colum. 2.*

Dico vltimò, quòd alimenta obligatus dare alicui propter fundum ab ipſo receptum, tenetur dare, etiam ſi fundus pereat, quia poſſidenti perit, non danti; Ita etiam *Sylu. v. Permutatio.*

Apoſtaſia.

Quid, & quotuplex ſit Apoſtaſia.

DIFFIC. I.

DIco primò, quòd Apoſtaſia à voce Gręca *anoraone*, quę noſtro idiomate diſceſſionē ſonat, vt notat *D. Hier.* ſuâ trahit originem, definitur à *noſtro Alen. 2. 2. tract. de Apoſtaſia*, quod Apoſtaſia eſt temerarius à ſtatu fidei, obedientiæ Eccleſiaſticæ, vel religionis receſſus.

Dico ſecundò, quòd iuxtà pręfatam definitionem *noſtri Alen.* triplex dicitur eſſe Apoſtaſia. Prima eſt à fide, & taliter fuit Apoſtata Iulianus Imperator, vt *in c. Iulian. 11. q. 3.* & quicumque hęreticus à fide recedens poteſt dici Apoſtata, & de hac Apoſtaſia dicetur infra in *v. Fides*, vel in *v. Hereſis.* Secundò Apoſtaſia dicitur ab obedientia Eccleſiæ, & hæc dupliciter accidere poteſt, vel recedendo ab obedientia, quia non credit eſſe in Papa plenariam, & vniuerſalem auctoritatem, & hic dicitur hereticus, & verus Apoſtata, vel quia credit eſſe in Papa plenariam, & vniuerſalem auctoritatem, ſed contemnit eam, & non vult obedire propter aliquod intereſſe, vel alium malum finem, & hic dicitur propriè inobediens, non autem Apoſtata. Tertiò dicitur Apoſtaſia à Religione, quæ etiam dupliciter accidere poteſt, vel in largo vocabulo, quatenus ſcilicet receditur à Deo per peccatum mortale, nec datur ei verus cultus corde perfecto, & ſic largo modo omnes Chriſtiani peccantes mortaliter poſſent dici Apoſtatæ, de quibus dicitur 38. *diſt. Ecce ego mitto te ad gentes Apoſtatices.* Secundo modo dicitur Apoſtaſia receſſus à Religione in ſtricto vocabulo, quatenus Religio dicitur ordo virorum, vel mulierum approbatus à Sede Apoſtolica, in quo fit votum ſolemne obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, & in hoc tertio genere dicuntur Apoſtatæ, qui recedunt ab ordine, in quo profeſſi ſunt abſq; ſpeciali Superiori, & Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & de hac Apoſtaſia ſpecialius agitur in hoc titulo, quia hic receſſus à Religione magis communiter intelligitur eſſe Apoſtaſia; Vide *Ang. noſt. hic, & Bonac. de clauſ. q. 2. punct. 11.*

Apoſtata an ſit cenſendus, qui Ordinem deſerit animo reuertendi, ſeu tranſeundi etiam ad Religionem laxiorem.

DIFFIC. II.

AFfirmare videntur *Suar. de Relig. lib. 3. c. 3. & alij*, quia verè deſerit ordinem ſuum, in quo profeſſus eſt, & ab obedientia ſuæ Religionis recedit, qui etiam animo reuertendi, vel animo tranſeundi ad laxiorem, etiamſi ſęuiente nimis Prelato, aut credendo ſe non eſſe verum profeſſum, diſcedit à ſua Religione, ergò eſt verus Apoſtata.

Verùm probabilius negandum puto cum *noſtro Ang. hic n. 5. Rodriq. T. 1. q. 30. a. 3. & Portell. v. Apoſtaſia num. 1. & 2. Nauar. lib. 5. conſ. de Apoſt. conſ. 1. Sanctarell. de Apoſt. c. 3. dub. 1. Sanch. in oper. mor. lib. 6. c. 8. Leſſ. lib. 2. c. 41. Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 12. & Arragon. ibidem, & alij*, etenim licèt hic recedat ab hoc ordine, tamen non recedit ab ordine in generali, & obedientiam, caſtitatem, & paupertatem, quas vouit ſolemniter, dum in alia Religione prętendit exhibere. Quare hic propriè dicitur potius fugitiuus, quam Apoſtata, vt n. benè notat *noſt. Rodr. vbi ſup. a. 2.* Omnis Apoſtata eſt fugitiuus, ſed non omnis fugitiuus eſt Apoſtata.

Quare nec in pœnas latas contra Apoſtatas incurrit fugitiuus à ſuo Ordine, cùm verè non ſit Apoſtata, qui habet animum reuertendi, vel in alium Ordinem tranſeundi, pœnæ enim ſunt reſtringendæ, & non eſt facienda extenſio, ſed ſtricta interpretatio facienda eſt in odioſis; Ita etiam *noſter Rodriq. vbi ſupra, & Rota Rom. teſte Mandoſio de ſignat. gratiæ v. Licentia, & Sanch. & Bonac. vbi ſup.* nec obſtat *Bulla 89. Pij V.* incipiens: *Quacumq; Sacrorum*, quia ibi eſt ſermo de tranſeuntibus ad aliam Religionem virtute facultatum conceſſarum aliquibus Religionibus, vt notat etiam *Sanctarell. vbi ſup. n. 9.*

Ex quibus collige, non eſſe cenſendum Apoſtatam, qui iniuſtè grauatus à ſuo Prelato fugit ad ſuum Superiorem, vt docet *noſter Rodr.* cum *Nauar. & alijs q. 3. a. 3.*

Cęterum quia adeſt hodie Decretum *Sacræ Congregationis* citatum à *noſtro Portell. in addit. hic nu. 6.* quod fugiens ab inferiori ad Superiorem Prelatum ſit Apoſtata, pro concordia opinantium multum placet diſtinctio ipſius *Portell.*; nam ſi fugit

ad Superiorem pro grauamine iam illato, ad quod reparandum poteſt tempus habere hic fugiens Apoſtata eſt, quia cùm nequeat ſe defendere, non poteſt habere recurſum de iure, quod ſi grauamen non ſit adhuc illatum, & timeatur inferendum probabiliter, modò ſit notabile, & non paruum ratione defenſionis poteſt fugere ad Superiorem, vt euadat inferendum grauamen, quia defenſio eſt de iure naturę, ſicut percuſſus non poteſt repercutere, poteſt tamen percutere, vt euadat percuſſionem inferendam, quia percuſſus non poteſt ſe defendere à percuſſione illata, benè tamen ab inferenda; ita etiam in pręſenti caſu dicendum à ſimili. Fugientes ergò ad Superiores, ne ſibi quod probabiliter timent, notabile, & non paruum damnum inferatur ab inferiori Pręlato, modò ab iſta iniqua vexatione eximere nequeant, non ſunt dicendi Apoſtatæ, nec pœnas pro Apoſtaſia inflictas incurrunt, vtuntur enim defenſione, quæ eſt de iure naturæ, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi alio modo, quàm per fugam ad Superiorem ſe à dicto grauamine notabili probabiliter inferendo liberare non poſſunt, contra quam nihil operatur ſtatutum, & Decretum poſitiuum, vt alibi dicetur; Ita etiam ſentiunt *noſter Rodriq. vbi ſup. quæſt.4. Sayr. in Clau. Reg. lib.12.c.17. Azor.1.p.lib.12.c.11.q.7.& 8. Bonac. & Sanch. loc. cit.*

Apoſtata an dicendus Religioſus fugiens à perpetuo carcere.
DIFFIC. III.

DIco primò, quòd probabile eſt Apoſtatam non eſſe dicendum Religioſum fugientem à perpetuo carcere, modò fugiat, & ad Superiorem ſe conferat, vel etiam ad Papam, vt veniam petat, & miſericordiam impetret, nam ſi probabilis eſt opinio nō eſſe verè Apoſtatam tranſeuntem ad aliam Religionem, licèt laxiorem propter ſęuitiam Superiorum, ergò cùm ſęuitiam poſſit experiri faciliter perpetuo carceri incluſus, videtur probabile, non imputari ſibi in Apoſtaſiam, ſi fugiens recto tramite ad Superiorem vadat, vt veniam petat, pręterquamquòd, quamuis non liceat fugere ad Superiorem propter grauamen iam illatum, benè tamen poteſt ob grauamen notabile, quod probabiliter timetur: poteſt autem à perpetuo carcere notabile grauamen in vitam propriam timere, & ſi de facto probabiliter hoc timeat, poteſt abſq; nota Apoſtaſiæ ad Superiorem recto tramite fugere, vt ſuæ vitæ conſulat; conſeruatio enim vitæ eſt de iure naturæ; Ita etiam ſentit *Bannes 2.2.q.69.a.7.*

Porrò licèt hanc opinionem abſolutè loquendo, non ſequantur *noſt. Rodriq. vbi ſup. n.3. Leſ. lib.2.c.31. Sanctarell. de Apoſt. cap.3.* tamen dant caſus, in quibus poteſt Religioſus à carcere ad Superiorem fugere abſq; Apoſtaſiæ nota; primò ſi damnatus carceri timeat ſibi mutilationem alicuius membri principalis inferendam; ſecundò ſi morte afficiendum metuat, poteſt iuri naturæ innixus fugere, vt vitam, & membra ſibi ſeruet, abſq; nota Apoſtaſiæ.

Dico ſecundò, quòd Religioſus ſi carceratus ſit iniuſtè, vel tanta pœna non ſit dignus, imò ſi ſententia iuſta fuit, modus autem exequendi ſit atrox, & iniuſtus, non tenetur tali ſententiæ obedire, & conſequenter abſq; Apoſtaſiæ nota poteſt recto tramite ad Superiorem fugere, vt veniam petat; Vide *Nauarr. commen.4. de Regular. nu.64. coroll.7. Sanch. & Bonacinam loc. cit.*

Dico tertiò, quòd ex eodem fundamento, Religioſus damnatus ad triremes indè fugiens, vt Superiorem adeat, & veniam miſericorditer petat, non eſt cenſendus Apoſtata, nec fugitiuus, quia licèt traditio fuerit pœna iuſtè illata, vndè non licet fugere, attamen quia à commoratione in triremibus poteſt ob tot incommoda, & flagella poſt aliquantum tempus ſibi timere notabile grauamen inferendum, vt ſunt longæ, & irremediabiles ægritudines, poteſt vtiq; fugere ad Superiorem tuta conſcientia, vt veniam impetret; Ita etiam *Ban. Bonac. & alij*, contra *Arragon. Sayr. & Sanch.* contrarium opinantes.

Vtrum Religioſus ter, vel quater Apoſtaſiam committens, tamquam incorrigibilis poſſit eijci ab Ordine.
DIFFIC. IV.

DIco primò, quòd Apoſtaſiam ter, vel quater committens, & de ipſis ſemper iuridicè punitus, nec emendatus, imò eam poſtea reiterans poteſt tamquam incorrigibilis eijci ab Ordine, vt fuſiùs dicetur *v. Incorrigibiles*; Ita etiam *noſter Hier. Rodriqu. hic reſol.11. nu.13.* imò ſi per annum inſorduerit in ea, poteſt ab Inquiſitoribus puniri, contra eum procedi, tamquam ſuſpectum de hereſi, vt colligitur de Excommunicato per annum, *ex Conc. Trid. ſeſſ.25.c.3. de reformat.*

Adde, quòd, licèt non ſit punitus legitimè ter, vel quater de Apoſtaſia reiterata, aiunt multi poſſe Superiorem declarare incorrigibilem ſuum Religioſum, ſi in Apoſtaſia celebrauit; Sacramenta miniſtrauit, aleis, & alijs iniquitatibus operam dederit, diſcordias ſeminauerit, & fouerit, vel alia id genus in Religionis dedecus, & detrimentum commiſerit, modò nulla adſit ſpes emendationis; Vide *noſtrum Hier. Rodriq. & Mirand. T.1. q.50. a.2.*

Dico ſecundò, quòd Apoſtaſiam ter, vel quater committens pro recurſu ad Superiorem in re leui, non debet dici incorrigibilis, maximè ſi ſine ſcandalo id fecerit, quia incorrigibilitas ſolùm incurritur propter enormia, & atrocia crimina, vt ita declaratum fuiſſe à Miniſtro Generali Ordinis noſtri teſtatur hic *Portell. num.* 3. Verum hodie ſeruandum decretum Sac. Congregationis infra ponendum *diffic.11.*

Vtrum Apoſtata, & fugitiuus poſſit vbicumq; à ſuo Superiori carceri mancipari. DIFFIC. V.

DIco, quòd ſi Apoſtata, & fugitiuus, nec blanditijs, nec minis reuocari valet ad Ordinem ſuum, poteſt ex decreto *Honorij III. in c. à nobis de Apoſtatis*, ſub graui cuſtodia carcerari, non ſolùm in locis Ordinis, ſed etiam in Territorio cuiuſcumq; quantumvis exempti, nam ſicut rem ſuam poteſt quis in quolibet loco, vbi illam inuenerit capere *ex l. ſi quis, §. Differentia, ff. de acquiren. poſſeſſ.* Ita etiam Pręlatus poteſt Apoſtatam Religionis ſuæ vbicumq; cū inuenerit tamquam rem ſuam capere; ita etiam docet *noſter Rodr. T.1. q.301. a.6. Nauar. comment.3. de Regul. Sanctarel. de Apoſtaſ. lib.3. dub.2. Sanch. in oper. mor. lib.6. c.8. Bonac. vbi ſup. punct.11. §.4.* qui addit Carmelitis eſſe conceſſa priuilegia, vt etiam in Alma Vrbe Romæ poſſit ſuos carcerare Apoſtatas.

Vtrum ſi Apoſtata acceperit nummos mutuos, vel aliam rem, vt ſe alat, teneatur Monaſterium ſatisfacere mutuanti.
DIFFIC. VI.

AFfirmant aliqui Monaſterium debere reddere nummos acceptos mutuos ab Apoſtata, vt ſe alat, & ei, qui alimenta prębuit, ſatisfacere, ex eo quia vtiliter geſſit negotium Monaſterij, qui alimenta prębuit ſuo Religioſo.

Negant tamen alij ex eo, quia ſicut pater non tenetur alere ſuum filium recedentem iniuſtè à patria poteſtate, & maritus nō tenetur alere vxorem ſua culpa ab ipſo diuertentem, ita nec Religio tenetur ſuum alere Religioſum ab ipſa ſua culpa recedentem. Adde, quòd cùm frangenti fidem, fides frangatur eidem, licet teneatur Ordo alere ſuum Religioſum, tamen quia non ſeruat fidem Ordini, quem profeſſus eſt, ab eius ſeruitio recedendo, nec Ordo debet ei promiſſionem alendi ſeruare.

Nec obſtare volunt argumentum opinionis contrariæ, quia potius malè geſſit negotium Monaſterij, prębens alimenta Religioſo ſuo fugitiuo, quia ſi alimenta non habuiſſet, fortè fame preſſus ad ſuum Ordinem rediſſet; ita ſentiunt *noſt. Hier. Rodriq. reſol.8. Surd. de alimen. tit.8. Priuil.97. q.27. Bonac. Sanctarell. & Sanch. loc. cit.*

Diſtinguendum tamen puto in hoc caſu, nam ſi Monaſterium ex reditu Apoſtatæ ad Ordinem factum eſt locupletius ex eo, quia reportauit bona aliqua, debet vtiq; Monaſterium ſoluere debitum ipſius cum prima opinione, quod ſi nulla reportauerit bona, vndè Monaſterium non fuerit factum magis locuples, cum ſecunda opinione dicendum eſt non teneri, qui enim ſentit commodum, debet ſentire incommodum, & è contra; ita etiam docent *noſter Mirand. T.1. q.51. a.8. & Portell. hic n.7.*

Adde etiam, quòd Apoſtata ſi capiatur ab aliquo, vt reddat eum ſuo Ordini, expenſas poteſt repetere ab ipſo, quas fecit in illo alendo, quia vtiliter geſſerit negotium Ordinis, quod patet à ſimili de reportante ſeruum fugitiuum ſuo domino, cui tenetur dominus expenſas factas reddere, quia vtiliter geſſit ſuum negotium; ita etiam *noſter Hier. Rodriq. reſol.8. num.6. Sanch. lib.6. moral. c.9. num.9.* qui etiam docent, quòd Religioſo fugienti ad ſuum Pręlatum pro grauamine iniuſtè ſibi inferendo, ſicut non eſt Apoſtata, ita etiam Monaſterium debet ei alimenta pręſtare in fuga, vel expenſas pro lite, & conſequenter ſatisfacere illi,

qui

qui alimenta, vel nummos pro expenſis tradidit huiuſmodi fugitiuo.

Vtrum bona Apoſtatarum, & fugitiuorum pertineant ad Ordinem, an verò ad Cameram Apoſtolicam.
DIFFIC. VII.

Diſtinguendum puto, nam vel Religioſus Apoſtata tranſit legitimè ad aliam Religionem, & tunc ſi habet bona acquiſita in prima Religione, ad ipſam debent redire, ducor ad hoc aſſerendum, quia Religioſus factus Epiſcopus debet reſignare omnia, quæ poſſidebat in ſtatu Religionis ſuo Monaſterio, vel Prælato, ergo à pari, & fortè multo fortius Religioſus tranſiens ad aliam Religionem debet reſignare omnia, quę poſſidebat ſuo Monaſterio, quicquid enim Monachus acquirit, pro Monaſterio acquirit.

Aduerte autem hic, non eſſe ſermonem de peculio conceſſo ex peculiari diſpenſatione Religioſo ſua vita durante, quia cùm hoc priuilegium ſit perſonale, ſequitur perſonam, ſed loquor de rebus acquiſitis in ſtatu Religionis etiam mobilibus, quę immediatè acquiſita tranſeunt in ius ſui Monaſterij; idem dicendum, ſi in illa Religione, ad quam tranſiuit, legitimè acquirat aliqua bona, quæ fiant illius Religionis, cùm ſit ſubditus illi, ad quam legitimè tranſiuit.

Quòd ſi ad aliam Religionem tranſit illegitimè Apoſtata, bona, quæ interim acquirit intuitu ſui, pertinere videntur ad priorem Religionem, cuius verè ſubditus eſt, quæ autem intuitu Religionis, & Monaſterij, vbi commoratur, ipſius Monaſterij ſunt, quia alitur ab eo, quare poteſt interea tale Monaſterium vti ipſo iure pro ſuis bonis augumentandis, vel cuſtodiendis; ita etiam *noſter Rodr. T. 2. q. 77. a. 6. Portell. in par hic n. 7. Sylu. v. Religio 4. q. 10. Azor p. 1. lib. 12. c. 15. Sanctarell. de apoſt. c. 3. dub. 7. Molin. T. 1. de iuſt. diſp. 144.*

Si verò Apoſtata in ſeculo viuens extra quamcumq; Religionem bona acquiſiuerit, reuerſus ad Ordinem ſuum ſi fuerit, ad ipſum ſua bona ſpectant, ſi verò moriatur in ſeculo, ex iure antiquo *cap. Abbates* 18. q. 2. erant ſui Monaſterij per illud commune dictum: Quicquid Monachus acquirit, pro Monaſterio acquirit.

Hodie tamen per *Conſtitutionem Greg. XIII.* incipientem: *Officij noſtri*, ad Cameram Apoſtolicam ſpectant, etiam ſi quacumq; ratione, ſiue dominationis, ſiue ab inteſtato pertinerent ad ſuam Religionem; ita *noſt. Rodr. T. 1. q. 30. Portell. hic, n. 7. & Bonac. cum Sanctarello loc. cit.* quibus adde *Nauar. conſ. 17. de ſtatu Monach.*

Quod ſi bona aliqua reportet Apoſtata ad Monaſterium rediens, quæ fuerit lucratus iniuſtè, debent omninò reſtitui ſui Dominis certis, vt docent etiam *Rodriq. & Portell. loc. cit.*

Quasnam pœnas incurrat Apoſtaſiam committens.
DIFFIC. VIII.

Dico primò, quòd ſecundùm aliquos non poteſt Apoſtata cum redierit eligi in Superiorem, quod puto verum, ſi adſit peculiare ſtatutum, aut priuilegium ſuæ Religionis, per quod decernatur Apoſtata non poſſe eligi in Superiorem: de iure enim communi non inuenitur expreſsè inflicta hęc pęna contra Apoſtatas, niſi fortè ratione infamiæ, vt dicetur infra, neque obſtat *c. per tuas, de Voto*, quia ibi loquitur de eo, qui vouit Religionem, & antequam adimpleat, factus eſt Epiſcopus, quia debet renunciare, vt votum adimpleat; Vide *Sanch. lib. 6. cap. 8. Sanctarel. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quòd ſecundùm aliquos inflicta eſt Excommunicatio contra Apoſtatas, vt docet *Azor p. 1. lib. 12. c. 17. q. 6. & alij*. At verò de iure communi contra Apoſtatas illos ſolummodò, qui temerè dimittant habitum ſuę Religionis inflicta eſt excommunicatio *in c. 2. ut periculoſa de relig. dom.* non autem contra alios Apoſtatas, vt notant *noſt. Portell. n. 4. in addit. vbi ſup. Sanctarell. Bonac. & Leſſ.*

Cęterim contra Apoſtatas noſtri Ordinis adeſt excommunicatio lata ab Innoc. VIII. quam tamen ſibi non reſeruat, & contra Auguſtinianos Apoſtatas, qui poſt octo dies mandante ipſorum Generali, non redierint ad Religionem fulminauit excommunicationem Iulius II. quare circa Apoſtatarum pęnas, & cenſuras conſulat vnuſquiſq; priuilegia, & Conſtitutiones ſuæ Religionis; ex data tamen doctrina collige, quòd

Apoſtaſia quatenus peccatum eſt inobedientiæ reſeruatur Superiori Religionis, quoad culpam, ſi verò adſit cenſura non reſeruata poterit abſolui à quocumq; Confeſſario ab excommunicatione, à culpa verò ſolùm ab habente poteſtatem; Ita optimè etiam notat *noſt. Portel. vbi ſup. n. 2. & 5.*

Dico tertiò, quòd Apoſtatæ, etiamſi ſit notoria eorum Apoſtaſia, non debent vitari, niſi fuerint denunciati excommunicati per publicum edictum, vt patebit infra *v. Cenſura*, vbi docebitur excommunicatos quantumcumq; notorios non eſſe vitandos, niſi ſint per edictum publicè denunciati, vel publici Clericorum percuſſores.

Dico quartò, quòd Apoſtatæ ab Ordine ſacro, vel Religione eo ipſo dicitur infamis *ex 3. q. 4. Si quis a vero, & 11. q. 3. c. ſi autem*, & repellitur à ſuſceptione, & exercitio Ordinum, & conſequenter cùm redierit, non poterit eſſe Superior, niſi habilitetur.

Dico quintò, quòd an Irregularis Apoſtata ex vi Apoſtaſiæ variant DD. nam cùm *in c. hi, qui diſt. 50.* prohibentur Apoſtatæ ad Clericatus officium aſſumi, & *in c. Conſultationi de Apoſt.* ſtatuitur Monachum, qui aliquem Ordinem ſacrum in Apoſtaſia receperit, quantumlibet fuerit ſuo Abbati reconciliatus, & receperit pœnitentiam non poſſe abſq; diſpenſatione Papæ in Ordine ſuſcepto miniſtrare, vndè videtur eſſe propriè Irregularis Apoſtata, dum habet impedimentum Canonicum *ex prædict. c. cum hi*, è contra autem non videtur dicendus irregolaris Apoſtata *ex præfato c. Conſultationi*, quia ſolùm prohibetur exercere Ordinem ſacrum ſuſceptum in Apoſtaſia, non autem prohibetur exercere Ordinem ſacrum, vel minores ſuſceptos ante Apoſtaſiam.

At verò *noſt. Hier. Rodriq. reſol. 11.* ſimpliciter docet, Apoſtatam ab Ordine ſacro, vel Religione eſſe Irregularem, idem videtur dicere *Bonac.* quod colligitur *ex ipſo cap. Conſultationi*, nam prohibitus ab exercitio Ordinis inferioris non poteſt exercere Maiorem, & per conſequens non poteſt ſuſcipere Maiorem, ergo ſi in Apoſtaſia Ordinem ſacrum ſuſcepit, ſi prohibetur ipſum exercere, poſtquam redierit abſq; diſpenſatione Apoſtolica; prohibetur etiam ad Superiorem aſcendere, ergo eſt ſimpliciter irregularis, maximè cùm *in c. ſi quis præfato, & c. ſi autem*, dicitur ipſo facto infamis, *& c. cum hi, qui ſupradicto.* prohibetur Apoſtata ad Clericatus officium aſſumi; hæc autem ratio non procedit vndequaq; in opinione ſentientium impeditum exercere Ordinem inferiorem poſſe exercere maiorem. Attamen per *c. præfatum, cum hi, qui*, probabilius dicendum Apoſtatam eſſe Irregularem, dum ibi prohibetur ſimpliciter ad Clericatus Officium aſcendere.

Vtrum Clerici ſeculares dimittentes habitum dicendi ſint Apoſtatæ. DIFFIC. IX.

Diſtinguunt DD. in pręſenti difficultate, docet enim *noſter Alen.* quod Clericus abſq; legitima cauſa dimittens habitum non eſt propriè Apoſtata, ſed peccat mortaliter, quia facit contra illud, quod in prima Tonſura dictum eſt, *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* maximè, vt notat *noſter Riccard. in 4. diſt.* 24. ſi deſerat habitum ex ſola, & mera libidine laicandi, & nota, quòd hic eſt ſermo de Clericis in minoribus conſtitutis; nam ſacris initiati dicuntur Apoſtatæ ab Ordine.

Attamen *noſt. Ang* mitius loquitur hic §. 2. putans, quòd nullo modo peccent mortaliter Clerici in minoribus dimittentes habitum etiam ſine legitima cauſa, modò clericandi votum non emiſerint, quod etiam mihi probabiliter perſuadetur, quia contra nullum Canonem, & contra nullum pręceptum faciunt Clerici in Minoribus dimittentes habitum, vt patet *ex c. vlt. & honeſt. Cleric. & pet. Ioannes de Cler. coniug.*

Cęterum ſi Clericus in Minoribus fuerit beneficiatus mortaliter peccare volunt dicti *DD.* ſi temerè, & ſine cauſa dimittat habitum, quia maiori vinculo ſe Clericatui conſecrauit, dum Eccleſiaſticam penſionem recepit, non eſt tamen vexandus, vt reaſſumat habitum, quia ſolùm pro prima vice peccauit. E contra verò.

Clericus ſacro Ordine initiatus cùm ſit verè Apoſtata, ſi dimittat habitum, cogendus eſt, vt habitum, & Tonſuram reaſſumat, vt habetur *in c. Tua de vit. & honeſt. Cler.* quia non ſolùm peccauit pro prima vice, verum etiam in continuo manet peccato, donec habitum, & Tonſuram reaſſumat.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum detinens Apoſtatas Excommunicationem incurrat.
DIFFIC. X.

DIco primò, quod Apoſtatas detinens ex Conſtitutione *Pauli IV in Bulla* 14. quæ incipit: *Poſtquam Diuina bonitas*, excommunicationem incurrit, etiamſi ſit cuiuslibet dignitatis, & conditionis, ſi ab Ordinario loci monitus non dimittat Apoſtatas: detinere autem dicitur ex *Paulo IV.* in dicta Bulla, *Quicumq́; recipit, et alit Apoſtatas, aut conſilium, auxilium, et fauorem præſtat, ne redeat ad Ordinem*, quæ tamen excommunicatio non incurritur, niſi poſt admonitionem Ordinarij, vt dimittat Apoſtatam, nec eſt reſeruata. Item *ex Bonifacio VIII.* teſte *S. Antonino 3.p.tit.24.c.7.* excommunicantur detinentes in proprijs Monaſterijs Apoſtatas Ordinis Prædicatorum.

Dico ſecundò, quòd ſpecialius excommunicantur omnes detinentes Apoſtatas Camalduenſes, & Minoritas, immò qui Minoritis Apoſtatis dant conſilium, auxilium, & fauorem, non ſolùm excommunicantur, ſed etiam poſſunt contra illos Prelati Regulares fulminare excommunicationem, licèt detentores ſint Clerici, vel laici ex conceſſione *Iulij II.* Vide *noſtrum Rodr. in T.1.q.30.a.18. et Portell. hic n.4.*

Dico tertiò, quòd à *Clem. IV. in Bulla* 13. declarantur retinentes excommunicatos Apoſtatas noſtri Ordinis participare in crimine criminoſo, ſi poſtquam fuerint denunciati excommunicati, eos non eijciant.

Ceterùm an detinentes amicitiæ, conſanguinitatis, vt pietatis cauſa, modo abſit contemptus Eccleſiæ, incidant in excommunicationem, negant *noſtri Rodriq. a.9. Hier. Rodriq. reſol. 11. n.7. Miranda T.1.q.51.a.2. et Nauar. c.27.n.55.* à pari de receptantibus hereticos; Vide infra *v. Hæreticus.*

Quam obligationem habeant Prælati Regulares requirendi, et reuocandi ſuos Apoſtatas.
DIFFIC. XI.

PRæſentis difficultatis reſolutio dependet præcipuè à Decreto de Regularibus Apoſtatis, & eiectis à *Sacra Congregatione Vrbani VIII.* iuſſu edito, quod, quia valdè proficit præ manibus habere in hac materia de Apoſtaſia, de verbo ad verbum hic ponendam cenſui.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, Regularium eiectorum, et fugitiuorum ſtatui conſulere, illorumq́; ſcandala ſubmouere, et ſuccreſcentem numerum frangere, operepretium exiſtimans, auditis Religionum Superioribus, req́; diligentiſſime perpenſa, communicato etiam conſilio cum S.D.N. Vrbano VIII. atq́; ex peculiari Sanctitatis ſuæ facultatè, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui huiuſmodi fructus potiſſimum prodeunt, deinceps, ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit eſſe innouandas, et Sanctiſſimi auctoritate innouat Conſtitutiones, & decreta generalia Sanct. mem. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, & Nouitiorum receptionem, profeſſionem, atq́; inſtitutionem ſpectantia, diſtricteq́; præcipit Generalibus, atq́; alijs omnib. Ord. Superiorib., vt illa exacte obſeruent, atque, vt obſeruentur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in iiſdem Conſtitutionibus. A quibus tamen excipiendum cenſuit caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, ſeu Monaſterijs ad Nouitios recipiendos hactenus deſignatis, et approbatis, ſeu in poſterum deſignandis, et approbandis Nouitij ad habitum nullatenus recipi poſſint, niſi prius à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expreſſè, et nominatim approbati fuerint. A cuius quidem Decreti obſeruatione Sacra Congregatio iuſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſoluendos, prout auctoritate S.D.N. abſoluit, atq́; exemit.

Deinde, vt apoſtatandi opportunitas Regularibus precludatur, ſtatuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi prius Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit, tumq́; Regularis recta ſe transferat ad arctiorem, quod vt re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet.

Rurſus ſtatuit, vt fugitiui, et Apoſtatæ ſiue habitum Regularem deferant, ſiue non, poſſint, ac debeant ab Epiſcopo, loco, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus conſignari, ſecundùm regularia inſtituta puniendi, atq́; ipſi quoq́; Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur; ſalua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa Decreto Concil. c.3. ſeſſ.6. Quod ſi Apoſtatæ huiuſmodi citra montes infra quatuor, vltra monte verò infra octo menſes à præſentis Decreti publicatione inchoandos, ſua ſponte ad ſuam quiſq́; Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipſis propter Apoſtaſiam inflictarum remiſſionem, atq́; impunitatem aſſequantur. Ita tamen, vt debeant à Superiore abſolutionem humiliter petere, et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneantur excipere, ab huiuſmodi pœnis abſoluere, et paterna charitate complecti.

Ad hæc, vt in poſterum è religionibus nullus legitimè profeſſus eijci poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minime cenſeatur, niſi non ſolùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, et Conſtitutionibus cuiuſcumq́; Religionis, et Ordinis etiam à Sede Apoſtolica approbatis, et confirmatis; verum etiam vnius anni ſpatio in ieiunio, et pœnitentia probetur in carceribus; proindeq́; vnaquæq́; Religio priuatos habeat carceres in qualibet ſaltem Prouincia. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre eijci tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali, tantùm de conſilio, et aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis eliciendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus, tumq́; non niſi inſtructo, ſecundùm eorum ſtylum, et Conſtitutiones proceſſu, et plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum. Interea tamen vſq́; ad primum Generale Capitulum, ſeu Cōgregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex iuſtis, et neceſſarijs cauſis expellere oportebit, eiectio fieri poſſit à Generali cum conſilio, et aſſenſu ſex Patrum, vt ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis Decreti publicatione; ſeruata tamen in reliquis forma ſuperius præſcripta. Sic verò eiecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atq́; Ordinarij loci iuriſdictioni, et obedientiæ ſubſint, proindeq́; Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

Cæterum Sacra Congregatio Religionum ſuperiores ſeriò admonet, ac per Ieſu Chriſti viſcera obteſtatur, vt memores paternæ charitatis, et manſuetudinis, quem profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimum, atq́; extremum expulſionis remedium experiantur. Idq́; eo magis quod ſubditorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, et ſui Officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſupremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

Præterea ſtatuit, vt iidem Superiores nemini ex Religioſis expulſis litteras teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extra Religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi, aut moderandi.

Ac poſtremo eſſe innouandam, vt ſuæ Beatitudinis auctoritate innouat Conſtitutionem fel. record. Gregorij IX. relatam in c. fin. de regul. ac propterea declarat eam Conſtitutionem in iis quoque vendicare ſibi locum, ſeruandumq́; eſſe, qui iuſtè, diffinitiueque, ac iuris ordine ſeruato expulſi fuerint: dummodò tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes euidens emendationis ex litteris ſaltem teſtimonialibus Ordinarij, cuius conſcientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio ſeriò onerauit.

Neque verò difficultas in ſupraſcriptis decretis, et ordinationibus exequendis ſuboriatur, Sacra Congregatio, Sanctiſſimo Domino noſtro annuente, atque approbante, vniuerſis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, et quibuſcumque alijs Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbicumque locorum exiſtentium iniungit, ſeriòque mandat, vt illa diligenter obſeruent, atque obſeruari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monaſterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium vbique locorum exiſtentibus, efficiant, vt tam decreta ſupradicta fel. record. Clem. VIII. quam præſentes Ordinationes in ſingulis eiuſmodi locis bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si quis verò ipſorum aduerſus ea, quæ ſuperius præſcripta ſunt, vel eorum aliquid, quoquomodo facere, vel moliri præſumpſerint,

ij ſo

ipſo facto, pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisq; actiuæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, pœnaq; huiuſmodi ſit ſanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ipſiúſque Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta, & nihilominus ſit irritum, & inane quicquid ſecus, à quoquam actum extiterit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, vel conſuetudinibus etiam immemorabilibus exemptionibus quoque, indulgentijs, et priuilegijs etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, aut titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis etiam mari magno, ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, et formis, et cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certa ſcientia, aut de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, et iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi, ac ſi verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, et forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ ſupradictis quomodolibet aduertantur illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, et expreſſè ſanctitatis ſuæ auctoritate derogat, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ die 21. Septembris 1624. C. Cardinalis Torres. Locus † Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congreg. Secret.

Altare.

Quotuplex ſit Altare, et quomodo execretur.
DIFFIC. I.

Dico primò, quòd Altare duplex dicitur eſſe; alterum ſtabile, portatile alterum Altare ſtabile ſolum eſt in Eccleſia conſecrata ab Epiſcopo, debetq; menſa ſuperior eſſe tota lapidea conſecrata ſolitis cæremonijs ab eodem Epiſcopo vt in Pontificali: Altare autem portatile multis modis fiebat antiquitus, hodie tamen debet eſſe lapis quadrus, vel tantus, vt commodè portari queat, vel ſaltem tantus, vt capiat commodè pedem Calicis, & Corpus Chriſti, & in medio ſigillum.

Sigillum autem in vtroq; Altari tàm ſtabili, quàm portatili dicitur ille paruus lapis, qui claudit foramen factum in Altari, in quo reponuntur Reliquiæ, nomen Epiſcopi conſecrantis, & nomen Sancti, ad cuius honorem conſecratur Altare ſtabile præcipuè.

Dico ſecundò, quòd Altare ſtabile dicitur execratum, quando notabilis fractura eſt in menſa, & ita enormis, vt forma deſtructa appareat, puta ſi ſigillum ſit amotum, vel quando menſa ſuperior de loco, cui compaginatur, amouetur; nam conſecratio intelligitur eſſe facta in menſa, quatenus coniungitur ſtructuræ inferiori, in qua apparet forma Altaris; ita apud *noſt. Angelum antiquiores Canoniſtæ, vide c. ſi motum cum notatis ibi à gloſſ. et Archid. de conſecr. diſt.* 1.

Adde, quòd non dicitur execratum, ſi frangatur in duas partes, modò vna ab altera non dimoueatur, quia ſciſſum non tollit formam Altaris, & poterit faciliter aliquo glutine lapideo, prout vulgo, ſtucco, re compaginari, quod ſi autem ſciſſæ partes poſſint loco dimoueri, etiamſi vna ſit maior altera, & poſſet capere Calicem, & Hoſtiam, imò licet vna fixa maneat, ſi altera dimoueatur, & excedat quartam partem tabulæ amittet conſecrationem, quia perdit formam, quia eſt notabiliter, & enormiter fracta, & non cenſetur amplius Altare; Vide *Paſqualigum de Altari deciſ.* 45. In dubio autem ſtandum eſt iudicio Epiſcopi; Ita *noſter Rodriqu. in Compend. qq. Reg. reſol. 9. num.* 1. an verò ſi cornua Altaris franguntur, ſit execratum, probabilius dico cum *Eminentiſſimo de Lugo diſp. 20. de Euch ſect. 2. n. 74. et Paſqualigo loco cit.* quod etiam videtur docere *noſter Portell. loco ſubſequenti*, quod non eſt execratum, modò in aliquo illorum non fuerit ſigillum, quia licet cornua conſecrentur, non tamen tollit formam Altaris eorum fractio.

Dico tertiò, quòd Altare portatile execratur, quando ſigillum amouetur, vel eſt enormiter fractum: fractio autem enormis tunc eſt, vt ait *noſter Vngarell. hic*, quando vltra medietatem apparet fractum; Quare ſi in parte, quæ remanet, adſit ſigillum integrum, & tanta ſit, vt poſſit commodè capere Calicem cum Hoſtia, licèt anguli ſint fracti, vel etiam pars quadri, non dicitur execratum, quia remanet forma ſubſtantialis, & materia ſufficiens Altaris conſecrati; Ita etiam *noſter Portell. v. Altare n. 4. & Suar. diſp. 91. ſect. 5. Henriq. lib. 9. cap. 29. Bonac. de Sacram. Euchar. diſp. 4. q. vlt. punct. 9. diſp. 223. cap. 2. in 3. q.* Anguli enim non ſunt de forma Altaris, ſed planities ad commodè capiendum Calicem, & Hoſtiam.

Dico quartò, quòd execratur Altare portatile, ſi lapis à ligno remoueatur, quando in ligno eſt ſepulcrum, quia frangitur ſigillum. At verò ſi ſigillum ſit in lapide, licèt *noſtri Aſtenſis l. 4. ſum. Tit. 14. a. 4. Paludan. et alij* velint, quòd execratur lapis, quia conſecratus eſt vt ligno affixus, at tamen *noſtri Villalob. 1. p. ſum. tract. 8. diffic. 25. Hier. Rodr. in Compen. reſol. 9. num. 10. Eminent. de Lugo diſp. 20. de Euch. ſect. 2. num. 20. Sylu. v. Altare q. 9. et alij* putant non execrari, & probabiliter ex *C. Altaria de conſecr. diſt.* 1. vbi habetur Altaria non poſſe conſtare ex ligno, ergo lignum non eſt pars Altaris eſſentialis, niſi inſeruiat pro ſepultura, quia tunc eſt pars ſigilli. Monet tamen *noſter Angelus v. Altare*, quòd ſi ita ſit paruus lapis, vt non poſſit capere Calicem, & Hoſtiam, quod execretur ſi auferatur à ligno lapis, quia tunc lapis non eſt aptus ſine tabula ad ſacrificium. *Paſqualigus* verò *deciſ.* 51. contendit etiam probabiliter, quod non eſt execratus, ſed celebrans in eo peccet mortaliter, quia celebrat in lapide non apto ad ſacrificium.

Dico quintò, quòd Altare ſtabile, execrata Eccleſia, non execratur, quia non dependet à forma Eccleſiæ, imò ſi poſſit portari integrum, ſcilicet coniunctum cum parte inferiori in aliam Eccleſiam, nec eſſet execratum, quia non perderet formam ſubſtantialem Altaris.

Verum eſt tamen, quòd ſi polluatur Eccleſia, polluitur etiam Altare ſtabile, quia pollutio concernit totum corpus Eccleſiæ, cuius pars eſt Altare ſtabile, ideò indiget reconciliatione, ſicut Eccleſia, vt benè notat idem *noſter Vngarell. ibid.* quod tamen non eſt dicendum de Altari portatili, quia cùm non ſit pars Eccleſiæ, non polluitur, polluta Eccleſia.

An verò polluto Altari ſtabili polluatur etiam Eccleſia, affirmatiuè reſpondendum eſt, quia ſufficit, vt pars Eccleſiæ polluatur, vt tota dicatur polluta, de quo ſuo loco fuſius; Ita etiam docent *noſt. Hier. Rodriq. reſol. 9. num. 12. Abb. in cap. Propoſuiſti de conſecr. Eccl. et Sylu. q.* 11.

An vero celebrans in Altari non conſecrato remaneat conſecratum, ita vt deinceps poſſit in eo celebrari; Vide infra *v. Calix*

Quænam deceant Altare. DIFFIC. II.

Dico primò, quòd Altare præſertim maius ex multis congruentijs allatis ab antiquioribus decet conſtrui verſus plagam orientalem, quod tamen *Suar. et Vaſq.* negant eſſe neceſſarium, vndè dico cum *Bonac.* ſeruandam in hac re locorum antiquam conſuetudinem, niſi legitima Superioris auctoritate aliter faciendum viſum fuerit.

Dico ſecundò, quòd Altare denudans, vel lugubri veſte ornans ad animi ſui triſtitiam dumtaxat, & non vt ſeruet ritus Eccleſiaſticos incurrit, vt refert *Gratian. in cap. Quicumque 26. q. 5. ex Conc. Tolet.* pœnam priuationis dignitatis, & beneficij, ferendam tamen, non ipſo facto latam, vndè non videtur probabiliter dixiſſe *Maiol. lib. 5. c. 26. num.* 5. taliter delinquentem eſſe irregularem, cùm irregularitas ipſo facto paſſim incurratur; Ita *Suar. 3. p. diſp. 42 ſect. 5. Filliuc. tract. 20. c. 8. & Bonac. de irregul. diſp. 7. q. 3. punct.* 7.

Dico tertiò, quòd in Altari, in quo celebrauit Epiſcopus, propter quamdam venerationem, quam requirit pro eodem die, non poteſt celebrare alius ſimplex Sacerdos poterit tamen de licentia ipſius Epiſcopi, aut ex neceſſitate, cùm Epiſcopus non poſſet perficere ſacrificium, *ex c. fin. de conſecr. diſt.* 2. Vide *Gloſſ. ibid. et Ang. noſt. v. Altare §. vlt.*

Dico quartò, quòd circa ornatum, & veſtimenta, pallia ſcilicet,

cet, tobaleas, candelabra, & baltacchinum quænam deceant Altare conſulantur Rubricæ, & Conſtitutiones cuiuſcumque Eccleſiæ.

Vtrum ad Conſecrationem Altaris portatilis ſint neceſſariæ eſſentialiter Reliquiæ. DIFFIC. III.

NEgant eſſe eſſentialiter neceſſarias Reliquias in conſecratione portatilis Altaris *noſter Aſtenſ. lib. 6. tit. 39. et Ang. hic §. 3.* putantes, quod iura præcipientia Reliquias Sanctorum poni in conſecratione Altaris, loquantur ſolum de Altari ſtabili, non autem portatili, & probant ſuam ſententiam ex quadam Rubrica in Miſſalibus antiquis, in qua dicitur, quod ſi non adſint Reliquiæ in Altari portatili, debent omitti illa verba poſt confeſſionem: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic ſunt*, quam etiam opinionem videntur ſequi *Suar. & Vaſq. loc. cit. et Coninch. q. 85. n. 341.* miror tamen quod *Sanch. 2.* teſte *Paſqualigo deciſ. 46.* dicit, conſuetudinem tenere, vt Altare ſine Reliquijs conſecretur, cùm in Italia præſertim prout videre potui, nullum Altare portatile præſertim conſecretur ſine Reliquijs; idem tenent *noſt. Hieron. Rodriq. in Comp. reſolut. 9. Eminentiſſ. de Lugo diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. nu. 75.*

Hoc tamen mihi certum eſt in hac materia, quod licèt Reliquiæ Sanctorum probabile ſit non eſſe neceſſarias eſſentialiter, itavt ſine ipſis probabiliter dici poſſit Altare portatile fuiſſe ritè conſecratum, tamen probabilius, & tutius dicendum ſit eſſe neceſſarias de præcepto, itavt grauiter peccet Epiſcopus eas in conſecratione omittens abſque Pontificis diſpenſatione, imò probabilius etiam dicendum putarem eſſe eſſentialiter neceſſarias præſertim hodie; nam ſi verum eſt, & certum, quod perditur conſecratio Altaris portatilis, ſi amoueatur ſigillum, ſub quo ſepultæ ſunt Reliquiæ, dicendum etiam eſt, quod cùm Reliquiæ pertineant ad ſigillum, qui eſt neceſſarius in conſecratione eſſentialiter, etiam Reliquiæ dicendæ ſint in conſecratione eſſentialiter neceſſariæ, tanquam partes ipſius ſigilli; fruſtrà enim diceretur ſepulcrum, niſi in eo Reliquiæ eſſent ſepultæ tanquam de neceſſitate conſecrationis, non tamen improbabilem teneo primam, ſi rubrica conſecrationis ad ſubſtantiam conſecrationis Reliquias non ponat.

Aduerte tamen nullo modo pro reliquijs ponendum Corpus Chriſti, quia peruerteretur ordo Sacramenti, quod per modum cibi eſt ſolum ordinatum, & pro infirmis ſeruatur præcipuè, manifeſtæq; corruptioni ſubijceretur; Vide *noſt. Ang. v. Altare*, & nouiſſimè *de Lugo diſp. 20. de Euch. ſect. 2. num. 57. Paſqualig. deciſ. 48.*

Quinam poſſint celebrare extra Eccleſias in Altare portatili. DIFFIC. IV.

DIco primò, quòd Epiſcopus poteſt non ſolùm celebrare, ſed etiam facere coram ſe celebrare in Altari portatili extra Eccleſias, in loco tamen decenti vbicumq; ſibi commodum viſum fuerit *ex cap. Quoniam de priuil. in 6.* & iure hoc conceditur ratione dignitatis, ne propter incommoditatem feruor deuotionis, & pietatis in Epiſcopo aliquando tepeſcat, quod etiam competere puto Epiſcopis etiam extra Diœceſim, cùm eadem militet ratio, quicquid in contrarium videatur velle *Nauar. l. 5. conſ. 16. de Priuil.* licèt limitet quoad Epiſcopum permanenter morantem in aliena Diœceſi, nam etiam ſi itinerantes ſint extrà Diœceſim, modo non ſint Romæ, conceditur eis ratione dignitatis vſus Altaris portatilis *ex cap. fin. de Priuil. in 6.* Priuilegia autem inſerta in corpore iuris non derogari, niſi de eis fiat ſpecialis mentio probant *noſt. Miranda T. 1. in man. Præl. q. 45. a. 6. Ruinus conſ. 228.* habetur *l. eius militis, §. Militia de teſtam. mil. & Azor.* teſtatur anno 1586. declaratum fuiſſe à *Sacra Congregat.* non eſſe ſublatum Epiſcopis vſum celebrandi in Altari portatili; Vide *noſt. Rodriq. T. 1. qq. reg. q. 28. a. 3. & Paſqualig. deciſ. 56.*

Dico ſecundò, quòd in portatili Altari poſſunt celebrare Mendicantes extrà proprios Conuentus etiam in Palatijs, & domibus ſecularium, ſed non in Cameris, vbi dormiunt, modo non contradicat Epiſcopus, & adſit debita decentia, & ornatus ex priuilegio facto Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus ex *Innocentio IV. & Xiſto IV.* nec eſſe reuocatum probabiliter docent per *Concilium Tridentinum* tale priuilegium *noſtri Hier. Rodr. reſol. 9. Villalob. tr. 8. diffic. 13. & Azor. T. 1. cap. 26. q. 4.* quod etiam probabile puto, modo huiuſmodi celebratio extra Eccleſias non ſit in præiudicium Eccleſiæ Parochialis præcipuè in exactione Decimarum, & primitiarum; hanc etiam ſententiam, poſſe Regulares ſcilicet celebrare vbicumque etiam in domibus ſecularium non contradicente Epiſcopo cum debita reuerentia citra præiudicium Parochiæ, & tuta conſcientia practicari poſſe docent *noſter Rodriq. in addit. ad ſum. T. 3. lib. 19. n. 3. Pet. Ledeſ. lib. 1. ſum. c. 20. de Euchar. Ioan. à Cruce in Epit. Priuil. lib. 2. c. 6.* Attamen

Dico tertiò, quòd licèt præfata opinio probabilis, & tuta videatur, tamen probabilius abſtinendum puto, niſi in caſu euidentis neceſſitatis, deuotionis, & frequentiæ fidelium, cùm probabile admodum ſit huiuſmodi priuilegia eſſe reuocata, vt docent *noſter Miranda T. 1. q. 4. a. 9. Suar. et alij.*

Attamen certum eſt, quod itinerantes in miſſionibus, poſſunt Mendicantes vti præfatis priuilegijs celebrandi in Altari portatili vbicumq; ex conceſſione facta pijſſimis Patribus Societatis Ieſu à *Gregorio XIII. et Paulo III.* cum derogatione *Concilij Tridentini ſeſſ. 22.* vndè nec poſſunt miſſionarij ab Epiſcopo impediri; Vide *Portell. v. Altare, et Paſqualigum deciſ. 53.* quia per Concilium datur auctoritas Epiſcopis impediendi Regulares, cùm ergo derogetur Concilio a *Gregorio XIII.* tollitur etiam eis auctoritas impediendi Regulares in dicto caſu.

APPENDIX.

NOta, quod in Altari priuilegiato pro defunctis, ſi dicatur ſtatutis diebus Miſſa de Sancto non conſequitur Indulgentiam pro mortuis celebrans, quia neceſſarium eſt, vt in ipſo ad finem lucrandi Indulgentiam pro animabus Purgatorij ſo ipſo celebretur Miſſa de Requiem ex *Sac. Congregatione Rituum in Piſtorienſi 1. Iunij* 1601. & *in Tolet. eodem anno 13. Iulij* apud *Lellium in ſelect. Canon. c. 11. n. 9.*

Nota ſecundò, quòd in Eccleſijs Regularium Altaria particularium Patronorum de paramentis, & alijs neceſſarijs, non prouiſa, vel ſi vetuſtate collabantur, & ruinæ ſint proximæ in graue dedecus Eccleſiæ, debent Patroni ab Ordinarijs moneri ad inſtantiam Regulariũ, & ab illo aſſignari tempus, intra quod prouideant, intra quod ſi non prouiderint, dotent, reſtaurent, & neceſſaria ſubminiſtrent. Patroni poſſunt Altaria demoliri, & Patroni omni iure, & actione priuari; Ita *Sac. Congreg. Regul. in Modenenſi 16. Ianuar.* 1604. Vide *Barboſam in Coll. deciſ. Apoſtol. Collect. 22. & de Iure Eccl. vniuerſo l. 2. c. 7. n. 28.*

Dico quartò, quòd Regulares communicantes cum Fratribus D. Hieronymi in Hiſpania, & Patribus Societatis Ieſu, in virtute priuilegij facti dictis Patrib. vt in eorũ Compendijs videri poteſt Altare erigere valent intra ſuos Conuentus, & in eo facere celebrare cum debita reuerentia etiam in Camera Superioris localis, & maximè vbi ſunt infirmi, nam licet pro Patribus Ieſuitis ſolum id concedatur Prouinciali, tamen pro Fratribus D. Hieronymi conceditur etiam Superiori, licèt non ſit Prouincialis, quia loquitur abſolutè priuilegium, quo etiam vti poſſunt communicantes cum ipſis.

Vtrum Altare portatile conſtare valeat ex duobus lapidibus, qui claudi, et aperiri poſſint ad modum libri etiam ſeparabilibus. DIFFIC. V.

NEgant *Sylu. v. Altare q. 3. Vaſq. 3. p. diſp. 23. & Eminentiſſ. de Lugo diſp. 20. de Euch. ſect. 2.* & probabiliter admodum tum quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, tum quia contra miſterium, nam Altare repræſentat Chriſtum, in quo eſt vnica perſona, vndè ſi eſſent duo lapides, in quorum vno Calix, & in alio Hoſtia conſecrarentur, non repræſentaretur vnitas perſonæ Chriſti, qui eſt lapis angularis vnus, & proindè fortè eſſet ac ſi conſecraretur in vna Eccleſia Hoſtia, & in alia ſanguis.

Affirmat tamen, & fortè non improbabiliter *Paſqualigus deciſ. 50.* quod fieri poſſe ait, vel ſi duo lapides inſerantur in duobus ligneis tabellis, quæ aliquo nexu coniungantur, vt poſſint ad modum libri claudi, & aperiri, vel etiam ſi lapides ipſi aliquo glutino colligentur, vt aperiri, & claudi valeant, vel etiam ſi lapides ipſi contigui poſſint ſeparari, & vniri ad libitum abſque alia fractura, quod probat ex eo, quod vnitas artificialis, & moralis, non autem naturalis attendi debet in Altari, itavt ex artificio cenſeatur moraliter vnum, & hæc vnitas moralis probabile eſt mihi,

quod

quod ſufficiat ad repræſentandam vnitatem perſonæ Chriſti, connexio enim quæcumq; artificialis dat vnitatem vnitis, & contiguis moraliter veram, quare cùm non adſit ſpecialis prohibitio, & ratio probabiliter videtur currere, poſſet permitti.

Nec obſtat conſuetudo, quia non omnis conſuetudo obligat ad mortale, ſed ſolùm quando introducta eſt, vt habens vim legis propter aliquod rationabile vtile communitati, non autem quilibet ſimplex vſus, vt eſt in præsenti caſu.

Quod autem etiam ſi lapides ſint ſeparabiles, modò opere tornatili aliquo modo poſſint vniri ad vſum conſecrationis, ſi cum tali ſtructura vt amouibiles ſint conſecrati conficiant verum Altare portatile patet exemplo de Calice opere tornatili facto amouibili in pede à cuppa, & iterū vnibili, qui verè conſecrationem recipiet, & vſui Altaris adhibetur.

Ambitio.

Quid ſit Ambitio, & an ſemper mortalis.
DIFFIC. VNICA.

Dico primò, quòd Ambitio eſt inordinatus potentiæ, ſeu dominij appetitus; Ita docet *noſter Alen. 2. 2. tract. de Auarit. q. 7.* quia ad potentiam, ſeu dignitatem, vel præſidentiam ſequitur honor, ideo dicitur etiam à *D. Tho. ibid. q. 131.* inordinatus appetitus honoris; prima definitio videtur eſſe deſumpta à priori, ſeu à cauſa; ſecunda verò à poſteriori, ſiue ab effectu vtraque declarat naturam ambitionis.

Dico ſecundò, quòd inordinatus iſte appetitus ſiue dominij, ſiue honoris ex duplici paſſim radice oritur, vel à ſuperbia, qua alijs præſidere, præferri, & coli quis curat, vel ab auaritia, quatenus per eam appetitur rerum abundantia; ex qua honor, & dominium.

Ex vtroque autem capite mortalis eſt ambitio, ſi peruertatur ordo neceſſarius pro ſalute animarum, & Reipublicæ beneficio, vel vltra vires, quas ſcit, non habere ad tale munus ſubeundum, vndè quærens ſeruire Dominis, vel Reipublicæ in rebus licitis, & illicitis propter honores conſequendos, & ad lucrandum per fas, vel nefas, dicitur peruertere ordinem pro ſalute animarum, & beneficio publico neceſſarium, ideo peccat mortaliter, ſicut qui ſciens ſe indignum ratione criminis, ſeu ignorantiæ, & huiuſmodi quærit honores, & dignitates, maximè quę habent curam animarum, vel iuriſdictionem in foro fori peccat mortaliter, modò hęc omnia faciat aduertenter cum animo deliberato, & pleno alias eſſet veniale; Ita etiam docet *noſter Ang. v. Ambitio, & Vngarell. ibid.*

Angaria.

Quid ſit Angaria. DIFFIC. VNICA.

Dicendum, quòd Angaria, vt rectè notat *noſter Vngarell. hic* ab Ango, gis, deriuatur, & iure optimo, quia per eam angitur, & vexatur Vaſſallus: quare ſecundùm Iuriſtas duplex eſt, altera perſonalis ſolùm, altera perſonalis, & realis ſimul. Angaria perſonalis eſt illa ſeruitus debita Domino, quæ ſolo labore corporali expletur ſine detrimento rerum, vndè angitur ſæpè ſæpius Vaſſallus à Domino iuſſus in rebus ſupra vires, & ideo dicitur Angaria.

Porrò ſeruitus perſonalis, & realis ſimul eſt, quæ expletur vltra perſonalem ſeruitutem cum ſubiectione bonorum temporalium, & ideo iſta dicitur perangaria à Iuriſtis; Vide *c. Nouimus de Immunit. Eccl.* An verò quando, & quomodo vtraque liceat; Vide infra *v. Vaſſallus.*

Annus.

Annus quando, cui, et quomodo dicatur currere, vel incipere.
DIFFIC. I.

Dico primò, quòd annus eo menſe dicitur incipere, quando pro rata temporis diuidendi ſunt fructus, vel alia res determinanda, ſeu diſponenda, ſicut recepta conſuetudo determinauit; hac autem deficiente, annus incipi debet à natiuitate Domini. Annus enim ſimpliciter ſumptus in memoriam Domini noſtri Ieſu Chriſti eo die computatur incipere apud Sacros Canones, quo incepit Verbum caro habitare nobiſcum, vt videre eſt *in Extrauag. 1. §. nos de Omnipotentis Dei, et in Extrauag. communi, & in Extrauag. quemadmodum de pœnit. gloſſ ordin. in Extrauag. vn. de cenſ. & Rota deciſ. 2. de verb. ſignif. in antiq.* Vide etiam *Genuenſ. in pr. Archiep. Neap. c. 54.*

Dico ſecundò, quòd promittens dare aliquod in aliqua anni parte tenetur ſolùm pro vltimo die ſeruare promiſſum; currit enim pars anni in beneficium promittentis, hinc promittens ſoluere pecuniam in Nundinis, v. g. Septembris, non eſt obligatus ſoluere in principio, nec in medio, ſed ſolùm in vltimo die ipſarum, itavt ſi petatur etiam ante diem præcedentem ad vltimum, non ſit obligatus dare promiſſas pecunias; Ita *ex l. ea, qui certarum de verb. oblig.* Vide *Nald. hic n. 4.*

Dico tertiò, quòd per annum ſeruire obligatus, ſi infrà ipſum infirmatur, non tenetur ſupplere in ſequenti, *ex l. cum quæritur, §. item hæredis, de fid. com. libert.* Ita etiam cui debentur fructus primi anni, ſi in illo pereant, non debentur fructus anni ſequentis, ſicut etiam emens piſces ex prima iactura retis, ſi nullos capiat in prima, non poteſt petere piſces ſecundæ iacturæ, quia annus ſequens non recipit obligationem anni præcedentis, cùm finiatur per finem anni, & ſecunda iactura retis non recipit obligationem primæ, quia cum ipſa finitur pactum, & promiſſio; Ita *Butrius c. ſi propter n. 10. de reſcript. in 6.*

Dico quartò, quòd priuilegium annorum, ſeu ætatis in minore durat etiam poſt ipſum, vt dictum eſt de abſolutione impuberum, quam etiam poſſunt habere facti iam puberes, quando in impubertate fuerunt excommunicati. Idem dicendum de Matre propter ætatem minorem non petente tutelam filij, facta autem deindè maior ſuccedit in legitima filj, ſi moriatur, vt habetur *l. Minoribus, C. de his, quibus.*

Dico quintò, quòd annus currit mulieri neſcienti mortem ſui viri, itavt annus, in quo prohibetur nubere cum alio incipiat à die obitus mariti, non autem à die ſcientiæ, quia in fauorabilibus annus currit à die facti, non autem à die notitiæ, niſi aliter exprimatur in iure, vt colligitur *ex c. ſi electio de elect. in 6.*

In odioſis verò currit à die notitiæ, vt patet in tempore dato ad appellandum, quod non currit à die ſententiæ, ſed à die notitiæ; Ita *Angaran. in c. quia diuerſitatem n. 13. de conceſſ. preben.* Quare per eamdem doctrinam

Dico ſextò, quòd anni quinque conceſſi à *Tridentino* Religionis ad reclamandum propter profeſſionis inualiditatem currunt à die profeſſionis, non autem notitiæ, quia eſt in fauorem Religionis, poterit tamen quis audiri poſt dictos annos; Vide *Sanch. lib. 7. moral. diſp. 37. n. 10.* ſed de hoc fuſiùs ſuo loco.

Annus porrò probationis, ſeu Nouitiatus debet eſſe continuus integer non interpolatus, verum eſt tamen, quod ſi Nouitius cauſa infirmitatis cum licentia ſui Superioris degat extra Monaſterium, non dicitur interruptus annus Nouitiatus. Ita *Sac. Congreg.* apud *noſtrum de Vecchis in praxi Nouit. diſp. 16. dub. 3. et Nouar. in lucer. Reg. v. Annus, n. 10.*

Dico ſeptimò, quòd annus inceptus habetur pro completo ſolùm in fauorabilibus, non autem in odioſis; Vide ſcribentes *in Clemen. de ætat. & qualit. ordin. & in c. cum vigeſimum de off. deleg.* de quo fortè fuſiùs infrà; Vndè ætas 22. annorum requiſita in Canonico Cathedrali Eccleſiæ præcipuè debet eſſe completa, quia videtur eſſe in odioſis, cùm ſit quaſi diſpenſatio in iure communi antiquo, & ita declarauit *Sac. Congregatio*, quod debeat eſſe completa apud *noſt. Hier. Rodr. in Comp. reſol. 23. n. 2. Garz. de benef. p. 7. c. 4. n. 10.* quod ſi Canonici Collegiatæ ſint ſolùm annorum quatuordecim non habent vocem in Capitulo donec fuerint in ſacris ordinati; Ita *Sac. Congreg. 8. Aug. 1621. teſte Lellio in Canon ſelect. c. 20. n. 71.*

Anni quot requirantur ad tempus immemorabile faciendum.
DIFFIC. II.

Variant in hac difficultate DD. Aliqui enim volunt, vt teſtatur *Crauetta de antiq. temp. 4. p. §. Abſolutis, & Couar. 2. p. relect. l. Poſſeſſor. de reg. Iur. §. 3. n. 6.* quod requiratur maius tempus decurſu centum annorum.

At verò communis eſt ſententia ſufficere tempus centum annorum; Ita *Tuſc. v. Tempus, concl. 39. & alij.*

Immo *Socinus iunior conſ. 8. n. 91. lib. 1.* & alij plures volunt minus etiam tempus ſufficere ad tempus immemorabile, quod

ſanè

ſanè probabiliſſimum puto pro iſtis præcipuè temporibus, in quibus ætas hominum multo minor eſt, quàm temporibus antiquis, vt patet experientia. Tu autem quot anni ſufficiunt vide ſupra *v. Adoratio diffic.* 10.

Appellatio,

Quid, & quotuplex ſit Appellatio.
D I F F I C. I.

DIco primò, quòd Appellatio dicitur à minori Iudice ad maiorem Prouocatio ſecundùm Canones 2. *p.6. Omnis oppreſſus, c. ſequenti, & c. placuit*; Ita *noſter Ang. hic.* Vndè duplicem ponit effectus appellationis *noſter Vngarell. ſcholio A. & Portell. hic num.* 5. alter dicitur deuolutiuus, quo cauſa deuoluitur ad Superiorem, & hoc reſpectu appellatur à ſententia, effectus autem alter dicitur ſuſpenſiuus, eſtq; triplex, quia ſuſpendit pronunciatum, & iuriſdictionem Iudicis, quoad illam cauſam, vel etiam extinguit de præſenti, & ſuſpendit de futuro, vndè in caſu, quo Appellatio non proſequeretur, reaſſumeret vires Iudicis iuriſdictio, cùm iura dicant: recta maneat ſententia, Appellatione non proſequente, *ex cap. cùm ſit, & cap. Perſonas, de Appellatione.*

Dico ſecundò, quòd Appellatio duplex, iudicialis altera, altera extraiudicialis; Iudicialis eſt illa, qua ad Superiorem fit Prouocatio in cauſa appellandi vera, & probata; Extraiudicialis autem eſt ad Superiorem prouocatio in cauſa veriſimili, & probabili, puta quia veriſimiliter quis timet grauari poſſe in poſſeſſione alicuius rei, licèt adhuc non ſit grauatus; poteſt adhuc extraiudicialiter appellare; Ita *ex c. Interpoſita de Appellat. noſt. Vngarell. ſchol. G. & S.*

Quando quis debeat appellare, & quomodo.
D I F F I C. I I.

DIco primò, quòd Appellatio debet fieri ſubitò, & incontinenti, & ſi fiat ita, ſufficit etiam viua voce ſine ſcriptis; Ita *Ang. noſt. v. Appellatio* §. 14. infrà tamen decem dies ſaltem debet porrigere libellum appellatorium continentem nomen Appellantis, Aduerſarij, & Iudicis, à quo, & ad quem appellat, dicens: *Ego N. dico ſententiam nullam, quam tuliſti Domine Iudex N. me condemnãdo, vndè ſentiens me grauatum, ad Iudicem Superiorem N. appello, petens Apoſtolos.*

Apoſtoli autem, vt notat *noſter Vngarell. vbi ſup.* alij ſunt admiſſorij, alij refutatorij, alij reuerentiales: Dicuntur ergo Apoſtoli litteræ, in quibus Iudex, à quo narrat, quare detulit, vel non detulit appellationi, & ſi non detulit, dicuntur refutatorij, ſi detulit, quia cum cauſa, dicuntur admiſſorij, ſi verò detulit propter ſolam reuerentiam Superioris ad quem, dicuntur Apoſtoli reuerentiales.

Dico ſecundò, quòd appellare ſtatim, & incontinenti debet quis aduerſus præceptum Iudicis ſub pœna excommunicationis, comminando à futuro grauamine, modò ſit cauſa, in qua de iure poteſt fieri appellatio, vndè ſi poſt appellationem ferat Iudex excommunicationem, nulla erit, ſtante præmiſſa appellatione, & Sacerdos ſi fuerit, poterit celebrare, etiam ſi denuntiatus fuerit abſq; timore irregularitatis, & ratio eſt, quia ſententia illa excommunicationis eſt nulla omninò, ex quo lata eſt à Iudice habente iuriſdictionem ſuſpenſam; Ita etiam *noſter Angelus v. Appellatio* §. 5. *Vngarell. ibi, Gutier. lib. 2. Canon qq. c.* 16. Verum eſt tamen, quòd ſtante denunciatione, non deberet publicè celebrare propter reuerentiam Iudicis.

Porrò appellatio ab excommunicatione lata ipſo facto poſt ipſam non ſuſpendit, nec inualidat eam, ſed ſolummodò comminatoriam, de qua dictum eſt vſq; modò, quia vt notat *Angel. noſter ex c. Paſtorali de Appellat.* cenſura ipſo facto lata trahit ſecum immediatè effectum; Ita etiam communiter *DD. apud Vgolin. tab.* 1. *c.* 13.

Verum eſt tamen, quòd quis poteſt appellare licitè à denunciatione, aut declaratione excommunicationis, vt optimè notat *noſtri Angel. & Panormit. in c. Peruenit, de Appellat. & Portell. num. 7. loc. cit.* quia declaratio non eſt ſententia iuris, limita niſi exceſſus ſit ita notorius, vt nulla tergiuerſatione celari poſſit, quia notorius criminoſus appellans non debet audiri; Ita etiam *Nauar. in c. cùm contingat in fin. de reſcript.* Vide *Tolet. lib.* 1. *c.* 13. In dubio autem an appellatio fuerit facta ante excommunicationem latam pro appellatione, reſpondendum eſt, quòd ante excommunicationem ſit facta, iura enim ſunt magis prona ad benignitatem, quàm ad rigorem; Ita etiam *Couarr. in c. Alma mater, de ſent. Excomm.*

Dico tertiò, quòd ille appellare nequit, qui litem acceptauit, vel contra eum inceptus eſt fieri proceſſus, ſi aderant cauſæ appellationem ante litem, vel proceſſum inceptum, & eas non propalauit, quas omninò debebat ante inceptionem, tacens autem eas acceptaſſe, & exceptionibus renunciaſſe præſumitur.

Verum eſt tamen, quòd ſi appellans ignorauerit habuiſſe legitimas cauſas ſi iuret ignorantiam ſuam, admittitur appellatio, *ex c. inſinuante de off. deleg. Felin. in c. Paſtorali, et noſter Portell. n.* 15. *et Couar. vbi ſup. c.* 26.

Dico quartò, quòd appellatio ab interlocutoria grauamen intolerabile continente, poteſt ſtatim fieri ex conceſſione *Concil. Trident. c. 1. de reformat. ſeſſ. 13. & ſeſſ. 2. num.* 20. vndè debet admitti talis appellatio in cenſuris, tortura, & carceratione ex *Sacra Congregatione apud Nald. hic.*

Interlocutoria autem ſententia dicitur illa, quando non fertur ſeruato ordine, & ſtrepitu Iudicis, vel non fertur in rota cauſa, ſed circa aliquem articulum interponitur, & eſt potius ſententia hominis, quàm iuris, vt notant *noſtri Vngarell. & Portell. hic num* 6.

Dico quintò, quòd appellans ſententia interlocutoria, vel à grauamine facto extraiudicialiter, tenetur cauſam reddere ſuæ appellationis, quam ſi non exponat, non tenetur Iudex acceptare, vt habetur expreſsè *in c. 1. de Appellat. in 6. cum gloſ. ibid. & in c. Conſtitutio de elect. in 6. v. Anteriora*, & ratio redditur, quia in interlocutoria Iudex non amiſit adhuc ſuam iuriſdictionem, & poteſt iudicare, an appellatio ſit friuola, vt poſſit procedere ad diffinitiuam, vel illam admittere, vt deſiſtat.

At verò appellans à diffinitiua non tenetur appellans dicere cauſam, ſed ſufficit, vt dicat iniuſtam, quam Superior examinare tenetur, nec poteſt eam examinare Iudex à quo, quia iam functus eſt officio ſuo poſt diffinitiuam datam ſententiam.

Quæ tamen doctrina limitanda eſt primò, niſi appelletur de re parui momenti, ſecundò modo reus non ſit confeſſus crimen in iudicio, vel crimen ſit euidenter probatum, & pœna ſecundùm legem taxatam in iſtis enim caſibus non admittitur appellatio ex *c. Cum ſpeciali de Appellat.* Ita etiam *noſter Portell. hic in addit. n.* 9.

Dico ſextò, quòd appellatio friuola omninò repellenda à Iudice, dicitur autem friuola ea, quæ ponitur ſine cauſa legitima, puta quia verè non grauatus appellat dilatandi cauſa iudicium, vel quia ſperat Superiorem amicitiæ cauſa futurum ſibi propitium; taliter autem appellans certum eſt, quod peccat mortaliter, quia Iudicium, & iuſtitiam conatur peruertere; Vide *noſtrum Rodriqu. T. 1. q. 8. ar. 13. Portell. num. 2. hic, D. Tho. 2. 2. q. 62. art.* 3.

Regulares an, et quomodo, & de quibus poſſint appellare ad ſuos Superiores. D I F F I C. I I I.

DIco primò, quòd licèt regulariter loquendo non poſſit Regularis appellare à correctionibus ſui Prælati, cùm adſit Conſtitutio *Iulij II.* mandantis ſub excommunicatione, ne Regulares appellare poſſint à mandatis, & correctionibus ſui Prælati. Attamen ſi in modo corrigendi, & præcipiendi fuerit notabilis exceſſus, dicendum videtur poſſe appellare à grauamine notabili, quia cùm Papa non poſſit derogare defenſioni, quæ eſt de iure naturæ, certum eſt noluiſſe excludere appellationem, quando adeſt exceſſus in correctionibus, & mandatis, & notabile grauamen ſubditi; Ita etiam *noſter Hieron. Rodriqu. reſol.* 10. *num.* 2.

Dico ſecundò, quòd appellare poſſunt Religioſi ad Superiores à ſententijs particularibus, quando illis infertur certum grauamen, & Prælatus non recipiens appellationem peccat mortaliter, quia negat defenſionem, quæ eſt de iure naturæ; Ita etiam docet *noſt. Portel. hic n. 1. & Nauar. c. 25. n.* 3.

Attamen non poſſunt appellare à correctione ordinaria inflicta, vel taxata à Regula, vel ſtatuto propter delictum tale, quod euidenter probatum eſt commiſiſſe, non enim poteſt errare Prælatus, dum punit iuxtà pœnas taxatas, benè tamen verum eſt, quòd ſi in delicto ſit aliqua circumſtantia minuens, pœnam, vel in totum relaxans poteſt appellare, quia Prælatus potuit errare

in

in non minuendo,& poteſt argui de exceſſu,ergo, de grauamine poteſt appellare,ita docet *noſt. Hungarel. hic ſchol. K.* vbi docet quod licet quis non poſſit appellare ab iniquitate legis, quia ſemper præſumitur iuſta, poteſt tamen quis appellare ab iniquitate declarationis *ex gloſ. in c. Cupientes, § quod ſi per viginti dies de Elect. in 6. & in l. Ab executore, ff. de appellat. Vide etiam Portell. vbi ſuprà.*

Dico tertiò, quod appellans ab aliquo Prælato, ſi apellet in vna cauſa ſolum poteſt citari, & puniri in alia cauſa diſtincta ab ea, in qua appellauit, quia in ea remanet ſuperior, quod ſi appellauit ab ipſo tanquam iniuſto, vel ſuſpecto, quia tunc vniuerſaliter repellitur, non poteſt Prælatus contra eum amplius procedere, modo ſuſpicionem probauerit, *ita gloſ. in c. Paſtoralis de Appel. & colligitur ex c. Propoſuit, ibid.*

Suſpicio autem quæ ſuſpendit Iudicis auctoritatem per appellationem præcipuè ſunt odium,& conſanguinitas; ita etiam *noſt. Portel. hic, nu. 12.*

Dico quartò, quod in caſu reprobationis Iudicis tanquam ſuſpecti, ſi Prælatus à quo appellatur, cognouerit cauſas eſſe friuolas, poterit tuta conſcientia procedere in cauſa *ex c. cum ſpeciali de Appellat. iuncta gloſ. in V. Iuſtæ ſuſpicionis*; poterit etiam procedere Prælatus in cauſa, ſi aſſignato termine ad producendum iuſtam cauſam, elapſo iam, non produxerit.

Quod ſi cauſa appellationis ſit probabilis, Prælatus ſi ſit ordinarius poterit cauſá committere perſonæ non ſuſpectæ, vel Arbitris, vt iudicent, an ſit committenda, ſi verò ſit delegatus non poterit hęc duo ſua auctoritate facere, ſed ſolum ex conſenſu partium litigantium, ita vt vnuſquiſq; ſuum Arbitrum Iudicem eligat: in quo caſu ſi Arbitri iuſtá appellationis cauſam dixerint, ceſſabit delegatio, at verò ſi iniuſtam, proſequetur cauſam, ratio autem diſparitatis eſt, quia Iudex Ordinarius habet magis radicatam authoritatem iuriſdictionis, vide hanc doctrinam in præfato *c. cum Speciali de appellat. cum gloſ. V. de Recuſatoris, & c. 2. de Appellat. et Portell. hic, nu. 13.*

Vtrum Appellare liceat à ſententia lata iuxta opinionem probabilem, vel etiam probabiliorem.

DIFFIC. IV.

NEgant *noſt. Villal. in Sum. t. 2. tract. 16. diffic. 8. & Bann.* apud ipſum, quia ſententiam iuſtam protulit, dum iuxta opinionem probabilem iudicauit. Adde quod probabilem etiam facit hanc opinionem, quia ſi liceret appellare à ſententia iuxta probabilem opinionem data, nunquã lites ceſſarent, paſſim enim in cauſis adſunt opiniones ex vtraque parte probabiles.

At verò *Turrian. 2. 2. diſp. 61. dub. 1. & Diana, tract. 8. Miſc. t. a reſol. 104. & trac. de Opin. probab. reſ. 3.* abſolutè putant licitam eſſe talem appellationem, modo Appellatio ſit ſundata in opinione probabili, quia Iudex ad quem appellatur poteſt iudicare ſecundum opinionem probabilem.

Sanè prima Opinio probabilior mihi videtur, cùm non poſſit dici grauatus, qui ſecundum opinionẽ probabilem iudicatus eſt. Attamen non cenſeo ſecundam improbabilem, ſi Iudex à quo non reclamet, ſed placeat ſibi admittere appellationẽ quam reus tuta conſcientia poteſt facere, dum habet pro ſe opinionem probabilem; reclamante porro Iudice, puto cum prima omninò dicendum, non eſſe iuſtam appellationem, quia ſit contra arbitriũ Iudicis iuſtè iudicantis, dum in poteſtate eius, erat ſequi opinionem probabilem.

Vtrum Clerici, & Religioſi poſſint in aliquo caſu appellare ad Tribunalia Regum, & Principum Sacularium.

DIFFIC. V.

AFfirmarunt DD. etiam grauiſſimi, quod liceat Clericis, & Religioſis appellare ad Tribunalia Regum, & Principum in caſu violentiæ iniuſtæ, quam ſibi inferunt ſui Superiores cum notabili grauamine, ſi nullo alio medio, & auxilio Eccleſiaſtici Iudicis eam vitare nequeant, nec incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ contra recurrentes ad Tribunalia Sæcularia contendunt modo recurſus fiat non per viam iuridicæ appellationis, ſed ſolum per modum ſimplicis querelæ, qua de grauamine conqueruntur, orãdo Regem vel Principem, vt moneant, nõ iubeant ſuos Superiores, & alteri Eccleſiaſtico placeat ſibi demandare reuiſionem ſuæ cauſæ; defenſio enim eſt de iure naturæ, cui non poſſunt derogare iura poſitiua. Ita ſentiunt *noſt. Hyer. Rodr. reſol. 10. et Portell. in addit. hic nu. 3. idem docent Fuſc. de Viſit. lib. 2. c. 23. Velaſq. conſ. 100. Ceual. lib. 4. commun. qq. q. 1. Garzia de Nobil. gloſ. 1. Zanard. Dominic in direc. Theolog. p. 3. c. 31. Auila de cenſ. p. 2. c. 3. diſp. 2. Roder. de ann. reddit. lib. 1. c. 17. et Syman. inſtit. ca. tit. 45.* Contrarium tamen docent *Suar. contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34. Bonac. in expoſ. Bullæ Cœnæ, diſp. 6. q. 15. punct. 4. Azor. Sayr. Duard. Alter. Filiucc.* quos citat, & ſequitur *Diana 3. p. tract. de Immun. Eccleſ. reſol.* 53. probantes primã opinionem tanquam lædentem libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam.

Verùm licet hæc ſecunda opinio ſit tutior, & probabilior, & conſequenter in praxi paſſim conſulenda, & Religioni pręcipuè quos magis decet patientia, tamen quando talis, & tanta violentia, & iniuſtitia ſuorum Superiorum, vt intolerabile grauamen in vita, vel in honore ſit probabiliter omninò paſſurus ſine peccato vix ferendum, docerem quod tuta conſcientia poſſit vti prima opinione cum præfatis ſuis limitationibus, & circumſtantijs, quia iura Tyrannidem abhorrent, & defenſionem de iure naturę proſequuntur, ita etiam *noſter Rodr. t. 1. cap. 153. Ioann. Valer. in differ. vtr. for. Malder. in p. 2. q. 96. art. 4. Souſa etiam Dominicanus in Bulla Cœn. c. 15. diſp. 78. &c.*

Nec omninò diſſonam puto doctrinam primę opinionis, ſed potius conſonans Sacris Canonibus, *Vide c. Filijs, & Nepotibus 17. q. 7.* vbi pro retẽtione iuris patronatus Eccleſię recurrendum dicitur eſſe ad Regem ſi per Eccleſiaſticum Iudicem non poſſit compelli Rector, vide etiã *c. Petimus 11. q. 1. & c. non licuit diſt. 17.* quamuis aduerſarij nitantur aliter hos textus explicare.

Vtrum Regulares poſſint appellare immediatè ad Superiorem Generalem, vel etiam ad Papam omiſſis Prælatis intermedijs.

DIFFIC. VI.

AFfirmat *noſt. Port.* non obſtante declaratione Sacræ Congregationis, quia Praxis eſt contraria, benè tamen docet Subditum non debere appellare ad Generalem, vel Papam niſi ſtante exceſſu iniuſtitiæ, nec fieri ait contra *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 4. de Regular.* aſſerit, ſi abſque obedientia ad Superiorem immediatè confugit ab inferiori Prælato nimis ſæuiente, vt appellet de grauamine, Vide etiam *Dianam tract. 2. de Regul. reſol. 54.*

Addit etiam, quod licet iuſtè poſſit capi ab Epiſcopo loci, dum ſine obedientia reperitur extra Clauſtra, tamen non poteſt iuſtè detineri, dum appellationis cauſa ad Superiorem tendere affirmat propter grauamen acceptum Superiori Prælato, nam Concilium talem acceſſum ſine obedientia puniendum ab Epiſcopo mandat, quando eſt ſine cauſa, non autem quando adeſt legitima cauſa, vt eſt iuſta appellatio. Ita etiam ſentiunt *Roder. t. 1. q. 29. art. 2. Nauar. Comment. 2. de regul. Sayr. in Cl. Reg. lib. 12. c. 2. Sà V. Religioſi nu. 30. & Diana in dub. regul. reſol. 56.*

An verò hæc opinio, quod ſcilicet liceat recurſus immediatus ad Generalem, vel Papam ſit omninò practicanda hodię, videbitur fortè infra *V. Regularis.*

Aqua naturalis, & benedicta.

Vtrum Aquam naturalis ſcaturiens in agro ſuperiori poſſit impediri à Domino ne currat per fundum inferius.

DIFFIC. I.

NOn defuerunt, qui voluere aquam ſcaturientem in agro ſuperiori, ſi per tempus immemorabile fluxerit per fundum inferius non poſſe impediri à domino fundi ſuperioris ne currat per inferius, quia dominus fundi inferioris habet præſcriptionem in fauorem ſui fundi circa fluxum præfatæ aquæ, vnde dicitur legitimus poſſeſſor dicti fluxus, & conſequenter iniuſtitiam committeret dominus ſuperior, ſi dominum inferioris fundi prædicta aqua ſpoliaret. Addunt etiam quod cùm aqua de natura ſua debeat fluere, neceſſario ſibi acquirit locum, per quem fluat, ergo, eius naturalitas currendi per fundum inferius contra ius naturæ dicunt impediri à domino ſuperioris fundi.

Attamen probabilius alij volunt, quod aqua ſcaturiens in agro ſuperiori, licet per mille annos fluxerit per fundum inferius alterius vicini, poteſt à domino fundi ſuperioris impediri, ne currat, quia aqua dũ ſcaturit, ſeu naſcitur in fundo ſuperiori, eſt ſẽper

in mero dominio domini eius contra quem tãquam legitimum, & notorium dominum non poteſt præſcribere curſum dictæ aquæ dominus fundi inferioris, itaque dominus fundi ſuperioris per aliam viam poteſt tribuere curſum præfatæ ſuæ aquæ, ita deciſum fuit in *Rota deciſ.167.nu.1.p.2. in nouiſs. Farinac.*

Vtrum aquæ in terra latentes iudicio quarundam virgarum licitè inueniantur.

DIFFIC. II.

EXcuſari poſſe à mortali peccato eos qui iudicio aliquarum virgarum latentes aquas inueniunt, modo nulla appareat ſuperſtitio, nec verè adſit pactum cum Dæmone, affirmant aliqui ex eo, quia virgę alicuius arboris puta Amygdali, vel populi, aut Salicis habent quamdam naturalem ſimpathiam cum aqua, ita vt quando ponuntur ſuper locum vbi latet aquæ ex ſeſe moueantur, ſicut ferrum ex naturali ſimpathia cum magnete ad eius præſentiam mouetur.

Attamen quia hæc doctrina non videtur vera vndequaque in praxi, attendat prudens Confeſſarius in hoc caſu veritatem, & pęnitentem ſuum diligenter interroget modum ponendi virgas numerum earum, & abſque illo modo, & numero poſſet habere indicium aquæ, an non, quia ſi ſolum cum tali numero, & tali modo habetur indicium poteſt colligi ſuperſtitiosè hoc facere, ſicut etiam interroget, an virgæ carpendæ aliquo determinato tempore alicuius diei, vel horæ, quia ſi ſic poſſet etiam adeſſe Superſtitio. Demum ſi verba, vel aliqua Sacramentalia adhibeat in poſitione talium virgarum, vel etiam inciſione, quia adeſſet ſuperſtitio, & conſequenter non poſſet excuſari à mortali, quod ſi nulla adeſſet ſuperſtitio, nec ſuſpicio ſuperſtitionis poſſet vtique argui id fieri ex naturali ſimpathia, & conſequenter ermitti poteſt. *Vide Nald. hic.*

Aqua benedicta.

Aquæ benedictæ aſperſio, à quo, & quomodo facienda.

DIFFIC. I.

DIco primò, quòd aſperſio aquæ benedictæ in diebus Dominicis fieri debet per ipſum celebrantem etiam ſi foret prima dignitas non obſtante qualibet conſuetudine, quæ potius eſt corruptela, cùm ſit contra Rubricas Miſſalis Romani, & Cęremonialis Epiſcoporum diſpoſitionem, quæ tollit contrariam conſuetudinem. Ita *Sac. Congreg. Rit. in Peruſina 29. Nou. 1632. apud Sellium in Select. Canon. c.16. nu.3.*

Dico ſecundò, quòd Aquæ benedictæ aſperſio debet fieri ſigillatim quibuſcunque Canonicis incipiendo ab hic, qui in dextro cornu exiſtunt, & non vnico ictu in circulum. Ita *Sacr. Congreg. Rit. in Peruſina 20. dec. 1601. Vide Lezan. t.3. V. Bened.*

Vtrum per aquam benedictam deleantur venialia ex opere operato, an ex opere operantis.

DIFFIC. II.

CErtum eſt in Eccleſia aqua benedicta tolli venialia, ſicut per reliqua Sacramentalia, quę vnico hoc verſu continentur.

Orans, tinctus, edens, confeſſio, dans, benedicens.

An verò tollat venialia aſperſio aquæ benedictæ ex opere operato, an ex opere operantis, variant DD. Negant tollere ex opere operato, ſed ſolum ex opere operantis abſtergere venialia aſperſionem aquæ benedictæ *noſt. Alen. 4. p. q. 1 a memb. 4. ar. vlt. Riccard. diſt. 21. in 4. Villalob. in Sum. t. 1. tract. 4. diffic. 2. & videtur idē docere D. Th. in 4. diſt. 16. q. 2. ar. 2. et diſt. 21. q. 2. ar. 7. Suar. in 3. p. t. 3. diſp. 12. Coninch, & alij.*

Attamen affirmant ex opere operato ſolui venialia per aſperſionem aquæ benedictæ *Sotus in 4. diſt. 15. q. 3. Bellar. t. 3. de Sacram. lib. 2 c. 31. Tolet. lib. 5. c. 3. & nouiſs. Diana, tract. 4. de Sacram. reſol. 61. p. 1.*

Ceterum inter iſtas opiniones mediãdo dicerem cum doctrina *noſtri Seraphici Doctoris in 4 diſt. 21. p. 1. ar. 1. q. 2.* quod aqua benedicta, et cetera Sacramentalia dant rigorem, & virtutem ad delendum peccatum veniale libero arbitrio non repugnante gratiæ, nolendo ſ. perſiſtere in culpa, ita *ex D. Bonau.* requiratur opus operantis, ſ. bonus motus liberi arbitrij, & auxilium Sacramentalium dans virtutem ad delendum peccatum, quod non poteſt fieri, niſi per virtutem operis operati, non quidem à Chriſto inſtitutam immediatè ad delendum peccatum, quia hoc non requiritur expreſſum in ſcriptura, ſed potius ab Eccleſia impetratam à Deo in Sacramentalibus, ſicut etiam eſt dicendum de benedictione Epiſcopali: Eccleſia enim impetrat ſuis meritis à Deo, vt dignetur virtute Sanguinis Chriſti concurrere ad delectionem venialium in bene diſpoſito, vide etiam *noſt. Fauent. in 4. diſt. 21. diſp. 40. nu. 50.*

Vtrum liceat excommunicato vti acqua benedicta.

DIFFIC. III.

AQua benedicta poſſe vti excommunicatos, non vt publico actu inſtituto ab Eccleſia in ſpiritualem vtilitatem Fidelium remittendi. ſ. peccata venialia; ſed ſolum vti re benedicta ad effuganda phantaſmata, & corporalem ſalutem, videtur ſaltem ſentire in parte *Suar. de Cenſ. diſp. 12. ſect. 3.*

Attamen *Vgolin. de Cenſ. tab. 1. c. 3 & Bonac. de Cenſ. diſp. 2. q. 2 punct. 3. §. 3. nu. 8.* negant omninò permiſſam eſſe aſperſionem aquæ benedictæ excommunicatis, quia priuantur omni actu imperatorio facto ab Eccleſia.

Cęterum duriuſculam puto hanc ſecundam opinionem contra excommunicatos, licet probabilis videatur, magis tamen pia, & probabilior etiam prior opinio cenſenda, nam ſicut excommunicato non prohibetur Oratio priuata, nec ingreſſus Eccleſię extra tempus celebrationis diuinorum, ita nec aſperſio aquæ benedictæ, ſaltem pro phantaſmatum effugatione, & corporali ſalute: pia enim mater Eccleſia præſumi etiam poteſt pro filijs quantumcũque præciſis corporea ſaltem ex æquitate velle impetrare, ita in parte docet etiam *Turrian. c. 2. diſp. 2. dub. 3.*

Vtrum aqua non benedicta per commixtionem benedictæ efficiatur tota benedicta.

DIFFIC. IV.

DIco, quòd Aqua benedicta ſi miſceatur non benedictæ efficitur tota benedicta, & ratio huius eſt, vt tradunt *noſt. D. Bonau. in 4. diſt. 12. Ang. V. Aqua. Hungarell. ibi: ſchol. 6 et D. Thom. in 4. diſt. 12.* quia benedictio cùm ſit quantitas ſpiritualis non habens obſtaculum, tranſit ad omnes partes non benedictæ, vnde etiam ſi aqua non benedicta foret maioris quantitati adhuc ex commixtione benedictæ in minori quantitate fit tota benedicta, vt optimè docent *noſt. Angel. & Hungarell. ibid. cum Roſella V. Aqua §. 10.* Etenim vt docet *Gloſs. in cap. quod in dubijs de conſecr. Eccleſ. vel Altar.* Sacrum tanquam dignus trahit ad ſe non ſacrum, vt etiam colligitur *ex c. Vnico, eod. tit. in 6.* Compoſitum ex diuerſis, aſſumit ſibi naturam dignioris, ergo, Aqua benedicta tanquam dignior, & tanquam Sacramentalis commixta cum non benedicta, trahit ad ſe non benedictam efficiendo eam totam benedictam.

Hanc tamen doctrinam limita, primo, niſi aqua non benedicta fuerit in maxima quantitate improportionata aquæ benedictæ, ita vt ad communem vſum fidelium videatur ſuperflua, & non neceſſaria. Etenim cùm benedictio iſta dependeat à voluntate Eccleſiæ, quæ eam inſtituit ſolummodò ad vſum, & deuotionem Fidelium, ceſſante hoc fine, ceſſat etiam, & benedictio. Fruſtratoriam enim benedictionem abhorret Eccleſia, vndè falſum eſt, quod crocitant hæretici Catholicos cum modica aqua benedicta efficere ciſternas lacus, & flumina tota benedicta, cũ enim tanta aquæ copia non ſit neceſſaria ad vſum, & deuotionem Fidelium dicitur moraliter improportionata aquæ benedictæ commixta, vtpotè contra praxim, & voluntatem Eccleſiæ, vnde non efficeretur tota benedicta.

Limita ſecundò, quòd præfata doctrina ſcilicet ſacrum, ſeu benedictum trahere ad ſe non ſacrum, & non benedictum; intelligitur de liquoribus, qui commixtione confunduntur, & vnus alium non deſtruit. Quare ſi maior pars olei non benedicti commiſceretur cum Chriſmate, non remanere Chriſma benedictum, quia Chriſma fit ex balſamo, quod deſtrueretur in ſua natura ſi cum eo commiſceretur maior pars olei communis non benedicti, ita *noſt. Ang. ex Panorm. in præfato c. non dubijs de conſecr. Eccl. vel Altar. &c.*

Quid,

Digitized by Google

Arbiter, Arbitrator.

Quid, quis, quotuplex ſit, et quid poſſit Arbiter, vel Arbitrator.
DIFFIC. VNICA.

DIco primò, quòd Arbiter eſt ille, cuius arbitrio committitur compoſitio alicuius litis, vel cauſæ a partibus electus, procedens ſeruatis ſubſtantialibus in ordine iudicij, vnde eſt tanquam Iudex habendus.

Arbitrator autem eſt ille, cuius arbitrio committitur compoſitio litis, vel cauſæ ſine ordine Iudicij habens authoritatem cõponendi lites commiſſas per amicabilem compoſitionem, vnde potius dicitur mediator pacis, & amicabilis compoſitor, quam propriè Iudex, vnde poteſt procedere in die feriato, & in cauſa componere, ita *noſt. Ang. hic §. 2. et Rot. deciſ. 124. in Nouiſs.*

Dico ſecundò, quòd nec Mulier, nec Monacus ſecundum iura poſſunt eſſe Arbitri; benè tamen fieri valent ambo arbitratores, quia nec Monachus, nec Mulier ſunt capaces regulariter regiminis, & iuriſdictionis Iudicialis, & cõſequenter nec poſſunt eligi Iudices, nec Arbitri; quia verò Arbitratoris officiũ pertinet ad pietatem potius, quam ad iuriſdictionem, ideò tam Mulier, quam Monachus poſſunt eligi Arbitratores, & arbitrium in cauſa ferre, litem que componere amicabiliter.

An verò Monachus poſſit eſſet Arbiter de licentia Abbatis, & Superioris, affirmant Iuriſtæ, dummodo ſit pro vtilitate Monaſterij vide *noſt. Ang. §. 5. et ſcribentes in c. 1. de teſtibus in 6.*

Dico tertiò, quòd Arbiter duplex eſt, alter dicitur legalis, alter compromiſſarius.

Arbiter legalis eſt ille, qui datur à Iure, puta quando lex iubet Prælatum, vt det Arbitrum Iudicem in aliqua cauſa ad tollendam ſuſpicionem, vel etiam dicitur Arbiter a iure, quãdo datur à Iudice recuſato. Si verò huiuſmodi Arbiter ferat ſentẽtiã, poteſt ab ipſa appellari *ex c. de Arbitr. de off. et pot. del. in 6. & glo. ibi.*

Arbiter porrò compromiſſarius dicitur ille, qui eligitur à partibus, vt cauſam, vel eandem litem diffiniat tali pacto, vt vtraque pars compromittat ſtare iudicio ſuo, & ab hoc genere Arbitri non licet appellare à parte condemnata in pœnam in conſtantię, inconſtantia autem eſt diffidere de illo, quem elegiſti; ita *noſt. Mirand. in ord. iudic. q. 30. d. 3. Portel, V. Appellatio, nu. 4.*

Dico quartò, quòd Arbitratoris Iudicium continens enormẽ læſionem, licet velint aliqui, vt eſt *Nald. V. Arbiter. nu. 1.* quod poteſt peti, vt reducatur ad arbitrium boni viri, etiamſi fuerit emologatum, i. approbatum, & data fuerit poteſtas in pauca, vel maxima quantitate lædendi, & renunciatum cum iuramento iuris reductioni. Attamen *noſt. Ang.* probabilius diſtinguit dicens, quod ſi fortè data ſit authoritas componendi in cauſa cum lęſione in toto, vel in parte abſque illa reſtrictione, *prout ſibi videbitur*, non poteſt læſus petere reductionem, modo abſit dolus, quia ad tantum, & totum potuit ſe pars obligare iuri ſuo renunciando iuxta arbitrium electi Arbitratoris, quod ſi fuerit poſita hæc reſtrictio, vt poſſit hædere in toto, vel in parte, vt ſibi videbitur poteſt vtrique peti reductio, ſi læſio fuerit enormis, quia ly, *ſibi videbitur*, importat Arbitrium boni viri. Quare

Dio quintò, Arbiter, probabile eſt, quod poſſit pro bono pacis ſine peccato capere de iure alterius, & dare alteri, non ſolum in dubio, ſed etiam in caſu ſcito, dummodo id faciat abſque dolo, & præciſa omni partialitate, ſolùm quia percipit non poſſe aliter, nec alio modo litem componere, & pacem inter partes firmare, niſi tollendo de iure alterius, & alteri tribuendo, quod ſi adſit dolus, vel partialitas, ſanè furtum committeret, ratio autem propter quam poteſt ſuſtineri, poſſe Arbitrum, vel Arbitratorem ſine peccato tollere vni, & dare alteri ad firmandam pacem, eſt præcipuè, quia etiam talis læſio (modo non fuerit enormis valdè, hæc. n. non permittitur) redundat bonum, & vtile ipſius læſi, ſecundum illud commune dictũ: Multũ lucratur, qui à lite recedit.

Dico ſextò, quòd ſi Arbitrio boni viri res aliqua committatur, regulariter intelligendum eſt de Iudice ordinario loci, vt notat *noſt. Ang. hic §. 13. ex gloſ. in c. ſtatutum de reſcrip. in 6. & ſequitur Geminian in d. c. ſtatutum, & ſpeculator in tit. de Arbitr. §. 1.* vbi dicit quod vir, cuius arbitrio debet ſtari, dicitur Iudex loci *l. continuus, §. adita de verb. ſignificat. noſter tamen Hunzarell. Schol. 5. notat ex gloſ. in d. c. ſtatutum* quod talis vir, cuius Arbitrio aliquid committitur, debet intelligi de Iudice Eccleſiaſtico, quia præſumitur maiori æquitate, & pietate proceſſurus, quam Laicus Iudex: Hoſtienſis tamen de vtroque poſſe intelligi docet

Dico ſeptimò, quòd Arbiter pro recompenſatione alicuius rei Spiritualis non poteſt iudicare præſtandum aliquid temporale, quia Arbitrium eſt quidam contractus: per modum verò contractus non poteſt dari, aliquod temporale abſque Simonia: ita etiam *noſt. Ang. hic §. 7. ex Panor. c. fin. de rer. perm.*

Dico octauò, quòd Arbiter poſtulatus, & rogatus ſi male arbitratur, & lædit partem, tenetur ſolum quando peccat ex lata culpa, vel dolo, & tunc tenetur ad reſtitutionem læſionis. Si autem ſe ſe obtulit parti vltro abſque requiſitione, non ſolum tenetur de lata culpa, & dolo, verum etiam de leui, quia ſpontaneus tenetur maiorem diligentiam adhibere, quam requiſitus, & rogatus. Ita etiam *Auguſt. noſt. hic §. 2.*

Demum in hac materia notandum quod ſi Arbitrio alicuius aliquod generaliter committatur, niſi ſit legitimè factum, non tenet, & niſi adſint circumſtantiæ ſuperius poſitæ, *ex c. cauſam de elect. & c. 1. de Arb. in 6.*

Aſſaſsinus.

ASſaſſini iure antiquo dicebantur quidam homines Syri, qui ſuorum dominorum, vel etiam aliorum iuſſu pretio conducebantur ad occidendos Chriſtianos, qui excommunicantur in *c. pro humani de homic. in 6.* quæ tamen excommunicatio non eſt in vſu, cum tales homines Syri præſenti tempore non inueniantur.

Hodie, ergo aſſaſſini dicuntur qui ad prædandum homines occidunt, vel etiam pretio conducti ſub ſpecie amicitiæ hominem occidunt. Vide *Ang. noſt. hic* An autem iſti gaudeant immunitate Eccleſiaſtica, ſi poſt factum aſſaſſinium ad locum ſacrum confugerint, vide infrà *V. Immunitas.*

Aſtrologus.

AStrologus quando peccet contra Bullam Xiſti V. variant *DD. noſt. Rodriq. & Suar. & Valen. apud Sanch. in Sum. t. 1. lib. 1. Mol. in Sum. p. 6. tract. 11. c. 7. Nald. hic, nu. 4.* putant in foro Conſcientiæ non obligari ad mortale exercẽte Aſtrologiã iudiciariã, quia volunt ſolum Bullã illam obligare in foro fori.

Sanch. porrò, & alij putant mortaliter peccare, quia Pontifex videtur rigoroſe nimis inhibere tale exercitium, & omnimodo extirpare abuſũ talis vanæ ſciẽtiæ etiã in foro conſciẽtię.

Diſtinguendum tamen puto; etenim vel Aſtrologus per iudicium certum, vel probabile prædicit res futuras dependentes à libero hominum arbitrio, & ſic ſemper peccat mortaliter, & incurrit pęnas Bullæ, quia vt plurimum iudicium de rebus futuris dependentibus a libero arbitrio falſum eſt, & vanum.

Aſtra enim nihil poſſunt in humanam voluntatẽ per ſe, & immediatè. At verò ſi per ſymplicem coniecturam prædicant aliquid ex hominum, & Aſtrorum naturali inclinatione vel influxu futurum generaliter, non peccant, nec incurrunt pęnas Bullę, & ratio diſparitatis eſt, quia multum differt iudicium a coniectura, quia per iudicium, certum quid, ſiue neceſſarium, ſiue probabile ſignatur, & iſtud damnatur contra Aſtrologos volentes certitudinem futurorum prædicere, quod ſolũ Deo reſeruatur qui ſolus ſcrutatur corda hominum. Coniectura autem dicit ſolùm quandam opinationem de re futura, opinari autem non prohibetur hominibus de rebus futuris. *Vide Bonac. apud Dianam, tract. 15. Miſc. 1. reſol. 51. p. 1. Vide infra, V. Diuinatio. &c.* Verùm eſt tamen, quod pęnæ præfatæ Bullæ incurruntur ſolum ab exercentem aſtrologiam, non autem à paucis vicibus incidenter aliquid prædicente ſecundum Regulas ipſius.

Auaritia.

Quid ſit Auaritia. DIFFIC. I.

DIcendum cum *noſt. Alenſ. 2. 2. q. 158.* quod Auaritia eſt appetitus inordinatus bonorum mutabilium, & ſubiacentium fortunæ, præcipuè tamen pecuniæ.

Pecuniæ vero nomine *ex D. Auguſt. lib. 6. de lib. Arbitr.* veniunt omnia, quorum domini ſumus quorum donandorum, aut vendendorum poteſtatem habere videmur. Itaque Auaritia non ſolum eſt appetitus inordinatus ſummorum, ſed cuiuſcumque re temporalis, cuius dominium habere poſſumus.

Dicitur autem græcè à D.Chriſoſt.Philargiria,i. amor argenti,non autem auri vt notat *noſter Alen.* quia aurum non reperitur apud pauperes paſſim, ſed faciliter inuenitur argentum in parua ſaltem quantitate, vt ergo, oſtenderent græci DD. auaritiam eſſe peccatum cõmune ad diuites, & pauperes, ideò potius auaritiã amorem argenti,quam auri dixerunt,vel dicendum iuxta doctrinam poſitam, quòd, quia ſub nomine argenti veniunt omnia mobilia,& ſtabilia,ideò vt ſignificarent auaritiam eſſe inordinatum appetitum omnium rerum quarum dominiũ habere poſſumus,potius Phylargia .i. amor argenti, quã auri vocata eſt.

Conſiſtit autem auaritia potiſſimè in tribus, ſcilicet, appetendo,acquirendo, & retinendo inordinate res temporales fortunæ ſubiectas,vt docent idem *noſter Alen. & D.Th.2.2.q.118.*

Vtrum Auaritia ſit vnum ex ſeptem Capitalibus.

DIFFIC. II.

Dicendum, quod generaliter loquendo; Auaritia eſt omniũ malorum radix *ex 47.d. Bonorum Auctorẽ* ipſa enim excæcat rationem, & grauius facit videre aurum, quam ſolem, *ex c.ſicuti ead.diſt.* & *c.nonnè d.37.* de ipſa auaritia dicitur,nonnẽ ipſa facit idolatrare, vnde etiam antiquiores gentiles omnium malorum ſcaturigem vocarunt auaritiam ſecundum illud Virgilianum. Auri ſacra fames quid non mortalia cogis pectora?

Attamen ſpecialius loquendo eſt vnum de ſeptem Capitalibus ſecundum in ordine,ex eo quia ex ipſa Auaritia tanquam ex capite multa alia oriuntur vitia particularia, quæ enumerantur *in dicto c. Nonne*, furtũ enim, rapinam, vſuram, fraudem,falſitatem,iniuſtitiam,ſymoniam,acceptionem perſonarum,proditionem, turpe lucrum, crudelitatem, & inquietudinem parit Auaritia, niſi enim quis haberet inordinatum appetitum rerum temporalium, non committere furtum, nec rapinam, & cætera præfata, vt patet intuenti, de ſingulis autem filiabus auaritiæ ſuo loco dicetur.

An, et quomodo ſit peccatum mortale Auaritia.

DIFFIC. III.

Dico primò,quòd auaritia appetendo aliena illicitè voluntate deliberata,ita vt ſi poſſet,ea raperet Auarus.vtpotè contra preceptum non concupiſces rem proximi tuis,peccat mortaliter niſi modicitas rei appetitæ excuſet à mortali.

Si verò per auaritiam appetantur ſuperflua appetitu retrahente totaliter mentem à debita cura ſui, & à neceſſaria conſideratione, vel executione diuinorum mortale peccatum admittitur,vt patet in *c.Idolatria 28.q.1 & c.cum omnis Auaritia 1.q.1.*

At verò ſi ſuperflua appetantur, licita tamen, nec illicito modo, nec dimittendo neceſſaria ad ſalutem; regulariter eſt ſolum peccatum veniale; quomodo autem auaritia ſit peccatum mortale appetendo, & acquirendo illicita, vel licita illicito modo; vide in fin.*V. Falſum, Furtum, Vſura*, &c.

Verum eſt tamen, quod ſi quis acquirit modo ſolum venialiter illicito, puta componendo verba iocoſa, ſalua honeſtate, ad acquirendum aliquid, venialiter ſolum peccat.

Dico ſecũdò,quòd Auaritia quomodo ſit peccatũ mortale ratione retentionis alieni, & quomodo reddat obligatũ reſtitutioni,inde infrà v.*Reſtitutio*. Inter ea hic aduerte,quod ſi quæratur.

An Auarus plus habens peccet, quã minus habens, ſi vterque amittat,quod habet:dicendum ſecundum datã doctrinam, quod magis peccet ille qui magis inordinatè dolet de amiſſo, poteſt enim accidere, quod plus habẽs magis inordinatè doleat de modico amiſſo, quam minus habens de mediocri amiſſo, & è contra;ſecundum .n. maiorem, vel minorem appetitum rei magis, vel minus poteſt peccare peccato auaritiæ tam plus, quam minus habens, *ita ex noſtro Alen. vbi ſuprà, membr.10.*

Auctoritates.

Vtrum Auctoritates Sanctorum Patrum ſine ſcrupulo peccati licitè aliquando negari, & impugnari valeant.

DIFFIC. I.

Notandum, quòd in hac difficultate non eſt nobis ſermo de authoritatibus Sãctorum Patrum noui, vel veteris Teſtamenti,quorum ſcripta reponuntur ab Eccleſia Catholica in Cathalogo librorum Canonicorum conſtantium ſacram Scripturam, qui enumerantur in *Concilio Laodicano c.59. & Cartaginenſi III.c.47* & hodie continentur in Codice Biblię Sacrę,quia certiſſimum eſt, authoritates iſtas nullo modo negari, reijci, aut impugnari poſſe abſque nota hæreſis, cum à Deo reuelante, vel afflante,qui vtpotè ſumma,& prima veritas, & bonitas nec falli poteſt, nec fallere,talia ſcripſiſſe, vel docuiſſe præfatos Sanctos Patres Eccleſia catholica à Spiritu Sancto educta definiuerit,vide infrà Auguſtinum de hoc optimè loquentem de illis S. Patribus,qui tanquam Doctores ſcripſere de rebus ad fidem, Sacramenta, Eccleſiæ Regimen,animarumque directionem in vitam æternam pertinentibus,de quibus eſt Sermo *diſt.15.c.vlt.*

Nec tamẽ de iſtis S. Patribus hic loquimur collectiuè ſumptis quatenus ſcilicet primo in aliquo Concilio Generali in Spiritu Sancto legitimè congregato conuenerunt ad definiendas difficultates circa fidei articulos, Sacramenta, Eccleſiæ poteſtatem, & alia neceſſaria pertinentia ad animarum fidelium directionẽ ad vltimum finem aſſequendum, quia ipſorum Authoritates vt ſunt Patres Concilij generalis legitimè cõgregati à Spiritu Sancto docente ſcriptæ ſunt,vnde ſine nota hæreſis reijci, negari,& impugnari nõ valent, Patres enim in Concilio præfato congregati repræſentant Eccleſiam definientem veritates catholicas à Spiritu Sancto inſpiratam, quæ falli non poteſt,nec fallere,quare ſinguli Chriſtiani tenentur tales authoritates, & definitiones tanquam certas de fide venerari, credere,& amplecti vt docetur in *Concilio Conſtantienſi ſeſſ.4. apud noſtrum Alphonſum de Caſtro aduerſ Hæreſ.lib.1.c.6.* ſub hiſce verbis. *Ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè Concilium generale faciens Eccleſiam catholicam repræſentans poteſtatem à Chriſti immediatè habet,cui quilibet cuiuſcunque ſtatus,vel dignitatis,etiamſi papalis exiſtat obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti Schiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.* Hæc Concilium; vbi tamen nota, quod Papa in his,quę à Concilio generali legitimè congregato de fide determinata ſunt credenda, etiam obedire tenetur, quia in rebus fidei determinatis à Concilio ad fuit Spiritus Sancti illuminatio, & inſpiratio,vnde non potuit errare Concilium, in ceteris verò, quæ de fide non ſunt determinata à Concilio, ſolum vi directiua tenetur Papa obedire non autem coactiua, cum Papa ſit ſupra Concilium,ad ipſumque pertinet illud approbare, & adueniente legitima cauſa in ijs, quæ non pertinent ad fidei definitiones, poteſt diſpenſare, & abrogare, vt dicetur ſuo loco.

Secundò,nec loquimur hic de S.Patribus collectiuè,quatenus, licet in Concilio Generali non conuenerint, ſed ſinguli tamen priuatè ſcribentes in eandem ſententiam de eadem re pertinente ad fidem ſenſum ſcripturarum,Sacramenta, Eccleſię poteſtatem, & id directionem animarum in vitam æternam vnanimi conſenſu ita conuenerunt, vt tali communi ſententiæ nec Eccleſia,nec alij Catholici vnquam contradixerint,nam talis authoritas, & ſententia Sanctorum Patrum nullo modo ſine nota temeritatis, & erroris negari reijci,aut impugnari valet.

Quod probat perbellè ſatis,vt ſolet,doctiſſimus noſter *Alphõſus de Caſtro, loc.cit.c.7.* vbi ita loquitur: *Plurium ergo Doctorum de aliqua re ardua concors ſententia, cui nunquam ab Eccleſia,aut ab alijs viris Catholicis impunè contradictum eſt, pro vera Eccleſiæ definitione tenenda eſt, atque illi tanquam Eccleſiæ definitiom firmiſſimè credendum, quoniam Eccleſia corpus vnum eſt ex populo,Patribuſque collectum, Patres vero Epiſcopos, Pontifices,& alios quoſcunque Præſules,Magiſtros, aut Doctores, qui nos fidem docentes ſpiritualiter generant, ad iſtos Patres ſpectat docere Plebem,è quibus alij quidem ex officio nempe Præſules facere tenentur, alij à charitate adducti ad id faciendam impellũtur,veluti reliqui Magiſtri,& Doctores*,quam doctrinam cõfirmat infra ex authoritate Epiſtolę Concilij Epheſini directæ ad Neſtorium Hæreticum,quæ habetur ante decreta eiuſdẽ Concilij in qua ita ad Neſtorium eundem ſcribitur. *Sentias autem, & doceas,quæ nos vniuerſi per Orientem, & Occidentem Epiſcopi, & Magiſtri Præſuleſque populorum credimus,& docemus;* quare concludit Alphonſus loco citato. *Tunc certè temerarium erit aduerſus omnes ſentire, cum inter omnes de eadem re conuenit,nam et ſi labi, & errare in aliquibus potuerint vt homines,in rebus tamen arduis pertinentibus ad fidem, vt concorditer errauerint, nunquam credam, quoniam hoc Chriſti pollicitationi,et perpetuæ Spiritus præſentiæ maximè repugnat.* Hæc de Caſtro.

Eſt ergo hic ſermo de Authoritatibus Sãctorum Patrũ vt ſingulares D D. ſcripſerunt, & ſingulares opiniones protulerunt de aliqua re ſupernaturali, vel naturali lumine noſcibili,an ſcilicet

vt

vt tales negari, reijci, & impugnari ſine ſcrupulo valeant. Quare

Dico primò, quòd Authoritates Sanctorum Patrum circa res naturales, & morales ſolo lumine naturali noſcibiles non pertinentes ad fidem poſſunt licitè abſq; ſcrupulo negari, reijci, & impugnari, ſi contra adducatur ratio probabilis ad eas negãdas impellens, probatur. Quia in hiſce rebus, vt ſinguli ſcripſerunt proprio ducti ingenio, & humana ratione ſuffulti, verum vt homines humana ducti ratione potuerunt falli, & decipi, & fallaci iudicio ad id opinandum trahi, etenim, vt docet Auguſtinus apud noſtrum Alphonſum loco citato, inter incommoda, quæ in hac vita patimur eſt fallax iudicium, ergo non eſt eis fermiſſimè credendum, in quibus erare potuerunt, ſi ergo adſit contra eorum dicta ſufficiens ratio mouens ad ea neganda, & impugnanda tanquam à veritate aliena, licitè; & ſine ſcrupulo cum debita tamen modeſtia, negari reijci, & impugnari valent. Attamen

Dico ſecundò, quòd ſi foret concors ſententia SS. Patrũ circa aliquod naturali lumine noſcibile, adſit tamen contra talem cõmunem ſententiam aliqua ſolum ſatis in firma probabilis ratio non vndequaque conuincens, impudentis potius, quàm prudentis ingenij eſſet illi obuiare, quia concors ſententia Doctorum præualet rationi non cogenti, & non ſatis firmè probabili, magis enim inclinatur intellectus ad aſſentiendum communi ſententiæ DD. SS. quã non cogenti rationi vnius, vel etiã aliquorũ.

Quod ſi ratio fuerit aliquo modo euidens, & demonſtratiua contrà communem præfatam, poteſt vtiq; ſine ſcrupulo conſciẽtiæ, & nota temeritatis impugnari, & reijci, quia intellectus cõmodius aſſentitur veritati per rationem euidentem, vel cogentem, quàm hominum, qui errare potuerunt communi authoritate, etenim in rebus ſolo lumine naturali noſcibilibus non adeſt Deus SS. Patribus ſcribẽtibus ſpeciali lumine ſupernaturali, quia voluit Deus in rebus non ſpectantibus ad ſalutem, & conſecutionem finis ſupranaturalis mundum tradere diſputationi eorum ad ingeniorum exercitationem ne ocio torpeſcerent, & forte vt ſeſe homines ſolo lumine naturali ratiocinãtes infirmos, imbecilles, & mendaces agnoſcerent, vnde noluit omnes veritates naturaliter noſcibiles apertè reuelare, vt dũ ſe deceptibiles cognouerint auidius, promptius, & humilius ad diuinum adiutorium expoſcendum in veritatibus accipiendis recurrerent.

Dico tertiò, quod negare, & reijcere authoritates SS. Patrum ſingulares etiam circa res ad fidem, Sacramenta Eccleſiæ poteſtatem, animarum regimen ſpirituale, & ſenſus ſacræ Scripturæ pertinentes, quatenus ſingulares Doctores ſunt, ſi cõtraria ipſis ratio cogens repugnare inueniatur, abſque ſcrupulo conſcientię ſi cum debita modeſtia, nullo prauo affectu, ſed ad ſolam veritatem indagandam, & monſtrandam fiat, omninò licet, probatur quia vt ſingulares Doctores ſunt quantocunque ſanctitate polleant homines ſunt qui falli, & decipi poſſint iuxta illud Dauidicum omnis homo mendax, & Spiritus Sanctus etiam teſtatur.

Quod in multiloquio non deerit ſtultitia, Doctoribus enim Sanctis, vt ſingulares Doctores ſcribunt in præfatis rebus non promiſit Chriſtus aſſiſtentiam, ſicuti collectiuè ſumptis modo ſuperiùs explicato ſcilicet quatenus repræſentãt Eccleſiam, ergo vt ſinguli deſtituti aſſiſtentia ſpeciali Spiritus Sancti in ſcribẽdo etiam in præfatis rebus errare potuerunt, vt homines, ſi ergo cũ debita modeſtia negentur, & reijciantur eorũ dicta ratione probabili id ſuadente nullum erit peccatum, nam veritati, quæ per rationem cogentem monſtratur, quam authoritati ſimplici humanæ alicuius SS. Doctoris debemus, nec vlla fit iniuria Doctori Sancto, quãdo cogens ratio redarguit ipſum: hinc noſter *Corduba qq. Theo. q. 44. fol. 375. docet cum D. Tho. in quodlib.* 12. aſſerente, quod non quæcunque dixerunt, aut ſcripſerunt Sancti, ſunt vera, & à Spiritu Sãcto profecta, & probat aliquãdo SS. Patres piè, & ſine pertinacia erraſſe, & noſter *Alphonſus de Caſtro loc. cit.* concludit hiſce verbis, *Non eſt ergo ſcriptis cuiuſcunque hominis quãtalibet ſanctitate, & doctrina pollentis ita tenaciter adhærendum, vt ſi ratio adſit, non liceat diſcedere, & iure optimo, quia vt ſcribit Auguſtinus Sanctus ad D. Hyeron. Epiſt. 19. ego fateor charitati tuæ ſolis eis ſcripturæ, libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullũ horum Auctorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſime credã, aut ſi aliquid in eis offendere litteris, quod videatur contrariã veritati, nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel Interpretẽ non eſſe aſſecutum quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe nõ ambigam, alios autem ita lego, vt quãtalibet ſanctitate, vel doctrina polleant, non ideò verũ putem, quia ipſi illa ſenſerunt, ſed quia mihi per alios Authores canonicos ſcilicet ſacræ Scripturæ, aut probabili, ideſt euidenti ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt, & idem Auguſt. 3. de Trinit. idem firmat propoſitum ſic præcipiens ſuo Lectori in c. 2. noli meis litteris quaſi ſcripturis canonicis inſeruire, ſed in iſtis, & quod non eredebas, cum inueneris incunctanter crede, in illis autem, S. noſtris, quod certũ nõ habebas, niſi certũ intellexeris noli firme retinere, ita illi dico noli meas litteras ex ſua opinione, vel contentione, ſed ex diuina lectione, & in concuſſa ratione corrigere. Hæc Auguſtinus.* Sed

Dices ex Gloſatore, quod Auguſtini, & aliorum SS. Patrum ſcripta eo tẽpore, quo non erant ab Eccleſia approbata, poterant licitè negari, & impugnari, modo verò, quia *in diſt. 15. c. vlt.* Gelaſius Papa approbat ea, & iubentur teneri vſque ad vltimum iota, non licet abſque peccato, & temeritatis nota ea, vel reijcere, & impugnare.

Reſpondeo cum noſtro *Alphonſo de Caſtro loc. cit.* vbi ſic loquitur, *In illa diſtinct. 15. Gelaſius Papa, cuius eſt decretũ illud recenſens libros Catholicorum, qui legi poſſunt, enumerat Epiſtolã Leonis Summi Pontificis ad Flauianum, in cuius commẽdationem talia ſubiungit (cuius tantum aut vnum iota ſi quiſquam diſputauerit, & nõ eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit) hæc ibi, bonus autem Gloſator quod de ſola illa Epiſtola dictum eſt, parum rem circumſpiciens putauit ad omnes iam enumeratos libros eſſe referendum, quantum autem fallatur, vel grãmaticam ſciens probe deprehendet; colligamus ergo quod Sanctorum Eccleſiæ Doctorum ſcripta non ſunt ſic ſuſcipienda, vt nobis liberum non ſit aliter ſentire, quàm ipſi ſenſerunt, præcipue cum inter eos de eadem re non conuenit, aut aliunde ipſorum aſſertio, non probatur, quod verò in eodem loco Gelaſius Papa plurimorum Sanctorum virorum ſcripta approbat, ſic accipiẽdum eſt; vt intelligamus hac ratione probare, quod catholicæ Fidei minimè repugnent, non tamen ad ea credenda Fides catholica cõſtringit. Hæc Alphonſus.* Quare ſcripta Sanctorum non approbantur poſitiue, ita vt omnia ab eis dicta, vel ſcripta ſint de fide tenenda; ſed ſolùm approbantur priuatiuè ſcilicet, quia priuantur ſuſpicione quod contra Fidem catholicam aliquid contineant, ita vt eorum dicta non ſint repugnantia fidei catholicę, atque adeò in offenſo pede circa veritatem fidei catholicæ perlegi valeant, non quod poſitiuè ſint tanquam de fide credenda.

Hanc doctrinam in praxi circa Gelaſij præfatam approbationem ſecuti ſunt paſſim Doctores Scholaſtici, qui in multis Sanctorum Patrum authoritates non receperunt.

Hinc *D. Bonau. in 2. d. 12 q. 2.* non recipit opinionem D. Auguſtini de ſimultanea mundi creatione, quam vocat diſtrahentẽ ſenſum ſacræ Scripturæ, ſed potius elegit ſequi opinionem SS. Hyer. & Greg. & Bedæ tanquam magis conſonã ſacrę Scripturę

Itẽ *diſt. 13. q. 2. de 2. art.* non approbat authoritates Patrum Græcorum, & præcipuè Damaſcæni aſſerentium lucẽ prima die creatam fuiſſe diem, ac noctem per emiſſionem & contractionem radiorum, quam etiam tanquam Damaſcæni opinionem impugnat *Doctor Angelicus in 2. diſt. 13. a. 4. ad 3.*

Immò *ſubtiliſſimus noſter Doctor*, qui ſumma ſemper in reijciendis aliorum opinionibus modeſtia vſus fuit, multorum SS. Patrum, ſic ſibi ſuadente ratione reiecit, & impugnauit, hinc *in 4. diſt. 5. q. 1.*

Sancti Cypriani Epiſcopi, & Martyris opinionem, qui Agrippini ſui Prædeceſſoris, cuius acceperat ſedem ſecutus etiam ſententiam ab Hæreticis, vel Schyſmaticis collatum baptiſmum ratum nolebat agnoſcere, reijcit, atq; ſumma modeſtia corripit illis verbis: *Vnde ſi Cyprianus ita ſenſit, ſcilicet apud Hæreticos nõ eſſe baptiſma, quod tamen promptus eſſet ſentire animo circa hoc, quod Eccleſia determinauit, in nullo errauit, niſi forte venialiter peccando, quia nimirum aſſeruit illud, ad quod nec authoritatem, nec rationem cogentem habebat*; & infrà *& hoc forte modo innuit Auguſtinus eum peccaſſe venialiter cum ſubdit in authoritate allegata, dum eos in quot deteſtaretur ſi quod purgandum erat, paſſionis falce tolleretur.*

Similiter *noſter Doctor in 4. d. 3. q. 4. de facto D. Petri velato in Epiſt. ad Galatas* 2. ſcribit hiſce verbis *(de iſto facto Petri) ſi peccauerit, vel non, videbatur controuerſia inter duos egregios Apoſtolos, ſcilicet Petrum, et Paulum, et poſtea inter Doctores famoſos Hyeronimum, & Auguſtinum; ſalua reuerentia aliorum teneo cum S. Paulo, & Auguſtino. Ita etiam in 3. d. 20. q. 5. quæ eſt mere Theologica impugnat D. Anſelmum putantẽ neceſſe fuiſſe ſimpliciter per ſolam mortem Chriſti Domini reparari genus humanũ, & in 4. d. 48. q. 2. reijcit opinionem Diui Iſidori putantis, quod Sol, & Luna ſtabant, ne damnati ſub terra habeant aliquod lumen.*

Confirmatur denique propoſitum, quod ſcilicet valeat aliquando quis ratione cogente à Sanctorum Patrum opinionibus recedere, quod ſępè ſępius inter ſe pugnant de eadem re, vt viſum eſt ex *D. Bonauentura, & Scoto locis citatis* inter *Auguſtinum, & Hieronymum* fuiſſe controuerſias de eadem re, item *Hieron.* voluit bigamum ante baptiſmum factum poſſe poſt baptiſmum ad Sacerdotium promoueri, cui aſſertioni immediatè contradicunt *Auguſtinus, & Ambroſius, & alij* neq; hic eſt intentio ſingulas controuerſias inter SS. Patres de eadem re variè opinantes recenſere, ſed hæ ſufficiant ad probandum noſtrum propoſitum, ex quo deducitur clarè, quòd auctoritates SS. Patrum non poſſunt, nec debent recipi tamquam omninò certæ de fide, ſi inuicem aliquando pugnant; Veritas enim vna eſt in eadem re, nec in duobus contradictorijs ſimul, & ſemel reperiri poteſt, vt patet ex ſummulis, ſi ergo vnus Pater affirmet, alius neget de eadem re, non poteſt vtriq; certum verum vterque dicere, perplexus ergo eſſet homo cuinam credendum, ſi vtriuſq; dicta de fide deberent credi, ergo cùm impoſſibilia, & perplexa non iubeat Eccleſia, neq; potuit determinare dicta SS. Patrum, qui ſępè inter ſe de eadem re diſſident, eſſe vſq; ad vltimum iota tamquam de fide credenda.

Dico tamen quartò, quòd negare, & reijcere auctoritates SS. Patrum, quando id non ſuadeat ratio cogens, vel eos deſpicere, contemnere, & deridere ſicut maximam redolet audaciam, ſuperbiam, & impudentiam, ita peccatum mortale, vel veniale erit iuxtà ſuperbiæ, contemptus, & deriſionis modum, & menſuram; Ita ex *noſtro Alphonſo de Caſtro loco cit.* ſub his verbis: *Nec tamen illuſtrium virorum, & per multa ſecula probatorum ſunt reijcienda, aut floccipendenda, nam hoc eſſet maximæ audaciæ, atq; ſuperbiæ, qualem ſe habere oſtendunt hoc noſtro calamitoſo tempore Lutherani, & olim VViclephiſta, & longè ante Petrus Abailardus, vt beatus Bernardus teſtatur in epiſt. 190. hi enim non eruhuerunt, neq; erubeſcunt omnium Sanctorum dictis repugnare*, & infrà.

Nam ſi eis obijciantur quorumcumq; illuſtrium virorum, quantumlibet etiam Sanctorum teſtimonia, ſtatim proclamant, homines ſunt, ſicut & nos; Veruntamen homo homini nihil praſtat? Nonne ſtulto intelligens aliquid intereſt? numquid inter prophanum, & ſanctum erit aliquis ordo? vide quid Ezechiel reprehendat, inter Sanctũ, inquit c. 23. & prophanũ non habuerunt diſtantiam. Habenda eſt ergo ratio vitæ, & doctrinæ, quoniam, vt inquit Eccleſiaſticus 37. Anima viri Sancti enunciat aliquando vera magis, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Hæc ex *noſtro Alphonſo*.

Quare magna eſt habenda Sanctorum Patrum auctoritatibus reuerentia, & vbi non adeſt cogens ratio illis contraria, nullo modo reijciendi, & impugnandi, ſed reuerenter explicandi, & ad bonum, vel meliorem ſenſum locutos, ſi poteſt æquè bene fieri, demonſtrandum, quod ſi hoc non pateretur manifeſta contra eorum ſententias ratio, aut ſcripturæ ſacræ auctoritas, non ſunt ideo deridendi, ſed modeſtè impugnandi, nec enim diſpliceret eis in vita, ſi modeſtè de errore manifeſto arguerentur, cùm fuerint veritatis amatores, & ſe nouerint homines deceptibiles, ita etiam nec poteſt eis in Cęlo diſplicere, vbi veritati ſummæ coniuncti ſunt in perfecta charitate, vndè Deo ſummas gratias agunt, quod veritas aperiatur.

Vtrum Theologus, et Philoſophus, artiumq; liberalium Profeſſoribus, maximè Cathedraticus Magiſtris publico ſtipendio conductus abſq; ſcrupulo conſcientiæ à ſuorum Anteſignanorum ſententijs recedere, et ipſis contrarias docere, et tueri liceat.

DIFFIC. II.

Dico primò, quòd ſi ſermo ſit de Anteſignanis, qui fuerunt Protomagiſtri, & Protoparentes ſcientiarum, artiumq; liberalium, vtpotè quibus tribuatur earum inuentio, vel ampliatio, vel compilatio, aut ſcholarum fundatio, vt ſunt in ſcholaſtica Theologia precipuarum ſcholarum fundatores D. Thomas Doctor Angelicus, & Scotus Doctor ſubtilis, in Philoſophia Ariſtoteles, in Mathematica Euclides, in Aſtrologia Tholomeus, in medicina Hippocrates, in Rethorica Cicero, in Grammatica Priſcianus, & conſimiles, quorum ſcripta tanquam Textus in tali facultate Diſcipuli recipiunt, & venerantur, vndè nefas putant ab eorum aſſertionibus recedere, ſi tamen aliquod reperiatur dictum apud ipſos, quod fidei Catholicæ definitionibus, vel aperto ſenſui ſacræ ſcripturæ euidenter repugnet, & aſſeratur, omninò ſub mortali reijciendum, impugnandum, & negandum, quia immediatè certiſſimæ veritati contradicunt, quæ potius reperitur in fidei definitionibus, & ſacra ſcriptura, vtpotè à ſumma illa veritate, & bonitate Diuina, quæ nec falli poteſt, nec fallere inſpiratis, & reuelatis, quam in hominum, qui falli poſſunt, & fallere, ratiocinationibus, vt patet in praxi.

Sanè de aliquibus ſcholarum Theologicarum Anteſignanis ab Eccleſia Catholica probatis, & maximè de precipuis præfatis Doctoribus D. Thoma, & Scoti ſcholaſticę Theologię Protomagiſtris non ſolùm aſſerere, ſed dubitare etiã quod in ſuis ſcriptis contra fidei Catholicę, Eccleſiæq; definitiones, & verum ſenſum ſacræ ſcripturæ errauerint, cùm D. Thomas inter ſacros Doctores Eccleſiæ ſit iure coaptatus, & à Chriſto audire meruerit, *benè ſcripſiſti de me Thoma*, Scoti autem doctrina tamquam vndequaque Catholica *à Sacra Eminentiſſimorum Dominorum Congregatione approbatur edito publico decreto circater annum 1610. quo præcipitur Doctrinarum, & librorum cenſoribus, vt quicquid Scoti eſſe conſtaret, intactum, immolatumque admittatur, vt refert noſter Vuadingus Tomo quinto Annalium Religionis in vita Scoti, & teſtatur etiam noſter Cauellus in vita eiuſdem*.

Imò ille iam noſter quondam Scotiſta in *Apolog. in Bzouium pag. 65.* vnum ſanè notabile ad hoc propoſitum adducit hiſce verbis: *Nemo quamdiu Scoto adhæſit, à Catholica fide eſt dilapſus; nã Scotus perpetuus S. R. E. ſubiectus, ſtabilis in fide Catholica perennat; imò qui à Scoti doctrina ad proprias ſectas ex ſuorũ Diſcipulorum numero defecerunt Guliel. Ocham, & Ioann. de Ianduno in peculiarẽ turgidi Magiſtrũ in vniuerſalẽ quoq; Magiſtrũ Magiſtrorũ Summũ Pontificẽ Deo permiſſu inſurrexerunt.*

Ex quamet ſua ſententia luce clarius patet, quam turpiter, & in ſuam conſcientiã periculosè idemmet diſcipulus iam acerrimus a Scotica doctrina ſe voluntarium non ſolùm fecerit exulem, ſed etiam quem ita Catholicum, & piſſimum prędicauerat Ordinis Seraphici Doctorum Magiſtrum Scotum modò fautorẽ Hæreticorum in *libello ſuo de perſonis producentibus Spiritum Sanctum q. 5. c. 1.* & alterius ſui opuſculi, cui titulus: *Defenſio Veſtigationum Peripateticarum*, varijs in locis nunc defenſorem opinionis porcinæ, modò Epicuręum, & Alexandręum appellare, alijſq; conuicijs, & calumnijs non minus infideli, quàm ferali calamo inſequi, immo garrire non erubuerit.

At verò quod ſcientiarum naturalium, & artium liberalium Protomagiſtri, & Protoparentes Æthnici in ſuis ſcriptis multoties errauerint cõtra fidem catholicam, & apertũ ſenſum ſacræ ſcripturæ certum eſt, vndè cautè legendi, & interpretandi, & in talibus doctrinis cõtra fidẽ, & ſcripturã immediatè ſunt omnino impugnandi, & reijciendi, ſi commodè ad bonum, & Catholicũ ſenſum eorum doctrina trahi non poſſet, ſicut de facto reijcitur à Theologis multis in locis Ariſtoteles peripateticę Philoſophię Princeps, cuius aliquos locos hic adducendos cenſui, vt huiuſmodi Protoparentis philoſophię zelatorum quaſi de fide eius dicta, & axiomata venerantium occurram ſcrupulis, ſicut etiam potius huius, quàm alterius Æthnici falſas doctrinas contra fidem tangere viſum fuit, quia Ariſtotelis libri magis ſunt pręmanibus Catholicorum, quàm aliorum.

Quare cautè legẽdus inter alios multos locos Ariſtoteles, pręcipuè tamen in *lib. Nicomach. c. 5. 10. 8. 14. & in lib. 7. polyt. c. 9. 10. 32.* vbi pluralitatẽ Deorum ſcribis, contra quã falſitatẽ ſcribũt Theologi pręcipuè *Scotus in 1. d. 2. q. 3. et in 1. Topic. loc. 9. & 12. & 1. de Anima T. 8. 77. & 5. metaph. T. 31.* vbi Deũ eſſe animal, & ens compoſitum, quẽ errorẽ reijcit *Scotus in 3. d. 8. q. 1. Item in 4. Top. loc. 64.* Deũ peccabilẽ, & luxurię ſordibus infectũ ponit, *contra quod Scot. in q. 3 prol. & in 3. d. 12. & in 4. d. 49. q. 6* ſimiliter *in 8. Phyſic. T. 84.* Deũ in centro non eſſe, ſed ſolũ in orbe aſſerit eius immenſitatẽ negans, cõtra quod mendaciũ *Scot. in 4. diſt. 10. q. 2. Itẽ in 8. Phyſic. T. 4. & 2. Cæli T. 17.* Deũ mobilẽ aſtruit, quam falſitatẽ diluit *Scot. in p. d. 8. q. 5. Item in toto ferè 8. lib. phyſic.* mundi machinã, Cęlum, terrã, motũ, & tempus ab æterno extitiſſe probat, quẽ errorẽ reijcit *Scot. 2. d. 1. q. 2.* Item *1. de Anima et 8. metaph.* videtur probare corruptũ ſemel nõ poſſe idẽ numero, vndè reſurrectionem mortuorum impoſſibilem aſſeruit hęretici, contra quam falſitatem ſcribit *Scot. in 4. d. 43. q. 1.* ſicut etiam qui varios alios errores Ariſtotelis contra fidẽ Catholicã, & ſacram ſcripturam, puta circulationem animarum, Cęlum animatum, mundum non poſſe fieri pulcriorem à Deo, Cęlum eſſe primum effi-

Digitized by Google

efficiens, ſubſtantias ſeparatas ſolum ad numerum oſtium numerari, immobiles, & ineffectibiles eſſe, Deum neceſſario ſed extra operare, & alia id genus legere velit, adeat *Scotum* varijs in locis, & præcipuè *in p.d.2.q.1.d.8.q.5.d.44.q.5. & in 2.d.3.q.7.diſt.10.q.5.diſt.2.q.2.d.14.q.1. & in 3.diſt.9.qu.5.diſt.1.q.6 diſt.3.q.10.diſt.5.q.5. & in 4.diſt.43.q.1. & 2.* videantur etiam *Merchior Cano l.10.c.5. et Direct. Inquiſit.p.2.q.4.*

Dico tamen ſecundò, quòd quamuis liceat Ariſtotelis, & aliorum Protomagiſtrorum gentilium æthnicas ſententias contra fidem noſtram, & ſcripturã Sacram iuxta ipſorum falſa principia ab ipſis vt vera putata non eſſe falſas, ſed optimè iuxta præteſa ſua certa principia optimè ratiocinatos fuiſſe cõtueri, & docere, vt à multis Theologis circa Mundi æternitatem, animæ mortalitatem, animarum circulationem, & ſimilia factum eſt, & ſi fiat ad meram ingeniorum exercitationem abſq; alio prauo affectu nullum ſit peccatum modo adſit proteſtatio, quod hęc ſint omninò falſa vtpotè contra fidem catholicam, & conſequenter nulla firma ratione fulciri poſſe tales falſitates.

Attamen hodie optimum conſilium eſt abſtinere à talibus, & maximè à mortalitate, vel circulatione animarũ probanda iuxta mentem Æthnicorum, nam hi errores vtpotè ad libertatẽ conſcientiæ ampliandam pellicientes, & ad praua deſideria adimplenda, & effrænes affectus liberius exequendos maximè idonei facillimè in ruinam animarum ſpiritualem tanquam in veritates à ſenſualibus recipiantur.

Vnde in praxi circulatio animarum iuxta principia Æthnicorũ à Chriſtiano, & Religioſo Theologo vtcunq; probata ad ipſorum mentem, ita tamen firmiter à quadam eius Diſcipulo Auctore illius opuſculi cui *Titulus (Amſi di Parnaſo a Poeti Toſchi)* præſumi poteſt credita, licet in perſona Apollinis loquatur, vt non erubuerit talem errorem in ſui Magiſtri laudem propalare his verbis *(ſo è vera la transmigratione dell'anime, come conſtantemente credo, ò che N. è informato dell'anima d' Ariſtotele, ò che Ariſtotele fu informato dell'anima del P. N. tanto bene hà dato nel berſaglio della verità, & inſieme colpita la mente d' Ariſtotele.)* & in eodem opuſculo ità de Ariſtotile loquitur, *& io encomiarò quell' Ariſtotele, che per detto de' Rabini ſi fece, & morſo Hebreo,* & infrà *dicono i Filoſofi, che l'hanno letto, che haueſſe in ſua compagnia vn Demone famigliare, che gli ſuggeriua gli accennati tributi dell' intelligenza, perche l'intelletto d' Ariſtotile ſu le pure ali naturali non poteua tant' alto ſormolare.*

Ex quibus aduerte benigne Lector, quomodo in pœnam Magiſtri hęreticum dogma in via Æthnicorũ nimio affectu probare conati, ipſemet diſcipulus eiuſdem inſtrumẽto erroris dum anima Ariſtotelis Dæmonis virtute phylosophia imbuta, & tandẽ hæbreizante informatum P. loco laudis ſcribit, neceſſaria conſequentia eundem P. anima Dęmonis virtute philoſophia imbuta, & demum hæbreizante informatum in eiuſdem Magiſtri dedecus demonſtrat vt patet optimè ratiocinantibus, & iure à Deo permiſſum, quia quę ſunt inſtrumenta Domini peccantí, eadem ſunt inſtrumenta Dei punientis: pium tamen, & catholicum, & doctiſſimum virum eundem Patrẽ veneror, & habeo, volui tamen hoc vno exemplo recentiori, relictis multis alijs antiquioribus monitos catholicos Theologos, quod optimum conſilium ſit abſtinere à defendendis erroribus Æthnicorum modo pręfato, cũ facillimè pro veritatibus recipi, & puſilli ſcãdalizari valeãt.

Vnde teneri puto ſuperiores ad cohibendos iſtius modi Doctores plus ſapere velle demonſtrantes, quam oportet, ne talibus erroribus conſulendis operam perdãt cum periculo animarum, ſed potius in Hæreticos vtilius eorum acutiſſima ingenia cum animarum certiſſimo lucro conuertere ſatagant, quam in vanis falſæ ſapientiæ erroribus enutriendis tempus eos conterere ita periculosè dimittant impunè.

Dico tertiò, quòd quando Authoritates, textus, vel opiniones Protomagiſtrorum, & Anteſignanorum ſcientiarum, vel Scholarum continere inueniantur errorem in rebus non pertinentibus ad fidem catholicam, ſed ſolum lumine naturali noſcibilibus ita ſuadente contraria eorum dictis ratione probabili tenentur diſcipuli, ſi fieri poteſt, modeſtè eos explicare, & ad bonum ſensũ trahere, quia Deo, Patri, & Magiſtris non poſſunt pares gratiæ referre propter eſſe naturale, vel morale, quod ab eis reccipitur, vnde maxima obligatio contrahitur à diſcipulis erga Magiſtrũ, ergo tenentur honorem Magiſtri defendere, quare eos peccare credo, ſi quatenus ſe Diſcipulos profitentur, ſuorum Magiſtrorum opiniones quacumq; leui ratione ducti falſas proclament, videntur enim impudentiſſimi, & iniquiſſimi Cham, qui pudenda Patris ſui Noè non erubuit detegere, quæ operire debuiſſet, eſſe imitatores, tanto magis peccant, ſi ſuorum Protomagiſtrorum Catholicorum hæreticas, fabuloſas, aut ſimilibus ſcommatibus, & conuitijs inſecutas obloquerentur.

Quod ſi textus, authoritates, opiniones Protomagiſtrorum, & Anteſignanorum ita apertè veritati in præfatis ſolo lumine naturali noſcibilibus per euidentem rationem inueniantur contradicere nec poſſint commodè explicari, & ad bonum ſenſum trahi, non ſolum non peccant, ſi ab eis recedant, ſed peccarent eorum falſitates apertas contra euidentẽ veritatem conuentes, quod tam de ſcientiarum naturalium, & liberalium Artium, quã Theologicarum Scholarum Anteſignanos falſis doctrinis verũ puto, quia magis debemus veritati euidenti, quam authoritati, nec Chriſtiano licet pro quantalibet alteri obligatione habita, vel venialiter mentiendo veritatemq; deſerendo falſitatẽ eius tueri.

Dices, quòd Anteſignani ſcientiarum, & Artium liberalium in naturaliter noſcibilibus itemque Scholarum Protomagiſtri habuerunt intellectum à Deo illuminatum circa principia ſciẽtiarum, & opiniones probabiles ſuarum Scholarum vnde mentiri non potuerunt, & tanquam probabiles ſaltem eorum doctrinæ ſemper ſuſcipiendæ à ſuis Diſcipulis.

Reſp. falſum eſſe à Deo ſpeciali lumine illuſtratos fuiſſe ſcientiarum, & Scholarum Anteſignanos circa principia, & opiniones, ita vt neceſſe ſit eis omninò aſſeruiri ſaltem, tanquam dictis probabiliter, cũ hæc illuſtratio nullibi legatur à Deo in ſcriptura ſacra promiſſa, nec data circa res naturaliter noſcibiles Anteſignanis ſcientiarum, & Scholarum, nec vnquam id Eccleſia catholica docuerit, immò nec potuit hoc vnquam docere Eccleſia de Æthnicis præcipuè, cum de facto in praxi in multis naturali lumine noſcibilibus errauerint ratione cogente id demõſtrante, vt *Politianus* de antiquis ſciẽtiarum, & artium liberalium Protomagiſtris *refert l.3.epiſt.* vbi errores Marini Tholomæi, Eratoſtenis Strabonem, Theſſali Galenum, Hermagoræ Ciceronem, notaſſe refert, & Platonis, quẽ diuinum nuncuparunt, idęas vaniloquia, & poeticas metaphoras potius, quam veritates eſſe docet *Ariſtoteles eius diſcipulus* 1. *Met. T.* 33. *&* 1 *de anima.* Pytagoram ſummum Philoſophum carpit Ariſtoteles tanquam fabuloſa dogmata locutum, & ceteros prędeceſſores ſuos Philoſophiæ Magiſtros viam philoſophandi aberraſſe *in 1.phyſic.t.71. et 74.* Dialecticæ ignaros *metaph.9.c.5.7.8.* eoſque pueriliter, & quaſi ſomniando locutos aſſerit *in textu* 50.

Ipſum etiam Ariſtotelem Peripateticę doctrinę Protoparentem in multis via naturali noſcibilibus erraſſe, euidenter præter Bernardinum Teleſium, mõſtrat *Picus Mirandolanus* ſcribens de vanitate Peripateticæ doctrinæ *in tribus libris à pagina* 108. *vſque ad paginam* 208. videatur etiam *Ioſeph Blancanus, in lib. Ariſt.loc.Math.* vbi in multis naturaliter cognoſcibilibus arguitur Princeps iſte Philoſophorum; & in moralibus ſeuere corripiendum Ariſtotelem collige ex eius dictis præcipuè *in 4. Thopic. & in 7. Polytic.* vbi contra ius naturale, & ciuile humanum immaniter, & inhumaniter prohibet ne filij, qui claudi, cæci, & monſtruoſi naſcuntur, educentur, & alantur.

Itaque cum de facto errauerint ſcientiarum Protoparentes Æthnici etiam in ijs, quæ ſunt naturali lumine cognoſcibilia, dicendum eſt non fuiſſe à Deo illuſtratos in ſcribendis dogmatibus ſcientiarum, & artiũ, ſed ea ſola ratione humana quatenus ſimplices homines erãt ſcripſiſſe, vnde decipi potuerunt, & decipere. Nec erat neceſſarium in noſcibilibus naturaliter, vt à Deo ſpeciali lumine illuſtrarentur, cùm iſtę veritates non dirigantur neceſſario ad finem ſupernaturalem conſequendum, imò potius voluit reliquiſſe Mundum diſputationi eorum, vt ingenia hominum ocio non tabeſcerent, ſed amore veritatis aſſequendæ ſpeculando acuerentur, & fœcundarentur, & per contrarias hinc inde altercationes veritas expiſcaretur.

Maneat ergo firmũ Ariſtoteles, ceteroſq; philoſophiæ, & Artium liberalium Protomagiſtros potuiſſe errare, quia homines ſupremo lumine deſtituti ſolo naturali iudicio fulti illarũ principia tradiderunt, atque adeò de facto erraſſe non eſt ambigendũ, vndè abſque ſcrupulo, & temeritatis nota poſſunt aliquando negari, & impugnari ſi ratio euidens id ſuadeat.

Ceterũ quid ſentiẽdum ſit de Protomagiſtris catholicis Scholarum Theologicarum nimis eſſet longum recẽſere, certum eſt, quod errare potuerint, & quod aliqui multa improbabilia docuerint, quia vt homines puri naturali ratione ducti ſcripſerunt, vnde ſane falli potuerunt, vt dictum eſt de Sanctis Patribus in ſuperiori Difficultate.

At verò de præcipuarum Scholarum ſacrę Theologiæ Anteſignanis S. Thomâ, & Scoto in hac re ſit dicendum paulò diligẽtius libet examinare, circa quã difficultatem accipe, benigne Lector, quid ſcripſerit doctiſſimus noſter *Alphonſus de Caſtro aduerſus Hæreſis, c. 7.* vbi ſic loquitur: *fateor me non poſſe cohibere iracundiã, quoties video ita addictos hominum aliquorum ſcriptis, vt impium autument ſi in modica ne quis ab eorum ſententia deſcedat, volunt enim hominum ſcripta velut diuorum oracula recipi, illumque honorem illis exhiberi, qualis ſolis ſacris litteris debetur, non enim iurauimus in verba hominis, ſed Dei, ego enim miſerrimam hanc dicerem ſeruitutem, ſic eſſe humanæ ſententiæ addictum, vt non liceat vllo modo ei repugnare, qualem patiuntur hi, qui ſe tantum B. Thomæ, aut Scoti, aut Ocham dictis ſubijciunt, vt ab eorum placitis, in quos iuraſſe videntur, nomina ſortiantur, quidã Thomiſtæ, alij Scotiſtæ, alij Ocamiſtæ appellati, Paulus quidem iuſſit captiuare intellectum noſtrum in obſequium Chriſti, nõ autem in obſequium hominis*, & infrà ita concludit, *valdè enim mente diſplicet, quod & noſtrum ſodalitium in verba Scoti ferè iuraſſe videatur; ego quidem B. Thomæ ſanctitatem veneror, eiuſdemque doctrinæ multum tribuo, quod multum Eccleſiã illuſtrauerit, non tamen puto adeo eſſe illi fauendum, vt per omnia oporteat cum illo ſentire, neque hoc ego vnquam dè B. Thomæ humilitate crediderim, vt velit quempiam ſuis dictis ſic eſſe additum, cũ nec ipſemet eiſdem adeò fuerit addictus, vt meliora oſtendenti nõ fuerit paratus obtemperare. Beatus namque Auguſtinus optat operum ſuorum Lectorẽ non eſſe edictis eius prorſus deditum, ſic enim ait 3. de Trin. c. 1 ſanè cum in omnibus litteris meis non ſolum pium Lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem, multo maximè in his, vbi ipſa magnitudo quæſtionis, vtinam tã multos inuentores habere poſſet, quàm multos contradictores habet, verũ tamen ſicut Lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem volo, ille me non amet amplius, quàm catholicam Fidem, ille ſe non amet amplius, quam catholicam veritatem.*

Certum eſt ergo D. Thomã, & Scotum potuiſſe errare, pugi vt homines puri ſola humani ingenij trutina ſuas opiniones ſcripſerũt, vnde eorũ dicta non ſunt à Thomiſtis, & Scotiſtis reſpectiuè tanta veneratione colenda, quaſi forent dicta ſacræ Scripturę, atque adeò plus putaretur eorum dicta negare, quia peccarent mortaliter, tribuendo honorem veritatis ſacræ Scripturæ dictis hominum, immò vt loquar verbis noſtri Alphonſi loco cit. *velle humanas ſcripturas in diuinarum ordinẽ connumerare, hoc verius ego hæreſim dixerim, vnde D. Auguſtinus ſcribens ad B. Hieronymum iuxta hoc propoſitum ſic illum monet Epiſt. 19. Nec te, frater mi, arbitror ſic libros tuos legi velle tanquam Prophetarum, & Apoſtolorum, quorum ſcriptis, quod omni errore careant dubitare nephartum eſt, abſit hoc de pia tua humilitate, & veraci de temetipſo cogitatione.*

Quare ſi quãdo apud D. Thomam, vel Scotum, Thomiſtæ, & Scotiſtæ reſpectiuè inuenirent aliquod dictũ, quod euidenti oratione ſuadente ſit contrarium veritati, tenentur illorum dicta relinquere, ne falſitate videantur adſtipulari contra legem diuinam, nec enim æquum eſt parentes, & Magiſtros defendere, & ſequi cum ſcrupulo peccati etiam venialis, præſtat enim millies mori, quam Deum, vel leuiſſimè offendere.

Quod autem in hac difficultate mihi dubium faceſſet eſt an Thomiſtæ, & Scotiſtę veri, & effectuales, vt veros ſe Thomiſtas, & Scotiſtas profitentur, vel ratione iuramenti, voti, præcepti, vel ex officio, puta quia recipit pro tali cathedra ſtipendium, vel ſaltem ratione profeſſionis talis Scholę, & non alterius poſſint relicta opinione ſui Anteſignani abſq; ſcrupulo ad opinionem contrariam tranſuolare, & ſui Doctoris ſententiam ſine ſcrupulo impugnare maximè ſi contraria videatur probabilior.

Dixi veros, & reales Thomiſtas, & Scotiſtas, vt ab hac difficultate excludã nomine ſolo Thomiſtas, & Scotiſtas, eos ſcilicet, qui vt ſua Opera prodeant glorioſiora, D. Thomæ, vel Scoti Commẽtatores ſe intitulant, cum vère Neutrales, & Voluntarios, ſcilicet proprio Marte Theologos, vel Philoſophos in decurſu operis ſeſe oſtendant, Protomagiſtri, cuius nomine Operis titulum cõdecorarunt aliquando impugnantes, vel eius mentẽ diſtrahẽtes ad propria placita trahere conantes ſelectiores, & probabiliores iuxta propria ingenia, vel genia, aut ſympathia amplectũtur, & tuentur, nullius Magiſtri ſeſe verbis addictos in re profitẽtes.

Puto ergo Thomiſtas, & Scotiſtas veros, & reales, vt ſuprà explicatas, & a ſimili aliorum Protomagiſtrorũ Aſſeclas, ſi opiniones ſuorum Doctorum reſpectiuè impugnent, & reijciant tanquam falſas, vt probabiliores contrarias ſequantur, peccare venialiter, vel mortaliter iuxta leuem, vel grauem obligationem, qua eorum dictis aſtringuntur, quod probo, prius tamen.

Suppoſito mihi tanquam certo quod nec apud D. Thom. nec apud Scotum hodie poſſit reperiri opinio, aut dictum aliquod probabilitate carens vnde hodie quodcunque dictum D Thom. & Scoti eſſe probabiliter ſaltem defendibile, & cõſequenter nullum eorum dictum eſſe immediate, & per ſe falſum exiſtimo ſalua ſemper reuerentia Eccleſiæ catholicæ determinationi circa hoc ſuppoſitum, quandocunq; aliter determinaſſet, quod noſtri non conſtat, aut determinauerit in poſterum; ſolùm enim probabile quodcunque dictum eorum, atque adeò non falſum iuxta probabilitatem, non autem ita omninò euidenter certum cenſeo vt contrarium aliquando determinari nequeat, etenim cum vna ſit veritas de eadem re, & duo contradictoria nequeant eſſe ſimul, & ſemel vera de eadem re, non poteſt dictum vtriuſq; contradictorie inter ſe oppoſitum multotiẽs ſimul, & ſemel verum eſſe de eadem re, ſed quia neſcitur veritas, vtriuſq; ratio ita probabiliter cõcludit, vt prudenter, & ſine falſitate intellectus vniuſcuiuſque pro ſua parte non inueniri veritatem, facilem præberet in obſequium ſui Doctoris aſſenſum.

Hoc autem ex eo mihi ſuadetur quod tot Doctores, & Magiſtri per longum tempus continuatum per tercentos fere annos ſcripſerunt tanquam veri, & reales Thomiſtæ, & Scotiſtæ reſpectiue ſuper doctrina D. Thomæ, & Scoti eorum opiniones, & dicta adamuſſim vſq; ad vltimum iota non ſolùm ſunt amplexati tanquam probabilitate fulcita, verum etiam acriter hinc inde ſunt confutati fideliſſimè, impiũ autem eſſet aſſerere ſolo diſcipularis obſequio, vel ſolo erga propriam Scholã inordinate nimio affectu tot religioſos, & pios Doctores, quorum multi ad Epiſcopalem, pleriq; ad Cardinalatus, & aliqui etiam ad Summi Põtificatus ſupremam cathedram euecti voluntarie in falſa opinione ſui Anteſignani tuenda errare voluiſſe, voluiſſent autem voluntarie errare, ſi abſque ſaltem probabili ratione captiuante eorum intellectum in ipſius obſequium ita enixè propugnaſſent, dicendum eſt ergo tot tantoſq; Religioſos, & grauiſſimos viros vtriuſque Scholæ ſectatores poſt tot altercationes inueniſſe ſuorum Protomagiſtrorum opiniones probabili ratione fulcitas, & conſequenter ſine ſcrupulo erroris, & nota falſitatis defendi, & tueri poſſe, quod cõfirmat etiam, quod nec ab vllo Summo Pontifice, nec ab vllo generali Concilio diſputationes ad oppoſitum inter has Scholas fuerunt vnquam prohibitę tanquam ex illa, vel altera parte improbabiles, ſed communiter probabiles, & ad veritatem indagandam maximè neceſſariæ ab vniuerſo Præſulum, & Doctorum Eccleſię cœtu acclamantur, & laudantur.

Itaq; licet negem D. Thomæ, & Scoti dicta etiam à ſuis diſcipulis tanquam Apoſtolorum, & Prophetarum oracula certa fide amplexanda eſſe, attamen tanquam ratione probabili innixa licitè, ſine erroris, & falſitatis nota recipi, & tueri poſſe certiſſimum eſſe demonſtraui; hoc ergo ſuppoſito probo Thomiſtas, & Scotiſtas reales, & veros peccare ſi D. Tho. & Scoti reſpectiue opiniones relinquant, & impugnent, vel pro ſuis viribus non defendant, maximè ſi probabilior contraria forte appareat, nam Thomiſta, vel Scotiſta nuncupatur talis à doctrina D. Tho. vel Scoti, quam profitetur, ergo ſi doctrinam D. Th. vel Scoti neget infideliter agit ſecundum rem, & nomen, quia proprio nomini, & profeſſioni non correſpondet, ergo mentiretur ſecundũ rem, & nomen, ergo peccaret, tanto magis peccaret, quanto magis contraria, ad quam tranſiret, eſſet forte probabilior, quia magis infideliter ageret contra profeſſionem ſuæ doctrinę, quæ tanto magis eſt propugnando, quanto infirmiori nititur, fundamento, doctrina enim Anteſignani nõ indiget defendi, vbi ex ſe firmior eſt, vel non controuerſa, ſed quando ab Aduerſarijs oppugnatur acerrimè, vilis enim nõ ſolùm eſſet Miles ille, qui libenter in pace poſita caſtra cuſtodiret, à periclitantibus autem, ſecum ad cõtraria contra fortiora transfugeret, verum etiam grauiter peccaret, & tanquam infideliſſimus ſuæ militię deſertor eſſet acriter puniendus; caſtra autem litteraria ſunt Scholæ D. Tho. & Scoti, peccant ergo eorum Milites litteratij ſi infideliter eorum reſpectiue opiniones, quibus gaudent quando ſunt firmiores, ſi quãdo inueniantur debiliores, relinquant, & impugnent, & ad alienas tranſuolent conturandas, imò tanquam viliſſimi homunciones ab omnibus ganniendi, & à ſuis ſuperioribus non leuiter arguendi maximè ſi ex præcepto obedientiæ, vel iuramento ad eorum dicta tuenda tenerentur.

Probatur etiam ex eo noſtrum propoſitum, quod qui ſuorum Parentum honorem, maximè ſi periclitaretur, non defenderẽt

ſi le-

ſi legitime poſſent, ingrati, & tali nomine indigni filij ſane peccarent contra præceptum datum à natura, & à Deo de honorandis parentibus, honor autem debitus Magiſtris reducitur ad honorē debitum parētibus, vt etiam ſupra tetigi, & dicetur fuſius ſuo loco, ſi ergo Thomiſta D. Thomæ, & Scotiſta Scoti probabilem opinionem, licet non vndequaque fortè cogēte ratione fulcitam relinqueret, vel impugnaret ſui Magiſtri honorem periclitantem defendere certè negligeret ergo contra honorem debitum Magiſtro peccaret in tali caſu. O ſanè nequiſſimi filij impudentiſſimum ſcelus, ſi Patrem in opimis, & ſecundis ſequaint, in aſperis autem, & aduerſis ad hoſtilia caſtra, vel aliena fæliciora tranſmearet ingratus, & infidelis.

Præterea ſi quis propriæ familiæ, Ordinis, Congregationis, & Acadamiæ iura legitima, cauſas rationabiles negligeret, & id aliena defendenda in ſuorum præiudicium tranſiret ſanè peccaret, at verò tui ordinis, familiæ, & Academiæ ius legitimum, cauſa rationabilis eſt, ò Thomiſta, & Scotiſta opiniones D. Thomæ, & Scoti defendere, ergo peccas ſi ad alienas tranſiens ſententias tuendas tuorum Anteſignanorum negligas defendere, quid, ſi impugnare non erubeſcas?

Adde quòd ſaltem ratione ſcandali peccas forte, ò Thomiſta, & Scotiſta ſi palàm tui Protomagiſtri ſententias inſequaris, & impugnes, malè enim ſentiunt præcipuè puſilli, quod Thomiſtæ, & Scotiſtæ ſuorum Doctorum ſententias negantes ad aliorum placita defendenda tranſuolent ſcientes, quod ſaltē tenentur ſinguli pro ſuo Doctore pugnare ratione antiquę cōſuetudinis legitimè, laudabiliter, & rationabiliter introductæ, & per immemorabile tempus continuatæ ex maiorum fide iam omnibus notę.

Dico tamen quartò, quòd Thomiſtæ, & Scotiſtæ, Peripatetici, Galeniſtæ, & conſimiles, qui iuramēto, voto præcepto, profeſſione, vel officio tenentur ſuorum Protomagiſtrorum opiniones, & dicta defendere, ſi quando ad ingeniorum exercitationem ſui Doctoris ſententiam probabilem vbi demonſtrauerint, velint etiam problematice & alteram contrariam cōfutari, puto, quod non peccarent, quia ſatisfaciunt obligationi, dum ſui Doctoris probabilem, atque ad eo non falſam propalauerint, quod autem contraria defendatur etiam probabilis, vel fortè probabilior, nulla fit iniuria Magiſtro, dum Ipſe non arguitur falſum dixiſſe.

Dico quintò, quòd Doctores, & Magiſtri ſtipendio publico conducti in aliqua vniuerſitate ad legēdam, & tuendam doctrinam alicuius ſpecialis Anteſignani, puta D. Thomę, vel Scoti nō ſolum peccant contra datā fidē maximè ſi fuerit iuramento firmata, vt in aliquibus, ſolet Lycęis ſeruari, ſi in ſuis Scholis, & Chatedris non legant, & defendāt ſibi aſſignati Doctoris opiniones probabiles, verum etiam, quia peccāt contra iuſtitiam, cum non exequantur Officium ad quod ex ſtipendio accepto ſe obligarunt, & in re graui fraudent intentionem Conductoris, & ſtipēdium dantis, ad reſtitutionem tenentur; Intentio enim inſtituentium Vniuerſitates cum diſtinctis Scholis, & contrarijs Doctorum Cathedris in eadem facultate eſt, non ſolum, vt præcipuarum Scholarum Anteſignanorum doctrina colatur, & veneretur, & ad hoc, vt vnuſquiſque iuxta genium, & ſympathiam, aut etiam ingenij vires in eadem diſciplina proficere valeat, verum etiam vt ex altercatione ad oppoſitas partes veritas magis expiſcaretur, & ingenia fęliciora, & fęcundiora ex mutua degladiantium Doctorum æmulatione efficerentur, & Academiæ glorioſiores, & illuſtriores, vileſcerent enim ingenia, & frigeſcerent Academiæ, ſi oppoſitæ ſententię non oppugnarentur in Scholis; officium ergo ſuum non adimpleret, ſi vocatus cum ſtipendio ad legendam, & tuendam doctrinam D. Thomę, eam impugnaret, & Scoticam defenderet, & è contra ſi conductus ad legendam, & defenſandam Scoti doctrinam Thomiſticam, vel alienam doceret, & Scoticam impugnaret, ergo in re graui mentem conducentis defraudans, & contra iuſtitiam peccans ad reſtitutionem dati ſtipendij tenetur.

At verò ſi ſui Anteſignani opiniones, vel dicta omninò falſa, cōtra euidentem ſcilicet rationē aut contra Eccleſiæ determinationem, vel apertum ſenſum ſacræ ſcripturæ eſſe inueniat Chatedraticus etiam conductus non ſolum non peccat eā relinquēdo, verum etiam tenetur eorum falſitatem oſtendere maximè iuxta Eccleſiæ determinationem, & ſenſum apertum ſcripturę modeſtè tamen eos excuſando, quod quandoque etiam bonus dormitet Homerus, & quod Deus permittit etiam doctiſſimos homines eoſque etiam Sanctiſſimos ſolo iudicio humano per peccatum originale maximè ſauciato quandoque falſa ratiocinatos, vt ſoli primæ veritatis reuelationi infallibilis certitudo tribuatur; quin, ſi & ipſi Doctores, qui erraſſe deprehenduntur ſuperuixerent, ſua ſcripta iuxta Eccleſiæ determinationes, ſenſum verum Scripturę ſacrę, vel cogentem contrariam rationem correxiſſe inſinuandum Diſcipulis, ac propterea cum iurata licet fides non ſit vinculum iniquitatis, ſe iure contra ſuum officium, vel profeſſionem à tali dicto, vel opinione ſui Doctoris falſa inuenta recedere doceat.

Ex dictis ergo hucuſque colligi poteſt, quid reſpondendā ſit ad illud dubium, quod à Zelotis Peripateticæ doctrinæ interrogatus ſui, an peccēt recentiores quidā Ariſtotelis Philoſophię Protoparētis aliqua principia non aduerſantia fidei catholicæ negātes, & impugnantes, vt ſe nouarū opinionū Inuentores oſtentent.

Etenim ſi id faciant cogente vndequaq; ratione adducti non ſolum non peccant, ſed maxima digni ſunt laude, quod tranſuadatis iam errorum antiquorum Syrtibus, & veterum falſitatum ſuperatis Scopulis, ſuorum ingeniorum, certarum rationum fortiſſimo Remigio peruolitātibus ratibus nouos philoſophicarum veritatum orbes detexerint, & tenuerint, alijſque ad eos viam parauerint facillimam, ſicut enim infælicius in multis erraſſe de facto, & in reliquis etiam potuiſſe errare Ariſtotelem certum eſt ex ſuperioribus, ita etiam fælicius eius errores deteguntur à Recentioribus, nouæque veritates laudabilius aperiuntur.

At verò ſi male firmis rationibus ad eiuſdē Philoſopiæ Protopatentis principia infringenda moueantur impudentiæ, & temeritatis notam ſaltem non effugient Recētiores, maioris enim ponderis eſt Ariſtotelis Protomagiſtri authoritas per tot annorum myriades à doctiſſimis, grauiſſimis, & antiquiſſimis Philoſophis, & Theologis approbata, quā aliqua male firma ratio non conuincens potius à nimia ingeniorum turgētia, quam à vere ratiocinata veritate dependens, vt cernere eſt in quibuſdam, qui circa entia rationis, & chymerica tot quinternos præter, & contra Ariſtotelis ſolida principia ſcribunt, vt non iam Peripatetici ſed Chymerici Philoſophi ſint appellandi, vtpotè qui magis inſudent circa iſta entia rationis, & chimerica, quam reſpectiue in tota Peripatetica Philoſophia edocenda, & licet ad ingeniorum exercitationem non peccent, ſorte tamen illo Dauidico arguendi, Filij hominum vt quid diligitis vanitatem? dum ad vtiliora cōtra Hæreticos, & cetera ad ſalutem animarum ſpectantia poſſent optima, & acutiſſima ingenia multo laudabilius dirigere.

Auxilium.

Auxilium quis nam dicatur præſtare.
DIFFIC. I.

Dicendum quod lata eſt differentia inter Auxilium præſtare, & cooperationem, fauorem, & conſilium: etenim qui modū, vel ſecuritatem, vel vtilitatem rei faciendam anteponit, & aperit, dicitur potius conſilium præſtare, quam auxilium *ex l. ſepe de Verb ſignif.* qui autem commendat, & laodat facientem, vt factum proſequatur, & eumdem comitatur, tuetur. vel alia ratione aſſiſtit, vt opus potius exequatur, dicitur potius fauorem præſtare, quam auxilium, qui autem in actu operatur cum ipſo faciēte, dicitur potius cooperator in regere vocis, quā auxiliator.

Auxilium igitur propriè dicitur ille præſtare, qui dat congrua inſtrumenta ad opus perpetrandum puta Miniſtros, pecuniam, alimenta, & conſimilia, item dicitur auxilium præſtare qui recipit aliquem, vt data opportunitate poſſit opus determinatum melius exequi. Vide *Alter. de cenſ. diſp. 12. c. 6. Duard. in Bul. Can. q. 17. Bonac. de cenſ. in B. C. diſp 1. q. 12. punc. 4.*

Auxilium Eccleſiaſtico Iudici petenti, an teneatur præſtare Iudex Sæcularis. DIFFIC. II.

Dico primò, quòd Auxiliū à Iudice Sęculari certum eſt, quod poſſunt implorare Eccleſiaſtici, dum eo indigent pro executione ſuæ iuſtitiæ, quod Auxilium vulgo vocant. Brachium ſæculare; vt habetur in *c. periculoſum 1. de Offic. Ordinand.* & ex *c. dilecto de ſent. excomm.* ex *Concilio idem Trident. ſeſſ. 25. c. 7. vide etiam noſtro Rodriq t. 1. q. 4. reg. quæſt 8. ar. 4. Panormit. et Iaſon. apud Gennenſ. in praxi Archiep. Neap 36. Farinacc. in in Pra crim. q. 97. Barb de poteſt. Epiſc. 3. p. allegat. 107.*

Dico ſecundò, quòd non ſolum debet Iudex Sæcularis præſtare auxilium, ſeu brachium ſæculare Eccleſiaſtico petenti, & verè indigenti, ſed etiam poteſt cogi ad tale brachium pręſtandum, &

ratio

Digitized by Google

ratio eſt quia in *Conc.Trid.* cui Imperator, Reges, & Principes interfuerunt ſaltem per ſuos Legatos vtrumque conſenſum pręſtiterunt, datur facultas Iudici Eccleſiaſtico capiendi, & oppignorationes faciendi per ſuos proprios, vel alienos executores, ſi ergo id poſſunt per alienos executores, ſanè per laicos, qui alieni ſunt à ſuo foro, poſſunt capere, & oppignorationes facere, ergo in virtute Concilij Tridentini, cui aſſenſum dederunt Principes Sæculares, poſſunt Eccleſiaſtici cogere eorum Iudices, vt ſibi brachium ſæculare in ſuis indigentijs præſtent, ita etiam noſter *Rodr. loc.cit.Farinac. & Genuenſ.vbi ſuprà*, qui etiam citat *Nauar. Abb. & Decium*, & *alios* quibus adde *Menoch. de Arbit. lib.2.c.452. Decian. in tract. crimin.lib.4.c.* 10. *Aualos in direct. Iud. Eccl.* 2.*p.c.*15. & *Barboſ. loco citato*.

Quod autem addunt *Menochius, & Riccius in Prax. implorat brach.notab.* Iudices Sæculares renuentes præſtare auxilium, ſeu brachium puniri poſſe ab Eccleſiaſtico Iudice, ſolùm puto poſſe per cenſuram Eccleſiaſticam comminari, & etiam per latam excommunicationem contumaces Iudices punire, quod verò alia pęna tẽporali eos poſſint afficere Eccleſiaſtici, non videtur probabiliter dictum, vt *Franc.Molin.de brach.ſecul.* docet, & acriter repræhendit *Menoch.* præcipuè aſſerentem abſolutè poſſe puniri Iudicem Sæcularem à Iudice Eccleſiaſtico, ſi ſibi renuat brachium ſæculare tribuere.

Quod autem poſſint Eccleſiaſtici Iudices excõmunicare Iudices Sæculares renuentes ſibi dare auxilium in caſu quo illud ex poſtulent in praxi deductum teſtantur noſt. *Rodr. Aualos, loc.cit. Mol.c.*8. & 14. *Bon.de cenſ.in bul.Cæ.diſp.*1.*q.*20.*punct.*3. & alij.

Dico tertiò, quòd Iudex Sęculares tenetur Præſtare brachiũ Iudici Eccleſiaſtico petenti, etiam non examinata iuſtitiæ cauſa, quia Iudex Sæcularis nullam habet iuriſdictionem in Iudice Eccleſiaſtico, & in facto Principis non ſupponitur delictum. *l. merito, ff. pro ſocio*, aliter nunquid Eccleſiaſticus Iudex poſſit habere auxilium à Iudice Sæculari, quia hic ſemper poſſet opponere non adeſſe cauſam præbendi ſibi brachium, ita etiam *noſt. Rodr. Genuenſ. et Bonac. loc.cit. & Marth.de Iuriſdict.p.*1.*c.*51.

Ceterum verum eſt, quod ſi apertè notoriè, & euidenter conſtet de iniuſtitia Iudicis Eccleſiaſtici, non tenetur Iudex Sæcularis ei præbere auxilium, ſeu brachium expoſtulatum, cum nemo teneatur cooperari actioni iniquæ, & iniuſtæ, ita etiam *noſt. Rodriq. & Ricc. Molin. et Bonac. loc. cit.*

Banditus.

Banditus an impunè abſq; ſcrupulo peccati mortalis poſſit occidi.

DIFFIC. I.

Dico primò, quòd Banditus qui poteſt impune occidi in foro fori à quocumque poteſt etiam abſque ſcrupulo peccati mortalis occidi, modo ſolo zelo iuſtitiæ tanquam eius executor occidat; Etenim vt notat *noſt. Ang.V. Aſſaſſinus*, §.2. idem eſt bandire, & diffidare delinquentẽ ac præcipere, & declarare, quod banditus, & diffidatus poſſit impune occidi à quocumque, vt habetur: *l. Reos, c. de Aucupat.* Conſtituitur enim quilibet Miniſter Iuſtitiæ contra banditos, & diffidatos, atque adeò ſine peccato, & pœna homicidij poteſt quis occidere banditum, poſſet tamen paccare mortaliter occidens banditum, ſi ex liuore vindictæ, vel auaritię occideret, ſed non peccaret, peccato homicidij in illo caſu, ſed ſolum peccato odij, vel auaritiæ.

Dico ſecundò, quòd banditus propter crimina non exceptuata ſolum poteſt licitè, & impune occidi in territorio Principis bandient is, non autem in Territorio alterius Principis, quia nullus poteſt conſtituere Miniſtros iuſtitiæ extra proprium Territorium, ſicut nec in alieno exercere iuriſdictionem, quod ſi banditus quis eſſet propter crimen exceptuatum, ſicut eſt crimen legæ Maieſtatis poteſt vbique impunè, & licitè abſque peccato occidi, quia in tali caſu præſumuntur Principes ſibi inuicè iura præſtare, ità *Nald.hic, Azor.d.*5.*l.*5 *t.*2.& 40.*V iuius opin.*770.*n.*23.

Dico tertiò, quòd banditus ſi appellauerit poſt ſententiam Banni non poteſt occidi impunè, *ff. nihil innouandum appellatione pendente*, ſuſpenditur enim per appellationem, vt dictum eſt ſupra, ſententia Iudicis, & facit, quod habetur *in c. ſolet de ſent. Excom. in 6.* vbi Excommunicatus admiſſus ad probandam nullitatem Excommunicationis, non eſt interea vitandus.

Banditus an perdat ea, quæ ſunt iuris ciuilis, & naturalis.

DIFFIC. II.

Dico primò, quòd ea, quæ ſunt de iure naturæ, non perdit bãditus, cum iura humana derogare nequeant iuri naturali, ſequitur quod Pater receptans, vel adiuuans filium banditum, vel filius patrem banditum non incurrit excommunicationem latam in ſtatu Eccleſiaſtico contra receptantes, & iuuantes banditos per *Greg.XIII.& Xiſtum V.* ſi ex ſolo effectu naturali id fiat, ſecus vero ſi ex tali receptatione daretur fomentum, & occaſio lattocinandi, vel offendendi proximum, quia tunc nõ excuſaret ius naturæ; hæc enim nõ eſt miniſtra iniquitatis, ſed ſolum pietatis, & æquitatis, vide *Nald. hic, & Azor. t.*1.*lib.*1.*c.*25.*q.*3.

Dico ſecundò, quòd ea, quæ ſunt iuris ciuilis perdit illa banditus, qui poteſt impunè occidi propter crimina exceptuata, puta quia inobediens, & rebellis contra ſuum Principem aufugit ab eius Imperio, & ad hoſtium domini ſui exercitum ſe contulit, & hic propriè dicitur ex banditus: quare hic non poteſt condere teſtamentum, nec ſuccedere, imò poſſe eorum bona temporalia capi à quolibet, poſtquam declaratus eſt ex banditus, docent aliqui, quod etiam de quolibet bandito, vel aſſaſſino, vel horum fautoribus poſſe à Iudice præcipi videtur dicere *noſt. Ang.V. Aſſaſſinus, nu.*4. ſed credo potius id ſolum dicendum de illis aſſaſſinis de quibus eſt ſermo *in c.pro humanis de homicid.in 6.* quas pęnas hodie non eſſe in vſu dictum eſt V. Aſſaſſinus. Sicut etiam nec probabile credo poſſe capi bona ex banditi, ſeu rebelli à quocumque impunè, cum pertineant ad fiſcum, ſeruanda tamen eſt conſuetudo locorum.

Quod ſi ſolum ſit quis banditus Ciuitatis, vel Regni propter crimina non exceptuata, non perdit ea, quæ ſunt iuris ciuilis, ſed ſolum ea, quæ ſunt iuris talis Ciuitatis, vel Regni à quo ſit. *Vide Ang. noſt. V. Banditus*, §.2.

Vtrum occidens Banditum, quem neſciebam eſſe Banditum, gaudeat priuilegio promiſſo occidendi Banditum.

DIFFIC. III.

Negant communius Iuriſtæ, quia conditio proteſtatiua debet impleri à ſciente, & non fortuito, & à caſu. *l.*2. *de cond. & domin.* Conditio autem poteſtatiua eſt, quando promittitur aliquid alicui propter aliquod opus implendum ſolum, intelligitur promitti ei, qui ſponte, ac ſcienter exequitur tale opus ad finẽ requirendi tale præmium, quod promittitur pro tali opere impleto, ita *ex l.*51. *qui in graui, §. quod ſi ſeruus de acquiſit. rer. & Bart. ibid. c. vtrum. nu.*3. *ad Syllam vide Nald. hic.* iure, ergo occidenti banditum caſu fortuito negatur præmium, vel priuilegium promiſſum occidenti banditum.

Vtrum Banditus exul, ſi ſteterit in Eccleſia ſua Patriæ dicatur Exilium fregiſſe.

DIFFIC. IV.

Affirmat *Capiblan. de offic. Baron. & t.*2. *pragmat.*8. *c.*44. quia verè eſt in Territorio, a quo factus eſt exul.

Negant tamen, & probabilius *Antonius de Marin. quotid. delat.c.*16. *Diana in* 4. *p. reſol.*92. quia licet Eccleſia ratione ſitus ſit in Territorio Principis, ratione tam effectuum iuris non dicitur eſſe in eius Territorio, & Legiſtæ aiunt, eſſe in loco exempto, & eſſe extra Territorium æquiualere. Ita *Paul. de Caſtr. conſ.*178. *Alexand. conſ.*151. & *Natta, conſ.*643. vnde in Eccleſia non ligat ſtatutum Principis, & conſequenter non dicitur exul à Patria fregiſſe exilium, dum manet in Eccleſia ſuæ Patriæ.

Hinc etiam collige, quod ſtatutum Epiſcopi prohibens aliquid ſub pęna excommunicationis ipſo facto, puta ludere taxillis, vel laborare in die feſto, non ligat in loco Regularium exempto, licet ſit in Territorio ſuæ Diæceſis.

Banditus quicumque in probabili vitæ periculo quod poſſit abſolui ab omnibus caſibus, ſicut in articulo mortis, vide ſuprà *V. Abſolutio, diffic.*14.

Baptiſ-

Baptiſmum.

Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus.

DIFFIC. I.

DIco primè, quòd Baptiſmus à Verbo græco, Βαπτω, quod latinè immergere, ſeu intingere ſonat ſuam ſortitur æthimologiam; baptiſmus, ergo immerſionem, intinctionem, ſeu ablutionem denotat, quare baptiſmus interiorem animæ purificationem innuit ſecundum ſuam æthimologiam.

Dico ſecundò, quòd licet vnus tantum ſit verus baptiſmus iuxta illud ad *Epheſ.4. vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma*, tamen ſecundum varios modos ſanctificandi animã triplex aſſignatur baptiſmus .ſ. fluminis, flaminis, & ſanguinis; ſinguli ſanè eundem præſtant effectũ principalẽ purificationis animæ à peccato, & hac ratione dicitur eſſe vnum baptiſma, quia verò triplici modo præſtatur hic effectus triplex iure dicitur baptiſmus.

Triplicis autem huius baptiſmi veritas habetur in ſacra Scriptura, & quidem de baptiſmo fluminis eſt ſermo multis in locis, ſed præcipuè *Ioann.3.* vbi dicitur: *Venit Ieſus in terram Iudeæ, & baptizabat*, de baptiſmo verò flaminis dicitur Luc.3. *prædicãs baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, & Act.2. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies.* de baptiſmo verò ſanguinis habetur Marci 10. *poteſtis bibere calicẽ quem ego bibiturus ſum, et baptiſmo quo ego baptizor baptizari?*

Dico tertiò, quòd Baptimus flaminis, ſeu Spiritus ſancti, eſt propoſitum efficax ſumendo baptiſmum Chriſti ſecundum ritum Eccleſiæ Catholicæ tempore opportuno ſi detur facultas, iſte autem baptiſmus ſolum adultos congruit, quia requirit contritionem peccatorum, & propoſitum ſuſcipiendi baptiſmum verum, & iſto baptiſmo flaminis, vt notat *noſter Vngarell. hic Schol.6.* dicitur fuiſſe baptizatus Latro in cruce.

Porrò iſte baptiſmus dicitur imperfectior baptiſmo fluminis, quia in iſto non imprimitur character, nec tota pęna ſemper dimittitur, ſed ſolum iuxta gradus contritionis, imò nec ſufficit attritio ad recipiendum gratiam per hunc baptiſmum, quia cũ non ſit Sacramentum non reddit de attrito cõtritum. At verò in baptiſmo fluminis, vt dicetur infrà, imprimitur character, tota pęna dimittitur, & cum ſit Sacramentum nouę legis ſufficit attritio.

Dico quartò, quòd baptiſmus ſanguinis eſt profuſio ſanguinis pro Chriſti fide principaliter, & eſt etiam perfectior baptiſmo flaminis, quia perfectius abluit ſordes ex impulſu perfectiſſimæ caſtitatis totamque omninò pęnam dimittit ex feruore eiuſdem charitatis eſtque communis iſte baptiſmus ſanguinis adultis, & paruulis, vt patet de innocentibus, & licet non imprimitur in ipſo character, tamen per ipſum donatur quoddam proprium accidentale, quod dicitur aureola, & ratione huius excedit etiam baptiſmum fluminis.

In præſenti autem difficultate non eſt propriè Sermo de baptiſmo flaminis, nec ſanguinis, ſed ſolùm de baptiſmo fluminis, quia eſt verè, & propriè baptiſmus, & Sacramentum nouæ Legis, pro cuius definitione

Dico quintò, quòd Baptiſmus eſt ablutio aliqualiter conſentientis facta ab alia, in qua ſimul verba certa debita cum intentione proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina ablutionem animæ à peccato. Ita *Scotus in 4. diſt. 3. q.1.* alij verò alias proferunt baptiſmi diffinitiones idem ſanè ſub alijs verbis connotantes, vt videre eſt apud *S.Th. p.p. Nauarr. c.22. nu.1. Filiucc. tr.2. c.1. q.3. Molfeſ. tract.4. c.1. Henriq. lib.2. c.1.* quia tamen iſta Scoti definitio diſtinctius eſſentialia baptiſmi oſtendit, vnde multorum caſuum etiam reſolutionem poterit ex ipſa legens expiſcari, vt infrà magis practicè videbitur, idcò alias afferre non eſt rictum, vt breuitati conſulatur.

Babtiſmi inſtitutio quando facta fuerit.

DIFFIC. II.

IN præſenti difficultate non eſt conſors Theologorum ſententia: quare *S.Thom loc. cit. ar.2.* & Thomiſtæ omnes, tam antiquiores quam ferè omnes moderniores *Caiet. Capreol. Peſan. Nugn. Suar Vaſq. Camerota*, & alij volunt inſtitutum fuiſſet *Matth.3.* quando in Iordane à Ioanne fuit baptizatus. *Scotus tamen noſt loc. cit. q.4. dub.* dubium ait eſſe, quando fuerit inſtitutus baptiſmus, negat enim fuiſſe inſtitutum, vt ſupra *Matth.3.* quia baptiſmus ille non fuit factus cum forma Chriſti, ſed cum forma Ioannis, nec ſimpliciter docet eſſe inſtitutum *Matth. vlt.* quando aſcendit ad Cœlos iubens Apoſtolos ſuos ſub illis verbis; *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quia ante illud tempus, imo ante Paſſionem Chriſti baptizabant Apoſtoli, vt legitur *Ioann.3.* certum ergo, aſſerit *Scotus* baptiſmum fuit à Chriſto inſtitutum, ſed quando, & vbi non habetur præciſè ex Euangelio.

Ceterum *noſt. Alen.* Theologorum Pater, & Magiſter optimè vt ſolet hoc dubium proſequitur, & diſtinctius declarat *in 4. p. q.12. membr.3. art.1.* cuius verba formalia apponenda hic cenſui. *Multiplex fuit inſtitutio baptiſmi; Materialiter, ſiue potentialiter, quando Dominus baptizabatur à Ioanne, quando collata fuit virtus regeneratiua aquis, vndè* Luc.3. *baptizato Ieſu*, ibi gloſ. *baptizatur dominus non mundari indigens, ſed tactu mundæ carnis aquas mundãs, vt vim abluendi abluant; Formaliter vera* Matth. vlt. 16. *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, & Spiritus Sancti, tunc enim fuit inſtitutum formaliter cum expreſſione formæ baptizandi: quantum ad finem* Ioann.3. *niſi quis renatus fuerit, &c. Finis enim baptiſmi eſt introductio, ſiue ingreſſus in Paradiſum; quantum ad effectum* Marci vlt. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, etc. baptiſma .n. ſaluat à pœna, & a culpa; quantum ad efficaciam, & ſignificationem, quando de latere Chriſti exiuit Sanguis & aqua* Ioann. 19. *quantũ ad efficaciam, quia ex fluxu illo baptiſma habuit efficaciam ſeu virtutem, vnde* Ezech.47. *Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro; quantum ad ſignificationum, quia ſanguis, & aqua erant ſigna baptiſmi, & Euchariſtiæ, officialiter autem quando miſit Dominus binos, & binos ad prædicandum, et baptizandum, vt dicit* Magiſter *tunc illis contulit officium baptizandi. Hæc Alexand. de Aleſ.* ex quibus clarè patet tempus inſtitutionis baptiſmi.

Vtrum Baptiſmus ſit neceſſarius neceſſitate medij ad ſalutem.

DIFFIC. III.

DIcendum cum Theologorum omnium Catholica Sententia baptiſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem in re, vel ſaltem in voto, quando ſcilicet non adeſt opportunitas ſumendi baptiſmum in actu, ita *Scot. Alenſ. Bonau. Riccard. D.Tho.* & cęteri antiquiores communiter, vide ex recentioribus *noſt. Pitigianum in 4. diſt.2. art.4. Bellarm. c.1. de baptiſmo, contron.2. Valen. t.4. diſp.4. Camer. de baptiſ. c.2. dub.1. Bonac. diſp.2. de Sacram.* & ratio eſt, quia illud neceſſarium dicitur neceſſitate medii ad ſalutem, ſine quo ſalus æterna abſolutè omninò nequit haberi, ſed ſine baptiſmo in re, vel in voto ſalus omninò nequit acquiri, vt patet ex illo *Ioann.3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poterit introire in regnum Dei*, in qua ſcriptura denotatur neceſſitas medij per illam particulam *niſi*, vt notant communiter Patres, & Doctores, ex quibus

Collige baptiſmum etiam eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti, nam tenetur quilibet media neceſſaria ad ſalutem amplecti, hinc parentes, & domini domus tenentur quam primum oblata occaſione ſub peccato tradere ſuos infantes, vel etiam adultos non baptizatos, vt ſtatim baptizentur, quia aliter committerét eos periculo damnationis, ſi interea ſine baptiſmo morerentur, eodem etiam præcepto aſtringuntur adulti, liberi ſub nullius poteſtate exiſtentes, quam primum ſuſcipere baptiſmum, & opportunitatem ſuſcipiendi quærere ſtatim ac ſibi nota fuerit neceſſitas huius Sacramenti ad ſalutem, benè tamen verum eſt, quod ex rationabili cauſa quando nec adeſt, nec imminet periculum mortis poteſt poſt aliquot dies ſuſceptio baptiſmi differri.

Quo tempore inceperit vniuerſalis obligatio ſuſcipiendi baptiſmum.

DIFFIC. IV.

IN preſenti difficultate certum eſt obligationem ſuſcipiendi baptiſmum quoad omnes generaliter incepiſſe poſt ſufficientem promulgationem Euangelij toti mundo, quia non poteſt prudenter obligatio Legis imponi, niſi poſt ipſius ſufficientem promulgationem, & cognitionem, & conſequenter quoad eos, quibus immediatè Euangelium promulgatum eſt poſt Chriſti Paſſionem immediatè dicendum etiam eſt incepiſſe obligationem baptiſmi, quia immediatè poſt mortem Chriſti Lex antiqua

ceſſauit

ceſſauit obligare, vt patuit ex ſciſſione veli templi, ergo incepit noua Lex eos obligare, quibus primo innotuit. Ita *ex Scoto in 4. diſt. 3. q. 1. Bonau. Riccard. ibid. D. Th. loc. cit. art. 2. Suar. tom. 3. diſp. 27. ſect. 4. Vaſq. 3. p. diſp. 145. c. 3.*

Quòd ergo, in præſenti difficultate dubium faceſſit eſt, quando propriè facta fuerit ſufficiens Euangelij publicatio; putant aliqui quod paulò poſt excidium Ieruſalem, quod accidit quadraginta annis poſt Paſſionem Chriſti, quo tempore Apoſtoli ſteterunt, factam fuiſſe per totum mundum ſufficientem Euangelij publicationem, & hanc opinionem probabilem putat *Bonac. vbi ſupra, punct. 2. num. 13.*

At verò *noſt. ſubtilis Doctor, diſt. 3. q. 4. lit. N, Pitigianus, ibid. art. 5. Bellarm. de baptiſm. c. 5. Filiucc. tract. 2. c. 6. q. 2. nu. 120.* & alij, docent factam fuiſſe ſufficientem Euangelij promulgationem in die Pentecoſtes, quo tempore Apoſtoli prædicauerunt varijs linguis. Quare docet *Scotus* nunc incipiſſe obligare ſub præcepto baptiſmum eos præcipuè, qui audierunt eius neceſſitatem ad ſalutem, quoad verò reliquos illo tempore obligauiſſe quo in ſuis partibus promulgatum fuit Euangelium, vnde air, quod quibuſdam incipit obligatio ad menſem poſt Pentecoſten, aliquibus ad annum, multis etiam ad decem annos, & maius etiam tempus iuxta quod eis prædicabatur baptiſmi obligatio.

Aduerte autem hic, quod ignorantes inuincibiliter Euangelij promulgationem, non ſolum per aliquod tempus poſt mortem Chriſti, ſed etiam hodie licitè vtuntur, vel circumciſione, vel in lege naturæ ſigno eis dato ad deletionem peccati originalis, & modo ſeruent legem naturæ etiam ſaluari poſſunt, quia quamquã vetus lex in morte Chriſti ceſſauit, ſed non pro iis, qui Euãgelium Chriſto inuincibiliter neſciunt; Quare videtur congruere ſummæ Dei miſericordiæ, vt iſtis ſupra naturale lumen, & auxilium infundat, quo valeant ſeſe ad Deum ſuum Creatorem conuertere, & iuxta legem naturæ operari, vt ſalutem æternam conſequi valeant, vide *D. Th. 2. 2. q. 10. art. 4 Summ. Corona de Baptiſ. & Bonac. loc. cit. nu. 13.*

Vtrum baptiſmum tenerentur ſuſcipere illi, qui ante Euangelij promulgationem ſanctificati, & in gratia fuerunt confirmati.

DIFFIC. V.

Affirmatiuè reſpondendum, quia tenebantur ſaltem recipere baptiſmum, vt characterem, quo diſtinguerentur ab Infidelibus reciperent, & vt per ſuſceptionẽ baptiſmi fierent capaces recipiendi cętera Sacramenta, quorum fuiſſent incapaces ſine baptiſmo; Ianua enim Sacramentorum dicitur hoc Sacroſanctum regenerationis lauacrum.

Itaque Beata Virgo Maria licet ſine peccato originali fuiſſet concepta, & nullum vnquam nec mortale, ſeu veniale admiſiſſet, vnde pro expulſione culpæ, & pęnæ remiſſione nullo modo indiguiſſet baptiſmo, tenebatur tamen baptizari, vt characterem; & effectum Euchariſtiæ præcipuè, qua in dies ſingulos recreabatur iuxta Doctorum multorum placitum ritè valeret ſuſcipere, & quod dicitur de Maria Virgine, aſſerendum de quocumque alio confirmato in gratia.

At verò ante promulgationem vniuerſalem Euangelij, ſi qui baptizati forẽt, non indiguiſſent poſt promulgationem noua baptiſmi ſuſceptione, quia iã ſuæ ſatisfecerunt obligationi, ſicut debitor ſoluens ante præfixum terminum ſuo Creditori, adueniente ipſo inuenitur immunis à tali obligatione.

An autem Beata Virgo Maria, & Apoſtoli baptizati fuerint ante vniuerſalem promulgationem Euangelij docet *gloſ.* in ea verba: *qui lotus eſt, &c.* vndè erant immunes poſt promulgationem præcepto ſuſcipiendi baptiſmum, vide *Scot. diſt. 4. q. 6. Sylu. V. Baptiſmus 4. nu. 1. Filiucc. & Bonac. loc. cit.*

Quænam ſit Materia Sacramenti Baptiſmi.

DIFFIC. VI.

Baptiſmus cũ ſit verum Sacramentũ à Chriſto inſtitutum in lege gratiæ, eſſentialiter conſtat, ſicut cetera Sacramenta, ex materia, & forma, vt dicetur infrà *V. Sacramentum*, & quia in quolibet Sacramento datur duplex materia, altera remota, proxima altera, ita etiam aſſignanda eſt baptiſmo materia proxima, & remota. Quare

Dico primò, quòd Materia proxima baptiſmi eſt ipſa ablutio, & patet ex eo, quod Sacramenta conſiſtentia in vſu habent pro materia proxima rem ſignificantem id, quod per Sacramentum efficitur. Aqua autem per ſe ſumpta non ſignificat ſpiritualem purificationem, niſi adhibeatur, ergo, ablutio ipſa, in qua adhibetur vſus aquæ ad ſignificandam, & efficiendam purificationẽ animæ interiorem eſt materia proxima baptiſmi; *vide Scot. & Pitig. Camerota, Filiucc. loc. cit. & Bonac. diſp. 2. punct. 3.*

Dico ſecũdò, quòd Materia remota baptiſmi eſt aqua naturalis, vt patet ex Euangelio, in quo Chriſtus aqua naturali Iordanis baptizatus fuiſſe narratur, tum etiam ex diffinitione *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 2.* quia vt docet Catechiſmus Pij V. aqua naturalis eſt omnibus peruia, ita vt in neceſſitate, quilibet poſſit eam ſtatim inuenire, ergo iure adhibetur pro materia Sacramenti baptiſmi, qui neceſſitate medij omnibus conuenit. Quare vt Sacramentum commune, & neceſſarium omnibus debet habere materiam omnibus communem, vt eſt aqua naturalis.

Porrò aqua naturalis eſt aqua maris, fluuij, putei, fontis, balnei, pluuiæ, licet ex cinere defluant: De Ceruiſia, & Nedone, dubitat *Scotus*, an ſit conueniens Materia, quia non eſt certum reliquiſſe ſpeciem aquæ naturalis. Ita docet *in 4. diſt. 3. q. 3.*

E contra verò aqua naturalis non dicitur ſudor, ſputum, ſaliua, orina, lachrimæ, aqua, quæ à vite profluit, neç aqua quæcumque diſtillatam per ignem, ita docent communiter *Sot. loc. cit. Rodr. c. 23. Camerota, Suar, Valen. Bonac. et Coninch. vbi ſuprà*, & alij communiter. Quare hoc ſecundo genere aquarum non licet baptizare, ſed ſolũm aquis primi generis.

Quomodo Materia proxima Baptiſmi ponatur in ablutione.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quòd non videntur valde probabiliter loqui *Sot. in 4. diſt. 3. art. 1. & Suar. in 3. p. t. 3. diſp. 2.* putantes materiam baptiſmi poſitam eſſe in ablutione vt paſſiua, non autem vt actiua, etenim cum ablutio paſſiua dicat neceſſario reſpectum ad actiuam ablutionem debet dici ſimul vtranque eſſe materiã proximam Sacramenti baptiſmi, ſunt enim inſeparabiles adinuicem in fieri, cum conſiſtat in vtraque proxima actio baptiſmi, ergo, ablutio tam actiua, quam paſſiua pertinet ad materiam ipſius. Quare probabilius iuxta praxim vtranque tam paſſiuam quam actiuam ablutionem putant eſſe neceſſariam materiam proximam *Scotus noſt. loc. cit. §. hoc dicendum, & Vaſq. in 3. p. t. 2. diſp. 141. Coninch de Sacram. q. 66. art. 4.* & alij.

Dico ſecundò, quòd ablutio quatenus eſt materia proxima baptiſmi debet eſſe ſucceſſiuus contactus, nec ſufficit quilibet contactus ſimplex, quia quilibet contactus aquæ paſſim non abluit, hinc ſi digito aqua madefacto ſignaret infantẽ cum forma, debitaque intentione, quia eſt ſucceſſiuus contactus verum eſſe baptiſmum innuunt *noſt. Scot. & Pitig. ar. 2. Camerot. de baptiſ. c. 2. dub. 6. Filiuc. tract. 2. c. 2. q. 4. Coninch. q. 66. art. 4. Comitolus, lib. 1. q. 12. Bonac. diſp. 2. q. 2. punct. 3. nu. 14.* & alij.

An Materia proxima, & forma debeant eſſe ſimul in baptiſmo.

DIFFIC. VIII.

Non vna eſt in hac difficultate DD. ſententia, an ſcilicet ablutio, ſeu aquæ infuſio, vel in aquam immerſio neceſſario debeat eſſe ſimul cum prolatione verborum formam baptiſmi conſtituentium, an verò ſufficiat, vt paulò priùs, vel paulò pòſt, ipſam ablutionem adhibeatur.

Noſt. Ricard. in 4. diſt. 5. art. 4. Caiet. t. 1. opuſc. tract. 26. Nauar. c. 22. nu. 7. nolunt ita docere eſſe ablutionem ſimul cum forma, id eſt, cum prolatione verborum, vt ſi quis aquam perfunderet, vel in aquam immergeret poſt formam recitatam non baptizaret, quia materia, & forma eſſentialiter integrantes vnum effectum debet eſſe omninò ſimul. *Noſt. tamen Villal. in Sum. t. 1. tract. 4. diffic. 2. Henriq. Laym. Victorel. Suar.* quos citat, & ſequitur *Diana de Sacram.* putant ſufficere ſimultatem moralem, quæ compatitur, vt paulò pòſt ablutionem forma proferatur, quod tempus explicans *Fernand. ab Hered. de Sacram in gen. punct. 6. dub. 2. nu. 8.* ait ſufficere, vt poſt vnum Pater noſter, proferantur verba formæ.

Sanè aliqui recentiores Theologi ſuis inſipidis Speculationibus vniuerſalem Eccleſiæ morem in materia Sacramentorum, in qua potius attendenda eſt prudens, & ſolida praxis, quàm curioſa ſpeculatio, peruertere non verentur, & vtinam ſine detrimento animarum. Quomodo enim in Sacramento baptiſmi quod

quod eſſentialiter præficitur in fieri ablutionis tanquam materia proxima in ſignum ablutionis interioris animæ poſſit poſt vnum Pater noſter adhiberi eſſentialis forma requiſita ad effectum ſignatum, dum ſignum iam euanuit, & tamen ſit verus baptiſmus capere non valeo.

Scotus ergo *in 4. diſt. 6. qu. 3.* ſolidius, vt ſolet loquens, ait quidem non eſſe neceſſariam ſimultatem phyſicam rigoroſam cum verborum probatione, & ablutione in Sacramento baptiſmi, ſed ſufficere quidem ſimultatem moralem, ſed non ita latam, vt volunt moderniores, ſed talem, vt licet non ſit neceſſum ſimul, & ſemel phyſicè prolationem verborum, & ablutionem, tamen non debet omninò excludere aliqualem ſimultatem phyſicam, vnde ſufficere ait, ſi vel prolatio verborum incipiat antequam finiatur ablutio, vel ablutio incipiat, antequam prolatio verborum finiatur, ita enim nec omninò excluditur phyſica ſimultas, & moralis ſimultas omninò reperire dicenda eſt in tali baptiſmo, & conſequenter abſque ſcrupulo in tali caſu verus, & perfectus baptiſmus fuiſſe cenſendus eſt.

Vtrum in baptiſmo ſufficiat, vt ablutio contingat quamlibet minimam corporis partem.

DIFFIC. IX.

Affirmat *noſter Aureolus in 4. diſt. 5. q. 1.* baptiſmi ablutionem ſufficere, vt contingat partem quamlibet corporis minimam, vt capillos, & vngues, & addit ſufficere, etiam ſi corpus ſit inuolutum in ſecundina, quia tam ſecundina, quàm vngues, & capilli dicuntur pars hominis, & licet non viuāt per intus poſitionem, viuunt tamen per iuxta poſitionem, vnde aluntur, & augentur, ita etiam ſentiunt recentiores cum *noſt. Aureolo, Valen. t. 4. diſp. 4. q. 5. de baptiſmo, Vaſq. diſp. 146. Coninch, q. 66. nu. 7. Poſſeuin. de bapt. nu. 6. Filiucc. tract. 2. c. 2. queſt. 6. Molfeſ. tract. 4. c. 6. Baſil. Pont. de Matrim. lib. 4. c. 25. Ocagau. de Sacr. tract. vn. de bapt. q. 4.* & alij.

Scotus etiam noſter idem docet *diſt. 4. q. 3. §. ad queſt.* quia in qualibet parte corporis eſt tota anima, ergo in qualibet parte corporis poteſt fieri animæ ſanctificatio per baptiſmum, ſiue pars ſit mediatè, vel immediatè animæ coniuncta. Attamen ſub conditione rebaptizandum putat huiuſmodi baptizatum ſi ſuperuiuat, quia licet ſit probabilis hæc opinio, tamen non eſt omninò certa; in materia enim Sacramentorum tutior pars ſemper practicanda, idipſum etiam cum *Scoto* cēſent antiquiores, & recentiores *Ang. V. Baptiſmus 6. nu. 3. Prapoſ. in 3. p. q. 66. Granad. de Sacram. in 3. p. contr. 4. Hurtad. de Sacr. Bapt. diſp. 1. Laim. lib. 5. tract. 2.* & nouiſſimè *Diana 5. p. tract. 3. reſol. 4.*

Verum quoad capillos, & vngues ſi abluatur baptizatus, non meminit ibi *Scotus* an ſit verus baptiſmus, tamen ex eo, quod docet baptizatum in capite per immerſionem, vel aſperſionē nullo modo eſſe rebaptizandum ex eo quod *Actor. 1.* non eſt veriſimile, quod tanta multitudo hominum ibi baptizata, fuerit abluta in maiori parte corporis, ſed ſolùm poteſt argui veriſimiliter quod ſinguli fuerunt baptizati infundendo, vel aſpergendo aquę cum aqua. At verò aſperſio aquæ cùm ſit in pauca quantitate ſolum capillos capitis tetigiſſe in multis præſertim adultis comam nutrientibus probabiliter argui debet, ergo probabile eſt ſecundum *Scoti* intentionem baptizatos ex contactu capillorum eſſe verè baptizatos.

Quod autem *Vaſq. et Henriq. loc. cit.* validum putent abſolutè baptiſmum in quacunque parte corporis fiat ablutio, vnde nec ſub conditione rebaptizandum velint, non ita tutè loquūtur, ſicut ceteri Theologi præfati, ſequentes tamen eorum doctrinam non puto peccare, quia probabile eſt Sacramentum baptiſmi eſſe verum, ſi ablutio fiat in qualibet minima parte corporis, ſequentes autem opinionem probabilem, non peccant, ſi nolint probabiliorem, & rectiorem ſequi.

Vtrum validus ſit baptiſmus factus cum ablutione vnius guttæ aquæ.

DIFFIC. X.

Negarunt aliqui abſolutè cum vna gutta aquæ validum eſſe baptiſmum ex eo, quia cùm baptiſmus ſit ſignum ablutionis interioris animæ à culpa, & pœna per exteriorem ablutionem, cum vna gutta aquæ non poſſit facere veram ablutionem exteriorem, ſequitur quod non poteſt eſſe ſignum interioris ablutionis, ergo non poteſt eſſe ſignum rei ſacræ, & conſequenter nec poteſt eſſe Sacramentum baptiſmus factus cum vna gutta aquæ.

Attamen validum putant baptiſmum factum cum vna gutta aquæ, & probabiliter, modo talis gutta habeat rationem fluentis, & non ſtantis, putarunt *Panormit. et Innoc. in cap. debet de Baptiſ.* quos ſequuntur *Ocag. & Diana loc. ſuprà citato*, quod inquam puto verum quando alia aqua maior non adeſſet, & gutta foret tanta, vt poſſet fluere, & per eam fieri contactus ſucceſſiuus, quem neceſſarium diximus in ablutione baptiſmi. Quare cum ablutio per contactum ſucceſſiuum poſſit dici vera ablutio, ſequitur quod facta cum vna gutta aquæ, quæ habeat rationem fluentis reddat verum, & perfectū baptiſmum, non tamen eſſet malū adueniente copia aquæ maioris, ratione dubietatis Materiæ, baptizatum cū vna gutta aquæ, cum conditione rebaptizare.

An liceat puerum in ventre matris, ſi dubitetur viuus naſciturus, per fiſtulam, vel alio modo baptizare.

DIFFIC. XI.

Affirmant recentiores aliqui licere baptizare puerum exiſtentem in ventre matris, ſi dubitetur viuus naſciturus, quando per fiſtulam, vel aperitionem vuluæ aqua poſſet faciliter puerum contingere. Ita *Comitolus, lib. 1. q. 13. Filiucc. trac. 2. c. 2. q. 6. nu. 35. & Diana p. 3. tract. 3. reſol. 12.* quia in eo ſtatu infans eſt quid diſtinctum à matre, cùm habeat animam diſtinctam ab ipſa, licet quoad corpus, quod alitur à matre, videatur eſſe pars matris, cum qua opinione volunt aliqui *Scot. noſt.* ſentire qui *diſt. 4. q. 4.* docens puerum non poſſe baptizari in ventre matris, ait, quia non poteſt ablui, & aſpergi, ergo de mente *Scoti* ſi adeſſet via facilis, vt poſſet aſpergi, & infundi puer aqua in ventre matris, teneret baptiſmus.

Negant tamen *noſt. Villalob. in Sum. t. 1. tract. 5. diffic. 4. & Ocagau. vbi ſuprà* quod probant expreſsè *ex c. qui in maternis de conſecr. diſt. 4.* vbi dicitur non poſſe renaſci ſecundum Deum, qui non eſt natus ſecundum Adam, qui autem eſt in ventre matris, non eſt natus ſecundum Adam, ergo non poteſt renaſci per baptiſmum. Item prohibetur in Rituali Romano, quis in ventre matris baptizari.

Verùm quia ex tali Canone non dicitur nullus baptiſmus pueri in ventre matris, dum vtitur verbo *non poteſt*, quod explicatur per *non licet*, & ſane ſaltè propter honeſtatem non videtur licere baptizare puerum in ventre matris, ſi tamen per honeſtam fęminam id fieret, vel per fiſtulam, vel per vuluæ aperitionem validum putarem in tali caſus baptiſmum; & ſtante opinione probabili, non peccaret talis fęmina tali modo, & in tali neceſſitate baptizans. Eodem modo reſpondendum ad Rituale Romanum, in quo habetur, quod non debet quis baptizari in ventre matris, ideſt non licet extra vſum neceſſitatis.

Baptizari an debeat infans, cuius mors dubitatur accelerari, vel etiam certò ſequi ex ablutione baptiſmali.

DIFFIC. XII.

Affirmare videntur non ignobiles DD. imò volunt, quod liceat baptizare puerum proijciendo illum in flumen de ponte, vel puteum, quando immediatè eſt morti proximus, nec habetur aliunde aqua opportuna, licet certò ſciatur inde ſecutura mors pueri ex eo, quia in hoc baptiſmo non deeſt materia, nec forma, nec intentio, & potior videtur ſalus ſpiritualis pueri, quàm eius vita iam perdenda, ita ex *noſt. Villal. t. 1. trac. 5. diff. 4. et Panormit. in c. non vt de baptiſmo, Suar. diſp. 20. ſec. 3. Valen. t. 4. diſp. 4. q. 1. Vaſq. diſp. 145. c. 3. Filiucc. trac. 2. c. 2. q. 8. Coninc. q. 61. ar. 7. Bonac. vbi ſuprà, punc. 3. Prapoſ. in 3. p. q. 66. ar. 8. dub. 2. & Diana 5. p. tract. 3. reſol. 14.*

At verò *noſt. ſubtiliſſimus Doct. in 4. diſt. 3. q. 5.* cum diſtinctione reſpondet, nam vel baptizandus incurrit certum periculum vitæ ex ablutione baptiſmali, & in hoc caſu nullo modo eſt baptizādus, noſtri autem Doctoris in hoc caſu hæc ſunt formalia verba *Reſpōdeo, aut talis præſumptio eſt certa ex ſignis certis, vtpotè ſi quis non habens aquam, quam poſſit attingere, niſi de ponte propellat puerum in flumen, vel in puteum, hic certum eſt, quod quantum eſt ex ratione talis actus nata eſt mors ſubſequi, quia ſubmerſio, dico, quod quando ſic præſumitur mori, nullo modo debet eum aliquis propellere, aut proijcere, quia peccabit mortaliter occidendo, & quilibet magis tenetur vitare peccatum mortale in ſeipſo,*

Digitized by Google

quam quærere ſalutem proximi, quia ordinata charitas magis eſt ad ſeipſum. Ex quibus verbis noſtri Doctoris, patet ratio quare non debeat baptizari, vnde non poſſum non mirari quorundam recententiorum negligentiam in non legendo Auctores in fonte: etenim aliqui, vt refert *Diana vbi ſuprà*, volunt rationem *Scoti* quare talis proiectus in flumen, non ſit baptizatus, ſit quia ſubmerſioni neceſſario debet ſequi emerſio, ſeu abſtractio ab aqua, quod tamen nunquam *Scotus* ſomniauit, nam eamdem ipſam rationem modo tactam probans non eſſe baptizatum talẽ proiectum in flumen, ſub his verbis innuit: *Dicitur etiam quod talis ſic proiectus non eſſet baptizatus, quia baptiſmus eſt ablutio ordinata ad vitam illius abluti, non ſic ordinatur talis demerſio, eſſet ergo in tali caſu aliquis pannus demittendus in puteum, vel flumen, & de iſto panno aqua exprimenda, vt baptizetur talis*. hæc *Scotus* vnde apparet, quod ſæpè ſæpius falsa impinguntur noſtro Doctori.

Hanc eãdem noſtri Doctoris ſentẽtiam ſequuntur *noſt. Ang. hic 4. §. 1. Henriq. c. 7. n. 3. Palud. diſt. 6. q. 1. art. 3. Marſil. q. 4. ar. 4. Sanctus Antonin. 3. p. tit, 14. c. 13. Armilla, V. Baptiſmus n. 29. et Camerota tract. 2. de baptiſ.* & alij imò *Hurtad. de Sacr. baptiſ. diſp. 1. diffic. 2. & Meratius t. 3. de bapt. diſp. 2.* cenſent talem proiectionem in puteum, vel fluuium ad baptizandum etiam morti proximum non poſſe fieri ſine peccato, quando quidem vt notat *Scotus* in hac materia, non ſunt facienda mala, vt venient bona.

Quare priorem opinionem tanquam parum piam, & baptizanti, & baptizato non puto probabilem, præterquam quod durũ videtur, vt quis, ſi fortè nõ foret carnifex, vel alijs homicidijs addictus applicet animum ad talem crudelitatis actum exequendũ proijciendi, ſcilicet puerum, vel in fluuium, vel in puteũ demergendum, maximè cum non poſſit certo ſperari ſalus ſpiritualis pueri, poſſet enim facilius, & probabilius accidere, quod dum cadit, antequam aqua attingat in puteo, vel flumine moriatur in aere, dum ſupponitur eſſe morti proximus, qui proijciendus eſt.

Quod ſi ſolùm dubitetur mors ſecutura ex ablutione baptiſmali diſtinguit *noſt. Scotus* ſub hiſce verbis: *Quod ſi præſumptio de morte imminenti, vel accelerandæ propter baptiſmum non ſit certa, ſed leuis, & fortè irrationabilis, vtpotè ſi paruulus, vel adultus eſt in periculo mortis conſtitutus, dico quod habens conſcientiam de acceleratione mortis talis infirmi per baptizationem habet conſcientiam erroneam, quæ ſi nullus alius adſit, facit eum perplexũ; nullus enim eſt perplexus ex lege diuina, ſed poteſt eſſe in aliquo actu, vel caſu perplexus ex erronea conſciẽtia, nam ſi illa decedat ſine baptiſmo, damnatur, ergo ille tenetur de neceſſitate ſalutis, ſi nullus alius adſit baptizare illum ne damnetur*: vnde *Scotus* cõcludit non eſſe irregularem, qui baptizando moribundum acceleraret mortem, amota tamen conſcientia erronea, quod non eſſet homicida, ſi baptizaret.

Volui præfata formalia *Scoti* verba hìc adducere contra quoſdam moderniores, qui *Scoto* impoſuerunt abſolutè negare, quod non debeat baptizari infans, cuius mors dubitatur accelerari, vel ſequi ex baptiſmali ablutione. *Vide Diana loc. cit.*

Vtrum in caſu neceſſitatis poſſit quis baptizare in aqua, quæ dubitatur eſſe naturalis. DIFFIC. XIII.

AFfirmant *Bonac. diſp. 2. q. 2. punc. 3 Capeauill. de baptiſ. q. 15.* & alij quos citat, & ſequitur *Diana 3. p. tract. 3. reſol. 1. Miſc.* putantes in brodio, & liſciuio poſſe fieri verum baptiſmũ.

Contrarium tamen docent ex *noſt. Ricard. in 4. diſt. 3.* & ex Modernioribus *Coninch. de Sacram. loc. cit.*

Tu autem in hac materia vtere *Scoti* doctrina, qui docet *diſt. 3. q. 3. §. quod ſi de aliquibus in dubium*, quod in dubijs melius eſt vti rebaptizatione cum conditione quando habetur aqua naturalis. Verum vt diſtinctius de aliquibus materijs habeatur reſolutio ſecundum præfatam doctrinam diſtinctas difficultates ponendas cenſui. Quare

An materia baptiſmi conueniens ſit aqua ex ſale reſoluta, vel ex lapidibus, vel parietibus ſudans. DIFFIC. XIV.

NEgant *noſt. Ang. V. Baptiſmus, & Sylu. ibid. & inter Moderniores Coninch. præcipuè loc. in ſuperioribus citato*, quia ipſis non videtur eſſe eiuſdem ſpeciei cum naturali aqua præcipuè reſoluta ex ſale.

Contrarium tamen probabilius ſentiunt *Tabiena, Armilla, Henriq. Fernandez* quos citat, & ſequitur *Diana vbi ſuprà reſ. 5.* quia ſal ex aqua ſalſa, & dulci componitur, vtraque autem eſt naturalis, quando ergo reſoluitur ſal, diſſoluitur in aquam naturalem, quia totum diſſoluitur in partes eaſdem, ex quibus componitur, vt patet.

Addunt etiam præfati Doctores, quod aqua quæ ſudat ex parietibus, & lapidibus tempore hyberno eſt naturalis, cum probabiliter poſſit dici talis aqua ſudans eſſe aer humidus in aquam conuerſus, quæ verè eſt aqua naturalis, & conſequenter dicendum eſſe veram materiam baptiſmi.

Inſuper addunt, quod aqua, quæ colligitur ex vaporibus aquæ naturalis bullientis in olla, non ſit diſtincta ſpecie ſub ipſa aqua naturali, & probabiliter quidem, quia ſunt partes ſubtiliores ipſius aquę per ignẽ eleuatę, vnde poteſt eſſe vera materia baptiſmi.

Scotus autem in materia dubia baptiſmi ait non pertinere ad Theologum, nec ad Canoniſtam ſit aqua naturalis necne, ideò contulit in neceſſitate conditionale miniſterium ante factum, at verò poſt factum, ſi adſit opportunitas, conditionalem rebaptizandorum.

Vtrum in caſu neceſſitatis poſſit licitè fieri baptiſmus cum aqua roſacea, vel alia diſtillata.

DIFFIC. XV.

COmmuniter negant Theologi licitè fieri baptiſmum cum aqua roſacea, & ceteris diſtillatis, nam, vt rectè probat *Scotus loc. cit.* aqua artificialis ſpecie differt à naturali, ergo cum non ſit materia dubia aqua diſtillata, ſed omninò certè inhabilis ad baptiſmi confectionem non poteſt ea quis licitè vti, ita ferè omnes antiquiores Theologi.

Attamen *Ioann. Putean. in 3. p. D. Th. q. 66. ar. 4. Ioann. Prapoſ. ibid. Adam Tanner. in Theol. Scholaſt. diſp. 4. q. 1. dub. 2. & Camarot. de Sacram. tract. 2.* aſſerunt licitè in neceſſitate, quando non adeſſet aqua naturalis cum hiſce diſtillatis fieri baptiſmum, quia putãt probabilem eſſe opinionem inter aquam naturalem, & artificialem non eſſe differẽtiam ſpecificam, vnde aiunt Concilia à Spiritu Sancto edocta ſtatuiſſe aquam abſolutè non ſpecificando de naturali, eſſe materiam idoneam baptiſmi.

Stante hac opinione, quam graues Theologi ſequuntur, vnde non videtur omninò improbabilis, conſulerem in caſu extremæ neceſſitatis poſse fieri baptiſmum licitè cum aquis diſtillatis conditionatè tamen in mente retenta, ſi iſta aqua eſt idonea materia *Ego te baptizo, &c.* poſt factum autem adueniente aquæ naturalis opportunitate omninò dicendum cum *Scoto* fieri debere rebaptizationem cum conditione, nam hoc modo conſulitur ſaluti baptizandi, & conſcientiæ baptizantis.

Quæ nam ſit forma baptiſmi.

DIFFIC. XVI.

DIco primò, quòd Baptiſmi forma ſub hiſce verbis apud Latinos eſt determinata, ſcilicet *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, et Spiritus Sancti*, quæ deſumpta eſt ex *Matth. 28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ita etiam inuenitur definita à Concilio Florentino in Inſtructione Armenorum, & ab *Alexandro tertio, c. 1. de baptiſ.* dixi ſignanter hanc eſſe formam qua vtuntur Latini, quia alia eſt forma Græcorum, qua cum etiam validè baptizant, vt declaratur in præfato Concilio Florentino *loc. cit.*

An in idiomate vulgari forma ſit ſufficiens. *Vide Dian. p. p. tract. 12. reſol. 15.* & an obſtetrices, &c. *tract. 15. reſol. 46.* Quare

Dico ſecundò, quod Græci validè vtuntur hac forma ſcilicet *baptizetur ſeruus Ieſu Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: quia eſſentialiter non mutatur forma baptiſmi, ratio autem quare Eccleſia tradidit hanc formam baptizandi Grecis diſtinctam à forma Latinorum ea eſt, quia multi Græcorum putabant baptiſmum habere virtutem abluendi peccata ab ipſo Miniſtro baptizante: vt ergo iſtorum errorem diuelleret, Eccleſia permiſit nõ debere exprimi perſonam Miniſtri baptizantis in formam Græcorum, ex qua veritate.

Dico tertiò, quòd in forma baptiſmi non eſt neceſſarium eſſentialiter exprimere directè perſonam Miniſtri baptizantis, aliter forma Græcorum præfata non eſſet valida, quia in ipſa non exprimitur directè, velut alij aiunt in recto perſona baptizans; quod enim eſt eſſentiale in forma Sacramenti, non poteſt mutare Eccleſia, ſi ergo eſſet eſſentialiter neceſſarium

in

in forma baptiſmi exprimere in recto perſonam Miniſtri non potuiſſet definire validam eſſe formam Græcorum, in qua non exprimitur in recto perſona Miniſtri baptizantis. Ita *noſt. Pitig. in 4. diſt. 3. q. 2. art. 4. Rodriq. c. 25 Bellarm. Valent. loc. cit. Suar. diſp. 21. ſect. 2.*

Dico quartò, quòd in forma baptiſmi non eſt neceſſarium ſimpliciter exprimere nomen baptizati per particulam, *Te*, ſed ſufficit, vt aliquo modo exprimatur puta per hûc iſtum, *Tu, Hic, vt baptizo, hunc*, vel *iſtum*, vel *tu baptizaris à me*, vel *hic baptizatur à me*, quia non mutatur eſſentialiter forma, vt patet in forma Græcorum, quæ valida eſt, & tamen non exprimitur perſona baptizandi per particulam, *Te*, ita etiam eligi poteſt ex *c. 1. de baptiſm. et ex ipſo Conc. Florentino*, idem etiam docent *noſt. Pitign. Rodriq. & Suar. loc cit. Bellarm. de bapt. c. 5. vide etiam Camer. de bapt. c. 3. dub. 3. & Tol. lib. 2. c. 19.*

Dico quintò, quòd in forma baptiſmi ſufficit ponere verbum ſignificans actionem, quæ exercetur per Sacramentum, ſcilicet ablutionem, quæ poteſt indicari etiam per verbum *mergo, abluo*, & ſimilia, quare eſſet validus baptiſmus ſi hiſce verbis quis baptizaret. Ita DD. citati, & præcipuè *noſt. Aureolum in 4. ſentent. diſt. q. 2.* vbi dicit etiam quod per verbum *Linio* non fieret verus baptiſmus, quia non denotat ablutionem.

Quod autem *noſt. Hungarell. V. Baptiſ. 2. Schol. F. cum Innocentio in c. 1.* de baptiſmo aſſerat per verbum *Mergo*, validè non perfici baptiſmum, non videtur probabiliter dictum in praxi, cû per trinam merſione multis in locis exerceatur baptiſmus, ergo merſio dicit ablutionem, & mergi idem eſt, quod abluo, quare per verbum *Mergo* validus eſt baptiſmus, ita etiam *Vaſq. Camerot. Filliuc. loc. cit. et Bonac. diſp. 2. q. 2. punct. 4. nu. 4.*

Dico ſextò, quòd varians formam conſuetam ab Eccleſia, licet variatio non ſit eſſentialis, peccat mortaliter, licet validè baptizet, quia in re graui facit contra vniuerſalem Eccleſiæ morem, vt notant *noſt. Scotus Aureolus, Ang. loc. cit. & recentiores paſſim.*

Vtrum ſi in præfata forma varietur ly In nomine, *efficiatur validè Baptiſmus.* DIFFIC. XVII.

Dico primò, quòd ſi loco, *in nomine*, ponatur *in virtute*, variatio eſſet eſſentialis in forma baptiſmi, vnde inualidus eſſet, quod ex eo perſuadetur, quia, *in nomine*, continetur aliquid amplius neceſſarium ad formam baptiſmi, quod non continetur in virtute; Etenim *in nomine*, non ſolùm continetur virtus, ſed etiam inuocatio, itaut dum dicitur, *in nomine*, idem eſt, ac ſi diceretur, *in virtute*, & inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: inuocatio autem Trinitatis eſt eſſentialis in baptiſmi forma, ergo eſſentialiter ponitur ly *in nomine*, ergo inualidè variatur. Ita etiam *noſt. Pitign. a. 6. vbi ſuprà, Henriq. c. 8. nu. 2. Bonac. Coninch, & Tolet. loc. cit.* quicquid aliqui in contrariû ſenſerint.

Dico ſecundò, quòd ſi varietur ly *in nomine*, dicendo *in nominibus Patris, etc.* licet non improbabiliter omnino aſſerant aliqui Theologi *Henriq. Camerot. & Coninch. præcipuè, loc. cit.* putantes per ly *Nominibus* denotari diſtinctionem perſonarum neceſſariò explicandam in forma baptiſmi. Attamen probabilius negandum puto cum communiori Theologorum ſententia eſſe validum baptiſmum cum præfata variatione, quia ly *in nomine* exprimitur præcipuè virtus, quæ eſt in Sancta Trinitate: hæc enim cùm vna ſit in tribus, debet neceſſariò eſſentialiter explicari in ſingulari, non autem in plurali. Adde quod ly *in nomine*, exprimi virtutem diuinæ eſſentiæ oſtendit, *D. Ambroſius, lib. 1. de Spiritu Sancto*, ergo ſi dicatur *in Nominibus*, eſſentialiter variaretur forma baptiſmi, dum vnitas diuinæ eſſentiæ non exprimeretur. Ita etiam *noſt. Pitig. Ang. Aureol. Suar. Bonac. Reginald. loc. cit.* & alij co muniter.

Dico tertiò, quòd ſi quis repeteret baptizando ita, *in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti*, non eſſet validus baptiſmus, quia non exprimeretur vnitas diuinæ eſſentiæ, ſicut nec validum putant Theologi plerique ſi quis baptizando diceret, *Ego te baptizo in verbo Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, imo nec validum cenſent, ſi quis diceret: *Ego te baptizo cum Patre, cum Filio, et cum Spiritu Sancto*, quia in hiſce formis non exprimitur vnitas diuinæ eſſentiæ.

Adde quod inualidum etiam putant baptiſmum ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus Sancti*, quia oſtenderetur inæqualitas aliqua in Sanctiſſima Trinitate. Vide *Sayr. lib. 1. c. 3. nu. 4.*

Vtrum in forma baptiſmi neceſſariè eſſentialiter exprimendæ ſint ſingulæ perſonæ Sanctiſſimæ Triadis.

DIFFIC. XVIII.

Affirmatiuè reſpondendum cum communi Theologorum ſententia ex *Concil. Florentino, loc. cit.* exprimendas neceſſariò eſſe ſingulas perſonas Sanctiſſimæ Triadis in forma baptiſmi, quia eas expreſſit Dominus Ieſus Chriſtus apud D. Marcum dicêdo: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, et Spiritus Sancti*; forma autem expreſsè data in Sacramentis à Chriſto Domino inualidè mutatur, & variatur, & iure optimo ponitur eſſentialiter neceſſaria expreſſio ſingularum perſonarum Sanctæ Triadis in forma baptiſmi, quia cùm ex baptiſmo quis fiat veræ fidei cultor, & profeſſor, & obiectum principale fidei ſit explicitè credere ſingulas perſonas Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum verum, & vnum Deum; Ideò cum proteſtatione obiecti principalis fidei ponitur eſſentialiter forma baptiſmi ſub nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Quare inualidus eſſet omninò baptiſmus, ſi quis baptizaret *in nomine Dei*, vel *in nomine Dei vnius, & Trini*, vel *in nomine Sanctæ Trinitatis*, quia in hiſce non fit proteſtatio explicita obiecti principalis noſtræ fidei, Patris, ſcilicet Filij, & Spiritus Sancti. Verum

Vtrum Baptiſmus factus in nomine Chriſti ſit validus.

DIFFIC. XIX.

Præſens difficultas oritur ex eo præcipuè quod Apoſtoli leguntur baptizaſſe in *nomine Chriſti, Act. 2. & 19.* putarunt ergo aliqui validum eſſe baptiſmum datum in *nomine Chriſti*. Quare ad hoc

Reſpondent Moderniores aliqui, quod in primitiua Eccleſia nunquam Apoſtoli baptizauerint abſolutè in *nomine Chriſti*, ſed in *nomine Patris, & Ieſus Chriſti, & Spiritus Sancti*, vt autem nomen Chriſti amabilius redderetur, ideo interponebatur nomen Ieſu Chriſti, atque ideò ſolum in nomine Chriſti baptizatus fuiſſe Fideles ab Apoſtolis non ſine tamen inuocatione explicita Patris, & Spiritus Sancti aſſerunt; quod autem, *loc. cit. in Actibus Apoſtol.* non fiat mentio explicita Patris, & Spiritus Sancti propter eandem rationem factum eſt, vt nomen Chriſti amabilius infigeretur in cordibus Fidelium. Ita *noſter Angles, q. 1. ar. 4. concl. 3 de baptiſmo, Suar. diſp. 21. ſec. 2. Henriq. Conin. Bellarm. loc. cit.* ſed quicquid ſit de hac opinione tenent ceteri DD. quod in nomine Chriſti ſolo baptizauerint Apoſtoli. Quare

Noſt. ſubtiliſſ. Doctor loc. cit. q. 2. diſt. 3 docet, quod licet in nomine Chriſti tempore Apoſtolorum fuerit diſpenſatum, vt eſſet verus baptiſmus, quo Chriſti nomen in primitiua illa Eccleſia magis imprimeretur in cordibus Fidelium, hodie tamen Eccleſia hanc tradit formam ſub explicita Trinitatis inuocatione, & iſta omninò ſeruanda, quod ſi quis baptizaret hodie in nomine Chriſti, ait *Scotus*, quod non auderet dicere, quod ſit baptizatus propter Eccleſiæ praxim, & baptizare iubentis ſub explicita inuocatione perſonarum Trinitatis, nec auderet dicere, quod non eſset baptizatus, quia diſpenſatio vt potuiſset baptizari in nomine Chriſti non videtur expreſsè reuocata. Quare ſub conditione rebaptizandum huiuſmodi baptizatum in nomine Chriſti putat *Scotus*.

Nec obſtat authoritas Nicolai I. *de Conſecr. diſt. 4.* qui à ſe petenti, an baptizati à Pagano in nomine Trinitatis, & in nomine Chriſti ſint denuò rebaptizandi, ita reſpondit: *Hi profectò ſi in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus baptizati ſunt, vnum quippe idem eſt, vt S. exponit Ambroſius conſtat eos non eſſe denuò rebaptizandos.*

Reſpondetur enim, vel vt docent *noſt. Vegha in Trident. c. 3. Sotus in 4. diſt. 3. q. vn. ar. 6 Henriq. lib. 2. c. 10. et Coninch, loc. cit.* quod Nicolaus Papa ibi rogatus fuit, an baptizati à Pagano, eſſent rebaptizandi, & vt Papa benè reſpondit minimè, an verò ſub nomine Chriſti, vel Sanctiſſimæ Trinitatis non fuit rogatus an ſit verus baptiſmus. Quare ad hoc, vt priuatus Doctor reſpondit, vnde vt priuatum Doctorem erraſse opinantur prædicti Doctores.

Vel ſaltem cum alijs dicendum, quod Papa Nicolaus interpretandus eſt voluiſse non eſse rebaptizandos abſolutè eos,

qui in nomine Trinitatis, & Chriſti baptizati erant, ſed non negaſſe quod rebaptizandi forent ſub conditione.

Vtrum Baptiſmus datus in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati ſit validus. DIFFIC. XX.

AFfirmant *Caiet. Goffred. & Ioann. in c. A quodam, & in c. Multa de baptiſmo.* & alij apud *Suar. loc. cit. ſec. 4. ad fin.* quia verba iſta ſunt ſinonima cũ Patre, Filio, & Spiritu Sancto, Verba autem Sinonima non mutant ſubſtantiam formæ; quando autem in verbis formæ Sacramentorum non fit mutatio ſubſtantialis, ſed remanet ſubſtantialis ſenſus formæ ex communi Theologorum placito, validum eſt Sacramentum.

At verò communiter Theologi nolunt inualidum Sacramentum baptiſmi datum ſub nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, & ratio eſt, quia Chriſtus inſtituit vt ſub nomine perſonarum, quatenus declarant ſubſiſtentiam, & hypoſtaſes, vt ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus forma baptiſmi proferatur, quia magis communiter, & vulgariter declarant explicitè Sanctam Trinitatem, quam omnibus baptizatis vulgariter innoteſcere noluit Chriſtus, non autem ita vulgariter innotuiſſet omnibus per hæc verba Genitor, Genitus, & Spiratus, quia hæc potius declarant proprietates perſonarum, quam eorum hypoſtaſes, & ſubſiſtentias vulgares. Ita *Scotus in 4. diſt. 3. q. 2. Angles q. 1. art. 3. diffic. 5. Rodr. c. 25. de bapt. Ang. V. Baptiſmus 2. §. 10. D. Th. q. 66. art. 5. Philiarcus 2. p. lib. 1. c. 2. Tol. lib. 2. c. 19. Henriq. Camer. Bonac. loc. cit.* & alij communiter.

Vtrum Mutatio, tranſpoſitio, vel multiplicatio verborum in forma inualidet baptiſmum.
DIFFIC. XXI.

DIco primò, cum communi ſententia Theologorum quod quotieſcunque mutatio, tranſpoſitio, vel multiplicatio verborum in forma mutat ſubſtantialiter ſenſum, inualidum facit baptiſmum, vnde ſi quis dicat: *Ego intendo baptizare in nomine Patris, etc.* nullum facit baptiſmum, quia in hoc fit mutatio ſubſtantialis in forma, nam intendo baptizare non dicit actum exercitum baptizandi, ſed ſolam intentionem, & propoſitum; in forma autem baptiſmi requiritur eſſentialiter, quod connotetur actuale exercitium baptizandi.

Dico ſecundò, quod ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, Filij vnigeniti, & Spiritus Paracliti*, validus eſt baptiſms, quia adiunctio non mutat ſubſtantialiter formam. Item ſi dicatur *in nomine Patris, & Verbi, & Spiritus Sancti*, licet *Caiet.* iuxta dicta ſuperius affirmet valdè baptizari, negant tamen *Filiuc.* & alij *loc. cit.* propter eandem rationem dictam ſuperius.

Dico tertiò, quòd ſi quis dicat: *baptizo ego te in Filij nomine Patris, & Spiritus Sancti*, eſſet validus baptiſmus, quia per hanc tranſpoſitionem non mutatur ſubſtantialiter ſenſus formæ.

Dico quartò. quòd ſi quis baptizaret *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum*, ſi intendat baptizare in virtute Beatæ Virginis, & Sanctorum inualidè baptizaret, quia mutaret ſubſtantialiter formã talis adiunctio, ſeu multiplicatio verborum, faceret enim formam falſam, & hæreticam, quod ſi intendat per ly in nomine Beatæ Virginis, & Sanctorum connotare ſolummodò interceſſionem, & non virtutem, ſanè validum communius putant baptiſmum, quia nulla eſt mutatio ſubſtantialis in forma. Vide *noſt. Pitigian. Henriq. Molfeſ. Suar. & Bonac. loc. cit.*

Dico quintò, quòd licet ſit validus baptiſmus quando nõ mutatur ſubſtantialis ſenſus verborum in forma permutationem, multiplicationem, vel trãſpoſitionem, vel defectum verborum, tamen quia fit contra vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem in re graui peccat mortaliter, qui talibus vteretur, ita communius Theologi.

Vtrum cum vnica forma Ego vos baptizo in nomine Patris, &c. *poſſint plures validè baptizari.*
DIFFIC. XXII.

COmmuniter affirmant DD. poſſe plures ſimul baptizari cum vnica forma. *Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.* cùm non mutetur ſubſtantialis ſenſus in dicta forma. Etenim *Ego vos baptizo*, æquiualet huic propoſitioni *Ego baptizo te, & te, &c.* quod etiam comprobbant à ſimili de Confeſſario abſoluente vnica abſolutione plures, quorum peccata ſimul in neceſſitate audiuit, dicendo: *Ego vos abſoluo.*

At verò peccet quis vtendo hac forma in plurali extra neceſſitatem negant *Henriq. Valen. & Reginald.* At verò *noſt. ſubtilis Doctor Gabriel, Coninch*, & alij communius, & probabilius putant eſſe peccatũ mortale extra neceſſitatem plures ſimul baptizare cum præfata vnica forma, vtpotè contra conſuetudinem Eccleſiæ in re graui, Vide *Hurtadum de Sacr. Bapt. diſp. 2. diff. 7. & Coninch. de Sacram q. 63. ar 6. dub. 2.*

Vtrum ſi omittatur Ego, *vel loco eius ponatur* nos *in forma ſit validus Baptiſmus.*

DIFFIC. XXIII.

DIco primò, quod ex omiſſione *Ego* validus eſt baptiſmus; etenim non mutatur ſenſus ſubſtantialis formæ ex eius omiſſione, quando quidem actus exercitus baptizandi explicatur ſufficienter per verbum *baptizo* quod idem ſignificat, ac *Ego baptizo*, imò humanioris linguæ profeſſores paſſim ſine ly *Ego* ponunt primam perſonam verbi cũ eadem ſignificatione, ac ſi poneretur *Ego*.

Dico ſecundò, quòd ſi loco ly *Ego*, ponatur *Nos*, an ſit validus baptiſmus diſtinguendum puto, nam vel dicendo: *Nos baptizamus* intendit aliquam ſibi ſpecialiorem authoritatem tribui in baptizando, puta quia eſt Prælatus, vel Parochus ſicut ſolent auctoritatem ſpecialem declarare Prælati dicendo: *Nos facimus, ſtatuimus, &c.* & ſic puto non eſſe validum baptiſmũ, quia mutaretur ſubſtantialis ſenſus formæ, quia æqualiter baptizat inferior, ſicut ſuperior, cum *in nomine Chriſti, & in virtute S. Trinitatis*, æqualiter vterque baptizat, quod ſi per ly *Nos* velit ſignificare ſolum perſonam primam abſque expreſſione ſpecialis virtutis, & auctoritatis, ſed ſolum per quendam vſum quo Prælati ſolent loqui per nos loco, *Ego*, validus eſt baptiſmus, quia non adeſt mutatio ſubſtantialis in forma, idem dicendum puto, Si quis loco, *Te*, dicat, *Vos baptizo*, habendo reſpectum ad communem vſum Italicum politiorem alloquendi aliquem per *Vos*, in loco *Te*, quia nulla fit in re mutatio ſubſtantialis in forma, aſſerendum eſt validum eſſe baptiſmum. Ita ſentiunt *Bonac. de baptiſm. diſp. 2. q. 1. punc. 4. nu. 11. Bellar. c. 3. de bapt. Reginald. nu. 24. & 25. Bartolom. ab Angelo, §. 117. Viktor. in Sum. de baptiſ. concluſ. 17.*

Vtrum omittens particulas In, *et* Amen, *in forma valide baptizet.* DIFFIC. XXIIII.

EX omiſſione *Amen*, in forma communiter affirmant non inualidari baptiſmum, cum ex eius omiſſione nullus videatur eſſe ſubſtantialis formæ defectus: ex omiſſione autem ly, *In*, noluerunt aliqui, eſſe defectum eſſentialem in forma putantes ex eius omiſſione non adeſſe ſenſum ſubſtantialem formæ, à Chriſto inſtitutum, dicunt enim quod ly, *In*, oppoſitum cum nomine det quandam vim, vt Significat virtutem, ſine quo, *In*, non connotaretur virtus à Chriſto intenta.

Attamen communius affirmant eſſe validum baptiſmum ex omiſſione particulæ, *In*, falſum eſt enim ly, *In*, connotare virtutem cum præpoſitio regulariter non dicat niſi accidentalitatem quandam in nomine, vnde eius appoſitio, vel carentia ſolùm errorem grammaticalem redolet, non autem de ſubſtantiali ſenſu aliquid tollit, vndè idem prorſus ſignificat, nomine tuo hoc facio, ac in nomine tuo hoc facio. Quare non mutatur ſenſus ſubſtantialis in forma, ſi dicatur: *Ego te baptizo, nomine Patris*, vel ſi dicatur *In nomine Patris, etc.* vide *Dian p. p. tract. 15. reſ. 48.*

An verò peccet mortaliter omittens in forma iſtas tres particulas, *Ego, In, & Amen*, videtur in parte affirmare *Graſſus, lib. 1. c. 3. nu. 24. p. 1.* at verò parum probabiliter. Dico ergo cũ communiori ſentẽtia omittentem aliquam ex his particulis, preciſo tamen omni contemptu, non peccare mortaliter, quia non faceret contra conſuetam Eccleſię formam in re graui, paeuitas enim materiæ non mutans ſubſtantialem ſenſum in forma, excuſat à peccato, ita etiam ſentiunt *Sotus, in 4. diſt. 3. ar. 5. V alq. diſp. 142. nu. 20. Coninc. diſp. 46. dub. 1. n. 48. Henr. de bapt. lib. 2. c. 8. Barthol. ab Ang. de bapt. nu. 103. Tol. lib. 2. c. 19. nu. 5. & Bonac. diſp. 2. q. 1. punct. 4. de baptiſmo.*

Vtrum

Vtrum baptiſmum valide conficiat qui intincto digito in aqua cum ſigno crucis, & forma liniret frontem baptizandi.

DIFFIC. XXV.

AFfirmat *Vaſq. in 3.p.t.2. diſp.245.c.4. Comit. in Reſponſ. moral.lib.1.q.12 Filiuc.t.1.tract 2.c.2. et Diana, p.3. de Sacram reſol.5.* ex eo quia adeſt forma, & materia ſufficiens in intentione Miniſtri; aqua enim quantumuis modica applicata ſignificat ablutionem, ergo eſt ſufficiens materia.

Contrarium tamen ſentiunt *Bonac. de Sacr. diſp.2 q.2.punc.3. Suar. & Valen apud Zambr. in deciſ. caſ. temp. mor. c.1.* quia digitus intinctus in aqua non retinet aquam per modum fluxus, ergo non eſt ſignum ablutionis.

Sanè prima opinio probabilior videtur ex *Scoti doctr. in 4. diſ. 4.q.3.§.hic dicendum*, vbi ita loquitur: *Nec oportet, quod ſit ibi ablutio, pro vt diſtinguitur contrà lotionem, & includit amotionem ſordium à corpore per contactum aquæ, ſed ſufficit lotio in communi dicta corporis ab aqua alio hoc agente, quod nihil aliud eſt, niſi quod oportet iſtum contactũ corporis ab aqua fieri ab alio cauſante contactum iſtum.* Hęc *Scotus*, vnde apparet quod cum aqua ſumpta cum digito poſſit verè cauſare contactum aquæ in corpore baptizandi, ſequitur in ſententia ipſius *Scoti* linientẽ frontẽ baptizandi digito intincto in aqua faciat validum baptiſmum.

Verum hic aduertendum puto, quod ſi digitus ſit mere madefactus, nec retineret ſaltem guttam aquæ fluxibilis non eſſet verus baptiſmus, quia non exprimeret lotionem verè factam cum aqua, ſed eſſet ſolùm mere contactus ſeparans inter cutẽ, & aliud corpus qui contactus ex *Scoto loc. cit §. quod audiſti*, non eſt cõueniens materia baptiſmi, hinc ſi quis aqua imbibita in paſta, in luto, vel in ſpongia non exprimendo aquæ guttas ex ipſis, ſed ſolum per merum contactum liniret baptizandum non eſſet ex *Scoto* ibi verus baptiſmus.

Itaque vt prima opinio ſit dicenda probabilis ſaltem in ſentẽtia *Scoti*, debet digitus vere guttam vnã aquæ fluxibilis aſportare in frontẽ, & cum ea linire, ita vt appareat aqua diſtincta aliquo modo inter digitum baptizantis, & corpus baptizandi.

Vtrum cum euidenti periculo mortis ſibi inferenda baptizare teneatur quis infantem, vel etiam adultum mox moriturum.

DIFFIC. XXVI.

CAſus poſſet accidere, in quo Sacerdos, vel alius baptizaturus infantem, vel adultum mox moriturum, inuadatur ex improuiſo ab inimicis, an teneatur potius fugere, quàm baptizare.

Affirmant debere potius baptizare in tali caſu, quàm periculũ euadere, quia potius debemus conſulere vitæ ſpirituali proximi, quàm noſtræ vitæ corporali, ita *Sil. V. Bellum, n.3. Ocag. de Sacr. tract. vn. de baptiſmo, q.3 Granad. de Sacra in 3.p. tract.4. diſp. 4.* limitat tamen in adulto, qui per contritionem poſſet ſibi conſulere ſi eſſet Cathecumenus, quia tunc effugere poſſet periculum.

Attamen putant alij poſſe fugere, & non baptizare. Ità *Sotus de ſacr. memb. 2.q.2. Emman. Sa V. Charitas, & Sanc. in Select.* quia cenſent non obligari aliquem ſuam vitam corporalem profundere, vt aliorum vitæ ſpirituali conſulat.

Diſtinguendum tamen mihi in hoc caſu videtur, quod, vel baptizaturus probabiliter cognoſcit ſe poſſe elicere actum contritionis in illo tunc, & ita conſulere ſuæ vitæ ſpirituali, & tunc dico, quod poteſt baptizare, & periculum mortis ſuſcipere, quia exerceret maximum actum virtutis ponendo, animam ſuam pro tali indigente baptiſmo, & hoc dico ſolũ de conſilio non autẽ de præcepto etiamſi ſit Parochus, quia durũ videtur admodũ imponere præceptum exponendi vitam, & ſanguinem pro fundendi pro ſalute ſpirituali proximi, limita niſi fortè adeſſet contemptus fidei Chriſtianæ, quia tunc tenetur quis ex præcepto vitam perdere pro honore Dei.

Quod ſi baptizaturus in tali caſu cognoſceret ſe reum peccati mortalis, & probabiliter timeret ſe non poſſe elicere actum contritionis, debet omninò fugere, ſi inuadatur ab inimicis, & relinquere baptizationem, etiamſi foret Parochus, quia vnuſquiſque potius debet citra contemptum fidei ſuæ vitę ſpirituali, & corporali, quàm alterius conſulere.

Vtrum Matrem prægnans in articulo, ſeu periculo mortis iam conſtituta debeat ſecari, vt abſtractus filius viuus poſſit baptizari.

DIFFIC. XXVII.

NEgant *Bonac. de Sacr. diſ.2.q.2.punc.9. Couar. lib.4. variar. c.4 Comit de reſponſ. moral. lib.1.q.14.* etiam ſi mater eſſet damnata ad mortem, quia differenda eſſet ſententia vſque ad partum, cenſent enim nimis arduum, & præceptum inferendum ſecandi matrem, vt baptizetur filius quantumuis ſit in articulo, vel periculo mortis, quia natura hanc ſæuitiam abhorret.

Contrarium tamen docet *Conīnc de Sacr. t.1.q.68.a.1. Suar. in 3.p.q.68.ar.2. vide Dianã, trac.5. Miſcel. reſol.34 p.1.* putantes vitam corporalem propriam profundendam in neceſſitate ſalutis ſpiritualis proximi.

Diſtinguendum tamen puto in hoc caſu, ſi enim poſſet mater probabiliter ſuſtinere dolorem ſecationis abſq; periculo impatientiæ mortalis, & de hoc multoties interrogata affirmaret poſſe ſe præbere ſecandam de conſilio, non autem de præcepto *vt dictum eſt in superiori difficultate*, propter ſalutem ſpiritualẽ filij ſui, quod ſi animus illi non ſufficeret pati ſecationem abſque periculo mortalis impatientiæ, non debet ſe permittere ſecari, quia nullus tenetur exponere ſe peccato mortali, imò nec debet propter ſalutem ſpiritualem etiam alterius.

Ceterum in hoc caſu potius conſulenda eſſet opinio poſita in difficultate vndecima, quod ſcilicet baptizetur per fiſtulam ab honeſta fęmina, quàm permittere ſecationem.

Vtrum adultus recipiens Baptiſmum debeat neceſſario habere contritionem ſuorum peccatorum.

DIFFIC. XXVIII.

AFfirmarunt cum *noſt. Alen. p.4.q.18. num 2. Cordub Vegha, Adrian. Ledeſ. & Victorell.* ex eo quia debet baptizandus non ponere obicem gratiæ, quæ præſtatur per baptiſmum, ergo debet habere contritionẽ peccatorũ, per quam tollitur talis obex.

At vero *Scotus, et D. Th quos citat, et ſequitur Villal. noſt. in Sum. 1.2. tract 2. dub.11.* & alij putant probabilius ſufficere attritionem cognitam, per quam tollitur etiam obex, ſicut etiam in Sacramento pęnitentiæ ſufficit talis attritio ad recipiendam gratiam, quia virtute Sacramenti de attrito quis fit contritus.

Imò *noſt. Pitig. in 4. diſt.4. nu.4. ar.3.* licet parum probabiliter, ſufficere quamcunque attritionem licet obiectiuè non ſit ſupernaturalis, & doleat de peccato ſub quacunque ratione, videtur enim difficile, quod attritio ſimpliciter naturalis ſit forma diſpoſitiua ad formam ſupernaturalem.

Vtrum ficte accipiens baptiſmum debeat fictionem confitens, etiam confiteri omnia peccata ante baptiſmum, vel in ipſo actu baptiſmi ſuſcepti patrata neceſſario confiteri.

DIFFIC. XXIX.

IN hac difficultate *Diana 3.p. trac.4. de Sacram. reſol.14.* pro opinione affirmatiua, quod ſcilicet teneatur fictè baptizatus omnia peccata commiſſa ante baptiſmum, vel in ipſo actu baptiſmi confiteri cum ipſa fictione ad hoc vt recipiat gratiam, affert *Scot. noſt.* tanquam huius ſentẽtiæ auctorem in *4. diſt.4. q.5.*

Miror certè, quod vir doctiſſimus dignatus non fuerit *Scotũ* in fonte guſtare, fortè iſtam ſententiam ei falsò non impoſuiſſet ex ſola fortè falſo referentium, vel non intelligentis Scoticam doctrinam Scriptorum lectione.

Scotus, ergo in quæſtione præcitata declarans quomodo, & quotupliciter dicatur aliquis fictus, concludit, quod fictione, qua homo nõ debuit de peccatis commiſſis ante baptiſmũ, vel habuit complacentiam de aliquo mortali in baptiſmo recedente per attritionem, qua dolet de commiſſo errore, concludit, quod per viã pęnitentiæ Sacramenti patet huic aditus ad vitam æternam; & gratiam conſequitur; tangit deinde punctum in praxi, an baptiſmus remittat omnia peccata præcedentia baptiſmum, quæ non fuerunt cauſa fictionis; afferenda puto ipſius *Scoti* verba formalia, vt vnuſquiſque tanti Doctoris doctrinam deguſtet. *Et ſi obiciatur quomodo habebit iſte gratiam baptiſmalem, vel effectum aliquem baptiſmi? Vno modo poteſt dici, quod illa fictio non dimittitur niſi per veram pænitentiam, ſed ea dimiſſa, habet baptiſmus effectum ſuum reſpectu omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, quæ tamen non erant cauſa fictionis in baptiſmo; verbi gratia aliquis ante baptiſmum commiſit ſeptẽ peccata mortalia, & veniens ad baptiſmum de ſex attritus: ſeptimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur, illud ſeptimum ſolum eſt cauſa fictionis eius in baptiſmo: oportet, ergo, quod verè pæniteat de iſto ſeptimo; et in ſe, & in quantum fuit cauſa fictionis eius in baptiſmo, quod pro tanto dico, quia fortè peccauit nouo peccato mortali faciens irreuerentiam Sacramento baptiſmi accipiendo illud cum tali fictione, ſed recedente iſta fictione, qua fuit impedimentum effectus baptiſmi, Deus confert gratiam baptiſmalem*

Digitized by Google

in remedium contra alia peccata, quæ fuiſſent deleta in baptiſmo, niſi fictio occurriſſet, et ideo talem de illis alijs non oportet habere nouam pœnitentiam, nec forte nouam attritionem præter illa, quæ habita fuit ante baptiſmũ, ſed ſolo impedimento amoto, ſicut Deus ſigno ſuo primus aſtitiſſet ad cauſandum effectum eius, vel dandũ quando ſuſcipiebatur, niſi fuiſſet impedimentum in ſuſcipiente, ita paratus eſt ſemper poſt ſuſceptionem eius ſigni aſſiſtere ei qui ſuſcepit ad cauſandum effectum eius, quando ceſſat illud impedimentũ. Nec oportet dicere caracterem in ficto aliquid operari, ſed ſolũ quod Deus ex eadem pactione aſſiſtit etiam poſtea ei, qui ſuſcepit ad cauſandum effectum, quam cito obex tollitur. Sed contra iſtud arguitur, quia per pœnitentiam deletur iſta fictio per te, non autem poteſt deleri vnũ peccatum mortale, quin deleantur omnia, quia ſecũdum Auguſtinũ impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam, *ergo per illam pœnitentiam delentur omnia alia peccata non ergo; gratia baptiſmalis delet illa alia. Item nullum peccatum mortale quod ineſt poſt baptiſmum, poteſt deleri ſine pœnitentia, quia illa eſt ſecunda tabula poſt naufragium ſecundum Hyeronimum. Illa autem alia peccata, quæ non ſunt cauſa fictionis inſunt poſt baptiſmum, ergo, non delentur niſi per pœnitentiam, vel ſi fingas illa deleri per baptiſmum, quando tollitur impedimentum effectus baptiſmi, quare non poteſt ita illa fictio quæ fuit cauſa impedimenti tolli, quando ceſſat impedimentum per ipſum baptiſmum?*

Si dicatur ad primum iſtorum, quod pœnitentia quantum eſt de ſe poſſet delere omnia peccata, tamen quando præuenitur ab aliqua cauſa potentiori non delet illa, ſed iſta cauſa eſt hic quantum ad alia ſex peccata, ſcilicet, gratia baptiſmalis, quæ præuenit pœnitentiam, vel effectum eius. Hoc nõ videtur rationabile, quia prius naturaliter tollitur fictio, quam per baptiſmum aliquid cauſetur, ſed in illo priori oportet habere veram pœnitentiam, quia fictio nõ tollitur ſine vera pœnitentia ſecundum Auguſtinum, vera pœnitẽtia plenè reconciliat Deo quantum ad omnia, ergo, baptiſmus non poteſt præuenire effectum pœnitentiæ, quantum ad aliquid delendum ibi, imò pœnitentia præuenit quantum ad omnia: poſſet ergo aliter dici, quod pœnitentia vera perfectè reconciliat Deo, et per conſequens nullum peccatum relinquit, ſed tamen non omne, quod influit per ſe curat, ſed tantum illud, quod eſt obiectum pœnitentiæ, de quo ſcilicet pœnitens pœnitet. Quandoque autẽ oportet omne peccatum, quod deletur eſſe obiectum pœnitentiæ, vtpote ſi omnia illa peccata ſint commiſſa poſt baptiſmum, quandoque autem non oportet, vt in propoſito. Non ergo per virtutem pœnitentiæ dimittuntur hic omnia peccata, ſed in pœnitentia dimittuntur partim per pœnitentiam, partim per aliam cauſam, & ſic non habetur ibi dimidia venia peccatorum, ſed tota Deo, non tamen tota per pœnitentiam, quia non oportuit de omnibus, quæ inerant peccatis pœnitere, & ſecundum hoc eſſet dicendum, quod illa ſex delentur, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, nec de eis oportet habere contritionem, nec confeſſionem, nec ſatisfactionem, ſed ſolum de illo ſeptimo quod fuit cauſa fictionis.

Ad ſecundum poteſt dici, quod omnia peccata mortalia, etſi inſunt poſt baptiſmum, tamen nullum eorum fuit cauſa quare iam eſſent deleta. Illud autem ſeptimum fuit cauſa, quare nec ipſum, nec alia ſunt deleta, & ideo rationabile eſt, quod reſpectu eius non habeat baptiſmus efficaciam, ſed reſpectu aliorum, quia ipſum formaliter impediuit effectum baptiſmi, alia non: Et tunc illa propoſitio, peccatum mortale poſt baptiſmum non deletur, niſi per pœnitentiam, debet intelligi de peccato commiſſo poſt baptiſmum, vel omninò inhærente: ſic ſcilicet quod de ipſo nec fuerit contritio, nec attritio in baptiſmo, nec poſt baptiſmum.

Vtrum in baptiſmo fictè collato à malo Miniſtro ſuppleat Deus ſua infinita bonitate defectum illius.

DIFFIC. XXX.

NEgant *Suar. Henriq. Henob. & Fernand. loc. ſuprà cit. imò Cabrera de Sacr. q. 64. a. 8.* non ſolũ improbabilem, ſed etiã erroneam vocat ſententiã affirmatiuã cùm nullibi in Sacra Scriptura habeatur, nec aliquo modo reuelatum, quod Deus ſuppleat defectum mali Miniſtri, ſed re vera nimis audacter obloquitur iſte Doctor contra affirmatiuam ſentẽtiam, cum multa pie opinari non prohibeamur, modo rationabilia ſint, & nõ immediatè contraria ſcripturis, vel Sacris Canonibus, licet expreſsè non habeatur nec in iſtis, nec in illis; quod autem Deus ſuppleat defectus mali Miniſtri in Sacramento baptiſmi quoad gratiam, valdè piũ eſt credere, & ſanè rationabiliter de diuina clementia præſumẽdum, quia Dei potentia non eſt alligata ſacramẽtis, ergo poteſt dare gratiam ſine Sacramentis, ex alia parte Deũ non deficere in neceſſitate facienti, quod in ſe eſt, valde piũ eſt credere de ſua benignitate, maximè ſi ex ſpeciali impulſu diuino monetur homo ad faciendum quod in ſe eſt pro ſalute æterna, itaque eſt valdè probabile, & ſatis piũ de diuina Miſericordia credere, vel ſaltem opinari quod accedens ad baptiſmum ſuſcipiendũ, vel per ſe immediatè eſt adultus, vel mediatè ſicut ſunt paruuli, qui in fide Eccleſiæ baptizantur, accipiant gratiam etiã ſi malus Miniſter non intenderet eos baptizare ſupplente Deo per ſuam miſericordiã defectũ mali Miniſtri, dum efficitur quod in ſe eſt à baptizandis pro ſalute conſequenda, hanc opinionem tanquam piam docent *noſt. Scotus loc. cit. q. 3. in fin. §. Ad quæſtionẽ, Alon. & Gabr. apud Filiucc. t. 1. tract. 1. c. 5.* licet ipſe aliter ſentiat *Ang. V. baptiſmus, §. 7. D. Th. in 4. diſt. 24. q. 1. ar. 2. Bart. ab Ang. Dominic. in exam. Confeſſ. de Sacram. in comm. dial. 1.* & citat *Viguer. et Sylu.* hanc etiam ſententiam probabilem putat *Valen. t. 4. diſp. 3. q. 5.*

Attamen licet hęc opinio affirmatiua ſit piè probabilis, tamen prior opinio tutior eſt, & in Praxi ſi conſtet de mala intentione Miniſtri omninò ſub conditione ſaltem rebaptizandum, docent *noſt. Angles in 4. q. 1. de baptiſmo ar. 5. diffi. 1. Rodr. c. 25. Villalob. nu. 2. diffic. 3.* & alij.

Vtrum præſenti Maiori in dignitate, vel Ordine, vel Officio volente baptizare peccet mortaliter minor baptizans.

DIFFIC. XXXI.

AFfirmant multi, quod ſi Laicus, Clericus, Subdiaconus, & Diaconus in neceſſitatis articulo corã Sacerdote nolente baptizare, peccent mortaliter ſi baptizent, quod etiam gradatim dicendum putant, ſi præſente Diacono, Subdiaconus, & præſente Subdiacono Clericus, & Laicus præſente Clerico, & fœmina præſente viro volentibus baptizare, ſi baptizent, aſſerunt peccare mortaliter *Vaſq. in 3. p. t. 3. diſp. 147. c. 5. Merat. t. 3. trac. de Sacr. bapt. Vald. t. 4. diſp. 4. q. 2. & Turrian. in Sum. p. 2.* Alij tamen aiũt, quod ſolum ſit mortale peruertere hunc ordinem coram Sacerdote, & Diacono, quia ambo ſunt Miniſtri conſecrati ad baptiſmum, videretur enim coram officio iniuria fieri, ſi coram eis alius minor baptizaret, ita *Reginald. t. 2. lib. 27. c. 6. Comitch. Hurtad. et Prapoſ. apud Dianam, tract. 4. de Sacram. reſol. 4.*

Alij porrò probabilius, & mitius loquuntur putantes nec etiã in præſentia Diaconi hũc ordinem peruertere ſit mortale, quia non eſt Miniſter baptiſmi ex officio Diaconus, quorum opinionem omninò tutã puto, modo minor baptizans quicunque non baptizet in tali caſu ex aliqua arrogantia in contemptũ maioris, ſed ſolum baptizet ex quadã maiori familiaritate, vel maiori idoneitate præciſo omni contemptu. Ita *noſt. Villal. in Summ. t. 1. trac. 5. diffic. 8. Pitig. in 4. t. 1. diſt. 6. q. 1. ar. 1.*

Immò dico cum *Muſc. in Sum. tract. 2. c. 4.* quod in neceſſitate corã Sacerdote ignorante, & non idoneo in praxi Laicus doctus non peccaret baptizando, tanto magis hoc certum eſt de fœmina in praxi edocta baptizare cum viro, quod etiam docet de Laico ſi abſit contemptus docet *Valen. t. 4. diſp. 4. q. 2. p. 1.* non peccare mortaliter ſi baptizat priuatè in neceſſitate coram Sacerdote, ſed ſolum venialiter.

Vtrum baptizans abſque ſolemnitate in caſu neceſſitatis cum peccato mortali peccet mortaliter.

DIFFIC. XXXII.

AFfirmant quemcunque Miniſtrantem baptiſmum cũ peccato mortali ſiue Sacerdos, ſiue Laicus, mortaliter peccare, quia validè efficit Sacramentũ, quod cũ reuerentia miniſtrari debet *Vaſ. Hurt. Merat. Ocag.* & alij apud *Dianã 5. p. tr. 3. reſ. 24.*

Negant tamen *Caiet. Suar. Sot. Valen. & Sayr.* quos citat, & ſequitur ipſe *Diana, loc. cit.* quia in neceſſitate cenſent Eccleſiam non obligare cum tanto rigore.

Dicendum tamen autumo, quod ſi Sacerdos præſertim habeat tempus conterendi omninò debet contritionis actum elicere, antequam miniſtret, ſimiliter etiam Laicus in hoc doctus, quando ſcilicet in tali caſu neceſſitatis adeſt tempus aduertẽdi ſe miniſtraturũ tantum Sacramentũ, & maximè hoc procedit, quãdo poterit præuidere ſe probabiliter in tali neceſſitate miniſtraturũ omninò, ſi ſe reum cognoſcit lethalis culpæ, debet conteri, quod ſi ex improuiſo adeſt neceſſitas baptizandi nõ præuiſa, vnde non habet tempus aduertendi neceſſariã eſſe contritionem, vel ſaltẽ ex negligentia nõ aduertit, vterq; eſt excuſandus à peccato.

Aduerte hoc obiter cum *noſt. Pitig. in 4. diſt. 6 qu. 1.* quod cum baptiſmus ſolus poſſit habere miniſtrum neceſſitatis, & ſolemnitatis, ſi Laicus baptizaret ſine neceſſitate non tamen ſolemni-

Digitized by Google

lemniter non fieret irregularis, benè tamen, ſi aliud Sacramentum tentaret miniſtrare, & conficere.

In dubio Baptiſmi cui credendum, & an danda ſepultura Eccleſiaſtica. DIFFIC. XXXIII.

Dico primò, quod ſi dubitetur an quis ſit baptizatus, & à Sacerdote, de quo nulla ſoret ſuſpicio circa intentionem, ſufficit vnus Teſtis oculatus affirmans à tali timorate conſcientiæ baptizatum proprijs oculis ſe vidiſſe, ita docet *gloſ. in c. Paruulos de conſecr. diſt. 4. Syl. V. Teſtis q. 1. Tabiena V. Baptiſmus 5. n. 9. Suar. in 3. p. diſp. 27. ſect. 2. Laym. lib. 5. tract. 2. c. 5. Vaſq. in 3. p. diſp. 146.* & alij.

Dico ſecundò, quod baptizatus baptiſmo dubio, ſiue actiuè, ſiuè paſſiuè, ita vt foret rebaptizandus ſi ſuperuiueret, ſi moriatur ante baptizationem, ſepeliendus eſſet in loco Sacro, ita etiam habetur ex Rituali Pauli V. nouiſſimo, vbi etiam poteris videre pulchra dubiola in materia baptiſmi, ratio autem huius poteſt ea eſſe, quæ allata eſt in ſuperiori difficultate 30. *ex Scoto*, quod piè poteſt credi, quod Dei miſericordia, quæ non eſt alligata Sacramentis ſuppleat illud, quod impotentia, ſeu malitia impediuit.

An in Baptiſmo priuato, ſeu non ſolemni tenens infantem ex propoſito, vt Patrini munus obeat contrahat cognationem ſpiritualem. DIFFIC. XXXIV.

Affirmat *Coninch de Sacram. diſp. 32. dub. 2. concl. 5. Laym. lib. 5. tract. 2. c. 9. Zambran. de caſ. occur. temp. mor. c. 1. de bapt.* qui citat *Armillã, & Suar. Nauarr. item c. 22. num. 40.* & probant, quia ſi ſuperuiuat baptizatus ſine ſolemnitate in caſu neceſſitatis debet habere, qui eum inſtruat iuxta intẽtionem Eccleſiæ, pro quo munere exercendo datur Patrinus, ergo, quicunque tenet infantem, ſiue in priuato, ſiue in ſolemni baptiſmo cum intentione exercendi munus Patrini contrahit cognationẽ ſpiritualem, quia Eccleſiæ intentio talis debet præſumi, vt habeatur finis in vtroque baptiſmo ab ipſa præſtaturus.

Attamen nec improbabiliter volunt contrarium *noſt. Rodriq. quem citat, & ſequitur Diana in p. 5. tract. 2. reſol. 7. Veghia, quem citat, & ſequitur Sanch. de Matr. t. 2. lib. 7. diſp. 62. cum Soto, & Gallega*, nitentes probare, quod intentio Eccleſiæ ſit, vt ſolum in ſolemni baptiſmo contrahatur cognatio ſpiritualis, hinc etiam ſi ex propoſito quis in priuato baptiſmo teneret puerum, non efficeretur Patrinus, nec contraheret affinitatem, & ratio eſt, quia Eccleſia ſolum in baptiſmo ſolemni docet Patrinum adhibendũ, nec aliquo in loco reperitur expreſſum, quod Eccleſia determinauerit Patrinum in baptiſmo priuato adhibendum, vti autem iura non exprimunt, nec nos exprimere debemus, maximè in re, quæ immediatè dependet à voluntate Legiſlatoris.

Noſt. tamen D. Bonau. in 4. diſt. 42. ita diſtinguit. Si vir, vel mulier poſt contractum Matrimonium leuent ſimul puerum de baptiſmo, vel alteruter baptizet filium communem tripliciter poteſt accidere, primo, in neceſſitate quando paruulus eſt in articulo mortis, & non eſt alius qui baptizet: ſecundò, ex ignorantia, quia puerum ſuum eſſe ignorat, puta vt cum multi baptizabãtur ſimul tempore antiquo, vt patet in *in c. 1. 30. q. 1.* vel quando mulier credet leuare filium alienum, & leuat, & baptizat filium ſuũ; tertiò, ex induſtria. In primo caſu nec amittit ius petendi, nec ſoluendi. In ſecundò, niſi fuerit ignorantia craſſa, aut ſupina, nec amittit ius petendi, nec ſoluendi; in tertio ius petendi amittit, at non ſoluendi, quia alteri peccatum ſuum non præiudicat. Hæc *D. Bonau.* Idem tenet etiam *Riccar. ibid.*

An verò ſi ambo fuerint in culpa? Reſpondet *noſt. Vngarell. V. Matr. 3. ſchol. T.* quod *Goffred. ex c. Conſtitutus de pœnis, & argumento, ex c. ſignificaſti de diuort. & ff. de compenſat. l. ſi ambo*, quod vterque poteſt exigere debitum, nam culpa, & dolus vtriuſq; non poteſt, nec debet in præiudicium Sacramẽti Matrimonij trãſire: verũ melius facerẽt ait *Vngarell.* ſi ambo cõtinerẽt.

Vtrum in Baptiſmo ſolemni cognationem ſpiritualem contrahat qui per Procuratorem munus Patrini nomine ſuo mandat obeundum. DIFFIC. XXXV.

Variant in hac difficultate *DD. Ioann. Anſ. et Archid. 30. q. 4. c. fin. Sotus in 4. diſt. 41. q. 1. & Tolet. c. 8.* volunt ſolum ipſum Procuratorem, ſeu Legatum ſuſcipientem, vel tenentem contrahere cognationem.

Sanch. videtur negare contrahi à mittente, & Procuratore.

Contrahi autem à mittente ſolum volunt *Marſilius, & Cardinalis vt recitat Panor. in c. veniẽs apud noſt. Ang. V. Matrim. 3. §. 14. & noſt. Roſella poſſe fieri procuratorem, V. Matrim. Imp. cogn. ſp. §. 20. Bonac. de imped. Matr. q. 3. Laym. in Theol. mor. lib. 5. trac. 10. Coninch de Sacram. Rebell. Veral. Emm. Sà*, imo *Nauar. lib. 5. conſil. in fin. & Ledeſ. q. 56.* teſtantur deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione, Mittẽtem ſolum contrahere, non autem Procurtaorem, & nouiſſimè *Sellius in ſelect. can. c. 76. n. 15. tradet Sac. Congreg. in Trident. 16. May 1630.* declaraſſe Procuratorem non ſibi, ſed mittenti contrahere cognationem ſpiritualem in baptiſmo, vel confirmatione Procurantis, ſeu mittentis nomine tenentem ad baptiſmum, vel confirmationem baptizatum. Ita etiam teſtatur *Barboſ. de offic. & poteſt. Paroch. p. 2. c. 17. Bald. Dam in l. Gallus, § forſitan, ff. de lib. & poſth. & in l. 1. §. ne autem, C. de cad. tol.* docet quod per Procuratorẽ non contrahatur cognatio ſpiritualis, benè tamen per Nũcium, & rationẽ diuerſitatis affert, vt notat *noſ. Vng. apud Ang. loc. cit. Sch. M*, quia Nuncius agit in perſona Domini, Procurator autem in perſona propria, at vero *noſt. Vngarell. ex Cardinali Alexand.* reprobat iſtam diſtinctionem non eſſe differentiam putans in ſpiritualibus inter Nuncium, & Procuratorem.

Si authentica afferetur iſta declaratio Sacræ Congregationis tanquam à Pontifice Summo confirmata ceſſare debent ſingulæ contrariæ opiniones, quia hæc cognatio cùm ſpectet ad ius poſitiuum dependet à voluntate Papæ quomodo, quando, & à quibus contrahatur.

Verùm cum non conſtet authenticè de tali declaratione dicendum putarem, quod licet probabile admodum ſit mittentem per Procuratorem obeuntem munus Patrini nomine ſuo contrahere ſolummodo cognationem ſpiritualem, quia qui per aliũ facit, per ſe ipſum facere videtur. Attamen non minus probabilis eſt opinio putantium mittentem non contrahere affinitatem, quia ſuſceptorẽ ſolum, vel tenentem contrahere ſtatuit Conciliũ Tridentinum affinitatem: cum autem ſuſceptio ſit actus phyſicus perſonalis, non poteſt per alium ſuppleri, cum in tactu phyſico conſiſtat ius contrahendi cognationem ſpiritualem, & cùm ſimus in materia odioſa ſpectante ad impedimentum Matrimonij, non debet fieri extenſio legis ad mittentem, hanc ſententiã probabilem putant etiam *noſt. Villalob. in Sum. t. 1. tract. 14. diffic. 9. Reginal. & Conar.* quos citat, & ſequitur *Diana nouiſſime, p. 3. trac. 4. reſol. 51.* quod confirmatur ex dictis, *V. Adoptio, diffi. 6.* vide ibi rationem ex *Bartolo* allatam.

Itaque cum vtraque vltima opinio præciſa tamen veritate declarationis Sacræ Congregationis ſua probabilitate non careat, in praxi cum affirmatiua potius conſulerem ante contractũ patrimonium, poſt contractum verò ſecundam. Ita *Ang. noſt.* videtur velle *loc. cit.* At verò ad tollendos ſcrupulos vltimam negatiuam ſuaderẽ tuta conſcientia ſequi poſſe, modo allata declaratio nota ſit à Pontifice Summo confirmata, aliter huic omnino ſtandum, cum ad Papam immediate pertineat declaratio eorum, quæ pendent à iure poſitiuo.

Vtrum nolenti baptizare ſine pecunia moribundum, liceat dare abſque ſcrupulo peccati mortalis. DIFFIC. XXXVI.

Abſolutè putarunt aliqui dandam pecuniam nolenti miniſtrare Sacramentũ baptiſmi, & Pœnitentię ſine pretio ad redimendã vexationẽ, pro quo multa, quę nõ licent, poſſunt fieri.

Attamen cum *Scoto* in hoc caſu omninò diſtinguendum, qui *in 4. diſt. 5. q. 2.* ait, quod abſolutè loquendo non debet quis dare pecuniam nolenti ſine pretio baptizare iã moribundum, quia committeret ſimoniam, & potius debet dimittere illum mori ſine baptiſmo, ſi ipſe vtpotè mancus, vel mutus nõ poſſet baptizare, nec alius omninò adeſſet, qui ſine pecunia baptizaret, nõ enim ſunt facienda mala, vt veniant bona, & quilibet magis tenetur diligere ſeipſum, quàm proximum, & per conſequens magis in ſe ipſo vitare peccatum mortale, quàm in alio damnationem.

At verò ſubiungit *Scotus* quod poſſit dari pecunia in hoc caſu nolenti baptizare, vel abſoluere ſine pretio nullo modo habendo intentionem emendi ab ipſo Sacramento, ſed ſolum habendo piam intentionem dandi pecuniam poſtulatam ſimpliciter pro labore, ſeu incommodo actumq; illud ſit, dandi baptiſmum, etiã ſi baptizaturus abſolutè vellet pecuniam tanquam pretium Sacramenti, bona enim intentio dantis non poteſt deturpari ab accipiente, quod autem liceat pro labore, ſeu incommodo corporali miniſtrandi ſpiritualia dare, vel accipere pretium, patet in

praxi

praxi de celebratione Miſſarum, ita etiam docet *Leſ.lib.2.c.35. dub.7.*& nouiſſimè *Diana 5.p tract. 3. reſol.29.*

Vtrum baptizandi ſint pueri infidelium inuitis parentibus.
DIFFIC. XXXVII.

IN præſenti Difficultate magna eſt inter DD. Controuerſia. Attamen

Affirmatiuè reſpondendum puto cum noſtro ſubtili DD cenſente Principes poſſe curare, vt inuitis Parentibus pueri infidelium baptizentur, modo diligenter aduertant, & omnē diligentiā adhibeant, vt ad ipſos poſtea reſtituantur, ſed iuxta Ritum Chriſtianum alendos curent *Scotus* ſententiā ſecuti ſunt *Vaſq. in 3 p. t.3.diſp.181.c.4. Turr 2 2.diſp.54. et Diana p.1.trac.15. Miſc.reſ. 25.* & huic etiam ſententiæ videtur adhærere *Suar.* apud ipſum præualet enim, & pluris exiſtimandus cultus, & honor Dei, & pluris pendendum eſt beneficium ſalutis collatum per baptiſmū pueris infidelium, quàm iniuria parentum, qui adhoc ſunt verè irrationabiliter inuiti; ab inuito autem irrationabiliter quod poſſit ſine ſcrupulo tolli, vel retineri etiam res ſua patet in multis caſibus, vt dicetur infrà *V. Reſtitutio*, ſicut eſt de gladio tollēdo, vel non reddendo furioſo, vel nolenti iniuſtè occidere, qui licet retineatur, vel tollatur inuito domino, quia tamen eſt in hoc caſu irrationabiliter inuitus, non peccat tollens, vel nō reddens, hinc ſtatutum fuit in *Sacr Congr. Neap. vt patet in deciſ. Paruuli* 151. Mathei de Afflicto, quod filij infidelium baptizati inuitis parentibus non debeant reſtitui.

Nec obſtat Conſtitutio Iulij III. quæ incipit: *Cum ſit accepimus*, quia ibi ſolùm eſt ſermo de filijs Iudęorum habitantium in ſtatu Eccleſiaſtico tantùm, qui propter aliquem bonum finem ibi prohibiti ſunt à Papa baptizari inuitis Parentibus.

Vtrum validus ſit Baptiſmus in neceſſitate collatus à muto aquā miniſtrante, & à manco manibus proferente verba formæ Baptiſmi ſuper baptizandum exiſtentem in periculo mortis, ſi alij non adeſſent, qui baptizarem.
DIFFIC. XXXVIII.

COmmuniſſima eſt Theologorum tum antiquorū, tum Recentiorum ſententia inualidum eſſe baptiſmum collatum à muto abluente, & à manco manibus formam proferente, quia vt notat *noſt. Subtilis D. in 4. diſt.6. q.7.§. de ſecundo membro.* Deus inſtituit vnum eſſe principale agens, ita & vnum Miniſtrū in collatione integra Sacramēti, quod apparet à forma baptiſmi, qua nos vtimur, per ipſum enim proferens verba denotat ſe etiā abluere, eſſet enim oratio falſa, ſi alter proferret verba, & alter ablueret, porrò non debet verorum Sacramentorum eſſe oratio falſa, præterquam quod neceſſitas non poteſt dare valorem Sacramentis, ſi ergo extra neceſſitatem mutus ablueret, & mancus proferret verba nullū valorē haberet baptiſmus, ergo neq; quādo adeſt neceſſitas baptizādi validus erit baptiſmus ab ipſis collatus.

Ita etiam docent *D.Th.3.p.q 67.ar.6.ad 3. & præced. qu.ar.5. ad 4.* & Thomiſtæ, & Scotiſtæ communiter, *V. Hurt. de Sacr. diſp.2.diſ.6.* vbi citat *Suar Vaſq. Conicn.* & alios. *Marſilius* tamē inter antiquiores, *in 4.q.4.a.6.dub.1. & Caie in 3.p.q.67.a.6.* teſte *Hurt. loc.cit.* & inter Recentiores *Fern. de Haredia diſ. de Sacr. bapt. p.5. c.9.* & *Ioann. Capeuilla de modo adminiſtrandi Sacr. peſtis tēp. q.20.* contendunt, quod in caſu neceſſitatis quando ſcilicet baptizandus eſſet in articulo mortis, & nullus alius eſſet qui baptizare poſſet niſi mutus, & mancus manibus validus eſſet baptiſmus ſi mutus ablueret, & mancus formam proferret, quia melius eſt dubium baptiſma indigenti dare, quàm nullum.

Sanè opinio ſingularis videtur potius fundata in Dei miſericordia, qui non eſt alligatus modo ordinario dato pro Sacramētis adminiſtrandis, quā in rationis validitate. Quare talis caſus ſi occurreret, potius conſulerem, vt mancus incipiat formā dicens: *Ego te baptizo*, & aquam immediatè ore aſſumptā, profunderet, & ſequatur dicēs immediatè *in nomine Patris*, &c. vel fortè melius incipiendo, *ego*, & poſtea profundat aquā ore, & ſequatur *te baptizo in nomine Patris*, &c quia inciperetur forma, & immediatè ablutio ſequeretur cum reliquo formæ, maximè cùm ſimultas phyſica non requiratur, ſed ſufficit moralis in ablutione & prolatione verborum, quod autem aqua miniſtretur manu, vel ore non eſt de eſſentia baptiſmi, ſed ſolum ex decentia, quia inſtrumentum ordinarium abluendi eſt manus, itaque aqua poterit ore miniſtrari, vel dentibus, aut labijs aſſumendo aſpergillum, vel vaſculum aquæ, vel aquam ore attrahendo, & deinde refereendo, qui modi in neceſſitate videntur potius probabiles, quàm quod alter aquam miniſtret, alter verba proferat.

Vtrum credens baptizare maſculum, vel filium Titij, attamen baptizat fœminam, vel filium Caij validè baptizet.
DIFFIC. XXXIX.

ABſolutè putant eſſe validum baptiſmum in tali caſu *noſt Angles de min Sacr. q.vlt.1.3.diffic.3. Sayr. de Sacram. in gen.lib.2.1.4 q.6. Regin.lib.26. Henriq.lib.1.1.10. Vaſq.3 p. diſp. 136. Coninch.q.66 a.6. Tol.li.1.c.20.* & alij, quia licet ſpeculatiuè erret credēs baptizare maſculū, vel filiū Titij, & tamen baptizat fęminā, vel filium Caij, practicè tamen non errat, quia intendit baptizare hunc præſentē, ad quē practicè fertur eius intentio.

An idem dicendum ſit de ſuſcipiente in baptiſmo, *V. Diana, tract.4. de Sacram. reſol.15. & Angel noſt. V. Matr.3.§.15.*

Attamen *noſt. Ang. V. Baptiſmus §.13. cū Hoſt ſēſ.* fortè diſtinctius, & probabilius loquitur putans quod ſi ſimpliciter baptizat, vel intendit baptizare præſentem perſonam, verus eſt baptiſmus, ſed ſi ſpecificè intendat baptizare maſculum, & non fęminam, vel filium Titij, & non filium Caij, ita vt intentio eius feratur immediatè ad maſculum, & non ad fęminam, vel ad filium Titij, & non Caij, non facit verum baptiſmum, quia errat ſpeculatiuè, & practicè. Quare

Aduertant hic Miniſtrantes baptiſmum, vt ſuam practicā intentionem dirigant ad baptizandum ſignatè præſentem perſonam, nec deſcendant ad ſpecialem intentionem baptizandi maſculum, vel fęminam, filium Titij vel filium Caij, vt ſcrupulis accidentibus facilius conſulatur.

Vtrum poſſit quis ſeipſum baptizare in neceſſitatis articulo.
DIFFIC. XL.

NEgant communiter Theologi, quia inter baptizantem, & baptizatum debet eſſe diſtinctio perſonalis, vt habetur in definitione baptiſmi, vbi ponitur ab alio abluente miniſtrandum eſſe baptiſmum, vt docet *Scotus in 4. diſt.6.* & ratio eſt, quia nihil gignit ſeipſum, ergo etiam nullus poteſt regenerare ſeipſum, ita etiā, *noſt. Ang. V. baptiſmus 5.§.3. ex c. Debitū de bapt. & D. Th. q.66. ar.5. Henriq lib.2.c.37. Molfeſ trac.4.c.1. Suar. diſ.21. ſec.4. Vaſ.3.p diſ.148. Tol.li.2.c.20. & Victoria de bapt. cōc.116.* Vnde ſi ſuperuiueret neceſſariò data opportunitate eſſet rebaptizādus.

Quod ſi quis in articulo mortis nullo alio exiſtente ſe baptizaret, poſſet vtique ſaluari propter baptiſmum flaminis, ideſt, efficax propoſitum ſumendi baptiſmum, non autem propter Sacramentum quod nullum eſt, vt colligitur ex *d.c. Debitum.*

An Monſtrum ſit Baptizandum, et quomodo.
DIFFIC. XLI.

DIco primò, quòd mōſtrum humanā ſpeciē non pręſeferens, ſi ex partu fęminę habeatur, non debet baptizari, de quo ſi dubium fuerit poterit baptizari ſub hac conditione: *ſi tu es homo, ego te baptizo.*

Dico ſecundò, quando monſtrum eſt multimembre, vnde poteſt dubitari, vnane, an plures ſint perſonæ, debet differri baptiſmus, donec id diſcernatur.

Diſcerni autem poteſt, ſi habeat vnum, vel plura capita, vel vnum, vel plura pectora, tunc enim totidem erunt corda, & animæ hominesque diſtincti, & in eo caſu ſinguli ſeorſim ſunt baptizandi vnicuique dicendo: *Ego te baptizo.*

Si verò periculum mortis immineat, tempuſq; non ſuppetat, vt ſinguli ſeparatim baptizentur, poterit Miniſter ſingulorum capitis aquam infundens, ſimul omnes baptizare dicendo. *Ego vos baptizo in nomine Patris*, &c.

Quando verò non eſt certum in monſtro eſſe duas perſonas, vt quia duo capita, & duo pectora non habet benè diſtincta, tunc debet primum vnus abſolutè baptizari, & poſtea alter ſub conditione hoc modo, *ſi non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. ita ex *Rituali Rom. de Sacr. Baptiſmi.*

Vtrum deferēs paruulum ad Eccleſiam baptizandum cum pompa vanitate peccet mortaliter. DIFFIC. XLII.

DIfficultas præſens ex eo, quod habetur in Rituali Romano ortū habet, ibi enim docetur, vt qua decet Chriſtiana modeſtia ſine pompę vanitate deferant paruulum ad Eccleſiā, quare

Dicendum, quod niſi adſit contemptus præfatæ Rubricæ, nō peccat mortaliter portans paruulum ad Eccleſiam cum vanitate pompæ ſæcularis, niſi fortè ratione ſuperbiæ, seu iactantiæ non

foret

Digitized by Google

foret ex ſuo genere peccatum mortale, quia Rituale Romanũ in præfata Rubrica non præcipit, ſed ſolum hortatur, conſilium autem non obligat ſub præcepto peccati mortalis.

Benè tamen verum eſt, quod Superiores deberent curare, vt tale conſilium ſeruetur, & baptizandi pueri ferantur ad Eccleſiã ſimplici amictu, ſine pompa, & ſæculari ornamento, & ratio eſt, quia ſi baptizandi promittunt ante ſuſceptionem baptiſmi immediatam renuntiare põpis ſæculi, indecens omninò eſt, & vituperabile, quod cum iiſdem pompis quibus actu renuntiat, portetur, & baptizetur, pompæ enim vanæ opera ſunt Satanæ, quibus homines illaqueat. Idem ſtatuit optimo iure *Conc. Conſtantienſe, Can.* 45. & innouauit in ſua Diœceſi, & Prouincia omnis virtutis ſpeculum S. Carolus Borromæus.

Vtrum ſi ſuperuiuat baptizatus priuatim in periculo mortis, debeant in Eccleſia ſuppleri ceremoniæ baptiſmales etiam cum exorciſmis ſolitis, & an omittere ſit peccatum.
DIFFIC. XLIII.

DIco primò, quod certum eſt ſupplendas eſſe cæremonias ab Eccleſia ordinatas in baptiſmo ſolemni, quando accidit, vt quis baptizetur priuatim in periculo mortis, ita habetur *ex c.* 1. *de Sacr. non iter.* & conſtat ex communi Eccleſiæ conſuetudine.

Dico ſecundò, quòd licet *Paulus Comit. l.* 1. *reſponſ. mor.* q. 12. velit eſſe magnum ſacrilegium quando ſupplentur ceremoniæ poſt baptiſmum priuatum vti exorciſmos ad fugandum Dæmonem, quia iam in baptiſmo priuato expulſus eſt, attamen omninò improbabiliter, nam vt habetur in Paſtorali Romano, cum Miniſter homini baptizato Dæmonis eiectioné, atq; gratiæ cęleſtis donum præcatur, intentionem ſuam refert ad perfectioné Diaboli, qui nunquam infeſtare deſiſtit, perfectiorem repulſam, vberioremq; gratię cęleſtis communicationem. Ita etiam *noſt. Ricard. in 4. diſt. 6. ar. 6. q.* 1. *Victoria de bapt. n.* 38 *Vmal. in candel. de bapt. c. vlt. nu.* 18. *& Diana p.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 6.

Dico tertiò, quod omittẽs haſce cæremonias ſupplere, probabile eſt, ſi abſit contemptus non peccet mortaliter, cum ſub præcepto graui non iubeatur, ſed potius videtur eſſe de conſilio, peccaret tamen venialiter omittens Eccleſiæ conſilium in re graui. Ita *Poſſeuin. de officio Curati, c.* 6. *n.* 23. probabilius tamen ſub pręcepto peccati mortalis has cæremoniarũ ſupplendas alij putant, quia in re graui, vt eſt ſuppletio cęremoniarum ſub baptiſmalium potius præcipuè, quam conſulere præſumatur Eccleſia.

Vtrum coniux moribundo filio ſuo priuatim baptiſmum conferens contrahat cognationem ſpiritualem, & quid dicendum de tenente in tali baptiſmo priuato an contrahat cognationem. DIFFIC. XLIV.

DIco primò, quod licet *noſt. Ang. V. Matrim. de Imped.* 7. *Villal. in Sum. t.* 1 *trac.* 13. *diſp.* 51. *nu.* 1. *Sanc. de Matr. t.* 1. *l.* 9. *diſp.* 36. *n.* 7. & alij apud ipſum velint probabilius conferentẽ coniugem filio communi baptiſmum extra neceſſitatem contrahere cognationem ſpiritualem cum proprio coniuge, & conſequenter priuari debito petendi, attamen non improbabiliter etiam putant aliqui negandum priuari debito petendi coniugẽ in tali caſu etiam ſi extra neceſſitatem baptizet, quia nullo iure expreſſè poteſt probari baptizantem coniugem priuatum priuari debito, talis enim pęna cum ſit grauis non eſt apponenda, niſi expreſsè caueatur in iure cùm odia ſint reſtringenda, putat tamen grauiter extra neceſſitatem baptizando proprium filium, Ita *Rodericus in c. ſi vir apud Ang. noſt. loc. cit. Glo. c.* 2. *de Cognat. ſpir. V. Debitum, Durand. in 4. diſt.* 42. *q.* 1. *a.* 3. *Suar.* 3. *p. q.* 69. *a.* 8. *§. penu. in fine, Fernãd de heredia, diſp. de Sacr. Bapt. par.* 6. *dub.* 2. *n.* 6. *Con. de Sac diſ.* 34. *dub.* 8. *n.* 69 *& Diana trac.* 4 *de Sacr. reſ.* 3. quod ſi ex neceſſitate baptizet alter coniux communem filium non priuatur debito petendi iure. *Vide Ang. noſt. loco citato.*

An verò ſtando in prima opinione probabiliori poſſit hoc impedimẽtum diſpenſari ab Epiſcopo, affirmat *noſt. Ang. V. Matr.* 3. *§. imped.* 7 *in fin.* & an à Confeſſarijs Regularibus ſpecialiter deputatis à ſuis Prouincialibus iuxta Priuilegium Pij V. relatum à *noſt. Rodriq.* affirmat *noſt. Villalob. loc. cit.* quia priuilegium dictũ eſt poſſe diſpenſare in impedimento petendi debitum ortum ex affinitate ratione copulæ fornicariæ, quod vult etiam extendi ad hoc impedimentum ortum ex cognatione ſpirituali, quia fauores ſunt extendendi, quod tamen non puto hodie probabile, quia tale priuilegium fuit datum à Pio V. viuæ vocis oraculo, quod ſublatum fuit ab Vrbano VIII. vt alibi dicetur.

Dico ſecundò, quod licet in priuato baptiſmo infantem tenẽtem cum propoſito ſuſcipiendi munus Patrini velint cognationem ſpiritualem contrahere, *Coninch. de Sacr. diſ.* 32. *dub.* 2. *cõcl.* 5. *& Laym l.* 1. *tract.* 2. *c.* 9 *nu.* 5. qui etiam pro hac opinione citat *Nauar. Veuald. Armill & Zambran. vt ſuprà, diff.* 34. attamen probabiliter etiam putant alij cum non ſit præceptum ab Eccleſia tenentem in baptiſmo priuato cohibeatur Patrinus, etiam ſi quis ex propoſito teneret infantem non contraheret cognationẽ ſpiritualem, quia Eccleſia ſolum in baptiſmo ſolemni Patrinos adhibet, nec poteſt quiſquam ſua ſola voluntate contrahere cognationem ſpiritualem, niſi adſint requiſita ab Eccleſia, quæ talem in tali actu imponit cognationem ſpiritualem, munus autẽ ſuſceptoris ſolum in baptiſmo ſolemni ab Eccleſia imponi docẽt *Sotus, Gallegas, Vega, et ipſemet Suar. q* 67. *ar.* 8. *apud Dianam tract.* 3 *p.* 5 *reſol.* 7. nec obſtat, quod baptizans priuatim contrahit cognationẽ, ergo etiam tenens, nam baptizans priuatim verum confert baptiſma iuxta intentionem Eccleſiæ, qui autem tenet in priuato, non tenet ſecundum Eccleſiæ intentionem, quæ ſolum in baptiſmo ſolemni iubet ſuſceptores. Vide ſuprà quæ dicta ſunt in hac materia *diffic.* 34. *ex D. Bonau.* Ita *Sanch. de Matr. t.* 1. *l.* 7 *diſp.* 62 *nu.* 15 *Granad. in* 3. *p. tract.* 2. *diſp.* 1. *n.* 4. *& Diana, loc. cit.*

Vtrum ſurdus, vel mutus adultus in partibus infidelium, vel ad noſtras partes proueniens petat baptizari, poſſit, & debeat abſolutè baptizari. DIFFIC. XLV.

AFfirmandum videretur, quia in via nullus relinquendus eſt extra ſtatũ ſalutis; & licet ſurdus. & mutus inſtrui nequeãt in rebus fidei, neque moneri, vt attritionem ſaltem habeant de ſuis peccatis, at non ponunt obicem baptiſmali gratiæ, attamen ſupponẽdum ex miſericordia Dei, quod dum petunt baptiſmum, habeant gratiæ excitantis motum à Deo, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum, & conſequenter intrinſecè ex ſpeciali dono Dei ſint illuminati ad ſuorum peccatorum dolorem neceſſarium, cùm Deus non deficiat in neceſſarijs, & facienti quod in ſe eſt cum ſuo adiutorio, non denegat gratiam, quod ex D. Auguſt. teſtimonio roboratur, qui Cathecumenos retinentes adulteros, ſi intra ſe pęnitentes, amiſerint vſum linguæ, eſſe baptizandos, ita etiam ſurdi, & muti ſi petentes baptiſmum pectus tundant, vel aliud doloris ſignum oſtendant, ſunt baptizandi.

Attamen ex altera parte negandum videtur eſſe baptizandos huiuſmodi ſurdos, & mutos Adultos, quia Chriſtus mandiat docendos eſſe, & inſtruendos infideles, antequam baptizẽtur iuxta illud. *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti.* Cęterum cũ caſus iſte acciderit, optimum eſt conſilium, vt conſulatur Epiſcopus, antequam iſti baptizentur, adhoc, vt cum viris doctis facta conſultatione an tales infideles muti, & ſurdi adulti petunt baptiſmum ex aliquo fine humano, an vero ex inſpiratione Dei, & quantum fieri poteſt de fide Catholica inſtruantur. Ita *Lopez in Inſtr. conſc. p.* 1. *c.* 12. *Epiſcopus Mandoſus in Sum. tra.* 2. *c.* 5. *nu.* 7 *et Diana p.* 1. *tr.* 6. *reſ.* 1.

Imò poſſe Parochum adhibitis viris doctis ad cognoſcendum an ex Dei inſpiratione, vel fine humano moueantur præfati ad petendum baptiſmum, & quoquomodo poterit inſtruantur de fide Catholica, poſſe eos baptizare, ſi Epiſcopus longè abſit, nec poſſit eius præſentia commodè haberi, docent *Moſconius, et Diana loc. cit.* quod probabiliter mihi ſuadeo, ne tãto bono propter temporis longitudinem, & mortis incertitudinem careant præfati Adulti ſurdi, & muti baptiſmum deuotè petentes.

Vtrum Diaconus poſſit abſente Parocho ſolemniter baptizare abſque ſcrupulo irregularitatis. DIFFIC. XLVI.

DIco primò, quòd licet *Suarez in* 3. *p. t.* 3. *diſp.* 23. *ſect.* 3. docuerit poſſe Diacono cõmitti à Parocho ſolemnem adminiſtrationem baptiſmi rationabili de cauſa, imò abſẽte Parocho poſſe, ſi non adſit alius Sacerdos ſolemniter baptiſmum adminiſtrare abſque periculo, & ſcrupulo irregularitatis putans Diacono ex vi ſui ordinis competere adminiſtrationem baptiſmi, quod colligit *ex gloſ. in c. Diaconus V. Neceſſitas, diſt.* 93.

Attamen quod ſolus Sacerdos ſit Miniſter baptiſmi ſolemnis regulariter loquendo ex proprio officio, docet *Scotus noſt. in* 4. *diſt.* 6. *q.* 1. *& Coninch* confutat opinionem prælatam *Suar. de Sacr. q.* 67. *ar.* 5. *dub.* 3. *nu.* 27 vbi aſſerit, quod *gloſ. in loc. cit.* docet Diaconum ex commiſſione Sacerdotis poſſe ſolum baptizare ſo-

lemni-

lemniter, præciſa autem commiſſione Sacerdotis ſolum poſſe baptizare eo modo, quo etiam Laici priuatim poſsũt baptizare.

Quod colligo etiã ex doctrina *Scoti,loc.cit.* vbi habet,quod regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus poſſe baptizare ſolẽniter,ergo aliquãdo poteſt alijs cõmitti ex doctrina *Scoti* cũ vox illa regulariter ſit extenſiua etiã ad alios aliquantũ, ergo ſolũ ad Diaconos ex cõmiſſione Sacerdotis,vt docet *gloſ.in c.Diac.lo.ci.*

Ratio autem propter quam baptiſmus ſolemniter à Diacono poteſt miniſtrari ex commiſſione Sacerdotis innuſtur a *Coninch loc. cit.* ex doctrina *Caiet.* quia nimirum conuenit Diacono inſeruire Sacerdoti,atque ita omnia,quæcumq; facit vt Diaconus, debet ea facere vt inſeruiens Sacerdoti, quod ſi aliquando poſſet ſolemniter celebrare abſq; Sacerdote, non faceret hoc, vt inſeruiens Sacerdoti, ſed quaſi iure ſuo, nã ea in re non poſſet dici inſeruire Sacerdoti, ſecus eſt quando ſolemniter baptizaret ex cõmiſſione Sacerdotis, quia tunc quodammodo inſeruiret Sacerdoti, dum eius mandato obſequitur.

Ceterum hæc ratio mihi non ſatisfacit, quia Diaconus ſolum inſeruit Sacerdoti celebranti, nec poteſt aliquid Sacerdos ei cõmittere quod ſit ſupra ordinem Diaconatus, & ratione Diaconatus ei non conueniat,tanto minus poteſt eo cõmittere aliquod extra actum celebrationis, quod non poſſit facere in quãtũ ordo Diaconatus permittit, ſi ergo ratione Diaconatus nõ cõpetit Diacono ſolẽniter baptizare tãquã officiũ ſupra ordinẽ Diaconatus nõ poterit ex ſimplici cõmiſſione Sacerdotis ſolẽniter baptizare.

Quare dicendum puto, quod ratione Diaconatus Ordinis cõpetit baptizare copulatiuè cum cõmiſſione Sacerdotis,vt Sacerdoti ratione ordinis competit abſoluere à mortalibus copulatiuè cum iuriſdictione accipienda ab Ordinario, vel Delegato, ſicut ergo Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis non poteſt validè, nec licitè abſoluere ſine iuriſdictione accepta extra articulũ mortis, ita etiam Diaconus ex vi ſuæ ordinationis non poteſt ſolemniter baptizare abſque commiſſione Sacerdotis licitè,& ſine peccato, licet validè baptizaret tanquam homo, non tanquam Diaconus, vt Diaconus, ſed ſicut quilibet etiam Laicus.

Dico ſecundò,quòd licet *Coninch,loc. cit. & Hurtad.de Sacr. Pœn. diſp.4. diffic.4.* velint Diaconum baptizantem ſolemniter abſq; Sacerdotis cõmiſſione incurrere irregularitatẽ, quia exercet actum ordinis, quem non habet, attamen cum irregularitas non incurratur, vt docebo ex *noſt.ſubtili Doct.V. Irregularitas*, niſi exprimatur in iure,nec reperiatur inflicta irregularitas Diacono in hoc caſu, & cenſeant aliqui Theologi probabiliter non competere Diacono baptizare ſolemniter ex vi ordinis, ſequitur dicendum probabilius non incurrere irregularitatem ſi ſolemniter Diaconus baptizet.

Vtrum amens, vel infirmus loquela priuatus, vel letargo oppreſſus ſit baptizandus, ſi referatur quod ante amentiam, vel infirmitatem,deuotè baptiſmum petierit,& an vnus teſtis hoc probet ſufficienter. DIFFIC. XLVII.

Dico primò, quòd furioſi Amentes,loquela priuati,vel lætargo oppreſſi,ſi referatur,quod ante amentiam, furorem,loquelam amiſſam, & letargi incursũ petierint humiliter,& deuotè baptiſmum, & conſtet ante dictos caſus non habuiſſe voluntatem contrariam, cum ſit piè ſupponendum eandem de baptiſmo ſuſcipiendo durare voluntatem in ipſis debent baptizari, nã conſenſus habitualis ſufficit ad recipiendũ baptiſmum, modo nõ fuerit corruptus poſteà à contraria volitione. Ita *noſt. ſubtiliſſimus Doctor in 4.diſt.4.q.4. Suar.3.p.diſp.24.ſect.1 nu.2. Henriq. l.2.c.24.nu.4.* immò etiam in furia baptizandum docet *Henriq.* & in eadem exiſtentem ligari debere, ſi renuat, vt ei baptiſmus conferri valeat addo cum *Sancio in Select. diſ.44.nu.42.*

Aduertendum eſt tamen cum noſtro Doctore, quod ſi ſpes ſit amentem, & furioſum, loquela priuatum, & lætargo oppreſſum à talibus liberandos impedimentis ante mortem,debet expectari tempus congruum ad hoc vt maiori reuerentia,& deuotione ſuſcipiant Sacramentum, quod ſi non ſit ſpes, & periculum ſit in mora, baptizandi ſunt omni meliori modo.

Nec valet ſi dicas quod in conficienda Euchariſtia, eaque ſumenda non ſufficit habitualis intentio, ergo nec in ſuſcipiendo baptiſmo, nam maior intentio requiritur in agente, quàm in patiente, agere enim cùm ſit actus humanus debet humano modo fieri, idest debet præſupponere in agente humano modo vſum rationis actualem, at vero ad ſuſcipiendum non requiritur neceſſario actus humanus, cùm non requirat paſſio ex ſe actũ diſcurrendi pro tunc, vnde paruuli non habentes vſum rationis validè baptizantur, itaque de ratione ſuſcipiendi baptiſmi non eſt exercere actum humanum,& ideò in adulto ſufficit intentio habitualis non interrupta à contrario diſſenſu; ad ſuſceptionem autem Euchariſtiæ, licèt ſufficeret etiam conſenſus habitualis, cùm tamen non ſit Sacramentum neceſſitatis, ſicut baptiſmus, & pœnitentia, regulariter non datur niſi actu vtentibus ratione, maximè cùm maiorem reuerentiam, & deuotionem requirat huius Sanctiſſimi Sacramenti ſuſceptio.

Dico ſecũdò, quòd licet aliqui putauerint eſſe neceſſarios plures Teſtes ad teſtificandum de voluntate baptiſmi ſuſcipiendi in præfatis caſibus,& præcipuè ex *Conc.Cartag. c.78.& c.15.& 25. q.6.* vbi habetur *dent teſtimonium, qui eum audierunt,& ex Conc. Aurisic. 1.c.2.* vbi habetur, *teſtimonium aliorum verbis habeat, & à Leone Papa Epiſt.8.* dicitur *Teſtimonia eis fidelium circumſtantiam ſuffragentur.*

Attamen communius Doctores vnum Teſtem ſiue fidelem, ſiue infidelem ſufficere volunt ad verificandam intentionẽ eius, qui petijt baptiſmum,vel pœnitentiam ante amentiam,& præfatos caſus incurſos,vt optimè notat *Felinus in c. veniens, nu.8. de Teſtibus*,quia vbi non agitur de præiudicio alterius ſtandum eſt dicto vnius modò iuret, licet *Sancius loc.cit nu.35.* neget requiri iuramentum,quia nimis impium eſſet mentiri velle in tali facto, immò teſtem infidelem etiam Hæreticum dicit ſufficere, quia tanto magis debet præſupponi hoc verum fuiſſe, ſi ab infideli teſtificetur, qui ſanè nollet ab eo recipi Sacramenta, quod ſanè pium eſt aſſerere;Concilia autem, & auctoritates ſupracitatæ ad ſuperabundantiam loquuntur, non autem neceſſario plures teſtes requiri in tali caſu determinant.

An verò in præfatis caſibus dandus ſit baptiſmus, vel pęnitentia conditione mente retenta ſaltè, ſcilicet ſi habuiſſe ante amentiam, ſenſuum deſtitutionem, & lætargum ſuſcepi ea de baptiſmum,vel pęnitentiam,*ego te baptizo*, vel *abſoluo*, bonum eſt vtique conſilium, itã ex *Scoti* doctrinã colligi poteſt in ſuperioribus,& expreſsè docent *Regin.in prax.t.1.l.8.c.3. Zambr. de caſ. tẽpore mortis,trac.4.et Dianã,t.3.tract.3.reſ.5.& p.5.tr.3.reſ.21.*

Dico tertiò, quòd quomodocunque oriatur dubium, ſcilicet, quod Teſtis dubitet verè in vſu rationis, an verò in phræneſi petierit, vel ſi dubitetur an viuus, an mortuus, vel ſi dubitetur an diſcenſerit, & noluiſſe baptiſmum in amentia, an verò in vſu rationis debet ſub conditione baptizari ſicut etiam in alijs dubijs, quæ poſſent in hac materia ſuboriri, quia in dubio de intentione ſuſcipientis tutior pars eligitur, ſi cum appoſita cõditione baptizetur,ita enim nulla ſit iniuria Sacramento, & conſulitur ſaluti ſuſcipientis. Vt etiam ex *Scoti* doctrina colligitur *loc. cit.* & docent etiam *Henriq.l.2.c.24.nu.4.et Sanc. loc. cit.*

Quod autem aliqui contra totam difficultatis huius doctrinã opponunt,ſcilicet nullo modo infideli in talibus caſibus dandum baptiſmum,niſi conſtet Trinitatis, & Incarnationis miſteria cognouiſſe, quia baptiſmus non poteſt conferri neſcienti miſteriũ Trinitatis, & Incarnationis, nam probabilis eſt opinio ſufficere, quod baptizandus ſaltem implicitè noſcat miſteria Trinitatis, & Incarnationis, vt ex doctrina *Scoti V. Fides*,docebitur,& teſtatur etiã *noſt.Villal.t.2.trac.1.diffi.4.nu.13.* petens autem infidelis adultus baptiſmũ ſanè credit in Sanctã Eccleſiam Catholicã, & Chriſti fidẽ proteſtatur veram,dum eius baptiſmum petit, eiuſq; Filijs,& membris poſtulat per baptiſmum cooptari,quare veram fidem implicitam habet miſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, imò piè baptizans poteſt ſupponere in tali periculo habuiſſe notitiam expreſſam Trinitatis, & Incarnationis, dum petijt in vſu rationis baptiſmum, optimum tamen cõſilium eſt in præfatis caſibus vti conditione mente ſaltem retenta in baptizando.Ita etiam *Henriq. Sancius, & Dianam, loc. cit.*

Vtrum ſit lethalis culpa baptizare ſine aqua benedicta baptiſmali dicta in baptiſmo ſolemni. DIFFIC. XLVIII.

Dico primò, quòd baptizare ſine aqua baptiſmali benedicta in baptiſmo ſolemni ſtante aliqua neceſſitate, puta quia tẽpore frigidiſſima hyemis,vel in locis frigidiſſimis aqua baptiſmalis benedicta eſt glaciata, vel frigidiſſima, ita vt,vel non adſit tẽpus eam diglaciandi imminente periculo mortis baptizandi, vel quia cùm non adſit commoditas eam honeſtè calefaciendi, & ſi adhiberetur ita frigida, & baptiſmo timeretur infantulo tenello ſalutis periculum ſaltem probabile, non eſſet peccatũ mortale,& licitè poſſet baptizans vti alia aqua naturali non ita frigida, vel tepe facta,quia præcepta poſitiua, & conſuetudinis non obligant cũ tanto incommodo,& periculo,quando res omiſſa non ſit de forma,& ſubſtãtia facti,vt probabimus ſuo loco,& paſſim docent antiquiores, & recentiores, itaq; cũ baptizare cũ aqua illa baptiſ-

baptiſmali non ſit de forma, & ſubſtantia baptiſmi, non videtur obligare ſub mortali eius vſus in prę fatis, & cõſimilibus caſibus.

Dico ſecundò, quòd aquam benedictam omittere ad libitum extra caſum neceſſitatis in baptiſmo ſolemni mortale peccatum probabilius puto, quod mihi ſuadetur, quod conſuetudo antiquiſſima in Eccleſia ab Apoſtolorũ tempore inducta, vt docent SS. *PP. Baſilius, Cyprianus, Dyonſius, Auguſtinus, Ambroſius, quos citant Suar. diſp. 31. ſec. 2. de Sacr. Vaſ. diſ. 156. de Bap. c. 2. n. 8. & Henriq. l. 2. c. 6. n. 4. lit. C*, aſſerentes in hac aqua benedicta includi Sacratiſſima myſteria omninò ſupponi debeat eius vſus mandatus fuiſſe ab Eccleſia, vndè per continuũ eius vſum in baptizãdo ſolemniter ſaltẽ acquiſiuit vim legis obligatoriæ ſub mortali cùm ſit in re grauiſſima, quia benedicitur cũ tot cęremonijs, inſufflationibus, oleorum Sacrorum mixtione, & tot orationibus, & alijs ritibus qui vtpotè pleni myſterijs conſtituunt hanc aquã neceſſario in baptiſmo ſolemni adhibendam ſub peccati mortalis pęna, aliter enim ad quid tot cęremonijs, & ritibus grauiſſimis vti, ſi ad libitum ſine culpa in baptiſmo ſolemni, ad quem ordinatur, eius benedictio poſſet prætermitti.

Adde quod pretermittere eius benedictionem in Sabbato ſancto præter neceſſitatis caſum, eſſet mortale grauiſſimum, & grauiſſimi apud Chriſtianos ſcandalĩ eſſet cauſa, & mulcta dignus haberetur Parochus qui ad libitũ eam prætermitteret, quia in re grauiſſima omittenda erraret, ita etiã in baptiſmo ſolemni ad libitum omittere vſum huius aquæ baptiſmalis benedictę, & aliam non benedictã adhibere extra caſum neceſſitatis eſſet graue peccatum mortale, quia & in re graui omittendo peccaret, & graue ſcandalũ paterentur hoc videntes fieri extra neceſſitatẽ. Ita etiã *Bonac. diſp. 2. de Bapt. q. 2. p. 7. nu. 19. Nugnus, q. 71. art. 4. concl. 2.* & eam videtur ſequi *Suarez loco citato*.

Quare valdè miror, quod *Antonius Quintanaduenas in ſuis ſingular. Theol. mor. ſingul. 22. de Baptiſmo* voluerit non peccare mortaliter omittentẽ vſu hac aqua benedicta in baptiſmo ſolẽni, quia omitteret rem in materia leui, & rẽ leuem putat hanc aquã benedictam adhibere in baptiſmo ſolemni, & eius omiſſionem leuem, Eccleſia ergo tot ritibus, & cæremonijs, & orationibus in hac aqua benedicenda rem ita leuem facit, vt eius vſus poſtea ommiſſus in baptiſmo ſolemni, leuis dicatur culpa? Vnde liberum ſit vnicuique eam negligere faciliter, dum ad peccatum mortalę non obligat, abſit hanc rem credere.

Vtrum Infans inuolutus in ſua ſecundina validè baptizetur.

DIFFIC. XLIX.

QVamuis *noſt Villal. in Sum. t. 1. trac. 5. diffi. 4. n. 2. Valẽ. t. 4. diſ. 4. q. 1. punc. 2. §. 5. ſequitur, Zãbr. de Sacr. Bap. c. 1. dub. 1. n. 7. & ſeq. Filiuc. trac. 2. c. 1. n. 31*, & alij admodũ probabiliter negãt validè baptizari, quia aqua debet tangere baptizandũ immediate, infans autẽ inuolutus in ſecundina non tangitur immediate ab aqua dum baptizatur in ipſa inuolutus, cũ enim pellis illa ſit denſa, & neruoſa immò duplex, quanam altera vocatur *Corion* ordinata ad vrinas, & excrementa recipienda, altera *Ammion* in qua ſudor recipitur, vndè nullo modo poteſt aqua baptiſmalis pertranſire ad puerum tangendum, ergo ſi in ipſa inuolutus baptizetur puer, inualidus eſt baptiſmus.

Attamen nõ improbabile puto infantẽ incluſum in ſua ſecundina validè baptizari, moueor, quod cum probabile admodum ſit apud Medicos, & Anatomiſtas, ſecundinã dici partẽ verã corporis pueri in ea inuoluti, cũ membrana ſit congenita cũ fętu ex eadẽ materia ſpermatica viri, qua generatur infans, & cũ fętu per venã vmbilicalẽ connectitur, imò docent ſecundinã præbere fetui vſum alimenti in nutritione præcipuè per dictã venã vmbilicalẽ cũ ipſa ſecundina coniunctã tranſmiſſi, & neceſſariã itidem cenſent ad cuſtodiendas partes ſenſus tactoris ipſius fętus, imò aſſerunt per venã vmbilicalẽ cum ſecundina coniunctã accipere fętum communẽ cum matre vitã, vide *Andreã Laurentium l. 3. Anathomiæ c. 23. Realdũ Columbinũ Anatom. l. 12. de format. fætus, & ſitu infantis in vtera, n. 249. qu. n. 247.* ait quod prius generatur membrana Allãtoides dicta, iecur, vena, porta caua, cor cerebrũ, & aliæ partes, & poſtea generatur ſecũdina, quæ articularis eſt ad modũ placentæ, & creſcit, & vegetat cũ partibus eſſẽtialibus fętus, vel ſaltem, vt pars fętui neceſſaria pręgeratur cordi cor cerebro, ac ceteris, vt docet Galenus, itaq; partẽ eſſe infantis neceſſariã eodem ſanguine, & nutrimẽto creſcentẽ cum infante.

Nec valet ſi dicatur, quod non eſt pars infantis vera, quia poſt natiuitatẽ non permanet, ergo nõ pertinet tanquã pars integralis ad integritatem infantis, nec ad perfectionẽ compoſiti, nã quod ſit pars neceſſaria fętui in vtero materno iam monſtratum eſt, quod autem non permaneat poſt natiuitatem non facit, quod non ſit pars integralis neceſſaria infanti in illo ſtatu, nam iuxta varios exiſtendi modos, quos temperamenti varietas ſecundum gradus ætatis parit natura, varias corpori cõparauit partes, ſic in pueritia dentes, in adoleſcentia ſemen, in iuuentute barbam homini dedit, & tamen ſine ipſis etiam eſt verè homo, ita etiam ſecũdina eſt pars fętus, & infantis cura donec à vena vmbilicali ſeparetur data à natura ſolum pro illo tempore tanquã neceſſaria, ergo eſt vera pars. Vnde nõ obſtat quod pars *ex Galeno 1. Meth. 5.* eſt illa, quæ reſpicit integritatem totius, quam nõ reſpicere ſecundinam aiunt Aduerſarij, quia potius reddit impedimentum ad actiones ſenſificas, & motiuas, quam pertineat ad eius vſum humanum, nam cum eodem ſanguine, & vita viuat qui fętus per vmbilicalem venam neceſſario dicitur eſſe pars ipſius, vnde definitur pars ab alijs non ſolum ea quæ pertinet ad integritatẽ totius, ſed etiam quod communi cum toto fungitur alimento, cõmunio enim alimenti cum toto eſt præcipua conditio, quod aliquid ſit pars totius vera.

Præterquam quod non omninò inutilis poſtquam immediate natus eſt infans eſt ſecũdina, quia donec vena vmbilicalis quæ coniuncta eſt ſecundinæ non ſit clauſa, & nudata ſemper ſecundina ex ſuis arterijs, & venis poteſt prębere parum alimenti & vitalis ſpiritus infanti, qui in ipſa incluſus eſt, nam ſecũdinę officiũ triplex eſt contegere, excrementa fętus retinere, & præcipuum alimentum præbere, quæ omnia nato extra matris ventrem per parum temporis confert tanquã pars ipſius fętus ſecundina; ergo vera eſt pars infantis etiam nati.

Quare cùm ex ſuperioribus patuerit, quod verus eſt baptiſmus quandocunque aqua contigerit quãlibet partem baptizandi etiã ſi ſolum capillos eius tetigerit aqua, ergo etiam probabiliter dicẽdum quod baptizatus in ſecundina ſeu infans inuolutus, validè ſit baptizatus, quia aqua tangit ſuam partem integralem verã, vndè poteſt verè dici immediatè eſſe ab aqua tactus, & aſperſus infans in ſua ſecundina inuolutus. Ita etiam nouiſſimè docet *Marcus Vidal in Arca vit. inq. 1. de Bap.* ſatis quidẽ erudite, & luculẽter.

Verum eſt tamen quod extra neceſſitatem non debet baptizans vti hac opinione, cùm tutior ſit prima, ſi tamen ea quis vtatur, puto validum eſſe baptiſmum, nec neceſſariò ſub conditione rebaptizandum.

Baro.

Qid ſit Baro, & an ſub eius nomine veniunt Comes, Marchiones, Duces, et alij Titulati. DIFFIC. I.

BAronis nomen varias habet ſui nominis æthimologias; etenim apud antiquos Latinos Baro dicebatur vir ineptus, ſtolidus, & vilis, vt videre eſt apud *Cic. lib. Famil. epiſt. 16.* vbi inquit. *Ille Baro putabat te queſiturum*, & hodie etiam Romę huiuſmodi homines vocantur vulgo *Baroni di Campo di fiore*, & ſub tali æthimologia hic non eſt ſermo. Apud Legiſtas ergo, & iura Ciuilia quia Barones, proceres, primates appellari ſolent, vt videre eſt *c. 1. de his qui feud. dar. poſſ. & fruc. de ſub feud. tit. 2. l. 1.* ideò aliunde quærenda eſt huiumodi nominis æthimologia, & deriuatio, putãt ergo multi Legiſperiti, quod hoc nomen Baronis à voce greca Βαρος deduci, quę noſtro idiomate hominẽ fortem vt magni corporis, & fortitudinis denotat, vt docet *Alber. in Dictionar. Afflict. tit. qui feud dar. poſſ.* conuenit hęc ſignificatio ab Effectu, quia antiquitus non pecunia emebatur Baronia, ſed dabatur in præmium Militibus, qui ſupra alios ſtrenuè, & fortiter ſe geſſerant in bello *ex c. ſi quis Miles tit. Conſtant Lotharij*, vnde in iure feudorum habetur, quod mutus, aut aliter imperfectus feuda tenere non poſſunt *toto titulo an mutus, & imperfectus, & tit. de paſſ. decrep. ætat. Gloſ. Paris, §. 8. gloſ. 1. q. 2. & nouiſſ. Tappia in conſtit. Regni officia ſub tit. de Official. n. 17.* Alij tamen cõtendunt, quod hoc nomen Baronis, deriuetur à voce Hebraica, quæ apud Latinos ſonat filium, quæ æthimologia conuenire videtur ex eo, quia prima origo infeudationis orta fuit ex filijs Imperatorum, & Regum, etenim quia ſolus primogenitus poterat ſuccedere in Imperio vel Regno *ex c. licet de voto* cum Regnũ non rectè capiat duos. *Andr. in c. Imperialem, §. preterea de prohib. feud. alien.* ideò Rex pater ſecundo genitos, & reliquos infeudabat de aliquibus Ciuitatibus vel Caſtris cum ſuis redditibus, & ſimplici iuriſdictione tantum. Sed quicquid ſit de huius nominis æthimologia, quia hodie vix propter merita dantur

lemniter, præciſa autem commiſſione Sacerdotis ſolum poſse baptizare eo modo, quo etiam Laici priuatim poſsũt baptizare.

Quod colligo etiã ex doctrina *Scoti, loc. cit.* vbi habet, quod regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus poſſe baptizare ſolẽniter, ergo aliquãdo poteſt alijs cõmitti ex doctrina *Scoti* cũ vox illa regulariter ſit extenſiua etiã ad alios aliquannĩ, ergo ſolũ ad Diaconos ex cõmiſſione Sacerdotis, vt docet *gloſ. in c. Diac. lo. ci.*

Ratio autem propter quam baptiſmus ſolemniter à Diacono poteſt miniſtrari ex commiſſione Sacerdotis innuitur a *Coninch loc. cit.* ex doctrina *Caiet.* quia nimirum conuenit Diacono inſeruire Sacerdoti, atque ita omnia, quæcumq; facit vt Diaconus, debet ea facere vt inſeruiens Sacerdoti, quod ſi aliquando poſſet ſolemniter celebrare abſq; Sacerdote, non faceret hoc, vt inſeruiens Sacerdoti, ſed quaſi iure ſuo, nã ea in re non poſſet dici inſeruire Sacerdoti, ſecus eſt quando ſolemniter baptizaret ex cõmiſſione Sacerdotis, quia tunc quodammodo inſeruiret Sacerdoti, dum eius mandato obſequitur.

Ceterum hæc ratio mihi non ſatisfacit, quia Diaconus ſolum inſeruit Sacerdoti celebranti, nec poteſt aliquid Sacerdos ei cõmittere quod ſit ſupra ordinem Diaconatus, & ratione Diaconatus ei non conueniat, tanto minus poteſt eo cõmittere aliquod extra actum celebrationis, quod non poſſit facere in quãtũ ordo Diaconatus permittit, ſi ergo ratione Diaconatus nõ cõpetit Diacono ſolẽniter baptizare tãquã officiũ ſupra ordinẽ Diaconatus nõ poterit ex ſimplici cõmiſſione Sacerdotis ſolẽniter baptizare.

Quare dicendum puto, quod ratione Diaconatus Ordinis cõpetit baptizare copulatiuè cum cõmiſſione Sacerdotis, vt Sacerdoti ratione ordinis competit abſoluere à mortalibus copulatiuè cum iuriſdictione accipienda ab Ordinario, vel Delegato, ſicut ergo Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis non poteſt validè, nec licitè abſoluere ſine iuriſdictione accepta extra articulũ mortis, ita etiam Diaconus ex vi ſuæ ordinationis non poteſt ſolemniter baptizare abſque commiſſione Sacerdotis licitè, & ſine peccato, licet validè baptizaret tanquam homo, non tanquam Diaconus, vt Diaconus, ſed ſicut quilibet etiam Laicus.

Dico ſecundò, quòd licet *Coninch, loc. cit. & Hurtad. de Sacr. Pœn. diſp. 4. diffic. 4.* velint Diaconum baptizantem ſolemniter abſq; Sacerdotis cõmiſſione incurrere irregularitatẽ, quia exercet actum ordinis, quem non habet, attamen cum irregularitas non incurratur, vt docebo ex *noſt. ſubtili Doct. V. Irregularitas*, niſi exprimatur in iure, nec reperiatur inflicta irregularitas Diacono in hoc caſu, & cenſeant aliqui Theologi probabiliter non competere Diacono baptizare ſolemniter ex vi ordinis, ſequitur dicendum probabilius non incurrere irregularitatem ſi ſolemniter Diaconus baptizet.

Vtrum amens, vel infirmus loquela priuatus, vel letargo oppreſſus ſit baptizandus, ſi referatur quod ante amentiam, vel infirmitatem, deuotè baptiſmum petierit, & an vnus teſtis hoc probet ſufficienter. DIFFIC. XLVII.

DIco primò, quòd furioſi Amentes, loquela priuati, vel lætargo oppreſſi, ſi referatur, quod ante amentiam, furorem, loquelam amiſſam, & lętargi incurſũ petierint humiliter, & deuotè baptiſmum, & conſtet ante dictos caſus non habuiſſe voluntatem contrariam, cum ſit piè ſupponendum eandem de baptiſmo ſuſcipiendo durare voluntatem in ipſis debent baptizari, nã conſenſus habitualis ſufficit ad recipiendũ baptiſmum, modo nõ fuerit corruptus poſtea à contraria volitione. Ita *noſt. ſubtiliſſimus Doctor in 4. diſt. 4. q. 4. Suar. 3. p. diſp. 24. ſect. 1. nu. 2. Henriq. l. 2. c. 24. nu. 4.* immò etiam in furia baptizandum docet *Henriq.* & in eadem exiſtentem ligari debere, ſi renuat, vt ei baptiſmus conferri valeat addo cum *Sancio in Select. diſ. 44. nu. 42.*

Aduertendum eſt tamen cum noſtro Doctore, quod ſi ſpes ſit amentem, & furioſum, loquela priuatum, & lætargo oppreſſum à talibus liberandos impedimentis ante mortem, debet expectari tempus congruum ad hoc vt maiori reuerentia, & deuotione ſuſcipiant Sacramentum, quod ſi non ſit ſpes, & periculum ſit in mora, baptizandi ſunt omni meliori modo.

Nec valet ſi dicas quod in conficienda Euchariſtia, eaque ſumenda non ſufficit habitualis intentio, ergo nec in ſuſcipiendo baptiſmo, nam maior intentio requiritur in agente, quàm in patiente, agere enim cùm ſit actus humanus debet humano modo fieri, ideſt debet præſupponere in agente humano modo vſum rationis actualem, at vero ad ſuſcipiendum non requiritur neceſſario actus humanus, cùm non requirat paſſio ex ſe actũ diſcurrendi pro tunc, vnde paruuli non habentes vſum rationis validè baptizantur, itaque de ratione ſuſcipiendi baptiſmi non eſt exercere actum humanum, & ideò in adulto ſufficit intentio habitualis non interrupta à contrario diſſenſu; ad ſuſceptionem autem Euchariſtiæ, licèt ſufficeret etiam conſenſus habitualis, cùm tamen non ſit Sacramentum neceſſitatis, ſicut baptiſmus, & pœnitentia, regulariter non datur niſi actu vtentibus ratione, maximè cùm maiorem reuerentiam, & deuotionem requirat huius Sanctiſſimi Sacramenti ſuſceptio.

Dico ſecũdò, quòd licet aliqui putauerint eſſe neceſſarios plures Teſtes ad teſtificandum de voluntate baptiſmi ſuſcipiendi in pręfatis caſibus, & præcipuè ex *Conc. Cartag. c. 78. & c. 15. & 25. q. 6.* vbi habetur *dent teſtimonium, qui eum audierunt, & ex Conc. Aurific. 1. c. 2.* vbi habetur, *teſtimonium aliorum verbis habeat, & à Leone Papa Epiſt. 8.* dicitur *Teſtimonia eis fidelium circumſtantiam ſuffragentur.*

Attamen communius Doctores vnum Teſtem ſiue fidelem, ſiue infidelem ſufficere volunt ad verificandam intentionẽ eius, qui petijt baptiſmum, vel pœnitentiam ante amentiam, & præfatos caſus incurſos, vt optimè notat *Felinus in c. veniens, nu. 8. de Teſtibus*, quia vbi non agitur de præiudicio alterius ſtandum eſt dicto vnius modò iuret, licet *Sancius loc. cit. nu. 35.* neget requiri iuramentum, quia nimis impium eſſet mentiri velle in tali facto, immò teſtem infidelem etiam Hæreticum dicit ſufficere, quia tanto magis debet præſupponi hoc verum fuiſſe, ſi ab infideli teſtificetur, qui ſanè nollet ab eo recipi Sacramenta, quod ſanè pium eſt aſſerere; Concilia autem, & auctoritates ſupracitatæ ad ſuperabundantiam loquuntur, non autem neceſſario plures teſtes requiri in tali caſu determinant.

An verò in præfatis caſibus dandus ſit baptiſmus, vel pęnitentia conditione mente retenta ſaltẽ, ſcilicet ſi habuiſſe ante amentiam, ſenſuum deſtitutionem, & lætargum ſuſcepi ea de baptiſmum, vel pęnitentiam, *ego te baptizo*, vel *abſoluo*, bonum eſt vtique conſilium, ità ex *Scoti* doctrinã colligi poteſt in ſuperioribus, & expreſsè docent *Regin. in prax. t. 1. l. 8. c. 3. Zambr. de caſ. tẽpore mortis, trac. 4. et Dianã, ſ. 3. tract. 3. reſ. 5. & p. 5. tr. 3. reſ. 21.*

Dico tertiò, quòd quomodocunque oriatur dubium, ſcilicet, quod Teſtis dubitet verè in vſu rationis, an verò in phræneſi petierit, vel ſi dubitetur an viuus, an mortuus, vel ſi dubitetur an diſcenſerit, & noluiſse baptiſmum in amentia, an verò in vſu rationis debet ſub conditione baptizari ſicut etiam in alijs dubijs, quæ poſsent in hac materia ſuboriri, quia in dubio de intentione ſuſcipientis tutior pars eligitur, ſi cum appoſita cõditione baptizetur, ita enim nulla fit iniuria Sacramento, & conſulitur ſaluti ſuſcipientis. Vt etiam ex *Scoti* doctrina colligitur *loc. cit.* & docent etiam *Henriq. l. 2. c. 24. nu. 4. et Sanc. loc. cit.*

Quod autem aliqui contra totam difficultatis huius doctrinã opponunt, ſcilicet nullo modo infideli in talibus caſibus dandum baptiſmum, niſi conſtet Trinitatis, & Incarnationis miſteria cognouiſſe, quia baptiſmus non poteſt conferri neſcienti miſteriũ Trinitatis, & Incarnationis, nam probabilis eſt opinio ſufficere, quod baptizandus ſaltem implicitè noſcat miſteria Trinitatis, & Incarnationis, vt ex doctrina *Scoti V. Fides*, docebitur, & teſtatur etiã *noſt. Villal. t. 2. trac. 1. diffi. 4. nu. 13.* petens autem infidelis adultus baptiſmũ ſanè credit in Sanctã Eccleſiam Catholicã, & Chriſti fidẽ proteſtatur veram, dum eius baptiſmum petit, eiuſq; Filijs, & membris poſtulat per baptiſmum cooptari, quare veram fidem implicitam habet miſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, imò piè baptizans poteſt ſupponere in tali periculo habuiſſe notitiam expreſſam Trinitatis, & Incarnationis, dum petijt in vſu rationis baptiſmum, optimum tamen cõſilium eſt in præfatis caſibus vti conditione mente ſaltem retenta in baptizando. Ita etiam *Henriq. Sancius, & Dianam, loc. cit.*

Vtrum ſit læthalis culpa baptizare ſine aqua benedicta baptiſmali dicta in baptiſmo ſolemni. DIFFIC. XLVIII.

DIco primò, quòd baptizare ſine aqua baptiſmali benedicta in baptiſmo ſolemni ſtante aliqua neceſſitate, puta quia tẽpore frigidiſſima hyemis, vel in locis frigidiſſimis aqua baptiſmalis benedicta eſt glaciata, vel frigidiſſima, ita vt, vel non adſit tẽpus eam diglaciandi imminente periculo mortis baptizandi, vel quia cùm non adſit commoditas eam honeſtè calefaciendi, & ſi adhiberetur ita frigida, & baptiſmo timeretur infantulo tenello ſalutis periculum ſaltem probabile, non eſſet peccatũ mortale, & licitè poſſet baptizans vti alia aqua naturali non ita frigida, vel tepe facta, quia præcepta poſitiua, & conſuetudinis non obligant cũ tanto incommodo, & periculo, quando res omiſſa non ſit de forma, & ſubſtãtia facti, vt probabimus ſuo loco, & paſſim docent antiquiores, & recentiores, itaq; cũ baptizare cũ aqua illa

baptiſ-

baptiſmali non ſit de forma, & ſubſtantia baptiſmi, non videtur obligare ſub mortali eius vſus in prefatis, & cōſimilibus caſibus.

Dico ſecundò, quòd aquam benedictam omittere ad libitum extra caſum neceſſitatis in baptiſmo ſolemni mortale peccatum probabilius puto, quod mihi ſuadetur, quod conſuetudo antiquiſſima in Eccleſia ab Apoſtolorū tempore inducta, vt docent SS. *PP. Baſilius, Cyprianus, Dyoniſius, Auguſtinus, Ambroſius, quos citant Suar. diſp. 31. ſec. 2. de Sacr. V aſ. diſ. 156. de Bap. c. 2. n. 8. & Henriq. l. 2. c. 6 n. 4. lit. C*, aſſerentes in hac aqua benedicta includi Sacratiſſima myſteria omninò ſupponi debeat eius vſus mandatus fuiſſe ab Eccleſia, vndè per continuū eius vſum in baptizādo ſolemniter ſaltē acquiſiuit vim legis obligatoriæ ſub mortali cùm ſit in re grauiſſima, quia benedicitur cū tot cęremonijs, inſufflationibus, oleorum Sacrorum mixtione, & tot orationibus, & alijs ritibus qui vtpotè pleni myſterijs conſtituunt hanc aquā neceſſario in baptiſmo ſolemni adhibendam ſub peccati mortalis pęna, aliter enim ad quid tot cęremonijs, & ritibus grauiſſimis vti, ſi ad libitum ſine culpa in baptiſmo ſolemni, ad quem ordinatur, eius benedictio poſſet prætermitti.

Adde quod pretermittere eius benedictionem in Sabbaro ſancto præter neceſſitatis caſum, eſſet mortale grauiſſimum, & grauiſſimi apud Chriſtianos ſcandalī eſſet cauſa, & mulcta dignus haberetur Parochus qui ad libitū eam prætermitteret, quia in re grauiſſima omittenda erraret, ita etiā in baptiſmo ſolemni ad libitum omittere vſum huius aquæ baptiſmalis benedictę, & aliam non benedictā adhibere extra caſum neceſſitatis eſſet graue peccatum mortale, quia & in re graui omittendo peccaret, & graue ſcandalū paterentur hoc videntes fieri extra neceſſitatē. Ita etiā *Bonac. diſp. 2. de Bapt. q. 2. p. 7. nu. 19. Nugnus, q. 71. art. 4. concl. 2.* & eam videtur ſequi *Suarez loco citato*.

Quare valdè miror, quod *Antonius Quintanaduenas in ſuis ſingular. Theol. mor. ſingul. 22. de Baptiſmo* voluerit non peccare mortaliter omittentē vſu hac aqua benedicta in baptiſmo ſolēni, quia omitteret rem in materia leui, & rē leuem putat hanc aquā benedictam adhibere in baptiſmo ſolemni, & eius omiſſionem leuem, Eccleſia ergo tot ritibus, & cæremonijs, & orationibus in hac aqua benedicenda rem ita leuem facit, vt eius vſus poſtea ommiſſus in baptiſmo ſolemni, leuis dicatur culpa? Vnde liberum ſit vnicuique eam negligere faciliter, dum ad peccatum mortale non obligat, abſit hanc rem credere.

¶ Vtrum Infans inuolutus in ſua ſecundina validè baptizetur.
DIFFIC. XLIX.

QVamuis *noſt Villal. in Sum. t. 1. trac. 5. diffi. 4. n. 2. Valē. t. 4. diſ. 4. q. 1. punc. 2. §. 5. ſequitur, Zābr. de Sacr. Bap. c. 1. dub. 1. n. 7. & ſeq. Filiuc. trac. 2. c. 1. n. 31.*, & alij admodū probabiliter negāt validè baptizari, quia aqua debet tangere baptizandū immediatè, infans autē inuolutus in ſecundina non tangitur immediate ab aqua dum baptizatur in ipſa inuolutus, cū enim pellis illa ſit denſa, & neruoſa immò duplex, quarum altera vocatur *Corion* ordinata ad vrinas, & excrementa recipienda, altera *Ammion* in qua ſudor recipitur, vndè nullo modo poteſt aqua baptiſmalis pertranſire ad puerum tangendum, ergo ſi in ipſa inuolutus baptizetur puer, inualidus eſt baptiſmus.

Attamen nō improbabile puto infantē incluſum in ſua ſecundina validè baptizari, moueor, quod cum probabile admodum ſit apud Medicos, & Anatomiſtas, ſecundinā dici partē verā corporis pueri in ea inuoluti, cū membrana ſit congenita cū fętu ex eadē materia ſpermatica viri, qua generatur infans, & cū fętu per venā vmbilicalē connectitur, imò docent ſecundinā præbere fętui vſum alimenti in nutritione præcipuè per dictā venā vmbilicalē cū ipſa ſecundina coniunctā tranſmiſſi, & neceſſariā itidem cenſent ad cuſtodiendas partes ſenſus tactoris ipſius fętus, imò aſſerunt per venā vmbilicalē cum ſecundina coniunctā accipere fętum communē cum matre vitā, vide *Andreā Laurentium l. 3. Anathomiæ c. 23. Realdū Columbinū Anatom. l. 12. de format. fœtus, & ſitu infantis in vtero, n. 249. qu. n. 247.* ait quod prius generatur membrana Allātoides dicta, iecur, vena, porta caua, cor cerebrū, & aliæ partes, & poſtea generatur ſecūdina, quæ articularis eſt ad modū placentæ, & creſcit, & vegetat cū partibus eſſētialibus fętus, vel ſaltem, vt pars fętui neceſſaria pręgeratur cordi cor cerebro, ac cęteris, vt docet Galenus, itaq; partē eſſe infantis neceſſariā eodem ſanguine, & nutrimēto creſcentē cum infante.

Nec valet ſi dicatur, quod non eſt pars infantis vera, quia poſt natiuitatē non permanet, ergo nō pertinet tanquā pars integralis ad integritatem infantis, nec ad perfectionē compoſiti, nā quod ſit pars neceſſaria fętui in vtero materno iam monſtratum eſt, quod autem non permaneat poſt natiuitatem non facit, quod non ſit pars integralis neceſſaria infanti in illo ſtatu, nam iuxta varios exiſtendi modos, quos temperamenti varietas ſecundum gradus ætatis parit natura, varias corpori cōparauit partes, ſic in pueritia dentes, in adoleſcentia ſemen, in iuuentute barbam homini dedit, & tamen ſine ipſis etiam eſt verè homo, ita etiam ſecūdina eſt pars fętus, & infantis cura donec à vena vmbilicali ſeparetur data à natura ſolum pro illo tempore tanquā neceſſaria, ergo eſt vera pars. Vnde nō obſtat quod pars *ex Galeno 1. Meth. 5.* eſt illa, quæ reſpicit integritatem totius, quam nō reſpicere ſecundinam aiunt Aduerſarij, quia potius reddit impedimentum ad actiones ſenſificas, & motiuas, quam pertineat ad eius vſum humanum, nam cum eodem ſanguine, & vita viuat qui fętus per vmbilicalem venam neceſſario dicitur eſſe pars ipſius, vnde definitur pars ab alijs non ſolum ea quæ pertinet ad integritatē totius, ſed etiam quod communi cum toto fungitur alimento, cōmunio enim alimenti cum toto eſt præcipua conditio, quod aliquid ſit pars totius vera.

Præterquam quod non omninò inutilis poſtquam immediate natus eſt infans eſt ſecūdina, quia donec vena vmbilicalis quæ coniuncta eſt ſecundinæ non ſit clauſa, & nudata ſemper ſecundina ex ſuis arterijs, & venis poteſt prębere parum alimenti & vitalis ſpiritus infanti, qui in ipſa incluſus eſt, nam ſecūdinę officiū triplex eſt contegere, excrementa fętus retinere, & præcipuum alimentum præbere, quæ omnia nato extra matris ventrem per parum temporis confert tanquā pars ipſius fętus ſecundina, ergo vera eſt pars infantis etiam nati.

Quare cùm ex ſuperioribus patuerit, quod verus eſt baptiſmus quandocunque aqua contigerit quālibet partem baptizandi etiā ſi ſolum capillos eius tetigerit aqua, ergo etiam probabiliter dicēdum quod baptizatus in ſecundina ſeu infans inuolutus, validè ſit baptizatus, quia aqua tangit ſuam partem integralem verā, vndè poteſt verè dici immediatè eſſe ab aqua tactus, & aſperſus infans in ſua ſecundina inuolutus. Ita etiam nouiſſimè docet *Marcus Vidal in Arca vit. inq. 1. de Bap.* ſatis quidē erudite, & luculēter.

Verum eſt tamen quod extra neceſſitatem non debet baptizans vti hac opinione, cùm tutior ſit prima, ſi tamen ea quis vtatur, puto validum eſſe baptiſmum, nec neceſſariò ſub conditione rebaptizandum.

Baro.

Qid ſit Baro, & an ſub eius nomine veniunt Comes, Marchiones, Duces, et alij Titulati. DIFFIC. I.

BAronis nomen varias habet ſui nominis æthimologias; etenim apud antiquos Latinos Baro dicebatur vir ineptus, ſtolidus, & vilis, vt videre eſt apud *Cic. lib. Famil. epiſt. 16.* vbi inquit. *Ille Baro putabat te quæſiturum*, & hodie etiam Romę huiuſmodi homines vocantur vulgo *Baroni di Campo de fiore*, & ſub tali æthimologia hic non eſt ſermo. Apud Legiſtas ergo, & iura Ciuilia quia Barones, proceres, primates appellari ſolent, vt videre eſt *c. 1. de his qui feud. dar. poſſ. & fruc. de ſub feud. tit. 2. l. 1.* ideò aliunde quærenda eſt huiuſmodi nominis æthimologia, & deriuatio, putāt ergo multi Legiſperiti, quod hoc nomen Baronis a voce greca *Baρος* deduci, quę noſtro idiomate hominē fortem vt magni corporis, & fortitudinis denotat, vt docet *Alber. in Dictionar. Afflict. tit. qui feud. dar. poſſ.* conuenit hęc ſignificatio ab Effectu, quia antiquitus non pecunia emebatur Baronia, ſed dabatur in præmium Militibus, qui ſupra alios ſtrenuè, & fortiter ſe geſſerant in bello *ex c. ſi quis Miles tit. Conſtant Lotharij*, vnde in iure feudorum habetur, quod mutus, aut aliter imperfectus feuda tenere non poſſunt *toto titulo an mutus, & imperfectus, & tit. de paſs. decrep. ætat. Gloſ. Paris. § 8. gloſ. 1. q. 2. & nouiſs. Tappia in conſtit. Regni officia ſub tit. de Official. n. 17.* Alij tamen cōtendunt, quod hoc nomen Baronis, deriuetur à voce Hebraica, quæ apud Latinos ſonat filium, quæ æthimologia conuenire videtur ex eo, quia prima origo infeudationis orta fuit ex filijs Imperatorum, & Regum, etenim quia ſolus primogenitus poterat ſuccedere in Imperio vel Regno *ex c. licet de voto* cum Regnū non rectè capiat duos. *Andr. in c. Imperialem, §. præterea de probib. feud. alien.* ideò Rex pater ſecundo genitos, & reliquos infeudabat de aliquibus Ciuitatibus vel Caſtris cum ſuis redditibus, & ſimplici iuriſdictione tantum. Sed quicquid ſit de huius nominis æthimologia, quia hodie vix propter merita dantur

tur

tur Baroniæ,nec ſolùm filij Regni,ſed venales ſunt, & qui maiorem habet pecuniæ copiam,maio tem poteſt nanciſci baroniam, ſiue ſit ignobilis, ſiue nobilis ex *l. Iuriſtæ* antiquiores voluerint Baronias pretio obtentas non conferre dignitatem, & nobilitatem veram,vt notat *de Ponte in trac.de Pot. Proreg. tit.de elect. offic.* §.8. *n.*20. & quod non ſit propriè feudum,quod pecunia obtinetur docet *Bald. in proham. feud. & ibi Aluar.* & alij, tamen hodie ex priuilegio particulari Regum etiam pretio emptæ baroniæ dant nobilitatem, & dignitatem. Quare

Dico primò, quòd Barones dicuntur hodie, qui præheminentiam cum iuriſdictione habent ſuper vaſſallos in Terra infeudata. Ita *Caſſan. in Cathalogo glor. mundi,par.8. & Petra de poteſt. Princ.fol.97.* Aduertunt tamen Iuriſtæ, quod ſola feudi quaternati conceſſio non tribuit dignitatem baronalem,ſed neceſſe eſt, vt terra, & feudum conceſſum ſit expræſsè in inueſtitura Baroniæ,aliàs ſi non adeſset ſpecifica inueſtitura Baroniæ non eſſet dicendus talis Terræ,vel feudi Dominus Baro,ſed ſolùm feudatarius,nam cùm Baronia ſit dignitas,& caput dignitatum,ſpecificè à Principe concedenda,*l.1.§.cum Vrbem,ff. de offi.Præſid. Andr.in conſtit Regni poſt mortē, & c.1.§.fin.de cap. qui cur.vendid. & de Ponte conſ.57. nu.35. Afflict. in conſtit ſi dubitatio.*

Aduerte tamen, quod licèt in Regno hoc Neapolitano Baro verus dicatur, qui habet vnum Caſtrum, vel feudum cum inueſtitura baroniæ, attamen in Gallia aliud obſeruatur, vt non dicatur verus Baro,niſi habeat ſub ſe decem ſubfeudatarios, nec poteſt quis dici Dux niſi habeat decem Comites,vt refert *Freccia l.1.tit 2. tract. de ſub feud.* ex qua concluſione ad noſtrum propoſitum pro conſcientiæ moderamine

Colligunt Confeſsatij, quod licet ſimplices feudatarij, quibus non eſt data Terra,vel feudum cum inueſtitura Baroniæ,velint ex eo, quia priuantur hac dignitate Baronali non poſse exigere à Vaſsallis adiutoria, quæ conceduntur Baronibus in caſibus taxatis *in conſtit.qui plurimum*,vt docēt *Gramm.conſil. ciuil. 68. & Afflict.in conſtit. Regni Comites* quia tales feudatarij ſimplices nec benigna, nec pęnali Baronis appellatione compræhēduntur, attamen benignius multi ex Iuriſperitis recentioribus præcipuè *Frecc.2. auct.nu.*10.*& Capibl. de iure Baron. pragm. p. nu.67.* aiunt poſse etiam feudatarios ſimplices, imò & ſubfeudatarios gaudere tali priuilegio conſtitutionis quam plurimum, non in iſta concedatur,an poſſint exigi adiutoria à Vaſsallis non ſpecificando an Vaſsalli ſint Baronum, Ducum, vel Comitum, cùm ergo feudatarij,& ſubfeudatarij ſint veri Baroni,& habeant veros Vaſsallos,extendenda eſt conſtitutio ad Vaſsallos feudatariorum, & ſubfeudatariorum,priuilegium enim Principis eſt latè interpretandum.

Tu vero conſuetudinem legitimè in hoc caſu introductā, cōſidera. quæ ſi inualuerit contra Vaſsallos tuta conſcientia poteſt ſequi ſecunda opinio in fauorem feudatariorum, & ſub feudatariorum, quod ſi non adſit conſuetudo legitimè introducta, vtere in foro conſciētiæ prima opinione, quam in pęnalibus ſtricta eſt facienda interpretatio etiam apud Canoniſtas, & Priuilegium Principis eſse latè interpretandum quandocunque non eſt præiudicium tertij, probabimus infra *V. Priuilegium*.

Dico ſecundò,quòd licet Titulati Comites,ſcilicet Marchiones,Duces,& Principes velint *Geminian.l.fundamenta,§. fin. de elect. in 6.* & alij, quod non veniant nomine Baronum, cùm ſint maiores gradus, quàm Barones, attamen communis volunt Iuriſtæ compræhendi ſub nomine Baronum prædictos Titulatos, nam Baro eſt genus, ſub quo continentur ceteræ dignitates tanquàm ſpecies, *ex l.fin.§ fin.ff.de Trit.vino,& oleo*, Baronia enim dicitur caput dignitatum Regalium; poſito autem genere veniunt ſpecies,itaque Titulati veniunt ſub nomine Baronum,ſiue dignitates iſtę regales fuerint conceſsæ perſonis, ſiue locis,differunt autē iſti Tituli cōceſſi perſonæ,& locis,nā cōceſſi perſonæ, cum perſona pereunt,nec hæredes tranſeunt, conceſſi autē locis tranſeunt ad ſucceſsores cum dominio loci, quia loco ſunt affixi.

Porrò non impedit, ne Princeps, Dux, Marchio, vel Comes creatus dicatur etiam Baro, nam titulus adiectus licet ſit maior primo tollit proprietatem perſonæ, hinc Senator electus in Imperatorem,adhuc Senator eſt, & Notarius factus Præſul adhuc eſt Notarius. *l. Præclarum,c.de Princip.l.72. & Franc deciſ.445. Boer.deciſ.*158.*l.ius Senatorum c.de dignit.l.*10.quare Princeps, Dux,Comes, Marchio verè dicitur Baro,& in Regno Neapolitano Titulati dicuntur Barones ſuarum Terrarum, & gaudent Baronum pręrogatiuis, & maioribus etiam deinde iuxta ſuorum graduum excellentiam: itaque tam ſub benigna,quàm ſub pęnali appellatione Baronum veniunt Titulati ex communiori Iuriſtarum opinione. Vnde prudens Confeſsarius ad multos caſus in praxi poterit ex hac doctrina prudenter, & cautè reſpondere.

An perſonæ Eccleſiaſticæ, et fœmina baronali titulo, & officio, ſeu iure poſſint gaudere. DIFFIC. II.

DIcendum primò,Eccleſiaſticis perſonis etiam Regularibus, quam plurimas Terras,& Caſtra à priſtinis Imperatoribus, & Regibus conceſſa fuiſſe cum inueſtitura veræ Baroniæ; de facto practicatur in hoc Regno Neapolitano, & alibi; itaque non eſt cur hanc doctrinam de iure veram probemus;illud tamen verum eſt, quod licet ſint perſoniæ Eccleſiaſticæ exemptæ à Poteſtate,& iuriſdictione Principis Sæcularis, tamen ratione rei feudalis ſubijciuntur feudalibus ſeruitijs, vt probat *Couar. pract.qq. c.4.* & conſequenter Eccleſias,& Prælatos,& alias Eccleſiaſticas perſonas compręhendi ſub rubrica conſtitutionum baronali ſi feuda laicalia tenent, docet *Afflict. conſt. Reg. Comites*, quod intellige in ciuilibus ſolùm pertinentibus ad feudalia ſeruitia, & impoſitiones,nullo autē modo in criminalibus, & perſonalibus, nam quoad perſonalia per ſubſtitutos præſtanda ſunt ab Eccleſiaſticis,vt alibi etiam dicetur *V. Clericus*, & *V. Epiſcopus.*

Dico ſecundò,quòd licèt fęminę de iure fęudorum ſunt incapaces fæudorum,Baroniarū,& dignitatum, *c.1.§. hæ autē de his, qui feud.dar.poſs.* vtpotè quæ perſonaliter nequeūt Regi ſeruire, & pro ipſo pugnare,præterquam quod de iure interdicitur fęminis habere iuriſdictionem,& merum imperium *ex l.fœmina, ff. de Reg.iur.Vnde Lucas de Penna,l.pæn.C.de profeſ.lib.*10.docet, quod ſi populos regant fęminæ, non erit gens quæ non reclamet,cum eorum conſilia ſint fragilia, vota lubrica, & patiantur multos defectus, quos recēſet *Viuius deciſ.246.* attamen in Regno aliter eſt receptum,cùm fęminæ ſint habilitatæ,& factæ capaces fęudorum,& dignitatum tam per inueſtituram, quàm per ſucceſſionem, *vt in conſtit. Regni.* Vt de ſucceſſionibus tā in Ruſticis,quàm in Regalibus *Frāch.deciſ.7.*& tam in feudo antiquo, quàm nouo, vide *Frecc.l.2.q.12.& Franch.deciſ.23.n.*15.& hoc iure optimo,quia fęminæ huius Regni videntur eſſe magis viriles tam ingenio,quàm viribus, vnde laboribus, tam mentalibus, quàm corporalibus viris ipſis ferè æquiparantur.

Dico tertiò,quòd ſi fęmina habens feudum Baroniam, vel dignitatem nubat,& pro dote aſſignetur feudum, ad maritum trāſit dominium, & iuriſdictio vnà cum titulo ſine alia inueſtitura, & ipſe ad parlamenta habet vocem, & potitur omnibus prærogatiuis, quibus mulier eſt inſignita,mortua autem vxore, gaudet maritus titulo,non autem iuriſdictione,niſi alio titulo ſibi poſtea illam acquirat, gaudet enim titulo ex illo axiomate communi, quod finita dignitate debetur etiam idem honor. *l.fi. C. de priuil. eor.qui in Sacr Pal. lib.19.* vide *Rouitum tit. de titulo abne n.*81. Quare fęminæ gaudētes priuilegijs baronialibus, Baronum etiā oneribus perſonalibus ſaltem per ſubſtitutum, & pęnis omnibus ex regula illa, quod maſculinum concipit fęminum, vbi eadem ratio vrget, *vide Tiraq. de retractat. §.1. gloſ.9. ex nu.*137. nam gaudentes priuilegio feudorum,debent etiam eorum legibus pęnalibus ſubijci. *Vide Grammat. conſt. ciu.*102.

Quales debeant eſſe Barones etiam in foro conſcientiæ. DIFFIC. III.

NOtandum quod cùm Barones ſint veri Domini,& ad Vaſſallorum regimen deſtinentur, poteſt eorum qualitas attendi non ſolùm circa æthicam,quę ad ſuimet directionem pertinet,verum etiam circa Politicam, quæ ad populorum, & gentium gubernationem ſpectat, ideò qualitas ipſorum quoad vtrāque partem à prudenti Confeſſario in foro conſcientiæ dirigendi hinc vtraque eorum qualitas ſummariè,& breuiter in hac difficultate prænuncianda.

Dico primò,quod Baronus ſicut cęteri Titulati,& Superiores omnes tenentur arctiori vinculo in ſcipſos dirigere,vt vnuſquiſque ſe præbeat normam, & exēplum virtutum Subditis, etenim qui malè facta alterius debet corrigere, ſeipſum debet antea caſtigare,& bonum præbere. *l.iuſtas c.de iur.fiſc.lib.12. & in c.porrò 9.qu.6.* quomodo enim poterunt increpare malefactores,adulteros,& fures,ſi ipſi furantur,deprædantur, vel adulterantur,vt inquit *text.l.ſi Vxor,§.Iudex,ff.ad leg.Cornel.de Adult.* præterquā quod Subditi, Superiorum veſtigia, & mores inſequuntur, non aliter quàm vmbra corpus,vnde apud *Eccleſiaſt.* Spiritus Sāctus, qualis enim rector populi,tales, & Miniſtri, & habitantes in terra,quare optimè cecinit Claudianus.

Nec

Nec tam flectere ſenſus humanus edicta valent, quam vita Regentis, Mobile cum ſemper mutatur Principe Vulgus.

Barones ergo, & reliqui ſuperiores non ſolum debent eſſe boni in ſe, ſed etiam propter alios, quos regit, nam mores ſuperioris certa animi inflexione in recta, vel mala viuendi regula ſubiectos retinent, quam pœnæ, vel præmia, cum non tantum verbis præcipiat, qui regit, quam exemplis, quod non vi, nec ferro impellit ſubditos ad bonum, vel malum impellit, ſed pudor, vel timor iniectus, ne faciant ipſi ea, quæ vidēt ſuum Dominum odiſſe, exempla enim magis mouent, quam alia, Barones igitur, & ſuperiores toties peccant, & tot mortibus ſunt digni, quot perditionis exempla ad ſubditos tranſmittunt. Ita ex ſacris Canonibus clare dicitur eſt maximè ex *c. quicumque, & c. præcipuè* q. 3. & *Luc. de Penna l. exemplo C. de recur. l.* 10. & *l. ſi vacantia C. de bon. vacant. l.* 12. multa pro iſta couclusione congerit.

Aduertant ergo Confeſſores ſuperiorum illis inſinuare, quod ſtudeant publicè præcipuè ſe bene morigeratos, & virtutis exempla præbeāt, iniquitates ſe odiſſe demonſtrent, nā ſcriptum eſt *Prouerb.* 25. Aufer impietatem de vultu ſuperioris, & firmabitur iuſtitia thronus eius, aliter ſæpe eis comminentur, quod in hoc ſæculo, & in alio ſaltem certiſſimè de malo exemplo, quod dant ſuis vaſſallis ſtrictam rationem reddituros, & acerrimas pœnas Deo daturos.

Moneant Confeſſarij dominos, quibus ſunt à confeſſionibus, ne voluptatibus, venationibus, muſicis, & ludis dēt operam, quia nimia voluptas virtutū eſt extinctiua, 2. 2. *q. 6. c. quicumque, et l. venatoribus, C. de excuſand. muner. l.* 12. ſic dicitur Eſau ideo malus, quia venator *gloſ. c. 1. de Cler. venat.* non tamen prohibendi ſunt ſuperiores ab honeſtis recreationibus, recreandus enim animus Principis, nam oblectatus, & dilatatus fit promptior ad onera, & labores regiminis ſubeundos, exceſſus. n. tantummodo reprehendendi, & hæc quoad æthicam viuendi rationem.

Dico ſecundò, quod Barones, & ſuperiores, quo ad politicū modum regendi vaſſallos, ſubditos, non ſolum certum eſt obligatos eſſe ſub mortali ad iuſtitiā, quæ vnicuiq; ſuū tribuit adminiſtrandā, vt pax, & concordia ſeruetur, malorū reſtænetur, & puniatur audacia, & greſſibus bonorū tutæ ſint ſemitę & præmia iuxta merita largiantur ex *c. in Apibus* q. 7. verum etiā tenentur eā adminiſtrare cū ſapientia, & clementia, clementia. n. debet mitigare iuris rigorē, ſapientia aūt debet cōſiderare facta, tēpus, locum, perſonas, & alias circūſtātias, quæ poſsūt eſſe iuſtę cauſæ miſerēdi, vel rigidè procedēdi, etenim ſi ſuperior erit mollis vocabitur iniuſtus, ſi rigidus pro tyranno reputabitur, itaq; iuſtitiā cū clementia, & ſapientia miniſtrabit, ideò *Veget. tr. de re milit.* ait, nullus eſt, quē oporteat plura, vel maiora ſcire, quā ſuperiores, ſcriptū eſt. n. 3. Reg., quod Princeps inſipiens perdet popolū ſuum, & apud Ezech. minatur Deus certā perditionē populi ſui cōminādo, dabo te in manus inſipientiū, inſipiens aūt Princeps dicitur, qui iuſtitiā ſine ſapientia, & clementiā adminiſtrat ſolum ex abrupto, quē modum regendi, & adminiſtrandi iuſtitiā moneant ſæpe ſæpius confeſſarij Dominos, ſi quos habent à cōfeſſionibus, ne admodum belli procedant niſi in alia ſi nimis criminibus iiſq; notoriis, & nulla tergiuerſatione cælandis, alias peccant adminiſtrando iuſtitiam ſine clementia, & ſapientia, vt dictum eſt.

Dico tertiò, quod Barones ceteriq. ſuperiores debent vigilare, ne ſibi ſubiecti opprimantur à ſuis miniſtris, itaut *And. in c. imper. præterea, n. 8. de prohib. feu. alien.* dicat culpā eſſe tribuendā baronibus, ſi ſubditi opprimantur, & malè gubernentur à ſuis miniſtris: hinc virgā vigilantē vocat ſuperiorem Dominus apud Ezech. quia offic. ſuperiorū peculiare eſt inuigilare ſuper cōmoda ſuorum ſubditum, eorumq. vitiis, & delictis occurrere, vt habetur *in c. 1. de offic. ordin.* ita vt per hanc vigilantiam gubernandi faciant te Deo ſimiles, vt habetur §. *itaque Deo authent. vt iudices ſine quoque ſuffr.*

Imo ita debent inuigilare ſuper cōmoda ſuorum ſubditorum, vt aliquando teneantur propria cōmoda relinquere, vt ſubditorū calamitates, & neceſſitates ſubleuent teſte *D. Aug. de ciu. Dei l. 2. c.* 18. exēplum recitans Annazag. qui dum reperiſſet ſuas poſſeſſiones deſertas, & incultas, reſpondit, non eſſet ſaluus populus, niſi iſtæ periſsēt, et iure, quia cōne philoſophor. Iuriſtar. et Theologor. eſt proloquiū, principatus, et ſuperioritates ob publ. ſubditor. vtilitatē, non in regentiū, et dominantiū cōmoda inuenta principaliter eſſe. Ita *Ariſt. l. 5. æthic. Cic. l. 1. de off. Boet. de author. magn. Conc. n.* 137. *Luc. de Pen. l. milit. c. de decur. l. 10. D. Th. in opuſ. 21. ad Duciſſ. Barb.* vbi docet expreſsè Regnū non propter Regē, ſed Reg. propter regnum datū eſſe à Deo, atq. adeo Regē à tyrāno in hoc differre aſſerit Angelic. Doct. quod Rex bonū publicum ſubditor. ſēper intendit, et vigilanter curat, tyrānus verò propriū intereſſe, et cōmodum ſolūmodo cum pernicie, et dāno ſubditorū, quærit ſolū, quæ ſua ſunt, attendit ditari cum excoriatione vaſſallor. vſq. ad ſanguinem, et tanquam lupus oues deuorare, et non paſcere, vt deberet ſolum inuigilat, contra quod genus ſuperiorum inuehit Dominus, Ezecch 22. dicēs, Principes facti ſunt hodie quaſi lupi rapaces, etc. Quare

Moneant ſæpe ſępius confeſſarii ſuperiores, quorū audiūt confeſſiones, vt à tyrannide ſubſtineant, atq. adeo auaritiā eorum refrænent, quæ eſt cauſa, et radix tyrānidis, et mali regiminis, *ex c. quia rad. de pænit. diſt.* 2. eiſq. indulcent prudenter potiſſimā cauſam dominia ſubuertendi eſſe ſuperiorū auaritiam, vnde Tiberius Cęſar ſatis prudenter Præſidi ſuadenti collectas imponere reſpōdit, Lacedæm. Rempub. ob nimias exactiones ab imperio excediſſe, et. n. nulla ſeditio, et contra Principē rebellio facta vnquā fuit, quæ à nimiis exactionib. non proceſſerit. Quare Cyrus Rex Crēſū ſuadentē ad theſauros regios augendos, collectos imponere ſuper ſuos ciues practicè docuit, ſuos theſauros fidelius, abundantiuſq. repoſitos in ſcriniis ſuor. ciu., quā in propriis ærariis, dum. n. ſubditi amici, et diuites ſeruātur à Principe, in eius neceſſitate, et diuitias, et ſanguinē proprius profundunt, et de facto, vt Cræſū confunderet, ſtatim, atq. ſcripſit per oēm ſuam ditionem ſe propter iuſtum bellum pecuniis indigere, duplo maiorē voluntariè tribuerunt theſaurum benè a Cyro tractati vaſſalli.

Addere etiam poterit prudens confeſſarius ſecundum opportunitates exempl. Syracuſani, qui cum pecunias à ſubditis vellet extorquere pro iuſto bello, et murmurantes audiret Imperialia ornamenta vendidit, aureaq. pocula, imo, et pretioſas vxoris veſtes vendidit, ne ſe moleſtum ſubditis prēberet in emergendis pecuniis, dicens reuera potius prædonem vocandum, quam Principem, qui ab inuitis, et remurmurantib. vaſſallis pecunias intenderet extorquere. Exempla. n. iſta moralia ideo pro cōfeſſariis adducenda putaui, fortè ſi repręſententur ſuperioribus, eos ſaltem pudeat talia committere ſuos ſubditos, ac proinde refrenentur à tanta in multis locis pauperum vaſſallorum oppreſſione.

Dico quartò, quod Barones, et ceteri ſuperiores omnes debent etiā in conſcientiæ foro ſe affabiles præbere ſuis vaſſallis, et ſubditis ſuis copiam libenter faciendo oībus audientiā præſtando eorūq. querelas ſuccurrēdo, nec etiā oīa per ſuos miniſtros conuenit ei expedire, cum miniſtri ferè ſua quærāt lucra potius, quam ſubditorum cōmoda: hinc admonendi ſunt iuxta piorum Imperat. et Reg. exempla, qui certis hebdomadæ diebus publicam dabant audientiam ſuis vaſſallis, eoſq. ſingulos audire, et ſolari ſatagebunt, quam audientiam publicam lętitiam nominat *tex. C. de publ. læt. l.* 12. hanc publ. audientiam præſtabat ſemper in hebdom. S. Ludouic. Rex Frāciæ, idem narretur de Caroli V. ſtrenuiſſimo, fortiſſimoq. Imperatore, et de Veſpaſiano Imp. Iethnico narretur, quod cum graui morbo detineretur, non ceſſabat grauiora negotia audire, et expedire, in quo cum ab Amicis reprehenderetur, reſpondit Imper. decere ſtantem mori, vt ſubditorum negotia expediat: atq. ſuperfluum videbitur annectere reſponſum datum à quadam vetula Philippo Maced. Regi, cui cum vetula ſupplicationem dare vellet, et reſpōdiſſet, nunc ſibi ociū non eſſet ſupplicationes accipere, exclamauit vetula, noli imperare, ſi omnibus audientiam præſtare non es ſemper paratus, quam vocem tanquam è cœlo delapſam ſibi viſam fuiſſe teſtatus eſt. Idem Philippus, etc.

Dico quintò, quod Barones, et ceteri ſuperiores tenentur cum conſilio ſapientum expedire, ac propriis affectibus excæcati vaſſallis iniuriam, et damnum inferant, vel Reipubl. et cōmunitati officiant, *l. human. C. de leg.* non. n. debent in ſuo ſenſu abundare, ſed vota capere meliora *Fel. c. quanto de iud. in 6.* pro quo memorabilis viſa eſt ſententia Darii Regis in hiſtoria Alex. dicentis, Meliorem eſse Rempub. in qua princeps malus ſit, dūmodo bonorum conſultorum conſilia ſequantur, quam in qua eſt bonus Princeps, qui malorum cōſiliis adhęreat, quia ſæpe fit, vt Diocletianus Imp. dicebat, quod bonus, et cautus Imperator uendatur à callidis cōſultoribus, curare ergo debent adhibere viros conſcientiatos, et doctos

in negotijs capiendis, aliter ſi cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt, &c.

Demũ prudentes cõfeſſarij Dñis, quorũ audiunt confeſſiones, quales eſſe debeãt, pro opportunitate inculcẽt dictum illũ Philoſophi, quod ſuperior oĩbus debet eſſe æquus, paucis familiaris, non omnibus blandus, ad iracundiam tardus, ad clementiam pronus, in aduerſis firmus, in proſperis cautus, non laſciuus, nulli nocere, omnibus prodeſſe, quæ obſeruans optimi Baronis, & ſuperioris nomen, & rem ſortietur.

Vtrum liceat Baronibus adiutoria, & collectas in quibuſcumq; neceſſitatibus proprijs à Vaſſallis exigere.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod licèt certum ſit regulariter loquẽdo nullo modo licere Baronib. imponere collectas, taleas, gabellas, & ſimilia onera vaſſallis, quia onera ſimilia imponere eſt de iure regali, non baronali, vnde ſolis Principibus abſolutis conuenit, vide *Andr. c. Imperialem, §. illud, & §. formet de prohib. feud. alien. ex Iacob. tit. de homag.* attamen.

Controuertitur inter DD. non ex conſuetudine, & præſcriptione cent. annor. ſi habeant ius imponendi aliqua onera, poſſint licitè tale onus exigere, negant *Bell. rubr.* 22. & alii putantes hæc onera tanquã iura regalia eſſe à Baronibus impreſcriptibilia, attamẽ probabiliter alij volũt, quod talia onera modo nõ ſint immoderata, & durioris conditionis ſi per ſpatiũ etiã quadraginta annor. conſueuerint Barones exigere, quod licitè exigunt, ita *Franch. dec.* 56. *Clar. in §. feud. q.* 19. & ratio eſt, quia impoſitio talium onerum, & collectar. cõſueta fieri à Baronib. ſuper ſuos vaſſallos non eſt propriè ius regale, nam ius regale, vel de regalibus debet eſſe public. & cõne, hoc aũt eſt priuatũ, quod Baronib. cõpetit, vide ibi *Franc. & Luc. de Pen. l. ſi diuin. C. de eſact. tribut. l.* 10. *Capyc. in inueſtit. verb. gabellar. Iacob. tit. de homag. Capiblanc. de iure Baro prag.* 1. *num.* 113.

In quo caſu prudens confeſſarius aduertat primò, diligẽter, an impoſitiones ſint verè præſcriptæ ſaltẽ per quadraginta annos continuos nullo reclamãte vaſſallo, ſed ferè oĩbus conſentientibus ſaltem nõ proteſtantibus contra Baronẽ, principiis n. debebant reſiſtere vaſſalli, alioquin ſerò medicina paratur, & ſibimet imputandũ, quod non reclamauerint, & conſequẽter ſibi præiudicauerint. Aduertat ſecundò, quod iſtæ collectæ, & onera debent eſſe moderata, alioquin omnino iniquæ, ſi durioris fuerint conditionis, & tanquam iniquæ præſcribi non poſſunt, nullo ergo modo permittenda ipſis abſolutio, niſi de facto talia onera auferant, & ſatisfaciant.

Dico ſecundò, quod quãuis ex variis caſibus iuſtis, & coloratis antiquitus licebat Baronib. adiutoria extorquere à vaſſallis, hodie tñ ſolũ in caſibus à iure permiſſis huiuſmodi adiutoria licitè exigunt à vaſſallis vltra quos iniuſtè, & contra cõſciẽtiã ea exigerent, vt notat *Afflict. dec.* 263. *n.* 64. *& Capibl. loc. cit. n.* 54. cauſã aũt quare licitè conceditur adiutoria Baronib. à ſuis vaſſallis exigere, diuerſã ponunt Iuriſtæ, alij n. volũt adiutoria iuſtè permitti Baronib. exigi, quia ſicut Baro pręſtat adiutoria ſuo Regi puta ſeruitiũ militare, vel adoham, ac onera releuii in morte, aliaſq; collectas pro ſubueniendis neceſſitatibus Regis, ita vaſſalli Baronũ neceſſitatibus adiutoria debẽt opportuna præſtare. Ita *Andr. c.* 1. *quis dicatur Duc.*, alii verò volũt deberi ſimpliciter ratione vtilis Dominii, quod habent ſuper vaſſallos talia moderata adiutoria, quare etiã ſi nullũ ſeruitiũ Barones Regi præſtarent, adhuc ratione domioij deberi adiutoria in ſuis neceſſitatib. volũt. Ita *Frec. author 2. verſ. poteſt. Franc. dec.* 76. *de feud. burgenſat. & dec.* 131. *& Capibl. loc. cit. n.* 61.

Vtrum Baro in criminalibus ſolum, feudatarius, ſubfeudatarius, vſufructuarius, tenens in pignus, nomine dotis, vel in affictum terram baronalem poſſint adiutoria exigere à Vaſſallis ſicut conceditur vero Baroni.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod ſi aliqua terra habeat duos Barones, alterũ ſolũ in ciuilibus, alterũ verò in criminalibus, licèt Baro in criminalibus ſit dignior, quia habet merũ Imperiũ, quod eſt potentius ſimplici iuriſdictione *ex l. Imperium ff. de iuriſd.* & ipſe præcedere debet, & licentiam præſtare vti maior in conſilijs congregandis, vti docent *Franch. deciſ.* 338. *& Capyc. dec.* 27. attamen cum Baro Concilis dicatur vtilis, & verus Dominus terræ, ipſeq; iuret fidelitatem Regi, præſtetq; regale ſeruitium, & ipſo ſoli competat depingere arma ſua in Terra ratione veri Dominij, non autem baroni criminali, qui dicitur ſolum potius habere iuriſdictionem in officio, quam cum feudo, ſolum conſequenter adiutoria præſtare tenentur Vaſſallo baroni ciuili, vide *Frec. de ſubfeud. 2. & 4. auct. Franch. deciſ.* 131. *& Capiblanch. prag. 6. de Baron. n.* 62. *& ſeq.*

Dico ſecundò, quod licet *Grammat. conſ. ciu.* 68. docuerit adiutoria huiuſmodi non deberi feudatario, & ſubfeudatario, qui non habet terram, & feudum cũ inueſtitura veræ Baroniæ, quia ſub nomine Baronum nec in pœnali, nec in benigna ſignificatione venit feudatarius, & ſubfeudatarius huiuſmodi, attamen cõmunius Iuriſtæ volũt deberi etiã à Vaſſallis tali feudatario, & ſubfeudatario adiutoria à iure conceſſa Baroni, & probabilius mihi pertradetur, quia licet nõ ſit vere Baro feudatarius, & ſubfeudatarius eſt tñ verus Dominus ſui feudi, vel Terrę, & verę eius incolæ sũt ſui Vaſſalli, adiutoriũ aũt datur Baroni ratione dominij, vt reſoluimus ſup. non autem ratione prærogatiuæ rationalis, quare feudatarius, & ſubfeudatarius non venit ſub nomine Baronis, quo ad prærogatiuas, non autem quo ad dominium vaſſallorum, vaſſallis autem pręcipitur talia adiutoria ſoluenda, ergo cum feudatarius, & ſubfeudatarius habeant vaſſallos, poterit vtique tuta conſcientia tanquam veri Domini exigere adiutoria a iure conceſſa. Ita etiam *Frec. 2. auct. num.* 10. *Afflict. Capiblanch. n. 67. loc. cit.*

Dico tertiò, quod tenentes in pignus, nomine dotis, vel in affictam terras baronales vnã cũ iuriſdictione non poſſunt petere, & exigere adiutoria Baronib. conceſſa, quia ratione pignoris, dotis, vel affictus non tranſit ad tenentes vtile dominium terræ, vel feudi ratione cuius debeatur adiutori, ſed ſolum ad ipſos tranſeũt fructus iuriſdictionis; vide *Vinum deciſ.* 126. *n.* 5. vnde facta locatione nõ veniũt conceſſa ſolita præſtari ratione obſequij; *Bald. l. defunct. in 2. lect. ff. de vſufruct. Rom. tit. de Salam. n.* 12. *& Capibl pragm. 8. p. 1. num. 155. &c.*

In quibus caſibus liceat Baroni exigere adiutoria à ſuis Vaſſallis.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod Baro Eccleſiaſticus de iure ordinario in Regno Neapol. poteſt tuta conſcientia à vaſſallis ſuis laicis in ratione dominij vtilis, quod habent de aſſenſu Regis in aliqua terra petere adiutoriũ in quatuor caſibus, primò quãdo Prælatus Eccleſiaſticus eſſet cõſecrandus in Epiſcopũ à Papa iuxta *gloſ. c. quod ſicut de elec.* ſecundò, quãdo eſſet vocatus ad conſilium, tertiò, ſi pro ſeruitio Regis foret vocatus de exercitum, quartò ſi contingerit Regẽ hoſpitari in ſuis terris, præter autem hos caſus non licet Baroni Eccleſiaſtico petere adiutorium à Vaſſallis, vide *afflict. & Andr. in conſtit.* quod plurimũ.

Aduerte autem, quod iſtud adiutoriũ, quod licet Baroni Eccleſiaſtico exigere à ſuis vaſſallis in iſtis caſibus non eſt charitatiuum ſubſidium de quo *Felin. & alij in c. cum ex officio de præſcrip.* nam adiutoriũ præſtatur ſibi à laicis, & nõ à Clericis, quatenus eſt Dominus Temporalis feudi laici, ſubſidium autẽ charitatiuum præſtatur, vt Dominus eſt ſpiritualis à Clericis.

Dico ſecũdò, quod baro laicus ex conſtitutione Regni quãplurimũ in quinq; præcipuè caſibus poteſt tuta cõſciẽtia adiutorium petere à ſuis vaſſallis, primò quãdo perſona baronis caperetur ab hoſtibus dũ eſſet in ſeruitio Regis, ſecundò, pro faciendo filio, vel patre milite, tertiò, pro maritanda filia, ſorore, vel Amita, quartò, pro emenda terra pro vna vice tãtum, quintò, ſi Rex hoſpitaretur in terra Baronis; vltra autem iſtos caſus nõ tenentur vaſſallis ſuis Baronib ſubuenire. Ex qua doctrina.

Collige primò, quod ſi Baro eſſet captus à latronibus, vel Pyratis extra ſeruitij Regij, vel publici rationem, non tenentur ſubditi præſtare adiutorium, quia conſtitutio illa exorbitans eſt, debet ſtrictè interpretari, & ad litteram ſeruanda, vt notat *Capyc. in Inueſtit. fol.* 27. quare nec, ſi pro debito, nec ſi pro delicto Baro carceratus exiſtat, tenentur vaſſalli adiutorium præſtare propter eandem rationem *ex l. ſed ex parte §. quamquam ff. quod cum eo*, idem dicendum ſi neceſſitas proueniat Baroni ex caſu, vt notat *Menoch. de Arbitr. Iud. caſ.* 182. & ratio horum firmiſſima eſt, quod ſubuentio conceſſa in præfatis caſibus ipſis Baronibus non fuit conceſſa ob depauperationis miſerationem tantum, ſed fauore Regis, & publici ſeruitij, & Baronalis prærogatiuę. Vide *Boer. deciſ.* 118.

Collige 2. quod adiutoriũ pro faciendo patre, vel filio milite hodie non datur adiutorium, quia hodie milites non fiunt cum tanta ſolemnitate, & impẽdio ceſſante autem cauſa, ceſſat iuris diſpoſ. *ex l. quamuis §. adigere ff. de iur. Patr.* an vero in faciendo patre vel filio equite D. Ioannis Hieroſolim. ſeu melitenſe, quia eis competit priuilegia militaria, putant Iuriſtæ

poſſe

poſſe peti adiutoriũ,& ſi non ſeruandum plenã ſubuentionem; minorem ſaltẽ,uide *Capibl.de iure bar. prag.* 1. *num.* 77.,imò *Ann.ſingul.*14. uidetur uelle etiam pro doctorando filio, uel fratre poſſe petere adiutorium à vaſſallis Baronem,licèt parum probabiliter,quia non debet fieri extenſio in priuilegijs in damnum tertij.

Collige tertiò,quod ſi Baro vellet emere iuriſdictionem ciuilẽ abſolutè, vel criminalẽ abſolutè, & non totã terram, vel caſtrum non teneatur baroni adiutoriũ preſtare vaſſalli, quia ad emendã terrã, non autem iuriſdictionem ſpecialẽ conceditur adiutorium,verba enim in odioſis ſunt accipienda in potiori ſignificatione *l* 3. §. 1. *ff. quod quilibet iurium*.

Collige quartò, quod licèt conſtitutio concedens adiutoriũ pro maritãda filia,ſorore,vel amita loquatur in ſingulari,& cõſequẽter videretur nõ extẽdi ad plures filias ſorores,vel amitas, quia numerus ſingularis non extẽditur ad pluralẽ *l in vſu.ff.de verb.ſignif.*, & maximè in odioſis *l.cõmodiſs.ff.de lib.& poſth.* contrariũ tamẽ docent Iuriſtæ cõmunius practicari,quia cauſa demonſtrationis, non aũt cauſa diſpoſitionis textus ille loquitur in ſingulari, & aliquãdo numerũ ſingularem extendi ad pluralẽ docent *Crau.conſ.*161.*Tiraq.de reuocand.donat.f.*278 *n.*226. maximè quando militat eadẽ legis diſpoſitio,etenim pro filia maritanda ſorore,vel amita concedit lex adiutoriũ prẹſtãdũ baronibus,ne indigeant multũ Barones ex tali dotatione, at verò magis indigerent,ſi plures maritaturus eſſet abſq; adiutorio, ergo conſtitutio illa debet extendi ad numerum pluralem, ita etiam *Capibl. de Baron. prag.* 1. *n.* 84.

Nota etiã cum hac materia,quod filiæ,cui Pater legauit dotem etiã debentur adiutoria à vaſſallis, nã dos debetur filiæ ex neceſſitate,non aũt ex ſolo legato,& Pater legans dotem filiæ ſuã declarat obligationẽ,non propriè aliquid concedit,itaq; ratione legati nõ perdit adiutorij vſũ,ita *Capibl.loc.cit n.*88. docet Neapoli fuiſſe deciſum cõtra multorũ opinionẽ contrariã.

Nota etiã,quod ſi poſt mortẽ Patris,Mater emeret terram, vaſſalli eius non tenentur filiæ dare adiutoriũ,quia ſolum vaſſalli terræ patrimonialis debent præſtare adiutoriũ. Ita *Goffre. v.*1. *§.vt autem, verſ.his de pace tenenda, Franc. deciſ.*72. *&* *Capibl. loc. cit. num.* 9. & ſequ.

Deniq; aduertas,quod ſi filia, ſoror, vel amita Baronis nolit nubere, ſed Monaſterium ingredi etiam poteſt exigi pro eius Monacatu adiutorium à vaſſallis cum tempus adfuerit ſuæ profeſſionis, cum non debent eſſe minoris conditionis matrimonium ſpirituale carnali. Ita *Maſtrill. deciſ.* 153. *Boert. deciſ.* 126. *& Capibl. loc. cit. num.* 96.

Quantum debet eſſe adiutorium, quod tuta conſcientia poteſt exigere Baro à Vaſſallis.

DIFFIC. VII.

Dico primò,quod non defuerunt aſſerentes taxã pro adiutorio danda à vaſſallis ſui Baroni Eccleſiaſtico in caſibus præfatis eſſe æſtimationem quartæ partis annui redditus illius feudi,ſeu terræ iuxta ſolitũ R.Cameræ, quæ arbitratur redditus non illius anni,quo forſan pretia ſunt aucta, vel diminuta, ſed coaceruat tres,vel quatuor annos præcedẽtes,& poſtea diſtribuit fructus, ita *Afflict.deciſ.*136. in cauſa conſecrationis Epiſcopi licienſis,& *Frecc.* reſpondet in materia Releuij ſoluẽdi mortuo Barone; Quoad vero Barones ſæculares ſcripſerunt aliqui deberi eis taxam pro aductorio iuxta medietatẽ ſeruitij, quod Baro quilibet præſtat ſuo Regi quotannis, quod vocatur, Adoha,hodie tamen tã pro Barone Eccleſiaſtico,quã pro laico in caſib. præfatis ſoluitur adiutoriũ a vaſſallis in ratione quinque carolenorũ,pro quolibet focolario inde *Grammat.dec.*88. *Menoch.caſu* 139.*& Capibl prag.*1.*de Baron.n.*53. vbi ait nõ curandũ de *dec.Afflict.* cũ nouiſs. attendatur *deciſ. Gramm.*

Dico ſecundò,quod adiutoriũ pro filia,ſorore,vel amita monacanda non datur regulariter taxa ad rationẽ quinq; carolenorũ, quia non datur tanta dos monacandæ iuxta Regni conſtitutiones, ſed ſolum dotẽ ſolitam dari monialibus illius Monaſterij,& non ſecundum dotãtium facultates,vt notat *Vrſill. deciſ.*136.,quare conſtitutũ fuit à ſapientibus adiutorium pro monacatione filiæ ſororis, vel amitæ Baronis deberi à vaſſallis ſub ratione medietatis adiutorij præſtandi pro matrimonio caſuali ſc.deberi taxã vigintiquinq; granorum pro quolibet foculari, idemq; procedere aiunt pro maritanda filia ſpuria Baronis,cui debentur ſolum alimenta,& ideò minor dos requiritur. Ita *Vrſil.deciſ.*265.*n* 56.*Ber.deciſ.*127. *Iacob.de feud. verſic. qui quidem inueſtiti,& Capibl.loc.cit.n.*102. & ſeq.

Adde,quod ſi Baro habent quãplures terras,à quibus omnibus ſi exigendũ ſit adiutoriũ faueret quaſi totam dotẽ monialis,vel ſpuriæ ſine erogatione ſui,minus medietate facienda eſt taxa,imo notant *Frecc.aact.*2.*n.*23.*& Capibl.n.*104., & videtur eſſe ẹquitati conſonũ,quia adiutoriũ datur pro ſupplemento,in quo non poſſet de toto ſuo dotare Baro abſq; ſuæ facultatis notabili diminutione, adiutorium enim datur ei, qui habet vires ad aliquod licèt infirmus, itaq; debet baro ponere de ſuo in dotatione,& pro reliquo adiutorium petere, non ergo debet totam dotem in ratione adiutorij expetere.

Nota deniq; quod numerus foculariorũ,iuxta quẽ ſoluenda eſt taxa prẹfati adiutorii ſequendus eſt iuxta numerationẽ Regiam pro qua præſtantur functiones fiſcales,quod ſi Baro allegaret fraudẽ,& vellet eam detegere,ſuis campſibus audiendis, repetendis tamen poſtea à fraudatoribus vltra pænã corporalẽ talibus impoſitam. Ita *Frecc. n.* 56. *& Capibl. n.*105. *loc.cit.*

Vtrum liceat in conſcientia Baronibus cogere Vaſſallos ſuos, vt ſibi vendant, vel à ſe emant victualia, & res alias, vel vt non negotientur, nec vendant ſua niſi venditis Baronalibus rebus, vel vt ſua bona potius quam aliorum afficient.

DIFFIC. VIII.

Diuerſa eſt in hac difficultate Doctorum ſentẽtia præcipuè Iuriſtarum,vt ergo certa ab incertis ſecernantur per multas concluſiones reſpondendum putaui.

Dico ergo primò,quod nec Principi abſoluto, & tanto min. Baroni licèt in conſcientia regulariter loquendo cogere vaſſallos ad vendendũ ſibi,vel à ſe emendũ, ſi parati non ſint vaſſalli aliis vendere,vel ab alijs emere,*ex l.Princeps ff.de l poteſt.*, nã ſuper his,quæ ſunt iuris gentiũ,vt eſt contractus emptionis,& venditionis, vel iuris naturalis non poteſt Princeps diſponere, ſolũ.n.poteſt diſponere iuris,quæ ſunt iuris poſitiui, vt latè *Petra de poteſt Princ.q.*28.*& Maſtril.de Magiſt.l.*3.*c.*4.*Pinell. in c.*1. *Rubr.de reſcript.vend.Capibl.de iure Bar prag.*1.*n.*116. & ſeq.& licèt aliqui voluerint,quod Princeps poſſit ſua potentia abſoluta diſponere etiã in iis,quæ ſunt de iure gentiũ,naturali diuino,& poſitiuo proferentes hoc axioma,quod nihil pertinent ad iuris diſpoſitionẽ,quod Princeps ſuæ abſolutæ potentiæ terrore facere non valeat, attamen interpretandũ eſt ſolũmodo hoc axioma de diſpoſitione in ijs,ergo pertinẽt ad ius poſitiuum,non autẽ ad ius gentium,naturale,vel diuinũ,in quib. ſolũ ex euidenti, & iuſta cauſa ſolum diſpenſat,vel actionẽ ſuſpendere, non autẽ actionẽ tollere, aliter vtendo potentia abſoluta in prædictis caſibus abſq; cauſa peccaret, vnde plenã peccandi poteſtatẽ vocant hanc abſolutã potentiã in præfatis iuribus *Alciat.l.cenſ.ff.de verb.ſignif.Crauet.de antiq.temp.ar.*2. *ex Tappia de conſtit.princ.c.*1.*rub.n.*71. Itaq; certum eſt vaſſallos non poſſe cogi ad vendendum,vel emendum ſibi à Principe, nec à Barone, ex quibus etiam.

Colligunt Iuriſtæ,quod Rex in neceſſitate quando ſibi Regni introitus non ſufficiunt, poteſt quidem ſuſpendere ſolutionem annorum redditu, tunc creditoribus, ſed ſibi aſſignẽtur cum promiſſione reſtituendi poſt quadriennium, non autẽ poteſt tollere actionẽ creditoribus, ita ex *Suſan. l.ex hoc iure nu.* 54.*ff.de iuſt.,& iure,& de Ponte in tr.de poteſt. pro Reg.f.*232. *nu.*22.*& fol.*147.*n.*37. *Capibl.loc.cit.n.*125.

Dico ſecundò, quod ſi parati ſint vaſſalli vendere ſuas res aliis, vel emere ab alijs controuertunt adhuc Doctores.

Negant quãplurimi maximè in Regno Neapolitano,vbi adeſt pragmatica officij noſtri debitum in qua apertis verbis interdicitur baronibus, ne cogant ſuos vaſſallos ſibi vendere, ſed liceat eis vendere,& alienare frumẽtum,oleum,&c.quibus noluerint,& probant, quia iura prætendunt libertatem ſeruare in contractibus emptionis,& venditionis, vt probabo alibi etiam, vide *Capibl. loc. cit. & præcipue. n.*152.

Affirmant tamen, & probabiliter *Lucas de Penna,* vir magnæ auctoritatis *in l.*1.*per illum text. C.de metall.lib.*10. *Alnar.& Afflict.c.*1.*§.poſt natale de pac.tenend.* aſſerẽtes Barones habere ius hypothecæ, & prẹlationem in venditione fructuum,qui colliguntur ex tenimentis ſuẹ iuriſdictionis.& conſequenter prohibere poſſunt, ne dum parati ſunt vendere,

ſibi, & non alijs vendunt victualia.

Adde, quod Colonus poteſt cogi à Domino, vt partem ſuorũ fructuũ vendat potius ſibi, quã alijs *Alex.* & alij *l. 1. C. de dolo, Marſil. ſing. 510. Tiraq. retract. §. 1. gloſ. 18. n. 2. Couar. var. reſ. c. 14. l. 3. n. 6.* ergo à pari poteſt baro tanquam vtilis Domin. vti prælationis iure ad cogẽdos vaſſallos, vt potius ſibi, quam alijs vendant ea, quæ parati ſunt vendere.

Præterea Emphiteota nolens vendere potius Domino, quã alteri cogitur vendere *l. fin. C. de iur. Emphit.*, & in ſocietatib. ſocius potius vendere ſuo conſocio, quã extraneo cogitur vẽdere pretio iuſto, & cõmuni, licèt ab altero plus offeratur *Carroc. in tra. locali tit. de Emp. D. D. l. ad offic. C. commun. diuid.* ergo etiam vaſſallus poteſt cogi ſuo Dño potius vendere, quam extraneo ſoluto iuſto pretio communi, licèt ab alijs plus offeratur, hoc enim iuſtè videtur requirere ius Prælationis, quod habet in ſuo territorio eius Dominus.

Inſuper coniunctus præfertur in emptione bonorum coniuncti, *l. 1. de priu. hered. l. ſi in empt. ff. de minor.* & multa pro hoc notat *Ripa d. l. 2. ff. de priuil. credit.*, at verò Baro dicitur pater ſuorum vaſſallorum *Luc. l. quicumq; C. de omni agro deſerten. Afflict. deciſ. 165. & Vrſillus loc. cit.* cum alijs adductis, ergo tanquam coniunctus debet præferri in emptione, & venditione ſuorum vaſſallorum, qui eius filij legales dicuntur.

Probabilis vtiq; mihi videtur hæc opinio modo concurrant aliquæ conditiones, prima, ne vaſſalli ſimpliciter cogãtur à Barone, quolibet tẽpore ſibi vẽdere, vel à ſe emere, ſed tantũ quãdo ſunt alijs parati vendere, alias eſſet magnæ tyrannidis argumentũ, ſi cogeret vaſſallos ſibi vendere, vel à ſe emere, quando vili pretio venduntur, vel emuntur bona, eſſet enim in præiudicium euidens, & notabile damnum vaſſallorum. Secundò, ne taxent pretiã ad eorũ libitum Barones, & hoc eſt, quod in pragmatico citata Regni Neapolitani prohibetur, ſc. ne taxatis ſecundũ eorum voluntatẽ pretijs cogant Barones vaſſallos ſibi vendere, ſed poſſunt bene pretio cõmuni iuſto cogere, vt potius ſibi vendant ea, quæ alijs parati ſunt vendere, tertia eſt, quod ſolum fructus, & bona quæ colligũt vaſſalli in eius feudo, vel territorio iuriſdictionali poſſunt cogere, vt iuſto pretio ſibi potius, quam alijs vendant, non autẽ fructus, & bona, quæ extra ſuã iuriſdictionem colligunt vaſſalli, nam in iſtis nullum habent ius prælationis Barones; quartò, quod ratione iſtius prælationis nõ poſſunt Barones facere banna, vt nullus vendat niſi requiſierit Baronem, quia emens debet conuenire vendentem, non autem vendens debet conuenire emptorem, & ſic deciſum fuiſſe in magna Curia narrat *Capibl. loc. cit. n. 155.* Vnde

Inferũt Iuriſtę teſte eodẽ Capibl. iniuſtas eſſe ordinationes, ne vendantur piſces, & fructus antequã requiratur Baro loci, nã cõmercia debent eſſe libera, & non debent impediri ob prælationẽ Baronum; nam prælatio prędicta cõpeteret in ipſo actu venditionis, vt prius, & potius ſibi vendatur, quam alteri in ſua iuriſdictione, & ita deciſum fuiſſe pro vniuerſitate lauri contra ſuum Marchion. ait *Capibl. n. 156. vide Couar. var. reſol. c. 14. n. 6. l. 3. Franc. in deciſ. 290.*

Nota tamen, quod licèt Baro habeat hoc ius prælationis pro ſe, & ſua familia, non tamen pro alijs amicis, prælatio enim in hoc caſu eſt ſolum perſonalis, & perſonam egredi non debet. *l. quia perſonale, ff. ſol. matr. Maſtrill. l. 3. c. 10. n. 35.*

Dico tertiò, quod Barones non poſſunt prohibere, ne vaſſalli exerceant aliquas Mercantias, & negotiationes victualiũ frumenti, olei, vini, lanæ, & ſimiliũ regulariter loquendo, maximè ſi ipſi Barones tenent implicatas ſuas pecunias in prædictis negotijs, nam iniquũ hoc eſt contra ius gentium negotiationẽ liberã concedens *Iacob. S. Georg. fol. 2. Ann. ſingul. 14. Capibl. loc. cit. n. 154.*, & conſequenter prohibentur poſſe concedere, vt aliqui tantũ ſint Macellatores, vel aliquam artem exerceant, *Petra c. 5. n. 121. Anna ſing. 54. Maſtril. l. 4. tit. 18.* neq; huiuſmodi explere poterit Baro per banna facta per ſuos officiales, quia qui per actum ſe gerere non poteſt, neq; conceditur per interpoſitam perſonam, *Menoch. caſu 459. de Arb. iudic.*

Dico quartò, quod an poſſint Barones cogere pęnalibus edictis ſuos vaſſallos ne vendant frumenta, vel vina, nec macellẽt ſua, vel alia animalia, niſi ſint vendita illa Baronis, ita vt uno, & eodẽ tẽpore cogant ad non vendendũ, & ad emendũ magnã ſapere tyrannidẽ cenſent *Afflict. conſtit. Magiſtr. & c. Perius n. 12. c. cum ſeq. & c. 6. nu. 28. & Capibl. loc. cit. n. 163.* Attamen ſi ſimul vendantur bona, vel macellentur animalia baronis, quãdo alia venduntur, & macellantur, puto iure prælationis poſſe cogi vaſſallos, vt potius res, & animalia baronis emãt, quã aliorũ pretio iuſto, & cõmuni, modo ſint eiuſdẽ bonitatis, & conditionis, quã habẽt res vẽdibiles aliorũ, ſecus ſi fuerint deterioris conditionis, quia eſſet in graue præiudiciũ, & dãnũ vaſſallorũ.

Dico quintò, quod Barones non poſſunt cogere vaſſallos ad affictandũ ſuos introitus Baronales in Regno Neapol. ex conſtitut. *Regni Magiſtr. Camer. & Cap. Regni.* niſi vaſſalli non affictarent ad æmulationẽ in præiudiciũ baronis, vt adhoc ſ. vt bona Baronis perdantur, vt accidere ſolet, quando inter Baronẽ, & Vniuerſitatẽ verſantur lites, quo caſu per ſuperiores poſſunt cogi vaſſalli habiles, vel ſoliti affictare ſaltẽ ad exigẽdũ introitus expẽſis baronia iuſto ſalario mediãte ad inſtar quæſtoris, ita *Frec. de ſubfeud. acceſſ. ſi Clar. q. 7. ſ. feud. Capibl. n. 161.*

Vtrum dentur caſus, in quibus abſolutè liceat Baronibus cogere Vaſſallos ad ſibi vendendum à ſe emendum, ad ſua bona affictanda, & conſimilia pertractanda.

DIFFIC. IX.

Affirmant communius Iuriſtæ, nam Principem poſſe ex cauſa legitima diſpenſare in iure naturali, & in iure gentium probat præcipuè de *Pont. conſ. 4. n. 13.* & nos videbimus ſuis locis cum Theologis.

Primus ergo caſus eſt publica vtilitas, & neceſſitas non ſolũ orbis, regni, & prouinciæ, ſed etiã publica vtilitas, & neceſſitas loci vnius, ita *Alex. conſ. 201. col. 1. Petra de poteſt. Princ. f. 199.* Baro aũt cum ſit perſona publica, & ad populi vtilitatem datus ſi indigeat, & ſit in neceſſitate, dicetur eſſe in neceſſitate ad vtilitatẽ publicã pertinens; ideò pro neceſſitate ſui victus, & familiæ poſſunt cogere Barones ſuos vaſſallos ad ſibi vendendũ ſua victualia, & ad cetera quæ ſunt ſibi neceſſaria pro eodem victu ſuo, & ſuæ familiæ facere; quã doctrinã confirmant etiã ex iuris correſpondentia, nã barones tenentur redditus ſui feudi vaſſallis diſtribuere in eorũ neceſſitatibus, vt firmat *Pariſ. de reintegr. feud. q. 262.* ergo vaſſalli tenentur vendere Baroni in neceſſitate conſtituto, alter enim alteri debet vices ſuas rependere; *Afflict. latè deciſ. 268.*

Nota tamen, quod tam vaſſalli, quam Barones tenentur ſolum ſibi inuicem vendere ea, quæ ſibi, & ſuæ familię ſuperſunt, nam quis non tenetur ſeipſum diſcooperire, vt alterum veſtiat *Afflict. in præl. conſtitut. qu. 3.*

Vtrum autem Barone non habente vnde ſoluat in pecunia numerata, poſſint vaſſalli cogi in tali neceſſitate, vt vendant ſua Baroni præſtita ſolum fide pretij ſoluendi.

Diſtinguendum puto, nam vel eſt in extrema neceſſitate baro, & ſic tenentur vaſſalli cogi ad habendã fidem de pretio, & è contra, ſi vaſſalli indigeant conſimiliter, tenetur baro ſua frumenta, ceteraq; victualia exhibere ſola præſtita fide pretij nam iuxta illa verba Auguſtini, non paſuiſti, ergo occidiſti, in neceſſitate enim, vnuſquiſq; tenetur ſubuenire, vt dicetur ſuo loco, V. Neceſsitas, eadem autem neceſsitas, quę cogit ad vendendum, cogit etiam ad emendum cum ſola fide pretij alias eſſet necare *l. necare, ff. de liber. agnoſc.*

Quod ſi neceſsitate extrema non prematur baro non poſſunt cogi vaſſalli ei vendere cũ ſola fide pretij, ſed tenetur baro numerata pecunia ſoluere, hinc fuiſſe deciſum teſtatur *Capibl. de Bann. prag. 6. n. 181.* quod Becarij non tenentur cum taleis baroni vendere carnes, ſed in pecunia numerata.

Secundus caſus eſt cõſuetudo præſcripta pro baronibus cõtra vaſſallos ſc. ex immemorabili temporis ſpatio habẽt hoc ius acquiſitum barones, quod vaſſalli ſibi vendant, & à ſe emant, & prius emantur ſua quam aliorum, & quod vaſſalli debeant ſua territoria, & poſſeſsiones affictare, & alia facere, conſuetudinem enim præſcriptam facere ius, & titulum iuſtũ dare videbitur ſuo loco, conſuetudo aũt iſta præſcripta debet ea probari fuiſſe centum annorũ, adhoc vt barones tuta cõſcientia valeat in iſtis vaſſallos cogere, quia in tali perſcripta cõſuetudine prætenditur adfuiſſe conſenſus vaſſallorum, dum in tanto tẽpore non reclamarunt, imo centenaria conſuetudo præſupponit adeſſe aſſenſum Regiũ, immemorabilis. n. conſuetudo, vim regalis tituli obtinet, vt hanc *Gabr. Roman. concl. 1. tit. de præſcript.* quæ transfert uerum dominium, *Pinell. auth. niſi triennale C. de bon. mat.*, & centenarium ſupponere conſenſum ſuperioris, & bonam fidem docet *Iſern. c. 1. §. præterea de prohib. feud. alienandi per Federic. Maſc. concluſ. 1377.*

Aduer-

Aduerte autem, quod licet in his, quæ ſunt contra ius, per centenariam ſolum poſſint ſe Barones tueri contra Vaſſallos, in alijs autem præter ius ſufficeret conſuetudo quadraginta annorum, vide *Franch. deciſ. 56. Andr. c. 1. quæ ſint regalia V. extraordin.* docet, quod murmuratio populi interrumpit præſcriptionem contra Barones, murmuratio autem diſſenſum inducit, *Capibl. prag.* 12 *num.* 17.

An vero ſuper iniuſto, erroneo, vel nullo titulo iuxta Theologorum ſententiam poſſit excuſare præſcripta conſuetudo, & V. Præſcriptio, & iuxta ibi dicenda in hoc caſu cōſule Barones, qui ferè hanc cōſuetudinē contra Vaſſallos extorſere per vim, vel ſaltem metum, & conſeq. ferè nullus habet veram, & legitimam conſuetudinem præſcriptam in hiſce, quæ ſunt contra ius, & præiudicium vaſſallorum; vnde in Curia quando tractatur de ſummarijſſimo poſſeſſorio de oneribus, & ſeruitijs prætenſis à Barone contra Vaſſallos, in quibus ius reſiſtit, cum præſumatur conſuetudo per vim extorta ſolet prouideri contra Barones, quod abſtineant.

Quare in tali materia multos Barones hortatus ſum, vt ſi quando vendendi, emendi, affictandi habent neceſſitatem, ſeu voluntatem potius lucrandi, à Vaſſallis quærant dulcius conſenſū obtinere, vt velint pro ſuo lucro ſubleuādo, vt melius ſuo decori ſatisfaciat, eſſe cōtēti ſua potius emere, ſibi potius vēdere, & affictare, ita enim ſuæ conſcientiæ, & volūtati fiet ſatis.

Vtrum Barones teneantur ad collectas gabellas, & cetera onera communia in ſuis Terris ſubeunda ad quæ alij Ciues Vaſſalli.

DIFFIC. X.

Dico primò, quod Barones in Regno Neap. tenentur ad collectas pro burgenſaticis, quæ poſſident in ſuis Terris ſolummodo, nam feudalia ſunt immunia à talibus oneribus, burgenſatica verè omnino ſubiecta ſunt oneribus vniuerſitatis, ſuperq; collectari debent ea omnes poſſidentes ratione bona tenentium *l. 1. & ſeq. C. de præd. & Reb. nau. & l. 1. C. de priu. Dom. Aug. l. 11. & in prag. Regni* 12. *Ita de Franch deciſ.* 91. *Luc. de Penn. cum Diuus C. de omni agro deſ. l.* 17. *& Capibl. de bann. prag* 12. *n.* 10. quam doctrinam intellige ſolum de collecta quatenus eſt onus reale, nā ab onere perſonali in hoc Regno ſunt omnino immunes tanquam Regij milites *Capyc. V. Collecta in Inueſtit. verſ. Neap. qui additib. V. Princeps, & V. Domini*, quod etiam Rex tenetur ſoluere collectas de Burgenſaticis, & ita deciſum fuiſſe inter vniuerſitatem Corroni, & Baronem actuario de ferrarijs teſtatur *Capibl. loc. cit. n.* 11.

Verum nota, quod Barones non tenentur de burgenſaticis ſoluere quodlibet onus, & collectam ab vniuerſitate poſitā, ſed ſolum illā collectam, vel illud onus, quod ab antiquo fuit impoſitum ſuper rebus pro introitu ipſarum vniuerſitatum, & eorū communi viuere, non autem eam collectam, vel onus, quod ex cauſa accidentali vniuerſitatis ære alieno grauatę ſolet imponi ſuper bonis ciuiū, & ratio eſt, quia Baro eſt immunis à ſoluēdis debitis factis ab vniuerſitate, itaq; non poſſunt propter hoc collectari eorum bona, Vide *Rebuff. in l. ſi diutina C. de ſup. exac. & in l. 1. c. de præd. Nauic. lib.* 12. *& Capibl. ſingul.* 10. *n.* 21.

Dico ſecundò, Barones teneri ad refectiones murorum, ad ſalaria Medicorum, & ad alia, puta ad cuſtodiam Territorij de quibus participant, etenim, qui participant de commodo, debēt etiam participare de onere DD. *in l. ad inſtruction. C. de Sacr. Eccl.* exemplo dato de Eccleſiaſticis, quos etiam in dictis oneribus poſſe collectari ſi commodum de eis ſentiunt, licet ſint exempti, latè *Matrill. dec.* 4. *Marantha notab. conſ.* 81. *Camp. in Clem. de vita, & honeſt. Cler. n.* 115. *cum ſeq.* Sed de Eccleſiaſticis vide, quæ dicenda ſunt V. Clericus.

Dico tertiò, quod Barones an teneātur ad gabellas, & collectas de lucro, quod ex negotiatione percipiunt, diſtinguendum videtur, nam, vel eſt ſermo de negotiatione fructuum ſuorum feudorum, puta de frumento, oleo, & ſimilibus de ſuis feudis, & ouibus, porcis, & armentis, quæ impinguantur in ſuis feudis, non tenetur Baro ſi de iſtis negotietur, ſoluere gabellas, nam introitus feudales licet à Barone induſtrientur, immunes ſunt; ita *Capyc. in Inueſt V. feudor. Immunitas, Franc. deciſ.* 128. *& Capibl. prag.* 12. *n.* 18. & nota pulcram doctrinam, quæ inſeruit etiam pro Eccleſiaſticis tuendis in hac materia, quod non dicitur mercator, qui induſtriatur de fructibus ſuorum bonorum, *Bart. l. legatis ſeruis ff. de leg. tertia, Cancer. var. reſol. l.* 3. *c.* 1. *n.* 12. *Franc. deciſ.* 156. *Cauarit. n.* 45. Porro de alijs negotijs, quæ ſunt de bonis extra feudum ſi faciat Baro mercantias, tenetur ſoluere gabellas, ita communiter *Iuriſtæ Andr. doctr. in c. 1. quæ ſint regalia V. Plauſtrorum col.* 4. *Roſental. de feud. c.* 5. *concluſ.* 78. *Maur. alleg.* 161. *vol. Maſtrill. de Magiſtr. l.* 4. *c.* 17. & ita deciſum fuiſſe in conſilio pro vniuerſitate lauri cum Marchione Actuario *ff. teſtatur Capibl. de Bann. prag.* 12. *n.* 16. qui Barones hic non ſeruantes in conſcientia non eſſe tutos iure optimo affirmat, quia miſeri ſubditi non obſtant propter metum, murmurant tamen, & eorum murmuratio diſſenſum parit, & murmurationem populi interrumpere præſcriptionem dixi ſuperius cum *Andr. c. 1. quæ ſint regalia verſ. extraordinaria.*

Quare diligenter attendant Confeſſarij Baronum in hac materia, nam ſanguinem pauperum bibunt, dum gabellas, & collectas defraudant in damnationem ſuarum animarum.

Dico quartò, quod ſi vniuerſitas habeat priuilegium exituræ, & platearum, & ius exigendi gabellam, vel vectigal aliquod de animalibus venditis, vel frumentis, ceteriſq; quæ foras aſportanda venduntur, an entitas à Baronibus præfata, quæ ſunt de ſuo feudo ſunt immunes per hoc, quod à Barone franco, & immuni de rebus ſui feudi, variant Doctores affirmant aliqui, quia hæc immunitas redundat in beneficium Baronis, quia tanto libentius ſua emuntur. Ita *Bald. conſ.* 31. *& Capyc. in Maeſt. V. feudorum immunitas.*

Attamen alij volunt immunitatem non tranſire ad emptores licet ipſi emant à francis, etiam ſi eſſent Eccleſiaſtici, nam emptores tenentur ad gabellas. Ita *Boer. deciſ* 213. *Peregrin. tract. de iur. fiſc. tit. de conduct. Gabb. n.* 1 . qui hanc opinionem dicit in puncto iuris verū vno, licet contraria etiam ſit practicata, & *D. Sappia in tr. de conſtit. Bonc. l.* 2. *c.* 3. *n.* 73. *ſentit cum Peregrino, & idem firmat in c. Regni q.* 8. *n.* 8.

Diſtinguendum tamen puto, nam in forma priuilegij de exigenda gabella, vel imponitur onus contrahenti, & ementi, vt contrahens, & emens eſt, & in hoc caſu emptores, vt pote contrahentes, cum perſona franca, & immuni gaudet eius immunitate, aliter fieret iniuria franco, quia daretur occaſio minoris vendendi res ſuas, ſi emens gabellam deberet ſoluere, at vero ſi onus imponitur exituræ, tenetur emens ſoluere gabellam, quia exitura non eſt pertinens ad contractum cum franco; & immuni, & ita deciſum fuiſſe etiam docet *Capibl. loc. cit. n.* 19. *in fin. in Regia Camera profidatos Donanæ*, quod immunes etiam ſunt pro fœtibus, & fructibus, vide etiam *Roland. conſ.* 6. *l.* 4. *& Menochium conſ.* 111.

Vtrum Baro, qui in fine annuæ adminiſtrationis ſui Herarij diſſimulauit, vel neglexit ſignificare eius debitum, poſſit tempore, quo eum ſignificat repetere in propria ſpecie vinum, oleum, frumentum, & huiuſmodi, ſi debitor horum inueniatur, dato, quod pluris tunc valeant, quam in fine dictæ adminiſtrationis.

DIFFIC. XI.

Dico primò, quod Baro non poteſt repetere, nec exigere à ſuo Ærario frumentum, & cetera victualia in propria ſpecie, nec pretium quanti plurimi valeat eo tempore, quo ſignificat ſuum Ærarium, ſi infra duos menſes à fine annuæ eius adminiſtrationis diſſimulauerit eum ſignificare. Ita communiter Iuriſtæ, & probant præcipuè in Regno Neapolitano, quia Baro tenetur ſuum Ærarium infra duos menſes poſt annuam adminiſtrationem ſignificare ſuum Aerarium *ex textu l. 1. C. vt omnes Iudices*, & ſic deciſum fuiſſe inter vniuerſitatem Biuani, & Iacobum Caraceniolum Actuario figliola teſtatur *Capibl. prag.* 16. *v.* 102. *de iure Baron.* ſi ergo tenetur infra duos menſes poſt annuam adminiſtrationem Aerarium ſignificare, ergo ſi differt malitioſè præſumitur differre in præiudicium, & damnum Aerarij, dolus autem nemini debet patrocinari, quia vero Aerarius in fine duorum menſium poſt finem Anni verè erat tunc debitor frumenti, vel olei iuxta pretium illius temporis debebat ſignificari, & ſecundum illud eſt verè debitor, ergo ſecundum illud debet æſtimari debitor frumenti, & non aliter, ergo non poteſt eo tempore, quo cum ſignificat Baro, repetere ab eo pretium quanti plurimi, ſi ita tunc valeant, ſed ſolum ſecundum pretium eius temporis in quo debebat ſignificare, vide *textum in l. Nulli C. de erogat. mil. ann. Vide Capiblanch. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod etiamſi Ærarius nõ requiſiuerit Baronem, vt ſignificaretur determinato tempore vt ſupra, adhuc tamen nec poteſt Baro repetere frumentum, & cetera huiuſmodi in propria ſpecie, ſi debeantur tẽpore quo cum ſignificat, ſi fortè tunc pluris valeant, ſed debet accipere pretium quanti valebat tempore, quo erat ſignificandus, etenim mutua negligentia compenſatur, vt mora non dicatur, & ſic æſtimatio non creſcat. Ita *Fabr. diff. fin. 2. C. de contrad. ſtipul. & de Curteo in ſuo diuerſorio feud. fol. mihi 27. n. 50.* & refert ita deciſum fuiſſe in Regia Camera, & *Capell. de iure Bar. ſingul. 28. n. 65.* ita etiam teſtatur communiter practicari, vide etiam *Eſcobar. de ratiocin. c. 17. qui nonnullos etiam citat.*

An vero in hac materia dies interpellet pro barone creditore contra debitorem vide infra ſuo loco V. creditor, vel debitor.

Nota tamen, quod non ſunt obligati Ærarij quando ſignificandi ſunt ſoluere ſportulas rationalibus, nec etiam pro habẽda copia ſententiæ litterarum ſignificatorialium, & ita fuiſſe deciſum pro vniuerſitate Mirabellæ contra Ducem Actuario Amatundã, & inter Vniuerſitatem S. Georgij, & Iacobum Caraceniolum teſtatur *Capibl. prag. 16. n. 103.* Secus vero ſi Ærarius petat reuiſionem, nam ſumptibus petentis facienda *Amend. deciſ. 410. ad Franchum Capib. ibid.*

Benedictio.

Vtrum paramentorum altaris, & aliarum ad Eccleſiam pertinentiam, quæ ab Epiſcopo benedicuntur poſſit benedictio alteri delegari.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod huiuſmodi benedictio de iure ordinario competens Epiſcopo ratione dignitatis Epiſcopalis non poteſt ab eo alteri non Epiſcopo delegari, quia ſicut non poteſt alteri ſuam dignitatem communicare, ita neque ea, quæ dependent ab eius dignitate communicare valet, quare non poteſt regulariter paramentorum, corporalium, Calicum, & ſimilium benedictionem alteri, nec ſuo Vicario generali, nec etiam Abbati benedicto, hæc enim cum à iure poſitiuo habeantur, ad ſolum Pontificem pertinet tales facultates benedicendi communicare non Epiſcopis.

Dico tamen ſecundò, quod benedictio paramentorum, & aliarum rerum pro vſo Eccleſiarum, modo non interueniat vnctio, vt ab Epiſcopo poſſit delegari alicui Sacerdoti in dignitate eccleſiaſtica conſtituto indulgetur à Sede Apoſtolica ſpecialiter. Ita multotiens reſpondit ſac. Congregatio, & præcipuè nouiſſe in Caputaquenſi 20. Iunij 1630. Vide *Barboſ. de iure eccleſ. vniu. l. 2. c. 2.*

Adde, quod benedictio ſimplex cæmeterij, & Eccleſiæ non conſecratæ poteſt etiã committi ab Epiſcopo præſtitem in dignitate conſtituto, ex ſac. Congregat. Rit. in Cameracenſi 9. Febr. 1608. apud Aldanum in Comp. Canon. *Reſol. l. 2. Tit. 3.*

Aduertant etiam hic Abbates Regulares, & Prælati mendicantium, quibus ex indulto Apoſtolico conceditur benedicere Cæmeteria, Eccleſias, paramenta Sacerdotalia, altarium corporalia, & alia in quibus vnctio ſacra non interuenit, non poſſe pro vſu aliarum Eccleſiarum ſibi non ſubiectarum talia benedicere, quia ſolum talis facultas eis datur pro ſuis Eccleſijs ſolum priuatiuè, quoad alias ſibi non ſubiectas. Ita Sac. Congr. Rit. in Cameracenſi 13. Martij 1632.

Beneficium.

Quid, & quotuplex ſit Beneficium.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod beneficium iuxta ſui æthimologiam, & definitionem dicitur beneuola actio gaudium conſerens capienti, vt notat *noſt. Ang.* hic ex *Panormit. in c. vnico de commod.* quæ definitio extenditur ad quodcumque gratum alicui collatum; hic autem erit ſolum ſermo de beneficio Eccleſiaſtico, cui præfata etiam definitio eatenus competit, quatenus etiam Beneficiarius capit ex beneficio ſibi collato gaudium ſpiritnale de adminiſtratione ſpirituali, quæ ſibi competit ex titulo beneficij, & gaudium etiam corporale, cum beneficiũ Eccleſiaſticum regulariter habeat adiunctos redditus temporales ad ſui honeſtam ſubſtentationem ſaltem.

Dico ſecundò, quod Beneficium Eccleſiaſticum duplex eſt, ſcilicet Regulare, ſicut eſt Abbatia, Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Rectoratus, Guardianatus, & conſimilia, quæ ſolis Regularibus conceduntur, & hæc largo modo dicuntur beneficia Eccleſiaſtica, alterum ſæculare dicitur, ex eo quod paſſim clericis ſæcularibus conſertur, hoc autem, vel dicitur ſummum, & vocatur Papatus, vel dicitur eminens, & hoc eſt Cardinalatus, aut appellatur maius, & ideſt Epiſcopatus, vel eſt mediocre, & ſic eſt quicumque perſonatus habens annexã animarum curam, deniq; aliud nuncupatus minus, & hoc ſimplex dicitur beneficinm, quod curam animarum non habet, ſed ſimplicem adminiſtrationem perpetuam Eccleſiæ, vel Altaris ſui beneficij, quare ſi adminiſtratio ſit amouibilis, & non perpetua, propriè non dicitur beneficium, ſed Capellania, vnde non gaudet talis adminiſtrator amouibilis titulo, & priuilegio beneficij, cum ſit potius Procurator, & Capellanus dicendus, quam beneficiarius. Vnde

Dico tertiò, quod Beneficium fundatum in Eccleſia Regulari, niſi à fundatore ſpecialiter tribuatur adminiſtratio clericis ſæcularibus, omnino erit vocandum regulare, & à Regularibus adminiſtrandum; ſequitur enim beneficium exemptiones loci, in quo fundatur, niſi aliud ſpecialiter iubeatur à fundatore. Ita etiã *noſt. Hyer. Rodr. in ſuo cõp. qq. Reg. reſ. 15. n. 76.*

An appetere beneficium Eccleſiaſticum ſimplex, vel Curatum, ſit peccatum mortale.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod appetere beneficium ſimplex Eccleſiaſticum abſolutè ob bona temporalia abſq; referentia ad bonum ſpirituale, & Dei honorem, & cultum, mortale peccatum eſt, quia ex affectu auaritiæ procedit iſte appetitus, ita docent *noſt. Alenſ.* quẽ citant, & ſecuntur *noſt. Ang. & Hungarell. V. Benef. §. 32.* quod ſi appetatur ad honeſtè viuendum ſcilicet, ne cogeretur furari, & mẽdicare, etiam præciſa actuali referentia ad Deum, non erit peccatum mortale, etenim finis moraliter bonus non reddit actum peccaminoſum, niſi ſit immediatè contra aliquod præceptum, appetere autem beneficium ad honeſtè viuendum, eſt finis moraliter bonus, qui licet actualem referentiam in Deum non implicet, attamen virtualiter eam inuoluit, ita ſupra citati DD. quibus adde *Nauarr. miſcell. 36. de Oratione*, verum eſt tamẽ, quod ſi quis haberet præciſam iſtam appetentiam beneficij Eccleſiaſtici ad honeſtè ſolum viuendum cum oppoſita voluntate non referẽdi bona, quæ capturus eſt ex beneficio in Deum, & ad cultum eius, peccaret vtiq; quia contra finem beneficij Eccleſiaſtici, qui eſt cultus Dei, appeteret bona Eccleſiaſtica, nam bonus iſte finis honeſtè viuendi fædaretur à tali mala voluntate contraria fini Eccleſiaſtici beneficij.

Dico ſecundò, quod licet non improbabiliter velint DD. aliqui, ſit peccatum mortale appetere, & procurare ſibi beneficiũ curatũ ex eo, quia iſtud nemo poteſt exequi ſine ſpeciali Dei gratia, quã nullus poteſt certo ſcire à ſe haberi, ita vidẽtur docere *D. Th. & Raym. apud noſt. Ang. loc. cit.* attamẽ probabiliter admodũ practicari põt, quod appetere curatum beneficiũ quis ſine peccato poteſt, modo firmiter ſperet, & proponat cũ auxilio Dei ſe profuturũ animabus, quibus eſſet proficiẽdus, opus .n. bonũ aggredi, licet difficile cũ ſpe adiutorij Dei, qui propè eſt inuocantibus eũ, non eſt de ſe malum, niſi tale bonũ aggrediẽs eſſet vndequaq; ineptus, & impotẽs ad tale bonũ, quia tũc eſſet tentare Deũ, quod nõ licet homini, vt dicetur alibi, ſuppoſito ergo, quod appetẽs, & procurãs ſibi curatũ beneficiũ non ſit ineptus ad tãtũ onus non peccat mortaliter, ſi cũ ſpe auxilij Dei proponat animab. ſibi cõmittẽdis ſe pro poſſe profecturũ.

Cui, quando, & quomodo conferri valeat beneficium Eccleſiaſticum.

DIFFIC. III.

Dico 1. quod beneficiũ ſimplex minori ãnis quatuordecim de iure cõmuni nequit Canonicè cõferri, bene tamẽ verũ eſt, non eſſe neceſſarium xiv. eſſe completum, ſed ſufficit eſſe inceptum, in fauorabilibus enim annus inceptus habetur pro completo. Ita etiam *Gonzal. in Reg. 8. Cancell. gloſ. 5. Velaſq. T. 1. allegat. 9. & nouiſſ. Diana tract. 6. Miſcell. reſol. 14.* An verò minor quatuordecim annis diſpenſatus obtinere beneficium teneatur recitare officium, affirmandum puto cum *Azor l. 10. q. 12. T. 3.* quia diſpenſatus in vno non intelligitur diſpenſatus in alio, niſi ſpecifica mentio de alio habentur, nam diſpenſatio eſt odioſa, vnde ſtrictè interpretanda.

Dico ſecundò, quod beneficium curatum non poteſt conferri publico Aleatori, & Epulonem imitanti, aliter collatio eſſet nulla quacumque conſuetudine non obſtante ex *Rota parte pr. deciſ. 426. in Nouiſſ.* quod ſi beneficium eſſet ſolum habitu, non actu curatum poſſet aliquo modo tolerari. *ex Cardin. conſ. 48. Felin. in c. Poſtulaſti de Reſer.*

Dico tertiò, quod beneficium curatum non poteſt conferri ei, qui infra annum non poteſt eſt ſacerdos, ne cura ſibi commiſſa detrimentum patiatur, verum eſt tamen, quod ſi beneficium Curatum ſit in Eccleſia collegiata, in qua alij adſunt coniurati, poteſt conferri ei, qui infra annum non poteſt eſſe Sacerdos, quia in hoc caſu cura animarum non patitur, ita *ex c. ſtatutum de elect. in 6.* vide etiā *gloſ. in c. Dominicum* 1610. An verò, ſi Epiſcopus nolit infra annum ordinare eum, cui beneficium curatum collatum eſt, excuſetur a pænis, affirmat *Nauar. c. 25. n. 1. 16.* quia per ipſum non ſtat, quominus ordinetur, quod etiam verum puto in *Naldo hic n. 9.*

Dico quartò, quod beneficium ſimplex obtinens ſine animo clericandi facit quidem fructus ſuos, vt dicetur fuſius V. Clericus, attamen obtinens beneficium curatum abſque animo Clericandi, ſi infra annum non mutaret propoſitum, non faceret fructus ſuos, quia, vt dictum eſt, neceſſariò debet fieri Sacerdos infra annum, vt curam poſſit per ſe exercere ita colligitur, *ex c. licet de elect. in 6. vide Nauar. c. 27. n. 118.*

Dico quintò, quod beneficium Eccleſiaſticum non poteſt habere clericus coniugatus, nec aliam adminiſtrationem Eccleſiaſticam, vnde nec poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi *ex c. Vno, & c. Patres de Cler. coniug.* quod autem aiunt Canoniſtæ non poſſe ab eis diſpēſari, vt poſſint recipere beneficium Eccleſiaſticum, intellige de Epiſcopis, nam Papa tanquam ſupremus Eccleſiæ Hyerarca poteſt diſpenſare, vt poſſit beneficium ſimplex non curatum, cum ſit incapax Sacerdotij, recipere. Vide *Ang. noſt. ex Panorm. hic* §. 15.

Dico ſextò, quod beneficia quæcunque prohibentur impetrari a Iudicibus cauſarum beneficialium tam pro ſe, quā pro ſuis familiaribus, & coniunctis *ex Conſtitutione Pij IV. quæ recipit. Cupientes vnicuique*, in qua prohibitione etiam includuntur Cardinales, vide *Quaran. V. beneficium Reſer.* quoto autem tempore inducatur familiaritas, vt beneficia pro ipſis impetrari nequeat, vel intelligatur, facta reſeruatio beneficij ratione cōmenſalitatis, vel familiaritatis, docet *Verall. in dec. 10. l. 2.* quod ſufficit fuiſſe per quatuor menſes in Tinello.

Dico ſeptimò, quod beneficium acceptare procurator non poteſt pro alio, niſi ſpecialiter ab eo, cui conferendum eſt beneficium, habeat cōmiſſionem acceptandi prouiſionem de ſe factam de beneficio, ita habetur *ex c. fin. de Procurat.* grauiora enim negotia non veniunt in commiſſione generali, in qua conſequenter, nec includitur, vt poſſit Procurator cum cōmiſſione generali Matrimonium celebrare, ad hęc .n. grauiora negotia requiritur ſpecialis cōmiſſio, *vt dicetur V. Procurator.*

Dico octauò, Beneficium nondum ſepulto corpore beneficiarij voluerint aliqui non poſſe conferri, attamen quoad beneficiarios non Prelatos nulla videtur eſſe prohibitio, itaque ſi adhuc non ſepulto corpore conferatur beneficium, nulla reperitur pęna impoſita, benè tamen verum eſt, quod non ſepulto adhuc corpore Prælati beneficiarij, prohibetur conferri beneficium vacans per mortem ipſius Præfati. Ita etiam *Garzias T. 2. p. 10. c. 1. n. 37. de benef.*

Dico nonò, quod beneficium prouiſum eodem die à Papa, & ab Ordinario ſi ſit, præualere debet, qui priori certa hora collationem accepit, itaque ex hiſce duobus horam certā, qui habet, & alius certam non habeat, præferendus, & admittendus, qui habet certam horam, licet iſte habens certam horam fuerit ab Ordinario admiſſus, præſumptiuè enim dicitur prior, qui habet certam horam *ex deciſ. Rot. Rom. Cam. plur. 20. de præb. vide Nald. hic*, non tamen collatum iam beneficium ab Ordinario tollit Papæ eiuſdem collatio, niſi ſpecialiter id exprimat in collatione.

Dico decimò, quod beneficij collatio ſi communiter pertineat ad Epiſcopum, & Capitulum, altero eorum ex quacunq; cauſa inhabili facto, alter ſolus confert *ex c. Vnico ne ſede vacante in 6.* itaque ſi Epiſcopus eſſet ſuſpenſus à collatione beneficiorum, etiam ſi haberet intereſſe Epiſcopus tanquā Prælatus in tali beneficio, poteſt capitulū ipſo impedito valide conferre, idem dicendum de capitulo ſuſpenſo, vel interdicto, vel maiori parte ipſius excommunicata, tunc .n. poteſt Epiſcopus ſolus conferre *ex c. ſi ad Epiſcopum ne ſede vac. in 6.* quod ſi pertineat ad Epiſcopum collatio cum cōſilio capituli, non poſſet capitulum conferre impedito Epiſcopo, niſi foret Epiſcopus in mora doloſa petendæ relaxationis. Adde ēt, quod ſi capitulum, vel alius de conſuetudine, vel ſtatuto deberet cōferre beneficium de conſilio Epiſcopi, ipſo defuncto, vel in remotis agente, ita vt eius præſentia de breui nequiret haberi, non deberet retardari collatio, vt habetur *in d. c. ſi ad Epiſcopum. Vide Ang. noſt. hic* §. 5.

Dico vndecimò, quod beneficium, dignitatē, vel perſonatū obtinens à Papa per reſcriptū, niſi in ipſo fiat ſpecialis mentio, vt illi conferatur Curatū, de ſimplici, ſolum eſt prouidēdus, ita colligitur *ex c. licet de Elect. in 6. vide Nauar. c. 25. n. 118.*

Dico duodecimò, quod beneficiū præſentatū à Patrono ſede vacante, ēt ſi pertineat ad ſolū Epiſcopū collatio, poteſt à ſolo capitulo Cathedralis Eccleſiæ conferri, vt habetur *ex c. ſi Capitulum de inſtit. in 6. ita etiam noſt. Ang. V. Benef.* §. 7.

Dico decimotertiò, quod beneficium Curatum cum dignitate non confertur per concurſum, ſicut cetera Curata, *ex Decr. Sacr. Congreg. vide Naldum hic.*

An efficiens, vt Collator beneficium, quod Titio conferre decreuerat, Mutio conferat, ad reſtitutionem teneatur.

DIFFIC. IV.

Negant nimis ſanè benignè DD. aliqui, etiam ſi id fieret præcipuè animo nocendi, volunt enim ſolum animum malum nocendi non eſſe contra iuſtitiā, & conſequenter non obligant ad reſtitutionem, qui etiam animo nocendi efficeret, vt collator beneficium, quod Titio conferre decreuerat, Mutio largiatur, vide *Dianam tract. 5. Miſcell. reſol. 53.*

At verò probabilius, & tutius ex noſtri Doctoris doctrina *in 4. diſt. 15. q. 2. in reſponſ. ad vltimum principale* puto diſtinguendū, nā ſi Paulus v.g. effecit precibus, blāditijs, muneribus, aut alio licito quocunq; modo, vt collator beneficium, ꝙ Titio dare decreuerat, Mutio conferat, eo ſolū fine, vt amico conſulat, nō intēdēs alteri nocere directè, nō tenetur reſtituere, quia vtitur iuxta debitas, & honeſtas circūſtātias; quod ſi eo fine id effecit, vt principaliter, & directè Titio noceret, tenetur ad reſtitutionē, quia verè directè damnū intulit ipſi Titio, cūq; fraudauit, ꝙ *Scotus probat ex l. 2. ſi præſcindo venas in fundo meo ff. de noui operiſ.* per quas deſcendebat aqua ad puteū alienum intentione nocēdi, teneor reſtituere, ſi vero hoc facit non intendēs fraudi, ſed cōſulens vtilitati meæ, non damnifico illum, quia ius habeo facere vtilitatem in fundo meo. Ita etiam pari applicas ad propoſitum. huic ſententiæ adſtipulantur *Riccardus noſter ibidem*, *Sylu. V. Reſtitutio, Petr. Nau. de Reſtit. l. 3. cap. 5. Garz. de Benef. T. 2. p. 7. c. 16. & alij &c.*

Beneficium Curatum alterum altero pinguius a docto, & doctiori ſimul appetitum iure conferendum pinguius?

DIFFIC. V.

Conferendum minus pingue doctiori, ſi maiori cura indigent, & pinguius minus docto, ſi minori cura indigeat, autumāt *Sot. de iuſtitia l. 3. q. 6. a. 2.* putans maiorem doctrinam requiri ad gubernandas animas indigentes maiori cura.

Petrus tamē Nau. de reſt. vbi ſup. abſolutè videtur docere, vt videre etiam eſt apud *Nald. hic* minus pingue dandum illi, qui minoris eſt meriti, licet maiori cura indigeat, nam æquitas poſtulat, vt maius præmium magis digno conferatur, maximè in propoſito, quia maior cura in gubernandis animabus paſſim non attenditur propter indigentiam maioris doctrinæ, ſed potius ratione maioris laboris, maior autem labor æquius eſt, vt ſuſtineatur ab eo, qui minoris eſt meriti.

Diſtinguendum tamē putarem in hoc caſu, nam, vel beneficiū minus pingue ratione loci perſonarum, & negotiorum videtur potius requirere maiorem prudentiā, & doctrinā, quam laborē in dirigendis animabus ad ſalutē æternā, omnino cū prima opinione conſulerē hoc minus pingue conferendū doctiori, ſi verè minus pingue non indigeat ratione perſonarū, & negotiorū tanta doctrina, & prudētia, ſed ſufficiens ſit mediocris ſapientia ad animas illas dirigēdas in via mādatorum Dei, tunc magis pingue abſolutè dandū Doctiori, vt potè maioris meriti, & minus pingue minus docto iuxta ſecūdā opinionē, ratio autē potiſſima, quę dictat minus pingue, ſi maiori prudētia, & doctrina indigeat ratione loci, perſonarū, & negotiorum ſit conferendum doctiori illa eſt, quia in collatione beneficiorum cu-

ram

rata animarum habẽtiũ potius attendendum eſt maius lucrũ ſpirituale animarũ, quam maius lucrũ tẽporale doctioris, &c.

Vtrum filius valeat recipere beneficium, quod immediatè antea habuerat Pater in eadem Eccleſia.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod filius legitimus poteſt vtiq; recipere beneficium in eadem Eccleſia, ac Patris, vt habetur *in c. ad hæc de filijs Præsbiter.* illegitimus autem nõ permittitur habere beneficium in eadem Eccleſia Patris ſui, nec Epiſcopum in hoc poſſe diſpenſare aiunt communiter Iuriſtæ, &, ratio eſt, vt notat *noſt. Hungar. hic §. 26. ſch. 5.* ne videatur impudico Patri miniſtrare in loco, in quo innocentiſſimus Agnus Dei filius victimatur pro ſalute hominum, mortuo verò Patre poſſe diſpenſari ad habendum idem beneficium ſimplex abſque perſonatu, & dignitate. Quare

Dico ſecundò, quod nec filius legitimus poteſt recipere beneficiũ, dignitatem, & perſonatum, quæ Pater immediatè antea obtinuerat, ſimiliter nec eius Nepotes per rectam lineã deſcendentes, ex eo ne videantur beneficia Eccleſiaſtica per ſucceſſionẽ cõferri, ſecus dicendũ in collateralibus, qui immediatè non ſuccedunt, quia illi poſſent obtinere idem beneficium prędictum, cum ceſſet in ipſis ratio legis. Ita *noſt. Ang. §. 17. ex c. Conſtitutus de filijs præsbiter.* ex quo etiã capite habetur, quod ſi pater habuit vicarium perpetuũ in aliqua Eccleſia, non poteſt in eadẽ filius habere perſonatũ, & econtra habetur *in c. Michael de filijs Præsb.* ſi Pater habuit in Eccleſia perſonatũ, nec poterit filius immediatè recipere Vicariũ in eadẽ Eccleſia.

Dico tertiò, ꝙ nepos in eadem Eccleſia, quam habuit eius Auus poteſt obtinere eius beneficium, Patre eius viuente, ſed Patre mortuo non poteſt, & ratio eſt, quia Patre viuente Nepos non ſuccedit Auo ſuo, ſed Pater, mortuo autem Patre ſuccedit nepos Auo ſuo, atq; adeo cum ratio ſucceſſionis beneficij Eccleſiaſtici non militet in nepote viuente Patre, benè tamen in nepote mortuo Patre, hinc eſt, quod in Eccleſia eadẽ poteſt habere nepos beneficiũ Aui Patre viuente, quod non poteſt recipere Patre mortuo, *ita Ang. noſter ex Hoſtien. loc. cit.*

Dico quartò, ꝙ beneficiũ filij poteſt immediatè obtinere Pater legitimus ex eo, quia ceſſat ratio Canonis in Patre reſpectu filij, non .n. propriè Pater dicitur ſuccedere filio, cũ ab eo non depẽdeat, vnde ſi Pater obtineat beneficiũ filij, nõ diceretur beneficiũ Eccleſiaſticũ haberi per ſucceſſionẽ. *Ita Nald. ẽt hic.*

An beneficium abſenti collatum, poſſit alteri conferri, antequam recenſet venire. DIFFIC. VII.

NEgant cõmuniter Canoniſtæ fieret .n. iniuria abſenti, ſi nolens, & non monitus priuaretur beneficio ſibi collato, expectari debet, an conſentiri velit prouiſioni de ſe factæ, & ſi via iuris ſit procedendũ in hoc caſu, poteſt Epiſcopus illi aſſignare tẽpus congruum iuxta modũ abſentię, vt intra tempus ipſum aperire velit animum ſuum circa prouiſionem de ſe factam, quod ſi iuxta terminum illi datum non reſpondeat, & elapſo canonicè termino non appareat conſenſus prouiſioni de ſe factę, poterit Epiſcopus illud idem beneficiũ tuta conſcientia alteri validè conferri; benè tamen verũ eſt, quod ſi elapſo termino, antequam Epiſcopus alteri cõtulerit, ſi appareat conſenſus illius, ſtatim valebit eius collatitio, nec alteri poterit amplius cõferri. Ita *ex c. ſi ſibi abſenti de præb. in 6. noſt. Ang. §. 8.*

Quomodo, & quando dicantur vacare beneficia.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, ꝙ beneficia nõ dicũtur vacare p ſola ſpõſalia de futuro, quia iſtę promiſſiones, vtpote admodũ remotę, nõ annullãt Clericatũ, attamẽ ſpõſalia, ſeu Matrimoniũ de præſenti cũ incõpatibilia ſint cũ Clericatu immediatè, vt ſunt celebrata dicũtur vacare beneficia Eccleſiaſt. ita docetur *ex c. 1. de Cler. Coniug. vide ẽt Azo. T. 1. l. 13. c. 13. q. 8. & Nald. hic.*

Dico ſecundò, Beneficia, quę obtinet Clericus Religionẽ ingrediens non dicuntur vacare immediatè poſt ingreſſum, ſed expectandi duo mẽſes antequam profeſſionẽ emittat, & in tali tẽpore ſ. ante duos mẽſes ante profeſſionẽ debet renũciare beneficium, ita ex declaratione Sacræ Congregationis habetur, quod ſi non renunciet ante duos menſes ante profeſſionem ſuũ beneficium intelligitur vacare, & ab alio poterit obtineri.

Dico quintò, ꝙ beneficium primũ certum eſt vacare per aſſecutionẽ pacificam alterius incompatibilis *ex c. de multa de præb, & in Extrauag. Execrabilis, verſ. qui verò deinceps inter cõmunes.* Beneficio autem cum altero incõpatibile dicitur quando vtrũque ſimul, & ſemel requirit perſonalẽ reſidentiã in diuerſis locis, vel ſellis *ex ſeſſ. 24. c. 16. de Reformat.* vt ſunt præcipuè duo Curata in diſtinctis locis, & duæ dignitates perſonales in eadẽ Eccleſia, vel diuerſa, vt ſunt Archidiaconatus, Decanatus, & cõſimiles, quare per aſſecutionem pacificã alterius vacat primũ, cũ impoſſibile ſit in duabus Eccleſijs ſimul, & ſemel reſidere, & duas perſonas in eadẽ Eccleſia repreſentare, imò nec per Vicariũ regulariter loquendo poteſt ſuppleri præcipuè reſidentia Curati animarũ *ex Abb. in c. exterpandæ de præb. & Rebuffo in praxi Tit. de nõ reſidendo n. 20.* nã cum regimen animarũ ſit ars artiũ, *ex c. cũ ſit ars artiũ de Aetat. & qualit.* videtur electa induſtria perſonæ, vnde regulariter non permittitur per aliũ exerceri, iure ergo per aſſecutionẽ alterius Curati vacat ipſo iure primũ, & niſi ſtatim reſignet primũ in manu eius ad quẽ ſpectat reſignationem accipere, eſt ipſo iure priuatus ſecũdo, & inhabilis redditur ad quodcunq; beneficiũ, & ad Sacros etiam Ordines, cuius diſpenſatio ſoli Papæ reſeruatur per *Extrauag. Execrabilis.* Verum in hac reſponſione.

Nota, ꝙ iure dictũ eſt per aſſecutionẽ pacificam ſecundi incompatibilis vacare primum beneficiũ, nam licet ſecundum quis impetrauerit, non dicitur vacare primũ, niſi accipiat pacificã poſſeſſionẽ ſecũdi, vt habetur in *Clemẽt. Gratiæ vbi Card. Zabar. q. 2. de Reſcriptis.* hanc doctrinã proſequitur optimè, &c.

Ampliatur primò, quod etiam ſi per impetrantẽ ſecundum beneficium, quominus capiat poſſeſſionem ſecundi, non poterit ſucceſſor capere poſſeſſionem talis beneficij niſi vocato primo poſſeſſore; vt habetur *ex c. licet Epiſc. de Preben. in 6.*

Ampliatur ſecundò, ꝙ beneficiũ primũ non dicitur vacaſſe, ſi poſt pacificã poſſeſſionẽ ſecũdi incõpatibilis, in quo credebat ſe ius acquiſiuiſſe, & tamen inuenitur non eſſe verè acquiſitũ, vnde in tali caſu poterit redire ad primũ beneficiũ abſq; nouo titulo, & noua collatione, q̃a reuera dũ nõ habet verã, & pacificã poſſeſſionẽ ſecũdi, nõ dicitur verè vacaſſe primũ, vide *Nau. in cõſ. 31. de Prębẽ. in antiquis n. 13. ex c. de benef. de Præb. in 6.*

Ampliatur tertiò, quod nec intelligitur vacare primũ quando, & quoties non poſſet fructus beneficij ſecundi recipere ex eo, quod alteri debeãtur ex aliqua iuſta cauſa, vt habetur *ex c. ſi ſibi conceſſa, vide ibi Geminian. & Franc. de præb. in 6., vide etiam in hac materia Garziam de benef. par. 2. cap. 5.*

Quomodo, & quando dicatur beneficium vacare in Curia.

DIFFIC. IX.

DIco primo, quod beneficiũ dicitur vacare in Curia, & Papæ reſeruatur collatio, quandocunq; obtinẽs beneficium eſt Curialis, ſiue Romanæ Curiæ Officialis, iſtius modi enim Curialis, ſiue moriatur in Curia, ſiue extra Curiã in loco quãuis longè diſtanti Papæ reſeruatur, & ſemper dicitur vacare in Curia; verũ eſt tamẽ, vt notat *noſt. Angelus §. 6.* quod ſi huiuſmodi Curialis beneficium non conferretur per menſem poſt mortem ipſius, poſſit conferri ab eo ad quem ſpectat de iure Ordinario collatio, monet tamen, quod in hac materia attendendæ ſunt Regulæ Cancellariæ, quæ variantur in ſingulis Pontificatibus, cum ſoleat quilibet Papa eas permutare.

Dico ſecundò, quod per appoſitionẽ manus Papæ in aliquo beneficio, dicitur Papæ reſeruatum, vide *Garziam loc. citato.*

Dico tertiò, ꝙ beneficium dicitur ẽt vacare in Curia, quãdo Beneficiarius moritur Romæ, vel etiã in loco vicino Curiæ per duas dietas *ex c. Præſen. de Præb. in 6.* Dieta porro dicitur diſtantia viginti milliarium, itaque ſi beneficiarius moreretur in loco diſtante à Curia per milliaria quadraginta, annuum eius beneficiũ non diceretur vacare in curia, nec eſſet Papæ reſeruatum, cui tamen reſeruaretur, ſi obiret in loco diſtanti per quadraginta milliaria, vide *Ang. noſter vbi ſupra.*

Limitanda tamen hæc doctrina, quod ſi accedẽtes, & recedẽtes à Curia Beneficiarij moriantur in loco diſtãti a Curia intra duas dietas, in quo habet ſuũ Domiciliũ, vel ſit ꝓpria eius Domus originaria, nõ diceretur beneficiũ vacãs in Curia, nec Papę reſeruaretur, niſi fortè eſſet actu Curialis. Ita *Ang. noſt. loc. cit.*

Dico quartò, quod beneficium Curatum non dicitur vacare in Curia mortuo Papa, vel saltem ipſo moriente infra menſem, ne ob procraſtinationem animæ patiatur ſpirituale aliquod incommodum, in quo caſu ſpectat collatio ad Ordinariũ *ex c. ſi Apoſtol. ſede de Præb. in 6. ita Ang. noſt. V. Benef. §. 6. & Vngarell. ibid. ſch. p. ex c. ſtatuto, & c. præſenti de præb.*

Nota

Nota etiam hoc, quod Beneficium vacans in menſe Papæ, ſi conferatur ab Ordinario eius morti conſcio ſolum, & non generaliter diuulgatæ, valida eſt collatio, quia veritas præualet opinioni. Ita *Gonzalez in 8. Reg. Cancell. 5. proœm.*

Beneficium vacans infra quantum tempus prouideri debeat.
DIFFIC. X.

Dico primò, quod beneficium vacans infra tres menſes debet prouideri, ſi vacet in Eccleſia Cathedrali, vel regulari, *ex c. ne pro defectu de Elect.* cætera verò beneficia debēt omninò prouideri infra ſex mēſes *ex c. nulla de conceſſ. Præb.* alias collatio ſeu prouiſio deuoluitur ad eū, qui proximo præeſſe dignoſcitur, quod intellige, niſi adſit legitimū impedimentū puta Peregrinatio, vel ſuſpenſio etiam ex culpa, niſi eſſet in doloſa mora petendę abſolutionis, ita habetur *in c. quia diuerſitatē de conceſſ. Præb.* in quo capite etiā notatur, q tempus vacationis incipit vacare à die ſcientiæ, non autem à die vacationis.

Dico ſecundò, quod præfatum tempus non habet ſolum in debente inſtituere præſentatum à Patrono, quia prædictum caput. *Bulla* loquitur ſolum de conferente ex propr. ꝙ ſuo iure Ordinario, non autem de inſtituente de Patroni præſentatione ita *noſter Ang. hic .21. ex Dominis de Rota.*

Verum quantum tempus indulgeatur hodie Patronis ad præſentandum, vide *Garzam de Benef. 2. p.*

Beneficij priuatio in quibus caſibus incurratur ipſo iure.
DIFFIC. XI.

Dico primò, quod beneficij priuatio ipſo iure abſq; alia Iudicis declaratione incurritur, primò propter occiſionem ſui Prælati, vel Clerici ſuæ Eccleſię per ſe, vel per aliū. Secūdò, propter banditionē, vel verberationem Epiſcopi. Tertiò, propter mandatū occiſionis Chriſtiani per aſſaſſinos. Quartò, propter initas ſponſiones ſuper vita, morte, & electione Cardinalium. Quintò, in alienatione bonorū Eccleſię abſq; indulto Apoſtolico, & non ſeruata debita ſolēnitate &c. Sextò, Clericus beneficiatus non geſtās habitū, & Tonſurā *per Extrauag. Sixti V. quæincipit cum ſacroſanctam*, immediatè intelligitur priuatus beneficio abſq; alia Iudicis declaratione. Septimò, accipiēs beneficium curatum ſi infra annum non fiat Sacerdos ipſo iure, abſq; alia Iudicis declaratione intelligitur beneficio priuatus, ita paſſim DD. Ex periurio tamen non intelligitur quis priuatus beneficio niſi poſt Iudicis declarationem *ex Rota deciſ. 285. Seraph.* Qui autem dicendum ſit de beneficiario facto irregulari dicetur infra V. Irregularitas.

Dico ſecundò, quod beneficium viuentis beneficiarij occupans ſcienter, & illum faciens ſibi inueſtiri eſt ipſo iure ipſo priuatus, & inhabilis redditur ad aliud habendum *ex c. audiuimus 4. q. 2.* & ſolus Papa diſpenſat, ſicut. n. contrahens cū aliena vxore viuente Marito, nō poteſt eā ducere poſt mortē ſine diſpēſatione; ita à pari; immò adde, quod ſi obtineat poſt mortem beneficiarii huiuſmodi beneficium, ſi non exprimat occupationem ipſius factam tempore viuentis Beneficiarij, nulla eſt collatio, vt pote ſubreptitia, nam difficulter Papa diſpenſaſſet, ſi ſciuiſſet occupationis eiuſdem beneficij crimen.

Dico tertiò, quod impetrans collationē alicuius beneficij, q occupauerat prius per brachium, & auxilium ſeculare abſque legitimi Eccleſiaſtici Ordinarij collatoris, niſi faciat mentionē de tali intruſione in ſupplicatione data Pontifici, nulla eſſet collatio beneficij, & ipſo iure eo priuatus exiſteret, quia vt ſupradictum eſt, difficulter diſpenſaſſet, ſi ſciuiſſet talem intruſionem, *vide Ang. noſt. §. 33. & habetur in c. poſtulaſti de preb.*

Dico quartò, quod ipſo iure priuatus beneficio abſq; alia Iudicis declaratione, an teneatur abſq; alia Iudicis actione beneficium relinquere, alij aiunt requiri Iudicis ſententiā criminis declaratoriam, alij negant, ſed immediatè intelligi priuatum, tu vide, quæ de hac materia dicemus V. lex; interim tā quam certiſſimam hoc habeas, quod quando dicitur in foro conſcientię, vel in conſcientia ſit priuatus, vel non faciat fructus ſuos, debet beneficiarius fructus, quos accepit, poſt tale delictum perpetratum reſtituere abſque alia Iudicis declaratione.

Dico quintò, ꝙ beneficij priuatio lata in pœnā delicti, tollit ēt perceptionē fructuū ꝓ beneficij neceſſaria ſubſtētatione, indignum .n. videtur, ꝙ Eccleſiaſticis prouentibus ſubſtētetur, qui enormiter Eccleſiaſticas Sanctiones offendit, benè tamen verū eſt, ꝙ qui ob ſolā contumaciā priuatus eſt beneficij fructibus, ſtatim ac ab ipſa recedit, eos recipit. *Vide Nald. hic.*

Vtrum beneficiarius priuandus beneficio ob delictum, poſſit ante priuationis ſententiam latam, in fauorem alterius ipſum reſignare. DIFFIC. XII.

Diſtinguendum puto, nam vel ſolum à Iudice eſt declarandus priuatus beneficio propter delicta, quę à iure puniuntur priuatione ipſo facto, de quibus ſupra actum eſt, & in hiſce caſibus non poteſt beneficiarius renunciare in fauorem alterius, quia iam ipſo iure beneficio priuatus eſt. ita etiā optimè *Couarr. in c. Clem. ſi furioſus 2. p. §. 3. n. 6* quod ſi delictum non ſit ipſo iure priuatione notatum, poteſt vtique beneficiarius antequam per ſententiam Iudicis ſit actu priuatus, imò ſi priuatus per tres ſententias conformes, poteſt illud reſignare in fauorem alterius, quia adhuc retinet ius in beneficio, antequam eo ſit actu ſpoliatus, & conſequenter poteſt illud ius in aliud transferre per reſignationem in manu eius, ad quem ſpectat.

Verum nota primò, quod in reſignatione in tali caſu debet fieri mentio proceſſus inchoati, & ſententiæ cōformis propter tale crimen, quia ſunt aliqua crimina, propter quæ meritò repellendus eſt delinquens à reſignatione ſui beneficij, vt optimè notat *Pariſius in tr. de Reſignat. T. 1. l. 3. q. 16. n. 22.*

Nota ſecundò, quod talis reſignatio in fauorem alterius in duobus etiam potiſſimum caſibus non admittitur, primò nimirum quando omnia iam concluſa ſunt, & nihil reſtat niſi promulgatio ſententiæ, quia tunc reſignatio eſſet doloſa, ita *Pariſ. & Quar. loc. citato*; ſecundò nec admittitur, quando inquiſitus reſignat in fauorem eius, quem ſcit impetraſſe beneficium in euentu priuationis, quia talis reſignatio videretur eſſe facta in fraudem.

Vtrum priuatus Beneficijs, & Officijs omnibus intelligatur etiam priuatus penſione. DIFFIC. XIII.

Benignè ſatis Doctores citati in *Deciſ. ex pœnalibus 14. de ſent. & re iudic. Rot. Rom. Maral. Creſc. & Aula de cenſ. p. 1. c. 6. diſp. 5. Hurtad. de Excomm. diſp. 6. diff. 3.* negant priuatum beneficijs omnibus priuari penſione, ex eo quod in pœnalibus penſio non venit ſub nomine beneficij.

Affirmat tamen noſt. *Villalob. in ſum. tract. 17. diff. 9. Suar. de cenſ. diſp. 13 ſect. 1. Vaſq. in 3. p. tract. de Excom. dub 6.* & alij priuatum beneficijs omnibus, priuatum eſſe etiam penſione, quia verè penſio ex fructibus beneficij habetur, & verè eſt Eccleſiaſticus prouentus ipſa penſio, Eccleſiaſtico autem prouentu quocunque indignus eſt gaudere, qui contra Eccleſiaſticas Sanctiones deliquit.

Vtramq; ſanè opinionem ſua probabilitate gaudere exiſtimo cum *Diana parte 4. tract. 4. reſol. 55.* in hac tamen diſtinctione tutius procedendum putarem, nam ſi de penſione, quæ accepta eſt ex reſignatione beneficii, in ſecunda opinione affirmarem priuatum beneficio, priuari etiam tali penſione, quia re vera in hoc caſu talis penſio effectus eſt beneficij, & eius naturam videtur ſapere, quod ſi penſio ſolum data ſit ſimpliciter propter remunerationem, vel ſimplicem gratiam cum prima opinione omnino negarem, quia in rigore talis penſio non venit ſub nomine beneficij, &c.

Admonitum tamen vellem in hoc caſu Iudicem, quia in caſibus atrociorum criminum tutius Secūda opinione vtatur, in criminibus autem non ita atrocibus, prima opinione vtpote probabili abſolutè vti valeat.

Vtrum Excommunicatus immediatè intelligatur ſui beneficij fructibus priuatus. DIFFIC. XIV.

Dico primò, quod certum eſt excommunicatum non priuari immediatè beneficio, cum id non reperiatur expreſſe Statutum in iure, an verò immediatè fructibus intelligatur ſpoliatus controuertunt Doctores.

Affirmant *ex c. Paſtoralis §. verum de Appellat. Couar. l. 3. var. c. 13. Tolet. l. 1. c. 13. Garz. de benef. T. 7. p. 7. c. 13. Suar. de Cenſ. cap. 5. & Sayr. de Cenſur. l. 3. cap. 5.* & ſanè congruum videtur, vt qui participatione actiua, & paſſiua Sacramentorū ex contumacia, vel criminis atrocitate contra Prælatum Eccleſiaſticum, vel Eccleſiaſtica iura punitus exiſtit Eccleſiaſticis prouentibus, non gaudeat, quam etiam pœnam extendit *Vgolinus de cenſ. Tab. 3. c. 6.* ad excommunicatum excommunicatione minori.

Atta-

Digitized by Google

Attamen benigna probabilitate negant immediatè fructibus ſui beneficij remanere expoliatum excommunicatione irretitum, ſed potius eis gaudere poſſe docent, donec à Iudice per ſententiā declaretur priuatus. Ita *Petr. Nauar. de reſtit. l. 2. c. 2. Aula de cenſ. p. 2. c. 2. diſp. 6. Vaſq. opuſc. de benef. c. 3. §. 3. Sanch. de matrim. T. 1. l. 3. diſp. 5. Conınch. de Sacr. diſp. 14. dub. 93. Hurtad. de cenſ. diſp. 6. diffic. 3. Diana in 4. p. tract. 4. miſc. reſol. 54.* & alij, *ex d. c. Paſtoral.* ſolum colligitur deberi priuari fructibus ſui beneficij excommunicatum, non autem expreſsè ſtatuit, vt immediatè priuatus intelligatur, cum non exprimatur, non faciat fructus ſuos, vel in conſcientia non retineat, immò.

Dico ſecundò, cum *Hurtado*, quod etiamſi in d. iure haberetur de facto excommunicatum priuari fructibus ſui beneficij, adhuc tamen poteſt eos retinere, antequam à Iudice declaretur eis priuatus, quia ex contraria conſuetudine derogatum videtur præfato capiti, maximè hoc verum exiſtima, ſi adſit tolerantia Summi Pontificis.

Dico tertiò, quod ſi excommunicatus non ſit in culpa petendæ abſolutionis, debet ſubſtentari beneficij ſui fructibus, cum titulum ipſius minimè perdiderint, ita etiam *Nald. hic, & Vgolin. de cenſ. Tab. 3. c. 6.*

An vero Cappellanus excommunicatus poſſit totum ſtipēdium dare pro Miſſæ celebratione, vide infra V. Excomm.

An beneficij valor, et quantus debent in ſupplicatione exprimi.

DIFFIC. XV.

Dico primò, quod in ſupplicatione pro beneficio accipiendo debet neceſſario exprimi valor maior beneficij iuxta Regulam taxatam à Cancellaria, aliter collatio eſſet nulla, poteſt tamen in valore exprimendo deduci onus neceſſarium, quod ſubire debet Beneficiarius ratione talis beneficij, ita cōmunius.

Dico ſecundò, quod ſufficit exprimere valorem ex locatione facta à præcedente beneficiario, etiam ſi potuiſſet maiori pretio locari, quia non præſumitur in foro fori voluiſſe inſtare fructus ſui beneficij ſibi competentes, præterquam, quod locationum pretia modo ſunt maiora, modo minora iuxta locatorum penuriam, copiam, & locantium induſtriam, & diligentiā. Ita etiam *Gomez, & Rebuff. apud Nald. hic n. 37. & 20.*

Dico tertiò, quod licet aliqui voluerint beneficij valorem modicum non eſſe exprimendum in ſupplicatione, quia de minimis non curat Prætor, attamen probabilius cum alijs dicendum exprimendum eſſe valorem beneficij, etiam ſi foret modicus, puta vnius ſcuti. Vide *Nald. loc. cit.*

Beneficium habens in commendam ad quid teneatur.

DIFFIC. XVI.

Dico, quod habens aliquod beneficium in commendam tenetur Eccleſiam ſui beneficij primò in ſuo ſtatu manutenere, & de ſuperfluo ſuæ ſubſtentationi, & decore prouidere, quia tale beneficium in commendam non datur abſolutè pro beneficiario, ſed primò, & immediatè vt Eccleſia ſibi commendata manuteneatur in ſuo ſtatu, & decore, vide *Panorm. in c. de Monachis de Præb.* hinc optimè infert *noſt. Hungarel. §. 32. Scho.* quod Commendatarius debet ei inſeruire per clericum, vel clericos conſuetos more ſolito, & hoſpitalitatem in ipſa conſuetam fieri omnino retinere, quod clarius videtur docere *Innoc. in c. Lateran. de Præb. & in c. Paſtoralis de priuil.* quam doctrinam ſi notarent, vt deberent Moderniores Commendatarij, tot inſignes Abbatiales Eccleſiæ Bubonum, & vtinam non latronum fierent receptacula.

Vtrum excommunicatus validè, acceptet beneficium ſibi collatum, vel præſentato tempore, quo non erat excommunicatus.

DIFFIC. XVII.

Validam eſſe acceptationem beneficij habitam ab excommunicato, modo ſibi fuerit collatum, vel præſentatum tēpore, quo non erat excommunicatus docent *Alt. de cenſ. T. 1. lib. 2. diſp. 6. c. 5. Vaſq. in 3. p. tr. de excom. Auil. de cenſ. p. 2. c. 6. diſp. 5. Turrian. de cenſ. l. 2. diſp. 26. Paris de reſign. benef. l. 10. q. 8. Suar. de cenſ. l. 2. c. 5. Rota deciſ. 105. in nouiſſ. Vgolin. tab. 2. c. 13. … 1. Couarr. in c. Alma mater 1. p. §. 7. Azor 2. p. l. 2. c. 23. Gomez in tr. expectatiuarum n. 6.* & alij, & probabiliter quidem, quia iura ſolum irritant collationem, & electionē beneficij factam excommunicato, non autem acceptationem.

Attamen fortè probabilius, vel tutius ſaltem negant *Suar. diſp. 13. ſec. 1. & diſp. 14 ſect. 2. Conınch. de Sacram. diſp. 14. dub. 9. Hurtad. de excommun. diſput. 6. diff. 3.* & alij ex eo quod intentio Sacrorum Canonum eſt inhabitare excommunicatum ad acquirendum beneficium, at vero per acceptationem requiritur beneficium, ergo non ſolum collatio, verum etiam acceptatio beneficij facta ab excommunicato dicenda inualida iuxta ſacros Canones.

Verum licet hæc ſecunda opinio videatur tutior, attamen prima ſua probabilitate non caret ex eo, quod in pænis non eſt facienda extenſio, & odia ſunt potius reſtringenda, præterquam, quod ad acceptationem beneficij iam collati excommunicato ante excommunicationem non requiritur actio aliqua ſolēnis canonica, quæ prohibeatur excōmunicato, cū ſufficiat merus actus voluntatis eius independenter ab omni alio.

Vtrum beneficij electio, vel collatio facta excommunicato, ſed acceptata poſt obtentam abſolutionem ſit valida.

DIFFIC. XVIII.

Diſtinguendum puto, nam, vel elector, & collator remanet poſt abſolutionem contentum ab excommunicato tali cum eadem intentione, eamq; ratificat, & in hoc caſu probabiliter dici poteſt cum *Couar. loc. cit. Henr. l. 13. c. 1. & Bonac. de cenſ. diſp. 2. q. 2. punc. 4.* quod nō eſt neceſſaria noua electio, & collatio, quia per continuatam voluntatem electoris, & collatoris ratificantis priorem electionem videtur omnino reualidata prior electio, & collatio, quod ſi fuerit tempore, quo erat excommunicatus ad beneficium electus, & præſentatus interrupta electoris, & collatoris voluntas circa præfatum excommunicatum, omnino facienda eſt noua electio, & præſentatio, quia per continuatam voluntatem non poteſt dici approbata, & ratificata poſt abſolutionem obtentam prior electio, & collatio, quæ ſemel fuit interrupta, ergo dum tempore, quo erat excommunicatus, erat inualida electio, omnino debet de nouo fieri electio, & præſentatio poſt obtentam abſolutionem.

Tutius tamen in odium excommunicationis practicandum dicerem in hoc caſu cum *Chonnelt vbi ſupra, & Leſſ. c. 2. l. 4. dub. 12.* quod quantumuis permanſerit elector, & collator in prima ſua bona volūtate, attamen, quia excommunicatus erat verè incapax tempore collationis, vel electionis, poſt abſolutionem, noua electio, & collatio ſit facienda, & hanc opinionem putat etiam eſſe probabiliorem *Bonac. loc. cit.*

Nota etiam hic, quod electio, & præſentatio facta excommunicato occulto, non eſt renuncianda, ſi immineat periculum infamiæ, vel ſcandali, cum nullus tenetur ſe infamare, tenetur tamen interea occultè diſpenſationem petere, vide infra V. Excommunicatio.

Vtrum Beneficiorum nomine ad incurrendas Symoniæ pænas, veniant Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Guardianatus, Diffinitoratus, ceteriq; conſimiles gradus Regularium.

DIFFIC. XIX.

Negant *Azor. p. 3. l. 12. c. 21. q. 6. Barboſ. in collect. T. 3. l. 5. & Bonac. de Symon. diſp. 1. q. 7. §. 2.* & probabiliter, quia iſti gradus non ſunt verè, & in rigore beneficia Eccleſiaſtica, nec ea ſolemnitate conferuntur, & præſentantur, ſicut beneficia ſæcularia in pænis autem prohibetur fieri extenſio, cum odia ſint reſtringenda, quare ſentiunt iſti DD. & probabiliter ſolum ſæcularia beneficia eſſe verè, & in rigore beneficia, & conſequenter ſolum ad iſta extendi pœnas contra Symoniacos latas, nullo autem modo ad Regulares dignitates exiſtiment.

Affirmant tamen huiuſmodi Regularium dignitates venire ſub nomine beneficij Eccleſiaſtici ad incurrendas pænas latas contra Symoniacos noſtri *Portell. V. Symonia num. 5. Hyer. Rodriq. in compend. reſol. 129. idem ſentiunt Nauarr. c. 27. T. 2. l. 3. q. 13. Filiuc. T. 3. tract. 15. cap. 4. q. 7. & Diana p. 4. tract. 4. reſol. 156.* & quidem probabilius, & tutius, nam verè ſunt gradus Eccleſiaſti cum iuriſdictione Eccleſiaſtica, & ſuo modo dona Dei dici poſſunt.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum Clericus poſſit ſine peccato retinere plura beneficia ſimplicia. DIFFIC. XX.

DIco primò,quod Clericus peccat mortaliter retinẽs plura beneficia ſimplicia,quando vnum eſt ſufficiens ad honeſtam ſui ſubſtentationem;ita *ex gloſ.in c. dudum 2.de elect.* vide etiam *Conc.Trid.ſeſſ.24.de reformat. c.10.ſub his verbis Eccleſiaſticus ordo*,& patet ex eo,quod nõ ſolum talis clericus facit contra ius poſitiuum loc.cit. verum etiã,vt docet *Innoc. in c.cum ad monaſterium de ſtatu monach.* facit contra ius diuinum,quod etiam tradunt *Hoſtien.in d.c.dudum. & D.Th. in quod l.5. q.5.* quia patrimonium Chriſti iniuſtè diſpergitur, & beneficium datur propter diuini cultus ſeruitutem, nemo autem in diuerſis beneficiorum locis poteſt diuino cultui deſeruire, præterquam,quod pluralitas beneficiorum in vno clerico videtur eſſe contra legem naturæ, cui non videtur conſonum, vt quis habeat plura, eaque ſuperflua beneficia, & alius forte aliquando maioris idoneitatis,& meriti,vel ſaltem æqualis omnino indigeat,adde,quod pluralitas beneficiorum in vno poſſet eſſe contra voluntatem teſtatorum, vel fundatorum, qui pro pluribus ſigillatim tales redditus legarunt,vel donarũt, vt Eccleſia,vel Cappellæ frequentius, & honeſtius à ſingulis colerentur, ex quibus conſequenter.

Dico ſecundò,quod Clericus obtinens plura beneficia quãdo vnum eſt ſufficiens ad honeſtam ſui ſubſtentationem abſq; legitima diſpenſatione,tenetur ſuperflua reſignare,quod patet, quia ſi plura cum peccato retinet, debet omnino ea reſignare, vt à peccato ſeſe liberet,alias non eſſet in ſtatu ſalutis,ad quem tenetur quilibet quantum in ſe eſt cum adiutorio Dei peruenire,vnde in bulla *Pij V.*de reſignatione, quæ incipit: Quanta Eccleſiæ Dei, vna ex cauſis reſignationis faciendæ ponit beneficiorum pluralitatem.

Vtrum idem Clericus poſſit plura beneficia ſimplicia ſimul retinere abſque apoſtolica diſpenſatione. DIFFIC. XXI.

CErtum eſt in hac quæſtione duo beneficia ſimplicia non poſſe ſimul retineri, ſi ambo requirant perſonalem reſidentiam incompoſſibilem ratione tituli, vt docent *Abb.in repetit C.extirpandæ §.qui vero de præb.n.30.Garzias de benef. p.11.c.5. n.261.*& conſtat hodie ex decreto *S.Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor.c.17. vbi habet*, (quod in quibuſcumque perſonis quocumque titulo,etiamſi Cardinalatus honore fulgeant,mãdat obſeruari,ſtatuit,vt in poſterum vnum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam eius,cui confertur,honeſtè ſubſtentandam non ſufficiat,liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumq; perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri) bene tamẽ verum eſt,quod quando reſidentia eſt neceſſaria ſolum cauſatiuè,qui ſcil.non reſidendo priuaretur fructibus, non dicuntur incompatibilia duo beneficia requirentia talem reſidentiam cauſatiuè,ſed ſolum quando reſpiciunt ambo reſidentiam formaliter ratione tituli, vt docent etiam *Alt. & alij in c.fin. de cler.non reſidente,Capra q.9.n.11.Nauarr.conſ.4. n.1. de Cler. non reſid.Gonzal.gloſ.5.n.20. & Garzias loc.cit.*

Adde, quod licet per ſubſtitutum poſſet alteri inſeruiri, adhuc beneficium tale reſidentiam formaliter requirens ratione tituli eſt incompatibile cum alio eiuſdem generis, pro quo affertur à Garzia decretum S.Congreg. ſub his verbis (Dubitatur,an Cappellaniæ, quibus incumbit onus celebrandi Miſſas, & in Choro inſeruiendi ſint incompatibiles cũ Canonicatibus, & parochialibus,cũ per earũ conſtitutiones liceat eis inſeruire per ſubſtitutum de licentia Ordinarij, & capituli congregatio Concilij cenſuit non eſſe compatibiles) vide *Garziam loc cit.*

Attamen ſi reſidentia non foret perpetua, & continua in altero beneficio ſimplici, ſed ſolum pro aliquo tempore, vel certis ſolum diebus, quia ſolum reſidentia perpetua, & continua inducit incompatibilitatem.Ita *Imola c.fin. de Cler. non reſid. n.4.Capra Reg.qq.n.102.Rota dec.483.n.3.p.1.diuerſar.*quare poterunt habere duo beneficia ſimplicia,quorum alterum reſidentiam perpetuam, alterum ſolum temporalẽ, & non continuam requirens.Vide *Garz.loc.cit.*tãto magis poterũt habere duo beneficia ſimplicia,quorum alterum reſidentiam,alterum non reſidentiam requirit, intellige ſecundum mentẽ Concilij, quando alterum non eſt ſufficiens ad honeſtam ſubſtentationem vitæ beneficiati.Ita *noſt.Rodr.in ſum.T.1.l.31.n.2. Nauar. c.25.n.127. Hoieda 2.p. c.1.& 2.Garzias loc.cit.*

Difficultas ergo præſens eſt,an plura beneficia ſimplicia reſidentiam non requirentia poſſint licitè retineri, quando alterum eorum eſt ſufficiens ad honeſtàm vitæ ſubſtentationem. In qua difficultate grauiſſimi DD.tam ante,quam poſt Conc. Trid. pro negatoria, & affirmatiua altercati ſunt. Quare Innocentius *c.fin.de Cler.non reſid.n.1.& in c.cum iam dudum n.2.& 4.de præb.*ait indiſtinctè licitum eſſe retinere plura beneficia non requirentia perſonalem reſidentiam pura tamen mente,nõ propter auaritiam,& ambitionem,ſeq.*gloſ.in c.gratiam de reſer.in 6.lapus allegat.36.& 35.n.35. Card.in d.c.cũ iam dudum,& Rebuff.in prax.tit.de diſpenſ.ratione ætatis V. in Cathedralib.& in repetit.c.extirpandæ §.qui vero*,quam Innocentis opinionem aiunt *gloſ.& Cardinalis loc.cit.*ſeruare conſuetudinem,quam Papa ſcit,& tolerat, & aliter dicẽdo totus mundus damnetur,& ita etiam communiter ſeruari teſtatur *Capra reg.9.n.96. & Rebuff. loc.cit.* ait,quod iſta opinio de conſuetudine inualuit,& *ſpeculatore de diſpenſatione § dicendum n.6.inquit*,quod cum iſtam conſuetudinem Papa ſciet,& toleret,videtur excuſare,quod etiam docet ferret.

Idem docent *Soto de iuſt.& iure l.3.q.6.a.3.concl.4.& eum ſecuntur Arag.2.2.q.93.n.3 conc.3.& Valent.3. T.2.2. diſp. 5.q.7.punct.7.Ledeſma in ſum.2.p.tr.7.c.1.concl.11. & nouiſſ. Card.Tuſcus concl.6.lit.B.*quod pluralitas beneficiorum ſimplicium perſonalem reſidentiam non requirentium ex probata conſuetudine,& receptoreſue abſque alia diſpenſatione retineri licitè poſſe.

Et *Garzias loc.cit. a. n.323.* firmat probabiliter dici poſſe *Conc.Trid.decretum in d.c.17.*relatum non eſſe in vſu ſaltem in hiſpania,& n.332.abſolutè ait etiam in foro conſcientiæ hodie poſſe licitè retineri pluralitatem beneficiorum ſimplicium iuxta opinionem *Innoc.*quia Concilij præfatum decretum non eſt vſu receptum,& probat ex *Zechio de Republ. C.Eccl.c.de beneficiatis n.4.*vbi ait, (pro pluribus beneficijs ſimplicibus ſimul obtinendis,& retinendis quantum ex vſu, & conſuetudine colligi poteſt non eſſe neceſſariam diſpẽſationem,paſſim .n. ſine diſpenſat.acquiruntur,& retinentur;rarò tamen fortè tuta conſcientia)& infra reſoluit,(quod Papæ tolerantia,qui ſcit, & tolerat,in foro exteriori videtur excuſare,*arg.c.1.de Cõſtit. in 6.*& regulariter in hoc diſpenſatio non petitur,& videtur id relinqui conſcientiæ cuiuſque, cum non poſſit tradi certa regula quantum cuique ob perſonarum diuerſitatem ſufficiat ad honeſtè viuendum.) Hæc *Zechius*.

Et *Moſcan.de maieſt.milit.Eccleſ.l.1.p.3.c.2.* ait,quod hodie de conſuetudine non datur diſpenſatio ad plura beneficia ſimplicia,quod Prælati inferiores videtur,quod cõferre poſſint, & de facto conferunt,quem placuerit nulla habita ratione, an ſint pingua, vel tenua, quæ ſecundum ea, quæ habentur in d. *conc.ſeſſ.24.c.17.*non ſatis laudabilia ſunt, & tolerabilem hanc conſuetudinem eſſe videtur docere *noſt. Corduba in ſuo quæſtionario q.20.propoſ.3.*

Quod ſi dicant Papam, & Epiſcopos tacitè ſaltẽ diſpenſare in collatione plurium beneficiorũ ſimpliciũ.Reſp. *Garz.* quod hoc tollitur *ex c.non poteſt de præbend.*vide *noſt.Rodr.in ſum.* præterquam,quod addit, quod non ſolum retinentur plura beneficia manu Papæ ſignata per fiat,ſed etiam ſignata per conceſſum de manu alicuius Prælati, qui habent ſignaturam per conceſſam,qui non poſſunt tacitè diſpenſare contra Conciliũ.

Contrarium tamen tenent tam de iure antiquo ex *c.cõquerente de Cler.non reſid.*& hodie per *Conc.Trid.in d.c.12.* ſcil. non poſſe haberi,& retineri pluralitate beneficiorum nõ requirentium perſonalem reſidentiam ſi alterum eorum ſufficiat ad honeſtam ſubſtentationem præter antiquos *v.Abbas in d.c.iã dudum de elect.& in d.c.conquerente,& gloſ.in d.c.iam dudũ Modernior.in ſum.T.1.c.31.n. 2.& 3.Bernard.Diaz in prax. crim.c.47.& 48.Hoied.p.1.c.19.Pariſ.de reſig.benef. l.3. q.t. n.138.& l.5.q.6.Dioniſ.Cart.in tr.de plural.benef. Zerola 2. p.V.Incompatib.Salon.22.q.63.a.31.Azor.l.5.c.19.et 2.p.l.3. c.7.q.4.& c.8.q.6.& inf.*& cõmunè hãc vocãt ſent. *Hoied.et Par.& Nau.c.25.n.125.& miſc.62.n.2.& cõſ.13.n.1.de præb.*

Imo contrariam conſuetudinem, & obſeruantiam non valere,nec excuſare retinentem plura beneficia, quorum vnũ eſt ſufficiens à peccato mortali docent *Abb.in repetit. §. qui vero n.36.in c.extirpandæ de præb.Bertach.in repetit.verſic. beneficior.ſufficientia,Greg.Lopez l.3.tit.16. p.1. Hoieda in d.c.19.*

Pariſ.

Pariſ. dicta q.6.n.219. & Azor l.1.c.19.et 3.p.l.6.c.11.q.5.et 9.

Prima quidem Opinio, ſi verum ſit à Papa ſciri, & tolerari collationem, & retentionem plurium beneficiorum ſimplicium contra mentem præfati Decreti S. Conc. Trid. in locis, in quibus eſt receptum hoc concilium, probabiliter teneri poteſt, modo accipiens, & conferens pura mente, vt tradit *Innoc.* abſq; auaritiæ, & ambitionis affectu procedat, & non ſit tanta beneficiorũ coaceruatio, vt iure erubeſcere teneatur, tam conferens, quam recipiens, arbitrio enim boni viri perſpecta qualitate, dignitate, idoneitate, ſeu ſufficientia perſonarum, & alijs circumſtantijs debet pluralitas beneficiorum conferri, & retineri. vide *Hoedam, & Pariſ. & Garz. loc. citato.*

Secunda tamen opinio tutior, & probabilior eſt de iure tam antiquo, quam nouo, vt patet, & etiam ratione boni publici omnino ſequẽda, & amplectenda, & ratio ea eſt, quam adducit *Sacrum Conc. Trident. loc. cit.* dum ait (cum Eccleſiaſticus ordo peruertatur, quando vnus plurium occupat beneficia Clericorum) peruertitur enim ordo Eccleſiaſticus, & contra bonum publicum fit, quando, vt ait D. Paulus, vnus ebrius eſt, alter autem eſurit, vnus Clericus opulenter, & cum luxu viuit de redditibus Eccleſiaſticis, alter verò fame perit, & in Clericatu cogitur exercere, vt viuat.

Et ego miror certè, quod DD. primę Opinionis aſſerunt Põtificem ſcire, & tolerare conſuetudinem conferẽdi, & retinendi plura beneficia abſque diſpenſatione, cum *Garz. loc. citato n.310.* ſeptem adducat declarationes Concilij conformiter declarantes non poſſe plura beneficia ſimplicia reſidentiam non requirentia ſimul ab eodem retineri, quando alterum eorum eſt ſufficiens ad honeſtam ſubſtentationem.

Illud tamen in hac difficultate certum eſt, quod nec penſionum pluralitas, nec aliquorum beneficiorum, quæ duorum, vel trium ducatorum valorem non excedunt comprehenditur in d. decreto Sac. Conc. & quo ad pluralitatem pẽſionum poſſe obtineri, & retineri licitè declarauit S. Congregatio Concilii ſcribens ad Archiepiſcopum Hiſpalenſem, vt refert *Garz. lo. cit.* & rerum poteſt eſſe, quia licet penſio ſuccedat loco beneficij, tamen verè beneficium non eſt, cum careat titulo, vide etiam *Hoed. 2.p.c.7. Gonzalez gloſa 5. §.1.n.23. & Mandoſ. de ſignatura gratia tit. de diſpenſat. beneficij ſub eod. tecto, Hodieda 1.p.c.20. n.18. & 22. & Garzias n. 315. loc. cit.* & facit *Conſil. Trid. ſeſſ.25. de Reform. c. 15. licet Rebuffus,* & alij contrarium teneant parum quidem probabiliter.

Quo ad verò beneficia valoris duorum, vel trium ducatorũ, quod plura ſimul etiam in eadem Eccleſia poſſint vni conferri, & licitè retineri adeſt declaratio Sacr. Congregationis cum approbatione Pontificis apud *Garziam loc. cit. n.318.*

Vtrum iuxta Decretum Concil. Tridentini in d. c. 17. ſi habenti beneficium ſimplex ſufficiens conferatur alterum non ſufficiens vacet primum, an ſecundum.

DIFFIC. XXII.

Dicendum videtur, quod cum incompatibile ſit ſecũdum inſufficiens cum primò ſufficienti, quandocunque accepit poſſeſſionem ſecundi inſufficientis vacet primum ſufficiens, ſibi enim imputabitur, quod ſufficiens amittat, dum contra Decretum Concilij aliud ex ſe inſufficiens vult retinere, quod probat *Garz. ex declarat. Sacr Congreg.*, quæ ſic (Epiſcopus habenti congruum non poteſt aliud beneficium dare, & ſi dederit vacat primum illud, quod habebat, dummodo beneficium titulare ſit quantumuis diſforme, a ſecundo recepto, & ſi vtrumque retinere tentauerit accepta pacifica poſſeſſione ſecundi vacat vtrumque.)

Idem dicendum erit ſi habenti beneficium inſufficiens conferatur ſecundum ſufficiens, vacat primum, quia ſunt ſimul incompatibilia, nam duo beneficia ſimplicia conceduntur à Concilio ſimul, quando aliud ſimul cum primo conſtituunt redditus ad honeſtam ſubſtentationem, non autem quando alterum ex ſe eſt ſufficiens, vacat ergo inſufficiens per aſſecutionem ſecundi ſufficientis, & ſi vtrumque retinere voluerit, vtrumque vacare docet Sacr. Congreg. Vide *Garz. loc. citato num. 303.*

Poterit tamen habenti beneficium ſimplex inſufficiens, quod reſidentiam non requirit conferri aliud Curatum, quia Concilium prohibet duo beneficia, quando vtrumque reſidentiam requirit. Ita *Hoeda 2.p. c.1. n.1. ad finem.*

Vtrum habenti duo beneficia ſimplicia, quorum neutrum eſt ſufficiens ad congruam ſubſtentationem vitæ Beneficiati poſſint alia vſque ad congruam ipſius ſubſtentationem licitè conferri, & retineri non obſtante præfato Concil. Trid. decreto.

DIFFIC. XXIII.

Affirmare videntur *Nauar. conſ. 10. de preb. & in Man. c.25.n.129. & Miſcell.60. de orat. n.13. Hoeda 2.p. c.3. n.24. Perez de cura de Anniuerſ. & Capell. l.2. c.6. Zerola p.p. V. Beneficium §.7. concl.2. & 6. Praſec. in Praxi Epiſc. p.2. c.5. n.26. & Salon. 2.2. q.63. a.2. concl. 3. contr. 5. & 4.* & alij, quam non obſtante Concilij decreto poſſint vltra duo beneficia non ſufficientia ad honeſtam ſubſtentationem, & alia conferri vſq; ad honeſtam ſubſtentationem ſufficientia abſque alia diſpenſatione, modo nullam reſidentiam requirant, & *Hoeda ait loc. cit.* hanc opinionem eſſe receptam, & approbatam ſtylo Curiæ poſt Concil. Trid. & patet ex eo, quod mens Concilij videtur eſſe, quod beneficiatus habeat congruos ad ſui ſubſtentationem redditus, ergo quando dicit, quod poſſit conferri aliud beneficiũ ſi primũ eſt inſufficiens, ly aliud debet ſumi pluraliter vſq; ad honeſtam ſubſtentationem Beneficiati.

Negant tamẽ alij nolẽtes ly aliud ſumi omnino ſingulariter à Cõcilio, & cõſequẽter nõ poſſe conferri vltra duo inſufficientia alia beneficia vſq; ad cõgruã ſubſtentationẽ, Ita *Genuenſis in pr. Archiep. c.63. vel 64. Gonz. gl.5. n.39 Vgol. de off. Epiſc. c.23. c.145. §.2. & leo in Theſ. fori Eccleſ. c.28. n.11. & c.23. n.27. & c.32. n.25. & Garz. n. 310. lo. cit.* affert plures declarationes Sac. Cong. Conc. pro hac opinione, quarum prima eſt ad Epiſcopũ legerienſem ſub his verbis (Epiſcopus habenti vnum beneficiũ ſimplex, quod non ſufficiat ad eius ſubſtentationem poteſt aliud ſimile conferre abſq; diſpenſatione Apoſtolica, ſed non poteſt plura ſimplicia vſque ad ſubſtentationem eius ſufficientem citra diſpenſationem Apoſtolicam.)

Stante ergo huius declarationis veritate omnino ſequenda eſt iſta poſterior ſententia, præciſa tamen hac declaratione Sac. Congregationis probabiliorem crederem primam attenta præſertim Epichęia, quę leges in dulciorem partem interpretatur.

Ex qua doctrina colligunt aliqui DD. quod ſi quis habet duo ſimplicia, quorum vnum ſine altero non eſſet ſufficiens, poſtea contingat, quod aliquod eorum ſufficiens fiat tractu tẽporis, debeat inſufficiens relinquere, vide *Hoedam 1.p.c.13. n.17. Garz. lo. cit. n.319.* Quod autẽ dicatur beneficiũ ſufficiẽs vide *Genu. c.64. n.3. Gõz. gl.15. n.39. Proſper. de Auguſt. in addit. ad Quar. v. Benef. Reſig. 8. cauſa. Azor. p.l.6.c.10.q.8. & 9.*

An verò obtinens, & retinens plura beneficia ex diſpẽſatione Papæ ſine cauſa tamen rationabili ſit tutus in conſcientia, vide *noſt. Rodr. in ſum. T.1.c.71.n.7. & 8. Cordubam l.3. qq. q.20. Angles de reſt. 9. de reſtit. facienda propter neglig. Eccleſiaſt. art.1. diff.2. dub.3. & Sotum, Aragon. & Salon. loco ſupa cit. Caiet. in ſum. V. Benef. armill. eodem V. Didacum Perez de irregul. l.1. n.11. Leſ. l.2. c.34. n.151. Azor. 2.p.l.6.c.12.q.7. 8. & 11. & l.1. c.3.q.2. Nauar. loc. cit. & conſ 1. de conſtitut. a n.27. & ex antiquioribus vide Abb. in repetit. c. extirpanda §. qui vero de Preb. num.43.*

An Regula de Triennali poſſeſſore ſuffragetur contra decreta Conc. Trid. præcipuè c.4. ſeſſ.7. & c.17. ſeſſ.24. de Reformatione.

DIFFIC. XXIV.

Licet aliqui affirmauerint regulã de triennali poſſeſſore ẽt ſuffragari contra d. decreta Sac. Conc. attamen hodie extant declarationes Sac. Congreg. omninò negantes ſuffragari talem regulam cõtra præfata decreta, quarum vnã refert *Garz. loc. cit. n.379. ſub his verbis* (an præſumpta diſpenſatio, in qua fundatur Regula de triennali habeat locũ *circa decreta Conc. c.4. ſeſſ.7. & c.17. ſeſſ.24. & c.13. ſeſſ.25. de Reformatione*, ita vt poſſidẽtes beneficia contra diſpoſitionem dictorũ decretorum ex tali præſumpta diſpenſatione ſuã poſſeſſionẽ tueri valeãt Sanctiſſimus Dominus noſter ex ſentẽtia Congregationis reſpondit non habere locum contra citata Tridentini decreta, à Cardin. Antonio Carrafa) adducit etiã *Garz.* aliam declarationẽ S. Cong. & *deciſ. Rot. in cauſa Calaritana Canonicatuũ, & aliã deciſ. Rota in cauſa leod. can. 26. Febr 1597. coram Gipſio, nouiſſ. Farin. 602. in fin.* in quibus idẽ reſoluitur ſ. nõ ſuffragari Regulã de triẽnali poſſeſſore circa d. decreta Conc. Tr. idẽ cõfirmat *S. Cong. ſi ergo apud Ioãnẽ Vuameſiã cõſ. 233. in Addit. ſub his verbis* (An duo Canonicatus de iure in vi S. Cõg. Trid.

Trid. decretorum ſint incompatibiles, Sacr. Congreg. reſpondit eſſe incompatibiles. An per aſſecutionem ſecundi Canonicatus ipſo iure vacet primus. Congregatio cenſuit poſt adeptam poſſeſſionem pacificam ſecundi primum iure vacare. An qui duos Canonicatus ſimul abſque diſpẽſatione Apoſt. per triennium, & vltra retinet vtroque ipſo iure excidat in vim dictorum Decretorum Conc. Trid. Congreg; iudicauit, ſi duos huiuſmodi Canonicatus ſimul retinere perrexerit vtroque eſſe ipſo iure priuatum ex decr. Conc. Trid. An vtriuſque Canonicatus poſſeſſionem tueri, & deffendere valeat poſſeſſor in Regula de triennali, Congregatio reſpondit non poſſe.

An prouiſio Apoſtolica mutet ſtatum ſeu poſseſſionem Iuris Patronatus.

DIFFIC. XXV.

NEgant communiter Doctores Canoniſtæ, ſed volunt remanere illæſum ſtatum, ſeu poſſeſſionem Iuris Patronatus etiam ſi a Papa fuerit prouiſum beneficium. Ita *Aegid. deciſ.* 103. *Achilles* 326. *Rota deciſ.* 545. *n.* 3. *p.* 1. *diuerſ. & in illa Illerdenſi Parochialis relata à Garz. p.* 5. *c.* 4. *n.* 650. *& in Tiraſinenſi iuris præſentandi* 21. *Octobr.* 1594. *coram D. lita apud eund. Garz. vlt. p. c.* 2. *n.* 242. *& in Ferr. tr. Paroch.* 7. *Nouembris* 1596. *coram D. Corduba relata ab eodem p.* 9. *c.* 1. 190. *& in Bracar. mor. de Iuncas Maij* 1598. *coram Lancellotto relata p.* 5. *c.* 3. *n.* 98. *& deciſ.* 395. *n.* 2. 615. *n.* 5. 618. *n.* 2. *&* 881. *n.* 6. *nouiſſ. Farinacc.* Non enim prætendit Papa inferre præiudicium Patrono, niſi ſpecificè faciat mentionem de tali præiudicio ex ſuo motu proprio, imo ſtylus Curiæ eſt, vt apponatur hæc clauſula, dummodo collatio, ſeu eius diſpoſitio ad nos hac vice pertineat.

Menſes Apoſtolici ſunt octo, & quattuor ordinariorum, Ianuar. Febr. Aprilis, Maij, Iulij, Auguſti, Septembr. & Nouembr. menſes ſunt Apoſtolici reliqui Martij, Iunij, Octobr. & Decembris, menſes ſunt ordinariorum.

Principium menſis incipit a primo pulſo mediæ noctis diei vltimi menſis anteced. Ita *Garzias p.* 5. *c.* 1. *n.* 524.

Menſes autem Epiſcoporum acceptantium alternatiuam modo actu, & non per fictionem reſideant in Diœceſi ſunt Februar. April. Iun. Aug. Octob. & Decembr. reliqui autem ſunt Apoſtolici 5. Ianuar. Martij, Maij, Iulij, September, & Nouember.

Beneficia, quæ reſignantur, & permutantur in manu ordinarij in quocumque Menſe nec ſubiacent reſeruationi, ſed poſſunt ab ordinarijs prouideri, quia in hoc omnes menſes ſunt ordinariorum. *Ita Garz. loc. cit. n.* 592.

Beneficia iurispatr. Eccleſiaſticorum cadunt ſub reſeruatione etiam non facta ſpeciali mentione derogationis, tamen requiritur in benef. iuris Patr. laicorum. Vide *Garz.* 5. *p. c.* 1. *num.* 552. *Gelin. tract. quando litt. Apoſt. limitat.* 3. *Mandoſ. Regi. Cancell. Couar. pract. c.* 36. *n.* 5. *Gonzal. gloſ.* 18. *n.* 6.

Quomodo, & qualiter ſit intelligendum Beneficium ſufficiens ad honeſtam Clerici ſubſtentationem.

DIFFIC. XXVI.

QVia certum eſt ex Concilio Tridentino vbi ſupra *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de Reformat.* indulgeri pluralitatem beneficiorum vni Clerico, quando vnum non eſt ſufficiens ad honeſtam eius ſubſtentationem, modo non ſint curata, & non requirunt perſonalem reſidentiam ſimul, & ſemel, ideo iure quæritur quodnam ſit beneficium ſufficiens, & qualiter intelligendum ſit ſufficiens pro diuerſitate obtinentium plura beneficia quare.

Dico primò, quod non eſt a iure definitum quodnam iuxta mentem Conſilij dicatur ſufficiens beneficium ad honeſtam Clerici ſubſtentationem, nec certa regula ſtatui poteſt, cum pro diuerſitate perſonarum locorum, & temporum iudicari debeat quodnam ſit ſufficiens ad honeſtè ſubſtentandum Clericum, quare Iudicis arbitri relinquendum, qui conſiderata locorum, & temporum circumſtantia, qualitatem perſonarum rectè preponderet, nam maior impenſa, & conſequenter maius beneficium requiritur ad honeſtè ſubſtentandum Clericum nobiliorem, quam ignobilem, & doctiorem, quam indoctum, ita etiam *Pariſius in tract. de Reſignat. benef. p.* 1. *l.* 5. *quæſt.* 6. *num.* 132.

Dico ſecundò, quod licet circa ſufficientiam beneficij ſit habendus reſpectus ad nobilitatem, & doctrinam, ita vt maius beneficium requiratur ad ſubſtentandum nobiliorem, vel doctiorem, quam ignobilem, & minus doctum, non tamen habendus eſt reſpectus ad diuitias, ita vt minus beneficium ſit tradendum clerico habenti ditius patrimonium, & maius pauperi non habenti patrimonium, vt optimè etiam aduertunt *Innoc. & Abb. in c. Epiſcopus de Præb. Fælin. in c. poſtulaſti de Reſer. Franciſc. Sarmient. in tract. de Redd. Eccl. p.* 1. *c.* 1. *n.* 17. *Couar. in c.* 1. *n.* 2. *de Teſtam. Alph. Hoxeca in d. c.* 11. *n.* 45. & alij, nam Clericus poteſt patrimonium conſeruare, eiuſque fructus, & de eis, vt mauult diſpenſare, & tamen viuere de redditibus Eccleſiæ, & in proprios vſus, conuertere, ac ſi non habent patrimonium licitè impendere, qui enim altari ſeruit, debet de Altari, & viuere, debet ergo tale beneficium etiam ditiori aſſignari ita ſufficiens, ac ſi non habent patrimonium pingue.

Dico tertiò, quod licet *Nauarr. in Miſcell.* 62. *n.* 2. *Pariſ. & Quaranta vbi ſupra* velint probabiliter beneficium ſufficiens ad ſubſtentandum Clericum non eſſe iudicandum ita pingue, vt ex ipſius fructibus poſſit commodè, & decenter viuere, ſed ſolum tale, vt ſufficiat ita ad viuendum, vt non cogatur mendicare, eo dicti fundamento, quod ex diſpoſitione *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 7. *de Reformat.* ordinandus in Sacris ſatis eſt, quod habeat patrimonium, vel penſionem ſufficientem ad ſubſtentandam vitam, non autem vt poſſit commodè, & decenter viuere, attamen quia fauores ſunt ampliandi, probabiliter dicendum videtur, quod cum conſilium ponat ſufficientiam ad honeſtam ſubſtentationem, non autem ad ſubſtentationem ſimpliciter beneficium debet eſſe ita pinguè, vt etiam iuxta Clerici qualitatem poſſit ex ipſius fructibus commodè, & decenter viuere, tutius tamen in hoc caſu id relinquatur Iudicis arbitrio iuxta doctrinam ſuperius traditam.

Quare, & à quo diſpenſari valeat Beneficiorum pluralitas.

DIFFIC. XXVII.

DIco primò, quod beneficiorum pluralitas in vno conſuetudine introductum eſt, vt paſſim legitima interueniente cauſa diſpenſetur, vt notat *Panorm. in c. Dudum* 7. *de Elect.* Nulla autem exiſtente legitima cauſa inualidam putat diſpenſationem, ita vt velit *Panormit.* quod etiam a Papa diſpenſatus ad pluralitatem beneficiorum abſque vera, & legitima cauſa non ſit tutus in conſcientia, quia Papa non poteſt diſpenſare circa ea, quæ ſunt iuris diuini, vel naturalis abſque vera, & legitima cauſa, pluralitas autem beneficiorum in vno ferè, vt probatum eſt ſupra contra ius diuinum, & naturale videtur eſſe.

Dico ſecundò, quod tres cauſæ principaliores circumferuntur apud Canoniſtas, ob quas licitè poteſt fieri diſpenſatio pluralitatis beneficiorum ſimplicium in vno videlicet neceſſitas, vtilitas, & prærogatiua meritorum. Neceſſitas autem dicitur eſſe, quando plures non inueniuntur idonei, potius enim eſt vt ab vno idoneo plura beneficia adminiſtrentur, quam a nullo, vel omnino inepto; Vtilitas porrò tunc dicitur adeſſe quando plura beneficia conferuntur vni, non ratione ſui, ſed propter vtilitatem beneficiorum, puta quia eſt vir induſtrioſus, & diligens, vel timendus itàut ſi iſti non conferrentur, plura illa beneficia facile ſuos redditus, vel ſua iura amitterent, adde quod poteſt etiam dari caſus, vt plus vtilitatis afferret Eccleſijs pluribus, & animabus ſubiectis vnus abſens ſua auctoritate, vel diligentia, & induſtria, quam alius præſens, denique vt poſſint plura eidem beneficia conferri ponitur prerogatiua meritorum, vt enim vnuſquiſque ſtudeat pro Eccleſijs laborare, & bene facere, videtur rationabile, vt iuxta meritorum prærogatiuas pluralitas beneficiorum indulgeatur immo.

Dico tertiò, quod non ſolum benemeritis de Eccleſia poteſt hæc diſpenſatio impertiri, verum etiam ſuis conſanguineis, nam ſi poteſt Epiſcopus relicto digniori beneficium conferre ſuo Nepoti digno ob merita ſua in Eccleſiam, quæ ſuis etiam conſanguineis ſuffragantur, vt docet *Philsar-*

bonus de Offic.ſacerd.l.4.c.27.& Nal. hic n.22. ita etiam merita maiorum in Eccleſiam eſſe poſſunt legitima cauſa diſpenſandi cum ſuis conſanguineis in pluralite beneficiorum.

Dico Quartò, quod certum eſt Papam in quolibet genere beneficiorum etiam cum dignitate, & cura animarum legitima interueniente cauſa poſſe diſpenſare in pluralitate beneficiorum tam in eadem Eccleſia, quam in diuerſis, vt in *c.multa de Presb.*

Dico Quintò, quod etiam certum eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare legitima interueniente cauſa, vt vnus poſſit habere vnum curatum, & aliud ſimplex, imo multa ſimplicia, an verò id poſſit in eadem Eccleſia, an vero in diuerſis Eccleſijs, diſtinguendum eſt, nam beneficia ſunt duo Curata, & in hoc nullo modo diſpenſat Epiſcopus, ſi autem ſunt plura beneficia ſimplicia difformia in eadem Eccleſia, vel diuerſa, puta in eadem Eccleſia poteſt conferre Canonicatum, & aliud ſimplex iuſta interueniente cauſa, quod ſi ſint difformia in diuerſa Eccleſia, & requirant perſonalem reſidentiam puta duos Canonicatus, nec poteſt Epiſcopus, ſicut etiam ſi ſint vniformia duo beneficia in eadem Eccleſia, nec poteſt Epiſcopus etiam interueniente iuſta cauſa, vnde non poteſt duos Canonicatus, nec in eadem Eccleſia vni conferre. Ita noſt. *Ang.V.Benef.* §.38. *Panormit.in c.litteras veſtras de conceſs. Praſ. Federicus conſ.* 115. *facit gloſ. in c.1. de Conſuetud.* in quo textus reprobat conſuetudinem habendi duo beneficia in eadem Eccleſia tanquam corruptelam.

Dico ſextò, quod licet aliqui voluerint apud noſtrum *Hungarell. vbi ſup. Sch.P.* poſſe Epiſcopum diſpenſare, quod vnus in eadem Eccleſia valeat habere duo altaria erecta in titulum, tamen tutius diſtinguendum videtur, quod ſi altaria ſint erecta in titulum perpetuum, tunc Epiſcopus non poteſt in hoc diſpenſare, quia altare erectum in titulum perpetuum eſt vere beneficium, at vero ſi altaria ſint erecta in titulum, ſed non perpetuum, tunc poteſt in pluralitate diſpenſare, quia altare erectum non perpetuum non dicitur vere beneficium, ſed Capellania potius amouibilis, vide *Ponormit. loc.cit. Nauar. conſ. 22.& 24.de Preb. Aegiatium Bellamar. deciſ.595.& Staphil. de litt. grat.ſit de var.mod.vacat.*

An duo beneficia vniformia incompatibilia in eodem beneficiario ſub eodem tecto dicantur ipſo facto vacare.

DIFFIC. XXXVIII.

Dico primò, quod per pacificã poſſeſſionem alterius beneficij vniformis incompatibilis vacat neceſſario alterum ipſo facto *ex c.per litt. de conceſs.præb.* etiã ſi alterium iure annexionis pertineret ad aliquam dignitatem *eadem fin.de Præb.* ita etiam *Nauar. conſ.23. eod. tit. in nouiſs.* Verum nota hic, quod ad præſens propoſitum ad effectum incompatibilitatis vt duo beneficia dicantur vniformia non ſufficit, quod vno, & eodem, vel ſimili titulo nuncupentur, ſed requiritur vt ſint inſtituta ad eundem prorſus finem, habeantq; idem prorſus onus, & officium, quod ſi habeant idem nomen, nec habeant idem officium, vel ſi idem onus, & officium, non tamen eodem tempore exequendum non dicuntur beneficia incompatibilia in eodem, & conſequenter non diceretur alterum vacare

Dico ſecundò, quod ſi beneficium etiam vniforme veniret in conſequentiam cum primo, cum ſint compatibilia in eodẽ, vt eſt in Rectore Eccleſiæ, cui poteſt conuenire Capellania in eadem Eccleſia veniens in conſequentiam ſuæ Rectoriæ non dicitur alterum vacare, vt *notant etiam lapus allegat 117.& Felin.in cap.ex parte 1.de Reſcrip.*

Dico tertiò, quod præter illa beneficia, quæ dicuntur incompatibilia *in d.c. de multa, & in extrauag. Execrabilis*, ſi quæ eſſent aliqua de cauſa incompatibilia, non tamen ideo de facto vacarent per adeptionem alterius, quia pœna non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis, *iuxta gloſ.penult.* & memorabilem *in c.fin.de ſurepatr. Naua. conſ.17 de Præb.in nouiſs. Rot.diuerſ.p.1.deciſ.484.* ſed datur electio, vt vnum dimittat, quod ipſi magis placuerit *ex c.referente, & c.Praterea de præb.*

Vtrum aliquando poſſint permitti licitè plura Curata beneficia in eodem.

DIFFIC. XXXIX.

Dico primò, quod ferè in tribus caſibus ab vno, & eodem Beneficiario retineri poſſunt plura beneficia curata, & primò, quando vnum eſt actu curatum, alterum vero eſt ſolũ curatum habitu, quia curatũ habitu æquiualet beneficio ſimplici, vnde quando Sacri Canones prohibent ab vno, & eodem poſſe retineri duo Curata, ſolum loqui de duobus curatis actu, non autem loqui de vno Curato in actu, & alio in habitu docent in *d.c.multa ſub n.42. Sylua in tract.de benef.3.p.q.42. & Bened. Capr.in tract.Regul.& Fallent.Reg.9 num.24.& Nauar.conſ.4.de Præb.in antiquis.*

Porro dicitur tunc eſſe beneficium Curatum ſolum habitu, quando Parochiani ſubditi vel ratione peſtis, vel aeris intemperati, vel hoſtilitatis timore aut ſimili caſu in totum deſeruerunt Parochiam aliò ſe transferentes, ita vt hic, & nunc cura illius Eccleſiæ ad nullum Parochianum ſe extendat, vt notat etiam *gloſa in c.licet in Verbo Parochiales in 6.de Elect.* benè tamen verum eſt, vt opinio aduertit *Nauar.* ſi Parochiani redirent ad deſertam Parochiam curatum illud beneficium in habitu, fieret denuo curatum in actu, & teneretur Beneficiarius termino ſex menſium alterum relinquere, quia ceſſaret compatibilitas.

Dico ſecundò, quod licitè etiam ab eodem retineri poſſunt duo Curata, quando vnum curatum eſt in Titulũ alterum in Commendam *ex c. qui plures 21. q.1.* An vero ſit intelligendum de commenda perpetua, an temporali, variant Doctores.

Volunt eſſe ſermonem hic ſolum de Curato in commẽdam temporalem ſolum, nec vltra ſex menſes protrahibilem *ex c. nemo deinceps de elect. in 6.* quia Commẽda perpetua æquiparatur Curato in titulum *Gomez in Reg. de Infirmis reſignant.q.13. Rebuff.in tit.de comm.& Nauar.c.25.n.126.& in conſ.1.de conſtit.n.39.in antiqu.*

Alij vero putant, quod etiam ſi Commenda ſit perpetua, poſſit idem Beneficiarius licitè retinere vnum curatum in actu, & alterum in commendam perpetuam, modo hæc prouiſio fiat à Papa non autem ab Epiſcopo, *ita Hoyeda tract. de Benef.incompatib.p.2.c.4.idem videtur dicere Pariſ.de Reſignat.Benef.l.15.q.5.n.40. Quaran.V.Benef. in addit. concl.1. volunt enim Concilium in c.4.ſeſſ.7.* ſolum prohibere duo Curata, quando vtrumque eſt in Commendam perpetuam, non autem quando vnum eſt in titulum, & alterum in commendam perpetuam; & licet Concilium non videatur ita loqui, placet tamen iſta opinio ex eo, quia quando a Papa vtrumque confertur tam curatum in actu, quam curatum in commendam perpetuam videtur Papa diſpenſare, maximè ſi legitima adſit cauſa, & hoc modo tam Canones, quam Doctores contrarij in hanc ſententiam trahi poſſunt.

Dico tertiò, quod duo benficecia Curata ſimul poſſe ab eodem retineri, quando vnum ab altero dependet, docent communiter Canoniſtæ, *ex c.ſuper eo, vbi gloſa, & Franc.de præb. in 6.& c.eam te de ætate, & qualit. gloſ. in c. dudum in V. intitulatum de Elect.* & videtur eſſe ratio admodum clara, quia duo beneficia curata eatenus prohibentur in vno, quatenus ſunt incompatibilia in eodem, quando autem vnum ab altero dependet, quia per vnionem alterum deſinit habere titulum beneficij, ceſſat in ipſis ratio incompatibilitatis *ex Oldrado conſ.257.n.15.& 18.* Adde, quod Eccleſiæ vnitæ poteſt quis Vicarium ſufficientem deſtinare *ex c.ex parte qui vero de Præb.ita etiam Mandoſ.in Addit.ad rebum allegat 35.* ergo non tenetur reſidere, & conſequenter in tali caſu ceſſat ratio incompatibilitatis.

Dico quartò, quod quando duo Curata adeo ſunt tenuia, vt alterum nequeat ſufficere ad honeſtam ſubſtentationem Parochi, poſſunt eidem permitti, modo perſonaliter poſſit vnicuiq; Parochiæ inſeruire, puta quia non admodum diſtant, docent communiter Canoniſtæ; an vero ſi ambo ad pinguiorem fortunam deuenerint, ita vt vnum ſine altero ſit ſufficiens ad honeſtam Parochi ſubſtentationem, dicatur alterum vacare, vide ſuperius dicta *diff.38.dico 3.& Hoyedam loc.cit.c.5.à 6.n.14.*

An, & in quibus Caſibus Beneficiarius poſſit ſuum Beneficium reſignare.

DIFFIC. XL.

Dico primò, quod beneficium curatum accipiens, vel ſimile non poteſt illud reſignare ante triennium ex conſtitut. *Innocentij IV. vt teſtatur Iſidorus Muſon. in tractat. mulctant. Eccleſ. l. 1. part. 3. cap. 2. Rubric. de benefic. fol.* 451. & Curia ſeruat in beneficiorum examine, vt detur iuramentum Clerico examinando, quod tale beneficium non recipiat animo reſignandi, vt obuietur abuſui, & malo animo procurantium beneficia, vt poſtea reſignent, vide *Pariſium de Reſignatione beneficior. l. 9. quæſt.* 10. *capit.* 15. in fine.

Dico ſecundò, quod poterat quilibet in manu ſui Collatoris ſuum beneficium reſignare de iure antiquo, patet *ex cap. admonet de Renunc. Gloſ. in Clemen. Vn. Verb. in manibus eodem titul. & in capit. de regular. in V. dimittant de Sym.* non tamen in fauorem alicuius cum pacto, quia eſſet ſimonia, vt docet *noſter Angel. §. 13. ex Panormitan. & Abb. in cap. de regular. in cap. ex parte de offic. deleg.* attamen hodie per Conſtitutionem Pij V. quæ incipit, *officium credita*, tolluntur conſuetudines, priuilegia, & iura omnibus beneficiorum Collatoribus etiam ſi ſint Epiſcopi, Archiepiſcopi, ne valeant acceptare reſignationem alicuius beneficij, quia vero videbatur nimis arcta, & ſtricta præfata ſua Conſtitutio, aliam deinde edidit modificatiuam, quæ incipit, *Quanta Eccleſia Dei incommoda*, in qua declarat quando, & in quibus caſibus, & quomodo Epiſcopis, & Ordinarij valeant acceptare beneficiorum reſignationes, excepto ſemper, vt abſque reſpectu ad collationem affinibus, conſanguineis, & familiaribus, vel quomodolibet præſentatis ab ipſo reſignãte, id fiat adhoc, vt omne ſymoniæ periculum vitetur.

Vt autem vnuſquiſque in promptu habeat caſus, in quibus, & modum, quo poſſit Beneficiatius reſignare, & Collator Ordinarius acceptare viſum fuit verba formalia præfatæ Conſtitutionis; *Quanta Eccleſiæ Dei*, hic apponere, quæ habetur in Bullario fol. 1014. & ſolum ea verba, quæ faciunt ad noſtrum propoſitum, poſt ergo multa ſic relaxando loquitur, *Summus Pontifex in præfata Conſtitutione.*

Cetera omnia noſtris ſuper his litteris contextu eatenus relaxamus, vt poſt hac Epiſcopi, & alij facultatem habentes eorum dumtaxat reſignationes recipere, & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut Valetudinarij, aut corpore impediti, aut vitiati, aut crimini obnoxijs, cenſuriſque Eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, vel quia vnum, aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quod ad aliud contigerit promoueri, Religionem quoque ingreſſuri, vel Matrimonium contracturi, ſiſtatim id vere exequantur, denique cum quid ex alijs caſibus acciderit, qui Conſtit. felic. recordat. Innoc. Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Eccleſiis edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij ſecuri reſidere, ſed nec horum vllus ſacro Ordine mancipatus, niſi religionem ingreſſurus valeat vllo modo beneficium Eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ſit ei, quo in vita valeat commode ſuſtentari, ad hæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur. Caueant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemque omnes Electores, Præſentatores, Patroni, tam laici, quam Eccleſiaſtici quicunque ſint ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno futuri in huiuſmodi beneficijs, & officijs ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut alijs eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, vel etiam intentio qualiſcumque intercedat. Ceterum præcipimus, atque interdicimus ne ipſi Epiſcopi, aut alij Collatores de Officijs, & beneficijs reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum extraneis collationum audeant prouidere, quod ſi ſecus, & etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit a quocumque attentatum, ideo tum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere. Qui vero contrafecerint, vt in eo, in quo deliquerint, puniantur à beneficiorum, & officiorum collatione, nec non electione, & præſentatione, confirmatione, & inſtitutione prout cuique competierit, tamdiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia beneficia, ſeu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus ſubiacere, & nihilominus in eos, qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, præſentare, confirmare, vel inſtituere auſi fuerint, excommunicationem quoad perſonas, quo vero ad Capitula, & Conuentus à diuinis ſuſpenſionis ſententias ipſo facto promulgamus, quibus nullus alius, quam ipſe Romanus Pontifex ſiue abſolutionis, ſiue relaxatio is gratiam, excepto mortis articulo, valeant impartiri; prohibitione, & litteris noſtris prædictis internis omnibus perpetuo ſcaliſaris non obſtantibus, &c. Hæc Pius V. pro explicatione quorumdam terminorum in præfata Bulla.

Dico tertiò, quod quiſnam dicatur ſenex in præcitata conſtitutione, non poteſt certa regula aſſignari propter varietatem diuerſarum complexionum, relinquendum eſt ergo iudicij arbitrio quiſnam poſſit dici ſenex ad effectum reſignationis beneficij faciendæ; ita etiam *Menoch. de iud. arb. caſu 59. & Pariſ. de Reſignat. par. 1. l. 5. q. 6.* Conſimiliter etiam dicendum de Valetudinario, Iudex enim debet indicare, an valetudo mala ſit tanta, vt reſignatio licitè recipi queat, verum eſt tamen, quod mala valetudo debet eſſe talis, vt frequenter ab ea vexatus, iniuncto muneri ſatisfacere nequeat.

Dico quartò, quod corpore impeditus poteſt dici pro intelligentia præfatæ Conſtitutionis ille, qui lepra, ſcabie vlceroſa, paralyſi, apoplexia, morbo comitiali, lunatico, morbo gallico vlceroſo, manuum tremore, vel Chytagra vexatus nec poteſt, nec congruit, nec licet, vt ſæpe ſæpius officia Eccleſiaſtica exequatur, relinquendum tamen Ordinarij arbitrio an talia impedimenta, & conſimilia ſint ſufficientia adhoc, vt reſignatio fieri debeat. Vide *Pariſ. vbi ſupra num. 34. & Maiolum de irregular. l. 4. cap. 15. 16. 18. 19. &* 24. Conſimiliter dicendum videtur quod corpore vitiatus in præfata Bulla ad effectum reſignationis licite faciendæ intelligi debeat regulariter loquendo Cæcus, Claudus, pede deformiter fractus, habens manus mutulas, vel articulatas ad vtendum in efficaces, conſimiliter is, qui pede ligneo ad ambulandum indiget, vel notabiliter gibboſus, vel quoquo modo impotens, vel deformis apparens iuxta Iudicis arbitrium in miniſteria diuinorum, vide *Maiol. de irreg. l. 1. cap. 14. & 19. & Menoch. 216.*

Dico quintò, quod crimini obnoxij reſignare qui debent, vel ſaltem cogendi ſunt homicidæ, ſymoniaci, adulteri, concubinatij, poſt admonitionem non reſipiſcentes ſuſtinentes excommunicationem per annum periuri, & blaſphemi. Vtrum autem quando crimina huiuſmodi ſunt occulta, teneatur quis renunciare ſuum beneficium, negant communiter, quia nemo tenetur contra ſe ſe pœnam exequi, etiam ſi inflicta ſit ipſo iure requiritur enim ſententia criminis ſaltem declaratoria, vt dicetur infra, *V. lex*, iuxta probabilem opinionem, quæ tamen doctrina probabiliter dicendum, quod in tribus caſibus non currat, primo quando initium fuit vitioſum, puta quia per ſymoniam, vel per intruſionem beneficium fuit acceptum. Secundò, quando pœna ſtatuitur incurrenda in foro conſcientiæ. Tertiò, quando inhabilis declaratur à Iudice ad beneficium obtinendum, in hiſce enim tribus præcipuè caſibus, teneretur criminoſus, quantumcumque crimen fuerit occultum, omnino reſignare ſuum beneficium.

An vero quando crimen eſt notorium, cui impoſita eſt priuatio beneficij poſſit ab alio impetrari, & de facto ipſi conferri, affirmant *Ripa in cap. ſæpe de reſtitut. ſpol. Nauarr. conſil. 12. de hæreſi in antiquis, & Quaran. V. Benefic.* Attamen licet poſſit alteri in tali caſu beneficium conferri, non poteſt immedita ſpoliari criminoſus niſi poſt ſententiin declaratoriam, modo aliter non conſtet de mente legiſlatoris, vel quando pœna imponitur, non vt pœna, ſed vt conditio, & modus rei traditæ, vt patet, *in terminis in capit. licet Camera de Cleric. in 6. Vide Nauarr. capitul. 25. num. 118.*

Vtrum vero ſi in ſententia comminatoria criminis non fiat mentio de beneficij priuatione ipſo remaneat priuatus; negant *Rebuf. in princ. de modo amittendo benef. num. 64.*

ibus de Offic.ſacerd.l.4.c.27.& Nal. hic n.22. ita etiam merita maiorum in Eccleſiam eſſe poſſunt legitima cauſa diſpenſandi cum ſuis conſanguineis in pluralite beneficiorum.

Dico Quartò, quod certum eſt Papam in quolibet genere beneficiorum etiam cum dignitate, & cura animarum legitima interueniente cauſa poſſe diſpenſare in pluralitate beneficiorum tam in eadem Eccleſia, quam in diuerſis, vt in *c.multa de Presb.*

Dico Quintò, quod etiam certum eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare legitima interueniente cauſa, vt vnus poſſit habere vnum curatum, & aliud ſimplex, imo multa ſimplicia, an verò id poſſit in eadem Eccleſia, an vero in diuerſis Eccleſijs, diſtinguendum eſt, nam beneficia ſunt duo Curata, & in hoc nullo modo diſpenſat Epiſcopus, ſi autem ſunt plura beneficia ſimplicia difformia in eadem Eccleſia, vel diuerſa, puta in eadem Eccleſia poteſt conferre Canonicatum, & aliud ſimplex iuſta interueniente cauſa, quod ſi ſint difformia in diuerſa Eccleſia, & requirant perſonalem reſidentiam puta duos Canonicatus, nec poteſt Epiſcopus, ſicut etiam ſi ſint vniformia duo beneficia in eadem Eccleſia, nec poteſt Epiſcopus etiam interueniente iuſta cauſa, vnde non poteſt duos Canonicatus, nec in eadem Eccleſia vni conferre. Ita noſt. *Ang. V. Benef. §.38. Panormit. in c. litteras veſtras de conceſs. Præf. Federicus conſ.115. facit gloſ. in c.1. de Conſuetud.* in quo textus reprobat conſuetudinem habendi duo beneficia in eadem Eccleſia tanquam corruptelam.

Dico ſextò, quod licet aliqui voluerint apud noſtrum *Hungarell. vbi ſup. Sch. P.* poſſe Epiſcopum diſpenſare, quod vnus in eadem Eccleſia valeat habere duo altaria erecta in titulum, tamen tutius diſtinguendum videtur, quod ſi altaria ſint erecta in titulum perpetuum, tunc Epiſcopus non poteſt in hoc diſpenſare, quia altare erectum in titulum perpetuum eſt vere beneficium, at vero ſi altaria ſint erecta in titulum, ſed non perpetuum, tunc poteſt in pluralitate diſpenſare, quia altare erectum non perpetuum non dicitur vere beneficium, ſed Capellania potius amouibilis, vide *Ponormit. loc. cit. Nauar. conſ. 22. & 24. de Preb. Aegidium Bellamar. deciſ.595. & Staphil. de litt. grat. ſit de var. mod. vacat.*

An duo beneficia vniformia incompatibilia in eodem beneficiario ſub eodem tecto dicantur ipſo facto vacare.

DIFFIC. XXXVIII.

Dico primò, quod per pacificã poſſeſſionem alterius beneficij vniformis incompatibilis vacat neceſſario alterum ipſo facto *ex c. per litt. de conceſs. præb.* etiã ſi alterium iure annexionis pertineret ad aliquam dignitatem *eadem fin. de Præb.* ita etiam *Nauar. conſ.23. eod. tit. in nouiſs.* Verum nota hic, quod ad præſens propoſitum ad effectum incompatibilitatis vt duo beneficia dicantur vniformia non ſufficit, quod vno, & eodem, vel ſimili titulo nuncupentur, ſed requiritur vt ſint inſtituta ad eundem prorſus finem, habeantq; idem prorſus onus, & officium, quod ſi habeant idem nomen, nec habeant idem officium, vel ſi idem onus, & officium, non tamen eodem tempore exequendum non dicuntur beneficia incompatibilia in eodem, & conſequenter non diceretur alterum vacare

Dico ſecundò, quod ſi beneficium etiam vniforme veniret in conſequentiam cum primo, cum ſint compatibilia in eodẽ, vt eſt in Rectore Eccleſiæ, cui poteſt conuenire Capellania in eadem Eccleſia veniens in conſequentiam ſuæ Rectoriæ non dicitur alterum vacare, vt *notant etiam lapus allegat 117. & Felin. in cap. ex parte 1. de Reſcrip.*

Dico tertiò, quod præter illa beneficia, quæ dicuntur incompatibilia *in d. c. de multa, & in extrauag. Execrab. lis,* ſi quæ eſſent aliqua de cauſa incompatibilia, non tamen ideo de facto vacarent per adeptionem alterius, quia pæna non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis, *iuxta gloſ. penult.* & memorabilem *in c. fin. de iurepatr. Naua. conſ.17. de Præb. in nouiſs. Rot. diuerſ. p.1. deciſ.484.* ſed datur electio, vt vnum dimittat, quod ipſi magis placuerit *ex c. referente, & c. Præterea de præb.*

Vtrum aliquando poſſint permitti licitè plura Curata beneficia in eodem.

DIFFIC. XXXIX.

Dico primò, quod ferè in tribus caſibus ab vno, & eodem Beneficiario retineri poſſunt plura beneficia curata, & primò, quando vnum eſt actu curatum, alterum vero eſt ſolũ curatum habitu, quia curatũ habitu æquiualet beneficio ſimplici, vnde quando Sacri Canones prohibent ab vno, & eodem poſſe retineri duo Curata, ſolum loqui de duobus curatis actu, non autem loqui de vno Curato in actu, & alio in habitu docent in *d. c. multa ſub n.42. Syluaſin tract. de benef. 3. p. q. 42. & Bened. Capr. in tract. Regul. & Fallent. Reg.9. num.24. & Nauar. conſ.4. de Præb. in antiquis.*

Porro dicitur tunc eſſe beneficium Curatum ſolum habitu, quando Parochiani ſubditi vel ratione peſtis, vel aeris intemperati, vel hoſtilitatis timore aut ſimili caſu in totum deſeruerunt Parochiam aliò ſe transferentes, ita vt hic, & nunc cura illius Eccleſiæ ad nullum Parochianum ſe extendat, vt notat etiam *gloſa in c. licet in Verbo Parochialis in 6. de Elect.* benè tamen verum eſt, vt opinio aduertit *Nauar.* ſi Parochiani redirent ad deſertam Parochiam curatum illud beneficium in habitu, fieret denuo curatum in actu, & teneretur Beneficiarius termino ſex menſium alterum relinquere, quia ceſſaret compatibilitas.

Dico ſecundò, quod licitè etiam ab eodem retineri poſſunt duo Curata, quando vnum curatum eſt in Titulũ alterum in Commendam *ex c. qui plures 21. q.1.* An vero ſit intelligendum de commenda perpetua, an temporali, variant Doctores.

Volunt eſſe ſermonem hic ſolum de Curato in commẽdam temporalem ſolum, nec vltra ſex menſes protrahibilem *ex c. nemo deinceps de elect. in 6.* quia Commẽda perpetua æquiparatur Curato in titulum *Gomez in Reg. de Infirmis reſignant. q.13. Rebuff. in 1. tit. de comm. & Nauar. c.25. n.126. & in conſ.1. de conſtit. n.39. in antiqu.*

Alij vero putant, quod etiam ſi Commenda ſit perpetua, poſſit idem Beneficiarius licitè retinere vnum curatum in actu, & alterum in commendam perpetuam, modo hæc prouiſio fiat à Papa non autem ab Epiſcopo, *ita Hoyeda tract. de Benef. incompatib. p.2. c.4. idem videtur dicere Pariſ. de Reſignat. Benef. l.15. q.5. n.40. Quaran. V. Benef. in addit. concl.1. volunt enim Concilium in c.4. ſeſſ.7.* ſolum prohibere duo Curata, quando vtrumque eſt in Commendam perpetuam, non autem quando vnum eſt in titulum, & alterum in commendam perpetuam; & licet Concilium non videatur ita loqui, placet tamen iſta opinio ex eo, quia quando a Papa vtrumque confertur tam curatum in actu, quam curatum in commendam perpetuam videtur Papa diſpenſare, maximè ſi legitima adſit cauſa, & hoc modo tam Canones, quam Doctores contrarij in hanc ſententiam trahi poſſunt.

Dico tertiò, quod duo benficecia Curata ſimul poſſe ab eodem retineri, quando vnum ab altero dependet, docent communiter Canoniſtæ, *ex c. ſuper eo, vbi gloſa, & Franc. de præb. in 6. & c. eam te de ætate, & qualit. gloſ. in c. dudum in V. intitulatum de Elect.* & videtur eſſe ratio admodum clara, quia duo beneficia curata eatenus prohibentur in vno, quatenus ſunt incompatibilia in eodem, quando autem vnum ab altero dependet, quia per vnionem alterum deſinit habere titulum beneficij, ceſſat in ipſis ratio incompatibilitatis *ex Oldrado conſ.257. n.15. & 18.* Adde, quod Eccleſiæ vnitæ poteſt quis Vicarium ſufficientem deſtinare *ex c. ex irpanda qui vero de Præb. ita etiam Mandoſ. in Addit. ad rebum allegat 35.* ergo non tenetur reſidere, & conſequenter in tali caſu ceſſat ratio incompatibilitatis.

Dico quartò, quod quando duo Curata adeo ſunt tenuia, vt alterum nequeat ſufficere ad honeſtam ſubſtentationem Parochi, poſſunt eidem permitti, modo perſonaliter poſſit vnicuiq; Parochiæ inſeruire, puta quia non admodum diſtant, docent communiter Canoniſtæ; an vero ſi ambo ad pinguiorem fortunam deuenerint, ita vt vnum ſine altero ſit ſufficiens ad honeſtam Parochi ſubſtentationem, dicatur alterum vacare, vide ſuperius dicta *diff.38. dico 3. & Hoiedam loc. cit. c.5. è 6. n.14.*

An,

An, & in quibus Caſibus Beneficiarius poſſit ſuum Beneficium reſignare.

DIFFIC. XL.

Dico primò, quod beneficium curatum accipiens, vel ſimile non poteſt illud reſignare ante triennium ex conſtitut. *Innocentij IV. vt teſtatur Iſidorus Muſl on. in tractat. militant. Eccleſ. l. 2. part. 3. cap. 2. Rubric. de benefic. fol.* 451. & Curia ſeruat in beneficiorum examine, vt detur iuramentum Clerico examinando, quod tale beneficium non recipiat animo reſignandi, vt obuietur abuſui, & malo animo procurantium beneficia, vt poſtea reſignent, vide *Pariſium de Reſignatione beneficior. l. 9. quæſt.* 10. *capit.* 15. in fine.

Dico ſecundò, quod poterat quilibet in manu ſui Collatoris ſuum beneficium reſignare de iure antiquo, patet *ex cap. Admonet de Renunc. Gloſ. in Clemen. Vn. Verb. in manibus eodem titul. & in capit. de regular. in V. dimittant de Sym.* non tamen in fauorem alicuius cum pacto, quia eſſet ſimonia, vt docet *noſter Angel. §. 13. ex Panormitan. & Abb. in cap. de regular. in cap. ex parte de offic. deleg.* attamen hodie per Conſtitutionem Pij V. quæ incipit, *officium credite*, tolluntur conſuetudines, priuilegia, & iura omnibus beneficiorum Collatoribus etiam ſi ſint Epiſcopi, Archiepiſcopi, ne valeant acceptare reſignationem alicuius beneficij, quia vero videbatur nimis arcta, & ſtricta præfata ſua Conſtitutio, aliam deinde edidit modificatiuam, quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ Dei incommoda*, in qua declarat quando, & in quibus caſibus, & quomodo Epiſcopis, & Ordinarij valeant acceptare beneficiorum reſignationes, excepto ſemper, vt abſque reſpectu ad collationem affinibus, conſanguineis, & familiaribus, vel quomodolibet præſentatis ab ipſo reſignãte, id fiat adhoc, vt omne ſymoniæ periculum vitetur.

Vt autem vnuſquiſque in promptu habeat caſus, in quibus, & modum, quo poſſit Beneficiarius reſignare, & Collator Ordinarius acceptare viſum fuit verba formalia præfatæ Conſtitutionis; *Quanta Eccleſiæ Dei*, hic apponere, quæ habetur in Bullario fol. 1014. & ſolum ea verba, quæ faciunt ad noſtrum propoſitum, poſt ergo multa ſic relaxando loquitur, *Summus Pontifex in præfata Conſtitutione.*

Cetera omnia noſtris ſuper his litteris contextu eatenus relaxamus, vt poſt hac Epiſcopi, & alij facultatem habentes eorum dumtaxat reſignationes recipere, & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut Valetudinarij, aut corpore impediti, aut vitiati, aut crimini obnoxijs, cenſuriſque Eccleſiaſticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ, vel beneficio inſeruire, vel quia vnum, aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quod ad aliud contigerit promoueri, Religionem quoque ingreſſuri, vel Matrimonium contracturi, ſi ſtatim id verè exequantur, denique cum quid ex alijs caſibus acciderit, qui Conſtit. felic. recordat. Innoc. Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Eccleſijs edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij ſecuri reſidere, ſed nec horum vllus ſacro Ordine mancipatus, niſi religionem ingreſſurus valeat vllo modo beneficium Eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ſit ei, quo in vita valeat commode ſuſtentari, ad hæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis ſanctionibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur. Caueant autem Epiſcopi, & alij prædicti, itemque omnes Electores, Præſentatores, Patroni, tam laici, quam Eccleſiaſtici quicumque ſint ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno futuri in huiuſmodi beneficijs, & officijs ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut alijs eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis promiſſio inter eos, vel etiam internio qualiſcumque intercedat. Ceterum præcipimus, atque interdicimus ne ipſi Epiſcopi, aut alij Collatores de Officijs, & beneficijs reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum extraneis collationum audeant prouidere, quod ſi ſecus, & etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque attentatum, ideo tum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere. Qui vero contrafecerint, vt in eo, in quo deliquerint, puniantur à beneficiorum, & officiorum collatione, nec non electione, & præſentatione, confirmatione, & inſtitutione prout cuique competierit, tamdiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia beneficia, ſeu officia receperint, eos prædictis pænis volumus ſubiacere, & nihilominus in eos, qui ſic ſuſpenſi conferre, eligere, præſentare, confirmare, vel inſtituere auſi fuerint, excommunicationem quoad perſonas, quo vero ad Capitula, & Conuentus à diuinis ſuſpenſionis ſententias ipſo facto promulgamus, quibus nullus alius, quam ipſe Romanus Pontifex ſiue abſolutionis, ſiue relaxatio is gratiam, excepto mortis articulo, valeant impartiri; prohibitione, & litteris noſtris prædictis internis omnibus perpetuo ſcalitaris non obſtantibus, &c. Hæc Pius V. pro explicatione quorumdam terminorum in præfata Bulla.

Dico tertiò, quod quiſnam dicatur ſenex in præcitata conſtitutione, non poteſt certa regula aſſignari propter varietatem diuerſarum complexionum, relinquendum eſt ergo iudicij arbitrio quiſnam poſſit dici ſenex ad effectum reſignationis beneficij faciendæ; ita etiam *Menoch. de iud. arb. caſu* 59. *& Pariſ. de Reſignat. par.* 1. *l.* 5. *q.* 6. Conſimiliter etiam dicendum de Valetudinario, Iudex enim debet indicare, an valetudo mala ſit tanta, vt reſignatio licitè recipi queat, verum eſt tamen, quod mala valetudo debet eſſe talis, vt frequenter ab ea vexatus, iniuncto muneri ſatisfacere nequeat.

Dico quartò, quod corpore impeditus poteſt dici pro intelligentia præfatæ Conſtitutionis ille, qui lepra, ſcabie vlceroſa, paralyſi, apoplexia, morbo comitiali, lunatico, morbo gallico vlceroſo, manuum tremore, vel Chyragra vexatus nec poteſt, nec congruit, nec licet, vt ſæpe ſæpius officia Eccleſiaſtica exequatur, relinquendum tamen Ordinarij arbitrio an talia impedimenta, & conſimilia ſint ſufficientia adhoc, vt reſignatio fieri debeat. Vide *Pariſ. vbi ſupra num.* 34. *& Maiolum de irregular. l.* 4. *cap.* 15. 16. 18. 19. *&* 24. Conſimiliter dicendum videtur quod corpore vitiatus in præfata Bulla ad effectum reſignationis licite faciendæ intelligi debeat regulariter loquendo Cæcus, Claudus, pede deformiter fractus, habens manus mutulas, vel articulatas ad vtendum in efficaces, conſimiliter is, qui pede ligneo ad ambulandum indiget, vel notabiliter gibboſus, vel quo quo modo impotens, vel deformis apparens iuxta Iudicis arbitrium in miniſteria diuinorum, vide *Maiol. de irreg. l.* 1. *cap.* 14. *&* 19. *& Menoch.* 216.

Dico quintò, quod crimini obnoxij reſignare qui debent, vel ſaltem cogendi ſunt homicidæ, ſymoniaci, adulteri, concubinarij, poſt admonitionem non reſipiſcentes ſuſtinentes excommunicationem per annum periuri, & blaſphemi. Vtrum autem quando crimina huiuſmodi ſunt occulta, teneatur quis renunciare ſuum beneficium, negant communiter, quia nemo tenetur contra ſe ſe pœnam exequi, etiam ſi inflicta ſit ipſo iure requiritur enim ſententia criminis ſaltem declaratoria, vt dicetur infra, *V. lex*, iuxta probabilem opinionem, quæ tamen doctrina probabiliter dicendum, quod in tribus caſibus non curtat, primo quando initium fuit vitioſum, puta quia per ſymoniam, vel per intruſionem beneficium fuit acceptum. Secundò, quando pœna ſtatuitur incurrenda in foro conſcientiæ. Tertiò, quando inhabilis declaratur à Iudice ad beneficium obtinendum, in hiſce enim tribus præcipuè caſibus, teneretur criminoſus, quantumcumque crimen fuerit occultum, omnino reſignare ſuum beneficium.

An vero quando crimen eſt notorium, cui impoſita eſt priuatio beneficij poſſit ab alio imperrari, & de facto ipſi conferri, affirmant *Ripa in cap. ſæpe de reſtitut. ſpol. Nauarr. conſil.* 12. *de hæreſi in antiquis, & Quaran. V. Benefic.* Attamen licet poſſit alteri in tali caſu beneficium conferri, non poteſt immedita ſpoliari criminoſus niſi poſt ſententiam declaratoriam, modo aliter non conſtet de mente legislatoris, vel quando pœna imponitur, non vt pœna, ſed vt conditio, & modus rei traditæ, vt patet, *in terminis in capit. licet Camera de Cleric. in* 6. *Vide Nauarr. capitul.* 25. *num.* 118.

Vtrum vero ſi in ſententia comminatoria criminis non fiat mentio de beneficij priuatione ipſo remaneat priuatus; negant *Rebuf. in princ. de modo amittendo benef. num.* 64.

Pariſ q. 16. num. 30. & Quaran. vbi ſupr. quod tamen limitandum puto, niſi tale crimen ſit, quod declaratum eſſe perpetratum trahat ſecum immediatam beneficij priuationem, quia in hoc caſu ſufficit ſententia declaratoria criminis abſque alia mentione adhoc, vt ſtatim incurratur priuatio beneficij; Vide etiam, *Diaz in prac. crim.* V. Beneficijs priuari.

Dico ſextò, quod in præfata conſtitutione nequeuntes Eccleſiæ inſeruire intelligi debent Banditi, Demoniaci, vomitum ſæpè ſæpius patientes, irregulares, ſcandaloſè viuentes, & muti totaliter effecti, vide *Pariſium, Malder. & Quarant. loco citato.*

Dico ſeptimò, quod in §. *ceterum in præfata Bulla*, nō veniūt interdictæ præſentationes pertinentes ad ius patronatus ex declaratione *Gregorij XIII.* relata à Sacra Congregatione Concilij per *Hieronimum Cardinalem Matteium*, quare poſſunt beneficia reſignata præſentari à Patronis conſanguineis Reſignantis, & Collatoris, modo prius nullum pactum intercedat, vide *Quaran. loco citato de benef. reſignat.*

Dico octauò, quod particula illa in præfata Conſtitutione, *aut admittentium conſanguineos*, tantum valet, vt optime notat *Quaranta*, ac ſi diceretur dimittentium, vel reſignantium.

Vtrum poſt Beneficij Reſignationem poſſit reſignans rogare Collatorem, vt ſuo Conſanguineo, Affini, vel familiari conferat beneficium reſignatum.

DIFFIC. XLI.

Dico primò, quod Beneficia renunciantes iuxta tenorem præfatæ conſtitutionis Pij V. licet non poſſint, nec nutu, nec verbo, nec ſigno aliquo, tantominus, nec pacto præſignare futurum ſucceſſorem Collatori, vel Patrono, attamen facta iam reſignatione non prohibetur in dicta Bulla, ne valeat Reſignans rogare Collatorem, vel Patronum, vt ſibi bene viſo conferat beneficiū à ſe reſignatū, quandoquidem hic actus humanus eſt nulli iure contrarius, nec in Bulla ſpecificatus. Imo

Dico ſecūdò, quod etiam ſi Reſignans ea intentione, vt poſt reſignationem roget Collatorem, vel Patronum, vt alicui ſibi bene viſo beneficium à ſe dimittendum conferat, vel præſentet, nec incurrit pœnas dictæ Conſtitutionis, modo talis intentio non ſit prius manifeſtata Collatori ſigno, nutu, verbo, vel pacto, nam actus intrinſecus intentionalis non cadit ſub pœnis Eccleſiaſticis regulariter de loquendo, vnde intrinſecis non iudicat Eccleſia, intentionalia enim intrinſeca prohibere ſub cenſuris, & priuationibus, alijſque pœnis Canonicis eſſet laqueum certum inijcere animabus contra textum, *in cap. Vidulus 27. q. 1.* etenim præcipuè in caſu noſtro vix poterit aliquando reperiri Reſignans, qui ad aliquem ſibi bene viſum bonam intentionem non habeat vt in beneficio ſibi ſuccedat, vide *Nauar. cap. 23. num. 107. & 109. & in conſ. 36. & 38. de Symon. in Antiquis*, & ita declaraſſe Dominos de Rota refert, *Caſſadorus deciſ. 2. de Symon.*

Vtrum Ordinarij in Romana Curia commorantes poſſint conferre beneficia in ſuis manibus reſignata.

DIFFIC. XLII.

Reſpondeo, quod Ordinarij in Romana Curia commorantes, ſi recipiant reſignationem beneficiorum à beneficiarijs ſibi ſubiectis nullo modo poſſunt ea quibus ſibi placuerit, conferre, quia dum ſunt in Curia Romana, dicuntur vacare in Curia beneficia ad ſe ſpectantia, quorum prouiſio, & collatio ſpectat ad Summum Pontificem, *ex cap. 2. de Preb. in 6. vide Conar. l. 3. var. Reſol. c. 20.* Quare ſolent Ordinarij adhibere hanc cautelam, quando in Curia commorantes accepturi eſſent aliquam Reſignationem, vt Roma eiuſque diſtrictu exeant, & in Diœceſim proximiorā alterius ſaltem Epiſcopi ſtatim ac peruenerint, reſignationem ibi accipiant, vt extra Romam dicantur reſignationem accepiſſe, & ibi etiam conferunt, ita teſtatur *Gomez in Reg. de non iudic. iux. for. ſuppl.*

Vtrum Beneficiorum, & Officiorum permutationes ab Ordinarijs poſſint admitti.

DIFFIC. XLIII.

Reſpondetur, quod Officiorum, & Beneficiorum permutationes ab Ordinarijs eas omnes admitti poſſe, quæ Canonicis decretis, & Apoſtolicis ordinationibus permittuntur, ita declarat *Pius V. in Bulla relata. Quanta Eccleſia Dei in verbo benef. reſign.* porro quæ nam iuris diſpoſitio attendi debeat in permutationibus beneficiorum coram Ordinarijs habetur in *Tit. de rerū permutatione* præſertim *in c. quæſit. & c. ſequente eod. tit.* Videtur autem primo requiri cauſa permutationis, quæ ex neceſſitate, & vtilitate Eccleſiarum deduci poteſt; ſecundò, ne vlla adſit ſuſpicio ſymoniæ; tertiò, vt beneficium cum alio beneficio, non autem cum re temporali permutetur, ſpirituale enim cū temporali permutari minime poteſt, *ex cap. exhibita nobis eodem titul.* Quartò, requiritur etiam fieri publicationem iuxta Bulla Gregorij XIII. cetera neceſſaria in permutationibus ſi quæ ſunt, vide apud *Rebuff. in pr. Benef. de permutat. p. 3.*

An in permutatione beneficij de iure patronatus requiratur conſenſus Patroni.

DIFFIC. XLIV.

Dico primò, quod certum ſupponitur à Canoniſtis Papam, vtpote abſolutum Dominum beneficiorum poſſe facere permutationem beneficiorum de Iure Patronatus abſque conſenſu Patronorum, quia eſt mera gratia Sedis Apoſtolicæ, vt Patroni præſentent etiam beneficia ab ipſis fundata; bene tamen verum eſt quod ſi non adſit clauſula ſpecialiter derogans conſenſum Patroni non intelligitur derogaſſe, vnde de ſtylo Curiæ eſt, vt apponatur hæc clauſula (derogans pro hac vice tantum) & alias minime, nam Pontifex non intelligitur velle derogare, & inferre præiudicium niſi ſpecialiter exprimat, & hanc doctrinam eſſe communem teſtatur *Quaranta V. Benef. permutat. in addit.*

Aduerte tamen hanc doctrinam ſolum currere de Patrono laico habente ius ex fundatione, conſtructione, vel dotationes, quod ſi ſit ex priuilegio, vel præſcriptione, vel iure Patronatus Eccleſiaſtico, vel mixto non habetur tanta ratio, & reſpectus in ponenda clauſula ſpecialiter derogatiua prædicta, ſed abſolutè, vt ſibi videtur, derogat conſenſui talium Patronorum, vide *Crauett. conſil. 82. & 153. & Pariſ. in tract. Reſignat. benef. l. 2. tract. 4.*

Quare in permutationibus beneficiorum de iure Patronatus laicorum ex fundatione, conſtructione, & dotatione etiam in manibus Papæ faciendis neceſſum eſt explicare in ſupplicatione huiuſmodi ius patronatus, vt optime notàt, *Mandoſ. in addit. ad lapum allegat. 46. littera N. & O.* quia difficulter Papa permutationem in talibus beneficijs permittit abſque conſenſu Patronorum, vnde narrat idem *Mandoſ.* quod quidam Cardinalis tempore *Gregorij Vndecimi.* nunquam potuit obtinere, quod in quadā permuttatione fuerit derogatum iuri patronatus laicorum.

Dico ſecundò, quod Epiſcopus, & ceteri Ordinarij non poſſunt admittere permuttationes beneficiorum de iure Patronatus abſque conſenſu Patronorum, & hanc reſolutionem communem vocat apud Canoniſtas omnes *Quaranta loco citato, contra Staphilum*, qui ſingularis eſt in docendo contrarium, & iure quidem, nam Epiſcopus non eſt ſupra ius poſitiuum concedens laico Patrono præſentationem beneficij à ſe fundati, vel à ſuis anteceſſoribus, æquum autem eſt, vt in permutatione perſonæ præſentatæ à Patrono eligatur perſona non ingrata Patrono permutatio enim videtur ſpectare ad nouam collationem, non ergo debet fieri abſque conſenſu Patroni.

Benè tamen verum eſt, quod ſi Patronus ſit peremptoriè vocatus ad conſentiendum, vel contradicendum permutationi, non comparuerit in termino præfixo ab Ordinario, non debet amplius audiri, & poteſt in tali caſu Ordinarius proſequi permutationem, nec ſuffragabitur ei terminus quatuor menſium datus à iure Patrono ad præſentandum, ſi elabatur per terminum datum ab Ordinario ad comparendum, in quo non comparuit, quia videtur contempſiſſe ſuum

ſe ſuum

Digitized by Google

ſe ſuum ius dum in termino dato non comparauit, at non ſi comparuit in termino præfixo, & poſtulauerit terminum quatuor menſium ad conſentiendum permutationi, debet ei concedi, nec poteſt interea Ordinarius procedere in tali permutatione, quia Patronus nō poteſt priuari beneficio tēporis legalis in *Reg. indultum de reg. iuris, & ratio eſt*, quia cum tempus datum patronis ad præſentandum ſit pœnæ inductiuum, nam elapſo termino quatuor menſium non poteſt amplius præſentare pro illa vice, non debet ab Ordinario abbreuiari, aliter infligeret pœnam patrono contra ius, & illi præiudicaret in re graui.

Dico tertiò, quod Epiſcopus, vel Ordinarius vrgente neceſſitate, & vtilitate Eccleſiæ poteſt compellere Patronum ad conſentiendum permutationi, & conſequenter ipſo contradicente facere permutationem; vtilitas autem, vel neceſſitas requiſita ad faciendam permutationem contradicente Parocho in duobus caſibus ponitur à Doctoribus, vt docet *Lambertinus de Iur. Patr. p. 1. l. 2. c. 9. q. 6. & p. 3. l. 2. c. 9.* primò, quādo in Parochia adeſſent Hæretici, vnde indigeret Theologo inſigni, qui plebi conſuleret, & hæreticos confunderet ſecundò, quando bona Eccleſiæ ab aliquo potenti occuparentur, & perſona propoſita ab Ordinario poſſet reſiſtere; bene tamen verum eſt, quod ſi Patronus allegaret cauſam præualentem ad vtilitatem, & neceſſitatem Eccleſiæ, ſufficeret ad impediendum permutationem, vt docet *Bellamara in tractat. permutat. benef. p. 4. & deciſ. 87. & 181.*

An beneficij de iure patronatus permutatio abſque Patroni conſenſu facta ab Ordinario alicui pœnæ ſubiaceat.

DIFFIC. XLIV.

Dico primò, quod in hac difficultate ad conciliandas Doctorum ſententias circa nullitatem, vel annulabilitatem permutationis beneficij patronalis à laico fundati, vel dotati, vel conſtructi factæ abſque conſenſu ipſius Patroni, diſtinguendum videtur, nam permutatio talis bēneficij facta fuit ab Epiſcopo, vel Ordinario non ſolum ſine conſenſu, & voluntate ipſius Patroni laici, verum etiam incontemptum ipſius, & in hoc caſu duæ infliguntur pœnæ à ſacris Canonibus in vindictam talis contemptus, prima eſt, vt Beneficiarius accipiens permutationem in contemptum Patroni non poſſit redire ad prius ſuum beneficium, licet in alijs caſibus poſſit fieri regreſſus, ſi non habeatur pacifica poſſeſſio ſecundi vt dictum eſt ſupra. Secunda pœna eſt, vt Patronus laicus virtute auctoritatis ſibi datæ *in c. Decernimus 16. quæſt. 7.* libere poteſt, excluſo eo, qui in ſui contemptum accepit permutationē beneficij, alium præſentare pro dicto beneficio. Quod ſi permutatio beneficij facta ſit abſque contentu Patroni, nullomodo habendo reſpectum ad ipſius contemptum, ſed per inaduertentiam, vel aliam legitimam excuſationem non fuit adhibitus conſenſus Patroni, non incurruntur hæ pœnæ, debet tamen annullari permutatio patrono reclamante, cum facta fuerit iniuria Patrono, dum vocatus non fuit iuxta ea, quæ in ſuperiori difficultate explicata fuere. Quare

Dico ſecundò, quod ſi Patronus ſit in longinquis partibus, & propterea vocari nequeat, vel eius præſentia quia minimè haberi poteſt, tunc ne incurrantur præfatæ pœnæ, debet poni clauſula in permutatione, ſi placeat Patrono, nec aliter, nec alio modo fieri talem permutationem, reſeruatur enim per hanc clauſulam conſenſus Patroni, vnde iniuria, & contemptus illi noſcitur non irrogari. Et Nota quod in hoc caſu per talem clauſulam non inducitur conſenſus fictus, vel tacitus, qui per terminum quatuor menſium datum ad præſentandum, euaneſcit, niſi in tali termino appareat conſenſus explicitus, nam per talem clauſulam reſeruatur conſenſus explicitus Patroni, eique ſuffragatur quandocumque notificata ei fuerit permutatio; conſenſus autem fictus, vel tacitus eſt, quando Patronus ſcit collationem factam, & non reclamat, imo patiens tacet, & non contradicit poteſt contradicere, iſte ergo conſenſus poſt quatuor menſes habetur pro expreſſo, ſi non reclamauerit ante dictum terminum, ita vt poſt quatuor menſes non debeat audiri, at vero in caſu noſtro per dictam clauſulam (ſi Patrono placeat, nec aliter, nec alio modo) etiam poſt quatuor menſes poteſt contradicere ſtatim ac ipſi fuerit notificata præfata permutatio cum dicta clauſula, ſi vero poſt quatuor menſes à notitia talis permutationis non reclamauerit, intelligitur adeſſe conſenſus tacitus atque adeo amittit poſt terminum præfatum ius reclamandi in poſterum. *Vide Quaran. loc. cit.*

Vtrum non emittens profeſſionem fidei intra duos menſes à poſſeſſione beneficij amittat fructus tam præbendæ, quam diſtributionum.

DIFFIC. XLV.

Dico primò, quod prouiſus de beneficio, ſi intra duos menſes non emiſerit fidei Profeſſionem nō facit fructus ſuos, nec ei ſuffragatur poſſeſſio triennalis, nec longiſſima, itaut ſemper etiam poſt longiſſimam poſſeſſionem beneficij fructus amiſiſſe dicatur, donec de facto profeſſionem fidei emiſerit, vt patet de mente *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12.* verum eſt tamen quod licet fructus non faciat ſuos tamen titulum, & proprietatem beneficij non perdit, tenetur tamen fructus in conſcientia reſtituere.

Dico ſecundò, quod non emittens profeſſionem intra duos menſes ex ignorātia probabili, & non affectata ſicut non peccat mortaliter, ita nec obligatur in foro conſcientiæ fructus reſtituere, in foro tamen fori ignorantia huiuſmodi non excuſaret, quia eſt ignorantia iuris clari, vt habetur *ex c. ignorantia de Reg. iur. in 6.* non enim de iure claro præſumitur ignorantia in foro fori *Nauar. conſ. 1. & 3. de verb. ſignificat.*

Dico tertiò, quod omittens profeſſionem fidei facere poſt duos menſes, licet amittat fructus præbendæ ſui beneficij, non tamen diſtributiones quotidianas, ita ex declaratione Sacr. Congreg. docet *Quaran. loc. cit.* quare præter ius percipiendi fructus ex ſola præbenda, cetera ſalua retinet, vnde habet vocem in Capitulo, & ius præcedendi à capta poſſeſſione retinet, *ex declarat. Sacr. Congregat. ad Nuncium his patriarum.*

Vtrum beneficiorum, quæ per ſupplicationem ſignatam à Papa ſunt expedita, licita capi valeat poſſeſſio.

DIFIC. XLVI.

Diſtinguendum puto; nam vel ſupplicatio expedita eſt in forma breuis, & in hoc caſu non requiruntur aliæ litteræ Apoſtolicæ, quare virtute talis ſupplicationis in forma breuis poteſt licite accipi, vt notant *Gomez in tract. breu. rub. 14. Staphil. titul. de Reſcrip. & Quaranta V. Beneficium poſſeſſ. in Addit.* at vero per ſolam ſupplicationem expeditam, & ſignatam non poteſt licitè ſumi poſſeſſio beneficij, ſed requiritur, vt expediantur litteræ Apoſtolicæ, & contra tales accipientes poſſeſſionem per ſolam ſupplicationem ſignatam antequam forent expeditæ litteræ Apoſtolicæ extat *extrauag. iniunctæ nobis de elect. rinouata per Iulium Secundum fol. 151. in Bul. & per Iul. III. fol. 124. & à Paulo III. fol. 361. & à Pio IV. fol. 804.* extenditur, & ampliatur, & iure optimo talis poſſeſſio per ſolam ſupplicationem ſignatam accepta, eſt damnata, quia gratia Papæ ante confectionem litterarum Apoſtolicarum eſt in formis, formatur autem per expeditionem litterarum, nam in Reg. Cancellariæ 26. habetur, ne iuxta ſupplicationum formam, ſed iuxta expeditarum litterarum tenorem iudicetur, itaque nulla poteſt fieri iuridica actio circa beneficiorum poſſeſſionem niſi poſt expeditas litteras Apoſtolicas pro beneficijs collatis.

An vero ſi moriatur Papa poſt ſignatam ſupplicationem, antequam litteræ ſint expeditæ, poſſit virtute talis ſupplicationis ſumi poſſeſſio, vide *Gomez loc. cit. & in reg. de infir. reſignant. quæſt. 18. Boer. deciſ. 146. Afflict. deciſ. 253. n. 4. Pariſ. de reſign. benef. l. 10. q. 1. & antiquus Felin. in Rubr. de conſtit. ſub. num. 5.*

Aduertendum etiam eſt quod in Regno Neapolitano vltra litteras Apoſtolicas prouiſus de beneficio à Papa requiritur, vt licitè poſſit capere poſſeſſionem, vt antea recipiat de manu Nuncij Apoſtolici dicti Regni litteras, quæ vulgo dicuntur, Relaſſo, iuxta Conſtitutionem *Pij V. quæ incipit Cupientes in fol. 1008.* & ratio eſt, quia in hoc Regno vacante beneficio ſuccedit Camera Apoſtolica in perceptione fructuum, Cameræ autem Apoſtolicæ Collector generalis eſt Nuncius præfatus,

tus, vt autem Nuncius fiat certior quando Camera deſinit percipere fructus, debet ab eo habere litteras executiuas pro poſſeſſione capienda, ſine quibus litteris vulgo del Relaſſo, nulla eſt poſſeſſio ex præfata Conſtitutione.

Vtrum capturus poſſeſſionem beneficij, & impeditus à Penſionario ob non ſolutas penſiones antiquas ſuper tali beneficio, poſſit ei aliquid dare, vel promittere ne impediat ſumere poſſeſſionem. DIFFIC. XLVII.

DIco primò, quod communiter negant Doctores poſſe aliquid dari, vel promitti in tali caſu, adhoc, vt capiatur poſſeſſio beneficij, & dantem, vel promittentem iure volunt Symoniam committere, nam licet *ex c. Dilectus 1. de Sym. & Gloſ. in c. decimas 16. q. 7. in V. Decimas.* poſſit beneficiarius pro iure ſpirituali iam quæſito dare aliquod temporale ne moleſtentur de facto ad redimendam vexationem, non tamen poteſt pro iure ſpirituali quærendo, nec pro quæſito nondum poſſeſſo aliquid dare, vel promittere abſque labe Symoniæ, vt docet *Panorm. in c. Dilectus n. 4. & Nauar. conſ. 17. de Symon. in antiquis, & Quaranta loc. citat. Rebuff. p. 2. de Sym. in Reſign. Pariſ. conſ. 35. n. 2. Foler. l. 5. c. 9. Guttier. l. 2. Can. 99. cap. 23.* hinc tamen verum eſt, quod de licentia Sanctiſſimi licebit hoc facere, vt dicetur V. Symonia. Ratio autem diſparitatis, cur poſſit aliquid dari moleſtatori beneficij iam poſſeſsi abſque Symonia, non autem moleſtatori beneficij non poſſeſsi, poteſt eſſe iſta, nam de iure naturę eſt, vt vnuſquiſque ſuam, omnimodo, quo poteſt, defendat poſſeſſionem, Symonia autem non prævalet contra ius naturæ, acquirere autem rem non poſſeſſam, non pertinet ad ius naturæ, ergo iuſtè decernitur pœna contra dantem temporale, vt acquirat ſpirituale non autem extenditur pęna ad dantē aliquid tēporale, ad hoc, vt ſe defendat in poſſeſſione rei ſpiritualis, cū defenſio rei habitæ ſit de iure naturæ.

Dico ſecundò, quod ſi nouus Beneficiarius velit in tali caſu ſoluere penſiones antiquas Penſionario adhoc, vt non impediat accipere poſſeſſionem, non incurrit Symoniam, & licitè hoc facit, etiamſi foret ſecurus de non recuperandis illis ab hæredibus mortui beneficiarij, quia ſtylus Curię eſt, vt penſionarius poſſit iure petere à nouo poſſeſſore penſiones antiquas non ſolutas, ergo iuſto iure poteſt anticipare etiam ſoluere de ſuo tales penſiones. *Vide Nauar. conſ. 49. de Preb. in antiquis.*

Beneficijs fructus decedente Beneficiario ad quos ſpectent. DIFFIC. XLVIII.

DIco primò, quod Beneficij fructus decedente beneficiario in locis, vbi adeſt vſus ſpoliorum, certum eſt ſpectare ad Cameram Apoſtolicam, & non ſolum fructus pendentes, & à ſolo non ſeparatos, ſed etiam à ſolo ſeparatos, ſi ante mortem Beneficiarij non fuerint exacti iuxta Regulam ſpoliorum infra forte ponendam. In locis autem in quibus conſuetudo legitima, vel priuilegium inualuit vt beneficiarius non ſolum poſſit teſtari de fructibus ſui Beneficij etiam ad prophanum vſum, & quod Conſanguinei poſſint ſuccedere in fructibus beneficij, & alijs bonis Beneficiarij, quod poſſe introduci ex legitima conſuetudine, vel priuilegio contendunt *contra Nauarr. de Re delib. q. 20. & Paul. Layman. l. 4. tract. 4. cap. 3. Iulius Clar. de Teſtam. q. 27. Gonzal. ad reg. 8. §. 7. Leſſius l. 2. cap. 4. dub. 6. Azor. 2. p. l. 3. c. 10. q. 10. Moneta de diſtrib. 3. p. q. 2. Garzias de benef. p. p. c. 5. Couar. c. cum in officium. 9. & Bonac. de obligat. benef. diſp. 4. punct. 3.* & probabiliter quidem in ſententia probabili aſſerentium Beneficiarium eſſe Dominum fructuum ſui beneficij, de illis diſponere poteſt, & in illis ſuccedunt hæredes naturales, ſi ab inteſtato decedat, niſi aliter iure ſpeciali ſpoliorum non prohibeatur in aliquo loco, ergo vbi non eſt ſpecialis prohibitio poteſt beneficiarius teſtari de fructibus ſui beneficij, & ab inteſtato decedenti ſuccedere naturalis hæres.

Verum nota, quod ſolum de illis fructibus hic ſermo eſt, qui ad honeſtam Beneficiarij ſubſtentationem ſunt ſufficientes, non autem de ſuperfluis, nam de his non poſſe teſtari beneficiarium communis eſt opinio maxime ad prophanum non ex *Conc. Trid. ſeſſ. 2. c. 1. de Reform.* quia ſaltem, vt dicitur infra V. Clericus, & V. Eleæmoſina, tenetur arctiſsimo vinculo charitatis iſta ſuperflua erogare in pios vſus.

Dico ſecundò, quod in locis vbi non adeſt vſus ſpoliorum, & hæredes ſolent ſuccedere in fructibus beneficijs, eos fructus obtinebunt hæredes, qui beneficiario competebant vſque ad mortem, cum enim beneficium detur propter officium vſque ad tempus, quo Beneficiarius potuit inſeruire per ſe, vel per alium ſibi, & eius ſucceſsoribus fructus contingunt.

An beneficij fructus pendentes, & à ſolo non ſeparati, & non maturati pertineant ad hæredem Beneficiarij, an vero ad ſucceſſorem in beneficio. DIFFIC. XLIX.

VAria eſt in hac difficultate Doctorum opinio, & quia non improbabilis eſt pro vtraque parte ratio, ipſorum ſententias explicare viſum fuit.

Hæredes beneficiarij habere ius pro rata temporis, quo vixit Beneficiarius ad quodcumque genus fructuum, & redditum docent *Couarr. 1 p. c. 15. n. 12. Vaſq. de redd. t. 2. §. 2. dub. 6. Molfeſ. tract. 6. c. 9. n. 63. Garz. de benef. 2. p. c. 1. n. 90. Genuenſ. in pr. Arch. Neap. c. 53.* & alij, etenim ſi beneficiarius omiſiſſet dicere officium pro rata deberent reſtitui fructus, ergo etiam pro rata debet fructus percipi ab hærede iuxta onus, quod ſubiuit viuens per ſe, vel per alium.

Attamen alij probabilius videntur diſtinguere, nam quo ad fructus à ſolo ſeparatos, & maturatos certum eſt pertinere ad hæredis ſucceſſores, *ex Gloſ. in c. fin. de pecul. Cler. Couar. l. 1. var. reſol. c. 15. Nauar. de redd. Eccl. q. 2. monit. 3. Tiraquel. de retract. Conuent. §. 1. gloſ. 4.* imo addunt *Bonac. vbi ſupra, & Garz. ex Rotæ deciſ. in vna Pharenſis penſionis 19. Iunij 1573.* ſufficere quod fructus ſint adducti in aream, etiam ſi in horreum non ſint reportati adhoc vt dicantur pertinere ad Heredes Prædeceſſoris, nam ſtatim atque à ſolo ſunt ſeparati fructus dicūtur eſſe à Beneficiario recepti, fructus vero pēdentes necdum à ſolo ſeparati omnino ad ſucceſſorem beneficij pertinet, nec ad eos vllum ius habere volunt hæredes prædeceſſoris, ita docet *gloſ. in c. præſenti de offic. ordinand. in 6. Cardinalis, & alij in c. fin. de pecul. Cler. Bald. in c. quæ in Eccleſ. n. 28. de Conſtitut. Salycet. in l. ſi Pater, C. de vſufr. Rota in vna Mediolanenſi fructuum 1592.*

Quo ad vero fructus beneficij obuenientes ratione locationis etiam variant Auctores primæ Sententiæ pro rata diuidendos putant, attamen diſtinguendum videtur tutius *cum Bonac. & Gomez loc. cit. & Molin. diſp. 174.* nam, vel penſio à locatione proueniens exigitur pro vſu rei locatæ, & ita penſio diuidenda pro rata temporis, quia Beneficiarius Prædeceſſor habuit ius vſque ad diem mortis ſuæ in tali penſione, penſio enim rei locatæ quotidie currit, quod etiam conſimiliter dicendum de redditibus cenſuum vitalitiorum, & in alijs libellis annuis pro vſu pecuniæ conſtitutis, vt ſunt loca montium, vnde in hos habet ius hæres prædeceſſoris vſque ad illud tempus, quo mortuus eſt beneficiarius; ſi autem penſio exigatur pro fructibus titulo locationis, dicunt ſolum ad fructus à ſolo ſeparatos habere ius hæredes Prædeceſſoris.

Aduertendum tamen eſt, quod ſi omnes fructus ſint à ſolo ſeparati, ita vt non habeat ſucceſſor vnde viuat in beneficio, tunc ad arbitrium Ordinarij habita ratione temporis, & quantitatis annui redditus obligabitur hæres prædeceſſoris, ad quem peruenerint fructus à ſolo ſeparati, tribuere ſucceſſori partem fructuum, vnde honeſtè viuat ſucceſſor, ita Sanctiſſime ſancitum fuit in *Conc. ſeptimo Prouinciali Mediolan. tit. de fruct. Eccl.*

Adde, quod penſio ſoluenda ab Emphiteota ratione directi Dominij ſpectat ad illum immediate, qui eodem die, quo cadit ſolutio, poſſidet beneficium, quia penſio iſta, ſiue Canon non datur loco fructuum, ſed in recognitionem dominij ergo illi debetur, qui tali die Dominus eſt per poſſeſſionem legitimam Beneficij. Ita *Bonacin. & Moneta loco citato.*

Quoad verò æs alienū contractum à Beneficiario decedente, ita optime ſtatuit *Concilium Mediolanenſe apud Bonac.* cuius verba referenda hic dari, quia eius ſtatutum in offenſo pede practicari poteſt: *Quod vero ad æs alienum ratione beneficij per Beneficiarum contractum attinet, cuiuſmodi ſunt decimæ, penſiones non ſolutæ, ſalarium Coadiutoris, reparationis bonorum immobilium, ornamenta Eccleſiæ, aliaque huius generis, ſi ſuperioribus annis contractum appareat, ipſius Beneficiarij hæredes creditoribus integrè ſatisfaciant, ſi*

vero

vero eo anno, quo ipſe deceſſerit, fructuum perceptorum, & temporis rationem habebit Epiſcopus, vt ſic pro rata fructuum, quam quiſque perceperit, & temporis quo noui fructus percipientur, alienum æs perſoluatur.

Porrò beneficij fructus illis in locis, vt eſt in Regno Neapolitano, in quibus fit ſpolium, nondum exacti, vel pendentes, & à ſolo non ſeparati tempore mortis Beneficiarij pertinent ad Cameram Apoſtolicam vſque ad diem apprehenſionis poſſeſſionis à ſucceſſore ſimiliter quicumque redditus maturandi vſque ad diem apprehenſionis poſſeſſionis præſatę prò rata diuidendi cum Camera Apoſtolica iuxta decretum *Sixti V. in Conſtitut. quæ incipit Cum ſicut accepimus apud Quaran. V. ſpolia Cleric.* quare heredes nullo modo in talibus locis habent ius ad huiuſmodi fructus, etiamſi Beneficiarius moriatur in Diæceſibus compoſitis cum Camera, nam hæredes in dictis Diæceſibus ſolum ſuccedunt in fructibus beneficiatorum, qui iam erant exacti, & iam à ſolo ſeparati, & in cæteris eorum bonis.

Quod ſi beneficiarij decedentes inueniantur illicitis negotiationibus operam dediſſe, nec in beneficiorum fructibus, nec in eorum bonis ſuccedunt hæredes, ſed ad Cameram Apoſtolicam pertinent, quia ſpoliorum nomine veniunt in tali caſu tam fructus beneficij, quam bona beneficiarij, vt declarauit *Pius V. Conſtit. quæ incipit, Decens.*

Itaque in Diæceſibus non compoſitis cum Camera Apoſtolica bona beneficiatorum ſub nomine ſpoliorum veniunt, nec de illis teſtari valent, ſed ad Cameram Apoſtolicam pertinere iubet *Paulus IV, in Conſtitut. quæ incipit Romani habetur in Bull. fol.* 240.

Verum norandum, quod beneficij fructus incipiunt currere in beneficium Cameræ Apoſtolicæ, vt patet ex inſtructionibus datis Collectoribus ta'i Ordine, nam à prima die Septembris cadunt ſub ſpolio totum frumentum, & cetera genera bladorum, & leguminum, à prima die Nouembris totum vinum, à prima die Decembris totum oleum, glandes, & alij fructus vernales, volunt enim conſtitutiones Pontificiæ, quod totum quod à Beneficiario decedente in diœceſibus non compoſitis, in quibus fit ſpolium, & etiam incompoſitis circa beneficiarios, qui negotiationem illicitam exacuerunt, acquiſitum fuerit, ad Cameram Apoſtolicam pertinent.

Denique notandum etiam, quod beneficium habens redditum minorem triginta aureis de Camera, qui faciunt quadraginta circiter ducatos de Regno non ſubiacent ſpolio ex *Bulla Pij V. vide Quarantam, &c.*

Beneficiarij defuncti mobilia ſacra ad quem pertineant.
DIFFIC. L.

Dico primò, quod beneficiarij defuncti res ſacrę, puta paramenta, veſtes, albæ, ſuperpellicea, miſſalia, libri muſicales, calices, cruces aureæ, vel argenteę etiamſi ſint Epiſcoporum, Ablatum Concitlorialium, & ceterorum beneficiatorum quantumuis exemptorum, licet habuerint licentiam teſtandi à Papa de fructibus, pertinent ad ſuas Eccleſias, etiamſi ea habuerint ad vſum priuatarum cappelarum, quare nullo modo veniunt ſub nomine ſpoliorum, ita Conſtituit *Pius V. conſtitut. incipiente Romans Pontificis*, & habetur in *Bullario fol.* 995. in qua dat liberam facultatem ſucceſſoribus præfata Prædeceſſorũ bona vbicũq; capiendi, & ſuis Eccleſijs & ſacriſtijs applicandi, vndè inualida declarat quæcumque Teſtamenta, & donationes ſuper hiſce, & eorum detentores tanquam ſacrilegij Reos puniri poſſe decreuit.

Dico ſecũdo, quod nõ ſolũ prętatas res ſacras ſtatuit *Pius V.* nõ venire ſub nomine ſpolij, verum etiã declarauit quod nec veniunt ſub nomine ſpoliorum quęcumque ſcamna, cathedræ, arcæ ligneæ, vel lapideæ, etiamſi marmoreæ menſæ, & tabulæ quæcumq; dolia & vaſa vinaria, & alia ſimilia ſuppellectilia domeſtica per quosuis Præsbiteros, vel Clericos ab humanis decedentes tempore eorum obitus in Eccleſijs, ſeu eorum domibus Eccleſiarum earundem, ſeu vbi vis locorum relicta etiam ſi ea f uctibus, & prouentibus beneficiorum quę dum viuerent obtinebant, acquiſita fuerint, quæ omnia ſucceſſoribus relinqui mandat Collectoribus, & Subcollectoribus, & de iſtis prohibet eis, ne vllo modo diſponant. Verum

Dico tertiò, quod præfata Conſtitutio Pij V. in dictis caſibus intelligenda eſt ſaluo ſemper iure ſoluendi debita à beneficiario contracta, vt de pręſatis rebus poſſit fieri ſolutio, ſi modo alia bona nõ extarent; vt doctè reſoluit noſt. *Rodriq. Tom. 1. qq. Reg. q. 30. art.* 11. *& in ſum. p. 2. cap.* 24. idem videntur docere *Nauar. Conſ. 4. de donat. in antiquis, Guttier. l. 2. pr. c.* 94. & iure optimo, nam Pontifex non debet præſumi velle grauamen inferre creditoribus; ſicut etiam dicendum puto nec voluiſſe Pontificem grauamen inferre hæredibus de ſuppellectilibus non ſacris, quæ conſtãt fuiſſe Patrimonialia; hinc *Rota Rom. deciſ.* 582. *diuerſor. p. 3. l. 3.* multos citans Doctores reſoluit, quod vbi conſtat de paupertate Eccleſiæ, & de bonis, & diuitijs proprijs Epiſcopi prædefuncti, debet præſumi bona quæ reperta fuerint non habentia ſignum Eccleſiæ, potius fuiſſe de bonis proprijs Epiſcopi, quam Eccleſię &c.

Bigamia.

Quid, & quotuplex in Bigamia.
DIFFIC. I.

Dico primò, quod bigamia iuxta græcę vocis ethimologiam dicitur duarũ nuptiarum celebratus cõtractus, ita vt bigamus dicitur ille qui duas vxores accepit, trigamus qui tres, quadrigamus qui quatuor, polygamus qui plures vxores habuit. Si vero bigamiam in rigore Theologico prout ad noſtrum præſens ſpectat propoſitum deſcriptam cupias, dicẽdum quod bigamia eſt duarum nuptiarum contractus verè, vel interpretatiuè, vel ſimilitudinariè celebratus reali copula conſumatus; Quare ad bigamiæ eſſentiam pertinet, vt matrimonium non ſolum ſit celebratum cum duabus verè, vel interpretatiuè, vel ſimilitudinariè, verum etiam vt copula ſit ſecuta, nam ſi copula non ſequatur, non dicetur bigamia inducta, prout ad præſens ſpectat, quia non diuiditur caro, ſi duæ non cognoſcantur verè, vel interpretatiuè, vel ſimilitudinariè, ad bigamiam autem requiritur in rigore Theologico, vt caro ſit diuiſa, ita vt per tale matrimonium repreſentari nequeat indiuiſibilis vnio Chriſti cum ſancta Sponſa eius Eccleſia, vt optimè notat noſter *Seraph. Doct. in 4. diſt. 27. q. 1. circa litterã.* quare

Dico ſecundò, quod bigamia iuxta præfatam diſtinctionem triplex eſt, altera vera, ſecunda interpretatiua, tertia ſimilitudinaria. Bigamia vera dicitur, quando quis duas legitimas duxit vxores, & ambas carnaliter cognouit, quare ſi quis cum duabus contraxiſſet matrimonium, & cum neutra carnalem copulam habuiſſet, non diceretur bigamus canonicè loquendo, quia carnem ſuam non diuiſit. Ita communiter *D. Bonau. Scotus, Ricard. in 4. loc. cit. Valentia T. 4. diſp. 7. punc.* 19. & alij.

Dico tertiò, quod bigamia interpretatiuè dicitur illa, quando cum duabus non fuit contractum Matrimonium verè, ſed ſolum ſecundum iuris diſpoſitionem, quod multipliciter accidere poteſt, primò cum quis matrimonium contraxit cum vidua cognita à primo marito, eamque cognoſcit, ſecundò cum quis matrimonium contraxit cum fœmina ab alio corrupta, tertiò, qui matrimonium reddit, ſeu cognoſcit carnaliter ſuam vxorem, poſtquam adulterium commiſit, in iſtis enim caſibus, & ſimilibus non repræſentatur caſtiſſima, & puriſſima vnio ſponſæ immaculatæ ſanctæ Matris Eccleſiæ cum ſuo impolluto ſponſo Chriſto, etenim ſi vnitas matrimonij repræſentantis vnitatem Eccleſiæ, & Chriſti, iuxta verba *D. Pauli*, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia, terminatur ad fœminam, quæ habeat carnem diuiſam, iam matrimonium non repræſentat præfatam ſanctiſſimam vnitatem Chriſti, & Eccleſiæ, vt optimè notãt noſtri præcitati DD. & præcipuè *D. Bonau. vnde ex c. quia de bigamia*, non eſt bigamus qui cum pluribus eſt fornicatus, ſi poſtea cum virgine contraxit.

Dico quartò, quod cognoſcens ſuam vxorem in adulterium prolapſam per reconciliationem factam etiam per præceptum Iudicis adhuc dicitur Bigamus, quia præceptum Iudicis non poteſt facere, vt caro non dicatur iã diuiſa, & per conſequens non poteſt impedire bigamiam, ita *ex 24. diſtinc. c. ſi cuius, vide noſt. Ang. hic* §. 2. & communiter Doctores apud Sayrum de cenſuris.

Dico quintò, quod cognoſcens ſuam vxorem adulteram etiam ignoranter iuxta probabiliorem opinionem dicitur iure bigamus, quia ignorantia non poteſt tollere, vt caro illarum ſit verè diuiſa, adde etiam ſi eius vxor per violentiam fuerit adulterata, quia hæc eadem violentia non poteſt tollere, quod non

ſit vere caro illa corrupta, ita *ex noſtro Angelo, & ſeq. Carpenſ. in curſu Theol. T. 2. tr. 25. diſp. 5. ſect. 14 & Sanch. de Matr. l. 7. diſp. 84.* ad bigamiam enim incurrendam in rigore canonico non requiritur peccatum neceſſariò, itaque, & ignoranter, & violenter poteſt incurri, vide etiam *Dianā in 7. p. tr. 12. miſc. reſol* 20. qui hanc doctrinam fortè tanquam nouā miratur, cũ verè ſit apud antiquos non parum ventilata, vt videre eſt apud *Ang. noſt. loc. cit. ad mentem Panormit.* maxime loquendo de ignoranter cognoſcente ſuam vxorem adulteratam, etiam ad præceptum Iudicis, vide ibi.

Dico ſextò, quod cognoſcens virginem, antequam cum ea matrimonium ineat, ſi poſtea cum eadem contrahat legitimũ matrimonium, & copulam habeat, licet aliqui voluerint, quod ſit dicendus bigamus, attamen probabilior, & verior opinio eſt, non eſſe bigamum, quia in hoc caſu verè caro non eſt diuiſa, modo cum alio rem non habuerit ante, vel poſt matrimonium. Ita noſt. *Angel. §. 5. cum Gloſ. & Panormit. in c. ſanè 1. de Cler. coniug. D. Th. 3. p. in add. q. 66. ar. 3.* & cõmunius Recentiores.

Dico ſeptimò, quod bigamia ſimilitudinaria quatuor modis incurritur, vt *noſt. Ang. teſtatur, §. 7.* primò, quando quis poſt votum ſolemne caſtitatis, quo cum Deo ſponſalia ſpiritualiter contraxit, matrimonium iniuit cum aliqua muliere, eamque carnaliter cognouit *ex 27. q. 1. quotquot, & c. à nobis de bigamis.* ſecundò, quando diuerſis temporibus plures habuit vxores vnam ſcilicet de facto alteram de iure, & ambas carnaliter cognouit; tertiò, ſi ſimul duas habuit vxores vnam de iure, alteram de facto, & cum vtraque rem habuit. *ex c. nuper à nobis de bigamis*, quia tam in ſecundo, quam in hoc tertio non propter defectum Sacramenti, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto reputandi ſunt bigami taliter contrahentes, licet verè non ſint bigami, vt *Pontifex, & Gloſ. in dict. c. nuper opet. explicant,* de illis Clericis, qui plura reſpectiuè matrimonia, & de iure antequam eſſent in ſacris conſtituti, & de facto poſtquam fuerint ſacris initiati. Quartò, quando quis ſacris initiatus contrahit cum aliqua matrimonium, eamque cognoſcit.

An verò qui cum corrupta contraxit matrimonium cum copula, tamen propter impedimentum dirimens inuentum diſſolutum fuit matrimonium, dicendus ſit bigamus, variant Doctores affirmant aliqui apud *Bonac. de irreg. diſp. 7. qu. 2. punct. 5.* volentes, quia cum ipſa ſe copulauit affectu maritali, quem volunt inducere bigamiam, alij vero negant non improbabiliter, quia cum nullum fuerit matrimonium, non adfuit ſignificatio vnionis Chriſti cum Eccleſia, & per conſequens cum ibi non fuerit ſignificationis præfatæ fundamentum, nec dicenda ibi fuiſſe bigamia, vtraque opinio probabili ratione fulcitur, equior tamen mihi videtur eſſe ſecunda.

Dico octauò, quod infidelis, qui duas habuit vxores ante baptiſmum, ſi poſtea baptizatur, dicitur etiam iurè bigamus *ex 28. q. vlt. c. oportet, & 26. diſt. c. acutius*, ita etiam noſter *Ang. §. 6. & Scot.* dat rationem, quia per ſacramentum baptiſmi non poteſt tolli quod carnem ſuam nõ diuiſerit vnde nõ poteſt repræſentare perſonã Chriſti, vt eſt Eccleſiæ ſponſus, & hæc eſt tutior opinio, quare non videtur audiendi qui contrariũ putarũt.

Dico nonò, quod bigamia non contrahitur, ſi coniunctio ſeminum in vaſe ab vtroque non fiat, ita ex moderniotibus, *Caſpenſis noſt. in iure Theol. to. 2. tract. 25 diſp. 5. ſect. 14. & Diana in 4. p trac. 5. reſol. 43.* quod elicitur ex doctrina noſtri Doctoris, nam ad veram copulam carnalem, cuius finis eſt generatio, requiritur commixtio vtriuſque ſeminis tam fœminæ, quam viri, quare ſcum ad bigamiam requiratur copula carnalis, intelligendum eſt de copula in rigore, quæ eſt ad finem generationis, cum ergo non adfuerit commixtio ſeminum in vaſe, nõ fuit vera copula carnalis, ergo nec bigamia, præterquã quod ſicut in opinione probabili non contrahitur affinitas, ſi in copula non adfuerit commixtio ſeminum, ita etiam nec inducitur bigamia niſi in copula fuerit ſeminis vtriuſq; commixtio.

An bigamia qualibet inducat irregularitatem, & nullitatem priuilegij Clericalis, & à quo diſpenſetur.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod quælibet bigamia vera ſ. c. interpretatiua, & ſimilitudinaria inducit irregularitatem, ita communiter Canoniſtæ, & iure. Primò quia quælibet bigamia non poteſt ſignificare vnionem indiſſolubilem, & immaculatã Chriſti cum vnica ſua Sponſa noſtra Matre Eccleſia, vt habetur *ex Gloſ. cap. vna 26. & c. debitum de bigamia.* Secundò, quia cum bigamia ſit ſignum incontinentiæ vitę inducit impedimentum ad ordinis ſacramentum, quod caſtè tractandum eſt, vt patet *ex d. cap. vna, & cap. propoſuiſti, 82. diſt.* Tertiò quia bigamus non audet propter ſuam incontinentiam alijs ſuadere caſtitaté, quam debet ſuadere Sacerdos, *ex d. cap. vna. Vide Nauar. cap. 27. num.* 195.

Dico ſecundò, quod bigamia tam vera, quam interpretatiua ordinatum ſolum minoribus priuat priuilegio Clericali, non autem Clericum in ſacris iam cõſtitutum, quia in minoribus conſtitutus poteſt redire ad ſeculum, non autem in ſacris conſtitutus, & ideo licet ſit priuatus ordinum habilitate, non tamen priuilegio Clericali, vnde qui percuteret Clericum in ſacris conſtitutum repertum bigamum, ſane in excommunicationem incideret, ita habetur *ex cap. vnico de bigam.* idem omnino dicendum de Religioſo profeſſo inuento bigamo in minoribus, vel laico, quia licet perdat per bigamiam priuilegium clericale, non tamen perdit priuilegium monacale, ita *noſt. Ang. §. 10. Archidiac. in glo. in c. quiſquis diſt.* 83. Vnde

Dico tertiò, quod qui bigamiam ſimilitudinariam contraxit licet priuetur ordinum habilitate; non tamen perdit priuilegium clericale, ita *noſt. Ang.* 12. quia conſtitutio pœnalis non extenditur à caſu vero ad caſum fictum quando caſus fictus non fingitur idem eſſe quoad effectum, quem habet caſus verus, ſicut eſt in propoſito, vt patet *ex cap. nuper à nobis de bigam.* intelligendum ergo monet *noſt. Ang. textu dict. capitis vnici de Bigam.* de bigamo vero, & interpretatiuo, & qui non eſt in ſacris, vel Religioſus, qui eſt nudatus omni priuilegio Clericali, & aſtrictus foro ſæculari, eique ſub excommunicatione præcipitur, vt non deferat tonſuram, & habitum Clericalem, vnde ſi portat bigamus verus, vel interpretatiuus habitum, & tonſuram peccat mortaliter tranſgrediens preceptum Canonicum in re graui: ita *noſt. Ang. loc. cit.*

Dico quartò, quod bigamiam quamlibet tollet Summus Pontifex in ea diſpenſando, quia communiter habetur eſſe de iure poſitiuo, vide *Scotum in 4. diſt. 33. q. 2. §. dico ergo*; Epiſcopus autem in ſola ſimilitudinaria in caſu ſ. c. ſolo, in quo Clericus, aut Religioſus contraxit, & cognouit Virginem, ſecus autem ſi corruptam *ex c. 1. qui Cler. vel vouentes.* limita etiam modo aliam non habuerit, ante ordinationem, vel profeſſionem, quia in hiſce ſolus Papa diſpenſat. *V. Ang. noſtrum §. 9. & Nauar. vbi ſup.*

Biſſextilis Annus.

Vnde dicitur annus biſſextilis, & an dies eius pro vno, an pro duobus ponendus. DIFFIC. VNIC.

Dico primò, quod annus biſſextilis à biſſexto nuncupatur; biſſextum autem iuxta præſens propoſitum, vt docent Ritualiſtæ, dicitur ab eo, quia ſ. c. per duos dies ſtamus ſuper ſexto Kalendas Martij, ſcilicet in die vigeſima quarta, & in die vigeſima quinta Februarij, bis enim dicitur ſexto Kalendas Martij, & in tali anno celebratur feſtum S. Matthiæ die vigeſima quinta Februarij; fit autem annus biſſextilis ex eo, quod in quolibet anno remanent ſuperflua aliquot minuta, quæ ſeptimo quoque anno conſtituunt vnum diem natura em, hic ergo dies ſeptimo quoque anno reponitur in menſe Februarij, ex quo eius annus dicitur biſſextilis, quia in eo anno, vt dictum eſt bis dicitur ſexto Kalendas Martij, ſ. c. vigeſima quarta, & vigeſima quinta Februarij.

Dico ſecundò, quod bixetilis anni dies hic ſuperfluus an debeat pro vno, & eodem die computari, an pro duobus, optimè diſtinguit *noſtr. Hungarell.* hic dicens, quod quando terminus in re, vel negotio aſſignatus ſtatuitur per dies diſcretè ſumptos, puta per dies triginta, quadraginta, vel centum, vel plures dies, tunc duo illi dies, in quibus dicitur biſſexto Kalendas non computantur pro vno tam in odioſis, tam in fauorabilibus, quia vere ſunt duo dies diſcreti, & diſtincti, ſi vero terminus ſtatuatur per numerum annorum, vel menſium, tunc duo dies computabuntur pro vno in fauorabilibus, vnde ſi detur indulgentia trium annorum, quorum vltimus incidat in biſſexto, indulgentia durabit vſque ad diem ſuperfluum biſexti, quia includitur in dicto anno biſſextili, qui ex tali die conſtituitur annus completus, ſi vero ſimus in odioſis, puta

quod

quod ſtet in carcere per tres annos, tunc ſi terminus ſit in anno biſſextili vnus dies computabitur pro duobus, ita vt per diem illũ ſuperfluum non teneatur eſſe in carceribus *ex Abb. in c. quærenti de offic. Deleg. & in c. quæſiuit de V. ſignif.*

Hæc etiam nota, quod annus pro nouitiatu requiſitus integer includit etiam diem illum ſuperadditum Biſſextili anno, ita vt ſi compleatur Annus die 24. Februarij in anno biſſextili dicatur compleuiſſe annum integrum in die vigintiquinque Februarij; *Ita Sacr. Congreg. Concilij apud Nouarrum in lucerna Reg. V. Annus n. 4. Lezana T. 3. qq. Reg. V. Annus. n. 11.*

Beſtialitas.

Beſtialitas eſt coniunctio carnalis cum aliquo alterius ſpeciei, v. g. cum Bruto, vel Dæmone ſuccubo, vel incubo comparente ſcilicet in forma Hominis, vel Mulieris, vide infra, *V. Dæmon.*

Bellum.

Quid ſit Bellum, & an ſit licitum, & quomodo, & quando.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod bellum à diminutiuo boni per antiphraſim, ex eo, quia minimè bonum, putat deriuatum Priſcianus, verum alij ab eodem diminutiuo boni non per antiphraſim, ſed per veram æthimologiam deſumptum aſſerunt ex eo, quia bellum olim ſolũ ob bonum finem ſuſcipiebatur, nimirum ad propulſandam, non autem ad inferendam iniuriam, & ad pacem, quæ omnium bonorum fomes eſt, comparandam, hinc Deus ipſe, qui ſumma bonitas eſt apud Sacram Scripturam ſeipſum Deum exercituum, & bellatorem fortem vocari non eſt dedignatus, & eiuſdem ſuæ ſummæ bonitatis ſeruos præcipuos Abraham, Moyſen, Ioſuè, Dauid, & alios bella geſſiſſe referunt ſacra volumina ex eo, quia bellum à bono propter bonos effectus, quos cauſat, ſuam ducit æthimologiam, ſicut enim de iure naturæ bonum eſt propulſare iniurias, ſe ſuaque defendendo, ita etiam dicendum à bono bellum, per quod Reſpublicæ, & eorum bona defenduntur, & amabilis pacis perturbatores confunduntur. Quare

Dico ſecundò, quod licitum omnino bellum eſt docendum, ſi ſit defenſiuum, quia de iure naturę eſt iniurias propulſare maximè ad communitatem pertinentes; Bellum autem offenſiuum, vt ſit iuſtum multæ conditiones requiruntur, verum tres ſunt præcipuè ad quas aliæ reducuntur, vt notat *noſtr. Hungarell. V. Bellum, §. 4. ſchol. K. ex D. Th. 2. 2. q. 40. art. 1.* Prima eſt, vt bellum ſit indictum à Principe non recognoſcente ſuperiorem, vt ſunt Papa, Imperator, Reges, Principes, & Reſpublicæ abſolutæ habentes iura regalia à nullo alio dependentes, vt ſunt Reſpublicæ Venetorum, & Genuenſium, & conſimiles; ſecunda conditio eſt, vt recta, & iuſta intentio adſit mouendi bellum offenſiuum, vt patet *ex c. quid culpatur,* 239. nimirum, vt explicat *noſt. Ang. hic §. 1.* vt non ex odio, & præciſè propter vindictam, ſed vt iuſtum fiat, & bono communitatis conſulatur. Tertio conditio eſt, vt iuſta, & legitima cauſa intercedat, vt habetur *in c. Dominus noſt. 23. q. 2.* ad bellum autem defenſiuum ſuſcipiendum ſupponuntur includi ſecunda, & tertia conditio; prima autem non eſt neceſſaria, cum enim defenſio ſit de iure naturæ, non eſt neceſſaria Principis auctoritas, ne, dum ea expectatur, ab aggreſſoribus Reipublicæ, vel communitati proueniant damna irreparabilia; Ita *noſt. Ang. loc. cit. Caiet. 2. 2. q. 4. art. 1. Sot. de iuſt. q. 3. art. 8. Molyn. T. 1. diſp. 100. Valen. T. 3. diſp. 3. q. 6. Bonac. de reſtit. in part. diſp. vlt. q. 1. ſec. 1. Filiuc. tract. 29. c. 9. q. 1. & Couar. Regula Peccatum p. 2. §. 9. num. 1.*

Dico tertiò, quod bellum gerere licitum eſt omni tempore, præterquam in die feſto, niſi neceſſitas defenſionis, vel conſequendæ victoriæ vrgeat, dies enim feſtus ſanctificandus eſt, diſpenſatur tamen tempore neceſſitatis; an vero ſit peccatum mortale bellare extra tempus neceſſitatis, negant *noſt. Rodr. 1. p. cap. 126. num. 10. Caiet. Bannes, & Bonac. loc. cit.* modo prius audiatur Miſſa, bellare enim non eſt opus ſeruile, quia à Principe, & Magnatis etiam exercetur.

Porrò licet tempore Quadrageſimæ, & Aduentus prohibitum fuerit bellare *ex c. 1. de Tregua.* contraria tamen conſuetudine eſt ferè abrogatum.

Tempore autem Nundinarum illarum ſcilicet, quę ex communi Principum conſenſu celebrantur, & earum tempore durãte datur ab vtraque parte libera adeas accedendi facultas, non licet bellare, quia fides omnino ſeruanda eſt, & bonũ publicum, ratione cuius celebrantur Nundinæ, ſeruandum eſt indemnem.

Quotuplex ſit cauſa iuſta mouendi Bellum.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod belli mouendi cauſa iuſta, & legitima multiplex recenſetur à Doctoribus, prima eſt vt contumaces, & rebelles Principi humilientur, & coerceantur non animo vindicandi, ſed puniendi delinquentes; ſecunda eſt, vt bellum moueatur contra iniuſtos detentores, & inuaſores bonorum ad ſe, ſuoſque pertinentium; hinc ſi Vaſſalli alteriùs Regni inuadunt bona alterius Regni propter hoc, quia Rex nõ vult ſatisfacere damnis illatis à ſuis Vaſſallis, licitum eſt tale bellum; tertia licitum eſt mouere bellum ad cauſam tuendæ Reipublicæ ab oppugnantibus, & perturbantibus eius iuriſdictionem, & bona, & grauiſſima damna ingerentibus, & ideo Chriſtiani poſſunt contra Turcas, & Catholici contra Hæreticos iuſtè bellum mouere, modo ſint hæretici denunciati, & damnati ab Eccleſia, *ex cap. cum ſecundum leges de hæret. in 6.* quia tam Turcæ, quam Hæretici grauiſſima ſemper damna, & meditantur, & inferunt Chriſtianæ Reipublicæ. Quarta eſt licitum contra eos mouere bellum, qui opem ferunt hoſtibus, vel malè raptoribus auxilium præſtant, & fauorem, ne iuſtas luant pœnas. Sicut enim licitè cum hoſtibus, & male raptoribus immediatè geritur bellum, ita etiam contra dantes ipſis auxilium, & fauorem licitum, & iuſtum mouetur bellum. Quinta cauſa eſt Principi grauis iniuria illata, quæ per bellum licitè propulſatur, & punitur. Sexta cauſa mouendi licitè bellum, eſt quando aliqui violant fœdera, & pacta irrita, & communi conſenſu firmata, contra quos tanquam pacis, & communis boni perturbatores iuſtè mouetur bellum. Ita *ex noſtro Angelo, & Hungarello loco citat. Rodriq. par. 1. c. 128. Molyn. diſput. 102. & 104. Azor. 3. p. l. 2. cap. 7. quæſt. 19. Filiuc. q. 7. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecũdò quod licet multi probabiliter autumauerint iuſta exiſtente cauſa, mala tamen cum intentione ſi moueatur bellum ad reſtitutionem teneri Principes, & milites de damnis illatis aduerſarijs, attamen probabiliter dici etiam poteſt malam intentionem ſcilicet propter alium, & vindictam bellum mouere non inducere obligationem reſtitutionis, priuatio enim bonæ, & iuſtæ intentionis eſt ſolum peccatum contra caritatem, non autem contra iuſtitiam, ſi ergo adſint cauſæ legitimę mouentes ad iuſtum bellum inferendum, & adſint ceteræ conditiones ad licitè mouendum bellum, vt tactum eſt in ſuperiori difficultate, non peccatur contra iuſtitiam, etiam ſi moueatur malo animo, & mala intentione tuendi, & vindicandi, & conſequenter non infertur obligatio reſarciendi damna illata. Ita *noſtro Rodriq. Bonac. Filiuc. Valent. loco cit. & Bannes 2. 2. q. 40. art. 1. & Sayr. in Claui Reg. leg. 7. cap. 13. num. 8.*

An dubitans adeſſe conditiones, & cauſas iuſte mouendi bellum, poſſit adhuc licitè illud indicere.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod diſtinguendum eſt, nam vel neuter rem poſſidet, & tunc vel vterque eſt in dubio æquali de iuſtà cauſa mouendi, & in hoc caſu neuter debet mouere, quia neuter habet certitudinem moralem iuſtæ cauſę, ergo res manere debet in ſuo iure, exempli gratia, ſi moriatur Rex aliquis ſine legitimo ſucceſſore, & controuertatur quis debeat Regnum accipere, dubium autem ſit æquale pro vtraque parte cui potius de iure contingat, nullus poteſt indicere bellum ad occupandum Regnum, ſed debet Regnum deuolui in Rempublicam, nam ſicut ipſa hominum multitudo tranſtulit poteſtatem in Regem, ita deficiente Rege, & certo eius legitimo ſucceſſore debet ius dominij redire in Rempublicam, ita etiam docent *Azor loco citat. quæſt. 6. Filiuc.* Si vero res poſſideatur ab vno, & alius habeat dubium probabile, quod ille iniuſtè poſſideat, & ſibi iuſtè debeatur facienda eſt

diligens

diligens inquiſitio pro certa veritate comperienda, qua facta ſi poſſidens inueniatur habere dubium æquale de iuſta poſſeſſione, vnde pro vtraque parte ſit æquale dubium, in hoc caſu cum potior ſit conditio poſſidentis, nõ poteſt alter legitimè contra talem poſſeſſorem mouere bellum de facto, debet tamen poſſeſſor cum æquali dubio permittere alium prætendentem, vt faciat diligentem inquiſitionem de veritate, an ſcilicet iuſtè poſſideatur, quod ſi nolit permittere fieri talem inquiſitionem, poteſt in hoc caſu contra ipſum ab alio licitè moueri bellum, quia poſſeſſor dubius contra iuſtitiam facit, ſi non permittat fieri diligentẽ inquiſitionem an iniuſtè poſſideat, ita *ex noſtro Rodriq. loc. cit. num. 2. Victoria de iure belli num. 27. Valen. diſput. 3. queſt. 16. par. 5. cap. 2. Azor cap. 7. quaſ. 1. & 5. Reginald. l. 21. cap. 28. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod ſi alter habeat minus dubium, & maiorem probabilitatem, alter verò maius dubium, & minorem probabilitatem de aliqua re ſibi debenda, vtrum alter contra alterum poſſit mouere bellum ad occupandum ſibi talem rem affirmat *Bannez vbi ſupra*, & ſanè verum hoc puto de habente minus dubium, & maiorem probabilitatem ſibi deberi, cum habeat maius Ius iuxta ma orem probabilitatem; an verò habens maius dubium poſſit ſeſe opponere, præfato nolenti occupare, variant Doctores; docere tamen licitè poſſe opponere, quia ſuppono dubium ſuum eſſe probabile, ac minorem probabilitatem non excludere iura poſſeſſionis omnino certum eſt, quia etiam quis de eadem re exiſtente opinione magis probabili, & minus probabili, poteſt relicta probabiliori tuta conſcientia ſequi probabilem, vt dicetur infra in *V. Opinio*, vbi enim adeſt probabilitas, non adeſt falſitas.

Dico tertiò, quod ſi detur caſus, in quo poſſeſſor rei habeat maius dubium, & minorem probabilitatem, & non poſſidens habeat minus dubium, & maiorem probabilitatem, quod ille iniuſtè poſſideat, an habens minus dubium, & maiorem probabilitatem poſſit mouere bellum contra habentem maius dubium, an iuſtè poſſideat, affirmat *Bannes vbi ſup.* ſaltem, vt ſibi compenſationem faciat pro iure minus dubio, & maiori probabilitate habita ſuper tali re, quam compenſationem niſi facere velit poteſt licitè mouere bellum contra poſſeſſorem cum maiori dubio de iuſta poſſeſſione; *Sanch.* tamen, & alij negant in tali caſu habentem minus dubium, & maiorem probabilitatem poſſe mouere bellum contra præfatum poſſidentem cum maiori dubio, quia titulus poſſeſſionis eſt valde fauorabilis, ſanè hæc opinio *Sanchez* pia eſt admodum, attamen aliam opinionem puto probabilem, & tutam, modo priuſquam moueat bellum quærat omni meliori modo, vt pro maiori probabilitate, quam habet de iure ſuper tali re, velit pacifice ſibi compenſationem facere, quod ſi nolet compenſationem dare poſſidens, cum iniuſtitiam committat contra talem prætendentem, vt patet expreſsè, poteſt etiam hic iniuriam ſibi factam propellendo bellum licitè mouere, quia non tenetur amittere iuris ſui maiorem probabilitatem.

Vtrum bellum iuſtè ex vtraque parte moueri valeat.

DIFFIC. IV.

DIſtinguendum puto, etenim ſi loquamur per ſe, & re ipſa non poteſt vtique eſſe iuſta cauſa, ex vtraque parte ad contra ſeſe inuicem mouendum bellum, cum ius per ſe competat vni ſoli, & actus oppoſiti circa idem non poſſunt elici ab habitu eiuſdem virtutis, contradictoria enim de eodem prædicari nequeunt, ergo duo non poſſunt circa idem habere actum iuſtitiæ per ſe contrarium, ita vt ſit iuſtus alteri circa idem, & circa idem iniuſtus ſimul, & ſemel, vnde alter alteri poſſit licitè mouere bellum, ita vt eadem cauſa ſit iuſta Caio pro mouendo bellum contra Titium, & eadem cauſa ſit iuſta etiam Titio promouendo bellum contra Caium, eſſet enim aperta contradictio, nam dum eſt iuſta cauſa pro Caio contra Titium, eadem debet eſſe iniuſta pro Titio contra Caium, & rurſus ſi eadem eſt iuſta pro Titio contra Caium, erit iniuſta pro Caio contra Titium, vnde eadem ſimul, & ſi vel eſſet iuſta, & iniuſta; itaque per ſe loquendo non poteſt dari cauſa ex vtraque parte iuſta admouendum bellum contra ſe inuicem, vni enim neceſſariò per ſe competit ius mouendi bellum.

Attamen accidentaliter loquendo poteſt fieri vt vterque habeat iuſtam cauſam mouendi bellum circa idem, & primò poteſt dari, quod vnus per ignorantiam inuincibilem moueat bellum probabiliter putans ſe habere iuſtam cauſam, & inuincibiliter ignorans ſe habere iniuſtam cauſam, licitè mouet bellum, quia ignorantia cauſæ iniuſtæ, & probabilitas cauſæ iuſtæ eum excuſat à peccato, & reddit actum mouendi bellum iuſtum, Secundò poteſt accidere, quod pro vtraque parte adſit opinio probabilis iuſtæ cauſæ, vterque vt dictum eſt in ſuperioribus, poteſt licitè, & iuſtè mouere bellum, quia tuta conſcientia vnuſquiſque poteſt ſequi opinionem probabilem, quare in vtroque caſu tam ignorantiæ inuincibilis, quam opinionis probabilis per accidens ſolum adeſt cauſa iuſta ex vtraque parte mouendi licitè bellum. Ita etiam *Azor loco citato queſt. 2. 4. & 20. Filiuc. cap. 9. Couar. ad Regulam Peccatum par. 2. §. 6. num. 10. & Bonac. vbi ſupra num. 11.*

An ſemper etiam exiſtente iuſta cauſa debeat ſemper Princeps mouere bellum.

DIFFIC. V.

AFfirmare videtur, nec improbabiliter *Caietanus V. bellum*, quia dum adeſt iuſta cauſa, effectus omnino iuſtus eſt, ergo tuta conſcientia habens iuſtam cauſam mouendi bellum, poteſt illud indicere, in iſtis enim rebus non ſunt nimis Principes ſcrupulozandi, ne quod tuta conſcientia poſſunt, poſtea ex aliqua alia ratione ſtatiſtica moueantur contra conſcientiam id facere. Ceterum æquius, probabilius, & magis piè loquuntur *noſter Rodriq. loco citato, Bann. dub. 8. Molyn. diſput. 103. & Bonac. n. 9. loco citato*, volunt enim quod quando Charitatis præceptum renuit bellum mouendum, licet ad ſit iuſta cauſa, omnino Principes Chriſtiani debeant ſequi Charitatis iter, itaque habens Princeps iuſtam cauſam mouendi bellum, cum Charitas dictet, petendam eſſe compenſationem, vel ſatisfactionem iuſtam ab Aduerſario antequam moueat bellum, debet prius ab Aduerſario petere ſatisfactionem legitimam, ipſo autem renitente, tunc poteſt iuſtè mouere bellum.

Inmò addunt, quod ſi inceptum ſit bellum, & damna longe maiora proueniant ſuæ Reipublicæ, vel Regni ex belli proſecutione, licet inimicus efflagitatam iuſtam ſatisfactionem nollet dare, Charitas ſuadet vt intermittatur bellum, vt maius damnum ſuorum ſubditorum præcaueatur, quod certe tanquam Conſilium ſummopere pium, vtinam Principes Chriſtiani acciperent, & ſequerentur.

Vtrum milites vocati à Principe, teneantur inquirere, an bellum iuſtum ſit, nec ne?

DIFFIC. VI.

DIſtinguendum puto in hac difficultate nam vel milites ſunt Vaſſalli, & Subditi, vel ſaltem milites non ſubditi, ſtipendiati tamen à Principe tempore pacis pro quacumque neceſſitate bellica occurrente, & de iſtis dicendum eſt, quod non tenentur inquirere de iuſtitia belli, modo tamen apertè ipſis non conſtet de iniuſtitia, & notoria Tyrannide, quia ſi eis Conſtet apertè iniuſtitia non tenentur ſequi Principem iniuſtum bellum mouentem, quod ſi cauſa belli dubium ſit iuſta ne, an iniuſta, debent procedere, nec tenentur inquirere cauſa iuſta ne ſit, quia in dubio ſupponere debent milites præfati Principem iuſtam cauſam habere, in dubio enim fauorabilius reſpondendum pro Principe, qui ſemper debet à Vaſſallis, & ſuis ſtipendiatis præſumi iuſtus, niſi notoriè, & apertè conſtet de iniuſtitia, & Tyrannide; vnde optimè notat *hic Sch. §. noſter Hungarell.* quod militi tunc conſtat de iuſtitia belli, quando ſibi non conſtat de iniuſtitia, ita etiam *noſt. Angel. §. 3. Molin. diſp. 115. Azor, Filiuc. & Bonac. loco citato.*

At vero ſi ſermo ſit de Militibus conducendis ſubditis, non debent iſti ad bellum vocati procedere ſi cauſa belli dubitetur iuſta, quia ab obedientia non excuſantur, debent ergo habere probabilẽ, & moralem certitudinem de belli iuſtitia, ſufficit autem ad hanc moralem certitudinem iuſtitiæ belli ſi habeant bonam opinionem de Principe vocante ad bellum quod ſcilicet ſit iuſtus, & timoratæ conſcientiæ, & propter hoc practicè credant

nam vt ſupra dictum eſt ex noſtro *Vngar.* tunc conſtat militi de iuſtitia belli, cum non conſtat notoriè de iniuſtitita. Ita etiam *Molyn. diſp.* 114. *Nauar. cap.* 15. *& Bonac. num.* 10. *loco citato*.

Quod ſi in dubio probabili magis inclinante ad iniuſtitiam belli, teneantur, tam ſubditi, quam non ſubditi recedere, affirmant aliqui, quos citat, vt ſequitur *Diana 4. p. tract. 4. Miſcellan. tract.* 32. & vide infra *V. Dubium*, quid ſit in hoc caſu dicendum.

Vtrum Miles cognoſcens poſt pactum bellum fuiſſe iniuſtum teneatur ad damna illata.

DIFFIC. VII.

Diſtinguendum eſt iuxta ſuperiorem doctrinam, nam vel miles erat ſubditus, vel etiã ſtipendiatus, ſi depoſuit dubium circa iuſtitiam belli ſupponens ſuum Principem habere iuſtã cauſam, cũ non teneatur inquirere de iuſtitia belli fuit ſub bona fide, dum in bello certauit, quia tenebatur obedire, & præſumere ſuum Principem iuſtum, non tenetur ad damna illata, benè tamen verum eſt ſtatim atque cognouit iniuſtum fuiſſe bellum tenetur reſtituere, ac omnia in quibus cognoſcit ſe factum eſſe locupletiorem, quæ autem ſub bona fide præfata conſumpſit non tenetur reſtituere, quia bona fides faciebat eum legitimum dominum ipſorum, adueniente autem mala fide, cognita ſcilicet iniuſtitia belli, iam non eſt dominus eorum, quæ poſſidet in bello ſcilicet adepta, quod ſi ſubditus, & ſtipendiatus practicè non reliquit dubium de iuſtitia belli, vnde contra ſynderesim pugnauit, iam ſub mala fide pugnauerat, tenetur ad omnia damna illata, quia ſicut peccauit pugnãs contra ſynderesim, ita etiam ad ſatisfactionũ damnorum omnium tenetur poſtquam cognouit iniuſtitiam belli.

Porrò Miles non ſubditus quia tenetur inquirere de belli iniuſtitia antequam procedat ad bellum, ſi cũ dubio de iniuſtitia pugnet, iam eſt in mala fide, & per conſequens peccat bellando, & ad omnia illata damna procul dubio tenetur, ſicut enim non tenebatur obedire, ita etiam debebat inquirere de iuſtitia belli, & ſicut dubius de iuſtitia certauit bellando, ita etiam tenetur reſtituere. Ita communius Doctores, *Molyn. Bann. Bonac. loc. cit. & Sanch. l. 2. c. 23. in opere mor.*

In bello iuſto ex vna parte, & iniuſto notoriè ex altera quid debeant facere Duces Chriſtiani ex parte iniuſti belli pugnantes.

DIFFIC. VIII.

Azor q. 20. & *Bonac. num. 11. loc. cit.* admonere videntur, quod quando bellum eſt iuſtum ex vna parte, & iniuſtum ex altera notoriè, Chriſtiani Duces ex parte iniuſti belli debent admonere partem aduerſam, quod ipſi non habent iuſtam cauſam bellandi, atque adeo ſi ipſi habentes iuſtam cauſam bellandi velint deſiſtere, proteſtantur ſe nolle certamen proſequi, ſine enim tali proteſtatione bellantes ex parte iniuſti belli contra iuſtitiam offenderent aduerſarium exercitum, & conſequenter peccarent, & ei damna reſarcienda tenerentur, facta autem tali proteſtatione ſi nolint aduerſarij ex parte iuſti belli deſiſtere, autumant præcitati Doctores poſſe Duces aduerſos ex parte iuſti belli ſe contra eos licitè tueri cum morte etiam aduerſariorum cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ.

Verum hæc doctrina ita ſimpliciter tradita mihi non placet, tum quia nullo modo contra iuſtitiam debent pugnare, tum quia in bello nimis difficile videtur ſeruare moderamen inculpatæ tutelæ, quare dicendum tutius puto, quod non ſolum partis aduerſæ Duces non habentes iuſtam cauſam pugnandi debẽt aduerſarios monere ſe nolle pugnare, ſi deſiſtere velint, quia hoc ſolum proteſtari eſſet eos ſpoliari iuſtitia bellandi, quam habent, vnde talem proteſtationem non tenentur ſequi, verum etiam debent partes aduerſæ habentes iniuſtam cauſam offerre ſatisfactionẽ ſufficientem ad tollendam iniuſtitiam, quod ſi nolint aduerſarij accipere ſufficientem ſatisfactionem, tunc licitè poſſe ſe tueri, & bellare abſque ſcrupulo aliquo contra aduerſarios exiſtimo tanquam contra irrationabiliter ſatisfactionem ſufficientem renuentes.

Vtrum Chriſtianis liceat in bello iuſto aduocare in ſuum auxilium etiam infideles.

DIFFIC. IX.

Affirmant, *noſt. Rodr. p. 1. c. 126. Reginal. T. 2. c. 21. nu. 100. Duar. can. 7. q. 36. Alter. can. 7. c. 5. in B. C. Filiuc. Valen. Bonac.* & alij cum hac tamen limitatione, modo non adſit ſcãdalum, & periculum ſubuerſionis fidei, quod certè admodum timendum à Chriſtianis, hæreſes enim facillimè ſerpunt in animis militum, vtpotè qui fere omnes conſcientiæ libertatem affectant, exemplum autem præſens hæreticorum viuentium iuxta libertatem conſcientiæ non ſolum titillant animos Catholicorum Militum, verumetiam fortiter ſimplicium mentes ad eamdem ſequendam inclinant. Quare

Monendum puto Catholicum Principem ſolum in extrema neceſſitate ſeſe defendendi ab aperta iniuſtitia illata, vel inferẽda poſſe vocare infideles in ſui auxilium, cum defenſio ſit de iure naturæ, contra quod non præualent alia iura, attamen ad rectam conſcientiam ſuam ſpectare noſcat pro viribus efficere, vt omnino ſeiuncta a Catholicis tabernacula habeant infideles, & nullo modo inter ſeſe cõmiſceantur, vt periculũ ſubuerſionis fidei auferatur, alijs ſãguinẽ ab ipſo Principe ſtrictius requiret Deus, & eius victoriæ in pęnã forte nõ erit propitius.

Vtrum Chriſtiani abſque alia ſpeciali cauſa poſſint licitè infidelibus bellum mouere.

DIFFIC. X.

Dico primò, quod Chriſtiani Principes poſſunt licitè iuſta exiſtente cauſa mouere bellum contra eos infideles qui ſibi ſubditi ſunt tam de iure, quam de facto, certiſſimum eſt apud omnes, iuſta autem cauſa poſſet eſſe bonum Reipublicæ Chriſtianæ, vt Chriſtiana eſt puta quia habitare Iudæos, vel hæreticos propè, vel inter terras Chriſtianorum eſſet occaſio euidẽs, & aperta ſubuerſionis fidei Chriſtianæ, & in hoc caſu poſſent licitè expelli, niſi velint conuerti ad fidem, priuando eos vita, & bonis iuxta delictorum, vel contumaciæ modum.

Dico ſecundò, quod ſunt aliqui infideles, qui licèt de facto non ſint ſubiecti Principibus Chriſtianis, tamen de iure ſubdũtur; vt ſunt Turcæ iniquè occupãtes terras, & regna in quibus Chriſtiani Principes habent ius, & contra iſtos abſque aliã exiſtẽte cauſa poſſunt Principes, ad quos ſpectat ius præfatũ per hæreditatem, vel alio modo licitò contra ipſos bellum mouere.

Dico tertiò, quod quilibet Princeps Chriſtianus de conſenſu tacito ſaltem Summi Pontificis propter commune bonum, & gaudium Reipublicæ Chriſtianæ poteſt licitè nulla alia exiſtente cauſa mouere bellum contra infideles, etenim ſi infideles conterantur, ſolent Chriſtiani communiter gaudium accipere ex eo ſaltem motiuo, quia inimici Sanctæ Fidei Chriſtianę ſunt demoliti, vnde Eccleſia ipſa poſt obtentas victorias de infidelibus à quocumq; Principe ſolemnes, & publicas agit gratias Deo cum ingenti gaudio, quare conſtat ex hoc, quod licitè mouetur bellum, immò meritoriè contra infideles nulla alia exiſtente cauſa præter confuſionem, & demolitionem inimicorum Sanctæ Catholicæ Fidei, & gaudium, & bonum commune Reipublicæ Chriſtianæ

Dico quartò, quod ſunt aliqui infideles, qui nec de facto, nec de iure ſubditi ſunt Chriſtianis Principibus, vt ſunt Indi, Pagani, qui nunquam ſubiecti fuerunt Imperio Romano, nec Chriſtianorum poſſident terras. & Regna, & contra iſtos mouere bellum nulla exiſtente cauſa regulariter non licèt; poſſet tamẽ iuſta adeſſe vna cauſa mouendi contra eos bellum, ſi velint impedire prædicationem Euangelij in ſuis dominijs, in hoc enim caſu eſſent Rebbelles S. Eccleſiæ quæ accepit poteſtatẽ à Deo prædicandi Euangeliũ in toto Mundo iuxta illud Marci: Prædicate Euangelum omni creaturæ, vt rebelles ergo poſſunt licitè comprimi mouendo contra eos bellum; altera cauſa iuſta poſſet eſſe pugnandi contra dictos infideles ſi Chriſtianos facerent, & detinerent captiuos, quia charitatis, ordo exigit, vt fratres ſuos Chriſtianos tanquã verè proximos Chriſtiani Principes defendant, & de manibus infideliũ tanquã nomini Chriſtiano inimicorum bellum excipiant. Vide in hac diffic. in parte *noſt. Rodr. loc. cit. art. 6. & plenius Azor 3. p. l. 2. c. 7. q. 30. Valen. & Bonac. loco cit. & Molyn. diſp. 106.*

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum in bello iuſto liceant quæcumque media ad procurandam victoriam.

DIFFIC. XI.

Dico primò, quod in bello iuſto poſſunt quæcumque media damnoſa aduerſarijs in bonis corporis, & fortunæ procurari ad victoriam cōſequendam, pacē componendam, vel iuſtam accipiendam ſatisfactionem, puta inſidię, ſtratagemmata, doli, & deceptiones materiales, non autem formales, non enim poſſunt, nec debent dici mendacia formaliter, cum non ſint facienda formaliter mala, vt veniant bona, doli autem, & deceptiones materiales puta minas ſecretas facere, vias contrarias tenere, & demonſtrare, numerum maiorē militum, vel annonę maiorem quantitatem aliquo ſtratagemmate oſtentare, & ſimilia, quæ omnia ſunt mendacia ſolummodo materialiter, quæ ad bellicā induſtriam pertinent. Vide Doctores infra citandos.

Dico ſecundò, quod inimicis data fides frangi non poteſt licitè ad conſequendā uictoriā, fides .n. etiā infidelibus ſeruāda eſt, bene tamen verum eſt, quod ſi inimicus datam ab ipſo fidē frangat, poteſt licitè aduerſarius, & ipſeā ſe datā fidē frangere, fidē .n. frangēti fides frangatur eidē, eſt commune proloquiū, & fidem frangenti non eſſe ſeruandam fidem, patet *in c. vtile ſi. mulationem 2.2 q.2. & c. Dominus 23. q.2. & in ſumma q.7. & c. dixit 23. q.5. glo. in c. cupientes in verb. malignantiū de elec. in 6. Ang. noſt. .19. D. Thom. 2.2 q.40. art.3. Molin. diſp.111. Azor 3. p.l.1. c.7. qu.14. & 15. Bonac. & Filiuc. loc. cit.*

Vtrum Milites in bello iuſto inferentes damna contra Ducis Generalis prohibitionem teneantur ad reſtitutionem.

DIFFIC. XII.

Diſtinguendum puto, nam vel Dux Generalis fecit prohibitionem nē vltra talem ſummam inferrentur dāna hoſtibus, ad finem vt diſciplina militaris ſeruetur, ne videlicet, dū larga manus laxatur rapinis exercitus damnū patiatur ex militum ſegregatione, vel nimio rapinarum onere, & in hoc caſu nō tenentur milites ad reſtitutionem, quia voluntas Principis nō eſt propriè prohibere damna inimicis, quia ſi poſſent inferri dāna ſine læſione ſui exercitus, & diſciplinæ militaris, ſane id optarent, vnde in hoc caſu milites peccant contra virtutem obedientiæ, non autem contra iuſtitiam, quare ad reſtitutionem minime tenentur.

At vero ſi prohibentur à Principe militiæ damna inferri hoſtibus ſaltem vſq; ad tantam ſummā, quia vel ſic iuſtitia expoſcit, vel pietas Chriſtiana ſuadet, tunc dānificantes vltra Præceptum Principis, non ſolum faciunt contra obedientiæ virtutem, verum etiam contra iuſtitiam, quia præceptum Principis in hoc caſu tendit ad hoſtium indemnitatem ex aliqua ſibi benè viſa iuſta cauſa, quare ad reſtitutionem tenentur. Ita etiam *noſt. Rodr. c.118, Molin. Bonac. Bann. & Azor loc. cit.*

Vtrum in actuali conflictu, & poſt ipſum queant occidi impunè innocentes etiam præſumpti in bello iuſto.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, quod tam in actuali coflictu, quam poſt ipſū, certum eſt apud omnes Doct. poſſe occidi nocentes, hoſteſq; captos etiam obſides, & eos qui ſe vltrò tradiderunt, modo ipſis non data fuerit fides de non occidendo, fides enim etiā hoſtibus ſeruanda eſt, & modo eos occidere conducat ad pacem melius ſeruandam, vt notat *noſt. Rodr. q. c.126. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod innocentes quicumque etiā qui debent præſumi innocentes, vt ſunt Infantes, Mulieres, Clerici, Religioſi, Oratores, Mercatores alienigenæ tranſeuntes, peregrini, & ſimiles primò, & per sè directè non poſſunt, nec debent occidi, quia ſcriptum eſt, inſontem, & iuſtum ne occides, vt optimè contra *Filiuc. probant Molina diſp.122. & Lopez. p.1. c.61.* poſſunt tamen alijs pœnis mulctari iuxta qualitates perſonarum, exilio, carcere, bonorum priuatione, & damnatione ad triremes, iuxta probabilem opinionem *Bonac. & Reginald.* illi innocentes præſumpti, qui non ſunt Religioſi, nec Clerici.

At vero ſi ſermo ſit de præfatis innocētibus etiam Clericis, & Religioſis indirectè, & per accidens occidi poſſunt in ipſo belli conflictu, quando ſ.c. victoria aliter haberi nequit in bello iuſto contra inimicos, niſi cū hoſtibus, & nocentibus occidantur etiam innocentes, quia ipſis innocentibus imputandū, quod cum nocentibus ita commixti ſint in belli cōflicto, vt cum nocentibus neceſſariò ſint trucidandi, in bello autē iuſto, ea omnia licent, quæ ſunt ad victoriam conſequendam, vel pacē cōponendam, vel ſatisfactionem neceſſariam accipiendam directè, vel indirectè per ſe, vel per accidens, ſunt neceſſaria, vnde licèt non ſolum occidere, in tali caſu innocentes etiam præſatos, ſed eos ſpoliare illis bonis, quibus poſſunt ferre auxiliū hoſtibus, vt ſunt naues frumenta, equi, ferramenta, arma, & conſimilia. Vide *Victor. de iur. bell. & Bonac. loc. cit. & Molyn. diſp. 117.* etenim vt docet *noſt. Ricard. in 4. diſt.15.* hoſtes in bello iuſto non ſunt obligati intendere bonum innocentium quando ſibi eſt nociuum in victoria conſequenda.

Dico tertiò, quod ſolum in graui neceſſitate licèt dare Militibus in prædam Vrbes hoſtium, quando ſ.c. expedit ad pacem ſeruandam, aliter non poteſt, quia innocentes per ſe, & directè læderentur extra caſum neceſſitatis, vide *Molyn. diſp.122. Victoria, Reginald. Azor, Filiuc. loc. cit.* ex quo deducendā puto cum Victoria; quod pro paruo damno illato ab hoſtibus, non licet longè excedens rependere, puta nō licèt, & pro vna ciuitate occupata totam Prouinciam deuaſtare, niſi omnino expediens iam videretur ad pacem pro futuro tempore ſeruandam.

Vtrum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum bona in bello iuſto valeant licitè damnificari.

DIFFIC. XIV.

Diſtinguendum puto, nam vel Eccleſiæ ſunt incaſtellatæ, ſaltem ſunt tales, vt in ipſis hoſtes ſe defendant, & pugnent, ita vt aduerſarij iuſtum bellum mouētes nō poſſint iuſtū conſequi, nec pacem componere, nec ſatisfactionem condignam accipere, niſi Eccleſias expugnent, diruant, & vaſtent, & in hoc caſu licitè Eccleſiæ poſſunt violentiam inferre hoſtes in ipſis capiendo, abſtrahendo, eas vaſtando, & diruēdo, quia in tali caſu immediatè, & directè, & per ſe non intendunt Eccleſijs violentias, & damna inferre, ſed ſolum indirectè, & per accidēs vnde excuſantur in tali caſu aduerſarij, quia in bello iuſto ad neceſſario conſequendam victoriam, pacem, vel ſatisfactionē omnia licent etiam nocentibus damnoſa, præfertur .n. bonum iuſtitiæ in tali caſu bono charitatis. Quod ſi vera, & realis neceſſitas non adſit vaſtandi, & lędendi Eccleſias, puta quia alio modò victoria, pax, vel ſatisfactio haberi valet, licet difficilius, debet talis modus tentari, & Eccleſiæ damnum inferri non debèt; ita etiam dicendum de bonis Eccleſiaſticorum, quæ ſolum per accidens, & indirectè vaſtari debent, & poſſunt iuxta indigentiam conſequendæ victoriæ, pacis, vel condignæ ſatisfactionis, alias ſi tam Eccleſiæ, quam Eccleſiaſticorum bona pręter veram neceſſitatem, & indigentiam offendāntur etiam in bello iuſto, vindictam Dei non effugiunt milites. Ita etiā *Ang. noſt. §.13. Rodr. c.128. Bann. ar.1. Bona. & Valent. loc. cit.*

Vtrum autem deuaſtantes Eccleſias, & bona Eccleſiaſticorum iuxta belli neceſſitates teneantur ad reſtitutionem, puto diſtinguendum, nam vel ex tali deuaſtatione iuxta belli indigentiam hoſtes non ſunt facti locupletiores, ſed ſolum victoriæ effectum acceperunt, & in hoc caſu ad reſtitutionem nō tenentur, etenim vt ſupra notaui ex noſtro *Riccard. diſt.13.* pugnantes in bello iuſto non ſunt obligati intendere bonū innocentium, in parte aduerſa exiſtentium, quando eſt nociuum ad victoriam, & pacem, & ſatisfactionem conſequēdam, ergo nec tenentur reſtituere, ſi eorum bona deuaſtent, quando ſibi ſunt nociua pro bono victoriæ, at vero ſi ex taliū deuaſtatione præter effectum victoriæ ſunt facti locupletiores hoſtes de bonis Eccleſiaſticis tenētur reſtituere, quia illud in quo facti ſunt locupletiores, nō erat impeditiuū victorię; nec ipſis nociuū regulariter loquēdo, ergo tenētur reſtituere, qui bona innocentium præter neceſſitatē belli eā iniuſtè retinet. Vide *Molin. diſ.122.*

Bona, quæ in bello iuſto, vel iniuſto capiuntur ad quē pertineant.

DIFFIC. XV.

Dico primò, quod bona, quæ capiuntur, vel ſunt mobilia, vel immobilia, ſi immobilia ſunt, ad Principem mouentem bellū regulariter pertinent iuriſdictionalia enim, quæ acquiruntur, ad Principem ſolum ſpectant, in quo iuriſdictionē iura reponunt: ſi verò ſunt mobilia, de iure antiquo erant capientium, adhoc ſ.c. vt milites audactiores fiant ad pugnam ex propoſito ſpolio inimicorum; potuit tamen ex ſtatuto, vel legitima conſuetu-

ſuetudine introduci, vt mobilia Capitaneo aſſignarentur, qui vnicuique militum iuxta merita ea diſtribueret, quare aduertant milites, an ius antiquum ſeruetur in Caſtris, in quibus militant, an vero peculiare ſtatutum, & conſuetudo contraria, & iuxta ius antiquum, vel peculiare ſtatutum, & conſuetudinem in conſcientia procedant, alias ſi occupent mobilia contra tale ſtatutum, vel conſuetudinem introductam, vt reddantur Capitaneo, tenentur reſtituere, vide in parte, quæ docet *noſt. Angel. & Vngarell. §.16. Sal. C.*

Dico ſecundò, quod acquiſita in bello iuſto ſecundum datam doctrinam non tenentur Victores reſtituere, nam hoſtes victi iure belli dominium talium rerũ verè perdiderunt, & ad Victores pertinẽt, alias inaniter permitteretur iuſtum bellum.

Dico tertiò, quod ſi bellum ſit iniuſtum, certum eſt Victores teneri ad reſtitutionem omnium bonorum, quæ abſtulerunt, ſiue ſint aduerſariorum, ſiue aliorum, cum ex iniuſtitia belli non amiſerint iuſti dominium ſuorũ bonorũ. Adde, quod non ſolũ tenentur reſtituere bona rapta, quæ fortè ſuperſunt, verũ etiã ea, quæ iam conſumpſere, quia dum in bello iniuſto pugnauerũt, sẽper fuerũt ſub mala fide, vt notat *noſt. Ang. §.9.*

Dico quartò, quod intereſſentes bello iniuſto, ſi ſuo auxilio, & fauore illatum eſt damnum commune quod non eſſet illatum ſine ſuo auxilio, & fauore, tenentur ad illud damnũ cõm. reſarciendum, quod ſi tale damnum comm. etiam eſſet illatum ſine ſuo auxilio, & fauore, tenentur ſolum ad illa reſtituenda, quæ ipſi, vel eorum ſerui, familiares, & milites rapuerunt, vel damnificauerunt argum. *ex 17. q. 4. omnes, & 2. q. 1. c. notum in fin.* vide *Ang. noſt. §.10.*

Dico quintò, quod in bello quantumuis iuſto inter Chriſtianos Catholicos inito, licet victores non teneantur reſtituere ea omnia, quæ ſecundum conſuetudinem pugnæ erant neceſſario vaſtanda, vel rapienda ad victoriam conſequendam, attamen damna quæ illata ſunt animo graſſandi, & ſine quibus victoria etiam habita fuiſſet, tanquam excedentia rationem iuſtitiæ belli inter Chriſtianos inter quos charitas fraterna ſemper ſeruanda, dum iuſtitiæ non repugnat, omnino reficienda, docet inter alios *noſt. Ang. §.12.*

Vtrum in bello iuſto inter Chriſtianos ſeruanda ſint iura Captiuitatis.

DIFFIC. XVI.

Dico primò, quod inter Chriſtianos hodie non ſeruantur iura captiuitatis *ex l. poſt liminii ff. de captiuitate*, vt notat *noſt. Ang. §.1.* non enim poſſunt Chriſtiani in ſeruitutem redigi ab alio Chriſtiano, quod ſanctè decretum eſt in fauorem fidei, ratione cuius in baptiſmo omnes efficimur veri confratres, non ergo alter alterius ſeruus, ſeu mancipium eſſe poteſt, bene tamen verũ eſt, quod retineri poſſunt capti in bello iuſto, quoadusq; pretio redimãtur, & iã cõmunis cõſuetudo inoleuit.

Dico ſecundò, quod Chriſtiani à fide Apoſtatæ præfato priuilegio non gaudent, vnde ſi capiantur a Chriſtianis Catholicis poſſunt in ſeruitutem redigi, cum enim fidem Chriſtianam iam violauerint, non debent fidei Chriſtianæ frui priuilegio; eorum tamẽ infantes baptizati ſi fuerint, nõ debẽt in ſeruitutẽ redigi, quia per baptiſmum veram fidẽ infuſam retinẽt, ratione cuius priuilegio prædicto fruuntur, & verè ſunt Chriſtiani.

Vtrum Captus in bello iuſto poſſit fugere abſque obligatione reſtitutionis.

DIFFIC. XVII.

Dico primò, quod probabile admodum eſt captum in bello etiam iuſto poſſe ad ſuos fugere abſq; obligatione reſtitutionis, & enim homines liberi ex iure gentium fiunt cum hac conditione ſerui, vt libertatem recipiant, ſi ad ſuos peruenerint incolumes, ipſis enim Victoribus imputandum eſt, quod non inuigilauerint, ne capti fugerent, captiuitatem enim naturaliter abhorrent homines, vnde debebant cognoſcere facilius fugam capturos eos, quos captiuos tenebant, *ex l. 7. de acquiſ. Domin. vide Couar. p. 1. var. c. 2. Leſſium l. 2. c. 25. Fillinuc. Bonac. & Azor loc. cit.*

Dico tamen ſecundò, quod ſi capti in bello iuſto iurauerint de fuga non capienda, non poſſunt licitè fugere, ſeruari enim debet fides cum iuramento præſtita etiam hoſtibus, quare de fide non ſeruata conteri debent, & ſatisfactionem hoſtibus de ſua fuga præbere, an vero cum euidenti vitæ periculo debeant redire, vt datam fidẽ ſeruent, non puto neceſſarium, nec congruum, quia fides data fuit de non fugiendo, non autem de redeundo poſt fugam.

Dico tertiò, quod captus in bello iuſto, & fugam accipiens, ſi à ſuo domino repertus fuerit fugitiuus intra Territorium Principis vincentis, non poteſt ſe defendere contra Dominum volentem eum in ſui poteſtatem redigere, nam in Territorio Victoris ſemper eſt vere ſeruus, & in eo habet ius Dominus, ad quem pertinuit, at vero ſi reperiatur extra Territorium victoris, quia iam deſinit eſſe ſeruus extra iuriſdictionem Victoris, poteſt vtique ſe defendere, ne iterum in eius poteſtatem redigatur, quæ tamen doctrina non currit de ſeruo emptitio, quia iſti nõ licet fugere, quia priuaret Dominũ poſſeſſione ſua.

Vtrum in Bello Principes valeant compoſitionem inter ſe ſe facere cum præiudicio ſuorum ſubditorum.

DIFFIC. XVIII.

In hac difficultate alij aiunt, alij negant, aiunt ex eo, quia ad Principes ſpectat indicere bellum iuſtum, etiamſi ſit damnoſum ſubditis, ergo ad Principes ſpectat facere compoſitionem licet ſit ſubditis damnoſa, alij tamen negant, quia ſubditi tenentur ſequi Principem in bello iuſto etiam cum damno ipſorum, quia a Principe habent feuda, et poſſeſſiones, vnde intereſse bellicum ſubditi iure pati debent, at vero in compoſitione facienda in vtilitatem non habet Princeps ius aliquod contra Vaſſallos, per quod eis præiudicium facere poſſit. At vero hiſce non obſtantibus.

Dicendum puto, quod ſi compoſitio ſolum ſit in fauorem particularem Principum, & non in fauorem communitatis, talis compoſitio non debet fieri in præiudicium ſubditorum, quia vt ſibi ſolum proſint Principes non poſſunt damnificare Vaſſallos, ſapit enim Tyrannidem ſolum ſibi prodeſſe cum damno Vaſſallorum, at vero ſi compoſitio ſit in fauorem totius communitatis, & Reipublicæ, quando ſcilicet aliter pax firmari, & ſtabiliri nequit abſque præiudicio Vaſſallorum, poſſunt vtique Principes talem compoſitionem facere, nam bonum publicum præualet priuato commodo, vnde fauor publicus poteſt vni iura tollere, & alteri dare, *argumento eorum, quæ dicuntur in c. Eccleſia de Conſtitut. ata etiam noſt. Ang. §.14.* vnde notat hoc *noſt. Vngarell.* non eſse tutos in conſcientia, qui propter ſua intereſſe particularia impediunt bonum commune, & vtilitatem publicam.

Vtrum bona Chriſtianorum à manibus infidelium liberata in bello reſtituenda ſint Dominis Chriſtianis.

DIFFIC. XIX.

Diſtinguendum puto, nam vel adeſt conſuetudo legitima, vel pactum, vt altera Natio Chriſtiana puta Neapolitana alteri nationi puta florentinæ, & econtra reſtituat ſua bona ad inuicem, ſi quæ è manibus infidelium recuperantur, & in hoc caſu omnino ab altera alteri ſua bona recuperata reſtituẽda ſunt, ſi autem adſit conſuetudo, vt bona ſint recuperantiũ, & tunc iuſtè à recuperantibus retinentur, quod ſi nec conſuetudo, nec ſtatutum, nec pactum adſit de bonis, quæ à Turcis, & ab infidelibus recuperantur non reſtituendis proprijs Dominis Chriſtianis, omnino reſtituenda ſunt puta ex tali amiſſione bonorum, quæ capuerunt Turcæ, & alij infideles, quia præſumuntur iniuſtè rapta, non perdiderunt Chriſtiani dominium, ergo non ſolum charitas poſcit, vt Chriſtiani reddãt huiuſmodi bona Chriſtianis alijs verè dominis eorũ, ſed etiam iuſtitia, ex quo non dicuntur Chriſtiani amiſiſſe dominium eorũ quæ ſibi ab infidelibus rapta fiere, quia regulariter præſumitur iniuſtum bellum motũ eſſe ab infidelibus contra Chriſtianos. An vero prælata bona Chriſtianorum ab infidelibus rapta poſſint vili pretio redimi ab alijs Chriſtianis, diſtinguendũ adhuc puto iuxta prælatã doctrinã, nã ſi vili pretio redimãt in proprios vſus, videtur dicendũ nõ licere Chriſtianis id facere, quia priores Domini eorũ bonorũ dominium nõ amiſerunt, quod ſi emant vili pretio cũ hac bona intent. vt ſi Domini veri aliquãdo cõparerent, verè, & realiter ſe reddituros eodem pretio proponant, licitè faciunt, quia vtiliter Dominorũ gerunt negotiũ, nec debent cenſeri rationabiliter inuiti, ſi retineantur nunquã ipſis cõparẽtib. Ita *noſt. Ang. & Rodr. c. 128. n. 6. Vaſq. de reſt. c. 9. diſp. 5. Bonac. & Mol. loc. cit. & Reginald. l. 21. c. 8. ſect. 4.*

Vtrum Duces plures perſonas repreſentando plura ſtipendia licitè capiat.

DIFFIC. XX.

Diſtinguendum puto, nam vel Duces bello intereſſentes poſſunt æque benè, ſicut de facto plures perſonas ſe ſimulant repreſentare, de facto etiam eorum onera, & officia abſque aliorum præiudicio ſuſtinere, & exercere, nulli dubium fore exiſtimo, quod licitè poſſint etiam plura ſtipẽdia recipere, etenim in tali caſu non fit iniuria Principi, quia onera, & officia à ſe propoſita exercentur, & ſuſtinẽtur æquè bene ab vno, ſicut à pluribus, nec fit iniuria, & præiudicium alteri, vt ſupponitur, nã ipſe ſuſtinens plura onera, & officia exercens verè laborat, & patitur pro pluribus, ergo iuſtè recipere poteſt plura ſtipendia, at vero ſi plura ſtipendia accipiat, nec plura officia, & onera ſuſtineat, Principem ſanè defraudat, & ad reſtitutionem tenetur.

Hinc etiam deducendum, quod ſi officia diſtribuat famulis, & familiaribus ſuis Dux, ipſe autem eorum ſtipendia accipiat, ad reſtitutionem tenetur, nam ſtipendium datur propter officium, & onus, ergo non poteſt ſibi ipſi ea retinere, verum eſt tamen, quod ſi ipſi famuli, & familiares officia, & onera exercentes cõſentiant eorum ſtipendia accipi à Duce, iã ad reſtitutionẽ amplius non tenetur. Vide *noſt. Rodr. c. 127. p. 1. Petrum Nauar lib. 2. de reſtit. Molyn diſp. 116. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum iuſto bello intereſse valeant Clerici, & Religioſi.

DIFFIC. XXI.

Dico primò, quod in bello iuſto licitè intereſſe valent Clerici, & Religioſi, vt militibus aſſiſtant, & pugnantibus ſubueniant exhortationibus, abſolutionibus, alijsq; rebus ſpiritualibus poſſuntq; hortari, vt fidem catholicam, patriam, liberos defendant, & tueantur abſque animo tamẽ ſuadendæ occiſionis, vel mutilationis, & licet aliqui interficiantur, non propter hoc ſunt irregulares, quia ex talibus exhortationibus non ſunt cauſæ proximæ mutilationis, & occiſionis, etiamſi in conflictu talibus vtantur cõmunibus exhortationibus præciſo vt dictum eſt animo ſuadendi occiſiones, & mutulationes, ita etiam *noſt. Ang. §. 4. D. Th. 2. 2. q. 40. Valent. 73. diſp. 3. q. 8. Nauarr. c. 29. n. 217. & alij.* Benè tamen verum eſt, quod tutius videtur, vt Clerici, & Religioſi à talibus exhortationibus in ipſo actu conflictus abſtineant, ſed potius ante ad illa hortentur, nam vt notat *noſt. Ang. cum Innoc. in c. quod in dubijs de pænis*, in ipſo actuali conflictu poteſt eſſe dubium, an taliter hortantes ſint cauſæ propinquæ occiſionis.

Dico ſecundò, quod licet Clericis, & Religioſis, ſacris initiatis prohibeatur iure Eccleſiaſtico *ex c. Clerico 23. q. 8. & c. eos qui 2094.* propria manu bellare in bello quantumcumque iuſto, non tamen Clericis in minoribus conſtitutis. Quod ſi verò adſit occaſio defenſionis veræ tam ſui, quam ſuorũ amicorum, conſanguineorum, ſociorũ, Patriæ, & Principis, & alio modo non poſſet ſubueniri illorũ ſaluti, & euidenti periculo niſi Eccleſiaſtici etiam Sacerdotes deſcendant in pugnam, poſſunt licitè pugnare, vide *noſt. Rodr. c. 26. n. 7. & 8. Molyn. to. 1. diſp. 110. Valent. & Bonac. loc. cit. Filliuc. trac. 29. c. 6. q. 7.* defenſio enim eſt de iure naturæ, quod præualet iuri poſitiuo.

Extra tamen caſum veræ neceſſitatis, ſi vellent pugnare Eccleſiaſtici in ſacris conſtituti, requiritur neceſſariò auctoritas Papæ, quia vetitum eſt ipſis bellare de iure communi, in quo ſolus Papa diſpenſat, tum etiam ne incurrant impedimentum irregularitatis, vt docent *Bonac. & Valent. loc. cit.*

Vtrum Mandatarius multa paſſus in bello poſſit ea à Principe mandante repetere.

DIFFIC. XXII.

Diſtinguendum puto, nam vel Mandatarius cauſa pietatis, parentelæ, vel etiam humanitatis onus ad bellum procedendi ſuſcepit à Principe, & hac occaſione in bello multa damna paſſus ſit, non poteſt recompenſationem aliquam à Principe de iure petere, quia videtur vltroneè damna ſuſcipere voluiſſe, dum potius vltroneus ad bellum vocatus accedit, vt prędictis cauſis ſatisfaciat, multominus poteſt repetere damna, ſi mandatarius ex aliqua ciuili obligatione, vel pacto aliquo inito cum Principe tenebatur ad bellum accedere, quod ſi nullo pacto tenebatur vocantẽ Principem ſequi ad bellum, nec vlla ex prædictis cauſis acceſſit ad pugnam, ſed ſolum vt Principi vocanti præſtaret auxilium, poteſt vtique damna repetere, ſi quæ paſſus ſit talis mandatarius in bello, quia verè nullo exiſtente obligationis Ciuilis, nec moralis damna paſſus eſt pro Principe, nullus autem tenetur proprijs impenſis pro alio militare, niſi aliundè habeat obligationem. Ita etiam *noſt. Ang. §. 15. ex Panormit. in c. ſicut de iureiur.*

Vtrum commodans, vel locans equos, & arma eunti ad bellum, poſſit ea repetere, ſi in ipſo bello amiſſa fuerint.

DIFFIC. XXIII.

Negant communiter Doctores poſſe commodantem, vel locantem arma, & equos, & ſimilia eunti ad bellum, & repetere, ſi in ipſo bello amiſſa fuerint, modo verè ad hunc finem à commodante, & locante accepta fuerint, vt ipſis in bello vtatur, nam cum hoc periculo ea amittendi præſumitur locans, & commodans locaſſe, & commodaſſe *ex l. item quæritur §. ſi quis ſeruum, & l. videamus §. fin. ff. de locat.* & de commodante, & commodo accipiente arma loquitur etiam lex ſicut certo, §. ſed interdum ff. Commod. Ita etiam *Ang. noſt. §. 20. & Innoc. in c. ſicut 3. de iureiur.* Quod ſi locans, & commodans non ſub hoc fine eundi ad bellum, ſed ſimpliciter & abſolutè abſque præcogitata intentione quod conducens, & commodo accipiens ad bellum ſit iturus, commodauerit, & locauerit equos, vel arma, ſi præter intentionem locantis, & commodantis rebus commodatis vſus conductor fuerit in bello, & amiſerit, tenetur vtique ad reſtitutionem, quia debet præſumi locans, & commodans non debuiſſe locare, & commodare cum manifeſto periculo amiſſionis ſuarum rerum.

Vtrum Princeps licitè valeat mouere bellum contra alium Principem impedientem in ſuis locis, ne alij piſcationem, fodinas, mercaturam, peregrinationem, & nauigationem exerceatur.

DIFFIC. XXIV.

Dico primò, quod licet *Victor. in Relect. de Ind. Inſul. p. 2. & Lorca 2. 2. q. 40. a. 1. lect. 3. diſp. 52.* aſſerant habuiſſe iuſtam cauſam Hiſpanos bellandi contra Indos contradicentes piſcari piſces in fluminibus margaritas in mari, & aurum accipere ex fodinis ſuorum locorum, quia putabant hæc omnia eſſe de iure gentium omnibus communia, atque adeo contradictores huic iuri gentium poſſe licitè bello comprimi, attamen *noſt. Villal. in ſum. T. 1. tract. 5. diff. 4. Molyn. de iuſt. T. 1. tra. 2. diſp. 105. Coninch. 2. 2. diſp. 31. dub. 2. Caſtr. Pal. T. 1. tract. 6. diſp. 5. punct. 2.* probabilius negant, & enim ea omnia, quę prius erant communia iure gentium, modo iure particulari diuiſa ſunt, vnde contra illa poſſidentes legitimè, non poteſt licitè moueri bellum, alias ſi ius gentium adhuc eſſet in robore, poſſet vnuſquiſque à ſuorum bonorum poſſeſſione expelli.

Dico ſecundò, quod ſi nauigatio, tranſitus, mercatura, & peregrinatio non noceat ſuis Ciuibus, & locis non poteſt licitè prohiberi à Principe, cum hæc omnia ad conuictum humanum pertineant, qui eſt de iure naturæ, modo nociuus non ſit, quod enim alteri prodeſt, & alteri non nocet, permittitur tanquam iuſtum de iure naturæ, nam elicitur ex illo axiomate, quod tibi vis, alteri feceris, & quod tibi non vis, alteri ne feceris, itaque impedientes nauigationem, tranſitum, mercaturam, & peregrinationem iuſto bello comprimi poſſunt.

Dico tertiò, quod tranſitus exercitus armati, ſi nullum nocumentum eſſet facturum ſuis Ciuibus, & locis, non poteſt denegari à Principe, bene tamen verum eſt, quod Princeps poteſt petere cautionem ſufficientem de damno non inferendo à militibus, quæ cautio iuſtè petitur, & omnino danda, cum omnibus ſit notus armatorum militum exceſſus, vide *Dianam p. 4. tract. 4. reſol. 54.* Quare ſi Princeps offerens cautionem ſufficientem, quod illi Milites tranſituri, non eſsent illaturi damnum, poſſet licitè mouere bellum contra alium Principẽ denegantem; imo quando nulla eſſet ſuſpicio, quod milites eſſent damnificaturi ſuos Ciues, & loca perquæ eſſent trãſituti, nõ poteſt licitè negari tranſitus, & Princeps exercitus poſſet licitè

mouere

Digitized by Google

mouere bellum contra prohibentem tranſitum non damnoſum locis,& ſuis Ciuibus,hinc Dominus *Number.c.2.*præcepit filijs Iſrael, vt pugnarent contra Og, & Sehon Reges ſibi impedientes tranſitum.

Blaſphemia.

Quid ſit Blaſphemia, & in quo conſiſtat.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod blaſphemia à verbo græco βλασφημεῖν, quod maledicere, verbiſque calumniam inferre,dignitati,honorique alterius ore,vel ſcripto derogare noſtro ſonat idiomate,ſuam trahit æthimologiam; hinc blaſphemia apud Theologos, & Canoniſtas antonomaſticè dicitur contumelia, vel conuicium prolatum in Deum, vel Sanctos eius, vt notant *noſt. Alenſ.2.2.c.de blaſph.& D.Th.ibid.q.13. ex D.Auguſt. l.2.de moribus Manch. & D.Ambr.l.2.de Parad.*ceterique Theologi communiter.

Aduertendum tamen cum noſtro Alenſi,quod Deus ſolum propriè dicitur blaſphemari, quia ipſe eſt ſolus ſummè bonus, ſolus honore dignus,& reuerentia, cum ergo per blaſphemiam tollatur honor, & reuerentia ſolus Deus dicitur propriè blaſphemari,in quo ſolo eſt primaria,& vera ratio honoris, & cultus,Sancti ergo ſolum reſpectiuè, non autem per ſe primò, & immediatè dicuntur blaſphemari, quatenus ſcilicet habent à Deo bonitatem, & ſanctitatem, quam ſi à Deo non recepiſſent,vtique honoris,& reuerentiæ cultu non eſſent digni, quare nec poſſent dici blaſphemari,ſi ergo modo dicuntur blaſphemari ſolũ reſpectiuè,& nõ immediatè,& per ſe blaſphemãtur.

Dico ſecundò, quod rigoroſè loquendo blaſphemia propriè conſiſtit in verbo,vel etiam in ſcripto, quia conuicium, & calumnia proprie,& in rigore verbo, vel ſcripto infertur; an vero etiam in facto conſiſtat blaſphemia puta conculcando, vel deturpando imagines Dei,& Sanctorum,aſſeruerunt aliqui, attamen probabilius negandum, nam blaſphemia prout vitium eſt opponitur laudi extrinſecæ, quæ porrigitur Deo in manifeſtationem cultus, qui ei debetur; ergo ſicut iſta laus ore,vel ſcripto profertur, ita etiam blaſphemia propriè in ore, vel ſcripto conſiſtit.Ita videntur etiam docere *noſt. Ang.hic,& Suar. de Relig. tom.2. tract.3. l.1.c.4. Leſſius l.2. c.45. & aly.*

Extenſiuè tamen loquendo, vt docet noſter Alenſ. poſſunt etiam prædicta facta in Deum,vel Sanctis vocari blaſphemiæ; quatenus per facta etiam videtur tolli honor debitus Deo, & Sanctis; ita etiam iniuriæ conceptæ in Deum, & Sanctos extenſiuæ dicũtur etiã blaſphemiæ,quatenus Deus qui corde, & ore laudari,& revereri debet,corde cõuiciatur,& vituperatur.

Ceterum ſi Epiſcopus ſimpliciter ſibi reſeruet blaſphemiam in Deum,vel Sanctos,intelligẽda videtur reſeruatio facta ſolũ de blaſphemia rigoroſè ſumpta facta ſcil.ore vel ſcripto,nõ autẽ facto,vel mente ſolũ concepta,quia in odioſis non eſt faciẽda extenſio vltra proprietatem verborum, blaſphemia autem ore ſolũ,vel ſcripto ſecundũ ſui nominis æthimologiã infertur.

Quotuplex ſit Blaſphemia.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod blaſphemia duplex, ſimplex altera, altera hæreticalis. Simplex dicitur, qua aliquod conuicium, & contumelia profertur in Deum,vel Sanctos eius,abſque eo, quod implicet, & contineat falſitatem contra fidei articulos, & Eccleſiæ Catholicæ dogmata, ſed ſolum procedens ex aliquo malo animo concepto, vt plurimũ ex aliquo motu prauæ paſſionis contra Deum,vel Sanctos,vt ſi dicatur ex aliquo motu iræ ſit maledictus,quod abſit,Deus,vel Sanctus Petrus. Hæreticalis autem eſt contumelia,vel cõuicium in Deum,vel Sanctos continens aliquam falſitatem contra articulos fidei, vel Catholicæ Eccleſiæ dogmata directè oppoſitam, vt ſi quis diceret,Renego Deum,aut Crucẽ Chriſti,vel ſi dicatur,Deus iniuſtus vel ignarus vel Petrus nõ fuit Princeps Apoſtolor. Ita cõmuniter *noſt. Ang.hic,Rodr.p.1.c.36. Fillucc.tr.25.c.1.q.4. Paul. Laym.l.4.tract.10.c 9.Sot.l.8.de iuſt.q.2.a.3. Suar. vbi ſupra* verum, vt vberius intelligatur quotupliciter poſſit accidere blaſphemia hæreticalis.

Dico ſecundò,quod triplici modo poteſt accidere contumelia hæreticalis in Deum,vel Sanctos eius,primo cum tribuitur Deo,quod ei non conuenit,puta vocando eum corporeũ mortalem,Ebrium,Elluonẽ,& ſimilia improperando poſitiuè Deo quæ ſubſtantia ſimplex in finita ſummè bona eſt.Secũdò quãdo tollitur à Deo,quod Deus habet,puta quando remouentur à Deo ſapientia,prouidentia,miſericordia, & iuſtitia, & cetera eius attributa,qui duo modi blaſphemię licet non ſint omnino diſtincti, ponuntur tamen diſtincti, vt melius percipiantur ab Idiotis varij modi Deum blaſphemandi. Tertiò autem dicitur blaſphemari hæreticaliter Deus,quando id, quod cõuenit Deo ſoli,tribuitur etiam Creaturæ puta ſi dicatur homo aliquis habere infinitam bonitatem, vel potentiam, pulchritudinem, vel quod poſſit abſolutè remittere peccata, iuſtificare, & beatificare; eiſdem fere modis poteſt etiam dici blaſphemia in Sãctos hæreticalis; primò quando tribuitur Sancto quod poſitiuè ei non conuenit, puta ſi dicatur B.Virgo eſt meretrix. S.Petrus eſt in Cælo Tabernarius,& ſimilia. Secundò quando tollitur à Sancto,quod ei cõuenit,puta ſi dicatur S.Petrus non eſt Princeps Apoſtolorum Paulus non eſt Doctor gentium. Tertiò quando quod cõuenit Sanctis tribuitur Creaturæ peccatrici rationali, puta ſi dicatur tantum valet interceſſio S.Petri, quantum interceſſio Diaboli.Vide *Ang.noſt. loc.cit.*

Aduertat autem Confeſſarius, quod ſi præfate blaſphemiæ hæreticales dicantur ſimpliciter ex aliquo prauo paſſionis motu,in Deum,vel Sanctos præciſo omni errore intellectus pertinaciter adhærentis talibus conuicijs, poſſunt abſolui cũ auctoritate ordinarij,ſi forent reſeruatæ,at vero ſi in proferendis dictis contumelijs hæreticalibus adeſſet error in intellectu,itaut ita crederet, ſicut ore profert, tunc quærat an pertinaciter ita credat,& ſi pertinaciter credit,tanquam verum hæreticum ad Inquiſitores, vel habentes auctoritatem abſoluendi ab hæreſi tranſmittat ſedulò talem blaſphemum de tanta impietate benè correptum, quod ſi pertinaciter ea quæ ore protulit non credat, non erit cenſendus hæreticus, ſed ritè edoctum de veritate, & ſeueriori pænitentia impoſita præcipuè præſeruatiua de modo non reciduandi in poſterã abſoluat Confeſſarius prudens iuxta auctoritatem ſibi ab ordinario conceſſam.

Verum vt magis practice blaſphemiæ iſtæ hæreticales cognoſcantur à Confeſſarijs, aliqui modi blaſphemandi ſpecialius examinabuntur.

An,& quales blaſphemiæ ſint iſtæ,Renego Dio,Renego S.Pietro, al diſpetto di quel Vecchiazzo, che mi mantiene al Mondo, al Coſpetto di Dio, vel ſi dicatur Idolo mio, Dea mia,vel Potta di Dio,ò di M.V. et conſimilia.

DIFFIC. III.

DIco primò quod blaſphemia omnino hęreticalis eſt dicenda Renego Deum, Crucem Chriſti, eiuſque paſſionem, & conſimilia immediatè de Deo,& Chriſto,attamen Renego D.Petrum,vel aliquem Sanctum licet *Bonac.in 1.decal. prec. q.8.p.& Sanch.in opere mor l.8.c.32.n.37.* velint non eſſe hæreticalem blaſphemiam, quia taliter blaſphemans non facit contra aliquem articulum fidei, nec committit aliquem actum infidelitatis, attamen.

Diſtinguendum tutius puto in hoc caſu, nam vel proferens Renego D.Petrum, intendit negare Sanctitatem D. Petri ab Eccleſia canonizatam,vel merita Sanctorum non prodeſſe, & ideo cum renegat,& ita omnino dicenda eſſet hæreticalis,quia vel Communionem SS.in articulo fidei contentam,vel canonizationem SS. ab Eccleſia approbatam renegat, quorũ verũque tollit à Sancto,quod fide monſtrante,& Eccleſia approbãte habere dignoſcitur.Quod ſi dicendo Renego D.Petrũ intẽdat ſolũ ab eius protectione, & interceſſione ſe velle abdicare, & hæc blaſphemia licet Sãcto ſit iniurioſa, non tamen hereticalis, quia non iubetur ab Eccleſia, vt potius hunc Sanctum implores, quam alium, modo credas ſingulos Sanctos interceſſores eſſe pro nobis ad Deum.

Dico ſecundò, quod ſi quis dicat al diſpetto di quel Vecchiazzo,ò di quel Becco,che mi mãtiene,ò mi ſoſtiene al Mõdo,interrogandus eſt an contra Deum obloquatur,an vero cõtra homines,qui etiam alimenta præbent, in conſcientiæ enim foro credendum proferenti,in foro autem fori,niſi aliud ex circumſtantijs appareat,nõ eſt dicenda blaſphemia, quia in dubio ita ſunt accipienda,vt non ſonent in delictum, uel ſaltẽ in maius delictum,vt docent *Lazarius de blaſph.q.3. nu.48. & Bonac. loc.cit.* quare ſi in Deum hæc uerba prolata eſſe cognoſcat Confeſſarius, blaſphemiam eſſe certam ſciat tamquam in Deum contumelioſè, non autem hæreticalem dicendam.

Digitized by Google

puto, quia contra nullum articulum fidei, vel Eccleſiæ dogmata aliquid aſſerit formaliter, cum ſolum ex aliquo prauo affectu prolata videantur contra Deum; Quod ſi dicens al diſpetto di Dio in mente concipiat quaſi Deum impotentem, & contra ipſius potentiam, & voluntatem poſſe aliquid fieri à creatura, & tunc hæreticalis exiſtimanda eſt blaſphemia, vt patet ex ſuperiori difficultate, quia aliquod Deo conueniens tollit.

Dico tertiò, quod ſi quis dicat al Conſpetto di Dio, ex circumſtantijs appareat, puta vt noſt. aduertit *Rodriq. n. 2.* ſi hoc modo obloquens oculos cælum verſus cum aliqua indignatione, & contemptu eleuet, dicendum eſt blaſphemiam protuliſſe nam cõtumeliã aliquã in Deum inferre videtur cũ tali circumſtantia, quod ſi ſimpliciter ea proferat verba, non eſt arguendus vt blaſphemus, nullam enim contumeliam, & iniuriam in Deum hæc verba al Conſpetto di *Dio* ſimpliciter prolata implicant, nam perinde eſt ac ſi dicat coram Deo.

Similiter ſi dicatur, può far Dio, poſſanza di Dio, poter di Dio, non debent exiſtimari blaſphemiæ, ſi ſimpliciter proferãtur, quià potius ſunt admirationis ſigna præfata verba, quam conuicia in Deum, verum eſt tamen, quod ſi ex aliqua circumſtantia dici videantur in contemptum diuinæ potentiæ, puta ſe velle aliquid facere, etiã ſi Deus nollet, tũc blaſphemiæ cẽſendæ præfatæ oblocutiones, & reſpondendum vt ſup. an ſit hæreticalis, nec ne. Vide *Azor*, *Sanch. Suar. & Bonac.*

Quod ſi quis diceret volo hoc facere, etiam ſi ſit peccatum, non eſt damnandus vt blaſphemus in rigore, nam taliter abloquens, nihil immediatè iniurioſum contra Deum dicit, ſed ſolum quamdam voluntatem peruerſam, & obſtinatam peccandi demonſtrat, nullumque tribuit Deo inconueniens, nec conueniens tollit.

Dico quartò, quod ſi quando molles fœminarum, vel puerorum amatores dicant Dea mia, Idolo mio, beatitudine mia, paradiſo mio, & ſimilia ſolum ex mollitie, & licentia poetica, vel per hyperbolicam extollentiam dumtaxat, nullum habendo reſpectum vel contemptum veri Dei, & æternæ beatitudinis, nõ ſunt arguendi vt blaſphemi, quia nullam iniuriam inferunt Deo, nec tribuũt creaturæ, quod debitũ eſt Deo, poſſunt enim habere intentionem monſtrandæ delectationis intra terminos creati, & finiti obiecti; quod ſi dicant præfata verba cum animo tribuendi aliquod diuinum ſoli Deo competens, certum eſt eſſe blaſphemiam hæreticalem in tertiò genere.

Dico quintò, quod ſi quis dicat Potta di Dio, ſanè blaſphemiam maximam, & hæreticalem profert, quia præterquam quod in Deo inhoneſta profert, ponit etiam in Deo membrum corporale, quid ei nõ conuenit, quod ſiquis dicat Potta di Maria Vergine, blaſphemiam quidem pronunciat, ſed eam non putant Doctores hæreticalem, quia nihil ponit in Maria Virgine inconueniens, licet vitioſum ſit regulariter verenda, ſeu pudenda fęminæ pronunciare, propter quod blaſphemia in Mariam Virginem talis pronunciatio dicenda, ſicut etiam in ceteris Sanctis pudenda nominare blaſphemia eſt; Vide noſtrum *Rodriq. Suar. & Bonac.*

Excuſare tamen à mortali aliquos ſimplices in quibuſdam partibus, in quibus præfatum nomen non ſonat membrum pudendum, & in tali ſignificatione idiotæ pronunciantes non proferunt huiuſmodi nomen, ſed potius intendunt dicere potentiam, itaut apud ipſos Potta ſignificet Potere, quare examinandi ſunt, an verè intenderint aliquod iniurioſum dicere, vel ponere in Deo, vel Sanctis, dum tale nomen proferunt, verba enim ſunt accipienda ſecundum intentionem proferentis, & verba in dubio accipienda ſunt, vt non ſonent in delictum, vel ſaltem vt non ſonent in maius delictum.

Dico ſextò, quod ſi incipiens nomen Dei, vel ſaltem diſpettare, vel maledicere, ſed non finiat verbum inceptum pronunciare puta ſi dicat al diſpetto Di, Di, Di, I Renego Di, Di, ò ſia maledetto Sà, Sà, Sà, & ſimilia, putant *Bonac. loc. cit. & Lacir. de blaſph. q. 3. n. 36. & 37.* quod talis vere blaſphemet, quia vere habuit in tentationem blaſphemandi, quamuis ſe continuerit à prolatione vltimæ vocalis, vel ſyllabæ. Attamen diſtinguendum puto, nam vel ideo non profert vltimam ſyllabã, quia aduertit eſſe peccatum, & ideo non vult, poſt quam aduertit Deo inferre blaſphemã, & in hoc caſu non dicitur vere, blaſphemare, nec peccare, quia in primo illo motu non adfuit ſufficiẽs aduertentia, & plena intentio blaſphemãdi, quod ſi in prolatione primæ ſyllabæ habuit plenã intentionẽ, & ſufficientem aduertẽtiam, ſanè peccati blaſphemiæ reus eſt cenſendus.

Vtrum imprecatoriè iurans, poſſa perdere Dio, la ſua gratia, il Paradiſo, vel per caput Dei, vel corpus, & ſanguinem Chriſti ſit dicendus blaſphemus.

DIFFIC. IV.

DIco primò, quod licet aliqui Doctores abſolutè putauerint huiuſmodi iuramenta imprecatoria poſſa perder Dio, ò il Paradiſo, vel Caput Dei, vel Corpus Chriſti, vel ſanctorum eſſe blaſphemias, ex eo quia huiuſmodi verba videntur imprecari Deo, Chriſto, & Sanctis vitam amiſſibilem, vel caput, vel corpus amiſſibile, cum tamẽ nec Deus habeat vt Deus eſt, caput, nec vitam amiſſibilem, nec Paradiſus finibilis ſit, vnde videtur tolli à Deo, & Sanctis, quod inamiſſibiliter habent. Ita videntur docere *noſt. Rodriq. p. 1. c. 34. n. 1. Azor l. 11. cap. 2. qu. 2. Suar. Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Ceterum diſtinguendum puto, nam præfatis verbis imprecationis iurans, imprecatur ſibi hoc malum grande, vt amittãt Deum, Paradiſum, & Sanctos, ita vt ipſe iurans non ſit dignus frui inamiſſibili vita Dei, vel Sanctorum ſocietate ſemper viuentium, perpetuaq; Paradiſi beatitudine, & hoc modo blaſphemiam non committit quia nullam iniuriam infert Deo, nec Sanctis; at vero ſi imprecatio terminetur contra vitam Dei, & Sanctorum, ſanè vt docent præfati Doctores blaſphemia eſt, at tunc taliter iurantes ferè primo modo videntur præfata verba iactare.

Dico ſecundò, quod ſi quis modo irreuerenti, & contumelioſè iuret per Corpus, & Sanguinem Chriſti per contemptũ tanti Sacramenti, vtique blaſphemare dicendus eſt, quia modus videtur contumeliã Chriſto inferre, ſecus ſi abſit contemptus, ira, vel indignatio cõtra Deũ, tũc eſſet iuramẽtũ ſimplex.

Verum ſi quis per Corpus, & Sanguinem Dei, vt Deus eſt, iurant, blaſphemaret vtique hæreticaliter, quia Deus, vt Deus eſt non habet Corpus, & Sanguinem, ſed ſi habeat intentionem iurandi per Corpus, & Sanguinem Dei prout homo factus eſt, non adeſſet blaſphemia. Vide *Nauarr. c. 12. n. 8. Sayr. in C. R. l. 5. cap. 13.*

Dico tertiò, quod ſi quis iuraret per partes pudendas Chriſti, & Sanctorum ex contemptu, blaſphemaret vtique, quia Chriſtus, & Sancti retinent partes pudendas, tanquam partes naturales. Non tanquam aliquod Sanctitatem, & dona ſupernaturalia per ſe repræſentantes, tanto maior eſſet blaſphemia ſi partes pudendas fęminarum Chriſto, & Sanctis tribueret, quia daret Chriſto, & Sanctis partes, quas non habent, vnde hæreticalis eſſet blaſphemia, & conſimiliter dicendum, ſi partes pudendas hominum Sanctis Mulieribus attribueret. Vide *noſt. Rodriq. Suar. & Bonac. loco ſup. citatis.*

Blaſphemia conſuetudinaria, quænam dicenda ſit, vide infra V. Conſuetudo &c.

Vtrum miſcere Sacra prophanis ſit blaſphemia.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod miſcere ſacra prophanis poteſt primò intelligi, quando quis turpibus verbis laudaret Deum, vel Sãctos, & talis diceretur vere blaſphemare, quia verba turpia ſemper irreuerentiam, contumeliam, & contemptum viderentur inferre in eo, de quo dicuntur, imò talis turpibus verbis laudare intendens Deum vel Sanctos, videretur ſupponere Deum, vel Sanctos delectari huiuſmodi turpibus, vnde poneret in Deo, & Sanctis, quod ipſis non conuenit.

Dico ſecundò, quod miſcere ſacra prophanis videretur etiã ille, qui cum alijs verbis bonis in laudem Dei, & Sanctorũ prolatis commiſceret turpia, vel ludibria, & in hoc caſu diſtinguẽdum, nam vel iſta admiſcet animo derogãdi veritati, vel authoritati ſcripturæ, & ita eſſet vera blaſphemia, quia contumelia tranſiret in Deum ſcripturæ ſacræ veritatem approbantem, quod ſi ſolum ex quadam leuitate animi præciſo omni contẽptus erga Deum, Sanctos, & Scripturas talia commiſceret cũ verbis bonis in laudem Dei, potius eſſet ſpecies Sacrilegij tale peccatum, quam blaſphemia item dicendum de eo, qui vtitur verbis Sacræ Script. ad res ludicras, & libellos profanos erit blaſphemia ſi cõtẽptũ ſcripturæ, vel cũ animo derogandi veritati, & auctoritati eius, quod ſi ſola animi leuitate id faciat, ſacrilegus cenſendus, non propriè blaſphemus, & licet *noſt. Rodr.* velit huiuſmodi applicationes omnes eſſe veras blaſphemias, attamen præfata diſtinctio tuta eſt, & vera, vide *Bonac. loc. cit.*

Dico

Digitized by Google

Dico tertiò, quod eſſet etiam miſcere ſacra profanis, quādo quis iiſdem vitijs Sanctos aliquos læderet, quibus ante ſanctitatem conſecutam fortè affecti erant, in quo caſu diſtinguēdū cenſeo, nam vel dicuntur vitia ad minuendam eorum ſanctitatem, & referuntur de ſanctis, vt Sancti ſunt, & ſic eſt vera blaſphemia Sanctorum recolere vitia, ſi vero referuntur de ipſis, vt homines fuerunt, & conſequenter fragiles, antequam à gratia Dei firmarentur in bono, & ita non erit blaſphemia, poſſet tamen eſſe peccatum, ſi cum aliquo odio in Religionem, vel Nationem aliquam talis Sancti dicantur eius vitia etiam antequam Sanctitatis gratia ornati eſſent.

Vtrum Blaſphemia committant peccatum creaturis maledicentes.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod vel maledictio terminatur ad Creaturas in ordine ad Deū, ſcil. quatenus ſunt res à Deo creatæ, & ita erit ſemper blaſphemia, quia taliter maledicens videtur imprecari Deo malum in rebus à ſe creatis, quod ſi maledicat creaturæ quatenus in ſe habent aliquam imperfectionem, vel quatenus eſt ſibi nociua, vel non vtiles nullum habendo reſpectum ad Deum, ſed ſolum ad imperfectionem creatam, & ſic non erit blaſphemia, quia nulla iniuria Deo irrogatur, erit tamē graue peccatum, ſi maledicatur creaturæ rationali, ſi cum animo eā lædendi, vel læſionem verè imprecādi, ſecus ſi ſolum ex ioco, vel ex leuitate abſque animo verè imprecandi malum, vel etiam ex aliquo primo motu abſq; aduertentia, & plena deliberatione, quia ſic non erit peccatum mortale, vt notaot *Rodr. Nau. et Bon. loc. ci. Sayr in c. R. l. 9. c. 12. et Tole. l. 4. c. 13.*

Dico ſecundò, quod maledicens creaturæ irrationali præciſo omni reſpectu ad Deum creatorē imprecando ei malū, cū animo, vt ei damnum tale eueniat, non peccat mortaliter, quia creaturas irrationales non tenetur quis ex præcepto charitatis ſecundum ſe, & per ſe amare, & diligere; ergo poteſt quis ſine peccato eis imprecari malum, ſicut enim ſine peccato, præciſo damno proximi, poſſunt occidi, ita etiam eis imprecari malum, quod ſi imprecetur quis malum creaturis irrationalibus quatenus ſūt bona alicuius, hominis licet nō ſit blaſphemia tā peccatum erit, quatenus præfata mali imprecatio refunditur in hominem, quem tenemur ex charitate diligere.

Eſt tamen verum, quod ſi quis imprecatur malum creaturis irrationalibus reſpectu hominis ſub modo licito, puta quia illis homo abutitur contra Deum, vel homines, & ideo imprecatur eis malum, ne homo habeat occaſionem illis abutendi contra Deum, vel homines, non erit peccatum, quia à zelo charitatis prouenit iſta maledictio, quare

Dico tertiò, quod maledicentes creaturæ rationali, puta mortem ei imprecando, ne in futurum aliquod graue peccatum ſolitum perpetrari committat, excuſari poteſt à peccato, quia immediatè non deſideratur ei malum, vt proximus eſt, ſed ſolum propter bonum zelum, ne ſcilicet Deus, vel proximus per mala eius opera offendantur. Ita etiam *Caiet. 22. qu. 13. a. 1. Nauarr. c. 12. n. 86. Leſſius l. 2. c. 45. Reginald. l. 10. n. 10. & Bonac. punct. 3. n. 5.*

An, & quomodo ſit peccatum blaſphemia, & paruitas materiæ excuſet à peccato.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod blaſphemia ex ſe virtuti Religionis opponitur, virtus autem Religionis præcipuè reſpicit defenſionem honoris, laudiſque diuinæ, blaſphemia vero immediatè vt ſupra tactum eſt conſurgit aduerſus honorem, & laudem Dei, quare cū opponatur immediatè virtuti, vitiū vtiq; dicendum, & peccatum ex ſuo genere eſt, vt docet *noſt. Alenſ. 2. 2. q. 48. memb. 3. Ang. & Rodr. loc. cit. & S. Th. 2. 2. q. 13. a. 2. Nauar. c. 12. n. 84. Reginald. l. 18. Bonac. Azor, Suar. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod blaſphemia poteſt eſſe aliquādo peccatū veniale; Primò ratione indeliberationis, vel ignorantiæ inuincibilis, vt docent *noſt. Alenſ. & D. Th. Caiet. Bona. Bānes, Suar. & Reginald. loc. cit.* Secundò etiam ex ſurreptione vt loquitur *noſt. Ang.* puta quando in primo motu ex quadā ſurreptione in verba blaſphemiæ quis prorūperet, itaut quod dicit, nō aduertat.

Dicò tertiò, quod regulariter loquendo paruitas materiæ in blaſphemia non videtur excuſare à peccato mortali, quia omnis blaſphemia quantulacumque ſit, Deo iniuriam infert, qui cum ſit obiectum vndequaque honeſtandum, & ſummè reuerendum, à quantulacumque iniuria grauiter offenditur. Ita *Suar. Lazar. Sanch. & Bonac. loc. cit. Valent. 2. 2. diſp. 1. q. 13. p. 1. Aragon. & Bann. 16. q. 13. Leſſ. l. 2. c. 95. Reginald. & alij.*

Limitant tamen hanc doctrinam citati Doctores aliqui, niſi fortè ex ioco paruula dicatur blaſphemia, itaut nulla videatur Dei illata reuerentia, quod tamen vix admiſerim, cum iocandum ſit cum ſantis, vt vulgò dicitur, non autem cum Sanctis, tantominus cūm Sancto Sanctorum cui ſemper honor, & gloria, vnde *Cardinal. in Clem. 1. q. 1. art. 7. de hæret. & Directorium Inquiſit. Comm. 66.* docent etiam blaſphemantem ex ioco eſſe denunciandum; verum eſt tamen, quod quando præcipuè non adeſt ſcandalum pauſillorum, & ex quadam leuitate animi potius, quam ex prauitate quis iocoſam blaſphemulam protulerit, iuxta præfatorum Doctorum ſententiam à peccato mortali poſſet excuſari, acriter tamen à Confeſſario arguatur, quod circa obiectū ita reuerendū audeat quis iocari.

Vtrum blaſphemiam ex habitu proferens non ſufficienter aduertens, quid dicat, peccet mortaliter.

· DIFFIC. VIII.

NEgant multi graues Doctores ex habitu proferentem blaſphemiam, ſi ſufficienter non aduertat, quid dicat, peccare mortaliter, licet velit peccare in cauſa, non tollendo ſcil., vel ſaltem non curando extirpare habitum prauum inductiuū ad blaſphemandum, etenim peccatum non eſt, niſi voluntariū ſit actu, qui ergo non aduertit, quid dicat, non blaſphemat actu voluntariè, ergo tunc non peccat actu, dum actu inaduertenter blaſphemat, imo addunt aliqui, quod ſi blaſphemans inaduertenter ſit ita male diſpoſitus, vt etiam ſi aduerteret, adhuc blaſphemaret, quod nec actu peccaret, nam vt ait *D. August.* Deus non imputat nobis, quod facturi eſſemus malum, ſi hoc, vel illud occurreret, ſed ſolum quod actu perpetramus opere, verbo, mente, vel omittimus, quod debemus facere, procliuitas enim ad peccandum non eſt aliquod factum, cogitatum, dictum, vel omiſſum contra legem Dei, quare non eſt actu peccatum procliuitas, & habitus inclinans ad peccandum, alias omnes Auari, & luxurioſi eſſent ſemper actualiter peccantes, cum ſemper ſint in diſpoſitione procliui ad peccandum. Ita ex *noſt. Angelo loc. cit. Rodriq. p. 1. c. 191. Suar. l. 1. c. 6. Filiucc. trac. 25. c. 1. q. 5. & 8. Layman. l. 4. tract. 10. c. 6. Bonac. punc. 3. nu. 3. Nauarr. c. 12. n. 24.*

Diſtinguit tamen in hoc caſu *noſt. Hung. hic Schol. 9. §. 6. & infra V. Ebrietas*, nam vel blaſphemans ex habitu non ſufficienter aduertens dat operam rei licitæ, & ſic prima opinio currit bene, quod non peccat, quia verè abſq; voluntaris plenitudine blaſphemat, nec actu dat ei aliquam circumſtantiam peccaminoſam, at vero ſi taliter ex habitu inaduertenter blaſphemans dat operam rei illicitæ peccat, quia dare operam rei illicitæ eſt circumſtantia peccaminoſa, quæ dat illi blaſphemiæ actualem malitiam, dans enim operam rei illicitæ, exponit ſe voluntariè actui malo, quæcumque ergo occaſionantur ex tali opere illicito, mortalem malitiā inducunt, argum. ex 15. q. 1. Inebriauerunt. Idem videtur etiam ſentire *Caiet. 2. 2. q. 150. a. 4. Medina in p. 2. q. 71. & alij.*

Ceterum quia certum eſt blaſphemantem ex habitu quantumque inaduertenter eſſet in peccato mortali, ex eo quia non tollit, nec curat auferre habitum prauum inducentem ad blaſphemandum, puto non ita faciliter abſoluendum, ſed ei abſolutionem protrahendam, vt curet à tali prauo habitu ſe liberare. Quare Confeſſor vel primam ſequatur, vel ſecundam opinionem, huiuſmodi ex habitu blaſphemantem inaduertenter ex motu iracundiæ, ludo, ioco, & ſimilibus pænitentijs præſeruatiuis, vt aiunt, afficiat, puta mandando, vt cum primum aduertit ſe blaſphemaſſe, ſtatim, vel terram oſculetur, vel pectus tundat, vel dicat vnum Miſerere, vel vnum Pater noſter, vel ælemoſinam præbeat, vel aliquod ſimile iuxta ſtatum perſonarum, & cum talibus pænitentijs per quindecim, vel viginti dies abſolutionem protrahat vt ſi ſpes ad fuerit emendationis abſoluatur, ſecus alijs remedijs opportunioribus ad extirpandum talem habitum vtatur. Vide *noſt. Rodriq. loc. cit.*

Digitized by Google

Vtrum blaſphemia in Deum, & Sanctos ſpecie differant.

DIFIIC. IX.

DIco primò, quod blaſphemia ſimplex, & hæreticalis ſpecie omnino differunt, nam altera opponitur virtuti Religionis, & altera fidei, cum ergo opponantur habitibus virtuoſis ſpecie diſtinctis, etiam ipſa vitia oppoſita ſpecie diſtinguuntur negationes enim reducuntur ad ſpecies ſuorum poſitiuorum, quare in confeſſione neceſſariò aperienda circumſtantia, an blaſphemia fuerit ſimplex, an hæreticalis, quia hæreticalis eſt circumſtantia mutans ſpeciem; Hæreticales porrò blaſphemiæ licet aliquę ſint grauiores, aliquæ minus graues, non tamen eſt neceſsè eas in confeſſione diſtinctè aperire, quia omnes ſunt eiuſdem ſpeciei. Ita communiter Doctores.

Dico ſecundò, quod licet Doctores variè ſenſerint an blaſphemia ſimplex in Deum, & Sanctos diſtinguatur ſpecie, attamen quia in moralibus ſumus, dato quod metaphiſicè loquēdo non videatur diſtingui ſpecie blaſphemia in Deum, & ſanctos, quia opponitur eidem virtuti Religionis vtraque blaſphemia, vt docere videntur *Valentia, Bannes. & Aragon.* 2. 2. *qu.* 13. *Azor. l.* 9. *c.* 28. *q.* 10. *Filliucc. tract.* 25. *c.* 1. *q.* 7. *Bonac. punct.* 4. *diſp.* 3. *q.* 8. *in* 1. *Decal. prac.* attamen obiectiuè loquendo ita diſtinguuntur in grauitate, vt non eſſet abſurdum dicere ſpecie differre obiectiue, ſicut differunt ſpecies virtutes contrariè, quibus obiecta coluntur, hinc cum ſpecie diſtinguatur latria à Dulia, & hyperdulia, & iſtæ inter ſe ſe, ſequitur quod blaſphemia directa contra Deum, qui latria colitur, ſit ſpecie diſtincta blaſphemia contra B. Virginem Matrem, & Sanctos, quia illa hyperdulia, illi dulia coluntur, quare in confeſſione omnino aperienda videtur diſtinctè blaſphemia fuiſſe contra Deum, vel contra Virginem, vel contra ſanctos alios, quia ſpecie ſaltem morali, ſi non metaphiſica diſtinguuntur inter ſeſe; in moralibus non debemus procedere circa diſtinctionem moralem cum tanta ſubtilitate naturalis eſſentialitatis, ſed ſufficit quædam moralis appretiatio, qua eſſe vnius virtutis, vel vitij appretiari poteſt diſtinctum ſpecie, ab alio, ex ratione ſpecifica obiectorum circa quæ verſantur, itaque blaſphemiæ in Deum, Mariam Virginem, & ſanctos diſtinctè ſunt aperiendæ in confeſſione tanquam circa obiecta ſpecie, & pluſquam ſpecie diſtincta. Bene tamen verum eſt, quod blaſphemias contra diuerſos ſanctos non eſt neceſſum diſtinctè aperire, cum omnes tam contra Apoſtolos, quam contra Martyres, & Confeſſores ſint eiuſdem ſpeciei.

Quali pœna puniantur blaſphemiæ ſimplices, & hæreticales.

DIFFIC. X.

DIco primò, quod in antiquis Canonibus, & præcipuè in c. ſtatuimus de maledicis multæ ſtatuuntur pœnæ contra blaſphemantem Deum, vel ſanctos, & primò, vt ſtet ſeptē Dominicis diebus ante fores Eccleſiæ, dum aguntur Miſſarum ſolemnia, & vltimo die ſine pallio, & calciamentis, & ligatus corrigia in collo. Secundò, vt in ſeptem ſextis ferijs præfatarum dominicarum ieiunet in pane, & aqua, & non intret Eccleſiam. Tertiò, vt in quolibet præfatorum dierum tres, aut duos, vel ſaltem vnum pauperem ſi poterit reficiat, & ſi non poterit, in aliam pœnam commutetur. Quartò, ſi fuerit diues quadraginta, vel triginta, vel viginti, vel ſaltem quinque ſolidos vſualis monetæ ſoluat, quam pœnitentiam ſi noluerit facere, interdicatur ei ingreſſus Eccleſiæ, & in obitu careat Eccleſiaſtica ſepultura. quæ tamen hodie pœnæ non ſunt in vſu in foro conſcientiæ præcipuè, in foro autem fori an ſeruandæ cum tanto rigore videant ordinarij.

Dico ſecundò, quod blaſphemia hæreticalis punitio ad Inquiſitores, & Epiſcopos pertinet, vt videre eſt in Directorio Inquiſit. Simplex vero blaſphemia ſolet exiſtimari eſſe miſti fori, & dari locū præuentioni, vt in *c.* 2. *de mal. oſtēdit Pan. n.* 9.

An vero ceteræ pœnæ Ciuiles, & Canonicæ contentæ in iure in Concilio Lateran. ſub Leone X. & in conſtitut. Pij V. contra non corrigentes blaſphemos, quæ olim erant capitis, & exilij ſint hodie in vſu negant *Suar. vbi ſup. c.* 7. *Azor p.* 1. *l.* 9. *c.* 28. *qu.* 5. *Reginald.* 18. *n.* 102. *Sayr in c. R. l.* 6. *c.* 3. *& Bonac. loc. cit.* licet autem non ſint in vſu dictæ pœnæ, tamen debet quilibet Catholicus corripere blaſphemos, modo ſperetur emendatio, quia ad vnumquemque Catholicum pertinet defenſio honoris Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, Beatiſſimę Virginis Matris Patronæ, & Sanctorum omnium; ex eo quia Deus nos creauit, redemit, iuſtificat, & conſeruat Beata vero Virgo Maria, & Sancti inceſſanter ſuis interceſſionibus nos adiuuant, & defendunt ab imminentibus pro peccatis noſtris debitis flageſſis, &c.

Bona Caſtrenſia.

Quenam dicantur bona Caſtrenſia, vel quaſi Caſtrenſia, & an Patri acquirantur.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod bona Caſtrenſia illa mobilia, vel immobilia dicuntur, quæ acquiruntur in Caſtris, ſiue in bello, vel belli occaſione etiamſi à Parentibus, & Cognatis donentur belli intuitu. Ita communiter Doctores. 1. *de Caſtr. pecul. l. Caſtrenſe.*

An vero bona, quæ dantur ab Imperatore Auguſto, Rege, vel Regina, vel in eorum palatijs acquiruntur, licet reſpectu belli imediatè non tradantur, vel habeantur, dicenda ſint Caſtrenſia, negant noſter *Ang. V. Peculium n.* 2. *Rodr. p.* 1. *c.* 146. *n.* 6. *& Petr. Nauarr. de Reſt. c.* 1. *l.* 2. *ex l. cum multa c. de* 60. *q. li.* vbi quaſi Caſtrenſia huiuſmodi bona videntur poni. Attamē *Molyn. t.* 1. *diſp.* 233. *& Gomez apud ipſum, & Bonac. de reſt. in parte qu.* 10. *p.* 1. affirmant probabiliter, quia ſeruientes Principibus huius modi ſunt milites habitualiter ſaltem, & ad omnem requiſitionem bellicam parati.

Ceterum diſtinguendum putarem, nam vel huiuſmodi Principes donant propter aliquod particulare ſeruitium factū, quod nullum habuit intuitum ad bellicas factiones, & ita dicerē cum prima opinione talia bona eſſe quaſi Caſtrenſia, quia propter induſtriam ſerui independenter a re bellica donantur, quod ſi non propter aliquod particulare ſeruitium, ſed ſimpliciter propter ſeruitutem generaliter factam ipſis gratam largiantur aliqua ſiue mobilia, ſiue immobilia poſſet ſaltem probabiliter cum ſecunda opinione dici eſſe Caſtrenſia propter reſpectum ſaltem ad virtualem militiam, quam exercent, vel debent exercere, dum præfatis Principibus inſeruiunt.

Dico ſecundò, quod donata militibus, ſi non ſint apta ad exercitium militare non intelliguntur Caſtrenſia, niſi exprimantur a dante, & vendantur & pretio emantur neceſſaria ad bellū, niſi fortè immobilia, quæ donātur a Principibus remunerationis cauſa propter labores in bello perpeſſos. Quod ſi data ſint indifferentia ad exercitium bellicum, & ad alia niſi exprimantur data propter bellum ſpecialiter, non ſunt Caſtrenſia limita niſi ſint data ab illis, vt ſunt Principes, & Magiſtratus qui præſumūtur donare ratione officij, nō autē ex mera liberali volūtate. *ex l. ſi miles ff. de caſt. pec. & Bar. in l. ſi forte eod. t.*

Vbi etiam aduertit Bart. quod donatum filio, qui non eſt miles, nec habet publicè officium, ea tamen lege, vt tale donatum ſit ei Caſtrenſe, licet non poſſit facere, vt ſit omnino tale, tamē operabitur, vt de eo filius, vt habet vſufructum, quia hoc poteſt facere donans. Ita etiam *noſt. Ang. §.* 9.

Dico tertiò, quod bona quaſi Caſtrenſia dicuntur ea mobilia, vel immobilia, quæ acquiruntur ratione exercendi alicuius beneficij publici, cui vel datur actu, vel ſaltem deberet dari ſalarium publicum, vt ſunt Aduocati, Medici, Magiſtri cuiuſcūque artis liberalis, & ſcientiæ, quibus adde Notarios publicos, ſeruientes officialibus publicis Patronos nauium, Remiges, Nautas, & alios officiales Nauticos, ſeruientes, & laborantes pro cauſa publica, alij Notarij, & Nauium officiales laborantes pro priuatis non faciunt, quod acquirūt quaſi Caſtrenſia *l.* 1. *§. item Nauarr. eod ff. de bonor. poſſeſſ. vide Ang. noſt. §.* 4. *& Bonac loc. cit.* Similiter Carpentarij, Muratores, & alij huiuſmodi laboratores etiam ſi pro cauſa publica laborent, & accipiant ſtipendium publicum non dicuntur facere quaſi Caſtrēſia, quod lucrātur, quia eorum exercitium non eſt publicū, nec poteſt reduci ad artes liberales, quas edocere, & exercere pertinet immediatè ad bonum publicū, hinc Ingeniarij, quia eorum exercitium dependet ab artibus liberalibus, quod acquirunt faciunt quaſi Caſtrenſe, vt notat *noſt. Ang. §.* 6. *ex Bart. in l. fin. C. de in offic. Teſt.* Econtra vero Aduocati, Medici, & artium liberalium profeſſores etiam ſi non ſeruiant publico, nec detur eis ſtipendium publicum, quia eis deberetur ſtipendium publicum, ratione boni publici, ad quod inuigilant, quod acquirunt, dicitur etiam quaſi Caſtrenſe, vide *Bart. in l. ſi mulier ff. de Caſtr. pecul. & Ang. noſt. §.* 7.

An vero, quæ acquiruntur à Clerico filio familias dicantur quaſi Caſtrenſia afirmant communiter Iuriſtæ *ex c. de Epiſc. & Cler. Auth. Preſbit. & in Aut. 2. de Sanc. Epiſc. §. Presbiter.* vide *Ang. noſtr.* §. 5.

Porro quę donantur Aduocatis, Medicis, Magiſtris, & huiuſmodi ſine expreſſione quod dentur ratione officij publici, an dicantur quaſi Caſtrenſia, eodem modo reſpondedum, quo dictum eſt de donatis militi in ſuperiori concluſ.

Dico quartò, quod bona Caſtrenſia quoad dominiũ, & vſũ-fructum, & liberam adminiſtrationem pertinent omnino ad filium, & nullo modo ad Patrem, itavt etiam inuito Patre poſſit de illis ad ſuum libitum diſponere, & de illis poteſt liberè teſtari niſi ætas impediat, eodem priuilegio gaudent bona quaſi Caſtrenſia. Vide *noſt. Ang. loc. cit. Nauar. c. 17. n. 142. Graf. 1. p. deciſ. c. 59. Leſſ. l. 2. c. 12. dub. 13. Regin. l. 20. cap. 20. Molyn. & Bonac. loc. cit.* Vnde inferunt præcitati Doctores Patrem de prædictis bonis teneri de mala adminiſtratione, & reſtitutionem facere.

An libri empti à Patre pro ſuo filio ſint dicenda ipſius bona quaſi Caſtrenſia.

DIFFIC. II.

Diſtinguendum puto, etenim ſi libri quando filio traduntur à ſuo Patre cum expreſſione, ſeu titulo donationis, filius erat iam aduocatus, Medicus, Theologus, aut in aliqua arte liberali publicus profeſſor, præfati libri veniunt ſub nomine bonorum quaſi Caſtrenſium, *ex l. 1. & l. Caſtrenſe C. de ca. pe.* vnde Pater talem donationem reuocare nequibit, *ex l. ſi filius, C. fam. her. cis.* At vero ſi quando pater donauit libros filio, erat ſolum ſcholaris filius, & in hoc caſu adhuc diſtinguendum, nã vel ante mortem Patris filius compleuerat ſtudium, licet non fuerit doctoratus, & ſic libri etiã pertinent ad bona quaſi Caſtrenſia filij, quia finito ſtudio haberetur pro Doctore, & cæpit iam militare in tali exercitio *ex l. ſiue emancipatus filij C. de donat. & l. donat. in concubinat. Pater ff. eod.* At vero ſi ſtudium non compleuerat ante mortem Patris non erunt libri filio bona quaſi Caſtrenſia, ſcholares enim non gaudent priuilegio Doctorum. *ex l. 1. in fin. C. de ſta. lib. l. 12.*

Attamen verum eſt, quod libri donati à Patre filio non emãcipato, & viuenti ſub patria poteſtate, licet validè non dicantur donati tempore quo pater viuit, poſt mortem tamen habentur, vt validè donati ſaltem in vim legati, vnde non ſunt computãdi in diuiſione hæreditatis cum fratribus niſi in tribus caſibus, primò, quando eſſet inæqualitas *ex l. penult. C. de coll.* Secundò quando Pater expreſſit conferendos libros in diuiſione, tertiò, quando Pater dedit eos filio ſub titulo peculij *ex l. ſi donatione C. de coll.* filio autem emancipato ſi Pater donauit ante mortẽ libros poſt mortem omnino in diuiſione conferendi, ſecus ſi ante emancipationem dedit, & poſt emancipationem retinuit cum voluntate expreſſa Patris. Vide *Ang. noſt. V. Pecul.* §. 10.

Bona Profectitia.

Quenam dicantur Bona Profectitia, & ad quem ſpectent quoad vſufructum, & proprietatem.

DIFFIC. I.

Dico primò, bona profectitia dicuntur illa, quæ proficiſcũtur à bonis ipſius Patris, & ad filium peruenerunt patris nomine, vel occaſione quæ alias non debuiſſent niſi ſub nõie & occaſione Patris, *ex l. Adde. §. & conqueſt. ff. de acq. hered.*

An vero omne, quod pęnitus acquirit filius ex pecunia, vel poſſeſſione Patris ſit dicendum totũ Profectitium, variãt Doctores *noſt. Ang.* §. 11. *cũ Bart. in l. cũ oportet C. de bon. q. liber.* vult quod ſolum illa dicantur profectitia, quæ acquirit filius ex bonis Patris abſque ſua induſtria, & labore, quod autem ex ſua induſtria, & labore, puta proprio labore colendo agrũ Patris, & propria induſtria negotiando Patri pecuniã, partim docet eſſe profectitiũ, & partim aduentitiũ, ex eo quod pars lucri deberetur Colono, & pars mercatori, iſtæ partes debendæ colono, & Mercatori, ait Angelus cum Bart. quod non ſunt profectitiæ, quia eamdem induſtriam, & laborem ſi potuiſſet filius in alieno agro, vel pecunia eſſet ſibi bonũ aduentitiũ, & non profectitiũ pars enim quæ debetur patri, quia in agro, vel pecunia patris laborauit, dicitur profectitium.

Attamen alij etiam probabiliter docent, quod omne acquiſitum à filio ex bonis paternis ſiue ſua induſtria, & labore, ſiue abſque induſtria, & labore filij dicatur profectitiũ, modo filius alatur, & viuat de bonis paternis, quia ſub Patris poteſtate filij dum aluntur, nomine Patris laborant, & acquirunt; ita *Sylu. V. Pecul. n. 1. Molin. diſ. 134. & Bonac. loc. cit.* quæ opinio vtpotè in fauorẽ paternę poteſtatis eſt magis pia, & magis conſulẽda, licet prima nõ ſit improbabilis, & probabili ratione fulcitur. Quod ſi filius lucrũ faceret ex bonis patris vſurã re dolens, nec profectitium, nec aduentitiũ, quia eſt reſtituẽdũ. Ita *noſt. Ang.*

Dico ſecundò, quod bona profectitia acquiruntur à filio ſuo Patri, & ad Patrem pertinent quoad vſufructum, & proprietatem, habent tamen hoc priuilegium, quod ſi publicantur bona Patris non publicantur bona profectitia filij, & ad nihil aliud filio proſunt, etenim poſt mortem Patris communicantur cum ceteris partibus in diuiſione, vt habetur *in l. ſi ſinita. §. ac veſtigal. ff. de damn. infer. & ibi Bart.* ita etiam *noſt. Ang.* §. 16. *& Bonac. & Molyn. loc. cit.*

Quenam dicantur bona aduentitia, & ad quem pertineant quoad vſufructum, & proprietatem.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod bona aduentitia dicuntur omnia ea, quæ acquiruntur à filio ex induſtria, & donatione ſibi facta aliunde, quam intuitu Patris, & aliunde filio obuenientia ex euentu fortunę, vel iure hæreditariò à Matre, ab Auis maternis, conſanguineis, & amicis, & alijs, modo non cadant ſub titulo Caſtrenſium, vel quaſi Caſtrenſium.

Dico ſecundò, quod bona acquiſita à filio vigore ſtatuti ob mortẽ vxoris ſuæ, etiam ſi dotalia ſint, tunc ſunt aduentitia dicenda, quando filius ſuſtinuit onera matrimonij ex ſuo labore, & induſtria nullo pacto de bonis paternis, at verò ſi onera matrimonij ſubſtineantur à Patre, itavt Pater de ſuis bonis alat filium, & vxorem, tunc illa bona dicuntur profectitia, quia de bonis paternis accipit lucrum talium bonorum, quod ſi partim onera matrimonij ſuſtineantur à Patre, & partim ex induſtria, & opificio filij, huiuſmodi bona dotalia ex morte vxoris partim dicendo profectitia, & partim aduentitia *ex l. ſed & ſi quis §. 1. cum l. ſequenti ff. de vſur. & l. ſi ſeruus communis ff. de ſtipendio ſeruor.* Vide *Ang. noſt.* §. 12. *ex Bart. in tract. de duob. fratr.*

Dico tertiò, quod bona aduentitia pertinent ad filium quoad proprietatem, & dominium, quoad vero vſufructum pertinent ad Patrem quoad vixerit, limitant tamen Doctores hanc Doctrinam. Primò, niſi Pater remiſerit vſumfructum filio. Secundò, niſi dentur cum pacto ne bona tradita tranſeant cum vſufructu ad Patrem, ſed ſit filij etiam vſusfructus. Tertiò, niſi ſuccedat Pater cũ filio in hæreditate fratris, vel ſororis. Quartò, niſi pater voluerit aſſentiri filio adeunti hæreditatẽ. Quintò, niſi pater commiſerit inceſtas nuptias. Sextò, ſi pater illegitimè diuortium fecerit, nam diuortium illegitimè faciente patre bona filijs applicantur. *Inſtit. per quas perſonas nobis ius acquiritur. §. ſancitũ in gloſ. itè ſi filius.* Septimò, ſi filius recipit dotem Patre non conſentiente, nec ſe obligante ſecundũ *Bart. in l. contra, §. quoties ff. rer. amou.* in quibus caſibus Patri non acquiritur vſusfructus. Ita *Ang. noſter*, §. 2.

Notat tamen noſt. Hungar. ibi Sch. E, quod licet Pater in præfatis caſibus non habeat vſufructum, habet tamen cõmoditatẽ vtendi eis *ex l. ſ. enim, §. quamquam, & in l. filio famil. ff. de vſu. & hab.* hinc pater licet non acquirat dominiũ, & vſufructum domus legatæ filiæ, habet tamen ius habitandi in ea.

Dico quartò, quod bona aduẽtitia filij emancipati quoad medietatẽ fructuũ ſolũ pertinent ad Patrem, *ex d. §. ſancitũ*, quid ſi præmoriatur Pater volunt Iuriſtæ ſimpliciter, & totaliter pertinere ad filium, è contra verò ſi præmoriatur filius, erunt abſolutè, & totaliter Patris, limita niſi filius præmoriens habeat liberos, quia tunc ad ipſos, & nõ ad Patrẽ pertinent, quia do filij ſuccedũt in bonis aduentitijs ſuorũ parentum. V. *Ang.* §. 2.

Vtrum bona à filio acquiſita, ſi dubitentur data ne ſint contemplatione patris, & an ſint de bonis patris, vt pater eſt, debeant dici aduentitia.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod quando donata filio dubitatur an data cõtẽplatione patris, an vero ipſius filij ad coniecturas recurrendum

rendum aiunt Iuriſtæ, nam ſi donentur aliqua filio, vt ſolū viuente patre ea poſſideat, coniectura eſt data eſſe in tuitu patris vnde profectitia cenſenda, ſi vero data ſint, vt etiam poſt patris mortem ſint filij, intelliguntur data intuitu filij, quare aduentitia exiſtimanda ſunt. Ita communiter, vide *Bart. in tract. de duob. fratrib.*

Dico ſecundò, quod ſi filius negotians patris merces accepit ab Amico patris munera, diſtinguunt optimè Doctores, quādo ſunt dicēda profectitia, vel aduētitia, etenim vel pater fuit cauſa proxima talium munerū, puta quia amicus non dediſſet, niſi fuiſſet filius talis patris, & ſic ſunt cenſenda omnino profectitia, quia contēplatione, & intuitu patris vſu data fuerunt, quod ſi pater fuit ſola cauſa remota puta quia filius contraxit amicitiam cum tali donante occaſione capta ex amicitia, quā habuit cum patre, ſed poſtea ita ſe geſſit cum ipſo, vt maiorē familiaritatē, & beneuolentiæ vinculū cum eo contraxerit, quā pater ſuus, vnde ille potius dilexit poſtea filium propter eius diligentiā, & opera bona, vel amoris reciprocationem, quā patrē, & tunc bona ab eo donata filio cenſenda ſunt aduentitia, non autē profectitia quia cauſa proxima donationis fuit amor, quo proſequebatur filiū, vnde intuitu filii principaliter, & proximè data ſunt cenſenda, licet pater fuerit cauſa remota talium munerū non tamen reſpectu patris tradita, quia adhuc data eſsēt filio, ſi pater non viueret, vel non fuiſſet amicus. Ita etiam noſter *Hungarell. loco cit. Sch. R. ex Bart. in l. ſed ſi plures, §. in arrogato de vul. & publ. ſub.*

Dico tertiò, quod in dubio an donata filio à patre ſint aduētitia, perſpiciendum eſt an talia donata ſi io à patre ſint propter aliqua merita, & beneficia ſpecialia facta filio in patrem, quæ ſi pater recipiſſet ab extraneo etiam talia munera, vel conſimilia dediſſet, & in hoc caſu talia tradita à patre ſuo filio propter remunerationē cenſenda ſunt aduētitia, & donatio tenet à principio, quod ſi non adſit iſte titulus præſumptus remunerationis aut alius iuſtus eadem ratione dicenda ſunt profectitia.

Quare *noſt. Hung. loc. cit.* vt in tali caſu, præfata bona donata filio à patre verè dicantur aduentitia tria copulatim docet requiri. Primò, vt merita, & beneficia collata à filio in patrē non ſint obſequi alia, quia iſta tenetur de iure patri exhibere filius, vnde non debent remunerari. Secundò debet notoriè apparere beneficia collata in patrem à filio eſſe maiora, quā obſequi alia debita, & in hoc non eſt ſtandū iudicio patris, ſed notoriæ veritati, ne alij filij grauentur. Tertiò, vt munera exhibita ſint equiualentia meritis, & beneficijs, & non excedētia, aliter nō eſsēt dicenda aduentitia, ſed profectitia, & in hoc ſtatuitur, ne alij filij ad libitum patris in hæreditate grauentur.

Dico quartò, quod acquiſita in filio familias in dubio an cenſenda ſint ex bonis patris, aut ex ſua induſtria, vel alio titulo abſq; contēplatione Patris diſtinguendū puto cū *noſt. Ang. loc. cit. §. 14. ex Bart. vbi ſup.* nam, vel acquiſita à filio ſubſūt ſuſpicioni, quod ex aliquo delicto lucratus ea fuerit, & ſic præſumi debent lucrata ex bonis paternis, vt ſuſpicio delicti vitetur, puta ſi filia multa bona adepta fuiſſet ex illicito concubitu præſumi debet acquiſita ex bonis paternis, ſi talis adeſſet ſuſpitio delicti, quia ſic ſuſpicio delicti vitatur, & tunc erunt profectitia cenſenda *ex l. ſi defunctas C. ar. tut. & in l. quintus ff. de Donat. inter vir. & vxor. & l. ſi vxoris tuæ nomine C. eod.* quod ſi ſuſpicio delicti non adſit, tunc ex induſtria, & alio titulo extraneo cenſenda ſunt talia bona filio adepta, quia in dubio potior eſt conditio poſſidentis, limita niſi aliquæ adſint coniecturę patri fauentes, quia ratione paternæ dignitatis ſunt omni fauore, & reuerentia proſequendæ.

Vtrum melioratio, vel deterioratio facta à patre in bonis aduentitijs cedant reſpectiuè ad damnum, vel beneficium filij.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod bona aduentitia filij poſſidens pater, vel facit aliquam meliorationem, quæ perpetua eſt in ipſis bonis ad eorum neceſſitatem, & vtilitatem, puta ſi in agro fabricaret domū pro Colonis, aliter in eo non laboraturi eſſent, & talis melioratio non cenſetur cedere in beneficium in beneficium filij cuius ſunt bona aduentitia, ſed fratribus in diuiſione communicanda, modo non expreſſerit Pater ſe talē meliorationem velle donare, & conſequenter expreſſit non eſſe repetendam, quod ſi non expreſſerit, & neſciatur animus, tunc ſi ſumptus ſunt parui, cenſentur donati, quia præſumi debet non habuiſſe animum repetendi, ſi magni, ita vt excedant fructuum quantitatem non cenſentur donati, ſi autem non excedūt fructuum quantitatē præſumitur donaſſe; quod ſi melioratio non fuit facta ad perpetuam vtilitatem, ſed ſolum ad fructuū conſeruationem, & culturam meliorem, vt eſt ſtercorizatio, non repetuntur expenſę, nam ad percipientes fructus pertinent huiuſmodi expenſæ. Vide *Ang. noſt. V. Pecul. §. 22.* An verò melioratio facta in bonis aduentitijs pro ſimplici ornamento, vel pro delitijs, an repetendæ expenſæ à fratribus, negatiuè reſpondendum puto, ſi circūſtantiæ tales adſint, vt videatur talis melioratio filio donata, & in fauorem filij potius reſpondendum, ſecus ſi aliæ circumſtantiæ fauerent ceteris filijs.

Dico ſecundò, quod ſi pater lædat enormiter bona aduentitia filii, tenētur ceteri fratres de hæreditate communi cōpenſare hinc ſi læſio eſt talis, vt perpetuo bona maneant deteriorata, puta quia domum pro Colonis agri diruit, vel arbores, viteſque eradicari permiſerit dolosè, vel ex lata culpa tenentur fratres ad huiuſmodi dāna ex cōmuni hæreditate, quia pater tenebatur cuſtodire bona aduentitia ſui filii, quod ſi ſolum deteriorati ſint fructus ad nihil tenentur fratres, quum pater ſit abſolutus Dñs fructuum bonorum aduentitiorum ſui filii, limita niſi fortè peruenerint ad filium cum hac conditione, vt fructus patri non acquirantur, quia tunc fratres debent ex communi hæreditate fructibus dilapidatis ſatisfacere iuxta rationem damni. Ita *Ang. noſt. ex Baldo loc. cit.*

Bona Parafernalia.

Quænam dicuntur bona Parafernalia, & quo priuilegio gaudeant.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod cum parafernale à verbo greco παρα quid eſt iuxta, & φέρνη, quod eſt dos, quaſi iuxta dotem noſtro idiomate, ſit vt bona parafernalia ea dicantur in iure, quæ ad vxorem pertinent extra dotalia bona, ita *gloſ. in Rubr. C. de pac. conu. & Bald. in l. fin. C. qui po. in pigno habeantur, & in l. ob maritor. C. ne vxor pro marit. & in l. ſi ego §. dotis ff. de iure dot. & gl. in c. plerumq; C. de donat. int. vir. & vx. & Ang. noſter. V. Parafernalia.* Quare bona donata, & legata vxori abſque intuitu, & contemplatione viri à quocumq; ſub quocūque titulo, bona hæreditario iure ſibi obuenientia extra dotem ſunt parafernalia, & ea quæ lucratur extra bona viri per ſuam ſimplicem induſtriam, & negotiationem ſunt etiam parafernalia, niſi forte dotem ſufficientem habuerit ad alendam ſe, & liberos & maritus non habet alia bona ſufficientia, quia tunc ea bona, quæ acquirit per negotiationem, & induſtriam debet cōmunicare cū marito, & filiis, non enim præter labores quotidianos in lana, & lino pro vſu ſolo familiæ, tenetur vxor laborare pro marito, quando habuit dotem ſufficientem, & maritus habet ſufficientia bona ad ſuſtinenda onera matrimonii, vt pater ex argum. *c. per veſtras de Donat. inter vir. & vxor. & in l. ſi cū Dot. ff. de ſol. matr. & Panormit. in c. litteras de inſtit. ſpol.* vbi habetur non poſſe maritum compellere vxorē ad laborandum ſubtrahendo alimenta, ergo ſi vult laborare, poteſt pro ſe lucrū retinere. Vide *Ang. noſt. V. Vxor. §. 2.* iura autem ſi quæ afferuntur vxorem debere eſſe in obſequio viri, vel eſt penè famula viri intelligenda ſunt quantum ad opera obſequialia in domo puta in coquina, & alia huiuſmodi neceſſaria pro conuictu familiari, vel intelligendum quoad debitum coniugale.

Dico ſecundò, quod ſtatutum loquens de dote extenditur, etiam ad parafernalia bona, vt ex *Albric. in l. de quibus col. 24. ff. de leg. docet noſt. Ang. V. Parafrenalia, §. 2.* quare dicendum quod bona parafernalia ſunt priuilegiata ſicut dotalia quoad hoc, vt bona viri ſint hypotheticata ſicut pro dote, & ſi vxor exegit hipothecam ſpecialem à viro de bonis ſuis parafernalibus, de quibus vir habet adminiſtrationem, danda eſt ei, aliter erunt pro ipſis hipotheticata omnium bona viri in communi, *ex l. fin. ca. de pac. conu. & Panor. in c. ex litteris de Pignor.*

Vtrum bonorum parafernalium maritus poſſit habere fructus, vel commodum.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod dominium, & fructus bonorum parafernalium omnino pertinent ad vxorem, etiamſi dicta bona

bona deferantur in domum mariti, & marito quoad adminiſtrationem aſſignentur, nec per talem aſſignationem, vel tranſlationem maritus eorum acquirit dominium, *ex l. ſi ege §. doteſ. ff. de iure donat.* nec vnquam perditur tranſlatum dominium, niſi probetur, vt notat *gloſa col. fin. C. de par. conu.*

Dico ſecundò, quod licet non acquirat dominium, nec ſuos faciat fructus de rigore iuris dictorum paraſernalium, quorum habet adminiſtrationem, poteſt tamen habere commodum etiam propter labores in exigendo, & etiam ex quadā æquitate, attamen ſi aliquid ex fructibus remanſerit, pertinet ad vxorem, *ex l. vbi adhuc C. de iure donat. col. fin. dicta.*

Dico tertiò, quod maritus dilapidans, vel malè adminiſtrans bona paraſernalia ſuæ vxoris, tenetur non ſolum de dolo, & lata culpa, verum etiam de leui culpa, vt adnotant Doctores *in d. l. fin. & docet noſt. Ang. §. 5.*

Bulla Cœnæ.

Quid denotet Bulla Cœnæ.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod lata eſt hodie differentia inter litteras Apoſtolicas, quæ vocantur breuia, & eas quæ vocantur Bullæ, etenim litteræ Apoſtolicę, quæ breuē & compendioſam expeditionem continent, breuia appellantur, & occluduntur cera rubea ſignata annulo Piſcatoris. i. ſigillo, quod Sanctus Petrus, qui piſcator erat creditur adhibuiſſe; illæ vero litteræ Apoſtolicæ, quæ longiorem requirunt tractatum, & expedi ditionem vocantur Bullæ, verum quare dicantur Bullæ varie philoſophantur Doctores, illud tamen pro certo eſt, quod licet antiquiter bulla diceretur quædam res aurea rutunda admodum cordis formata, ſi Macrobio creditur, quam referttam quibuſdam contra inuidiam vt putabant potentiſſimis remedijs triumphantes Romani in triumpho gerebant, & pueri nobilium à collo pendentem ante pectus ad omen, & notam conciliandæ virtutis portabant, vel vt bullam inſpicientes ſe homines cogitarent, & ita ſuperbiam abhorrerent, hodie tamen vt notat *noſt. Vmarell. ex Alexand. T. 1. conſil. 215. quam etiā refert, & ſecuntur Sayr. de cenſur. l. 3. c. 3. n. 3. Alter. diſp. 1. c. 3. Gomez in Reg. vtriuſq; ſignat. Duard. l. 1. c. 1. q. 4. & Alexander Scotus in* [illegible] *. Viſus inoleuit apud Scriptores, vt Bulla vocetur ſigillum, quo firmantur litteræ, & muniuntur ſcripturæ, hinc fit, vt litteræ Papales præfatæ vocentur Bullæ, quia licet ipſæ expeditæ fuerint, & formatæ, nullam tamen habent auctoritatem, & nullum effectum ſortiuntur, nec vllam habent validitatem, niſi appendantur ipſis Bulla plumbea ſculptas Beatorum Petri, & Pauli imagines repræſentans ex vna parte, ex alia vero parte nomen Pontificis litteras dantis Bullæ ergo vocantur litteræ Apoſtolicæ præfatæ, quia validitatem, & executionem illis tribuunt Bulæ prædictæ plumbeæ ipſis appenſæ.

Dico ſecundò, quod Bulla Cœnæ vocantur illæ litteræ Apoſtolicæ, quæ præſente ipſo Summo Pontifice quotannis in die Feriæ quintæ in Cœna Domini à Diacono Cardinali publicè per modum proceſſus leguntur, & fulminantur contra delinquentes atrocioribus criminibus maximè in fidem, immunitatem, libertatem, & dignitatem Eccleſiaſticam coram magna hominum multitudine.

Notandum tamen quod licet hæc Bulla vocetur proceſſus, non tamen in rigore, & propriè, etenim proceſſus in ſtricto rigore iudiciali fieri conſueuit, examinatis teſtibus, & alijs ſolemnitatibus à iure requiſitis, quæ in hac bulla non fiunt, dicitur ergo proceſſus impropriè, & largo modo, quatenus generice legitur contra omnes futuros delinquentes in articulis ibi contentis ad effectum, vt cenſuræ ibi latæ ipſo facto incurrantur, ac ſi proceſſus iuridicus contra ipſos eſſet formatus, nam in cenſuris generaliter ferendis non requiritur citatio, nec alia iuris ſolemnitas.

Vtrum Bullæ Cœnæ excommunicationes dicendæ ſint excommunicationes à iure, an vere ab homine.

DIFFIC. II.

VAriant in hac difficultate Doctores. *Sotus in 4. diſt. 22. q. 2. ar. 3. Nauar. c. 27. n. 33. Becan. in tract. de fide t. 15. q. 8. Toler. l. 1. c. 18.* & alij potius ab homine contendunt eſſe excommunicationes Bullæ Cœnæ dicendas, quia quotannis renouantur à Papa, & multoties mutantur, minuuntur, vel augentur, quæ non fierent, ſi eſſent à iure latæ, ſed ſemper in ſuo robore permanerent in corpore iuris inſertæ.

At vero à iure volunt cenſendas præfatas cenſuras, *Salas de leg. diſp. 1. ſect. 9. Alter. l. 5. diſp. 1. c. 3. q. 7. Auil. 2. p. c. 1. dub. an. Benac. de cenſ. in part. in Bulla contentis diſp. 1. q. 1. punc. 5.* & alij, tum quia perpetuæ ſunt, quod denotatur per illam particulam ſub finem Bullæ (volentes præſentes noſtras durare quouſque aliæ publicentur) quare non expirant morte conditoris, tum quia multæ excommunicationes contentæ in Bulla Cœnæ, reperiuntur etiam in ſacris Canonibus, vt notat *noſt. Ang. V. excomm.* Vtramque puto probabilem, vtpotè fundatæ ambæ in probabili ratione.

Ceterum probabilius dicendum cenſeo *cum Reginald. l. 9. n. 230.* Excommunicationes in Bulla contractas nec propriè ab homine vocandas, ſed reperiri ſub quodam mixto genere cēſurarum, quod ab homines, & à iure ſimul, & ſemel vocari poteſt, nam conditiones cenſurarum tam à iure, quam ab homine participant præfatæ Bullæ cenſuræ, quandoquidem dum quotannis per modum proceſſus leguntur, & fulminantur, videntur dicendæ ab homine latæ, quia proceſſus ab homine fit, non à iure, ſi vero perpetuitas earum inſpiciatur, à iure latæ ſunt exiſtimandæ, ideo probabilius dicendum, quod tertium quoddam genus cenſurarum conſtituat Pontifex in hac Bulla Cœnæ, nec mirum quia in moralibus huiuſmodi diſtinctio generum dependet à voluntate conditoris non recognoſcentis ſuperiorem, non autem ex ipſa rei natura.

Vtrum Imperatores, Reges, Reſpublicæ, & Principes abſoluti valeant in ſuis dominijs obſeruantiam Bullæ Cœnæ impedire.

DIFFIC. III.

DIcendum abſolutè nō poſſe Imperatores, Reges, Reſpublicas, & Principes abſolutos prohibere promulgationē, acceptationem, & obſeruantiam Bullæ Cœnæ, tum quia Papa poteſt excommunicare Imperatores, Reges, & Principes tanquam ſibi pleno iure in ſpiritualibus ſubiectos *ex l. nunquam, & ex l. cum Imperator, & c. cum aduerſ. diſt. 96. & in extrau. Vnam ſanctam habet Bonif. VIII. (oportet gladium eſſe ſub gladio, & temporalem auchoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati)* ſubdito autem non licèt impedire poteſtatē ſui ſuperioris.

Præterquam quod totus mundus ſubijcitur poteſtati ſpirituali Papę, eiuſque aucthoritatis territorium eſt totus mūdus, Princeps autem in ſuo territorio poteſt condere, & publicare leges, & earum obſeruantiam ſtatuere, ergo Papa in toto mūdo tanquam in ſuo territorio poteſt Bullā Cœnæ publicare, & eius obſeruantiam mandare, fruſtra ergo Imperatores, & Principes præfatæ bullæ promulgationem, & obſeruantiam impedirent. Vide etiā *Alter. T. 1. l. 5. diſp. 5. c. 8. & Duard. l. 3. §. 7. q. 3.*

Vtrum eadem crimina prohibita in iure communi, & in Bulla Cœnæ cadant ſub duplici cenſura.

DIFIIC. IV.

DIco primò, quod certum eſt Bullā Cœnæ continere multas cenſuras latas in iure communi, inter quas eſt illa contra percuſſores Epiſcoporum, *in c. ſi quis ſuadente, queſt. 4. 2. contra moleſtantes Romipet. in c. ſi quis Romipet. 24. q. 3. 3. contra hæret. in c. excommun. 1. at 2. c. de hæret. 4. contra imponentes noua pedagia in c. quoniam de immunit. Eccleſ. in 6. quinta contra deferentes prohibita ad hoſtes Chriſtiani nominis in c. ita quorundam de Iud.* dubitant ergo Doctores, an quilibet iſtorum caſuum habeant annexam cenſuram vnam ſcilicet à iure communi, & aliam à Papa in hac bulla. Quare

Dico ſecundò, quod in præfatis caſibus vna ſolum incurritur cenſura, quia Canonum, & Bullæ Cœnæ conditores eamdem habent poteſtatem, quando autem ſuper vna, & eadem re multiplicantur cenſuræ à pluribus ſuperioribus eundem poteſtate habentibus per ſucceſſionem in eadem dignitate præſumuntur habere eamdem voluntatem infirmando, vel renouandi eamdem cenſuram, quam nouā ferre, hæc autem præſumptio iuridica eſt, quia pœnæ mitius explicandæ, & in odio ſis ſtricta facienda eſt interpretatio. Ita etiam *Nauar. in c. ita*

quorun-

*quorundam de Iuda notab.*11.*in gl. vult. Suar. diſp.*21.*ſect.*1. *de conſ. Regnald. l.*9.*n.*128. *Felıuc. tract.*15.*cap.*1.*qu.*4. *Bonac. in R.C. diſp.*1.*q.*1.*punc.*5. & alij. Immo.

Dico tertiò, quod dum Bulla Cœnæ iteratur quotannis, ſi aliqua reticet Papa, quæ in Bulla, & iure communi prohibebãtur, debent remanere ſub diſpoſitione antiqua iuris ſiue in toto, ſiue in parte iuxta quod reticentu. in noua Bulla, nam Papa dum caſus expreſſos in iure communi ponit in Bulla non prætendit eos in ſtatu roboris ſui remouere, ſed potius maius robur ex innouatione præbere, quando ergo eos in Bulla reticet, in ſuo robore antiquo vult permanere, in quo erant ante Bullæ promulgationem.

An vero idem dicendum ſit de priuilegijs in Bulla derogatis, ſi iterum non derogentur in alia, an cenſeantur reuiuiſcere, videntur affirmare, *Sayr. l.*3.*c.*2. *& Feliuc. loc. cit.* verum *Bonac. vbi ſupra*, probabilius monet non reuiuiſcere, quia priuilegium ſemel ſublatum ſine noua conceſſione expreſſa non reuiuiſcit.

EXCOMMVNICATIO PRIMA.

Contra
- *Quoſcumque Hæreticos, & Apoſtatas à fide*
- *Credentes hæreticorum.*
- *Receptatores,*
- *Fautores, &*
- *Defenſores eorum.*
- *Legentes* / *Retinentes* / *Imprimentes* / *Defendentes quouis ingenio publicè, vel ſecretè* — *Libros hæreticorum continentes hæreſim, vel tractatus de Religione, &c.*
- *Schiſmaticos, & ſubtrahentes ſe ab obedientia Papæ pertinaciter.*

Vtrum primam hanc Bulla excommunicationem incurrat hæreticus mentalis qui nullo verbo, nec nutu ſuam manifeſtauit exterius hæreſim.

D I F F I C. I.

AFfirmarunt antiquiores præcipuè Doctores hæreticum mentalem, qui nullo verbo, nutu, ſignove exteriori ſuam vnquam manifeſtauit hęreſim, ſed ſola mente, eam pertinaciter retinuit incurrere hanc primã Bullæ Cœnæ excõmunicationẽ, quod probant, hæreſis enim eſt error voluntarius in intellectu cum pertinacia circa articulos fidei, quod autem exterius propaletur verbo, nutu, ſignove exteriori non tollit, quod non ſit verè hæreticus, qui talem habet errorem in intellectu, cum autem in Bulla excõmunicẽtur hęretici de quolibet hæretico mẽtali ſimpliciter eſt Bulla intelligenda, vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ita *gl. ex §.*1.*2.4.q.*1. *Raym. Goffr. & Ioann. Ancar. in ſuis ſumm. eod. tit. & gl. in clem.* 1. *de hæret. quos ſequitur Cardenſis*, & allegat multa iura ad hãc ſententiam probandam.

Negant tamen hæreticum mentalẽ incurrere præfatã primã excõmunicationem Doctores cõmunius ex eo potiſſimè, quod Eccleſia non iudicat actus merè mentales, & conſequẽter nec eos excommunicat, quod ſi aliqua iura, vt notat *noſt. Ang. V. hæret.* videantur aliquos actus mentales excõmunicare, vt in Clemen. 1. excõmunicatur Inquiſitor omittens procedere contra conſcientiã, & recurrens ad curias Principum eo animo, vt offẽdat, excõmunicatur *Reg. in clem.* 1. *de ſtatu Monac.* & alia conſimilia iura, in quibus videtur actus intrinſecus excõmunicari, attamen præfati actus, & conſimiles in iure puniti non ſiint merè mentales, ſed annexi cum aliquo opere extrinſeco, quod faciendum, vel non faciendũ prohibetur, vel ſtatuitur ſub excõmunicatione, vt patet in iuribus præfatis adductis, ſolum enim Deum vltorẽ eſſe peccatorũ cordis docetur, *diſtinc.*33.*habuiſſe, & diſt.*50.*§. ſed illud, & l. iureiurandi, C. de iure iur. ita noſt. Ang. loc. cit. §.*2. *Azor* 1.*p. l.*3.*c.*10.*q.*3. *Sanch. in oper. mor. l.*2.*c.*8. *Duard. l.*2. *in can.*1.*q.*24. *Bonac. vbi ſup. qu.* 2.*p.*2. & alij, vnde aiunt probabiliter, quod quando in præfata prima excõmunicatione feriuntur credentes hæreticorũ intelligendum eſſe de credentibus in aliquo ſigno exteriori, non autem de credentibus ſolum mentaliter.

Quare iuxta doctrinam probabilem huius ſecundæ opinionis dicendum puto, quod hæreticus mentalis, & credens ſolum mentaliter hæreticis nullo ſigno exteriori ſuam hæreſim, & credentiam explicans poſſit abſolui abſque recurſu ad Papam, cum probabile ſit non includi in prima excommunicatione reſeruata in Bulla Cœnæ. Ita etiam *Aragon.*2.*2.q.*1.*ar.*3.

Vtrum hæreticus purè mentalis, qui ſuam hæreſim animo reuoluens facit aliquod ſignum indifferens, vel verba imperfecta edit ex ſe immediatè non proteſtantia contra fidem incurrat primam excommunicationem latam in Bulla Cœnæ.

D I F F I C. II.

DIco primò, quod ſignũ, vel verbum proteſtans aliquod cõtra fidem adhoc vt proferens non amplius dicatur hæreticus mentalis debet eſſe tale, vt ex ſui natura poſſit grauẽ ſuſpicionem inferre, vt pronuncians tale verbũ, vel ſignum hæreſim proteſtetur, ita vt ſi ſignũ ſit indifferens, & verbi ſigna ita imperfecta, vt ex ſui natura non proteſtentur coram vidente, vel audiente hæreſim, huiuſmodi vtens adhuc dicitur hæreticus mentalis, nec excommunicationi ſubijcitur, quicquid contra hãc doctrinam reclamet, *Garz. de benef. p.*1.*n.*105. in odioſis enim ſtricta facienda eſt interpretatio. Ita etiam Doctores ſecundæ ſententiæ.

Dico tamen ſecundò, quod hæreſim ſuam animo reuoluens ſi ſolum non aperiat caput, nec genuflexus ſanctiſſimo Sacramento, nec inclinans ſacris Imaginibus debitam reuerentiam exhibeat, licet *Bonac.* velit, quod non incurrat hanc primam excõmunicationem, quia talia ſigna nõ ſunt immediatè, & per ſe proteſtatiua extrinſecæ ſuæ hæreſis, tamen probabilius, & tutius puto affirmandum, quia omiſſio talis reuerentiæ procedẽs ab hęreſi, quam mente retinet, perfectam ſuſpicionem ingerit ſuæ hæreſis; hinc mentaliter errans circa auguſtiſſimũ Sacramentum ſi ad eleuationem hoſtiæ conſecratæ non aperiret caput, ex tali omiſſione etiam ex *Bonac. & Sanb.* locis citatis reputaretur hæreticus, ita etiam ex omiſſione reuerentiæ præfatæ; itaque etiam nemine vidente ſi quis ſuam hæreſim mentalem reuoluens animo omittat coram Sacramenta genuflectere, & coram ſacris Imaginibus inclinare, reuerentiamq; debitam ex tali praua hæreſi exhibere, excommunicationem præfatam incurrit, per accidens enim eſt, quod ab alijs videatur, in hoc enim primo capite excommunicatur etiam hæreticus occultus. Porrò qui blaſphemiam non hæreticalem ex ſuæ tamen internæ hæreſis motiuo proferr non eſſet hic excommunicatus, quia blaſphemia non hęreticalis non eſt proteſtatiua hæreſis, cum à non hæreticis etiam proferatur.

Dico tertiò, quod animo reuoluens ſuam internam hęreſim, puta, quod Chriſtus non ſit verus Deus, & homo, ſolum ore proferat vere non eſt homo, abſque eo, quod nominet Chriſtũ, quia nullam profert extrinſecè hæreſim, nec locutio illa eſt ex ſe ſufficienter proteſtatiua hæreſis, cum de alio poſſit extrinſecè talis locutio verificari, non eſt dicendus excommunicatus

in

Digitized by Google

in hac prima excommunicatione, quia adhuc remanet mentalis hæreticus. Ita etiã *Bonac. vbi ſup. & Sanch. c. 8. n. 4. loc. cit.*

Ceterũ ſi talem locutionem pronuncians ſit grauiter ſuſpectus de hæreſi, tum quia tali locutio poſſet ingerere ſufficientẽ proteſtationem hæreſis internæ apud audientes, quod hanc primã excõmun. incurrat aliqui putarũt, nec improbabiliter, quia licet in catholico hæc ſimpliciter locutio non arguat hæreſim, benè tñ hæreſim proteſtatur inuehementer ſupecto de hæreſi.

Dico quartò, quod exprimens ſuã mentalem hęreſim characteribus, ſeu ſignis à ſe impoſitis ad hæreſis manifeſtationẽ licet ab alijs non cognoſcantur, & ſolũ à ſe ipſo ſciantur proteſtari, & exprimere ſuã internã hæreſim, dicendus eſt excõmunicatus in hac pr. excõmunicatione, quia per accidens eſt, quod ab alijs cognoſcantur, hinc ſicut ſi quis verbis, vel ſignis expreſſe ſignificantibus hęreſim ſolus, & nemine præſente ſuam propalaret internam hæreſim eſſet hic excõmunicatus, quia verè cẽsẽdus hęreticus occultus opere externo manifeſtatus. Vnde

Collige à fortiori proferentem Germanũ apud Italos nõ callentes linguam Germanã, ſuam internam hæreſim per verba Germana incurrere eamdem excõmunicationem primã, quia ſufficienter propalat ſuam hæreſim per verba extrinſeca, vnde non eſt amplius mentalis hæreticus.

Collige ſecundò, proferentẽ ſuam hæreſim mentalẽ per verba æquiuoca, & amphibologica propter eamdem rationem eſſe excommunicatum in hoc primo capite, quia per talia verba ſufficienter manifeſtat extrinſecè ſuam hæreſim.

Vtrum manifeſtans ſuam hæreſim mentalem abſque malitia hæretica puta in ebrietate, vel conſilio petendo ab Amico, vel Theologo incidat in primam excommunicationem.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod licet aliqui Doctores probabiliter voluerint, quod præuidens ſe in ebrietate pronunciaturum internam ſuam hæreſim, & tamen non curauit ab ea abſtinere incurrat excõmunicationem in primo capite præſenti, à cauſa enim peccaminoſa peccaminoſi effectus procedunt, hinc ſolẽs in ebrietate percutere, & præuidens in ebrietate ſe percuſſurũ Clericum, ſi ab ea non curauit pro ſuo poſſe ſeſe abſtinere, ſi in ebrietate ſequatur percuſſio, erit excommunicatus, ita à pari in hoc caſu philoſophantur.

Attamen probabilius puto in tali caſu non incurrere excõmunicationem, qui in ebrietate quantũcumq; præuiderit, & nõ ſe abſtinuerit, ſuam internam hęreſim propalauit, nam ebrius ſolum materialiter profert tunc ſuam hæreſim, hæreſis autem materialis non eſt ſubiectum huius excommunicationis, nec valet exẽplũ de percuſſione Clerici, nã percuſſio Clerici præuiſa eſt, ex ſe ratione iniuriæ inferendæ in Clericũ peccaminoſa formaliter, niſi vitetur, & cõſeqũtẽter excõmunicationi etiã in ebrietate ſubiecta, at vero hęreſis externa niſi habeat formaliter adiunctã malitiã internã non eſt per ſe, & formaliter peccaminoſa, vnde nec in ebrietate ſubiecta excommunicationi.

Dico ſecundò, quod ſi quis ſuam hæreſim mentalẽ cõmunicet Amico, vel Confeſſario, vel Theologo ad petendũ conſilium preciſo omni animo declarandi ſuã hæreſim, nõ eſt dicendus excõmunicatus quia talis actus nõ eſt peccaminoſus, nec manifeſtatiuus ex ſe hæreſis, cũ cõſiliũ de hæretica propoſitione bona ſit ne, an vero falſa excludat pertinatiam in intellectu.

Ceterum ſi hæreticus mentalis aperiret etiam in confeſſione cum pertinacia, & abſq; dolore diuinæ offenſæ ſuã hæreſim in mente conceptam, iam in ipſa cõfeſſione incideret in primã hanc excõmunicationẽ quia vere fictè accederet ad Sacramẽtũ animo aperiendi ſuam hæreſim, non autem eã deteſtandi.

Quinam in hac prima excommunicatione dicantur hæreticorum credentes, fautores, & receptatores.

DIFFIC. IV.

DIco primò, quod credentes hæreticorũ in triplici conſiderati poſſunt differentia, alij enim expreſsè credunt falſis dogmatibus hæreticorũ, verbo, nutu, vel aliquo ſigno exteriori approbantes eorum falſam doctrinam, alij vero ſolum confusè dicuntur hæreticorũ credentes, ſuntq; illi, qui licet expreſsè nõ dicant ſe credere doctrinis hæreticorum, tamen confusè eas approbant, veluti ſi dicant ſe velle mori in fide lutheri. Tertio, alij ſolum dicuntur mentaliter credentes, ſuntq; illi, qui nullo ſigno, nec verbo extrinſeco, ſed ſolum ſua mente tantum approbant falſam hæreticorum doctrinam; primi, & ſecundi credentes incurrunt in præfatam excommunicationem, non autẽ tertij ſaltem in præcitata opinione probabili.

Dico ſecundò, quod Receptatores etiam ſunt in duplici differentia, alij enim dicuntur formaliter receptatores, fautores, & defenſores, ſuntq; illi, qui hęreticum, vt hæreticũ, & ratione fouendæ hæreſis receptant, defendunt, & fauent, & iſti abſq; dubio ſubijciuntur huic excommunicationi: Alij vero hæreticum non vt hęreticum receptant, & defendunt, & fauent, ſed ſolum ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, vel etiã metu iuſto, præciſo omni animo fouendæ hæreſis non ſubijciuntur huic excõmunicationi, quia bulla non præſumitur prohibere, actus humanos ex ſola naturalitate, vel vrbanitate prouenientes modo omni malitia pro hæreſi fouenda ſpolientur. Vide *Graff. 1. p. l. 4. c. 18. Duard. l. 2. q. 28. Bonac. loc. cit. punc. 3.*

Ceterum an receptans hæreticum, eumq; ocultans ne capiatur ad hunc finem vt hæreſim diſſeminet, ſi poſtea non ſequatur effectus, an incidat in præfatã excõmunicationẽ, negãt Suar. & Sanch. quos citat, & ſequitur Bonac. loc. cit. quia ſicut mandans percuſſionem Clerici, donec effectualiter ſequatur, non incidit in excõmunicationem, ita à pari receptans hæreticum ad malum finem præfatum, niſi ſequatur effectus, non incidit in præfatam excommunicationem.

Attamen parum probabiliter videntur loqui, quia hæc excõmunicatio non ſolum fulminatur contra receptatores hæreticorum ne diſſeminent hæreſim, ſed quia timentur diſſeminare, & in odium hæreticorum, vt hęretici ſunt fertur excommunicatio, à quibus quando receptantur, vt hæretici timetur periculoſa ſubuerſio fidei catholicę, vt ergo huic periculo occurratur, prohibẽtur receptari hęretici, vt hæretici ſunt, ergo licet non ſequatur effectus ſubuerſionis, habetur tamen intentio legis prohibentis non ſolum effectũ, ſed periculum, vnde nõ eſt ſimile de mandante percuſſionem Clerici, quia in canone ſi qui perſuad. Diab. non prohibetur mandatum percuſſionis Clerici, ſed ſolum naturalis percuſſio. Ita etiam *Sayr. l. 3. c. 5. Duard. l. 2. in can. 1. queſt 31.*

Aduertendum etiam hic eſt in hac excõmunicatione prohiberi hæreticum etiam occultũ, & non denũciatum, quia hæc prohibitio eſt in odium periculi ſubuerſionis, quæ etiam ab occulto hæretico faciliter eſt timenda.

Quænam conditiones requirantur, vt dicantur libri prohibiti in hac prima excommunicatione legi, retineri, & imprimi.

DIFFIC. V.

DIco primo, quod libri hic prohibiti legi retineri, & imprimi debent habere tres conditiones coniunctim. Prima eſt, vt ſint libri hæreticorum. Secundo, vt tractent de religione, vel hæreſim contineant. Tertiò, vt ſcientes legantur, retineãtur, & imprimantur, quare libri hęreticorum, qui non tractant de Religione, nec hæreſim continent, non ſunt in hoc primo Canone Bullę Cœnæ prohibiti, ſed ſolum in regula ſecunda Indicis, in qua prohibentur libri hæreticorum, qui non tractant de Religione, nec hæreſim continent ſolum ſub excõmunicatione nulli reſeruata, quæ prohibitio etiam extenditur ad libros Catholici, qui poſt libri impreſſionẽ lapſus eſt in hęreſim, quia hic, & nunc iure eſt liber hæretici, & debetur ab Inquiſitore permitti, & à Theologis examinari, vtrum errorem contineat. Ita communiter ſcribentes in Bulla Cœnæ.

Dico ſecundò, quod ſi quis legat, retineatur, imprimat librũ Catholici in quo tamen continentur falſa dogmata, vel ſaltem ſuſpecta de falſo dogmate non incurrit in excõmunicationem reſeruatã in hoc Canone; ſed excommunicationem poſitam in regula nona in Indice, ſicut ſunt legentes, retinentes, & imprimentes libros Catholicorum continentes diuinationes, ſortilegia puta libros, & ſcripta Geometriæ, Hydromãtiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, & artis magicæ, multos enim fuiſſe Magos, & qui talia ſcripſerunt nullum habentes errorem in intellectu, ſed verè Catholicos certum eſt, quare cum non ſint libri hæreticorum non prohibentur in hoc canone, ſed in præfata regula nona, at vero ſi forent iidem libri ſcripti ab aliquo hæretico, eſſent prohibiti in hoc Canone Bullæ, quia verè eſſent libri hæreticorum hæreſim incontinentes.

Porrò legentes libros vetitos, vt potè excitantes ad inhoneſta,

ſta,

ſta,& venerea, nec hic excommunicantur, ſed ſolum peccant mortaliter contra præceptum in Indice poſitum. Vide *Soaſam in B.C. c.2. diſp.13. Alter. l.1. diſp.2. c.6. & 17. Vgol. §.2. Duard. concl.4. Bonac. punct 4.*

An legentes, retinentes, & imprimentes Additiones, Adnotationes, & Scholia hæreticorum in libros Catholicorum excommunicentur in hoc primo Canone bullæ Cœnæ.

DIFFIC. VI.

AFfirmant aliqui modo hæreſim contineant præfata Scholia,& adnotationes,nam ſimul vnita ſanè faciũt librũ. Ita *Suar. de cenſ. diſp.21. ſect.2. Alter. in B.C. l.5. c.6 dub.1.* & alij.

Verum mitius alij excuſant præfatos legentes,& retinentes libros Catholicorum cum ſcholijs,& adnotationibus hæreticorum,nam liber cõtinens multas adnotationes,& Scholia, licet ſint copioſiora,& Maiora ipſo libro,ſemper tamen nominatur eſſe liber auctoris principalis, non autem Scholiaſtæ,vel Commentatoris,vt patet in sũma D. Th.in qua cõmẽtaria Caietani ſunt copioſiora,& tamẽ dicitur ſumma D. Th. & nõ Caietani Ita *Sanch. l.2. c.20. & Duard. qu.3. & Souſa c.12. diſp.13.*

Attamen licet hæc ſecunda ſententia ſua probabilitate non careat,prima probabilior videtur,& tutior maximè quando liber accipit nomen à Commentatore, & Scholiaſte, vnde dicit ſolet Caietanus in D.Thomam. Illud tamen hic certum eſt, quod ſi ſcholia hæreticorum non contineant hæreſim,nec tractent de Religione,incurrit ea legẽs, & retinens in excommunicationem Indicis,vbi etiam ſcripta hæreticorũ prohibentur.

Vtrum legentes, & retinentes, & imprimentes ignorantes eſſe libros hæreticorum de Religione tractantes, hæreſim ve continentes incurrant in hanc excommunicationem latam in primo Canone Bullæ.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod certum eſt apud omnes ignorantes ex ignorantia etiam craſſa,& ſupina, ne dum inuincibili eſſe libros hæreticorum de Religione tractantes,aut hæreſim continentes non incurrere,ſi eos cum hac ignorantia legerint, retinuerint,vel impreſſerint,in hanc excommunicationem,nã Papa hic ſolum excommunicat ſcienter legentes, retinentes, & imprimentes,& defendentes, ignorantes autem etiam ignorantia craſſa, & ſupina verè non dicuntur ſcienter legere, nec retinere, nec imprimere, nec defendere.

Dico ſecũdò,quod dubium ſolemne eſt, apud Doctores, an excuſet ignorantia affectata,negant *Alter. c.8. q.3. Suar. vbi ſup.* & alij, quia malitia,& dolus nemini debet ſuffragari, affectata autem ignorantia implicat malitiam, quia doloſè curat neſcire, vt latam ſibi viam paret in peccando. Alij tamen contendunt excuſare etiam ignorantiam affectatam, ex eo quia verè dicitur non ſcienter legere,qui ignoranter legit,quantumuis ſit ignorans ignorantia affectata,quælibet enim ignorantia opponitur ſcientiæ;Vtraque probabilis mihi videtur,vtrum autem ſit probabilior, vide V. Ignorantia.

Vtrum iubens legere,vel legentem audiens libros hæreticorum de Religione tractantes,vel hæreſim continentes incurrat in hanc primam excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

AFfirmant *Graff. l.4. deciſ. c.18. Sayr l.3. c.15. & Alter. c.6. dub.1.* nam idem eſt legere, ac legentem audire, & iubere, vt legat, qui .n. per alium facit in hac materia, per ſe ipſum facere videtur probabiliter quidem, quia aliter eluderetur finis legis prohibentis legere ob periculum ſubuerſionis, & in odium hæreticorũ, ſi permitteret impunè poſſe legentẽ eoſdẽ hæreticorũ libros audire,cũ eadẽ legis ratio vtrobiq; militet.

Ceterum alij,nec improbabiliter negant,audientẽ, conſulẽtem, & iubentem incurrere in præfatam excommunicationẽ B.C. ex eo quia in Bulla non exprimuntur audientes, conſulẽtes,& mandantes legere libros hæreticorum, pœnæ enim non ſunt extendendæ. Ita *Bonac. loc. cit. Souſa c.2. diſp.4. Nauar. Sanch. & Vgol. apud Filiucc. tract.16. c.1. q.18.* & quidem non videtur militare eadem legis ratio, nam legens videtur magis operam dare malitiæ hæreticorum, quam audiens, Iubentes autem, & conſulentes non exprimantur, non comprehenduntur in Canone pœnam ferente, vt alibi dicetur.

Verum eſt tamen, quod iuſſi legere libros hæreticorum, ſi metu graui cadente in conſtantem virum id faciant poſſunt excuſari ab hac excommunicatione,cum leges poſitiuæ non obligent cum tanto rigore,& periculo, limita modo tale mandatum non ſit in contemptum fidei, quia in hoc caſu potius moriendum,quam fidei contemptum permittere, ſi vere metus non ſit grauis, incurrit legere iuſſus, ſi actu legat, quia mandata iniqua exequi non debent.

Vtrum legens, & non intelligens, vel tacito ore ſolo oculo percurrens libros hæreticorum incidant in hanc primam excommunicationem.

DIFFIC. IX.

DIco primò, quod legens, & non intelligens libros hæreticorum incidit in excõmunicationem, quia penitus prohibentur legi in deteſtationem hæreſis, & licet legens non noceat ſibi ex tali lectione, poteſt tamen audienti, & intelligenti obeſſe. Ita etiam *Bonac. loc. cit.* Verum

Dico ſecundò,quod forte poſſet excuſari ab hac excommunicatione legens librum latinè,vel græcè,vel alio idiomatè non intelligens tales linguas coram non intelligente eaſdẽ linguas, quia finis legis omnino abeſt in hoc caſu. Ita *Souſa diſput.13. Duard. q.43. & Sanch. l.2. c.10.* quod probabilius crederem quando non adeſt contemptus fidei, vel cõplacentia quædam legendi libros hæreticorum, ſed ſolũ ex mera ſimplicitate, vel curioſitate non doloſa, quia ſic ſolum materialiter omnino legeret,nec damnum ſibi, nec alijs non intelligentibus afferret.

Dico tertiò,quod licet aliqui negauerint tacito ore ſolo oculo percurrentem libros hæreticorum incurrere excõmunicationem in hoc primo Canone, ex eo quia qui oculo percurrit tacito ore non dicitur vere legere,ſed ſolum percipere,vnde videtur potius actus internus, qui non ſubeſt iudicio Eccleſiæ, quam externus, pœnæ autem reſtringendæ, tamen probabilius affirmandum videtur, quia oculo percurrens librum, vel Epiſtolam communi omnium ſenſu dicitur legere librum, & Epiſtolam, nec verum abſolutè eſt talem actum eſſe internũ, nam percurrens oculo librum facit actum externum videndi coniunctum cum interno, vnde ſubditur Eccleſiæ iudicio. Ex quo fit, vt mutus, & lingua impeditus ſi ſolo oculo percurrat librum dicatur verè legere,& legens ſolo oculo libros hæreticorum mutus incideret ſanè in excommunicationem in hoc primo canone bullæ latã. Vide *Graff. Vgol. & Souſ. loc. cit.* tanto autem probabilior erit hæc opinio, ſi verè percurrat librum hæreticorum quis ſolo oculo tacito ore ex malitioſa quadam curioſitate.

Vtrum paruitas materiæ ab hac excommunicatione excuſet legentes, retinentes, imprimentes,& defendentes libros hæreticorum.

DIFFIC. X.

VAriant DD. volunt enim aliqui non excuſare paruitatem materiæ in legendo libros hæreticorum, vnde legentem vnam lineam libri hæreticorum cenſent in hanc excommunicationem incurrere, quia in vna linea poteſt eſſe propoſitio hæretica ſollicitans ad ſubuerſionem. Ita *Tolet. l.1. in explicatione huius primæ Excommun. Vgolin. vbi ſup.* & alij.

Ceterum mitius reſpondent alij in hac excommunicatione primi Canonis dandam eſſe paruitatem materię,in materia .n. graui ſolũmodo, non autem in leui exiſtimãt violari leges poſitiuas. Quare legentes tres, vel quatuor lineas libri hæreticorum excuſantur hanc excommunicationem incurrere à *Graff. n.45. & Reginald. n.154. loc. cit.* legens decem lineas excuſatur à *Sayro l.3 de excomm. c.5.* At vero *Sanch.* omnium largiſſimus *c.10. n.21. loc. cit.* excuſat legentem vnam paginam libri hæreticorum ab hac excommunicatione.

Et quidem hęc opinio quoad quatuor, octo, vel decem non omnino improbabilis videtur, quoad autem totam paginam non videtur amplectenda, quia in vnius paginæ lectione poteſt eſſe periculum ſubuerſionis.

Probabilior tamen, & tutior videtur prima opinio, quod in lectione libri hęreticorum non detur paruitas materiæ,propoſitio .n. hæretica,quæ in vnius lineę lectione ſolet cõtineri ad modum veneni ſerpens in animo ad mentẽ poteſt eã inficere, & ita titillare, vt ad legenda reliqua inclinetur faciliter.

Verum

Digitized by Google

Verum eſt tamen, quod in hac excommunicatione paruitas materiæ poſſit eſſe in legendis tribus, aut quatuor verbis non facientibus plenam ſignificationem de re aliqua.

Præterea retinens ad modicum tempus per vnam, vel alteram horam, imò per vnum, vel alterum diem libros hæreticorum excuſatur incurrere in hāc excommunicationem primam *à Sanch. nu.55. Duard.q.51. & Reginald.l.9. nu.256.* Attamen tutius non debet permitti retentio per breue tempus, nam in illo breui tempore poteſt fieri contra intentionem legis, maximè ſi adſit malitioſa curioſitas, quod ſi ex quadam animi leuitate retineantur libri hæreticorum per paruum præfatum tempus, probabile eſt non incurrere taliter retinentem.

Quod ſi quis vnum, vel alterum folium libri hæreticorum retineret excuſandus eſſet ab hac prima excommunicatione, quia vnum, vel alterum folium non conſtituit librum, incideret tamen in excommunicationem latam in indice, vbi etiam ſcripta hæreticorum ſpecialiter ſub excommunicatione retineri prohibentur. Vide Sanchez loco citato.

Ex quibus collige, quod vendentes obſonia, & aromata, ſi retineant libros integros hæreticorum ad inuoluenda ſua vendibilia incidunt in hanc prima excommunicationem, quia periculum ſubuerſionis poteſt adeſſe licèt ad hunc finem non retineatur, quod ſi aliqua diſcompoſita folia non habentia nomen, & titulum libri; qui nec cognoſcatur eſſe liber hæretici retinerent præfati vendentes ad inuoluenda ſua vendibilia, poſſent vtique excuſari, quia verè non dicerentur retinere libros hæreticorum, inciderent tamen in excommunicationem latam in Indice, ſi ſcienter ea folia retinerent.

Quinam veniunt ſub nomine imprimentium, & defendentium libros hæreticorum in hac prima excommunicatione.

DIFFIC. XI.

Dico primò, ſub nomine imprimentium hic venire, primò Authorem libri, vel alium tradentem librum ad imprimendum. Secundò, Dominum officinę, ſi de eius mandato ſciētia, & tolerantia imprimatur. Tertiò, omnes concurrentes ad characteres componendos, chartam humectantes, typos excutientes, ſub pręlo ponentes, & correctores typorum, vel exemplaris, *quicquid Vgolin.* reclamet de correctore, nam vere influit in libri impreſſionem corrector typorū, & exemplariū. Ita communius Doctores ſupra citati, an verò tranſcribens librum hæretici, vt imprimatur, incidat in hanc excommunicationem affirmat *Souſ.c.1. diſp.17.* verum Bonacina negat tranſcribentem venire ſub nomine imprimentis, & probabiliter, quia tranſcribens nimis remotè ſe habet ad impreſſionem, nec eſt cauſa proxima impreſſionis, vnde ſcriptores non pertinent ad impreſſores.

Dico ſecundò, ſub nomine defendentium libros hęreticorum hic venire omnes ſcienter affirmantes non eſſe comburendos, quia non ſunt praui, nec tradendos eſſe Inquiſitoribus, imò impedientes ne tradantur dicuntur etiam defenſores, multo magis ſcribentes Apologiam pro libro hæretico; Adde comprehendi in hac excommunicatione defendentes eos diſputationis gratia, quia ſimpliciter excommunicantur defendentes libros hæreticorum, ſi quis verò laudaret ſtylum Auctoris dicens hic liber bonus eſt, niſi hæreſim contineret, non incideret, quia verè non defendit hæreſim, ſed potius eam vituperat. *Ita Vgolin. Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Quinam dicantur Schyſmatici in hac prima excommunicatione comprehenſi.

DIFFIC. XII.

Dico primò, quod ſchyſmatici ſtricto modo ſumpti hic ſolum excommunicantur, ſuntque illi, qui recedunt per voluntariam, & pertinacem ſubtractionem, & ſeparationem ab Eccleſiæ vniuerſalis, vel Summi Pontificis obedientia, vt notat *noſt. Ang. V. Schyſma, & D. Thom. 2.2. q.39. art.1.* Quare ſchyſmaticus excommunicatus etiam dicitur, qui euocat etiam alios ab obedientia præfata, nec non qui non vult communicare cum ſubditis Papæ in ſpiritualibus, multo magis, qui Synodos, & Concilia generalia celebraret, & faceret, quod eſt proprium Papæ, imò eſſet verè ſchyſmaticus, qui ieiunia, orationes, & alias actiones ſpirituales mandaret in Eccleſia vniuerſali, non vt pars Eccleſiæ Catholicæ, ſed vt caput, quia hoc eſt proprium Papæ, vnde ſe faceret Papam, & ſepareretur à vero capite. Ita communiter Doctores.

Dico ſecundò, quod non eſt ſchyſmaticus hic excommunicatus qui ſecedit ab obedientia Epiſcopi alicuius, quia non recedit ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ; nec dicendus ſchiſmaticus, qui rem ſibi mandatam à Summo Pontifice tanquam ſibi grauem, & incommodam renuit executioni tradere, quia Pontificem, vt Pontificem colit, & veneratur, ſpernit autem ſuum mandatum tanquam ſibi damnoſum. Ita nec dicendus ſchyſmaticus hic excommunicatus, qui Pontifici electo non obedit, quem probabiliter credit, non eſſe legitimè, & canonicè electum in Papam, modo habeat animum verè, & legitimè adorare quemcumque declarauerit Eccleſia eſſe verum Papam, hic enim non recedit ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ, nec ab obedientia Papæ ſimpliciter, ſed ſolum huius Papæ, qui probabiliter dubitatur non eſſe Papa canonicè electus.

EXCOMMVNICATIO SECVNDA.

Contra { *Appellantes ab Ordinationibus Papæ eiuſque mandatis ad futurum Concilium Generale.* } *Principaliter.*

{ *Dantes auxilium, & fauorem ad appellandum cuiuſcumque dignitatis, & conditionis fuerint.* } *Acceſſoriè.*

Vniuerſitates verò, Collegia, & Capitula talia perpetrantes interdicuntur.

Vtrum appellantes à Summo Pontifice vt Dominus eſt temporalis, non autem vt eſt Dominus ſpiritualis incidant in hanc ſecundam excommunicationem.

DIFFIC. I.

Non defuerunt Doctores, qui ſolùm excommunicari hic putarunt appellantem à Papa, vt Papa eſt dominus rerum ſpiritualium, non autem à Papa quatenus eſt Princeps, & Dominus rerum ſæcularium, etenim putantes grauatum à Papa in negotio merè temporali ſi appellet, non incidere in hanc excommunicationem, quia volunt hic Papam loqui in fauorem ſuæ iuriſdictionis ſpiritualis, quod colligunt ex illis verbis Bullæ (à mandatis noſtris, & Romanorum Pontificum) Romanus autem Pontifex iuriſdictionem ſpiritualem ſolum connotat, non temporalem, in odioſis autem ſtricta eſt facienda interpretatio verborum, *Ita Reginald. l.9. diſp. 263. verſ. not.4.*

Ceterum non puto probabilem hanc opinionem, quia Pontifex abſolutè, & indiſtinctè loquitur in præfato Canone, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus *ex l.1. §. generaliter de leg. præſt. & l. prem. ff. de publ. in rem act.* præterquam quod ſi daretur appellatio à Papa etiam vt eſt Dominus temporalis, præſuponeretur Papam poſſe habere ſuperiorem, vt eſt Dominus temporalis, Papa autem quia Vicarius eſt Chriſti, quem Deus conſtituit hæredem vniuerſalem, per quem fecit, & ſæcula, eſt Dominus in temporalibus, & ſpiritua-

libus totius Mundi nullum recognoſcens Superiorem, imò omnes eius ſunt ſubditi Imperatores, & Reges & quod autem Papa tanquam vniuerſalis Dominus debeat ſtare ſub cenſura ſuorum ſubditorum omnino indecens, & vituperabile eſt, quod vtique accideret, ſi à Papa in negotio temporali poſſet fieri legitima appellatio. Ita etiam *Bonac. quæſt. 3. punct. 2.* vbi teſtatur hanc eſſe communem opinionem.

Immò appellantes ad futurum Concilium generale ab ordinationibus iniuſtis à Papa factis, puta ſi notoriè conſtaret Papam ex ira, vel odio, vel aliqua animi perturbatione iniuſtas feciſſe conſtitutiones, quod Deus auertat, putant communiter Doctores hic excommunicari, quia in Bulla non fit diſtinctio de iuſta, vel iniuſta cauſa appellationis, cum ſemper ſit iniqua appellatio à Summo Pontifice etiam à ſententia iniuſta, quia non recognoſcit nec in temporalibus, nec in ſpiritualibus Superiorem, ita communiter, vide *Duard. q. 7. n. 5.*

Verum eſt tamen, quod ſi quis notoriam violentiam ſibi à Papa factam in re temporali puta per iniuſtam priuationem Regni, vel ſpoliationem Principatus repellat impediendo eius executionem non incideret in hanc ſecundam excommunicationem, quia non eſt appellare, ſed ſe defendere. Ita etiam *Bonac. Duard. & Vgolin. loc. cit.*

Vtrum ad præſens Concilium Generale à Papa eiuſque mandatis appellans incidat in hanc ſecundam Excommunicationem.

DIFFIC. II.

AFfirmant *Gambarup.* hic c. 2. quia videtur eadem ratio, ergo eadem debet eſſe legis diſpoſitio; faceret enim Papam ſubditum Concilio, qui ab eius mandatis ad Concilium appellaret.

Attamen communius negant, quia Papa ſpecialiter loquitur contra appellantes ad futurum Concilium generale, ergo non vult includere recurrentes ad præſens Concilium generale, exceptio enim firmat regulam in contrarium, & in odioſis non eſt facienda extenſio vltra propriam verborum ſignificationem *ex Reg. iur. in 6.* Ita *Sayr. l. 3. cap. 6. Duard. q. 7. Bonac. & Reginal. vbi ſup.* ex quibus.

Collige appellantem ad futurum Papam, vel à Collegio Cardinalium ad futurum Papam non incidere in hanc excommunicationem, quia non exprimitur huiuſmodi appellans, quod ſi à Concilio Prouinciali, vel Diœceſano, cui Papa perſonaliter præſideret, appellaret, vtique incideret in hanc ſecundam excommunicationem; quia à Papa verè appellaret.

Quando, & quomodo dicantur auxiliantes, & fauentes in hanc excommunicationem incurrere.

DIFFIC. III.

DIco primò, hic non excommunicari auxiliantes, & fauentes poſt interpoſitam appellationem, neque ratificantes appellationem iam factam, ſicut nec conſulentes ipſam, cum non exprimantur in Bulla, & in odioſis ſtricta facienda eſt interpretatio, nec verborum facienda extenſio, itaque ſolum auxiliantes, & fauentes ad actualiter appellandum, excommunicantur, vide *Bonac. et Duard. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod hic non excommunicantur volentes, & intendentes appellare, niſi actu appellatio ſit ſecuta, ita etiam Doctores citati.

Aduerte autem hic conſulentes prædictam appellationem, eamque approbantes, decernentes, & deliberantes, licet non excommunicentur in hoc Canone, excommunicantur in *extrauag. Iulij II.* quæ incipit Suſcepti Regiminis.

EXCOMMVNICATIO TERTIA.

Contra	*Piratas, Curſarios, & Latrunculos maritimos.*	*Principaliter Diſcurrentes mare Summi Pontificis, præcipuè à mare Argentino vſque ad Terracinam.*
	Acceſſoriè Fautores, Receptatores, Defenſores	*Eorumdem Piratarum, Curſariorum, & latrunculorum Maritimorum.*

Quinam dicantur Pyratæ, Curſarij, & latrunculi Maritimi in hac tertia excommunicatione comprehenſi.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod illi dicuntur in genere Pyratæ, Curſarij, & latrunculi Maritimi in hac Excommunicatione tertia comprehenſi, qui animo principaliter deprædandi mare diſcurrunt, & nauticam exercent ad hunc finem principaliter, vt deprædentur alios Nauigantes, verum eſt tamen, quod iſta nomina ſingillatim videntur habere ſpecialem rationem deprædandi ſecundùm magis, & minus, hinc Pyrata propriè dicitur, qui triremibus, & nauigijs maioribus, Curſarij, qui minoribus vulgo Bergantini, latrunculi autem qui paulo minoribus, vulgo, fuſtæ, mare deprædantur.

Dico ſecundò, quod ſi mare ingrediantur animo deprædandi tempore belli iam indicti, hoſtes, contra quos eſt indictum bellum, non ſunt hic excommunicati, quia non dicuntur Pyratæ, nec Curſarij, nec latrunculi qui animo hoſtibus nocendi mare diſcurrunt, ſed milites vocantur ſub ſuo legitimo Iudice congregati, contra vero Milites deprædantes mare, non fertur hic excommunicatio. Ita ex parte *Angel. noſt. V. Excomm. §. 18. Sayr. l. 4. c. 7. Suar. diſp. 21. ſect. 2. Duard. l. 2. can. 3. q. 2. & Bonac. q. 4. punct. 1.*

Dico tertiò, quod Chriſtiani remigantes in triremibus Pyratarum infidelium, ſi hac occaſione etiam ipſi deprædentur Chriſtianos inuaſos à ſuis Dominis non incurrunt hanc excommunicationem, quia ipſi verè, nec Pyratæ, nec Curſarij, nec latrunculi Maritimi ſunt, cum non diſcurrant mare animo deprædandi, nec nauticam exercent ad finem deprædandi, ſed mare compulſi remigant in eorum triremibus, nec incurrunt excommunicationem remigando, quod ſi renuerent remigare contra Chriſtianos, horribiliter ſaltem flagellarentur, itaque graui metu compulſi remigantes non incurrunt.

Vtrum aliud mare præter Argentinum vſque ad Terracinam ſit mare Summi Pontificis, et ſubiectum huius tertiæ Excommunicationis.

DIFFIC. II.

DIcendum puto non ſolum mare Argentinum vſque ad Terracinam, quod eſt mare immediatè ſubiectum Pontifici, verum etiam mare Tirrenum, ſeu Ionicum, quod eſt mediatè ſubiectum Papæ eſſe ſubiectum huius excommunicationis, ita vt deprædantes in mari Tyrreno, ſeu Ionico etiam afficiantur hac tertia Excommunicatione, ratio huius eſt, quod Papa in Bulla dum loquitur de Mari Argentino ponit particulam, præcipuè, quaſi velit latam eſſe hanc excommunicationem principaliter pro mari Argentino immediatè ſubiecto, & acceſſoriè pro mari mediatè ſubiecto, quod eſt mare Tyrrenum, ſeu Ionicum. Ita etiam *Duardus l. 2. can. 3. q. 3. Vgolin. hic c. 3. et Bonac. q. 4. punct. 2.*

Quare pyratæ, Curſarij, & latrunculi deprædantes non ſolum in mari Argentino vſque ad Terracinam immediatè

diatè ſubiecto Pontifici, verũ etiã in Mari Tirteno, ſeu Ionico, [redacted] incurrunt hãc Excõmunicationem tertiam, quia vtrumque mediatè ſaltem eſt mare Summi Pontifices.

Vtrum nauigantes animo negotiandi, ſi incidenter in dictis Maribus deprædentur, vel aliquid ſurripiant in nauibus, in quibus nauigant incurrant hanc tertiam excommunicationem.

DIFFIC. III.

DIco primò, non omnino improbabiliter nauigantem animo negotiandi incidenter in prædictis maribus deprædãtem in hanc tertiam excommunicationẽ incidere velint *Sayr, & Reginald. loc. cit.* ex eo quia vere dicitur latrunculus Maritimus, qui in mari deprædatur, & latrocinatur, attamen probabilius puto negandum, dum nauticam non exercet ad finem deprædandi, nec hoc facit ex aliqua conſuetudine, nec hoc animo in mare ingreſſus eſt, vt deprædetur pro illa vice, ſed ſolum incidenter omnino deprædatus eſt, ſanè probabilius dicendum, quod non afficiatur hac tertia Excommunicatione. Ita etiam *Suar. & Bonac. loc. cit.* quia non dicitur verè latrunculus, qui incidenter deprædatur, nec artem deprædandi exercet. Quod ſi ingreſſus eſt mare cum hac animi virtualitate, ſi occurrat deprædari, vellet abſque dubio deprædari, & ideo in locis aptis latitat, at deprædetur, ſanè in præfatam excommunicationem incurrit, quia artem hãc latrocinandi proponit exercere in mari, licet principaliter pro negotiando nauticã exerceat. Quare

Dico ſecundò, quod ſi quis Nauta animo deprædandi aliquem recipiat in mari, vt poſtquam in altum venerit, eum deprædetur, & de facto deprædatus fuerit in hanc tertiam incidit excommunicationem, quia vere animo deprædandi mare, eſt ingreſſus, at vero qui animo ſincero, & fideli recipit aliquem in ſua Naui, vt alio fideliter tranſuehat, poſtea vero cum in altum venerit ab intereſſe excæcatus eum deprædetur in aliquo ex dictis maribus licet *Alter. & Reginald.* velint, quod incurrat hanc excommunicationem, quia verè vtitur mari ad depredandum, attamen mitius puto negandum cum *Bonacina* quia per accidens eſt, quod deprædetur, in præfata autem excommunicatione puniuntur latrunculi, qui artem deprædandi ex animo principaliter, & per ſe exercent, iſte enim potius dicitur furari in Mari, quam latrocinari. Quare

Dico tertiò, quod ſurripientes clam ex nauibus in quibus nauigant aliquod à Dominis, vel transfretantibus non incidunt in hanc excommunicationem, quia in hoc Canone non prohibetur furtum in mari, ſed latrocinium, quod committitur quando ex occulto prodirur, & cum violentia deprædatur. *ex gloſ. in c. hoſtes ff. de verb. ſignificat.* ex quo collige quod ſi nautæ diuerſarum nauium inter ſe ſe rixentur ob aliquam cauſam inter ſe ſe ſubortam, & hac occaſione ſe ſe aggrediantur, & deprædentur, nec incurrunt hanc excõmunicationem, quia verè non animo latrocinandi, & piratico, ſed ſolum hoſtili ſe ſe inuicem offendunt. Ita etiam *Alter. c. 3. diſp. 5. Duard.* q. 8. *c. 3. Bonac. loc. cit.* & alij.

Vtrum in hoc Canone tertio contineantur latrunculi, qui in fluminibus influentibus in d. Maria deprædantur Naues in ipſis commorantibus.

DIFFIC. IV.

DIcendum primò, quod dum in hoc capite latrocinantes in fluminibus non exprimuntur, nullo modo cenſendi ſunt excommunicati, quia in rigore qui in fluminibus deprædantur non ſunt latrunculi maritimi, & in odioſis non eſt facienda extenſio.

Dicendum ſecundò, quod ſi latrunculi fluuiales per mare non exercentes latrocinium, ſed merè in fluminibus, ſi nautas maritimos ad flumen confugientes, vt melius quieſcant deprædentur, licet *Reginaldus* affirmet quod incurrant hanc tertiam excommunicationem, quia naues maritimas deprædantur, attamen communius negant, quia verè non ſunt latrunculi mare diſcurrentes, Bulla enim loquitur ob defenſionem maris non fluminis, ſubduntur tamen iſti latrunculi fluuiales excommunicationi latæ *in c. 3. de Raptoribus.*

Vtrum deprædantes in præfatis maribus infideles aduehentes merces cum ſaluo conductu incidant in hanc tertiam excommunicationem.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod certũ eſt apud omnes Chriſtianos exercentes pyraticam contra infideles non incurrere hanc tertiã excõmunicationẽ, quia infideles ſaltem habitualiter sũt inimici Chriſtiani nominis, & cõtra eos principaliter animo hoſtili procedere Chriſtiani debent, & ſecundariò pro eis deprædandis, præterquam quod Papa non intendit, nec præſumi debet velle protegere inimicos Chriſtiani nominis, & quoſcũque infideles cenſuris Eccleſiaſticis. Ita communiter.

Dico ſecundò, quod licet aliqui negauerint Chriſtianos deprædantes infideles nauigantes præfata maria cũ ſaluo cõductu Papæ incurrere hanc tertiam excõmunicationem, ſed ſolũ incurrere volunt pænas corporales impoſitas contra offendẽtes ſaluum conductũ, Ita *Suar. Filiucc. & Duar. loc. cit.* attamen probabilius puto incidere, quia infideles dum habent ſaluum conductum à Papa gaudent priuilegio aſſecurationis in ſuis maribus, & conſequenter eos deprædantes contra intentionem Papæ, verè ſunt latrunculi maritimi cenſendi, quia cõtra indemnitatem maris Eccleſiaſtici faciunt. Ita etiam *Bonac. & Vgol. loc. cit.* Immo

Dico tertiò, quod ſi Chriſtiani ſuis Nauibus infideliũ merces ab ipſis Chriſtianis aſſecuratas prouehant, & deprędentur etiam hanc excommunicationem incurrunt, quia damnũ infertur Chriſtianis aſſecurantibus, modo Chriſtiani habeãt priuilegiũ à ſuis Principibus aſſecurandi naues infideliũ, vel ſaltẽ non ſit prohibitio ſpecialis facta ne aſſecurentur infidelium merces à Chriſtianis, quod ſi dictę merces non ſint aſſecuratę, & vehantur à Chriſtianis, & à latrunculis Maritimis ſurripiãtur à manibus Chriſtianorum in dictis maribus, modo nullo offenſio inferatur Chriſtianis, & ſi inferretur incidenter cum animo reſarciendi eis dãna illata, dicẽdũ eſt nõ affici hac tertia excommunicatione propter rationem in 1. concl. adductam, e contra vero ſi merces Chriſtianorum vehantur in Nauibus infideliũ, eas deprędantes incurrũt excõmunicationẽ, niſi adſit animus eas reſtituendi; quia vere deprædarentur merces Chriſtianorum priuilegio maris gaudẽtium. Ita communiter DD.

Vtrum ingredientes præfata Maria cum animo deprædandi, incidant in excommunicationem tertiam, ſi nulla ſequatur actualis deprædatio.

DIFFIC. VI.

DIcendum, quod licet antiquiori tempore fuerit dubium in hoc caſu, etenim in bulla Iulij II. & Greg. XIII. ponitur ſpoliatio, occiſio, & mutilatio, vnde videbatur requiri actualis deprędatio, hodie tamen quia in bulla Clementis VIII. & Pauli V. non ponuntur iſtæ conditiones, ſed diſcurſus per mare cũ animo deprędandi prohibetur, abſolutè affirmandum dictos ingredientes mare Pontificis animo deprædandi incidere in hanc excommunicationem tertiam; Ita etiam *Filliucc. & Bon. loc. cit.* an vero toties incurratur, quoties cum animo deprędãdi ingreditur mare à dictis latrũculis, licet nunquam ſequatur actualis deprædatio, affirmandum, modo ingreſſus ſint moraliter interrupti, vt dicetur etiam de percutiente Clericum per plures vices moraliter interruptas.

Quando incurrant hanc tertiam excommunicationem Receptatores, & fautores Pyratarum.

DIFFIC. VII.

DIco primò, certum eſſe Receptatores, & fautores Pyratarum non incurrere hanc Cenſuram, ſi de facto non fuerint mare ingreſſi cum animo deprædandi, quia fautores, & Receptatores ſolum excommunicantur acceſſoriè, non autem principaliter, prohibiti autem acceſſoriè non puniuntur niſi ſecuto effectu.

Dico ſecundò, quod conſanguinei quibus de iure naturæ nõ poteſt prohiberi receptatio Pyratarum, ſi conſeruant bona deprædata in ſuis domibus ſolũ per accidens non incurrunt hãc excommunicationem, incurrunt autem ſi ex tali bonorũ conſeruatione animoſiores efficerentur ad deprædandum quia phiſicè ad deprædationem concurrerent. Ita *Bonac. loc. cit.* quod tanto magis dicendum de quocumque ſeruante.

EXCOMMVNICATIO QVARTA.

Contra ſurripientes bona Chriſtianorum in quolibet Mari naufragantium, etiam ſi hæc bona exiſtant in Nauibus vel ſint eiecta ſiue in mari, ſiue in littore inuenta, Nec priuilegium, nec Conſuetudo etiam immemorabilis, nec longa poſſeſſio, aut quilibet alius prætextus excuſat ab hac Cenſura.

Vtrum Conſulentes, Mandantes, auxiliantes, fauentes, & ratum habentes, & Receptantes cum participatione furti excommunicentur in hoc quarto Canone.

DIFFIC. I.

SVppono primò, quod in hoc Canone non ſolum excommunicantur ſurripientes id eſt clam, occultè, abſque vi tollentes, verum etiam rapientes, id eſt per vim, & violentiam auferẽtes bona naufragantium, ſi enim minus prohibetur in eorum fauorem, multo magis, quod maius eſt, intentio enim Papæ eſt conſulere indemnitati naufragantium, ergo quicumque, & quocumque modo damnificantes naufragantibus eorum bona tollendo hic excommunicãtur. Ita communiter Doctores.

Suppono ſecundò, quod in hoc Canone non excommunicãtur conſulentes, quia conſilium non concurrit ad ſurreptionem bonorum tanquam cauſa phiſica; hic autem ſurripientes excommunicantur, porrò ſurripere eſt actus phiſicus, cauſa ergo moralis non videtur hic prohiberi ſicut eſt conſulens. Ita communius Doctores.

Quod ergo in hac difficultate negotium faceſſit, eſt an auxiliantes, mandantes, fauentes, ratum habentes, & receptantes cum participatione furti hic excommunicentur.

Affirmant *Suar. diſp. 21 ſec. 2. de Conſ. Filiucc. tract. 8. c. 4. Alter. hic c. 3.* quia per ſe phyſicè præfati ſinguli influunt in actionẽ ſurripiẽdi, qui enim per aliũ facit, per ſe ipsũ facere videtur.

Attamen negant alij, quia in hac bulla, quando Papa intendit excommunicare fauentes, mandatores &c. expreſsè eos nominat, ergo dũ in hoc Canone non exprimuntur, ſignũ eſt Papam eos nolle in hac excõmunicatione comprehẽdere, & in odioſis nõ eſt faciẽda extẽſio, ita docẽt *Vg. hic c. 4. Duar. q. 23.* & alij.

Diſtinguendum tamen in hac difficultate puto, nam auxilium fauor, & mandatum immediatè influunt in ablationem rerum naufragatarum, puta aſſiſtẽdo rapinæ, præbendo funes, ſcalas, iumenta, & deportando bona alio, vel nauim accomodando, & conſimilia faciendo, vel actu præſentialiter mandando, & in hoc caſu omnes iſti auxiliatores, & mandantes, fauentes, & ratum habentes, & receptantes cum participatione furti incidunt in hanc quartam excommunicationem tãquã proximè, & phyſicè cooperatores, nec fuit neceſſe, vt eos Papa exprimeret, quia verè iſti omnes dicũtur ſurripere phyſicè. Si vero auxilium, & fauor, & mandatum remotè concurrant ad ſurreptionem, cum non exprimantur in bulla, non comprehenduntur in hoc Canone, quia remotè concurrens ad actionem, non dicitur in rigore cauſa illius.

Ceterum bona naufragantium abſque participatione furti in cuſtodia acceptantes, & ſeruantes a Gregor. XIII. fuerunt in hoc Canone etiam comprehenſi, ceteri ſucceſſores non expreſſerunt, ergo ſignum eſt regulariter non comprehendi, niſi exprimãtur, cõſulenda ergo in hoc ſemper bulla præſentis anni.

An vero qui bona naufragantium ab ipſis naufragantibus bona fide accepit, & poſtea negat ea recepiſſe incidunt in hanc excommunicationem, negat, & iure Duardus q. 9. quia verè hic non dicitur ſurripere bona naufragantium, ſed ſolum iniuſtitiam committit contra fidem Repoſiti, & cuſtodiæ, non autem contra rationem Naufragij, & Papa ſolum loquitur de bonis naufragatis in mari, littore, vel naui exiſtentibus, non autem alibi repoſitis, & ſeruatis.

Vtrum ſurripientes bona naufragantium, & immediatè pænitentia ductus reſtituat ea incurrat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. II.

NEgare videntur *Caiet. V. Excomm. c. 23. & Nauar. c. 27.* qui a hac bulla iuxti communi antiquo congrua eſſe debet exiſtimari in c. autem excommunicationi de Raptor. excommunicantur moroſi detentores, ergo hic etiam ſurripientes, & moroſè detinẽtes bona naufragata ſolum excommunicantur, & hanc probabiliter, quia intẽtio Papæ eſt prouidere indemnitati naufragantium, cui proſpicitur à ſtatim reſtituentibus, non autem à moroſis detentoribus, poterit enim moroſa reſtitutio admodum nocere miſeris naufragantibus, non autem ſubita, & immediata reſtitutio.

Attamen fortè probabilius affirmant immediatè reſtituẽtẽ præfata bona incidere in hanc excommunicationem, quia ſurreptio ſimpliciter non habita mentione de mora prohibetur in bulla, excommunicatio autem fert ſecum ſtatim ſuum effectũ contra prohibitam actionem executioni mandatam. Ita *Sayr. l. 3. c. 8. Duard. q. 2. Vgol. c. 4. §. 1. Filliuc. q. 16.*

Quare *Duardus* optimè monet incurrere duas excommunicationes ſurripientes bona naufragata, & moroſè detinentes ea, primam in hoc Canone Bullæ Cœnæ, & ſecundam in *d. c. excommunicationi.* contra moroſos detentores, verum hæc nulli eſt reſeruata, & ratio eſt, quia ſunt duæ diſtinctæ actiones ſurripere, & moroſè detinere ſurrepta, ergo duabus cenſuris poſſunt iure diſtinctè prohiberi. Ex quibus

Collige, quod licet ſurripiens bona naufragantium ignorans eſſe naufragata, quia ignorantia facti excuſat à Cenſura, ſi poſtea cognoſcat eſſe naufragata, velit iniuſtè retinere, nec curet reſtituere incidit in excommunicationem præfati capitis, non autem in excommunicationem hanc quartam, quia hic ſurripientes, non autem iniuſtè retinentes excommunicantur. Ita *Suar. Sayr. Caiet. & Bonac. contra Reginald.*

Vtrum ſurripiens bona naufragantium, & Nauibus diſruptis ab hoſtibus, vel ante naufragium, vel poſtea ſubiaceat huic quartæ excommunicationi.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod licet Filliucc. & alij negent ſurripientes bona naufragantium ex hoſtium aggreſſione, bõbardis, vel alio modo naues dirumpentium incurrere hanc excõmunicationẽ, quia huiuſmodi rerum amiſſio non eſt propriè naufragium, attamen probabilius cum *Vgolino c. 4. § 1. & Duard. q. 6.* affirmatiuè reſpondendum, quia in hac quarta excõmunicatione Pontifex loquitur de patientibus naufragium quocumque modo cum non ſpecificet naufragium præciſè à tempeſtate maris cauſatum, ergo loquitur de quocumque naufragio generaliter. Quare etiam

Dico ſecundò, quod eadem ratione incidunt in hanc quartã excõmunicationẽ ſurripientes bona proiecta in mari ad leuitatem nauim ob periculum naufragij, quia verè poſſunt dici talia bona naufragata, & proijciuntur cum ſpe requirendi ea, & recuperandi. Ita Doctores citati pro ſecunda ſententia.

Dico tertiò, quod probabile admodum eſt ſurripientes bona ante naufragiũ, quod timetur, vel in ipſa naufragij trepidatione incidere in hanc excõmunicationem *ex l. Pedius ff. de incend. ruin. naufr.* vbi habetur poſſe dici ſurripuiſſe bona naufragantium, qui ea ſurripuit in ipſa naufragij trepidatione. Ita etiam Duardus q. 7. attamen alij communius negant, quia dicta lex loquitur præſumptiuè in foro fori, in quo etiam intentio mala præſumpta punitur. at vero Cenſuræ non ligant intentionẽ, & animũ malũ, ſed effectum ſubſecutũ, quare cũ verè naufragiũ non ſit ſubſecutũ, non incidunt ſurripientes ante naufragium, quod proximè timetur, & in odioſis non eſt facienda extenſio.

Vtrum ſurripientes bona naufragantium in flumine, vel lacu incidant in hanc quartam excommunicationem.

DIFFIC. IV.

NEgant communius Doctores, quia in pœnalibus non eſt facienda extenſio, etiam ſi currat paritas rationis, cum ergo non exprimatur naufragium factum in flumine, vel lacu, ſed ſolum ſpecificè loquitur de naufragio facto in mari, ſurripientes bona naufragata in flumine, vel lacu non afficiuntur hac excommunicatione quarta. Vnde

Collige idem dicendum de bonis naufragantium in mari inuentis extra mare vel littus nõ incurrere hac excõmunicationẽ ea ſurripientes, quia ſolũ ſurripientes hæc bona in mari, vel

littore

ſictore excõmunicantur ſpecialiter. Ita *Bonac. pũc. 2. & Duard. q. 8.* licet Graſſius videatur ſentire, quod vbicumque inuenta bona naufragãtiũ ſurripiẽtes excõmunicẽtur in hoc Canone 4.

Vtrum ſurripientes bona hæreticorum, & Pyratarum Chriſtianorum naufragantium, vel bona Chriſtianorum ab hæreticis, et infidelibus aſſecurata incurrant hanc quartam excommunicationem.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod ſurripientes bona hæreticorum, & infidelium naufragantium non incidunt in hanc quartã excommunicationem, quia non præſumitur Eccleſia velle protegere ſuis Cenſuris eos, qui extra ſuum gremium manent, & regulariter ſunt Catholicorum hoſtes damnoſiſſimi, quare hæretici præcipuè licet ſint verè Chriſtiani, Eccleſiæ tamen Catholicæ ſunt hoſtes pernicioſiſſimi. Ita communiter *Sayr l. 3. c. 8. Vgol. hic, Alter. hic c. 2. dub. 7. Duard. hic q. 3. n. 6.*

Dico ſecundò, quod licet *Duard. & Vgol.* locis citatis videãtur affirmare, quod ſurripientes bona Chriſtianorum ab hæreticis, & infidelibus aſſecurata incidant in hanc excõmunicationem, quia verè ſunt bona Chriſtianorum hæc, quæ naufragium ſunt paſſa, licet ab alijs aſſecurata, attamen probabilius dicerẽ non incurrere, quia non cenſentur bona Chriſtianorum naufragata in hoc caſu, cum Chriſtiani ratione aſſecurationis factæ nullum damnum patiantur, ſed potius dicuntur bona aſſecurantium, cum ipſi aſſecurantes damnum à naufragio prouenienſ ſentiant. Ita *Alter. & Reginald. loc. cit.*

Dico tertiò, quod ſurripientes bona Chriſtianorum Pyraticam exercent, ſi iam ſint naufragium paſſa incidunt ſi eadem numero ſint Chriſtianorum, quibus Pyratæ eos ſpoliauerant, ſecus ſi tum animo reſtituendi ea ſurripiant, quod ſi non ſint eadem numero Chriſtianorũ, ſurripientes non incurrunt, quia Piratæ ſunt hoſtes diffidati, & hoſtibus æquiparantur, & conſequenter iuſtè ſpoliari poſſunt rebus, quas portant, vel naufragio amittunt. Ita *Bonac. punc. 3. & Duard. q. 4.*

Vtrum ſurripiens rem naufragatam vulgarem tamen, licet ſufficientem ad peccatum mortale incidat in hanc quartam Excommunicationem.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod licet aliqui Doctores affirmauerint, quia vbi adeſt materia ſufficiens ad peccatum mortale poteſt ferri validè cenſura, attamen probabiliter etiam negatiuè reſponderi poteſt, nam excommunicatio non debet ferri pro qualibet re vulgari, licet foret ſufficiens ad peccatum mortale, & ratio eſt, quia vileſceret excommunicatio ſi pro qualibet re leui, & vulgari ferretur, quinam autem valor non dicatur vulgaris ad hoc, vt poſſit ferri excommunicatio contra ſurripientes, vel retinentes, paſſim volunt valor duorum aureorum, quod non exiſtimetur paſſim vulgaris, itaque ſurripientes rem minorem duobus aureis tanquam vulgarem de rebus naufragatis non vidẽtur incurrere excommunicationem; Ita *Sayr de cenſ. l. 1. c. 9. Bonac. punc. 4. & Quaranta V. Bona naufr.* quod ſi multi animo concordi ſinguli res naufragatas valoris vulgaris cõſtituentes ſimul vnitas ſũmã ſufficientẽ ad excõmunicationem, ſinguli ſanè inciderent in excõmunicationem, vt dicetur infra V. Reſtitutio. Ita etiam *Vgol. Filiucc. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum ſurripientes bona naufragata, quæ habentur pro derelictis, vel vt reſtituant Domino, incidant in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod ſi bona naufragata omnino pro derelictis probabiliter exiſtimantur, non incidit in hanc excommunicationem ſurripiens, nec obſtat, quod Bulla prohibeat nullo prætextu, ea ſurripi poſſe, nam Bulla intelligẽda eſt de prætextu iniuſto, vel illiquido, non autem de prætextu iuſto, & liquido, etenim quæ iuſto prætextu tolluntur, vidẽtur ſurripi nõ inuito Domino, iuſtus autẽ prætextus eſt, vt bona à proprijs Dominis pro derelictis habita ſint primo ea occupantium, æquius eſt .n. vt conſimilia hominum ſeruitio deputẽtur, quam corruptioni.

Circumſtantiæ porrò quæ probabiliter ſuadere poſſunt bona naufragata haberi pro derelictis, multæ ſunt, & prima eſt, ſi ſedata tempeſtate iam Dominus in portu ſe recepit, & nouit, vbi ſua bona naufragata ſint, & infra aliquod tẽpus, intra quod quilibet etiam parum prudens quærit ſua recuperare, attamen nec per ſe, nec per alios curat ea recuperare, ſignum eſt ea pro derelictis habenda. Secunda ſi Dominus proiecerit ſua bona in mare, in quo nullum periculum tempeſtatis imminebat ſignum probabile eſt, quod ea non curat habere. Tertia eſt circa modum proijciendi, nam ſi res facilè in aqua perdendas ſine cuſtodia proijciat, pro derelictis habentur, quod ſi cum diligentia aliqua ad finem res proijciendas defendendi ab aquis proijciat, ſignum eſt habere voluntatem, & recuperandi, hinc ſi libros inuolutos diligenter ne ab aqua lædantur proijciat, eos recuperare velle ſignum eſt, ſecus ſi apertos proijciat. Quarta ſumitur ex materia naufragata, nam ſi materia proiecta ſit facile corruptibilis, & recuperatu difficilis vt Saccarum ficus, poma, vel metalla, vel alia grauia, quæ ſtatim ruunt in profundum, ſanè pro derelictis habenda ſunt. Ita etiam *Graff. l. 4. c. 18. Sayr l. 3. c. 8. Vgol. hic §. 2. Alter. in expoſ. huius can.*

Dico ſecundò, quod licet probabile admodum ſit, quod bona, quæ nullo modo recuperatura fuiſſet Dominus, quia nullo modo in portum deueniſſent, nec ad littus, ſed omnino in profundum ruitura fuiſſent, ſi quis ſuo labore, induſtria, & periculo vitæ recuperaſſet, incidat in hanc excommunicationem, ſi Domino ſolum iuſta mercede pro ſuo labore, & periculo repetẽti non reſtituat, attamen nec puto improbabile non incidere, ſi non reſtituat etiam ſoluta mercede, quia talia, quæ omnino peritura proijciuntur, omnino pro derelictis habentur ab ipſis Dominis, itaque licet inuiti eorum dominio ſpoliatos ſe cenſent, tranſeunt ergo iuſtè in dominium, ea ſuo labore, induſtria, & periculo recuperantium, vnde ad reſtitutionem eorum non tenentur. Vide infra V. Reſtitutio.

Dico tertiò, quod ſurripientes bona naufragata cum hac conditione ne pereant, & comparente Domino legitimo cum animo fideliter ea reſtituendi, certum eſt non incurrere hanc excommunicationem, quia iuſto, & liquido prætextu fideliter res naufragatas accipit, & retinet.

Vtrum vtentes iuſto priuilegio, & iuſta conſuetudine in accipiendis bonis naufragantium incidant in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

SVpponunt Doctores communius poſſe Principes concedere iuſtum priuilegium accipiendi bona naufragantium, & conſequenter poſſe iuſtam introduci pro iſtis licitè accipiendis conſuetudinem, iuſtum autem putant priuilegium, & conſuetudinem huiuſmodi, ſi rationabilibus cauſis fulciatur, & primo iuſtum priuilegium, & conſuetudo erit, ſi concedantur bona naufragata accipi liberè poſſe, vt Dominis fideliter reſtituantur ſtatim atque per ſe, vel per alios legitimè comparuerint ſoluta tamen prius iuſta mercede pro qualitate laboris, periculi, vel induſtriæ in ipſis recuperandis, iuſta autem eſt iſta cauſa quia vtiliter geritur negotium naufragantium, quod ſi non comparuerint Domini, expectato rationabili temporis ſpatio, pauperibus tanquam incerta diſtribuantur. Ita *Caiet. V. Excõm. c. 23. Nauar. c. 27. n. 118. Duard. q. 19. & 20. & Bon. loc. ci.*

An vero præfata bona, non comparentibus Dominis poſt rationabile temporis ſpatium poſſint ab Epiſcopo loci applicari pro aliqua cauſa publica, puta pro defenſione contra hoſtes, & conſimiles cauſas, affirmatiuè reſpondendum, nã cauſa publica æquiparatur cauſæ piæ, cum tã ſæcularibus, quam Eccleſiaſticis, tã diuitibus, quã pauperibus proſit Vid. *Sayr. loc. ci.*

Priuilegium ſecundo etiam rationabiliter conceditur, & cõſuetudo iuſta euadit, quod accurrentes in manifeſto naufragij periculo nautis auxilium implorantibus in euidẽti ſubmerſionis periculo conſtitutis bona naufragantium licitè retinere valeant, nam periculum cui ſe ſubijciunt in accurrendo naufragantibus eſt pretio æſtimabile, ergo de bonis ipſis licitè poteſt ſtatui, & conſuetudo introduci, quod poſſint ſibi ſumere accurrentes abſque timore reſtitutionis, & excommunicationis, quod ſi Domini velint ea ſibi reſtitui ſoluta iuſta mercede pro qualitate laboris, & periculi, omnino debent reſtitui.

An vero poſſit priuilegio, & iuſta conſuetudine introduci quod accurrentes cum ſuo manifeſto periculo vitæ ad ſal-

Digitized by Google

ſaluandos nautas in extremo periculo naufragij euidentis poſitos poſſint tuta conſcientia retinere bona naufragantium, ita vt non ſint obligati ad reſtitutionem eorum, licet Domini velint ſibi reſtitui ſoluta iuſta mercede pro periculo, & labore, probabiliter affirmandum, nam pluris valet vita naufragantiũ, quam eorum bona, ergo pro ſaluanda vita naufragantium iuſtè poteſt ſtatui, quod eorum bona naufragata ſint abſolutè accurrentium ad ſaluandum eos, adde quod periculum vitæ, cui ſe committunt accurrentes non poteſt æqua merces attribui; præterquam quod iuſtè etiam poteſt ſtatui, & conſuetudo iſta legitime introduci; quod accurrentes cum periculo vitæ ad ſaluandos nautas in euidenti naufragijs, & ſubmerſionis periculo non teneantur reſtituere, adhoc, vt animoſiores reddantur ad accurrendum ad ſaluandas vitas hominum tali bonorum naufragatorum premio ex poſito. Vide *Bonac. d. l. 2. can. 4.* ex quibus patet reſponſio ad difficultatem.

EXCOMMVNICATIO QVINTA.

Contra
- *Imponentes noua pedagia, ſeu gabellas in terris ſuis*
- *Eadem augentes*
- *Exigentes prohibita imponi vel augeri.*

Preterquam in caſibus à iure permiſſos.

Excipiuntur
- *Supremam poteſtatem habentes in Terris ſuis,*
- *Qui poſſunt imponere iure ſibi permittente.*
- *Qui imponunt, vel augent Summo Pontifice concedente.*

Vtrum ſub nomine pedagij, & Gabbellæ comprehendantur in hoc quinto Canone Guidagium, Portorium, taxa, collecta, præſtantia, Talea, & Perticatus.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod tributum ſoluitur regulariter vel pro perſona, vel pro re, ſi pro perſonæ dicitur pedagium à pede, quia imponitur pro tranſitu perſonæ per aliquem locum puta Pontem, ad ipſius conſtructionem, vel reparationem, vel dicitur etiam Guidagium, quod ſoluitur pro viarum ſecuritate tuenda, quare certum eſt ſub nomine pedagij in hoc quinto Canone bullæ venire etiam guidagium, nam eſt impoſitio pro tranſitu perſonę ſicut pedagium, vtrumque enim tributum eſt eiuſdem rationis, & ideo non fuit neceſſarium ſpecificare guidagium, quia ſub eadem ratione pedagij venit, itaque imponens nomen guidagium pro aſſecuratione viarum, vel antiquum augens in ſuis Terris excommunicatur in hoc primo Canone; ita communiter Doctores infra citandi.

Dico ſecundò, quod ſi pro re imponitur tributum regulariter vocatur gabella quæ paſſim ſolet imponi pro re vehenda, tranſportanda, emenda, vel vendenda, quod ſi res deducta, & tranſportata per mare ſolet dici portorium à Portu, itaque Gabella, & portorium pro eadem re ſumuntur, ſolum ſpecificantur ratione loci, à quo, vel per quem res ſuper quibus impoſitum eſt tributum tranſuehitur, & hodie paſſim in vrbibus magnis ſolet vtrumque tributum, vel ratione Maris, vel Terræ vulgo vocari, Dohana; itaq; certũ eſt etiam imponentes noua portoria, vel antiqua augentes cõprehẽdi in hoc quinto Canone. Ita ex *noſt. Ang. V. Pedag. Vgol. hic can. 5. Sayr l. 3. c. 9. Duand. l. 2. can. 5. Graff. l. 4. c. 18. Bonac. q. 6. p. 1* & alij.

Dico tertiò, quod Taxa, Collecta, Talea, & præſtantia eſt onus, ſeu tributum, ſeu pretium impoſitum ſuper caput, vel bona cuiuſcumque ſeruata proportione ſubſtantiæ, vel qualitate perſonarum ſingularum; Quæ ſpecies tributorum non veniunt in ſtricto rigore ſub nomine pedagij, quia iſta non imponuntur pro tranſitu viarum, nec pro earũ aſſecuratione, nec ſub nomine Gabellæ, quia non ſoluuntur pro re deuehenda nec terra, nec mari, nec pro ſe emenda, nec vendenda.

Quare dicendum imponentes nouas Taxas, Collectas, Taleas, & præſtantias, vel augentes antiquas non incurrere excommunicationem hanc quintam, quia non veniunt ſub nomine Gabbellæ, & Pedagij, in odioſis non eſt facienda extenſio, vt multoties inculcatum eſt, Ita etiam *Caiet. V. Excomm. c. 71. Suar. diſp. 21. ſect. 2. Vgolin. §. 3. & Bonac. loc. cit.* quicquid in contrarium nimis rigoroſè reclamare videantur *Reginald. & Filiuc. ex parte.*

Dico quartò, quod perticatus ſolet nuncupari impoſitio pro domo panis, vini, & ceterorum edibilium, vt enim quis poſſit vendere panem, & ſimilia ſolet pro commoditate hac, vel induſtria poni aliquod tributum, quod cum non ſit pro re tranſuehenda, nec emenda, nec vendenda, nec pro viarum, & pontium tranſitu non venit ſub nomine Gabellæ, vel Pedagij, & conſequenter imponentes perticatum, vel antiquum augentes non excommunicantur in hoc ſextò Canone. Ita *Rinaui & Filiuc.* licet contrariũ parũ probabiliter contendat *Graff.*

Vtrum qui obtenta facultate imponendi nouam gabellam puta ſuper vinum vtatur ea ſuper alia re puta ſuper oleum incidat in hanc quintam Excommunicationem.

DIFFIC. II.

Affirmant communius Doctores, quia requiritur licentia, & facultas ſpecialis pro imponenda Gabella ſuper qualibet re ſingillatim, vt recognoſcatur an licitè, & ſine notabili damno ſubditorum valeat imponi potius ſuper vna re, quam alia; quandoquidem certum eſt gabellam eſſe magis in vna re, quam in alia ſubditis præiudicialem, damnoſam, & incommodam; quare qui obtenta licentia imponendi ſupra vinum gabellam, ea vteretur ad imponendam ſupra oleum incideret in hanc excommunicationem tanquam nouæ gabellæ impoſitor ſine legitima facultate. Ita etiam *Bonac. punct. 2. & Filiuc. q. 3.*

Vtrum habentes facultatem imponendi nouas gabellas in terris ſuis ex antiqua conſuetudine immemorabili incidat; ſi imponat ſine alia facultate in Excommunicationem hanc quintam.

DIFFIC. III.

Affirmant *Bariol. & alij apud Salas de legibus diſp. 5. ſec. 10. & apud Sayr, & Bonac. loc. cit.* quia contra ſubditorum vtilitatem, & in grauamen pauperum non poteſt induci præſcriptio, nec conſuetudo toleranda, cum ergo hanc conſuetudinem reprobent iura, dicendum non fauere imponentibus nouas gabellas, quare incidunt in hanc quintam excommunicationem.

Ceterum probabiliter etiam alij volunt poſſe hanc facultatem imponendi nouas gabellas legitimè præſcribi ab immemorabili conſuetudine legitime introducta, & à ſuperioribus cognita, & tolerata tam de præterito, quam de præſenti, quare tuta conſcientia poteſt conſuli habentes hanc immemorabilem, & legitimam conſuetudinem non incurrere quintam hanc excommunicationem, ſi quando talis conſuetudinis vigore nouas Gabellas imponant in ſuis Terris. Ita etiam *Panormit.*

normit. quem citant, & ſequuntur Bonac. punc.3. Duard. hic q.2. Alter. hic c.2. & Med. de reſtit. q.3.

Vtrum Princeps ſupremam auƈthoritatem habens in Terris ſuis imponens iniuſtam Gabbellam nouam incidat in hanc quintam excommunicationem.

DIFFIC. IV.

NEgant Doƈtores non vulgares, imo grauiſſimi non incurrere excommunicationem hanc Principem ſupremum nouam iniuſtam gabellam imponentem ex eo potiſſimũ, quia dum excipiuntur ſupremam poteſtatem habentes in bulla, non interdicitur imponere nouas Gabellas ſub excommunicatione. *Nauar. hanc opinionem videntur docere c.27.n.6. Tolet. l.2.c.22. Vgolin. hic §.3. Sayr c.3.n.7.l.3. Reginald. num.279. Nald. hic*, & alij.

Affirmant tamen *Suar. diſp.21.ſec.2. Sylu. V. Gabella 3. n.7. S. Antonin. 2.p.T.1.c.13.§.7. Graff. p.1. deciſ. l.4. c.18. Duard. hic q.6. & Bonac. hic punƈt.3.* in hanc excommunicationem incidere etiam ſupremam auƈthoritatem habentes, ſi iniuſtam gabellam imponant ea potiſſimum ratione duƈti, quia Pontifex in bulla excommunicat generaliter omnes imponentes nouas gabellas preterquam in caſibus à iure permiſſis, ſed iniuſta gabella nõ permittitur à iure, ergo excommunicatur quicumque iniuſtam gabellam imponit, præterquam quod habentibus ſupremam poteſtatem conceditur à iure imponere gabellas vt patet ex c. innouamus de cenſibus, & c. ſuper quibuſdam de verb. ſignificatione ratione ſupremæ poteſtatis, quam habent, vt onera ſcilicet ſuæ dignitatis valeant ſuſtinere, & periculis imminentibus occurrere ſeruata tamen æquitate, & iuſtitia, ne ſubditi grauentur, itaque cum gabella à iure permittatur in beneficium Principis ſeruata tamen equitate, & iuſtitia vt cõſulatur ſimul, & ſemel, & Principium neceſſitatibus, & ſubditorum grauamini, & indemnitati, Princeps ergo non ſeruans iuſtitiam, & æquitatem in gabella imponenda incidit in hanc excommunicationem, quia ponit eam in caſibus à iure non permiſſis, quæ autem conditiones requirantur ad iuſtam Gabellam, vide infra *V. Gabella*.

Vtramque probabilem puto, & ſanè ſecunda optima fundatur ratione, & videtur eſſe conformior verbis Bullæ, vnde tutius conſulenda, & practicanda.

An Communitas nouam imponens Gabellam, vel antiquam augens incidat in hanc quintam excommunicationem.

DIFFIC. V.

AFfirmant ſingulos de Communitate, eoſque ſolum, qui ad impoſitionem nouæ gabellæ cooperati ſunt, non autem alios incidere in hãc quintam excommunicationem *Sayr l.3.c.9. Reginald. n.275. Fillucc. traƈt.26.c.5. q.1. & Alter. in expoſ. huius Canonis c.9. dub.3.* ita teſtatur in praxi deductum, nam communitas ex c. Romani de ſent. Excom. in 6. non poteſt excommunicari collectiuè, ne etiam innocentes tam graui pœna afficiantur, bene tamen in ſingulis contra cenſuram operantibus, ne videatur cenſura vileſcere, quod ſanè probabile puto.

Verum alij negant ſingulos de Communitate cooperatores ad imponẽdam nouam gabellam incurrere hanc excommunicationem, & quidem fortè probabiliter, quia ſi Communitas ex d. C. Romani non poteſt excommunicari, & Communitas non poſſit operari niſi eius Ciues ſaltem magiſtratum gerentes, vel conſiliarij operentur, cum actiones ſint ſuppoſitorum, ſequitur, quod nec iſti Ciues nomine vniuerſitatis imponẽtes gabellas excommunicari valeant, alias eſſet inane priuilegium, ſi poſſent miniſtri communitatis excommunicari, gaudent enim priuilegio communitatis, dum communitatis actiones gerunt. Ita *Bonac. loc. cit. & Duard. can. 5. q.6. num. 6.* in hanc videtur etiam inclinare ſententiam, tutius tamen cum ipſo Duardo puto primam ſententiam in praxi ſequendam, licet hæc ſecunda ſua ſpeculatiua ratione fulcita ſua probabilitate non deſtituatur.

(.·.)

Vtrum habens ſupremam poteſtatem habens iuſtam cauſam imponendi nouam gabellam ſi indiſtinctè ſupra Laicorum, & Clericorum bona eam imponat incidat in hanc quintam Excommunicationem.

DIFFIC. VI.

NEgant aliqui Doƈtores, nam licet Gabella indiſtinctè impoſita contra ſæculares, & Eccleſiaſticos ſit ex parte obieƈti, & quo admodum iniuſta, vt pote Eccleſiaſticos afficiens, attamen ſubſtantialiter eſt iuſta, quia cauſa efficiẽs ſupponitur eſſe Princeps ſupremam auƈthoritatem habens, & cauſa materialis iuſta etiam puta pro reparatione põtium, etiã aſſecuratione, vel hoſtium propulſatione, & ſui dominij defenſione, & ſimilium, Papa autem in hoc Canone volunt iſti Doƈtores excommunicare ſolum Gabellas ſubſtantialiter iniuſtas ſc. imponentes ſine auƈtoritate, & in caſibus à iure non permiſſis; i. eos qui abſque cauſa iuſta à iure conceſſa imponit, quoad obiecta nullam facere mentionem aiunt Papam in hoc Canone an ſcilicet ſuper Clericos, an ſuper ſæculares, nam cõtra imponentes Eccleſiaſticis gabellas loquitur Papa infra in can. 18. vel ſaltem excommunicantur in c. quanquam de cenſ. vel in c. non minus, & alibi de Immunitate. Ita videntur ſentire, *Nauar c.27.n.61. Sayr l.3. c.9. Reginald. n.276. Graff. vbi ſupra, & Vgol. c.5.* & alij.

Ceterum etiam in hoc Canone quinto excommunicari forte probabilius, & tutius, quia conformius ad mentem Bullæ Principes ſupremam habentes auƈtoritatem indiſtinctè contra Clericos, & laicos gabellam imponẽtes affirmandum, nam generaliter in hoc Canone excommunicat omnes generaliter imponentes nouam gabellam tam habentes, quam non habẽtes ſupremam auƈtoritatem ſi gabellam imponant extra caſus à iure permiſſos, caſus autem à iure permiſſi non ſolum comprehendunt cauſam materialem iuſtam, vt prætendunt Doƈtores contrariæ ſententiæ, ſed etiam obiectiuam, & modalem, quia in iure prohibetur Eccleſiaſticis imponi gabellas, & præcipuè in c. citato quanquam, & c. non minus, itaque imponens gabellam Clericis eam imponit extra caſus à iure permiſſos, probabilius ergo dicendum, & tutius, & conformius ad mentem Bullæ etiam hic excommunicari quemlibet etiam ſupremam auƈtoritatem habentem, ſi audeat gabella impoſita Clericos afficere, quia licet iuſtè, & ex parte efficientis, & materialis imponat, vt dictum eſt, iniuſtè tamen ex parte obiecti, & modi imponendi extra caſus à iure permiſſos, quod vero de Clericis meminerit Pontifex in can. 18. & non hic pro hac opinione potius facit, quia ibi Papa loquitur de imponentibus collectas, taleas, præſtantias, & alia onera conſimilia, non autem in rigore de gabellis, & pedagijs, de quibus hic diſtinctè. Vide pro hac opinione ſentientes *Caiet. V. Excomm. c.72. Duard. hic q.6. Tolet. l.1.c.22. & Bonac. vbi ſup. diſp.1 q.6.p.5.*

Vtrum mandans, vel conſulens nouas imponi, & veteres augeri gabellas incidat in hanc quintam Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

DIſtinguendum puto, nam vel iam conſuetudo legitima in aliquo loco adeſt haberi pro excommunicato talẽ mandantẽ, vel conſulentẽ, & in hoc caſu cum conſuetudo ſit optima legum interpres pro excommunicato reputandus mandãs, vel conſulens, quod ſi conſuetudo talis non adſit, probabiliter poteſt dici non incidere mandantem, & conſulentem, quia nõ exprimitur à Papa in Bulla, nec obſtat, quod qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur, nam ſolum interpretatiuè, & moraliter, non autem phiſicè facere videtur, cum autem ſimus in pœnalibus non eſt facienda extenſio de actione phiſica ad actionem moralem, & interpretatiuam, præterquam quod in iſta bulla quando Pontifex intendit excommunicare conſulẽtes, & mandantes facit de eis expreſſam, & indiuiduam mentionem. Ita etiam Duard. & Bonac. loc. cit.

Ex quibus etiam collige imponentem gabellam in Terris non ſuis non eſſe hic excommunicatum, quia Bulla loquitur ſpecialiter contra imponentes in Terris ſuis, non ergo facienda eſt extenſio ad imponentes in terris non ſuis, & fortè Pontifex rationabiliter nõ excõmunicat imponẽtes gabellas in terris non ſuis, quia facile per aliam viã temporalẽ poteſt eius iniuſtitia cohiberi, vnde non duxit neceſſariũ &c. ſpirituale ſubſidiũ.

Collige ſecundò, nec excommunicari hic eos, qui antiquas gabellas aliqua tamen de cauſa legitima intermiſſas, vt puta quia Ciuitas ab iniquo Detentore oppreſſa noluit eas ſoluere adueniente autem nouo, & legitimo Principe, ſi antiqua ſoluatur, non incurritur hæc excommunicatio, quia noua ſolum ſpecificè prohibetur imponi, non autem ſpecificè prohibetur antiqua intermiſſa legitimè iterum ſolui, cum in pænalibus nō ſit facienda extenſio. Ita communiter Doctores citati.

Vtrum Terræ Dominus faciens poteſtatem alicui tenendi Cimbam pro tranſuadando flumen aliquo ſoluto iuſto pretio incidat in hanc quintam excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

NEgant communiter Doctores; quia acciperet pretium pro labore tranſuadandi, ſicut etiam ſi in aliquo loco magis ſuſpecto Dominus Terræ poneret aliquos milites aſſiſtentes, ne latrones deprædentur ſoluto iuſto pretio à tranſeuntibus, vel etiam ſi poneret conductores in vijs iniquis, vt tranſeuntes ad vias bonas dirigant ſoluta iuſta mercede, non incurreret in excommunicationem hanc quintam, quia non eſſet imponere gabellas, & pedagia, ſed iuſtam mercedem pro labore, & aſſiſtentia Nautæ, militum, & conductorum. Ita ex antiquioribus *Ioan. Andr. quē citant, & ſequūtur Filiuc. tr. 16. c. 5. n. 11. Molyn. c. 5. & Duar. q. 13. ad fin. & Bon. punc. 3. n. 13.*

Vtrum exigentes gabellas vltra taxam Superioris, vel iniuſtam a parato ſoluere, vel mutantes pretium æquale in aliud æquale incidant in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. IX.

DIco primò, quod ſi quis auctoritatiuè exigat Gabellam plusquam à Superiore fuerit taxatum ſanè dicendum eſt incurrere, quia augeret gabellam abſque auctoritate legitima, quod ſi ſolum vt priuatæ perſonæ id faciant ex ſola violentia, non autem ex auctoritate publica tanquam fures, & latrones non incurrunt, quia non faciunt contra intentionem Bullæ. Ita *Bonac. & Rebuff.*

Dico ſecundò, quod exigens gabellam iniuſtam à parato ſoluere, tunc incurrit, quando quis eſt paratus ſoluere ſolum, vt euadat pœnas, quas vtique ſi poſſet euadere non ſolueret, quia adhuc inuitus ſoluit, licet paratus, & conſequenter iniuſtè exigit, quod ſi paratus ſit quis ſoluere non tanquam debitum ex iuſtitia, ſed ex mera liberalitate, quia hic dicitur donare, & vnuſquiſq; eſt arbitror propriæ rei, exigēs nō incurrit, quia iniuſtū hic, & nūc nō exigit. Ita etiā *Nau. c. 27. Duar. q. 9.* & alij.

Dico tertiò, quod mutantes pretium gabellæ in pecuniam æqualis valoris, puta ſi exigatur, & exigi mandetur pro vino, oleo, vel tritico pecunia æqualis valoris cum oleo vel tritico, vel è contra, licet *Bonac. & Filliuc.* probabiliter velint non incurrere hanc excommunicationem quintam, quia non augēt, nec nouam imponunt gabellam, dum eumdem valorem, & nō maiorem exigunt; attamen probabilius dicerem incurrere, quia grauantur populi ex hac mutatione valoris, & fortè incommodum, & damnum patiuntur, itaut appareat impóſitio nouæ gabellæ, vnde iure prohibetur talis mutatio valoris licet æqualis *in l. Vectigal. ff. de public. & Vectig.* Cum ergo talis mutatio ſit caſus in iure non permiſſus, exigens aut imponens talē mutationem videtur vtique cenſendus hic excommunicatus.

Ceterum ſi ex hac tali mutatione populi non grauantur, nec damnum, nec incommodum patiuntur cum prima opinione poteſt talis innouator exiſtimari excommunicationem in hoc Canone quinto non incurrere.

Vtrum capientes defraudantes gabbellas iniuſtas, & eos ad exactores portantes vt puniantur incidant in excommunicationem huius Quinti Canonis.

DIFFIC. X.

NEgare videtur *Bonac. loc. cit.* quia verè iſti non ſunt exactores, & quia bulla eos non ſpecificat non debent exiſtimari in hoc Canone excommunicati.

Attamen quia iſti capientes defraudantes iniuſtas gabellas ſolent eſſe ſalariati ab Exactoribus, phyſicè concurrunt in ipſis ad exigendas iniuſtas gabellas, imò auctoritatiuè videntur etiam concurrere ad talem exactionem iniuſtæ Gabbellæ, niſi enim auctoritatem haberent à publico Officiali ſuper hoc, non poſſent vtique tales defraudantes carcerare, & adducere, vt puniantur ab Exactoribus, quare in hoc quinto Canone etiam excommunicari omnino dicendum, ſicut etiam ipſe *Bonacin. confitetur, ita etiam Vgolin. & Duard. locis citatis.*

Quod ſi non auctoritatiuè, nec ſalariati ab Exactoribus id faciant, ſed ſolum ex quadam amicabili compaſſione erga Exactores ne defraudentur, quia indirectè faciunt contra bullam non videntur hic excommunicari.

Similiter dicendum puto de illis, qui fingentes ſe eſſe exactores Gabellæ licet iniuſtè extorqueant à tranſeuntibus pretium, quia auctoritatiuè non exigunt, ſed ſolum per violentiam, vel fraudem, & potius latrones dicuntur, & fures, quam Exactores etiam ab excommunicatione in hoc quinto Canone excuſari poſſunt. Ita *Rebuffus, Vgol. Bonac. & Duard. loc. cit.*

EXCOMMVNICATIO SEXTA.

Contra	*Falſificantes*	*Litteras Apoſtolicas*	*Summi Pontifices*
	Falſo ſignantes	*Supplicationes*	*Vice Cancellarij, &*
	Falſo fabricantes		*Vices ipſorum gerentium.*

Vtrum falſificans litteras, & ſupplicationes legati à latere incidant in hanc ſextam Excommunicationem.

DIFFIC. I.

DVbitarunt aliqui legatum à latere ſub nomine ſummi Pōtificis expedire litteras, & cōſequēter eas falſificātes incurrere in hanc excōmunicationem, vide *Duard. q. 10. n. 27.*

Attamen abſolutè dicendum puto falſificantes litteras, & ſupplicationes legati à latere non comprehendi in hoc Canone, ſicut etiam eadem ratione, nec falſificantes litteras Nunciorum Apoſtolicorum, imò nec Sacr. Congregationis, nec Sacræ Pænitentiariæ, tantominus nec Epiſcoporum in propria Diæceſi, quia nullus iſtorum expedit litteras nomine Pontificis immediatè ſicut faciunt Vice Cancellarij, & eorum vices gerentes, ſed expediunt immediatè nomine proprio, & mediatè nomine Pontificis quare nec eorum litteræ dicuntur Apoſtolicæ. Ita etiam *Nauar. c. 27. n. 62. Suar. diſp. 21. ſec. 2. Duar. l. 2. can. 9. q. 1. Reginald. l. 9. c. 17. n. 289. Alter. diſp. 7. l. 1. cap. 1. Bonac. q. 7. p. 1.* & alij.

Quomodo, & quando dicantur falſificatæ litteræ Apoſtolicæ, vel ſupplicationes.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod ille dicitur falſificare litteras, qui addendo detrahendo, & mutando, quomodolibet ſenſum intentum à Papa, Vicecancellario, & eorum vices gerentibus, hoc autem poteſt fieri primò ſcribendo, vel ſubſcribendo, ſecundò ſecando, radendo, vel lauando, tertiò ſignando falſo ſigillo, vel etiam vero ſine conſenſu illius ad quem ſpectat ſigilli impreſſio, quartò fabricando falſas litteras immediatè.

Dico ſecundò, quod non quælibet mutatio facta in litteris Apoſtolicis comprehenditur in hoc Canone, ſed ſolum quæ mutat intentionem dantis litteras, nam fieri poteſt vt mutatio vnius verbi, dictionis, puncti vel Apicis mutet intentionem dantis, & non mutatio plurium verborum, vel nominum in loco præcipuè non ſuſpecto, vt patet in c. ex conſcientia de crimini falſi, vbi dicitur quod propter raſuram litterarum aliquarum in loco non ſuſpecto non probari reſcriptum falſum, quare taliter mutantes non excommunicantur hic.

Dico tertiò, quod corrigentes errores Grammaticales ſi qui forent in bulla, vel litteris Apoſtolicis, modo non mutetur ſenſus in-

ſus intentus, nec inualida fiant valida, nec minus valida magis valida non dicuntur falſificare, vnde nec hic excommunicantur, vt dicit *noſt. Ang. V. Excomm. Riccard. in 4. diſt. 10. art. 12. Nauar. Bonac. & Alter. loc. cit. quicquid in contrarium reclamet Panorm. in c. ex litteris de fide Inſtr.* quia ſi tales aliquando Sacr. Pœnitentiaria abſoluit ad maiorem cautelam, vt ſcrupulos ſatisfaciat, abſoluere dicendum eſt.

Vtrum variam quid modicum mutans ſenſum in nullius tamen præiudicium in litteris Apoſtolicis incidat in hanc ſextam excommunicationem.

DIFFIC. III.

NEgare videntur aliqui tum quia paruitas materiæ poſſet excuſare, tum quia ſi nulli irrogatur iniuria, vel damnũ præſumitur Papa nolle eos in hac excommunicat. comprehendere, vide quid velint pro hac opinione. *Caiet. V. Falſar. Graff. p. 1. l. 4. c. 18. n. 87. & Nauar. Duard. & Suar. loc. cit.*

Attamen quia mutantes ſenſum etiam per minimam mutationem licet nulli irroget iniuriam, & damnum, irrogat tamẽ magnam iniuriam Papæ, & eius officialibus, dum audet ſuarũ litterarum licet in minimo mutare ſenſum, & intentionem, vnde à toto genere dicuntur verè falſificare litteras Apoſtolicas continentes gratiam puta Indulgentias, quia nulli iniuria infertur, non dicerentur excommunicati, quod falſum vtique eſt; vt patet ex verbis Bullæ, vide *Angel. noſt. & Bonac. loc. cit. & Alter. l. 5. diſp. 7. c. 2.*

Vtrum corrigens errorem factum à Scriptore Bulla contra intentionem Papæ hac Excommunicetur.

DIFFIC. IV.

DIcendum, quod licet talis correctio non debeat fieri priuata auctoritate, ſed per officiales Curiæ deputatos, tamen ſi error eſt notorius, & ſi Papa ſciret, iuberet reſcindi, puta ſi in ſupplicatione petebatur diſpenſatio affinitatis in tertio gradu, à Scriptore poſita ſit diſpenſatio in tertio conſanguinitatis, vel ſi in ſupplicatione ponebatur pro Paulo, Scriptor poſuerit pro Petro ex inaduertentia, ſi reſcindatur, & emendetur iuxta ſupplicationem ſignatam à Papa error factus à Scriptore in breui Apoſtolico, reſcindens, & corrigens non incideret in hanc excommunicationem, quia non falſificaret litteras Apoſtolicas, imò falſitatem à Scriptore factam tolleret, & veritatẽ poneret, ita *noſt. Ang. loc. cit. Duard. Vgolin. & Bonac. loc. cit.* hoc tamen non debet fieri priuata auctoritate, poſſet tamen permitti, ſi eſſet difficilis recurſus ad Curiæ officiales deputatos ad correctionem breuium.

Vtrum non perficiens inceptas falſas Apoſtolicas fabricare, vel ſenſum in eis immutare, vel perficiens cum animo non vtendi incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

DIco primò qui incepit litteras falſas Apoſtolicas fabricare, deinde pænitentia ductus deſiſtit ab opere incepto, ſimiliter, qui aliquod verbum abraſit in litteris Apoſtolicis, vt ponat aliud ſenſum immutans, & poſtea non perfecit, non incidit in excommunicationem hanc, quia non dicuntur litteræ Apoſtolicæ, ſi iam ex omni parte non fuerint abſolutæ, & quã diù actio pœnæ ſubiecta completa non fuerit, pœna non eſt digna, quia pœnæ ſunt reſtringendæ, donec ergo verbum immutans ſenſum non apponatur, non dicitur falſificatio ſecuta in litteris, & conſequenter nec pœna falſificationis incurritur. Ita etiam *Graſſius, Duard. & Vgol. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod licet probabiliter poſſit ſuſtineri perficientem fabricare litteras Apoſtolicas falſas cum animo tamen non vtendi, ſed immediatè eas lacerandi non incidere, quia verè non falſificat, qui non habet animum falſitate vtendi, vt docent *Sylu. V. Excõm. n. 8. Alter. hic l. 14. dub. 2. & Duar. loc. cit.* attamen probabilius, & tutius fortè dicendum, quod incurrat, quia verè litteras Apoſtolicas falſificauit, & Papæ auctoritati, & intentioni eas fabricãdo iniuriam irrogauit, & qui amat periculum peribit in illo, fabricatis enim litteris Apoſtolicis falſis, facilè eſt, vt pro ſe, vel pro alio occaſionem vtendi Diabolus preparet, abſolutè ergo fabricãtes falſas litteras Apoſtolicas excõmunicat iure Pontifex non diſtinguens an animo vtendi, vel non vtendi quis eas perficiat. Ita etiã. Doct. præfati.

Dico tertiò, quod falſificans litteras Apoſtolicas pro tempore præterito, ita vt nullum poſſent habere effectum puta pro annis tribus iam elapſis, non incideret in excommunicationem, quia haberentur ac ſi non eſſent litteræ Apoſtolicæ, modò non adaptentur ad quinquennium, quæ erant ad triennium, quia tunc eſſet vera falſificatio.

Vtrum quis tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate reddat inualidas litteras Apoſtolicas incidat in hanc ſextam Excommunicationem.

DIFFIC. VI.

NEgant communiter DD. quia aliud eſt reddere inualidas litteras Apoſtolicas propter ſuggeſtam falſitatem vel tacitam veritatem ante earum confectionem in ſupplicatione data, & aliud eſt falſificare litteras Apoſtolicas iam confectas, vel ſupplicationem iam ſignatam, in primo non irrogatur iniuria litteris Apoſtolicis, vel ſupplicationi à Papa ſignatæ, & ideo ſub excommunicatione non comprehenduntur talia facientes, benè tamen ſi falſificarentur ipſæ litteræ iam confectæ, vel ſupplicatio iam ſignata, vt patet, quod autem ſint falſæ præfatæ litteræ inualidæ propter ſubreptionem hoc ſolum eſt materialiter, formaliter tamen ſunt veræ, quia ſecundum expoſitum expeditæ realiter. Ita *noſt. Ang. §. 4. Suar. Nauar. Alter. Sayr locis cit.* & alij.

Quam doctrinam extende etiam conſimiliter ad impetrantes litteras Apoſtolicas ſub ementito nomine, ſcil. ſub nomine alieno, eadem .n. ratione non incurrunt, quia formaliter veræ ſunt, & realiter expeditæ, licet materialiter adſit error.

An vero falſificans haſce litteras inualidas ob ſubreptionem incidunt in hanc excommunicationem, negat *Duard. q. 5. n. 2. & q. 10. ad fin.* quia ob ſurreptionem nullius ſunt valoris, non ergo eis fit iniuria, quia pro non expeditis habentur; affirmant tamen probabilius, & tutius conſulendum *Alter. c. 3. ad fin. & Bonac. loc. cit. n. 9.* quia per accidens ſunt inualidæ, & veræ apparent eſſe litteræ Apoſtolicæ etiam ſi ex falſificatione remanerent etiam inualidæ, quia iam formaliter ſunt veræ expeditæ à Papa, & formaliter ſunt veræ, formaliter ergo eas reddit inualidas etiam ex falſificatione tali,

Vtrum conſulentes, mandantes falſificationem litterarum Apoſtolicarum, vel falſificantium fautores incidant in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

NOn defuerunt affirmantes, vt videre eſt apud *Sayr loc. ci. & Duard. l. 2. can. 6. q. 3.* attamen mitius dicendum nullo modo incurrere conſulentes, & mandantes, fauentes præfati, quia non exprimuntur in hac Excommunicatione Bullæ Cænæ, benè tamen excommunicantur in c. ad falſariorum de *Crim. falſ.* vt docet *noſt. Ang. §. 1. & Vgol. ſchol. 1.* quæ tamẽ excommunicatio nulli eſt reſeruata, in quo etiam capite excommunicantur vtentes litteris falſificatis, ſi laici ſint, ſi vero Clerici priuandi ſunt beneficijs, & officijs Eccleſiaſticis, & ſi per ſe falſitatem exercuerint, brachio ſæculari tradendi ſunt, vide *Panorm. in d. c. ad falſariorum. Sayr. Alter. & Bonac.*

Conſimiliter dicendum eſt in excommunicationes huius 6. Canonis non incurrere retinentes litteras Apoſtolicas falſificatas, quia non exprimuntur, attamen aduertant eos retinentes, quod ſi feratur excommunicatio ab ordinario, vt retinentes falſas litteras Apoſtolicas infra viginti dies ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ reſtituant, vel lacerent, elapſo termino, ſi non reſtituerint, vel lacerauerint incurrunt excommunicationem Papæ reſeruatam ex c. dura *de crim. falſ.* & docent *noſter Ang. Bonac. Suar. & Reginald. loc. cit.*

Vtrum falſificans litteras Papa quas ſcribit vt priuata perſona puta ad aliquem ſibi bene viſum, vt veniat ad ſe inuiſendum incidat in hanc ſextam Excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

NEgant communiter Doctores, quia verè iſtæ litteræ, quæ dantur à Papa, vt perſona priuata non ſunt dicendæ Apoſtolicę, vide *Vgolinum hic §. 2. num. 5.* litteræ enim Apoſtolicæ, quas dat vt Papa ad gratiam, vel iuſtitiam regulari-

Digitized by Google

gularitet pertinent, vel ad aliud publicum, & commune negotium.

An vero falſificans litteras Apoſtolicas datas à Papa antequam conſecretur, incidat, affirmant communiter, quia Papa iam electus Canonicè eſt verus Papa habens iuriſdictionem plenam, ergo litteras Apoſtolicas verè dare poteſt.

EXCOMMVNICATIO SEPTIMA.

Contra
- *Deferentes vel tranſmittentes*
  - *Equos,*
  - *Arma,*
  - *Ferrum etiam Filatum,*
  - *Stannum,*
  - *Chalibem,*
  - *Omnia genera metallorum*
  - *Lignamina.*
  - *Inſtrumenta bellica.*
  - *Canapem, & funes cuiuſcumque materia, & alia quibus fideles impugnatur.*
  - *Ad Saracenos, Turcas, Hæreticos nominatim declaratos à Sede Apoſtolica, & ad alios Chriſtiani nominis hoſtes.*
- *Et facientes certiores præfatos hoſtes de rebus ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ concernentibus in damnum Chriſtianorum.*
- *Et dantes auxilium, Conſilium fauorem* } *Præfatis hoſtibus in damnum Chriſtianorum.*
- *Priuilegia omnia contra præfata omnino reuocantur.*

Vtrum tranſmittentes ad prænominatos infideles Aſinos, Mulos, Boues, & Camelos incidant in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. I.

NEgarunt multi, quia cum non ſpecificentur in Bulla trāſmittentes nominata animalia; debet dici Pontificem noluiſſe eos comprehendere, & in odioſis non eſt facienda extenſio. vide *Reginald. l.9.c.18. n.294* nec improbabiliter dictum puto, quia equi vt maioris æſtimationis, & maioris etiā damni in bello præcipuè, ideo ſolummodo equos tranſmittentes, & deferentes excommunicantur, non autem cetera animalia.

Affirmant tamē communius incidere etiam nominata animalia tranſmittētes ad infideles ex eo, quia licet nomine equorum non veniant in rigore, tamen aiunt comprehendi ſub illa particula (Et alia huiuſmodi quibus fideles impugnantur) at vero præfatis animalibus poſſunt etiam eſſe inſtrumenta ad impugnandum fideles, cum eorum dorſo peruehi valeant arma, & alia inſtrumenta bellica neceſſaria ad victoriam parandam; Ita ex noſt. *Aug. V. Caſ. excomm. caſu 21. & expreſſius* docent *Nauarr. c.27. n.63 Vgol. hic V. Arma. Duard. can.7. q.19. Sayr l.3. c.11. Graff. l.4. c.18. & Bonac. q.8 punc.2* quod puto probabile ſolum tempore belli contra fideles ſi tranſuehantur ad infideles, quia illa particula ad hoc tempus reſpicit, ſecus cenſeo tempore pacis.

Vtrum tranſmittentes ad nominatos infideles inſtrumenta quibus vtuntur Agricolæ, fabri, lignarij ferrarij, & conſimiles Artifices ligentur hac ſeptima Excommunicatione.

DIFFIC. II.

DIſtinguendum puto nam ſi in tanta quantitate tranſuehantur ad infideles, vt ex illis aptè inſtrumenta bellica fieri queant, tam in pace, quam in bello ſanè prohibita intelligi debent in bulla, & tranſmittentes excommunicantur, quod ſi ſolum ad vſum operis in pace, non comprehenduntur huiuſmodi tranſmittentes, quia non exprimuntur, at vero ſi ad vsū operis pro actuali fabricatione contra fideles, ſanè comprehenduntur in illa particula (*Et alia huiuſmodi quibus fideles impugnantur.*) nominatis enim inſtrumētis, aptè vtuntur Bellatores pro impugnandis hoſtibus, aggera, & huiuſmodi fabricādo.

Adde, quod ſi Alchimiſtæ tranſmittant ſecreta conficiendi metalla, quibus auxilium infidelibus futurum poteſt eſſe contra Chriſtianos, etiam hac ſeptima afficiuntur excommunicatione, vt patet ex Bullæ tenore maximè ſi in tempore belli id fiat, vt notant etiam *Bonac. punc.2. & Duard. hic q.23.* An vero tranſmittentes pecunias comprehendantur etiam ſub nomine trāſmittentiū metalla, probabile id puto affirmandum tempore belli, licet contrarium videatur docere *Duardus*.

Vtrum ad delicias ſpectantia tempore belli, vel etiam victualia, Veſtes, & ſimilia ad infideles transferentes incidant in hanc Excommunicationem ſeptimam.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod ſpectantia ad delicias alia ſunt apta ſimpliciter ad laxandum animum, vt Cymbulæ, Nauiculæ, vulgò Gondole, inuentæ ſolum animi cauſa reficiendi in mari, lecticæ in terra, & inſtrumenta muſica ad molliendū animum, & hæc tranſuehens ad infideles non incidunt in excommunicationem, quia hiſce proximè non impugnant fideles in bello, alia vero ſpectantia ad delicia ſunt apta etiam ad acuēdum animum proximè ad bellum, vt potè per ea inſtruitur acies, & milites, & equi animantur ad prælium, vt ſunt tubæ, tympana, fiſtulæ, cornua, ſiſtra, & ſimilia, hæc ſi transferuntur incurritur excommunicatio hæc ſeptima, quia proximè in damnum Chriſtianorum adhiberi valēt. Ita *Vgol. V. Inſtrumenta bellica, Duard. q.24. Bonac. loc. cit. & Alter. c.7.*

Dico ſecundò, quod tranſmittentes victualia, & veſtes tēpore belli, vel in tempore proximo, quo diſponuntur ad bellum contra Chriſtianos incidunt in hanc ſeptimam excommunicationem, quia licet non exprimantur victualia, & veſtes, exprimuntur tamen quando prohibetur auxilium dandum infidelibus, miniſtrans enim tempore belli, vel ipſi proximo veſtes & victualia dicitur auxilium ferre volenti bellum indicere, vel gerere, alio vero tempore, quo non bellant, nec ſunt proximè diſpoſiti ad bellum contra Chriſtianos non videtur prohibitum in hac ſeptima excommunicatione ad infideles victualia, & veſtes deferre, vnde in Treuga, vel in pace hic non videntur excommunicati huiuſmodi rerum genera veſtium ſcilicet, & victualium deferre, Ita etiam *Suar. & Bonac. loc. cit.*

Et licet, *Nauar. in c. quorundam n.63. & Duard.* hic exiſtiment etiam talia deferentes incidere ex eo, quia in bulla excōmunicantur ferentes ad infideles quæcumque prohibita, victualia autem, & veſtimenta prohibentur ferenda infidelibus in Clem. V. de Iudæis, verum cū in hac nouiſſima bulla Vrbani Octaui, non fiat mentio de quibuſcumque prohibitis, practicari poteſt præfata opinio, in poſterū verū inſpicienda Bulla, quæ ſicut quotānis publicatur, ita etiam quotannis ſolet pati rerū variarum mutationem, additionem, vel diminutionem.

Dico tertiò, quod licet *Duardus* putet non excommunicari deferentes Naues ad infideles tempore pacis, quia ſpecialiter non prohibentur, attamen quia ſicut ſub nomine ferri intelligitur generaliter prohibitum tam fabricatum, quam non fabricatum

dattum deferri etiam tempore pacis, ita & ſub nomine lignaminum debet intelligi tam lignamina fabricata, quam non fabricata, quæ ad offenſionem Chriſtianorum adhiberi valent, Naues enim ſunt lignamina fabricata, quæ aliquando poſſunt inſeruire infidelibus in damnum Chriſtianorum, ita ex *noſtro Angelo loc. cit. §. 2. & 3. & Bonac. vbi ſupra*.

Vtrum deferentes Equos, arma, & cetera ſpecialiter prohibita in hoc Canone tempore pacis ad infideles excommunicationem hanc contrahant.

DIFFIC. IV.

PRo vtraque parte tam negatiua, quam affirmatiua videntur Doctores ratiocinari probabiliter. Et pro parte affirmatiua videtur rationabiliter dicendum hæc ſpecialiter prohibita, etiam tempore pacis non poſſe tranſuehi abſq; incurſione in hanc ſeptimam excommunicationem, quia Pōtifex intendit hic conſulere damno Chriſtianorum, tempore autem pacis hoſtes habituales ſibi proſpiciant de rebus neceſſarijs pro futuro quocumque tēpore belli, quod etiam ampliant iſti Doctores, etiam ſi deferentes nulla mala intentione deferrent, quia abſolutè hic excommunicantur deferentes nulla habita ratione ad bonā, vel mala intētionem, quā non iudicat Eccleſia. Ita videātur ſentire, vt refert *noſt. Ang §. 5. Ioan. Andr. Ancaran. & Panorman. c. quorūdā de Iud. & Duard. hic q. 2. & Bonac. punc. 2.*

Pro parte tamen negatiua, quod ſcilicet non incidant portantes præfata prohibita ad infideles tēpore pacis, videtur probabiliter ſuadere, quod hæc omnia, & ſingula videatur Bulla prohibere ſub hoc prætextu ne fideles ab infidelibus impugnentur, vbi loquitur de præſenti, non de futuro, tempore autem belli, vel ei proximo īpugnantur fideles ab infidelibus, non autē tempore pacis, ergo ad ea transferentes præfata prohibita tempore pacis non videtur eſſe intentio Papæ excommunicare in hoc ſeptimo Canone, nec valet dicere, quod ſolum recitatiuè ibi Pontifex ponat (*quibus impugnantur*) tempore præſenti, quia in hac bulla cum tractetur de re graui vocabula ponuntur benè examinata, & ſecundum ſuam ſignificationem; quare vtraque opinio mihi probabilis videtur.

Vtrum Chriſtianus ex vna terra infidelium tranſuehens præfata ſpecialiter in Bulla prohibita ad aliam Terram infidelium incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

NEgare videantur *Sylu. V. Excomm. 1. n. 64 Filiucc. q. 7. & Alterius hic diſp. 8. c. 2.* quia Bulla videtur loqui ſubiectiuè, & obiectiuè ſimul, & ſemel, .i. prohibere obiectiuè Chriſtianas ſ. perſonas, & ſubiectiuè ſ. à terris Chriſtianorum deferre præfata ad infideles, ergo quia terris in fidelium ad infideles ea deportant, non incurrunt præfatam excommunicationem, metaphiſica quidē ratio ſua metaphiſica probabilitate nō caret.

Cæterum probabilius, & tutius in praxi dicendum incurrere deferentem de Terra infidelium ad terras infidelium tempore belli præfata hic prohibita, ſaltem quia per talium ad ſportationē impugnātur fideles, & hoſtibus in damnū Catholicorū præſens adfertur auxiliū, ita *noſt. Ang. §. 11. Nauar. notab. 6. n. 27. Sayr. loc. cit. n. 19. Duard. can. 7. q. 8. & Bonac. punc. 2. n. 17.*

Amplia hanc doctrinam etiam ſi Catholicus eſſet Vaſſallus Principis infidelis, vt notat Bonac. modo ex timore cadente in conſtantem virum non ſit coactus.

Attamen ſi nullum damnum ſequeretur ex tali delatione de vna terra infidelium ad aliam contra Chriſtianos dicendum omnino, quod nō incurreret deferēs, vt notat noſter *Angelus*, quia talis tranſlatio de terra infideliū ad terrā infideliū non videtur eſſe abſolutè interdicta Chriſtianis in hoc Canone.

Vtrum Princeps Chriſtianus non prohibens paſſum infidelibus tranſeuntibus ad damna Chriſtianorum excommunicetur in hoc ſeptimo Canone.

DIFFIC. VI.

DIſtinguendum puto, nam vel rogatus non prohibet, imò concedit, & ſic quia poſitiuè dat auxilium, & fauorem infidelibus contra Chriſtianos excommunicatur talis Princeps in hoc ſeptimo Canone, vel non prohibet, quia non tenetur prohibere, & petentibus merè negatiuè ſe habet nullum poſitiuè præſtando fauorem, & auxilium, licet peccet contra charitatē poſitiuè non impediēs, non tamen contra iuſtitiam, vnde nec excommunicationem hanc incurrere, quod ſi ex iuſtitia teneretur prohibere ſi non prohiberet, phyſicè cooperaretur ad damnum Chriſtianorum, quare incurreret hanc excommunicationem. *Ita Bonac. diſp. 1. q. 8. punct. 2. n. 2.*

Vtrum mandans, vel conſulens deferri hic prohibita incurrant excommunicationem, & an, ſi effectus non ſequatur damnificationis. DIFFIC. VII.

DIco primo, quod *licet Tolet. c. 23. n. 7. & Sayr. l. 3. c. 31.* videantur dicere mādantes non includi in hoc Canone, quia non exprimuntur, attamen in hoc caſu præcipuè omnino contrarium dicendum puto, videlicet incidere mandantē prohibita deferri in hoc capite, nam vt rectè notat noſter Vngarell. in Angelum noſtrum loco cit. ſchol. , S, diſpoſitio loquens perſonaliter, & concerniens actum perſonæ authoritatiuum, ne dum comprehendit facientem, verum etiam mandantem, ſeu fieri facientem non enim Principes, & magnates perſonaliter poſſunt deferre, ſed mandant, & ſua authoritate deferuntur, itaque diſpoſitio contra deferentes includit etiam mādantes, quia hæc delatio concernit actum authoritatiuum. *Ita etiam Rebuff. hic art. 5. in Verbo deferentes, Vgol. c. 7. Alter. c. 10. Duard. q. 11. & Bonac. punc. 2.* Quando ergo actio prohibita ſimpliciter ex ſe, & per ſe nequit, nec congruit fieri niſi per alium, ſed neceſſario, vel congrè requirit alium, tunc in actione prohibita, prohibetur etiam mandatum, quia ergo delatio non poteſt fieri à Principe ſine miſſionitus, vel Nautis mandans tranſuehi præfata ad infideles in excommunicationem omninò incurrit.

Dico Secundò, quod ſi res mandata non peruenerit ad infideles non incurrit mandans hanc excommunicationem, quia cenſura non ligat mandantem non ſecuto effectu, ſi autem prohibita non peruenerint ad Terras infidelium, effectus delationis non eſt ſecutus. Ita communius.

Dico Tertiò, quod licet probabiliter multi Doctores exiſtiment non incurrere conſulentes, & auxiliantes, ſi damnum actuale fidelibus non fuerit allatum ex tali auxilio, vel conſilio dato infidelibus, quia cenſura non incurritur niſi ſecuto effectu, vt patet in Conſulente, & auxiliante ad percutientem Clericum, qui non incurrit niſi actu ſequatur percuſſio, ergo etiā niſi actualis traſmiſſio ſecuta ſit in damnum fidelium, non incurritur excommunicatio præſens. *Ita Suar. Sanch. & Bonac.* quę ſaltem probabiliter aſſerunt alij conſulentem, & auxiliantem hāc delationem prohibitorum ad infideles, incidere nullo ſecuto effectu damnificationis contra fideles, quia Papa prohibens auxilium, & conſiliū, non reſpexit ad actuale damnum inferendum, ſed ad damnum quod poteſt inferri ex tali cōſilio, vel auxilio quod patet, quia actualiter deferens ad terras infidelium, vel mandans delationem ſtatim atque ſecutus eſt effectus delationis in terras infidelium incurritur excommunicatio, licet actu damnum ex tali delatione infidelibus non inferatur Chriſtianis, ita etiam ſtatim atque fuit datum cōſilium, vel auxilium ad talem delationem immediatè ſequitur excommunicatio præfata etiam ſi nullum damnum ſequatur, quia actio talia cōſulēdo, & in talibus actio auxiliādi eſt ex ſe mala, & pecaminoſa, & habitualiter ſaltē pernicioſa Chriſtianis, ergo licet actualiter nō ſequatur dānū, pōt cōprehendi in hoc ſeptimo Canone. *Ita Vgol. hic V. nec nō illas, & Duard. q. 38. n. 17.*

Ceterum licet hæc opinio ſecunda videatur ſatis probabilis, attamen prima tuta eſt, & probabilis, itaque ante factū potius ſecunda conſulenda, poſt factum, vt ſcrupulis occurratur poteſt prima practicari tamquam probabilis.

Vtrum autem quis dubitans an ſecutus ſit effectus damnificationis ex tali cōſilio, vel auxilio debeat ſe reputare excommunicatum affirmatiuè reſpondendum, quia iuris præſumptio eſt contra ipſum dantem auxilium, & conſilium.

Vtrum vendens prohibita infidelibus in Terris Chriſtianorum, vel cum eis meliora commutans incidat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

AFfirmant multi, quia licet vendens, & cōmutans prohibita in hoc ſeptimo Canone infidelibus non incidat ſub titulo delationis, incurrit tamen ſub titulo auxili, quod præbetur

beretur contra Chriſtianos ex tali venditione, vel cõmutatione, vnde infert Bonac. quod vendens Triremẽ infidelibus in portu Chriſtianorum, & Iudæis inter Chriſtianos habitantibus bombardas, & alia inſtrumenta bellica, quibus ipſi non poſſunt vti, ſuſpicari tamẽ probabiliter poteſt tranſmiſſuros ad alios infideles Chriſtiani nominis incidat in hanc excõmunicationẽ, quia ex tali venditione auxilium præſtatur infidelibus contra intentionem Papæ ſecus putat de vendente ſolum Enſem etiã Turcæ Chriſtiani ſeruo ad ſuam meram defenſionẽ. Ita etiam videntur ſentire in parte ſaltem *Sylu. V. Excom n. 64. Duard. q. 7. & q. 18. Vgol. hic n. 4. & Alter. c. 2. q. 5.*

Negant tamen mitius alij quia cum venditio, & in meliora cõmutatio non prohibeatur in Terris Chriſtianorum facienda infidelibus expreſſe non debet fieri extenſio, maximè cum talis venditio non tradat proximè auxiliũ infidelibus contra Chriſtianos. *Ita Nauar. & Caiet. loc. cit. Tol. l. 1. c. 25. Azor. t. 1. l. 8. c. 23. q. 7. & Sayr. loc. cit.* excommunicari tamen volunt conſimiles tractatus venditionis, & commutationis facientes cum infidelibus in c. ad liberandum de Iud.

Attamen puto conſulendum tempore belli cum prima opinione, quia videntur proximè auxiliũ pręſtare infidelibus, quod etiam dicendum quando adeſt probabilis ſuſpitio proximi belli cum fidelibus, tempore autem pacis poteſt ſecunda tuta conſcientia amplecti, quia tunc nullum proximè damnum Chriſtianis infertur, benè tamen verum eſt à contractibus quibuſcunque cum infidelibus omninò abſtinendum à Catholicis, quia non ſolum periculum corporale in poſterum ſaltem ab eis poteſt timeri ab illis contra Chriſtianos, verumetiam ſpirituale cum prohibeatur in præfato Canone.

Vtrum deferens in hoc ſeptimo Canone prohibita ad fideles Catholicos ſubditos Principi infideli in ipſorum terris commorantes incidat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. IX.

DIſtinguunt Doctores, nam vel probabiliter creditur Catholicos Vaſſallos in Terris infideliũ vſuros eſſe talibus prohibitis in Bulla ad ipſos delatis in damnum Chriſtianorum dum ſeruiunt ſuis Principibus, & in hoc caſu certè indeferens ad Chriſtianos in terris infidelium incidit, quia cõtra intentionem Bullæ in hoc canone faceret, quod ſi probabiliter credatur Chriſtianos non eſſe vſuros talibus prohibitis in Bulla delatis ad ipſos in terris infidelium in damnum Chriſtianorum, ſed ſolum pro ſuis neceſſitatibus ſubleuandis, non incurrit deferens, quia talia prohibita non defert ad inimicos Chriſtiani nominis, ſed potius ad ſubleuãdos Chriſtianos infęliciter vaſſallos in terris infideliũ. *Ita etiam Filiuc. Duard. Alter. & Bonac. loc. cit.*

Addeetiam *cum Nauar. in c. quorundam n. 27. de Iud.* eodẽ modo dicendum de eo, qui deferret hic prohibita ad Principem Catholicum habentem in fœdus cum infidelibus; ſi enim probabiliter credatur eis vſurus pro infidelibus contra Chriſtianos, ſanè in hanc Excommunicationem incurreret.

Vtrum paruitas materiæ deferentem hic prohibita puta vnum pugionem, vel Enſem vnum ad infideles excuſet ab hac ſeptima Excommunicatione.

DIFFIC. X.

PAruitatem materiæ excuſare in hoc ſeptimo Canone, ita vt deferens rem parui momenti in rebus hic prohibitis ad infideles non incurrat communiter docent Doctores, at vero quęnam dicatur res parui momenti, & quænam res conſtituat paruitatem materiæ variant Doctores; quare

Dico primò quod licet ſit probabile portare ad infideles vnũ Enſem, vnum pugionem, vnam galeam, vel vnum Clypeum, vt gratis ſuis ergo donetur, cenſeri materiã leuem, & conſtituere paruitatem materię vnum Enſem, vnũ Clypeum, & ſimilia, quia notabile damnũ cum vno Enſe, vel pugione nõ poteſt inferri Chriſtianis, benè tamen cum vno Equo robuſto domito, vna Naui, vel Triremi, vel etiã cum vna integra armatura, vnde volunt deferentẽm vnum Enſem, vnam galeam, vnum Clypeum ad infideles non incurrere propter paruitatem materiæ in hanc ſeptimam Excommunicationẽ, benè tamen incurrere portantẽ vnum Equum ferocem, vnam armaturã, vnam Nauim, quia vnum quodque illorũ cõſtituit materiã grauem, & nõ leuẽ. *Ita Nauar. in c. ita quorũdam de iud. not. 8. Duard. can. 7. q. 15. Reginald. l. 9. c. 18. Bonac. punc. 4. & alij.*

Attamen de vno Enſe mihi videtur parum probabiliter dictum, quia cum vno Enſe poteſt notabile damnum inferri Chriſtianis, itaq; cum ſit præcipuum inſtrumentũ ad bellum offenſiuum, non videtur conſtituere rem leuem, vnde illum portare ad infidelem maximè tempore belli non videtur excuſare ab hac excommunicatione ratione paruitatis materiæ.

Dico ſecundò, quod materia leuis conſtituens in hoc Canone paruitatem materię vt plurimũ ſunt parui cultri ad frangendum panem, ad calamos accommodandos, nouaculæ ad incidendos pannos, & conſimilia ad opus, nec tamen in magna quantitate, vt poſſint ex eis conflari arma ad offenſionem.

Vtrum deferens hic prohibita ad Infideles, & ſtatim repetat, vel quibus numquam ſunt vſuri infideles contra Chriſtianos incidat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. XI.

NEgare videntur aliqui, ſi ſtatim deferens hic prohibita ad infideles repetat, & reacquirat, ita vt illis in dãnum fideliũ non potuerint vti noſtri inimici, non ergo incidit, quia effectus nõ eſt ſecutus cõtra chriſtianos *vide Vgol. & Alter. lo. cit.*

Ceterum communius, & probabilius affirmãt incidere, quia in Bulla prohibetur delatio ſimpliciter nõ autem delatio ſimul cum offenſione actuali, quare videtur eſſe conſumata malitia ſufficiẽs ad incurrendũ hanc excõmunicationẽ, ſtatim atq; delatio facta eſt in terras infideliũ, quia contumacem ſe reddidit deferens cõtra Papę prohibitionẽ, excõmunicatio. n. in momẽto cõpletę actionis prohibitæ ſub ipſius pęna de facto ſtatim incurritur. *Ita noſt. Ang. §. 6. loc. cit. Sayr. Bonac. & Duard. loc. cit.* ſecus tamen dicendũ ſi metalla v. g. vel ferrũ portaret quis ad terras infideliũ, quo ab eorũ artificibus paratẽtur ſibi arma, vel vaſa aurea, vel argẽtea, vt poſtea ea ſecũ reueheret ad terras fideliũ, nã hic nõ portat ꝓhibita, vt ea donet, vel vẽdat infidelibus.

Ex quibus patet etiã quod portãs v. g. ad extremas partes infideliũ paruorum Clauorum magnã quantitatem propterea, & vſu fabrorum & Artificum, quibus nunquã uti poſſent infideles in damnũ Chriſtianorũ adhuc incidere dicendus in hanc ſeptimã excõmunicationẽ, quia materia iſta omnino prohibetur in Bulla deferri ad infideles, vt notãt *Duard. q. 14. & Bonac. hic pun. 4. n. 1.* quicquid in cõtrariũ reclamare videatur Nauarrus putans portantẽ paruos clauos ad extremas partes infideliũ pro conſtruendis domibus, quibus nunquã vſuri ſunt contra fideles nõ incidere in hanc excõmunicationẽ cũ per ſolam delationẽ incurratur hæc excõmmunicatio in odiũ Infideliũ.

Vtrum deferens hic prohibita ad Schyſmaticos incurrat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. XII.

NEgat *Duard. l. 7. can. 7. q. 5.* quia ſchiſmaticus propriè, & in rigore non eſt hæreticus, ſed ſolum Papę inobediens, nec propriè dicitur inimicus Chriſtiani nominis.

Affirmant tamen *Vuald. in expoſ. huius Canonicis caſu 7. n. 2.* quia inimicus Papæ eſt etiam inimicus Chriſtianis Catholicis, ergo videtur eſſe preſumpta voluntas ſaltem Pontificis eos in hac excommunicatione comprehendere, qui ad tales Schyſmaticos hic prohibita deferunt. At vero

Diſtinguendum puto, nam Schymaticus eſt ſolum inimicus Papæ, vt eſt Princeps temporalis, in ſpiritualibus autem eſt omnino obediens, & ſic poteſt dici vera prima opinio Duardi, quia hic nõ eſt hęreticus, nec inimicus Chriſtiani nominis; ꝙ ſi Schyſmaticus eſt inimicus Papę, vt Papa eſt, eiuſq; authoritati in ſpiritualib⁹ nõ paſẽt, & cõtumax fuerit à Papa declaratus poſt annum, quia hic regulariter eſt & hæreticus nominatus, cũ non rectè ſentiat de fide, põt verificari ſecũda opinio Viualdi, &c.

Vtrum certiores faciens Infideles de ſtatu in damnum alicuius perſonæ particularis Chriſtianæ incidat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. XIII.

AFfirmarunt aliqui volentes eamdem eſſe rationem de toto, & partibus in hac materia certiorationis, ſicut. n. reuelãs ſtatum vnius Reipublicæ incurrit, ita etiam reuelans ſtatum vnius Prouinciæ, vel etiam vnius Ciuitatis illius Reipublicæ incurreret, ergo etiam reuelans ſtatum vnius hominis illius Prouinciæ vel Ciuitatis incurrit in hanc excõmunicationem, à toto enim ad partes, & econtra valet conſequentia in

Digitized by Google

materia hoſtili, offendens enim hoſtiliter totum, offendit hoſtiliter partes, & offendens hoſtiliter partes, offendit hoſtiliter totum, quare probabiliter includunr reuelantē ſtatū vnius perſonæ Chriſtiani apud infideles incurrere in hāc excommunicationem, quia dum offenditur hoſtiliter vnus Chriſtianus apud infideles, videtur in contemptum totius Reipublicæ Chriſtianæ hoc fieri.

At verò nimis metaphiſicè loquuntur, nec puto probabiliter omnino dictum de quolibet Chriſtiano, ſed ſolum de Principe Chriſtiano repreſentante aliquam Communitatem ſua authoritate, & dominio, cuius ſecretum ſtatū maximè in odiū infidelium ad iſtos deferens ſanè in excommunicationem hāc dicendus eſt incidere, quia in damnum Chriſtianorum hæc reuelatio cerneret, nam infideles, vel ſe munire poſſunt contra Chriſtianos, vel poſſunt parare ad aggrediendum Chriſtianos, dum certiorantur de ſtatu Principis Chriſtiani contra ſe ipſos.

Quare verba Bullæ ad ſtatum vnius Chriſtiani priuati, qui ſicut non poteſt nocere ex ſe ſolo communitati infidelium, ſic nec reuelatio eius ſtatus apud infideles poteſt nocere communitati fidelium, non ſunt extendenda maximè cum ſimus in pœnalibus. *Vide Sayr. c. 11. Duard. q. 30. Vgol. hic n. 2. & Bonac. punct. 2. loco cit.* argumentum autem à toto ad partes & è contra non ita practicari poteſt in moralibus, ſicut in phyſicis.

Vtrum certiores faciens infideles contra ſtatum, Reipublicæ Chriſtianæ de rebus, quæ antea ſibi iam erunt notæ, incidat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. XIV.

NEgāt *Duard. q. 33. & Bonac. loc. cit.* quia qui certus eſt, certificari amplius non poteſt *ex c. eum qui certus de Regul. iur. in 6.* non ergo certificans certificatum infidelem de rebus contra ſtatum Chriſtianorum intentionem Papæ in bulla hac offendit, ergo nec comprehenditur in hac ſeptima excommunicatione.

Probabilius tamē videntur loqui *Vgol. hic* §. 1. & *Alter. l. 5. diſp. 8. c. 9.* ex eo quia iſta actu certificandi infideles extenſe mala, & per accidēs eſt ad hanc actionem quod ſint certificati nec ne, ergo abſolutè prohibita in Bulla abſq; reſpectu, quod ſint certificati prius, adde, quod licet certificatus non valeat amplius certificari quoad ſubſtantiam, at vero quoad modum ſciendi magis, & minus, diſtincte, & minus diſtinctè poteſt amplius certificari, & fieri certior, & in bulla ponitur hoc nomen (*certiores*) vt etiam comprehendat reuelantes ſtatum ipſis infidelibus iam præcognitum in damnum Chriſtianorum, quia licet eſſent certi, fiunt tamen certiores dum à Chriſtiano etiam ex ſibi deferuntur.

Vtrum metu graui coactus facere prohibita in hoc ſeptimo Canone incidat in eius excommunicationem.

DIFFIC. XV.

NEgant probabiliter noſter *Ang. V. metus, Valentia, Salas, & alij, quos citat, & ſequitur Duard.* quia præcepta Eccleſię non obligant cum graui damno, etiam ſi ſub cenſuris mandentur ſeruanda.

Attamen nec improbabiliter contrariū docēt alij poſſe S. Eccleſiam ſub excommunicatione validè præcipere ne fiant ea, quæ ſunt in graue damnum commune, etiamſi incuteretur quicumque metus ad ipſa facienda, quandoquidem præponderat bonum publicum priuato, & priuatus debet rem, & vitam pro Reipublicæ conſeruatione. *Ita Alter. l. 5. diſp. 8. c. 9. Vgol. hic §. 1. de nunciantibus, Sylu. Azor. Vaſq. & Bannes, quos citat, & in parte ſequitur Bonac. hic punct. 4. & de pecc. diſp. 2. q. 8. pun. 2.* tu vero vide infra V. metus, quid reſpōdendum, vbi pulchra dabitur in hac materia diſtinctio, inter ea alterutra opinione vtere, quia vtraque ſua probabili ratione fulcitur.

Vtrum Princeps Chriſtianus præſtans auxilium, fauorem, & conſilium contra Principem alium Chriſtianum infidelibus ad finem, ne potentior factus ſuum Dominium inuadat, & ipſi reſiſtere nequeat incidat in hanc ſeptimam Excommunicationem.

DIFFIC. XVI.

LIcet aliqui potius Statiſtæ, quam Iuriſtæ, negauerint hunc principem propter hunc iuſtum timorē incidere in hanc excommunicationem, quia ſicut licitum eſt Principi Chriſtiano aduocare infideles contra alium Principem Chriſtianum, vt ab eo ſe defendat, ergo etiam licebit dare auxilium infidelibus contra Principem Chriſtianum, ne proprium inuadat dominium factus potentior, ſpectare enim volunt ad defenſionem precauere à damno, quod poteſt ſequi probabiliter.

Ceterum communiter DD. hanc ſententiam iure arguunt tanquam iniquam, & falſam vtpotè inimicis nominis chriſtiani vtilem, & fidelibus pernicioſam, præterquam quod contra ordinem veræ defenſionis, quæ licita eſt cum moderamine inculpatæ Tutelæ ſolum in offendendo aggreſſorem, & enim nō licet occidere inimicum, quē probabiliter cognoſcis, quod aliquando te vult occidere, niſi proximè paratum inuenias te velle occidere, quia non licet præuenire offendendo inimicū, quē ſolum times ſibi nociturum, ſed ſolum quando actu te vult offendere, aliter non ſeruatur moderamen inculpatæ tutelę, vt dicetur ſuo loco, itaque non licebit Principi auxilium dare infidelibus contra alium Principem ſolum propter timorem, ne aliquando eius dominium ab ipſo inuadatur, quia non ſeruatur moderamen inculpatæ tutelæ, quare non currit paritas ab aduerſarijs adducta, nam Princeps dū actu vexatur ab alio Principe Chriſtiano vtitur moderamine inculpatæ tutelæ, ſi contra ipſum aduocet in ſui fauorem infideles modo non timeatur ab eis periculum ſubuerſionis, vel fidei contemptus. Ita *noſter Rodr. & Bonac. de contract. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. vlt. §. 1. q. vlt. Alter. l. 5. diſp. 8. T. 1. Duard. l. 2. can. 7. quæſt. 36. & alij communiter.*

Vtrum deferens hic prohibita ad Terras infidelium ad redimendos captiuos Chriſtianos ab eor. manibus incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. XVII.

DIſtinguendum puto, nam vel deferuntur hic prohibita ad terras infidelium ad redimendos captiuos in tanta quantitate, vt plus damni, quā vtilis adueniat Reipublicæ Chriſtianæ puta ſi pro redimendo homine imbelli, nec apto ad militandum petatur magna aliqua quantitas, qua Chriſtiana communitas poſſet offendi, cum bonum publicum præponderet priuato, non licebit præfatam quantitatem prohibitorum ad infideles deferre, alias incideret in Excommunicationem. Ita etiam *Vgol. Duar. & Bonac. loc. cit.* ſi verò prohibita hic deferri non ſint nocitura Chriſtianæ communitati ſaltem per Epichęiam poteſt dici non incurrere hanc excōmunicationem ea deferentem ad redimendos captiuos in terris infidelium, maximè cum etiam redemptio captiuorum poſſit eſſe Chriſtianis ęquè ſaltem proficua, ſicut ea, quæ pro ipſis darentur infidelibus.

Quęnam autem quantitas ſit ſufficiens, & quando damnoſa delatio rerum hic prohibitarum pro redemptione captiuorū in terris infidelium iudicio viri prudentis relinquendū, qui primò ponderabit qualitatem perſonæ redimendæ, Secundò an alijs rebus præterquam prohibitis poſſit fieri talis redemptio, nam ſi ſic, non poſſent portari prohibita, quia ceſſaret caput Epichęiæ. Tertiò perſpiciendum eſt an ſit tempus belli, tempore enim belli non debent adferri prohibita, quia tunc maximè offenderetur communitas Chriſtiana à talium delatione ad infideles.

Noſter tamen *Angelus* §. 3. *loc. cit.* pie admodum monet pro redemptione captiuorum prohibita tempore belli delata ad infideles portantem poſſe declarari poſt factum non incurriſſe ſi ſola charitate compulſus fecerit, ante factū tamen nullo modo cōſulendum id putat tempore belli, benè tamen tempore pacis, quando actu nullum nocumentum affertur Chriſtianis, vide etiam *Reginald. n. 299. Alter. diſp. 8. c. 5. Duard. q. 11. Sayr. & Bonac. loc. cit.*

Aduertè hic etiam, quod ex dictis colligitur vendentē prohibita hic infidelibus ex quorum venditionis prætio præuidet plus vtilitatis prouenire Chriſtianis, quā damni poſſe per Epichęiam excuſare ab hac excommunicatione, quando notoria eſt, & omnino euidens maior vtilitas Chriſtianorum, vide Reginaldum n. 301. verum eſt tamen quod paſsim non debet fieri abſq; Sędis Apoſtolicæ licentia, cū Epichęia ſolum in aliquo caſu neceſsitatis imminētis vti debeamus, & licentia ſuperioris non poteſt de facili haberi, prohibetur .n. expreſsè, & abſolutè deferre quodlibet mercimonium ad infideles abſque licentia Summi Pontificis in c. quod olim de iud.

Vtrum deferentes mercimonia, & alia, quæ prohibita ſpecialiter hic non ſunt incidant in hanc ſeptimam excommunicationem.

DIFFIC. XVIII.

DIſtinguendum puto de mente noſtri Angeli, nam vel deferuntur tempore pacis, in quo nec ſuſpicari poteſt talibus vſuros eſſe infideles in damnum Chriſtianorum, puta quia ad munitiones faciendas eis non inſeruit, ſed pro vſu quotidiano, & in hoc caſu non incurrunt portantes ad eos mercimonia, & alia non prohibita in hanc ſeptimam excommunicationē; quia nullum auxilium præſtarent proxime in damnum Chriſtianorum, quod ſi adſit tempus belli contra Chriſtianos, vel actu bellent infideles contra Chriſtianos, certum eſt incidere in hanc excommunicationem, quia ex talium mercium delatione auxilium ſanè præſtaretur infidelibus, quia ad ſe muniendos contra Chriſtianos, vel ſe alendos inſeruirent in damnum fidelium Chriſtianorum, vide Angelum noſtrū, §.4. & §.5. *Duard. & Alter. loc. cit.*

Ceterum licet tempore pacis non incurrant, vt dictum eſt ſupra portantes mercimonia ad infideles, quando non ſuſpicatur eos vſuros in damnum Chriſtianorum in hanc ſeptimam excommunicationem, incurrunt tamen excommunicationem latam *in c. quod olim de Iudæis*, contra portantes mercimonia ad infideles abſque licentia Summi Pontificis.

An portantes prohibita in hoc ſeptimo Canone vltra excommunicationem hic latam alias incurrant pœnas.

DIFFIC. XIX.

ALias pœnas incurrere vltra præfatam excommunicationem portantes hic prohibita ad infideles in damnum Chriſtianorum certum eſt apud ſacros Canones, vt videre eſt in Titulo de Iudæis, vbi imponitur contra talia deferentes in damnum Chriſtianorum pœna perpetuæ infamiæ, incapacitatis actiuæ ad faciendum teſtamentum, & inhabilitas paſſiua ad ſucceſſionem per teſtamentum quam ab inteſtato, & priuatio actiua, & paſſiua Officiorum publicorum, & in iure ciuili imponitur pœna publicationis bonorum. Vide *Bonac. Duard. & Alter.* &c.

EXCOMMVNICATIO OCTAVA.

Principaliter Contra
- *Impedientes eos, qui victualia, & alia ad vſum Curiæ Romanæ neceſſaria adducunt.*
- *Inuadentes eos, qui talia aduehunt.*
- *Prohibentes ne dicta aduehantur*
- *Perturbantes, ne adducantur.*

Acceſſoriè Contra
- *Defendentes per ſe*
- *Et per alios,*

Qui prædicta faciunt.

Vtrum nolens vendere, nec donare res ſuas, quæ tranſmittendæ eſſent ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria incidat in hanc Octauam excommunicationem.

DIFFIC. I.

NEgant communiter Doctores, quia nolle vendere, vel donare res ſuas non violentiam aliquam facere contra deferentes res neceſſarias Curiæ Romanæ, hic autem interdicitur violentia facta contra tales, ſicut apertè declarant, quibus vtitur Papa dum excommunicat impedientes, inuadentes, prohibentes, & perturbantes eos, qui adducant, vel ne dicta adducantur, quæ verba dicunt aliquam actionem violentam poſitiuam per vim, metum, minas, mendacia, dolos, iniurias, calumnias, carceres, impetus, aggreſſiones, & cetera per quæ impedimenta, inuaſiones, prohibitiones, & perturbationes notantur, nolle autem vendere, & donare dicit ſolum actum merè negatiuum, qui nullo modo includitur in verbis præfati canonis. Ita etiam *Suar. de cenſ. diſp. 21 ſect. 2. n. 44. Alter. diſp. 9. c. 4. Bonac. q. 9. punct. 1. Duard. q. 2. n. 2. & alij.*

Vtrum adducentes ad Romanam Curiam Canes, accipi tres, & inſtrumenta muſicalia, & alia conſimilia ſi qui impediant, vel perturbent incidant in hanc octauam excommunicationem.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod hic excommunicantur ſolum impedientes, inuadentes, prohibentes, & perturbantes, ne adducantur ad Romanam Curiam ea quæ ſunt neceſſaria ad victum, & decentem ſtatum Curiæ Romanæ, hinc, quæ dedecent Clericalem ſtatum ſi prohibeantur, & impediantur adduci non comprehenduntur in hoc Canone, quare cum Venatio ſit interdicta Clericis, & multa habere ad luxum eis non permittitur, ſequitur, quod nec canes, nec accipi tres, nec ſimię, nec Pſittaci, nec taxilli, nec aleæ, quæ dedecent Eccleſiaſticos ſi adducantur ad Romanam Curiam, & de facto impediantur, & aggrediantur talia portantes, vel prohibeantur, vel perturbentur talia adducantur, impedientes, aggredientes, prohibentes, & perturbantes, ſeu eorum defenſores non incidunt in hanc octauam excommunicationem, quia non impediuntur neceſſaria Curiæ Romanæ, vide etiam *Duard. qu. 5. Vgol. hic §. 4. Alter. & Bonac loc cit.*

Dico ſecundò, quod inſtrumenta muſicalia, & cetera, quæ decent ad honeſtam animi relaxationem, cum maximè videantur neceſſaria ad recreandos animos laborantium in Curia impedientes, & perturbantes, & aggredientes, ne adducantur ad Curiam Romanam, ſanè videntur incurrere in hanc octauam excommunicationem. Ita Doctores communius.

Vtrum quandò Papa eſſet extra Romam impedientes ne adducantur ad Romanam Curiam excommunicentur in hoc octauo Canone Bullæ.

DIFFIC. III.

DIſtinguunt Doctores, nam vel Papa diſcedens Roma totam Curiam Apoſtolicam ſecum defert cum ſingulis Officialibus, & Audientijs, & in hoc caſu cum nullo modo adſit Curia, tunc Roma non gaudet hoc priuilegio, & impedientes non incurrunt hanc octauam excommunicationem, incurrerent tamen alias excommunicationes latas contra quaſcunque perſonas, etiam Cardinales infra quinquaginta milliaria ab Vrbe habentes bona ſi impedirent frumenta, & blada Romam tranſuehi, & ad alia loca tranſmiſerint abſque licentia Sedis Apoſtolicæ, vt videre eſt in Conſt. Greg. XIII. confirmantis alias conſtitut. Clementis VII. Sixti IV. Iulij II. & Pij V. ſuper eandem materiā, quæ conſtitutiones reſpiciunt vtilitatem Romæ, vt Ciuitas magna eſt indigens victualibus multis preſcindendo à Curia Apoſtolica, at vero in hoc Canone habetur reſpectus ſolum ad vtilitatem Curiæ ſimpliciter; quare ſi curia relinquatur Romæ cum ſuis Officialibus, & Audientijs, vt nomine Sedis Apoſtolicæ cauſas expediat, licet Papa diſcedat dicitur Curia remanere, & in hoc caſu remanet diſpoſitio huius Canonis contra impedientes, ne adducantur neceſſaria ad Curiam Vide *Vgol. c. 8. §. 3. Duard. & Bonac. loc. cit. & Sayr. l. 5. c. 15.*

An impedientes litteras directas ad Curiam Romanam ne perueniant hic excommunicentur.

DIFFIC. IV.

DIſtinguunt aliqui Doctores, quod impedientes eos, qui portant litteras cambiorum, & in quibus ſunt Chyrographa hic excommunicari, non autem portantes litteras negotiorum aliorum, quia ſine vſu pecuniarum, quæ habentur per litteras cambiorum, & chyrographa non poteſt viuere Curia Romana, quare iudicantur neceſſaria ad vſum Curiæ, Ita *Bonac. in. loc. citat.*

Ceterum ſaluo ſemper meliori iudicio dicerem litteras aliorū negotiorū eſſe maximè neceſarias ad vſum Romanę Curię, ex litterarū enim vſus vota abſentium, deſideria poſtulationes, ſententiæ, decreta, appellationes, & alia neceſſaria ad Curiales cōmunicantur, Curiales enim relationem habēt ad ſuos clięntes & negotiantes in Curia, qui aliquando abſunt propter aliquam neceſ-

Digitized by Google

neceſſitatem,& ſi impediātur inter eos litteræ, quibus negotia communicantur,magna naſceretur in Curia perturbatio,quia nullo modo benè poterunt exerceri in Curia munera Aduocatorum, Procuratorum,Iudicum,& aliorum Officialium ſi nō perueniunt litteræ abſentium habentiū negotia in Curia, quare non ſolum victualia impedientes, quæ ad victum,& veſtitū pertinēt vt ſunt triticum,farina,panis,legumina,blada, oleum, vinum,piſces,oua,carnes, caſeus, muſtum, medicinæ,lana, linū, atque hiſce ſimilia verum etiam alia neceſſaria vſum Curię Romanæ , ad vſum autem maxime ſunt neceſſariæ litteræ per quas conuictus, & ſocietatis humanæ cōmunicatio etiam inter abſentes habetur, ergo etiam litteras ad Curiales Romanæ Curię directas impedientes in hoc octauo Canone excommunicantur.

An impedientes ad Romanam Curiam aduehentes copiam magnam mercium, quas Curiales non ſolent emere in hoc octauo Canone excommunicentur.

DIFFIC. V.

AFfirmant Filiucc. *trac.16. c.7. q.2.& Bonac. punc.2. loco cit.* quia licet immediatè, & directè huiuſmodi merces Curialibus non inſeruirent,tamen mediatè, & indirectè inſeruiunt,puta pro eorum ſeruientibus, & negotiantibus,qui Romam aduentāt,qui ſi copias rerum ſibi neceſſarias non reperirent Romæ,non ita facilè commorarentur, præterquam quod copia mercium, & rerum vendibilium annonā faciunt largiorem, & res viliores efficiuntur, quare ad vſum Romanæ Curiæ multum prodeſſe talis copia dicenda eſt, quia penuria rerū ex alia parte multum damnum affert Officialibus,qui dum intendunt negotijs,non poſſunt eſſe ita ſolliciti ad prouidendum ſibi neceſſaria congruis temporibus.

Verum an hæc neceſſario concludant impedientes talē copiam mercium, quibus non vtuntur Curiales ne Romam aduehatur, excommunicari in hoc octauo capite, vbi ſolum neceſſaria ad vſum Curiæ nominantur, videant viri docti, mihi enim non videtur omnino probabile,in odioſis enim ſumus, in quibus facienda potius reſtrictio.

Vtrum Domini prohibentes ne victualia Romam tranſueharitur,vt ſuorum Ciuium conſulat annonæ,& graſciæ, vel alio iuſto prætextu incidant in hanc octauam Excommunicationem.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod cōmuniter volunt DD. ſolū excōmunicari in hoc octauo Canone eos, qui iniuſtè impediunt adducentes neceſſaria Romanæ Curiæ, non autem, qui iuſtū habent titulum,quare cum domini habeāt iuſtum titulum impediendi victualia portantes ex ſuis Terris ad Romanam Curiam,vt conſulat annonæ,& graſciæ ſuorum Ciuium, victualia.n. primò debentur incolis Terrarum,e quibus colliguntur.

Dico ſecundò, quod eadem ratione excuſantur ab hac excōmunicatione executores iuſti vectigalis, ſi victualia Romā transferenda retineant in totum, vel partem in pænam fraudis ob non ſolutum vectigal,quia habent iuſtum titulum ea detinendi, conſimiliter dicendum de ea, qui tradit in carcerē portātem vectigalia ad Romanā Curiam ob aliquod in via patratum crimen, vel ob debitum ſibi non ſolutum, quia in vtraque cauſa eſt iuſtus titulus, & ideo excommunicationem hanc non incurrit, quia vtitur iure ſuo,& iuſtè impedit, & eadē ratione dicendum non incurrere eum, qui victualia ſibi ſublata ſubtrahit de manu eorum, qui ea Romam adſportabant, quia Dominus habet ius recuperandi bona ſua vbicumque *ex l. in Ciuilium C.de. furtis vide Bonac. punct. p.n.13. Duard. q.10. Vivald. & Regnald. loc.cit.*

Dico Tertiò, ꝙ emens à traſuehentibus Romam victualia, & neceſſaria ad vſum Romanæ Curiæ paratis ea vendere ad ſuam, & ſuę familiæ vtilitatem,etiamſi ea emeret etiam,vt deinde pluris reuenderet alijs,non incideret in hāc excommunicationem, quia vtitur iure ſuo, quo quis tenetur ſibi magis cōſulere,quam alijs, quare habet iuſtum titulum,præterquam quod nullā adhibet violentiam,ad impediendum vt talia tranſueharitur,dum emit a parato vēdere limitanda tamen hæc doctrina modo doloſè, & animo poſitiuè iniquo ea non emat, ne propriè Romanam ad Curiam in eius odium aduehantur,quia tunc iniquè, & iniuſtè, & doloſè impediret,quare incideret in hanc excommunicationem.Ita etiam *Suar.diſp.2. Alter.c.4. Reginald. Duard. & Bonac.loc.cit.*

Dico quartò, quod licet probabiliter aliqui DD.excuſēt eū, qui ob priuatas inimicitias occidit,& inuadit deferētes victualia ad Romanam Curiam, quia primariò intendunt occidere inimicos, non autem impedire victualia, licet ex tali occiſione ſequatur effectus impediendi prohibitus in Bulla, in moralibus enim conſideratur, quod per ſe eſt intentum, non quod per accidens, ita. *Duard.can.8.q.10. Vivald.& Bonac.loc. cit.* tamē quia occiſio inimici, eiuſque inuaſio non eſt iuſtus titulus, & propter ſuum intereſſe particulare facit vanum Papæ mandatum videretur probabilius dicendum, & conſulendum incurri hanc excommunicationem in præſenti caſu. *Ita etiam Vgol. hic c.8. §. 4.*

Dico quintò, quod Princeps impediens victualia deferenda ad Romanam Curiam per ſuum territorium tranſeuntia, vt graui ſuorum Ciuium neceſſitati conſulat, licet abſolutè, negent *Vgol.c.8.& Duard.l.2.c.8. q.4.* quia neceſſitas eſt iuſtus titulus ea impediendi,neceſſitas enim non habet legem, ſed ipſa facit ſibi legem ex c.ſibi non diſt.1.de Conſecrat. diſtinguendum tamen videtur probabilius nam ſi maiori neceſſitate prematur populus, per cuius territorium deuehuntur victualia ad Romanam Curiam, quam ipſa Romana Curia, habet iuſtum titulum ea detinendi pro ſuo populo Princeps, nec excommunicationem incurrit,quod ſi maiori, vel ſaltem æquali neceſſitate premantur Romana Curia, cum potior ſit conditio poſſidentis,& Romana Curia habet maius ius in re, tanquam habens rationem publicæ communitatis,quam populus priuatus, non poteſt in tali caſu iuſtè impedire victualia deferenda ad Curiam Romanam Princeps territorij,per quod deducuntur, atque ideo impediens in tali caſu incideret in hanc octauam excommunicationem. Ita etiam *Bonac. loc.cit.*

Vtrum ſpolians deferentem neceſſaria ad Curiam Romanam pecunijs quas ad proprium vſum portat,incidat in hanc octauam Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

NEgant *Reginald.Bonac.Sayr.& Vival.locis cit.*,quia quę ad proprium vſum tranſuehentium pertinent, non dicuntur victualia, nec neceſſaria Romanę Curiæ, & conſequenter ſi inuadantur in ſuis rebus, non incurrunt inuaſores in hanc octauam excommunicationem, limitatur modo non vulnerent, aut occidant deferentem, vnde poſitiuè impediatur talium rerum tranſlatio ad Romanam Curiam.

Ceterum videtur probabilius dicendum talem ſpoliantem tranſuehentem victualia ad Romanam Curiam proprijs pecunijs incidere,quia qui ſpoliatur pecunia,quæ dicitur hominis ſecundus ſanguis, verè inuaditur, inuadens autem tales deferentes hic expreſsè excommunicatur. Ita etiam *Vgol.§.4. Alter.diſp 9.c.4.dub.p.& Duard.can.8.q.10.*

Vtrum mandans & conſulens impediri delationem victualium ad Curiam Romanam incurrat hanc excommunicationem octauam.

DIFFIC. VIII.

NEgant *Duard.can.8.q.3.& 9.& 10.& Bonac.q.9. punc. 1. n.2.* ex eo quia cenſuræ non afficiunt mandantes, & conſulentes niſi exprimantur, & in hac Bulla Papa eos exprimat, quando intendit excommunicare mandantes, & tamē quoad conſulentem videtur probabilius dictum quoad mandantem vero

Probabilius, & tutius dicerem incurrere, quando ex mandato impediuntur victualia, nam vt ſuperius etiam notatum eſt ex noſtro Vgarello diſpoſitio concernens actum perſonæ authoritatiuum comprehendit etiam mandantem, quia vero impedire poteſt concernere actum perſonæ authoritatiuum, qui per ſe non ſolet impedire, ſed benè per ſuos milites, ſi prohibeatur ſub cenſura concernit etiam mandantem, atq; adeo mandans impediri authoritatiuè ſuos milites, vel ſeruos, iurè ipſe dicitur impedire victualia ad Romanam Curiam, vnde tutius,& verius dicendum eſt incidere in hanc octauam excommunicationem ipſum mandantem, alias eluderetur intentio legis, cum ferè impedientes ex mandato iuſſi impediant. Ita etiam *Vgolin.c.8.n.2. & Vivaldus loco citato &c.*

Vtrum defendens eos qui impediuerunt, vel inuaſerunt portantes victualia ad Romanam Curiam incurrat hanc octauam excommunicationem.

DIFFIC. IX.

DIſtinguendum videtur, nam iſti, qui inuaſerũt, vel impediuerunt huiuſmodi victualia facti ſunt animoſiores, & promptiores, quia præuidebant ab amicis defendendos eſſe, ita, & taliter, vt ſi in ipſorum auxilio non cõfiſi eſſent, nõ impediſſent, nec inuaſiſſent, & iſti Amici, in quibus confidebant ſciebant eos eſſe impedituros, & inuaſuros, nec prohibuerunt, ſanè ſi eos poſteaquam inuaſerunt & impediuerunt, defendant, incidunt, quia ſunt phyſicè cõcurrentes ad actionẽ impediendi, & inuadendi tanquã complices delicti; quòd ſi incidenter abſq; eo, quod præuiſa fuerit talis inuaſio, & impeditio defendãt eos qui actu iam impediuerunt, & inuaſerũt, tanquam amicos, non incurrunt, quia in bulla excõmunicãtur hic defendẽtes actu impedientes, & inuadentes, in penalibus autem non eſt facienda extenſio de præſenti ad præteritum. Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Vtrum impediens portantem victualia ad Romanam Curiam in tanta ſolum quantitate, quæ ſufficit ad peccatum mortale incidat in hanc octauam Excommunicationem.

DIFFIC. X.

DIco primò quod impediens in parua quantitate ſufficiente ſolum ad peccatũ mortale in genere furti non incurrere in hanc excommunicationem octauam, quia parua hæc quãtitas non lædit Officiales Curiæ, & in materia furti requiritur longè maior materia, quando tractatur de damno illato Communitati, quam in damno dato particulari, itaq; cum hic tractetur de damno dato Communitati Officialium, quælibet parua materia non dicitur eſſe damnoſa, quænam autẽ quantitas ſufficiat ad danum Communitati inferendum iudicio prudentum committitur. Quare

Dico ſecundò, quod qui vnam, vel aliam ouem impedit ne tranſuehatur, non videtur dãnum inferre, benè tamen qui tot oues, quæ poſſent conſtituere gregẽ, ſicut qui impedit vnum Mulum, vel Equum onuſtum victualibus, nec damnum notabile impenderet, vnde tales impedientes non incurrerent, *ita Bonac. & Filiucc. locis cit.* tutius in facto conſulendi ſunt viri prudentes, qui de facto iudicent iuxta qualitates temporum.

Vtrum impediens proponentem portare Romam victualia in hoc Canone Excommunicetur.

DIFFIC. XI.

AFfirmant communius Doctores, quia impediens proponentem portare, tunc actu ſaltem prohibet ne adducat, prohibentes autem etiam hic excommunicantur. Ita etiam *Vgol. c. 8. n. 1. Duard. q. 10. a. 8. Alter. c. 5. & Bonac. punct. 2. & alij.*

EXCOMMVNICATIO NONA.

Contra
- *Interficientes*
- *Mutilantes*
- *Spoliantes,*
- *Capientes,*
- *Detinentes,*
- *Vſurpantes iuriſdictionem Ordinariam, vel delegatam Summi Pontificis, vel iudicium ipſius ad præſtandas actiones præfatas contra morantes in Curia.*

per ſe, vel per alios
- *Venientes ad curiam*
- *Recedentes à Curia,*
- *Commorantes in Curia.*

Vtrum interficiens, vel ſpolians, vel detinens &c. venientem ad Papam non vt Papa in ſpiritualibus, ſed vt eſt Dominus temporalis ad tractandum negotia mere temporalia incidat in hanc nonam Excommunicationem.

DIFFIC. I.

NEgant. *Alter. diſp. 10. c. 2. dub. 4. Reginal. l. 9. n. 308. Nauar. & Molin. apud Bonacinam in 8. præc. Decal. diſp. 10. q. 2. punc. 8. §. vn. n. 4.* quia nomine Sedis Apoſtolicæ venit Papa, vt eſt paſtor in ſpiritualibus in toto mundo, tractaturus ergo cum Papa, vt Dominus temporalis non dicitur venire ad Sedem Apoſtolicam, quare interficiens, mutilans &c. venientem ad Papam, vt eſt Dominus temporalis non incurrit hanc excommunicationem nonam.

Attamen probabilius videtur affirmandum, Papa etenim vt Papa habitualiter eſt Dominus Temporalis in toto mundo, quia eſt Vicarius Chriſti tam in tẽporalibus, quam in ſpiritualibus in toto mundo, licet actualiter non exerceat iuriſdictionẽ temporalem in toto mundo, pollet tamen vtroq; gradu actualiter in Prouincijs, & Ciuitatibus actu ſubiectis, & Sedes Apoſtolica dicitur verè dominari ſuis Prouincijs, & Ciuitatibus actu ſubiectis, & habet patrimonium ſpeciale in temporalibus, itaq; tractaturus negotia cum Papa tam temporalia, quam ſpiritualia dicitur verè accedere ad Sedem Apoſtolicam, nec nos diſtinguere debemus, cum Papa non ſpecificet, nec tẽporalia, nec ſpiritualia, negotia tractãda ab accedente ad Sedẽ Apoſtolicã, & ad Curiam Romanam, vnde abſolute dicẽdum videtur quẽcunque accedentem ad quodcũq; negotium ad Sedẽ Apoſtolicã ſiuè temporale, ſiuè ſpirituale gaudere priuilegio huius Canonis, & eum offendentem aliquo ex narratis in bulla modis incidere in excommunicatione huius noni Canonis. Ita etiam affirmare videntur *Bonac. q. 10 p. 1. Duard. hic q. 1. & Filiuc. tract. 15. c. 6. q. 6.* ita practicari docet in *Sac. pœnit.*

Aduertendum tamen hic accedentem Romam ratione ſtationum, vel ob negotia tractanda cum alijs non gaudere priuilegio huius noni Canonis. Ita cõmuniter DD. quia eſt ſermo ſolũ deuenientibus ratione negotiorũ cum Sede Apoſtolica.

Vtrum interficiens &c. qui in itinere incepto ad Sedem Apoſtolicam mutauit ſententiam accedendi incurrat in hanc excommunicationem nonam.

DIFFIC. II.

NEgant communiter Doctores, quia poſt verè mutatam voluntatem non dicitur accedere ad Sedem Apoſtolicam, ita communiter Doctores.

Ceterum non eſt ita dicendum de illo, qui accedens ad Sedem Apoſtolicam intermiſit iter, nam diſtinguendum putant Doctores, ſi .n. intermiſit iter diuertendo ad alia negotia, ex quibus poteſt prudenter colligi mutaſſe ſentẽtiam amplius accedendi ad Sedem Apoſtolicã, quod viri prudentis iudicio relinquendum eſſet in hoc caſu, & ſic non gauderet priuilegio huius Canonis, & eũ offendens aliquo ex dictis modis in Bulla non incurreret hanc excommunicationem, quod ſi legitimo aliquo impedimento puta prauæ valitudinis, latronum ſuſpicione, & ſimilium intermiſit inceptum iter, ſanè non eſt cenſendus mutaſſe ſententiam, & priuilegio huius Canonis certè gauderet, eumque offendens incideret in hanc nonam excommunicationẽ. Ita *Vgol. c. 9 Duard. can. 9. q. 1. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum interficiens &c. accedentem Romam, à qua Sedes Apoſtolica receſſerat, putantem tamen Romæ eſſe incidat in hanc nonam Excommunicationem.

DIFFIC. III.

NEgãt *Bonac. & alij*, quia hic verè non accedit ad Sedem Apoſtolicã, ſed ſolũ Romam, cũ Romę tunc temporis

non

non adfuerit Sedes Apoſtolica; At verò Vgolin. & Duard. probabilius affirmant, quia re vera ad Sedem Apoſtolicā arripit iter, quam ſi Romæ non inueniſſet, ad eam vbicunque fuiſſet, ſecum negotium tractaturus, acceſſiſſet, itaque non ſolum accederet Romam vt Roma eſt, ſed vel vt in ea inueniat Sedē Apoſtolicam, quam credebat ibi reſidere, vel vt Roma tanquā per iter ſibi neceſſarium ad Sedē Apoſtolicam tranſeat ad eam inueniendā, itaq; per accidens eſt quod Romæ ſit Sedes Apoſtolica, vel alibi reſpectu eius qui arripuit iter ad Sedē Apoſtolicam ſua negotia ibi tractaturus, gaudere ergo priuilegio huius Canonis dicendum eſt euntem Romam verſus pro Sede Apoſtolica, licet inde receſſerit tunc tēporis, cumq; offendens vno ex dictis modis in hanc nonam excommunicationem incurrit.

Vtrum interficiens &c. Officialem Curiæ Romæ diſcedentem ad ſuam Patriam vel alio excommunicetur in hoc nono Canone.

DIFFIC. IV.

VIdetur probabiliter negandum, quia in hoc Canone nono excommunicantur accedentes, & recedentes, quæ correlatiua ſunt, nec .n. dicitur quis recedere, niſi antea acceſſiſſet, at non excommunicātur diſcedētes, Officiales autem Romæ commorantes non dicuntur recedere, ſed diſcedere, hinc Gregorius XIII. ſpecificauit etiam commorantes in Curia, & diſcedentes quod reliqui Pontifices non fecerunt, nam volunt ſolum Pontifices in hoc nono Canone prouidere in decnnitati venientium, & recedentium pro negotijs tractandis. *Vide Duard. Alterum, & Bonac. loc. cit.*

Vtrum interficiens Vagabundum recedentem à Sede Apoſtolica ſtatim atque è Romæ territorio egreſſus eſt, incidat in hanc nonam Excommunicationem.

DIFFIC. V.

VAgabundus ſi ad Sedem Apoſtolicam acceſſit cauſa negotiorum ab ipſa recedens, cū propria non dicatur habere, non habet terminū ſui redditus, itaq; ſtatim atq; eſt extra Territorium Romæ poteſt dici habuiſſe terminū ſui reditus, & ad propria rediſſe, vnde probabiliter dicendum videtur vagabundum offendentem aliquo ex dictis modis extra Territorium Romæ non incidere hanc excommunicationem nonam.

Vtrum ſpolians accedentem ad Sedem Apoſtolicam iam ab alio prius occiſum incidat in hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. VI.

CVm mortuo nulla fiat iniuria, & violētia, etenim Violentia iuxta Ariſtotelis doctrinam fit à principio extrinſeco, reſiſtente paſſo, mortuus autem nemini reſiſtere poteſt, ergo nec propriè iniuriam, & violētiam pati poteſt, ideo iure negandum videtur ſpoliantem mortuum prædictum iam ab alio occiſum incurrere in hanc excommunicationem, præterquam quod mortuus non dicitur amplius accedere, hic autem excommunicatur ſpolians occidentem, vel recedentem. Ita etiam. *Alter. diſp. 11. c. 1. Duard. q. 3. Filiucc. tract. 16. c. 3. q. 9. & Bonac. q. 1t. punc. 1.*

Vtrum debeat dici excommunicatus in hoc nono Canone qui ad Sedem Apoſtolicam accedentem, vel redeuntem habuit animum leuiter percutiendi, caſu tamen mutilauit, vel interfecit.

DIFFIC. VII.

DIſtinguendum in hoc caſu, ſicut in materia irregularitatis videtur, nam ſi percutere voluit quis leuiter præfatū accedētem, vel recedentem modo licito puta cauſa correctionis, & caſu qui præuideri non potuit, vt ſi ex leui percuſſione caſu in foueam ceciderit, vel caput in murum eliſerit, vel percuſſio leuis ex Medicorum in curia facta fuerit mortalis, non incurrit excommunicationem hāc, quia non imputatur ei homicidiū, quod ſi voluit percutere leuiter huiuſmodi accedentem, vel recedentem ex cauſa iniuſta, & illicita, quocumque caſu accidat mors percuſſi, incidit in excommunicationem, quia ei imputanda mors eſt, cum percutiendo ex iniuſta cauſa dederit operam rei illicitæ.

Vtrum mutilans manum aridam omnino vſui ineptam accedentis, vel recedentis à Curia, vel barbam, vel digitum abſcindas incidat in hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

DIco primo quod licet *Suar. T. 5. diſp. 44. ſec. 2.* negare videatur, quia membrum inutile eſt manus arida, attamen quia vt notat noſter *Angel. V. homicidium*, 5. §. 6. Quamuis manus arida ſit inutilis, attamen cauſa præcidens dicitur verè mutilare, quia inſeruit pro ornamento corporis, licet non inſeruiat pro exercitio, ideo cenſeo in tali caſu dicendum eſſe hic excommunicatum, qui manum aridam accedentis, vel recedentis à Curia mutilauerit.

An vero differat mutilatio ab obtruncatione, ſanè antiquiores, vt eſt *noſter Angelus Syluester Panormitanus*, & alij voluerunt mutilationem in rigore iuris loquendo eſſe debilitationē membri, ita ut reddatur ad exercitiū inutile, at vero moderniores mutilationem ēt in abſciſſione membri principalis habentis operationē diſtinctam conſiſtere volūt. Ita *Alter. diſp. 10. c. 3. Vgol. in V. mutilatio, Suar. & Bonac. loc. cit.* Quare

Dico ſecundò, abſcindentem digitum, vel barbam non cōprehendi in excommunicatione huius canonis noni, quia non dicitur mutilare, qui digitum, vel barbam abſcindit, quia non ſunt membra principalem actionem habentia.

Vtrum clam ſurripiens à veniente ad Sedem Apoſtolicam pecunias, Equum, vel veſtes, & ſimilia incidat in hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. IX.

NEgant *Duard. q. 21. & Bon. punc. 1.* putantes ſpoliare eſſe actum violentiæ, qui ſolum prohibetur in Bulla, ſurripere vero volunt importare aliquid furari ſine violentia qui non prohibetur in bulla.

Attamen licet ſit probabiliter dictum iuxta ſignificationem verbi ſurripere, attamen iuxta ſignificationem verbi ſpoliare non videtur vndequaque verum ſpoliare ſemper dicere violentiam, cum etiam dormientes dicantur ſpoliari veſtibus, pecunijs, & conſimilibus, licet nulla dormienti inferatur iniuria, quare preſumi probabiliter poteſt in fauorem accedentium, & recedentium locutum eſſe Pontificem in Bulla largè pro quacumque ſpoliatione iam violenta, quam clandeſtina facienda accedentibus, & recedentibus à Curia, atq; adeo clam ab ipſis ſurripientem incurrere in hanc nonam excommunicationem, dicendum. Ita etiam *Vgol. loc. cit. & Alber. diſp. 11. c. 1.*

Vtrum rapientes Vxores, filios, parentes, & ſeruos Venientium, vel Recedentium à Curia Romana afficiantur hac nona Excommunicatione.

DIFFIC. X.

DIco primò, quod licet aliqui abſolutè negauerint, quia raptus filiorum, Vxoris, & familiarium venit ſub nomine plagij, quod in Bulla non nominatur, in materia autem pęnæ ſtricta facienda eſt interpretatio; alij tamen abſolute affirmarunt, quia filij, Vxor, & familiares dicūtur eſſe in bonis Patris, vel Mariti, quare verbum ſpoliare cum extendatur ad quodcumq; bonum, videtur incurrere hanc excommunicationem, qui accedens, vel recedens à Curia ſpoliatur filijs, Vxore, vel familiaribus, nec erat neceſſarium in Bulla ponere plagium pro rapina præfata, quia rapina talis dicitur plagium à plaga, quam recipit, qui talem rapinam patitur, qui autem ſpoliatur Vxore, filijs, vel familiaribus ſane plagium ſeotit.

Attamen dico ſecundò, quod in hoc caſu probabilius diſtinguendū puto, nam vel Pater, & Maritus indigēt opera filiorū, & Vxoris in via, ita vt ægrè ſine ipſis poſſet Romam accedere, vel ſi eos ſolos relinquat domi, timet iacturam vitæ, vel honoris, vnde tutius ſecū eos portat, dicerē eos ſurripientē incidere in hūc Canonē, quia verè ſpoliat accedentē ad Curiam rebus ſibi neceſſarijs ad viā, quia Papa in hoc Canone intendit priuilegiare ea omnia, quæ poſſent accedentem, & recedentem detrahere ab itinere ad Sedem Apoſtolicam, idem dicendum de familiaribus, ſine quibus non poſſet accedere, priuilegium enim conceſſum Domino cōceditur etiam familiaribus, & Domeſticis, quoties Dominus non poteſt vti tali priuilegio ſine familiaribus, & domeſticis ſuis ex C. licet, V. cum comeditur in textò, quod ſi Domeſticos, familiares, ſeruos, filios, & Vxorem ſolum ſecum defert cauſa deuotionis, ſine qui-

bus ipſe vtique poſſit accedere, dicendum videtur eos ſurtipiẽtem no incidere, quia non ſunt neceſſarij, vt ſupponitur accedenti ad ſedem Apoſtolicam, atque adeo non ſunt priuilegiati priuilegio accedentium.

Dico tertiò, quod ſerui, & mulieres portantes ſarcinas eorum, qui accedunt ad Sedem Apoſtolicam ſi ſint incomitatu cum Domino accedente, gaudent priuilegio huius Canonis, ſecus ſi extra eius comitatum, vt notat *Bonac. loc. cit.* quia extra comitatum non dicuntur de familia accedentis ad Sedem Apoſtolicam.

Vtrum detinens, vel capiens accedentem ad Sedem Apoſtolicam mox dimiſſurus incurrat in hanc excommunicationem nonam.

DIFFIC. XI.

Dico primò, quod ſi iuſto prætextu detineat, vel capiat quis accedentem, vel recedentem à Curia, puta quia deliquit in ſuo territorio, vel debet ſibi ſoluere aliquam pecuniæ ſummã, vel ne à latronibus in via patiatur, vel ſi Clericus, aut Religioſus fugitiuus iuſſus à ſuis Ordinarijs capi, aut in conſimilibus caſibus iuſtis non incidit in hunc nonum Canonem, etiã ſi non ſit ſtatim dimiſſurus, quia Papa solũ intendit in hoc Canone excommunicare iniuſtè, & iniquè detinentes, & capientes, at verò ſi iniquo animo capiat, & detineat, cum animo tamen ſtatim dimittendi, ſi tam breue ſit tempus, vt merito excuſari eum poſſit paruitas materiæ, non incurrit.

Dico ſecundò, quod paruitas materiæ in hoc caſu non eſt ſumenda preciſè à breuitate temporis, ſed a damno notabili, quod patitur detentus, vel captus, nam poſſet fieri quod per horam detentus notabile incurrat damnum, puta quia ſocij itineris pergunt iter, & ipſe ſine ducatu poſtea procedens aberrauit à via, vt à latronibus ſpolietur cum eius grauiſſimo damno, quare prudentis iudicio iuri ſtandum, an aduerit in hac detentione, & captura paruitas materiæ.

An detinens, & capiens de mandato ſui ſuperioris, vel ſine vi, ſed ſolo præcepto ad Romanam Curiam accedentem afficiatur hac nona excommunicatione.

DIFFIC. XII.

Dico primò, quod capiens, & detinens accedentem ad Curiam de mandato ſui ſuperioris regulariter non incidit, quia miniſter debet ſupponere ſuperiorem mandantem habere iuſtam cauſam eum capturandi, & detinendi, dixi regulariter, quia ſi iuſſus eſſet complex cum ſuo ſuperiore ad capiendum, & detinendum iniuſtè, puta quia accedẽs ſit ſibi inimicus, quia tunc incurreret, tanquam particeps in crimine.

Dico ſecundò, quod licet probabiliter aliqui dixerint ſolo præcepto abſque vi detinentem eum qui Romam accedit, ne exeat, neque diſcedat non incurrere hanc excommunicationẽ, quia detinere in Bulla ſumitur pro actione phyſica violenta, nõ autẽ pro ſimplici morali. Ita videntur ſentire *Bonac. & Duar.* attamen probabilius, & tutius affirmandum videtur, quia detinẽs catenus excommunicatur in hoc nono Canone, quatenus impedit iter, ne poſſit accedere ad ſedem Apoſtolicam, hæc autem detentio vel fiat vi, & actione phyſica, vel ſolo præcepto per actionẽ moralem nũ explicat Pontifex, dicendũ ergo quod ſufficit, vt per alterutram actionem impediatur, vt fiat cõtra intentionem bullæ, quæ eſt ne arceatur iter accedentibus ad ſedem Apoſtolicam. Ita *Vgolin. & Alter. loc. cit.*

Benè tamen verũ eſt, quod ſi ea tranſgreſſione talis præcepti non timeretur violẽtia ſuperioris præcipiẽtis, nec Superior haberet intẽtionẽ violẽter detinẽdi in caſu inobedientiæ, probabilior eſſet hæc prima opinio, quia accedens poſſet vtique liberè diſcedere, & per eum ſtat, vt ſuum non proſequatur iter, at verò ſi ſuperior timeretur fore, vt violenter etiam detineret accedentem ad ſedem Apoſtolicã, ſi præceptum de non diſcedendo violaret, ſanè cum ſecunda opinione omnino ſentiendum.

Vtrum interficiens &c. commorantem in Curia inimicitiæ, & odij cauſa incurrat hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, quod offendẽtes aliquo ex dictis modis in bulla ex tamen vſurpata iuriſdictione cõmorantes in curia solũ à Papa in hoc nono Canone excõmunicantur, nõ autẽ offendentes eos aliquo ex præfatis modis in Bulla inimicitiæ, & odij cauſa ex ſola priuata authoritate; Papa ergo in hoc nono Canone prætendit ſolum eos compeſcere contra commorantes in Curia, qui præſumunt habere iuriſdictionem aliquã in ipſos, nam dum ſunt in Curia ſolum Papæ mediatè ſunt ſubiecti, itaque Epiſcopi, & alij Superiores ſi curarent eos offendi dum ſunt in Curia ex præſumpta authoritate inciderent in hunc Canonem, hinc officiales Papæ in Curia, ſi aliquid attentent, licet iniuſtè contra commorantes non incidant in hanc excommunicationem, quia iuriſdictionem habent de Papæ conceſſione contra ipſos. Vide *Vgol. Duard. & Alter. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod ceteri Iudices, & officiales non habentes in Curia iuriſdictionem, ſi mandent per alios fieri grauamina, & offendi aliquo ex dictis modis in Bulla commorantes in Curia incidunt in hãc excommunicationem, quia iſti actus ab officialibus ſemper per alios fieri ſolent, non autem per ſe, eluderetur ergo finis Bullæ ſi facientes iuſſi, & non iubentes coercerentur, diſpoſitio. n. cõcernens actum authoritatiuum vt dictum eſt ſupra concernit etiam mandantem. Ita etiam *Alter. diſp. 10. c. 5. Duar. q. 35 Vgol. c. 9. & Bonac. pũc. 10. q. 10.*

Vtrum offendens aliquo ex dictis modis in Bulla officiales Curiæ incurrat in hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. XIV.

Affirmare videntur *Tolet. l. 1. c. 28 Filiucc. loc. cit.* & alij, quia vere commorantur in Curia, qui priuilegiantur in hoc nono Canone.

Negant autem fortè probabilius alij, quia in hoc Canone eſt ſermo ſolum de accedentibus, & recedentibus, & commorantibus in ordine ad receſſum, non autem de ſimpliciter cõmorantibus, vt ſunt officiales Curiæ, qui commorãtur abſque ordine ad acceſſum, & receſſum, videtur ergo illa excommunicatio abſolutè lata in fauorem accedentium, & recedentiũ, vt etiam liberè, & ſine timore poſſint in Curia commorari ad tractanda negotia, ita vt non ſolum accedendo, & recedendo ſed etiam commorando à Sede Apoſtolica, quantum in ſe ipſa eſt, ab inſultibus defendantur &c.

Vtrum mandans ſolum percuti accedentem ad Curiam, mandatarius tamen occidit, vel mutilat, vel mandatum reuocauit an hac nona afficiatur Excommunicatione.

DIFFIC. XV.

Affirmant multi DD. quia quando datur opera rei illicitæ, vt ſupponitur fuiſſe mandatum percuſſionis, imputatur mandanti homicidium, & mutilatio, vt docent DD. in materia irregularitatis, tu vide etiam dicta in ſuperiori difficultate ſeptima. Vide *Sayr.* pro hac opinione loco citato.

Attamen *Duard.* & alij nolunt incurrere, quia hic caſus do mandante in materia irregularitatis eſt expreſſus *in c. fin. de homicidium in 6.* in pœnalibus autem non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum.

Ceterum licet poſſet probabiliter ſaltem concedi non incurrere mandantem in tali caſu, quia homicidium non intenderat, attamen ſi vulnera ſecuta ſint grauia, vt ideo detẽtus fuerit ne accederet, eſſet tunc excõmunicatus tãquã iniuſtè detẽtor, ne ad Sedẽ Apoſtolicam accederet. Ita etiã *Bonac. punc. 2.*

Quod ſi mandatum reuocauerit mandans, & ad aures mãdatarij non peruenerit, & ſequatur occiſio, vel mutilatio negant *Alter. & Duard. & Auila*, quod incurrat in tali caſu, affirmat *Bonac. hic punc. 2. & de Cenſur. in comm. diſp. 1. q. 1. p. 6. n. 6.* Vnde licet mandans ſit in gratia, vt potè quem verè pœnituerit mandati, & ſufficienter ſit conatus, vt reuocatio perueniret ad aures mandatarij ait *Bonac.* quod incurret excommunicationem, tu vide infra V. mandatum, quid circa hoc ſit dicendum.

Vtrum Conſulens, fauens, ratum habens permittens occidi &c. accedentem ad Curiam incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. XVI.

Dico primò, quod fauens, & conſulens ad Curiam accedẽtem occidi, nõ incidit in hanc nonã Excommunicationẽ

quia

Digitized by Google

quia opere phiſico non influunt in actionem in Bulla contentam, quod etiam perſuadetur quia in Bulla Gregorij XIII. ponebantur expreſsè fauentes, & conſulentes in hoc Canone, ſicut etiam exprimebantur auxilium dantes, quæ poſtea à Sixto V. ablata fuerunt, nec à ſucceſſoribus amplius poſita, ergo ſignum eſt Pontifices nolle comprehendi in hoc nono Canone. Ita *Suar. diſp. 21. ſect. 2. Alter. diſp. 10. Duar. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod conſimiliter cenſendum de ratum habente: & permittente occidi accedentem ad Curiam, quia non exprimuntur in Bulla, non incurrunt, ratihabitio enim, & permiſſio; ſcilicet non impedire æquiparantur in caſibus à iure expreſſis, hinc potens impedire percuſſionem Clerici, & non impediens incidit in excommunicationem, quia ſpecialiter in iure exprimitur vt patet in C. quantæ de ſentent. excom. ratihabitio autem, & permiſſio occidendi accedentem ad Curiam non inuenitur ſpecialiter excommunicatione punita in aliquo iure, non ergo cenſendus excommunicatus ratum habens, vel permittens occiſionem accedentis ad Curiam. Ita etiam *Duard. & Bonac.*

Dico tertiò, quod ſi quis negaſſet reddere arma accedentibus ad Curiam, quibus ſe potuiſſent defendere in via, ſi occidantur, & mutilentur, vel ſpolientur non incideret in excommunicationem, quia eſſet cauſa nimis remota occiſionis, vel mutilationis, e contra autem aſſiſtens homicidio accedentis ad Curiam, licet ipſe non occidat, nec mutilet, quia tamen eius aſſiſtentia reddit animoſiorem eum, qui occidit, videtur eſſe cauſa proxima, & proximè influere in homicidium, quare in hanc excommunicationem incideret.

Vtrum occidens Iudæum, hæreticum, vel alium infidelem venientem Romam ad tractanda negotia in Curia incurrat in hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. XVII.

NEgant *Farinacc. de Carceratis, & Carcer. q. 28. Conar. 2. var. c. 20. n. 11. Duard. l. 2. can. 9. q. 24.* & alij, quia veriſimile eſt nolle Eccleſiam fouere, & protegere inimicos Chriſtiani nominis, & eos, qui extra gremium ſuum ſunt, hinc Paul. 1. ad Corint. 5. quid mihi de his, qui foris ſunt.

Attamen probabilius affirmant alij, quia Papa de omnibus indiſtinctè loquitur, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, Eccleſia autem tanquam pia mater omnes ad ſe recurrentes libenter amplectitur, & ſinum ſuum nulli claudit ex c. ſuper eo de hæret. in 6. & ex c. duo iſta 23. q. 4. & in c. Sedes de Reſcrip. vnde etiam hæreticis, Iudeis, & ceteris infidelibus valdè probabiliter præſumi debet Eccleſia velle impartiri hoc ſecuritatis priuilegium, dum ad ſuam Curiam tractandi cauſa negotia recurrunt. Ita *Alter. diſp. 10. c. 2. Vgolin. hic, Syluest. V. Immunitas 3. n. 2. Viuald. hic c. 9. & Filliucc. tract. 16. c. 3.* & ſanè ſi veniant, vt Chriſtiani, vel Catholici fiant, nulli dubium poteſt eſſe, vt patet à ſimili de infideli volente ſe fieri Chriſtianum, ſi effugerit ad Eccleſiam, gaudet eius immunitate vt notat noſter Angelus V. Immunitas §. 13. ergo ſi veniat ad Curiam, vt fiat Chriſtianus, certiſſimè gaudebit priuilegio huius Canonis.

Vtrum interficiens &c. ad Curiam accedentem non in huius odium, ſed ob priuatas inimicitias incidat in hanc nonam excommunicationem.

DIFFIC. XVIII.

NEgare videntur *Caiet. V. Excomm. & Duard. can. 9. & can. 1. q. 10.* & alij, quia ſicut receptans hæreticum, non vt hæreticum, ſed amicitiæ, & conſanguinitatis cauſa non incidit in excommunicationem latam contra receptantes hæreticos, ergo nec occidens accedentem ad Curiam in odium Curiæ incidet in hunc Canonem nonum; in materia enim pænali ſtricta facienda eſt interpretatio.

Attamen probabilius affirmant alij volentes quocumque modo interficientem eum, qui ad Curiam accedit, ſiue in odium Curiæ, ſiue ob priuatas inimicitias, ſiue propter aliquod intereſſe incidere in hanc nonam excommunicationem, quia intentio Canonis huius eſt reddere ſecurum iter ad Curiam Romanam, non ergo ſecurè accederet, qui timeret poſſe occidi ab inimicis abſque timore huius excommunicationis, nec valet paritas rationis de receptante hæreticum, vt hæreticum, & receptante cauſa amicitiæ, cum interficiente accedentem ad Curiam in odium Curiæ, & occidente ratione inimicitiæ priuatæ, quia præterquam quod iura magis inclinant ad Clementiam, quam ad rigorem; talis excommunicatio contra hæreticos eſt lata ſolum in odium hæretici, vt eſt hæreticus, vt vero hæc excommunicatio non eſt lata abſolutè in odium Curiæ, verum etiam principaliter, vt reddatur iter ſecurum ad Curiam, quocumque ergo fine occidatur, impeditur accedens ad Curiam à ſuo fine conſequendo.

Vtrum qui plures actiones in hoc nono Canone contentas facit circa eamdem perſonam, puta ſpoliando, detinendo, capiendo, interficiendo demum, & econtra qui plures perſonas vna actione hic prohibita ſimul offendit, puta vnico enſis ictu plures accedentes mutilat, vel occidit, vnam, vel plures incurrat Excommunicationes.

DIFFIC. XIX.

REſponſiones ad vtrumque dubium hic propoſitum, quære in verbo Actus, vbi ſecundum varias opiniones probabiles ſuæ poteris ſatisfacere voluntati.

At vero vt incurratur excommunicatio neceſsè ſit collectiuè omnes, & ſingulas actiones prohibitæ fiant ſc. interficiendi, mutilandi capiendi &c. an vero vnaquæque ſingillatim prohibeatur ſub excommunicatione, ita affirmant communiter ſingulas per ſe actiones præfatas prohiberi ſub excommunicatione in hoc Canone. &c.

EXCOMMVNICATIO DECIMA.

Principaliter Contra	*Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Detinentes, Capientes, Deprædantes,*	*Romipetas, ſeu Peregrinos accedentes ad Vrbem. Morantes in Vrbe Recedentes ab Vrbe*	*Cauſa deuotionis ſeu peregrinationis.*
Acceſsoriè Contra	*Auxiliantes dantes Conſilium, vel fauorem.*	*Delinquentibus præfatis.*	

Vtrum percutiens Romipetam incurrat in hanc decimam Excommunicationem.

DIFFIC. I.

DIſtinguendum puto in hac difficultate, nam vel percuſſio letiis ita eſt, vt nulla ſit neceſſaria, nec probabiliter timeatur membri ſciſſio ad ſanandam percuſſionem, vel tumorem, vel liuorem ex tali percuſſione ſecutum, licet cutis ſit ſignata cum modica ſanguinis extractione, quæ non iudicetur iudicio prudentis uiri ſanguinis effuſio mortalis, non incurritur hæc excommunicatio à taliter percutiēte, quod ſi percuſſio ſit adeo grauis, vt ad ſanandam eam, vel eius tumorem, & liuorem neceſſaria ſit ſciſſio membri cum mortali ſanguinis effuſione tunc percuſſio æquiparatur vulneri, vnde taliter percutiens hac excommunicatione ligatur, quare differt in hac materia percutere à vulnerare, nā percuſſio poteſt eſſe cum ſolo tactu violento incuſſo in Cute abſque ſciſſione membri, at vero vulnus non poteſt eſſe ſine ſciſſione, & aperitione membri cum ſanguinis effuſione mortali, nam paruum vulnus in quo nō eſt, nec timetur ſanguinis lætifera effuſio non eſt ſubiectum huius excom-

excommunicationis, ſtatutum enim puniẽs vulnus de magno vulnere, non de modico, & paruo intelligitur ſecundum *Bald. l. vltima, C. de ædilitat. act.* ita etiam *Alter. diſp. 11. cap. 1. & Bonac. q. 11. punct. 1. & Duard. hic q. . & q. 28.*

In dubio autem an percuſſio ſit æquiparãda vulneri nec ne, & conſequẽter an percutiens inciderit, negant *Bonac. & Sanchez*, habendum pro excommunicato, nam percuſſionem ſimplicem cenſendam in dubio putant, quia in dubio potior eſt cõditio poſſidentis, nec ſimile aiunt de percuſſione Clerici, quę in dubio iudicanda eſt grauis in Extrauag. Perlectis apud Nauar. c. 27 quia hoc eſt ſpeciale definitum pro Eccleſiaſticis, in pœnalibus autem non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum, verum iuxta doctrinam noſtri Doctoris ſubtilis, quod in dubio tutior pars eſt ſequenda, vt dicetur V. dubium, potius in dubio percuſſio æquiparanda vulneri, & petenda abſolutio, & in dubio potior eſt conditio poſſidentis priuilegium, & vbi militat eadem ratio, militat eadem legis diſpoſitio, quia autem tutius eſt quando dubitatur an percuſſio Clerici ſit grauis, eam grauem exiſtimare debemus, vt adeatur habens facultatem abſoluendi à graui, ne ſemper ſcrupulis poſtea agitetur, ita etiam tutius eſt in dubio percuſſionem Romipetæ in dubio æquiparatam vulneri exiſtimare, vt abſolutio petatur. Ita etiam *Alter. loc. cit. & Suar. & Azori apud Bonac. loc. cit.*

Vtrum occidens, vel deprædans muliones Romam petentes ligetur hac decima excommunicatione, & an vero qui ſolum clam ſurripit.

DIFFIC. II.

DIſtinguendum videtur, nam vel Muliones Romam petẽtes ſimpliciter abſque reſpectu deuotionis, & peregrinationis accedunt pro ſarcinis vehendis, & in hoc caſu certũ eſt eos offendens aliquo ex dictis modis in hoc decimo Canone nõ incurrit hanc excommunicationem decimã, ſi ſarcinas ad Romanam Curiam vehant excommunicantur eos offendentes in canone ſuperiori, ſi vero ſarcinas accedentium cauſa deuotionis vehant in ipſorum comitatu portantes eorum neceſſaria ad iter gaudent & muliones eorum priuilegio in hoc decimo canone, vnde excommunicantur eos deprædantes, vel occidẽtes, ſecus ſi extra eorum comitatum iter faciant, & rerum quas portant in ſe periculũ ſuſceperint, quia non gaudent priuilegio Romipetarũ cauſa deuotionis. Ita etiã *Duar. & Vgol. loc. cit.*

At vero qui clam aliqua à Romipetis, vel eorum mulionibus ſurripuerit, etiam incidat in hunc Canonem, negandum videtur, nam in hoc Canone excommunicantur eos deprædantes, deprædari autem importat violentiam *ex l. Hoſtes de verb. ſignif. & licet in l. ſi pignore, §. ſi præd. ff. de pign. act.* quilibet iniuſtus, & malæ fidei poſſeſſor dicatur prædo, tamen ibi ſolum eſt ſermo de prædone metaphoricè ſumpto, hic vero cum ſimus in pœnalibus, verbum deprædari ſumendum eſt in propria, & ſtricta ſignificatione. Ita etiam *Alter. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum præſtans auxilium, conſilium, & fauorem offendendi contra prohibitionem in hoc Canone Romipetas incidat in eius excommunicationem nondum ſecuto effectu.

DIFFIC. III.

AFfirmare videtur nimis certè crudeliter *Duard. l. 2. cã. 10. q. 17.* quia æque prohibentur in hoc Canone, interfectio, mutilatio, & deprædatio, ac conſilium, fauor, & auxilium ad talis actiones, ſed iſtæ ſtatim incurruntur ergo etiam auxilium, & conſilium, & fauor ſtatim excommunicatione puniuntur ac præſtata fuerint.

Probabilius tamen, & benignius alij negant, nam fauor, auxilium, & conſilium ordinantur ad operis executionem, & acceſſoriè prohibentur propter operis executionem arcendam in damnum Romipetarum, ergo ſi opus non ſit executioni mandatum non ſit contra intentionem legis principalem, quæ eſt indemnitati Romipetarum in hoc Canone proſpicere, & damna ab illis propulſare. Ita etiam *Alter. diſp. 11. c. 5. Vgol. l. 10. & Bonac. in loc. cit. punct. 1.*

Vtrum Romipeta alium Romipetam offendens aliquo ex modis in hoc decimo Canone prohibitis incurrat hanc excommunicationem.

DIFFIC. IV.

DIcẽdum, quod licet aliqui negauerint ex eo, quod in fauorem alicuius eſt introductũ, non debet in ipſius damnum retorqueri *ex l. quod fauore C. de leg.* attamen quia qui priuilegio abutitur, debet priuilegio priuari, & priuilegium in hoc decimo Canone eſt inductum ne Peregrini iniuria afficiantur, non autem vt ipſi inter ſe ſe impunè iniuria afficiant, & Clericus Clericum percutiens etiam excommunicatur, omnino dicendus eſt excommunicatus in hoc Canone Romipeta alium offendens. Ita etiam *Alter. Bonac. Duard. & Filiuc. loc. cit.*

Vtrum familiares Romipetarum vno ex modis in Bulla prohibitis offendens incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

NOn eſt hic difficultas de euntibus cum ſuis Dominis, & ipſis cauſa etiam ſuæ deuotionis vltra famulatum, ſed de euntibus ad ſolum famulatum præſtandum abſque intentione deuotionis.

Negat dutiuſculè Bonac. hic punct. 1. quia nulla neceſſitas adeſt extendendi hoc priuilegium ad famulos non accedentes, & ipſos cum Dominis cauſa deuotionis.

Attamen benignius, & probabilius affirmandum quia priuilegium conceſſum dominis extenditur ad familiares ex c. licet de Priuil. in 6. neceſſitas autem extendendi hoc priuilegium ad familiares eſt fauor, qui debetur deuotioni dominorum, qui ſine ſuis familiaribus, & ſeruis vel non poſſent vllo modo, vel tamen ſi ſint magnates non congruo ſibiq; decenti modo accederent Romana ſuæ deuotionis gratia peragendæ. Ita *Alter. diſp. 11. c. 4. & Duard. c. 10. q. 8.*

Quare ſi ſeruos, & familiares aliquos ſecum portarent, qui ſuarum perſonarum ſeruitio non eſſent neceſſarij, nec eorum ſtatui congruentes, ſi tales non accederent, & ipſi cauſa deuotionis, credo dicendum cum prima opinione, quod Canonis huius priuilegio non gauderent, quia priuilegium eſt ſtrictè interpretandum, quando contra aliquod ius videtur exorbitare, vt alibi probabitur.

Vtrum offendens Romipetam vt in Canone hoc prohibetur incidat in eius excommunicationem ſi ſolum ad loca Sancta extra mænia Romæ, & non intra Romam accedat.

DIFFIC. VI.

NEgat *Bonac.* quia in materia odioſa ſtricta faciẽda eſt interpretatio ex c. ſtatutum de Elect. at vero nomine Vrbis veniunt in iure ea tantum loca, quæ ſunt intra mænia Romæ ex *Panorm. in c. Rodulph. n. 4. Felin. n. 11. de Reſer.*

Attamen credo probabilius affirmandum, nam Roma accipitur in fauorabilibus prout dicit totum territorium ſuæ continentiæ intra fines ſuos, quod territorium plenum eſt rebus pertinentibus ad deuotionem propter tot martyres in ipſo paſſos, ideo priuilegium hoc quatenus deuotionem reſpicit eſt latè interpretandum circa accedentes Romam cauſa deuotionis non ſolum ad loca intra mænia, ſed etiam extra; quare offendens accedentem cauſa deuotionis puta ad Sanctum Sebaſtianum, vel ad Sanctum Paulum trium fontium extra mænia Romæ incidere cenſendus eſt in hanc excommunicationem; &c.

Vtrum offendens vt in Canone Romipetam pænitentiæ ſibi à Confeſſario, vel Iudice impoſitæ adimplendæ, vel voti à ſe facti exequendi cauſa incidat in hanc decimam Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

DIcendum puto, quod licet negauerit *Duar. loc. cit. q. 8.* talem offendentem non incidere in hoc caſo quia non vt peregrinus voluntarius accedit, ſed quaſi coactus ad debitum ſatisfaciendum Romam petit; attamen quia hoc debitum propter quod ſatisfaciẽdũ Romã venit eſt debitũ ſpirituale incluſum in genere deuotionis, dicendum eſt taliter accedentem ſi quis offendat aliquo ex modis in Canone dictis incurrat hanc excommunicationem decimam. Deuotio enim eſt actus Religionis, quo voluntas intendit colere Deum, & in ipſo Sanctos eius, ſoluturus autem pænitentiam, & votum neceſſariò debet habere voluntatem, & pium affectum colendi Deum, & Sanctos eius, & verè vacat cultui Diuino, qui pænitentiam iniunctam exequitur, quia Deo ſatisfacere nititur, quem offendiſſe ſe meminit, quæ ſatisfactio ad cultum latriæ pertinet

quomodo

Digitized by Google

quomodo ergo deuotioni non incumbet. Romipeta accedens cauſa ſatiſfaciendæ pænitentiæ, vel voti à ſe facti adimplendi, gaudere ergo huius Canonis priuilegio eſt probabilius aſſerendum. Ita etiam *Alter. diſp. 11. c. 3. Filiuc. tract. 16. c. 5. Vguald. num. 9. & Bonac. loc. citat.*

Vtrum offendens vt in Canone Romam accedentem cauſa deuotionis, & negotiorum temporalium ſimul, & ſemel incidat in excommunicationem hanc decimam.

DIFFIC. VIII.

DIſtinguunt probabiliter in hoc caſu Doctores, nã vel cauſa negotiorum puta viſendi amicum, vel neceſſaria ſibi comparandi eſt primario motiua, & primariò finalis, itaut ſi nõ eſſet hæc cauſa Romam non accederet cauſa deuotionis, & in hoc caſu aiunt, offendentẽ taliter accedentem non incurrere, quia primaria, & finalis eius cauſa non eſt deuotio, at vero ſi cauſa finalis primaria, & ſubſtantialis, & finalis accedere Romam propter deuotionem, cauſa vero ſecundaria impulſiua eſſet negotia temporalia peragere, amicum inuiſere, & neceſſaria ſibi parare, ita vt ſi cauſa deuotionis cum nõ impelleret Romã accedere, non iret, vtique propter talia negotia peragenda dũtaxat, & in hoc caſu incurreret offendens taliter Romam accedentem, quia verè finis eius eſt propter deuotionem accedere Romam, ergo priuilegio Canonis huius gaudet. Ita etiam *Vgol. hic §. 1. Alter. c. 4. Duard. q. 6. Filiuc. tract. 16. c. 5. qu. 8. & Bonac. loc. cit. punct. 1. num. 14.*

Attamen nec improbabiliter putarem cum alijs, dum adeſt cauſa deuotionis ſiuè ſit motiua primariò, ſiuè ſit impulſiua ſecundariò, quia verè Romam accedit cauſa deuotionis, & cũ hac intentione pia accedit, quod gaudeat priuilegio huius Canonis, in quo dum non diſtinguitur de cauſa primariò motiua, vel ſecundariò impulſiua, ſed ſolum abſolutè de cauſa deuotionis, loquitur genericè, nec nos debemus diſtinguere. Vnde offendens accedentem Romam ex cauſa deuotionis quomodocumq; cenſendus eſt excommunicatus in hoc Canone, tanto magis, quia Eccleſia non iudicat de intrinſeca deuotione an primariò, an ſecũdariò cauſa deuotionis accedat, ſufficit enim, quod pro deuotione vtcumq; Romam accedat, cauſa enim deuotionis ſiuè ſit principalis, ſiue ſecundaria ſemper pia eſt, & bona, & conſequenter ipſi fauendum.

Vtrum offendens vt in Canone accedentem Romam cauſa deuotionis, & cauſa negotiorum tractandorum in Curia incurrat duas excommunicationes, vnam ſcilicet latam in Canone nono, & aliam in hoc decimo.

DIFFIC. IX.

DIſtinguunt alij, quod ſi æquè principaliter accedet Romã propter vtrumque finem Romipeta, quia facit, offendẽs contra duos Canones duplicem incurret excommunicationẽ, quod ſi alter finis ſolum ſit ſecundarius, & alter primarius ſolũ vnam incurret excõmunicationem, quia vnum Canonẽ principaliter offendit. Ita *Vgual. hic n. 8. Duard. hic q. 9.*

Alij tamen benignius vnam tantummodo excommunicationem incurrere, etiamſi principaliter propter vtrumque finẽ Romam accederet offenſus Romipeta, & probant ex eo, quia hi duo Canones habent eumdem finem reddendi ſcilicet ſecurum iter Romipetis, eoſque protegendi propter vtrumq; finẽ, ergo cum ſit idem finis vtriuſque Canonis, vnum tantum cõmittitur peccatum, & vna eſt excommunicatio conſequenter incurſa. Ita *Bonac. loc. cit.* probabiliter quidem; tutius tamen dicerem cum prima, quia duo Canones diuerſi offenduntur.

Vtrum offendens vt in Canone Clericum, vel Religioſum euntem Romam cauſa deuotionis abſque ſuorum ſuperiorum licentijs, & dimiſſorijs incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. X.

NEgant al j, qui ex eo, quia Clericis etiam non beneficiatis interdicitur peregrinatio abſque dimiſſoria ſui Ordinarij, vt patet *in c. oportet de conſecr. diſt. 5. & Conc. Trid. ſeſſ. 25. in principio*, nec Epiſcopis licet ſine licentia Papæ, vt patet *ex c. magna de voto*; niſi fortè peregrinationem ſuſciperet Romam verſus, vel ad proſequendam appellationem, vel ad vitandam grauem, & iniuſtam vexationem ſup. riorum, tunc enim licet adire Papam etiam inuito Prælato *ex c. omnes oppreſſ. 2. q. 6.* & multò fortius interdicitur Regularibus ſine licentia ſuorũ Superiorum *ex d. c. non oportet, & c. magna de voto*, quare cũ contra, vel præter obedientiam ſuorum Superiorum iter faciant, vt ſupponitur, præfati Clerici, & Regulares non ſunt dicendi cauſa deuotionis accedere Romam, ſed potius contra deuotionem tanquam inobedientes, non gaudent ergo priuilegio peregrinorum, ſed potius fugitiui, & Apoſtatæ ſunt dicendi. Quare eos offendens, vt in Canone non dicitur hic excommunicatus. Ita *Duar. can. 10. qu. 15.*

Benignius tamen affirmant alij, Clericos, & Religioſos Romam accedentes ſine licentijs, & dimiſſorijs ſuorum Superiorum gaudere huius decimi Canonis priuilegio, eoſq; offendentes vt in Bulla incidere in hanc excõmunicationem, modo verè accedant cauſa deuotionis, & vt loca illa ſancta, Apoſtolorum limina, Martyrum reliquias venerentur, quia qui abutitur priuilegio, non ſtatim priuatur eo, ſed debet priuari, antequam ergo declaretur priuilegio priuatus, vti poteſt eo, non reperitur autẽ in iure expreſſum, quod hoc priuilegio non gaudeant Clerici, & Religioſi Romam accedentes ſine dimiſſorijs ſuorum Superiorum cauſa deuotionis, ergo de facto eo gaudent, præterquam quod ad rationem peregrinationis cauſa deuotionis non eſt neceſſum, vt in tota via Peregrini ſint in gratia, licet hoc optimum foret, vt in via mereãtur, ſed ſufficit, vt Romæ dũ loca ſancta viſitant ad lucrandas indulgentias, & deuotè viſitandas reliquias prius ſit confeſſus, huiuſmodi autem Clerici, & Religioſi poſſunt Romæ abſolui ab hoc peccato inobedientiæ, ſiue Apoſtaſiæ, & ita lucrari effectum peregrinationis.

Adde, quod in multorum ſententia probabili peccans aliquo peccato reſeruato tempore iubilei ſpe obtinendi abſolutionem virtute iubilei conſequitur effectum iubilei, verè poſtea pænitens, ita etiam Romam accedens Religioſus cauſa deuotionis, cum animo, & ſpe, vt abſoluatur Romæ de ſua inobedientia, verè dicitur Romam accedere cauſa deuotionis, & Romæ abſolutus conſequitur verè effectum ſuæ peregrinationis. Ita etiã *Alter. diſp. 11. c. 4. dub. 5. & Bonac. punc. 3. diſp. 1. qu. 11.*

Vtrum offendens, vt in hoc Canone continetur diuertentem Roma cauſa deuotionis, & in itinere ad Amicum diuertentem, vt eum inuiſat, vel diutius iuſta cauſa infra iter commorantem puta ratione malæ valetudinis incurrat in hunc decimam excommunicationem.

DIFFIC. XI.

AFfirmãt communius Doctores, Romipeta enim dicitur peregrinus cauſa deuotionis quouſq; ad propria reuertatur ſtante iuſta cauſa ſuæ moræ in redeundo, per accidens enim eſt, quod ad amicũ diuertat in itinere, vel quod à iuſta cauſa impediatur, & ſicut dicitur Peregrinus accedens Romam quouſque Romam teneat, licet in via aliquo iuſto impedimento detineatur, vel per accidens alio diuertat, ita etiam in reditu, quod enim operatur propoſitum in propoſito, operatur etiam oppoſitum in oppoſito. Ita etiam *Anton de Souſa in hoc caſu diſp 69. Sayrus, Bonacina, Filiuc. Vgolin. loc. cit. & Duard in hoc Canone queſt. 12.*

An verò qui poſtquam loca ſancta Romæ inuiſit pæniteat acceſſus facti ratione deuotionis an ſi offendatur in reditu in aliquo iuxta tenorem huius Canonis, incurrat offendens in hanc excommunicationem, negat Bonac. quia ſi pæniteret acceſſus cauſa deuotionis infra iter, non gauderet priuilegio huius Canonis, ergo ſi pæniteat poſt executionem deuotionis propoſitæ non gaudet priuilegio huius Canonis in reditu propter eandem regulam, quod operatur propoſitum in propoſito, operatur oppoſitum in oppoſito, ergo talem pænitentem de acceſſu cauſa deuotionis ſi offendatur, vt in Canone poſtquam deuotiones Romæ perfecit, ad propria reuertentem non incurreret.

Oppoſitum tamen probabiliter etiam ſuſtinet Vgolin. quia iam acquiſiuit priuilegium reuertentium cauſa deuotionis, quod ſola pænitentia de tali acceſſu nulla ratio ſuadet, quod poſſit diſſoluere.

Dicendum tamen in hoc vtroque caſu, quod ſi notoriè cõ-

ſtatet

ſtater iſtum accedentem in via acceſſus deuotionis cauſa, vel deuotionis iam peractę Romæ pœnitere, poſſit vtique dici nõ gaudere, quia cauſa priuilegij notoriè conſtat quod eſt nulla, ſi autem notoriè non conſtat, tamen accedens, quam reuertens præſumitur, in re reuerti cauſa deuotionis, cum Eccleſia nõ iudicet de intrinſecis, & conſequenter eum offendens, vt in Canone hoc decimo, faceret contra ipſum Canonem, ergo verè incideret in hanc decimam excommunicationem, quod ſaltem certiſſimum puto in foro fori, & probabile in foro etiam conſcientiæ.

Quid autẽ ſit dicendum qui inceptũ iter intermiſit domum v.g. redeundo propter aliquod negotium, cuius oblitus erat, cum animo poſtea proſequendi, ſi dum redit domum offendatur, gaudeat hoc priuilegio, *negat Bonac.* quia verè nec Romam accedit, nec recedit, affirmant *Vgol. hic c. 10 & Duard. q. 12.* quia intermiſſio accidentalis eſt, tu, ſi placet, vtere diſtinctione data de notorietate pęnitentiæ acceſſus, vel deuotionis iam factæ, & eam huic caſui accommoda, ex eodem modo reſpondendum ducas de eo, qui accendens Romam cauſa deuotionis & eam iam ingreſſus mutauit voluntatem, nec opus nullum deuotionis exercuit, reuertens ad propria ſi notoriè conſtet de eius mutatione voluntatis, & quod verè deuotiones non exercuit, non gaudet priuilegio, quod ſi non conſtet notoriè illi in reditu offendenti, vt in Canone talem Romipetam, quia verè exiſtimat ſe facere contra Canonem, incidit in han decimam excommunicationem.

Vtrum ignorans ſe offendere Romipetam cauſa deuotionis incurrat hanc excommunicationem.

DIFFIC. XII.

DIſtinguendum videtur, nam vel Romipeta portabat inſignia peregrini, & ſic incidit, quia laboraret craſſa ignorantia; quod ſi non portabat, & dubitabat an iret cauſa deuotionis debet dubium deponere inquirendo veritatẽ, alias ſi non inquirit, & dubium non deponit, incurrit, quia laborare dicitur ignorantia affectata, & doloſa, quod ſi ignorantia verè inuincibili offenderet, quem probabiliter ignorabat accedere Romam deuotionis cauſa, & in hoc caſu excuſat ignorãtia inuincibilis, & probabilis, vt non incidere dicatur in hanc excommunicationem, vt dicetur infra V. Cenſura.

An occidens, vel mutilans, aut vulnerans Romipetam cauſa deuotionis turpiter inuentum cum vxore, filia, ſorore, vel matre, incurrat hanc excommunicationem decimam.

DIFFIC. XIII.

NEgant communius ſi in illo incontinenti, & primo motu occidat mutilet, vel vulneret, quia videtur habere iuſtam cauſam offendendi, dum ex magno paſſionis impetu, potius, vt honori ſuo ſatisfaciat, quam vt iniuriam inferat, cum occidit, vel vulnerat contra intentionem huius Canonis, & patet à ſimili de percutiente Clericum turpiter inuentum cum præfatis qui non incidit in excommunicationem, *ex c. ſi vero de ſent. excomm.* Ita *Vrtad. & Duard. qu. 10. loc. cit.*

Oppoſitum tamen tenet *Bonac.* de turpiter inuento cum ceteris præterquam cum vxore, quia in ceteris non habet ita iuſtam cauſam, ſicut in vxore, nec diſpoſitionem dicti capitis ſi vero putat valere in pręſenti caſu, quia in materia odioſa non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum.

Ceterum licet hæc opinio Bonacinæ ſpeculatiua probabilitate non careat, attamen tutior, & probabilior videtur prima cum præſumendum iuridicè ſit Papam nolle protegere in hoc Canone iniquitates ſub ouina pelle lupinos, & venereos animos celantes, &c.

EXCOMMVNICATIO VNDECIMA.

Principaliter Contra { *Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes, Carcerantes, Detinentes, Hoſtiliter inſequentes, Eÿcientes ex Diœceſibus, Territorÿs Terris, & Dominÿs ſuis.* } { *Cardinales, Patriarcas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Legatos Sedis Apoſtolicæ, & Nuncios eiuſdem.* }

Acceſſoriè Contra { *Mandantes, Ratum habentes, Auxiliantes, Conſulentes, & Fauentes.* }

Vtrum expuens in faciem, vel aquam immittens, vel conſimilia iniurioſè faciens contra aliquem ex nominatis Prælatis, vel eius Pallium, & Veſtem ſcindens incidat in hanc Vndecimam excommunicationem.

DIFFIC. I.

VIdentur Doctores aliqui negare hæc facientem contra aliquem ex dictis Præfatis incidere in hanc excommunicationem, quia præfata volunt nullum ſapere percuſſionem, nec alia in Canone prohibita, percutere enim eſt corporaliter pulſare manu, pugno, alapa, baculo, virga, ſaxo, flagello, vel alio conſimili aliquam partem corporis, pallium autem ſcindere, in faciem ſpuere, & aquam immittere, licet ſint actiones prohibitæ, *in cap. ſi quis ſuad. Diab.* ſi in Clericum fiant, hoc eſt ſpeciale pro illo Canone declaratum, quia manus violentas prohibet, quod eſt magis commune, quam percutere, attamen quia in hoc Canone percutere prohibetur, & talia percuſſionem non ſapiunt, non debent extendi ad percuſſionem, cum ſimus in odioſis, & conſequenter talia perpetrantes, in dictos prælatos non ſunt cenſendi excommunicati in hoc vndecimo Canone. Ita *Bonac. q. 12. p. 1.*

Ceterum

Cæterum probabiliter etiam adhuc diſtinguendum puto in hoc caſu, nam vel hæ actiones pallium ſcindendi, ſpuendi, vel aquam immittendi, & conſimilia in aliquem ex dictis prælatis fiant ab eo, qui eos hoſtiliter inſequitur, quaſi non valens eos alio modo potiori offendere hiſce actionibus hoſtilibus eos inſequitur, ſanè incidit in hanc vndecimam excommunicationem, quia hoſtiliter inſequi prælatos dictos excommunicatione hic plectitur, quod ſi alia occaſione eos ſimpliciter iniuria afficiendi non videtur ea faciens incurrere propter rationes primæ opinionis.

Conſulerem tamen in hoc caſu, vt iudicio viri prudentis rectè examinentur prædictæ iniuriæ an fuerint publicæ, & notoriæ in contemptum iuriſdictionis, & dignitatis Eccleſiaſticæ, & an animo hoſtiliter eos inſequendi maximè ſpuere, & aquam in eos immittere, quia licet ſint leues pulſationes, ad huc tamen poſſint reduci ad percuſſionis genus, & ratione circumſtantiarum poſſent omnino graues iudicari, & huius excommunicationis materia.

Vtrum inſequens aliquem ex Prælatis in Canone poſitis animo lædendi, ſi tamen nullum inter inſequendum damnum intulerit, incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod cum malitia inſequentis hoſtiliter compleatur in habendo animum lædendi eum, quem inſequitur, fit, vt inſequens animo lædendi aliquem ex dictis Prælatis, licet actu nulla ſecuta vt læſio, incidat in hanc excommunicationem, quia iam dicitur inſecutus fuiſſe eos contra huius Canonis prohibitionem. Ita etiam *Alter. qu.3. Filiucc. tract.18.c.9.q.8. Duard. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod ſi quis detinens, obſidens, & inſequens aliquos ex Prælatis, non vt lædat, & damnum hoſtiliter inferat, ſed ſolum vt contumelijs, & iniurijs verbis ſolummodo afficiat, licet Alterius in parte videntur afferere, quod in hanc etiã excõmunicationem incurrat, attamen probabilius negandum, quia detẽtio, & inſecutio in hoc Canone prohibita debet eſſe hoſtilis cum animo ſcilicet lædendi, & damnum inferendi prædictis Prælatis, iniurijs, aut, & contumelijs ſolo verbo afficere nõ eſt propriè actus hoſtilis, cum etiam inter non hoſtes ſoleant paſſim ex iracundiæ motu paſſim intercedere. Ita etiam *Vgol. Duard. & Bonac. loc. cit.*

Dico tertiò, quod ſi quis paret ſe ad inſequendum hoſtiliter dictos Prælatos, tamen actu non inſequatur, non incidit in hanc excommunicationem, quia hic punitur effectus non animus inſequendi.

Vtrum expellens prædictos Prælatos in Canone à Territorijs, & dominijs, in quibus vel nullam habent iuriſdictionem, vel ſaltem habent iuriſdictionem temporalem ex Patrimonio, vel hæreditate incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod certum eſt expellentem prædictos Prælatos à locis, vbi nullum habent ius exercendæ iuriſdictionis ſpiritualis nec temporalis annexæ ſpirituali, vel à ſpirituali dependente non incidere in hanc excommunicationem, quia Canon iſte loquitur contra expellentes eos à ſuis Dominijs, Territorijs, & Diœceſibus, itaque ſi quis expellat eos à Palatio Principis, in quo nullam habent iuriſdictionem non incurrit, quia nec à Diœceſi, nec à Dominio, nec à ſuo Territorio eos expelleret, ſecus ſi à ſuo Palatio, Ciuitate, vel Caſtro. Ita *Suar. diſp.21. ſec.2. Duard. l.2. can.17. q.4. Sayr. l.3. c.15.* & alij. Ex quibus dicendum expellentem Cardinales à proprijs Eccleſijs Titularibus incidere in hanc excommunicationem, quia in ipſis iuriſdictionem exercent ſpiritualem.

Dico ſecundò, quod licet *Vgolin. & Duard.* putent eijcientes prædictos prælatos à dominijs ſuis naturalibus ex patrimonio, vel hæreditate ſibi obuenientibus nõ incidere, quia in prædicto Canone excommunicantur ſolum eijcientes ex Dominijs, & Territorijs ad eos ſpectantibus ratione iuriſdictionis Eccleſiaſtici, & dignitatis ſpiritualis, & ſanè probabiliter, attamen non improbabiliter poteſt oppoſitum ſuſtineri, & laudabiliter etiam ſuaderi, quia tale priuilegium etiam in fauorẽ Eccleſiaſticæ dignitatis, quam verè habent dicti Prælati, & ſi eijciantur à ſuis naturalibus Dominijs, & hæreditarijs bonis etiã offenditur eorum dignitas, vileſcit enim Prælatus ſi à ſua hæreditate poſſet impunè abſque rigoroſæ excommunicationis huius timore eijci, quare Papa in Canone hoc generaliter loquitur de Territorijs, & Dominijs non ſpecificando quomodo ad dictos Prælatos pertineant, vbi ergo lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ita etiam *Alter. & Bonac. loc. cit.* Quare

Dico tertiò, quod expellens Epiſcopum, qui Epiſcopatui renunciauit à Terra, in qua manet, licet ibi nullam babeat iuriſdictionem, tamen poteſt probabiliter dici, quod incurrat hanc vndecimam excommunicationem, quia remanet verus Epiſcopus modo non renunciauerit etiam dignitati, & diceretur verè à ſua Terra expelli, dum expellitur à Terra vbi manet, & ſuum habet domicilium. Ita *Anton. de Souſa diſp.67. & Alter. c.7. & Bonac. loc. cit.* Quod tamen credo probabiliter dictum potius in fauorem dignitatis Epiſcopalis, dum in terra vbi manet nullum habet dominium, nec temporalem hæreditatem.

Dico quartò, quod in hac materia expulſionis ſemper incurritur excommunicatio ab expellente dictos Prælatos quomodocumque ſequatur expulſio, etiam ſi ſolis minis & verbis comminatorijs expellantur, expulſio enim abſolutè abſque alio modo prohibetur; quod ſi attentur expulſio, & non ſequatur effectualiter, non incurritur excommunicatio hæc vndecima, quia verba debent intelligi cum effectu in pœnalibus ex c. delatũ de Cler. nõ reſid. Vide *Duar. Bonac. & Filiuc. loc. cit.*

Vtrum approbans aliquam ex poſitis offenſionibus factis contra dictos Prælatos in hoc Canone, quæ tamen ſuo nomine facta non fuit, incidat in excommunicationem hanc Vndecimam.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod in hoc Canone ſermo eſt de ratihabitione, vel approbatione rigoroſè ſumpta, quia cum ſimus in pœnalibus, ſtricta facienda eſt interpretatio verborum, ad ratihabitionem porrò ſtrictè ſumptam requiritur primo vt docet *noſt. Angelus V. Conſentire §.4.* vt ratihabitio ſit approbatio actionis factæ nomine approbantis ex c. Ratum de Reg. iuris in 6. II. vt ſit aliquo ſigno externo approbata, vt nutu, verbis, vel aliquo ſigno æquiualenti, quod ſignificet in aliquo facto, vel omiſſione internam approbationem, vt ſi carcerationis ſuo nomine factæ non curet liberationem, vel dimiſſionem, cum poſſit, vel teneatur, hic enim factum approbat, dum factum non diſſoluit ex c. 1. vt lite non conteſtata in fin. Ita *Ang. noſter, & Sylu. loc. cit. & Suar. diſp. 21. Alter. c.6. Filiucc. & Bonac. loc. cit.* Tertiò requiritur ad ſtrictam ratihabitionem, vt qui ratum habet factum ſuo nomine, habilis fuerit pro illo tempore ad mandandum, vel faciendum, quod erat executioni tradendum, nam vt optimè notat *noſt. Ang.* ratihabitio fictione iuris retrotrahitur, & comparatur, & comparatur mandato, & virtuale quoddam mandatum exiſtimatur, quomodo autem poterit dici quis virtualiter mandaſſe, ſi tali tempore non erat habilis ad mandandum, dat exemplum noſter Angelus, ſi quis nomine alicuius infantuli interfecerit Caium, infantulus poſtea factus maior ſi approbet tale homicidium factum ſuo nomine, non dicitur verè ratum habere, quia pro illo tempore, quo factum fuit non erat habilis ad mandandum tale homicidium, & ſicut verè non potuit mandare, nec interficere, ita nec fictione iuris poteſt dici virtualiter ſaltem homicidium perpetraſſe. Ita etiam Doctores citati. Quartò requiritur vt ad actum non ſit neceſſaria præſentia, quia quæ præſentiam requirunt non poteſt ratihabitio confirmare, *Inſtit. de auth. Tut. §. Tutor.* Quintò requiritur, vt quod mandatur poſſit per alium fieri, quod ſi nequeat per alium fieri, non dicitur ratihabitione firmari, hinc fornicationem, vel adulterium factum nomine Petri, non dicitur Petrus ratum habere, quia fornicatio, & adulterium per alium fieri nequit, vt notat noſter Angelus; vltimò requiritur vt lex non requirat niſi delictum ſimpliciter, quia ſi lex requirit etiam maleficium ideſt tractatum, & machinationem non ſufficeret ſola ratihabitio, hinc ſi mulier ratum habuit homicidium ſeu viri factum ſuo nomine, ſi ipſa verè prius non tractauit, nec machinauit tale homicidium, non dicitur iuridicè ratum habere homicidium,

ad finem

ad finem vt ipſa non poſſit cum alio contrahere, quia lex requirit tractatum & machinationem factam ab vxore ante viri homicidium ad hoc, vt impediat non poſſe nubere. Ita *noſter Angel. loc. cit.* Ex quibus

Dico ſecundò, ad propoſitum difficultatis propoſitæ non incidere approbantem aliquam ex dictis offenſionibus in hoc Canone poſitam contra prædictos Prelatos, ſi ſuo nomine non fuit facta, quia ratihabitio ſtrictè ſumpta requirit ſubſtantialiter, vt actio approbanda facta ſit ſuo nomine.

Dico tertiò, quod ratam habens aliquam ex dictis offenſionibus tunc incurrit in excommunicationem, quando ratum habet de præſenti, non quando committitur, quia tunc ſolum peccato, quando actu ratum habet. Ita citati Doctores, *Bonac. Alter. & Duard.*

Dico quartò, quod ſi quis aliquam offenſionem ex dictis in hoc Canone contra dictos Prælatos factam ſuo nomine improbaret, deinde verò poſt aliquod tempus approbat, licet *Bonacina* velit quod incidat in hanc excommunicationem ex eo, quia ſicut qui mandatum homicidij reſpuit, & poſtea aliquod tempus acceptat, & mandat executioni incurrit irregularitatem mandans, ita etiam qui offenſionem factam ſuo nomine non approbat, ſi poſtea deinde approbet incidit in hanc excommunicationem; attamen Iuriſtæ antiquiores probabilius negant, vide *Federicum de Senis conſil.* 238. *Marianum Sacinum in cap. ſicut tuis num.* 17. *de Symon.* & alios, quos citat, & ſequitur *Alterius cum Vgolino, & Duard. hic quaeſt.* 36. *idem etiam ſentit, Anton. de Souſa loco citato* quia factum intelligitur de prima vice ex *l. boues §. hoc ſermone ff. de Verb. ſignif.* & iure quidem, quia ſicut, qui initio approbat ligatur ſtatim excommunicatione in præſenti caſu, & ſi poſtea reprobet, non ſoluitur ab excommunicatione, ita etiam qui ab initio non approbauit dictam offenſionem, iam ſolutus eſt ab excommunicatione, licet ergo deinde approbet, non iam ligatur, quia pœnam primò actui debitam iam effugit, factum enim intelligitur de prima vice, præterquam quod operatur propoſitum in propoſito, operatur oppoſitum in oppoſito, ſed qui prima vice approbauit, ſi deinde reprobet iam fit excommunicatus, ergo qui prima vice reprobauit, licet deinde approbet non erit dicendus excommunicatus.

Vtrum offendens aliquo ex modis poſitis in hoc Canone eum, qui à Papa nominatus eſt Cardinalis, & electioni conſenſit, tamen galerum rubrum non recepit, nec in Conciſtorio eſt eios apertum, vel Epiſcopum electum, & confirmatum non tamen conſecratum incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod electus in Cardinalem à Papa, ſtatim atque ſuæ Electioni conſenſum præſtitit, eſt verè Cardinalis, haberque vocem actiuam, & paſſiuam in electione Pontificis, acceptio enim galeri, & apertio oris in Conciſtorio ſunt Cæremoniæ accidentales in Cardinalatu, quare offendens talem aliquo ex modis poſitis in Bulla offendit verum Cardinalem, & excommunicationem hanc vndecimam incurrit. vide *Sayr. l. 3. cap. 15. Duard. can. 11. quaeſt. 6. Filiucc. Vgolin. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod licet aliqui probabiliter affirment Epiſcopum electum, & confirmatum licet non conſecratum, vt potè habentem iuriſdictionem Epiſcopalem, eiuſque actiones exercere valentem, ex c. nihil de Elect. ſi quis ex præfatis modis in hoc Canone offendat, incidat in hanc vndecimam excommunicationem, quia hæc excommunicatio lata eſt præcipuè in fauorem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. Ita *Graff. p. 1. l. 4. deciſ. cap. 18. num. 102.* docet, attamen fortè probabilius alij negant, quia cum electus in Epiſcopum non ſit verè Epiſcopus niſi conſecretur, maximè apud eos, qui putant Epiſcopatum eſſe ordinem, qui non ſuſcipitur niſi per ordinationem, ſequitur quod offendens non conſecratum non incidat, nec valet ratio allata ex ratione iuriſdictionis, quia multi ſunt ordinarij habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, & tamen ſi offenduntur, eorum offenſores non excommunicantur in hoc Canone, ergo non ponitur excommunicatio præcisè propter ſolum fauorem iuriſdictionis, ſed propter fauorem dignitatis Epiſcopalis, quam electus non adipiſcitur niſi per conſecrationem. Ita etiam *noſter Angelus V. Excomm. cap. 23. Alter. cap. 3. dub. 6. Sayr. l. 3. cap. 15. Duard. quaeſt. 8. Vgol. hic can. 11. §. 1.* ex quo inferunt præfati Doctores quod offendens vt in Canone Epiſcopum irregularem, excommunicatum, & verbaliter ſolum depoſitum incidit in Canonem hunc, quia verè retinet dignitatem Epiſcopalem, amplia etiam ſi Epiſcopatui renunciaſſet quoad locum, non tamen quo ad dignitatem vt dictum eſt ſupra, quod tamen non eſt verum de Cardinali, qui ſtatim ac renunciauit Cardinalatum, & Papa acceptauit, ſtatim deſinit eſſe Cardinalis, vnde eum offendens non incideret, verum eſt tamen quod ſi Cardinalis ſolum ſit verbaliter depoſitus à Papa, ſi offendatur, incurritur, quia non deſinit eſſe Cardinalis, donec à Cardinalatu ſit realiter degradatus. Ita etiam *Vgol. §. 2. Duard. q. 22. Alter. c. 3. dub. 6. & Bonac. hic punc. 2.*

Vtrum offendens vt in Canone hoc Nuncium, vel Legatum Sedis Apoſtolicæ redeuntem à ſua Nunciatura, vel legatione iam abſoluta incidat in hanc vndecimam excommunicationem.

DIFFIC. VI.

Diſtinguendum puto, nam vel redit Romam Legatus, vel Nuncius, vt cum Papa ſuæ Legationis, & Nunciaturæ negocia communicet, & in hoc caſu offendens ſine dubio incidit in hanc excommunicationem, quia priuilegium conceſſum accedenti, conceditur etiam redeunti propter eamdem cauſam, etiam ſi in aliquo loco iuſta de cauſa moram trahat, non enim impleuiſſe dicendus eſt Legationem, vel Nunciaturam, donec ad Papam mittentem redeat, vt cum eo propter quæ miſſus eſt, negotia communicet, quod ſi Legatio, vel Nunciatura finiatur ipſo actu, nec ſit neceſſarius reditus ad Papam pro communicatione geſtorum, cum in pœnalibus non ſit facienda extenſio, offendens dictum Legatum, vel Nuncium poteſt dici probabiliter non incurrere, niſi fortè ſit Epiſcopus, vel Cardinalis, dum reditus in ipſo Canone non priuilegiatur, & ſanè in ipſo actu completo deſinit eſſe Nuncius, vel Legatus, vt ſupponitur.

Vtrum lædens familiares Prælatorum, qui in hoc Canone nominantur aliquo ex dictis modis poſitis incurrat hanc vndecimam Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

Diſtinguendum cenſeo, nam vel familiares iſtorum Prælatorum ſunt in actuali ſeruitio dum aliquam iuriſdictionem exercent, puta viſitationem, vel actus iuſtitiæ, & in odium dictæ iuriſdictionis aliquo ex modis poſitis offendantur, probabiliter exiſtimo taliter offendentes familiares etiam eorum incidere in Canonem hunc, quia priuilegium conceſſum Domino, conceſſum eſt etiam familiaribus pro eodem ſeruitio neceſſarijs, pro quo datur priuilegium, ſicut dictum eſt in ſuperiori difficultate de familiaribus Romipetarum, quod ſi familiares dictorum Prælatorum non inſeruiant eis in aliquo actuali ſeruitio iuriſdictionis exercendæ, ſed ſolum in Palatio ſimpliciter, credo, quod non gaudeant hoc Canone, quia nulla videtur aſſignari ratio, per quam in dicto Canone comprehendi debeant, dum non exprimuntur.

Vtrum Prælatus aliquis ex nominatis in Canone ſi ſeipſum occidat, vel mutilet, vel percutiat incidat in hanc vndecimam excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

Affirmant *Alter. diſput. 12. cap. 3. dub. 2. Duard. hic q. 8. num. 8. & quaeſt. 22. & Vgolin. loc. cit.* quia hic Canon latus eſt in fauorem dignitatis Eccleſiaſticæ, cui nullus poteſt renunciare, cum non ſit priuilegium priuatum, ſed commune, hinc Clericus percutiens ſuadente Diabolo ſeipſum etiam incurrit in Canonem ſi quis ſuadente Diabolo propter eamdem rationem.

Negant tamen fortè probabilius alij, quod probare nititur Bonacina ex eo quia ſcienti, & volenti non fit iniuria ex l. nemo præ.

mo præſumitur ff.de Reg.iur.& ꝙ in fauoré alicuius introductũ eſt, non debet in dãnum ipſius retorqueri ex l. nulla iuris ratio 24. ff.de leg. ꝙ fauore & C.quod ob graciã de Reg.iur. in 6., tum quia ſicut electio, & in ſecutio in Bulla neceſſario ſunt in diſtinctas perſonas, ita ẽt vulneratio, percuſsio, mutilatio, & occiſio ſupponi debent à perſonis diſtinctis inflictæ, verũ parum videntur concludere, quare addendũ puto, quod cum in d. Canone prohibeantur præfatæ actiones hoſti iter eas facientes, & cum nemo poſsit eſſe hoſtis ſui ipſius, hinc ſi quis ex dictis Prelatis ex motu iracũ iç, vel diſperationis percuteret, vel mutilaret, vel occideret, ſe ſe non offenderet hoſtiliter, incurreret tamẽ in Canone ſi quis ſuad. quia ſuadente Diabolo hęc in ſe ipsũ faceret, iuxta opinionem probabilem ſaltẽ, vel dic, quod cum hæc excõmunicatio ſit lata in fauoré Prælatorum taliũ, vt Prælati ſunt iuriſdictionẽ, & dignitatem habẽtes, ſi quis autem ex eis ſe ſe dictis modis offenderet, non offenderet ſe tam quam Prelatum, & ſub ratione Prælati, quatenus iuriſdictionẽ aliquam exercet, vel dignitatis munus obit, quare in hanc vndecimam excommunicationem non incideret.

Vtrum offendens aliquo ex modis narratis in Canone aliquem ex Prælatis nominatis turpiter cum vxore, ſorore, vel filia inuentum incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. IX.

Affirmare videntur Alterius, & Bonac. ex eo quia Bulla loquitur hic generaliter contra offendentes aliquo ex narratis modis, nec iſte caſus reperitur in aliquo iure except⁹ quare volũt exceptionẽ factam in c. ſi vere 1. & 2. de ſentent. excõmunicationis, quod percutiens Clericum turpiter inuentum cum vxore &c. non incidat, non facit in caſu præſenti, quia in pœnalibus non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum, niſi exprimatur, quare cum lex in hoc Canone generaliter loquatur percutientem, mutilantem, inſequentem, & occidentem aliquem ex nominatis Prælatis eſſe excommunicatum, non debemus nos diſtinguere, quod liceat abſque periculo talis excommunicationis prohibitas haſce actiones facere in tali caſu particulari, dum nullibi excipitur.

Negant tamen fortè probabilius alij, ſi ſtatim, & in continenti in tali caſu percutiantur, muti entur, vel occidantur, vel inſequantur huiuſmodi Prælati turpiter inuenti, non incurrere eos percutientes, mutilantes, vel occidentes, & inſequentes in præſentẽ excõicationem, quia Papa in hoc Canone non præſumitur velle protegere impias, & iniquas Prælatorum actiones, præterquã quod ſolum iniuſtè, & hoſtiliter eos offendentes hic excõmunicantur, turpiter autem inuenti cum Vxore, ſorore, & filiabus, & matre non offenduntur hoſtiliter, ſed nec fortè iniuſtè, quatenus offendens in tali caſu ad honoris ſui defenſionem meliori, quo poteſt modo, reſarciendum inuehit in illo primo motu iuſtę indignationis, quare in c. ſi verò citato de ſentent. excomm. non excipitur caſus de percutiente Clericũ turpiter inuentum ab excommunicatione lata in c. ſi quis ſuadente Diabolo, ſed potius declarat Clericum turpiter inuentum non debere gaudere tali priuilegio, ex eo quia eum in tali actu turpiter inueniens cum Vxore, ſorore, filia, & matre propria ſolum, non autem cum alijs conſanguineis, tanquam inferentem iniuriam ſibi, poteſt licitè abſque timore excommunicationis percutere quia vim vi repellere licet, vnde gloſa in verbo turpiter etiam reddit aliam cauſam, quia ſcilicet tam iuſtum dolorem compeſcere non poſſet, ideo parcit ei in tali caſu Canon, itaque declarat Canon alium Canonem, non excipit voluntariè vbi ergo militat eadem omnino ratio, militat eadem legis diſpoſitio. Ita etiam videntur ſentire *Vgol. & Duard. loc. cit.*

Vtrum mandans, conſulens fauens, auxilians lædentibus, vt in Canone præfatos Prælatos non ſecuto effectu incidat in hanc vndecimam excommunicationem.

DIFFIC. X.

Reſpondeo, quod licet Duard. videatur velle præfatos incidere in hanc excommunicationem, nullo etiam ſecuto effectu, quia ex ſe ſe independenter ab effectu, conſilium, fauor, auxilium, & mandatum contra dictos Prælatos offendendos ſunt malitiæ ſufficientes ſingulæ ad incurrendam excommunicationem; attamen quia hæ actiones non prohibentur principaliter in hoc Canone, ſed ſolum acceſſoriè, & conſequẽter dependenter ad effectum, ſi factum non ſequatur contra dictos prælatos, non veniunt ſub hac cenſura puniendæ, quandoquidem conſilium, fauor, auxilium, & mandatũ, licet ſingula ex ſe ſint grauiſsima peccata, attamen niſi influant in effectum, non videntur tãta pęna eſſe digna, & iden acceſſoriè ſub cenſura prohibentur, non autem principaliter. Ita etiam videntur aſſerere noſter *Vngarel. V. c. excomm. caſu 23. ſchol. d. & E. Sylu V. excom. 7. n. 44. Vsuala hic n. 89. Alter. diſp. 1. 2. cap. 6. Sayr. l. 3. cap. 15. Souſa diſput. 63. Vgolin. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum mandans occidi Epiſcopum Mutium, occidat autem Epiſcopum Titium mandatarius, & non Epiſcopum Mutium ex aliquo caſu, incidat in hanc vndecimam Excommunicationem.

DIFFIC. XI.

Affirmare videtur Duardus, quia per accidens eſt, quod occidat Titium Epiſcopum, & non Mutium iuxta mandatum, iam enim in Bullam incidit, quia Epiſcopus occiſus eſt ex eius mandato.

Attamen iuxta iuris ſanctiones videntur alij probabilius negare, quia quando mandatarius agit vltra terminos mandati non imputatur mandanti delictum vltra mandatum ex l. diligenter ff. mandati, cum ergo mandatarius excedat terminos mandati in hoc caſu occidendo vnum Epiſcopum pro alio, non peccat mandans, dum exequitur mandatum non ſuum, mandatarius, ergo nec ligatur excommunicatione in hoc Canone vndecimo. Ita etiam *Alterius cap. 6. Azor. 3. par. l. 2. cap. 8. Vgolinus, & Bonacina loc. cit.*

Vtrum receptans, & defendens lædentem aliquo ex dictis modis nominatos prælatos incidat in excommunicationem hanc Vndecimam.

DIFFIC. XII.

Diſtinguendum puto cum noſtro *Vngarello V. excommunicationis caſ. 23. ſchol. d. & E.* nam vel recipit, & defendit ante factum, ita vt ex eius receptatione, & defenſione reddatur promptior, & ſecurior ad lędendum, vel delictum ex tali defenſione in eſſe conſeruatur, ſanè incidit in hanc excommunicationem, quia fauorem, & auxilium ex tali receptatione, & defenſione dicitur verè præſtare cõtra Prælatos hic nominatos, quod ſi poſt factum recipiat, & defendat prædictum offendentem, non ligatur hac cenſura, quia poſt factum nullo modo influit in actiones à Bulla prohibitas in hoc Canone. Ita etiam *Nauar. c. 27. n. 67. Alter. diſp. 12. c. 6. Duard. can. 11. quæſt. 17. Suar. diſput. 21. ſec. 2. & Bonac. loc. cit.*

Excommunicatur tamen huiuſmodi receptans, & defendens offendentem dictos Prælatos in c. Fęlicis de pœnis vide etiam Clement. 1. ſi quis de pęn. quod intellige ſi ſcienter faciat abſque iuſta cauſa, quia ſi ex iuxta cauſa receptat, vel defendat, non incidit, puta quia credit innocentem, & vult ex iuris diſpoſitione declarare innocentem, licet poſtea inueniat Reum, vel quia dubitat ne ab alio priuata authoritate lędatur, iuſtè recipit, & defendit, quilibet enim debet opem ferre proximo ſuo ne iniuria afficiatur ex c. dilectus de ſent. excõm. in 6. item ſi recipit titulo amicitiæ conſanguinitatis, vel affinitatis, non autem vt delinquens contra cenſuram, vide etiam *Bonac. loc. cit.*

Vtrum non impediens cum poſſit impedire actiones prohibitas in hoc Vndecimo Canone incidat eius Excommunicationem.

DIFFIC. XIII.

Variant in hac difficultate Doctores, affirmare videntur *Alter. l. 5. diſp. 12. c. 6. Duard. hic q. 18. Vgolin. hic in*

Digitized by Google

V. fauorem, & alij, nam idem videtur eſſe nolle impedire cum poſſis delictum, ac facere, vt habetur expreſsè in c. qui poteſt 239. 5. vbi dicitur (qui poteſt obuiare, & perturbare peruerſos, & non facit, nihil aliud eſt quam fauere eorum impietati, nec enim caret ſcrupulo, qui manifeſto facinori deſinit obuiare) & in c. non inferenda eadem cauſa, & quæſt. habetur (qui non repellit à Socio iniuriam ſi poteſt tam eſt in vitio, quam ille qui facit.) & ex c. quantæ præcitato de ſent. excomm. non impediens Clerici percuſſionem, cum poſſit incidit in Canonem ſi quis ſuadente; ergo conſimiliter dicendum in hoc caſu.

Attamen Bonac. negare videtur non impedientem, cum poſsit, incidere in hanc Canonem, quia cum ſimus in materia odioſa, non debemus actiones negatiuas, niſi exprimantur, in dicto Canone comprehendere, quod patere poteſt ex eo, quod in hac Bulla haſce actiones negatiuas exprimit, quando vult eas in aliquo Canone cõprehendere, ergo quando non exprimit, ſignum eſt nolle eas cõprehẽdere, vnde in c. quãtæ, quia non impedientes vult comprehẽdere eos ibi exprimit.

Ceterum diſtinguendum videtur probabilius iuxta doctrinam Gloſæ in dicto c. quantæ, nam, vel non impediens poteſt impedire ex aliqua authoritate, vel officio ſibi traditio, & ſic potens, & non impediens incidit, & ita ly cum poſsit interpretatur gloſa ibi, ſi verò poſsit ex ſola charitate, non autem authoritatiuè poſsit, non incidit, ſi non impediat, quia nullo modo participat in crimine ex actione ſola negatiua, at verò non impediens potens authoritatiuè impedire, poſitiuè videtur fauere delinquenti, vnde influit in actionem. Amplia etiam, quod ſi ex taciturnitate fiant animoſiores delinquentes, & quis poſſet ſaltem clamando obuiare, & cognoſcit, quod ex ſolo clamore à delicto retraherentur offendentes, & ex taciturnitate fieri animoſiores, incidit, quia ex hac taciturnitate auxilium, & fauorem videtur præſtare delinquentibus contra hunc Canonem.

Vtrum ſciens conſpirationem factam in Cardinalem ab iniquis, ſi taceat, & non reuelet, incurret hanc excommunicationem Vndecimam.

DIFFIC. XIV.

NEgant communiter Doctores, verum in aliam latam à Pio V. in conſtitut. quæ incipit, Infelicis ſæculi occaſione mortis attentatæ in D. Carolum Borromæum S. R. E. Cardinalem, incurrit ſciens talem conſpirationem, in qua non ſolum ſciens conſpirationem factam a principalibus contra Cardinales S. R. E. verum etiam complices miniſtros mortis inferendæ, vel atrocis criminis cõmitendi in Cardinalẽ ſtatim iubetur reuelare Pontifici ſi poteſt, alioquin ſtatim viciniori Epiſcopo, alias ſi ſtatim non reuelet, principales, & complices, innodatur vinculo excommunicationis, & maieſtatis Reus declaratur, & infamiam incurrit cum pœnis in c. fœlicis de pœnis in 6.

An verò ſciens hanc conſpirationem poſſit, antequam denunciet admonere delinquentes, vt deſiſtant, ſi credat illos ex correctione mutaturos conſiliũ, affirmat probabiliter *Duard.* quia ita a Chriſto mandatur faciendum, attamen *Alter. & Bonac.* volunt omnino abſque præuia correctione denunciandos, quia, quæ vergunt contra bonum commune, non cadunt ſub præuia correctione, ſicut quæ fiunt contra bonum priuatum; probabilis ſententia, ſed nimis rigoroſa, præcipuè quando ſperatur emendatio, & facilis diſſuaſio, homines enim à talibus denunciationibus maximè abhorrent, præcipuè honoris cultores, ideo non eſt in hac materia nimis ſcrupuloſè procedendum, itaque tutè practicari poteſt ſententia prior, quod non teneatur ſciens reuelare, antequam correctionem faciat, & contrarium diſſuadeat, ſi emendationem probabiliter ſperet. ita etiam *Filiucc. tract. 14. c. 6. q. 21.*

Vtrum commitens hic prohibita in Prælatos prædictos afficiatur etiam excommunicatione in C. felicis, & in C. ſi quis ſuadente Diabolo. DIFFIC. XV.

NEgandum videtur, quia quando ab habente eamdem authoritatem feruntur polures cenſuræ contra eamdem actionem, & ad eundem finem, vna ſolum reputatur cenſura, & vltima videtur potius eſſe confirmatio cęterarum, itaque percutiens Epiſcopum, vel occidens Cardinalem ſola vnica hic innodatur cenſura, quæ non ſolum eſt confirmatiua excõmunicationis in c. fęlicis, & in c. ſi quis ſuadente, verum etiam magis aggrauatiua, cum ſpecialiori modo, & ſolemniori iſta fulminetur, & reſeruetur. *Ita etiam Bonac. punct. 4. Sayr. l. 1. c. 10. Duard. can. 12. c. 1. Alter. l. 5. diſp. 12. c. 1.*

Verum eſt tamen acriori pœnitentia plectendi ſunt iſti, qui haſce actiones pluribus cenſuris prohibitas committunt ob magis prauum affectum in peccando contra plures Canones.

Vtrum Prælatus aliquo ex dictis modis in Canone offenſus poſſit ſuum offenſorem propter hoc excommunicatum declarare. DIFFIC. XVI.

DIſtinguendum puto, nam vel crimen in Prælatum commiſſum eſt ita notorium, vt nulla tergiuerſatione cęlari valeat, & nullo modo indigeat probatione, & in hoc caſu poteſt ſuum offenſorem declarare excommunicatum, quia in ſui fauorem non procedit iudicialiter, vnde poſſet præſumi errare in ſui fauorem, ſed ſolum authoritatiuè, in quo non poteſt eſſe error, quod ſi crimen non ſit ita notorium, & indigeat probatione, non poteſt eum declarare, quia in propria cauſa nemo poteſt eſſe iudex, vel Arbiter *in l. 1. C. ne quis in ſua cauſa iud. & l. penult. ff. de Arbitr.* & hoc, vt omnis iniquæ declarationis ſuſpicio propellatur. Ita etiam *Bonac. punct. 4. Alterius, & Duard. loc. cit.*

EXCOMMVNICATIO DVODECIMA.

Principaliter Contra / Acceſſoric. Contra:
- *Occidentes*
- *Quoquomodo percutientes*
- *Spoliantes*
- *Committentes id fieri,*
- *Exequentes per alios,*
- *Procurantes,*
- *Dantes auxilium,* — *directè, vel indirectè.*
- *Conſilium, & fauorem.*

cuiuſcumque conditionis, vel præeminentiæ per ſe, & per alios

- *Recurrentes ad Romanam Curiam ob lites, & negocia.*
- *Procurantes, & negociorum Geſtores in eadem Curia,*
- *Aduocatos,*
- *Procuratores,*
- *Agentes,*
- *Auditores deputatos in præfatis negotijs.*
- *Iudices Ordinarios, & delegatos.*

Vtrum recurrentem per ſolas litteras ad Romanam Curiam ob lites, & negotia occidens, percutiens, vel ſpolians etiam immobilibus incidat in hanc excommunicationem duodecimam. DIFFIC. I.

DIco primò, quod licet *Vgol. hic & Bonac. q. 13. pun. 1.* probabiliter videatur aſſerere recurrentẽ per litteras ad Curiã pro lite, & negotijs in ea peragẽdis ſi quis offendat vt in hoc Canone non incidat in excõicationẽ hanc, quia Papa hic videtur ſupponere recurſũ perſonalẽ, attamen fortè probabilius alij volũt recurrentẽ per litteras ad Curiã ſi quis offendat, quod ẽt incurrat offẽdẽs aliquo ex modis potius in hoc Canone, etenim recurrens per litteras verũ facit recurſum ad Sedẽ Apoſtolicã cõſtituendo in Curia procuratorẽ, & Aduocatũ in ſua cauſa, qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, Papa autem

tem

tem in hoc Canone intendit fauere idemnitati recurrentiũ ad Curiam, ne propter hoc faciliter moleſtentur, itaqce ſi recurrens per litteras non gaudere hoc priuilegio, non conſuleretur perfectè indemnitati recurrentium, itaque qui aliquo ex modis poſitis in hoc Canone offendit recurrentem per litteras ad hunc præcipuè finem, quia recurrit ad Curiam pro iuſtitia, incidit in hunc Canonem, quia verè facit contra voluntatem Papæ in hoc Canone, nec verum eſt Papam in hoc Canone requirere acceſſum perſonalem ad recurſum perſonalem, nam perſonalem acceſſum, & receſſum ad Curiam priuilegiauit, in nono Canone, hic autem ſolum priuilegiat recurrentem præſcindendo ab acceſſu, & ceteras ad lites neceſſarias perſonas, dicendum eſt ergo de quolibet recurrente hic eſſe ſermonem ſiue per litteras, ſiue perſonaliter, ſi propter hoc quia habuit recurſum offendatur, vt in Canone hoc, offendẽs quod incurrat in hanc excommunicationẽ duodecimã. Vide *Alter. l. 3. diſp. 13. c. 1. Duard. hic q. 7. Sayr. l. 3. c. 1. Souſa c. 3. diſp. 68.*

Dico ſecundò, quod ſpolians recurrentem ad Curiam etiam rebus immobilibus puta vinea, agro etiam incidit in hanc excommunicationem, ſi adhũc finem ſpoliat, quia recurſum fecit ad Curiam Apoſtolicam, quia in hoc Canone eſt ſermo precipuè de commorantibus etiam ad negotiorum expeditiones in Curia, & etiam de recurrentibus per litteras, vt modo probatum eſt in ſuperiori concluſ., qui etiam habent res immobiles, quibus poſſint ſpoliari, vt autem liber omnino quibuſlibet ſiuè recurrentibus, ſiue officialibus commorantibus in Curia tractandi, & peragendi negotia modus, Papa priuilegiat in hoc Canone omnes res tam mobiles, quam immobiles, ne damnum patiantur ad hunc finem, quia eorum Domini recurrunt, vel tractant in Curia; facile enim ex timore amittendi ſua bona retraherentur multi à recurſu, & tractatu io Curia, vt autem huic obuiet Papa, hunc Canonem edidit in fauorem perſonarum, & rerum mobilium, & immobilium recurrentium, & tractantium in Curia. Ita præcitati Doctores.

Dico tertiò, quod habentes incolatum, & domicilium Romæ, vbi adeſt Curia non gaudent priuilegio huius Canonis, ſi ſua negotia, & lites peragentes in Curia offendantur vt in hoc Canone, nam qui manet in loco Curiæ non dicitur recurrere, ſed agere, Recurſus .n. dicitur fieri à loco abſenti, niſi fortè partes recurrentis ageret, ſicut in Bulla exprimitur. Ita citati DD.

Vtrum lædens in fama aliquem ex priuilegiatis in hoc Canone puta voce, vel ſcripto contumelijs afficiendo incidat in hanc duodecimam excommunicationem.

DIFFIC. II.

Dicendum puto, quod licet aliqui affirmauerint ex eo, quod fama connumeratur inter bona, quibus homo ſpoliari poteſt, vnde Cicero orat pro Publico ſic loquitur. (*qui amicum Socium, affinem fama, & fortunis ſpoliare conatus eſt varium, & perfidioſum, & impiũ ſe eſſe fateatur.*) itaq; cum ſpoliari hic prohibeatur priuilegiatus, ſi fama voce, vel ſcripto ab aliquo ſpoliatur, ſpolians huiuſmodi io hanc duodecimam incurrit excommunicationem, & hanc opinionem putat probabilem *Souſa hic diſp. 70.*; attamen probabilius communiter negant, quia cum ſimus in pænalibus non eſt facienda extenſio verborum vltra communem intelligentiam eorum, ſpoliare autem iuxta communem modum dicendi, intelligitur de ſpoliare phyſicè de rebus corporalibus, Cicero autem tamquam orator metaphoricè vſus eſt ibi verbo ſpoliare fama, Canoniſtę autem maximè in pænalibus abhorrent verbis ſignificationem metaphoricam dare, dum propriam habent ſignificationem, & hanc eſſe mentem Summi Pontificis ſcilicet lædentem in fama aliquem ex priuilegiatis non comprehendi in hoc Canone, docent *Alt. diſp. 13. c. 1. Duar. q. . Vg. hic n. 4. & Bonac. loc. ci.*

Vtrum ſpolians aliqua re vnum ex priuilegiatis in hoc Canone ad compenſationem ſibi faciendam incurrat in hanc excommunicationem duodecimam.

DIFFIC. III.

Diſtinguunt Doctores, nam vel compenſatio iuſta omnino eſt, & liquida, & in hoc caſu etiam ſi fiat ſpoliatio per compenſationem iuſtam in odium recurſus, vel tractatus in Curia non incurrit, taliter ſpolians etiam ſi alias non eſſet facturus talem compenſationem, quia Papa hic ſolum ſpoliationem iniuſtam, & violentam extra terminos iuris factam prohibere intendit, non autem iuſtam ſecundum iuris terminos; quod ſi compenſatio ſit iniuſta, & non liquida, ſanè hanc faciens incurrit in tali caſu, quia verè contra terminos iuris dicitur ſpoliare violenter.

Verum eſt tamen, quod ſi iniuſtam faciat compenſationẽ, vel alio modo ſpoliet, occidat, percutiatue recurrentes, vel negotiantes in Curia, non in odium recurſus, & tractatus in Curia, ſed ob priuatas inimicitias, & alias cauſas licet iniuſtas, non incidit in hanc excommunicationem, vnde nec latrones eos obiter ex animo ſolo deprædandi præciſa omni cauſa negotiorum ſpoliantes, non incurrunt, quia hic ſolum priuilegiantur quatenus recurrentes ſunt, & agentes negotia in Curia, ſi autem offendantur ſub alio prætextu, non gaudent hoc priuilegio. Ita communiter *Souſa, Alter. Bonac. loc. cit.*

Vtrum recurrens ad Curiam abſolutis negotijs recedens, ſi offendetur vt in Canone, incidat in excommunicationem hanc offendens.

DIFFIC. IV.

Negat *Bonac.* quia abſolutis negotijs deſinit eſſe recurrens, ſumus autem in materia pænali in qua ſtrictè eſt facienda interpretatio.

Affirmant fortè probabilius *Souſa, Alter. & Vgolin* quia non videretur eſſe benè prouiſum recurrentibus, ſi redeuntibus etiam non daretur hoc priuilegium, quod ſanè probabilius puto, & modo lædens vt in Canone lædat in odium recurſus, ſcilicet ideo occidit, percutit, vel ſpoliat, quia ad Romanam Curiam recurſum fecit, manente autem eadem cauſa, manet eadem iuris diſpoſitio, quare probabilius dicendum incidere ſi poſt peracta negotia offendat, vt ſupra qui recurſum fecit, aliter non conſuleretur perfectè indemnitati recurrentiũ ſi peracto negotio poſſit abſq; timore huius excommunicationis offendi. Offendens tamen redeuntem à Curia, in qua tractauit negotia certum eſt ſaltem quod incidit in excommunicationem Canonis noni vt ſupra viſum eſt.

Vtrum offendens vt in Canone hoc Iudicem exiſtentem extra Romam, cui commiſſa eſt à Papa cauſa recurrentis ad Curiam incidat in hanc excommunicationem duodecimam.

DIFFIC. V.

Affirmant communiter, quia Iudex Curiæ Romanæ dicitur, dum à Papa conſtituitur Iudex cauſæ delatæ ad Curiam Romanam, vbicumque talis Iudex commoretur extra Romam gaudet priuilegio Iudicis Curiæ; An vero Aduocati, & Procuratores in tali cauſa apud eumdem Iudicem extra Romam à Papa delegatum gaudeant eodem priuilegio iudicis, alij aiunt, alij negant, ſi enim conſiderentur verba Bullæ in hoc Canone, non videntur gaudere, quia expreſsè dicit priuilegiari negotia in eadem Curia proſequentes, ergo extra eamdem Curiam non gaudent, ex alia parte ſi extra Curiam gaudet iudex, quare in eadem cauſa non gaudebunt eius officiales, ſine quibus cauſa commiſſa à Papa non poſſet abſolui, itaque probabilius dicendum incidere offendentem etiam procurantes, agentes, & Aduocantes in eadem commiſſa apud eumdem Iudicem, ſi in odium talis cauſæ commiſſæ offendat eos.

Vtrum lædens vt in Canone hoc recurrentem ad Curiam iniuſtè incidat in hanc excommunicationem vndecimam.

DIFFIC. VI.

Affirmant alij, alij negant, quare vt diſcordes fortè opiniones concordari videantur.

Diſtinguendum puto, nam vel ita notoriè conſtat de iniuſto recurſu, tam in foro fori, tũm in foro poli, vt nulla tergiuerſatione cælari valeat, & vulgari fama ſit propalatum in vtroque foro hunc iniuſtè recurrere, & in hoc caſu, cenſeo offendentem ipſum non incurrere, quia Pontifex non debet præſumi velle ſuo priuilegio in hoc Canone protegere iniuſtos, & pacis perturbatores, ſicut ſunt iniuſtè recurrentes notoriè in vtroque foro, & in hoc ſenſu fortè locuti ſunt *Duard. quæſt. q. Souſa cap. 13. diſput. 69. Reginald. l. 9. numer. 319. & Rebuff. in prax. benef. in expoſit. Bull. articul. 9. V. Re-*

currentes. Quod ſi recurrentem conſtet ſolum parti, vel aliquibus in particulari iniuſtè recurrere, & fama publica nec conſtat de iuſtitia, nec de iniuſtitia, vel ſaltem dubitatur, in hoc caſu cenſeo offendentem hunc recurrentem certè incidere, quia ſaltem in ſoro ſori ſacit contra Bullam, vnde cognoſcentes talem offendentes eſſe contumacē huius Canonis omnes iudicarent, debet enim vnuſquisque etiam in foro ſori ſe obedientem reddere Summo Pontifici, itaque poſſeſſio priuilegij in hoc caſu cum ſtet pro recurrente licèt iniuſtè, omnino dicendum eſt offendentem incurrere, & in hoc ſenſu fortè locuti ſunt *Bonac. punct. 3. Vgol. hic §. 1. & Alter. diſp. 13. c. 3.* maximè cum aduerſarij ſemper putent recurrentem habere iniuſtam cauſam, & recurrentes quantumuis iniuſtè ſemper ſaltem anteponunt aliquod iuſtitiæ pallium, vnde credatur iuſtè recurrere, quare iure Papa indifferēter recurrentes in Bulla abſque alia ſpecificatione de iniuſtitia, vel iuſtitia hoc priuilegio indemnitatis ſatagit communire.

Vtrum recurrentem ad Sedem Apoſtolicam falſis teſtibus accuſans iniuſtè in odium talis recurſus, vnde ex tali accuſatione ſequantur in recurrente mors, vel percuſſio, vel ſpoliatio, incidat in hanc excommunicationem duodecimam.

DIFFIC. VII.

DIcendum quod accuſans iniuſtè in hoc caſu recurrentem ad ſedem Apoſtolicam in odium recurſus indirectè ſaltem eum lædit contra intentionem huius Canonis, duodecimi vnde ſi ex tali accuſatione iniuſta occidatur, percutiatur, vel ſpolietur, accuſans dicetur indirectè occidere, percutere, & ſpoliare, quare in hanc duodecimam excommunicationem in qua ſpecialiter offendentes etiam indirectè puniuntur, incidit. Ita communiter Doctores, eſt enim vera cauſa talis offenſionis. Ex quibus

Collige primo, quod ſuadens recurrentem ad Curiam, vt per aliquam viam incedat, in qua ſunt latrones, qui probabiliter eum ſunt ſpoliaturi, & id ſuaderet in odium recurſus, ſecuto effectu ex tali perſuaſione ſpoliationis, vel percuſſionis, vel occiſionis illatæ à latronibus etiam incideret in hanc duodecimam excommunicationem, ſi verè recurrens ex ipſius conſilio, ſolum talem viam aggreſſus eſt per aliam iam inceſſurus, quia ſuo conſilio indirectè ſaltem eſſet cauſa talis offenſionis contra recurrentem, multo maiori ratione eſſerendum incurrere in hanc excommunicationem, qui equum in quo reſidet recurrens, in odium talis recurſus impelleret in fluuium à quis redundantem, ſi ſequatur ſuffocatio recurrentis. Ita etiam *Duard. & Vgol. & Alter in hoc can. 12.*

Collige ſecundò, quod præfatam doctrinam extendunt etiā ad eum, qui aliquem grauat, talia crimina perpetret contra recurrentem in odium recurſus, ſi ſequatur effectus offenſionis, quia indirectè eſt cauſa talis offenſionis in odium recurſus, immò probabiliter etiam eſſerendunt, quod ſi quis talia mala, & ita grauia de Recurrente narret, vel ita detrahit recurrenti coram aliquo in ſui dedecus, vt ille audiens iſta, moueatur ad occidendum, percutiendum, vel ſpoliandum recurrentem, incidat in hanc duodecimam excommunicationem, quia ſaltem indirectè eſt cauſa talis offenſionis in recurrentem. Ita etiam *Bonac. & Reginal. loc. cit.*

Vtrum ratam habens interfectionem, ſpoliationem, vel percuſſionem reccurrentis ad Curiam incidat in hanc duodecimam excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

AFfirmat *Alter. diſp. 31. c. 2.* quia ſaltem indirectè dicitur eſſe cauſa talis offenſionis, vel ſaltem quia ratihabitio æquiparatur mandato, ergo cum excommunicetur mandans, excommunicatur etiam ratum habens, verum parum probabiliter, cum hic Pontifex intendat punire impedientes aliquo ex modis poſitis in hoc Canone recurrentem, at vero ratum habens nullo modo influit in tale impedimentum. Quare negant probabilius *Duard. can. 11. qu. 9. Vgol. hic §. 1. & Bonac. loc. cit.* quia in pœnalibus non eſt facienda extenſio, cum ergo non exprimatur ratum habens non includitur, ratihabitio enim ſolum fictione iuris æquiparatur mandato, & in pœnalibus actiones phyſicas prohibitas ſub pœna non debemus extendere ad actiones ſolum præſumptas.

Vtrum occidens, percutiens, & ſpolians filios, frates, vel conſanguineos recurrentis ad Curiam in odium recurſus, incidat in hanc duodecimam excommunicationem.

DIFFIC. IX.

VIdentur negare *Bonacina, & Filiuc. locis citatis*, quia nō exprimitur in Canone hic caſus, ergo non eſt facienda extenſio, at vero diſtinguendum puto, nam vel iſta ſpoliatio, & occiſio ſunt cauſa ne recurrens poſſit recurrere, & de facto non recurrat, & in hoc caſu poſſet ſaltem probabiliter dubitari, quod incurrat, quia indirectè ſpoliat etiam recurrentem aliquo bono, dum ſpoliat filios, fratres & conſanguineos, vel eos occidit, quod ſi tales offenſores non impediant actu recurrentem comprehendi in hoc Canone non debent, &c.

EXCOMMVNICATIO XIII.

Contra
- *Recurrentes ad laicam poteſtatem ſub prætextu friuolæ appellationis à grauamine, vel futura executione litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel eius Iudicum.*
- *Facientes præfatam appellationem admitti à laica poteſtate, etiam inſtante fiſci Procuratore, vel Aduocato.*
- *Facientes capi litteras Apoſtolicas, citationes, inhibitiones, & alia decreta à laica poteſtate.*
- *Facientes talia Præfata ab eadem poteſtate detineri.*
- *Impedientes, vel prohibentes prædictarum litterarum executionem.*
- *Impedientes inſtrumenta, vel acta confici ſuper executione dictarum litterarum.*
- *Impedientes illa tradi parti cuius intereſt, vel alios recurrentes ad laicam poteſtatem.* — *Per ſe, vel per alios occultè, vel publicè.*

Item

Item

Contra {
Capientes,
Percutientes,
Vulnerantes,
Carcerantes,
Retinentes,
Eijcientes à Ciuitatibus, Regnis, & locis
Spoliantes bonis,
Perterrefacientes,
Concutientes,
Comminantes,
Præſumentes prohibere,
Præſumentes ſtatuere,
Præſumentes mandare,
Præſumentes retinere litteras Apoſtolicas, apud ſe, vel Notarium, vel alias quomodolibet directè, vel indirectè.
}

{
Partes atrices
Agentes partium
Conſanguineos,
Affines,
Familiares,
Notarios,
Executores,
Subſecutores dictarum litterarum.
} *per ſe, vel per alios occultè, vel publicè.*

Nequis ad Curiam accedat, vel recurrat.
Vel ne litteras impetret.
Vel impetratis ne vtatur.

In quo Canone ſinguli Sęculares, vel Eccleſiaſtici cuiuſcumque dignitatis, & pręeminentię contrafacientes excommunicantur.

Priuilegiantur etiam hic non ſolum Bullæ, & Breuia, & Litterę Apoſtolicæ, ſed etiam litteræ Sacræ Pœnitentiarię; Item quaecumque citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, proceſſus, & alia quęlibet decreta Summi Pontificis, Legatorum, Nuntiorum, Pręſidentium, Auditorum Camerę Apoſtolicę, Commiſſariorum, Iudicum, & Delegatorum Apoſtolicorum.

Vtrum bona fide putans ſcilicet ſe non habere friuolam recurrendi cauſam de facto à grauamine Sedis Apoſtolicæ, vel eius officialium appellet ad laicam poteſtatem incurrat in hanc decimam tertiam excommunicationem.

DIFFIC. I.

NOn defuerunt, qui in hoc caſu excuſauerunt talem recurrentem putantem ſe habere iuſtam cauſam, & non friuolam appellãdi, à grauamine ſibi illato à Sede Apoſtolica, eiuſque Officialibus ad laicam poteſtatem, modo aliter à grauamine ſe nequeat defendere, cum difenſio ſit de lege naturæ, quæ pręualet iuri poſitiuo. Ita Ceuallos tract. de cognit. per viam violen. & Anton. de Souſa hic, ſed omnino improbabiliter. Quare

Communius Canoniſtæ, & Theologi contrarium docent, & iure optimo, quia ſemper eſt friuola appellatio à Iudice Eccleſiaſtico ad Iudicem ſæcularem; imò talis appellatio multò magis eſt contra legem naturæ quam defenſio ſui ipſius, vt infra probabitur.

Quod autem ſit ſemper friuola appellatio à Iudice Eccleſiaſtico ad laicam poteſtatem patet ex ratione ipſa friuolæ appellationis, appellatio .n. friuola eſt, vt notat noſter Miranda *de ord. Iudic. q. 30. art. 12. concl. 3.* eſt illa, quæ vana eſt, & nulla, & colligitur ex c. cũ appellationibus friuolis de Appella. in 6. Appellatio autem à Iudice Eccleſiaſtico ad Iudicem ſæcularem, etiamſi appellãs ſciat ſe grauanim à Iudice Eccleſiaſtico nulla eſt, quia appellatio debet eſſe ab inferiori Iudice, ad Iudicẽ Superiorẽ, vt patet ex c. omnis oppreſſus *c. ſi quis, & c. placuit 29. 6.* aliter nulla, inualida, & friuola conſequitur dicenda; at verò nullus Iudex ſæcularis poteſt eſſe ſuperior Iudici Eccleſiaſtico, vt patet in praxi apud Catholicos, & patebit infra V. Immunitas, ergo quæcumq; appellatio facta à Iudice Eccleſiaſtico ad laicam poteſtatem friuola eſt, & nulla.

Ceterum quod non ſit friuola, & nulla talis appellatio, imò licita ratione deſũpta à defẽſione, quę licita eſt de lege naturę, quæ præualet contra legem poſitiuam, vnde deducunt aduerſarij, quando alio modo quis non poteſt ſe eximere à grauamine illato à Iudice Eccleſiaſtico, volunt ratione defenſionis licitum eſſe recurrere ad Iudicem laicum, errant Aduerſarij hęc ratiocinantes, & veritatis ſcopum non feriunt, etenim talis appellatio à Iudice Eccleſiaſtico ad Iudicem laicum non ſolum à iure poſitiuo, ſed etiam à iure naturæ prohibetur.

Quandoquidem lex naturæ docet bonũ publicum anteponendum eſſe bono priuato, & potius perdendum bonum priuatum, quam bonum commune, vnde volunt communiter, quod aggreſſus priuatus homo ab aliquo Principe, qui bono publico, & Reipublicæ eſt omnino neceſſarius, ex cuius morte notabile damnum incurreret Communitas, non poteſt vti iure naturalis defenſionis contra talem aggreſſorem, ſed debet ſe potius permittere occidendum, quam interficere perſonam illam neceſſariam ad tuendum bonum commune, quia bonum commune præponderat bono priuato, & potius perdendum bonum priuatum, quam commune, quando commune periclitatur, ſi ſeruetur bonum particulare, at verò per recurſum à Iudice Eccleſiaſtico ad ſæcularem fit contra bonum commune libertatis Eccleſiaſticę, quæ per talem recurſum tollitur, vel notabiliter læditur, ergo potius quis debet ſuſtinere grauamen, quod eſt damnum particulare, quam offendere bonum commune quod eſt libertas, & Immunitas Eccleſiaſtica.

Adde quod contra hoc commune bonum libertatis Eccleſiaſticæ recurrendi ſcilicet ad Iudicem Sæcularẽ à Iudice Eccleſiaſtico conſuetudo etiam immemorabilis tanquam iniqua, & nunquam à Papa tolerata, cum quotannis in hac Bulla reprobetur, & reuocetur, omnino nulla eſt dicenda. Ita communiter Doctores, *Miranda noſter ex parte loc. cit. Sayr. c. 17. Filiucc. tract. 15. c. 8. q. 5. Duard. hic q. 2. Alter. hic diſp. 14. Bonac. hic quæſt. 14. punc. 1. & de legibus diſput. 10. quæſt. 2. punct. 1. §. 1.*

Vide etiam infra in Canone 14. vbi dabitur modus ſe ſe eximendi à grauamine illato à Iudice Eccleſiaſtico abſque iuridica appellatione ad Iudicem laicum, quæ omnino tanquam friuola hic prohibetur. vide etiam in ſequenti difficultate.

Vtrum contra Iudicem Eccleſiaſticum iniuſtè irreparabiliter opprimentem poſſit quis ad ſe tuendum implorare auxilium alicuius laici, vt priuata perſona eſt abſque timore incurrendi hanc decimam tertiam Excommunicationem.

DIFFIC. II.

AFfirmant communiter licere abſque timore incurrendi hanc excommunicationem modo recurſus non fiat per modum iuridicæ, & authoritatiuæ appellationis ad Iudicẽ laicum tanquam habentem authoritatem accipiendi tales appellationes iuridicè factas à Iudice Eccleſiaſtico ad ſuum Tribunal laicum, in hoc enim Canone ſolum ſatagitur prohibere appellationes iuridicè, & authoritatiuè ab

Eccleſiaſtico ad ſæcularē Iudicem, tanquam immediatè contrarium libertati, & Immunitati Eccleſiaſticæ, quare ſi fiat recurſus non per modum iuridicæ appellationis, ſed ſolum implorandi auxilium, tanquam à perſona priuata, vt in tali grauamine apertè iniuſto impediat ſibi irreparabiliter imminente, nulla fit iniuria libertati Eccleſiaſticæ, ſed ſolum omni meliori modo ſe ab iniuſto grauamine defendere licet, defenſio autē quādo eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ ſemper licet, at vero in præſenti caſu cum recurratur ad auxilium priuatæ perſonæ ſæcularis, etiamſi ſit Iudex, vel princeps, modo proteſtetur ſe ſolum implorare auxilium tāquam à priuata perſona in ſibi imminenti damno, non autem per viam iuriſdictionis, ſeruat moderamen inculpatæ tutelæ, quia proteſtatus ſe non recurrere propter tale grauamen per modum iuridicæ appellationis, ſed ſolum per modum auxilij ſibi neceſſarij tāquam à priuata perſona iure naturali, nō ciuili nullam iniuriam facit libertati Eccleſiaſticæ, immò videtur eam defendere, dum ex tali proteſtatione eam immunem declarat à tribunali laico; itaque quādo grauatus à iudice Eccleſiaſtico, nec poteſt habere recurſum ad aliud tribunal Eccleſiaſticum, vt ſeruetur indemnis ab imminenti irreparabili dāno notabili inferēdo à tali iudice Eccleſiaſtico, poteſt hic grauatus licitè abſque timore excōmunicationis implorare auxilium præciſa omni ratione iuridicæ appellationis, ſed ſolum iure naturali à quocumq; laico, tanquam à perſona priuata, ad quam ex charitate ſpectat liberare proximū ſuum ab imminenti damno. Ita etiam ſentiunt noſter *Rodr. in 1. parte ſum. c. 156. n. 8. Filiuc. c. 8. q. 5. Souſa diſp. 14. Sayr. l. 3. cap. 18. Duard. hic quæſt. 3.*

Immò addunt licitum eſſe quandoquis eſt enormiter lædēdus ab executione litterarum Apoſtolicarum, & non habet iudicem Eccleſiaſticum, qui poſſit, & velit huic incommodo occurrere, recurrere ad iudicem ſæcularem ad impediendum tātum damnum ſibi imminens cum proteſtatione donec Sūmo Pontifici res deferatur, nam in hoc caſu nihil fit authoritatiuè contra iuriſdictionem Summi Pontificis, & libertatis Eccleſiaſticæ, dum ſolummodo prætenditur impedire damnum quod conſtat iniuſtè inferendum, donec à Summo Pontifice recognoſcatur grauamen; ita *Sayr. Souſa, Cenallos*, & alij apud *Salas diſp. 14. ſect. 12.* verum tu hoc puta probabile, quando notoriè conſtat de iniuſtitia, & grauamine, alias nullo modo liceret, quia aperiretur via ad paſſim impediendas executiones iudicum Eccleſiaſticorum.

Quod ſi dicas in hoc Canone omnes genus recurſus ad laicam poteſtatem prohiberi per illam particulam (alias recurrentes) ergo nullo modo licet, & in nullo caſu interponere laicos contra executionem iudicum Eccleſiaſticorum.

Reſpondeo, quod per illam particulam (alias recurrere) intelligi debet prohiberi quicumque recurſus, qui ſapiat authoritatem, & iuriſdictionem laicam contra Eccleſiaſticos, non autem recurſus per modum ſimplicis defenſionis abſque præiudicio immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, quare ſi per ſuplicationem quis recurrat ad Principem, vt ſua authoritate ſe defendat contra iudicem Eccleſiaſticum, etiam incurrit, quia ad authoritatem Principis ſæcularis confugit, item ſi quis viua voce, ſiue litteris hortatorijs authoritatiuè, & ſub nomine officij faciat, vt iudices Eccleſiaſtici retardent ſuam executionem, etiam incurrit hanc excommunicationem, quia per illam particulam (alias recurrere) hæc omnia, & ſimilia, quæ ſapiunt authoritatem, & iuriſdictionem laicorum contra Eccleſiaſticam libertatem hic prohibentur, non autem quæ ſub nomine amicitiæ, vel iuſtæ defenſionis naturalis ſolum iure naturali præciſo omni iuridico, & authoritatiuo recurſu obtinentur à laico tanquam priuata perſona contra executionem litterarum Apoſtolicarum, vel iudicum Eccleſiaſticorum. Ita etiam Doctores præcitati.

Vtrum appellans à ſententia Collegij Cardinalium, vel Sacræ eorundem Congregationis, vel Epiſcoporum incurrat in hanc decimam tertiam excommunicationem.

DIFFIC. III.

Dicendum primò, quod licet *Alter. hic c. 1. & Vgol. c. 1. & Duard. q. 9.* affirment probabiliter appellantes à ſententia Collegij, vel ſacræ Congregationis Cardinalium incidere in hanc excommunicationem, quia licet non ſint expreſſi in canone, tamen cum ſint præſtantioris dignitatis, quam alij Officiales Curiæ Apoſtolicæ, non eſt preſumendum Papam noluiſſe eos tanto priuilegio priuare, attamen in rigore Bullæ ſtādo videntur probabilius alij aſſerere Collegium Cardinalium, vt Collegium, & Cardinalium, quia nec etiam mortuo Papa, dicitur Sedes Apoſtolica, quæ licet non poſſit mori *ex c. gratioſè de Reſcrip.* dicitur tamen vacare, non gaudere hoc priuilegio, quia ſolum à litteris, ex ſententijs datis à Sede Apoſtolica, eiuſque officialibus appellantes hic excommunicantur, cum autem ſimus in pœnalibus, non debet fieri extenſio ad caſus ex ſola præſumptione, vel congruitate pendentes, ſi enim Papa voluiſſet in hoc canone comprehendere, expreſſiſſet, verum eſt tamen, quod quando Collegium Cardinalium de mandato Papæ, & Sedis Apoſtolicæ delegatione aliquid decernit, gaudet priuilegio huius canonis, quia tunc Cardinales ſunt iudices delegati Sedis Apoſtolicæ, ſimiliter dicendum de litteris Sacr. Congregationis, quæ ſi ſint expeditæ nomine Pontificis, poſſunt dici etiam litteræ Apoſtolicæ, & appellans ab ipſis ad laicam poteſtatem hic excommunicatur, quod ſi litteræ ſunt ſimpliciter Collegij Cardinalium, vel Sacr. Congregationis, nec firmatæ nomine Papæ, ſed ſolum nomine proprio Cardinalium, ab illis appellans ad laicam, non videtur incurrere in hanc excommunicationem, quia vt ſic Cardinales non ſunt Sedes Apoſtolica, nec eius iudices. Vide *Bonac. loc. cit.* Ex quibus

Dico ſecundò, appellantes à ſententijs Epiſcoporum, & Vicariorum generalium eorundem ad laicam poteſtatem certum eſt apud omnes ferè non incurrere in hanc decimam tertiam excommunicationem, quia nomine Epiſcoporum non venit Sedes Apoſtolica, eiuſque officiales Curiæ, in hoc autem canone ſolum excommunicantur appellantes à ſententijs, & litteris Papæ, & Sedis Apoſtolicæ, eiuſque officialium, & iudicū tam ordinariorum, quam delegatorum, vt ſunt Cardinalis Camerarius, & vice Cancellarius Clerici cameræ, & eiuſdem Auditores, Commiſſarij, Iudiceſq; delegati, & alij Officiales eorundem, vt patet ex verbis Bullæ, inter quos nec Epiſcopi, nec alij Ordinarij comprehenduntur.

Vtrum appellans ab Eccleſiaſtico ad laicum Iudicem pro grauamine in re temporali, vel ad Iudicem laicum à Papa conſtitutum in ſuis terris, vel ad Prælatum Eccleſiaſticum habentem ſolam iuriſdictionem temporalem incidat in hanc decimam tertiam excommunicationem.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod cum Papa, in hoc canone indirectè loquatur de appellante ad laicam poteſtatem à litteris, & ſententijs Sedis Apoſtolicæ, & ſuorum officialium non ſpecificando de grauamine prætenſo ſuper res ſpirituales, an vero ſuper res temporales, etiam indiſtinctè pro vtroque grauamine recurrentes excommunicari aſſerunt communius Doctores citati, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Dico ſecundò, quod nec excuſantur ab hac excommunicatione illi, qui a prædictis litteris Sedis Apoſtolicæ, decretiſque ſuorum Officialium recurrunt, & appellant ad iudices laicos ab ipſo etiam Papa conſtitutos cum iuriſdictione laica ſuper Terras ſibi pleno iure ſubiectas, vel ad Prælatum Eccleſiaſticum ſolam iuriſdictionem temporalem habentem, quia iſti ſolum habent poteſtatem laicam, ad quam indiſtinctè prohibet Pontifex fieri poſſe appellationem à ſuis litteris, & ſuorum officialium ſententijs, limita niſi habeant iuriſdictionem mixtam Spiritualem ſcilicet, & temporalem. Ita Doctores citati, vide Bonacin.

Vtrum

Vtrum appellans contra formam huius Canonis, ſi iudex laicus non admittat appellationem, incurrat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

Affirmatiuè reſpondendum videtur; quia appellatio ſimpliciter à iudice Eccleſiaſtico ad iudicem laicum, abſq; reſpectu ad laicum acceptantem prohibetur, & punitur in hoc canone, actio enim appellantis in hoc caſu eſt immediatè contra immunitatem Eccleſiaſticam, & ideo tanquam iniqua, & temeraria contra Pontificis intentionem iuſtè excommunicatione innodatur in hoc canone, vt cohibeatur facilis, & effrenis licentia multorum contra libertatem Eccleſiaſticam, quod autem iudex laicus non acceptet, hoc eſt per accidens reſpectu temeritatis appellantis, quia iam ſua appellatione verè offendit iudicem Eccleſiaſticum. Vide *Bonac. & Filiuc. loc. cit.*

Vtrum impediens priuata authoritate, vel iuſtam cauſam putans ſe habere executionem litterarum Apoſtolicarum, vel eis non parens, nec obediens incurrat hanc decimam tertiam excommunicationem.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod licet probabiliter affirment aliqui impedientem priuata authoritate hanc executionem litterarum Apoſtolicarum incidere in hanc excommunicationem, ex eo quia Papa indiſtinctè loquitur non ſpecificans priuata ne, an publica authoritate impediantur, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ita *Nauar. c. 27. nu. 68. Viuald. hic n. 95. Vgol. hic, Souſa diſp. 72. & Alter. & Duard. loc. cit.* attamen probabiliter etiam poteſt negari, ſicut enim dictum eſt quod recurrens ad laicum tanquam priuatam perſonam, vt ſe defendat à grauamine illato à iudice Eccleſiaſtico non incurrit, ita nec impediens tanquam priuata perſona, quia Papa videtur hic authoritatiuè, & iuriſdictionaliter procedentes contra litteras Sedis Apoſtolicæ procedere. Ita *Sayr. l. 3. c. 17 Graff. l. 4. Filiuc. tract. 16. c. 8. qu. 7. & Bonac.* putat non eſſe improbabilem hanc opinionem.

Ceterum in rigore iuris videtur tutior prima opinio, cum indiſtinctè contra omne genus perſonæ impedientis loquatur, quod patere poteſt ex eo, quod etiam occultè impedientes excommunicat, quod probabilius poteſt intelligi de perſonis priuatis, qui potius occultè, quam publicè talia audere ſolent. Secunda tamen mitior eſt, nec tamen improbabilis.

Dico ſecundò, quod impedientes bona fide, putantes ſcilicet ſe habere iuſtam cauſam impediendi litteras Apoſtolicas, ſuorumque Officialium, non incurrunt hanc excommunicationem, quia bona fides ſicut excuſat à peccato mortali, ita etiam ab excommunicatione, quæ non incurritur, quando non adeſt peccatum mortale. Ita *Duard. & Bonac. loc. cit.* Verum attendat impediens ex bona fide, quod debet fundari eius bona fides in ratione admodum probabiliter iuſta, & debet prius viros doctos, & timentes Deum, vtrum habeat iuſtam cauſam impediendi conſulere.

Dico tertiò, quod ſimpliciter non obedientes, nec parentes litteris Apoſtolicis ſuorumque Officialium ſententijs non excommunicantur in hoc canone, quia non exprimuntur. Ita *Nauar. conſ. 36. de ſen. excom. Alter. diſp. 14. cap. 2. Duard. hic quæſt.* 9.

Amplia etiamſi nolint obedire, quia pro earum executione non ſit obtentus aſſenſus regius, vel Curiæ ſæcularis, quia hoc non eſt propriè impedire executionem, ſed pallium, vel prætextus non obediendi. Ita *Reginal. l. 9 c. 21. n. 329. & Bonac. loc. cit. punct.* 2.

Vtrum offendens contra tenorem huius Canonis priuilegiatorum conſanguineos, & affines cognatione legali, ſpirituali, vel ratione impedimenti publicæ honeſtatis, vel copula illicita, eorumque Colonos incidat in hanc decimam tertiam excommunicationem.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quod nõ incidit offendens cõtra tenorẽ huius Canonis cognatos, & affines cognatione ſpirituali, vel legali, vel ratione impedimenti publicæ honeſtatis, quia cũ ſimus in pænalibus non eſt facienda extenſio vltra proprietatẽ verborum, at vero tali cognationis genere coniuncti non vocantur propriè ſecundum ordinarium modum loquendi Affines, & conſanguinei. Ita communiter Doctores.

Dico ſecundò, quod offendens contra tenorem huius canonis ex copula illicita affines priuilegiatorum in ipſo canone in hanc excommunicationem probabiliter iuxta mentem *Bonac.* incidit, quia verè dicuntur affines, vel conſanguinei vſque ad ſecundum gradum, nec tamen improbabilem puto *Duard. Sententiam oppoſitam qu. 7. nu. 7.* quia in odium criminis non videntur gaudere priuilegio, Eccleſia enim iniquitatem non protegit.

Dico tertiò, quod licet *Bonac.* velit colonos non comprehendi ſub hoc priuilegio, quia non ſunt verè familiares dicendi priuilegiatorum in hoc Canone, quia verè non degunt ſub eadem domo, nec victum à domus capite, nec veſtitum accipiunt, & ſecundum loquendi familiarem modum nõ vocantur familiares, attamen probabiliter etiam dici poteſt comprehendi colonos priuilegiatorum in hoc canone offendẽres, quia licet actualiter non degant ſub eadem domo, habitualiter tamen viuunt ſub eadem domo, quia dum eorum agros, & poſſeſſiones, & vineas colunt à ſuis dominis victũ, & veſtitum quęritant pro ſuis laboribus, & finis huius Canonis potius videtur hoſce comprehendere, nam priuilegiati in ipſo Canone magis vexantur, & offenduntur, & impediuntur ex Colonorum ſuorum vexatione, quam aliorum familiarium.

Vtrum ratihabitio, & conſilium contra tenorem huius Canonis excommunicatione hac decima tertia feriantur.

DIFFIC. VIII.

Affirmant *Nauar. conſ. 17. loc. cit. Coriolan. hic verſu, Quæ excommunicatio, & Alter. loc. cit.* quia ratihabitio mandato comparatur, verũ probabilius alij negant quia ſola fictione iuris æquiparatur mandato, at verò in hoc Canone, cũ actio phyſica mandati prohibeatur, non debet fieri extenſio ad ratihabitionem, dum non exprimitur. Ita *Bonac. & Duard.* vide quæ dicta ſunt in Can. ſuperiori de hac materia ratihabitionis.

Conſimiliter negandum videtur conſulentes incidere, dum non exprimuntur, quia quando in hac Bulla vult eos excommunicatione ligare, ſolet ſpecialiter nominare, vt videre eſt in praxi. Ita etiam *Viuald. Souſa, & Bonac.*

Vtrum impedientes executionem litterarum Apoſtolicarum iuris patronatus laicorum derogantium vel penſionem ſoluendam Clerico vnius Nationis præcipientium dari Clerico alterius Nationis incurrat hanc excommunicationem decimam tertiam.

DIFFIC. IX.

Negare videntur *Couar. pract. qq. c. 36.* & alij apud *Anton. Souſ. diſp. 75.* modo adſit conſuetudo immemorabilis id ſibi concedens, vel priuilegium Apoſtolicum.

Attamen communius affirmant incidere impedientes in talibus caſibus putantes non excuſari à qualibet conſuetudine etiam immemorabili, cum hæc à Papa quotannis in hac Bulla reprobetur, priuilegium autem ſi verum ſit, & legitimũ, nec reuocatum excuſat quidem, ſed prætendenti priuilegium incumbit onus probandi, nec præſumitur adeſſe, niſi fortè probetur per famam *ex c. contra morem diſt.* 100. &c. porro, & *c. paſtoralis de priui.* quilibet enim præſumi debet ſubiectus iuri communi, niſi probet ſe particulari priuilegio exemptum, vide *Martham de iuriſ. p. 2. c. 5. Marcad. de probat.* & alios. Hanc etiam opinionem ſecuntur *Filiuc. tract. 16. c. 8. qu. 6. Duard. hic can. 9. qu. 5. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum Magiſtratus vel alius Officialis laicus prohibens executionem litterarum Apoſtolicarum, antequam accedat conſenſus, vel examen de validitate à ſuo Principe incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. X.

Affirmant cõmuniter, quia ad Principem ſæcularẽ ſecluſo priuilegio Apoſtolico ad hoc ſpecialiter ei dato, nullo modo ſpectat præſtare conſenſũ litteris Apoſtolicis, nec earũ validita-

liditatẽ examinare, Papa .n. eſt immediatus, & abſolutus Dominus omnium Imperatorum, Regum, & Principum in rebus ſpiritualibus, ergo eius litterarum executio à nullius iſtorum conſenſu depender, nec vllus valet recognoſcere earum validitatem, aliter Papæ iuriſdictio dependeret a iuriſdictione Dominorum Temporalium quod falſiſſimum eſt, itaque impeditus quoquomodo ſub prætextu talis conſenſus, vel validitatis declarandæ à ſuo Principe, incurrit in hanc Excommunicationem; quia ſemper, niſi habeat priuilegium Apoſtolicum non reprobatum, præſumi debet habere iniuſtam, & iniquam cauſam eas impediendi. Vide *Alter. diſp. 14. c. 2. Reginald. Bonac. & Duard. loc. cit.*

Adde, quod quando dubitatur de validitate, vel ſubreptione, licet Couarr. & Ceuallos opinentur, & quidem omnino improbabiliter poſſe recognoſci à Iudice Laico litteras Apoſtolicas, ne ſubditi Laici iniuſtè vexentur a falſitate, & ſubreptione talium litterarum, tamen communius Doctores volunt Iudices Laicos iudicantes tales litteras falſas vel ſubreptitias excommunicari in hoc Canone, quia non eſt Iudex competens talis examinis, ſed omnino ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum apud quem debet opponi de earum inualiditate, vel ſubreptione. Ita Doctores citati.

Verum eſt tamen, quod ſi non pateat aditus ita facilis ad Iudicem Eccleſiaſticum, & periculum ſit in mora, & dubitatur de ſubreptione, & falſitate litterarum Apoſtolicarum, poterit Magiſtratus, vel Iudex ſæcularis cum omni humilitate, & obedientiæ affectu erga Sedem Apoſtolicam eas impedire ad finem, vt fiat certior Summus Pontifex, & non aliter, nec alio modo, quia ita innocens defenditur, & Sedi Apoſtolicæ cum tali prætextu non contradicitur, immo debitæ obedientiæ præſtatur reuerẽtia, quod etiam videtur colligi poſſe fieri ex c. ſi quando de Reſcr. vbi decernitur, quod reſcripto parandum eſt, vel cauſa rationabilis aſſignanda cur non pareatur. Ita etiam *Symanchas de Cathol. inſtit. 25. de pœnis, Victoria de Authorit. Pontif. propoſ. 22. Coriolan. Bonacina, Reginaldo loc. cit. Sayr. l. 3. c. 17. Souſa, diſp. 76.* & alij, vide etiam Tolet. excomm. nona huius Bullę.

Vtrum Princeps, vel Magiſtratus Laicus exigens à Nuntijs, & Legatis Apoſtolicis ſuæ Legationis, & Nunciaturæ litteras Patentales incidat in hanc Excommunicationem decimam tertiam.

DIFFIC. XI.

Dico primò, quod ſi authoritatiuè exigatur videre litteras Apoſtolicas etiam patentales, vt authoritatiuè indicet, an ſint veræ vel falſæ, ſanè in hanc excommunicationem incurrit exigens Princeps, vel Magiſtratus, & ita dicendum de quibuslibet alijs litteris Apoſtolicis, ſuper quas cum nullam habeat iuriſdictionem, ita etiam eas authoritatiuè recognoſcere illi prohibetur, quod ſi ſolum vt ſimpliciter veritatem cognoſcat, an ſit legitimus Legatus, & Nuncius præciſa omni ſuſpicione iuriſdictionis exercendæ in earum cognitione, ſicut etiam in quibuslibet alijs litteris Apoſtolicis, non incurrit eas cognoſcere an ſint veræ ex poſtulans, quia nulla irrogatur iniuria libertati Eccleſiaſticæ, ſi ſolum veritas earum recognoſcatur, vt dulcius, & ardentius cognita veritate eis pareatur præciſa omni ſuſpicione, & affectu eas authoritatiuè recognoſcendi; Immò Nuncius, & Legatus debet ſponte ſuas litteras patentales exhibere Principi, & Magiſtratui, vt recognoſcatur à Populo ſe legitimum eſſe Nuncium, vel Legatum miſſum à Sede Apoſtolica, non enim tenetur Princeps, & populus eorum verbis credere, cum poſſibile foret, vt quis ſine litteris, vel etiam falſis tale munus vſurpare vellet, maximè in partibus longioribus à Sede Apoſtolica. *Ita Alter. l. 5. diſp. 12. c. 3. Gambarum l. 1. de off. leg. c. 3. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod Cardinalis legatus non tenetur monſtrare litteras patentales ſuæ Legationis ob reuerentiam enim ſuæ eminentis dignitatis ſolent Pontifices viuæ vocis oraculo poteſtatem neceſſariam legationis impartiri, quod non faciunt cum alijs inferioribus Prælatis, vnde Princeps, & Magiſtratus Cardinali ſe dicente Legatum, debet ſtatim obedire, & reuerentiam exhibere, & hanc tradunt eſſe differentiam inter Legatum Cardinalem, & Legatum non Cardinalem citati Doctores vide *Gambarum loc. cit.*

Vtrum Princeps requiſitus vt ſuum conſenſum præſtet litteris Apoſtolicis ad finem, vt populus libentius pareat, incurrat in hanc excommunicationem, ſi ſubſcribat eis, placet, exequantur, vel alio modo.

DIFFIC. XII.

NEgant communiter Principem in hoc caſu incidere, modo authoritatiuè ſuum præſtare conſenſum litteris Apoſtolicis, & modo ſuum per placet, vel exequantur, vel alio modo ſubſcribens conſenſum authoritatiuè id facere non intendat, quia nulla per hoc irrogatur iniuria libertati Eccleſiaſticæ, immò ſi fiat, vt ſupponitur ad finem, vt Populus libentius vel etiam alia priuata perſona mandatis pareat Apoſtolicis, maximè roborantur ex tali conſenſu litteræ Papales; immo ampliant hanc doctrinam Reginald. & Bonac. locis citatis, nec incurrere Principem, ſi ob hunc ſuum ſimplicem conſenſum requirat ſibi aliquam pecuniæ ſummam ſoluendam, modo non ſit exorbitans, vnde ſuſpicio naſcatur propter hoc velle verè impedire executionem earum.

Vtrum Prælatus Eccleſiaſticus, ad quem dirigi ſolet executio litterarum Apoſtolicarum, ſi executioni eas non tradat, vel quoquomodo impediat ligetur hac decimatertia Excommunicatione.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, quod executioni non tradens, vel non patens non excommunicatur in hoc Canone, ſed ſolum prohibentes, & impedientes litteras Apoſtolicas, differentia enim eſt inter nolle exequi, & impedire, & prohibere, nam non exequi dicit actum ſolum negatiuum circa poteſtatem ſibi traditam exequendi, & dicitur ſolum peccare, quia facit aliquod præter voluntatem Papæ, at vero prohibere, & impedire dicit aliquem actum contra voluntatem Papæ, hic ergo cum ſit nimis temerarius actus punitur excommunicatione in hoc Canone, non autem ille, cum non ſit adeo præiudicialis libertati Eccleſiaſticæ, vnde non ſolum Prælati ad quos dirigi debet executio litterarum Apoſtolicarum, ſed nec Iudices inferiores, Capitanij, Baiuli, Satellites, & alij executores, ſi rogati ne exequantur litteras, & illi ſponte, vt eis ſatisfaciant, amicabiliter non exequantur, non incurrunt, quia in hoc Canone non excommunicantur non exequentes, ſecus ſi minis, vel alio modo impediantur quia tunc impedientes executionem, in excommunicationem incurrerent. Vide *Duard. Reginald. Alter. et Bonacina.*

Dico ſecundò, quod ſi Epiſcopus v.g. nolit executioni mãdare impetratas litteras Apoſtolicas, vt impetrans eis vti nequeat, & gratia Apoſtolica fruſtretur, ſi nullam habeat iuſtam cauſam talis retardationis incidit in hanc excommunicationem, quia non ſolum non exequitur, ſed verè poſitiuè impedit ne quis gratia, vel iuſtitia fruatur Apoſtolica, quod ſi habeat iuſtam cauſam, quia falſitatis, & ſubreptionis ſigna apparent; vnde Papa ſit iure admonendus, tunc excuſatur ab hac cenſura, adde quod ſi ſub hoc colore recognoſcendi an veræ ſint, intendat impedire earum executionem, etiam incidit in excommunicationem, ſi verè cognoſcat eas eſſe legitimas, ſecus ſi dubitet, & velit de veritate perquirere. Ita *Alter. Duard. Bonacina punct. 3.* & alij communiter.

Dico tertiò, quod ſi litteræ Apoſtolicæ ſint expeditæ, quod exequantur, etiam contra voluntatem Epiſcopi, non poteſt amplius circa earum falſitatem, & ſubreptionem cognoſcendam ſe ſe intromittere, quod ſi ſecus faceret, incideret in hanc excommunicationem, quæ indiſtinctè, & generaliter contra quoſcumque impedientes litteras Apoſtolicas tam Laicos, quam Eccleſiaſticos fulminatur, vt ſupra etiam tactum eſt.

(·.·)

Vtrum

Vtrum de facto impediens, & prohibens ratione peſtis litteras, vel perſonas priuilegiatas in hoc Canone, vel de facto quoquomodo prohibens, vel impediens, ſi tamen non ſequatur effectus impedimenti, vel prohibitionis incurrat in hanc decimam tertiam excommunicationem.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, quod ratione peſtis, vel alia cauſa iuſta impediens, & prohibens non incurrat, quia iniuſtè impediens & prohibens hic ſolum excommunicatur, ſecus ſi dolo, & quæſito colore curetur impedimentum cõtra tenorem Bullæ, quia in hoc canone omnes directè, vel indirectè, publicè, vel occultè impedientes contra dictum tenorem excommunicantur. Ita *Alter. Vgol. Duard. & Bonac. loc. cit.* quare idem dicẽdum videtur de intercipiente litteras, per quas recurrit ad Sedem Apoſtolicam, ad finem impediendi negotium tractãdum apud dictam Sedem, modo reuera talis interceptio ſit cauſa remouendi recurrentem abincepto, vel ſit cauſa, vt perſonaliter cogatur accedere, ne patiatur damnũ ex interceptione litterarũ, vel ſaltem cogatur per nuntium tractare. Ita *Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod actu prohibens, vel impediens executionem litterarum Apoſtolicarum de facto incidit in hanc excõmunicationem licèt non obſtante tali impedimento, & prohibitionem ſuum deinde fuerint ſortitæ effectum, quia prohibitionis, & impediendi actus abſolutè, præciſu omni reſpectu ad effectum ſecutum, vel non ſecutum tanquam, ex ſe temeratius, & iniquus contra libertatem Eccleſiaſticam punitur in hoc, Canone. Ita communius Doctores præcitati.

EXCOMMVNICATIO XIV.

Principaliter Contra

- *Omnes cuiuſcumque gradus, & dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis etiam Imperialis, & Regia authoritate propria per ſe, vel per alios.*
- *Auocantes cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas, & beneficiales decimarum, & ſimilium ſub prætextu exemptionum gratiarum, & litterarum Sedis Apoſtolicæ.*
  - *Ab Auditorib. Romanæ Curiæ,*
  - *Cõmiſſarijs Apoſtolic.*
  - *Iudicibus Eccleſiaſt.*
- *Impedientes earundem cauſarum, Nec non*
  - *Curſum, vel Audientiam,*
  - *Perſonas,*
  - *Capitula,*
  - *Conuentus, &*
  - *Perſonas volentes proſequi dictas cauſas.*
- *Interponentes ſe tanquam Iudices in cognitione harum cauſarum.*
- *Compellentes partes actrices, quæ committi fecerunt huiuſmodi cauſas ad reuocandum, vel reuocari faciendum.*
  - *Citationes,*
  - *Inhibitiones, vel alias litteras in huiuſmodi cauſis decretas.*
- *Compellentes eaſdem partes*
  - *Ad faciendum abſolui eos contra quos tales inhibitiones emanarunt à cenſuris, & pœnis, in illis contentis, vel ad conſentiendum, vt à prædictis cenſuris, & pœnis abſoluantur.*
- *Impedientes quomodolibet executionem*
  - *Litterarum Apoſtolicarum executorialium,*
  - *Proceſſuum, &*
  - *Decretorum.*

Acceſſoriè Contra

- *Præſtantes*
  - *Fauorem,*
  - *Conſilium,*
  - *Aſſenſum.*
- *Mandantes, ſeu facientes*
  - *Actiones hic prohibitas,*
  - *Authoritate propria, &*
  - *De facto.*

Ab hac cenſura non excuſat Prætextus

- *Exemptionum,*
- *Priuilegiorum Apoſtolicorum,*
- *Violentiæ prohibendæ aliarumq; prætenſionum etiam ſupplicandi Papæ niſi re ipſa porrigatur, & proſequatur ſupplicatio.*

Vtrum conatus auocare cauſas effectu non ſubſecuto, vel nondũ in Tribunali Eccleſiaſtico introductas de facto auocat, vel ſi authoritate ſolum propria, ſed, à non prætextu exemptionũ & priuilegiorum Apoſtolicorum de facto auocat cauſas in hoc canone prohibitus in eius excommunicationem incurrat.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod in hoc Canone prohibetur ſolum auocatio ſecuto effectu, quia auocatio propriè, & in rigore effectum connotat, cum ergo ſimus in pœnalibus, nõ debemus extendere hanc cẽſuram cõtra auocare conantes nullo ſecuto effectu, auocare autem dicitur quis cum effectu, dicitur primò qui ab vno Tribunali ad ſuum trahit cauſam ibi proſequendam expreſſè citando partes, vt coram ſuo Tribunali compareant. Secundò, dicitur hic auocare cum effectu prohibendo primo Iudici, coram quo agitur, ne amplius in tali cauſa procedat, nec vllo modo ſe intromittat, tertiò, inhibendo partibus, ne cauſam coram primo iudice proſequantur, qui ergo nullo iſtorum

trium

Digitized by Google

trium modorum auocat non incidit in hanc excommunicationem. Ita communiter *Duard. qu. 13. Vgol. hic §. 1. Bonac. q. 15. punct. 5.*

Dico ſecundò, quod licet *Filiuc. trac. 6. c. 10. qu. 2.* videatur velle auocantem iudicem laicum ad ſuum tribunal cauſas ſpirituales nondum inceptas in tribunali Eccleſiaſtico excõmunicari in hoc canone, attamen in rigore iuris quia non loquitur, eum auocare ſi proprium vt dictum eſt ab vno tribunali cauſam inceptam ad ſuum trahere, aſſerendum probabilius cũ *Duard. hic qu. 5. & Bonac. loc. cit.* quod taliter trahens non incurrit in hanc decimam quartam excommunicationem, an vero in alium dicetur inferius.

Dico tertiò, quod licet aliqui nec improbabiliter velint, quod laicus iudex auocans ad ſuum tribunal cauſas ſpirituales ſolũ propria authoritate, & non ſub prætextu priuilegiorum Sedis Apoſtolicæ incidat in hanc excommunicationem, quo probabiliter putant ad incurſum in hanc excommunicationem ſufficere, quod vel fiat auocatio propria authoritate, vel ſub prætextu priuilegiorum, vnde videntur cenſere alterutram cauſã eſſe ſufficientem. Ita *Duard. Reginal. & Alter. loc. cit.*

Attamen probabilius dicendum puto cum *Suar. diſp. 21. ſe. 2. Coriol. hic verſ. bene verum, Bonac. loc. cit. & Filiuc. c. 10. q. 2.* quod auocans propria authoritate, & non ſub prætextu priuilegiorum non incidat in hunc canonem, quia Papa prætendit hic extirpare ſimpliciter prætextum priuilegiorum circa hanc materiam auocandi cauſas ſpirituales, vt patet ex verbis canonis, & licet dicat auocantes propria authoritate, eatenus hoc dicit, quatenus prætendentes auocare ſub prætextu priuilegiorum, quæ falſa ſunt, vel reuocata, dicuntur propria authoritate facere, dum priuilegia ſibi non ſuffragantur, itaque loquitur de authoritate propria falsè præſumpta ex vi priuilegiorum, itaque ſi quis propria authoritate, nullo habito reſpectu ad prætextum priuilegiorum auocans non excommunicatur in hoc canone, ſed alibi, vt dicetur.

Vtrum Prælatus Eccleſiaſticus habens poteſtatem laicam ſi auocet ad ſuum Tribunal cauſas ſpirituales ab alio Tribunali Sedis Apoſtolicæ, & ſuorum Iudicium incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. II.

Diſtinguendũ puto, nam vel auocat dictas cauſas ad ſuum tribunal, quatenus laicam habet iuriſdictionem, & in hoc caſu incidit in excommunicationem hãc, quia etiam Eccleſiaſtici quacumq; dignitate fulgentes in hoc canone comprehenduntur, quod ſi authoritate ſolum Eccleſiaſtica auocẽt dictas cauſas ad ſuum tribunal, & Eccleſiaſticũ eſt, licet *Sayr. l. 3. c. 18. Filiuc. & Reginal. loc. cit.* probabiliter velint etiam vt ſic comprehendi in hoc canone, quia non ſpecificat Papa, qua authoritate id faciant Prælati Eccleſiaſtici laica ne, an verò Eccleſiaſtica poteſtate, attamen probabilius cum *Nauar. c. 27. n. 70.* cui adſtipulare videntur *Suar. Bonac. Duard. loc. cit. & Alter. diſp. 1. c. 1. & Souſa c. 5. diſput. 77.* dicendum non incidere Prælatum Eccleſiaſticum ſola authoritate Eccleſiaſtica trahentes cauſas ad ſuum tribunal Eccleſiaſticum cauſas ſpirituales è tribunali Sedis Apoſtolicæ, & ſuorum iudicum, nam in hoc canone intentio Papæ videtur eſſe ſolũ retundere præſumptionem poteſtatis laicæ contra libertatem Eccleſiaſticã, at vero Eccleſiaſticus non lædit alium Eccleſiaſticũ in rigore loquendo reſpectu libertatis Eccleſiaſticæ iuxta illũ proloquiũ Eccleſia non lædit Eccleſiã, cum ſingulæ Eccleſiæ, & Eccleſiaſtici degunt immediatè ſub vno, & eodẽ Pontifice maximo.

Vtrum auocans contra formam huius Canonis à Tribunalibus aliorum Iudicium Eccleſiaſticorum incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. III.

Negant auocantem cauſas ſpirituales ab alijs iudicibus Eccleſiaſticis, qui non ſunt iudices immediatè Curiæ Apoſtolicæ incidere in hanc excommunicationem. *Vgol. Bonac. & Alter. loc. cit.* quia licet ponatur hæc particula (alijſque Iudicibus Eccleſiaſticis) vnde videantur comprehendi iudices Eccleſiaſtici etiam qui immediatè non ſubſunt Sedis Apoſtolicæ Curiæ iudices, attamen volunt, quod ly particula alijs ſit reſpectiua, & relatiua ſimilium iudicum Curiæ, & non aliorum *ex l. fugitiui C. de ſer. fugit. & ex. leg. ſedes de Reſcru.* & ſanè hæc videtur probabilis opinio, attamẽ probabiliter etiam affirmari poteſt, nam licet hic canon videatur principaliter latus in fauorem Curiæ Apoſtolicæ, attamẽ acceſſoriè etiam latus eſt in fauorem aliorum iudicum Eccleſiaſticorum nam ly (alijs iudicibus Eccleſiaſticis) inutiliter poneretur in hoc Canone, niſi etiam ipſis conferretur hoc priuilegium, & particola alijs vulgari, & ordinario ſẽſu diuerſa ab expreſſis ſignificat *ex. l. ſi fundus ſub condit. §. libertus. ff. de legato. 1. vide Pariſ. conſ. 79.* licet autem hæc particula alijs, aliquando ſit repetitiua ſimiliũ, tamen in hoc Canone in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ in ordinario, & vlgari ſenſu ſumenda benignè videtur, & Bonac. ſecundã vocat probabilẽ, licet putet primam eſſe probabiliorẽ.

Vtrum Iudex ſæcularis auocans cauſam ſpiritualem ad ſuum Tribunal, quando Iudex Eccleſiaſticus negligit eam proſequi, incidat in hac excommunicationem.

DIFFIC. IV.

Affirmandum omnino talem iudicem ſæcularẽ in hoc caſu incidere, quia incapax omnino eſt iudex ſæcularis poteſtatis ſuper cauſas ſpirituales. Ita communius antiquiores, & recentiores. Ita *Panor. Alex. de Neuo Ambroſin. Azor.* & alij quos citat, & ſequitur *Bonac. de leg. diſp. 10. qu. 2. p. 1. §. 1. Duar. hic qu. 8. Filiuc. & Corsolan. loc. cit. Alter. diſp. 15. c. 3. Farinac. de Inquiſ. qu. 8. & Suar. l. 4. de Immunit.*

Nec valet, quod opponunt contrarium improbabiliter putãtes *Diaz. in ſua pr. c. 182 Couar. pr. 99. c. 35. Menoch. de retinenda poſſeſſ. Remedio 3. & Ceuall. vbi ſup.* quia in *c. 2. de Regul. & c. filijs, & nepotibus c. 17. qu. 3.* conceditur reclamatio ad Principem, & iudex Eccleſiaſticus in defectum iudicis ſæcularis poteſt ſe ingerere in cauſa ſæculari, ergo è contra in defectũ iudicis Eccleſiaſtici, poteſt ſe ingerere iudex ſæcularis; nam in illis canonibus, vel eſt ſermo de Principe Eccleſiaſtico, qui eſt Papa, vel ſolum permittitur Principi ſæculari, vt valeat admonere Eccleſiaſticum iudicem de negligentia, & iniuſtitia contra ſuos ſubditos.

Adde, quod etiamſi in antiquis canonibus concederetur expreſſa facultas auocandi in tali caſu Principibus ſæcularibus, hodie abrogati ſunt ab Innocentio in *c. qualiter de iudicibus*, & expreſſius in hac Bulla, multa enim antiquitus permittebãtur, quæ meritò poſtea ſunt reuocata Itaq; niſi iudex ſæcularis ſpeciali nouo Indulto à Sede Apoſtolica, cum non obſtantia huius Bullæ fulciatur circa auocationem cauſæ ſpiritualis ad ſuum tribunal, quod quidem poteſt Papa, *ex c. cauſam de Reſer. & c. Sacerdos 11. qu. 1.* ſi aliquid attentet in hac materia, in hanc excommunicationem incidit.

Vtrum Iudex ſæcularis cauſam mixti fori inceptam in Tribunali Eccleſiaſtico eam negligente proſequi ad ſuum auocans incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

Affirmant *Marth. de iuriſd. punct. 4. caſu 146. & Duard. loc. cit.* quia per præuentionem extincta eſt iuriſdictio fori ſæcularis iam preuenti, & facta eſt cauſa ſpiritualis, ergo quoquomodo ſe ingerat iuxta doctrinam in ſuperiori difficultate poſitã in tali caſu iudex ſæcularis incidit in hanc excõm.

An verò negatiua ſententia poſſit admitti probabiliter, videbitur fortè V. Immunitas, vbi etiam fortè videbitur an Clericũ vexans laicus de iniqua poſſeſſione, & Clericus, ſe defendat de poſſeſſorio ſit cauſa ſpiritualis, an tẽporalis, vide *Bonac. de leg. diſp. 10. qu. 2. punct. 1. §. 1. n. 32.*

Vtrum ſolum impediens curſum cauſarum ſpiritualium, Audientiam, Capitula, Collegia proſequentia cauſas ſpirituales incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod in hoc canone excommunicãtur coniũctim impediens, & tamquam iudex authoritatiuè ſe intromittens, vnde ſi ſolum impediat curſum cauſarum ſpiritualium, & non ſe intromittat authoritatiuè, non incurrit hanc excommunicationem, quia pœnæ ſunt reſtringendæ. Ita communiter.

Dico ſecundò, quod ſi quis tanquam Aduocatus, vel Procurator præciſa omni iuriſdictione, & authoritate tanquam perſona priuata impediret contra formam huius canonis, nec incideret

Digitized by Google

deret, idem dicendum de qualibet alia perſona priuata ſi impediret præciſa omni authoritate, & iuriſdictione.

Vtrum compellens partes actrices contra tenorem Canonis, vt priuata perſonam, & non iura dictionaliter incidat in hanc excomunicationem. DIFFIC. VII.

NEgant *Alter. & Bon. loc. cit.* quia in hoc canone eſt ſermo de compellentibus authoritatiuè, & iuriſdictionaliter, ideo qui propria priuata authoritate, minis, & vi, vel per vim & metum, vt ſolet dici, compelleret contra tenorem Bullæ non incideret, quia immediatè non faceret contra libertatem Eccleſiaſticam, & probabiliter, quia hæc offenditur in rigore ſolum à compellente iuriſdictionaliter, & authoritatiuè.

Verum *Vgol. & Duard. loc. cit.* fortè probabilius affirmant ex illa particula (quive partes actrices) per quam Bulla videtur loqui contra quoſcumq; priuata, vel publica authoritate compellat, indiſtinctè enim, & generaliter loquitur.

At vero certum mihi eſt, quod ſi quis præcibus, promiſſionibus, pecunia, vel etiam via iudiciaria iuſta inducit partes contra tenorem huius canonis, non incurrit excommunicationē, quia iſta media non ſunt coactiua, & compreſſiua, compellere enim dicit violentiam, vt contra voluntatem ſuam fiat, ad quod cōpellitur, per iſta autem voluntariè inducitur ad faciēdum quod rogantes, vel donantes intendunt. Ita *Vgol. Alter. loc. cit. Duard. qu. 13. Bonac. & Filiuc.* vbi ſupra.

Nota etiam hic, quod ſi quis compelleret iudicem ad abſoluendum contra tenorem Bullæ non incideret, quia Bulla ſolū loquitur de compellente partes actrices ad faciendum abſolui, compellens autem iudicem ad abſoluēdum excommunicatur, *in c. vnico de his, quæ vi, & metu in 6.*

Vtrum mandans hic prohibita per mandatum non ſufficienter verbis expreſſum, incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

AFfirmant communiter, quia hic excommunicantur etiā præbentes aſſenſum, & fauorem ergo ſaltem vt aſſentiens incideret.

An vero ratum habens ſi hic prohibita incurrat, affirmant *Vgol. & Bonac. loc. cit.* quia aſſenſus prohibetur, qui in ratihabitione habentur, attamen probabilius dicendum cum Bonac. non incidere ratum habentem, quia hic aſſenſus antecedens prohibita fieri tanquam influens circa prohibita, non autem aſſenſus poſterior, qui habetur in ratihabitione, à quo non recipiunt influxum hic prohibita.

Vtrum Eccleſiaſticus ſpontè ſe patiens trahi ad Tribunal ſæculare incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. IX.

AFfirmant *Alter. & Duard. loc. cit.* quia conſenſit, & fauet auocationi hic prohibitæ; at vero etiam probabiliter negari poteſt cum Bonac. quia authoritatiuè id non faceret in tali caſu Eccleſiaſticus, dum Rei perſonam ſuſtinet, hic autem excommunicatur id authoritatiuè faciens.

Vtrum auocans ex priuilegio Epiſcoporum, vel ex tolerantia Papæ cauſas ſpirituales ad ſuum Tribunal ſæculare incidit in hanc excommunicationem.

DIFFIC. X.

DIco primò, quod nullus inferior poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, quare nullum eſt priuilegium Epiſcoporū, & aliorum Prælatorum contra libertatem Eccleſiaſticam in iure ſtatutum, cui non poſſunt renunciare priuati, & particulares Prælati, vt probabitur alibi, itaque auocans ex priuilegio Epiſcoporum ſanè in hanc excommunicationem incurrit.

Dico ſecundò, quod in hac materia auocationis non adeſt tolerantia Papæ, cum quotannis in hac Bulla contra libertatē Eccleſiaſticā omnia priuilegia, & conſuetudines etiam immemorabiles abrogentur, quod ſi dicatur, quod in aliquibus locis hanc conſuetudinem auocandi tolerat Pontifex, dico quod hęc tolerantia non eſt voluntaria, ſed coacta, quia ſcilicet illi obſtare commodè nequit, obſtat tamen quantum poteſt quotannis eam reuocando in hac Bulla patienter ergo tolerat inuitus ſicubi ea inueniatur, quæ tolerantia coacta non inducit priuilegium. Ita etiam *Caiet. V. excom. c. 5. Vgol. hic in V. vel execution. Duar. can. 1. q. 13. Alt. diſ. 15. c. 2. Fil. & Duard loc. cit.*

An verò contrarium ſentiant probabiliter, tolerantiam, ſcilicet Summi Pontificis in aliquibus locis in iſto caſu excuſare ab excommunicatione iſta, *Corsolan. in explic. Bullæ ad fin. Gregor. Lopez. l. 13. Titulo 13. p. 3. & Cenall. in tract. de cognit. gloſ. 6.* videant, & bene perſpiciant iura abſq; intereſſe docti bene ponderantes verba, & intentionem huius canonis, tu vide V. Clericus, & applica conſequenter.

Vtrum malitioſe impediens ſub prætextu ſupplicationis faciendæ Pontifici curſum cauſarum, ne quis gratia perfruatur apoſtolica, ſi nullam aliam habet iuſtam impediendi cauſam incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XI.

AFfirmandum omninò, quia fraus, & dolus nemini debet pattocinari, nā iſte fraudulenter, & doloſè vtitur ſupplicatione ad Pontificem in tali caſu, Papa autē indulget, vt per ſupplicationem poſſit impediri curſus cauſarum, modo habeat iuſtam cauſam explicandi in ſuplicatione contra factam expeditionem, recurſus enim fictus, & doloſus nō protegitur à Sacris Canonibus, ſed verus, & realis, ſaltem probabiliter verus, & realis exiſtimatus. Ita etiā *Bon. pun. 4. Alt. & Filiuc. loc. cit.*

Vtrum ſtante negligentia, vel oppreſſione Iudicis Eccleſiaſtici, Iudex ſæcularis ſub prætextu, quod iure naturæ vim vi repellere liceat, & Innocens oppreſſus ſit ſubleuandus, ex eodem principio iuris naturalis auocans ad ſuum Tribunal cauſas ſpirituales à Tribunali Eccleſiaſtico incidat in hanc excommunicationem. DIFFIC. XII.

DIco primò, quod licet *Diaz. Couar. & Cenall. loc. ſupr. cit.* contendant, quod ſtante negligentia, vel oppreſſione iudicis Eccleſiaſtici, erga cauſas Eccleſiaſticas, poſſit iudex ſæcularis, vt oppreſſum innocentem defendat, ad ſuum tribunal tales cauſas auocare, & expedire, quia vim vi repellere licet, & innocētem oppreſſum ſubleuare de iure naturæ, vis autem naturæ præualet cuicumq; iuri poſitiuo, non ergo ius Canonicū, vtpote poſitiuum poteſt aliquid validè præcipere contra ius naturæ, ergo iudex ſæcularis authoritate ſibi tradita à iure naturæ poteſt abſq; timore excommunicationis auocare cauſas ſpirituales ad ſuum tribunal, vt innocentem oppreſſum à iudice Eccleſiaſtico ſubleuet, & defendat, attamen ſatis improbabiliter locuntur contra libertatem Eccleſiaſticam, nec ſolido fulciuntur fundamento.

Quare communius affirmāt iudicem ſæcularē etiā ſub prætextu iuris naturalis docentis vim vi repelli, & innocentē oppreſſum ſubleuare licere, auocantem cauſas ſpirituales ad ſuū tribunal ſtante negligentia, & oppreſſione iudicis Eccleſiaſtici incidere in excommunicationem hanc decimam quartam. Ita *Nauar. c. 27. n. 69. Rota deciſ. 10. in Antiq. Farinac. conſ. 68. in deciſ. cauſ. crim.* vbi refert etiam *deciſ. Rotæ 1595. Suar. in tr. de fid. defenſ. l. 4. de immunit. c. 34. Sayr. l. 3. c. 28. Filiuc. tract. 16. c. 10. qu. 4. Duard. l. 2. can. 14. qu. 9. & can. 16. qu. 11. Bonac. diſp. 1. qu. 15. punct. 4. §. 3. Alter. diſp. 6. c. 3.* & alij communius & ratio potiſſima eſt iſta, quia axioma iſtud vim vi repellere licet, ſeruandum impune à quocumq; vtpote de iure naturæ, ſi duplex adſit conditio, prima eſt, vt injuria illata, vel actu proximè inferenda ſit certa euidenter, & notoriè ita vt nulla tergiuerſatione celari nequeat; Hæc autem conditio paſſim deeſt in præſenti caſu, quia regulariter loquendo nunquā poteſt eſſe certus iudex laicus euidēter, & notoriè de iniuſtitia, & oppreſſione facta, vel facienda erga negotiāt es in dicto tribunali cauſę ſpiritualis, quia ſuperior debet ſemper præſumi bonus, & delictum in ſuperiore non debet præſumi niſi probetur, & reus accuſatus potius debet ſupponi nocens, & malus, ad iudicē autē ſæcularem nullo modo pertinet exquirere de iniuſtitia iudicis Eccleſiaſtici, quia nullo modo ab ipſo dependet, præterquam quod iudex Eccleſiaſticus ſemper poteſt opponere iuſtam cauſam damnandi reum conquerētem de oppreſſione, quam cauſam non poteſt, nec debet examinare iudex ſæcularis, cum omnino ſit incapax vti iuriſdictione in cauſa ſpirituali, itaq; numquam poteſt regulariter loquēdo notoriè, & euidenter ei conſtare de iniuſtitia, & oppreſſione facta, ergo nunquam poteſt regulariter loquendo vti iure naturę prędicto in cauſa ſpirituali, quod ſi aliquando poſſit dari caſus, in quo manifeſta eſſet notoriè oppreſsio innocentis facta à iudice Eccleſiaſtico, attamen nec poſset vti pręfato iure naturæ, quia deeſſet alia conditio magis neceſſaria, & quæ in ſequenti explicatur.

Conditio ſecunda requiſita adhoc, vt quis poſſit impunè vti iſto iure naturæ, vim vi repellere licēt, & vt ius vi repellatur, & defenſio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, quæ conditio ſi non adſit, non eſt licita defenſio, quia non procedit a iure naturæ ſine tali moderamine ad moderamen autem inculpatæ tutelæ duo requiruntur, primo vt defenſio contra aggreſſorem fiat abſq; grauiori damno reipublicæ, & vniuerſitatis, vnde non po-

poteſt ſæpius tueri ab aggreſſore, ſi offẽdendo pro ſalute tua aggreſſorem fieret damnum reiplublicæ, puta quia aggreſſor eſt neceſſarius pro vtilitate euidenti reipublicæ, & tunc debet permittere ſe opprimi, & non licet ei vim vi repellere, quia non ſeruaret moderamen inculpatæ tutelæ, & ratio huius eſt, quia præponderat bonum publicum bono priuato, & potius perdendum eſt bonum, priuatum, & paroculare, quam damnum inferre bono publico, ita dictante lege naturæ. Hæc ergo conditio deeſt primo in iudice ſæculari valente ob defentionem oppreſſi auocare cauſas ſpirituales ad ſuum tribunal, non ſeruaret enim moderamen inculpatæ tutelæ, quia auocando cauſas ſpirituales ad ſuum tribũnal damnum, & iniuriam notabilem inferret bono cõmuni, quæ eſt libertas Eccleſiaſtica, ergo potius debet permitti Innocẽtem priuatum opprimi, quam damnum inferre communitati, aliter non ſeruaret moderamina inculpatæ tutelæ.

Secundùm quod requiritur ad dictum moderamem ſeruandum eſt, quod tunc licita eſt defenſio cum oppreſſione, & damno aggreſſoris, & opprimentis, quando alia ratio, & modus non adeſt euadendi ab imminenti damno, niſi aggreſſorem opprimendo, quod ſi adeſt alia via euadendi malum imminens, nõ debet aggreſſor opprimi, quia non ſeruaretur moderamen inculpatæ tutelę, & ita dictat ius naturę illud, quod tibi uis alteri feceris, quod tibi nõ vis alteri ne feceris, tu enim aggreſſus nolle opprimi ab aggreſſore habente aliam viam euadendi, ergo tu nec debes aggreſſorem opprimere, ſi alia adeſt via euadẽdi; hæc aũt cõditio etiã deeſt in iudice ſęculari auocãdo oppreſsũ ĩ cauſa ſpirituali à iudice Eccleſiaſtico, nam adeſt alia via liberandi oppreſsum abſq; offenſione libertatis Eccleſiaſticæ ſine auocando ad ſuum tribunal cauſas ſpirituales. Prima via eſt, ſuperiorem Eccleſiaſticum reuerenter admonere, ne contra iuſtitiam ita notoriè opprimat innocentem, ne ſcandalum inimicis fidei præcipue obijciatur. Secunda via ſuplicationem ad Papam vel ſuperiorem ſuum Eccleſiaſticum de notoria iniuſtitia porrigere, & proſequi, & quando adeſt imminens irreparabile damnum proximi, quod non patitur moram recurſus, tunc ſi notoriè conſtat de iniuſtitia poteſt priuata authoritate, ſicut quilibet de populo abſq; prætextu auocãdi cauſam ad tribunal per modum ſimplicis defenſionis omni qua decet reuerentia ſeruata erga libertatem Eccleſiaſticam cum proteſtatione ſolum liberandi oppreſſum ab imminenti damno, nec aliter, nec alio modo proximo ſalutem afferre.

Quem modum tanquam libertati Eccleſiaſticæ minimè repugnantem, cum abſit omnis ſuſpicio violandæ iuriſdictionis, licere putant in tali caſu noſtri præcipui, *Rodr. t. 1. c. 155. n. 8. & Portel. in dub. reg.* V. appellare, ex quibus

Collige primò, nec per epichæiam licere iudici ſæculari in tali caſu auocare cauſas ſpirituales ad ſuũ tribunal, quia Epicheia nihil operatur, cũ non adeſt neceſſitas aliter legẽ interpretãdi, at vero dato modo liberãdi oppreſsũ abſq; pręiudicio libertatis Eccleſiaſticæ, non adeſt neceſſitas interpretandi legem id fieri debere auocando iudicialiter ad tribunal laicum cauſas ſpirituales.

Collige ſecundò, iudicem ſæcularem nec poſſe ſub pallio protegendi, & defendendi potius libertatem Eccleſiaſticam in caſu notoriæ iniuſtitiæ factæ à iudice Eccleſiaſtico auocare cauſas ſpirituales ad ſuum tribunal, quia iniquitatẽ conterere quærit, quam canones ſacri protegere omnino renuunt, quia id fieri poteſt abſque auocatione iudiciaria, & iuriſditionali, quæ ſub omni prætextu, & pallio prohibetur iudici laico erga iudices Eccleſiaſticos, & cauſas ſpirituales, quia recognitio iudiciaria ſupponit ſuperioritatem ſupra iudicem, & cauſam recognoſcendam, cuius omnino eſt incapax iudex ſæcularis ſupra iudicem Eccleſiaſticum, & cauſam ſpiritualem.

Vtrum in Terris infidelium, vbi non adeſt Tribunal Eccleſiaſticum, poſſit iudex ſæcularis ad ſuum Tribunal auocare cauſas Eccleſiaſticorum abſque timore excommunicationis huius.

DIFFIC. XIII.

AFfirmant licerè iudici laico, vbi non eſt tribunal Eccleſiaſticum, nec ſperatur poſſe eſſe cauſas Eccleſiaſticorũ In ſuo tribunali cognoſcere ad conſeruandum bonum commune iuſtitiæ, quæ dat vnicuiq; ſuum, ne ergo iuſtitia pereat, cum etiam ſcriptum ſit de Principe ſæculari (*per me Reges iuſta decernunt*) iure naturæ etiam dictante quæ bonum commune iuſtitiæ dictat vtcumq; ſeruari, poteſt non vt iudex ſæcularis, ſed vt Dei vicegerens loco iudicis Eccleſiaſtici cauſas ſpirituales iudicare, caſus enim iſte dum omnino deficit iudex Eccleſiaſticus videtur eſſe reuocatus ad terminos iuris naturalis, vel iuris gentium, ne iuſtitia deſeratur, nec fit in tali caſu contra libertatem, Eccleſiaſticam, quia abſenti nulla fit iniuria. Ita probabiliter *Alter. l. 5. diſp. 15. c. 2. Filiuc. tract. 18. c. 8. qu. 5. Farinac. Salas, & Azor. apud Bonac. de leg. diſp. 10. qu. 2. p. 1. §. 1.*

Ceterum probabilius, & tutius dicerem in hoc caſu cum *Bonac. loc. cit.* quod iudex nõ debeat ſe intromittere authoritatiuè, & iuridice in recognoſcẽdis cauſis ſpiritualibus, & Eccleſiaſticorum, ſed ſolum per amicabilem compoſitionem tanquam priuatus homo, & nõ tanquam iudex, quod iſtum foret, decernat. Item videntur dicere, *noſter Rodriq. & Portell. loc. cit.*

Vtrum excommunicationem hanc incurrat faciens contra tenorem huius Canonis ſub prætextu, quod hæc Bulla non ſit publicata, nec acceptata à ſua Republica, vel Principe.

DIFFIC. XIV.

DIco primò, quod Bullæ Pontificiæ, & conſtitutiones Papales non eſt neceſſe, vt vbiq; locorũ publicẽtur, ſed ſufficit iuxta mandatum Papæ quod publicentur in locis publicis Romæ, atq; adeo poſt determinatũ tempus vbiq; ligare nam cũ Romæ adſint ſemper ex omnibus nationibus principalibus Legati, & Reſidẽtes, facilè earum, publicatio vbiq; poteſt fieri per ipſos; vide *Nauar. conſ. 1. de conſtit. Filiuc. tract. 16. c. 10. Corvolan. hic Bonac. hic punct. 1. & de leg. diſp. 1. qu. p. 4.* itaq; incideret in excommunicationem, qui ſub prætextu nõ publicationis hanc inualidam putans, faceret prohibita in hoc Canone.

Dico ſecundò, quod quando Princeps mandat legem ſeruari independẽter ab acceptatione, lex ligat etiam vbi nõ acceptatur vt probabitur fuſius infra V. lex. Ita etiam *Suar. Vaſq. Reginal. & Salas quos citat, & ſequitur Bonac. de leg. loc. cit.* Itaq; prætextus, quod hæc Bulla nõ ſit acceptata nõ excuſat, quia Pontifex in hac Bulla excludit omnem prætextum, & prætentionẽ, & *Bonac.* refert ſe a fide dignis audiſſe, quod nõnulli Pontifices Summi interrogati Bullæ an depẽdeant ab acceptatione Populi vel Principis, reſponderunt, quod contraria opinio probans requiri acceptationem ad validitatem Bullarum Pontificiarum omnino ſit explodenda tanquam Apoſtolicæ dignitatis reuerentiæ iniuriam inferens, &c.

Digitized by Google

EXCOMMVNICATIO XV.

Contra
- *Trahentes, Trahi facientes, Trahi procurantes,* — *Indirectè, vel Directè, Ex Officio, vel Ad inſtantiam Partis,* — *Eccleſiaſticas perſonas, Capitula, Conuentus, Collegia,* — *Ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilia, Parlamentum.*
- *Eos, qui fecerint, Ordinauerint, Publicauerint,* — *Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, & alia quæuis Decreta,* — *Quibus libertas Eccleſiaſtica aliquo modo directè, vel indirectè tacitè, vel expreſsè quouis quæſito colore,* — *Tollitur, Læditur, Deprimitur, Reſtinguitur, aut iurib. Sedis Apoſtol. vel aliarum Eccleſ. præiudic.*
- *Vtentes* — *Statutis, vel Ordinationibus,* — *Contra libertatem Eccleſiaſticam.*

Vtrum Iudex trahens ad aliud Tribunal laicum Clericum, ſimiliter Procurator, Aduocatus, & Miniſtri Iudicis trahentis ad ſuum Tribunal afficiantur hac excommunicatione decima quinta.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod iudex trahens Clericum ad tribunal nõ ſuum de rigore verborum Bullæ, quæ attẽdenda ſunt in pęnalibus non incurrit in hanc excommunicationem, quia in Bulla excommunicatur iudex trahens ad ſuum tribunal perſonã eccleſiaſticam, ſimiliter nec iudex amicabiliter ſuadens trahere Clericũ ad ſuũ tribunal incidit, quia vt priuata perſona hoc faceret abſq; titulo, & prætextu iuriſdictionis, ita ex verbis Bullæ in hoc Canone liquido patet.

Dico ſecundò, quod Aduocatus, & Procurator, & quęlibet alia priuata perſona iuriſdictione, & authoritate ſi trahat perſonã eccleſiaſticam, vel trahi procuret ad tribunal laicũ, nec incurrit hanc excommunicationem, quia præſupponit in hoc Canone trahentẽ habere iuriſdictionẽ, dum eũ excommunicat, nam prætendit priuilegiare libertatem Eccleſiaſticã contra iudices ſęculares, itaq; contra alios non intendit fulminare cenſuram, dũ immediatè vt priuatæ perſonæ abſq; iuriſdictionis prætextu non irrogant iniuriam notabilem Eccleſiaſticæ libertati, ſicut cũ iuriſdictione, & authoritatiuè trahẽtes.

Dico tertiò, quod miniſtri iudicis ſæcularis trahentes perſonas Eccleſiaſticas ad tribunal ſæculare excommunicantur etiam in hoc Canone, quia miniſtri ſunt pars, & veluti munus iudicum, & vnum efficiunt tribunal. Ita etiam *Alter. diſ. 16. c. 1. Sayr. l. 3. c. 19. Duard. q. 28. Reginald. l. 9. num. 356. & Bonac. diſp. 1. q. 16. punct. 4. Sayr. l. 3. c. 19.*

Vtrum vexans conſanguineos, vel Colonos Clericorum eorum bona diripiendo, vt ſic cogat Clericos ad ſuum tribunal accedere incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. II.

Affirmant communiter, nã talis iudex indirectè traheret Clericũ ad ſuũ tribunal, ipſe enim Clericus ne videat ſuos, ſuaq; bona damnum notabile pati, cogitur accedere ad tribunal laicum. Ita etiam *Vgol. hic c. 1. Duard. q. 12. Suar. diſp. 21. ſect. 3. Alter. diſp. 16. c. 1. Filiuc. tract. 16. c. 10. qu. 6. & Bonacin. hic loc. cit.*

Vtrum citans perſonam Eccleſiaſticam ad ſuum Tribunal ſolum incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. III.

Diſtinguendũ videtur, nã vel ſola citatio fuit cauſa, vt effectualiter Clericus ad ſuũ tribunal acceſſerit, & ſic ſine dubio cũ verè traxerit, in excommunicationẽ incurrit, quod ſi citatio non fuerit coniuncta cum actuali tractione, quia verè per citationẽ non comparuit, nõ incurrere probabile eſt talẽ iudicem, quia cum ſimus in odioſis, ſtricta facienda eſt interpretatio. Ita etiam *Suar. Bonac. loc. cit. & Duard. hic qu. 28.* An verò contrarium probabiliter aſſerat *Filiuc. loc. cit.* videant viri docti.

Vtrum trahens ad ſuum Tribunal perſonam Eccleſiaſticam ob patratum delictum tempore quo erat laicus, incidat in hanc excommunicationem decimam quintam.

DIFFIC. IV.

Affirmant abſolutè in tali caſu incidere iudicẽ ſæcularem in hanc excommunicationem *Suar. l. 4. de immun. c. 15. & Bonac. diſp. 1. q. 16. punct. 5.* quam communẽ vocant, & probant, quia mutato perſonæ ſtatu mutatur, & forus *ex l. ſi filius 1.* & quando mutatur ſtatus perſonæ, non debet attendi tempus delicti, ſed ſtatus perſonæ, etenim cum ſuſtineat onera diuerſi ſtatus, debet etiã commoda, & priuilegia illius ſtatus ſentire, ergo Clericus, qui commiſit delictum ante habitus aſſumptionem, cum mutauerit ſtatũ, & iam de pręſenti onera Clericatus ſtatus ſubeat, debet, & ipſius priuilegia, & commoda ſentire, nec debet præſumi aſſumpſiſſe in fraudem tribunalis laicalis, quia aſſumendo ſtatũ meliorem vtitur iure ſuo, qui autem vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam, nec fraudem committit, & quidẽ probabiliter admodũ ratiocinantur.

Ceterum diſtinguũt alij fortè probabilius, quod ſi in fraudem præcipuè, et principaliter in præiudiciũ tribunalis ſæcularis habitum eccleſiaſticũ aſſumpſit, quia fraus nemini debet patrocinari, volunt non gaudere pro tali debito commiſſo ante habitus aſſumptionem perſonam eccleſiaſticam, hoc enim modo crimina faciliter remanerent impunita, et daretur facilitas delinquendi contra bonum commune, ergo talis fraudulenter ſe ſubtrahens à foro ſæculari, ne puniatur de commiſſo delicto, habitum eccleſiaſticũ aſſumit, nullo modo pro tali delicto debet frui priuilegio eccleſiaſtico. Ita *Zerola V. Clericus n. 6. Gomez 3. variar. c. 10. Molin. tract. 3. diſp. 49. Couar. practic. qq. q. 32. Guttier. l. 1. pract. q. 5. Iul. Clar. q. 8. Farinac. loc. cit. n. 104. limitat. 9. Ambroſin. c. 19.* & Alii. Poteſt autem colligi receſſo in fraudem, ſi ſtatim poſt delictũ habitum aſſumpſerit, vel ſi delinquens ante delictum erat diffamatus, delatus, citatus apud curiam ſæcularem, vel diffidatus, quia metu curiæ ſæcularis poteſt præſumi in hiſce caſibus habitum aſſumpſiſſe Eccleſiaſticum.

Quod ſi abſolutè propter ſeruiendum Deo habitum Clericalem aſſumpſerit, quod cognoſci poteſt ſi ante delictum commiſſum habebat votum, vel notoriã intẽtionẽ de habitu aſſumendo, vt Deo liberius ſeruiret, quia vtitur iure ſuo in aſſumendo habitũ, non poteſt à iudice ſæculari cognoſci amplius pro delicto in ſæculo, & *Duar. in can. 19.* putat ſtandũ iuramento ipſius, vel ſe. habuerit votum, vel intentionẽ ante delictũ, vel an animo ſe ſubtrahendi principaliter à foro ſæculari habitum aſſumpſerit poſt patratum delictum; quod tamen non ſufficere cenſet in cauſa propria *Bonac. & Farinac. loc. cit.* ſed ſtandum aliis coniecturis.

Verũ quicquid ſit de probabilitate credendi eius iuramento nunc, illud certum putant DD. quod onus probandi per fraudem aſſumpſiſſe habitum qui deliquerat in ſæculo ſpectat ad Actorem, non autem ipſi, fraus enim non pręſumitur in aliquo niſi probetur *ex l. 1. pro ſocio, & c. ſancitum* 1. qu. 1. habetur probandum eſſe aſſũptũ habitũ per fraudem. Vide *Maſcard. de probat. Bonac. & Farinac. loc. cit. n. 111.*

Denique pro Coronide huius difficultatis aduertendum, quod poſtquam probatum fuerit perſonam Eccleſiaſticam aſſumpſiſſe in fraudem Curiæ ſæcularis poſt patratum in ſęculo delictum, habitum Eccleſiaſticum, non poteſt eum punire pæna corporali, ſed ſolum pecuniaria, quia dùm eſt iam Dei ſeruitio addictus, & factus de ſorte, & hæreditate Chriſti, non eſt æquum, vt iudici ſæculari amplius corporaliter ſubiaceat, Vide *Farinacc. loc. cit. num. 107. Clarum, & Bonac. loc. cit. Duar. can. 9. q. 7. Ambroſ. & Couar. locis cit. & vide etiam infra V. Clericus, quod dicat de hoc Genuenſis.*

Vtrum Clericus enormitatibus ſe immiſcens ad Tribunal ſæculare abſque timore huius excommunicationis trahi valeat à iudice ſæculari. DIFFIC. V.

AFfirmant *Nau. tr. c. 27. n. 81. Ambroſin. de immunit. c. 17. n. 12. Molyn tr. 3. diſp. 49. Farinacc. loc. cit. n. 54. Reginal. l. 9. n. 70.* modo Clericus ſit inuentus ſine habitu, & tonſura Tyrannidi, & facinoribus enormibus ſe immiſcens publicè, & notoriè, etiam ſi ſit ſacris initiatus, & poſt trinam monitionem non fuerit correctus, nam in hiſce caſibus perdere volunt Clericum priuilegium Eccleſiaſtici fori ex c. perpendimus, & c. contingit de ſent. excomm.

Negant tamen alij Clericum immiſcentem ſe notoriè facinoribus, etiam poſt trinam monitionem perdere priuilegium Clericale, & conſequenter iudicem eum trahentem ad ſuum Tribunal incurrere in hanc excommunicationem. Ita *Bonac. & Suar. loc. cit. & Coninc. de Sacr. diſp. 14. n. 160.* volunt enim nullo iure hoc permitti iudici ſæculari, caput enim perpendimus citatum aiunt priuare Clericum ſine habitu, & tonſura inuentum immiſcentem ſe facinoribus publicè ſolo priuilegio Canonis, non autem fori.

At vero *ſi caput contingat ſecundum de ſent. excommunicationis* perlegatur, Clericum poſt trinam monitionem, ſi ſe non emendauerit, perdere priuilegium Clericale ſanè inuenietur, cuius Canonis hæc ſunt verba formalia (Verum quia priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, ac fruſtra legis auxilium inuocat, qui committit in legē, volumus, & mandamus, vt tales ſi tertio admoniti ſe ipſos cōtempſerint emendare illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda dignoſcitur inſtituta) Idem habetur in c. Inaudientia noſtra de ſent. excommunicat. &c.

Itaque in hac difficultate certum eſt, quod Clericum ſine habitu, & tonſura ſe immiſcētem enormibus ſi quis percutiat, vel occidat non incurrit in Canonem ſi quis ſuadente Diabolo, ita declarat Papa *in c. perpendimus, & in c. cum non ab homine de ſent. Excomm.* cuius Canonis hæc ſunt verba formalia (occiſores Clericorum, aut præsbiterorum, qui contempto Clericali habitu Tyrannidi, & enormitati ſe inuerecundè immiſcent in odium Clericalis exceſſus, & terrorem, atque correctionem ſimilium canone latæ ſententiæ minimè coercentur) quare vt perdat Clericus priuilegium Canonis immiſcendo ſe enormibus, nō eſt neceſſum cum trina monitione præuenire, at vero ad perdendum priuilegium fori trina debet omnino monitio præcedere vt patet in *dicto c. contingat ſecundum, & c. in audientia citato.*

Vnde non poſſe iudicē ſęcularē ad ſuum forū trahere Clericū immiſcentē ſe facinoribus, niſi poſtquā ter correctus à proprio ordinario, ſe nō abſtinuerit a prauis actionibus certiſſimū eſt, & ſi attētet, et procuret eū trahere ante trinā monitionē in hāc excōmunicationem xv. certiſſimum etiam eſt incurrere.

Vtrum trahens Iudex ſæcularis ad ſuum Tribunal Clericum ſpurium incidat in hanc excommunicationem.
DIFFIC. VI.

DIſtinguendum videtur, nā ſi ſpurius inſignitus fuerit quatuor ordinibus minoribus, vel ſaltē vno ex ordinibus minoribus, & ſeruat, quæ mandantur *in Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 6.* gaudet priuilegio Clericali, quia ordo imprimit characterē indelebilem, qui retinetur, etiā ſi ſubiectum recipiens illicitè, ſeu abſq; diſpenſatione reciperet, trahens ergo ſpurium ſic ordinatū ad ſuum Tribunal ſanè incidit in hanc excōmunicationē, quia verè Clericus eſt; at vero ſi ſola prima Tōſura inſignitus fuerit ſpurius abſq; diſpenſatione, non remanet verè Clericus, quia Tonſura nō eſt ordo, & ſi detur ſubiecto inhabili ſine diſpenſatione, non tenet, quia non imprimit Characterem, quare non gaudet priuilegio Clericali, & conſequenter trahens ad forum ſæculare non incurrit hanc excommunicationem. Ita etiam *Maſcard. de probat concl. 302. Scaccia de Iudic. p. 1. c. 11. Carol. de Graſſ. de effec. Cler. effec. p. ampliat. ſi, Suar. Aula, & Sayr. quos citat, & ſequitur Bon. loc. cit. & de cenſ. diſp. 7. q. 1. p. 1. Quicquid in contrariū videatur reclamare Aloyſ. Bariol.*

Vtrum faciens ſtatutum contra libertatem Eccleſiaſticam, ſi de facto non fuerit promulgatum, vel ſi promulgatum, non tamen ſeruetur, incidat in hanc excommunicationem.
DIFFIC. VII.

DIco primò, licet ſtatutum fuerit factum, ſi tamen nō fuerit promulgatū, non incurrere in hanc excōmunicationē ſimpliciter facientem colligitur ex verbis iſtius Canonis, nam loquitur contra eos, (qui fecerint, ordinauerint, & publicauerint) itaut, ly, coniungat ſimul, & ſemel qui fecerint, & publicauerint, & ratio eſt, quia ſtatuta, & leges non habeat vim, niſi publicentur, ergo ſi non publicentur, nullam iniuriam afferunt libertati Eccleſiaſticæ, & conſequenter ſolum facientes non excommunicantur. Ita *Alter. diſp. 16. c. 3. dub. 1. Filiuc. c. tr. 16. c. 30. qu. 7. Sayra hic diſp. 31. Duard. hic qu. 21. & Bonac. diſp. 16. ſect. 2. p. 1.*

Dico ſecundò, quod qui publicauit ſtatuta contra libertatē Eccleſiaſticam, licet non ſeruentur, incidit in hanc excommunicationem, quia publicatio ſtatutorum eſt iniurioſa de ſe libertati Eccleſiaſticæ, & eſt actio temeraria contra ſedem ſanctam Apoſtolicam ſufficientiſſima, vt hac excommunicatione feriatur. Ita *Alter. & Bonac. loc. cit.*

Quam doctrinā amplia ad Principem, qui huiuſmodi ſtatuta ab alio facta facit publicare in contemptum libertatis eccleſiaſticæ, qui enim facit, vt tale ſtatutum publicetur, videtur dare vim, & robur contra libertatem Eccleſiaſticam, quare in hoc Canone excommunicatur. Ita etiam præcit. Doctores.

Vtrum Præcones, & miniſtri inferiores publicantes ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam de mandato ſuorum Principum, vel magiſtratuum incidant in hanc Excommunicationem.
DIFFIC. VIII.

AFfirmant *Alter. dub. 2. loc. cit. & Filiuc. c. 10. q. 7.* niſi forte excuſentur à probabili ignorantia, quia cum ſint officiales Curiæ dicuntur verè publicare contra tenorem Bullæ.

Mitius tamen, & credo probabilius, negant alij, quia iſti authoritatiuè non publicant, quia ad formalitatem publicationis non attingunt, ſed ſolum materialiter publicant, vnde non dicuntur propriè, & formaliter publicare, ſed ſolum exequi publicationem, cum ergo non videantur eſſe in dolo contra tenorem Bullæ non videntur in excommunicatione comprehendi, Ita *Suar. diſp. 21. hic ſect. 2. Duard. q. 22.*

Vtrum aliquod agens contra libertatem Eccleſiaſticam non authoritatiuè, ſed vt priuata perſona, non ex vi ſtatuti, proprio motu incidat in hanc Excommunicationem.
DIFFIC. IX.

DIco primò, quod licet *Sayrus* videatur affirmare ex eo quod indiſtinctè in hoc Canone excommunicantur vtētes ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam, non ſpecificādo àn publica, an propria auctoritate eis vtantur, attamen mitius iuxta tenorem Canonis videntur excuſandi, qui præciſo omni ſtatuto, & publica auctoritate vtuntur ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam, quia hic Canon videtur latus in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ cōtra iuriſdictionaliter ſtatuentes cōtra eam, & iuriſdictionaliter ſtatutis contra eam vtentes, non autem contra vtentes ſtatuto priuata auctoritate, bene tamen verum eſt, quod licet non excommunicentur in hoc Canone quinto decimo iſti vtentes ſtatutis priuata auctoritate contra libertatem Eccleſiaſticam, incurrunt tamen aliam excommunicationem, vt dicetur infra. Ita *Nauar. c. 27. n. 119. Vgolin. hic §. 4. & Duard. q. 28. Bonacina* autem hanc putat probabiliorem, licet primam non improbet.

Dico ſecundò, quod Iudices, Notarij, alijq; Curiæ officiales, qui huiuſmodi ſtatutis, & decretis vtuntur contra libertatem Eccleſiaſticā, hac excommunicatione afficiuntur, quia ſunt publicæ perſonæ, & publica auctoritate gaudent, vnde ſtatutis

entis publica etiam authoritate vtuntur, vt optimè notant *Duard. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum excommunicentur in hoc Canone Principes, & Magiſtratus facientes, & vtentes ſtatutis contra Eccleſiaſticos in ijs ſolum, quæ ad conuictum politicum pertinent, non autem in ijs, in quibus Eccleſia, vt Eccleſia libera eſt.

DIFFIC. X.

DIco primò, quod nimis larga videtur opinio DD. illorum, qui putant in ijs, quæ pertinent ad conuictum politicum, & humanam ſocietatem, Eccleſiã non vti iuriſdictione, & cõſequẽter in hoc canone non excommunicari cenſent illos, qui ſtatuerent, & de facto ſtatuto vterentur, ne Clericis vendatur, ne coquatur panis, ne moliatur, & ſimiliter quia hæc pertinent ad conuictũ politicũ, in quibus Eccleſia, vt Eccleſia non habet iuriſdictionẽ, & conſequenter per eiuſmodi ſtatuta volunt non lædi libertatem Eccleſiaſticam. Ita videatur velle *Nauarr. c. 27. n. 119. Caiet. V. excom. c. 31. & Coriol. & Vgol. in hic ideo.*

Dico ſecundò, quod probabilius affirmandum cum alijs, nã libertas Eccleſiaſtica conſiſtit in hoc etiam, vt liberè Eccleſiaſtici agere valeant, quicquid de iure naturæ ciuili, & de iure gẽtium cõmune eſt alijs Ciuibus, niſi eis ſit ſpecialiter interdictũ, itaq; cum licitè vendere, & emere, & comparare ſibi neceſſaria ad cõmunẽ conuictũ politicũ, & ſocietatẽ humanã pertinent, non ſint eis ſpecialiter interdicta, non poſſunt ei interdici à laica poteſtate, aliter facerent cõtra libertatẽ Eccleſiaſticã & inciderent in hanc excõmunicationẽ maximè cũ ex prohibitione iſtarum rerũ Eccleſiaſtici in directè ſaltem prohiberẽtur ab ijs, quæ pertinent ad Eccleſiã, vt Eccleſia, quæ ſine conuictu politico, & ſocietate humana de facto ſubſiſtere minimè poteſt, vt patet intuenti, & ideo tales actiones contra Eccleſiaſticos prohibentur etiam *in c. fin. de immun. Eccl. in 6.* Ita etiã *Marth. de iuriſd. p. 4. caſu 6. Duard. can. 15. q. 19. Carol. de Graſſ. de off. Cler. eff. 2. Suar. l. 4. de immun. cap. 22. Bonac. & Filiuc. loc. cit.*

EXCOMMVNICATIO XVI.

Principaliter Contra { *Quomodolibet directè Impedientes, vel Indirectè* } { *Epiſcopos inferiores, aut alios Iudices Eccleſiaſticos ordinarios* } { *Ne iuriſdictione ſua Eccleſiaſtica vtantur contra quoſcumq; iuſta diſpoſit. Sacrorum Can. & conſtructionum Apoſtolicarum.* }
Agentes, Procuratores, Familiares, Conſanguineos, & Affines ipſorum.

Item principaliter Contra {
Recurrentes ad Curias ſæculares ad eludendum fori Eccleſiaſtici Iudicium.
Procurantes à Curijs ſæcularibus prohibitiones, ſeu mandata etiam pœnalia contra ſententias dictorum Iudicum ordinariorum, ſeu delegatorum.
Decernentes dicta mandata, ſeu non prohibentes
Exequentes dicta mandata. }

Acceſſoriè Contra {
Dantes eiſdem auxilium,
Conſilium,
Patrocinium, & fauorem. }

Vtrum habens iuſtam cauſam, certam, & non dubiam impediendi Prælatos, aut Iudices Eccleſiaſticos, ne ſua vtantur iuriſdictione Eccleſiaſtica comprehendantur in hac decima ſexta excommunicatione.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod affirmantes in hoc caſu ex eo, quod in Canone excommunicantur quomodo libet impedientes non ſpecificando iuſtè, vel iniuſtè, non videntur probabiliter ratiocinari ad mentem Pontificis, de quo non debet præſumi velle cenſura tam graui fouere iniuſtitiam, & malitiam iudicum eccleſiaſticorum contra ſanctiones Apoſtolicas, & Sacros Canones procedentem in aliqua cauſa maximè, quia Prælati iniuſtè procedentes contra determinata à ſactis Canonibus non vtitur iuriſdictione verè eccleſiaſtica, ſed propria priuata, quare probabilius negant iudicem ſæcularem impedientem Prælatum Eccleſiaſticum iniuſtè contra ſacros Canones procedentem in aliqua cauſa incidere in hanc excommunicationem. Ita etiam *Alter. l. 5. diſp. 17. c. 1. Vgol. hic n. 2. & 52. Souſa hic cap. 17. Duard. hic qu. 1. Bonac. diſp. 10. qu. 17. punct. 1. Filiuc. tract. 16 c. 10. qu. 10.* Quarè

Dico ſecundò, quod impediens prçlatum volentem proſequi in cauſa in qua reus legitimè appellauit ad alium iudicem legitimum, nõ afficitur hac excommunicatione, quia hic Prælatus facit contra ſacros canones appellationem cõcedentes, ſimiliter qui Prælatum excommunicatũ denuntiatũ, & vitandũ impediret, ne ſuã exerceat iuriſdictionẽ, nec incurrit cenſurã huius canonis, quia excõmuuicatus vitandus prohibetur à ſacris Canonibus ſuã exercere iuriſdictionẽ ſub pæna inualiditatis, ita etiã *Bonac. Alter. & Duar. loc. cit.* idem dicendũ de impediẽte Prælatũ in cauſa mixti fori, in qua iudex ſæcularis habuit præuentionem, quia per ſacros Canones iniuſtè procederet iudex Eccleſiaſticus in tali cauſa, in qua habuit prçuentionẽ iudex ſçcularis, cum ſacri Canones approbent præuentionẽ ſeruandam in cauſa mixti fori, incurreret autem impediens Prælatum in cauſa mixti fori, ſi iam Prælatus habuit prçuentionem, quia per præuentionem iam iudex eccleſiaſticus in tali caſu acquiſiuit iuriſdictionem; Ita *Graff. p. 1. deciſ. l. 4 c. 18. Vgol. hic §. 2. Duar. q. 5. Souſa diſp. 18. & Bonac. loc. cit.*

Dico tertiò, quod impediens Prælatum ex cauſa non certa, ſed dubia an iuſtè vtatur ſua iuriſdictione eccleſiaſtica incurrit in hanc excommunicationẽ, quia ſuperior non præſumitur facere delictum, niſi probetur, in facto enim ſuperioris non prçſumitur delictum, & poſſeſſio iuriſdictionis iuſtè exercendæ ſtat pro Prælato, ergo iniuſtè impediretur ſub prætextu dubitationis de iniuſtitia. Ita *Alter. loc. cit. ſub finem, Duard. hic & Bonac. loc. cit.*

Vtrum mandans Prælato Eccleſiaſtico, vt excommunicationem à ſe iuſtè latam reuocet, incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. II.

NEgat *Bonac.* ex co quia in hac Canone excommunicantur impediente Prælatum ne ſua iuriſdictione vtatur, non autem facientes, vt effectũ iuriſdictionis iã completum reuocet, quia functus eſt iudex officio ſuæ iuriſdictionis poſtquã in reum protulit ſententiã excõmunic. limitat tamen hoc nõ currere de mandante Prælato, vt reuocet excommunicationẽ cõminatoriam, quia non compleuit effectum ſuæ iuriſdictionis, quare impediret iuriſdictionem, & eſſet hic excommunicatus.

Ceterum affirmandum probabilius cenſco cum *Vgol. hic n. 2.* quia verè in hoc caſu impedit Prælatum, ne ſua iuriſdictione vtatur, abſolutio enim ab excommunicatione eſt actus iuriſdictionis, mãdans aũt reuocare excõmunicationẽ, impedit ne iuriſdictione abſoluendi reũ vtatur itaq; falsũ eſt cõpleuiſſe actũ ſuę iuriſdictionis poſtquã excõmunicauit, quia adhuc habet iuriſdictionẽ abſoluendi reũ, cum abſolutio in foro ſori ab excõmunicatione ab homine ad iudicem excommunicantem, regulariter pertineat, benè tamen verum eſt, quod ligatur alia excommunicatione lata in cap. vnico de his, quæ vi, metusve gratia fiunt extorquens abſolutionem per vim, & metũ, ſed in hac difficult. quæritur de mandãre, vt excõmunicationẽ reuocet, nam reuocare excõmunicationẽ eſt ſimplicer ſuſpendere effectum, quod poteſt facere abſq; eo, quod pænitentem reum de contumacia abſoluat, abſoluere autem neceſſariò ſupponit pænitentem de contumacia, quare aliud eſt extorquere abſolutionem per vim, & metum à Prælato, rationabili de cauſa abſolutionem differente, aliud eſt mandare, vt reuocet excommunicationem latam ſuſpendendo eius effectum, extor-

quere prohibetur in præfato c. vnico, mandare autẽ ſuſpendere excommunicationem, videtur in hoc Canone prohibitum.

Vtrum priuata authoritate præciſa omni iuriſdictionis ſuſpicione impediens Prælatum contra tenorem huius Canonis hic excommunicetur. DIFFIC. III.

Licet *Nauar. c. 27. n. 64. & 70. Graff. p. 1. l. 4. c. 18. Duar. hic qu. 3. Suar. diſp. 21. & Alter. hic c. 1.* videantur probabiliter negare, ex eo, quia canon iſte videtur continuari cum antecedenti, in quo ſermo eſt de authoritate publica, & non priuata, attamen videtur Pontifex in hoc Canone generalius loqui, dum ponit hic particulam (Quomodolibet) per quam videtur extendere etiam ad impedientem authoritate priuata, & videtur confirmare Canonem *in c. quoniam de immunit. Anchar. & Franc. in d. c. excommunic.* etiam impedientes Prælatos ne ſua iuriſdictione vtantur etiam authoritate priuata, vide *Bonacin. loc. cit.*

Vtrum impediens Prælatum ne ſua iuriſdictione delegata, vel iuriſdictione temporali vtatur in locis ſibi temporaliter ſubiectis incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod opinio *Vgolin.* affirmantis impedientem Prælatum ne ſua iuriſdictione delegata vtatur in hanc excommunicationem incidere videtur eſſe contra tenorem huius Canonis, in quo expreſsè eſt ſermo de iuriſdictione ordinaria, ergo potius negatiuè reſpondendum. Ita etiam *Duard. Alter. loc. cit.* Vnde collige, quod impedientes iuriſdictionem Cardinalium Legatorum à latere, vel in proprijs titularibus Eccleſijs, Epiſcoporum, Abbatum, Ordinariorũ loci, Generalium, Prouincialium, Superiorum localium ordinum Regularium, Decanorum, Archidiaconum, & conſimilium habentium authoritatẽ ordinariam, in quibus etiam numerantur Vicarij Epiſcoporum, qui de iure ratione officij vtuntur authoritate ordinaria, immo ipſi Epiſcopi in caſibus, in quibus à Concilio Tridentino, vel Sacris Canonibus, & Pontificijs conſtitutionibus datur facultas perpetua ratione dignitatis, vt procedant in cauſis tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ cenſendi ſunt ordinarij, iſtos ergo impedientes ne vtantur ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica hic excommunicatur. Ita *Suar. diſp. 21. Sec. 2. Filiuc. tract. 11. c. 2. quæſ. 6. Alter. diſp. 17. c. 1. Sayr. l. 3. c. 10. Duard. can. 16. qu. 2.* Attamen

Dico ſecundò, quod recurrens ad tribunal ſæculare, vt impediat inhibitiones, & mandata iudicis Eccleſiaſtici etiam delegati incurrit in excommunicationem, quia in hoc Canone hoc ſpecialiter exprimitur, & differentia lata eſt inter impedientem ne delegatus ſua vtatur iuriſdictione, & inter recurrentem ad tribunal ſæculare ad impedienda ſua mandata, & inhibitiones, nam maior malitia eſt in recurrente ad tribunal Sæculare, & maius præiudicium contra libertatem Eccleſiaſticam, quam in ſimpliciter impediente.

Dico tertiò, quod impediens Prælatum ne ſua vtatur iuriſdictione temporali in terris ſibi temporaliter ſubiectis nõ incurſit in excõmunicationem latam in hoc canone, quia hic ſolum expreſsè eſt ſermo de impediente iuriſdictionem Eccleſiaſticam, in odioſis autẽ nõ eſt faciẽda extẽſio. Ita Doctores citati.

Vtrum impediens Epiſcopum electum, non tamen conſecratum ne vtatur iuriſdictione Eccleſiaſtica, vel etiam conſecratum ne vtatur poteſtate ordinis incidat in hanc excommunicationem. DIFFIC. V.

Dico primò, quod ſi Epiſcopus ſit electus, & confirmatus & poſſeſſionem cæpit per litteras Apoſtolicas, ſeu Epiſcopatus, cum impediens excommunicatur hic, quia, habet plenam iuriſdictionem Epiſcopalem, ſi vero non accepit poſſeſſionem, non incidit impediens, quia nullam habet iuriſdictionem ante poſſeſſionem captam. Imò tam Epiſcopus, quam recipientes antequam per litteras Apoſtolicas capiatur poſſeſſio incidunt in pœnas extrau. in iniunct. de elect. ſi iuriſdictionis actus exerceatur, & acceptetur. Ita *Panor. in c. qualiter de elect. Duard. Bonac. & Alter. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod nimis benigne pro poteſtate ordinis Epiſcopalis videtur ſentire Alterius putans impedientem. Epiſcopum ne hac poteſtate vtatur, puta in conſecrando, ordinando, & abſoluendo in foro conſcientiæ incidere in hanc excommunicationem, quandoquidem cum ſimus in pœnalibus non debet fieri extenſio, in hoc autem Canone eſt ſermo ſimpliciter cõtra impedientẽ Prælatos ne ſua iuriſdictione Eccleſiſtica vtantur; at verò differt multũ poteſtas ordinis à poteſtate iuriſdictionis, vt patet omnibus primis etiã labijs ſacros Canones deguſtantibus. Ita etiam *Duard. Vgolin. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum impediens Iudicem Eccleſiaſticum ne vtatur iuriſdictione in cauſis pertinentibus ad ipſum ex mera, & ſola conſuetudine incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VI.

Diſtinguunt aliqui, nam vel hæc conſuetudo confirmata, & approbata eſt per ſacros Canones, & conſtitutiones Eccleſiaſticas, & in hoc caſu affirmatiuè reſpondendum, quia iudex Eccleſiaſticus per talem approbationem acquiſiuit iuriſdictionem à iure canonico, puta ſi alicubi recepta ſit antiqua conſuetudine laicum poſſe conueniri coram iudice Eccleſiaſtico pro rebus Clericorum, ſi iudex Sæcularis impediat, incidit, quia hæc conſuetudo approbatur *in c. cum ſit generale 8. de foro compet.* Item ſi ſæcularis impediat Eccleſiaſticum iudicem in perſona, re, & negotio, ſuper quæ eccleſiaſticus acquiſiuit ex antiqua conſuetudine iuriſdictionem, incurrit in hanc excommunicationem, quia hæc conſuetudo approbatur *in c. quoniam de immunit. Eccleſiaſt.* quod ſi conſuetudo nõ ſit approbata per Canones, non incurrit impediens, quia non videtur vti iuriſdictione verè Eccleſiaſtica. Ita *Bonac. loc. cit. & Filiuc. in parte c. 10. q. 10.*

Ceterum in rebus temporalibus non videtur ita certa hæc doctrina, quia licet ſit confirmata per Canones adhuc in re tẽporali debet iuriſdictio temporalis vocari.

Vtrum impediens Iudicem Eccleſiaſticum vtentem ſua iuriſdictione accepta à ſtatuto Concilij Prouincialis incidat in hanc excommunicationem. DIFFIC. VII.

Negare videntur *Bonac. & Alter.* quia huiuſmodi ſtatuta cum non ſit vniuerſalia non faciunt libertatem eccleſiaſticam, quæ vniuerſaliter ſolum concelſa eſt per ſtatuta Põtificia, tanquam ab vniuerſali Paſtore, & quidem non improbabiliter, attamẽ poteſt dici etiã, & fortè probabilius, quod incidat in hoc caſu impediens, quia ſtatutum Concilij Prouincialis eſt confirmatũ Apoſtolica authoritate, aliter nullius eſſet roboris itaque dat verè iuriſdictionem eccleſiaſticam, vnde *in diſt. 3. §. porro ſtatut. prouinc.* vocantur Canones. Ita *Souſa hic can. 17.*

Vtrum ſi quis poſt ſententiam iniuſtam acceptam à Iudice Eccleſiaſtico, recurrat ad Tribunal ſæculare, vt eius iudicium eludat incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

Quamuis negare videantur *Souſa, Cenall. Couar. loc. cit.* ex eo quia habent iuſtam cauſam recurrendi, attamen omnino affirmandũ, quia iniuſtitia facta à iudice eccleſiaſtico non dat authoritatem recurrendi ad iudicem ſæcularem, qui nullam habet iuriſdictionem contra determinata in foro eccleſiaſtico debet enim recurrere ad alium iudicẽ eccleſiaſticũ pro iniuſtitia vitanda, quod ſi nullus ſit Superior eccleſiaſticus, qui euidẽs audiat de iniuſtitia, ſi malũ, & damnũ ſit notoriè eũ, & imminẽs dicendum eſt iuxta determinata in ſuperiori Canone.

Vtrum à foro Eccleſiaſtico ad ſæculare recurrens, quando nec inhibitio, nec mandatum, nec quicquam aliud obtinetur contra Iudicem Eccleſiaſticum incurrat in hanc excommunicationem. DIFFIC. IX.

Negant *Nauar. conſ. 20. de ſent. excom. Filiuc. tract. 16. c. 10. q. 12. Vgol. hic Duard. can. 16. q. 6. & Viuald.* hic ex eo quia nulla ſit iniuria foro eccleſiaſtico per ſolum recurſum, quia copulatiuè hic prohiberi putant, prohibere, recurrere, & procurare decerni, & executioni mandari decreta, & prohibitiones contra iudices eccleſiaſticos.

Affirmant tamen *Bonac. & Alter. loc. cit. & Reginal. l. 9. c. 24.* exiſtimantes dictas actiones diſiunctiuè ſumendas, & quãlibet affici excommunicatione, vtpotè habentem malitiam diſtinctam; imò Bonac. exiſtimat tres actiones præfatas diſtinctè facientes in tres excommunicationes diſtinctas incidere, ſi moraliter ſint interruptæ, ſecus ſi continuatæ fuerint, rigorosè nimis videntur loqui iſti doctores licet probabiliter, mitius verò, & probabiliter etiam primæ ſententiæ Doctores, cum videntur illæ actiones ſub alternatiua prohiberi ad euitandam iniuriã

contra

Digitized by Google

contra libertatem eccleſiaſticam, quæ videtur irrogari propriè per impedimentum porrectum per inhibitiones, & mandata contra iudicem eccleſiaſticum.

Vtrum curans tolli, & deleri à Curia ſæculari decreta à Iudice ſæculari in fauorem, & confirmationem decretorum Eccleſiaſticorum incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. X.

NEgant communius Doctores, & probabiliter, quia in hoc canone non eſt ſermo de impedimentis decretorum ſæcularium iudicum in fauorem eccleſiaſticorum, ſed de impedimentis datis contra executionem decretorum, iudicis eccleſiaſtici, ne ſua poſſit vti iuriſdictione eccleſiaſtica, quare cum ſimus in pœnalibus non eſt facienda extenſio de caſu ad caſū. Ita etiam *Sayr l.3.c.2. Souſa hic c.17. Bonac. & Filiuc. loc. ci.*

Vtrum procurans à Iudice ſæculari mandata non pœnalia contra Iudicem Eccleſiaſticum, vel ne litiget coram iſto incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XI.

DIco primò, incidere in hanc excommunicationem procurantem à Iudice ſæculari contra Eccleſiaſticum mandata etiam non pœnalia, quia in hoc Canone ponitur particula amplificatiua *(etiam pœnalia)* quæ facit ſenſum, vt omnia mandata excludat procurari contra Eccleſiaſticum à Iudice ſæculari, maximè autem pœnalia, itaut ly etiam non habeat ſe reſtrictiuè, ſed amplificatiuè. Ita etiam *Reginal. Duard. Alter. & Bonac.* Quare.

Dico ſecundò, quod probabilius dicendum videtur non ſolum excommunicari in c. quoniam de immunitate Eccleſ. impedientem, ne quis litiget coram iudice Eccleſiaſtico, verum etiam in hoc Canone, quia impedit indirectè iuriſdictionem Eccleſiaſticam, dum impedit, ne ad eam recurſus fiat, hic autem excommunicantur etiam indirectè impedientes, vt patet in Canone. Ita etiam Doctores citati.

Vtrum impediens Iudicem Eccleſiaſticum ne vtatur ſua iuriſdictione occidendo, vel vulnerando propter priuatas inimicitias, & non propter iuriſdictionem Eccleſiaſticam incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. XII.

COmmuniter negant Doctores, quia expreſsè ponitur in hoc Canone illa particula (Quomodolibet hac de cauſa) ergo impedientes ob aliam cauſam non excommunicantur in hoc Canone, ſolum enim excommunicationem reſtringit ad impedientes reſpectu iuriſdictionis Eccleſiaſticæ lædendæ. Ita etiam *Bonacina*.

Vtrum Iudices Eccleſiaſtici ſe inuicem impedientes ne vtantur ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica afficiantur hac excommunicatione. DIFFIC. XIII.

DIſtinguendum videtur, nam vel impediunt ſe inuicem authoritate Eccleſiaſtica, & in hoc caſu, quia non offenditur libertas Eccleſiaſtica, non incurritur hæc excommunicatio, vel impediunt ſe inuicem ex recurſu ad forum ſæculare procurando inhibitiones, & mandata à iudice ſæculari contra ſe inuicem, & in hoc caſu incurritur à recurrente, quia in hoc Canone generaliter fertur excommunicatio contra quoſcumque impedientes vti iuriſdictione Eccleſiaſtica, ſiue ſæculares ſint, ſiue Eccleſiaſtici tentantes hanc iniuriam contra libertatem Eccleſiaſticam. Ita *Alter. Bonac. & Duard.*

Nota etiam hoc, quod fratres meæ minoriticæ obſeruantiæ impedientes ordinationes Commiſſarij miſſi à noſtro Generali per recurſus ad Curiam ſæcularium non ſolum excommunicantur in hoc Canone, verum etiam in Bulla ſpeciali edita contra ipſos à *Gregorio XIII. quæ incipit Quoniam neſcio Paſtoralis officij.*

EXCOMMVNICATIO XVII.

Contra	Vſurpantes Sequeſtrantes ſine legitima facultate.	Iuriſdictiones Fructus Redditus, & Prouentus	Pertinentes	Ad ſummum Pōtificem Ad Sedem Apoſtolicam. Ad quaſcunque etiam alias perſonas Eccleſiaſticas.	Ratione Eccleſiarū Monaſteriorum, et Aliorum beneficior. Eccleſiaſticorum.

Vtrum latrones deprædantes, vel etiam alij iuſtam cauſam prætendentes circa retentionem fructuum Eccleſiaſticorum incurrant in hanc excommunicationem decimā ſeptimam.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod nimis rigoroſa videtur ſententia Sayri putantis latrones deprædantes, ſicut etiam milites, & fures rapientes bona Eccleſiaſtica incurrere in hanc excommunicationem ex eo quia huiuſmodi deprædationes, & raptus videntur ſapere quamdam vſurpationem, nam vſurpatio propriè dicitur in ſuo ſtricto rigore, qua quis rem alienam, quam ſcit eſſe alienam, tanquam rem ſibi debitam trahit, & detinet, latrones autem fures, & milites regulariter ſub hoc prætextu non rapiunt quare, & ipſe *Sayrus l.2. c.21.* probabiliter negat cum alijs iſtos non incurrere, ita etiam *Nauar. c.27. num.69. Suar. diſp.21. ſect.2. Vgol. hic c.12. Reginald. l.9. c.21. Tolet. l.1. c.28. Alter. diſp.18. c.1. Duard. can.7. q.10. Bonac. quæſt.18. punct.1. Souſa diſp.87.* Quare

Dico ſecundò, quod fructus Eccleſiæ ab aliquo vſurpatos apud ſe exiſtentes ex negligentia eos ſoluēdo retinet nō tāquā ſibi debitos, nec ad ſe pertinētes, nō incidit quia ſola negligētia non conſtituit vſurpatorem, ſecus ſi ſub hoc titulo tanquam ſibi debitos retineat, quia hic non ſolum primus vſurpator, ſed etiam ſecundus, tertius vſque in infinitum vſurpatores excōmunicantur, modo ſemper ſint in mala fide, & ſciant eſſe Eccleſiaſticos fructus, quos retinent. Ita *Cardin. in Clem.1. num.22. de Decimis, Alter. & Bonac. loc. cit.*

Dico tertiò, quod incurrit hanc excommunicationem putans diuina officia malè adminiſtrari, ideo retinet bona Eccleſiæ tradita à ſuis prædeceſſoribus tanquam ad ſe pertinentia, quia bona iam incorporata Eccleſiæ non amplius redeunt ad ſucceſſores dantis ratione malæ adminiſtrationis, niſi ſpecialiter de hoc adſit factum in fundatorio, vel in legato. Ita *Tolet. l.5. c.29. Reginald. & Bonac. loc. cit.*

Dico quartò, quod ſentientes non excōmunicari hic tanquā legitimam excuſationē habentes illos, qui bona Eccleſiæ vſurpāt, non quatenus Eccleſiæ ſunt, ſed tāquā ad ſe pertinētia, vidētur parū probabiliter loqui ad aures huius Canonis cēſentes hic excōmunicari ſolum eos, qui vſurpant bona Eccleſiæ reduplicatiuè quatenus Eccleſiæ ſunt, eaq; ſibi appropriant in cōtemptum Eccleſiæ ſolum, non autē eos, qui ſolū tanquā ad ſe pertinentia retinet, quia Pontifex non vtitur hac metaphyſica reduplicatione, ſed ſimpliciter, & abſolutè excommunicat vſurpantes bona Eccleſiæ. Ita etiam *Sayr. Bonac. & Filiu. ſentiunt contra Alt. Caiet. & Nau.* partē negatiuā ſequētes, quā vix probabilem exiſtimo, tanquam mitius ſenſum huius Canonis interpretantem contra libertatem Eccleſiaſticam.

Vtrum vſurpantes iuriſdictionem temporalem ſolum Eccleſiaſticorum hac excommunicatione feriantur.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod probabilius ſentiendum videtur quamcunque iuriſdictionem vſurpantes ſiue tēporalē ſiue ſpiritualē hic excōmunicari, nā Papa in hoc Canone ſub numero plurali expreſſit iuriſdictiones, & licet de iuriſdictione ſpirituali locutus fuerit in ſuperioribus Canonibus, nō tamē incōgruū eſt, vt eamdem rem in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ fortius prohibeat, iterum atque iterum cenſura puniat, ergo dum in hoc Canone de fructibus tēporalibus ſermo eſt præcipuus, qui etiam ratione iuriſdictionis ſpiritualis prouenire poſſunt nihil mirū ſi etiam inuehitur Papa contra vſurpantē iuriſdictionē tēporalē ex illa prouenientē. Ita *Suar. Vg. Duar. q.3. Bon. Souſ.*

& *Filiuc. loc. cit.* contra Alterſum contrarium opinantem.

Dico ſecundò, hic non eſſe ſermonem de iuriſdictione delegata, quia hęc non venit ſub nomine beneficij, vel monaſterij, ſed ſolum ex commiſſione, & ad tempus. Ita etiam *Bonac. loc. cit. punct. 2. num. 20.*

Vtrum vſurpans res mobiles Eccleſiaſticorum, non tamen fructiferas incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XIV.

Dico, quod in hoc Canone ſolum res fructiferas, ſiue mobiles, ſiue immobiles pertinentes ad Eccleſiaſticos ſiue ratione temporalis, ſiue ſpiritualis iuriſdictionis; bona autem mobilia fructifera ſunt ouium, boum, & equorum greges, & armenta, ita vſurpans vnum, vel alterum animalium factum ſterile, vel pannos ſericos, vel lanços, vel lineos, & vaſa cuiuſcumque generis, ex quibus nullus fructus percipitur ab Eccleſiaſticis non excommunicatur in hoc Canone, quia res mobilis non fructifera non venit nec ſub nomine Iuriſdictionis, nec fructuum, nec prouentuum, nec reddituum, quorum hic vſurpatio prohibetur. Verum

Quænam veniant ſub nomine iuriſdictionum fructum, redditum, & Prouentuum, quorum vſurpatio in hoc Canone interdicitur.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod nomine Iuriſdictionis hic intelligitur poteſtas dicendi, ius circa res, & perſonas ſiue ſit Eccleſiaſtica, ſiue modo pertineat ratione Eccleſiarum, ſiue monaſteriorum ad perſonas Eccleſiaſticus, ſiue ſit iuriſdictio contentioſa, ſiuè gratioſa, & voluntaria.

Dico ſecundò, quod nomine fructuum hic veniunt tam naturales, qui ſuapte natura producuntur, ſiuè induſtriales ideſt hominis induſtria prouenientes; ſimiliter nomine fructuum venit ius fruendi aliqua re fructifera; Nomine autem reddituum intelliguntur annui fructus debiti à verbo redeo, quaſi annuatim redeant, ſiuè ex cenſibus, ſiue ex poſſeſſionibus nomine verò prouentuum veniunt omnia, quocũque titulo proueniant, ſiue à mulcta, & iuriſdictione, ſiue alio colore &c.

Dico tertiò, quod differentia inter fructus, redditus, & prouentus ea dicitur eſſe, quia fructibus deducendæ expenſæ factæ cauſa acquirendi, colligẽdi, & conſeruãdi eoſdẽ fructus, de cetero cõueniunt, & pro eodẽ ſumũtur, quare vſurpans glandes, oleas, cæduas arbores fænum, triticum, vinum, penſiones domorum, prædiorum, cenſus, decimas, fætus animalium, pilum, lac, lanam, linum, vecturas nauium, vel iumentorum, mercedes colonorum, ſeruorumq; opera ſpectantia ratione beneficiorum, & monaſteriorum ad perſonas Eccleſiaſticas, adde etiam pecuniam redactam ex redditibus pannos, & panes ex fructibus confecta, an vero etiam pecunia ex venditione fructuum hic veniat ſub nomine fructuum, affirmat *Filiucc.* negat probabilius *Bonacina*, iſta ergo omnia, & ſingula tanquam propria ſibi exigens, & retinens in damnum Eccleſiarum, & Monaſteriorum incidit in excommunicationem huius Canonis. *Vide Bonac. Duar. Alt. Filiuc. & Vg. loc. cit.*

Dico quartò, quod licet aliqui putent diſtributiones Canonicorum ad eos ſpectantes ratione intereſſentiæ in choro venire ſub nomine fructuum in hoc Canone, & conſequenter eos vſurpans incidat in hanc excommunicationem, vt videtur velle *Duardus* attamen quia ſumus in pœnalibus, contrarium videtur probabilius, quia in rigore diſtributiones quotidianæ Canonicorum non veniunt ſub nomine fructuum beneficij, ſed ſolum ratione ſtipendij, & mercedis pro ſeruitio actuali Chori, vel Eccleſiæ, vt dicetur infra V. Diſtributiones. Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Vtrum vſurpans fructus bonorum patrimonialium Clerici ad quorum titulum ordinatus eſt, vel aliorum bonorum &c. ex hæreditate, vel legato ſibi obuenientium, vel redditum annuum legatum Religioſo incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

Affirmant vſurpantem fructus bonorum, ad quorum titulum ordinatus eſt Clericus incidere in hanc Bullam *Vgol. hic §. 2. Duard. quæſt. 5. & 13. & Martha de iuriſd. p. 4.* caſu 11. quia gaudent priuilegio bonorum Eccleſiaſticorum fructus talium bonorum. Attamen

Dico primò, quod probabilius negant alij, quia fructus iſti non pertinent ad Clericum ratione Eccleſiarum, vel Monaſteriorum, & licet in multis gaudeant priuilegio bonorum Eccleſiaſticorum, non tamen in hac materia, dum in hoc Canone non ſpecificantur, ſed ſolum fit reſtrictio ad fructus prouenientes ratione Eccleſiarum, beneficiorum, & monaſteriorum, in pœnalibus autem non debet fieri extenſio. Ita *Nauar. cap. 27. num. 71. Caiet. V. Excommun. cap. 27. Sayr. l. 3. cap. 21. Suar. & Bonac. loc. citat. Souſa diſput. 86. Tolet. l. 1. cap. 28. Graff. deciſ. l. 4. c. 18. & Filiucc. tract. 16. c. 8. q. 9.* Quare

Dico ſecundò, quod tantominus gaudent hoc priuilegio fructus bonorum prouenientium Clerico ratione hæreditatis vel legati, nec fructus ratione Altaris, vel Cappellæ, quæ non habent titulum beneficij, quia talis Cappella ſine titulo non venit ſub nomine beneficij, ſecus ſi authoritate Epiſcopi fuerit ditata, quia tunc venit ſub nomine beneficij ex gloſ. in Clem. 2. de Dec. & Felin c. ex parte de Reſcr. Amplia etiam nec gaudere priuilegio huius Canonis fructus beneficij, quos conducit alter Clericus, quia non pertinent ad Clericum tanquam ad beneficiarium, ſed tanquam ad conductorem. Ita *Duard. & Bonac. loc. cit.* ex quibus deducendum vſurpantem in præfatis fructus obuenientes Clerico ratione hæreditatis paternæ legati, donationis, induſtriæ, & ſimilium, qui non obueniunt ipſi ratione dignitatis, vel beneficij Eccleſiaſtici non incidere in hanc excommunicationem, quia in hoc Canone ſolum fructus ratione Eccleſiarum, beneficiorum, & Monaſteriorum comprehenduntur, & non alij. Quare

Dico tertiò, quod loquendo de reditu annuo, vel ex bonis hæreditarijs, vel legatis Religioſo, diſtinguendum eſt, nam ſi talia bona incorporata fuerunt Monaſterio, licet Prælatus concedat tales redditus, & fructus, vſurpans incidit, quia quicquid Monachus acquirit, monaſterio acquirit, & verè fructus dicuntur ſpectare ad monaſterium, licet monacho particulari Prælatus eorum dederit adminiſtrationem, quod ſi adhuc monaſterio bona non fuerint incorporata, & ſolum hæres ſit in mora conſignandi fructus non incidit in hanc excommunicationem, quia adhuc non dicuntur talia bona eſſe monaſterij.

Vtrum vſurpans redditus Oratorij priuati, Cæmeterij, & Hoſpitalis hac excommunicatione plectatur.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod diſtinguendum videtur, nam vel oratorium priuatum eſt tale, vt in eo non dicatur Miſſa de licentia Epiſcopi, & hoc non venit ſub nomine Eccleſiæ, ita etiam ſi Cæmeterium non ſit pars Eccleſiæ vel monaſterij, & in eo non dicatur miſſa, nec venit ſub nomine Eccleſiæ quare horum fructus vſurpans non incidit in hanc excommunicationem, neque in eam, quæ fertur in *Concilio Tridentino ſeſſ. 22. c. 11. vt volunt Duard. q. 6. & Bonac. punct. 2.* in materia enim pœnali ſtricta facienda eſt interpretatio, ſecus ſi in ipſis celebretur miſſa de licentia Epiſcopi, quia tunc habent rationem Eccleſiæ. Ita citati Doctores.

Dico ſecundò, quod an Hoſpitalia etiam erecta authoritate Epiſcopi gaudeant priuilegio huius Canonis, variãt Doctores, negant probabiliter Bonac. & alij, quia verè Hoſpitale nec eſt Eccleſia, nec monaſterium, ſed ſolum locus pius, locus autem pius non exprimitur in Canone præſenti, ergo cum ſimus in pœnalibus, non eſt facienda extenſio etiam ad locum pium; attamen *Alter. diſp. 1. c. 2. q. 4. & Duard. hic q. 9. num. 6. & 9.* affirmant quia Hoſpitalia fundata authoritate Epiſcopi putant venire ſub nomine beneficij Eccleſiaſtici, quod tamẽ vix capio, poteſt tamen dici vera hæc opinio, ſi in ipſis dicatur miſſa auctoritate Epiſcopi.

Vtrum vſurpans ipſa prædia, fundos Eccleſiæ, & ipſa beneficia incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quod ſententia eorum, qui negant vſurpantem prædia, & fundos Eccleſiarum, & Monaſteriorum incidere hanc excommunicationem, videtur parum huic Canoni conſentanea, nam licet hic non ſit ſermo ſpecialiter de vſurpantibus prædia, & agros Eccleſiarum, ſed ſolum de vſurpantibus fructus, tamen quia non poteſt prohiberi effectus, niſi cauſa prohibeatur, dum Pontifex prohibet vſurpari fructus, multo magis prohibet vſurpari cauſas fructuum, quæ ſunt Agri, & prædia, propter quod vnumquodq; tale, & illud magis, quare non improbabiliter ſentẽtiam negatiuam limitat *Duar. hic q. 4. n. 18.* volens quod tunc non excommunicatur vſurpans prædia, & Agros, quando non vſurpat etiam fructus eorum,

rum, ſed ſinat eos ab Eccleſiaſticis percipi. Verum parum credibile poteſt eſſe, quod quis vſurpet prædia, & agros, & non eorum fructus, quare.

Dico ſecundò, quod abſolutè probabilius affirmatur talē vſurpantem prædia, & agros Eccleſiarum, & Monaſteriorū incidere in excommunicationem huius Canonis, etiam ſi fructus ſinat Eccleſiaſticos reddi, quia ius fruendi, poſſidendi, & adminiſtrandi prædia, & agros connumeratur inter fructus *l. vacca emptor ff. de euict. & l. per ſeruum, ſi vſufructus, ff. de vſu & habitat.* Saltem tale ius poſſidendi, adminiſtrandi, & locandi videtur ad iuriſdictionem reduci, quæ etiam ſub excommunicatione prohibetur vſurpari in hoc Canone. Ita *Bonac. Alter. loc. cit.*

Dico tertiò, quod vſurpans prædii beneficii temporalis non incidit in hanc excommunicationem, quia hic eſt ſermo de beneficiis habentibus titulum ſpirituale, beneficia autem temporalia ſunt illorum prædia, & agri equitum, qui non ſunt vere Religioſi, qui nec gaudent priuilegio Canonis, & fori, ſecus dicendum de beneficiis equitum, qui ſunt verè Religioſi profitentes caſtitatem ſaltem coniugalem, vt ſunt Equites S. Ioannis, vel S. Iacobi, vt alibi dicetur, quia horū agri, & poſſeſſiones gaudent priuilegio huius canonis.

Vtrum vſurpans fructus beneficiorum vacantium incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

Dico primò, quod ſentientes vſurpantem fructus beneficiorum vacantium non incurrere hanc excommunicationem, non videntur probabiliter ratiocinari, dum putant hoſce fructus tempore vacantiæ non pertinere ad perſonas Eccleſiaſticas, ita *Caut. V. excomm. c. 17. & Tolet. l. 1. c. 29.* quia fructus tempore vacantiæ, vel pertinent habitualiter ad ſucceſſorem, vel actualiter ad Cameram Apoſtolicam, vel ad œconomos adminiſtrantes onera beneficiorum. Itaque

Dico ſecundò, probabilius omnino affirmandum in hanc excommunicationem incidere vſurpantes fructus beneficiorum vacantium, quia ſi impunè abſque periculo huius excommunicationis poſſet quis vſurpare fructus tempore vacantiæ, eluderetur intentio Papæ in hoc Canone defendendi fructus eccleſiarum, nam nullo tempore timetur magis vſurpatio talium fructuum, quam tempore vacantiæ. Ita *Alter. diſp. 18. c. 2. Reginal. l. q. c. 25. Filiuc. tract. 16. n. 217. Duard. l. 2. can. 17. q. 12. Vgol. h. § 2. Souſa diſp. 88. & Banac. punct. 2. num. 31. loc. cit.*

Dico tertiò, quod vſurpantes fructus Monaſteriorum, in quibus, vel omnes Monachi mortui ſunt, vel alio fugerunt, vel tranſlati ſunt incurrunt etiam hanc excommunicationē, quia, vel ſpectant ad alia monaſteria eiuſdem ordinis, vel ad Summum Pontificem. Ita *Bonac. Souſa, Alter. & Duard. loc. cit.*

Vtrum vſurpantes fructus, redditus, & prouentus Papæ, vt eſt Dominus temporalis incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. IX.

Qvamuis aliqui negauerint, quia fructus pertinentes ad Papam, vt eſt Dominus temporalis non ſunt propriè fructus Eccleſiæ, vel Monaſterii, nec beneficii, attamen non bene ratiocinātur, quia Papa ratione papatus etiam eſt Dominus temporalis, participatque fructus ex tali dominio, tāquam pertinentes etiam in temporalibus ad ſanctam ſedem Apoſtolicam, & vocatur Papatus ſummum beneficium immediatè à Deo conceſſum per electionem, quare fructus bonorum temporalium Sedis Apoſtolicæ veniunt nomine fructuum Sedis Apoſtolicæ, itaq; vſurpans huiuſmodi fructus, etiam hic probabilius dicuntur excommunicari, ſecus tamē ſi vſurparet fructus bonorum patrimonialium, vel legatorū Papæ, vt perſona particularis eſt, quia hæc non ſunt bona Apoſtolica. Ita *Bonac.*

Vtrum ſequeſtrans fructus Beneficiorum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum ad tollendas diſcordias, & ſeruandos fructus ne diſſipentur incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. X.

Dico primò, quod ſequeſtratio ex cauſa quātumuis iuſta ſi fiat propria authoritate abſq; expreſſa licentia comprehenditur in hoc Canone, quia interdicitur ſequeſtratio quauis occaſione ſiuè iuſta, ſiuè iniuſta ſine facultate data à Papa, vel ab habente poteſtatem licentiandi ad faciendam ſequeſtrationem, quam poſſe dare Epiſcopum, vel eius Vicarium generalē ſi periculum ſit in mora docent etiam *Vgol. Alter. Bonac. & Reginal. loc. cit.* imò partes conſentientes ſimul poſſunt permittere ſequeſtrationem fructuum, donec de iure cauſa terminetur, ad quem ſpectare debeant, volenti enim non fit iniuria, hic autem prohibetur ſequeſtratio authoritatiua violenta in præiudicium partium, non autem voluntaria, vt notant *Souſa, Alter. & Bonac. loc. cit.* Verum

Dico ſecundò, quod in ſequeſtratione tali non ſufficit cōſenſus partis per ratihabitionem, vt excuſetur ſequeſtrans ab hac excommunicatione, quia quando requiritur expreſſa licentia, & conſenſus ante factum, non ſufficit ratihabitio, quæ ſperatur, nam hæc licentia, & conſenſus per ratihabitionem eſt poſt factum, ergo ſequeſtrans cum ſpe ratihabitionis, cum verè ſequeſtret abſque licentia, & conſenſu expreſſo incidit in hanc excommunicationem. Ita *Panor. in c. licet n. 11. de Regul. Duard. & Banac. loc. cit.* Ex quibus

Collige primum non ſufficere licentiam petitam, & non obtentam in ſequeſtratione facienda ad euitandam excommunicationem, quia in Canone requiritur licentia expreſſa.

Collige ſecundò, quod etiam ſi iniuſtè licentia deneget, adhuc ſequeſtratio nequit fieri, nam licentia iniuſtè denegata non confert iuriſdictionem, vbi requiritur licentia expreſsè, vide *Panor. in c. Prælatum 1. de Cler. non Reſid. Duard. Banac. & Alter. loc. cit.*

Vtrum Epiſcopus concedens authoritatem ſequeſtrandi fructus beneficiorum incidat in hanc excommunicationem, ſi ſequeſtratio non debeat fieri ſecundum ius.

DIFFIC. XI.

Diſtinguit Bonac. nam vel ſequeſtratio ſolum eſt iniuſta, ſed valida, non incidit concedens ſequeſtrum, ſi verò ſit nulla vtporè ſi fiat lite pendente, quando nihil innouandum de iure, *ex l. vnica C. de prohib. ſequeſtr. & c. 1.* vt lite pendente incidit in excommunicationem, quia vtitur authoritate, quam non habet.

Attamen probabilius abſolutè negandum, quia in Canone iſto videntur eſſe ſermo contra iudices ſæculares ſequeſtrantes ſine licentia, non autem contra iudicē eccleſiaſticum qui validè, an inualidè, iuſtè, an iniuſtè ſequeſtret, non facit contra libertatem eccleſiaſticam, quę hic à Papa defenditur, peccat autem ſolum contra charitatem, vel iuſtitiam non procedens iuxta iuris diſpoſitionem. Vide *Alter. Duard. & Vgolin. loc. cit.*

Vtrum mandans ſequeſtrari fructus beneficiorum incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XII.

Dico primò, quod vel mandans eſt iudex, & ſic ſanè cum ſuis miniſtris incurrit, quia hæc actio ſequeſtri non poteſt fieri ſine iudicis mandato, quod ſi quis tanquam perſona priuata mandet iudici, & miniſtris, vt ſequeſtrent, non videtur incurrere, quia non exprimitur nec mandans, nec conſulens, nec inſtans, nec procurans in Bulla Vrbani VIII. licèt in Bulla Clement. VII. & Pauli III. etiam iſti comprehenderētur, mutatio autem verborum mutationem diſpoſitionis indicat, *l. 4. §. Prætor, ff. de dam. infer. l. ſtatutum de adminiſtrat. tut.*

Dico ſecūdò quod in *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 11. & vlt.* prohibetur latius ſequeſtratio, inuaſio, vſurpatio bonorum, iurium, fructuum Eccleſiarum, & locorum piorum etiam mandatum, impedimentum ſub excommunicatione Papæ reſeruata, & alijs pœnis. Vide ibi, &c.

E X-

Digitized by Google

EXCOMMVNICATIO XVIII.

<table>
<tr><td rowspan="2">Principaliter Contra.</td><td>Omnes cuiuſcumq; dignitatis, ſiuè Pontificalis, ſiuè Imperialis, & Regalis,
Imponentes,
Exigentes per ſe, vel per alios directè, vel indirectè,
Impoſita recipientes etiam à ſpontè dantibus.</td><td>Decimas,
Collectas,
Taleas,
Præſtantias,
alia onera.</td><td>&</td><td>Clericis,
Prælatis,
Perſonis Eccleſiaſticis,
Bonis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, fructibus, redditibus & prouentibus prædictorum.</td></tr>
<tr><td>Omnes cuiuſcumque dignitatis,
Procuratores,
Præſtantes</td><td>Auxilium,
Conſilium,
Fauorem.</td><td></td><td></td></tr>
</table>

Innouantur in hoc Canone omnes Cenſuræ, & pœnæ per Sacros Canones in Concil. Lateranenſ. & alijs Concilijs generalibus latæ.

Vtrum imponens hic prohibita perſonis Eccleſiaſticis non tamen per ſe, vel per alios exigens incurrat hanc excommunicationem decimam octauam.

DIFFIC. I.

NEgant aliqui incurrere hanc excommunicationem decimam octauam imponentes prohibita in hoc Canone Eccleſiaſticis ſi nec per ſe, nec per alios exigant, putantes particulam, Et, hic tenere ſe omnino coniunctiuè, dum dicitur imponunt, & exigunt, nõ autem alternatiuè, vel diſiunctiuè, exiſtimant tamen huiuſmodi imponentem, & non exigentem incurrere aliam excommunicationem in Canone 15. ſupra poſito, vbi excommunicantur facientes ordinationes, & decreta contra libertatem Eccleſiaſticam, imponere autem onera hic prohibita Eccleſiaſticis eſt facere ordinationes contra libertatem Eccleſiaſticam. Ita videntur velle, *Duard. hic qu. 4. n. 1. Quaran. & Reginal. quos citat, & ſeq. Bonac. diſp. 1. qu. 19. pun. 1. n. 3.*

Ceterum iuxta mentem huius canonis videtur probabilius affirmandum, cum *Molin. diſp. 670. ad fin. Tolet. loc. cit. nu. 4.* nam ponitur poſt coniunctionem, Et, particula Etiam, quæ vt dictum eſt ſupra, amplificatiua eſt, ita vt faciat ſenſum, non ſolum qui imponunt, verum etiam qui exigunt; Confirmatur etiam ex eo hæc veritas, quia infra excommunicat prædicta facientes, exequentes, & procurantes, ergo diſtinctè excommunicantur imponentes, & exigentes ita vt qui exigunt, & non imponunt, & qui imponunt, & non exigunt, excommunicẽtur, adde, quod in hoc canone cõfirmantur cenſuræ, & pœnæ latæ in Concilio Lateran., & alijs Cõcilijs generalibus, at verò in Conc. Later. nominato in Canone hoc ſub Innoc. III. in c. aduerſus de immunit. &c. non minus ſub Alex. excommunicantur imponentes talia onera Eccleſiaſticis nulla facta mentione contra exigentes, ergo etiam in hoc Canone excommunicantur imponentes abſolutè abſque reſpectu ad exigentiam.

Vtrum imponens onera perſonalia Clericis in hoc decimo octauo Canone excommunicetur.

DIFFIC. II.

DIco primò, certum eſſe in hac difficultate non eſſe ſermonem de oneribus impoſitis perſonæ Eccleſiaſticæ quatenus debet aliquid ſoluere pro ſuo Capite, vel pro induſtria, quam facit, nam hæc dicuntur onera mixta ſ. c. partim realia, & partim perſonalia, cum certum ſit apud omnes hæc onera hic etiam prohiberi, quod ergo hic controuertitur, eſt de oneribus merè perſonalibus, quæ ſolum à perſona Clerici dependent, vt perſona eſt, puta vt Tutor, Curator, Sindicus, œconomus, & conſimilia munera exercens, quæ conſiſtunt in perſonali induſtria abſq; reſpectu ad vſum mobilium, vel immobilium, hæc autem onera merè perſonalia certum eſt prohiberi perſonis Eccleſiaſticis in Canone 15. ſupra poſito vbi excommunicantur facientes ſtatuta cõtra libertatem Eccleſiaſticam, eſt autem cõtra libertatem Eccleſiaſticam imponere talia onera Eccleſiaſticis, vt notant optimè *Duard. & Bonac. loc. cit.* quod ergo hic controuertitur eſt, an præfata onera merè perſonalia modo explicato imponentes excõmunicentur etiam in hoc Canone decimo octauo. Quare

Dico ſecundò, quod loquendo in rigore verborum Canonis negant *Vgolin. hic n. 2. & Bonac. loc. cit. Nauar. cap. 27. n. 128. & Caiet. V. excomm. c. 71.* quia ſolum ſpecificantur onera realita, vt ſunt Decimæ taleæ, collectæ, præſtantiæ, verum quia ponitur etiam alia particula generalis, dum ſubiungitur & alia onera, probabiliter videtur dicendum eſſe etiam ſermonem hic contra imponentes onera merè perſonalia. Ita etiam *Duar. loc. cit. & Filiuc. tra. 14. c. 4. ad finem.* Vide infra *V. Clericus diffic. 31.*

Vtrum exigens à perſonis Eccleſiaſticis prohibita in hoc Canone, at non ſub ratione prouentuum Eccleſiaſticorum incidat in hanc excommunicationem.

DIFFI. III.

NEgant *Caiet. & Nau. vbi ſup.* quia volunt quod onera ſolum ratione prouentuum Eccleſiaſticorum prohibentur hic pr[illegible]ſonis Eccleſiaſticis imponi, at verò probabilius affirmant *Bonac. & Alter. loc. cit.* ad mentem Bullæ, vt conſtat ex verbis huius Canonis, in quibus vt videre eſt, diſtinguuntur onera impoſita Clericis, & perſonis eccleſiaſticis, & non onera impoſita prouentibus eccleſiaſticis, etenim dicitur diſtinctè, & ſeorſim (& alia onera Clericis, perſoniſque Eccleſiaſticis) nõ perſonæ Eccleſiaſticæ diſtinctè nominatæ, & ſubiungitur (Et Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus) en onera prohibita ſpecificè fructibus, & prouentibus.

Vtrum exigens, vel recipiens à Clerico ſpontè dante incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. IV.

DIſtinguendum videtur, nam ſpontaneum dupplex, alterum merum, & ſimpliciter, & abſolutè voluntarium, & liberum, alterum ſecundum quid, ſeu mixtum. Spontaneum autem merum, & abſolutè ſimpliciter dicitur illud, quod proprio motu voluntatis fit independenter ab aliquo metu, coactione intereſſe, & ignorantia, ſed ex mera liberalitate: Spontaneum autem ſecũdum quid, ſeu mixtum, quod ex voluntate quidem fit, quia non coactè, verum ex motu aliquo metus, timoris, & ſuſpicione periculi, vel damni, qui motus timoris, & periculi ſi non adeſſet, ſanè nõ fieret, ſed ad

vitan-

vitandū periculum, & dānum fit dumtaxat, ſicut patet exēplo proijcientis merces in mare propter periculum naufragij, qui ſpontè, & voluntariè proijcit ad euitādum periculum ſubmerſionis, quod ſi non adeſſet, non proijceret; quod ſpontaneum dicitur voluntarium mixtum, quia videtur mixtum ex voluntario, & inuoluntario.

Quare in præſenti caſu ſi quis ex mera liberalitate ſpontanea, & voluntaria abſolutè, & ſimpliciter independenter ab omni ſuſpicione metus, & periculi ſolueret talia onera hic prohibita accipiens non incurreret, quia quilibet rei ſuæ eſt moderator, & arbiter. *in re mandata c. mandati*, at verò ſi ſpontè ſolueret ſolum voluntariè ſecundum quid, ideſt non coactè, ſed non omnino voluntariè, quia ſolum ratione periculi, & damni, ſeu pœnæ vitandæ ſoluit, ſanè non ſoluturus, niſi adeſſet timor periculi, & damni, & ſolum voluntariè ſoluit ad redimendam vexationem, & hoc modo accipiens à ſpontè ſoluente incidit in hanc excommunicationem, quia de hoc ſpontè ſecundum quid, & voluntario mixto loquitur Bulla in hoc Canone. Ita communiter *Alexander conſ.* 100. *Bertacch in tract. de Gabell. Quaranta in V. Vectigal, Sayr. l. 3. c. 22. Souſa c. 19. diſp. 43. Duard. can. 18. q. 8. & Bonac. diſp. 3. q. 19. punc. 1.*

Vtrum exigens, vel mandans exigi prohibita onera in hoc Canone ab Eccleſiaſticis reſtituenda tamen in fine anni incurrat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. V.

QVamuis *Duardus* putet excuſari ab hac excommunicatione exigentem ab Eccleſiaſticis onera impoſita cum animo in fine anni reſtituendi totum, quod ab eis fuerit ſolutum non ſolum, verum etiam aliquid plus ratione incommodi præſtiti Eccleſiaſticis, *Bonacina* tamen omnino negat, quia ob quamlibet cauſam etiam ad vitandas fraudes prohibetur imponi, & exigi onera ab Eccleſiaſticis. Quare ſi quando ob iuſtam cauſam hoc faciēdum videretur neceſſarium, tutius eſt cum conſenſu Epiſcopi, & Cleri ad Sacram Congregationem neceſſitatem deferre, & ab ea indultum curare ſuper huiuſcemodi exactione, alias non ſine ſcrupulo fieret exactio ex propria authoritate.

Vtrum exigens minimam gabellam ab Eccleſiaſticis cum animo extorquendi maiorem incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VI.

DIco primò, certum eſſe exigentem minimam gabellam ab Eccleſiaſticis in re, quæ non pertingit ad materiam ſufficientem peccato mortali non incidere in Excommunicationem, quia paruitas materiæ excuſat etiam in hoc Canone, vbi enim non adeſt peccatum mortale, non cadit excommunicatio, vt dicetur V. Cenſura, quod autem faceſſit negotiū apud Doctores, eſt, quod quęritur principaliter in hac difficultate ſcilicet an exigens gabellam minimam, non ſufficientem ad peccatum mortale, cum animo poſtea eam augendi in re notabili ſufficiente ad peccatum mortale incidat in excommunicationem huius Canonis. Quare

Dico ſecundò, quod licet Alterius affirmet exigentem gabellam minimam cum animo eam augendi incidere, quia actus ratione paruitatis materiæ ex ſe non peccaminoſus, fit animo prauo verè mortaliter peccaminoſus valens puniri excommunicatione ergo exigens minimam gabellam licet ratione paruitatis materiæ non peccet, cum animo tamen eam poſtea extorquendi in quantitate notabili mortaliter peccat, & excommunicationi propterea hic ſubijcitur, attamen quia actus intrinſecus prauę intentionis non iudicatur ab Eccleſia, poteſt probabiliter dici exigentem minimam gabellam cum hoc animo prauo tunc demum incidere in excommunicationem, cum de facto exigit ad quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale. Ita etiam *Bonac. punct. 1. loc. cit.*

Vtrum imponens Eccleſiaſticis Taleas comminando mortem, vel bonorum incendium niſi ſoluant eas, incidant in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. VII.

DIſtinguendum videtur, nam vel tales Taleæ imponuntur, & exiguntur ab Eccleſiaſticis cum dicta comminatione, vel ſimili à Magiſtratu, vel Principe publica authoritate, & in hoc caſu certum eſt imponentem, & exigentem incurrere, quod ſi a priuata perſona imponantur tales Taleæ Eccleſiaſticis pro ſuo particulari intereſſe, vt faciunt latrones, & Banditi, quæ Taleæ vulgo vocantur in hoc Regno Neapolitano, Ricatti, non incurrunt in hanc decimam Octauam excommunicationem, quia hic ſolum excommunicantur, qui publica auctoritate libertatem Eccleſiaſticam imponendo huiuſmodi Talens offendere præſumunt. Ita etiam *Duard. q. 10. Vgol. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum Conducens Exactionem gabellæ impoſitæ Eccleſiaſticis ab alio principali Exactore, & an omnes quandocumque exigenti cooperantur incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

AFfirmant communiter Doctores nam excommunicantur hic omnes exequentes per ſe, vel per alias ex actionem, vt ſunt Conductores, famuli exactorum, & Conductorum Officiales, Iudices, & Satellites, qui Eccleſiaſticos citāt, capiunt, pignus accipiunt, fructus ſequeſtrant, vel quid ſimile agunt, vt tales gabellæ ab Eccleſiaſticis ſoluantur, & exigantur, quia hic excommunicantur etiam procurantes, niſi iuſtus titulus excuſet.

Adde etiam excommunicari hic Notarios, Actuarios, & qui Edicta componunt, dictant, conſcribunt, in quibus præcipitur, & mandatur impoſitio, & Exactio gabellæ ab Eccleſiaſticis, ſimiliter illi excommunicantur, qui exactores comitantur, & manifeſtantes Eccleſiaſticos, ne immunes tranſeant à ſolutione, item viarum Cuſtodes, qui exactores admonent, vt à Clericis pedagia exigant, quia hi omnes auxilium hic prohibitum præſtant Exactoribus contra libertatem Eccleſiaſticam &c.

Adde etiam hic excommunicari, qui aſſiſtunt Exactori, & ſuam promittunt operam, vt Eccleſiaſtici gabellas ſoluant, quia fauorem præſtant in hoc Canone vetitum. Ita *Duard. Alter. & Vgol. loc. cit.*

Vtrum imponens grauiores gabellas Conſanguineis, vel Colonis Agrorum Eccleſiaſticorum in contemptum, & damnum ipſorum vt ſcilicet cogantur vel agros incultos relinquere, vel gabellas ſoluere incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. IX.

AFfirmant communiter, quia vexando conſanguineos, & colonos Eccleſiaſticorum directè, vel indirectè vexant ipſos in præiudicium libertatis Eccleſiaſticæ, hic autem etiam indirectè operantes contra Eccleſiaſticos intuitu Exactionis gabellarum ab ipſis excommunicantur, quia indirectè ipſis imponunt onera. Ita etiam *Vgol. hic, Alter c. 4. Duard. q. 17. Menoch. de arbitr caſu 562. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum in hanc Excommunicationem incurrat mutuum dans Eccleſiaſtico pecunias, vt cum ea ſoluat gabellam.

DIFFIC. X.

DIſtinguendum puto, nam vel pecuniam dat mutuam præſcindendo à voluntate præbendi ei auxilium ad ſoluendam gabellam, licet ſciat cum ipſa ſoluturum eſſe gabellam, tamen adhuc daret mutuam pro quacumque alia re tanquam Amico non incurrit, quia nullo modo influit ad ſolutionem gabellæ, niſi valde remotè, & per accidens, at verò ſi mutuam dat ſuadendo, vt ſoluat gabellam Exactoribus in præiudicium libertatis Eccleſiaſticæ, ſanè inci-

incidit, quia dat conſilium, & auxilium ad ſoluendam gabellam hic prohibitam. Ita etiam *Vgolin. & Duard.* quod autem *Bonacina* hoc neget, quia ſolum prohibetur conſilium datum ad imponendum, & exigendum ſolum videtur contra tenorem huius Canonis, in quo poſtquam excommunicantur etiam ſponte dantes, immediatè excommunicat prædicta facere, exequi, & procurare, & omnes, qui in eius auxilium, fauorem, & conſilium præſtare non verentur, itaque conſilium in omnibus iſtis prohibetur ſub excommunicatione in hoc Canone, & non ſolum contra conſulentes impoſitionem vel exactionem.

Vtrum potens, vel etiam debens prohibere exactionem gabellarum ab Eccleſiaſticis, & tamen non prohibet incurrat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XI.

AFfirmant *Duard. quæſt. 20. Alter. diſput. 19. cap. 2. & Vgolin. hic* quia qui non prohibet cum poteſt, videtur fauere facienti prohibita, vnde animoſior fit in perpetrando prohibita, dum nouit ſe non impediendum ab eo, qui poteſt, & debet impedire, fauere ergo dicitur exigenti, vel imponenti gabellas, qui poteſt impedire, & non impedit in præiudicium libertatis Eccleſiaſticæ.

Attamen benignius, & probabiliter etiam contrarium docent *Gloſ. in cap. quanta de ſent. excommu. & Bonac. loc. cit. num. 19.* quia in hoc Canone interdicitur fauor poſitiuè, non autem omiſſiuè, & cum ſimus in odioſis non eſt facienda extenſio ab actione faciendi poſitiuè ad actionem fauendi ſolum omiſſiuè, ideſt non impediendo.

Benè tamen verum eſt, quod ſi inter imponentem, exigentem, & potentem, & debentem impedire ſit expreſſa correſpondentia, & concordia explicita, quod non impediret, ſi imponat, vel exigat, quia in hoc caſu potens, & debens etiam poſitiuè, faueret per actum poſitiuum concordiæ factum, ſanè incideret in hanc excommunicationem.

Vtrum Eccleſiaſtici Prælati imponentes Clericis ſuis, vel alijs Religioſis gabellas abſque Summi Pontificis licentia incurrat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XII.

SAnè ſi authoritate ſolum temporali fultus Prælatus imponat gabellas Clericis incurrit hanc excommunicationem, quia expreſsè inhibentur etiam Prælati hoc facere, quamuis pontificali dignitate fulgeant; difficultas eſt ergo an ſi imponant authoritate Eccleſiaſtica ſolum incurrat.

Negare videntur *Filiuc. tractat. 6. capit. 11. quæſtio. 5.* putans, quod Eccleſiaſtica authoritas non officit libertati Eccleſiaſticæ, quam prætendit hic Pontifex defendere. Verùm.

Affirmatiuè abſolutè videtur reſpondendum, nam Papa expreſsè etiam Prælatos pontificali dignitate inſignitos prohibet ne Clericis gabellas imponant, ergo cum dignitas pontificalis habeat reſpectum ad authoritatem Eccleſiaſticam, dicendum, quod Papa excommunicat Prælatos imponentes gabellas Clericis etiamſi imponant authoritate Eccleſiaſtica, præterquam quod vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, quare ſi Epiſcopus, vel alius Prælatus imponat, exigat, vel mandet, vel conſulat imponi gabellas Clericis incidit in hanc excommunicationem. Ita ex noſter *Angel. V. Immunitas, §. 49. & V. Cenſus, §. 1 Duard. canon. 18. quæſtio. 18. Alter. diſput. 19. capit. 4. & Bonacina loc. cit. punct. 2.*

Vtrum imponentes onera realia, & perſonalia, vel exigentes gabellas à Colonis Eccleſiæ incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XIII.

AFfirmant multi, & ij graues Doctores putantes Colonos Eccleſiæ eſſe immunes ab oneribus pro rebus, vt ſunt angariæ, & perangariæ, onus hoſpitandi, & alendi milites, & à gabellis pro rebus, & fructibus à poſſeſſionibus Eccleſiæ, volentes gaudere priuilegio Eccleſiaſticorum. Ita *gloſ. in leg. ſi panes in V. recepta, c. de Agric. & cenſ. l. 10. Natta conſil. 409. Abbas conſil. 9. in fin. par. 1. Bellet. diſquiſ. cleric. tit. de exemp. Cler. §. 7. n. 1. Feder. de ſen. conſ. 3. n. 10. Filiuc. tract. 16. cap. 11. quæſt. 4. num. 302.* & alij. Attamen

Diſtinguendum puto probabilius, & æquius, nã vel onus imponitur Colonis ſimpliciter pro fructibus, qui ex agris eccleſiaſticis percipiuntur, & ita exiſtimari debent exempti Coloni à talibus oneribus, quia ſaltem indirectè eſt in damnum Eccleſiaſticorum, & contra libertatem Eccleſiaſticam, quod ſi onus imponatur ſolum pro parte colonica ad Colonos ſolum pertinente, & in hoc caſu non ſunt immunes ab oneribus, quia fructus ſeparati à ſolo Eccleſiaſtico inutile Colonorum non ſunt amplius fructus Eccleſiaſtici, ſed manent ſub iuriſdictione laicali, & cum hac diſtinctione videntur etiam ſentire aliqui ex Doctoribus citatis pro parte oppoſita, vt eſt *Federicus de Senis conſil. 111. & Bellet. loc. cit. n. 4.* & hanc diſtinctionem tanquam æquiorem pro Eccleſiaſtica, & ſæculari iuriſdictione docent *Surd. conſil. 301. num. 85. & 89. Menoch. de Arbitr. cap. 180. num. 8. & cap. 56. num. 35. Burſatt. conſil. 25. num. 3. & conſ. 42. num. 4. & Alter. diſp. 19. cap. 6. dub. 5.*

Limitant tamen hanc diſtinctionem *Burſatt. conſ. 42. num 15. & Anchar. in cap. quamquam de cenſ.* modo impoſitio pro parte colonica non redeat in damnum Eccleſiaſticorum, puta quia non inuenirentur ratione talis oneris ſoluendi qui terras Eccleſiæ colerent, quia tunc indirectè grauarentur Eccleſiaſtici, quod etiam prohibetur in hoc Canone, quam limitationem puto probabilem, quando euidenter, & notoriè conſtaret redundare in præfatum præiudicium, & damnum Eccleſiaſticorum, in dubio autem ſtat poſſeſſio pro iuriſdictione ſæculari, quæ in parte colonica iam facta laica per ſeparationem à ſolo Eccleſiaſtico, habet ius.

Amplianda hæc doctrina etiam ad conductores bonorum Eccleſiaſticorum cum eadem diſtinctione, & limitatione. Ita *Portius conſ. 184. Natta l. 1. conſ. 114. Decian. T. 3. conſil. 51. Menoch. loc. cit.*

Denique amplianda etiam eſt præfata diſtinctio cum ſua limitatione ad Emphiteutas bonorum Eccleſiæ, quia propter dominium vtile, quod ex contractu tranſlatum eſt in ipſum Emphiteutam, laica poteſtas poteſt ponere onera ſuper fructus, quia ſuæ ditioni ſubeſt; propter dominium verò directum quod remanet Eccleſiæ non poteſt imponere onera abſque timore incurrendi hanc excommunicationem laica poteſtas, quod ſi impoſitio onerum ſuper fructus ab Emphiteota Eccleſiaſtico percipiendos eſſet in præiudicium, & damnum dominij directi illicita eſt propter eaſdem rationes. Ita etiam *Alter. diſput. 19. cap. 6. Surd. conſ. 338. num. 15. Natta conſ. 114. Oddo conſ. 70. Decius conſ. 48.*

Bonacina loc. cit. punct. 3. licèt dicat in hac materia litem pendere ſub iudice, & Summi Pontificis expectandam ſententiam, coram quo lis eſt attentata, attamen donec hæc ſententia appareat, tuta videtur conſcientia vti Doctorum placitis, dum probabili æquitate fulciuntur.

Vtrum hac decima octaua excommunicatione afficiantur imponentes collectas, & gabellas, aliaque onera hic prohibita ſuper bona patrimonalia Clericorum, vel ipſorum induſtria acquiſita.

DIFFIC. XIV.

NEgauit parum quidem probabiliter *Purpurat. conſ. 324.* quia huiuſmodi bona merè laicalia ſunt, & Principis poteſtati ſubiecta, ergo grauari poſſunt oneribus laicis, quod conſuetudine receptum affirmat in multis locis.

Attamen alij æquius iuxta iuris diſpoſitionem, & huius Canonis intentionem affirmant, nam eccleſiaſticorum bona indiſtinctè, & abſolutè hic priuilegiantur, & prohibentur grauari oneribus laicis, vt patet ex modo loquendi Pontificis, dum dicit (ac eorum, & Eccleſiarum bonis) vbi per ly eorum diſtinguit bona propria, & bona Eccleſiarum, ergo Papa vult eſſe immunia tam eorum ſc. Eccleſiaſticorum, quam Eccleſiarum bona; quæ doctrina confirmatur ex eo, quod in hoc canone renouan-

nouantur Canones antiqui in hac materia, ſed *in c. quāuiquam de Cenſibus*, bona patrimonialia Eccleſiaſticorum, & alia quocumque modo acquiſita, donata, empta, legata exempta ſunt à talibus oneribus, & iure, quia dum imponuntur bona Eccleſiaſticorum, imponi etiam intelliguntur perſonis Eccleſiaſticis, qui ſubeunt onera ſoluendi, etenim *ex l. reſcripto, & l. fin. ff. de muner. & honor.* perſonæ principaliter grauantur ab impoſitionibus, & ſecundariò bona. Adde quod per mutationem perſonæ mutatur qualitas rei inhærens perſonæ, *l. locata §. fiſcus ff. de public. Vectigal. & l procuratore ff. de acquiren. heredit.* ergo bona, quæ erant laicalia tranſeuntia ad Clericos mutant qualitatem iuriſdictionis, & de laicis fiunt Eccleſiaſtica. Hanc ſententiam ſecuntur communius Doctores. Ita etiam ſentiunt *Couar. qqu. pract. c. 31. Vgol. hic c. 18. §. 3. Sayr. l. 3. c. 22. Tolet. l. 1. c. 29. Martha de Iuriſd. p. 4. caſ. 49. Azor p. 1. c. 26. Molin. de iuſt. diſp. 670. Leſſ. l. 1. c. 33. dub. 3. Salas de legib. diſp. 14. Suar. de immun. l. 4. c. 24. Duard. hic can. 189. 5. & 6. Reginald. l. 4. n. 379. Alter. diſp. 19. c. 2. Bonac. hic qu. 19 punct. 3.* & alij.

Amplia doctrinam hanc communem etiam ſi donata, vel empta eſſent ad finem, ne de illis bonis onera ſoluantur, quia *in c. 1. de immunit. Eccl.* bona acquiſita, & acquirenda à Clericis ſiue donata, ſiue empta, ſiue legata, ſiue induſtria, & labore acquiſita, ſiue ex ſucceſſione, ſunt immunia, vt potè ſequentia ſtatum perſonæ, ad quam tranſeunt; mala autem intentio donantis, legantis, & vendentis, & quoquomodo alienantis bona pertinētia ad Eccleſiaſticos non poteſt tollere priuilegium immunitatis Eccleſiaſticæ. Vide *Bonac. loc. cit.* quia vtile per inutile non vitiatur.

Limitanda tamen hæc doctrina, modo donatio, & venditio, & quæcumque alienatio facta Eccleſiaſtico non ſit verè fictitia, quia tunc dominium non tranſit in Eccleſiaſticum, & per conſequens huiuſmodi bona non ſecuntur ſtatum perſonæ exemptæ, vnde non ſunt immunia à gabel is, vide *Quaran. V. Vectigal. limitat. 2. Alter. & Duard. & Bonacina loc. cit.*

Denique, quod conſuetudine in aliquo loco ſit introductum à Clericis ſolui gabellas de rebus, & bonis ſuis patrimonialibus, vel alio titulo acquiſitis, ſi à Summo Pontifice ſit ſuo priuilegio corroborata, valida eſt, aliter omnino nulla, cum conſuetudines contra libertatem Eccleſiaſticam hic omnino tollantur quotannis.

Vtrum ſint immunes ab hac excommunicatione decimaoctauâ exigentes onera impoſita bonis, vulgo (Debiti contratti) antequam peruenirent ad Eccleſiaſticos.

DIFFIC. XV.

AFfirmant communiter, modo Dominus ea ſuppoſuerit in toto, vel in parte oneribus puta ſoluendi certam aliquam penſionem annuam ſiuè pro debitis alijs contractis à ſe, ſiuè à ſuis prædeceſſoribus, ſiuè pro debitis contractis ratione Vniuerſitatis, & Reipub. pro quibus bona ſua obligauit, vel pro toto, vel pro parte ſoluendam ex fructibus ſuorum bonorū, hæc enim bona ſic obligata tranſeunt cum onere ſuo etiam ad Eccleſiaſticos, quocumque modo ad eos perueniant, res enim tranſit cum onere ſuo *ex c. Paſtoralis, & c. cum non ſit de decimis, & c. ex litteris de Pignoribus*, quare ſi penſio talis non fuerit ſoluta, nec ſoluatur à Clericis ſuper dicta bona ſic obligata antequam ad eos tranſirent, & exigatur ab eis non incurreret in hanc excommunicationem exigeos. Ita communiter *Angel. noſt. V. immun. 1. 36. Oldrad. conſ. 169. Maſter. Azor, Duard. Alter. Filiuc. Bonac. loc. cit.* qui *punc. 3.* citat etiam pro hac ſententia *Panormit. Purpurat. Card. Tuſcum, & Carol. de Graſſ.* Immo ampliant hanc ſententiam *noſt. Angel. loc. cit. & Bonac.* quod vera ſit etiam ſi onera impoſita eſſent abſque conſenſu partium, antequam ad Eccleſiaſticos tranſirent, quam tamen ampliationem non admittunt *Suar. l. 4. de immunit. c. 25. & Gutier. pract. qq. l. 1. qu. 3.* At verò ſi antequam peruenirent bona ad Eccleſiaſticos iam præſcripta erat conſuetudo ſoluendi penſionem, non obſtante, quod non fuerit conſenſus partium, quando fuit impoſitio, omnino ſoluendam puto, quia iam ex præſcriptione ad quem pertinet penſio, factus eſt legitimus poſſeſſor.

Denique etiam certum hic habeas, quod talis penſio ſoluenda pro debitis contractis antequam peruenirent in manus Clericorum, non poteſt augeri in poſterum pro oneribus imponendis poſtquam peruenerūt in manus Clericorum, quia iam facta ſunt extra iuriſdictionem laicam.

Vtrum incurrat in hāc excōmunicationem qui ſtatuto imponeret onera, & tributa omnibus prædijs ſuæ ditionis in futurum determinanda, ſi poſteà aliqua ex illis tranſeant in dominium Eccleſiaſticor. & onera impoſita in ſtatuto exigantur.

DIFFIC. XVI.

NEgant, qui ſecuti fuerunt conſilium *Bartoli* vt refert noſter *Vngar. V. immun. §. 36. Sch. 2.* ſuadentis, quod ſtatutū factum tēpore, quo bona ſubijciebantur ditioni laicæ imponens onus terræ ſuæ ditionis obligare quoſcumq; etiam Clericos, quia factum fuit tempore quo licebat eis imponi tale onus, & alia prædia erant capacia talis oneris; quo conſilio vſos fuiſſe Eugubinos, & Peruſinos in tali caſu refert idem *Vng.*

Attamen tanquam falſam, & iniquam reprobatur communiter à Doctoribus, & reprehenditur ſpeccialiter à *Baldo in l. placet, & in l. terminum de Sacr. ſanct. Eccl.* & ipſe *Bartolus* tenuit poſtea contrarium in conſilio, quod incipit, ſi aliqua poſſeſſio, idem affirmant *Archidiac. Ioan. Ant. & Gemin. in c. fin. de immun. Eccl. in 6. Imola in c. fin. de vit. & honeſt. Cler. Alter. & Duard. loc. cit.* quia hoc ſtatutum eſt euidenter indirectè factum contra libertatem Eccleſiaſticam.

Vtrum ſi Dominus prædij promiſit pro ſe, & ſuis hæredibus ſoluturum ſe quæcumque onera imponenda à Republica, vel Principe ſuper dicto prædio, ſi poſtea tranſeat ad Eccleſiaſticos poſſint onera imponenda exigi abſque timore huius decima octaua excommunicationis.

DIFFIC. XVII.

NEgant *Felin. in c. Eccleſ. S. Mariæ, Azor p. 1. l. 5. c. 13.* & alij, quia prædia tranſeuntia ad eccleſiaſticos mutant ſtatum, & conſequenter ſunt immunia.

Affirmant tamen alij probabilius, quia res tranſit cum onere ſuo, & quilibet rei ſuæ eſt moderator, & Arbitter, poteſtque quodcumque onus ei imponere, & ſi licet leganti rem ſuam Eccleſiæ, vt quotannis ſoluatur tale onus, quare non poterit obligare rem ſuam cum tali penſione determinanda à Principe ſoluenda à ſe, & à ſuis poſteris de tali prædio, eſt autem diſpar ratio de ſtatuto generali, nam illud vt potè ſe extendens per ſe immediatè ad Clericos iniquum dicitur, & contra libertatem Eccleſiaſticam, at verò hæc eſt obligatio particularis proprij Domini, & per accidens eſt, quod ſe extendat ad Clericos. Ita *noſter Hungar. loc. cit. Bartol. in l. Reſcript. §. Sciendum, ff. de muner. & honor. Reginal. l. 9. n. 380. Suar. Gutier. & Bonac. loc. cit.*

An verò legatum factum Eccleſiæ cum onere ſoluendi gabellam habeat conditionem turpem; Vide infra V. legatum; ex cuius deciſione poteris aliqua pro opinionis prioris probabilitate expiſcari.

Vtrum exigentes gabellas, & onera à bonis, quæ pro indiuiſis poſſidentur a Clerico, & à laico incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XVIII.

AFfirmant *Marth. de iuriſd. p. 4. con. 12. & Duard. hic q. 9.* ex eo quia nobilius trahit ad ſe minus nobile, & profanum per ſacrum ſanctificatur.

Attamen videtur æquius dicendum, quod ſi exigant totam gabellam, quia exigit partem à Clerico, quam non debet ſoluere incurrit hanc excomunicationem, ſecus ſi ſolum partem pro rata debitam à laico, quia pars laici ſubditur ditioni ſæculari. Ita *Speculator in tit. de Cler. Coniug. n. 13. Alter. c. 6. Natta conſ. 280. Bonac. loc. cit.*

Aduertendum tamen quod ſi conſuetudo adſit talia bona indiuiſa gaudere immunitate Eccleſiaſtica ſeruanda eſt, maximè ſi ſit præſcripta.

Vtrum afficiatur hac excommunicatione exigens gabellam à Clerico, qui in fraudem earum aſſumpſit habitum.

DIFFIC. XIX.

DIſtinguendum videtur, nam vel reuera non eſt Clericus, nec ſeruat ea, quæ circa ſeruitium Eccleſiæ, & tonſuram ſunt determinata, ſed ſolum geſtat habitum ne ſoluat gabellam, ſane exigens ab iſto non incidit, quia verè non eſt Eccleſiaſticus, & fraus nemini debet patrocinari, ita communiter; quod ſi verè ſit Clericus, & ſeruat ea, quæ à *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c.6.* determinata ſunt, etiam ſi non habeat animum clericandi pro toto tempore, ſed ſolum vt effugiat onera ſæcularia de præſenti, exigens ab iſto incideret, quia verè Clericus eſt, & onera clericalia ſuſtinet, pro quibus meretur exemptionem, animus, vel intentio mala non poteſt auferre immunitatem eccleſiaſticam, quia vtile per inutile non vitiatur. Ita *Bonac. punct. 3. §. 3. Quaran. & Duard. loc. cit. & Sua. c. 26. vbi ſup.* Eſt autem diſputatio de eo qui aſſumit habitum poſt patratum delictum, vt eludat forum ſæculare, quia antecedens delictum præiudicat foro ſæculari.

Vtrum exigens gabellam de bonis donatis Clerico in fraudem earum incidat in hanc decimam octauam excommunicationem.

DIFFIC. XX.

DIcendum, quod ſi Albaranũ, vel inſtrumentum, vel etiã pactum oretenus inter Clericum, & donantem, quod ſolum retineantur bona donata ſub nomine Clerici, verè autem non intelligatur translatum dominium, certiſſimum eſt exigentem de talibus bonis ita donatis Clerico non incidere in hunc Canonem, quia fraus nemini debet patrocinari, & Papa non intendit hoc loco fraudes priuilegiare, quod ſi verè ſit translatum dominium in Clericum, licet donans donet cum hoc animo, vt ſe ab oneribus gabellarum reddat immunem, præfata bona gaudent immunitate, quia ſecuntur ſtatum perſonæ immunis, & exigens incideret in excommunicationem, quia vt ſæpe inculcatum eſt, mala intentio donantis non poteſt tollere priuilegium libertatis Eccleſiæ, cum vtile per inutile vitiari nequeat. Ita *Lucas de Penna l. vlt. in fin. C. de Annona, & tributo, Bartol. in conſ. 180. Speculator loc. cit. & Quaranta V. Vectigal.*

Nota tamen, quod ſi donatio facta Clerico ſit immoderata, & vltra virilem eſſet inualida, quia præſumitur fraudulenter facta, atque adeo exigens de illis gabellam poſtquam declaratum fuerit donationem eſſe immoderatam, & vltra virilem, non incideret in excommunicationem. Vide *Quarant. loc. cit.*

Vtrum exigens gabellam à Clerico minoribus ſolum initiato ſi non ſeruet quæ præcipiuntur à Sacr. Conc. Trid. incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XXI.

NEgant graues Doctores incidere in excommunicationem hanc exigentem gabellas à Clerico minoribus ſolum inſignito, ſi iuxta Conc. Trid. decr. ſeſſ. 23. c. 6. non incidet in habitu, & tonſura, nec inſeruit alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi, aut ſaltem in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola de licentia Epiſcopi non verſatur, quia non ſeruantes iſta à Concilio decreta non gaudent priuilegio fori, immunitatem autem gabellarum putant pertinere ad immunitatem fori, quare ſi non gaudet immunitate fori, nec immunitate gabellarum. Ita *Quaran. Duard. Reginald. Suar. & Coriolan. loc. citato.*

At verò *Bonac. loc. cit. punct. 3. §. 3.* non improbabiliter, modo non adſit aliqua Sacr. Congregationis declaratio contrarium determinans, quam tamen authenticam adhuc non vidi, exiſtimat Cleric. ſola prima etiã tonſura initiatũ, ſi in habitu, & tonſura incedat, licet non ſeruet cetera à Conc. loc. cit. decreta, puta ſi non inſeruiat Eccleſiæ, nec moretur in ſeminario, aut ſchola ex Epiſcopi mandato, aut licentia, adhuc gaudere priuilegio immunitatis à gabellis, quia Concilium ſolum eum priuat priuilegio fori, cum autem ſimus in odioſis non debet fieri extenſio ad priuationem immunitatis à gabellis.

Vtrum exigens gabellam à Clerico coniugato incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XXII.

SAtis inſulsè affirmarunt aliqui apud *Carol. de Graſſ. de eff. Cler. eff. 3.* ex eo quia Clerici græci habentes vxores gaudent hoc priuilegio immunitatis à gabellis ergo etiam Clerici latini coniugati.

Quare communiter hoc negant Theologi, & Canoniſtæ, & diſparem ponunt rationẽ inter Clericos coniugatos Græcos, & latinos, nam Clerici Græci ex priuilegio; & permiſſione ſaltem Summi Pontificis licitè habent vxores etiam ſacris Ordinibus inſigniti, vnde vt coniugati etiam ſunt veræ perſonæ Eccleſiaſticæ gaudentes priuilegio Canonis, & fori, at verò Clerici latini coniugati non ſunt in totum perſonæ Eccleſiaſticæ, vnde oneribus ſæcularium ſubduntur. Vide *Panor. apud Bon. punct. 3. §. 3. Alter. c. 6. dub. 9. hic, Suar. de immun. l. 4. c. 28. Beller. §. 6. Couar. pract. 99. c. 31. Azor p. 2. l. 5. c. 12. Duard. q. 13. Quaran. & Coriolan. loc. cit.*

Verum ſi certiorẽ te velis reddere quid gaudeat Clericus coniugatus, & quomodo, vide infra V. Clericus, & vide gloſſam in c. Vnicum de Cler. coniug. in 6. vbi Clerici coniugati ſi cum vnica, & ea Virgine contraxerint, & veſtes, & tonſuram detulerint, ſolum priuilegio Canonis, et fori gaudere ponuntur, oneribus autem ſæcularibus omnino ſubijci docet expreſsè gloſa ibi.

Vtrum exigens gabellas à Clerico de rebus, quas negotiationi exponit, incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XXIII.

DIco primò, quod communiter negant, quia Clericis præcipuè in ſacr. conſtitutis interdicitur negotiatio, vt habetur in diſtinct. 88. et in c. ſecundum inſtituta ne Cler. vel Monach. ſub pœna anathematis eiſdem prohibetur negotiatio, et iure optimo, et prohibitionis ratio potiſſime oritur ex indecentia maxima, quam affert ſtatui Clericali negotiatio, et ex ſeruitio Eccleſiæ, quod maximũ ex negotiatione clericorum recipit detrimentum, quia vero nullus de ſeruitio debet reportare commodum, iure ſancitum eſt clericum de rebus, quas negotiationi exponit, debere ſoluere gabellas, *ex c. fin. de vit. & honeſt. Cler. & ex c. quamquam, & Clem. ponens de cenſib. à contrario ſenſu.* Ita *noſt. Rodr. in ſum. c. 37. Quaran. Bon. & Duard. loc. cit.* et alij.

Dico ſecundò, quod de ceteris, quæ ad victum ſuum, et ſuæ familiæ deferuntur, modo non adſit titulus negotiationis, gaudent priuilegio immunitatis à gabellis, quæ .n. deferuntur ad ſuum, ſuæque familię victum non ſunt contra decentiam ſtatus Clericalis, ideo gaudent. Ita communiter.

Dico tertiò, quod quando oritur controuerſia inter Exactores, et Clericum an res, quæ deferantur pertineant ad negotiationem, an verò ad familiæ, ſuumque vſum, ſtandum eſt iuramento Clerici, vel famulorum deferentium, niſi aliud qualitas perſonarum exigat, nimis .n. eſſet oneroſum pro illis rebus adire Iudices Eccleſiaſticos. Ita *Quaran. Duar. qu. 13. Alt. c. 16. q. 2. & Bon. loc. cit.* quod ſi iudex adiri debeat, omnino iudex eccleſiaſticus eſt adeundus, quia coram ſæculari non poteſt conueniri Clericus, vt ſupra dictum eſt. Ita citati Doctores.

Vtrum Clericus de rebus negotiationi expoſitis ante trinam monitionem teneatur ſoluere gabellas.

DIFFIC. XXIV.

AFfirmant teneri ſoluere gabellas ante trinam monitionem de rebus, quas negotiationi Clericus exponit *Panormit. & Butr. apud Carol. de Graſſ. effect. 1. a. n. 184. Molin. de iuſt. diſp. 342. Duard. loc. q. 8. & Alter. diſp. 19. c. 6.* et probant ex eo, quia in *c. quamquam de cenſ.* vbi Clerici negotiatores de rebus, quas negotiationi exponunt, ſtatuitur, quod teneantur ſoluere gabellas, non fit mentio huius trinæ monitionis, ergo immediatè tenentur ſoluere de ipſis gabellas.

At verò probabilius alij putant non eſſe obligatos niſi poſt trinam monitionem vt negotiationem deſerant qua facta, ſi poſtea exerceant, teneri ſoluere de rebus negotiationi expoſitis gabellas exiſtimant. Ita *noſt. Rodr. loc. cit. c. 73. n. 11. Lopez*

in

Digitized by Google

in instruct. l. 2. c. 4. Reginal. l. 9. n. 379. Souſa hic c. 19. diſp. 92. Bonac. pun. 3. §. 3. loc. cit. & alij, & ratio eſt quia licèt in c. quamquam cit. non fiat mentio de trina monitione, ſtatuitur tamē in cap. ex litteris de vit. & honeſt. Cler., vbi habetur Clericos exercentes negotia non gaudere priuilegio Clericali quoad facultates, ſed ſubiacere ſtatutis, & conſuetudini patriæ, ſi ter moniti, non reſipiſcunt, & huic Cap. ex litteris potius ſtandū, in quo principaliter eſt ſermo de Clerico negotiatore; nam in c. quamquam ſolum remiſſiuè, & per modum tranſeuntis ſupponendo ſancita ab alijs prædeceſſoribus loquitur Papa, quod Clericus negotians ſubiacet gabellis.

Vtrum exigens gabellas à Clericis ſub prætextu immemorabilis conſuetudinis afficiatur hac excommunicatione.

DIFFIC. XXV.

Communi omnium Theologorum calculo affirmandum contra *Bartol. l. 1. de auro coronario l. 10.* quod exigens gabellas à Clericis ſub prætextu immemorabilis conſuetudinis incidat in hanc excommunicationem, quia cum immunitas Eccleſiaſtica ſit de iure diuino, vt alibi probabitur, nulla conſuetudine contra eam præſcribi poteſt, & in *Auth. caſſa c. de ſacr. ſanct. Eccl.* præcipitur irritas eſſe, & nullas quaſcumq; conſuetudines contra immunitatem Eccleſiaſticam, & Eccleſiaſticas perſonas, quare cum nulla ſit conſuetudo contra immunitatem Eccleſiaſticam, nulla etiā eſt circa ius exigendi gabellas à Clericis. Ita *Angel. noſter & Rodriq. loc. cit. Recenus conſ. 107. Berous conſ. 31. Surd. T. 1. conſ. 31. Filiuc. tract. 16. c. 11. q. 2. Suar. de immun. l. 4. c. 32. Reginal. l. 9. n. 381. Duard. hic q. 20. Bonac. hic punct. 30. §. 3.* & alij, nec excuſat exigentes in virtute huius conſuetudinis per tolerantiam Pontificis Max., quia inuitus tolerat ad vitandū maius malum, vt ſupra etiam dicendum eſt in alio Canone: quod autem inuitus toleret patet ex eo, quòd quotannis reprobat, & annullat conſuetudines contra decreta huius Bullæ; quod ſi aliqui habeant priuilegium ſpeciale à Papa, vt poſſint à Clericis exigere, non obſtante huius Bullæ decreto, licitè exigunt.

Vtrum pro publica vtilitate puta pro reparatione pontium, viarum, murorum, munitione arcis, hoſtium expulſione, & ſimilibus cauſis concernentibus vtilitatem Clericorum, & laicorum ſimul licitè abſque timore huiuſ excommunicationis poſſit Clericis, & Eccleſiaſticis imponi gabella.

DIFFIC. XXVI.

Affirmant licitè poſſe imponi gabellas pro dictis cauſis concernentibus vtilitatem communem Clericis, & laicis abſque timore excommunicationis antiquiores præcipuè, quos citant, & ſecuntur *Purpur. conſil. 50. l. 5. & conſ. 324. & Surd. conſ. 301. l. 3. & alij apud Bellet. & Carolum de Graſſ.* vbi ſupra, & probant ex eo, quia qui ſentit commodū, æquum eſt, vt pro eadem re ſentiat incommodum, ſed in dictis cauſis, & aliis concernentibus publicam vtilitatem communem etiam Clericis, ipſi ſentiunt vtilitatem, ergo pro ipſa etiam debent ſentire incommodum onerū, & gabellarum.

Attamē hæc opinio communius ſic abſolutè prolata reiicitur, quia ius non habent ex ſe, & propria authoritate Principes, & Magiſtratus ſæculares imponendi talia onera Clericis etiam pro publica vtilitate, vt decernitur in c. aduerſus de immunitate, & licèt ſint pro publica vtilitate etiam, Clericorum gabellæ impoſitæ, attamen iurè, & rationabiliter ab eis eximuntur, quia ipſi quotidie laborant pro publica vtilitate populorum ſacramentorum miniſterio, omnium, officiorum, & miſſarum celebratione, ſi enim officiales, & milites quia laborant pro publico eximuntur à talibus oneribus, ergo multò magis Eccleſiaſtici, qui inceſſanter quotidie laborant pro communi ſalute, & vtilitate populorum ſpiritualiter debent eximi à talibus oneribus, & hanc eſſe communem opinionem Canoniſtarum *in cap. final. de vit. & honeſtat. Clericor. & in Clem. preſenti de cenſibus docet noſter Angel. V. immunitat. §. 37.* Ita etiam *Panormit. & Ioann. Andr. in cap. non minus de immunitate.* Ita etiam Recētiores communiter *Molyn. diſput. 6. num. 27. Duard. hic queſt. 3. & q. 12. Suar. vbi ſupra cap. 26. Alter. diſput. 19. cap. 1. Menocha part. 4. cenſur. 1. caſ. 1. Bellett. de exempt. Cleric. §. 23 Souſa hic diſputat. 92. Bonacina, & Carolum de Graſſis locis citatis.*

Ceterum ſi adſit tanta neceſſitas, vt facultates laicorum non ſufficiant ad conſulendum publicæ vtilitati, tunc concedit Pontifex ex ſua benignitate, & in tali caſu cum conſenſu Epiſcopi, & Cleri, conſulto prius Summo Pontifice poſſint Clericis imponi gabellæ, vt habetur in *c. non minus, & in c. Clericus de immunitate, & in c. aduerſus cit.*, quod ſi ita imminens ſit neceſſitas, vt non ſufficiat tempus pro conſulendo Summo Pontifice, ſanè in imminenti, & vrgentiſſima neceſſitate ſufficit conſenſus Epiſcopi, & Cleri, vt ſtatuitur *in dict. cap. non minus.* Ita *Angel. noſter, & Bonac. loc. cit.*

Vtrum in caſu vrgentis neceſſitatis nolentibus Clericis præſtare conſenſum pro gabellarum exactione, poſſint Principes ſæculares ipſos cogere ad earum ſolutionem abſque periculo excommunicationis.

DIFFIC. XXVII.

Dico primò, quod certum eſt, quod imponi poſſunt gabellæ Clericis pro communi vtilitate, vt ſupra reſolutum eſt, modo adſint tres conditiones; prima vt laicorum facultates non ſufficiant ad occurrendum imminenti publicæ neceſſitati *ex cap. non minus, & cap. aduerſus citato.* Secunda eſt, vt præcipuè, & principaliter etiam neceſſitas reſpiciat Eccleſiaſticos, puta quia deuaſtarentur eorum prædia, & redditus perirent, vt notat *noſter Angel. ſupra de immunitate num. 20. Souſa, & Bonacina loc. cit.* & tertia eſt, vt conſulatur Summus Pontifex, & in imminenti neceſſitate ſi non adeſt tempus recurrendi, ſaltem conſenſus Epiſcopi cum Clero accedat, cuius conſenſus conſulto Sum. Pontif. eſt etiam neceſſarius, nec enim ſufficit conſenſus ſolius Epiſcopi, ſed eſt neceſſarius etiam conſenſus Cleri, vt ſpecialiter ſtatuitur *in c. non minus, & c. aduerſus cit.* quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari, *ex Clem. 1. & 2. de cenſ.* Modo difficultas eſt, an renuentibus Clericis pro imminenti publica neceſſitate poſſit eos cogere Princeps ſæcularis, vel Magiſtratus ad ſoluendas impoſitas gabellas pro illa ſubleuanda?

Dico ſecundò, quod Princeps ſæcularis in tali neceſſitate poterit implorare auxilium Superioris Eccleſiaſtici, vt eos cogat, & Epiſcopus poterit conſentire impoſitioni, & cogere Clericos ad ſoluendas huiuſmodi gabellas ad occurrendum publicæ imminenti neceſſitati, vt habetur in *c. nullus de Iure patr.* Ita etiam *noſt. Angel. Bonac. Carol. de Graſſ. & Bellet. loc. cit. Menoch. conſ. 800. Surd. cōſ. 3. c. 11. & Nat. cōſ. 311.*

Nomine autem Clericorum, qui debet conſenſum præbere cum Epiſcopo in ſolutione gabellarum in tali neceſſitate alii volunt ſufficere Capit. Eccl. Cathedralis: Ita Suarez, quia in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu Capit. Clerus venit ſub nomine Capituli Eccleſiæ Cathedral. alii tamen volunt ſub nomine Cleri intelligi Synodum Diœceſanam, vel ſaltem ſingulos primarios de Diœceſi, quod enim omnes tāgit, debet ab omnibus approbari. Ita *Bonac. loc. cit.*

Vtrum onera impoſita pro mundandis Cloaca, fontibus, & puteis ſimiliter pro conductione Medici, & Cuſtodis prædiorum poſſint exigi à Clericis abſq; timore excommunic.

DIFFIC. XXVIII.

Diſtinguendum videtur, nam ſi huiuſmodi impoſitiones fiant ſub nomine gabellarum, collectarum, & taleatum ſanè non licet eas Clericis imponere quacumque de cauſa abſq; requiſitis, vt ſup., quod ſi nomine expenſarū factarū pro communi vtilitate, vt iuſtum pretium ſoluatur laborantibus pro illa vice, ſi mundatio cloacar. fontium, & puteorum etiam pertineat ad vtilitatem Cleric. poſſunt etiam ab eis exigi partes expenſarum pro laborantibus pro ſua vtilitate. Ita etiam *Alter. diſp. 8. Duard. q. 20. Vgolin. Purpurat. Bellet. Molyn. & Bonac. loc. cit.*

Idem dicendum pro Cuſtode viatum, & Medicorum cōductione ſi eorum opera velint vti, qui enim ſentit cōmodū, debet ſentire, & incōmodū, illæ enim ſolutiones non perti-

nent ad tributa, gabellas, & taleas, ſeu collectas, ſed ſolam ad priuatam vtilitatem ſingulorum Clericorum, quæ non interdicuntur, vt aliqui improbabiliter putarunt *in c. Clericis de immun.* Ita *noſter Ang. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum Clerici promittentes, & ſoluentes gabellas incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XXIX.

LIcèt aliqui affirmauerint ex eo, quia hoc inhibetur Clericis *in c. Cler. de immunit.* vbi excommunicantur promittentes ſoluere, & ſoluentes, in hoc autem Can. confirmantur omnes Can. antiqui in hac materia gabellarum ergo putant promittentes ſoluere, & ſoluentes incidere in hanc excommunic.

Verum quia in hoc Canone ſolum renouantur decreta Cōciliorum generalium in hac materia gabellarum, & prædictum *c. de Cler. de immunit.* non eſt latum in aliquo Concilio generali, ſed à Benedict. XI. & Clem. V. ad dirimendas lites moderatum fuit, & *in Clement. quoniam de immunit.* reductum fuit ad terminos Iuris communis *in Conc. Lateran. in c. nō minus,* & *in c. aduerſus,* Ideo hodie promittentes ſoluere, & ſoluentes non incidūt. Ita etiam *Bon. pun. 4. Tol. l. 1. c. 30. & Souſ. diſ. 84.*

Vtrum ſucceſſores eorum, qui male impoſitas Clericis gabellas exegerunt, incidant in hanc excommunicationem, ſi intra menſem non ſatisfecerint.

DIFFIC. XXX.

AFfirmant aliqui ex eo, quia in hoc Canone innouantur Canones præcipuè Conc. Lateran., ſed ſub Alex. III. *in c. non minus.* excommunicantur ſucceſſores nō reſtituentes intra menſem gabellas malè exactas à Clericis per ſuos Anteceſſores, ergo etiam h c excommunicantur, Ita videtur ſentire *Filiuc. tract. 16. c. 11. q. 6.*

Attamen probabiliter etiam alij negant volentes ſolum hic innouari decreta Conciliorum generalium quoad prohibita in ipſo Canone ſolum, non autem quod omnia in ipſis prohibita, quod colligunt ex illa particula poſita in hoc Can. (innouantes decreta ſuper his, ergo ſuper reliqua in ſuā firmitate relinquit) ſatisfacere autem intra mēſem à ſucceſſoribus dictas gabellas non præcipitur in hoc Can. decimo octauo, ergo nec hanc excommunicationem incurrunt non reſtituentes intra menſem, ſed ſolum illam latam in præfato Canone. Ita *Sayr. l. 3. c. 22. Reginal. l. 9. n. 275. Suar. diſp. 21. ſect. 2. Duar. hic q. 19. Tolet. l. 1. c. 30. Souſa c. 19. diſp. 94. & Bonac. punct. 4. loc. cit.* Vnde

Inſerendū puto, quod recipientes gabellas ab Eccleſiaſticis, ſi in quarum impoſitione Princeps, vel Magiſtratus nullam fecit mētionē obligādi ad eas Eccleſiaſticos nō excommunicātur in hoc Cā. decimo octauo, quia hic ſolū excōmunicātur recipientes gabellas impoſitas Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis, non autem ſimpliciter exigentes gabellas à Clericis, bene tamen verū eſt, exigentes gabellas ſimpliciter à Clericis excōmunicati *in d. c. quamquam de cenſ. in 6* hoc autem caput non videtur innouatum in hoc Can., quia non eſt latum in aliquo Conc. generali.

Vtrum cenſuræ latæ in Conc. Lateran. & alijs Concilijs generalibus in hoc Canone innouatæ circa materiam gabellarum Clericis impoſitarum, vel exactarum afficiantur reſeruatione facta in hac Bulla.

DIFFIC. XXXI.

NEgant *Bonac. & Souſa loc. cit.* quia innouare Canones nō eſt reſeruare, ſed eos in priſtino ſtatu conſtituere, & cōfirmationis robur addere; in materia autem pænali non eſt facienda extenſio, ſed ſtricta facienda eſt interpretatio.

Attamen putant aliqui reſeruari in hoc eodem Can. actiones prohibitas in Concilijs generalibus, dum innouantur, innouare enim exiſtimant idem eſſe, ac de nouo edere, & de nouo ferre. Ita *Alter. Duard. Tol. loc. cit.*

Verum ſi probabile eſt iuxta ſenſum verborum huius Can. eas actiones prohibitas in Conc. generalibus ſolum innouari, quæ prohibentur ſpecialiter in hoc Can., vt dictum eſt iuxta particulam (Innouantes decreta ſuper his per ſacros Can.) clara eſt reſponſio ad queſtionem, quod illæ actiones prohibitæ in Concil. generalibus, quæ hic ſpecificè non prohibentur, non innouari, nec reſeruari in hac Bulla, &c.

EXCOMMVNICATIO XIX.

Contra
Quoſcumque Magiſtratus,
Iudices,
Notarios,
Scribas,
Executores,
Conſiliarios,
Senatores,
Præſidentes,
Cancellarios,
Vice Cancellarios, aut quocumque alio nomine vocentur.

Quomodolibet ſe intromittentes in cauſis criminalibus, ſeu capitalibus.
Contra perſonas Eccleſiaſticas ſine licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa.

Proceſſando,
Banniendo,
Capiendo,
Proferendo ſententias,
Exequendo,
Excedendo terminos licentiæ Apoſtolicæ, vel abutendo præfatis Concilijs.

Vtrum interponentes ſe contra Eccleſiaſticos actione aliqua non expreſſa incidat in hanc excommunicationem decimam nonam.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod probabile puto, per ly quomodolibet interponētes ſe in cauſis, &c. prohiberi omnem actionem contra eccleſiaſticos, licet non ſpecificetur in ipſo Canone, atque adeo excommunicari non ſolum contra præfatos facientes actiones explicatas à Papa, verum quamlibet aliam actionem denotatam per ly quomodolibet interponentes. Ita *Duar. can. 19. Filiuc. tract. 16. c. 11. q. 7.* Attamen benignius

Dico ſecundò, quod probabile etiam admodum videtur non incidere facientem aliam actionem contra Eccleſiaſticos, quæ non ſit ſpecificata in Canone, nam ly quomodolibet non cadit ſupra ſe intromittentes, ſeu interponentes, ſed ſupra ſingulas actiones ſpecialiter prohibitas, itaut ſit ſenſus, excommunicantur quomodolibet ſe interponentes proceſſando, quomodolibet ſe interponentes banniendo, non autem quomodolibet genericè ſe intromittentes, ſecus fruſtra poſuiſſet ſpecificatas actiones, etenim ſi voluiſſet vltra ſpecificātas actiones, etiam alias genericè prohibere, excommunicat actiones per participia, dicendo proceſſantes, bannientes, &c. & quomodolibet ſe interponentes, ita enim ly quomodolibet caderet ſolum ſuper participi, & faceret ſenſum, quod vltra faciētes ſpecificatas actiones, etiam excommunicantur quācumq; aliam actionem patrantes, ſed quia cum ly quomodolibet ſeſe interponentes vtatur Papa actionibus ſpecificatis in Gerundio ablatiuo, ſignū eſt illas actiones ſignari tāquā inſtrumentis ipſius ſe quomodo-

Digitized by Google

modolibet interponentis, vnde ly quomodolibet cadit ſuper ſingulas actiones tanquam inſtrumenta, & modi ipſius interponentis, & eſt ſenſus, quod excommunicantur omnes ſe quomodolibet interponentes proceſſando, quomodolibet ſe interponentes banniendo, & ſic in ſingulis; quare aliæ actiones factæ contra Eccleſiaſticos hic non puniuntur, ſed ſolum iſta, cum enim ſimus in materia odioſa ſtricta facienda eſt interpretatio. Ita etiam *Bonac. q. 20. p. 1.* Vnde

Dico tertiò, quod iſta particula quomodolibet ſe interponentes debet extendi ad mandatum, auxilium, & fauorem, & conſilium, ita vt ſit ſenſus, quomodolibet ſeſe interponentes proceſſando, capiendo, auxilio, conſilio, fauore, vel mandato incidant in hanc excommunicationem, etenim hæc particula quomodolibet omnem modum actionis includit *ex c. indemnitatibus, §. ſi qua vero de elect. in 6.* Ita *Menoch. de recuperat. remedio 6. Gozagm. conſil. 14. Parıſ. conſil. 58. n. 10. T. 1.*

Vtrum hac excommunicatione ligetur proceſſans Eccleſiaſticum cum animo præſentandi proceſſum ſuo ſuperiori Eccleſiaſtico.

DIFFIC. II.

VAriant in hac difficultate Doctores alij enim abſolutè negant, alij abſolutè affirmant, diſtingunt, alij, ſingolorum afferam opiniones.

Negant *Graff. l. 4. decıſ. c. 18. n. 134. Reginal. l. 9. c. 26.* & alij putantes proceſſare nihil aliud eſſe, quam inquirere contra aliquam in ordine ad ſumendam pænam de crimine, ſed inquirens contra Eccleſiaſticum cũ animo præſentandi ſuo prælato Eccleſiaſtico proceſſum, non inquirit, in ordine ad ſumendum pænam de delicto ex propria authoritate, ergo verè non proceſſat, ergo nec incidit.

Duar. tamen *can. 29. q. 5. Vgol. hic can. 19. & Felinc loc. cit.* diſtingunt, nam vel proceſſans inquirit incipiendo à citatione Eccleſiaſtica, & ſic volunt ſtatim incurrere in hanc excommunicationem, etiam ſi facit animo præſentandi ſuo ſuperiori, quod ſi non incipiat à citatione, ſed ſimpliciter abſque citatione inquirit cum animo præſentandi volunt non incurrere, quia proceſſare debet incipere à citatione, aiunt iſti DD. & citatio dicit iuriſdictionem, & hoc prohibetur in hoc Canone, at verò proceſſans ſine citatione non dicitur verè proceſſare.

Alij tamen in ipſo iuris rigore incedentes, aiunt proceſſare in ſua eſſentiali ratione eſſe contra aliquem iudicialiter informationem capere pro commiſſo delicto, vel ſaltem prætenſo, qui actus cum ſit iudicialis, quia examen teſtium iuridicè factum includit neceſſariò, non poteſt exerceri ſine iuriſdictione ſaltem præſumpta, & ex ſe iſte actus præſcindit ab animo ſumendæ pænæ principaliter, & immediatè, ſed ſolum ad indagandam veritatem, qua inuenta, vel Reus condemnatur, vel innocens abſoluitur, aliter ſi de ratione proceſſu eſſet pænam ſumere, per proceſſum nunquam abſolueretur innocens, quod tamen in praxi eſt falſum, itaque proceſſus primario fit ad informationem capiendam de veritate in ordine ad pænam, vel abſolutionem; itaque ex hoc.

Fundamentum primæ opinionis ruit, vnde in praxi eam cõſulendam non exiſtimarem, cum ſit nimis larga in hac materia, in qua non ſunt laxandæ a Theologis habenæ iudicibus ſecularibus contra Eccleſiaſticos. Quare

Dico etiam, quod non eſt neceſſarium ad rationem proceſſus incipere à citatione, cum inquiſitio poſſit fieri à præſentibus, & tamen inquiſitio erit iudicialis, ſi cum iuramento examinet, & inquirit contra Clericum, itaque ſine citatione inquirens contra Eccleſiaſticum, vtitur iuriſdictione contra Eccleſiaſticum ſaltem præſumpta, quæ in hoc Canone ſub excommunicatione interdicitur, hinc fundamentum ſecundæ opinionis non videtur ſubſiſtere, quia ſine citatione inquirens contra Eccleſiaſticum verè proceſſat. Itaque videtur tutius conſulendum quomodolibet proceſſantem Eccleſiaſticum incidere in hanc excommunicationem. Ita etiam *Bonac. q. 20. punct. 1. ex Ant. de Souſa hic c. 20.*

Nec animus præſentandi proceſſum ſuperiori Eccleſiaſtico excuſat ab hac excõmunicatione, quia hic animus nõ dat iuriſdictionem proceſſandi Eccleſiaſticum, nec tollit rationem veri proceſſus iudicialis, itaque omnino dicendum, & conſulendum putarem in hac materia iudicem ſæcularem incidere excommunicationem hanc quomodocumq; & quocumque animo proceſſet Eccleſiaſticum; quia excommunicatur expreſsè quomodolibet proceſſans. Ex quibus

Collige primò, quod iudex incipiens compilare proceſſum contra Eccleſiaſticos incidat in hanc excommunicationem, quia inceptio proceſſus etiam eſt iudicialis, & vtitur iuriſdictione contra Eccleſiaſticos.

Collige ſecundò, quod iudex ſolum verbaliter inquirens contra Eccleſiaſticum non incurrit, quia inquiſitio verbalis non eſt iudicialis, & authoritatiua. Ita *Sayr. Bonacin. & Duard. loc. cit.*

Collige tertiò, quod iudex incidenter dum proceſſat ſæcularem, comperit delictum Eccleſiaſtici non incurrit in excommunicationem, quia non proceſſat ex propoſito Eccleſiaſticum, quod ſi delictum reperit eſſe ſimul, & ſemel commiſſum à laico, & ab Eccleſiaſtico, poterit recipere dicta contra Eccleſiaſticum quatenus opus fuerit ad perficiendum proceſſum contra ſuum ſubditum, non quatenus faciant contra Eccleſiaſticum, verum ſi contra Eccleſiaſticum conſtet delictum principaliter, & contra eum principaliter inquirat, incidit in excommunicationem iudex ſæcularis. Ita *Bonac.* & Doctores citati.

Vtrum banniens Eccleſiaſticum ex ſola extra iudiciali informatione, ſi deinde non ſequatur electio incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. III.

NEgat *Bonacina*, quia in hoc Canone non prohibetur extraiudicialis inquiſitio, & mandatum bannum non afficitur excommunicatione, niſi ſequatur effectus.

Attamen *Filinc.* putat incidere non pro informatione extraiudiciali, ſed pro banno dato, quam ſententiam in hoc caſu probarè probabilem, quando Princeps authoritatiuè, & iudicialiter protuliſſet ſententiam banni, nam per ſolam prolationem ſententiæ banni authoritatiuè factam peccat contra libertatem Eccleſiaſticam, & conſequenter incurrit excommunicationem, quare ſi ſolum extraiudicialiter mandaſſet etiam, vt eijciatur Eccleſiaſt. à ſuo territorio, certum eſt non incurrere, ſi non ſequatur effectus, quia pænæ non ſubijcitur mandatum, niſi ſequatur effectus.

Vtrum habens licentiam generalem à Papa proceſſandi Eccleſiaſticos incurrat hanc excommunicationem ſi in cauſa criminali proceſſet Clericum.

DIFFIC. IV.

DIco primò, quod licentia generalis non ſufficit à Papa cõceſſa ad proceſſandum Eccleſiaſticum in cauſis criminalibus, ſed hæc intelligẽda ſemper in cauſis ciuilibus, quia in hoc Canone iubetur haberi licentia ſpecifica, ſpecialis, & expreſſa, quare licèt *Alter.* velit ſufficere licentiam genericam proceſſandi in cauſis criminalibus, attamen alij tutius, & probabilius volunt requiri licentiam ſpecialem, & expreſſam proceſſandi in tali cauſa criminali, puta homicidij quolibet tempore, & loco perpetrati à quolibet Eccleſiaſtico, quia hæc videtur eſſe ſpecialis, & expreſſa licentia, quam licentiam ſub hoc tenore non cenſent reuocari per hanc Bullam, *Duard. Suar. & Bonacina.* Quare

Dico ſecundò, quod licentia tacita non ſufficit ad procedendum in criminalibus contra Eccleſiaſticos etiam ſciente, & nõ contradicente Papa, quia requiritur in hac materia licentia expreſſa. Ita Doctores citati.

Dico tertiò, quod de iure ordinario, nec Epiſcopus, nec legatus poſſunt dare licentiam proceſſandi Eccleſiaſticos, quia neuter poteſt diſpenſare in iure, poſſet tamen legatus, ſi ad hoc haberet à Papa ſpeciale priuilegium; poterit tamen Epiſcopus vti Actuarijs, & officialibus Curiæ ſæcularis, vt ſua authoritate Eccleſiaſtica proceſſent Eccleſiaſticos, & in hoc eſſent Actuarij Curiæ Epiſcopalis, non autem ſæcularis, ſi ſuos Actuarios non habeat ad hoc idoneos, vt habetur *in c. Princeps, & c. prodeſt 23. q. 5. & c. cum ad verum ventum eſt, diſt. 96. Panormit. & Innoc. in c. 5. n. 2. de offic. ordinand. Duard. q. 6 Reginald. n. 385. Alter. diſp. 30. c. 1. q. 2. Vgol. §. 3. & Bonacina punct. 2.* Ex quibus

Collige, quod licèt probabiliter velint *Duard. q. 11. can. 15. Alter. diſp. 16. c. 2. Tolet. c. 27. l. 1. & Silu. V. Iudex, n. 4.* Epiſcopum poſſe diſpenſare, vt iudex laicus in cauſa ciuili procedat contra Eccleſiaſticum, attamen ſtando in rigore iuris, videtur probabiliter etiam dici poſſe, quod cum non poſſit diſpenſare in iure communi Epiſcopus, nec poſſit diſpenſare; vt iudex laicus procedat in cauſa ciuili contra Eccleſiaſticos quia de iure communi eſt exemptus Eccleſiaſticus à iuriſdictione Sæculari. Vide *Bonac. loc. cit.*

Vtrum Reges, Imperatores, & Principes facientes actiones prohibitas in hoc Canone incidãt in hanc Ecommunicationem.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod cum non exprimantur in hoc Canone Reges, Imperatores, & Principes non comprehenduntur, etenim clarè, patet, quod quando Papa vult eos comprehendere, ſpecialiter exprimit. Ita communiter apud *Bonac. p. 1. & Filinc. q. 6. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod nec Iudices *Eccleſiaſtici intromittentes* ſe in cauſis criminalibus abſque ſpeciali licentia incurrant, quia licèt procedere in criminalibus contra Eccleſiaſticos non pertineat ad ipſos, attamen quia non exprimuntur in hoc Canone non debent comprehendi, niſi fortè laica poteſtate inſigniti, huius iuriſdictione eos proceſſarent ſine licentia expreſſa Papæ, quia in hoc caſu inciderent, quia procederent tanquam Iudices laici. Ita etiam *Vgol. hic §. 2. Duar. q. 8. & Bon. loc. cit.*

Vtrum Iudex laicus incidat in hunc Canonem ſi proceſſet Clericum conſentientem, vt contra ſe criminaliter procedat.

DIFFIC. VI.

Affirmandum omnino, quia nullus poteſt renunciare priuilegio, quo gaudet non tanquam perſona particularis, ſed tanquam perſona quatenus eſt membrum alicuius communitatis, cui datur priuilegium pro ſuis membris, priuilegium autem immunitatis datur communitati Eccleſiaſticæ pro ſuis ſingulis membris, non autem pro illo, & illo particulari Eccleſiaſtico, itaque Eccleſiaſticus non poteſt illi renunciare, & cõſequenter qui proceſſaret Cler. conſentientẽ contra ſe proceſſum fieri in criminalibus, incideret in excommunicationem; nec obſtat, quod Paulus Apoſtolus Cæſarem appellauit; quia hoc non fecit Paulus, vt Imperatorem ſuum Iudicem proprium appellaret, ſed vt Feſti Porcij tyrannidem, & iniuſtam necationem per Iudeos ſib procuratam euitaret, dum ad tale tribunal Porcij coactè fuerat adductus. Ita etiam *Bon. loc. cit.*

Vtrum Iudex examinans, vt Teſtem Clericum, in cauſa criminali ſolum ad veritatem indagandam incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VII.

Diſtinguendum videtur, nam vel examinat Clericum, vt teſtem contra laicum ſimpliciter non detinendo eum violenter etiam in cubiculo, & ſic non incidit in hunc, ſed in Canonem decimum quintum, quia traheret Clericum ad ſuum ſæcularc tribunal, ſi verò examinet Clericum tanquam principalem in delicto proprio, vel alterius Eccleſiaſtici, hunc Canonem tranſgreditur, quia dicitur tunc proceſſare Eccleſiaſticum. Ita *Nauar. conſ. 33. de ſent. excom. Alter. diſp. 20. Duard. hic qu. 9. & Bonac. punct. 2. loc. cit.*

Vtrum accuſantes, & exponentes querelam in cauſa criminali contra Eccleſiaſticum coram Iudice ſæculari incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

Negant communiter, quia non eſt actio expreſsè prohibita in hoc Canone, vnde nec Aduocati, Procuratores Teſtes, & alij inſtantes apud Iudicem laicum, vt Eccleſiaſticus proceſſetur, capiatur, vel banniatur incidunt in hanc excommunicationem, quia ſolum Iudices, & alij habentes iuriſdictionem hic excomunicantur, an verò iſti incidant in excommunicationem Canoni decimi quinti, vide ibi. Ita etiam *Alter. Duard. Vgol. & Bonac. loc. cit.*

EXCOMMVNICATIO XX.

Principaliter contra præſumentes. { *Inuadere, Deſtruere, Occupare, Detinere, Vſurpare, Perturbare, Retinere, Vexare,* } { *In totum, vel partem per ſe, vel per alios directè, vel indirectè.* } { *Ciuitate, Terras, Loca, Iura* } { *Eccleſiæ Romanæ immediatè, vel mediatè ſubiecta.* }

{ *Supremam Iuriſdictionem* } { *In dictis locis.* }

Acceſſoriè Contra quomodolibet. { *Adhærentes, Auxiliantes, Conſulentes, & Fauentes.* }

Ciuitates autem Loca, Terræ, & iura mediatè, vel immediatè ad Eccleſiam Romanam pertinentia in hoc Canone ſunt.

Alma Vrbs,
Regnum Siciliæ,
Inſulæ Sardiniæ, & Corſicæ,
Terræ citra Pharum,
Patrimonium B. Petri in Thuſcia,
Ducatus Spoletanus.
Comitatus Venuſinus, Sabinenſis,
Marchiæ Anconitanæ,
Maſſæ Trebaniæ,
Romandiolæ,
Campaniæ,

& ciuitates { *Bononia, Cæſena, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinio, Ciuitas Caſtelli, Tudertum, Ferraria, Clomacum.* }

Maritimæ Prouinciæ, earum loca, & Terræ ſpecialis commiſſionis Arnulforum, vnde patet in hoc Canone eſſe ſermonem de iuriſdictione temporali, &c.

Vtrum

Vtrum inuadens præfata loca Romanæ Eccleſiæ ſubiecta ex prætenſa cauſa licèt iniuſta incidat in hanc vigeſimam excommunicationem.

DIFFIC. I.

AFfirmat præcipuè *Suarez* putans non poſſe dari inuaſionem, quæ nõ ſit hoſtiliter facta, quia inuadere ex ſuæ vocis ſignificatione propria hoſtilẽ ſaltem habitualiter animũ violenter occupandi locum dicit, ſiuè habeat iuſtam, ſiuè iniuſtam cauſam, nam ſi ciues ſeſe vellent ſuæ ditioni dare nõ diceretur quis eos inuadere, niſi fortè vellet hoſtilitatis effectum ex vindicta oſtendere inuadendo, vt occidat, & deſtruat, itaq; quicumque quocumq; modo inuadat, hic excommunicatur ſiuè iuſta, ſiuè iniuſta cauſa, ſiuè vt occupet ſolum, ſiuè vt deſtruat in ſententia *Suar. diſp. 21. ſect. 2.* cui ad ſtipulari videtur *Vgol. hic can. 20. Filiuc. tract. 10. c. 3. q. 7. & Souſa hic cap. 20.* ſaltem ex parte. Quare iuxta ſententiam *Suarez* ſi quis conſentiente oppidi Gubernatore, vel Populo intraret, & poſſeſſionem caperet, non diceretur inuadere ſiue iuſtam, ſiuè iniuſtam cauſam habeat, quia violenter non aggreditur animo hoſtili, nec actualiter, nec habitualiter.

Attamen alij volunt quemcumq; aggredientem oppidum ex cauſa iniuſta, ſiuè animo hoſtili, ſiuè ſine animo hoſtili incidere in hanc excommunicationem volentes verbum inuadere ſignificare ex ſuæ ſignificationis vi iniuſtam aggreſſionẽ, quicumq; ergo iniuſtè aggreditur hic excõmunicationi huic ſubiacere volunt *Bonac. diſp. 1. q. 21. p. 1.* & alij. Licèt hoſtiliter nõ aggrediatur, & conſequenter inuadentem oppidum iniuſtè licèt Populo, vel Gubernatore conſentiente præciſa omni hoſtilitate putat hac excommunicatione ligari, quod vt innuerent ſucceſſores Papæ poſt Sixtum V. abſtulerunt ly hoſtiliter à verbo Inuadere volentes ampliare inuaſionem ad quamcumq; aggreſſionem iniuſtam licèt non hoſtiliter factam. Ita etiam videntur ſentire *Alter. & Duar. loc. cit.*

Ceterum loquendo in rigore vocabuli videtur prior opinio probabilior, vnde poſſet dici Põtifices ſucceſſores ad Sixtũ nõ ampliandi cauſa inuaſionem, ſed potius moderandi cauſa abſtuliſſe particulam hoſtiliter, ſufficienter enim abſq; hac particula hoſtilem animum aggrediendi demonſtrari per verbum inuado, dici rationabiliter poteſt, aggredi autem oppidum conſentiente Populo, & Gubernatore non eſt inuadere propriè, quia hoſtilitatem nullam nec habitu, nec actu hæc aggreſſio pacifica oſtendit, quod ſi ſit iniuſta debet dici potius occupatio, quę etiam in hoc Canone excommunicatione plectitur, &c.

Vtrum inuadens, & non detinens aliquem ex præfatis locis incidat in hanc excommunicationem.

DIFFIC. II.

AFfirmant reſpondendum, quia ſingulæ actiones diſiunctiuè hic expreſsè prohibitæ ſunt ſub excommunicatione, nam aliquæ particulæ ſunt ſimul in compatibiles ſicut ſunt detinere, & deſtruere, ergo diſiunctiuè, & non copulatiuè, ſub excommunicatione inhibentur. Ita etiam *Sayr. l. 3. c. 24. Suar. Bonac. Filiuc. Duard. & Alter. loc. cit.*

Vtrum Banditi, & alij facinoroſi homines depredantes, inuadentes præfatas terras in hoc Canone excommunicationi ſubijciantur.

DIFFIC. III.

NOn defuerunt DD. qui affirmarunt tanquam, facientes actionem hic in Bulla expreſsè prohibitam. Verum Negant alij probabilius ſi ſolum, vt ſolent, inuadũt, vt deprędẽtur ſolũ, & ſurentur ob ſua priuata intereſſe, vel particulares inimicitias, non autem vt dominium acquirant talium oppidorum, & iuriſdictionem in eis exerceãt inuaſio enim bellica hic prohibetur, per quam dominium occupare prætenditur contra iuriſdictionem S. R. E. Ita etiam *Bonac. & Vgol in. loc. cit.*

Vtrum inuadentes, & occupantes præfata loca S. R. E. ſub iuſto titulo compenſationis, præſcriptionis, vel donationis, vel alio iuſto prætextu incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. IV.

DIſtinguunt Doctores, nam vel prætextus ille fundatur ſuper euidenter probabili ratione, & cauſa, & ſic non incidunt, quia hic excommunicantur præſumentes inuadere, & occupare, qui autem habent iuſtum titulum fundatum ſuper euidenter probabili non dubia ratione, & cauſa non dicitur inuadere, & occupare, quod ſi dubia ſit ratio, & cauſa iuſtitiæ & diceretur inuadere, & verè occupare, quia temerè inuaderet, & occuparet, quia deberet iuſtitiam prius examinare ex certa ratione manantem. Ita etiam *Bonac. punct. 2. Suar. & Duar. loc. cit.* idem videntur ſentire *Caiet. in ſum. c. 31. n. 4.*

Vtrum cum falſa commiſſione Summi Pontificis intrantes in præfata loca, ibiq; iuriſdictionem exercentes aſſerendo ſe eſſe Legatos, & Commiſſarios Apoſtolicos incurrant hanc excommunicationem tanquam vſurpatores, & perturbatores Apoſtolicæ iuriſdictionis.

DIFFIC. V.

AFfirmatiuè reſpondent *Sayr. l. 3. c. 24. Duar. hic q. 8. & Bonac. punct. 2.* & probabiliter quia hic etiam excommunicantur perturbantes, & vſurpantes iuriſdictionem ſupremã in dictis terris, quam habet Summus Pontifex, qui autem ſine eius commiſſione exercet eius iuriſdictionem, videtur ibi exercere ex propria authoritate ſupremam iuriſdictionem.

Verum non improbabiliter negandum videtur, ſi ſolum doloſè, vt ſuæ priuatæ vtilitati ſatisfaciat hanc iuriſdictionem exercet, abſque animo occupandi directum dominium Papæ, quia ſolum in hoc Canone eſſet merè latrũculus, vt ita dicam, talis iuriſdictionis, quod ſi dominium directum à Papa intenderet auferre, ſanè incurreret, quia verè inuaderet, & occuparet, quod poſſet ex eo colligi primò, ſi in exercitio iuriſdictionis ponat in principio litterarum, & bannorum nomen Papæ regnantis, ſignum eſt nolle occupare dominium directum, ſed ſolum ſub falſa commiſſione Papæ exercere præſumit iuriſdictionem, quod ſi non præponat nomen Papæ regnantis ſignũ eſt hoſtiliter voluiſſe inuadere, & occupare, cum ſolam ſuam authoritatem in iuriſdictione exercenda præmonſtret.

Colligitur ſecundò, non eſſe inuaſorem, nec perturbatorem, nec occupatorem, ſi adueniente vero legato, & commiſſario ſtatim recedat, nec illi obſtare intendat, quod ſi obſtare præſumat, ſignum eſt eſſe inuaſorem, vel occupatorem, vel ſaltem perturbatorem locorum S. R. E., & conſequenter hic excommunicari cenſendum ſine dubio eſt.

Vtrum impedientes executiones ſententiarum punitionum emanatarum à Papa, vel ab Eminentiſſimis Dominis conſultationis ſtatui Præpoſitis in hanc excommunicationem incurrant.

DIFFIC. VI.

AFfirmant DD. ſupra citati ex eo quia impediẽtes tales ſententias à D. Papa, vel Eminentiſs. Præpoſitis conſultationi ſtatus vſurpant, & perturbant ſupremam iuriſdictionem Pontificiam, & S. R. E., imò addunt, quod quocumque modo vſurpent, vel perturbent violentia, dolo, fraude incurrant, quia quocumque modo perturbantes, & vſurpantes excommunicantur.

An verò mortuo Papa Sede iam vacante huiuſmodi perturbantes, & vſurpantes iuriſdictionem ſupremam incidant in hanc Bullam affirmandum eſt, quia mortuo Papa non moritur Sedes Apoſtolica, & Eccleſia Romana, ſed viuit in ea dignitas Apoſtolica, & hic etiam excommunicantur perturbantes iuriſdictionem ſupremam Papæ, & Romanæ Eccleſiæ ex quibus.

Colligendum, quod vſurpans, vel perturbans iuriſdictionem alicuius particularis Iudicis Eccleſiaſtici non incidit in hanc excommunicationem, quia non vſurpat ſupremam iuriſdictionem, niſi fortè velit eam paulatim vſurpare paulatim incipiendo ab vno, & ſic ab alio in omnes alios animo proſequendi dictam iuriſdictionem, tunc enim contra ſupremam moliretur iuriſdictionem, & in hoc Canone ſanè excommunicaretur.

Vtrum qui ex priuilegio, & legitima conceſſione exercent ſupremam iuriſdictionem in præfatis locis excommunicatione hac vigeſima afficiatur.

DIFFIC. VII.

NEgant communiter, quia hic ſolum excommunicantur de facto vſurpantes iuriſdictionem ſupremam in dictis locis, qui autem retinent ex priuilegio, vel conceſſione non de facto, ſed de iure retinent, & exercent iuriſdictionem.

Hinc multi Doctores, & præſertim *Vgol hic §. 1. Reginald. l. 9. n. 583. Filiucc. tract. 16. c. 3. q. 9. Alter. l. 5. diſp. 2. c. 1. & Bonac. diſp 3. q. 21. p. 1.* excuſant Regem Hiſpaniarum pro regenta Sardinia, cuius Regem creatum fuiſſe tradant à Bonifacio VIII. Iacobum Secundum Aragoniæ, illique liberè conceſſam, à Regibus autem Aragoniæ ad Carolum V. & ſucceſſiuè ad ſuos Philippos deriuaſſe tradunt, quoad verò Siciliam, variæ ſunt opiniones Doctorum, vt poteſt videri apud Faſelum Siculum, Ioannem Lucam Barbetiam, Baronium anno 1097. & Bzouium; Item quoad Corſicam excuſant Genuẽſes, quia volunt a Lucio IV. remiſſum cenſum, quem pro Corſica ſoluebant Sedi Apoſtolicæ.

Nec obſtare ait *Bonacina* quod in hac Bulla reuocentur priuilegia ſub quacumque forma, nam illa ſolum priuilegia hic reuocata docet, quæ contraria ſunt actionibus in Bulla prohibitis ſ. de facto vſurpare, retinere, & perturbare prædicta loca, de iure autem retinentes, & poſſidentes non videntur excommunicati, aliter ait Bonacina dicendum eſſet, quod omnia alia priuilegia, & conceſſiones feudorum, & Emphyteoſis hic reuocarentur, quod apertè videtur in praxi contrarium; verum an hæc doctrina ſit probabilis circa loca nominatim expreſſa in hac Bulla, aliorum iudicium expecto, quod dependet ab illa difficultate, num Papa poſſit priuilegij ab alijs Pontificijs prędeceſſoribus conceſſa reuocare, ſi facta fuerint per modum contractus, vel data in remunerationem, in qua variæ ſunt Doctorum ſententiæ, de qua fortè V. priuilegium, vel V. Papa dicens. *Vide Bonac. diſp. 1. q. 10. punct. 50. n. 3. & de legibus diſp. 1. q. 1. & 15. & 16. & 19.*

Vtrum approbans aliquod ex delictis in hoc Canone prohibitis incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. VIII.

DIſtinguunt Doctores, nam vel approbat ante factum, & ita incurrit, quia hic excommunicantur etiam adhærentes, adhærere autem dicitur is, qui alicuius factionem ſpontè, & liberè ſequitur illi aſsiſtendo, & ſuas actiones approbando, at verò ſi perpetrata actione hic prohibita ei adhæreat approbando ipſam, adhuc diſtinguendum videtur, nam ſi delictum perpetratum habeat tractum ſucceſsiuum, puta quia detinet, occupat, vſurpat, adhærens alicui ex dictis actionibus tractum ſucceſsiuum temporis habenti ea approbando, etiam incurrit, quia participat in crimine criminoſo, quod ſi actio non habeat tractum temporis ſucceſsiuum, & actio iam completa ſit, puta inuaſio, vel deſtructio iã facta ſit, ſi haſce actiones quis approbet, non incidit quia verè actu in eas nullo modo influit.

An verò adhærens per ſolam aſsiſtentiam, & approbationem prohibitę hic actionis, incurrat an verò requiratur aliqua ẽt cooperatio, negat *Bon. loc. cit.* volẽs per ſolã approbationẽ actionis hic prohibitæ factam per ſuam verbalẽ aſsiſtẽtiam, nec requiri, quod de facto aliquam opem præbeat, quia tunc nulla eſſet differentia inter adherentem, & auxiliantem &c. *Filiuccius* tamen docet, adhærentem non incurrere niſi præſumant aliquam actionem in Bulla prohibitam facere; Verum Bonacinæ opinio videtur probabilior, ſi adſit verbalis approbatio talis actionis, quia per ipſam in foro fori ſufficienter ſe oſtendit participare in crimine Criminoſo cum faciente actiones hic prohibitas principaliter, vnde dicatur ei verè adhærere contra huius Canonis intentionem.

Vtrum nulla ſecuta actione hic prohibita incidat tamen, qui tali actione auxilium, conſilium, & fauorem præſtitit in hanc excommunicationem.

DIFFIC. IX.

NEgant communiter DD. quia actiones prohibitæ acceſſoriè ſolum, non puniũtur, niſi principaliter prohibitæ ex executioni fuerint demandatæ, quia quæ acceſſoriè prohibentur ad principale diriguntur, ſi ergo iſtæ ſuum non ſortiuntur effectum, nec iſtæ pena afficiuntur, ſi enim vt cauſatiuæ damni ex actionibus principalibus acceſſoriæ debent puniri, ſi nullum damnum ſecutum fuerit ex principalibus, nec ipſæ pena dignæ ſunt, quare dum non eſt ſecuta inuaſio, vel occupatio hic prohibita, nec præſtans auxilium, fauorem, & conſilium incurrit, ſtante, quod actiones principaliter prohibitæ executioni mandatæ non fuerint, non incurrit in hanc excommunicationem. Ita etiam *Filiucc. Bonac. & Alter. loc. cit.*

Vtrum qui loca S.R.E., vel eius iura ſpatio centum annorum bona fide poſſedit, ſi retineat contra Tenorem Bullæ huius, an hac excommunicatione ligetur.

DIFFIC. X.

DIſtinguendum puto, nam vel ſunt bona capacia præſcriptionis, & in talibus bonis currit contra Eccleſiam centenaria præſcriptio, & poſsidens bona fide non interrupta iuſtè poſsidet, vnde non incurrit hanc excommunicationem retinens, quia de facto talia in bona non poſsidet, ſed de iure concedente licitam poſſeſsionem per centenariam præſcriptionem etiam contra Romanam Eccleſiam, ſi verò ſunt bona incapacia præſcriptionis, tunc poſsidens ea cum centenaria præſcriptione incurrit, quia iniuſtè poſsidet, vt patet *ex c. Ad Audientiam c. cum vobis c. ſi diligenti de præſcrip. c. nemo 16. q. 3. Vide Bonac. hic punct. 2. & de Contrac. diſput. 1. q. vlt. p. 2. §. 2. n. 12. & 28. & Molin. diſp. 79.* prohibentur autem præſcribi viæ publicæ, Cenſus, & tributa debita ſupremæ Principis maieſtatis in recognitionem, exemptio ab obedientia ſuperioris, reſpublicæ, forum, limites paræciarum, quando de illis conſtat, quando autem de illis non conſtat, præſcribi poſſunt.

Vtrum publicatio huius Bullæ Cœnæ facta quotannis ſufficiat ad interrumpendam præſcriptionem.

DIFFIC. XI.

ABſolutè affirmat ſufficere *Duard. can. 20. q. 9. n. 7. cum Felino in c. cum non liceat de Præſcrip.* & probat, quia ſi præſcriptio interrumpitur per ſolam ſynodalem proclamationem, quanto magis per huius Bullæ proclamationem, quæ maiori fit cum ſolemnitate.

Alij tamen benignius ratiocinantur, & fortè probabilius diſtinguendo, nam vel poſſeſſio eſt cum mala fide, & ſic nullo modo currit, vel eſt cum bona fide incohata poſſeſſio, & deinde ſuperuenit dubium, quod facta diligenti indagine non potuit contra ſeipſum aliquid inuenire quod mala poſsideat, & in hoc caſu nõ interrumpitur præſcriptio per Bullę publicationem, quia cum bona fide dicatur iure poſsidere, & non de facto, & iniuſtè, quandiu enim durat bona fides, non dicitur quis iniuſtus detentor, nec vſurpator, Bulla autem procedit contra iniuſtos detentores, & vſurpatores bonorum S. R. E., ſi verò adueniente dubio, & facta diligenti inquiſitione nequiuit cognoſcere an bona, an mala fide poſsideat, an ſit verè res ſua, an Eccleſiæ, & remanet adhuc dubius, licet *Bonac. loc. cit. & Sanchez* velint adhuc non incidere, ſi non reſtituat, quia potior eſt conditio poſsidentis, tamen videtur probabilius dicendum cum *Alter loc. cit. & Soto l. 4. de iuſt. q. 5. ar. 4.* quod incidat, ſi nõ reſtituat, quia dubium hoc interrũpit pręſcriptionẽ ex publicatione huius Bullę; & dubiũ hoc potius facit malã fidẽ.

Saltem conſulerem in hoc caſu ſtãte dubio faciendam cum Sede Apoſtolica aliquam concordiam, ſeu compoſitionem offerendo aliquid pro tali dubio, & ita ſerupulis ſatisfieret.

Vtrum in hoc Canone excommunicentur Inuadentes, occupantes, & deſtruentes loca Dominorum qui in temporalibus agnoſcunt Dominum directum, & ſupremum ipſum ſummum Pontificem.

DIFFIC. XII.

AFfirmant communiter, quia iſta loca ſunt mediatè ſubiecta Summo Pontifici ſicut ſunt Ducatus Sermonetæ Bracciani, & ſimiles quia actu in Territorio immediatè ſubiecto S.R.E. recognoſcunt Papam tanquam ſupremum Dominum in tẽporalibus. Idẽ dicendum de inuadẽtibus, & occupantibus Ducatum Parmẽſem, quia etiam mediatè ſubijcitur Sedi Apoſtolicæ, qui licet actu non recognoſcant Papam, vt ſupremum Dominum, tamen habituali et Papa eſt eius Dominus, ſi qui-

Digitized by Google

ſi quidem ſi linea Ducatus præſentis finiretur, ad Papam deuolueretur talis Status, ſicut deuoluti ſunt actu iam Ducatus Ferrarienſis, & Vrbinenſis. Ita videntur ſentire *Alter. hic diſp. 21. Vgolin. Filiucc. & alij contra Duardum* putantem loca data in feudum eſſe immediatè ſubiecta.

Vtrum inuadentes, occupantes, & vſurpantes bona priuatorum Ciuium intra Territorium Sedis Apoſtolicæ incidant in hanc excommunicationem.

DIFFIC. XIII.

Dico primò non incurrere hanc excommunicationem, quia non ſunt propriè, & verè bona S.R.E. ſed particularium Ciuium, vnde non offenditur Suprema Papæ, & Sedis Apoſtolicæ Iuriſdictio. Ita *Alter. Duard. Bonac. & Filiucc. & Vgolin. loc. cit.* Quare

Dico ſecundò, quod inuadentes, & occupantes bona Pontificis in d. Territorio tanquam Domini naturalis ipſorum, nõ autem vt Papa eſt, nec incurrunt, quia in hiſce Papa dominatur, vt particularis Dominus, nec in ipſis habet ſupremã Iuriſdictionem, ſed ſolum offenditur, vt perſona priuata; tanto minus inciderent banditi priuatorum Ciuium bona rapientes, & vexantes in ipſo Territorio S. R. Eccleſiæ, quia non offenderent Supremam Papæ, & S. R. Eccleſiæ iuriſdictionem &c.

EXCOMMVNICATIO XXI.

Contra Præſumentes { *Abſoluere à Præfatis Excommunicationibus Bullæ ſine debita facultate.*

Vtrum Epiſcopus virtute facultatis ſibi tradita à Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6. poſſit à præfatis Bullæ excommunicationibus abſoluere.

DIFFIC. I.

Affirmatiua ſententia à multis grauioribus iam Doctoribus amplexa probabilis in ſe eſt ex eo quia Concilij Tridentini decreta niſi ſpecialiter expreſsè reuocentur, non intelliguntur reuocata, in hac autem Bulla non reuocatur ſpecialiter expreſsè facultas data abſoluendi à reſeruatis Papę in d. c. Concilij Tridentini Epiſcopis, præterquam quod vitanda eſt legis correctio quantum fieri poteſt, dum ergo non reuocatur expreſsè ibi auctoritas iſta, ſignum eſt Pontificẽ noluiſſe corrigere talem facultatem; Ita ſentiunt noſter *Rodriquez p. p. c. 81. n. 4. Vega, Emm. Sà., quos citat, & ſequitur Sanchez in oper. mor. l. 2. c. 11. Souſa hic c. 23. diſp. 100. Bannes, & Aragon. 22. q. 11. ar. 4. Nugnus in Add. ad 3. p. diſput. 26. & Henr. l. 7. c. 26. & alij.*

Attamen hodie volunt multi adeſſe declarationẽ Sac. Congreg. Conc. & Supremæ Inquiſitionis, in qua declaratur non poſſe Epiſcopum virtute Concilij Trident. abſoluere ab hæreſis etiam occultæ peccato, quam tamen authenticam non vidi. Adde tamen quod Epiſcopũ non poſſe à Caſibus in Bulla Cœnæ contentis abſoluere virtute Conc. Trident. deciſum fuit in Rota in vna S. Angeli penſionis 16. Decembr. 1594. Coram Card. Pamfilio, & altera prioratus 9. Iunij coram Manzanedo, idem docet *Genzal. ad Reg. V. Canc. gloſ. 6. Garzias de benef. p. 11. c. 10.*

Vtrum Epiſcopus poſſit phyſicè, vel moraliter impeditos abſoluere à præfatis caſibus Bullæ Cœnæ.

DIFFIC. II.

Negant *Bonacina*, quia omnem facultatem, & priuilegiũ datum Epiſcopis circa abſolutionem à reſeruatis in hac Bulla tollit, & reuocat.

Attamen benignius alij affirmãt phyſicè impeditos, vt continuò morbo laborantes, Claudos, cæcos, & huiuſmodi, immo etiam moraliter impeditos, puta qui ſine graui damno, vel periculo ſuo, vel aliorum non poſſunt Romam adire, poſſe ab Epiſcopo abſolui, quia dum in hac Bulla non prohibetur etiam legitimè impeditos non eſſe abſoluendos, intelligitur non prohiberi benigna Pontificis voluntatis interpretatio per Epichęiam facienda non reuocari priuilegium conceſſum Epiſcopis in iure communi poſitum in c. ea noſcitur, & c. de ſuis, &c. eos de ſent. Excomm. abſoluendi Papæ reſeruatis eos, qui legitimo detinentur impedimento eundi Romam. Ita etiam *Nauar. cap. 27. num. 89. Vgolin. hic §. 4. Duard. hic l. 3. §. 2. quæſt. 8. Alber. l. 5. diſp. 22. Sanch. l. 2. c. 13. Coriolan. hic de Abſol. n. 4. & alij.*

Quę ſententia poteſt confirmari ex eo quod Clemens VIII. & Paulus V. reuocantes priuilegia abſoluendi à reſeruatis Papæ expreſsè datam Regularibus, prohibent expreſsè, ne etiam impeditos audeant abſoluere, ergo dum hic non prohibentur ſpecialiter poſſe abſolui impeditos, ſignum eſt Papam velle poſſe abſolui.

Vtrum fingens ſe abſoluere aliquem à caſibus huius Bullæ abſque intentione abſoluendi incidat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. III.

Negant communiter, nam fingens abſoluere cum animo non abſoluendi, non præſumitur conferre beneficium abſolutionis, hic autem excommunicantur ſolum pręſumentes conferre beneficium abſolutionis à caſibus in Bulla reſeruatis. Vnde laicus, ſi præſumat abſoluere ab excommunicationibus hic reſeruatis, quia non poteſt impendere beneficium abſolutionis, non incideret in hanc excommunicationem, aliter tamen eſt hodie puniendus laicus ab Inquiſitionibus Sanctæ fidei præſumens conficere Sacramenta Euchariſtiæ, & pœnitentibus Sacramentalem Confeſſionem impartiri. *Vide Bonacinam, Duard., & Alter. loc. cit.*

Vtrum abſoluens à peccatis in Bulla hac reſeruatis, non autem cenſuris incurrat in hanc Excommunicationem.

DIFFIC. IV.

Caſus iſte videbitur metaphyſicus his, qui improbabile omnino putant poſſe dari abſolutionem à peccatis abſque eo, quod prius detur abſolutio à Cenſuris, attamen quia videtur hodie practicari tanquam probabilis opinio à multis amplexa poſſe ſcilicet aliquando dari abſolutionem à peccatis abſque eo, quod à Cenſuris abſolutio prius impertiatur, non eſt omnino metaphyſicus cenſendus. Quare

Non improbabiliter aſſerunt aliqui nõ incidere in hanc excommunicationem præſumentes abſoluere à peccatis, ſuper quæ fundantur iuſtæ excommunicationes, latæ in hac bulla, ſi non abſoluant à Cenſuris reſeruatis, & probant, quia Papa in hoc Canone videtur reſeruare cenſuras per illam particulam poſitam (à prædictis ſententijs) Ita *Zabar. in Clem. 1. de Priuil. n. 21. q. 37. Syluẽ. V. Excomm. 7. §. 56. Vgol. hic, & Bonac. q. 22. punct. 3. hanc opinionem probabilem putant.*

Contrarium tamen putant *Alt. diſp. 21. c. 3. Souſa hic c. 2. & alij*, quia Papa hic practicè loquitur non metaphyſicè abſtrahendo cenſuras à peccatis; ſed quicquid ſit de hiſce opinionibus certum eſt tamen, vt dicetur infra V. Excommunicatio, quod ablata reſeruatione Cenſuræ per abſolutionem ab ipſa in quocumque foro, tollitur etiam reſeruatio à peccatis, in quibus fundabatur, quia ablata reſeruatione à principali per Superiorem, auferre etiam intendit reſeruationem ab acceſſorio, à Superiore autem intenditur principaliter ſeruari Excommunicatio, & acceſſoriè peccatum, ſuper quod fundatur ſecundum communem ſententiam.

Vtrum abſoluens ſine facultate legitima à præfatis excommunicationibus Bullæ incidat in excommunicationem Papæ reſeruatam.

DIFFIC. V.

Qvamuis *Vgol. hic n. 4. & Viuald. in Cand. aur. hic n. 140.* hanc excommunicationem eſſe reſeruatam, quia eſt ab homine lata, quæ regulariter ferenti reſeruatur, attamen quia probabiliter cõmunius hodie ſentiũt ſaltem eſſe mixti generis, ideo dum actu non reſeruatur in Bullis moderniorum Pontificum, qui reſeruantes antecedentes excõmunicationes, hanc autem contra præſumentes abſoluere ab illis non reſeruãt; reſeruabatur tamen tempore Pauli hæc excommunicatio, hodie tamen non ponitur reſeruatio, mutatio autem verborum apertam indicat diſpoſitionis mutationem. Ita *Nauar. c. 27. n. 74. Souſa hic diſp. 101. Alter. Coriolanus, Filiucc. loc. cit.*

Atta-

Attamen aduertendum hic Regularem ſub prætextu priuilegiorũ præſumentem abſoluere ab excõmunicationibus huius Bullę incidere in excommunicationẽ latam à Clemente VIII. Papæ reſeruatam, quod ſi ſolũ abſoluat ſimpliciter abſq; prætextu priuilegiorum incidit ſolũ in illam, quæ probabilius non dicitur reſeruata. Ita ẽt *Suar. Filiucc. & Bonac. loc. cit.* quicquid in contrarium reclamare videantur *Souſ. & Duard. loc. cit.*

Vtrum abſolutio ſolita dari in litteris Apoſtolicis ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum ſuffragetur Excommunicato in hac Bulla, ſi non habeat actualem dolorem perpetratæ culpæ commiſſæ contra hos Canones, nec propoſitum abſtinendi de cetero. DIFFIC. VI.

AFfirmare videtur *Duard. hic* §. 4. q. 3. modo non ſit excõmunicat⁹ in caſibus exceptuatis, vt eſt hęreſis, in quibus contumaci abſolutio negatur ſuffragari, quia talis abſolutio non eſt Sacramentalis, ergo non requiritur dolor præ præterita culpa nec propoſitum abſtinendi de cetero.

Cęterum probabilius, & tutius aſſerunt alij non ſuffragari, impœnitenti, & obſtinato, & contumaci proteruo, quia licet non ſit abſolutio Sacramentalis, ſed potius ſuſpenſio effectus excõicationis pro illo fauore ſolum conſequendo legitimè, attamen non debet præſumi Papa vel e obſtinato cõtra mandata Sedis Apoſtolicæ tale priuilegium impartiri. Ita *Bonac. loc. cit.*

Quænam conditiones requirantur ad hoc, vt quis legitimè dicatur abſolutus ab Excommunicationibus in hac Bulla reſeruatis. DIFFIC. VII.

DIcendum, quod conditiones requiſitas ad effectum abſolutionis obtinendæ enumerat Papa in ipſa Bulla ſub hiſce verbis, à quibus in praxi poterit vnuſquiſq; conſulere, quid ſibi ſit neceſſarium pro recipienda, vel danda abſolutione ab hiſce excommunicationibus Bullæ; Papa autem ſic loquitur ſub hiſce verbis formalibus (*declarantes, & proteſtantes quamcumque abſolutionem etiam ſolemniter per nos faciendã prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehẽſos, niſi prius à præmiſſis cum vero propoſito vlterius ſimilia non committẽdi deſtiterint, ac quoad eos, qui contra libertatem Eccleſiaſticam, vt præmittitur ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, ſeu capitularibus locis, aut libris in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per patiẽtiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocunq; tempore continuatam in præmiſſis omnibus, & ſingulis ac quibuſcunque iuribus Sedis Apoſtolicæ, ac S.R.E. vndecumque, & quomodocunque quæſitis, vel quærendis nullatenus præiudicare poſſe, aut debere*) hæc Summus Pontifex &c.

Vtrum reuocationes factæ in hac Bulla circa priuilegia intelligantur etiam factæ circa priuilegia data per viam contractus oneroſi. DIFFIC. VIII.

NEgant aliqui ex eo, quia iure naturæ tenemur pacta ſeruare *l. 1. ff. de pactis* contractus autem oneroſi habent vim pacti, ergo tenemur eos de lege naturæ ſeruare, quare Papa cum teneatur ſeruare legem naturæ, tenetur etiam ſeruare, maximè ea, quæ titulo oneroſo facta ſunt, priuilegia ergo data à ſe, vel ſuis Anteceſſoribus tanquam ex lege naturæ obligantia putant non poſſe Papam reuocare, vnde in hac Bulla non facit mentionem de priuilegijs datis titulo oneroſo, ſed ſimpliciter poſuit hanc particulam (*per modum contractus*) non ſpecificando titulo oneroſo ſub titulo oneroſo.

Attamen communius docent Papam hic reuocare priuilegia etiam per modum contractus oneroſi, dum ait (*ex quauis cauſa etiam per viam contractus, vel Remunerationis*) nam licet non apponat particulam oneroſi, illam tamen inuoluit expreſsè in particula remunerationis, nam priuilegia data per modum remunerationis, pręſupponunt contractum oneroſum, per quod onus datur priuilegium remuneratiuum. Ita *Bonac. Duard. Alter & Souſa loc. cit.*

Quod autem Papa poſſit tollere priuilegia etiam data per viam contractus oneroſi patet ex eo, quia Superior eſt nullum in terra recognoſcens ſuperiorem, priuilegium autem cap. concedi vires, ſicut potuit concedi à Superiore Summo, ita etiam poteſt tolli ab eodem, res enim per eaſdem res diſſoluitur, per quas habet eſſe, Superior autem ſicut ex legitima cauſa potuit concedere priuilegium, ita etiam alia ſuborta legitima cauſa poteſt illud diſſoluere, alias non eſſet Summus Superior, ſi alia legitima interueniente cauſa priuilegium fortè factum damnoſum, & inutile tollere non valeret.

Nec obſtat, quod pacta ſunt ſeruanda de lege naturæ, cui Papa, & quilibet Superior Summus, ſubijcitur, nam quãdo duo præcepta naturæ concurrunt ſimul in eodem, & alterum eſt fortius, hoc ſeruandum eſt, & minus fortè prætermittendum, fortius autem præceptum naturæ, quod bonum cõmune anteponatur bonum priuato, & minus fortè, quod bonum priuatum ſeruetur, ſed pactum ſeruari in contractu eſt de iure naturali pertinente ad bonum priuatum, quod autem non ſeruetur pactum, quãdo cedit in damnum communitatis ſuadet vt hoc præceptum de non ſeruando pactum priuatæ perſonæ tanquã minus obligans prætermittatur ad ſeruandum bonum cõmune, poteſt ergo Papa priuilegium datum perſonæ particulari per viam contractus oneroſi, & remunerationis iure tollere, & abrogare, ſi toti cõmunitati cognoſcat eſſe inutile, vel damnoſum, quia fortius obligat ſeruare bonum commune, quam priuatum, & bonum commune ſemper anteferendum priuato, poterat ergo cõtingere, quod anteceſſores Pontifices conceſſerint multa priuilegia etiam per viam remunerationis, & contractus oneroſi, quæ tunc non reſultabunt in damnũ communitatis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, vel libertatis, hic autẽ, & nunc cognoſcentes ſucceſſores Pontifices dicta priuilegia eſſe damnoſa communitati Eccleſiaſticæ, & eius libertati poſſunt licitè ea priuilegia eodem iure naturali fortius obligante ducti talia pacta tollere, & priuilegia caſſare, & abrogare.

Quod ſi dicas ſi Papa poteſt abrogare priuilegia data ab Anceſſoribus Imperatoribus, Regibus, & Principibus, etiam poterũt ijdem abrogare priuilegia data à ſuis anteceſſoribus Eccleſiæ Romanæ, & Sedi Apoſtolicæ; hoc argumentum non obſtat, vel quia nullus iſtorum eſt Superior Papæ, & Eccleſiæ Romanæ, ſed ſinguli ſe fatentur ſubditos, & filios eius, dum ergo non habent iuriſdictionem Superioritatis non poſſunt tollere priuilegia, nam priuilegium à ſolo Superiore tolli poteſt; prætérquam quod

Priuilegia conceſſa Eccleſiæ Romanæ, vel Eccleſiaſticæ communitati, vel ſunt circa immunitatem à foro ſæculari, at hæc non ſunt priuilegia data ab Imperatoribus, vt Superiores ex propria authoritate, ſed ſolum ſunt declarationes, quod Eccleſiaſtici ſunt à foro ſæculari exempti alio iure Superiori ſcilicet diuino; hæc ergo priuilegia reuocare nequeunt Principes, quia ab eis data non fuerunt, ſed immediatè ab ipſo Deo, ſi verò priuilegia ſunt circa conceſſiones Dominij temporalis, & hæc ſaltem pro nunc, quia per modum oblationum Deo factarum tranſierunt iam in ius Eccleſiaſticum, ergo nec poſſunt reuocare, tanto minus poſſunt abrogare, quia cõceſſio talium rerum tẽporaliũ nullo vnquam tẽpore poteſt cedere in dãnum cõmunitatis Chriſtianæ cũ Deo iam dicata ſemper vtilia populo Chriſtiano ſit, exitioſa, ſi offendantur, & lędantur. Adde, ꝙ libertas, & Immunitas Eccleſiaſtica eſt maius bonũ cõmune, vtpotè magis immediatè reſpiciens Deum, quam ſæcularis iuriſdictio, quæ ſolũ immediatè tẽporalia ordinat, at verò contra maius bonum non poteſt fieri abrogatio propter minus bonũ, patet ergo ad præſentẽ difficultatem reſolutio, quæ vtinã à Principibus attentè, & piè perpenderetur, fortè tot bellorum incommoda non permitteret inter Catholicos Deus noſter. *Vide Suar. in hac materia l. 4. de Immunit. cap. 3. Alter. diſp. 22. c. 5. Duard. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum teneantur ſub mortali Epiſcopi, & locorum Ordinarij hanc Bullam in ſuis Eccleſijs publicare, & an ſolum in Cathedralibus. DIFFIC. IX.

AFfirmant cõiter teneri Epiſcopos, & Ordinarios ſub mortali hãc Bullã in ſuis Eccleſijs publicare ex eo, quia in hac Bulla pręcipitur eiuſdẽ in virtute S. Obediẽtię, vt in ſuis Eccleſijs current eã Bullam publicandã; vt videre eſt in Bulla ipſa.

An verò ſufficiat, vt in Cathedrali ſola, vel etiam in alijs Eccleſijs ſuæ Diœceſis publicari faciant, affirmat ſufficere quod in ſola cathedrali eã publicari curẽt, *Alter. diſp. 22. c. 26.* at verò cõformius ad mentẽ Bullæ dicendũ non ſufficere, quia Pontifex in Bulla hoc præcipiens loquitur in Eccleſijs ſemel in anno, nec ſpecificat Cathedralibus, vel maioribus, ita vt videatur

velle

velle Pontifex, vt in Eccleſijs ſingulis ſuæ Diæceſis hanc Bullam publicari curent, & iure, vt nullus in ſua Diæceſi ab ignorantia horum Canonũ valeat excuſari. Ita *Bon. loc. cit. punc. 6.*

Vtrum prohibita in hac Bulla tranſgrediens, antequam ad Valuas S. Ioannis Lateranenſis, vel Principis Apoſtolor. de Vrbe affigantur ad publicam notitiam hæ litteræ Apoſtolicæ, incurrat in has excommunicationes.

DIFFIC. X.

AFfirmat Bonacina putans ſtatim atque lecta fuerit hæc Bulla à Diacono Cardinali coram ſummo Pontifice in conſpectu frequentiſſimi Populi in ſancto die Cœnæ Domini habere hic contenta vim legis ſufficienter publicatæ.

Attamen æquius volunt alij, non habere vim legis ſufficienter publicatæ niſi poſtquam fuerit hæc Bulla affixa ad loca præfata ſaltem pro illis qui non interfuerunt publicationi, alias mandatum, vt affigatur inane eſſet, ſi ſtatim ligaret, antequam affigatur, vt de noua Bulla non videtur ligare quoad affigatur, & antiqua non afficit poſt publicationem nouæ, itaque medio illo tempore inter publicationem, & affixionem non videtur hæc Bulla ſuis Cenſuris ligare eos, qui publicationi non interfuerunt, prior tamen opinio tutius conſulitur, ſed vide infra quæſtionem vltimam.

Vtrum ligent Canones huius Bullæ per totum orbem Terrarum, licet fuerint ſolum Romæ publicati.

DIFFIC. XI.

AFfirmatiuè reſpondendum ex ipſius Pontificis expreſſa intentione in ipſa Bulla in qua ſic loquitur *(Vt vero præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, ſeu membranas proceſſus ipſos continentes Valuis Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non ſit veriſimile id remanere incognitum quod tam patenter omnibus publicatur. Inſuper vt proceſſus ipſi, & præſentes litteræ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerìſq; Ciuitatibus, ac locis fuerint publicata, vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis locorum ordinarijs, & Prælatis vbilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtutis ſanctæ obedientiæ diſtinctè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel per alium, ſeu alios præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam ſemel in anno aut ſi expedire viderint etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerint, ſolemniter publicent, & ad fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.* hæc Pontifex.

Quod ſi dicas ex hiſce verbis potius colligi per totum orbem terrarum, ſtatim ac fuerint Romæ publicatæ, niſi prius per Epiſcopos, & ordinarios in ſuis Eccleſijs fuerint publicatæ per totum orbem.

Non obſtat hæc inſtantia, nam Papa non præcipit, vt ab Epiſcopis in ſuis Eccleſijs publicentur ſimpliciter ad hoc, vt tunc habeant vim legis hi canones, ſed ſolum, vt notiores fiãt, itaque dum dicit, vt notiora fiant, quæ in ipſis mandantur, vel prohibentur ſupponit ſufficere notitiam publicationis factæ adhoc, vt obligent, quod exprimit Papa dum dicit *(vt illi quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut quod ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere)* Verum quæ ignorantia à Cenſuris excuſare valeat, dicetur infra V. Cenſura.

Vtrum peccent Confeſſarij, ſi tranſumptum huius Bullæ apud ſe non habeant.

DIFFIC. XII.

AFfirmare videntur *Vgolin. hic c. 7. Duard. l. 3. §. 8. q. 1. & Bonac. pun. 7.* putantes verba imperatiua in re graui obligare ſub mortali, cum ergo in hac bulla per verbum imperatiuum *(habeant)* præcipiatur Confeſſarijs apud ſe habere tranſumptum huius bullæ, peccant mortaliter, ſi non habeant.

Attamen æquè probabiliter negant Souſa hic *c. 18. & Alt. hic diſp. 22. c. 7.* quod illud verbum *(habeant)* non eſt præceptiuum, ſed potius conſultiuum, quod colligunt, quia tempore Pij V. addebantur præceptiua verba circa obligationem habendi hanc Bullam apud ſe à Confeſſarijs omnibus, quæ ſublatæ fuerunt a ſucceſſoribus, mutatio autem verborum mutationẽ intentionis indicat ex l. de prætio ff. de publ. idem videntur ſentire Nauar. Sayr. & Alphonſus de Caſtro, & alij volentes verba imperatiuo modo ſimpliciter prolata in legibus non inducere obligationem ſub mortali, niſi cadant in materiam ex ſe obligantem ad mortale; ergo probabiliter poteſt dici ſub mortali retentionem huius Bullæ Confeſſarijs non præcipi.

Ceterum ſi non adſit contemptus, & habeant Confeſſarij commoditatem opportunam eam, quando occurrerit neceſſitas, legendi apud alios, certum puto ſatisfieri intentioni Pontificis &c. quare etiam certum eſt non eſſe neceſſum hanc Bullam etiam in terminis primæ opinionis eum vt ſecum ſemper afferant Confeſſarij, ſed ſufficit vt domi retineatur, vel in aliquo loco publico ſit affixa puta in Eccleſia, vel Sacriſtia, vt docet etiam Bonacina, ita vt vna pro omnibus confeſſoribus in eadem Eccleſia ſufficiat, dum iuxta opportunitatem habetur occaſio eam legendi, quandocunque occurrerit.

Aduertant etiam Confeſſarij, quod non ſolum iubentur hanc Bullam habere, verum etiam ſcit Papa *(tranſumptum præpenſium litterarum pares ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant.*

Quænam ſit perſona, cui habenda fides in iudicio, vel extra, cuius ſigillum requiritur in Bulla pro authentica eius deſcriptione.

DIFFIC. XIII.

QVia in hac Bulla indulgetur, vt tranſumpto publici Notarij manu ſubſcripto, & ſigillo iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in iudicio, vel extra illud munito eadem fides habentur, ac ſi eſſent ipſæ litteræ Apoſtolicæ exhibitæ, & oſtenſæ, quæritur in hac difficultate, quænam ſit perſona illa, cui adhibetur fides in iudicio, & extra.

Azorius 2. p. l. 3. c. 13. q. 2. docet quamcunque perſonam non ſolum habentem iuriſdictionem, & adminiſtrationem, ſed etiam locum honorificum, & ſedem in choro, in conſeſſu, in comitijs, in conuentibus, aut qui in ſententia ferenda, in ſupplicationibus publicis, in inceſſu ceteros antecellit, habere fidem in iudicio, & extra, quare in hac ſententia Archipræsbiteri, Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Primicerij, & in Religionibus lectores, diffinitores, & Vicarij dicerentur etiã perſonę idoneæ, vt habeatur effectus fidei tranſumptis huius Bullę.

Verum probabilius *Panormitanus, & Felinus in c. cum acceſſiſſent de Conſtitut. Duard. hic l. 3. §. 8. q. 4. Gonzalez ad Regulam 8. gloſ. 5. n. 11. & Bonac. punct. 7. loc. cit.* volunt quod perſona requiſita ad faciendam fidem hic requiſita intelligatur illa, quę habet pręeminentiam cum iuriſdictione, & adminiſtratione, vnde ſequitur ſolum Epiſcopos, eorumq; Vicarios generales, ordinum Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Guardianos, alioſq; Religioſorum præfectos adminiſtrationẽ cũ iuriſdictione habentes vocari perſonas in dignitate cõſtitutos, quorum ſigillis haberi poteſt fides in trãſumptis appoſitis.

Vtrum Bulla Cœnæ prædeceſſoris liget antequam publicata fuerit Bulla ſucceſſoris licet facta iam fuerit.

DIFFIC. XIV.

DIfficultas præſens ſuæ dubitationis rationem ſumpſit ex verbis ipſius Pontificis, qui loquens de huius Bullæ duratione ſic ait *(volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcumque in his litteris contẽta, quouſque alij huiuſmodi proceſſus à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiãt, aut publicentur durare, ſuoſq; effectus omnino ſortiri)* ex quibus verbis dum ponit antiquas durare donec nouæ fiant, aut publicentur, videtur Papa diſiunctiuè loqui per particulã, aut, itaut durare antiquas poſſit intelligi, donec nouæ publicentur, & poteſt intelligi, quod antiquæ durẽt, donec nouę factæ fuerint, vnde quouſq; nouę publicentur, nõ videãtur habere nec nouę nec antiquæ vim ligandi delinquẽtes cõtra præfatos Canones, ita cenſent DD. aliqui, & probãt ex eo, quod natura diſiũctiuę ſiue alternatiuę dictionis, ſicut eſt, aut, ea eſt, vt verificetur altera parte tantum adimpleta, nam ſi requireretur neceſſariò, vt vtraque pars adimpleatur, non eſſet propriè alternatiua, ſed copulatiua, ita ex *c. in alternatiuis de Reg. iuris in 6.* opinio hęc ſpeculatiua ratione probabili non caret.

Proba-

Probabilius tamen,& tutius dicendum eſt particulam, aut, in hoc loco accipi copulatiuè, & coniunctiuè, non autem alternatiuè, & diſiunctiuè. Particula enim, aut, quoties materia ſubiecta exigit, tenet ſe copulatiuè, & non alternatiuè, vt videre eſt *in l.ſæpe ff. de verb.ſignif. Ita Cenedus, & Vulpellus apud Barboſ.de dictionibus dict.36.n.2. Alter.hic l.5.diſp.22. c.1.ſub finem; Nauar.Salas.& alij*,quos citat, & ſequitur *Bonac.de legib.diſp.1.q.1 punct.4*;exigit tamen,ne Papæ intentio fruſtretur circa durationem Bullæ,vt intelligantur durare,donec nouæ publicentur, quia nouit Papam Bullam factam non ligare,niſi publicetur,nam intentio Papæ eſt,vt nullo vnquam tẽporis momẽto ceſſent iſtius Bullę cẽſuræ cõtra delinquẽtes.

Adde etiam,quod in iure, quoties materia id videtur exigere,hæc particula, aut, debet accipi expoſitiuè, & declaratiuè præcedentis vocis.Ita *Suar.l.3. de leg. c.16.n.3. Duardus in Bulla Cœnæ lib.1.c.4.q.8.n.9.& lib.3.c.1.q.1.n.11.Cardinal. Iacobat.de Conc.l.3.a.1.n.130. & hoc pacto intelligitur etiam c.1. de poſtulatione Prælat.* Quare in hac Bulla dum dicitur fiant,aut publicentur,ly aut,exponit,& declarat verbum fiant, itaut ſit ſenſus antiquas durare, quouſque nouæ fiant, & publicentur,quaſi velit neceſſe ſit ad validitatem antiquarum, vt nouæ factæ publicentur, & ideo vſque ad earum publicationem declarat antiquas durare donec publicentur nouæ propter aliquod impedimentum legitimum. Ita *Duard. & Bonac. & Auguſt. Barboſa dict.69.n.2.*

Calix.

Vtrum ex lapide,vel Chriſtallo fieri valeant Calix,et patena.

DIFFIC. I.

Dico primò,quod Calix,& patena antiquis temporibus etiã de ligno, & vitro conficiebantur, vt habetur *diſt.1. de Conſecr.Vaſa*,at vero,quia,vt notat gloſa lignum poroſum eſt valdè, & faciliter ſanguinem Chriſti abſorbere poteſt, ſanctè ſtatutum eſt, ne deinceps in vaſculis ligneis ſanguis Chriſti conſecraretur,vt patet in dicto c.vaſa, & in c.ſequenti non ſolum, ſed nec in vitreo, nec æreo, nec orichalchico vaſe ſanguis pretioſus Domini noſtri conficeretur,& quidem ne in vitreo,quia vt notat gloſa ibi, quia fragile eſt, & immineret periculum effuſionis,ſed nec in æreo,vel oricalchico, quia, *vt in c.Calix* habetur,ob vini virtutem æs,cuprum,& aurichalcum æruginem pariunt,quæ vomitum prouocant. Itaque ſolum de auro,vel argento ſtatuitur in præfato capite fieri calices, & patenas,& vbi paupertas adeſt Eccleſiarum ſaltem de ſtagno, quia nec fragile eſt, nec æruginem generat. Quare

Dico ſecundò,quod licet multi antiquiores, vt eſt *Angelus noſt.V.Calix* negauerint poſſe ex lapide fieri calices, & patenas, tamen hæc prohibitio,ne fiant de lapide,non inuenitur facta apud ſacros Canones in citatis locis, quare non haberem pro abſurdo,quod ex aliquo lapide pretioſo,vel pario,quod ſubtiliari poteſt in tantum, vt propter pondus non videatur dedecens tractari in ſacrificio à Sacerdote,moueor,quia ratio legis in prohibendo, ne ex ligno, vitro,ære,& oricalcho fiant calices ceſſat in lapide,etenim lapis non eſt materia poroſa, ſicut lignum, non eſt fragilis ſicut vitrum, vt faciliter timeatur effuſio,nec generat æruginem ſicut æs, & auricalchum,ergo dum expreſsè non prohibetur, non videtur cadere ſub prohibitione, dum prohibitionis ratio ceſſat in ipſo lapide.

Imò,nec dicerem in præfato c. prohibitum fieri Calicem ex chriſtallo,vulgo,di Rocca,quia cum groſſum ſit,durius etiam eſt,nec ita faciliter frangitur,vt poſſit timeri effuſio,maximè ſi virgulis argenteis, vel aureis hinc inde fulciatur, ex quibus omnino appareat ſuſpicio de fragilitate, ceſſat enim in iſto chriſtalli genere ratio prohibitionis præfatæ.

A quo conſecretur Calix,& an ſi bona fide conficiatur à Sacerdote ſanguis Chriſti in calice non conſecrato, remaneat deinde conſecratus.

DIFFIC. II.

Dico primò,quod certum eſt,ad Epiſcopos præcipuè pertinere calices conſecrare, quia in conſecratione inunguntur vt habetur c.vnico de Vnct.ſacra verſus finem, an vero id poſſint Abbates inſignibus pontificalibus vtentes, affirmat Cardinalis in Clement.attendentes de ſta.regul.ſi hoc habeant ex conſuetudine, vel priuilegio particulari, quia Calices conſecrare potius pertinet ad dignitatem,quam ad ordinẽ, de iure tamẽ ordinario nõ poſſunt ideo vnuſquiſq; Abbas ſuę Eccleſię, vel Religionis approbatam, & legitimam conſuetudinem, vel Apoſtolicum indultum in calicis conſecratione attendat.

Dico ſecundò,quod Calix cum ſua patena,non conſecratus ab Epiſcopo ſi bona fide adhibeatur à Sacerdote in ſacrificio Miſſæ,& in eo conſecret ſanguinem Chriſti, & in patena reponat corpus eiuſdem Domini noſtri putans re vera eſſe conſecratum, non eſt amplius ab Epiſcopo conſecrandus Calix, nec patena, quia ex contactu Corporis, & Sanguinis Chriſti, quia vera eſt vnctio,remanent cõſecrati calix, & patena, idem dicendum eſt etiam de corporali, & veſtimentis Sacerdotalibus non benedictis, ſi adhibeantur ſemel in ſacrificio Miſſæ, iam remanent deinde benedicta ex corporis Chriſti contactu, vel præſentia. Ita docent etiam *Caſtr.l.2.c.vlt. Auila de Cenſ. p.5.diſp.7.dub.3.Sà V.Eccleſia,& Diana de celebr.Miſſ.reſol. 9.& licet noſt.Portell.V.Eccleſia in addit. ad dub. reg.* videntur parum inclinare in hanc ſententiam, & Fagundez eam omnino abijciat,attamen tutam puto in conſcientia præfatam opinionem quoad calicem, & veſtimenta in aliqua ſaltẽ neceſſitate,non autem quoad Eccleſiam conſecratam pollutã ita probabiliter, quam volunt reconciliatam ex ſola miſſarum celebratione vide infra V. Eccleſia,quia maior,& ſolẽnior cæremonia adhibetur in reconciliatione Eccleſiæ conſecratæ pollutæ.Sed de hac quæſtione fuſius etiam,quo ad malam fidem, quid dicendum redibit ſermo infra diff.6.ad maiorem legentium ſatisfactionem.

Quomodo Calix, & patena execrentur.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod certum eſt Calicem execrari ſi formam ſuam amittat, puta ſi cuppa à pede ſuo præcidatur, vel cuppa ita contundatur, vt non retineat modum,quo poſſit in ea bibi, argumento c. 1. de conſecrat. Eccl vel Alt. deſtructa enim forma, deſtruitur calix, & ſic perit conſecratio, vnde ſi repararetur, dicetur nouus calix, atque adeo conſecrandus; Aduerte autem hic, quod ſi Calix ita factus fuerit, vt cuppa ſit amouibilis à pede propter aliquem commodum finem, & repatribilis ad vſum poſtea,non perdit formam ſuam, quia cum illa forma factus eſt, atque adeo non perdit conſecrationem, quod ſi rumpatur pes, vel cuppa præcidatur à pede violenter, vel etiam per caſum fortuitum, quia poſtea cum eo non poteſt amplius celebrari, dicitur iam amiſiſſe formam, quæ data erat ei ad tale miniſterium, & conſequenter execratus cenſendus; idem dicendum de patena.

An vero per aliquot ictus datos à fabro ſuper Calicem fiat execratio,vt aliqui opinantur, ait noſter Roſella hic §. 1. quod, hoc in iure hucuſque non inuenerit, nec ego adhuc inueni, certum eſt tamen, quod quando à Superiore ſuſpenditur, tanquam ineptus factus ad vſum ſacrificij,iam dicitur execratus, & poteſt fabro dari,vt iterum reddatur habilis.

Dico ſecundò, quod in ſententia probabili eorum, qui volunt conſecrationem Calicis affigi ſolum in ſuperficie,vt in ſeq. diffic. videbitur ſi aurata ſit, & deauratio auferatur, vel etiam per longum vſus omnino euanuerit, poteſt dici execratum calicem, vel patena ex tali auri conſumptione, in quo præſumitur ſolum conſecratio manere. Verum *noſt. Angelus V.Calix*, probabilius putat non manere ſolum in auro, quod ita ſubtiliter ponitur conſecrationem, ſed totum calicem conſecrari,quare ex conſumptione auri non remanere execratum calicem probabiliter putat, imo ſi probabile eſt ex contactu ſanguinis remanere conſecratum calicem nondum conſecratum,quantò magis remanebit conſecratus argenteus auro decroſtatus ex eodem contactu, atque adeo non eſt ſimile de Eccleſia conſecrata,cuius parietes ſi decroſtarentur in quibus facta eſt vnctio conſecrationis remanet execrata,quia non recipit nouum contactum Sacrati Sãguinis,& corporis Chriſti.

Vtrum Calix ſit conſecratus ſolum in ſuperficie inaurata, quæ tangit immediatè Sanguinem Chriſti, an vero totus,ita vt ſi auri ſuperficies abſumatur,ſit reconſecrandus,nec non.

DIFFIC. IV.

Variant in hac difficultate Doctores, etenim antiquiores, vt *Petrus de palatio*, relatus à *noſt.Ang. V.Calix* §.2. quem ſecuti ſunt ex moderníoribus *noſt.Biſigian.in 4.ſent.t.1. qu.13.*

q.13.q.2 art.vn. Molfeſ. in ſum. T.1.tract.3.c.12. Scortia de Sacrif. miſſ. T.2.c.14. Suar. in 3.p. T.21. diſp.81. ſect.7. Reginald. T.2. l.29.c.9. ſect.6. n.199. & Bartholom. ab Angel. in excom. confeſſ. Dial. 5. §.324. qui citat Sylu. Armil. & Tabien. V. Calix, citat etiam pro hac ſententia *Angel. noſt.* ſed quid ipſe ſentiat dicam infra, docent conſecrationem Calicis in ſuperficie aurata ſolum manere, ita vt ſi ſuperficies illa cadat quomodocũq; Calix omnino ſit recõſecrandus, & probant quia conſecratio fit in Calice ad venerationem contactus ſanguinis noſtri Ieſu Chriſti, ergo ſolũ in Calice conſecratur, quod proximè contingitur à Sacroſancto Sanguine, ſed ſuperficies ſola eſt proximè contacta à ſanguine, & non totus Calix, ergo ſola ſuperficies retinet conſecrationem, ſuperficie ergo auri ablata, conſecratio Calicis ceſſat.

Moderniores tamen aliqui volunt conſecrationem afficere ita totum Calicem, vt etiam ſi denuo deauretur, conſecrationem non amittat, quia res, quæ ſemel eſt conſecrata, quandiù manet eadem integra, nunquam perdit conſecrationem, etiam ſi in aliqua parte reficiatur, vt patet de Eccleſia conſecrata, cuius ſi aliqua pars cadat, & reficiatur, illa etiam noua contiguæ conſecratæ coniuncta remanet conſecrata, ita etiã ſi cadat aurum à Calice, ſi illi denuò aurum addatur, remanet cõſecratum ratione Calicis conſecrati cui additur. Ita *Layman. in Theol. moral. l.5. tract.5. c.6. n.7. Comnch. de Sacr. q.83. a.7. dub.3. n.246., & Diana p.p. tract.15. miſc.1. reſol.3.*

Angelus autẽ noſter docere videtur inter haſce opiniones mediũ; nam totum Calicẽ cõſecratum docet, nec in ſola ſuperficie auri vult manere conſecrationem, ſed in toto Calice, ita vt ſi aurum cadat per non vſum non debet reconſecrari, quia conſecratio ſemper manet in argento, at verò ſi iterum deauretur, iterũ conſecrandum docet cũ Petro de Palatio, Quare autẽ ſi deauratio cadat propter vſum non debeat reconſecrari, ſi autem denuo deauretur, ſit reconſecrandus, puto ego ex eo non eſſe, quia deauratio ſit ſolum in ſuperficie, nam totus Calix cõſecratus eſt, ſed hoc fieri autumo, quia à ſuperiore declaratur execratus, adhoc, vt Aurifex licitè tangere illũ poſſit, alter non poſſet illũ licitè tangere ſi conſecratio maneret, ſuperior enim dum iudicat Calicẽ nõ eſſe amplius aptum ad miniſterium Altaris ex eo, quod aurũ ceciderit, iam ceſſat conſecratio, & ab omnibus tangi poteſt, vt vſus cõmunis eſt in Eccleſijs paſſim, in quibus Calices declarati inepti ad Altaris miniſterium ab Epiſcopis, & Superioribus Ordinarijs ab omnibus tangi permittuntur, & ad dandam purificationem communicatis traditur abſque ſcrupulo.

Itaque licet prima opinio ſit probabilis ratione, & multorũ Doctorum authoritate munita, tamen videtur nimis ſcrupuloſa ſi ſtatim atque aurum vſu longo cadens ſenſim, dicendus ſit execratus, ſecũda verò quo ad hoc, quod ſi noua fiat deauratio, non indigeat deauratione, quia totus calix ſit conſecratus, ita vt neceſſariò velint Calicem in manu Aurificis, & ad ignẽ applicatum ad huc eſſe conſecratum, videtur auribus piorum fidelium dura, ne dicam ſcandoloſa, quod ſacra vaſa à profanis tractentur manibus, & abſque veneratione aliqua in Aurificinis reponantur, donec iterum deaurentur.

Addo quod ſaltem quãdo ad ignem applicantur Calices cõſecrati, vt denuo deaurentur, tunc omnino dicendum eſt perdere conſecrationem, quia ignis afficit totum calicem, atque adeo illud vt ita dicam aliquo modo profanat, ergo conſecrationem ſaltem tunc amittit.

Dico igitur pro reſolutiua practica huius difficultatis, quod ſi calix deauratus ſit de argento puro, vel ſtamno, ſi deauratio cadat propter vſum nunquam dicetur execratus, quia probabilius eſt conſecrationem non conſiſtere ſolum in illa ſubtiliſſima ſuperficie auri, vel argenti, quod patet ex eo, quod ſi calix totus ſit aureus ſi ſolũ ſuperficies conſecraretur, quę cum ſit ſubtiliſſima, & indiuiſibilis facilè, conſumitur vſu, ne ſciri poſſet quando calix eſſet execratus, & non indigeret conſecratione, quia non poteſt diſcerni quando prima ſuperficies conſecrata abſumpta fuerit, probabilius dicendum ergo, calicem non in ſuperficie tantum, ſed totum calicem remanere conſecratum, ſi confectus ſit ex materia apta pro calice, vt inquam eſt ſecundum ſacros Canones, ſi ſit de argento puro, vel ſtamno ſaltem, Quare per corumptionem auri ex vſu nunquam dicetur execratus, donec Superior illum ineptum declaret ad miniſterium Altaris, puta quia ad maiorem reuerentiam ſanguinis putat neceſſariã eſſe nouã deaurationem, ſtatim atq; hoc declarauit Superior, calix ille cenſetur execratus, & ab omnibus tangi poteſt, nec veneratione illa poſthac indiget, ſicut quando erat aptus miniſterio Altaris, itaq; ſi nũquam Epiſcopus, vel Superior Ordinarius calicẽ talẽ, qui deaurationẽ amiſit, declaret inhabilẽ, ſemper eſſet conſecratus habendus, modo ſit ex materia idonea cõfectus, puta de argẽto puro, vel ſtãno.

At verò ſi calix foret ex ęre, vel argento chymico, & impuro deauratus tamen in ſuperficie, ſi deauratio ſuperficialis vſu, etiam caderet, puto ſtatim eſſe execratum, quia tunc in illa ſuperficie conſiſteret conſecratio, & non in toto calice, ratio eſt, quia æs, & argentum chymicum impurum non ſunt materia apta pro Calice ſecundum Canones, quia cauſant æruginem viridem, quæ vomitum, vel aliquod aliud damnum gignere poſſet inſumente ſanguinem poſitum in tali materia, atque adeo cum non ſit materia apta totus Calix in hoc caſu, ſed ſolum ſit materia apta ſecundum ſuperficiem auratam, ſtatim atque ea etiam vſu perditur, eſt immediatè execratus, & miniſterio Altaris ineptus, quod colligitur, quando introrſũ incipit apparere ærugo viridis.

Vtrum Pyxis in qua reſeruatur Sacratiſſima Euchariſtiæ Sacramentum ſit benedicenda neceſſario, & an interioré ornari debeat panno lineo benedictione Corporalium benedicto ad immediatum contactum corporis Chriſti.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod licet *Paludan. in 4. diſt.13. q.1. n.4. Tabiena V. Euchar. §. ſi, Sotus in 4. diſt.13. quæſt.1. a.3. & Nugnus in 3. p. T.1 q.83. a.3. dub.6. Azor. p.1. l.10. c.27. Henriq. l.9. c.8., & Vaſq. 3. p. diſp.243. c.4., & Diana p.p. tra.15. miſc.1. reſol. 2.* velint non eſſe benedicendum ſub præcepto, quia nullo iure id præcipitur, quod verò in Pontificali particularis benedictio ponatur, non facit, vt dicatur neceſſariò requiri ſub præcepto, nam, & aliæ benedictiones pro capſis reliquiarum, pro cãpanis, & alijs, quæ tamen non cadunt ſub præcepto ponũtur. Cæterũ parũ reuerenter videntur loqui iſti DD. de Pyxide, in quo ſeruandum corpus Chriſti, & enim parua reuerentia, imò irreuerẽtia eſſet ponere corpus Chriſti mundiſſimum, & puriſſimum in vaſe ſaltem negatiuè profano, atque adeo dũ Eccleſia ponit benedictionem pyxidis dicendum eſt præcipere, vt benedicatur, vt maiori reuerentia corpus Chriſti in loco benedicto, & à prophanitate mundato cuſtodiatur, nec eſt par ratio de benedictionibus aliarum rerum, quæ ſolum de conſilio benedicantur, cum ad reuerentiam immediatè debitã corporis Chriſti non pertineant, Sancta enim ſanctè tractanda ſunt non ſolum ex cõſilio, ſed ex precepto, Corpus ergo Chriſti Sacratiſſimum ſanctiſſime tractandum cum in Pyxide collocatur, ea qua maxima fieri poteſt reuerentia, certè maiori reuerentia, & Sanctitate in Pyxide conſecrata, & benedicta reponitur, ergo de præcepto omnino ſeruandum, aliter contra debitum cultum corpori Chriſti peccatur.

Hinc non parum miror aliquorum Theologorũ diſtinctionem in hac materia, quod requiratur maior Sanctitas, & reuerentia in vaſibus neceſſarijs ad Sacrificium Miſſæ ratione contactus corporis, & ſanguinis Chriſti, vnde neceſſariò conſecranda, quam in vaſibus neceſſarijs ad conſeruãdum corpus Chriſti, & ideo negant pyxidem eſſe neceſſariò benedicendam. Forte nè ſanctitatem accipit corpus Chriſti à Sacrificio, vt dicant, vaſa ad ſacrificium ſpectantia requirere maiorem ſanctitatem ratione contactus corporis Chriſti, & vaſa ad cuſtodiendum ſolummodo non requirere tantam ſanctitatem ratione contactus? ſanè non accipit maiorem ſanctitatem corpus Chriſti à ſacrificio, ſed potius ipſum ſacrificiũ recipit ſantitatem à corpore Chriſti, ergo ratione ſimpliciter contactus corporis Chriſti cõſecrantur vaſa ad ſacrificiũ ſpectantia, non autem ratione Sacrificij, ergo etiam præciſo Sacrificio corpus Chriſti ſanctiſſimũ in ſanctiſſimo loco ratione contactus ipſius reponendum eſt, atque ad eo omninò benedicenda pixis, vt fortè ab Aurificum manibus polluta prophanitate à benedictione deputata efficiatur aptiſſimum vas ad cuſtodiendum ſacratiſſimum Chriſti corpus. Quare

Dico ſecundò, quod licet abſolutè loquendo, quando Pyxis eſt benedicta non ſit neceſſarius pannus lineus benedictus benedictione corporalium in ipſa interioré poſitus ad immediatum contactum corporis Chriſti, cum ex benedictione ſufficienter ſit ſanctificata Pyxis ad immediatum contactum Corporis Chriſti, nec valet ratio *Vaſq. 3. p. diſp.243. cap.4.*

cap. 4. quod ſicut ſupra altare debet eſſe ſemper corporale conſecratum ad immediatum contactum corporis Chriſti quandiu manet ibi corpus Chriſti, ergo etiam corpus Chriſti finita Miſſa poni debet ſuper pannum lineum benedictum benedictione corporalium, quandiu in pixide aſſeruatur; nam in ſacrificio miſſæ repræſentatur paſſio Chriſti, & corporale innuit ſacratiſſimam Syndonem, in qua inuolutum fuit, finita Miſſa completur repræſentatio paſſionis, atque adeo extra miſſam non eſt neceſſarium corporale, ſed ſufficit, vt eius immediatus contactus ſit in loco benedicto, & ſanctificato, præterquam quod fortè vniuerſalis Eccleſia non vtitur ad cuſtodiendum corpus Chriſti in Pyxide panno lineo benedicto benedictione corporalium, quia in lineo panno facilius ſacratæ partes corrumperentur, linum enim maximè attrahit humiditatem, quæ via facilior eſt ad corrumpendas illas benedictas ſpecies.

Cæterum ſi Pyxis non foret benedicta, nec haberi poſſet præſentia Epiſcopi faciliter, & interea eſſet neceſſarium reponere in ipſa ſacratiſſimum Chriſti corpus, omnino Vaſq. opinionem ſequendam putarem, ſcilicet conſulerem, vt in trunci in pixide palla corporalis ita poneretur, vt immediatus contactus corporis Chriſti eſſet in palla illa benedicta, non autem in argento, ſanctius enim, & cum maiori reuerentia cuſtodiretur in palla illa conſecrata, quam ſolum in pyxide non benedicta, Verum hæc difficultas magis dilucidatur ex ſequenti.

Vtrum liceat celebrare cum Calice non conſecrato, cum quo tamen alius Sacerdos celebrauit bona fide putans eſſe benedictum, & conſecratum, & quid ſentiendum de paramentis Sacerdotalibus, & Altari non benedictis, ſi ijs vtatur bona fide Sacerdos aliquis in miſſæ celebratione, et quid ſi ex mala fide in prædictis celebretur. DIFFIC. VI.

Dico primò, quod licet *Sayr. de cenſ. l. 5. c. 16. Fagund. tr. 5. l. 2. c. 21. n. 15. & nouiſſ. Eminentiſſ. de Lugo 3. p. T. 2. de ſacr. Euchar. diſp. 20. ſect. 4. n. 91.* negare videantur calicem remanere conſecratum, ſi in eo nondum conſecrato celebret Sacerdos, quod etiam aſſerunt de Eccleſia polluta, quod ſi Sacerdos in ea celebret, indigere volunt adhuc reconciliatione, & huic ſententiæ adhæret *noſt. Portell. V. Eccl. in addit. n. 5. & probat Portell. de Eccl.* præcipuè, & probabiliter quia quando Eccleſia præſcribit totam formam pro aliqua re facienda non licet eam immutare, vel omittere, etiam ſi in ea fiat aliquod magis meritorium, vel magis dignum, quam illa forma, cum ergo Eccleſia ſpiritu ſancto edocta præſcribat formam reconciliandæ Eccleſiæ pollutæ, & conſequenter calicis conſecrandi non debet omitti, nec immutari, etiamſi adſit in ea ſacrificium, quod eſt magis meritorium, vel contactus Sanguinis Chriſti, qui eſt dignior; ſi enim Eccleſia voluiſſet ſolo ſacrificio reconciliare Eccleſiam, vel ſolo contactu corporis Chriſti conſecrari calicem non poſuiſſet particulares formas reconciliandi, & conſecrandi.

Non deſunt tamen alij grauiſſimi Auctores probabiliter, etiam putantes calicem non conſecratum remanere conſecratum ſi in eo Sacerdos bona fide celebret, ſicut etiam Eccleſiam pollutam volunt remanere reconciliatam, ſi in ea Sacerdos celebret. Ita *Bord. T. 2. Reſolut. 83. Emm. Sa V. Eccl. num. 19. Henriq. l. 9. de miſſa c. 27. n. 6. Auila de cenſur. p. 5. diſp. 7. dub. 3. concl. 1. Diana in 1. p. tr. de celebr. miſſ. 14. reſolut. 69. & in 5. p. tract. in miſſ. reſol. 60. & in 6. p. tract. 6. reſol. 28. Fran. de Negro in Addit. ad Ruiz. p. 6. animaduerſ. 8. n. 4. & Celeſtinus in comp. Theol. mor. tr. 8. c. 5. q. 9.* & probabiliter in quantum quia Chriſtus Ieſus eſt Summus Sacerdos nō ſolum, ſed ipſa vnctio formalis magis ſanctificans, quā chriſma, ergo ex ipſius Sacratiſs. Sanguinis, & Corporis cōtactu remanet perfectius ſanctificatus, & conſecratus calix, quam per vnctionem, & benedictionem Epiſcopalem, & quia in miſſa repræſentatur ſacrificium incruentum impollutum illius ſummi Sacerdotis, qui Sanguine ſuo puriſſimo noſtra emundauit crimina, probabile eſt Eccleſiam pollutam ex talia impolluti ſacrificij celebratione localiter omnino mundari, quia tantæ puritatis ſacrificium celebrari, ſeque puriſſimum agnum incruente immolari non permitteret in loco immundo, & polluto, ergo vel prius pium eſt credere, quod per ſuos ſanctos Angelos iubeat pollutam Eccleſia mundari, vel ſaltem velit ad ui præſentiam reddi locum ab omni labe purificatum, & benedictum.

Sanè hæc opinio ſecunda pia eſt, & benigna, & quoad calicem videtur ſatis probabilis maximè, quia ſi corpus Chriſti, vel Sanguis Chriſti cadat ſuper rem non conſecratam, iubetur radi, vel lauari ſtatim, quia per contactum corporis, vel ſanguinis Chriſti illa res videtur ſanctificata, vnde indecenter ad vſum prophanum poſtea adhiberetur, vt ergo ad vſum prophanum abſq; irreuerentia ſanctificationis acceptæ ex contactu poſſit adhiberi, radi, vel lauari iubetur, & in ſacrarium res abraſa, vel aqua proijci iubetur, ex qua cæremonia videtur illa res quodammodo execrata, & denuò ad vſum profanum reſtituta; ergo calix per contactum corporis, & Sanguinis Chriſti remanet conſecratus, & benedictus, nec ad vſum non ſacrum amplius aptus; De Eccleſia vero licet non ita probabilis mihi perſuadeat ratio, attamen pia eſt etiam, itaque peccati reum non argueretm, qui in calice non conſecrato, in quo Sacerdos tamē cōſecrauit ſanguinē ſacrificaret, vel celebraret in Eccleſia, quæ erat polluta, ſi in ea alius Sacerdos quæ celebrauerit.

Attamē prim. opinio tutior eſt, & probabilior prius, & in praxi ſequenda, quia Eccleſiæ cæremoniæ in re graui non ſunt omittendæ, & Eccleſia ſaltem ob terrorem reconcilianda, vt monet *Ang. noſt. V. Conſecrat.* licet reconciliatione non indigeret, illa enim ceremonia reconciliandi incutit maiorem terrorem, vt deinceps Eccleſia magis reuereatur, & quoad calicē optimū eſt obedietiā præſtare Eccleſiæ, quę iubet cōſecrādū ab Epiſcopo.

Dico ſecundò, quod tota hæc doctrina pro vtraque parte currit de veſtimentis Sacerdotalibus, quæ benedicta putant ſecundæ opinionis Doctores, ſi adhibeantur bona fide ab altero Sacerdote celebrante, vel etiam mala fide, quia à ſanctificatione, quam dat eis ſacrificium, ad quod adhibentur accipiunt benedictionem, non autem a bona, vel mala fide Sacerdotis, vt de altari dicit Paſqualigus loco infra cit. negant tamē 1. opinionis Authores, vtraque probabilis opinio, magis tuta, & probabilis prima; hinc quidam Epiſcopus puniuit quoſdam Sacerdotes, qui albis, & planetis à ſe non benedictis vſi erant in celebratione Miſſæ, licet alius Sacerdos bona fide cum eis celebrauiſſet prius, quia cæremoniæ, & benedictionea Eccleſiæ non ita leuiter omittendæ, maximè quando adeſt præſens occaſio eis vtendi, vt poterant facere illi Sacerdotes, qui in loco erant, vbi Epiſcopus commorabatur &c.

Dico tertiò, quod licet videatur durius vti ſecunda opinione quoad altare non conſecratum, attamen etiam hoc probabile poteſt affirmari de altari non conſecrato, quod remaneat conſecratum ex auctorit. *D. Ioan Chriſoſtomi, qui hom. 20. in 2. ad Chorint. loquens de altari ait lapis quidem eſt natura, ſanctus vero autem fit, quoniam corpus accipit Chriſti*, ſanctitas enim ſacrificij videtur trahere ſecum altare ad ſuſcipiendam ſanctificationem. Vide Paſqualigum deciſione 45. qui etiam hoc contendit verum, ſi mala fide fiat, nec improbabiliter, quia mala fides non poteſt auferre ſanctificationem quam dat ſacrificium puriſſimū, & impollutū, paſſim tamē pręciſa neceſſitate non eſt ſequenda, quia ſpeculatiue ſolum eſt mihi probabilis.

Cambium.

Quid ſit Cambium.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod Cambium propriè iuxta ſui nominis ethimologiam nihil aliud eſt, quam permutatio rei pro alia re diuerſa qualiquomodo, vt panis primarij pro ſecundario, vini pro oleo, & ſimilium, quare licet *Nau. c. 17. n. 24.* Cambiū reducat ad innominatum contractum, Do, vt des, tamen cōmuniter voluit eſſe verum contractum permutationis maximè quando eſt cum aliquo lucro Campſoris, quare, vt ſpecialiter Cambium negotiantium, de quo hic eſt ſermo præcipuus, quid ſit, cognoſcatur.

Dico ſecundò, quod cābiū eſt permutatio numiſmatis vnius rationis pro numiſmate alterius rationis cū iuſto lucro facta, ita communiter, licet varijs vocibus ab alijs definiatur eius natura, in ſenſu tali quid dicatiuo tamen omnes conueniunt. Dicitur autem cambium permutatio numiſmatis pro numiſmate ad differentiam venditionis, & emptionis, nam cambium non eſt venditio, nec emptio, vt putauit Caietanus in opuſc. de Camb. c. 7 quia in emptione, & vēditione alterū extremū eſt res venalis, & alterum pecunia tanquam prætium eiuſdem rei quæ venditur, & emitur, in cambio autem vtrunque extremum eſt pecunia. Vide *noſt. Rodriq. p. 2. c. 104.*

Digitized by Google

Dico tertiò, quod cambium nec eſt Contractus locationis, accommodationis, vel conductionis, vt cenſuit *Leſſ. l.2.c.23. dub.1* quia in talibus contractibus non tranſit res locata, accommodata, vel conducta in dominium eius, qui rem accipit, at vero pecunia in cambio tranſit in dominium accipiẽtis, licet vel manualiter, vel pro aliò loco, & tempore æquiualentem pecuniam obligetur reſtituere campſoris. Ita noſter Rodriqu. loc.cit.

Dico 4. quod Cambium non eſt contractus mutui, nã conditiones mutui cambio non conueniunt, etenim vt dicetur infra V. Mutuum luculentius, 1. de ratione mutui eſt vt res mutuata reddatur eadem ſpecie, vt ſi triticum detur mutuum, neceſſario triticũ ſit reddendum. & ſi pecunia aurea hæc eſt reddenda, ſi mutuãs alias non ſit contentus in Cambio autem de ſui ratione eſt, vt diuerſitas intercedat inter rem, quæ cãbitur, vnde optimè monet. D. Tho. opuſc. 73. c. 13. quanto res magis differunt, tantò magis accedunt aduerſam Cambij rationem. Secundo mutuum latius patet, quia eſt circa res, quæ conſiſtũt in numero, pondere, & menſura, vt triticum, oleum, vinum, pecunia, at vero in cambio ſolum ad numiſma extenditur in ſuo ſtrito rigore de quo hic. Tertiò mutuum requirit aliquam diſtantiam temporis, in qua mutuatarius poſſit vti re mutuata iuxta ſuam eſſentialem rationem; at vero Cambium talem diſtantiam ex ſui natura non recipit; nãm ſi eſt manuale ſtatim fit, ſi autem in locis diſtantibus fiat, eſt per accidens, quod ad ſit in cambio temporis diſtantia, Quarto in mutuo trãsfertur dominium ſine aliquo lucro ex vi mutui at vero in Cãbio transfertur dominium cum aliquo lucro iuſto, vt videbitur infra. Itaque cambium verè non eſt mutuum, nec venditio, nec Emptio, nec conductio, nec locatio nec accõmodatio, neque propriè contractus innominatus, ſed verus permutationis cõtractus ab omnibus alijs diſtinctus. Vide noſtre *Franciſcum de Mayrone in 4. diſt 10. Angelus V. vſura. Fauentinum in 4. diſt. 10. diſp. 44. §. 2. c. 9. Rodr. p. 2. ſum. c. 104. Rebell. p. 2. l. 11. qu. 1. de camb. Salon. de camb. q. 1. Salas de camb. dub. 1. nu. 3. Filliuc. p. 2. trac. 35 Valentia 2 2. diſput. 23. punc. 1. Molin. l. 5. de contr. diſp. 398. Azor. p. 3. lib. 10. Nauar. c. 27. poſt n. 283. Bonacin. de contra. diſp. 3. q. 5. punc. vnico, & alij.*

Quotuplex ſit Cambium.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod communiter Doctores cambium volũt alterum dici reale, alterum ſiccum, ſeu fictitium; Cambiũ reale eſt illud, quod verè, & realiter vna pecunia, legitimè cũ alia permutatur cum aliquo iuſto lucro. Cambium vero ſiccũ, ſeu fictitium eſt illud, in quo ſub nomine Cambij dantur potius mutuæ pecuniꝫ ad hoc, vt ſub nomine, & pallio cambij poſſit à tali mutuo lucrum aliquod accipere, committitur autẽ ferè hoc modo, quando .ſ. pecunia præſens datur pro ea, quæ fingitur abeſſe, cum tamen in eodem loco accipiatur, & reddenda ſit cum aliquo lucro poſt aliquod tẽpus quod nihil aliud eſt in re, quam aliquod mutuum cum lucro propter dilationem temporis datam ad reſtituendam pecuniam, quare conſueuerunt hoc mutuum palliare ſub nomine Cambij, ſcilicet Campſor, quando tradit pecuniam campſario in eodem loco ſoluendam, vbi accipitur confictis tamen litteris ad locum diſtantem, ad quem litteræ, vel non mittuntur, vel ſi mittuntur nihil operãtur, eo quod ſcit campſor in tali loco Campſarium nec actu, nec poteſtate habere pecuniam.

Dicitur porrò iſtud Cambium ſiccum, quia cum ſit vſurarius contractus, vt patebit ex Bulla Pij V. infra ponenda, ſiccat animam gratiam Dei, vt notat noſter *Angelus v. vſura, 1. §. 54.* & multoties bonis temporalibus malè acquiſitis, vel ſiccum, quia caret titulo iuſti lucri, vt notat *Nauar. loc. cit.* vel ſiccum, quia ſicca eſt permutatio pecuniæ, cum litteræ, quæ dantur ſunt ſiccæ, & inanes.

Dico ſecundo, quod Cambium reale adhuc duplex, alterum ad minutum, alterum vocatur per litteras ſeu locale, Cambiũ ad minutum eſt permutatio pecuniæ præſentis vel maioris cũ minori, vel minoris cum maiori, vel nobilioris cum ignobiliori, vel ignobilioris cum nobiliori, cum aliquo iuſto lucro, vt ſi quis cianfrones pro tot carolenis, vel tot carolenis pro cianfronibus cambire vellet, vel aureum ſcutum pro tot argenteis, vel tot argenteos pro ſacto aureo, vel pecuniam argenteam pro ænea, & è contra, & dicitur adminutum, quia manualiter accipitur, & datur Cambium autem per litteras, ſeu locale fit quando pecunia datur Campſori; vt alibi ſoluatur, & dicitur per litteras, quia dãtur litteræ a Campſore ad eum locum, in quo Campſuarius indiget pecunia. Ita communiter Doctores ſupra citati.

Dico tertio, quod cambium per litteras tribus modis apud mercatores fieri conſueuit, Primo quando campſarius dat Neapoli pecuniam actu, vt actu eam recipiat Romę per litteras campſoris datus ad ſuos ſocios Romę, Secundo quando campſarius recipit pecuniam Neapoli a campſore, vt campſor Romę recipiat. Tertio quando dãtur in Nundinis Auguſtinis vt in alijs recipiat ſequentibus in alio loco, Quarto, quando Campſor dat Neapoli pecuniam cambitam ſoluendam Romę Procuratori campſoris, quam poſtea Neapoli recambit; quod vocatur vulgo cambium con la ricórſa, cuius exemplum ſit.

Petrus à Mutio Campſore recipit pecuniam Neapoli ſoluendam Romæ, eamque per Caium ſoluit ipſi Mutio campſori, vel ipſius ſocio, vel procuratori Romæ, Caius autem qui factus eſt creditor Petri ob ſolutionem factã Romæ Mutio pro Petro, ſuum creditum tranſmittit, & recambit Neapolim miſſis Neapolim litteris ad Mutium priorem Campſorẽ, vel ad alium, vt à Petro tot exigat nummos, quot Caius pro Petro Romæ perſoluit. Vide citatos Auctores Filliuc. Valentiam, Molinam, & Bonac. loc. cit. Quod cambium vocatum con la ricorſa ſubſtantialiter videtur idem eſſe cum Cambio, quod vocant continuationum, accidentaliter tamen differũt, quod Cambium con la ricorſa requirit in contractu tres perſonas .ſ. Campſorem, campſuarium, & Procuratorem, Cambium autem continuationum ſubſtantialiter ſolum duos .ſ. cãpſorem, & Campſuarium, non enim indiget Procuratore.

An cambium reale exercere cum aliquo lucro ſit licitum.

DIFFIC. III.

Dico primo, quod licet multi exiſtimauerint artem Campſoriam eſſe illicitam, & vſurariam fundati in authoritate. *Ariſtol. 5. polstic. 6. & 7.* qui hanc artem damnat, quia ſolum circa numiſmata exercetur, & per hanc artem videtur deuiari à ſuo vſu principali pecunia, quæ rerum venalium debet eſſe pretium tum etiam, quia hæc ars habet finem ſolummodo lucrum, quod ſine caret honeſto. Ita Hoſtienſis *in ſum. T. 1. de vſura, Mercat. l. 4. de contr. c. 1. & alij.* Attamen.

Diuus noſter Bernardinus Senenſis de Euang. æterno ſer. 39. a. 3. nõ ſolum licitam eſſe, veram neceſſariam videtur ſuadere eſſe Artem campſoriam iuſtè exercitam; & Cambium reale, ſiuè ad minutum, ſiuè per litteras cum ſuis iuſtis conditionibus vtiliſſimum, & maximè neceſſarium vocat communitati hominum, & primò propter humanum cõuictum commutationes rerum, & aſportationes merciũ ſunt neceſſariæ, quæ non poſſunt faciliter exerceri ex regionibus longinquis, & alienigenis abſque commutatione numiſmatum, & pecuniarũ, quæ in diuerſis Regnis & nationibus diuerſę in materia, & valorẽ ſunt eſt ergo neceſſarium exercere artem campſoriam, vt valens emere, & vendere, & negotia exercere in diuerſis, & lõginquis locis habeat in promptu occaſionem cambiendi pecunias quæ valorem habent alibi cum pecunijs ibi valentibus, ita etiam in eodem loco habens, quis monetas groſſas, quæ adminutum expendi non poſſunt, ſi adſit campſor, qui eas cambiat iuxta neceſſitatem in alias cõmodiores, vtilitatem accipiat à tali cãbio ſecũdo, neceſſaria eſt ars cãpſoria propter peregrinationes, & gentes circumeuntes alias nationes, cum enim eadem pecunia in ſuis partibus habens valorẽ in alijs non habeat, neceſſe eſt, vt ſit in promptu peregrinantibus, qui pecunias cambiat valorem habẽtes in illis locis, ad quæ ſunt acceſſuri; Adde quod pecunia vna cõmodius aſportatur, quam alia, puta aurea, quam argentea, commodius argentia quam ęnea, ergò vtiliter datur campſor, qui haſce cambit monetas. Item magnum ſubitur periculum & magnum incõmodum aſportãdi ſecum pecuniarũ numerum ad loca pręcipuè lõginqua, ergo vtiliter, & neceſſario dandus campſor, qui pecuniam præſentẽ vni loco cambiat per ſuas litteras datas ad loca longinqua, in quibus indigetur.

Quare licita, & vtilis eſt ars campſoria, per accidẽs eſt, quod malè ab aliquibus exerceatur debitas circumſtantias non ſeruans, vel malum finem habens ſolum illicitum lucrum, de quibus eſt interpretãdus Ariſtoteles locutus fuiſſe. Ita antiquiores & recentiores communiter, maximè cum ars cãpſoria appro-

bata fuerit à Pio V. in conſtit. quæ incipit in eam pro paſtorali noſtro edita 1571. modo cum debitis conditionibus illi taxatis exerceatur.

Dico ſecundò, quod licitè campſores iuſtum lucrũ accipiunt ratione cambij realis tam adminutum, quã per litteras. primo ratione officij, quod exercet in gratiam, & vtilitatem communitatis. Secundo ratione obſequij, quod alteri præſtat præſentialiter cambiendo pecunias iuxta libitum, vel eas traijciendo in locum abſentem, quæ opera in gratiam campſuarij eſt pretio æſtimabilis. Tertio, quia campſores pericula ſubeunt in talis Cambii exercitio multorum ſociorum decoquentiũ. Quarto, labores, & impenſas faciunt, tam innumerando, cuſtodiendo, aſſecurandoque eas in longinquis partibus, in quibus pecunia præſens traijcienda deſideratur; pericula autẽ illa, labores, & impenſæ, & aſſecurationes ſunt etiam pretio æſtimabilia, præterquam quod iſti labores, cuſtodiæ, & aſſecurationes nõ poſſunt fieri abſque miniſtris, & ſcribis, ratione quorum lucrum poteſt exigi à Campſore. Secundo poteſt Cãpſor licitè exigere lucrum ceſſans, quod alias verè recepiſſet, ſi ſuas pecunias alteri non cambiiſſet, puta ſi decreuerat merces emere, quarũ emptionem lucrum ſumpſiſſet. Sexto ratione antiquitatis monetæ, quam conſtat aliquando pluris valere, quã nouam, ſiuè etiam ratione purioris materiæ, puta purioris auri, vel argenti, quæ vltra valorem taxatum à Principe pluris æſtimatur valere, quã alia impurioris auri, vel argenti, licet tanti valent vtraque ſecundum valorem legalem. denique poteſt lucrum exigere ratione monetæ commodioris, & gratioris in portando cõſeruando, vel expendendo, cuius præſtatio monetæ ad commodum, & gratiam cambientis eſt etiam pretio æſtimabilis. Ita ex Doctoribus ſupra citatis.

Quomodo, & quibus ſit licitum cambium adminutum.

DIFFIC. IV.

Dico primo quod cambium adminutum licitũ eſt ſeruata qualitate pecuniæ iuxta valorem communem, licet autem plus vltra valorem accipere, quia Campſor locat operas ſuas in pecuniæ diuerſæ inuentione, numeratione, eius cuſtodia, & famulorũ, ſcribarumq; mercede, illud autem quod plus accipitur debet eſſe iuxta cõſuetudinẽ loci, vel ſtatutũ reipublicæ, vel negotiantiũ rectum iudiciũ, ita noſter Vngarel. v. viura §. 12. ſch.

Dico ſecundo, quod licet *Caiet. opuſc. de camb. c. 5. & 7. & ſol. l. 6. q. 9. ar. 1.* negare videantur priuatis ciuibus non licere Cãbium adminutum cum lucro, quia debẽt vti pecunia ſecundũ valorem legalem, & publicum, dum eis ex officii publici ratione non licet augere valorem pecuniæ, ſicut licet ex authoritate publica campſoribus; attamen probabilius videtur aſſerendum, quia priuatus homo eadem præſtat obſequia, labores, & commoditatem, & facilitatem expendendi præſtat, quam præſtat campſor; ergo ratione eadem poteſt priuatus homo accipere lucrum abſque reſpectu ad augendum, vel minuendum pretium legale. Ita noſter *Angelus, & Rodriq. loc. cit. Nauar. c. 17. n. 238. Leſſius l. 2. c. 23. dub. 2. Molina diſp. 399. n. 7. Salon. q. 4. de camb. Valentia diſp. 5. q. 23. punct. 4. Salas dub. 3. de camb. & Bonac. q. 4. punct. vn. n. 3.*

Verum eſt tamen priuatum ciuem non poſſe exigere pro cambio adminutum totum illud lucrum, quod accipiunt campſores publici, quia nõ ſuſtinẽt tot onera, nec titulũ publici officii habet ſicut Campſor publicus, poterit ergo iudicio prudẽtis viri aliquid plus exigere ratione nobilioris, gratioris, vel commodioris & facilioris pecuniæ, & etiam laboris, modo labor non ſit exiguus, qui gratis præſtari debet. Ita etiam *Angelus, Rodr. Salas, Filiuc. Molina, & Bonac. loc. cit.* quicquid reclament. *Medina q. 3. de camb. & Mercat. c. 2. de camb.*

Dico tertio, quod ſi ciues particulares à ſtatuto Principis, vel reipublicæ prohibeantur exercere cambium ſub aliqua pęna, non peccant mortaliter, ſi illud exerceant, nec lucrũ tenentur reſtituere, etenim, vt dicetur Clarius V. lex, leges ſæculares pręcipuè quando ſunt pęnales, & pęnam imponunt, non obligant ad culpam mortalem, ſed ſolum ad pęnam, porrò cum lucrum ex cambio reali ex ſua natura iuſtũ ſit, non poteſt Princeps illud irritare, vnde nec obligantur ad reſtitutionem, ſi cõtra præceptum Principis priuati ciues cambiant, adde, quod regulariter iſtæ prohibitiones non irritant contractum, cum ergo contractus talis Cambii ſit validus, lucrum erit ex ſe validum, quare non erit reſtituendum. Ita *Nauar. Molina, Salonius, Rebellus, Bonac. & alij loco cit. contra Azorium, & Sot. l. cit.*

Quod ſi ſtatutum irritet contractum cambii factum à priuatis, in foro fori intelligendũ eſt ligare non autẽ in conſcientia, cum ſit alias ex natura ſua iuſtum, vt dicetur alibi fuſius, in foro ergo conſcientiæ donec à Iudice non declaretur, non eſt reſtituendum tale lucrum.

Vtrum pecunia pluris, vel minoris, quam valeat iuxta legalem valorem, poſſit licitè commutari.

DIFFIC. V.

Diſtinguendum puto iuxta variam pecuniæ conſiderationem, nam pecunia primo poteſt conſiderari formaliter, quatenus moneta eſt adinuenta pro pretio rerum venaliũ, aliter materialiter quatenus tale metallum eſt in ſui natura pretioſius purius, ignobilius, & impurius, quatenus .ſ. eſt aurum, vel argentum purius, vel impurius, vel æreum, porrò pecunia primo modo adhuc bitariam conſiderari poteſt, Primo quatenus ſimpliciter primario adinuenta eſt, vt ſit menſura rerum venalium. Secundo prout adhibetur pro maiori negotiantiũ, & peregrinantiũ commoditate in cõmutatione, & permutatione pecuniæ vnius rationis cum alia eiuſdem rationis, qui vſus etiam cõpetit pecunię formaliter, quatenus pecunia eſt, quia non cõmutatur quatenus aurũ eſt, vel argẽtum, ſed vt pecunia formaliter habens talem valorem, hæc autẽ acceptio pecuniæ formaliter dicitur ſecundaria, quia primario inuenta ad menſurum rerum venalium, poſtea vero tranſlata ad hunc aliũ vſum propter rationes dictas, quare ſecundum hanc diſtinctionem.

Dico primo quod pecunia conſiderata formaliter, quatenus menſura eſt rerum venaliũ, quia eius valor taxatus eſt à Principe, vel Republica indiuiſibilis eſt, nec poteſt pluris, minoriſve expendi, vel commutari niſi ipſius Principis, vel Reipublicę authoritate. ſi vero conſideretur pecunia formaliter, quatenus vna cum alio permutanda eſt non conſiſtit in indiuiſibili, quia ei non datur valor taxatus à lege, vel Principe ſimpliciter in ratione menſuræ, quæ indiuiſibilitatem notat, ſed ſolum valor accipitur iuxta varios titulos laboris, cuſtodiæ, periculi, impenſarum, commoditatis, vt dictum eſt ſupra, quare talis valor poteſt augeri, & minui iuxta conſuetudinis, ſtatuta locorum, & conuentiones negotiantium iuxta iudicium hominũ prudentium. Ita ex Scoto noſter *Fauent. loc. cit. Leſſ. Filiuc. Bon. & alij.*

Dico ſecundo, quod pecunia cõſiderata non formaliter ſecundum valorem legalem, ſed materialiter in ſui natura, quatenus habet ſuum valorem naturalẽ nõ conſiſtit in indiuiſibili, quia vt ſic non eſt menſura rerum venalium taxata à lege, nã licet Princeps in taxando pecuniæ pretio habuerit aliqualiter rationem ad puritatem, & nobilitatem metalli, attamen non perfectè æſtimauit illius puritatem, & valorem naturalem, ſed potius ad conſtituendam eam, vt menſuram rerum vendibiliũ pro communis cõuictus vtilitate, & ita pretium præfixit, quod ſi adæquatè reſpexiſſet valorem naturalem materiæ magis, vel minus pretium auxiſſet, itaque pecunia iuxta ſuum valorem naturalem poteſt vendi, & commutari pluris, vel minoris, quicquid in contrarium ſentiant Medina Cod. de reſtitut. q 2. de Camb. & Valentia T. 3 diſp. 5. q. 23. punct. 2. qui contendunt, nec ſub hoc titulo licere, nam ratio videtur eſſe clara, & euidẽs, quod pecuniæ in ſculpta imago, à qua recipit valorem indiuiſibilem in ratione numiſmatis, non poteſt tollere valorem, & æſtimationem ſuam naturalem, nec moralem, ergo licitè poteſt pluris, vel minoris vendi, & permutari iuxta æſtimationem, quam habet ex ſua ratione naturali, vel morali. Itaque poteſt permutari pecunia pluris, vel minoris, non vt pecunia formaliter, & primario legalis, quatenus eſt menſura rerum venalium, ſed quatenus de naturæ ſua vel eſt purius aurum, vel argentum, ſiuè, quia antiquior, pulchrior, gratior, commodior, rarior, & facilior, vel vtilior. Ita noſter *Fauent. Angel. & Rodriq. loc. cit. Nauarr. tract. de camb. n. 12. Garzias de contr. c. 31. Rebell. l. 11. de camb. Tolet. l. 5. c. 51. Graff. l. 1. p. lib. 2. cap. 100. Salas, Filiuc. & Bonac. loc. cit.* & quibus.

Collige pecuniam, vt habet valorẽ naturalem, vel moralem poſſe pluris, minoriſve permutari, Primo ratione purioris metalli, atque adeo aureus Venetus, vulgo Zecchino, ſi ſit verẽ Venetus purioris ſubſtantiæ pluris æſtimatur auro Neapolitano, quia non eſt ita perfectioris, & plurioris ſubſtantiæ, vnde vtilior pro medicinis ille, quam iſte, quando ergo illi rari ſunt præcipuè poſſunt ratione purioris, & vtilioris

lioris

lioris ſubſtantiæ pluris vendi, quam à lege taxetur eorũ valor. Secundo ratione peculiaris affectus, & oblectamenti quo quis afficitur erga aliquod genus monetæ, quia illius oblectamenti priuatio eſt pretio æſtimabilis, poteſt pluris permutari, Tertiò, ratione antiquitatis, & raritatis pecuniæ, quia antiquior & rarior, pretioſior, & gratior habetur, & æſtimatur, adeo poteſt pluris vendi Quartò ratione commoditatis, & facilitatis in portando, & ſic pluris poteſt vendi pecunia aurea, & argentea, quam ænea. Quinto ratione timoris diminutionis valoris legalis probabiliter imminentis poteſt minoris emi pecunia habenda Sextũ ratione copiæ vel inopiæ nummorum apud mercatores de quo infra difficultate 13.

Vtrum quis acceptat pecunias aureas vel argenteas ab Amico, vel Domino vt creditori ſuo reddat, vel pro emendis rebus ſibi neceſſarijs, ſi Cambiat cum aliquo lucro cum pecunijs eiuſdem valoris, quibus poſtea ſatisfacit creditori, vel emit res neceſſarias teneatur reſtituere lucrum acceptum.

DIFFIC. VI.

DIſtinguendum cenſeo, nam vel nullum damnum, & intereſſe patitur nec tradens pecunias, nec creditor accepturus ex tali Cambio, & in hoc caſu cum lucrum ſit ex tua induſtria, & labore procedens citra præiudicium debitoris, vel dantis, & creditoris, iuſtum eſt nec reſtituendum, pecunia .n. ex ſe infæcunda eſt ſi ergo tanquam inſtrumento quis vtitur ad lucrandum aliquid non pertinet ad dominum pecuniç lucrum, ſed ad induſtriam, & laborem, vtentis, ita etiam vendẽs oleum, vinum, vel triticum alterius tempore, quo carius valet modo reemat, & reſtituat illud Domino ſuo tempore in eadem perfectione, & menſura ſi quid ex tali venditione pro tali tempore lucratur, ad induſtriam pertinet vendentis, nec tenetur reſtituere Domino ita etiam in propoſito, & hanc ſẽtentiã putant probabilem. *Rebel. Filiuc. Bonac. & Azor loc. cit.*

Quod ſi aliquod damnum patiatur tradens vel accipiẽs pecunias ratione talis Cambij in præfato caſu, ſanè tenetur ad damnum reſarciendum cambiens. hinc ſi debitor intendebat reddere pecunias ſuo creditori argenteas, vel aureas, quia eiuſdem ſpeciei eas receperat, vel debitor intendebat aliquod vtile afferre ſuo creditori mittendo aureas, vel argenteas, quibus cum minori pretio, remiſſet res ſibi neceſſarias, vel etiã cauſa negotiationis, in hoc caſu redditurus acceptas pecunias creditori, ſi cambiat eas tenetur ad totum lucrum ceſſans ipſi creditori, quia patitur damnum creditor ex tali cambio.

Item ſi Dominus pecuniam auream, vel argenteam dediſſet ad aliquam rem ſibi emendam ſciens, quod Mercator viliori pretio eam ſibi venderet, ſi traderentur tales pecuniæ aureæ, vel argenteæ, ſi accipiens ſeruus eas cambiret cum lucro cum pecunijs alterius rationis puta æreis, eiuſdem tamen valoris, traderetque Mercatori, æreas iuxta valorem argentearum, vel aurearum, ob quod Mercator non venderet viliori pretio iuxta intentionem Domini rem ſibi gratam, teneretur ſeruus ad damnum reficiendum Domino, quod pro Cambio talium pecuniarum accepit, in huiuſmodi emptione. Ita *Molin. Salas, Filiuc. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum pecuniam adulterinam caſu acceptam poſſit licitè Campſor cum vera recambire.

DIFFIC. VII.

DIſtinguendum puto, nam vel nouit eum, à quo accepit, & ei recambire poſſe probabile eſt, quia par pari referre licitum eſt, quod ſi omnino non nouit, à quo acceperit, nõ poteſt alteri recambire, ſed frangere eam debet, ne caſu cum bonis denuo expendatur, vel ſaltem debet eam vendere tanquam metallum iuxta ſuum valorem naturalem, neque valet ratio, quam multi adducunt, quod licet decepto decipere, nam abſolutè prolata ſtulta eſt, & iniqua propoſitio, quod .n. quis decipiatur, non tradit ei poteſtatem quemcunque etiam innocentem decipere tradit tamen ius in æquali re decipere decipientem, itaque illa propoſitio debet intelligi cum hac ſpecificatione, vt liceat decipere decipientem in æquali deceptione; reſpectu vero innocentis ſibi imputandum eſt, quod ſit deceptus ab alio, negligentia enim, & ſegnities eius non debet refundi in innocentem. Ita communiter DD.

Quænam conditiones requirantur iuxta Bullam Pij V. ad hoc, vt cambium reale licitè exerceatur.

DIFFIC. VIII.

PIus Quintus Sanctiſſimus Pontifex conſtitutionem edidit circa cambia realia licitè exercenda, quam faxit Deus, vt Mercatores hodie ſeruent, & Theologi eius mẽtem veram ſcriptis ſuis explicent; habes hanc cõſtitutionem apud *Nauarr. c. 17. n. 300. & Quarantam v. vſura*: in qua multas conditiones poſuit multa æquitate refertas quarum ſingula verba formalia ponentur.

Prima. (*primum damnamus omnia ea cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas Nundinas, ſiue ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambij tradunt, ſed nõ mittuntur, vel ita mittuntur, vt tranſacto tempore inanes referantur.*) Itaque prima conditio cambij realis, quatenus à ſicco debet differre eſt vt in loco habeat pecunias actu, vel ſaltẽ poteſtate, qui dat litteras ad cãbium pro tali loco ita vt verè pecuniç ſoluantur vigore dictarũ litterarum ſecuſſi inanes ſunt litterç, & pecunia ſoluitur tranſacto tempore in eodem loco, non eſt cambium reale, ſed ſiccum & fictum, quia eſt verum mutuum cum lucro palliatum ſub nomine Cambij, quod lucrum accipitur iniuſtè ratione expectationæ ſolutionis, non autẽ ratione accipiendæ pecuniæ in loco diſtanti: pecunia autem in poteſtate eſt pecunia, quæ habetur in credito a realiter debente, aliter non dicitur in vera, & reali poteſtate, ſi ſolum ſit in credito amicitiæ cauſa, quia non habet in pecunia amici poteſtatem niſi per accidens, & ad libitum.

Secunda conditio. (*ſed & in ipſis cambij, quæ realia appellãtur, interdum vt ad nos perfertur campſores præſtitutum ſolutionis terminum lucro ex tacita, vel expreſſa conuentione recepto, ſeu etiã tantummodo promiſſo differunt, etc.*) Itaque ſecunda conditio cãbij realis eſt vt nõ differatur ratione loci ſimpliciter ſolutionis terminos ad ſecundas, & tertias Nundinas, quam tamen conditionem intellige, quando abſque nouo contractu, & abſque ratione lucri ceſſantis id fieret, vt infra melius explicabitur.

Tertia conditio. (*ſtatuimus ne deinceps quiſquam audeat ſiuè à principio, ſiuè alias certum, & determinatum intereſſe etiam in caſu non ſolutionis paciſci.*) patet hæc conditio, quia cum lucrũ Cambij in Nundinis ſit incertum, cõtra rationem determinatè paciſcitur, quod autem Pontifex hic prohibet, ne in caſu nõ ſolutionis aliquod certũ accipi queat, loquitur de lucro, & intereſſe, non autem, de pçna ſi adijciatur ſi in tali termino non ſoluat, hæc .n. pæna licita eſt ſi ſit moderata vt noſter *Fauentinus, Leſſius, & Bonac. etiam notant loco cit.* Adde etiam, quod pactum de lucro incerto non prohibetur hic à Pontifice, quare ſi ceſſare poſſet Campſori lucrum incertum ob moram ſolutionis in determinato loco poſſet paciſci licitè vt docent Valentia, Salas, & Salonius, imò ſi Campſor etiam paciſceretur de certo lucro, modo non adſit exceſſus, pactum non eſſet irritum, & lucrum ſi adſit æqualitas, retinere licitè poteſt, quia nõ prohibetur à Pontifice tanquam iniuſtum hoc pactum quãdo adſit æqualitas, ſed ad fraudes vitandas Ita etiam *Nauar. c. 17. n. 301 Garzia c. 25. n 8. Leſſ. d. 21. & Bonac. loc. cit.*

Quarta Conditio. (*Neque realia Cambia aliter quam pro primis Nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi vero non celebrantur pro primis terminis iuxta receptum locorum vſu exercere abuſu illo penitus reiecto Cambia pro ſecundis, & deinceps Nundinis, ſiue terminis exercendi.*) quæ conditio intelligenda ita eſt, vt Campſor ſi det Campſario pecuniam pro ſecundis, vel tertijs Nundinis non ob id plus exigere queat quam ſi pecunias daret ad proximas tantum Nundinas nam ſi plus exigeret, hoc ſolum eſſet ob dilatam ſolutionem, & hoc eſt, quod tanquam Vſurariam prohibet Papa; itaque non prohibet, abſolutè ne dentur pro ſecundis, & tertijs Nundinis pecuniæ. ſed ne plus exigatur ob talem dilationem, nam hæc conſtitutio eſt edita in fauorem accipientium ad Cambium, vtile autem eſt ipſis, vt accipiant pecunias pro ſecundis, & tertiis Nundinis, ſi ſolum debeant ſoluere tantum lucrum, quantum ſoluturi eſſent pro primis. Ita etiam *Salonius. contrac. 18. & 20. Azor. Molin. Salas, & Bonac. loc. cit.*

Quinta Conditio. (*Cauendum autem erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, nedum longiores præfigunt; quam*

loca deſtinata ſolutionis deſiderant ; fenerandi detur occaſio,] in hac conditione duo præcipuè prohibentur. Primò, ne campſor protrahat terminum ſolutionis, præcipuè ob pactum recipiendi lucrum, quod etiam in præcedentibus innuit Papa, quia daretur locus vſuræ, dum ob dilationem temporis exigeretur lucrum principaliter, vnde Campſor committit vſuram per ſe loquendo ſi plus, vel minus exigat, ex eo, quod primæ Nundinæ ſunt remotiores, vel magis propinquæ, vt optimè notant *Salon. Filiuç. Azor. & Bonac. loc. cit.* ex quo deducendum etiam eſt, quod ſi Campſor in Nundinis, quæ tribus menſibus durant, vel diſtant, pro pecunia data primo menſe plus exigat, quam pro pecunia data ſecundo, vel tertio, committit vſuram, quia ob dilatam ſolutionem aliquid plus exigeret, poſſet tamen in hoc caſu etiam aliquid plus exigere ſub alijs titulis, puta quia longiori tempore Campſoris pecunia periculo exponitur, aut quia plures petunt ad Cambium, quo longius diſtant Nundinæ vide, *Garziam de contract. cap. 36. mon. 3. & 5. Leſſ. & Bonac. loc. cit.* Secundum, quod hic prohibetur principale eſt, ne longiores termini ſtatuantur, quam poſtulet diſtantia locorum, quia aliter daretur occaſio vſurarum, quia ob ſolam temporis expectationem lucrum exigeretur, puta ſi tantus terminus aſſignaretur pro pecunia cambita Romæ ad Neapolim, quantus terminus à Roma ad Toletum.

Vtrum liceat Campſori pro pecunia data Neapoli, & Romæ reſtituenda à Campſuario, vel pro pecunia, quam recipit Campſor Neapoli, vt eam campſarius recipiat Romæ aliquid plus exigere.

DIFFIC. IX.

Dico primò, quod licet Campſori tradenti pecuniã Neapoli, v. gr. vt eam recipiat à Campſuario Romæ aliquid plus exigere iuxta conſuetudinem vel ſtatutum locorũ, abſq; labe vſuræ, nam ſupponendum eſt Campſarium Neapoli indigere pecunia, quam habet Romæ, itaque ſubleuatur à periculo, & onere portandi pecuniam ſuam Neapolim, hic autem onus, & periculum quod ſubit Campſor, cum ſit pretio æſtimabile, potuit exigi iuſtè à Campſore, præterquam quod pecunia abſens minoris valet, & pecunia præſens pluris æſtimatur, quia pecunia præſens multis commodis gaudet, quibus priuatur abſens, vt patet in praxi, ergo etiam ſub iſto titulo poteſt aliquid plus exigi. Adde etiam alios titulos, quibus dictum eſt ſupra licitam Campſoris Artem. Ita communiter noſtri *Angelus, Fauentinus, Rodriq. & Rebellus, Leſſius Valentia, Salonius, Salas, Bonac. loc. cit. & alij.*

Dico ſecundò, quod licet Campſori abſque labe vſuræ pro pecunia accepta Neapoli verbi gratia, & reddenda Campſario Romæ, aliquid plus accipere, probatur ex eo, quia Campſor transfert virtualiter pecuniam campſuarij Romam vbi ea indiget, hæc autem translatio, quia ſubleuat campſuarium ab onere, & periculo ſecum ſuam pecuniam portandi, eſt pretio æſtimabile, maximè cum campſor videatur aſſecurare pecuniam campſuarij certo ſoluendum Romæ, quod etiam eſt pretio æſtimabile, ergo poteſt aliquid plus exigere, modo non ſit immoderatum, tuta autem conſcientia poterit illud plus exigere, quod ſtatutum vel locorum conſuetudo, vel negotiantium rectum iudicium conſtituerit. Ita Doctores citati.

Dico tertio, quod prædicta cambia exercere licet etiam Campſori non ſolum reſpectu locorum extra proprias Prouincias, & Regna, verum etiam reſpectu locorum eiuſdem Regni, & Prouinciæ, modo non adſit prohibitio Principis, quicquid, *Sotus 6. de iuſt. q. 10. art. 3.* in contrarium velit, nam eadem militat ratio hoc poſſe fieri tam extra quam intra Regna, modo habeatur reſpectus adminuendum, vel augendum lucrum, iuxta locorum maiorem, vel minorem diſtantiam, maius, vel minus periculum transferendi pecunias. Ita etiam *Reginald. l. 25. num. 446. Rebell. quæſt. 12. Leſſ. dub. 4. Azor. cap. 6. quæſt. 4. Salas dub. 8. Salon. contrac. 12. queſt. 4. de camb. Filliuc. & Bonac. loc. cit.*

Dico quartò, quod ob eaſdem rationes, & titulos poterit Campſor accipere centum aureos à Campſario Romæ, vbi pluris valent, verb. gratia, vt ſoluat ei Neapoli, vbi minoris valent, retento lucro quo pluris æſtimantur Romæ, modo lucrum non ſit adeo pingue, vt videatur excedere iuſtam cambij rationem; in Cambio enim ſeruanda eſt æqualitas, ſicut in ceteris contractibus. Ita *Nauarr. c. 17. nu. 285. Leſſ. l. 2. c. 23. dub. 3. Valentia diſp. 5. q. 3. punct. 4. Garzias c. 23. Graff. Rebell. Iaſonius, & Bonac. loc. cit.*

Vtrum Cambium per litteras ad Nundinas liceat cum aliquo lucro.

DIFFIC. X.

Affirmant communiter, quia aufertur incommodum, & periculum vehendi, & reuehendi pecunias de loco ad locum, & maximè hiſce temporibus, quando à tot latronibus itinera occupantur, cum ergo iſtud onus, & periculum vitare ſit pretio æſtimabile licitè accipitur à Campſore dante litteras, vt ſoluantur pecuniæ in Nundinis, vel, de Nundinis ad alium locum campſuario gratum ſeruata æqualitate pretij, iuxta locorum conſuetudines, vel ſtatutum Reipublicæ; & ſeruatis etiam præfatis conditionibus à Pio V. ſtatutis.

Nundinæ autem in quibus Cambium ſoluitur quatuor ſunt de Trimeſtri, in Trimeſtrim, primæ vocantur Apparitionis, quæ ſunt verſus Epiphaniam, ſecundæ Paſchatis, & celebrantur menſe Maij verſus feſtum Pentecoſtes, Tertiæ vocantur nundinæ Auguſtinæ, quia fiunt menſe Auguſti, Quartæ omnium Sanctorum 1. Nouembris.

Cambii ergo per litteras ad Nũdinas de Trimeſtri in Trimeſtrem, ſiuè de tribus in tribus menſibus ſoluendũ eſt, quia terminus earum ſtatutus eſt eſſe trium menſiũ, quod ſi dentur litteræ per primas, & ſecundas coniunctè ſunt per ſex mẽſes, ſi per primas, ſecundas, & tertias intelliguntur per nouẽ menſes, & licet multi antiquiores Doctores hoc cambium ad primas, & ſecundas voluerint eſſe vſurarium, tamen ſeruatis cõditionibus à Pio V. poſitis, & ſupra declaratis, iuſtum vocant Moderniores. Ita noſter *Fauentinus loc. cit.*

Vtrum cambium per litteras cum recambio, vel vt vulgò con la ricorſa licitè permittatur.

DIFFIC. XI.

Affirmant licere huiuſmodi cambium cũ Recambio, ſiuè vulgo con la ricorſa, ſeruatis conditionibus Pij V. ſupra allatis communius recentiores, quod genus cãbii tunc fieri dicitur, quando Titius accipit Neapoli, v. gr. centum nummos à Campſore ſoluendos illi in primis Nundinis Romę, ſed quia Titius Romę non habet pecuniam, vel Amicũ reſpondentem, ſeu Procuratorem, petit à campſore, vt ſibi ſuum cõcedat Procuratorem, quem habet Romæ, qui nomine ipſius Titii ſoluat Campſori pecuniam, quam Neapoli ab ipſo accepit, quo facto litteræ mittuntur Romam, & acceptantur à Procuratore Cãpſoris, & aduenien te tempore ſolutionis Procurator ſoluit Campſori nomine Titii pecuniã, qua peracta ſolutione Procurator ſcribit litteras Neapolim Campſori vel alteri, vt centũ exigat à Titio, quos pro eo ſoluit Romæ, & recambit iterum Neapoli vbi fit ſolutio Cambii, & recambii, in quo caſu tenetur campſarius duplex intereſſe Cambii ſoluere à Neapoli Romam, & à Roma Neapoli?

Imò multi putant Procuratorem Campſoris Romæ in tali caſu poſſe de pecuniis ipſius ſui Cãpſarii, quas apud ſe habet, ſibi ſoluere pro Titio, ſi alias ad cambiũ non inueniat, ad hoc, vt litteræ mittendæ Neapolim non dicantur inanes cõtra Pii V conſtitutionem. Ita *Filiuc. T. 2. tr. 35. p. 2. c. 8. n. 436. Salon. de iuſt. T. 2. q. 4. de camb. Boninſig. de camb. c. 3. n. 7. Ema. Sà V. cambium, Nald. v. cambium n. 6. Salas de camb. dub. 15. & Azor. p. 3. l. 10. c. 9. q. 2. non audet hanc ſententiam damnare.*

At vero in tali caſu debere ſolui neceſſariò pecunias ex alienis, & non de campſariis docẽt noſter *Fauent. loc. cit. Sot. de iuſt. l. 6. q. 10. ar. 1. & q. 13. Lupus in c. vlt. Nauiganti §. 2. Io. Baptiſta Cauaſa tr. de camb. Molyn. de iuſt. diſp. 404. Mercatus de contr. l. 9. c. 7. Palaucius de contr. c. 3. Rebel. p. 2. l. 11. q. 6. Tannerus 2. 2. diſp. 2. Iuſtinianus tr. de camb. & Diana tr. de camb. reſol. 1.* vocat hanc opinionẽ probabiliorem, quia re vera putant mutuum eſſe palliatum, quando de pecunia propria ſoluit ſibi ipſi Campſor vel eius Procurator ſuo nomine, dum verè non ſoluitur pecunia ratione cambii, etenim nemo ſibi ipſi verè, & à parte rei dicitur ſoluere ſiuè per ſe, ſiuè per ſuum Procuratorem de ſuamet pecunia.

Nec valet ſi dicatur, quod Procurator Campſoris ſubit onus Procuratoris Campſuarii, vt de pecuniis ſuis, quas

apud

apud eum habet credito, & poteſtate ſoluat nomine ſuo ipſi Campſori in ſatisfactionem earum, quas recepit actu, nam Procurator Campſoria hoc onus pro Campſuario non ſuſciperet, niſi mandaret Campſor, itaque in re nomine Campſoris potius, quam Campſuarij pecunias tales ſoluit cãpſori, quantumcunque confingãtur ſolui nomine campſuarij.

Negant tamen alij licere hoc genus Cambij ſiuè de proprijs, ſiuè de alienis pecunijs ſoluat Procurator, nam ad iuſtitiam Cambij veri, & realis volunt requiri, vt tẽpore contractus Campſuarius habeat iam in actu, & re ipſa pecuniam in loco, vbi faciẽda eſt ſolutio, quia vera permutatio eſt rei actu exiſtentis, non autem futurę, & incertæ vt plurimum, pręſentis enim ad futurum, & certi ad incertum non eſt permutatio realis. *Ita noſter Angelus v. vſura §. 54. Rodriquez p. 2. cap. 107. Syluester v. vſura 4. quæſt. 9. & Sotus idem videatur annuere lib. 7. qu. 5. ar. 2. & Molina diſp. 104. & alij apud Salas dub. 17. n. 1.* damnantes Cambia, & recambia.

Cęterum, quod tuta coſcientia practicandum ſit in hoc diſficillimo caſu anceps per multos dies fui, mature diſcuſſia opinionum rationibus contrariarum, vtraque probabilis viſa eſt, prima tamen affirmatiua ſolum inter Mercatores, & negotiãtes conſulenda, & practicanda. nullo tamen modo videtur inter alios particulares pecunia indigentes, quod vt certius percipiatur, breuiter ratinnes hinc inde perpendendas duxi.

Affirmatiua nititur ratione, & authoritate poſſe talia recãbia con la ricorſa celebrari tuta conſcientia. Primò, quia pecunia, vt ſit Cambio ſubiecta, ſufficit vt Campſuarius eam habeat in credito, & in poteſtate, quandoquidem actu practicatur inter Mercatores non ſemper adeſſe pecuniam in actu, ſed ſufficit in poteſtate, & credito haberi, vt negotium aitè peragatur, & ita debita, & credita per Chyrographa abſque actuali pecuniæ numeratione transferuntur, ergo verè, & realiter cambitur pecunia præſens cum pecunia abſenti in credito, & in poteſtate cum ſuo lucro.

Negatiuæ autem ſententiæ reſpondent diſtinguẽdo, quod pecunia in credito, ſeu in poteſtate alia dicitur iuridicè debita ab aliquo ratione alicuius tituli, mutui, donationis, venditionis, permutationis, & ſimilium, alia dicitur in credito, & poteſtate ſolum gratioſe, eſtque quando ſolum creditum ſperatur per gratam Amici voluntatem, illa quidem eſt ſubiecta Cambio, quia æquiualet pecuniæ in actu, & in ipſa habet lucrum ius Campſuarius. at vero in hoc ſecũdo genere pecunię in credito gratioſo nullum ius habet Campſuarius, ergo non poteſt accipi ſub titulo Cambij realis cum ſit incerta, & certi ad incertum nulla eſt realis permutatio.

Nauarrus nititur huius rationis vim eludere dicens, quod in permutatione rei ſpecialis requiritur, quod vtrũque extremum ſit certum, at vero in commutatione rei indeterminatę non requiritur quod certũ cum certo commutetur; in Cãbio autem non permutatur hęc pecunia ſpecialis cũ hac ſpeciali, ſed cum pecunia quacunque in determinata, atque adeo non eſt nullum, vt ſit actu, vel credito quocunq; modo ſoluenda.

At vero non euacuare vim propoſitæ rationia hãc Nauarri reſponſionẽ aſſerunt Doctores negatiuæ ſententię, quia pecunia ſubiecta Cambio reali licet poſſit eſſe incerta materialiter quoad hoc, vel illud genus pecuniæ reſtituẽdæ modo valor ſolutus reddatur, attamen debet eſſe ſpecialiter certa quoad dominium, & ius eam perſipendi ad hoc, vti dicatur præſens pecunia cum abſenti verè cambiri, nam quæ gratioſè eſt in poteſtate, & in credito, non eſt certa ſub dominio, & iure Campſuarij, itaque verè, & realiter non poteſt ſupponi contractui permutationis.

Secundum fundamentum partis affirmatiuæ eſt authoritas, nam hoc Cambium cum recambio ſiuè con la ricorſa fuit approbatum per Bullam Pij V. quam ſe vidiſſe affirmat *Comitolus l. 3. q. 15. n. 10.* fuitque data ad ciues Bononienſes pro huius Cambij iuſtificatione.

Sed partis negatiuæ reſpondent hanc Pij V. Bullã non monſtrari authenticè, nec typis authenticè mandari de verbo ad verbũ, quare ne contrarius ſibi videatur fuiſſe Pius V. in Cõſtitut. edita in hac materia ſupra poſita aiunt, ſi vera ſit talis Bulla, ſolum approbaſſe hæc Cambia, & recambia, quando pecunia eſt in poteſtate, & credito iuridicè, & non in pecunia ſolum in poteſtate, & credito gratioſè, quia in cambiẽda hac pecunia inanes ſunt litteræ, cum promittatur ſoluere per eas pecuniam, quam verè non habet, & incerta multum eſt.

Afferunt etiam declarationem Sacræ Congregationis editam annuente Gregorio XIII. per quam huiuſmodi contractus Cambiorum approbatur, ad quam eorum modo reſpondent partis negatiuæ Patroni. Ex quibus

Primò. Colligendũ puto, quod cum ſint rationes pro vtraque parte probabiles, & Cambium ſit contractus ad Nundinas, & per litteras potius ſit inſtitutum in fauorẽ negotiantium, & non ciuium particularium, videtur concludendum probabiliter prædictum Cambium inter negotiantes Mercatores, & eos, qui in credito iuridico habent pecuniam abſentẽ poſſe tuta conſcientia celebrari dictum Cambium ad recambium con la ricorſa, quia negotiãtes, & Mercatores inter ſe ſe mutuum ſolent concedere vſum pecuniarũ in credito, ita vt pecunia abſens vnius Mercatoris, & Campſoris videatur aliquo iurę .ſ. negotij, ſubiecta alteri, vnde videtur cadere ſub vero Cambio reali, & quod verè permutetur pecunia pręſens cum pecunia abſenti certa moraliter, & non omnino gratioſè, quæ correſpondentia mutua inter Mercatores, licitè introducta eſt ad communem vtilitatem negotiantium.

At vero ſi ſit ſermo de alijs, qui non ſunt negotiatores, vel Mercatores periculoſa res eſt cum ipſis hos celebrare contractus, quia ſolum pecuniam habent gratioſè, & incertam in credito, & nullum habent negotium in bonis, ad quę lucra dirigantur, & potius coguntur hęc Cambia celebrare, quia indigent pecunia mutua, & cum non inueniant abſque intereſſe, hunc contractum celebrant, fingẽdo pecunias haberi in poteſtate, & credito apud Procuratorem ſaltem Campſoris dantis pecuniam, & ad illum diriguntur litteræ, vt ſolum appareat non fieri contra Conſtitutionem Pij V. ad nihil .n. aliud valent illæ litteræ, niſi vt appareat per litteras facta ſolutio ad euitandas pęnas præfatæ Conſtitutionis, in re tamen, cũ verè ibi non habeat Cãpſuarius pecunias maximè ſi pecunijs proprijs Campſoris ſoluantur, omnino inanes, & fictæ ſunt, & ſolum mutuum palliatur ſub nomine talia Cambij, & verè priuatus accipiens has pecunias potius habet animum eas mutuas recipiendi, quam negotiandi cum tali Cambio, non autem ita inter Mercatores, & negotiantes, qui ſolent pecunia in credito negotiari.

Secundo Colligendum, quod priuati ciues ſi priuatã inter ſe ſe exerceant negotiationem, pecuniamque ſuam negotio inter ſe ſe exponant, & vnus videatur in credito negotiatorio habere poteſtatem alterius, poſt factum ſaltem non condẽnarem eos ad reſtitutionem, ſi ſeruatis Cambij cõditionibus ad Nundinas communibus impenſis dantis, & recipientis mitteret Procuratorem, qui curam haberet litterarum, & æquale pretium reciperent Cambij, licet non tantum, quantũ publici Campſuarij, quia iſti maiora pericula decoquentium, & maiores famulorum ſuſtinent onera, verum ante factum vix permitterem talia Cambia ciuibus priuatis, vt fęnerandi auferatur occaſio, facilè enim hac Cambij permiſſione pallientur mutua inter priuatos ciues.

Quare diligenter aduertant hoc genus Cambij exercentes quo animo, quo fine hoſce contractus celebrent, quia ſola intentione, crimẽ incurritur vſurarum ex c. conſuluit de vſuris, & notat *noſter Nungurel. §. 53. ſchol. R.* & licet multi Doctores abſque limitatione concedũt id fieri poſſe etiam à priuatis ciuibus, vt docent, *Salas, Salonius, & Sayr. & Bonac. cum Diana reſol. 2. locis cit.* attamen, quod ſpeculatiua ratione in hac materia fortè eſt probabile, practicæ charitati, & æquitati oõ eſt conſonum, quia facilè effrenatæ hominum cupiditates varia lucrorum genera licitis palliantes contractibus ex ſolo mutuo damnabiliter extorquent, ideo potius in hac materia cohibendæ, quam laxandæ opinionum habenæ. Quare ſi ſolo animo mutuandi, & dandi mutuum cum lucro ſanè Cambium illicitum, & vſurarium, quod ex eo colligitur ad eſſe ſolum talem animum, quia nullum adeſt verè negotium in loco abſenti ad quas litteræ diriguntur, niſi accipiendi lucrũ ex pecunia, quæ eſt ex ſe ſterilis & infęcunda per ſolã diſtantiam loci, vel temporis dilationem, vt hiſce titulis pallietur mutuum.

Tertiò Colligendũ, quod hoc genus Cãbij ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis Mercatoribus licet aliquãdo, puta ſi Petrus abſolutè indigeret mille, & Campſor hæc mille certè cum lucro cambiret Mutio Romæ, vel in alio loco, ſi Petrus cogeret Campſorem ad dandum ſibi dictam pecuniam, & illi proteſtaretur ſe daturum iſta mille cum lucro Cambij Mutio Romæ, ſanè facta hac proteſtatione, ſi talem

pecuniam vellet Petrus ſibi dari à Campſore, tenetur lucrum ceſſans, & ſi Campſor deberet reſtituere cum lucro, & damnum pateretur ex non reſtitutione; quia ea dedit Petro indigenti, tenetur etiam damnum emergens ſoluere, & in hoc caſu non eſſent neceſſariæ tot litteræ, quia vel adſint litteræ, vel non tenetur Campſuarius lucrum ceſſans, & dãnum emergens Campſori ſoluere, non enim tenetur Campſor, & Mercator, qui tenet ſuam pecuniam expoſitam negotiationi gratis exhibere, an vero poſſit totum lucrum Cambij poſtulare Campſor, habebis infra.

Quartò, Collige, quod Campſor Neapoli licitè pecuniam ſuam tradit Campſuario ſoluẽdam ſibi, Romæ ab alio Campſore, vt pecuniam reſtituat ſibi, quia Campſor, verè permutat pecuniam præſentem cum abſente, nec enim tenetur perquirere modum ſolutionis ſibi à Campſuario faciendam Romæ. Ita communiter.

Vtrum ſi Campſor tradat pecuniam Neapoli ſoluendam ad Nundinas Romæ poſſit cum eodem lucro in alio loco recipere.

DIFFIC. XII.

SI duæ Conditiones ſeruentur, licere puto, Primò, vt tanta ſit diſtantia, quanta eſt inter locum in quo celebrantur Nundinæ, aliter non ſeruaretur æqualitas expreſsè mandata in Conſtit. Pij V. Secunda eſt, vt Campſor, nec certè, nec probabiliter ſicut pecuniam plus valituram in eo loco, vbi ſolutio eſt facienda, quam valeat in Nundinis Romæ, alioquin nõ, ſeruaretur æqualitas in pretio. Ita etiam Rebellus, & Bonac.

At vero ſi hæc ſolutio in alio loco fieret in gratiam Campſuarij, quia facilius eſt ſibi in alio loco reddere, ratione lucri ceſſantis, & ratione obſequij præſtiti poſſet accipere lucrũ maius, quod conſecutus eſſet in Nundinis. Ita præcitati Doct.

Vtrum tertia pars ſcuti pro quolibet Centenario ſit licita prouiſio, danda Procuratoribus Campſorum Cambia, & recambia exercentium.

DIFFIC. XIII.

NOn vna, eademque eſt Doctorum in hac difficultate ſententia fortè iuxta varias ciuitatum praxis non ab re ſingulorum placita referam.

Malderus apud Dianam reſolut. 7. loc. cit. putat vix poſſe iuſtè accipi tantam prouiſionem. Diana ipſe minorẽ portionem ſumendã ſuadet arbitrio inter ipſos Mercatores taxanda.

Antonius tamen Saluator de continuatione Cambiorum p. 5. *n.* 45. *& Scaccia de contract.* §. 3. *n.* 12. docent poſſe eandem integram ſumi ratione periculi, quod ſubeunt in decoctione, Campſuariorum, &c.

Salas autem, & Filiucc. & Leſſius ſolum licere aiunt ratione lucri ceſſantis, quia ſcilicet ipſi agentes, ſeu Campſores facerent Cambium reale cum alijs, ſi ipſi Campſuarii pecuniam actu darent, quare toties, quoties fiunt recambia toties poſſe accipi eandem prouiſionem volunt, quia toties recambirent etiam alijs eandem pecuniam, & toties eãdem prouiſionem acciperent ab alijs, ergò etiam iuſtè ratione culpabilis moræ exiguntur à Campſuarijs, cum quibus fiunt ob non ſolutam pecuniam recambia.

Attamen quia verè in recambijs non patiuntur Procuratores tantum laborem, ergo nec licitè poſſunt totam portionem præfatam accipere ratione lucri ceſſantis, ſed paulò minorem, in recambijs enim nõ fit actualis numeratio pecuniæ, aliquid ergo ſubtrahendum pro non facto labore, vt docet Diana loc. cit. iudicio prudentis viri.

Quod ſi dicta pecunia non eſſet actu alteri recambienda, ſanè non poſſent Procuratores toties, quoties fiunt recambia accipere prouiſionem dictam, quia deeſt ratio lucri ceſſantis. *Ita Molfeſ. in ſum. t.* 2. *tract.* 12. *c.* 7.

An vero ſi non adſit Procurator, & Campſor ipſe omnes: illa diligentias, & labores pateretur pro Campſuario, quos faceret Procurator poſſit eandem prouiſionem à Campſuario recipere, affirmant probabiliter Scaccia, & Diana vbi ſupra, nam dum Cãpſor in laboribus, & diligentijs ſuſtinet perſonam Procuratoris poteſt ſibi ipſi non tanquam Campſori ratione Cambii, ſed procuratorio nomine eandem prouiſionem ſoluere, nec enim eſt maior ratio cur Campſuarius teneatur Procuratori mercedem ſoluere pro labore perpeſſo, & non ipſi Campſori idem onus pro ſuo intereſſe ſuſtinenti.

An vero ſi conſuetudo eſſet, quod deficiente Procuratore Campſor gratis exerceat pro Campſuario tale onus, omnino ſeruanda, ne miſeri Campſuarii nimis iuſto grauentur.

Vtrum Campſori liceat pactum accipere à Campſuario, vt ipſum pro pecunia data teneat in Cambijs cum promiſſione ſoluendi lucrum Cambij, & ſoluat prouiſiones donec ſors principalis extinguatur.

DIFFIC. XIV.

QVamuis *Filliuc. tract.* 15. *p.* 2. *c.* 10. *n.* 488. *Nald. n.* 6. *& Boninſignus c.* 7. *loc. cit.* licitum putent hunc contractũ, modo fiant, & mittantur litteræ, nec inanes redeant, alioquin eſſet Cambium Siccum, & Vſurarium, vt ipſi fatentur.

Attamen quia vere inanes ſunt hæc litteræ, quæ mittũtur, & remittuntur, abſque eo quod is ad quem mittuntur, & remittuntur litteræ habeat nec actu, nec poteſtate pecunias in litteris mentionatis, & fortè verè neſcit loca, & nundinas, in quibus litteræ dantur, & conſcribuntur, vnde iure optimo talis Contractus cenſetur Cambium Siccum, & Vſurarium. *Ita Molin. inſtit. t.* 2. *diſp.* 404. *Sotus inſtit. t.* 2. *diſp.* 104. *Rebel. de oblig. iuſt. p.* 4. *lib.* 11. *q.* 6. *Comitolus l.* 3. *q.* 15. *&* 8. *Garſias de contrac. c.* 37.

Huius autem difficultatis caſus practicari ita poteſt; Petrus accipit mille à Mutio, & conuenit, & Mutius per Cambia, & recambia trahat nomine, ipſius Petri hanc pecuniam, qui promittit Mutio ſoluere lucra, & prouiſiones Cambiorũ, & recambiorum, donec extincta ſit ſors principalis Cambitæ illicitum ergo ipſum hoc cambiendi genus tanquam ſiccum putant iure optimo præfati Doctores. Vnde.

Collige tanto minus licere ſi accedat continuatio Cambiorum, quibus ad multos menſes aut annos renouantur Cambia, & recambia reducto lucro primorum Cambiorũ ad ſortem principalem, quod tamen non veretur approbare Naldus n. 4. V. Cambium nixus falſo fundamento de pecunia credito ſoluta per litteras ſemper inanes, vtpotè ab actuali ſolutione ſemper extorres, quod ſi vere ad eſſet lucrum ceſſans, vel dãnum emergens pro vtroque caſu, ex eo quia ſuis temporibus ſtatutis non ſoluitur pecunia promiſſa, licitum ſane ſeruata æqualitate pretij, & laboris, ceſſans lucrum, & emergens damnum repetere.

Vtrum pretium Cambij poſſit augeri, aut minui à Campſoribus.

DIFFIC. XV.

DIximus in præcedenti difficultate quinta, quod pecunia vltra valorem legalem à Principe datum, & naturalẽ ex propria materia conſideratum, habet etiam alium valorem ſecundarium prout pecunia eſt, qui ad negotiantium, & circumeuntium commoditatem datur, vnde pluris æſtimatur à peregrinante pecunia aurea commodior portata, quam argentea, pluris argentea, quam ænea, & indigenti pecunia ſua abſenti pluris valet præſens, quam abſens, & indigenti pecunia in loco abſenti pluris valet ſibi pecunia abſens, quam præſens; hic autem valor pecuniæ, vt patet eſt valde extrinſecus, & dependet ab aliquibus circumſtantiis, quarum prima eſt inopia, & abundantia pecuniæ apud Campſores, ſicut enim merces pluris, & minoris valent iuxta earum abundantiam, & pecuniam, ita etiam valor iſte pecuniarum Cambiendarum pluris, & minoris æſtimatur iuxta penuriam, & inopiam earum apud Campſores, & nota, quod abundantia, & inopia in aliis à Campſoribus non dat valorem hunc pecuniis, quia nõ ſubiacent negotiationi; Secunda circumſtantia eſt, ex qua poteſt minui, vel creſci valor iſte pecuniarum eſt paucitas, & multitudo dantium, & recipientium ad Cambium. Quare

Dico primo licitè mercatores poſſe augere, vel minuere pretia Cambiorum iuxta maiorem, vel minorem pecuniæ copiam apud ipſos, vel etiam propter copiam, & paucitatem dãtium, & recipientium ad Cambium, patet ex eo, quod iſte valor, ſeu pretium dependet ab æſtimatione negotiorum, & negotiantium, ſicut ergo merces raræ pluris valent, copioſæ minoris, & ſicut multitudo vendentium, et paucitas ementium reddit viliores merces, & multitudo ementium, & paucitas vendentium reddit cariores eaſdem merces, ita etiam pau-

paucitas pecuniæ cambiendæ poteſt ſane poteſt reddere carius pretium Cambii, & copia eiuſdem poteſt reddere vilius idem pretium, & paucitas cambientium poteſt etiam reddere carius pretium Cambii, & multitudo Cambientium poteſt reddere vilius eiuſdem Cambii valorem, de ſimilibus .n. idem eſt iudicium. Ita communiter Doctores citati. *noſter Fauentinus Angelus, Rebellus, q.8. Reginald. l.25 n.454. Salon. contr.16.q.4. ar.2. Salas dub.35.& 36 Garzias c.34. Molin.tra.2.diſp. 403. Filiuc.n.355.& Bonac.loc.citatis.*

Dico ſecundò, quod ſi mercatores augeant pretium Cābiorum per Monopolium inter ipſos initum, vt vnuſquiſque pecunias celet, vt ex inopia pecuniæ creſcat pretium, licet Molina probabiliter exiſtimet non eſſe obligatos ad reſtitutionem, quamuis grauiter peccent, ex eo quia non faciunt contra iuſtitiam commutatiuam, ſed ſolum contra charitatem, quod etiam videtur docere. *Leſſius de iuſtit. l.2.c.21. dub. 20. & Salas dub.38.* attamen tutius conſulitur teneri ad reſtitutionem, quia verè ſunt cauſæ talis incrementi, & ratione officii, & ratione officii, quod exercent tenentur Cambire, & pecunias, quas habent expoſitas tradere. *Ita Salon. de Camb. q.4.n.5.contr.13. Filiuc. tract.35.p.2.n.415. Tolet. l.5. c. 83. & Bonac.q.4. punct.vlt.* poſt factum tamen ad leuandos ſcrupulos probabiliter prima opinio practicari poteſt, quia probabile eſt ratione officii non teneri ex iuſtitia commutatiua exponere omnes ſuas pecunias, eos qui campſoriam exercent artem, licet à Magiſtratu poſſint compelli ratione publici officij, quod ſuſtinent ad exponēdas ſuas pecunias. quod ſi poſt Magiſtratus iuſſionem de exponenda pecunia adhuc eam celant, vt pretium augeatur, videntur obligari ad reſtitutionem damnorum Campſuarijs, quia poſt iuſſionem faciunt contra iuſtitiam legalem expreſsè.

Cæteri vero Mercatores, qui tali Monopolio non conſenſerunt, nec omnino nouerunt Monopoliū præfatū tuta conſcientia pretium ad auctum accipere poſſunt, quia verè abſque omni eorum fraude adeſt pecuniæ inopia, ob quam licitè pretium adaugeri poteſt; quod ſi nouerunt tale monopolium, licet non conſenſerint, non poſſunt pretium augere, quia ſunt in mala fide ſcientes fraudes aliorum. *Ita Rodr. 2. p. c. 507. Lopez de inſtr. Negot. c.13.*

Dico tertiò, quod Campſor tradens pecuniam reſtituendam in aliquo loco, in quo ſcit ſaltem probabiliter augendum pretium ſuper ſuas æſtimationem debitā ratione Cambij peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quia iniuſtitiam committit cum Campſuario, qui bona fide ſecum contrahit pro tali loco. Ita etiam *Sotus, & Toletus,* quos citat, & ſequitur. *Salas loc. cit.* ſecus ſi tradat pecuniam pro aliquo loco in quo ſolet creſcere, & minui pretium, nec ſcitur probabiliter an debeat pro futuris proximis nundinis creſcere, vel minuere, quia in hoc caſu par eſt contrahentium conditio, dum exceſſus pro Campſore, diminutio pro Campſuario æqualiter ſperatur. *Ita Sotus, Salon. Molin. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum Campſor poſſit obligare Campſuarium, quod ſi non ſoluat traditam pecuniam in tempore, & loco determinato teneatur eam accipere ad Cambia, & recambia donec perſoluatur ſors principalis.

DIFFIC. XVI.

Dicendum puto, eum hoc pactum ſit nimis oneroſum Campſuario, non eſſe licitum abſolutè loquendo, Cambium.n. eſt contractus celebrandus in gratiam vtriuſque licet ſit oneroſus, quare debet ex iuſtitia haberi reſpectus ne ſimul contrahens nimis oneretur.

Verum eſt tamen, quod ſi moraliter conſtaret, & probabiliter ſperaretur quod ſi Capſuarius in præfixo termino, & loco non ſolueret acceptam pecuniam, pateretur Campſor lucrū ceſſans, quia ſcilicet recambiret eamdem pecuniam alijs, vel adeſſet damnum emergens, quia ſcilicet eam pecuniam eſſet redditurus cum eodem lucro alteri, in iſtis caſibus poſſet tolerari tale pactum. *Ita Graff. p.p. l.4.c. 10. Salas tract. de Camb. dub.22. Leſſius dub.9. Filiuc. & Bonac. loc. cit.* Tutius tamen videtur abſtinendum a tali pacto, ſed ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis iam incurſi per moram ſolutionis debitæ pecuniæ exigere totum lucrum, & damnum poteſt licitè Campſor.

Vtrum Campſor accipiens à ſuo Campſuario partem debitæ pecuniæ poſſit eam computare potius pro extinctione lucrorum per Cambia, & recambia decurſorum quam pro extinctione ſortis principalis.

DIFFIC. XVII.

Affirmatiuè reſpondendum, nam praxis quotidiana hoc docet in ſolutione debitorum Societatis, mutui pro ratione lucri ceſſantis, & conſimilium, & habetur *l. ſi vſuras C. de vſuris.* nec obſtat, quod habetur *l.3. 4. & 5. ff. de ſolutionibus.* quod ſoluens pro multis debitis intelligatur ſolui pro debito principali, quia illæ leges locuntur, quando debita proueniūt ex pluribus cauſis, modo hoc lucrum, & ſors principalis prouenit ex eadem cauſa cambij. Ita etiam *Leſſius dub. 59. Salas dub.25. Filiuc. c.10. quæſt. 4. & Bonac. punct. vlt.*

Vtrum à Campſuario cui non fidit Campſor poſſit pro tradita pecunia exigere pignus, vel fideiuſſorem.

DIFFIC. XVIII.

Affirmatiuè reſpondendum, ſi verè iudicio boni viri adeſt probabile periculum, quod accipiens pecunias non ſit ſoluturus tempore determinato, quia de iure naturæ eſt, vt vnuſquiſque rem ſuam in ſecuritate reponat, & iodemnem ſeruet ſuum contractum, quantū patitur natura contractus, quod ſi nulla adſit probabilis ſuſpicio in contrarium iniuſtum eſſet accipere pignus, vel aliam ſecuritatem vltra obligationē factam ab ipſo Campſuario, exigere enim ſuper eadem re duplicem obligationem, quarū vnaquęque eſt per ſe ſufficiens eſt contra iuſtitiam, regulariter autem ſufficiunt litteræ obligantes pro ſecuritate ſolutionis in hac materia Cambij, ergo dum hæc non ſuſpicatur inſufficiens, non poteſt iuſtè pęti altera obligatio pignoris, vel fideiuſſoris.

Verum eſt tamen, quod ſi pro ſecuritate accipiatur pignus frugiferum, fructus pignus debet computari in ſortem principalem alioquin aliquid acciperetur ſupra ęqualitatem requiſitam in contractu Cambij. *Ita Salon. loc. cit. contr. 23. Tolet. l. 5.c.52. Salas dub.21. & Bonac. q.4. punct. vlt.*

Vtrum ſi Petrus pecunia, quam habet Romæ, indigeat Neapoli, & Mutius pecunia, quam habet Neapoli indigeat Romæ, in caſu quo alter alteri cambiat, poſſit alter ab altero lucrum Cambij percipere.

DIFFIC. XIX.

Negant abſolutè *Mercatus cap.4. de Cambijs, Lopez c. 3. de contr. Garzias de contrac. c.33.* & alij, quia nō minus vni, quam alteri vtilis vel oneroſa eſt pecuniæ tranſmiſſio, ergo nullum ſtipendium vtrinque ſtatuendum, quia remoto omni ſtipendio adeſt vtrinque æqualitas in contractu talis Cambij.

Affirmant tamen noſter *Rodriquez p.2. ſum. c.104. Salon. qu. 4. ar. 2. Molin. diſp. 405. Sotus l.6. quæſt. 10. a. 2. & Medina q. 5. de Camb.* & probant ex eo, quia officiū quod alter alteri præbet, eſt pretio æſtimabile, ergo poteſt alter ab altero mercedem petere pro tali virtuali tranſmiſſione pecunię.

Diſtinguunt tamen probabilius alij nitentes haſce conciliare opiniones, nam vel Petrus Mutium præuenit rogando, vt ſibi cambiat pecunias, quas habet Romæ cum pecunijs, quas ipſe dabit Neapoli, licet Mutius indigeat Neapoli ijs pecunijs, quas habet Romæ, tamen quia præuenitur, & rogatur à Petro, poteſt recipere lucrum Mutius à Petro, quia ſicut merx vltronea vileſcit, ita & pecunia vltroneè oblata Neapoli danda a Petro vileſcit, & rogata pecunia Romæ fit maioris pretij, & conſequenter rogatus licitè poteſt percipere lucrum, licet ſit ſibi commodum accipere pecunias Neapoli, quod patet exemplo, ſi enim Petrus ſit conducturus equum Neapolim iturus, & Ioannes deberet remittere equum Neapolim ad Amicum, ſi Ioannes nō inueniat, qui reducat equū, & roget Petrum vt mediante ſalario reducat equum Neapolim, licitè accipit, quamuis ipſe eſſet coactus ab altero conducere equum, vt iret Neapolim, bonum Petro incidit, quod ſit præuentus, & rogatus, contractus tamen iuſtus erit, ſi iuſtum accipiat ſalarium, & impenſas pro reducendo Equo, ita à ſimili bonum incidit Mutio, quod rogatus à Petro accipiat lucrum de pecunijs, quas habet Romæ, dum iiſdem pecunijs indiget Neapoli, eaſque ſine intereſſe ibi recipit à Petro, &

cum

eum lucro dat eas Romæ. *Ita Bonac. Salon. Filiuc. loc. cit.*

Quod ſi alter ab altero non præueniatur, ſed æqualiter inter ſe ſe contrahunt, & æquale ſit commodum, & incommodum in tali Cambio neuter ab altero poteſt lucrum petere, *Ita Rebellus p. 2. de oblig. l. 11. q. 7.* nolens in priori ſenſu eſſe veram ſecundam opinionem, in poſteriori vero eſſe veram primam opinionē, nec improbabiliter dicta hæc puto ſecundum rigorem iuſtitiæ, ex decentia tamen, & Charitate fraterna etiam præuentus, & rogatus non deberet totum ſaltem intereſſe accipere, dum etiam ipſe ſenſit Commodum, ſi autē acciperet, & nollet remittere, ad reſtitutionem ſaltem non teneretur, quia vtitur iure ſuo.

Vtrum Campſor bona fide tradens pecuniam Mutio ſoluendam Romæ, ſi poſtea comperiat Mutium nullo modo habere dictam pecuniam Romæ, poſſit tantum exigere, quantum ex tali Cambio cum altero facto recepiſſet.

DIFFIC. XX.

AFfirmant non ſpernendæ authoritatis Doctores, quia bona fides Campſarij debet indemnis à Mutio ſeruari, atq; adeo lucrum totū, quod bona fide percepiſſet Campſor, tenetur eidē reſtituere Mutius. *Ita Mol. tract. 2. diſp. 404. Leſſ. dub. 7. & Bonac. loc. cit.* probabiliſſimā putat hanc ſententiam.

Attamen ſolum lucrum ceſſans, & damnum emergens ob talem deceptionem poſſe repetere à Mutio docent alij probabilius, non autem totum, quod lucratum eſſet ex Cambio, quia Mutius non habuit animum ſe ſe obligandi in tali contractu, quia ſciebat ſe ibi non habere pecuniam, ergo ratione contractus, qui nullus eſt, non poteſt repeti totum lucrum, nec ratione pęnæ deceptionis, quia hæc non ſoluitur ante Iudicis ſententiam, itaque nullo titulo poteſt repetere totum lucrum, niſi ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis. *Ita Salon. q. 4. contr. 7. Salas dub. 15. & Bonac.* hanc opinionem probabiliorem exiſtimat.

Vtrum Campſario poſſit imponi aliqua pena ſoluenda ſi fuerit in mora ad ſoluendam pecuniam traditam à Campſore tempore, & loco debito.

DIFFIC. XXI.

COmmunius affirmant, ſi duæ adſint conditiones; prima eſt, vt pœna ſit moderata, & potius exigua; ſecunda eſt, vt animus adſit, vt potius ſoluatur ſuo tempore pecunia, vel loco, quam pęna incurratur, ex qua deducitur, quod adueniente ſolutionis pacto tempore, ſi non ſoluatur non debet ſtatim accuſari pęna impoſita, ne videatur potius impoſita pęna, vt exigatur tanquam lucrum, non tanquam pęna, ſed expectari debet ſolutio per aliquot dies ſaltem decē, vel quindecim iuxta temporum, & locorum rationes plus, & minus, quando quidem conſideranda ſunt impedimenta probabilia, vnde commercia humana ad tales anguſtias non ſunt redigenda, vt niſi intra pauciſſimos dies ſolutio ſacta fuerit, ſtatim debitor ſit declarandus pęnam incurriſſe, debet ergo in hoc Caſu attendi æquitas in expectanda ſolutione, antequam pęna intimetur incurſa.

Vtrum pecunia Cambio deſtinata connumeranda ſit inter immobilia.

DIFFIC. XXII.

DOctores quidem Theologi phyſica ratione innitentes pecuniam deſtinatam Cambijs inter mobilia numerant, quia verè ſtabilis nequit eſſe pecunia, quæ quotidianæ ſubijcitur numerationi, & varijs periculis.

Attamen Iuriſtæ, & præcipuè *Baldus in c. cum cauſam in fin. de re Iudic. & Tiraquell. de Retractat. §. 1. gloſ. 7. num. 117.* inter immobilia huiuſmodi pecuniā connumerandā cenſent, quia perpetuo contractui eſt ſuppoſita, ex quo lucrū refertur.

Vtrum Campſor acceptans litteras eius qui decoquit pendente termino ſolutionis teneatur ſoluere.

DIFFIC. XXIII.

AFfirmandum videtur, quod acceptans litteras Cambij teneatur eas ſoluere etiam in caſu decoctionis ſcribendas pendente termino ſolutionis, quia ex acceptatione litterarum intelligitur per eum, cui ſcribentur litteræ facta nouatio ideſt prioris obligationis translatio in nouam. *Ita Francus dec. 303. & Baldus loc. cit.*

Vtrum Cambium celebrans illicitum bona fide putans iuſtum ex conſuetudine introducta celebrandi tale Cambium peccet, & ad reſtitutionem teneatur.

DIFFIC. XXIV.

DIcendum puto probabiliter cum noſtro *Rodr. c. 108. loc. cit. & Nauar. l. 4. conſil. titulo de vſuris, conſil. 20.* quod faciens aliquem contractum, quem putat eſſe iuſtum ex eo quia communiter in prouincia, vbi commoratur, talis contractus celebratur ſine pęnarum timore, licet in ſe ſit vſurarius, & illicitus, non peccat, quia ignorantia iuris quamuis regulariter non excuſet, excuſat tamen ignorantia probabilis fundata in conſuetudine communi Prouinciæ, etenim ſi authoritas viri alicuius docti, & pij excuſat à peccato tranſgreſſionis legis, *vt notant Panormit. Alexander, & Imola in c. Capellanus de feriys, & D. Antonin. p. p. tit. 3. c. 10.* multo magis conſuetudo communis, quæ præferenda eſt cuiuſcunque authoritati quantumlibet viri docti, & pij, vt colligitur ex iure. imò conſuetudo excuſat à pęna, vt dicunt duæ gloſæ ſingulares; vnde facientes tales contractus iuxta conſuetudinem communem, quantumcumque ſit ex ſe illicitus, non tenentur ad reſtitutionem eorum, quæ ſunt lucrati virtute eius, aut ſaltem poſſunt retinere tantam quantitatem dicti lucri, quantum veriſimiliter lucratus eſſet per alios contractus licitos.

Patet ergo, quod licet aliqua Cambia videantur ficta, & illicita, ſi tamen in Prouincia exercentur ſine pœnæ timore communiter, non peccat ea bona fide exercens, nec tenetur ad reſtitutionem lucrorum niſi modo dicto, quia opiniones hominum variæ ſunt, & vnuſquiſque abundat in ſenſu ſuo putans ſuam opinionem veriorem, quæ tamen falſa eſt, & è contra opinio putata falſa veritatem habet, hinc in praxi habetur, quod contractus cenſus redimibilia, ſi non ſeruentur conditiones poſitæ à Pio V. etiam tenentur iuſtus à Theologis diſertiſſimis vt videbimus ſuo loco, quem tamen Nauarrus vſurarium putat, ita etiam multa genera Cambiorum præcipuè con la ricorſa, & ad Recambia, & continuationum ferè omnis antiquiores, & Recentiores etiam multi illicita, & vſurariis putant; & tamen alij grauiſſimi Doctores ea licita defendunt, & approbata volunt à Pio V. & Sacra Congregatione, qua re ſi in aliqua Prouincia iam conſuetudo communis ea celebrandi, & alia ſimilis introducta eſt, non peccant ea exercentes, nec ad reſtitutionem ſaltem totius lucri tenentur. *Ita ex noſter Rodrig. & Nauarro loc. cit.*

Vtrum intentio bona Campſuarij non accipiendi mutuas pecunias, & Campſoris non dandi eaſdem mutuas, nec dandi, nec recipiendi lucrum ex vi mutui in Cambio de quo dubitatur an ſit iuſtum excuſet Campſorem præcipuè à peccato, & reſtitutionis obligatione.

DIFFIC. XXV.

MAlam intentionem in Cambijs accipiendi lucrum virtute mutui certum eſt eſſe vſurariam, vt notat noſter Hungarell. loco cit. ex c. Conſuluit de Vſur. quod autē bona intentio non accipiendi, nec dandi pecunias mutuas poſſet excuſare contrahentes in Cambijs præcipuè, & Recambijs de loco ad locum, accipe in hac materia, poſt quam abundes ſatis diſputauit adducendo rationes plurimas ex vtraque parte, & eas diſſoluendo antiquus noſter Roſella qui floruit anno Domini 1490. quid cōcludat, ſua verba formalia pono, quia ſcrupulis maximè medetur Campſorū, & Codex rarus eſt. (quare ex omnibus dictis concludendum ſupradicta Cambia de Brugis ad Condrams licita fore, nec vſurarium deberi iudicari contractum niſi animo mutuandi, & in fraudem Vſurarum, vt ſcilicet conſequatur lucrum mutuum dans, ex ipſo mutuo, quod principaliter agebatur, hoc fieret, quia tunc contractus eſſet illicitus, & vſurarius. Ideo caueant ſibi homines, ſi mala intentione hoc faciunt, cum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari, qui eſt cognitor omnium ſecretorum 32. diſt. Erubeſcant, 2. q. 5. Conſuluit; Et vt vides in iſta materia Cambiorum de Brugis ad Condrams

dramṡ non eſt vſquequaque clara, ex quo vides plures Doctores famoſos tenere eſſe licita, allegantes pro iſta parte rationes valde efficaces, & vix ſolubiles, & vt vidiſti Archiep. Florent. non audet firmare pedes contra iſtam opinionem, & Laurentius de Rodulphis Florentinus non firmat pedes in hac varietate; Conſuluit tamen fideles vt abſtinerent ab huiuſmodi Cambijs, & ſic ego idem Conſulo ante factum, ſed poſt factum ſi pœnitens vellet adhærere huic opinioni credo non ſit ei deneganda abſolutio) Hæc Roſella cuius conſilium tuta conſcientia ſequi poſſe in hac materia ego etiam exiſtimo, modo in Cambijs talibus manifeſta non ſit iniuſtitia, & verè non fuerit animus dandi, vel recipiendi mutuas pecunias in fraudem vſurarum.

Canones.

Vtrum Sacri Canones ſemper in foro conſcientiæ ſint ſeruandi & habeant vim legis.

DIFFIC. I.

DIſtinguendum puto, & enim finis iuris Canonici duplex eſt alter directiuus ſimpliciter in foro poli in ſalutem animarum, & in hoc caſu ſemper ſeruandi ſunt in foro conſcientiæ tanquam lati regulariter à Pontifice maximo, vel concilijs generalibus, vel ſaltem à Pontifice Summo approbati; alter autem finis eſt directiuus ſolum in foro fori, ſeu in foro contentioſo, & in hac materia non debent aliquando Canones in foro conſcientiæ ſeruari, quia in hoc foro multa permittuntur aliquando, quæ conſcientiæ foro non conſonant, vt patet de eo, quod ſtatuitur in c. cum dilecti de emptione, vbi læſio vltra dimidium iuſti pretij non punitur in foro exteriori, quod tamen in foro conſcientiæ coram Deo mortale eſt, permittitur autem in foro fori à Sacris Canonibus non tanquam iuſtum, ſed ad bonum finem, ne ſcilicet Reſpublicæ litibus obruantur, & nota, quod non punitur in dicto capite talis deceptio, ſed non permittitur tanquam valida, imò ſupplendum in quo fuit deceptio vſque ad dimidium; in foro tamen conſcientiæ iſta deceptio punita fuiſſet.

Item Electio perſonæ dignæ prætermiſſa digniori eſt quidem valida in foro exteriori, & tamen in foro conſcientiæ regulariter à multis Doctoribus reputatur mortale peccatum.

Similiter actus reſciſſio ex metu cadente in conſtantem virum non datur in foro exteriori, tamen in conſcientia metus timor inualidat actum, vide notata per Doctores in c. cum dilectus de his, quæ vi.

Præterea nota, quod non omnia, quæ habentur in decreto Gratiani præcipuè habent vim legis, ſed ſolum ea, quæ refert ex Concilijs generalibus, & Pontificum Summorum decretis, cetera vero, quæ ex Sanctis Patribus Auguſtino, Hyeronimo, Iſidoro, & alijs, vel etiam ex Conciliorum prouincialium decretis non habent vim legis, quia Gratianus horum collector non potuit eis dare vim legis, cum non fuerit Pontifex, Immo ſi conſtaret aliquod ab ipſo relatum nomine alicuius Pontificis, vel generalis Concilij non eſſet fideliter relatum, vel ſaltem probabiliter dubitaretur de fideli eius relatione, non eſſet obligatio ſtandi talibus decretis incertis, vel dubijs. vide *noſt. Rodr. q. 9. Reg. tit. 1. q. 6. a. 2. Suar. de leg. l. 9. c. 5. Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif.*

Adde quod tranſgreſſio iuris poſitiui non inducit mortale, niſi vt notat noſt. Hungarell. V. ludus apud Angelum §. 2. Schol. 1. adſit verus contemptus, vel ſaltem interpretatus, vel niſi apponatur pęna excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti in re graui, quia cenſuræ præſupponunt peccatum. arg. in c. nullus &c. nemo Epiſcoporum XI. q. 3.

Vtrum in caſu, in quo ius Ciuile dubium eſt, & clarum ius Canonicum, & è contra poſſit iuxta ius clarius ſtatuens in vtroque foro iudicari.

DIFFIC. II.

AFfirmant vtriuſque Iuris Doctores, quod in dubio loquẽte iure ciuili, quod clarius docet ius Canonicũ, ſtandum ſit iuri Canonico etiã in foro fori ciuili, & è contra in dubio iuris Canonici, ſi clarum in eadẽ materia ſit ius ciuile, ſtandũ ſit iuri ciuili etiam in foro Eccleſiaſtico, & ſpirituali; nam ſcriptum eſt prouerb. 8. per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, leges ergo tam ciuiles, quam canonicæ Deo inſpirante factæ ſunt, quare mutuo ſe ſe adiuuare leges ciuiles, & canonicæ notant Abb in c. 1. de noui operis mutatione n. 6. & c. Delecti in primo notabili de Iudicijs, & Iaſon in titulo qui feudum dare poſſit in vſibus feudi colum. vlt. n. 39.

Quare in c. ſuſcipitis, & c. ſi in adiutorium diſt. 10. habetur, quod vbi Canones deficiunt, debeant leges ciuiles allegari.

Canonicus.

Quid, & quotuplex ſit Canonicus.

DIFFIC. I.

CAnonicus à voce Græca Κανων, Regulam Latino idiomate perſonante ſuam trahit æthimologiam, hinc D. Auguſtinus l. 3. de Ciuit Dei Canonicum regulatum dixit, Canonicus ergo idem eſt, iuxta ſui nominis definitionem ac Regularis, ideſt ſecundum regulam procedens. quare

Dico primo quod Canonicus dicitur Clericus, qui ad hoc ſpeciale munus aſſumptus eſt, vt ſecundum Regulam ſuæ Eccleſiæ horas Canonicas per ſe recitare, ceteraque diuina officia ſtatutis horis quotidie, niſi legitimo vexetur impedimento, perſoluere, & celebrare teneatur. Quare Canonicus neceſſario debet eſſe Clericus vt habetur c. 2. de ætate, & qualit. licet enim Laicus, vel propter remunerationem, vel propter paupertatem poſſit habere præbendam Eccleſiaſticam, ex c. poſſeſſiones, & c. fin. 16. q. 1. non tamen Canoniam, quia hæc eſt quid ſpirituale, vt rectè notat noſter *Hungarel. V. Canonicus Sch. 6.*

Dico ſecundo quod Canonicus duplex eſt, Regularis alter, alter Sæcularis, hic Eccleſiæ ſæcularis ſeruitio mancipatus ſub Epiſcopi iuriſdictione moratur, ille autem Eccleſiæ regularis obſequio ſub ſui ſpecialis Prælati regularis obedientia deuinctus iuxta ſuæ Regularis obſeruantiæ regulas intra Clauſtra regulariter commoratur. Canonicus autem regularis in hoc differt præcipuè ab alijs Monachis, & Regularibus Mendicantibus, quod ſub nomine Monachi non venit intelligendus apud Sacros Canones, & Pontificias Conſtitutiones in pęnalibus, & in quacunque alia re. Canonicus autem Sæcularis adhuc duplex alter Eccleſia Cathedralis, alter Eccleſiæ Collegiatæ. Canonicus Eccleſiæ Cathedralis dignitas appellatur ſaltem largè, vnde ſolet eligi Delegatus Summi Pontificis, at vero Canonici reliquarum Eccleſiarum, quia largo modo dicuntur Canonici non dicuntur habere dignitatem, niſi hanc habeant annexam Canonicatui ex ſpeciali Summi Pontificis fauore.

Cuius ætatis debeant eſſe accepturi Canonicatum, & quo ordine inter ſe ſedeant.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis accepturus debet eſſe ſaltem viginti duorum annorum, minoris enim ætatis adoleſcentes non debent admitti, quia vt plurimum grauiora negotia à Canonicis Cathedralis Eccleſiæ pertractanda, & Epiſcopo celebranti in Pontificalibus regulariter debent aſſiſtere, dedecet autem, nec expedit talia à minoribus pertractari, Canonicatum autem Eccleſiæ Collegiatæ accepturus ſufficit, quod ſit ætatis annorum quatuordecim; hanc autem ætatem in vtroque Canonicatu reſpectiuè eſſe neceſſariam docet *Garzias de benef. p. 7. c. 4. n. 30. ex quadam declarationi Sac. Congregationis.* Vide ſupra Verbo Annus.

Dico ſecundo, quod Canonici Sacerdotes iuxta antiquitatẽ in poſſeſſione accepta præcedunt inter ſe ſe, & tali ordine in Choro ſedent; Canonici autem non Sacerdotes iuxta Maiores Ordines, quibus inſigniti ſunt, præcedere debent, & eo ordine ſedere, licet priores fuerint in adipiſcenda poſſeſſione, ita vt Diaconus præcedat Subdiaconum, Subdiaconus minoribus inſignitum ſolis, & hic inſignitum ſola prima tonſura, quia inter Canonicos non Sacerdotes debet obſeruari tempus Ordinis, non autem receptionis, ceſſante quacumque Eccleſiæ

eleſiæ conſuetudine, quæ tanquam abuſiua, & improbata non eſt admittenda, vt probat *Gratian. deciſ.16. n.7.* ita vt Clerici minores, quantumuis antea recepti debent ſedere in ſede inferiori, & ordine maiores, licet poſtea recepti ſint in ſede ſuperiori, & ita deciſum fuiſſe à Sacra Congregat. docet ibi *Gratianus, & Naldus V. Canonicus n. 3.*

Vtrum diſpenſatus fieri Canonicus ob defectum ætatis intelligatur etiam diſpenſatus habere vocem in Capitulo.

DIFFIC. III.

NEgant aliqui, quia diſpenſatio cum ſit in odium iuris, ſtrictè eſt interpretanda, nec extendenda, cum ergo in diſpenſatione accepta, vt ætate minor poſſit fieri Canonicus, non debet intelligi diſpenſatus habere vocem in Capitulo, niſi ſpecialiter hoc ei condonetur in diſpenſatione; vnde communiter Doctores aiunt *in c. litteras de filijs Presbit.* quod diſpenſatus ad ordines indefinitè debet intelligi ſolum diſpenſatus ad ordines minores, non ad maiores, niſi ſpecialis mentio fiat de Maioribus, ex eadem ratione, quia diſpenſatio non eſt extendenda, ſed ſtrictè interpretanda; ita etiam videtur colligi *ex gloſ. in c. poſtulaſti de Reſcr.*

Attamen Felinus in d. c. poſtulaſti, Abb. in Clem. 1. de ætate, & qualit. Ordinand. Sanch. t.3. diſp.1.l.8. & Nald. V. Canonicus affirmant diſpenſatum in ætate eſſe etiam diſpenſatũ in danda voce in Capitulo, quia in ratione Canonicatus includitur intrinſecè habere vocem in Capitulo, ergo diſpenſatus, vt poſſit eſſe Canonicus ob defectum ætatis dicitur etiam diſpenſatus in habenda voce in Capitulo, itaque non fit extenſio, cum non ſit diſtinctus fauor, & priuilegium Canonicatus, & habere vocem in Capitulo.

Verum in rigore iuris falſum putant aliqui includi vocem intrinſecè in ratione Canonicatus, quia de facto Canonici in minoribus non habentes Ordines Sacros, non habent vocem in Capit. ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 4. quare dicendum putant, quod ſi in ſupplicatione in qua petebatur diſpenſatio propter defectum ætatis, facta ſit mentio de voce in Capitulo habenda, ſanè diſpenſatio intelligenda eſt ad eam extendi, etiam ſi in tenore diſpenſationis explicatum id non fuerit à diſpenſante, quia diſpenſans intelligitur diſpenſare iuxta petita, niſi expreſsè contradicat; quid ſi nulla mentio facta fuerit de voce, probabile admodum eſt, non intelligi diſpenſatum cum prima opinione.

Attamen hodie puto omnino dicendum diſpenſatum à Papa in ætate ad Canonicatum diſpenſatum eſſe etiam ad dandã vocẽ, & ſi choro interſit lucretur diſtributiones quotidianas. Ita declarauit Sac. Cong. *Conc. in Reatina* 20. *Iul.* 1627. *& in montis Politiani die* 23. *ianuar.* 1629. quod tamen intelligendum *putat Barb. in deciſ. Apoſtol. collect. q.4.* de diſpenſatione ampla, & ſufficiente.

Vtrum omnes Canonici habeant vocem in Capitulo.

DIFFIC. IV.

IN Concilio Tridentino ſeſſ. 22. c.4. ſic ſtatuitur (quicunque in Cathedrali, vel collegiata, vel regulari Eccleſia diuinis mancipatus officijs, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in huiuſmodi Eccleſijs in Capitulo nõ habeat, etiam ſi hoc ſibi ab alijs fuerit conceſſum.) in quo decreto cum iuris communis habeat vim non poteſt diſpenſare, nec Capitulum, nec Epiſcopus, *vt notat gloſa in c. vt ij de ætate, & qualit. & Garzias de benef. declaraſſe etiã ita teſtatur Sac. Congregat. p.3. l.4. n.* 25. quod etiam dicendum eſt de Canonico, cuius beneficium requirit Diaconatum, vel Sacerdotium ſuſcepto Subdiaconatu ſe ad Diaconatũ, vel Sacerdotium infra annum promotus non fuerit, hic enim elapſo anno vocem in Capitulo amittit vt habetur *ex cit. c. vt ij.*

Limitant tamen primo quod hæc diſpoſitio non afficit Canonicos illius Eccleſiæ, in qua ordo Sacer nõ eſt annexus Canonicatibus probabile enim eſt Concilium ſolum voluiſſe loqui de Eccleſijs, in quibus ordo Sacer annexus eſt Canonicatui. Ita etiam volunt Moneta 2. p. q.20. nu. 8, & Bonac. de Diuin. Offic. diſp.2. q.3.

Vtrum Archidiaconus, vel Decanus ſi in Sacris non ſint inſigniti habeant vocem in Capitulo.

DIFFIC. V.

RAtio dubitationis eſt, quia ad Archidiaconum, vel Decanum ex officio pertinet conuocare Capitulum, ergo etiã videtur hoc poſſe facere, etiam ſi in Sacris non ſit initiatus, quia includitur hoc munus in intrinſeca ratione Archidiaconatus, vel Decanatus, ſi autem poteſt congregare Capitulum, poteſt etiam vocem ferre, vt quid enim aſſiſteret vt Superior in Capitulo Archidiaconatus. vel Decanus, ſi vocem nõ poſſet ferre? alia vero ex parte cum Conciliũ in voce danda neceſſario prærequirat Ordinem Sacrum, & generaliter loquatur de quocunque addicto diuinis officijs in Eccleſia, videtur negandũ poſſe vocẽ ferre niſi Sacro Ordine decoratus fuerit.

Huic dubitationi Sacra Congregatio Cardinalium videtur ſatisfeciſſe, vt teſtatur *Garzias loc. cit. n.26.* quod Archidiaconus, & Decanus etiam ſolis minoribus initiatus conuocare Capitulũ, proponere, & reſolutiones accipere, quia hæc ſunt actus iuriſdictionis talium dignitatum, qui actus competunt Archidiacono, & Decano præciſo omni Ordine Sacro, præterquam quod in Concilio non prohibetur Capitulum conuocare, proponere, & reſolutiones accipere, ſed ſolum vocem ferre in Capitulo eos, qui in Sacris non ſunt conſtituti.

Quod ſi hoc verum ſit poſſe iſtos actus iuriſdictionis exercere Archidiaconum, & Decanum in minoribus ſolis conſtitutos, probabile volunt aliqui Concilium non loqui de iſtis dignitatibus, quando prohibuit Canonicos in Sacris non conſtitutos non habere vocem in Capitulo, quia in prohibitionibus generalibus ſolent Pontifices ſpecificare priuilegiatos, & dignitates maiores. Adde, quod maius videtur conuocare Capitulum, proponere decidenda, & reſolutiones accipere, quam vocem dare, ſi ergo non prohibentur maiora facere, nec minus concludunt Doctores aliqui, an verò probabiliter, alij iudicent.

Illud tamẽ in hac materia verum eſt, quod dantur multi caſus, in quibus Superior poteſt conuocare Capitulum, ordinationes ferre, vota recipere, & tamen vocem ferre nequeunt, vt alibi ſpecialius dicetur.

Vtrum habens duas voces in Capitulo, alteram vt Canonicus, alteram vt Decanus poſſit vnam Petro, alteram Antonio dare.

DIFFIC. VI.

CErtum eſt, quod ſi Petrus, & Antonius ſint æquè digni, poteſt licitè habens duas voces alteram Petro, & alteram Antonio dare, quia neutri facit iniuriam, dum æquè ſunt digni, quod ſi alter ſit dignior, alter tamen dignus.

Diſtinguendum puto, nam vel tractatur in caſu, in quo neceſſario dignior eſt eligendus, & prætermitti dignus, vt dicitur V. Electio, & tunc non poteſt alteram dare digno prætermiſſo digniori, quia peccaret, ſed vtramque digniori debet dare, quod ſi tractatur in caſu, in quo ſufficit, vt conferatur digno, & in hoc caſu poteſt vnam dare digno, & alteram digniori, ſicut poteſt quis relicta probabiliori, probabilem amplecti. vt dicitur V. opinio. *Vide Vuanum lib. 1. opin. 70.*

Vtrum Canonicorum Coadiutores ſint veri Canonici, & ad quid teneantur, & quomodo in Choro ſedeant.

DIFFIC. VII.

DIco primo, quod Canonicorum coadiutores non eſſe veros Canonicos declaratum fuit à Paulo V. ad petitionẽ Eccleſiæ Conimbricenſis in quodam Breui dato anno 1606. vt refert *Suar. t.2. de Relig. l.4. c. 22.* vnde nec tenentur ex vi ſuæ coadiutoriæ recitare diuinum officium, nec eandem ſedem ſui coadiuti habent. Attamen

Dico ſecundo, quod ſi coadiutor detur cum futura ſucceſſione probabilius videtur dicendum cum *Gonzal. gloſ. 5. §.9. n. 101. in Octaua Reg. Cancell.* quod debeat ſedere in vltimo loco Canonicorum, Vnde Domini de Rota ſentiunt debere præcedere poſt mortem ſui coadiuti, à tempore captæ poſſeſſionis, non autem à tempore ſumptæ coadiutoriæ.

Notat tamen, & bene Gauant. in Enchyr. Epiſc. quod ſi adſint præbendæ diſtinctæ præsbiterales, ſcilicet, Diaconales, & Sub-

Digitized by Google

& Subdiaconales. Coadiutor præbendæ Sacerdotalis debet ſedere ante Canonicos præbendæ Diaconalis, quod ſi adiutor præbendæ Diaconalis, debet ſedere ante Canonicos Subdiaconalis præbendæ; *Ita etiam Diana 4. p. tract. 4. reſol. 8.*

Aduertendum tamen hic, quod ſi coadiutores habent aliquam ſubſtentationem ab Eccleſia, ratione huius tenentur recitare officium. *Ita Naldus hic.*

Diſtributiones vero cui debeantur coadiutori, an coadiuto. Vide infra V. Diſtributiones.

An, quomodo, & quare poſſint Canonici licitè à Choro abeſſe.

DIFFIC. VIII.

DIco primo, quod licet Antiquiores, inter quos Angelus noſter, & Syluеſt. V. Hora Can. ille §. 25. hic q. 10. putent Canonicum non legitimè impeditum voluntariè à Choro abſentem peccare mortaliter, quantumuis non accipiat diſtributiones quotidianas, tamen recentiores probabiliter volunt peccare ſolum venialiter. ita *Sanch. quem citat, & ſequitur Diana 4. p. tract. 4. reſol. 179.* quod verum puto primo niſi ſequatur ex eorum abſentia notabile detrimentum Eccleſiæ, eiuſque ſeruitio cui mancipatus eſt, 2. modo ex quodam contemptu ſæpe ſæpius vacare conſueuerit, praua enim conſuetudo cum contemptu exercendi munus, cui aliquis eſt adſtrictus, mortalis omnino dicenda.

Dico ſecundo, quod ſtatim atq; Epiſcopus declarauit quota pars Canonicorum poteſt vnoquoque tempore abeſſe, ne Eccleſia patiatur ex abſentia multorum detrimentum iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini concedentis Canonicis vacare poſſe tribus menſibus in ſingulos annos, poteſt quilibet Canonicus vacare pro tempore ſibi determinato ad ſuum ſibitum, nec tenetur cauſam ſuę vacantiæ pro tali tempore Epiſcopo aperire, vt teſtatur Sacram Congregationem declaraſſe Naldus V. Canonicus n. . . . . .

Dico tertiò, Canonicus legens Sacram Scripturam iuxta Concil. Trid. toto die illo, in quo legit poteſt à Choro abeſſe, & quotidianas diſtributiones lucrabitur, quod ſi Matutinũ dici ſoleat poſt Completorium diei antecedentis, debet ei intereſſe, ſecus non accipiet diſtributiones, quia pro die, quo legit, non pro antecedenti ei, indulgetur abeſſe à Choro, & ita declaraſſe Sac. Congregationem *idem Naldus refert.*

Dico quartò, Canonicum pęnitentiarium dum in Eccleſia propria, non autem in aliena, nec domi, nec alibi confeſſiones audientem ſiuè in ſuo, ſiuè in alieno confeſſionali modo ſit in Eccleſia ſua licitè abeſſe à Choro, dum diuina perſoluuntur, & quotidianas diſtributiones lucrari, ſi adeſſet præſens cum alijs in Choro ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8.

Quare ſi priuatim etiam in confeſſionali recitet Officium, vel Miſſam celebret, aut cum alio confabuletur, non lucratur diſtributiones, quia ſolum dum actu confeſſiones audit Choro præſens cenſetur à Concilio, & ita à Sacr. Congregat. eiuſdem Sac. Concilij Interpretibus Eminentiſſimis Dominis declaratum fuiſſe refert Garzias p. 5. de benef. c. 4. n. 114.

Attamen non ita rigoroſè prædicta declaratio accipienda eſt, etenim ſi conſilij gratia de rebus pertinentibus ad confeſſionem velit pęnitens loqui, vel alia ad forum conſcientiæ pertinentia illi communicare, ſi eum audiat, licet confeſſiones nõ ſuſcipiat, quia hæc etiam ad confeſſionem faciunt, non debet ſcrupulis angi Pœnitentiarius, imò ſi parum per quantũ prudens occaſio tulerit cum aliquo vrbanitatis gratia, dum in Choro recitatur officium, dum eſt in via ad confeſſionale, vel eſt in ipſo confeſſionali colloquatur, non peccat, quia leges honeſtæ, & rationabili vrbanitati non aduerſantur. Ita etiam *Bonac. diſp. 7. q. 5. punct. 3. §. 5.*

Dico quintò, quod Canonici extra vtilitatem propriæ Eccleſiæ euidentem *inſeruientes* Epiſcopo non percipiunt diſtributiones quotidianas, niſi fortè tota penſio Canonicatus conſiſteret in diſtributionibus, quo caſu accipient Canonici inſeruientes Epiſcopo duas partes, & tertia inter præſentes diuidenda, quod etiam ſeruandum Canonicis inimicitiæ cauſa abſentibus conceditur à Sacr. Congregat. *apud Nald. verbo Canonicus n. 5. & Garzias 3. p. de benef. c. 2.* quod ſi inſeruiant Epiſcopo in euidentem Eccleſiæ propriæ vtilitatem lucrantur diſtributiones, vt eſt in ijs caſibus, in quibus ex conſuetudine, vel ex iure Capitulum aliquos Canonicos eligit, vt in negotijs peragendis conſilio, vel conſenſu aſſiſtant Epiſcopo, vt eſt caſus in *Trid. ſeſſ. 24. c. 12.* Hinc Canonici comitantes Epiſcopũ dum actu Diæceſim viſitat, vel alias Eccleſias in Ciuitate, aut aſſiſtunt celebranti Pontificaliter extra Cathedralem non capiunt diſtributiones, niſi cum dicta Superiori limitatione ſ. duas partes ſolum, ſi tota penſio in diſtributionibus conſiſtat, ratio autem quare in his caſibus nõ gaudent diſtributionibus, quia non aſſiſtunt Epiſcopo in euidentem Eccleſiæ neceſſitatem in hiſce caſibus. Et ita ex declarationibus Sac. Congreg. conſtare docet *Garzias loc. cit.*

Dico ſextò, quod duo Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ etiam ſi habeant præbendam Magiſtralem, vel Doctoralem ſi aſſumantur ab Epiſcopo in ſui ſeruitium *ex c. de Cetero de Cler. non reſidente, & c. ad audientiã extra de Cler. non reſidente,* poſſunt gaudere fructibus Canonicatus, licet non reſideant, dum actu inſeruiunt, amplia etiam ſi adeſſet ſtatutum iuramento firmatum, & à Papa approbatum quod non reſidentes non percipiant fructus, quia ex dictis capitibus inſeruientes duo Canonici Epiſcopo non dicuntur abeſſe, ſed habentur vt præſentes fictione iuris. *Ita Garzias c. 3. loc. cit. Nauar. conſil. 1. & 2. de Cler. non reſid. Moneta de diſtrib. diſp. q. 8. n. 6. Bonac. loc. cit.,* volunt tamen aliqui quod de Eccleſia collegiata plures, quam duos in ſui ſeruitium poſſe Epiſcopum aſſumere, de Cathedrali vero ſolum duos ex c. ad audientiam citato, Ita citati Doctores.

Dico ſeptimò, abſens cauſa ſtudij Canonicus fructus integros quando, & quomodo ſuſcipiat, ſicut etiam habens Canonicatum, & Parochialem Eccleſiam, item iniuſtè excommunicatus, & carceratus an recipiat diſtributiones quotidianas, vide infra V. Diſtributiones.

Aduertendum etiam hac occaſione, quod Canonici, & dignitates poſſunt cogi ab Epiſcopo in Ciuitate tantum, vt ſibi Pontificalia exercenti, non tamen in Miſsis priuatis aſsiſtant; ita ex declaratione Sacr. Congreg. *teſtatur Naldus loc. cit.*

Vtrum obtinens reſcriptum pro Canonicatu vacante poſſit prouideri de Canonicatu Eccleſiæ Receptiuæ.

DIFFIC. IX.

NEgatiuè reſpondendum, quia quando Canonicorũ eſt certus, & determinatus numerus in aliqua Eccleſia, tunc Eccleſia dicitur veros Canonicos habere, & deficiente in collegiata tali Canonico, dicitur verè canonicatus vacare, quando autem in Eccleſia non adeſt certus, & determinatus numerus Canonicorum, dicitur Eccleſia Receptiua, & tunc ſi deficiat Canonicus non dicitur vacare, ſed ſolum extingui, & ceſſare, quia in beneficium aliorum refunduntur fructus, donec alius ſecundum conſuetudinẽ Eccleſiæ propriæ ſubintret; itaque habens reſcriptum de vacante Canonicatu ſolum poteſt prouideri de Canonicatu in Eccleſia non Receptiua. *Ita etiam Naldus hic.*

Aduerte etiam hic obiter ex eodem Naldo quod prouiſus de Canonicatu, cui annexa eſt cura animarum, non debet examinari, quia cura ſequitur naturam Canonicatus.

Vtrum Epiſcopus poſſit nouas Collegiatas cum certo numero Canonicorum fundare, & etiam Canonicatus ſupprimere.

DIFFIC. X.

NEgant aliqui putantes, nec iure communi, nec particulari Collegiatas fundare indultum Epiſcopis Ita Ricc. in deciſ. Curiæ Archiep. Neap. p. 3. deciſ. 66. & citat Bald. conſ. 91. & Burſall. conſ. 27. & 110.

At verò probabilius recentiores præcipuè affirmant poſſe Epiſcopum ſua ordinaria authoritate fundare, & erigere nouas Collegiatas, & in eis certum numerum Canonicorum iuxta ſufficientiã redituum de nouo creare, eoſque inſignire almutijs, ſeu caputijs, quod enim non eſt prohibitum, videtur conceſſum in ijs præcipuè, quæ pertinere videntur ad boni regiminis executionem. Ita Antonius Maria Nouar. in qq. forenſ. p. 1. q. 24. Zerola in praxi Epiſc. V. Epiſcopus q. 17. Silua de benef. p. 2. q. 23. & Diana p. 1. trac. 6. Miſcell. reſ. 38. & ita in praxi deductum eſſe ex fundatorijs aliquarum Collegiatarum proprijs oculis perlegi, in quibus Epiſcopus propria ordinaria authoritate Parochialem Eccleſiam in Collegiatam cum certo numero Canonicorum erexit, & caputijs Canonicos inſigniuit.

Nota

Nota quod ſi erecti nouiſſime ſit inſignis Collegiata præcedit alias non inſignes, vide infra V. Collegiata. Supprimere etiam poteſt Epiſcopus canonicatus alicuius Eccleſiæ Collegiatæ ſi præbendæ ſint ita tenues, vt non ſufficiant ſingulæ ad honeſtam ſingulorum Canonicorum ſubſtentationem, ſed hęc ſuppreſſio non ſolum facienda cũ conſenſu Capituli Collegiatæ præfatæ, ſed requiritur etiam Cathedralis Eccleſiæ conſenſu, alias nulla reputatur ſuppreſſio facta ab Epiſcopo, & debet conſtare nec ſufficit vt ab Epiſcopo denuntietur. *Ita Sac. Congr. Conc. in Trotrienſi 1. Septemb. 1618. apud Barb. deciſ. Apoſtol. collect. 87.*

Vtrum Canonicus ſubmiſſa voce in ſua ſede, & non alternatim cum alijs Officium recitans lucretur diſtributiones.

DIFFIC. XI.

AFfirmant ex communi recepta conſuetudine Canonicorum præfato modo officium in ſua ſede recitantem in Choro, dum alij actus alternatim canonicas horas perſoluũt, lucrari diſtributiones, quia ex eo quod Prælati non curant cogere Canonicos ad pſallendum alternatim, vel cantandum in Choro, ideo putant, ex hac tolerata conſuetudine eſſe abrogatum præceptum Concilij Tridentini ſeſſ. 24. c. 12. *Ita Garz. de benef. t. 1. p. 3. c. 2. Riccius in ſua praxi t. 2. reſ. 362. Gauant. in Rubr. Miſſ. t. 2. trac. 1. c. 5. tit. 5. & Diana de Hor. Can. reſ. 6.*

Negant tamen lucrari diſtributiones in tali caſu Canonicũ ex c. Dolentes, ideſt, de celebrat. Miſſ. & Conc. Trid. loc. cit. conſuetudo autem contra mentem Concilij Tridentini non poteſt introduci niſi ex tolerantia Papę permittentis ex ſcientia. Ita noſter *Rodr. t. 1. c. 43. Nau. conſ. 13. de celebr. miſſ. & Comitolus loc. cit. affert pro hac opinione declarationem Sac. Congreg.* Verum diſtinguendum puto, nam in Eccleſijs vbi ſunt cantores, & Manſionarij ſalariati ad pſallendum, & canendum, ſufficit Canonico vt in ſua ſede recitet priuatim ſubmiſſa voce, quia in hoc caſu ad aſſiſtentiam Choro ſolũ obligantur, & in hoc ſenſu vera eſt prior opinio, quod ſi non adſint huiuſmodi ſalariati ad pſallendum, & cantandum, opinio poſterior videtur omnino ſequenda, nam ſi poſſet Prælatus tolerare Canonicos ſubmiſſa voce in ſua ſede pſallentes, ſeruitiũ Chori breui tempore peſſum iret, nam exemplo vnius, alij etiam ad ita pſallendum inducerentur, & ita officium, nec perſolueretur alta voce, nec cantus in Choro exerceretur; quod autem ex rationabili cauſa infirmitatis vnus, vel alter toleretur à Superiore, non eſt abſurdum affirmare.

Vtrum Canonicus qui fructus anticipatos percepit iuxta conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, ſi omittat officium recitare, teneatur ad reſtitutionem fructuum.

DIFFIC. XII.

AFfirmat *Vaſq.* quia propter officiũ datur beneficiũ, ſi ergo nõ recitat officiũ, nec fructus beneficij poterit percipere.

Attamen negat *Salas de legib. diſp. 15. ſect. 2. n. 7.* teneri ad reſtitutionem in tali caſu Canonicum, putat enim ſolum obligari ad reſtituendos fructus percipiendos, non perceptos, quia in Concilio Laterani Leo X. & Pius V. in ſua conſtitutione declarat beneficiatum omittentem recitare officium, non facere fructus ſuos, non autem dicit, quod fructus perceptos non percipiat; verum potius metaphyſica videtur hæc probabilitas, facere enim fructus ſuos, cur etiam de perceptis non poteſt intelligi maximè ſi conſumpti non ſunt; Itaque dicendũ puto, quod ſi conſumpti ſunt fructus habiti, poteſt opinio Salas probabiliter ſuſtineri, quia dum non ſunt, non poteſt dicere eos facere, nec non facere ſuos; ſi vero non ſint conſumpti, credo quod teneantur reſtituere, aliter eos facit ſuos; præterquam quod priuilegium anticipationis non debet vergere in detrimentum eorum, ad quos ſpectat reſtituendum.

Vtrum Canonicus volens gaudere abſentiæ trium menſium priuilegio propter neceſſitatem ſpiritualem ſuæ conſcientiæ Romam accedat tempore Anni Sancti, vel etiam alio tempore lucretur diſtributiones quotidianas.

DIFFIC. XIII.

DIco primò, quod licet Theologi quidam de hoc conſulti ſpeculatiuæ potius, quam practica ſecundum Sacros Canones ratione ſuffulti reſponderint quibuſdam Canonicis affirmatiuè non ſolum eum gaudere volunt priuilegio trium menſium, ſed quandocunque aderit ſpecialis conſcientiæ ſpiritualis neceſſitas poſſe ſ. c. Canonicos Romam ædire, vt ſuę conſcientiæ conſulant, & interea debere quotidianas diſtributiones accipere, quod probant ex eo, quia in *c. vnic. de Cler. non reſid.* ſimpliciter, & abſolutè præciſo priuilegio trium mẽſium, decernitur Canonicos abſentes propter infirmitatẽ, vel rationabilem corporis neceſſitatẽ, vel ſuæ conſcientiæ euidẽtem vtilitatem poſſe, & debere quotidianas diſtributiones lucrari; ſed neceſſitas ſpiritualis conſcientiæ ſ. c. ritè mundandæ eſt multò maior, quã neceſſitas corporalis, ſi ergo propter minorem neceſſitatem conceditur abſenti lucrari poſſe diſtributiones quotidianas multo magis concedenda eſt propter animæ ſpiritualem neceſſitatẽ, vt eſt Romam adire promundanda conſcientia, quia ſ. c. habet caſus reſeruatos, à quibus non poteſt abſolui, niſi Romam ad Sedem Apoſtolicam accedat, quod autẽ maioris æſtimationis ſit neceſſitas animæ, quã corporis, ipſa etiam iura ciuilia proclamant, vt habeo *l. Sancimus in fin. C. de Sacr. Eccleſ. & Vincentius de Franchis dec. 237. n. 4.* ius ergo Canonicum concedens abſenti Canonico propter neceſſitatem rationabilem corporis diſtributiones quotidianas, concedit multo magis abſenti propter neceſſitatem ſpiritualem, qualis eſt cõſcientiã mandaro à caſibus reſeruatis.

Confirmant hoc ſaltem concedi debere in tali neceſſitate ex præſumpta, & benignè interpretata mente pijſſimæ S. Matris Eccleſiæ, quę maximè in beneficium ſpirituale animarum fauores ampliare ſolet.

Attamen practicè aliter reſpondendũ ex diuerſis Sacr. Cõgreg. declarationibus, quæ etiã in tribus menſibus, in quibus indulgetur abſentia à Choro *ex Conc. Trid ſeſſ. 24. de refor. c. 12.* negant diſtributiones quotidianas dandas abſentibus vt teſtãtur *Pariſ. de Reſignat. q. 10. n. 65. Gonzal. Reg. Canc. 8. §. 7. Rico. dec. 494. n. 10. p. 4. & Bon. de hor. Can. diſp. 2. q. 4. p. 1. n. 10.* & alij.

Quando quidem diſtributiones quotidianæ ſolum inter eſſentibus ratione præſentialis ſeruitij exhibiti, & non alijs debentur ex Conc. Trid. loc. cit. & paſſim docent Doctores, vt videre eſt *in dec. Rot. 1131. n. 1. & dec. 1140. Seraphin.* ſolum permittitur abſentibus ratione infirmitatis, euidentis neceſſitatis corporalis, & euidentis Eccleſię neceſſitatis *ex c. vnic. præfato, vt Doctores videre s. 154. n. 2. Ludouiſ. qui fuit poſtea Greg. 15.*

Quare cum ſimus in odioſis, & in exorbitantibus à iure communi non poteſt fieri extenſio de caſu ad caſum, etiam ſi maior ratio militet, vnde priuilegium datum contra ius cõmune in vna re, non debet extendi ad aliam rem, niſi exprimatur, priuilegia .n. ſunt odioſa contra ius commune, & à voluntate potius concedentis priuilegium ex ratione particulari monſtrante animum ſuum, & non ex quacunque ratione potius conceditur, vnde non poteſt extendi de caſu ad caſum licet maior ratio militet, vt videbitur fuſius V. Priuilegium, itaque licet videatur militare maior ratio deducta ex maiori neceſſitate animæ purgandæ à peccatis, vt debeant Canonico eunti Romam ad ſuam conſcientiam à peccatis purgandam concedi diſtributiones quotidianæ, Pontifex enim ſi in tali caſu voluiſſet concedere addidiſſet etiam in neceſſitate ſpirituali, cũ ergo non expreſſerit, non debemus ad hanc neceſſitatem tale priuilegium extendere. Ita etiam videntur ſentire *Moneta q. 5. n. 53. Bonac. de hor. Can. diſp. 2. q. 5. p. 2. n. 8.* loquentes de Canonico abſente à Choro, dum ſua peccata actu confitetur, *& Sanch. in ſimili l. 1. de matr. diſp 33. a. 32.*

Quod autem Pontifex rationabiliter neceſſitatẽ hanc ſpiritualem tali priuilegio non decorauerit, bene tamen corporalem, quæ multo eſt inferior, patet ex eo, quod neceſſitas iſta ſpiritualis poteſt alio modo tolli abſque eo, quod vagetur Canonicus extra ſuam reſidentiam, nam vel ab Epiſcopo, qui in caſibus Sedi Apoſtolicæ occultis diſpenſat, & abſoluit, vel ſaltem à Sacra Pœnitentiaria Romana per Procuratorem data ſupplicatione per N. ideſt, ſine nomine poterit abſolutionem, vel diſpenſationem impetrare; itaque non adeſt neceſſitas ſimpliciter, vt ipſe perſonaliter accedat, non enim ex neceſſitate fieri, quod æquè bene per alium facere potes dicitur.

Pręterquam quod neceſſitas corporalis facilè videri poteſt, nec poteſt ſimulari, neceſſitas autem ſpiritualis non poteſt videri, & euidenter monſtrari poteſtque faciliter fingi, & ideo rationabiliter Papæ neceſſitatem corporalem tanquam Pius Pater hoc priuilegio decorauit, & non neceſſitatem ſpiritualem,

lem, vt fraudes ſ. c. tanquam prudens Paſtor eliderentur nam multi conſcientiæ ſuæ immemores potuiſſent ſub pallio neceſſitatis ſpiritualis ſumere occaſionem vagandi, & ita cum lucro diſtributionem ſuis genijs indulgerent, ex quo collige, quod ex præſumpta pia mente Summi Pontificis, nec poteſt tale priuilegium lucrandi diſtributiones extendi ad habentes neceſſitatem ſpiritualem, maxime cum in præiudicium aliorum fauores non ſint ampliandi, vt alibi dicetur; lucrari autem diſtributiones quotidianas ab abſentibus eſt in præiudicium præſentium, qui laborant in ſeruitio Eccleſiæ.

Dico ſecundò, quod Canonicus petens Romam ad ſuam conſcientiã à reſeruatis purgandam, nec poterit cum licentia Epiſcopi, vel Capituli permiſſione lucrari diſtributiones quotidianas *ex Rota Rom. dec 61. n. 3. p. 1. in Nouiſſ. Belir. in addit. ad Greg. 15 ſu. dec. 254. n. 6. & docte vt ſolet Garz. de benef. p. 3. c. 20. n. 402. & ſeq.* quia non poteſt Epiſcopus contra ius cõmune diſpenſare, tanto minus Capitulum, cum prohibeatur præcipuè Canonicis à Conc. Trid. vbi ſupra remittere abſentibus huiuſmodi diſtributiones.

Proderit tamen licentia Epiſcopi in caſu iuſtæ abſentiæ, & precise in peregrinatione ad limina Apoſtolorũ pro lucrãdi diſtributionibus groſſis, & alijs fructibus qui diuidũtur in fine anni inter Canonicos, non autẽ pro quotidianis, vt notant *Boer. in deciſ. 17. a. 6. Lerola in pr. Epiſc. p. 1. V. Diſtribut. Bonac. diſp. 2. q. 5. p. 3. a. 9. de hor. Can. Carol. Macq. c. 71. n. 129. & Garzias de benef. 3. p. c. 2. n. 393.*

Vtrum Canonici, & Clerici præcedant Regulares in proprijs Eccleſijs, & an extra Eccleſiam præcedant habentes iuriſdictionem, & an cogi poſſint ab Epiſcopo vt inter ſint congregationi caſuum conſcientiæ.

DIFFIC. XIV.

DIco primò, quod Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ Eccleſiæ, & ceteri Clerici debeant ſemper in proceſſionibus etiã in ipſis Eccleſijs Regulariũ exemptorũ, ſi ibi cõueniant ratione officiorũ diuinorum celebrationis præcedere quoſcũque Regulares, & tenentur etiam in ſuis Eccleſijs eis digniorẽ locum cedere; ita declarant *Sac. Congr. rit. in Tuldenſi 22. Martij 1616. & in firmare Terra Sancta Vicbria 31. Martij 1618. vide Lellium in ſoloc. Canon. c. 55.*

Dico ſecundò, quod Canonici etiã Cathedralis Eccleſię cũ nullã habeant extra ſuas Eccleſias iuriſdictionẽ incedẽtes vt ſinguli cedere debent locũ habentibus iuriſdictionẽ. *Ita Sac. Congreg. in Veronenſi 21. Martij 1594. apud Lellium loc. cit.*

Dico tertiò, quod Canonicos, & confeſſarios etiam Regulares poteſt cogere Epiſcopus, vt interſint congregationibus caſuum conſcientiæ ab ipſo in dictis ſub pœna pecuniaria. *Ita decl. Sac. Cõg ſub die 11 Iulij 1620. apud Lell loc. cit. c. 27. n. 16.*

Capella, Capellania.

Quid ſit Capella, quid Capellania, & quotuplex.

DIFFIC. I.

CApellam aliqui à voce græca Karὼν, quę noſtro idiomate locum vbi Gubernator, & primarius ſedet, ſonat, deriuari cõtendunt, quia Capella eſt locus, in quo omniũ Gubernator Chriſtus Ieſus ſub panis ſpeciebus Sacramentatus efficitur, & ſedet in Miſſæ ſacrificio, alij autem à verbo Capio deductam volunt, quaſi Capella ſit paruus locus ad capiendũ Sacerdotem, & Miniſtros pro Sacrificio Miſſæ celebrando, quidam verò à capite aſſerunt ſuam traherere Æthimologiã, quaſi Capella ſit paruũ caput alicuius loci ſpecialis in Eccleſia deuotioni alicuius particularis Chriſtiani conceſſi cũ determinato ambitu, nec deſunt aliæ in hoc nomine eruditiones, verum ne longior ſiam, quam rei definitio requirit, relinquuntur. Quare

Dico primò, quod Capella eſt locus ſpecialis in Eccleſia, vel extra certo ambitu determinatus ad ornatũ Eccleſiæ ipſius, vel conſtruentis deuotionẽ authoritate ordinaria cũ altari ad honorẽ Dei, B. V. vel alicuius Sancti, & regulariter cum iure ibi ſepeliendi defunctos ſuę cognationis alicui conceſſus. Differt autẽ Capella ab altari maiori, quia Capella alicui priuato conceditur, & ad locũ ſpecialem in Eccleſia refertur, & cum multi poſſint aſſignari loci ſpeciales in Eccleſia, multæ poſſunt eſſe Capellæ, altare autem maius habet reſpectum ad totam Eccleſiam. & dedicatur illi Sancto in cuius honorem Eccleſia conſtructa eſt. Itaque

Dico ſecundò, quod Capella dupliciter accipi poteſt, altera ſimpliciter fundata ad ornatum Eccleſiæ, vt ſcilicet ex Capellarum hinc inde recto ordine poſitarũ, Eccleſia appareat pulchrior, & ornatior, & de hac parum in præſenti dicendũ; altera eſt Capella fundata ad hoc præcipuè, vt in ea ſacrificium Miſſæ peragatur, & mortui ſepeliantur, & de hoc Capellę genere aliquæ emergunt difficultates; porro Capellę fundatę, vt in ipſis Miſſæ celebrẽtur, aliæ ſunt ſimpliciter erectę, vt poſſit in eis Sacrũ fieri, ſed nulla adeſt obligatio impoſita certo tẽpore in eis celebrãdi, aliæ vero ſunt fundatæ cũ hoc onere, vt ſtatutis diebus in eis ſacrũ peragatur ſufficienti penſione, vel redditu pręſtito annuatim pro mercede, vel alimẽto celebrãtis.

Dico ſecundò, quod Capellania eſt beneficium, vel officiũ, vel onus, quo cum inſtitutus teneatur per ſe, vel per aliũ ſtatutis diebus in eius Altari Capellæ celebrare, & regimen, & adminiſtrationem redditVum, & iurium ipſius habere debet. Duplici autẽ modo inſtitui conſueuit, nam aliquando inſtituitur auctoritate Epiſcopi, & tunc dicitur beneficium Eccleſiaſticum, eſtque perpetua, & gaudet priuilegijs beneficij Eccleſiaſtici, quæ ſi ſit cum reſeruatione iuris patronatus nominatio, & electio ad Patronum ſpectabit, ſi vero penſio data Capellæ pro celebrandis Miſſis non ſit inſtituta cum authoritate ordinarij, dicetur Capellania laica, & de ſe non eſt perpetua, nec gaudet priuilegio beneficij, &c.

Aduertẽ autem hic, quod nomine Eccleſiæ in fauorabilibus venit Capella, aliter non venit, niſi eſſet conſecrata ex textu cum gloſa in *c. 1. de Relig. dom.*

Vtrum Capella poſſit erigi ſine dote.

DIFFIC. II.

VAriant in hac difficultate Iuriſtæ, affirmant enim *Ananias conſ. 24. & Bologninus ibi in Addit. & Lamb. de iure patron. p. p. lib. 1. q. 3. princip. art. 5.* quia ſolum Eccleſiæ prohibentur conſecrari ſine dote *ex c. nemo de conſecr.* diſt. 1. Capellæ vero non iubentur fundari cum dote, in odioſis autem Capella non venit nomine Eccleſiæ, vt dictum eſt.

Attamen *Abbas in c. 1. ad Audientiam de Eccleſ. ædific. & conſil. 89. vol. 2. Roccbus de iure patron. in verbo conſtruxit q. 4. & Gregorius Lopez p. 1. tit. 15. l. 2. in gloſa 4.* negant poſſe conſtrui Capellam ſine dote.

Verum diſtinguendum puto, nam vel Capellæ conceduntur ad ſolũ ornatũ Eccleſię vel ad ſolã deuotionẽ alicuius priuati cum altari ſolum habitualiter, nõ actu deſtinato ad celebrationẽ Miſſarũ, & ſic vera eſt prima opinio, quia dum non adeſt onus actuale in eo celebrandæ Miſſæ, nec abſolutè neceſſarium videtur eam dotare, quia non indiget neceſſarijs ad celebrationem Miſſæ, at vero ſi conſtruatur, vel fundetur Capella cum onere actuali celebrationis Miſſarum in ipſa; neceſſario eſt dotanda cum poſteriori opinione, nam dum in ipſa celebrandæ ſunt Miſſæ debet habere ea, quæ ſunt neceſſaria ad celebrationem *ex cap. præterea de Officio Deleg. Ita etiam Roc. & Lopez locis citatis.*

Vtrum ad Capellanum, an vero ad Patronum ſpectet Capellam de paramentis, Mappis, planetis, Calice, Miſſali, alijſque neceſſarijs ad celebrationem prouidere, & Capellam reparare, & dicta reficere.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod licet multi voluerint ad Capellanum ſpectare de prædictis omnibus prouidere ſuam Capellam, ex eo quia ad Rectores ſpectat de his omnibus prouidere ſuas Eccleſias, eaſque reparare, & reficere ex cap. 1. & c. de his de Eccleſ ædificãdis ex ea ratione primo, quod qui ſentit commodum debet, & ſeruire onus *l. ſecundum naturam, ff. de reg. Iuris*, ſecundo quia beneficiarius æquiparatur vſufructuario iuxta ea, quæ habentur in c. præſenti de offic. ordinand. in 6. hic autem tenetur conſeruare bona ſibi conceſſa ex fructibus ipſis l. 1. §. *hactenus de vſufruc.* & tenetur tecta reficere, & præſtare *l. cum c. de vſufruc.* at vero quæ tenetur Rector circa ſuam Eccleſiam, tenetur Capellanus circa ſuam Capellam in materia ornamentorum, & ædificij, quia in hoc parificantur à iure *ex c. fin. de teſtam.* attamen quia hæc pari-

Digitized by Google

tas non ſemper currit, nec ſemper Rector tenetur ad præfata in ſua Eccleſia, ideo in hac materia diſtinguendo.

Dico ſecundò, quod vel Capella in ſui fundatione habuit dotem ſufficientem ad onus Miſſarũ dicendarum in ipſa, & ad paramenta, aliaque neceſſaria facienda, & reficienda quæ forent in ipſa vetuſtate, vel aliu caſu perdita, vel propè perdenda, & in hoc caſu procedit opinio prætata, quod teneatur Capellanus, quia ſentit commodũ ex tali dote, & iuxta quod obligatus ædificium Capellæ, vel Eccleſiæ reparare, & reficere tenetur etiam imagines, & picturas reficere, quia appellatione fabricæ venit pictura, vt notat *Bald. in l. ſi quis ad declinandum c. de Epiſc. & Cleric.* At verò ſi Patronus non aſſignauit dotem ſufficientem pro onere Miſſarum, & pro tali reparatione ædificij, & paramentorum, & ceterorum, quæ ſunt neceſſaria ad celebrationem, & refectionẽ, non tenetur Capellanus, quia non ſentit commodũ niſi de operæ ſuæ locatione, i. de fructu ſufficienti ad ſolutionẽ mercedis pro ſuo labore ergo ad nihil aliud tenetur, Capellanus .n. huiuſmodi æquiparatur nõ vſufructuario, ſed locanti ſuas operas. quare

Dico tertiò, quod tunc cenſendum eſt Patronum ſufficientẽ dediſſe dotem pro onere Miſſarum, & pro reparatione ædificij, & paramentorum confectione, quando facto calculu redditus annui dati pro Capellano, & computata ex ipſis debita ſolutione iuxta numerũ Miſſarum, quæ debent à Capellano dici in dicta Capella, ſi remaneãt fructus ſuperflui, illi omnes ponendi ſunt in beneficiũ Capellę ab ipſo Capellano, & dicetur in iſto caſu Patronus aſſignaſſe ſufficientẽ dotem etiã pro onere Miſſarũ & reliquis neceſſarijs ad paramenta, & ædificia; Capellani enim cenſentur locare operas ſuas, ergo quando ipſi habuerunt fructus ſufficientes promiſſis dictis, iam receperunt pro opera ſua mercedem debitam, quod ergo ſuperfluit in beneficium Capellæ ponendum; quod autem Capellani cenſeantur locare operas ſuas ex eo etiam pateat, quod ſi infirmentur longa præcipuè infirmitatẽ, tenentur per alios celebrare in dicta Capella, adde quod Patronus Capellæ non tenetur alere Capellanum, ſed ſolum ſuũ iuſtum ſalariũ præbere. Vide *Prax. Archiep. Neap. in c. 42. verſus finem.*

Dico quartò, quod in caſu, quo Patronus non dedit dotem ſufficientẽ pro mercede Miſſarum dicendarũ in ſua Capella, & pro dictis ſupra, tenetur ipſe ad omnia neceſſaria cõparanda, & reparanda tã pro requiſitis ad paramenta, & cetera pro celebratione, quã ad ædificia ſpectantia, etenim qui vult principale videtur voluiſſe omnia acceſſoria neceſſaria, per quæ peruenitur ad illud principale *ex l. oratio ff. de ſponſ. l. ad rẽ mobilẽ. & l. ad legat. ff. de Procurat. idẽ videtur haberi in c. præterea de offic. Delegati, ita etiã Abb. ſi in conſ. 89. p. 2.* vbi obligat etiam Patronum ad ſoluendam mercedẽ Clerico ſeruiẽti in Miſſa; præterquam quod vult, quod ſicut Pater tenetur dotare filiam ſuã, ita conſtruens Capellam, *ita etiam gloſ. in c. nemo de conſec. diſt. 1. & in c. cum ſicut de conſec. Eccleſ. vel Altaris.* Vnde volunt poſſe Patronum compelli ad ſufficienter dotandum ſuã Capellam pro omnibus neceſſarijs ſub pena dandi ei compatronum, vel alia, & interim ad prouidendũ de neceſſarijs ad celebrationẽ Miſſarũ, & reparationẽ ſi in qua parte indigeat. Vide ſupra V. Altare, vbi decretum Sac Congregationis circa Patronos negligentes dotationẽ, & reſtaurationẽ poſitum eſt.

Dico quintò, quod conſuetudine introduci potuit, quod Rector quantumcunq; habeat dotẽ ſufficientem etiã ad reparandam ſuã Eccleſiam labentẽ, & prouidere de paramentis & neceſſarijs ad celebrationẽ, & ad ſeruandum continuũ lumen in lampade corã Sacramento, tamen nõ ſit obligatus præſtare ea, vel quia Parochiani, vel alij Procuratores Eccleſiarum, & confraternitatum conſuetudine præſcripta legitimè iam ſunt obligati hæc facere, vt pulcre probat Ripa conſ. 26. *facit Conc. Trid. c. 4. ſeſſ. 24. de Refor.* quod circa reparationem Eccleſiarũ eſt attendenda conſuetudo, & fuit deciſum in Rota Romana, quod conſuetudo Parochianorum reparandi, & ornandi Capellam liberat Rectorem à tali onere, quæ deciſio refertur *in prax. Archiep. loc. cit.*

Vtrum in præiudicium Capellæ, & patroni poſſit circum circa ædificari ab alio, vel inſignia, & arma fundatoris liceant abradi, & alia poni.

DIFFIC. IV.

DIco primò, quod ius Capellæ requirit, vt habeat proſpectum ex omni parte liberum, atque adeo non poteſt ab alio circum circa ædificare, & ex eo ſuadetur, quod Capellæ cum ſepulturis, armis, ſeu inſignijs, & inſcriptionibus fiunt conſeruandæ memoriæ hominum, & familiarum cauſa, circa deuotionem diuini cultus, ergo nullo modo eius aſpectus debet impediri per conſtructionem alterius Capellæ, vel parietis. facit, quod conceſſo proſpectu, intelliguntur prohibita omnia, quæ officiunt, & impediunt ad gratiorem, & liberum proſpectum *ex l. inter ſeruitute ff. de ſeruit. Vrban. præd. & textus in l. ſi vitem §. penult. ff. quod vi, aut clam, habet*, quod ſi quis porticum, aut ſtillicidium in ſepulchrum immiſerit, etiamſi ipſum non tangat, poteſt agi rectè cum eo, quod vi, aut clam in ſepulchro factum ſit, quia ſepulcrum non ſolum eſt locus continens humationẽ, ſed etiã omne ſuperius, ideoque agi nomine ſepulchri, cum appellatione ſepulchri omnis ſepulturæ locus contineatur. Adde, quod maximi intereſt Reipublicæ, vt dignitas familiarum conſeruetur *l. 1. §. publicæ ff. ventre inſpiciendo*, & lex ſatis lugubre ait eſſe memoriam antiquorum delere *l. lex quæ tutorem §. nec vero domum c. de adminiſtr. tutor.* & ad hunc finem arcus triumphalis, & ſtatuæ marmoreæ concedebantur in Vrbe, vt illorum memoria, qui glorioſè vixerunt, & honores geſſerunt in perpetuum haberetur ex l. fin. & toto titulo C. de ſtatuis, & imagin. ſi ergo proſpectus Capellæ in quibus arma, inſignia, & inſcriptiones ſunt antiquorum, poſſet impediri memoria defunctorum, qui benè ſe geſſerunt erga Deum, & Sanctos fundando Capellas in eorum honorem, & ornatum Eccleſiarũ, quod ſane valde impium, & indignum videtur, nec ſine nota inuidiæ, & odij fieri permitteretur, in damnum etiam Reipublicæ, quæ multum honeſtatur ex antiquorum memorijs ſeruatis, cum exempla antiquorum rectè factorum valde moueant Recentiores ad meliora etiam perpetranda. Vide in hac materia *Pet. de Anchar. conſil.* 113. Vnde

Dico ſecundò, quod non licet Capellano, nec alijs quibuſcumque, nec etiam hæredibus abradere, & auferre inſignia fundatorum Capellæ, & ponere alterius, nec etiam propria inſignia, vel nomina quando Capella eſt fundata cum iure Patronatus, vel cum iure funerandi ſaltem, quia vt dictum eſt ſupra memoriam defunctorum antiquorum eſt lugubre, & indignum & iniuſtum ſuppeditare, fit autem iniuria fundatori etiam ſi ab hærede extraneo eius auferantur arma, & inſignia, vt ſua ponat, quia in proceſſu temporis eius memoria eradicatur, quare poſſe puniri Iudicis arbitrio talia præſumentes docent *Bartholom. Cepolla de ſeruit. præd. Vrban. c. 71. de picturis per textum in l. qui liberalitatem ad finem, ff. de oper. publ. & Bart. in d. l. & Lambertinus de Iure patr. l. 3. q. 5. princip. art. 4.* facit etiam ad hoc, *quod in l. 1. ff. de ſepulcro violato*, vbi datur actio ſepulcri violati contra euellentem ſtatuã de monumento; quod ſi Capella non ſit fundata cum iure patronatus, nec cũ actione funerandi, ſed ſimpliciter propter deuotionem, & in memoriam ſuæ deuotionis poſuit ſua inſignia, hæc quidem auferri nequeunt, ſed alius poteſt ſua inſignia ponere, ſi rem aliquam ad maiorem deuotionem, ornatum, vel cultum in ipſa Capella fecerit, cum nulla iniuria priori fiat, & cultus, & ornatus Eccleſiarum ſemper ſit augendus, & ex armorum, & inſignium conceſſione multum animantur fideles ad prædictum cultum, & ornatum, quando ergo alteri non fit præiudicium, poſſunt vtique talia inſignia in eadem Capella antiqua nouiter poni ab eo, qui nouũ ornatum, vel nouam penſionem, vel aliquid ſimile pro ipſa Capella ornanda, colenda vel reficienda poſuerit. *Vide Lambert. loc. cit. & prax. Archiep. Neap. vbi ſup. n. 3. & 4.*

Vtrum Capellania inſtituta cum certo onere Miſſarum in ſua Capella dicendarum poſſit conferri non Sacerdoti?

DIFFIC. V.

DIſtinguendum puto, nam vel in fundatorio, vel legato fundans, vel legans, vt in Capella dicatur certus numerus Miſſarũ ſtatutis diebus per annũ ordinanit, vt capellanus teneatur per ſe ipſum celebrare, vel nullus inſtituatur Capellanus niſi ſit Sacerdos, tunc neceſſariò debet eſſe Sacerdos Capellanus, nec validè cõfertur Clerico non Sacerdoti, quia mẽs fundatoris, & teſtatoris ſeruãda eſt, vt lex irrefragabiliter in ſua diſpoſitione fundatorij, vel legati, quod ſi fundans, vel legans ordinauit, quod inſtituatur Capellanus, qui Miſſas tot celebret in hebdomada, vel menſe, tunc nõ neceſſario requiritur, quod actu ſit Sacerdos, ſufficit .n., quod per aliũ celebret,

vt

vt ſatisfaciat menti teſtatoris, quare in legato, vel fundatorio in quo ſimpliciter inſtituitur Capellanus, qui celebret, nõ inſtituitur Capellania actu Sacerdotalis, ſed ſolum quando expreſsè ordinatur, quod Capellanus ſit Sacerdos, tunc Capellania eſt vocanda Sacerdotalis, nec obſtat, quod aliquando Capellania non Sacerdotalis ſit collata Sacerdoti, quo minus queat poſtea conferri non Sacerdoti, quia quod ſit collata Sacerdoti eſt quid accidentale circa teſtatoris prouiſionem, quã mutare non poteſt. *Ita in parte ex noſtro Rodr. qq. reg. t. 2. q. 122. a. 2. Pariſius de reſignat. benef. l. 3. q. 9. Gonzal. in 8. Reg. Canc. gloſ. 5. Gratian. in diſcep. for. c. 135. Perez de Capell. 2. c. 7.*

Aduerte autem hic, quod Capellanus habens Capellaniam, quæ actu noo eſt Sacerdotalis, vnde vt dictum eſt noo tenetur per ſe celebrare, oon poteſt cogi ab Epiſcopo vt per ſe celebret, ſi faciat celebrare per alium.

Nota hic etiam quod Capellaous amouibilis, ſiue ſit Sacerdos, ſiue Clericus ſimplex poteſt dare ſalarium Sacerdoti alteri iu caſu ad celebrandum io ſua Capella pro ſuo onere ſatisfaciendo dare illi ſalarium, ſeu mercedem currentem, ſeu ſolitam dari iu illa Patria, retento ſibi reliquo, quod plus haberet ratione Capellaniæ. Ita ex Sac. Congregat. in Neap. 17. Auguſt. 1630. apud Barboſ. trac. de off. Paroch. c. 11. n. 13.

Vtrum Capellania, quæ actu Sacerdotalis eſt poſſit vna, vel altera vice ex conſenſu Hæredis ſimplici Clerico ab Ordinario conferri.

DIFFIC. VI.

Affirmant Doctores aliqui, & ij extimatæ authoritatis, quia pro vna, & altera vice non videtur fieri iniuria fundatoris, vel legantis intentioni, cum non inducatur præiudicium ſuæ diſpoſitioni per vnam vel alteram vicem, maximè ſi ſit diſcontinuata, quare putant actu conſenſu hæredis poſſe ab ordinario licitè pro vna, vel altera vice non Sacerdoti conferri talem Capellaniam. *Perez de capel. l. 2. c. 7. Vgol. de poteſt. Epiſc. c. 61. Abbas, Imola, Felin. Nauar. Lambert. Sà, Rebuf. & alij, quos citat Caſtr. Palaus t. 2. trac. 13. diſp. 5. punc. 6.*

Negant tamen *Caſtrus Palaus loc. cit. Gutier. conſ. 1. Garzias de benef. t. 2. p. 7. c. 1. Moneta de vlt. volunt. c. 5. Riccius collect. 158. & alij*, quia Concilium Tridcotioum ſeſſ. 25. de Reformat. cap. 5. prohibet expreſsè Epiſcopis etiam cum conſenſu Patroni tollere qualitates beneficij, vt notat etiam *Barboſa in collect. DD. ſuper Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 7. n. 7.*

Attamen licet hęc ſecunda opioio ſit tutior, & probabilior, prima tamen ex interpretatione beoigna facta de mente teſtatoris, & fundatoris, qui prę́ſumi poteſt, quod ſaltem virtualiter conceſſerit ſuo hæredi pro vna, vel altera vice, quando rationabilis ad fuerit cauſa, poſſe ſuæ diſpoſitioni in hoc derogare, poteſt probabiliter ſequi, & amplecti.

Illud tamen in hoc caſu verum eſt, quod habens Capellaniam actu Sacerdotalem licitè confertur ei, qui infra annum poteſt fieri Sacerdos, nam fauores ſunt ampliandi, hoc enim conceditur acquirenti beneficium curatum, primo, & acquirenti Capellaniam Sacerdotalem; Cęterum ſi conſecutus Capellaniam Sacerdotalem infra annum non fiat Sacerdos, oon perdit eam immediatè, quia hoc ſolum mandatur de beneficio curato, nec extendendum ad Capellaniam, quia pœnæ ſunt reſtringendæ. *Ita docet Rota deciſ. 120. & Nald. vbi ſup.*

Vtrum Capellanus obligatus ratione ſuæ Capellaniæ dicere plures Miſſas in hebdomada poſſit eaſdem applicare, vel pro alio ſtipendio occurrente, vel pro ſua deuotione.

DIFFIC. VII.

Diſtinguendum puto, nam vel ratione ſuæ Capellaniæ tenetur ſolum commoditatem dare populo, vel priuatis ciuibus audiendi Miſſam, & talem fuiſſe mentem fundatoris, vel teſtatoris expreſsè, & abſque dubio conſtat, & in hoc caſu tenetur expectare commoditatem populi, vel ciuium, ſed non tenetur applicare, & tunc poteſt vtique ſtipendium aliud pro ipſis accipere, quod ſi noo conſtet expreſsè, & ad ſit dubium, non poteſt alteri applicare, oam in dubio præſumitur pro teſtatore, & fundatore quod voluerit pro ſua intentione, & deuotione applicandum Miſſæ valorem, itaque oe Capellanus faciat contra decretũ de celebratione Miſſarum prohibens ne duplex ſtipendium pro eadem Miſſa ſumatur, debet expreſsè ſibi conſtare de mente teſtatoris, & fundatoris, vt dictum eſt, aliter peccaret, & non ſatisfaceret, & teneretur ad reſtitutionem. *Vide Homobonum de exam. Eccleſ. q. 121. & 123. & enim vt probat noſter Cordub. l. 2. q. 3. de ignorantia, Rodriq. in explic. B. Cruc. §. 9. dub. 2. Graffius deciſ. aur. p. 1. l. 1. c. 15. & Bonac. de Sacr. diſp 4. q. vlt. punc. 3. §. 2. n. 3.* quando adeſt dubiũ an aliquod ſit peccatum mortale, vel inciderit in cenſuras, vel adeſt periculum inferendi iniuriam alicui contra iuſtitiam, & charitatem, ſecurior, tutior, durior, & ſtrictior opinio eſt ſacienda.

Vtrum Capellania amouibilis laica ſcilicet, quæ non eſt fundata authoritate ordinarij in Eccleſia poſſit Laico conferri, & pactum de ea ſit ſimoniacum.

DIFFIC. VIII.

Dico primò, quod talis Capellania fundata abſque authoritate Prælati Eccleſiaſtici in aliqua Eccleſia cum non ſit beneficiom Eccleſiaſticum, nec gaudeat priuilegio eius, nec tenetur recitare officium diuinum, vnde hic habeos Capellaniam non poteſt ordinari in Sacris ad eios titulum, nec poteſt ab Epiſcopo viſitari, niſi ſecus expreſsè fuerit cautum in eius fundatione, etiam à Laico, imò etiam à fœmina obtioeri poteſt, nam potius hoc habet rationem legati pij, quam beneficij, & Capellanus habet potius officium procurandi, vt Capellæ redditus manuteneaotur ad beneficium Capellæ, & ad curandum, vt in ipſa celebrentur Miſſæ à teſtatore, vel fundatore legatæ cum iuſta mercede. Ita expreſsè docent *Gonzalez in 8. Reg. Cancell. gloſ. 5. n. 25. vſque ad 45. & Naldus V. Capellania.* Quare

Dico ſecundò, quod pactum factum circa talem Capellaniam habendam, cum ſit merè laica, & nullam habeat annexam ſpiritualitatem, iure deducunt citati Doctores non eſſe ſimoniacum.

Vtrum de creſcente Capellaniæ penſione, ſeu reddito, vel decreſcente onere, vel augeri debeat onus Miſſarum.

DIFFIC. IX.

Dico primò, quod licet *Marcus Antonius Genuenſis tract. de Eccleſia tricenar 6 q. 179* putet non eſſe minuendum oous Miſſarum decreſcentibus fructibus iuxta ſtatutum iuſtum ſtipendium, ſed cogendum eſſe hæredem ad augendum iuſtum ſtipendiom ex interpretata mente teſtatoris, vel fundatoris, qui ſi in hoc caſu interrogatus fuiſſet, potius ſtipendium ad augendum ordinaſſet, quam Miſſas minuendas, modo id hæreditas ſufferre poſſet; attamen licet hoc ſit valde piũ, ſi hæredes voluntariè facercot requiſiti, tamen probabilius eſt non eſſe cogendos, ſed in tali caſu numerum Miſſarum reducendum iuxta reddituum quantitatem, aliter inanis fuiſſet Sacri Conc. Trid. prouiſio ſeſſ. 25. c. 4. de Reformatione, vbi ſtatuitur, quod in defectu reddituum Epiſcopi, & Generales ordinum reſtriogant numerum Miſſarum iuxta quantitatem reddituum, noo autem ordinatũ, vt cogantur hæredes ad maiora, & conuenientia ſtipendia tradeoda. Ita etiam *Fraxinell. de Sacerd. oblig. ſec. 4. conc. 4.*

Cęterum hic nota, quod ſi onus Miſſarom ſit in fundatione Capellæ, vel poſt Concilium Tridentinum impoſitum, numerus Miſſarum à ſolo Pontifice reduci, & reſtringi poteſt, etiam ſi redditus ſint tenues, vt declarauit *Sacra Congregatio* in dubijs ſuper decretum de celebratione Miſſarum, quod ſi ooera Miſſarum ſiot ex ſimplici Teſtatorum, & legantiũ voluntate, & ſint ante Concilium Tridentinum impoſita, poſſunt Epiſcopi io Diocæſana Synodo, & Generales, & Prouinciales in capitulis iuxta ſuarum Eccleſiarum indigentiam reducere, & reſtringere numerum Miſſarum; quare propria authoritate id Capellano non eſt indultum.

Dico ſecundò, quod licet Genuenſis loc. cit. etiam abſolute putet iuxta augmentum reddituum Capellę, etiã onus Miſſarũ fore augendũ, attamẽ probabilius diſtinguendũ videtur, &

Primò nam ſi redditus Capellę creſcit, & ſtipendiũ lege, aut conſuetudine, vel propter maiores expenſas, vel maius rerũ pretiũ etiã creſcit, Miſſæ nõ ſunt augendæ, quia fortè erit debita proportio inter augmentum redditus, & iuxtum pretiũ, at verò ſi creſcente reddito non creſcat ſtipendium, nec lege, nec conſuetudine, nec alio legitimo modo in hoc caſu.

Secundo diſtinguendum videtur, nam redditus Capellæ augetur ex induſtria, & labore Capellani, vel aliquo caſu fortuito, ſi primo modo non debeat augeri numerus Miſſarum, quia res aucta eſt induſtria ipſius Capellani, quæ cũ ad ipſum pertineat, non debet pro ea onus ſubire; ſi vero redditus augeatur caſu aliquo fortuito, puta ſi prædium attributum Capellæ vicinum eſſet flumini, quo recedente à ſuis terminis, prædium curſu temporis fiat maioris redditus, tunc iterum diſtinguendum, nam vel augmentum eſt modicum, non erit augendum onus; quia de modicis non curat prætor.

Si vero augmentum redditus ſit magnum, & notabile, maius debet imponi ſeruitium, probatur primò, quia quod operatur oppoſitum in oppoſito, operatur propoſitum in propoſito *l. quod in rerum §. ſi quod poteſt de leg. idest, & commodum ab incommodo regulatur l. ſecundum naturam ff. de regul. iur.* at verò diminutis ſtipendijs debent, & onera diminui Miſſarum, ergo ad aucto reddito modo expoſito, debet etiam numerus Miſſarum augeri. quod etiam videtur haberi *ex c. fin. de verb. ſignificat.* vbi habetur quod ſi fructus præbendarum creuerint, debet augmentum conuerti in vtilitaté Eccleſiæ, vbi gloſa ait, quod debeant conuerti in pias cauſas c. quia 12. q. 1. quænam autem magis pia cauſa, quam Miſſas celebrare pro animarum refrigerio. Ita etiam *Perez de Lara de Anniverſ. & Capellan. l. 1. c. 15. n. 18. & 19. & Fraxinell. loc. cit.*

Dico tertiò, ſi redditus Capellæ in totum perierint, & hæredes nequeant ſupplere pro mercede Miſſarum dicendarum, ſanè Capellanus eximitur ab onere ipſarum, beneficiũ enim datur propter officium, deficiente ergo beneficio in totum, deficit onus officij, adde quod dicitur de parte ad partem eiuſdem qualitatis, dicitur de toto ad totum in eodem genere, ſed deficiente parte redditus diminuitur pars oneris, ergo deficiente reddito in tota, etiam in toto deficit onus. Ita etiam Perez c. 25. n. 8. & 9 & Fraxinell. loc. cit. & Honcala opuſc. de valor. Miſſ. art. 18. & 17. Ex quibus

Colligè, quod ſi teſtator legauit, vel in fundatorio Capellæ ordinauit fundator, quod ſexaginta Miſſæ annuatim dicãtur in ſua Capella, & pro eius mercede triginta carolenos mandauit à ſuo Hærede dandos Capellano, quia iuſtum ſtipendium erat ſuo tempore medius carolenus promiſſæ celebratione, ſi poſtea ex conſuetudine, vel ſtatuto ſic auctum ſtipendium, & ſoluatur carolenus integer pro dicta celebratione Miſſæ, ſecundum opinionem Genuenſis poſſet cogi hæres ad dandos ſexaginta carolenos pro ſexaginta Miſſis legatis, ſi hæreditatis vires ſuppetant, attamen cum ſecunda opinione dulcius dicitur poſſe in tali occaſione reduci, & reſtringi numerum Miſſarum ad triginta ab habente tamẽ authoritatem, vt ſuperiori modo cautum eſt.

Vtrum ſi Capella, ſit legitimè impedita, vel deſtructa, Capellanus teneatur in alio loco celebrare, vt Miſſarum oneri in ipſa celebrandarum ſatisfaciat.

DIFFIC. X.

Diſtinguendum puto, nam teſtator, vel fundator expreſsè ordinauit in ſua Capella celebrandas tot Miſſas ſolum ad honorem talis Sancti, cui Capella eſt dedicata, ita vt appareat manifeſtè voluiſſe ſolum in ea Capella ſpecialiter honorari talem Sanctum, & in hoc caſu, ſi Capella ſit impedita, vel destructa præciſa omni culpa Capellani, non teneri alibi, nec per ſe, nec per alium celebrare docet *Alph. Veg. in ſum. V. Miſſa caſu 12.* alij tamen volunt, ſi impedimentum ſit longi, & notabilis temporis reddendos reditus hæredibus, quia ceſſante officio, debet ceſſare beneficium, niſi appareret mentem teſtatoris eſſe, vt illa elæmoſina omnino cedat in beneficium Capellani; ita *Fraxinell. ſect. 4 concl. 4. §. 11.* principali enim cauſa extincta, extinguitur etiam eius effectus.

At verò ſi teſtator, vel fundator ordinauit in ſua Capella, vt dicerentur tot Miſſæ pro anima ſua, & ſuorum defunctorum, ſignum eſt principaliter voluiſſe in ſua Capella refrigerium animæ ſuæ, & ſuorum defunctorum, & ſecundariò venerationem Sancti, quare locus ſuæ Capellæ non videtur determinatè appoſitus ad finiendam obligationem ſolius venerationis, ſed ad animarum ſalutem, & requiem, quæ in omni alio loco conſequi poteſt, atque adeo tenetur Capellanus in alio loco celebrare, vt piæ ſatisfiat teſtatoris, vel fundatoris voluntati, quæ ſæpiùs omnino interpretanda eſt voluiſſe, ſi de tali caſu interrogatus fuiſſet in teſtamento, vel fundatione. *Ita etiam Graff. deciſ. aur. p. 1. l. 2. c. 54. Azor. t. 1. l. 10. c. 29. quæſt. 8. Honcala art. 17. prop. 1. loco cit. Riccius in praxi edit. 2. deciſ. 342. Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 24. n. 37. & Fraxinell. loc. cit.*

An verò in tali caſu impedimenti, vel deſtructionis Capellæ teneatur in Eccleſia propria, an vero ſufficiat vbicunque, ſanè in Eccleſia propria propter teſtatoris deuotionem, qui illam Eccleſiam præ ceteris adamaſſe viſus eſt, celebrandum ſi commodè fieri poteſt. Ita etiam *Genuenſ. in man. Paſtor. c. 32. n. 4. Barboſa, & Fraxinell. locis cit.*

Vtrum Capellanus infirmitate impeditus teneatur in Capella per alium celebrare.

DIFFIC. XI.

Diſtinguo, nam vel Capellanus per octo, aut decem dies, vel circiter ab infirmitate detinetur, & intra hoc tempus excuſatur à celebratione per ſe, vel per alium ad ſatisfaciendum oneri ſuę Capellæ, quia hoc tempus vt potè breue præſumitur à fundatore, & teſtatore libenter, & rationabiliter indultum Capellano, vt de ſimili etiam dicetur de famulo, vel alio ad annum locante operas ſuas, hoc tamen limita. modo in fundatorio, vel legato non ordinetur expreſsè, quod Capellanus per ſe, vel per alium celebret, nam ſi hoc modo iubeatur, nec ſuffragatur Capellano infirmo tempus præfatum octo, vel decem dierum, quia apparet manifeſtè, quod teſtator, & fundator voluerit abſque interruptione in ſua Capella ordinatas Miſſas celebrandas.

Poſt octo autem, vel decem dies tenetur omnino infirmus Capellanus per alium celebrare in ſua Capella, & enim quod datum eſt propter cauſam repetitur ſi ex infirmitate recipientis non potuit adimpleri l. ſi pecuniam in principio ff. de conditione cauſæ data; penſio autem ſeu redditus Capellaniæ dantur principaliter propter celebrationem Miſſarum, ſecundario autem ad ſuſtentationem Capellani, ergo tempore infirmitatis debet per alium celebrare. Ita etiam *Graff. conſ. t. 2. lib. 3. de præb. conſ. 1. diffic. 2. n. 4. Genuenſ. in Prax. Archiep. c. 56. Riccius deciſ. Cur. Arch. par. 2. deciſ. 220. & in praxi edit. 2. deciſ. 34. Campanil. diuerſ. iur. rubr. 7. c. 6. n. 15. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 24. n. 31. & Fraxinell. §. 13. loc. cit.*

Quare tanto magis aſſerendum Capellanum alio quolibet prædicationis ſtudij, & ſimilium impedimento abſentem teneri per alium omnino celebrare, & nullo modo ex abſentia quantumuis iuxta, & legitima excuſari, nam voluntas teſtatoris & fundatoris ad vnguem ad implenda iuxta diſpoſitionẽ factã *ex Bald. in l. ſi quis decim. n. 9. & 10. c. de Epiſc. & cler. Rodr. ſum. 7. c. ſi concl. 5. Nauar. de orat. c. 5. n. 3. & 12. & alij.*

Vtrum Capellanus legitimè impeditus poſſit propria auctoritate alium Sacerdotem, qui in ſua Capella pro ſe celebret, ſubſtituere.

DIFFIC. XII.

Diſtinctione in hac difficultate vtendum cenſeo, non vel teſtator, ſeu fundator ordinauit, vt Capellanus celebret, nullam aliam particulam addendo ſpecificatiuam, vel alijs ſimilibus verbis generalibus vtatur in explicanda ſua intentione circa celebrationem in ſua Capella, & in hoc caſu quia ſolum intenditur à teſtatore onus explicare Capellani, poteſt per alium celebrare, quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, imò nec Epiſcopus poteſt compellere talem Capellanũ, vt per ſe celebret, vt declarauit Sacra Congregatio Concilij relata à *Quaranta V. ſeruitium capell. & Paul. Praſeciũ in prax. Epiſc. p. 2. c. 3. ſub his verbis (Epiſcopus non poteſt cõpellere obtinentem capellam, vt ipſemet celebret, licet in eius fundatione diſponatur, quod capellani celebrent, nam in iſtis oneribus Miſſarum rectè per ſubſtitutum ſatisfit, &c.*

Et in hoc caſu, in quo poteſt per alium celebrare, licet Riccius in praxi edit. 5. dec. 340. doceat, non poſſe per ſe aliũ ſubſtituere, ſed ſubſtitutionẽ pertinere ad Epiſcopũ, vel eius Vicariũ generalẽ, ex eo quod ſicut Parochus impeditus non poteſt ſubrogare Vicariũ in ſua cura, ita nec Capellanus alium ſubrogare poteſt in ſua Capellania, attamen quia non militat paritas, nã Parochus non poteſt ſibi ſubſtituere Vicariũ in ſua

abſeo-

Digitized by Google

abſentia, quia examinare, & admittere ad curā pertinet ad Epiſcopū ſolū, & ideo ab Epiſcopo prouidetur de apto ad curā, at verò cum quilibet Sacerdos ſit aptus Miſſam celebrare, non requiritur Epiſcopi authoritas ad ſubſtituendum qui in ſua Capella celebret, dum abſens eſt Capellanus. ſed poterit propria authoritate alium ſubſtituere in caſu, quo poteſt per alium celebrare ꝛ.

At verò ſi fundator, vel teſtator ordinauerit in ſuo fundatorio, vel teſtamento ſpecificatiuis, vel expreſſis verbis, quod Capellanus per ſe celebret, tunc per alium ſubſtitutum celebrare nequit, cum enim conſtat expreſsè de voluntate conditoris, ceſſat omnis interpretandi ratio, quia videtur electa perſona ad tale onus Miſſarum ſubeundum, & ita haberi in præfata Sac. Congregat. declaratione ſub his verbis (niſi fundationi præter expreſſa, inſint alia verba, quæ ſignificent, vt per ſe ipſum id muneris explicet) refert *Campani l. diuerſ. iur. rubr. 7. c.6. n.19. Ita etiam Barb. & Fraxinell. loc. cit.*

Vtrum Capellanus qui bis, vel ter in hebdomada celebrauit per decem annos, ſi poſtea inueniat tantum onus non fuiſſe impoſitum à fundatore an teneatur ratione decennalis præſcriptionis proſequi tali onus.

DIFFIC. XIII.

NEgarunt aliqui ex eo, quia ad inducendum obligationē perſonalem ſubeundi aliquod onus, vel ſeruitium præſtandi in futurum requiruntur triginta anni, vt docent *Bald. Iaſon. Alciat. & alij Doctores, in l. ſi certis annis C. de pactis*; hoc autem ſeruitium, & onus celebrandi Miſſam in tali Capella determinatis diebus ſpectat ad perſonalem obligationē, ergo per decennium non inducitur, ſed requiruntur anni triginta ꝛ.

Attamen communis, & ſi non probabilius magis tamen piè in fauorem Capellæ aſſerunt talem Capellanum ratione decennalis præſcriptionis iam obligatum remanere etiam in futurum totidem Miſſas celebrare, quot per decennium celebrauit, quantumcunque ſibi poſtea conſtet non eſſe in fundatione tantum onus impoſitum, quia in fauorem Eccleſiæ, & cauſæ piæ laudabilis conſuetudo decennalis obligat in futurū ex c. ad Apoſtolicam de Symon. ad argumentum autem contrariæ ſententiæ.

Reſpondent dictam legem intelligendam eſſe de obligatione inducendi ſeruitutem Vaſſallagij, vel alicuius ſubiectionis cum graui præiudicio, & ſubiectione perſonæ, in hoc enim caſu requiruntur triginta anni, vt perſona in futurum obligetur ad talem ſeruitutem, & ſubiectionem, at verò in ſeruitute Capellæ non inuenitur hoc præiudicium perſonæ, quia eſt ſimplex onus, quod regulariter etiam per alium obiri poteſt, quare potius in fauorem Eccleſiæ cum præfato c. ad Apoſtolicam, quam dicta lege ſi certis annis reſpondendum eſt per decennalem præſcriptionem remanere obligatum Capellanū ad tale onus in futurum ſuſtinendum. *Ita etiam Perez de Lara l.1. c.12. loc. cit. Genuenſ. de Eccleſ. tricenar. 13.q.390. hom. 6. tom.2. tract.9. c.10. & Fraxinell. loc. cit. §.17.*

Vtrum Capellanus obligatus ter, vel quater in hebdomada celebrare teneatur id munus potius in feſtis occurrentibus, quam diebus ferialibus celebrare.

DIFFIC. XIV.

DIſtinguo, nam vel Capella fundata eſt in loco, vel Eccleſia, vbi alij Sacerdotes ſunt obligati diebus feſtiuis celebrare, vt populus poſſit præcepto ſatisfacere, & in hoc caſu, niſi expreſsè cautum fuerit in fundatorio, vel legato Miſſas dicendas in feſtis occurrentibus in hebdomada, poterit ad ſuum libitum Capellanus celebrare in ſua Capella ſiue diebus feſtis, ſiue ferialibus, quia iam ſatisfacit hoc modo voluntati teſtatoris, vel fundatoris, quod ſi nullus alius ſit Sacerdos in loco, vel Eccleſia, in qua celebrare teneatur ad populi ſatisfactionem in diebus feſtis, probabile eſt, fundatorem, vel teſtatorem non ſolum ſibi voluiſſe beneficium inſtituere, ſed etiam habitatoribus loci prouidere, vt ſcilicet commodè queant præcepto de audienda Miſſa ſatisfacere diebus feſtis, vnde ex præſumpta voluntate teſtatoris, vel fundatoris in tali caſu teneri diebus feſtis celebrare aſſerendum videtur. Ita etiam *Bonac. de Sacram. diſp.4. q. vlt. punct.7. §.5. & Fraxinell. loc. cit. §.19.*

Ceterum ſi obligatio Capellano expreſsè imponatur, vt bis v. g. in hebdomada, vel ter in Capella Miſſas celebret præſertim diebus feſtis, non ſunt audiendi illi, qui putarunt ſatisfacere voluntati fundatoris, vel teſtatoris, ſi celebret ibi in feſto duplici, vel ſemiduplici, nam verba ſunt accipienda iuxta cōmunem vſum loquendi, dies autem feſti vulgariter, & communiter intelliguntur illi, qui ex præcepto, vel loci conſuetudine coluntur, & ſeruantur, & non illi, in quibus dicitur officium duplex, vel ſemiduplex, hanc enim diſtinctionem communiter ignorant ſæculares inter officium de feria, & de Sancto; ſed diem feſtum exiſtimant diem, qui ex præcepto, vel conſuetudine coli, & ſanctificari debet. Ita etiam Bonac. & Fraxinell. loc. cit. præterquam quod facile exiſtimari poteſt fundatorem, vel teſtatorem præcipientem in diebus feſtis mandantem celebrari, voluiſſe populo etiam commoditatem præbere facilius, & frequentius audiendi plures Miſſas.

Vtrum Capellanus obligatus quotidie in ſingulos annos celebrare in ſua Capella poſſit vnam, vel alteram Miſſam ſibi, vel ſuis cariſſimis applicare, & an ſi vnam ſolam teneatur in die Natiuitatis Domini pro fundatore, an vero tres pro ipſo celebrare.

DIFFIC. XV.

DIſtinguendum eſt hac pulchra difficultate omnino videtur. nam vel celebrare quotidie refertur à fundatore, vel teſtatore ad Capellæ altare, ita vt ordinauerit, quod quotidie in altari ſuæ Capellæ celebretur pro anima ſua, vel ſuorum, & in hoc caſu quotidie abſque diſcontinuatione Capellanus per ſe, vel per alium celebrare tenetur, atque adeò, ſi pro ſe, vel altero velit applicare, teneatur per alium in illo Altari celebrare, vt ſatisfaciat voluntati Benefactoris, quando enim verba ſunt clara non eſt recedendum ab eis. *l. non aliter ff. de legib.3. & in claris non eſt locus coniecturis. vide Nauarr. conſ.4. 1. l.3. de Preb conſil.25. Beiara p. 1. reſponſ. caſu 23. & Fraxinell. §.1. loc. cit.*

Quod ſi obligatio quotidie celebrandi referatur ad perſonā Capellani, hoc duobus modis poteſt accidere, nam vel dicitur, quod Capellanus per ſe, vel per alium quotidie celebret, & in hoc caſu nec vacantiam recipit Capella, & ſi velit Capellanus pro ſe, vel pro ſuo cariſſimo celebrare, per alium celebret neceſſe eſt in Capella.

At verò ſi dicatur, quod eligatur Capellanus, qui quotidie celebret, vel teneatur celebrare, in hoc caſu non tenetur quotidie, ſed quanto frequentius poteſt, ſalua ſua honeſtate, & Sacramenti veneratione; ita *ex S. Auguſtino, & habeatur de conſecr. d.2. c. quotidie, Abbas in c. ſignificatum de præb. & c. conſuluit. de celebr. Miſſ.* & enim Sacerdos, quotidie difficile eſt bene diſpoſitus ad tantum Sacrificium celebrandum, vnde ſemel in hebdomada videtur indultum quotidie obligato ad celebrandum, vt poſſit abſtinere ſolum cauſa honeſtatis, & maioris deuotionis in c. ſignificatum de præbendis, quarè in hoc die non poterit alibi, vel pro alio, nec pro ſe, nec ratione alterius ſtipendij celebrare, quia non adeſt maior deuotio, nec maior cauſa honeſtatis, quare ſi celebraturus eſt, quia ſcilicet eſt diſpoſitus ſecundum ſuam obligationem debet Sacrificium applicare. *Ita Nauarr. t. 1. conſil. l.3. de præb. conſ.6. n.3. Campan. diuerſor. rubr.7. c.6. Alphon. de Leon. de offic. & poteſt. Confeſſ. temp. Iub.p.3. n.22. Bonac. & Fraxinell. loc. cit.*

Non obſtante tamen præfata doctrina ad hoc fiat ſatis ſcrupulo Sacerdotibus quotidie ad celebrandum obligatis dicendum probabiliter puto, quod liceat ipſis ter, quater, vel etiam ſexies in ſingulos annos pro ſe, vel pro ſuorum parentum, vel cariſſimi ſibi in aliqua occaſione neceſſitatis ſpiritualis, vel corporalis celebrare, & applicare Sacrificium Miſſæ ad aliquā gratiam obtinendam, & quantum ad applicandum pro Patre, & Matre docet Doctor meus ſubtiliſſimus in quodl. 20. art. 2. §. de ſecundo autem in iſto articulo paulo ante tertium articulum verſiculo dubium eſt an ſcilicet Curatus, & Licet ibidem quia vt loquitur ibi Scotus. (nec quiſquam recipiens obligationem debet velle ſibi Sacerdotem obligari contra rectum ordinem legis naturæ, & ita interpretandam eſt, quod nunquam voluit Sacerdotem ſibi ſic obligari, quin poſſit liberè reddere ſemper Patri, & Matri illud, in quo eis tenetur) ſi ergo pro parentibus, ergo pro ſe ipſo etiam multo magis valorem medium etiam applicare, eadem ratione poterit, & quia

vinculum amicitiæ videtur pertinere ad legem naturæ etiam quod pro amicis cariſsimis, aut benefactoribus largiſsimis extendunt poſſe aliquoties ſacrificium iuxta vrgentes occaſiones Capellanũ quotidie celebrare obligatum, adlibitum offerre. Ita etiam Nald. V. Miſſa nu. 7. Alphonſ. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſor. temp. In 6. p. 3. n. 22. & Fraxinell. loc. cit. §. 3. ex quibus.

Ad ſecundam partem propoſitæ difficultatis reſpondendũ, quod in die Sãctiſsimo Natiuitatis Domini ſi Capellanus velit tres Miſſas celebrare, ſufficit vt vnam pro Capellæ fundatore applicet, duas vero poteſt ſibi applicare, quia de conſilio eſt ex priuilegio particulari facto illi diei Sanctiſsimo, vt quilibet Sacerdos poſsit tres Miſſas celebrare, quo vti ad libitum quis valet, nec peccat ſi tali priuilegio nõ vtatur, itaque ſi tres Miſſas non tenetur ex præcepto celebrare in illa die, nec tenetur eas applicare; tum quia rationabile eſt, qui per totum anni curriculum fundatori applicat ſingulas Miſſas, in iſto die vnã, vel alteram de tribus ſibi, vel cariſsimo amico, aut conſanguineo applicet. *Ita etiam noſter Rodr. t. 1. c. 247. Nauarr. Conſ. t. 2. l. 3. de celebr. Miſſ. conſ. 1. Nald. n. 11. & Fraxin. §. 21. loc. cit.*

An, & quomodo Regulares poſſint ſæcularibus in ſuis Eccleſijs Capellam, ſeu locum pro ædificanda Capella concedere, & an confraternitati conceſſa poſſit ab Epiſcopo viſitari.

DIFFIC. XVI.

Dico primò, quod iam ex approbata conſuetudine Regulares omnes, ſiue habeant dominium bonorum in communi, ſiue talis dominij ſint incapaces concedunt Capellas, & loca pro ipſis ædificandis in ſuis Eccleſijs Regularibus, ſicut Clerici cuiuſcunque dignitatis, & conditionis; modus autem tamen concedendi diuerſus eſt, nam Regulares habentes dominium rerum in communi, quando donaturi ſunt, vel conceſſuri Capellam, vel locum in ſuis Eccleſijs debent hoc facere in Capitulo, vel loco publico, in quo ſolent Religioſi conuenire pro re communi conſultanda, & prouidenda, prius pulſata campana de more cuiuſcumque Religionis ad conuocandos fratres, & de conſenſu maioris partis Capituli cum ceteris circumſtantijs requiſitis ad debitè alienandum bona Eccleſiæ talis conceſsio facienda, alias nulla. Ita ex noſtro *Rodr. t. 4. addit. ad ſum. V. Procurator conc. 6.*

Dico ſecundò, quod fratres non habentes dominium rerũ temporalium, nec in communi, ſicut ſunt noſtri fratres Minores non poſſunt hoc dicto modo procedere, quia cum non ſint Domini, non poſſunt donare, & dominium transferre; quare non debent pulſare campanam ad cõuocandum fratres ad Capitulum, quando conceditur Capella in ſua Eccleſia alicui Clerico, vel ſæculari, ſed ſyndicus Apoſtolicus Conuentus interueniente licentia Prouincialis, nec enim ſufficit licentia Guardiani, quia hic alienare non poteſt ſine Prouinciali, cõcedit Capellam, vel locum fabricandi Capellã in Eccleſia etiã cum iure ſuucrandi nomine S. R. E. cuius eſt Procurator. *Ita Rodr. loc. cit. & Portell. V. Capella Monaſter. p.*

Dico tertiò, quod Capellæ, & oratoria confraternitatum in Eccleſijs mendicantium, & Regularium erecta non poſſunt viſitare Epiſcopi more confraternitatum, quia vere ſunt exempta dum ſunt in Eccleſijs exemptorum. *Ita Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. in Papienſi 22. Aug. 1615. & in Terracenenſi 22. Ian. 1615. vide Barboſ. in deciſ. Apoſt. collect. 120.*

Candelæ.

Quomodo Candelæ in exequijs Defunctorum datæ Eccleſiam Regularibus, & alijs aſſociantibus funus ſint diſtribuendæ.

DIFFIC.

Dico primò, quod Candelas, quas Regulares, & alij Clerici ſæculares in manibus geſtant extra Eccleſiam quando per viam funus aſſociant, ſibi acquirunt, & de illis Parocho pars non debetur. Ita ſtatuit Benedictus Vndecimus, vide Barboſ. de officio, & poteſt. Paroch. c. 25. n. 39. intelliguntur enim datæ perſonis, non autem Eccleſiæ.

Dico ſecundò, quod Candelæ, & intortitia, & omnia quæ per viam deferuntur circa cadauera defunctorum in quibuſcumque Eccleſijs priuatis deuidenda ſunt pro æquali portione inter Parochos, & Miniſtros aliarum Eccleſiarum etiam Regularium, & propterea quando accenduntur candelæ, & intortitia intra Eccleſiam in diuinis officijs perſoluendis preſente corpore, hiſce expletis extinguenda ſunt, & cuiquã pars aſsignanda ex Congregat. R. R. D. D. Prefectorum Vrbis S. D. Vrbano annuente, & approbante ſub die 21. Martij 1629. vide Lezanam t. 1. c. 1. n. 4. Nauar. V. Candela n. 1. & Barb. vbi ſupra c. 25. n. 42.

Nota primò hic obiter quod Curatus non debet plus accipere pro tumulandis cadaueribus exterorum, quam ciuium. *Sac. Congreg. Conc. 27. Maij 1617. quam referunt Aldanus in comp. Canonic. Reſol. l. 1. tit. 13. n. 4. & Barboſ. in Collect. Apoſt. deciſ. collect. 236.* alias ſimoniæ pœnas incurrunt, vt alibi fuſius demonſtrabimus.

Nota ſecundò, quod candelas benedictas in die Purificationis B. Virginis non tenetur Parochus ad ſingulas ſuorum Parochianorum domos, ſed eas ſolum in Eccleſia diſtribuere debet, & tenetur populus eas in Eccleſia recipere. *Ita declarauit Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. in Folignenſi 1581. vide Barboſ. de offic. & poteſt. Paroch. c. 12. n. 5.*

Nota etiam quod ſeptimum candelabrum in Miſsis ſolemnibus ſoli Epiſcopo ſolemniter celebranti conceditur præterquam in Miſſa ſolemni Defunctorum, ceteris veris inferioribus Epiſcopo non permittitur. *Ita Sac. Congreg. rit. in Placentin. 19. Maij 1607 apud Lell. in Can. ſelect. c. 4. n. 59. Adde quod nec Epiſcopo ſuffraganeo conceditur ex Sac. Congreg. rit. in Boncanenſi 1. Septemb. 1607. apud Lellium loc. cit.*

Capitulum.

Quid, & quotuplex ſit Capitulum.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod Capitulum licet apud Comicos pro diminutiuo capitis ſumptum paruum caput ſignificet, in noſtro tamen propoſito dicendum videtur, quod Capitulum à verbo Capitulo, Capitulas ſuam habeat deriuationem, verbum enim Capitulo cogere congregare, & vnire ſignificat, vnde Plinius ait, folia bonis linguæ ſimilia, minora, ſub candida, & in cacumine Capitulata ideſt coacta, reſtricta, & vnita; vnde Capitulum, Congregatio vni dicitur à ſui nominis Æthimologia; nec fortè inſulsè alij dicunt, quod ab ipſo verbo Capitulo metaphoricem quatenus ſignificat per capita diſtinguere, nam in Capitulo recenſeri videntur capita cuiuſcumque vocati ad Capitulũ, dum ſingulorũ nomina ſuſcipiuntur, quare cum hoc nomen ſit potius ad ſignificandam Congregationem Eccleſiaſticorum, quam ſæcularium ita poterit definiri, quod ſcilicet Capitulum eſt congregatio multorum Eccleſiaſticorum indicta ab habente legitimam poteſtatẽ ad acceptandum, & exequendum quod maior, vel ſanior pars legitimè congregatorum, & habentium votum conſuluerit, definuerit, vel elegerit legitimè.

Dico ſecundo, quod capitulum duplex eſt alterum Canonicale, alterum Regulare, Canonicale eſt illud, in quo conuocantur canonici cathedrales, vel collegiatæ Eccleſiæ ad tractanda negotia, vel officia ſuæ Eccleſiæ, vel iuriſdictionis diſtribuenda. Capitulum autem Regulare in quo conuocantur Religioſi, quod triplex eſt, alterum locale, in quo conueniunt ad ſonum campanellæ vocati Religioſi ſingulorũ conuentuum, & Monaſteriorum à ſuis ſuperioribus localibus, vel etiam Prouincialibus, & Generalibus; aliud dicitur Prouinciale, ad quod vocantur omnes habẽtes votum in electione ſuperioris Prouincialis, propter cuius electionem fit tale capitulum, tertium denique dicitur, Generale ad quod conueniunt omnes habentes votum in electione Generalis.

Apud nos autem minores differt Capitulum à congregatione intermedia, quæ fieri ſolet ſingulis annis, nam in capitulo electio fit Generalis, vel Prouincialis, & ad illud vocantur omnes habentes reſpectiuè votum in electione Generalis, vel Prouincialis, at vero ad congregationem, intermediam Prouincialem ſolum cuſtodes, & diffinitores, pro noua Guardianorum electione, & ſi ſit congregatio generalis ſolum vocales familiæ ad eligendum commiſſarium generalem.

In

In qua congregatione intermedia prouinciali non poſſe fieri ſtatuta habentia vim legis docent noſtri *Miranda, To. 2.q.16. art.3. concl.2. Hier. Rodriq. in compendio reſtit.20 n.5.*

An in Capitulis ſemper acceptandum quod maior, & ſanior pars definuerit vel elegerit.

DIFFIC. II.

DIſtinguendum videtur, nam ſit ſit ſermo de electione Canonica facienda non requiritur, quod ſanior pars eligat, ſed ſufficit, quod electio ſit facta à maiori parte vocalium, quia ad electionem Canonicam non requiritur collatio Meriti, vel Zeli, ſed tantum, quod electio ſit facta à maiori parte vocalium, vt fuſius dicetur in V. Electio; at vero in cæteris negotijs, in quibus requiritur prudentia, & conſilium, non autem libertas in eligendo debet acceptari, quod in Capitulo ſanior pars elegerit; Sanior autem pars dicitur illa, quæ maiori rationi, & pietati innititur ex diſtinc.9. cap. ſanè quippe. Vide noſter. *Mirandam T.2.q.23.ar.7. Hier. Rodriq.loc.cit. & Perez l.3.gloſ.3.tit.3.lib.2.*

Vtrum in Capitulo Generali valeat Prælatus Generalis cum Fatribus vocalibus condere nouas leges, & Conſtitutiones obligantes ſuos ſubditos ad altiorem, & aſperiorem vitæ normam ſecundum, vel vltra ſuæ Regulæ inſtitutum.

DIFFIC. III.

DIco primo, quod ſuperior Generalis cum maiori parte ſui Capituli Generalis poteſt conſtitutiones, & ſtatuta noua, quæ obligent ad aſperiorem viuendi normam ſuos ſubditos modo ſint ſecundum Regulam, vel ad maiorem Regulę obſeruantiam ordinentur, Regulam enim ferè collapſam, & relaxatam ad priſtinum ſtatum reſtituere tenetur Superior Generalis cum ſuo Capitulo Generali apud quod reſidet plenaria poteſtas ſtatuendi, definiendi in ſpiritualibus, & temporalibus, corrigendi, pœnas imponendi modo ſint ſecũdam Regulam vt docet noſter. *Seraph. Doctor in 2.diſt.44.ar.3.qu.2. D. Thom. 2.2.q. 104.n.5. ad 3. & in 2.diſt.44. q.3. Hieronym. Rodriq.reſol.20 Sanch.in l.6.decal.c.2 n.15. & in Concil.Trid. ſeſſ.24.c.2.de refor.* præcipitur fieri Capitula, & in eis ſtatui neceſſaria, & conuenientia ad ſtabilitatem, & Reformationem Regularis obſeruantię, vt notat etiam noſter. *Miranda T.2. q.6.ar.1. & 2.* ergo poteſt facere conſtitutiones, quæ obligent ad arctiorem viuendi normam ſecundum Regulæ puritatẽ, & obſeruantiam veram, vnde ſubditus tenetur talia ſtatuta ſeruare, & arctiorem viuendi normam pati, & Regulam inſtauratam obſeruare, quod etiam illud certiſſimè mihi ſuadet, quod Religio eſt ſtatus acquirendæ perfectionis, ergo Religioſus eſt in ſtatu acquirendæ perfectionis, ergo tenetur requirere perfectionem iuxta ſuæ Regulæ obſeruantiam. Ita etiam Corduba noſter *in expoſit. regulæ c.10.q.2. punct.6 Syl. v. Religio 6.q.6. Leſſius l.2.de iuſt.c.41.dub.9.n.24. Azor.T.1. l.13.c.11.q.17. Tapia in Auth.ingreſſi v. ipſa ingreſſa c.1. n.61. de Sacr. S.Eccleſiæ, & Sanchez n.55.loc. cit. & alij.* Attamen.

Dico ſecundo, quod ſi profeſſus in tali Regula quando erat collapſa, & relaxata, ſi deinde reformetur vt dictum eſt à capitulo Generali, & ipſe inueniatur ita delicatus, vt non poſſit nouam Regulę reformationem ſuſtinere, poteſt licitè petere diſpenſationem, vt ad aliam Religionem ſimilem ſuę iã collapſæ Regulæ quam profeſſus erat tranſire, quia complexio delicata reddit hominem moraliter, & aliquando phyſicè impotentem ad auſteriorem vitam, quam forte non eſſet amplexatus, nec profeſſus ſi ſciuiſſet. Ita etiam *Hier. Rodr. & Sanch.n.38. & 41.loc.cit.*

Dico tertiò, quod licet Sanch velit probabiliter loc.cit. quod ſi quis Religioſus proteſtetur ſe habuiſſe intentionem limitatam tempore profeſſionis ſe ſolum obligandi ad illius Regulæ ſic relaxatę obſeruantiã, non autem ſi reformanda eſſet, ad auſteriorẽ viuendi methodũ, poſſit petere licentiam tranſeũdi ad aliam Religionis ęqualis obſeruantiæ, ac erat prior, in qua profeſſus eſt, attamen patitur hæc doctrina aliquam difficultatem, quia etiam Moniales antiquo tempore viuebant ſine voto Clauſuræ, poſt tamen decretum Bonifacij VIII. in c.vnico de ſtat. Regul. fuerunt coactæ ad ſeruandam Clauſuram, & deinde etiam eam vouendam, quod etiam decretum fuit confirmatum à Concil. Trident. & ratio eſt, quia clauſuram ſeruare non eſt aliquid ſupra regulam Monialium quarumcunque, ſed ad maiorem ſuarum Regularum obſeruantiam, & ideo potuerunt cogi, quare ſimiliter dicendum probabiliter videtur, quod huiuſmodi proteſtans de limitata intentione poſſit cogi ad ſeruandam Regulam reformatam iuxta ſuum inſtitutum; quoad eſſentialia, non autem perfectionalia. Quare

Dico vltimo, quod non poteſt Generalis cum Capitulo facere nouas leges, & conſtitutiones obligantes Religioſos ad altiorem, & aſperiorem viuendi Methodum vltra inſtitutum Regula profeſſa, quia obedientiæ debitum ſolum ſe extendit ad Regulæ profeſſæ obſeruantiam, non autem ad altiorem, & aſperiorem. Imò Sanch n. 22. addit. nec Papam poſſe id præcipere, alioquin poſſet præcipere, quod quis emittat Votum Religionis, quod non eſt dicendum. Ita etiam noſter *Cord. Hier. Rodr. Sylu. Leſſius, loc. cit. & alij.* Sed de hac materia vide fuſiùs infra V.conſuetudo.

Vtrum Capitulo ſuſpenſo, vel interdicto intelligantur ſinguli de capitulo ſuſpenſi, & interdicti.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod licet aliqui affirmauerint ex eo, quod ſicut interdicto populo intelliguntur ſinguli de populo interdicti ex cap. ſi ſententia de ſenteut. excommunic. in 6. nam idem videtur eſſe populus, ac ſinguli de Populo, ita etiã interdicto, & ſuſpenſo Capitulo, vel collegio, de quo eſt idẽ iudicium intelliguntur ſuſpenſi ſinguli de Capitulo & de collegio. attamen quia paritas non currit, omnino negandum videtur, quod ſuſpenſo Capitulo. ſinguli remaneant ſuſpenſi, nam vniuerſitas, ſiuè populus laicus non eſt capax per ſe prohibitionis à diuinis, & Sacramentorum perceptione quatenus Vniuerſitas eſt, ſed ſolum ratione perſonarũ, quibus cõſtat, ideo ne interdictum remaneat inutile, perſonæ ſingulę remanẽt interdictæ de tali Vniuerſitate, & populo, & in hoc ſenſu idem eſt populus, ac ſinguli de Populo, vt vero Capitulum. & Collegium, poteſt vt Capitulum, & collegium eſt poteſt habere iuriſdictionem, & officium, quæ in ſingulis diuiſim non reſident, & ideo ſinguli de Capitulo, & Collegio non ſunt idem ac Capitulum, & collegium ſe, atque adeo poteſt ſuſpendi capitulum iuriſdictione, & officio, quod habet vt Capitulũ in communi, abſque eo, quod remaneant ſuſpenſi ſinguli de capitulo, & collegio, vnde apparet ſuſpenſionem non remanere inutilem, ſed habere ſuum effectum in Capitulo, vel collegio, quia verè Capitulum ſuſpenſum non poteſt ſua iuriſdictione, poteſtate, & officio vti, eſt ergo diſpar ratio de populo ſęculari, & Eccleſiaſtico capitulo vel collegio.

Benè tamen verum eſt, quod ſi ſuſpenderetur, vel interdiceretur clerus, ſinguli clerici ſuſpenduntur, quia clerus, vt Clerus eſt in communi non habet aliquam iuriſdictionem, & officium, vel poteſtatem à quibus poſſit ſuſpendi, & interdici, ſed quis quid officij, & dignitatis, & poteſtatis inuenitur in ſingulis Cerus, itaque eſt verum dicere, quod idem eſt Clerus, ac ſinguli de clero. Ita etiam *Vgolin. de cenſur.fol.1 65 3. & Naldus v. Capitulum.*

Dico tertio, quod interdicto Capitulo, ſunt interdicti ſinguli de Capitulo, quia Capitulum, vt Capitulum non eſt capax huius cenſurę niſi pro ſuis, ex quibus conſtat; Attamen cum *Nauarro conſ.15. de pænitentia, & remiſſione, & Naldo,* vbi ſupra dicendum puto, quod capitulo denunciato, interdicto, ſi canonici ſingillatim non denuncientur interdicti, non ſunt cenſendi nominatim interdicti denunciati, & conſequenter in caſu mortis licitè in Eccleſia ſepeliuntur, quia ſolum interdicti denunciati priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, nec eſt par ratio de populo interdicto in quo ſinguli priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, quia hoc eſt ſpeciale de interdicto Generali, in quo cenſentur ſinguli de populi nominatim interdicti, quod tamen non eſt extendendum ad interdictum ſpeciale, quia pænę reſtringendæ.

Nota, quod ſuſpenſum Capitulum, poteſt adhuc facere collationem beneficiorum ſuæ præbendæ, quia eſt vniuerſitas, & non ſingularis perſona. & erunt cauſæ, ob quas talis collatio non ſit condemnanda quia ſcilicet facta à perſona publica valent donec tolerentur, Capitulum autem tanquam publica res confert beneficia. Ita noſter Rodriqu. 2 p.c.70. & Nauarr.l.5. conſ.3. de ſent. Excomm.

Vtrum

Vtrum Capitulum Eccleſiæ Cathedralis poſſet mortuo Epiſcopo leges, & ſtatuta facere donec reuocentur ab Epiſcopo ſucceſſore.

DIFFIC. V.

NEgant. *Salas de legib. diſp. 8. ſect. 16. num. 86. & Schaſtian. Medicis parte 1. de legib. q. 8.* & alij ex eo, quia mortuo Papa Cardinales non poſſunt facere leges concernentes, & obligantes vniuerſum Populum Chriſtianum, ergo nec Capitulum cathedralis Eccleſiæ poterit condere leges obligantes totam Diœceſim mortuo ſuo Epiſcopo, ſicut neque poſſunt Electores Imperatoris, & conſiliarij Regis vacante Sede Imperiali, & reali, & exiſtente inter regno poſſunt leges ferre, quæ Imperium, & totum Regnum afficiant.

Probabilius tamen alij docent poſſe Capitulum cathedralis Eccleſiæ mortuo Epiſcopo, ſede iam vacante ferre leges, & ſtatuta obligantia totam Diœceſim duratura, vſquequo à ſucceſſore Epiſcopo reuocentur, immò addunt poſſe reuocare ſtatuta, & leges factas ab Epiſcopis Prædeceſſoribus, ſi ita in Domino communi vtilitati, & quieti animarum videbitur expedire, quod probatur, quia Capitulum Cathedralis Eccleſiæ exceptis aliquibus caſibus in iure expreſſis, & conſuetudine legitima in contrarium ſuccedit ſede vacante in iuriſdictione Epiſcopi quoad totam ordinariam adminiſtrationem in temporalibus, & ſpiritualibus *ex cap. cum olim de maior. & obed. c. vnico eodem Tit. in 6. c. ſi Epiſcopus, & c. vlt. de ſuppl. neglig. Prælat. in 6. & Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 16.* at vero poteſtas ferendi leges pertinet ad poteſtatem, & iuriſdictionem ordinariam Epiſcopi, ergo Capitulum ſuccedit in poteſtate, & iuriſdictione ferendi leges; & conſequenter iam factas reuocandi, ad conditorem enim ordinarium legum ſpectat eas etiam abrogare, vt aiunt communiter Iuriſtæ.

Confirmatur capitulum ſede vacante habet iuriſdictionem Epiſcopalem ordinariam, quia poteſt, dum vacat ſedes cum illegitimo diſpenſare ad minores ordines, & ad beneficium ſimplex ſicut poteſt Epiſcopus ex *c. 1. de filijs Presbyter in 6. iuxta noſter Rodriquez. 1. p. cap. 161. Federicum de ſanis conſ. 30. & 40. Nauar. conſ. 28. de Temp. ordin. Salas diſput. 8. de legibus ſect. 16. ad fin. & alios, licet hoc videatur negare gloſſ. clem. 1. §. 11. v. Capituli de heret.* attamen probabile eſt poſſe, prætereà poteſt diſpenſare in irregularitate, in qua poteſt Epiſc. iuxta Genuen. in prax. Arch. c. 66. nu. 22. Suar. de pœnit. diſp. 36. ſect. 2. n. 4. Sanch. l. 8. de matr. diſp. 2. n. 10. Bonacin. de leg. diſp. 1. q. 1. p. 3. n. 29. & in votis, & in iuramentis, in poteſt Epiſc. *ex noſtro Rodr. p. 2. c. 102.* ergo ſi iſta omnia, & alia poteſt facere capitulum in quibus requiritur iuriſdictio Epiſcopalis ordinaria, etiam poterit ferre leges, & abrogare, in quibus etiam requiritur iuriſdictio Epiſcopalis ordinaria. Ita *Panormit. in c. cum olim de maiorit. & obed. num. 24. Felin. c. cum omnes de conſtitut. n. 9. Suar. l. 4. de leg. c. 6. Sylu. V. capitulum q. 6. & Bonac. loc. cit.*

Nec obſtat argumentum cõtrariæ opinionis, quia ad collegium Cardinaliũ non deuoluitur tota ſumma poteſtas ordinaria Generalis Summi Pontificis quæ à ſolo Deo tribuitur Papæ, nec iſta habetur à Deo inſtitutum, vt deuoluatur mortuo Papa ad collegium Cardinalium, nec conſiliarijs Regum Imperatoriſque electoribus videtur indulta tota plenaria poteſtas, & iuriſdictio mortuo Imperatore, vel Rege, at vero in iure conceditur Capitulo cathedralis Eccleſiæ iuriſdictio ordinaria Epiſcopi Sede vacante vt viſum eſt, quare huius virtute Capitulum poteſt condere leges, & huius defectu non poſſent eaſdem ferre collegium Cardinalium mortuo Papa, nec electores mortuo Imperatore, nec conſiliarij mortuo Rege.

Viuente tamen Epiſcopo licet ferre non valeat leges pro ſua Eccleſia in rebus grauioribus abſque conſenſu Epiſcopi, poteſt tamen in rebus minoribus pertinentibus ſ. c. ad ordinem, & Regimen capituli, & ad curam, & adminiſtrationẽ facultatum ſpectantium ad menſem capitularem ex legitimè introducta conſuetudine, & tacito conſenſu Sũmi Pontificis, vel prædeceſſorum Epiſcoporum ferre ordinationes obligãtes canonicos, & clericos ſuæ Eccleſiæ, nam conſuetudo legitimè introducta poteſt iuriſdictionem conferre, & auferre, vnde veræ dicendæ eſſent leges obligantes, quia cum iuriſdictione factæ; quod tamen alia capitula inferiorum Eccleſiarum an valeant, affirmant. *Salas ſect. 17. ar. 89. Syluest. v. lex n. 5. Layman l. 1. tract. 4. c. 7. §. 4. n. 10. Felinus in c. cum omnes, & Panormit. in c. cum acceſſiſſent, negant tamen Suarez, & Bonac. loc. cit.*

Illud tamen verum eſt ſaltem in minoribus rebus prædictis quodlibet capitulum poſſe cõdere aliquas ordinationes tam diſpoſitiuas, quam pœnales non ratione iuriſdictionis ordinariæ, ſed ratione pacti, vel iuramenti, quo ſinguli de capitulo promiſerunt, & ſolent promittere, & iurare obſeruare quæcnnque à capitulo fuerint ordinata ad bonum regimen, & rectam adminiſtrationem Eccleſiæ, & bonorum temporalium ipſius. Vide Bonac. loc. cit n. 31.

Vtrum capitulum ſede vacante poſſit in aliquo caſu dimiſſorias litteras concedere pro ordinibus ſuſcipiendis ante elapſum annum a morte Epiſcopo, & in Interſtitijs diſpenſare.

DIFFIC. VI.

CErtum eſt *ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 10.* non poſſe capitulum dimiſſorias pro ordinibus ſuſcipiendis infra annũ à morte Epiſcopi, excipiuntur tamen ab ipſo duo caſus ſ. c. quando quis arctatur ab obligatione ſuſcipiendi ordines tam ratione beneficijs accepti, quam accipiendi. Itaque

Dico primò, quod ſi Patronus infra annum conferret beneficium requirens ordinem, ſeu minorem, ſeu maiorem, poteſt capitulum infra annum concedere litteras dimiſſorias, vt ordinetur ab aliquo Epiſcopo Catholico; Ita etiam dicendum, ſi præſentatus, vel electus fuiſſet, vel nominatus pro aliquo beneficio, pro quo ordo eſſet neceſſariò ſuſcipiendus ante mortem Epiſcopi, poſſet eidem dimiſſorias litteras pro ordine ſuſcipiendo concedere. *Ita etiam Garz. de benef. p. 5. c. 7. Molfeſ. t. 1. trac. 6. c. 7. n. 20.*

Dico ſecundò, quod Clerico obtinenti à Sede Apoſtolica facultatem ſuſcipiendi ordines infra annum ſedis vacantis à quocunque Antiſtite Catholico de licentia ordinarij proprij, poteſt ratione huius facultatis ſub ordinatæ dare litteras dimiſſorias. Ita Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 2. allegat. 2. nu. 14. Adde etiam quod poteſt eidem teſtimonium idoneitatis facere ex eodem Barboſa n. 16. licet Moneta de vlt. voluntatibus c. 10. n. 182. referat, ſtilum Modernum Curiæ Romanæ eſſe, vt ſede Epiſcopali vacante ipſæ quoque litteræ teſtimoniales dentur ad Epiſcopo anteceſſori.

Dico quarto, quod licet Capitulum ſede vacante infra annum poſſit dare licentiam Epiſcopo extero in Diœceſi pontificalia exercenti, & ordinandi proprios ſibi ſubditos, non tamen poteſt dare licentiam ordinandi clericos ſubditos ſedis vacantis. Ita *Quaranta v. capit. ſed. vac. Piaſec. in prax. Epiſc. p. 1. c. 1. art. 2.* & ratio clara eſt, quia idem eſt dare licentiam Epiſcopo extero, vt ordinet clericos ſedis vacantis infra annum, ac dare eis dimiſſorias ordinationes, quod à Concilio prohibetur.

Dico tamen quinto, quod in caſibus in quibus infra annũ poteſt concedere dimiſſorias, poteſt etiam diſpenſare in interſtitijs ex Sac. Congregat. teſte *Armentario in addit. ad recopill. leg. Nauar. l. 1. T. 18. Martha de iuriſd. p. 2. c. 9. & Homoban conſult. ar. 5. T. 2 p. 5.* & ratio eſt, quia conceſſo principaliori conceditur minus ad executionem principalioris neceſſariam, diſpenſare autem in interſtitijs eſt aliquod neceſſarium ad recipiendos ordines infra annum.

Vtrum Capitulum ſede vacante ſuccedat Epiſcopo in iuriſdictione delegata ſiue ab homine, ſiue à iure.

DIFFIC. VII.

DIco primo, quod communius negant Iuriſtæ Capitulum ſede vacante ſuccedere Epiſcopo in ijs, quæ ipſi ſunt ab homine impoſita, hinc non ſuccedit in poteſtate litterarum executorialium, quæ dantur in perſona Epiſcopi, ſi conferant poteſtatem non cõcurrentem cum iuris communis poteſtate, nec ſuccedit in mondato facto Epiſcopo etiam litteris præſentatis ante mortem, amplia Tertio, nec ſuccedit capitulum, nec eius Vicarius ſede vacante in poteſtate data Epiſcopo, vel eius Vicario alternatiuè abſoluendi aliquem ab aliquo reſeruato Sedi Apoſtolicæ. Ita *Felin. in cap. cum te n. 17. de reſcrip. Rubricis, & Imola ibidem Ludouic. Roman. conſ. 606. Sbroz. in tract. de Vic. Epiſc. l. 1. q. 16. & quaranta verb.*

Capitu-

Capitulum Sede vacant. §.*ſubſequenter, & in fin. q. 3.* & ratio videtur eſſe, quia in his, quæ iure ſpeciali, & accidentario ſiuè ab homine committuntur Epiſcopo, vel eius Vicario videtur eſſe electa induſtria, ſeu diligentia talis perſonæ, vnde videtur tributa noua iuriſdictio, quod ſi ea, quæ ab homine, vel à in re ſpeciali committuntur Epiſcopo ſit per quandam annexionem ſeu additamentum ad generalem, & ordinariã iuriſdictionem Epiſcopi, tunc quia pertinet ad iuriſdictionẽ Epiſcopalem ordinariam, nam idem iudicium fieri debet de additamento, quod de principali ſecundum Abb. in Clem. ſtatutum in 3. oppoſito de elect. ſuccedit in iſtis Capitulum, quia ſuccedit in iuriſdictione ordinaria Epiſcopali. Ita Anton. *Butr. in c. cum in cunctis de elect. Geminian. in c. quamquam de elect. in 6 & Felin. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod licet communiter Iuriſtæ doceant capitulum ſede vacante non ſuccedere Epiſcopo in iuriſdictione delegata etiam à iure communi, ſed ſolummodo in iuriſdictione ordinaria, quia in ijs, quæ demandantur Epiſcopo à iure communi etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, potius Papæ voces ſupplentur, quam Epiſcopi, Capitulum autem ſuccedit in ſupplendo vices Epiſcopi, non Papæ. Ita *Geminian. in cap. vnico de maior. & obed. in 6. Ioannes Andr. quem communiter ſequuntur Doctores in c. ad abolendam de heret. Abbas in c. olim Cardin. Zabar. Clem. 1. q. 8. de Heret. Federic. de ſent. conſ. 130. Bellamer. concluſ. 166 & Philip. Franc. in c. vnico de maior. & obed. in 6.* hanc dicit eſſe communẽ, & iure optimo, quia delegatio eſt priuilegium perſonale, & conſequenter odioſum, quod ſtrictè interpretandum, nec extendendum.

Attamen alij benignius diſtinguunt, quod extra neceſſitate, & vtilitatem præfata opinio vera eſt, nec capitulum debet quicquam attentare in ijs, quæ dependent à iuriſdictione data à iure communi Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, at vero in caſu neceſſitatis, & vtilitatis actus expediendi, & ſucceſſor Epiſcopus non ſit de proximo creandus, poteſt Capitulum etiam ea exequi, quæ Epiſcopo committuntur à iure communi tanque Sedis Apoſtolicæ delegato ex benignè interpretatamente Summi Pontificis. Ita *Pauin. par. 1. q. 10. ſub n. 4. de mente Innoc. & Hoſtienſis in c. ad abolendam de heret. & notat quaranta loc. cit.* Quare ex allegata doctrina.

Colligendum primo, quod licet Capitulum ſede vacante non valeat viſitare Moniales exemptas, quas poteſt Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, vt in praxi docet noſter *Miranda T. 1. q. 50 ar. 6. & Barboſa in Conc. Trid. ſeſ. 25 1. q. n. 1. refert fuiſſe deciſum in Sac. Rota Romana in Burg. iuris viſitandi die 1. Iulij* 1595. coram Orano, attamen ſi vrgeat neceſſitas, vel vtilitas Monaſterij, iuxta præfatam opinionem poterit viſitare, ſi ſucceſſor in proximo non ſit venturus, non tamen exempta Regularibus ſubiecta, quia à proprijs Prælatis poſſunt in caſibus clauſuram concernentibus prouideri. Ita Sacr. Congreg. apud Garziam de benef. p. 5. c. 7. num. 45. Armendarius addit. compel. leg. Nauar. l. 1. Tit. 6. de veritat. lib. 1. §. 2. n. 84. & Barb. de can. deciſ. collect. n. 25.

Collige ſecundo, Capitulum ſede vacante non poſſe ſuſpẽdere Prædicatores Regulares actu prædicantes, quia in ſuſpendendo Prædicatores Epiſcopus eſt Sedis Apoſtolicæ delegatus vt patet ex Conc. Trid.

Collige tertio, quod Capitulum Sede vacante, & eius Vicarius confeſſarios Regulares admiſſos à mortuo Epiſcopo non poteſt ſuſpendere per totum tempus Sedis vacantis, quia Epiſcopus tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ admittit Regulares exemptos ad audiendas confeſſiones, quare ne eos ſuſpendat capitulum aut eius Vicarius prohibetur à Clemen. IV. & Pio V. Vide noſt. Miranda *loc. cit. Bordon. in conſ. reg. reſol. 36. & Dianam p. 7. tra. 12. in Miſcell. reſol. 28.*

Vtrum ſi vertatur quæſtio alicuius iuris vel iuriſdictionalis Epiſcopalis puta circa dubium de iure patronatus beneficij, vel de loco an ſit ſua Diœceſis necne, ſuccedat Capitulum Sede vacante in iuriſdictione talia definiendi.

DIFFIC. VIII.

NEgant communiter Iuriſtæ, quia Capitulum Sede vacãte ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopali, quatenus dicit nudum Miniſterium, non quatenus intereſſe Epiſcopalis Sedis, aut alterius collegæ reſpicit, quare non ſuccedit Capitulum in caſu, in quo Epiſcopus non haberet ſolus iuriſdictionem, ſed cum alio, quia tunc iuriſdictio non eſt ſolum nudum Miniſterium Epiſcopale, quare ad collegam deuoluitur, non autem ad capitulum *c. fin. diſt. 65.* intellige ſi in ſolidum haberet iuriſdictionem hanc Epiſcopus cum collega, alias eſſet expectandus Epiſcopus ſucceſſor ex c. quoniam Abbas de offic. deleg. Idem dicendum pro ſolutione præſentis difficultatis, quod quotieſcunque vertitur quæſtio ſuper proprietate alicuius iuris, ſeu iuriſdictionis, non ſuccedit capitulum in examinatione, & deciſione talis quæſtionis, quia poſſet generari præiudicium Epiſcopo ſucceſſori, cum Eccleſiæ, & Sedes Epiſcopalis tempore ſedis vacantis careat legitimo defenſore c. fin. nec ſed. vac. vnde patet in hoc caſu non adeſſe nudum miniſterium iuriſdictionis, ſed defenſio iurium Eccleſiæ, vel ſedis Epiſcopalis, quæ ad Epiſcopum, vt Epiſcopum pertinet ex d. c. fin.

Itaque quando tractatur an beneficium vacans ſit de iure patronatus alicuius laici, an vero pertineat ad Epiſcopum, vel ſit ne aliquis ſubiectus, an exemptus, vel ſit ne hic locus de Diœceſi, an non, & ſimilia non poteſt Capitulum ſede vacante ſe intromittere, quia hæc decidenda ſpectant ad Epiſcopum, tanquam Patronum iurium ſuæ Eccleſiæ, & Diœceſi, vnde licet hæ quæſtiones fuerint inceptæ ante mortem Epiſcopi, non poſſunt proſequi à capitulo, ſed expectandus ſucceſſor Epiſcopus. Ita *Pauin. p. 1. q. 9. & Doctores in d. c. fin. & quaranta loc. cit.* Vnde

Collige, quod tanto minus eſt dicẽdum ſuccedere in emolumento ex iuriſdictione, & ſigillo Curiæ, vel alias vndequaque ad Epiſcopum proueniente, etiamſi fuerit commune cum capitulo ipſo, quia ſolum in hoc caſu habebit Capitulum partẽ ſuam, & altera reſeruabitur ſucceſſori, vel ad cameram Apoſtolicam deuoluetur, ſicut eſt in Regno Neapolitano. Ita Zabar. in clement. ſtatutum de elect. q. 5. Poterit tamen Capitulum mulctas pecuniarias in cauſis iudicialibus extortas iuxta mentem Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reformat. c. 3. ſtatim locis pijs aſſignare, & ex dictis emolumentis alijs puta ſigilli, interpoſitionis decreti pœnæ impoſitæ contra contumaces poteſt Capitulum deducere rationabiles expenſas vide *Gloſ. in d. clement. Statutum verſ. expenſæ. vide quaranta loc. cit.*

Vtrum Capitulum ſede vacante habeat ius viſitandi Diœceſim, ſimiliter diſpenſandi, abſoluendi excommunicandi, alienandi loca Eccleſiæ, executores Teſtamentorum compellendi ſicut poterat Epiſcopus.

DIFFIC. IX.

DIco primo, quod quando non ſperatur de proximo ſucceſſor Epiſcopus, poteſt capitulum viſitare Diœceſim, ne patiantur damnum ſpirituale ſubditi. Ita *Panormit. in d. cap. cum olim de maiorit. & obed. Soc. in tract. de viſitat. col. 4. & alij.* Imò Sacr. Congreg. in Pamphilonenſi 3. Febr. & 10 Decembr. 1629. apud Barb. canon. deciſion. c. 42. n. 71. poteſt capitulum ſede vacante poſt lapſum annum à die viſitationis factæ ab Epiſcopo vacante viſitare Diœceſim tempore triennij nõ expectato, licet Epiſcopus vacans ſoleret ſolum viſitare ſingulis triennijs. an autem loca immediatè ſubiecta Sedi Apoſtol. quæ tanquam delegatus Epiſcopus viſitat dic vt ſupra, quod inſtante neceſſitate, & vtilitate poſſet, vt notat Pauinus *q. 7. in fin. & Quaranta loc. cit.*

Dico ſecundo, quod Capitulum Sede vacante poteſt diſpẽſare in omnibus caſibus, in quibus poteſt Epiſcopus, vnde dictum eſt ſupra ex noſtro *Rodriq. & Nauarro*, poſſe diſpenſare ſede vacante capitulum cum illegitimis ad ordines minores, & beneficium ſimplex iuxta *textum in c. 1. de filiis Presbyt.*

An vero poſſit in irregularitatibus diſpenſare, & à peccatis abſoluere Sedi Apoſtolicæ reſeruatis iuxta facultatem datam Epiſcopis *in c. licet de reform. ſeſſ. 24. c. 6.* à *Conc. Trident.* negat parum probabiliter *Suar. de cenſur. diſp. 41. ſect. 2.* attamen probabilius affirmandum, quia ſpectat ad iuriſdictionem ordinariam Epiſcopalem talis diſpenſatio, & abſolutio. Ita etiam *Henriqu. in ſumm. l. 14. c. 20 §. fin. Guttier. l. 2. canon. qq. c. 3. n. 10. & Quaranta loc. cit.* quicquid alij in contrarium velint, quia poteſtas hæc data eſt in fauorem animarum potius, quam ratione dignitatis Epiſcopalis, vt alibi dictum eſt, ergo tranſit ad Capitulum hæc poteſtas ſede vacante, ne animæ

patian-

patiantur in neceſſitate ſpirituali. Ita etiam Sac. Congregat. Conc. de 22. Ianuar. 1602. apud Sellium in canon ſelectio. cap. 25. art. 6.

Dico ſecundo, quod capitulũ Sede vacante habet poteſtatẽ ferendi cenſuras, etiam excommunicationẽ ob finẽ reuelationis, & monitoria concedendi iuxta mẽte Sacr. Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de reformat. eo modo quo Epiſcopus, & conſequenter abſoluendi à qualibet excommunicatione, & cenſura à qua poterat ſuus Prædeceſſor iure cõmuni, ſpectat enim poteſtas ferendi cenſuras, & ab eis abſoluendi ad poteſtatem, & iuriſdictionem ordinariam Epiſcopalem, & conſequenter ſuccedit in poteſtate abſoluendi ab omnibus iſtis excommunicationibus, peccatiſque reſeruatis Epiſcopo, de quibus habetur *in gloſ. c. 2. de pænit. & remiſſ. in 6.*

Adde, quod cum in hiſce omnibus habeat iuriſdictionem ordinariam Capitulum ſede vacante poteſt pœnitentiarium conſtituere propter periculum, quod imminere poteſt animabus, vt rectè notant *Pauinus, & Quaranta loc. cit.*

Adde etiam poſſe capitulum ſede vacante abſoluere à iuramento, quia pertinet ad iuriſdictionem ordinariam. Ita Cardinal. *conſ. 35. Felin. in c. 1 de iureiur. & Anton. Gaghard. in tract. de abſolut. à iuram. § 4. n. 11.*

Dico tertio, quod Capitulum Sede vacãte non poteſt alienare bona immobilia, & ea, quæ ſeruando ſeruari poſſunt *ex c. ſi qua de rebus & c. precariæ* 12. q. 2. poterit tamen alienare ea, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, vt notat *Pauin. par. 2. q. 8. n. 3.* etiam ſine Superioris alterius licentia, vt docet *Abb. in c. 1. de ſede vac.* Sicut etiam ſine Superioris authoritate poterit pecunias mutuo recipere pro inſtanti neceſſitate, & vtilitate ſuæ Eccleſiæ, modo negotium dilationem non patiatur, & interea non poſſit haberi Superioris authoritas, & talis obligatio afficiet etiam Superiorem ſucceſſorem. Ita *Ruin. q. 8. n. 20. Gutier. l. 1. can. qq. c. 1. Redoan. in tract. de reb. eccleſ. non alienandis q. 30.* qui addit in fine, ita etiam ſeruatum Sede vacante per obitum Summi Pontificis à collegio Sacro Eminentiſſimorum. Ex hac doctrina

Collige etiam, quod licet Sede vacante ad Capitulum non tranſeat, nec deuoluatur poteſtas infeudandi bona infeudari ſolita dependentia à menſa Prælati, ſi iam Sede vacante ſint deuoluta, tamen ſi inueſtitura eſſet neceſſaria, poſſet ea infeudare alteri, quia tunc nullum fieret præiudicium ſucceſſori, immò ſi eſſet conſuetudo ea infeudandi, quando ipſo Prælato caceret, eſſet ſeruanda. Ita *à Ponte in comment. ad Tu. qui feud. dare pot. n. 157.*

Dico quarto, quod Capitulum Sede vacante poterit compellere executores Teſtamentorum non ſolum, verum etiam executoris officium proſequi ipſis negligentibus, ita communiter Doctores *in c. Ioannes, & ibi Couarr. n. 2. de teſtamentis, Card. in clem. vnica de Teſtam. Pauin. punc. 2. q. 7.* immò poteſt cogere ipſos executores ad rationes reddendas. Ita *Imola in d. Clem. vnico n. 13. Franc. in c. vnico de maiorit. & obed. in 6. q. 11.* quia hæc omnia ad iuriſdictionem pertinent ordinariam Epiſcopalem. Ex quibus

Aduerte, quod probabile admodum eſt Capitulum Sede vacante ſuccedere etiam in exactione Manualis obedientiæ, quam in quibuſdam locis ſtatuto die clerici ſuo Prælato exhibere ſolent cum muneribus, quia obedientia eſt de lege iuriſdictionis *ex c. conquerente de offic. ordin.* in qua capitulum ſuccedit, *& licet Cardin. Zabar. videatur dicere in c. his, quæ de maiorit. & obed. q. 4. in* fine, dicat non obſeruari, quod Capitulum exigat obedientiam, licet per dictum c. his quæ, poſſit eam exigere, attamen Quaranta loc. cit. q. 8. refert, quod Neapoli Sede vacante fuit in praxi ſeruatum in prima Dominica menſis Maij, quo die capitulum exegiſſe ait reuerentialem, & manualem obedientiam ab alijs, qui tenebantur comparere floribus, fructibus, cæteriſque alijs munuſculis, &c.

Vtrum Capitulum ſede vacante poſſit beneficia conferre præſentata, inſtituere, reſignationes beneficiorum accipere, & beneficio priuare ſecundum iuris diſpoſitionem.

DIFFIC. X.

Dico primo, quod non ſolum iure communi antiquo prohibetur capitulo conferre beneficia Sede vacante *ex c 2. ne ſede vac.* verum etiam hodie iure nouiſſimo *Pius V. conſtitutione quæ incipit Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & habetur in Bul. fol. 1167.* omnia beneficia vacantia tempore Sedis vacantis Epiſcopalis quomodolibet ad Epiſcoporum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem quomodolibet pertinentia ipſis Papæ reſeruauit etiamſi vacarent ob culpam inferiorum Prælatorum non conferentium, quia quomodolibet vacantia generaliter loquendo reſeruati vt notat *Quaranta loc. cit. quæſt. 9.*

Dico ſecundo, quod licet aliqui voluerint Capitulum poſſe conferre Sede vacante beneficia, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum cum conſilio, & conſenſu capituli ipſius, attamen contrarium prohibetur *in c. vnico §. cum vero ne ſed. vac. in* 6. vt notant *Pauinus p. 2. q. 1. n. 2. Nauar. conſ. 1.* ne Sed. vac. in nouiſſ. quia hoc eſſet, ac ſi cum conſilio ſolo deberet conferri, nã ad alternatiuæ veritatem ſufficit alterum adimplere *ex c. in alternatiuis cum gloſ. de reg. iur. in* 6. pro conſilio ergo non tenetur, nam adire Capitulum, & conſilium non eſt neceſſarium quia ad veritatem alternatiuæ ſufficit, vt altera pars verificetur aliter conſenſus ad Papam deuoluitur, quod etiam extendunt ad eum, qui conferret vna cum Epiſcopi conſenſu, vel cõſilio, quia in neutro ſuccedit Capitulũ, vnde ſi conferre deberet cum ſolo conſilio, poterit conferre abſque conſilio capituli, nec tenetur ab aliquo alio conſilium petere vacante Epiſcopo *ex d. c. vnico §. fin.* cuius rationem adducũt. Gemin. & Francus loc. cit. ſi vero ſolus conſenſus debet expectari ſucceſſor, qui conſentiat. *ita gloſ. in d. §. fin. verſ. cum conſilio, & ibi ſcribentes gloſa in c. ſi pro te reſcr. in* 6. expectanti in tali occaſione currit tempus, quia expectanti legitimè impedito non currit tempus ex *capit. quia diuerſitatem de conceſſ. præb. & c. fin. de elect.*

Quod ſi conſenſus præſtandus eſſet ratione iuriſdictionis Epiſcopalis, vt in conceſſione iuris Patr. & decim. *ex c. nullus de iure patr. ſuccedit capitulum, vt optimè notat* Pauin. *loc. cit. n. 11.*

Dico tertio, quod Capitulum Sede vacante poteſt licitè cõferre illud beneficium, cuius collatio communiter ſpectat ad Epiſcopum, & capitulum, quia vno deficiente, vel inhabili exiſtente, alter confert de iure communi ex c. vnico ne Sede vacat. in 6. ex eiuſdem rationis identitate amplia poſſe capitulum præſentare, & eligere, quoties præſentatio, & electio ſpectat ad vtrumque, communiter ratio huius affertur per *Ioann. Monach. in d. c. vnico ne ſede vac. in 6 Gemin. & Franc. in c. vnico de maior. & obed. in 6. & Lambert. p. 2. l. 2. ar 14. q. 2. principali*, dicitur autem aliquod communiter pertinere, quando æquale ius quælibet pars habet in actu, vt notat Geminianus loc. cit.

Dico quarto, quod ad Capitulũ Sede vacante ſpectat inſtituere, & prouidere œconomos in parochialibus vacantibus, illiſque Eccleſias commendare, vt earum iura regat, & adminiſtret, donec fuerit à Superiore de ſucceſſore prouiſum ex c. cum vos vbi *Panorm. n. 2. de offic. ordinand. & Gemin. in d. c. vnico. Felin. in d. c. cum olim*, & alij verum in Regno Neapolitano camera ſtatim capit poſſeſſionem iurium, & reddituũ.

Dico quinto, quod poteſt Capitulum inſtituere præſentatos à Patrono, vt expreſsè habetur *in* c 1. de inſtitut. in 6. etiã poteſt confirmare electiones, quas Epiſcopus viuens confirmabat, vt notat *Sbroz. in tra. de Vic. Epiſc. l. 2. q. 70. n. 4. Pauin. p. 2. q. 4. & quaranta loc. cit.* Ex quo

Collige, quod ſi electio alicuius dignitatis ſpectaret ad capitulum, duplici iure fungi poteſt Sede vacante capitulum ſ. eligendi, & confirmandi electum, eligit quidem in tali caſu iure capitulari, & confirmat iure Epiſcopali ita Gloſa, & Doctor in c. penult. de ſuppl. neglig. præſ. in 6.

Dico ſexto, quod Capitulum Sede vacante poteſt dare licentiam alicui volenti ædificare Eccleſiam cum iure patronatus *Calder. ſua tit. de iure patr.* quem alij ſequuntur, modo non apponatur conditio in præiudicium Epiſcopi, reddit autem rationem Calderinus quare hanc poteſtatem ædificandi Eccleſiam poſſit dare Capitulum Sede vacante, eſt, ne ſi expectetur ſucceſſor Epiſcopus, pœniteat interea volentem Eccleſiam ædificare, periculum enim in hiſce rebus eſt in mora. contra diſpoſita *in 3. c. de iure patr. Vide quarantam loc. cit.*

Dico ſeptimo, quod Capitulum Sede vacante poteſt recipere beneficiorum reſignationem in duobus caſibus, primò quando fieret ex cauſa neceſſaria. non autem quando liberè, & ſimpliciter. Ita Rebuff. in praxi Titulo de Deuolution. n. 95. & Quarãta loc. cit. ſecũdo quando reſignatio fit in pœnam ipſius Reſignantis *vt patet in extrau. execrabilis §. cæterum, de præb.*

præb. aduerte tamen hanc reſignationem acceptandam eſſe antequam in Conſiſtorio fiat prouiſio de ſucceſſore Prælato, aliter non valeret, quia expectandus eſſet Prælatus, vt in Rota deciſum fuiſſe refert. *Parıſ. in tractat. de regnat. benef. lib. 7. quæſt. 22.*

Dico octauo, quod Capitulum Sede vacante poteſt ſuam authoritatem interponere in beneficiorum permutatione in duobus caſibus, primo, quando col latio eorum communiter ſpectat ad capitulum, & Epiſcopum ex gloſ. notabili, & communiter approbata in Clem. in Verbo conferantur, & ibi Imola n. 11. de rerum permutat. & Iubar. conſil. 36. num. 2. ſecundo, poteſt interponere authoritatem in permutatione beneficiorum in caſu reſignationis modo ſuperius expoſito.

Dico nono, quod Capitulum Sede vacante poteſt vnire beneficia in illis omnibus caſibus in quibus poteſt Epiſcopus, dummodo non fiat præiudicium menſe Epiſcopali, & nihil de eius iure pereat. Ita *Doctores in Clem. 1. de ſtat. Monac. & in c. 1. de maiorit. & obed. in 6. Petrus de Peruſio in tr. de vnion. eccleſ. c. 4. n. 19. Ioannes Bapt. de Caccialup. in tract. de vnionibus art. 3. n. 19. Rebuff. in prax. tit. de vnione benef. nu. 36.* & à contrario ſenſu concludunt etiam poſſe diſmembrare beneficia in caſibus, in quibus de iure poteſt Epiſcopus diſmembrare. Contrariorum enim eadem doctrina, in Rebuff. loc. cit. num. 19.

Adde quod durabit tam vnio, quam diſſolutio facta per Capitulum Sede vacante etiam tempore noui Epiſcopi creati, vt concludunt *Petrus de Peruſio in tract de reuocat. vnionis n. 16. & 17. Felin. in d. c. cum olim in fine, & alij.*

Dico decimo, quod Capitulum Sede vacante licet non cōferat beneficia, attamen poteſt in caſibus à iure permiſſis priuare beneficio ſeruatis ſeruandis ipſa Beneficiatos delinquētes. Ita *Doctores in c. cum olim Pauin. p. 2. q. 6. in principio, & quaranta loc. cit.*

Vtrum Capitulum Sede vacante poſſit concedere Indulgentias, quas poſſunt Epiſcopi & exequi litteras in forma dignum, cognoſcere de gaudente immunitate.

DIFFIC. XI.

VAriant Doctores, alii aiunt, alij negant, ducuntur, qui negant, quia licet concedere indulgentias pertineat ad clauem iuriſdictionis, attamen eſt iuriſdictio præcisè conceſſa dignitati Epiſcopali ex c. Accidentibus de exceſſu Præb. & communem hanc negatiuam teſtatur. *Card. Zabar. in clem. 29. de pœnit. & remiſſ. Pauin. p. 1. q. 4. & alij.*

Affirmant tamen etiam probabiliter Ludouicus Bolognin. in ſuo tract. de indulg. cui videtur inhærere. *Nauar. de Iub. et Indulg.* præſertim ſi capitulum haberet id ex conſuetud. & *Henriq. in ſumm. l. 7. de indulg. c. 51.* tutius tamen aſſerit *Quaranta cum Zabar. & Pauino loc. cit.* hanc poteſtatem conferri à capitulo alicui Epiſcopo.

Illud tamen verum eſt, quod Capitulum Sede vacante, nec eius Vicarius poſſunt exequi litteras Apoſtolicas in forma dignum, & alias directas Epiſcopo ratione dignitatis. Ita *Sac. Congreg. conc. in Camenotanenſi 2. Auguſt. 1631. apud Barboſ. de canon. deciſ. c. 42.*

Item nec poteſt Vicarius capitularis cognoſcere cauſas delinquentium confugientium ad Eccleſiam, an gaudeant Immunitate ad finem eos extrahendi. Ita *Sac. Congreg. 11. Febr. 1633. apud Barb. collect. 123. & ſperell. tract. 31. n. 8.*

Quiſnam infra octo dies, intra quorum terminum cogitur ex Concilio Tridentino capitulum ad eligendum ſibi Vicarium capitularem debeat iuriſdictionem Epiſcopalem adminiſtrare.

DIFFIC. XII.

NOn defuerunt, qui nec improbabiliter cenſuerunt ſtatim poſt mortem Epiſcopi adminiſtrationem Sedis Epiſcopalis pertinere ad Archidiaconum, & conſequenter infra octo illos dies, infra quos à Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 16.* cogitur Capitulum ſibi eligere Vicarium, exercere poſſe iuriſdictionem Epiſcopalem per textum *in c. 1. & in c. ad hæc de officio Archid. Ita Sbroz. in tract. de Vicar. Epiſc. l. 1. q. 61.* & alij.

Attamen, quia talis adminiſtratio datur Archidiacono ſede repleta, non vacante, ſ. quando Epiſcopus viuit, ſed impeditur abſens nec Vicarium ſibi eligit, tunc ad Archidiaconū deuoluitur iuriſdictio Epiſcopalis, ne animę detrimenta patiantur, at vero Sede vacante immediatè ad capitulum tranſit iuriſdictio Epiſcopalis de iure communi, quare totum capitulum adminiſtrare debere intra terminum octo dierum poſſeque etiam hunc terminum abbreuiare, & ante octo dies Vicarium conſtituere notat *Quaranta §. primo dubitatur loc. cit. & colligitur ex tex. in 3. Eccleſiæ. veſtro, vbi etiam Abbas notat. 1. de elect.*

Quod ſi adeſſet diſcordia inter Canonicos in electione Vicarij, & plures aſſumerentur, ille cenſebitur legitimus ex declarat. Sac. Congreg. qui magis idoneus habebit conditiones, & qualitates à Sacr. Concilio appoſitas. Ita *Quaranta loc. cit.*

Notandum etiam hic eſt, terminum octo dierū poſt mortem Epiſcopi capitulo ad eligendum Vicarium conſtituto à Sacr. Concil. Trid. currere etiam capitulo à die translationis proprij Epiſcopi ad aliam Eccleſiā, quando certo ſciatur fuiſſe talis Epiſcopus à Papa abſolutus à vinculo prioris Eccleſia, quia tunc verè dicitur Sedes Epiſcopalis vacare per tranſlationem, etiam ſi non adeptus eſſet poſſeſſionem alterius Eccleſiæ, quia tunc etiam ei ceſſat adminiſtratio, & fructuum perceptio, & ita cenſuiſſe, & declaraſſe Sac. Congregationem ſuper cauſas Epiſcoporum refert *Quaranta loco cit. §. Terminum octo dierum.*

Vtrum Capitulum poſſit Vicarium à ſe electum, & confirmatum reuocare.

DIFFIC. XIII.

NEgarunt multi eo ducti fundamento, quia ſi Vicarium à ſe electum poſſet ad libitum reuocare Capitulum ſequeretur abſurdum, quod Vicarius non procederet alacriter, ſed admodum ſegniter in adminiſtranda iuſtitia contra Canonicos particulares, à quibus dependeret eius amotio, quod non ſequitur in Vicario Epiſcopi, quia licet ſit amouibilis, tamen à ſolo Epiſcopo amoueri poteſt, imò poteſt Epiſcopus iudicare ſine Vicario, quod tamen non eſt in capitulo, facile enim, ſi eſſet amouibilis Vicarius à capitulo, daretur occaſio canonicis in vitia prolabendi, quia Vicarius non poſſet eos punire ex timore, ne ab illis amoueretur.

Attamen alij, affirmarunt poſſe capitulum amouere Vicarium, nam, vt Pauin. p. 2. q. 10. nu. 7. probat. Vicarius poteſt amoueri ad libitum ab eo cuius eſt Vicarius, ita videtur aſſerere etiam Nauar. conſ. 9. de elect. in antiquis. & D. Antonin. 3. p. ſum. Tit. 19 c. 10. §. 2. in fine.

Verum hodie adeſt Sacr. Congregationis decretum, vt Vicarius capitularis non poſſit amoueri à capitulo ſine cauſa ab ipſa Sac. Congregatione prius approbanda, quæ certiorari debet de cauſa, alioquin reuocatio, & amotio eſſet nulla. Ita *habetur apud Quarantam loco cit. §. in casu vero* & anno 1631. nouiſſimè, & ante etiam multoties ab eadem Sac. Congreg. decretum fuiſſe docet Barboſa de canon deciſion. c. 42. n. 47. & in Deciſ. Apoſt. collect. 125. nu. 9. poſtquam autem Vicarium ex approbatione, & licentia Sac. Congregat. debet infra terminum dierum octo aliam eligere, alioquin electio deuoluitur ad Metropolitanum, vel antiquiorem Epiſcopum ex Sacr. Congreg. apud Garziam de Benef. p. 5 c. 7. num. 23. declarat. 5.

Cauſæ autē, quæ iuſtæ videntur ad petendam Vicarij reuocationem tres præcipuè à Doctoribus enumerantur. Primo, quando in ſuo munere exequendo admodum eſſet negligēs. *l. fin. ff. vbi pupil. educari deb. & l. ſi quos C. de off. præf præt. Boer. deciſ. 153. nu. 20.* Secundo, quando præuaricaretur in officio illud male gerendo ſcilicet vendendo iuſtitiam, & alia ſimilia faciendo, ita *Petrus Bellug. in ſpec. Princ. rub. 26. de priuat. offic. § princeps n. 6.* quinimmo capitulum tenetur de delicto Vicarij, ſi quanto citius, poſtquam id ei innotuerit, non amoueret, ne docet *Pauin. loc. cit. n. 22.* Tertiò, cauſa quando appareret inſufficiens in exercitio illius officij *ex c. quamuis triſte 7. q. 1. Boer. deciſ. 149. n. 17. Vide Menochium in addit. ad librum primum de arbitr. iud. q. 55. n. 29.*

Adde, quod vna ex iſtis iuſtis cauſis exiſtente poteſt Capitulum reuocare Vicarium etiam ſi interpoſitum eſſet iuramentum à canonicis ſub certa pæna de non remouendo, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, quare non

eſſent

eſſent periuri remouendo. Ita *D. Anton. loc. cit. Pauin. d. q. 10. n. 7. Stroz. in d. tr. c. l. 3. q. 32. n. 7. & Quaranta loc. cit.*

Vtrum Capitulum poſſit dare conſultorem Vicario à ſe electo, ſi iſte non fuerit Doctor.

DIFFIC. XIV.

AFfirmatiuè reſpondendum, quia per cõſtitutionem Leonis X. quæ incipit Regimini vniuerſalis Eccleſię fol 188. in Bulla diſponitur, quod etiam iudices à Sede Apoſtolica deputati ſi in altero iurium non fuerint graduati, aſſeſſorem partibus non ſuſpectum aſſumere, & ſecundum eius relationem iudicare tenentur, itaque capitulum debet dare conſultorem Vicario non Doctori, quod ſi capitulum negligeret, poſſet ipſe Vicarius Doctorem ſolo bene viſum partibus non ſuſpectum in caſibus in quibus eius iudicio indigeret, aſſumere, & ita *Sacr. Congregationem ſuper cauſis Epiſcoporum cenſuiſſe docet Quaranta loc. cit.*

Vtrum Capitulum teneatur eligere perſonam de gremio ſuo in Vicarium Sede vacante, & an ſalariandus ab ipſo capitulo electus Vicarius.

DIFFIC. XV.

DIco primò, quod non cogitur Capitulum eligere Vicarium Sede vacante de ſuo gremio capitulari, ſi vero adeſſet idoneus in ipſo capitulo cæteris paribus mandat Sac. Cõgregatio, vt cæteris præferatur, quæ etiam declarauit, eſſe irritam electionem factam Vicarij non Doctoris, quando haberi poteſt Doctor. *Vide Quarantam § ſexto dubit.*

Dico ſecundo, quod Capitulum tenetur ex bonis Eccleſiæ vacandis ſalarium aſſignare competens Vicario à ſe electo etiam ſi fuerit Canonicus de ſuo gremio, quia nemo tenetur ſuis ſtipendijs, militare *c. cum officij de præſcript. & officium ſuum nemini debet eſſe damnoſum l. ſed ſi quis ex ſignatoribus ff. quemadmod. teſtam. aper. idem docet Cardin. in clem. ſtatutum q. 7. de elect. Imola ibid. Stroz. de vic. epiſc. l. 2. q. 55.*

Aduertant tamen canonici, quod non poſſunt cũ Vicario à ſe electo, paciſci vt emolumẽta ſint diuidẽda inter ſe ipſos, & Vicarium, quia admitteretur ſimonia, verum eſt tamen, quod non inciderent in pęnas omnes tract. 2. de ſymon. licet de ipſa participarent re ipſa, quia talis extrauagans habet locum ſolum in ſimonia commiſſa in beneficio & in ordine, vt docet *Nauar. in manuali confeſſar. c. 23. n. 112. Vide Quarantam loc. cit.*

Vtrum ſi moreretur Vicarius Epiſcopi, dum ipſe in remotis partibus degit, vnde prouidere non poteſt, poſſit etiam Capitulum Vicarium creare.

DIFFIC. XVI.

AFfirmant communiter Doctores, ſi abſentia ſit longè puta, quia Epiſcopus in Italię aliqua vrbe moraretur in Polonia, Hiſpania, & ſimilibus, nam longa abſentia comparatur morti vt notant *Cardin. in clem. vn. 8. in fin. de offic. vic. Vital. in clem. 1. § volumus q. 5. de ſur. comp.* & ita ſeruatum fuiſſe in praxi refert Quaranta à Capitulo Archiepiſcopalis Eccleſiæ Neapolitanæ ſecuta morte Vicarij Generalis in ipſa ciuitate, dum bonæ memoriæ Annibal de Capua Archiepiſcopus Neapolitanus exiſtebat in Polonia Nũtius Summi Pontificis vt refert Quaranta.

Item dicendum quando Sedes Epiſcopalis quaſi vacaret iuxta tex. in ſi c. ſi Epiſcopus de ſuppl. neglig. prælat. in 6. vbi ſtatuitur, quod ſi Epiſcopus à Paganis, & Sciſmaticis capiatur non à Metropolitano, ſed à capitulo, ac ſi per mortem Sedes vacaret facienda eſt electio Vicarij.

Vtrum facta electione Vicarij Sede vacante, remaneat aliquid iuriſdictionis in ipſo capitulo electore.

DIFFIC. XVII.

DIco primo, quod poſt Vicarij electionem capitulum non abdicat à ſe iuriſdictionem habitualem, ſed ſolum actualem, quia exercitium eius alteri committit, vnde vt dictum eſt cauſa exiſtente poteſt illum remouere.

Dico ſecundo, quod Capitulum in commiſſione danda Vicario, quem elegit, poteſt ſibi aliqua reſeruare, vt docet, *Gutier. l. 1. can. q. 9. c. 11.* & omnimodã iuriſdictionem iuxta ſuum libitum confert, & minuit, quare Vicarius electus poſſet etiam litteras monitoriales concedere ad finem reuelationis, niſi ſpecialiter in commiſſione non fuerit ſolo hoc à capitulo prohibitum. & ſibi reſeruatum.

Dico tertio, quod poſt Vicarij conſtitutionem factam à capitulo, curare vt immunitas, & libertas Eccleſiaſtica ſeruetur, & nulla ex parte imminuatur ad ipſum ſpectat capitulũ, non autem ad Vicarium; vt patet in litteris à *Clem. 8. datis ad canonicos Archiepiſcopatus Neapolitani à Quaranta relatis.*

Vtrum capitulum Sede vacante poſſit a Vicario a ſe electo in aliqua cauſa ſuſpendi, vel interdici, & an Vicarius capitularis excommunicatus, vel ſuſpenſus ab ipſo capitulo abſolui valeat.

DIFFIC. XVIII.

DIco primo, quod Vicarius capitularis non poteſt capitulum ſuſpendere, & interdicere, quia iuriſdictio Vicarij dependet ab ipſo Capitulo, & ſuſpenſo Capitulo eſſet ſuſpenſus etiam Vicarius, quod etiam procedit, quando Vicarij deputatio facta foret à Metropolitano, vel viciniori Epiſcopo in defectu, & negligentia capituli in eligendo vt optimè notant *Suar. de cenſ. diſp. 7. sect. 3. & Quaranta loc. cit. in fine.* quia talis negligentia in eligendo dat authoritatem Archiepiſcopo, vel Epiſcopo viciniori ſupplendi defectum capituli, non autem tollit iuriſdictionem à capitulo, nã ſi moreretur electus iſte poſſet etiam termino dierum octo alium eligere; poterit tamen Vicarius Canonicos particulares cenſuris afficere, quia vt ſic non ſunt Capitulum.

Dico ſecundo, quod Vicarius ſi foret excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus, cuius abſolutio pertineret ad ordinarium, poteſt ex commiſſione capituli abſolui ex c. vnico de maiorit. & obed. in 6. vel à Superiore Capituli. Vide *Quarantam loc. cit.*

Vtrum capitulum Sede vacante poſſit agitare cauſas ſuæ Eccleſiæ, & an currat præſcriptio tali tempore contra ipſam Eccleſiam.

DIFFIC. XIX.

DIco primo, quod Sede vacante Capitulum non poteſt cauſas ſuæ Eccleſiæ agitare regulariter loquendo, quando vero, & in quibus caſibus poſſit agitari tali tempore cauſa Eccleſiæ. Vide *Felin. in c. edoceri n. 7. de reſcriptis.*

Licet autem Sede vacante non poſſint agitari cauſæ Eccleſiæ, attamen non ſunt deneganda conſcripta ſalaria Aduocatis ipſius Eccleſiæ, quia ſi Eccleſia ipſis non indiget in cauſæ agitatione, indigere tamen poteſt conſilijs, ſicut accidere poteſt, ſi ipſa de facto vexetur, vel quod redditus Epiſcopales diſſipentur, & ita determinant. Cardinal. *& Imola in clement. ſtatutum de elect.*

Dico tertio, quod etiamſi cauſa Eccleſiæ eſſet cæpta viuẽte Epiſcopo. non currit ei pręſcriptio Sede vacante, quia interim dormit, & tempus vacationis ſemper de medio ſubducitur ex c. auditis de Præſcript. poteſt tamen ipſa Eccleſia vacans contra alias Eccleſias præſcribere, ne quod in ſui fauorem introductum eſt, vertatur in læſionem. Ita *Hoſtienſ. in ſum. Tit. ne ſede vacante.*

Quando expiret poteſtas Vicarij Sede vacante à capitulo conſtituti.

DIFFIC. XX.

DIco primo, quod licet aliquis voluerint expirare poteſtatem Vicarij Capitularis ſtatim atque facta fuerit prouiſio, & nominatio ſucceſſoris Epiſcopi à Summo Pontifice, attamen hæc opinio reprobata fuit à Rota Roman. in vna Burgenſ. Canonicatus, & deciſum non expirare poteſtatem Vicarij capitularis per ſolam prouiſionem, & nominationem factam noui Epiſcopi, ſed requiri, vt de promotione ſucceſſoris litteræ conficiantur, & virtute earum poſſeſſionem cõſequatur ſucceſſor, itaque poteſtas, & iuriſdictio Capituli durat vſquequò nouus Epiſcopus capiat poſſeſſionem per litterarum oſtenſionem, quia tũc ſolum poteſt nouus Epiſcopus

vti

vti ſua iuriſdictione, & Vicarium conſtituere, vt patet per *Extrauag. Boniſ. VIII. inuncta de elect.*

Dico ſecundo, quod immediatè ceſſaret iuriſdictio Vicarij capitularis, ſi à Sede Apoſtolica fuerit alteri vacantis Eccleſiæ cura demandata ex c. 15. *de elect. in 6.*

Nec non immediatè expirat eo tempore, quo à capitulo eſſet eius authoritas ſignate determinata, vt ſupra etiam tactũ eſt poſſe capitulum ad certum dumtaxat tempus vicarium conſtituere, quo maturato ſtatim eius authoritas expirat, & infra octo dies alium debet conſtituere; pro vt à Sac. Congregat. determinatum eſſe refert Quaranta, vide *Pauinum in d. q. 10. ſub num. 6.*

Vtrum Vicarius capitularis teneatur ſtare Syndicatui, & coram quo finito officio.

DIFFIC. XXI.

Affirmatiuè omnino reſpondendum teneri ſtare Syndicatui coram Epiſcopo nouo ſucceſſore ex decr. *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 16.* ſub hiſce verbis (Epiſcopus vero ad eamdem Eccleſiam vacantem promotus ex ijs, quę ad eam ſpectãt ab eodem Vicario, & alijs quibuſcunque officialibus, & Adminiſtratoribus, qui Sede vacante fuerunt à capitulo, vel ab alijs in eius locum conſtituti, etiamſi fuerint ex eodem Capitulo rationem exigat officiorum, iuriſdictionis, & adminiſtrationis, aut cuiuſcunque eorum muneris, poſſitque eos punire, qui in eorum officio, & adminiſtratione deliquerint, etiamſi prędicti officiales de redditis rationibus à capitulo, vel à deputatis abſolutionem, aut liberationem obtinuerint) hæc Concilium idem ſentiſſe videtur. Pauinus in d. tr. p. 2. q. 7.

In Vicario vero Epiſcopi viuentis non currit hęc diſpoſitio, in gratiam enim dignitatis Epiſcopalis eius officiales non tenentur ſtare Syndicatui, vt declarauit Gregor. XIII. in quibuſdam litteris datis anno 1578. directis Clero, & communitati Tarentinorum, quibus prætendentibus Archiepiſcopi Vicarios Syndicatui eſſe obnoxios reſpondit hiſce verbis apud Quarantam *Statuimus, & mandamus quod Vicarij, & officiales ſiue particulares etiam foraneis nuncupati per eũdem Archiepiſcopum, ſiue eius pro tempore ſucceſſores in d. Eccleſia Tarentina, ſiue eius diœceſi deputati, vel deputandi ad aliquem ſindicatum nullo modo teneantur, aut eidem quouis modo ſint obnoxij.*

Vtrum Vicarius capitularis ſiue canonicus, ſiue exter præcedat canonicos Cathedralis Eccleſiæ in choro, & proceſſionibus, & an lucretur abſens à choro quotidianas diſtributiones.

DIFFIC. XXII.

Dico primo, quod quando Vicarius eligitur vnus ex Canonicis Cathedralis Eccleſiæ in choro debet ſedere in loco ſui Canonicatus, nec poteſt antiquiores præcedere ex c. à collatione. ibi Geminian. nu. 6. Franc. n. 4. de appellat. in 6. nam in choro conſideratur vt Canonicus, non vt Vicarius, vt loquitur, *Menoch. de arbitr. Iud. l. 2. cent. 1. caſu 68. limitat tamen Nauarr. conſ. 2. de officio Vicar.* niſi aliud contraria conſuetudine fuerit legitimè introductum, quæ ſeruanda foret.

Dico ſecundo, quod Canonicus electus Vicarius Sede vacante probabiliter multi volunt, quod lucretur quotidianas diſtributiones ſi occaſione incumbendi ſuo officio abſit à Choro ea ratione, quod cenſetur eſſe in ſeruitio Eccleſiæ, cũ magis commodum ſit Eccleſiæ, vt deputetur vnus ad exercendam iuriſdictionem propter difficultatem congregandi totum Capitulum, & compeſcendas, quæ poſſint oriri inter ſingulos de Capitulo. Ita Pauin. in tract. de offic. & pot. cap. ſed. vac. p. 2 q. 10 n. 5. Rebuff. in prax. p. 1. Tit. de vic. epiſc. nu. 5. & Rota Rom decif. 222. diuerſ. n. 6. p. 2.

Attamen, quod non debeat percipere quotidianas diſtributiones ſi tempore diuinorum incumbens officio ſuo abſit à Choro Canonicus factus Vicarius capitularis probabiliter ſuadet etiam Moneta in tractat. de diſtribut. quotid. parte 2. quæſt. 11. nu. 83.

Poſſet tamen dici, quod ſi Vicariatus officium gratis exercet in gratiam capituli, & Eccleſiæ, debeat haberi præſens Choro, dum abeſt ratione ſui officij exequendi canonicus factus Vicarius Capitularis, quod ſi habeat ſalarium ſufficiẽs, non videtur ratio, quare duplex accipiat lucrum Canonicus Vicarius abſens à Choro.

Dico tertio, quod ſi Vicarius capitularis eligatur non Canonicus, in proceſſionibus, & in Choro poſt primam dignitatem in Capitulo poteſt ſedere, & præcedere, ita ut dignior, de Capitulo poſt Epiſcopum præcedat Vicarium capitularẽ. Ita Ioann. Andr. & Gemin. in cap. penult. de offic. legati in 6. determinantes, quod in Eccleſijs in quibus eſt præpoſitus, etiamſi Archidiaconus gerat vicem Epiſcopi Sede vacante, & tunc temporis imperet Præpoſito, tamen præfertur Archidiacono, quia poteſtas illa vti temporalis, & breui duratura non facit eum haberi maiorem. Ita etiam *Felin. in Rubr. de maior. & obed. nu. 10. Nicol. Boer. in trac. de ord. & præced. grad. vtr. for. p. 1. n. 11. & expreſſè magis firmat Sbroz. libr. 2. de Vic. Epiſcop. q. 25. n. 20. & Quaranta loco cit. §. 8. dubitatur.*

Carcer.

Vtrum carcer ad ſolam cuſtodiam, an etiam ad pœnam ſit præcipuè inuentus.

DIFFIC. I.

Carcer à verbo coerceo ſuam trahere Aethimologiam ſentiunt Doctores multi, quaſi potius ad coercendum Reum, ne fugiat, quam ad pœnam infligendam ſit inuentus ex l. 1. de Cuſtodia Reor. de iure etiam Canonico ad correctionem magis præcipuè datur carcer, quam ad vindictam: primus autem qui pro Clericis ob hunc finem determinauit Carceres fuit Eugenius Secundus, antiquiſſimo autem tempore fuiſſe carceres ad malè factorum cuſtodiam habetur Geneſ. 29. vbi carceri mancipatus legitur Innocens Sanctus Ioſephi Vide noſter *Rodriq. T. 2. q. 16. ar. 1. & 2. Hieron. Rodriqu. reſol. 43. Gomez. T. 5. var. c. 9. nu. 8. Segnras de Anolos in direct. p. 2. c. 13. clar. lib. 5. ſent. §. fin. q. 48. n. 6. & 3. Farinac. T. 1. l. 2. q. 27. nu. 98.* Attamen licet ad cuſtodiam præcipuè ſit carcer inuentus. Attamen

Dicendum etiam præfati Doctores putant in pœnam, in mulctam delictorũ dari carcerem, ſicut iam vſus obtinuit, & in praxi apud Regulares maximè ſeruatur, cum ſit magis congruum Religioſorum crimina occulta carcerum maceratione punire, quam alijs corporalibus pœnis publicis in ſcandalum puſillorum, & detrimentum honoris Religionis, ſcandalizantur enim laici qui, ſi Clericis ex c. laicos 2. qu. 6. ſolent eſſe valde infeſti, quid Regularibus?

Carceres tamen debent eſſe regulariter humani, ſi tamen dentur in pęnam poſſunt eſſe ſecuriores, & obſcuriores, non tamen ita, vt lectionem impediant, at omnino ſemper tales, vt propter nimiam rigiditatem, & aſperitatem malam valetudinem valeant inducere, & conſequenter, vel infirmitates perpetuas, vel etiam mortem, hinc aduertat Prælatus, quod in carcere inhumano excedens diceretur homicida. Ita noſter *Portel. v. carcer n. 2. & Rodr. loc. cit. q. 17. art. 3.*

Vtrum de facto poſſint clerici, & Regulares carceribus mancipari, & an de carceratione poſſit dari appellatio.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod nec Clerici ſæculares, nec Regulares poſſunt de facto Carceri mancipari, quia carceratio infamat, & irreparabile damnum affert. *Bald. in cap ſi clericus, C. de Epiſcop. audien. & in l. 1. cap. de integr. reſtitut. Iaſon in l. 4. §. condemnandum ff. de re iudicata, & Menoch. de arb. caſ. 87.* debet ergo Prælatus contra eos ſummariam informationem capere de delicto ſaltem per vulgarem famam, vel denunciationem præcedentem legitimè præſumptam, & ſi per duos teſtes conſtiterit, poteſt procedere ad capturam, niſi enorme delictum fuerit adeo notorium, vt nulla tergiuerſatione celari valeat, & fuga probabilis non timeatur. Ita noſter Rodriquez & Portell. loc. citat. adde etiam niſi adſit probabilis timor, quod ſeducturus ſit teſtes, vt deſtruatur informatio, quia tunc ad finem formandi inquiſitionem carcerari poteſt maximè hoc ſit dictum pro Clericis ſæcularibus ita Genuenſ. in prax. Arch. Neapolit. cap. 29. & de praxi communi Doctor. teſtatur Iul. Clar. in prax. paragraf. fin. quæſt. 28.

De facto autem Clericum, etiam ſi ſit Epiſcopus iniuſtè

iuſtè Carcerans incidit in excommunicationem ex *cap. ſi clericos de ſent. excommunic. in 6. Ita Genuenſ. loc. cit. num. 3.* eſt tamen bene verum, quod ſi clericus ad morum correctionem detineatur carceratus per aliquot dies, etiam ſine proceſſu, non videtur Epiſcopus excommunicatus cum temeritas in Epiſcopo, & iniuria in clericum in hoc caſu ceſſare videatur, ita Genuenſ. iuxta d. c. ſi clericos.

Dico ſecundo, quod de carceratione ad cuſtodiam, vel morum etiam correctionem non licet appellare, quia non datur per ſententiam, vt optimè notat Iul. Clar. quod ſi in pœnam delicti detur, quia per ſententiam datur in hoc caſu poteſt fieri appellatio.

Dari tamen locum petendæ iniuriæ pro iniuſta carceratione maximè in religionibus docet noſter *Port. loc. cit. n. 3.*

Vtrum liceat priuatis ciuibus habere carceres priuatas.

DIFFIC. III.

NEgant communiter Iuriſtæ, quia ad iuriſdictionem habentem ſpectat habere carceres, hinc ſi quis priuatus aliquem incarceraret etiam pro notorio crimine capite punitur, vt habetur *C. de coaractat. l. omnes lib.* 12. committit enim crimen læſæ Maieſtatis, vt potè iuriſdictionem vſurpans, & ideo priuatū carcerem habere ad incarcerandum vltimo ſupplicio punitur ex *l. vnica C. de priuato carcere.* ab hac tamen pœna.

Eximuntur primo ij qui habent ius capiēdi, & detinendi, vt Domini proprios ſeruos, & parentes proprios filios, vt habetur l. 1. & 2. c. de Pa quare non committunt priuatum carcerem Dominus ſuum ſeruum ſi incarceret, nec ſi Pater filium etiam doni carceri tradat ex *l. vnica C. de priuc. carc.*

Eximuntur ſecundo, qui habent poteſtatem detinendi eos, qui in flagranti crimine atroci inueniuntur, & creditores ſuos debitores fugientes, qui tamen non poſſunt eos detinere vltra horas viginti, aliter committunt priuatum carcerem, ſi vltra hoc tempus à lege ſtatutum detineant ex *l. capit. ibi Bar. ff. de Adult. vide noſtrum Hungarell. v. carcer ſch. e.*

Vtrum carceri mancipatus poſſit licitè ſine peccato aufugere, & carceres effringere.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod Carceri perpetuo mancipatus iuſta ob ſua delicta præcedente ſententia, tam ſæcularis, quam Clericus mortaliter peccat aufugiens, quia pœna acceptata poſt ſententiam latam obligat ad mortale, ſecus ſi ſententia fuerit iniuſta, & de iniuſtitia ſibi in conſcientia, vel alias legitimè conſtiterit, quia tunc poteſt licitè aufugere. Ita noſter *Rodr. T. 2. q. q regul. q. 22.*

Dico ſecundo, quod iuſtè carceratus ſi timeat ſe ad mortem damnandum, vel ad membri abſciſſionem probabiliter multi volunt, quod poſſit aufugere, modo velit ſe de peccato commiſſo pænitere, & proponat efficaciter ad meliorem frugem redire, ſecus ſi animo perſeuerandi in delictis effugeret. aufugientem etiam cum bono emendationis propoſito aiunt non peccare eos, qui adiuuant, vel ei conſenſum, fauorem, vel conſilium præſtant, modo abſit violentia in tertium. & ſine ſcandalo, vel damno Cuſtodis, & ſine animo fouendi iniquitates, ſed ſolum animo compaſſionis in proximum, vel alium bonum finem. Ita *Angelus noſter V. fugere, Valentia, Sotus, Graff. & alij.* infra citandi, vbi etiam hoc putat verum, ſi ſententia ſit data contra Reum, quod etiam probat *gloſ. in c. inter cætera § ſed cum his 22. q. 4. & ſuit quod habetur 2. 4. 3. §. notandum in fin. & l. 1. ff. de bon. eor. qui mort. ſibi conſuet.* vnde cōcludit cum D. Thom. 2. 2. q. 69. quod fame damnatus poteſt cibum ſumere, quia lex naturæ conſeruationem dictans eſt ſupra legem poſitiuum, ergo licitè quis carceri damnatus, & mortem timens, vel membri abſciſſionem, vel famæ perire poteſt carcerem aufugere, & cibum ſumere. An vero teneatur fugere, vel cibum ſumere negat noſter Angelus, quia pœnam iuſtè illatam pro ſuo peccato poteſt patienter ſuſtinere.

Dico tertio, quod licet præbere Reo inſtrumenta ad effringendum carcerem negent licere *Valent. T. 4. diſp. 5. q. 5. Sotus, Graff. & Toletus apud Malderum 2. 2. tract. 6. cap. 7.* quia magnum detrimentum afferunt bono publico effractiones carcerum, quia crimina paſſim impunita remanerent, volunt tamen illi Doctores licere fugam conſulere, quia conſilium nō eſt proxima cauſa effractionis.

Attamen noſter *Villalob. in ſum. T. 1. tract. 16. qui citat Caiet. Vaſquez, & Leſſ. item, Marder. loc. cit. Azorius, & Turianus quos citat, & ſequitur Diana trac. 5. Miſc. reſolut.* 102. probabilius exiſtimant licere, & ratio eſt, quia iuxta ipſorum opinionem licet conſulere effractionem, ergo effractio de ſe bona eſt, & non mala, auxilium vero ferre inſtrumenta miniſtrando, aut quocunque alio modo adiuuando ad rem bonam conſequendam non eſt malum, ſed bonum, itaque ſi effractio conſulitur, vt bona & non peccaminoſa, erit etiam licitum, & non peccaminoſum inſtrumenta, auxilium, & fauorem præbere ad eam conſequendam. Quare Diana cum Siluio loc. cit. iuxta ſententiam noſtri Angeli in dicto Superiori limitat modo non adſit nocumentum cuſtodi, quare volunt, quod alligare manus cuſtodi dormienti, vel in terram eum proſternere abſque nocumento non eſſe mortale.

Ad rationem autem contrariæ opinionis diceremus, quod licet magnum detrimentum ſit bono publico effractio carcerum, quia delicta paſſim impunita remanerent, attamen ſi effractio fiat ex iuſta cauſa, puta ſi ſit iniuſta carceratio, vel ſententia, vel adſit lex naturalis fugam conſulens, non fit immediatè contra bonum publicum, quia delicta poſſunt alio modo puniri, quam per iniuſtam ſententiam, & etiam quam ob cauſam mortis, vel membri abſciſſionis ſententiam, punire enim morte, vel abſciſſione membri non eſt de lege naturæ, poſſet ergo prouideri bono communi alia via, quam nō horreat natura, itaque ſolum effractio carcerum iuxta ſecundam concluſionem licita eſt tanto magis, quia tales puniuntur lege ciuili vt infra, lex autem ciuilis non ponens pęnam corporalem, probabile eſt, quod ad peccatum mortale non obliget, vt dicemus infra V. lex.

Collige primo, quod effringens carcerem, etiam ſi ad eum temporaneè eſſet damnatus, ſi carcer ſit valde inhumanus, & neceſſitas adeſſet alendi parētes, vel familiam ſuam non peccaret, & conſequenter nec auxilians, vel ſuadens; quia lex naturæ poſitiuæ legi præualet. Ita etiam Bonacin. de leg. diſ. 10.

Collige ſecundo, quod carcerem effringens in caſibus ſuper poſitis, ſi fugiant alij, non tenetur ad damna, quia vtens iure ſuo præter intentum alium damnificans non tenetur ad damna, ſecus ſi conſuleret fugam. Ita etiam noſter Villalob. loc. cit. quem etiam ſequitur Diana, Attamen.

Dico vltimo, quod licet carcerum effractores in foro poli, & in conſcientia non peccent in caſibus ſupradictis, & limitationibus poſitis, attamen in foro fori capite puniuntur etiā facta conſpiratione cum eis fugientes ex l. in eas de cuſtod. reor. Aduertè autem quod

Religioſus carcerum effractor non poteſt eijci ab ordine propter hoc ſolum delictum, vt docent noſtri Portell. & Rodriq. quia propter hoc ſolum delictum non dicitur incorrigibilis vide infra v eiectio.

Adde etiam, quod licet ſæcularis fugiens è carcere habeatur pro confeſſo etiam ſi effractionem non committeret, tamen hoc in Religioſis non practicatur. nam vt notat noſter Vngarell. V. carcer ſch. q. hoc ſolumve tum eſt in foro fori ciuili, quod præſumptionibus aliquando fundatur, Religioſi autem rimulas iuris vitare debent, vt magis charitate ducti, quam iuridica cauſa correctiones infligere videantur. Ita etiam noſter Portell. n. 4.

Vtrum Iudex teneatur carceres viſitare, & pauperibus prouidere.

DIFFIC. V.

IVdicem teneri ſub mortali viſitare carceres, & pauperibus prouidere multorum eſt ſententia, vt infra V. Iudex; fortè redibit ſermo, tenetur enim facere, vt eis neceſſaria miniſtrentur, & perſonaliter viſitare ſaltem per pium delegatum. Cod. de Epiſcop. aud. libro 3. immò ex officio poteſt, dum viſitat liberare carceratum ſi ad friuolam inſtantiam, vel ſine iuſta cauſa, vel delicto commiſſo cognoſcat detentum factis tamen prius Bannis, vt notat noſter *Vngarellus hic ſch. e. Vide Angelum noſtrum v. carcer 6.*

Vtrum

Vtrum carceratum ob æs alienum à carcere vi extrahens teneatur ſoluere ſuis debitoribus, & an carceratus illi, qui etiam ſe inuitum à carcere liberauit æs alienum ſuo debitori ſoluens, teneatur reddere, quod pro ſuo liberatione ſoluit.

DIFFIC. VI.

DIco primo quod extrahens conentur à carcere, vel à manibus familiæ Iudicis, iuſſu ſui creditoris, tenetur ad ſolutionem totius æris, quod carceratus debebat, & expenſas etiam pro carcerationis executione, eſt enim proxima cauſa damni creditori illati propter talem debitoris ſui violentam excarcerationem. Ita communiter.

An verò ſi denuo præfatus debitor paulo poſt in carcerem conijceretur, teneatur adhuc præfatus, qui liberauit eum in damnum creditoris ſoluere ipſi æs totum, quod debet recarceratus Debitor, affirmant Martha ff. nouiſ. T. 2. Tit. de carcer c 44. & Nald. hic. Verum rigidè nimis, ſufficere enim putarem in foro conſcientiæ, quicquid ſit de foro fori, quod prædictus eximens à carcere curet actu carcerandum à ſe excarceratum in fauorem creditoris, antequam fiat impotens ad ſoluendum, ita .n. reddit, quod abſtulit, quod ſi excarceratus nô ſit potens recarceratus qui potens erat, quãdo fuit primo excarceratus, non videtur ſaltem improbabile cum dictis Doctoribus in fauorem creditoris ſentire.

Dico ſecundo, quod carceratus ob æs alienum ex æquitate ſaltem tenetur reſtituere pecuniam ei, qui ipſi inuito ſuo creditori ſoluit, vt à carcere eum liberaret, ſecundum iuſtitiam tamen nox tenetur. Ita *Butr. in c. 3. nu. 2. de for. compet.* quia præſumitur donaſſe, dum ſe inuito pro ſe pecuniam ſoluit, ratione autem ingratitudinis vitandæ ſaltem debet confeſſor talem ad reſtitutionem acriter ſuadere.

Vtrum in iuſtè carceratus, liberatuſque ſub promiſſione iurata redeundi an obligetur redire.

DIFFIC. VII.

NEgant noſtri Angelus hic §. 4. Vngarell. ſch. h. & Gutierez de immu. confirmat. 1. c. 57. quia iuramentum nô eſt in materia debita, ſecus ſi iuſtè eſſet carceratus, quia debet ſecundum probabilem ſententiam redire, etiam ſi mortis immineret periculum. Ita noſter *Angelus Panormit. in c. ſi vero de iuretur. ſed tu vide dicendo infra V. iuramentum.*

Vtrum carcerato aufugiente ex negligentia carcerarij, teneatur hic creditori ſoluere debita fugientis vide infra V. culpa.

Vtrum legatum liberandi carceratum quolibet anno factum licitè extendatur ad defendendum ne quis carceretur.

DIFFIC. VIII.

AFfirmat *Rebuffus in ſua prax.* quã citat, & ſequitur *Nald. v. carcer n. 3.* ex eo, quia in pœnis melius eſt præſeruare ne incurratur, quam liberare ab incurſis pro quo facit *gloſ. in l. veteres.*

Cardinalis.

Vnde Cardinalis nomen ſit deriuatum.

DIFFIC. I.

CArdinalis nomen à voce græca Καρδία, quæ cor noſtro ſonat idiomate, quaſi Cardinalitia dignitas ſit cor Eccleſiæ, cuius caput eſt Papa, & ſi fortè inſulte, non tamen extra propoſitum, quod ſuam trahat ęthimologiam putarunt aliqui, etenim ſicut caput eſt prima, & nobilior pars hominis, vtpotè præcipua ſedes potentiarum animæ rationalis, cor autem in quo ſecreta à capite conduntur, & ab ipſo manifeſtantur, eſt cæteris membris pars nobilior, ita Cardinalitia dignitas tanquam cor Eccleſię eſt cæteris dignitatibus præcelſior, ipſi .n. à Papa ſecreta ſuorum conſiliorum cõmunicantur, & ab ipſo per ſacras congregationes cęteris effectualiter manifeſtantur.

Alij autem ab hac voce latina Cardines deduci putarũt hoc nomen Cardinalis & fortè ſignificantiori modo, ſed non eadem ratione philoſophantur Doctores.

Eugenius enim IV. Summus Pontifex in epiſt. ad Archiep. Cantuarienſem docet Cardinales à Cardine vocari, quia ſicut ſuper Cardines voluitur oſtium, ita ſuper Cardinales, Sedem Apoſtolicam, quæ totius Eccleſiæ eſt oſtium quieſcere, & ſuſtentari praxis ipſa apertè demonſtrat.

Gloſa autem in extrau execrabilis de pręb. & dignit. aſſerit, quod Cardinalis ſit dictus, quia Sedi Apoſtolicæ, quę axis eſt, & Cardo cæterarum Eccleſiarum 26 diſt. ſacr. ſanct. inſeruit, arg. 1 diſt. c. cleros & 16. q. 1. c. ſi cupis & c. de epiſc. & cler. l. decernimus.

Nec in ſignificanter alij dictos Cardinales à cardine putarunt, vel quia ſicut Cardines oſtij ſunt immobiles, ita etiam Cardinales in dicenda veritate in conſiſtorio ad publicam vtilitatem debent eſſe immobiles, & fortes, ita vt etiam ſi odium incurſuros nouerint, eam aperire teneantur ſi enim axes vaccillant, tota Ianua etiam vaccillat, vel quia Cardines vocantur etiam cæleſtium orbium poli, & Cardines, ſuper quos cæleſtes illæ ſpheræ voluuntur, & ſuſtentari etiam perhibentur, qui non ſolum ſunt immobiles, verum etiam incorruptibiles, ita etiam Cardinales ſuper quibus orbes noſtræ Catholicæ fidei dogmatum, & articulorum ſubſtentantur, & voluuntur ab omni malorum affectuum labe debent eſſe immunes, vt cęteri exẽplo ab eis diſcãt quod opere proſecũtur.

Quanta, & quam antiqua ſit cardinalatus dignitas, & an Patriarcatu maior, & prima poſt ſummum Pontificatum habenda.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod Cardinalitia dignitas eſt tanta poſt Papatum, vt potius veneranda ſilentio, quam dictis, vel ſcriptis obumbranda videatur, eſt enim ita Papatui proxima, vt inuiſcerata non ſolum dicatur Papatui, vt loquitur Hoſtienſis in c. antiqua ſub nu. 5. verſ. ſed quæ poteſt eſſe ratio extra de priuileg. vnde propter dictam inuiſcerationem cum Papa, à Cardinalibus Papa non exigit iuramentum obedientiæ, & fidelitatis, iurant enim ſolum honorem, & authoritatem S. Romanæ Eccleſiæ, ipſinſque Papæ conſeruaturos, aucturos, & promoturos, vt docet præpoſitus in c. quamquam ſub n. 15. verſ. 3. patet 2. q. 7. & Paleot. p. 1. q. 5. verſ. quod ex magis, verum etiam quædam identitas videtur eſſe Cardinalium cum Papa, vt optimè Io. Andr. in c. requiſiſti n. 12. ad fin. de teſtem ita vt Rodericus Zamor. Epiſc. in ſpec. vitæ hum. p. 2. cap. 8. dicat quod quicquid fauet, & nocet Sedi Apoſtolicæ fauet, & nocet Cardinalibus.

Quare Cardinalibus pauperibus debet prouidere de redditibus, ipſius fiſci, quia ex D. Paulo ad Epheſ. 5. nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit eam, cor enim Papæ ſunt Cardinales, pars corporis ipſius, inuiſcerati cum ipſo quaſi identificati cum Papa; hinc notant Doctores aliqui, quod Cardinalis æger exiſtens in curia non poteſt ſanguinis miſſionem pati ſine ſpeciali licentia Papæ. Ita ex Hoſtienſi Perez in Pentateuto fidei tr. 3. dub. 3. c. 8. Villadiego de Cardin. qu. 5. n. 13. Gomez de nobil. Hiſp gl. 48. §. 3. n. 47. Moſc. de maieſt. militantis Eccleſ. l. 1. d. 2. c. . & Manfrad. de Card. dec. 18. & alij.

Vnde Eugenius Quartus in dicta Epiſt. ad Arch. cantuar. hiſce verbis noſtrum dictum confirmat. (ipſos præterea Cardinales pro honoris, & dignitatis eminentia partem ſui corporis Summi Pontificis appellant, ex quo ſine vlla dubitatione oſtenditur poſt caput Eccleſiæ, qui eſt Papa, contigua ſui corporis membra, quæ ſunt fratres eius Cardinales præ cæteris Eccleſiæ membris, ac partibus honorati debere adeo quidem, vt in ſacris canonibus ſancitum ſit eos, qui in Cardinales violentas manus iniecerint, aut fugarint, aut in ſecuti fuerint, ſeu ad hoc conſilium dederint, vel fauorem, criminis læſæ Maieſtatis reos maximis, & multiplicibus pœnis eſſe plectendos, ac ſi Apoſtoli throni violauerint maieſtatem, quod in ipſos, qui Patriarchas, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos offenderint, ſtatutum minimè reperitur) & infra dignitatum Cardinalitiam exagerant exemplo Conſtantini Imperatoris ita proſequitur.

(Sed & ille notiſſimus Conſtantinus Imperator animaduertens ad quam magnum, & publicum Vniuerſalis Eccleſiæ officium ipſi fratres noſtri vocati eſſent, ſic inquit, Volumus etiam deinde ſui Ordinis Reuerendiſſimos clericos Sanctę R. E. ſeruientes ſingulos habere illud ſanctũ culmen potent ę.

& excellentiæ, cuius Sāctiſſimus noſter Senatus videtur gloria adornari in Patritios conſules fieri, quos antè Patritios conſules ſecundum leges, vna ſumma dignitate Imperator Patres ſibi elegit, & loco patrum ſe honorari affirmat, (hæc Eugenius Papa in confirmatione, quod poſt Papam maxima, & præcelſior cæteris ſit dignitas Cardinalitia.

Dico ſecundo, quod ex eadem Epiſtol. Eugenij 41. habetur, quod antiquiſſima fuerit in Eccleſia Dei hęc dignitas Cardinalitia, & à beato ipſo Petru inſtituta, cuius verba formalia adducenda putaui ad maiorem legentium ſatisfactionem. (Quippè, & ſi huius dignitatis nomen, quod modo in vſu eſt, ab initio primitiuæ Eccleſiæ non ita expreſſum fuit, officium tamen ipſum à Beato Petro, eiuſque ſucceſſoribus inſtitutum videtur, inuenies, imò vt inquit Innocentius Tertius ex veteri teſtamento iuſſu Dei traxit originem, aſſerit enim id quod Deuteron. 17. dicitur, vt pro difficultate, & ambiguitate iudicij accedatur ad ſacerdotes leuitici generis, & Iudicem qui fuerit illo tempore, & obediatur ipſorum iudicio, qui præſunt loco, quem Dominus elegerit, de Summo Pontifice intelligendum eſſet, & fratribus eius ideſt S. R. E. Cardinal. qui ei iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij coadiutores exiſtunt, itaque & tunc Eccleſiæ, ſicut hodie Summis Pontificibus in regenda, gubernandaque Vniuerſali Eccleſia aſſiſtebant, vt ex Concilio Stephani Papæ colligitur dicentis, oportet, vt hæc Sacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia, iuxta quod à Beato Petro, eiuſque ſucceſſoribus inſtitutum eſt ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus culmine vnus de Cardinalibus præsbyteris, aut Diaconis conſacreretur datur manifeſtè intelligi hos fratres noſtros, qui inter Cardinales locantur tempore Beati Petri extitiſſe) nihil iſtis Eugenij, & Innocentij, & Stephani Pontificum authoritatibus luculentius, & firmius pro antiquitate Cardinalitiæ dignitatis afferri poteſt.

Dico tertio, quod Cardinalitia dignitas quoad adminiſtrationem, & Officium aſſiſtendi Pontifici, & iuriſdictionem, & regimen Eccleſiæ Vniuerſalis, quam cum Summo Pontifice adminiſtrant, & regunt maior eſt quocunque Patriarcatu, Archiepiſcopatu, & Epiſcopatu, & quamuis Epiſcopatus maior ſit ratione poteſtatis ordinis tamen vt probat Eugenius Quartus, in prælationibus Officium, & dignitas, ſiuè iuriſdictio præponderat ordini, quemadmodum iure cautum eſt Archidiaconus non Presbyter ſuæ iuriſdictionis obtentu Archipræbytero præferatur, ſimili modo Diaconus, Subdiaconus, aliuſue Clericus noſter, aut alicuius Metropolitani Vicarins, ſeu locum tenens in Synodo, & alibi quoſcunque ordine maiores etiam Epiſcopos antecedit propter illius iuriſdictionem, quam exercet perſonam, quæ repręſentat, ſic & electus ad Eccleſiam Cathedralem ratione iuriſdictionis cunctis in ſua Diœceſi præeminet.) hæc Eugenius Papa. Quare Cardinalis vndecumque dignior, & eminentior quolibet etiam Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo ratione regiminis vniuerſalis Eccleſiæ, quam cum Papa adminiſtrat, licet ordinis poteſtate ſit inferior.

Vnde reiiciendus *Mauritius Alzedo in ſua prax. Epiſcop.* aſſerens Epiſcopatum digniorem Cardinalatu, & non audiendus *Dacianus de probat. l b. 2. cap. 26. nu.* 141. vbi docet Cardinales præferri quidem cæteris Patriarchis, & Archiepiſcopis, & Epiſcopis non tamen Conſtantinopolitano, Alexandrino, Anthiocheno, & Ieroſolymitano, quia nullus iſtorum regimini, & adminiſtrationi vniuerſalis Eccleſiæ præficitur ſicut Cardinales, propter quod regimen, & adminiſtrationem Vniuerſalis Eccleſiæ cum Papa iure optimo cæteris, & ſingulis Patriarchis, qui ſolum vni Prouinciæ, vel nationi præficiuntur, exiſtimandi ſunt digniores, & in ſedendo, ambulando, ſubſcribendo, & diffiniendo, & in qualibet actione præcedere alias dignitates omnino debent. Ita Eugenius Papa loc. cit.

Dices in multis concilijs præcipuè Cartaginenſi Quatto Epiſcopi Cardinales præcedebant, & *D. Auguſtinus epiſtol.* 19. ſic ait loquens de ſe in comparatione D. Hieronymi (quāquam enim ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit Epiſcopatus maiori præſtitero ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt) erat autem Hieronym. Præsbyter Cardinalis.

Reſp. verum eſſe, quod olim Epiſcopi Cardinales præcedebant, quando ſcilicet ſexcentis, vel octingentis annis primi; Cardinales nō erant ſoli, & primarii Papæ Conſiliarii, ſed Pontifices ad grauiora negotia cogebant conſilia nationalia, in quibus Epiſcopi, & Cardinales conueniebant, & æquè, vel magis etiam Epiſcopi adiuuabant Papam pro regimine vniuerſalis Eccleſiæ in illis concilijs, atque adeo nil mirum ſi illis temporibus Epiſcopi Cardinales præcedebant, poſtea vero mutatus ordo, & in concilijs Nicæno, Ephæſino, Calcedonenſi 6. 7. & 8. Synodo Generali Presbyteri Cardinales ante Epiſcopos ſederunt, tum quia illis regimen Eccleſia vniuerſalis ſpecialius, quam Epiſcopis à Papa demandatum, tum quia ad ſolos Cardinales Papæ electio deuoluta vt refert *Bellarmin. T. 1. libr. 1. de cler. cap. 16. §. quantum ad 3.* Ad Auguſtinum autem vel dicendum ſuo tempore adhuc Cardinales non fuiſſe in poſſeſſione præcedentiæ ante Epiſcopos, vel dicendum eſt, quod tunc temporis quando Auguſtinus ſcripſit non fuiſſe adhuc creatum Cardinalem Beatū Hieronymum, ſed fuiſſe tunc ſimplicem Presbyterum, vel quod locutus ſit de maioritate poteſtatis ordinis qua Epiſcopus maior eſt Cardinali, vnde Epiſcopus Cardinalis præcedit etiam Præsbyterum Cardinalem, quod autem ait Vaſq. Hieronymum non fuiſſe Cardinalem videtur opponi potius: Eccleſiæ praxi, dum ſub Cardinalis habitu vndecumque depictus aſpicitur.

Vtrum Cardinalatus ſit ordo, & quo iure inſtitutus, & an minui, & augeri valeat.

DIFFIC. III.

Dico primo, quod Cardinalatus ex communi omnium ſententia non eſt ordo vnus ex Sacramentis, quia nullo modo nec mediatè, nec immediatè, nec principaliter, nec miniſterialiter, nec proximè, nec remotè ordinatur ad ſacramentum auguſtiſſimum Euchariſtiæ, & eius ſuſceptio nec auget, nec confert per ſe gratiam Vide *Palacium in 4. diſtinc. 24. quæſt. 2. Sotum ibid. artic. 4. Sanchez. in opuſc. T. 2. l. 7. c. 1. dub. 10. & Fernandez in exam. Theol. p. 3. c. 11. §. 4.*

Dico ſecundo, quod *licet Baldellus T. 3. lib. 8. diſput. 7. num. 11. Suar. de leg. l. 4. cap. 6. Azor T. 2 l. 4. c. 1. quæſt. 3. Bonacin. tract. de elect. Sum. Pont. diſp. 1. q. 1. p. 1. §. 3. Palacius, & Sanch. loc. cit.* velint Cardinalatum eſſe de iure poſitiuo inſtitutum à Summis Pontificibus pro tempore, nec haberi locum in Sacra Scriptura, in quo inſtitutus appareat, nec vllam traditionem adeſſe, quæ à iure diuino inſtitutum doceat.

Attamen probabilius puto cardinalatum quoad officium, & adminiſtrationem, & aſſiſtentiam Romano Pontifici in regimine vniuerſalis Eccleſiæ eſſe de iure diuino, quod probat Eugenius Quartus in Epiſtol. ad Archiep. Centaurienſem, ex authoritate etiam Innocentii tertii, cuius verba formalia retulimus in præcedenti difficultate, dico ſecūdo, idem etiam docuerunt *Albanus tract. de Cardinal. qu. 5. D. Antoninus p. 3. tit. 21. c. 1. Turrecrem. lib. 1. de eccleſ. c. 80. Seda de benefic. in præfat. miſſ. Iacobatius de concil. l. 1. art. 12. Lancellott. in Templo Iud. l. 2 c. 2. §. 1. Mathias Vgon. de conc. fol. 59. col. 3. & 4 Borell. in ſumm. omnium deciſ. tit. 5. nu. 8. & Manfred. tract. de Cardinal. q. 105.* & alij, & colligitur ex primo Regi c. 2. vbi habetur Domini ſunt Cardines Terræ, & poſuit ſuper eos orbem, & ex cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi §. rationibus vbi Pontifex ait fratres ſuos quos ſic vocat Cardinales in Leuitici generis ſacerdotibus fuiſſe adumbratos, quod etiā deducitur ex *cap. fundamenta de elect. in 6. ad quos ſimul, & iudicem* difficilia, atque ambigua referebantur Deuteron. 17. ex actus.

Dico tertio, quod Papa licet numerum Cardinalium poſſit augere, & minuere iuxta Eccleſiæ neceſſitatem, & negotiorum maiorem, vel minorem vrgentiam, & multiplicitatem, tamen omnino extinguere hunc Eminentiſſimum cœtum non poteſt, dum de iure diuino probabilius demonſtratur, ſed nec decet, ſicut enim Deus olim Moyſi iunxit ſeptuaginta viros, eiſque de Spiritu eis dedit, vt ſuſtentarent cum eo onus populi, ne ipſe ſolus grauaretur, ita Summo Pontifici ad ſuſtentandum onus vniuerſalis Eccleſiæ Deus inſtituiſſe videtur Cardinales viros ſapientes, & virtutibus emicantes. *Vide Cacchum inſtitut. canon. libro 2. titul. 4. number. 52. Lancellott. & Manfred. loc. cit. & concilium in Theſ. Theol. V. Cardinalis §. 10.*

Quod

Digitized by Google

Quod autem poſſit Pontifex numerum Cardinalium minuere, & augere patet in praxi, nam tempore Pontiani Pontiani Pontificis extitiſſe 236. Cardinales teſtatur præcipuè *Laudenſis de Cardinal. quæſt. 2. Campanil. in diuerſ. iur. can. rubr. 7. cap. 6.* quorum poſtea numerum Sixtus V ad ſeptuaginta redaxit, quem numerum nec ſemper æquandum iure debet *Palæot. de ſacr. conſiſt. par. 4. quæſt.* 1. quæ enim per pauciora fieri poſſunt, non ſunt multiplicanda Entia ſine neceſſitate, & Iuriſtæ volunt, quod non quicquid Iudicis committitur poteſtati, ſubijcitur neceſſitati, iuxta ergo exigentiam negotiorum in praxi patet Cardinalium fuiſſe maiorem, & minorem numerum.

Dico quarto, quod ſi Papa vellet extinguere Sacratiſſimum collegium, cum opinio ſit, probabilis, eſſe ſolum de iure poſitiuo, non peccaret, quia ſine ſcrupulo peccati mortalis poteſt quis ſequi probabilem, relicta probabiliori vt fuſe V. opinio dicetur, bene tamen verum eſt ſine notoria cauſa id executioni mandare non eſſe congruum, nec decens, & forte valde Reipubl. Chriſtianæ exitioſum, modo alios ſibi non aſciſceret adiutores ad tantum pondus ſuſtinendum.

Cuius ætatis debeant eſſe Cardinales.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod de iure ordinario, & communi Epiſcopus Cardinalis, vel etiam Presbyter Cardinalis debet eſſe in ea ætate, quæ requiritur ad Epiſcopatum ſimplicem hæc autem, vt à Gregorio XIV. ſancitum fuit die 15. Maij 1591. debet eſſe annorum triginta completorum, ita etiam ſentiunt *Monfred. de Cardinal. deciſ. 244. T. 2. l. 6. num. 46. Cardinal. Paleot. de Sac. conſiſt. p. 4. quæſt.* 1.

Dico ſecundo, quod Diaconi Cardinales ſufficit, quod ſint ætatis annorum viginti duorum de iure ordinario, de quibus hiſce verbis ſtatuit *Sixtus V. conſtitut.* 50. §. 6. (*neque poſthac* quoſpiam in *Diaconum Cardinalem* aſſumi poſſit, niſi ſaltem *in vigeſimoſecundo* ſuæ ætatis anno *fuerit conſtitutus*, itaut omnino intra *annum ad ſacrum* Diaconatus ordinem *valeat, & debeat* promoueri, alioquin *ſi anno elapſo* ad ipſum Diaconatus ordinem *promotus* non fuerit, eo ipſo tam in *conſiſtorialibus*, & omnibus alijs *actibus*, *& negotijs* Cardinalitijs, quam etiam *iuxta conſtitutionem* felic. recordat. Pij Papæ IV. *prædeceſſoris* noſtri voce actiua, & *paſſiua* omnino careat, & priuatus exiſtet.)

Dico tamen tertio, quod cum par in parem non habeat imperium, & ſucceſſorum Pontificum non poſſint Prædeceſſores coarctare poteſtatem, poſſunt vtique ſucceſſores Pōtifices ſummi creare Cardinales in minori ætate. vnde Gregorium vndecimum minorem annis decem fuiſſe creatum Cardinalem refert Platina, & obſeruat Henriq. l. 10. c. 27. n. 4. quod Papa nouiter electus ſolet conferre ſuum Cardinalatum ſuo cognato proximiori quantumuis adoleſcenti, & alijs etiam ob inſignem nobilitatem, & indolē, de quibus multum Eccleſiæ Dei pro futuros ſua authoritate certiſſimè ſperatur.

An ad ſolos Cardinales pertineat eligere Papam, & quomodo formam teneantur ſeruare in eligendo.

DIFFIC. VI.

Affirmandum omnino ad ſolas Cardinales relatam fuiſſe poteſtatem eligendi Papam, & hodie pacificè à Cardinalibus poſſideri praxis quotidiana demonſtrat, quod autem decentiſſimum fuerit ad ſolos Cardinales reducendam fuiſſe talem poteſtatem *perſuadetur 23. diſt. can. In nomine Domini & c. licet extra de elect. & cap. vbi periculum eod. lib. in* 6. ſcilicet ne tantus Epiſcoporum cœtus à remotiſſimis partibus Romam ad eligendum conuocaretur, non enim ſine magno incommodo Epiſcoporum propter difficultatem itinerum, & non ſine magna Eccleſiæ vniuerſalis iactura talis conuocatio fieret, cum tempus ſanè longum tranſiret, antequam de nouo vniuerſali Paſtore prouideretur. Ita communiter.

Quod *Sotus de iuſtitia lib. 3. q. 6. a. 1. aſſerit* poteſtatem eligēdi Papam ad Cardinales deuolutam fuiſſe de facto, non autem de iure, non videatur ita certum, nam in cap. licet de elect. ſupponitur hoc de iure illis competere, quo ſuppoſito ſtatuitur electiones aliorum Prælatorum Eccleſiæ validas eſſe, modo fiant à maiori parte capituli, electionem vero Papæ debere fieri à duabus partibus Cardinalium, qui ad illam conuenerint, & in cap. vbi periculum eodem titulo præſuppoſito de iure Cardinalibus conuenire electionem Papæ agitur de conclaui, in quo incluſi, remanent Cardinales ſoli ad electionem faciendam Pontificis.

Porro quam formam ſeruare debeant Cardinales in electione Summi Pontificis extat hodie *Conſtitutio Gregorij XV. & Vrbani VIII.* in qua non ſolum traditur forma electionis præciſè, verum etiam iuramenti, & deputationis Cardinaliū ad ſuſcipienda infirmorum ſuffragia, præcipitur autem, ſcrutinium ſecretum bis ſingulis diebus, manè quidam poſt miſſam de Spiritu Sancto celebratam, & poſt prandium, ad quod Cardinales non infirmi poſt tertium campanę ſignum ad ſolitum intra conclaue locum conueniant, ſecretum ſeruent, vt à pactionibus, conuentionibus, promiſſionibus, alijſque obligationibus, minis, ſignis, contraſignis ſuffragiorum, alijſque huiuſmodi tam reſpectu incluſionis, quam excluſionis, ſeu ſuffragio dando, vel non dando abſtineant.

Item vt electio non fiat niſi clauſo conclaui, alioquin electio ſit nulla, & non fiet niſi per ſecreta ſchedularum ſuffragia, vel per viam compromiſſi, vel quaſi per inſpirationem iuxta formam ibi impoſitam, & hæc omnia ſub excommunicationis pœna ipſofacto ſoli Papæ reſeruata iubentur, vel inhibentur.

Item prohibetur ne quis ſibi ſuffragium ferat ſub pœna nullitatis electionis de quo ſi dubitetur, aperienda eſt ſchedula electi ad inſpiciendum an ſibi ipſi ſuffragium tulerit. Electio autem vt dictum eſt ſupra ſi duabus partibus Cardinalium debet neceſſario fieri, præterquam in electione per inſpirationem de qua infra.

Electio autem per compromiſſum iniri præcipitur omnibus conſentientibus, compromiſſarij eligendi plures, & hi præſentes in conclaui, nullus autem poteſt ſe compromiſſarium eligere, & nullus compromiſſarius poteſt ſe eligere in Pontificem.

Electio per inſpirationem facienda eſt omnibus conſentientibus per verbum eligo intelligibili voce prolatū, niſi forte ſit infirmus, qui debet ſcripto exarare per verbum Eligo, vno autem diſſentiente, aut præcedente aliquo tractatu de perſona acclamanda in valida eſt electio.

Cæterum electione non ſecuta per ſcrutinium inſtituendus eſt acceſſus, peracto enim ſcrutinio poteſt alteri ſemel accedere ſchedulæ autem tam ſcrutinij, quam acceſſus debent peragi hoc modo videlicet, vt electi nomen ſcribatur immutato charactere, & ſimul adducta certa nota, ſeu ſigno, & illa pars ſchedulæ in qua ſigna apponuntur complicanda eſt. Multa alia in dicta Bulla ordinantur, & præcipiuntur, quæ breuitatis cauſa prætermitto.

Vnum ſolum hic ſeriò adnotandum, quod excommunicationes latæ in hac conſtitur. Gregorij XV. afficiant nū ſolum Cardinales, ſed etiam quando electio fieret conclaui non clauſo, aut non ſeruata forma ſcrutinij acceſſus, compromiſſi, vel quaſi inſpirationes, etiam complices, & fautores excommunicantur, cuius excōmunicationis abſolutio ſoli Pontifici maximo, præterquam in mortis articulo, reſeruatur adempta facultate abſoluendi ab eo cuicumque conditionis, & gradus exiſtat, etiamſi foret Summus Pœnitentiarius. Itaque nec Epiſcopi vigore facultatis ſibi traditæ à Concil. Trid. nec Regulares vigore ſuorum priuilegiorum poſſunt ab hac excommunicatione abſoluere.

Denique notandum, quod Cardinales cenſura qualibet irretiti non repelluntur ab electione Papæ, iſta ſtatuitur in clem. Ne Romani de elect.

Negandum etiam in hac materia Cardinales non teneri obedire Papæ ſimoniacè electo, & complices electores Symoniacos cadere ab anni dignitate, nec poſſe conſequenter concurrere ad alium eligendum. Ita Iulius II. conſtitut. 3. quæ incipit cum tam diuino dat. Kalend. Febr. anno 1505. apud C. de nuben. T. 1. pag. 404. & Scortiam in de lect. conſilit. epit. 50 quare intanto ſcelera non complices poſſunt, & debent alium catholicum, & tali peſte non infectum eligere excluſis Cardinalibus Simoniacis.

Vtrum Cardinales teneantur intra gremium conclauis, vel ſaltem collegij Cardinalium eligere Papam.

DIFFIC. VI.

Dico primo, quod licet multi, & non ſpernendę authoritatis Doctores uoluerint Cardinales poſſe extra gremiũ conclauis, & Sacri etiam collegij intra tamen gremium Eccleſiæ Catholicæ eligere Papam, ex eo quia electio ſupremi, & generalis, communiſque Paſtoris, & omnium Epiſcoporum optimi non debet redigi intra paucos Cardinales neceſſario, cum poſſet accidere non reperiri aliquando optimum, & digniſſimum, licet inter eas numquam deeſſet dignus, & aptus. Ita videntur docere. *D. Anton. in ſum. Tom. 3. Tit. 21. c. 2. §. 7. Pet. Nauar. de reſt. l. 9. c. 2. n. 170. Campanil. in diuerſ. iur. can. rubr. 7. c. 6. n. 71. & Sot. de iuſt. l. 3. q. 6. art. 1.*

Attamen poſt decretum *Stephani tertij in capit. oportebat diſtinct. 79.* vbi ſub hiſce verbis ſtatuitur (oportebat vt hęc Sacro Sancta Romana noſtra Eccleſia (iuxta quod à Beato Petro, & eius ſucceſſoribus inſtitutum eſt (rite ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen vnus de Cardinalibus præſbiteris, aut Diaconibus conſecraretur;) quare

Dico ſecundo cum Lancellotto in templo *Iudic. l. 2. c. 1. de Pontific. §. 2. q. 4.* eſſe nullam, ſtante hoc decreto, electionem Papæ factam extra collegium Cardinalium, & licet aliqui putent electionem eſſe validam, ſi quando eligerent aliquem extra gremium Cardinalium, vt docent *Anegna, Barboſa, Lauorius, & Azorius,* quos citat, & ſequitur *Diana reſol 63. & Bonac. tra. de elect. Sum. Pont. diſp. 1. q. 1. §. vnico n. 19.* attamen hoc verum ſolum modo, quando intra collegium Cardinalium non adeſſet dignus, & idoneus, quod in praxi vix poſſet credi verum, poſſet etiam dici, quod in caſu maximę inter eos diſſenſionis, & talis, vt non poſſet fieri electio alicuius ex ipſis, tunc diuino iudicio hoc permitti putãdum, vt aliquis alius optimus intra gremium Eccleſię extra collegium eligatur validè in Papam, ne tamdiù Eccleſia ſine Paſtore gubernetur, vt forte accidit tempore Cæleſtini V. qui extra collegium electus fuit.

Ratio autem quare intra gremium Cardinalium debeat fieri electio Papæ, eſt illa, quia ex ordinaria praxi quam habent in adminiſtrando vniuerſalis Eccleſiæ regimine regulariter ſunt magis idonei, & apti, quam alij extra gremium ipſorum. Ita noſter *Villalob. in ſum. T. 2. tra. 8. diff. 3. nu. 8. Burſatus volu. conſ. 126. Manfred. de Cardinal. deciſ. 299. Moſcon. de maieſt. milit. Eccleſ. l. 1. c. 3. & Barboſ. in Decret. Grati. p. 1. diſt. 79. cap. oportebat.*

Vtrum Cardinales teneantur eligere digniorem, & an electa digno prætermiſſo digniori, tuta conſcientia poſſit dignus electus acceptare Summum Pontificatum.

DIFFIC. VII.

Dico primo, quod certum eſt de congruo ſaltem teneri Cardinales ad Papatum eligere digniſſimum, quia ſi eligendus ad curam animarũ alicuius parochialis tenetur Epiſcopus eligere digniorem, tanto magis congruit, ad generalem totius orbis animarum curam non ſolum digniorem, ſed digniſſimum eligere, attamen quia ſumus in electione per ſuffragia in qua libertas ſumma requiritur, ne ſcrupulis nimis angatur eligens quiſnam reputetur dignior, vel digniſſimus poteſt vtique eligere eum, qui ſuo iudicio videtur dignus, modo ſibi non cõſtet eſſe indignum, vel ineptum, itaque ſalua ſemper Sanctę Romanæ Eccleſiæ determinatione putarem non peccare mortaliter Cardinalem eligentem aliquem dignum in Papam, cum ex in libera electionis non teneatur requirere merita perſonarum, ſed ſolum, vt non eligatur in dignus. vide infra v. electio.

Dico ſecundo, quod dignus electus in Papam prætermiſſo digniori licet velint, *Petrus Nauar. de reſtitut. lib. 3. cap. 2. nu. 63. & aduerſus in 2. 2. D. Thom. diſput. 4. quæſt. 8 dub. ſecunda.* peccet acceptando papatum, quia dignior habet iuſtitiam diſtributiuam ad Papatum, quam non habet minus dignus, quare dicunt facere contra iuſtitiam ſi acceptet Papatum, attamen omnino aſſerendum non peccare, quia dignus electus ex vi electionis comparauit ſibi ius ad poſſeſſionem Papatus, vtitur ergo iure ſuo illum acceptando, & conſequenter cum vtatur iure ſuo non facit contra iuſtitiam. Ita Sotus *de iuſtitia lib. 3. quæſt. 6 art. 2. poſt nonam concluſ. Turrian. T. 2. in 2. 2. D. Th. diſp. 2. dub. 3. n. 8. & Diana reſolut. 85.*

Poteſt etiam dici conſequenter ad rationem poſitum in primo dicto, quod ſi non peccant Cardinales eligendo dignum prætermiſſo digniori, nec peccat electus dignus prætermiſſo digniori.

Dico tertio, quod maximè verum eſt, quod Cardinales poſſunt eligere dignum prætermiſſo digniori, quando maior pars inclinat ad eligendum dignum prætermiſſo digniori, quia magis dignus nec eligeretur, & ipſi faciliter in odium inciderent electi, ſi cum maiori parte ipſi non eligerẽt; quod verum puto, etiamſi iuraſſent eligere digniorem, nam iuramentum intelligitur ſi æquè bene id poteſt fieri, in tali autem caſu ſuffragium dantes minus digno, ad quem inclinat maior pars, non poſſent æquè benè eligere digniorem. Ita etiam noſter *Villalob. T. 2. tract. 8. difficul. 3. nu. 8. Ioann. Valer. in differ. vtr. for. v. electio Riec. p. 3. deciſio. 214. Siluius 2. 2. quæſtio. 63 art. 2. & Diana vbi ſupra.*

Vtrum Cardinales ſi duo ſolum, vel etiam vnus remanerent in conclaui poſſint validè Pontificem ſummum eligere.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod licet. *Caſtr. Palaus T. 1. tract. 3. diſput. 1. punct. 23. num. 20.* & alij negent ex eo, quia apud Sac. Canones, quando agitur de electione Papæ, vt videre eſt in cap. vbi periculum, & clem. Ne Romani ſemper eſt ſermo de collegio, & cœtu, collgium autem, & cœtus non poteſt conſtitere in duobus, tantominus in vno, ſed ad minus tres faciunt collegium, & cœtum ex l. Neratus de verb. ſignif.

Attamen contrarium probabile puto cum gloſa *in clemen. Ne Romani de elect. §. porro litt. ſi* vbi dicit, quod ſi vnus Cardinalis remaneat in conclaui ad ipſum ſpectabit electio, ita etiam *Laudenſ. de Cardin. quæſt. 14. Pauin. de offic. cap. ſed. vac. præſ. 5. num. 8. & probat Manfred. deciſ. 796.* quia ius, & nomen Vniuerſitatis in vno ſeruatur l. ſicut, vbi Barr. §. in Decurionibus ff quod cuiuſque vniuerſitatis, nec obſtat textus in c. Neratius. & gloſ. in c. r. & c. licet de elect. quia & ſi actu collegium in vno conſiderari nequeat, benè tamẽ in vno virtualiter totum collegium, & cœtus dicitur remanere.

Dico ſecundo, quod licet nullus poſſit eligere ſe ipſum, tamen ſi vnus Cardinalis remaneret in collegio poſſet permodum compromiſſi alteri electionem Papæ demandare, qui ipſum Cardinalem, dum alius non adeſt, nomine totius collegij Cardinalium tanquam compromiſſarius debeat eligere. Ita *Abbas in cap. licet. in fine de elect. in 6. Albanus autem dicit opinionem Abbatis* eſſe verã, quando cæteri Cardinales exijſſent de Conclaui, vel omnes eſſent abſentes, non autẽ ſi eſſent mortui, at vero quænã ſit ratio huius limitationis non video, abſolutè ergo dicẽdum videtur in quocunque caſu modo negligerent venire, & irrationabiliter eſſent abſentes cæteri Cardinales ab vno poſſe electio fieri. Vide *Bonac. Dianam Salas, & cæteras præcitatas.*

Vtrum Cardinales electi, & creati à Papa, antequam inſignia accipiant Cardinalitia, & os eis fuerit apertum habeant, ſi interea præmoriatur Papa, vocem actiuam, & paſſiuam in ipſius electione.

DIFFIC. IX.

Vertebatur hæc difficultas ſub opinione probabili in vtraque parte, ante tempora Pij V. & recentiores, quam antiquiores, non eamdem proferebant ſententiam, at vero præfatus Sanctiſſimus Pontifex, ne in tanto negotio fluctuaretur anno Domini 1571. die 26. Ianuarij determinauit Cardinales iam electos, & creatos à Papa habere vocem actiuam, & paſſiuam in electione Summi Pontificis, etiamſi inſignia Cardinalitia tradita non fuiſſent, & os apertum ei non fuerit; ſub his verbis (Pius Papa V.) *quia aliquando dubitatũ, vtrum Cardinales,* quibus os clauſum eſſet, ſi *antequam* eis aperiretur, Sedis vacatio *eueniret, vtrum* inquam in electionem *Summi Pontificis* votum haberet. Sanctitas *ſua exquiſitis* RR. DD. ſententijs de eorum *aſſenſu, &* conſenſu decreuit, quod

cum

Digitized by Google

eum potiſſima Cardinalis facultas in Romano Pontifice eligendo conſiſtat, quæ ſane ipſis propter inſignium, & ceremoniarum defectum auferri non debet, ob eam cauſam ſanctitatem ſuam ſtatuere, vt poſtquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & conſenſum ſuum dederit, is ſtatim vocem, & ius eligendi Romanum Pontificem habeat, & conſequatur, etiam ſi Cardinalatus galerus non dum illi traditus ſit, neque os clauſum, aut ſi clauſum fuerit, nondum tamen apertum ſit, videri enim huiuſmodi claudendi oris ritum ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa electionem Summi Pontificis verſatur non pertinere, ſed ceremoniam quamdam eſſe ea de cauſa introductam, vt Cardinales antequam in conſiſtorijs, & congregationibus ſuffragium ferant de modeſtia, quæ ab ipſis in his, & alijs actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, &c. ſub die 26. Januar. 1571.) hæc ex decreto Pij V.

Idem etiam confirmauit Gregor. XV. in Bulla de Ceremoniali idus Martij 1612. vide pro hac difficultate Lauorium in vac. elucubrat. tit. 3. c. 3. n. 16. ex cuius deciſione.

Collige interficientem, & offendentem Cardinalem electum, & creatum, ſi iam ſuæ promotioni dederit aſſenſum, & conſenſum incidere in excommunicationem Bullę Cœnę, etiam ſi dictus Cardinalis offenſus, vel occiſus galerum non acceperit Cardinalitium, galerus enim eſt quid accidentale ad veram rationem Cardinalatus, vt patet ex decreto Pij V. Ita etiam docent *Bonac. in B. C. diſp. 1. q. 12. punc. 2. n. 3. Duard. l. 3. can. 11. q. 6. Vgol. c. 11. §. 1. Souſa in B. C. diſp. 1. q. 12. diſp. 60. & Diana vbi ſupra reſ 74.*

Vtrum ſi Cardinales non expectato tempore à iure definito ad expectandum abſentes, de facto eligant Papam ex ipſorum omnium, vel duarum partium conſenſu electio ſit valida; quid ſi intra præfinitum tempus propter nimiam diſtantiam venire nequeant, an neceſſario expectandi poſt elapſum à iure tempus.

DIFFIC. X.

AFfirmant electionem eſſe validam ſi non expectato numero dierum decem ad expectandos abſentes Cardinales præfinito à iure vt videre eſt in *c. vbi periculum de elect. in 6.* ad electionem Papæ procedant Cardinales præſentes, modo electio facta ſit ex ipſorum omnium, vel duarum partium conſenſu, quia in d. c. generatim dicitur nihil excipi, aut opponi poſſe ſi Pontifex ſit electus ſuffragijs duarum ſaltem partium Cardinalium. *Azor. 1. t. l. 4. c. 4. q. 5. Lauor. in var. Elucubrat. tit. 4. c. 3. n. 4. & Diana reſolut. 75.*

Attamen Albanus de Cardinalibus q. 14. inualidam putat huiuſmodi electionem, quia cum tempus certum lex præſcribit, ſpectare videtur ad ſubſtantiam actionis ex Authent. quę ſupplicat. c. de prec offerend. 9. cum decem diebus expectari Cardinales abſentes lex præſcribat, tale tempus ad validæ electionis ſubſtantiam pertinere dicendum eſt, & quidem probabilius, quia beneficium iuris nemini auferendum 28. *diſt. de his*, & de re iudicata *c. indultum in 6.* præterquam quod multa daretur occaſio abſentibus non expectatis iuxta præfixum numerum opponendi de nullitate, & ſchiſmata ſuſcitandi, ideo potius dicendum pertinere ad validitatem electionis tempus præfixum expectandi abſentes, & lex præcipiens nihil opponi poſſe contra electionem factam ex omnium, vel duorum partium Cardinalium, loquitur ſuppoſito, quod expectatum ſit tempus ab ipſa lege præfinitum pro aduentu Cardinalium abſentium.

Verum ad hoc putarem in hac difficultate diſtinguendum, nam vel periculum eſt in mora, quod ſatis probabiliter diſcuſſum à præſentibus fortiter timetur in graue damnum communitatis Chriſtianæ, Catholicæ fidei, vel Sedis Apoſtolicæ, & in hoc caſu dicerem ex pia legis præfatæ de expectandis decem diebus interpretatione, quod ſcilicet in tali periculo non obliget, quod valida ſit electio facta ex communi, vel duarum partium Cardinalium præſentium conſenſu, vel ſi abſentes ita ſint pauci, puta ſi vnus, vel duo abeſſent, & reliqui adeſſent omnes, ita vt etiam ipſis præſentibus, & conuenientibus communi vel duarum partium electioni, adhuc ſine ipſorum ſuffragijs electio facta foret, extimarem cum prima opinione validam eſſe electionem, ſi ipſi iuxta terminū præfatum à iure præſcriptum non expectarentur, quia nihilominus ſine ipſis electio conſiſteret valida, ita etiam *ex g. ofatum d. c. vbi periculum*. At vero ſi maior pars Cardinalium abeſſet, & minor pars eſſet præſens, ita vt ſi adeſſet illa maior pars, talis electio forte non fuiſſet facta, in fraudem legis ſanè talis expectatio contemneretur, atque adeo doloſa electio præſumenda, & conſequenter inualida habenda cum ſecunda opinione.

Quod vero abſentes in tanta diſtantia, & infra dierum decem numerum poſt mortem Pontificis nequeant venire, nō ſint expectandi poſt elapſum numerum decem dierum probant communius ex d. c. vbi periculum. *Ita Azor. Lauorius, Albanus, & Diana loc. cit. licet Manfredus dec. 226. qui citat pro ſe gloſam, Bald. Iaſonem, & Iacobatium*, contrarium fateatur, & ſanè parum probabiliter, quia Cardinales ſcientes præfixum talem terminum à lege debent illum præuenire Romę, vel in partibus vicinis cōmorando, alioquin ſibi imputandum, quod beneficio legis frui nequeant ob diſtantiam.

Vtrum ſi Papa moreretur, vel eſſet depoſitus eo tempore, quo Concilium generale eſt actu congregatum, ſpectaret electio Papæ ad Cardinales an verum ad Concilium.

DIFFIC. XI.

DIſtinguunt aliqui, quod Sede vacante per obitum Papæ, vel eius voluntariam renunciationem ad Cardinales omnino pertinere electionem etiam quando actu Conciliū generale eſſet congregatum, quia Cardinales a Papa, vel à iure diuino acceperunt poteſtatem eligendi Papam, & non à Concilio; ergo Concilium ab ipſis hanc poteſtatem tollere nequit quia Concilium non eſt ſupra Papę, vel iuris diuini authoritatē, quod ſi Papa ſit à Concilio depoſitus, vel eius electio declarata nulla, putant tunc electionem pertinere ad Concilium, nam habens auctoritatem deponendi electum, vel electionem irritandi, habet etiam authoritatem eligendi, ad Concilium autem ſpectat in crimine Hæreſis Papam deponere, & electionem irritare ex c. ſi Papa diſt. 40. *Ita Albanus de Card. q. 35. & Cucchus Inſtitut. Canon. l. 2. tit. 4. num. 5c.* adde quod volunt electionem Pontificis à Concilio ad Cardinales eſſe reſtrictam ob difficultatē congregandi Conciliū, ergo congregato Concilio, remanet apud ipſum auctoritas Papam eligendi.

Attamen alij probabilius nolunt ſolum in caſu, quo Papa eſſet ob crimen Hæreſis depoſitus a Concilio, & Cardinales eſſent etiam talis criminis participes, vel ſaltem grauiter ſuſpecti; aut veriſimiliter credi poſſet, ſi Cardinales eligerent Schiſma, vel magna in Eccleſia perturbatio orirentur, quod tunc pro tali caſu poſſet Concilium Cardinalibus ſuſpendere poteſtatem eligendi Papam, & procedere abſque ipſorum ſuffragijs ad noui Pontificis electionem, non autē poſſet in perpetuum hanc authoritatem eis tollere, cum a Papa, vel à iure diuino vt dictum eſt ſupra data ſit Cardinalibus hæc Papæ eligendi poteſtas. Ita etiam *Azorius, & Diana loc. cit.*

Vtrum Cardinalis impeditus poſſit vices ſuas alteri demandare in creatione Summi Pontificis.

DIFFIC. XII.

NEgant *Azor. t. 2. c. 2. q. 9. cum Ancharano, & Phylippo Franco, Megalius in promptuar. V. Cardinalis num.* 19. ex eo quod talia poteſtas Cardinalibus à iure non eſt cōceſſa.

Ceterum *Manfred. de Cardinal. deciſ. 280 Paleot. de Sac. conſiſt. p. 5. q. 7. & Mandragor. de elect. Prælat. c. 10. 11. & 12.* volunt poſſe alteri vices ſuas demandare in Papæ electione Cardinalem legitimo detentum impedimento, poſſeque alterum Cardinalem procuratorem conſtituere, qui nomine ſuo ſuffragium ferat in electione Papæ, quod probant *ex c. ſi quis, iuſto de elect. in 6.* vbi ſancitur abſentem legitimo detentum impedimento poſſe alteri demandare, Procuratoremque conſtituere, qui ſuo nomine ferat ſuffragium in electione.

Vtramque probabilem puto, ſecundam tamen iuri communi conſentaneam, primam vero tanquam rationi congruam, multa enim incommoda orirentur ex hac facultate conſtituendi Procuratores pro abſentium Cardinalium ſuffragijs ferendis.

Illud tamen notandum eſt, quod ſi ſecunda opinio amplectenda foret in praxi, iuxta præfatum caput, ſi quis iuſto, debet Procurator illi ſoli ſuffragium ferre, qui ſpecialiter nominatur

Digitized by Google

natur in litteris ſuæ procurationis, quare abſens debet iuxta præfatum caput ſpecialiter nominare cui ſuum ſuffragium debeat dare, nec poteſt Procurator alium ad ſuum libitum nominare pro ſuo mandante.

Vtrum Cardinales non Epiſcopi habeant ius præſentiæ, & Iudicij in Concilijs generalibus.

DIFFIC. XIII.

NEgaruut aliqui ex eo, quia ſolis Epiſcopis à iure datur ius præſentiæ,& iudicij in Concilijs generalibus,Cardinales autem non Epiſcopi habentur tanquam ſimplices ordinarij in ſuis Eccleſijs Titularibus.

Attamen ex communiori Doctorum calculo affirmatiuè reſpondendum, quia cum ſint, Cardines terræ, & Dominus poſuerit ſuper eos orbem non ſolum in ſuis titulis habent iuriſdictionem, nec ſolum ſicut Epiſcopi in proprijs Diœceſibus, ſed eorum poteſtas reſpicit regimen vniuerſalis Eccleſiæ ſimul cum Papa, atque ideo vocantur Papæ conciliarij. aſſeſſores, atque cooperatores iuxta verba Bonifacij VII. & à D.Bernardo ad Eugenium ad Papā ſcribens vocat Cardinales ſeniores populi, Orbis iudices, & de Cardinalibus aptatur illud pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, ideſt pro Apoſtolis Cardinales, ideo ſequitur conſtitues eos principes ſuper omnem terram, quare vt Hoſtienſis, & Ioan. Andreas aſſerunt quod maior eſt coniunctio,imò identitatis vnio inter Cardinales, & Papam, quam inter ſe ipſum,& Vniuerſos alios etiā Epiſcopos,vnde pas corporis Papæ, & ſpecialia eius membra vocantur, cur ergo non habeant ius præſentiæ, & iudicij in Concilijs generalibus, qui regimini totius Eccleſiæ deputantur, & Eccleſiaſtica negotia, & fidei dogmata ſuper eos tanquam oſtium ſuper cardines volutari debent. *Isam etiam Lotherius de benef. l.1.l.1.q.8. Didacus ab Alaua ſec.1. & alij.*

Vtrum Papa poſſit ardua Eccleſiæ negotia abſque conſenſu Cardinalium definire.

DIFFIC. XIV.

CErtum mihi eſt Papam poſſe abſque conſenſu Cardinalium quælibet quantumuis ardua negotia Eccleſiæ definire, cum eius poteſtas non dependeat in definiendo à Cardinalibus, cum ſoli Petro, & ſucceſſoribus eius Suprema, & independens ab alijs vniuerſalis Eccleſiæ poteſtas ſit tradita, vt probatur in c. multum 2. q.6. & c. cum ea de pœnit. & remiſſ. & iura paſſim proclamant maiora Eccleſiæ negotia ad Sedem Apoſtolicam referenda *ex 6. rogamus, c. quoties 24. q. 1. c. duo… 3. q.4. & c. maiores* de baptiſmo, hanc autem Sedem Apoſtolicam ſolum tenere Romanum Pontificem probat *text. in c. hæc eſt fides 24. q.1. vide Panorm. in c.2. n. 3 de cler. non reſid. & Valenz. in monuorio Pauli V. p.6.n.97. & 98. ex … orzam in Emptor. iuris p.1. tit. 3. n.13. maxima enim ex parte læderetur* Summa Pontificis poteſtas ſi à ſuis ſubditis neceſſariò in definiendo dependeret.

Nec obſtat, quod aliqui contrarium docentes velint Papam non poſſe abſque Cardinalium conſenſu ardua expedire huiuſmodi ſunt Cardinales creare, Epiſcopos transferre, generalem legem promulgare feuda magna concedere, legatum à latere mittere, bellum indicere, alienare res Eccleſiæ pretioſas, & hiſce grauiora ſimilia. quia vocantur Cardinales con Iudices Papæ, & Apoſtolorum loco ſuccedunt quæ parem cum Petro poteſtatem habuiſſe probat text. in c. in nouo, ibi pari conſortio 12. *diſt.* & confirmant exemplo hanc doctrinam, quia Benedictus Vndecimus ſuſpendit ſtatuta, quæ Bonifacius confirmauerat abſque Cardinalibus Marchianis, ita videntur ſentire Archidiac. *in c. ſicut quidam 25. q.1. & in c. cum Redemptor 12. q.2. & Cardinalis in conſ.150. & in c. perpendimus de ſent. excom. & in c. licet de elect. Ripa rubr. de conſtitut. n.2. & alij.*

Non obſtant inquam, quia Papa dicitur habere Cardinales con Iudices.& cooperatores ſolum quoad conſilium,quod ſequi non imponit neceſſitatem,præcipuè dum à ſubditis datur Superiori, Cardinales autem verè ſunt ſubditi Papæ, eorum ergo conſilium non tenetur ſequi, cum conſilia non cadant ſub præcepto aduerſus Superiorem, alioquin Superior ſubditis ſubderetur, quod ſanè contradicit, quare *ex c. citato in Nouo* non colligitur quod Apoſtoli habuerint parem poteſtatem ſupremæ iuriſdictionis, ſed ſolum parem poteſtatē, & honorem quoad officium prædicationis, & abſoluendi à peccatis; Principatum autem, & Superioritatem ſuper eos Petro datum fuiſſe in ipſo eadem cap. docetur, verba autem huius Canonis hæc ſunt (hic ergo ligandi, ſoluendiq; poteſtatem primus accepit à domino, primuſque ad fidem populum ſuæ prædicationis virtute adduxit, verboque Inſtituit, ceteri vero Apoſtoli pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt, qui iubente Domino in toto orbe terrarum diſperſi Euangelium prædicauerunt,ipſis quoque decedentibus in loco eorum Epiſcopi ſurrexerunt) ex quibus verbis clarè liquet Petrum fuiſſe Principem, & in principatu nullus Apoſtolorū fuit æqualis Petro, alioquin Eccleſia fuiſſet multi cephala & conſequēter monſtruoſa, æquales ergo Petro alij Apoſtoli in virtute prædicandi, & abſoluendi, non autem in alijs iuriſdictionalibus pertinentibus ad principatum vt Princeps eſt.

Dicuntur etiam Cardinales con Iudices, & cooperatores quoad iuriſdictionem ſibi à Papa delegatam,non antē quoad poteſtatem ſibi ordinariam,& in praxi in tantum Cardinales ſunt Iudices,in quantum à Papa delegantur in varijs Eccleſiæ negotijs; Nec exemplum Benedicti Vndecimi contra Bonifacium noſtrę poſitioni eſt contrarium,nam Benedictus Vndecimus non reuocauit illa ſtatuta ſimpliciter ex eo, quia nō poterat Bonifacius ea condere abſque conſenſu Cardinaliū, ſed ſtatuta non erant vtilia, & ſine conſenſu Cardinalium Marchianorum forte videbantur,vel iniuſtè, vel ſaltem non congruè condita in præiudicium talium Cardinalium, poteſt enim quandoque Papa, quando è Cathedra non docet, tanquam homo errare in regimine non pertinente ad fidem. Quare

Non eſt negandum Papæ valde congruere, & conuenire, vt in rebus arduis, & grauioribus Eccleſiæ negotijs adhibeat, & ſequatur conſilium Cardinalium, & vt loquitur textus in c. fundamenta §. decet de elect. in 6. ſub his verbis (*Decet Romanum Pontificem per fratres ſuos S.R.E. Cardinales libera habere conſilia*) vt enim Eccleſ.32. (*Rectorem te poſuerunt noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*) & *infra* (*fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.*) decet ergo Superiorem quemlibet conſilium capere etiam à ſubditis Senioribus, & doctis; quod enim fit cum conſilio temerè non fit, & vbi ſunt duo, vel tres cōgregatiui nomine meo, in medio eorum ſum,ait Dominus, vnde diuina inſpiratione poteſt etiam dici factum, quod conſilio multorum in Dei nomine adunatorum ſtatuitur, & ordinatur, itaque Papam maxime decet adhibere conſilia ſuorum fratrum Cardinaliū, qui tamen conſultoris ſolum officium exequuntur, non autem legum conditoris munus, & nomen vſurpant. Vide *Manfred. deciſ.237. Palæot. q.3. & Valenzuol. p.6.n. 97. loc. cit.*

Vtrum Cardinales Sede vacante, poſſint leges vniuerſales condere, & alia iuriſdictionalia exercere.

DIFFIC. XV.

IN varias ibant ſententias antiquiores circa hanc difficultatem, vt videre eſt *apud Albanum de Cardinal. deciſ.6.* attamen hodie clare ſtatuitur *in clem. Ne Romani de elect.* vbi ſic habeatur (*Irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid poteſtatis, aut iuriſdictionis ad Romanum, dum viueret Pontificem pertinentis, niſi quatenus in conſtitutione prædicta permittitur, captus ipſe duxerit, eadem vacante Eccleſia, exercendum*)

Excipitur autem in conſtitutione citata Vbi periculum de elect. in 6. ſub his verbis (*ijdem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius,quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſitan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod oporteret eos de terra ipſius Eccleſiæ defendenda,vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande,& tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.*

In Clementina autem præfata *Ne Romani* datur ſolum facultas Camerarium, & Pœnitentiarios maiorem, & minores, ſi ſede vacante moriantur, ſubrogandi.

Videnda etiam pro hac materia quæ ſtatuuntur à Pio V. in conſtitut. quæ incipit *in eligendis, data Romæ idibus Octobris* 1562. Ex quibus

Colli-

Colligunt Doctores Recentiores præcipuè Cardinales mortuo Papa poſſe primo vbi immineret, ſede vacante periculum amiſſionis alicuius loci, vel iuriſdictionis Eccleſiaſticę, aut rei ſimilis omnibus ſimul conſentientibus, aut ſaltem duobus illorum tertijs partibus per ſuffragia illi periculo occurrere per quaſcunque ordinationes neceſſarias, & prouiſiones debitas. Secundo pro coercendis ſceleribus, ſeditionibus, ſeruanda quiete, & obedientia poſſe imponere pœnas corporales, & ſpirituales. Tertio ad eoſdem fines obtinendos poſſe Gubernatorem vrbis, tam vltra, quam citra pontē, & alios officiales, & miniſtros mutare, de nouo eligere, & confirmare etiam in quocunque loco Status Romanæ Eccleſiæ propter eoſdem fines poſitos. Quarto poſſe deputare adminiſtratores, vt facilius expediantur ea, quæ imminent pro electione. Quinto poſſe iudicare Papam intruſum, dum ipſi Canonicæ vacant electioni. Sexto cetera omnia poſſe ordinare, quæ negotium electionis, vel publicam quietem, & ſalutem periclitantis Status Eccleſiaſtici, eiuſdem ſingulorum locorum, & iuriſdictionum obtinendam, vel ſeruandam pertinent. *Ita Zalin. Lauor. in var. c. elucubrat. tit. 3. c. 3. n. 27. & ſeq.* Septimo poſſe etiam Cardinales Sede vacante dare Reuerendas. docent *Maiol. & Salzedo, quos citat, & ſequitur Sanch. in opuſc. t. 2. l. 1. dub. 20. n. 39. & Diana reſol. 9. quia Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 10.* non videtur limitare Sede Apoſtolica vacante Cardinalium iuriſdictionem, ſed ſolum capituli Sede Epiſcopali vacante dumtaxat.

Vtrum Cardinales Epiſcopi dum Romæ commorantur excuſentur à reſidentia ſuarum Eccleſiarum.

DIFFIC. XVI.

HOdie hæc difficultas manet non ſolum ſoluta per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de Reformat.* vbi omnes Epiſcopos etiam Cardinales ſtatuitur in ſuis Eccleſijs, vel ſaltem Diœceſibus reſidere debere, verum etiam *ex Bulla Vrbani VIII.* recentius Cardinalibus reſidentia in ſuis Epiſcopatibus præſentialis præcipitur.

Itaque niſi ſpeciali indulto, & diſpenſatione Papæ Cardinales Epiſcopi non poſſunt extra ſuas Diœceſes commorari, nec Romæ commorari, niſi negotia ſpecialia à Romano Pontifice ibi, vel alibi peragenda committantur, nec valet quod dicit *Germonius tract. de Cardin.* quod tacita Papæ approbatio ſufficit ad excuſandos Cardinales Romę reſidentes, qui ſcit, & tolerat eos ibi commorari, nam ſimplex permiſſio, & fortè moleſta ſibi pacientia Papæ non præbet diſpenſationē in iure diuino, huiuſmodi eſt reſidentia, diſpenſatio enim debet fieri cauſa cognita, & iure exiſtente, quare cum Papa per ſimplicem permiſſionem, & patientiam non cognoſcat cauſam, quam Cardinalis non notificat, non dicitur diſpenſare Cardinali Romæ exiſtenti, vt non reſideat in ſuo Epiſcopatu, & conſequenter à peccato per talem Papæ permiſſionem, & tolerantiam non excuſatur Cardinalis Epiſcopus non reſidens in ſuo Epiſcopatu. Vide *Sanctarell. var. reſol. t. 5. q. 2. per totum.*

Quare multi Doctores vt videre eſt apud eundem *Sanctarellum* probant Epiſcopatum eſſe incompatibilem cū Cardinalatu, quia de iure communi Cardinales debent Papæ aſſiſtere pro communi Eccleſiæ Vniuerſalis Regimine, quod contraria conſuetudine falſum videtur, nam Cardinalatus eſſentialis facultas eſt conſtituita in eligendo Pontifice, & ſecundariò in aſſiſtendo Papæ pro regimine, in quo quia nō omnes ſunt neceſſarij, ideo alios poteſt ad Epiſcopatus aſſumere, maximè ſi non habeant, vnde honorificè alantur, & facti iam Epiſcopi debent reſidere, niſi à Papa ſpecialiter Romam vocentur, vt ibi ſpecialia negotia ipſis committant.

Vtrum Cardinales ex omni natione ſint aſſumendi.

DIFFIC. XVII.

SAnè ex omni natione aſſumi debere ſtatuit *Sixtus, V. in conſtitut. poſtquam anno* 1586. quoadmodum congruere patet ex eo, quod æquum eſt vt ex omni lingua, & natione adſit Cardinalis, qui tanquam tutelaris Pater ſuæ nationis negotia, & deſideria libentius audiat, & diligentius tractet cum Sede Apoſtolica, vt ab eo præſentius ſuæ Nationis, & linguæ homines præſidium in Romana Curia tanquam linguę, & morum perito inueniant, & auxilium promptius experiantur. Ita *Caiet. institut. can. l. 1. Tit. 4. num. 112. Barboſa de iur. Pont. l. 1. cap. 53. cap. n. 13.*

Verum eſt tamen, quod conuenientius maior pars Cardinalium à ſtatu Eccleſiaſtico aſſumendi, quia maiori libertate ad electionem Pontificis procedunt vt pote, qui nullius alterius ſæcularis Principis ſui nationalis obligatione deuincitur. Ita etiam *Ioann. Garzias de nobilit. Hiſpan. gloſ. 48. §. 3. num. 54. & Cherubinus ex Iacobatio in compend. Bull. T. 2. Bulla 52. Sixti Quinti.*

Vtrum Cardinales in conſiſtorio poſſint ſine ſcrupulo veritatem, & alia neceſſariò dicenda tacere.

DIFFIC. XVIII.

SEntentia *Albani de Cardinal. quæſt.* 10. probans non poſſe ſine ſcrupulo tacere veritatem, cuius prætermiſſo vniuerſali Eccleſiæ obeſſet, etiam ſi omnes alij in contrariam ſententiam irent, admodum probabilis, & à verè Cardinalibus ſequenda, fortè enim fieret, vt alij inuictam veritatem alacriter proferentem ſequerentur, qui enim veritati innititur, ei Deus, qui veritas ipſa eſt ſemper ſuo auxilio præſens ſolet eſſe, qui ab aliorum odio liberet.

Cæterum ſi res dubia ſit, nec euidenter, & notoriè conſtaret eſſe contra commune bonum Eccleſiæ, licet ſibi probabiliter eſſe malum videatur, poterit tuta conſcientia Cardinalis ſequi maioris partis ſententiam, non enim videtur errare, qui cum multis ſentit. Vide *Azor. T. 2. l. 4. c. 13. q. 17.*

Vtrum Cardinales comprehendantur in conſtitutionibus generaliter latis, & in regulis cancellariæ illis, quæ ſunt odioſæ.

DIFFIC. XIX.

IN hac difficultate alij abſolutè aiunt, alij abſolutè negant, alij probabilius diſtinguunt comprehendi in cenſuris generaliter latis, affirmant, *Paulus de caſtro. in l. fin. in princ. ff de verb. ſignific. Bonac. de legib. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 6. num. 34. & Vgolin. de cenſ. Tab. 1. c. 17. §. 6. num. 10.* Negant comprehēdi in conſtitutionibes generaliter latis Cardinales, quia multoties in ipſis generaliter latis ſpecialiter exprimuntur, ergo quando non exprimuntur, ſanè non debent includi. Ita *Alban. de Cardin. q. 42. Germin. de Sacr. immun. l. 3. c. 6. Mandoſius reg. 9. de infirm. q. 2. Laudenſ. de Cardinal. q. 62. Iacobat. de concil. l. 1. art. 12. & alij.*

Probant etiam Cardinales non includi in generalibus conſtitutionibus ex eo, quia quæ ſpeciali nota ſunt dignę, niſi ſpecialiter exprimantur, omiſſa eſſe cenſentur *ex c. quia periculoſum de ſenten. excommu. & affirmant Gloſ. in* c. 2. *de præb. in 6. paris de reſignat. benef. l. 12. qu. 4.* Cardinales autem ſpeciali nota ſunt digni, cum ſint fratres ipſius Papę pars corporis ipſius, vnde videtur Papa contra ſe ipſum pœnas ferre, ſi Cardinales includeret in pœnis, quare ſi non ſpecificentur, non comprehenduntur. adde quod lex generaliter lata non comprehendit caſus ſpecialiter priuilegiatas, vt aſſerunt, *Gloſ. in Auth. de hered. quæ ab inteſt. & Gomez in c. ſtatutum de reſcri. in 6. Felin. in c. 1. de reſcr. & Iaſon in l. poſtquam lit. col. fin. C. de pactis.* delicta autem Cardinalium ſunt caſus ſpecialiter priuilegiati, vt potè qui Senatores, & Principes vniuerſæ terrę, vocantur, & ideo ſolet poni, quando includere eos intendit Papa, clauſula cuiuſcumque ſtatus, præeminentię, dignitatis exiſtant.

Diſtingunt tamen alij probabilius, quòd Conſtitutio pœnalis ſiuè cum cenſura, ſiuè cum alia pœna corporali prohibens aliquod faciendum, quod ex ſe non eſt intrinſecè malum ex ſui natura, ſed ſolum ex aliqua circumſtantia extrinſeca non comprehendit Cardinales niſi exprimantur; & ad hoc probandum valent rationes ſecundæ opiniones; quod maximè hodie ſuadetur *poſt decretum Vrbani VIII.* iubentis titulo eminentiſſimi ſingulos Cardinales colendos, tanquā ſuper omnes alios priuilegiatos, diſpoſitio autem loquens de ſimplicibus non trahitur ad perſonas habentes mixturam qualitatum, maximè ſi vna qualitas ſit dignior altera *de legat. 1. Titia textores de legat. 3. l. legatis ſeruis §. ſi vnus ff. de Adul. l. nam paſſatu §. præſcriptiones, & l. mariti latrocinium §. fin. ff. de ſtatu hominum, & de teſtibus l. quæritur, & 4. q. 3. c. Teſtes*

§. Her-

§. Hermaphroditus, *& docent Tiraquell. de leg. connub. gloſ. 5. num. 71. Caphalus l. 1. conſ. 26. Alexand. l. 5. conſ. 140. Surdus l. 3. conſ. 430. Thuſc. practic. concluſ. V. mixtus caſus concluſ. 294.* & alij, decet enim peculiari dignitate, & prærogatiua fulgẽtes in materia odioſa non comprehendi in conſtitutione pœnali, quando res quæ prohibetur de ſe non eſt intrinſecè mala, niſi ſpecialiter exprimantur, ergo Cardinales eminentes ſuper omnes alios in Eccleſia Dei peculiari dignitate, & poteſtates non comprehenduntur in conſtitutione pœnali prohibente faciendum, quod non eſt ex ſe intrinſecè malum, niſi exprimantur. Quare

Dicendum è contrario, quod conſtitutio pœnalis prohibens faciendum, quod ex ſe eſt intrinſecè malum etiam Cardinales liget, quia dignitas, & ſi eminentiſſima non debet liberare ab obligatione legum, quarum tanta eſt vis, vt omnes obſtringat, vnde Auguſta, quæ gaudet priuilegijs, quæ habet Princeps *l. fiſcus §. fin. ff. de iure fiſci ſub generali vinculo talium legum comprehenditur l. Princeps ff. de leg. niſi ipſa ſpecialiter eximatur l. penult. C. de donat. inter vir. & vſor. l. bene à Zenone C. de quadr. præſcr. & axioma eſt Iuriſtarum ex l. digna C. de legib. quod digna vox maieſtate regnantis legibus allegatum ſe Principem profiteri.*

Quare cum id quod eſt de ſe intrinſecè malũ omnes aſtringit vitare quantumcunque priuilegiatos vt V. lex fuſius dicetur ergo conſtitutio pœnalis prohibens intrinſecè malum etiam Cardinales comprehendit, decet enim Cardinales, qui ſoles ſunt Eccleſiæ ab omni actu intrinſecè mali caligine per pœnales etiam conſtitutiones arceri, & in hoc ſenſu maximè audiendi ſunt primæ opinionis Authores. Ex qua diſtinctione multi caſus particulares in hac materia decidi poſſunt. Quare

Dico primo, quod Cardinales includuntur in canone ſi quis ſuad. Diad. & in Paulina Ambitioſæ, etiamſi non exprimantur, quia tam percuſſio clerici, quam alienatio rei Eccleſiaſticę eſt de ſe intrinſecè mala contra ſtatum Eccleſiaſticũ, illiq; admodum iniurioſa eſt percuſſio, & damnoſa alienatio. Vide *Monachum in extr. excommunicamus de ſent. excommu. V. clericus, Felin. in c. quod ſuper his de fide inſtrum. columna 4. Filiucc. T. 3. tract. 44. c. 3. num. 79. & Sanctarell. var. reſol. §. 1. reſol. 2. num. 28.* quam doctrinam etiam extende ad pacta Symoniaca, quæ ex ſe ſunt etiam intrinſecè mala, & cætera huiuſmodi.

Dico ſecundo, quod conſtitutio pœnalis, quæ prohibet facienda ad vitandas fraudes, cum ordinetur etiam ad vitanda intrinſecè mala comprehendit etiam Cardinales, nam cum maiori dignitate polleãt, decet eos maximè eſſe alienos fraude *c. cum quidam de iureiur. & l. presbyter. C. de Epiſ. & cler. Ita Pariſius de reſignat. l. 8. queſt. 8. num. 148. & l. 12. q. 4. nu. 8. & Capuaquenſis l. 1. deciſ. deciſ.* 211.

Quare comprehendi volunt in regulis illis etiam odioſis Cancellariæ, quæ ad vitandas fraudes feruntur, licet non exprimantur, Ita etiam cum prædictis ſentiunt *Filiucc. loc. cit. Gonzalez in reg. 8. cancell. gloſ. 24. & Lottherius de benef. in Bul. Pontif. epith. 41. Theorem. 114. & alij.*

Dico tertio, quod quando lex pœnalis fertur immediatè in ſalutem animarum, ad quam præcipuè debent inuigilare Cardinales, vt potè ad regimen totius Eccleſiæ adminiſtrandum deſtinati etiam comprehendi eos licet non exprimãtur. Ita *Monachus, & Sanctarell. loc. cit. & præpoſ. in c. non licet in princ. diſt. 10.*

Quare conſtitutiones pœnales pertinentes ad reſidentiam in proprijs Epiſcopatibus comprehendere Cardinales volunt præfati Doctores, quia ad ſalutem animarũ ordinatur, etiam ſi non exprimantur.

Dico quarto, quod lectio librorum Hæreticorum cum ex ſe non ſit intrinſecè mala, cum ad bonum finem ordinari valeat, ſicut etiam pluralitas beneficiorum, quæ etiam non eſt de ſe intrinſecè mala, & huiuſmodi ſimilia, quæ non contradicunt præpoſitis dictis ſi à pœnali conſtitutione prohibeantur non comprehenduntur Cardinales, niſi exprimantur. Vide Meroll. T. 1. diſp. 1. l. 2. coroll. 7. diffic. 11. n. 147. Germonium de ſacr. Immun. l. 3. c. 6. n. 56. Manfred. de Cardin. deciſion. 191. & quod puta certum de cõgrua pluralitate, non ita certum de ſuperflua ſuo ſtatui.

Vtrum Cardinales in ſuis Eccleſijs titularibus ordines minores conferre, cenſuras fulminare, indulgentias concedere, beneficia prouidere, & eorum reſignationes accipere, vltimas voluntates commutare, & in votis diſpenſare in quibus Epiſcopi, & abſoluere à reſeruatis in virtute Concilij Trid. in c. liceat ſeſſ. 24. c. 6. & ſimilia Epiſcopalia iuria exercere licitè valeant.

DIFFIC. XX.

DIco primo, quod Cardinales in ſuis Eccleſijs Titularibus, an ſuis familiaribus poſſint conferre minores Ordines, & primam Tonſuram licet multi negent, & præſertim ex modernioribus ex *Ledeſma Sanch. in opuſc. T. 2. l. 9. c. 1. dub. 19. & Germon. in tract. de indul. Cardin. §. tam ratione, n. 20.* quia à Concilio Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. de rogatur facultas conferendi Minores ordines quibuſcunque etiam ex immemorabili conſuetudine, & Cardinales in ſuis Titulis ea poſſe ſolum docet Germanius, quæ ſunt iuriſdictionis, non quæ ſunt ordinis, attamen poſt Concilium Tridentinum Doctores Grauiſſimi poſſe Cardinales in ſuis Titulis, & ſuis etiam familiaribus conferre primam Tonſuram, & minores ordines probant ex Pontificis Summi ſcientia, & tolerantia. Vide *Barboſ. in Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 9. & de poteſt. epiſc. part. 2. alleg. 5. n. 19. vbi teſtatur ita ſenſiſſe Rotam in iure canon. 3. Decembris* 1582.

Dico ſecundo Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs habere poteſtatem concedendi centum dies Indulgentiæ probat noſter *Corduba de indulg. c. 10. & noſter Villalob. in ſum. T. 1. trac. 26. diffic. 5. num. 10. Palud. in 4. diſt. 20. q. 4. art. 3.* an vero de iure, an de conſuetudine, Nauarr. ſolum de conſuetudine non de iure, cum nullibi id inueniatur expreſsè conceſſum in iure, certum tamen eſt vt notat noſter Villalob. quod ex conſuetudine, & ex tacito Summi Pontificis conſenſu ſcientis, & non prohibentis, poſſe Cardinales indulgentias centum dierum in ſuis Titulis præcipuè concedere, an vero extra ſuas Titulares Eccleſias hanc poteſtatem ex tali conſuetudine concedendi centum dies Indulgentiæ, vbicunque, & quibuſcumque contendunt multi ita in praxi à Dominis Cardinalibus obſeruari.

Dico tertio, quod Cardinales valeant in ſuis Eccleſijs Titularibus cenſuras excommunicationis, & interdicti fulminare eſt communis canoniſtarum ſententia. Vide *Felin. Abbatem, & Pontium in c. de his, quæ de maior. & obed. & hac ratione notant Laudenſis de Cardinal. queſt. 19. & 21. & Barboſa in collect. in Cod. T. 1. l. 1. Tit. 33. c. 11. n. 3.* poſſunt etiã Pontificalibus vti inſignijs, & ſolemni ritu in ſuis Eccleſijs benedicere etiam ſi Epiſcopi non ſint. Nota etiam quod cum ſint ordinarij in ſuis Titulis poſſunt eorum etiam Vicarij generales in ipſis Eccleſijs, & locis ſubiectis cenſuras fulminare, & reliqua iuriſdictionalia exercere, Sacerdotes, & clericos corrigere, & punire ex c. his, quæ ſupra citat.

Dico quarto Cardinales, quando ſunt in Vrbe poſſe in ſuis Titularibus Eccleſijs, & locis ſubiectis ratione ſuorum Titulorum beneficia, quæcunque in ipſis vacantia conferre, licet iure ordinario tanquam beneficia in Vrbe ad Papam ſpectẽt eorum collatio, verumtamen hanc poteſtatem peculiariter in ſuis Titulis Cardinalibus confert Papa tanquam ſuis ſpecialibus fratribus, & vt etiam ad Romæ commorandum dulcius alliciat. Vide *Germon. tract. de indulg. Cardin. §. tam ratione nu. 14. & Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſ. 13. num. 20.* Abſentes vero à curia Cardinales ea conferre minimè poſſunt, ſed Papæ reſeruantur vide Ioann. Chokher. in comment. Reg. 1. cancell. num. 25.

Vnde infer ex *Flamminio Pariſio de reſignat. benef. l. 7. queſt. 12. & Mandoſio in Reg. 7. cancell. q. 1. num. 5.* poſſe accipere reſignationes beneficiorum in ſuis Titulis Cardinales, poſſeq; beneficijs priuare ex eo, quia beneficia conferre illis eſt indultum in ſuis Titulis, quod etiam extendunt ad Cardinales in ſuis Epiſcopatibus, Abbatijs, & Prioratibus, in quibus ſi poſſunt reſeruata beneficia conferre in menſibus etiam Papę ex priuilegio particulari, poſſunt etiam beneficiorum eorundem reſignationes recipere.

Dico quinto, quod cum Cardinales habeant in ſuis Eccleſijs Titularibus iuriſdictionem Epiſcopalem, vt de iure communi probant Doctores communiter Vide Imolam ex clem. *ne Romani de elect. Gonzal. ad Reg. 8. cancell. gloſ. 13. num. 20. Sanch. de matrim. T. 1. lib. 3. diſp. 28. & Gilenzonium conſil. 63.*

conſe-

conſequenter, & probatur ex tex. c. his, quæ de maior. & obedien. poſſunt dare licentiam aſſiſtendi Matrimonio etiam ſacerdoti non Parocho, vt docent *Sanch. loco cit. & Baſil. Pont. de matrim. l. 5. c. 10. n. 6. Quare*

Dico ſexto, quod poſſunt etiam commutare vltimas volũtates, in quibus poſſunt Epiſcopi, quia ad iuriſdictionem Epiſcopalem id pertinet, quam Cardinales exercent in ſuis Titulis. vide Monetam de vlt. volunt. c. 5 q. 13. concluſ. 1.

Dico ſeptimo, quod licet *Suar. de relig. T. 2. l. 6. c. 10. & Sanchez tum. T. 1. l. 4. c. 3 & nu. 2.* velint non poſſe Cardinales in ſuis Titulis in votis diſpenſare ſecluſa conſuetudine, attamẽ, quia diſpenſare in votis non reſeruatis Papæ pertinet ad iuriſdictionem Epiſcopalem, id etiam in ſuis Titulis in quibus vt dictum eſt ex cap. his, quæ præcitato exercent iuriſdictionem Epiſcopalem poſſe de iure Cardinales, dicendum eſt. Ita etiam *Moneta loc. cit. & Diana reſolut. 58.*

Dico octauo, quod licet aliqui negent Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs poſſe vti facultate abſoluendi, & diſpenſandi data Epiſcopis à *Conc. Trid. in d. c. liceat.* quia hæc facultas datur Epiſcopis contemplatione propriæ Diœceſis, attamen ſi cæteris ordinarijs Epiſcopo inferioribus docet probabiliter in ſalutem animarum ſibi commiſſarum concedi etiam talem facultatem Concil. *Rodr. qq. Reg. T. 1. quaſt. 61. ar. 9. Henriq. l. 14. cap. 15. & lib. 6. cap. 16. Sanchez in ſumm. t. 1. l. 4. c. 38, num. 19.* & alij, quare denegandum Cardinalibus, qui maioris ſunt dignitatis, & excellentiæ, Adde quod Domini Cardinales in ſuis Titulis Præsbyteralibus, & Diaconalibus poſſunt dici habere quandam Diœceſim licet modicam poſitam infra fines Romani Territorij, vt docet Moneta loc. c.

Dico nono, quod probabile eſt Cardinales poſſe in ſuis Titulis exigere charitatiuum ſubſidium, quia id etiam pertinet ad ius Epiſcopale, quod habent Cardinales in ſuis Titulis. *Ita ex Chaſſaneo affirmat Benrigens de Gonnes tract. de charitat. ſubſid. quaſt. 21. & ex Belleuſ. Marcell. Megal. q. 2 li 22. c. 15. quaſt. 3. & Scipio de Rubeis, Aphor. Epiſc. v. charitat. ſubſid. n. 9. & Diana reſol. 35.*

Dico decimo, quod fideicommiſſis ad ſuas Eccleſias Titulares pertinentibus poſſunt etiã Cardinales derogare conſequenter ex dictis, quia hoc etiam pertinet ad ius Epiſcopale, vt notat *Moneta vbi ſupra c. 9. conc. 23. n. 634. & Conchint in Theſauri v. Cardinalis §. 2.*

Quamnam authoritatem habeant Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs, in quibus ſunt Monaſteria Regularium.

DIFFIC. XXI.

DIco primo, quod de iure communi videtur dicendum Regulares habentes Monaſteria in Eccleſijs Titularibus Dominorum Cardinalium ſubditos eſſe, quoad Manualem obedientiam, & correctionem ipſis Cardinalibus Titularibus, maximè ſi tales Eccleſiæ erant ſæcularium Clericorum, cum Regularibus conceſſæ ſunt, quia debent tranſire ad eos iuxta formam iuris communis in c. vero his, quæ de maioritate, & obed. Præsbyteri & clerici ſubduntur obedientiæ, & correctioni Cardinalis Titularis. ergo etiam Præsbyteri, & Clerici Regulares, iuriſdictio enim fundata in iure communi eſt latè interpretãda, cum ſit materia fauorabilis iuriſdictio. Ita *Caſſiodorus deciſ. 8. n. 6. de orab. capu. aquenſ. p. 2. deciſ. 48. nu. 6.* vide *Gomez memb. reg. canc. §. 6. proœm. n. 27. & 47.*

Dico ſecundo, quod de facto credo Regulares ſpeciali indulto eſſe exemptos ab obedientia, & correctione Dominorum Cardinalium Titularium ea ratione, quia intolerabile videretur Regularibus habere duos Superiores ordinarios. ſ. ſuos Superiores Generales, & Prouinciales, & Cardinalem Titularem, facilè enim orire tur perturbatio, & diſſenſio, & daretur regularis obſeruantiæ relaxatio. Ita videtur ſentire *Mandoſ. ad reg. 7. canc. q. 2. nu. 10.*

Dico tertio, quod ſi regulares in dictis eccleſijs exercerent curã animarũ, illi præcipue deſtinati ad hoc parochiale exercitium ſanè ſubderentur correctioni ipſi Titularis, ſi in adminiſtratione ſacramentorum peccarent, ex eo quia etiã regulares habentes curam animarum in locis ordinariorũ, ſæcularium ſubduntur correctioni ipſorum in ſacramentorum adminiſtratione, vt dicetur forte infra v. regularis vel V. Parochus, Cardinales autem in ſuis Titulis ordinarij ſunt.

Vtrum priuilegia Epiſcopis à iure conceſſa extendantur etiam ad Cardinales.

DIFFIC. XXII.

AFfirmant communius Doctores, quia in ſuis Eccleſijs verè ſunt iuriſdictionaliter Epiſcopi, & dignitate præcellentiores vnde poſſunt ſibi eligere confeſſarium ſicut poſſunt à iure Epiſcopi, ex c. fin. de pænit. & remiſſ. & ex conſuetudine poſſunt eligere confeſſarium pro ſua familia cum ſint quaſi Paſtores ſuorum familiarium, & in hoc Cardinales habent maius priuilegium, quam Epiſcopi, qui non poteſt extra ſuam Diœceſim eligere confeſſarium ſuis Domeſticis, ſed ſubduntur iuriſdictioni Epiſcopi loci vbi commoratur. Vide *Dianam reſol.* 10. vbi multos authores enumerat pro hac ſententia, quam puto probabilem ex tacito conſenſu Summi Pontificis, & conſuetudine introducta, neque includuntur in generali ſuſpenſione, & interdicto, ſicut nec Epiſcopi ex c. quia *periculoſum de ſent. excommu. in 6. vide Albanum de Cardin. q. 42. priuil. 31. Sayr. & Auilam quos citat, & ſequitur Vrtado de ſacram. tract. de ſuſp. diffi. 9.* Immo adde ex Manfredo de Cardinal. deciſ. 214. Cardinales frui illis priuilegijs Epiſcoporum, quæ refert Gloſa in c. fin. de priuil. in 6. ſicut eſt, vt in altari viatico poſſint vel ſuij. celebrare, & facere ſibi celebrare & vbicunq; etiã in loco interdicto celebrare, & audire diuina, abſque interdicti tranſgreſſione, non tamen alta voce, nec admittendo interdictos, vt notat ibi Gloſa ſicut etiam priuileg. celebrandi, vel faciendi ſibi celebrare ante Auroram, & poſt meridiem occaſione itineris, quo etiam gaudent Epiſcopi, vt docent noſter *Miranda in Manual. præſat. T. 1. q. 40 art. 10. concil. & Barboſa de off. Epiſc. par. 2. alleg. 23. n. 5. & alij.* Item poſſint Patronis diſcordantibus conferre beneficia iuris patronatus ſicut poſſunt Epiſcopi ex cap ſi vero & c. quoniam in quibuſdam de iure patron.

Vtrum Cardinales teneantur legibus, quæ prohibent plura ſimul haberi ab eodem beneficia.

DIFFIC. XXIII.

ALij aiunt, alij negant, affirmat *Abbas cum multis in c. bonæ memoriæ de poſtulat. in c. ex geſtis de cler. non reſid. & in c. eccleſia veſtra de elect.* Negant *Hoſtienſ. in c. Eccleſia veſtra de elect. Barbatia de Card. n. 3. 2. Manfred. de Card. deciſ. 208. Laudens de Cardin. q. 42.* ex eo, quia regimini totius Eccleſiæ inuigilant, & conſequenter omnibus Eccleſijs particularibus deſeruire dicuntur, ergo plurium Eccleſiarum beneficijs gaudere poſſunt.

Et probabiliter quidem nam ad eum caſum non adaptatur conſtitutio, ad quem non adaptantur verba ipſius *l. quod conſtitutum ff. de Teſtam. mil. & c. indemnitatibus §. ſed cum eas de elect. in 6. verba autem in c. de multa & extrauag. execrabilis de præb.* in quibus prohibetur pluralitas beneficiorum in vno non adaptantur Cardinalibus, ergo dictæ conſtitutiones non debent adaptari, & extendi ad Cardinales; etenim in c. de multa perſonas litteratas, & nobiles poſſe diſpenſari in pluralitate beneficiorũ ſtatuitur, ergo Cardinales qui omnium ſunt digniſſimi, & ſupponi debent litteratiſſimi nullo modo includuntur in dicta Conſtitut. Vnde merito Io. 22. in dicta extrau. excipit Cardinales expreſsè à prohibitione, quæ facit de retentione plurium beneficiorum, & iure quia vt habetur in c. cum ep. de elect. in 6. Idcirco egregijs, ſtrenuiſque militibus, & Ducibus maiora ſtipendia, & præmia tribuuntur, quia ob ſplendorem, & excellentiam perſonarum à rigore legum recedi poteſt. l. ad beſtias ff. de pœnis, merito ergo Cardinales a iure excipiuntur à pluralitatis beneficiorũ prohibitione, pluraque illis concluduntur, quia omnes alios præcedit honoris, & dignitatis amplitudine, & authoritate.

Vtrum Cardinales poſſint in curia conferre beneficium curatum vacans in ſua Diœceſi ſine concurſu, & an eius Vicarius poſſit beneficia conferre extra Diœceſim.

DIFFIC. XXIV.

DIco primo, poſſe Cardinales in curia commorantes cõferre parochialem Eccleſiam vacantem in ſua Diœceſi abſque concurſu modo ille, cui confertur examinetur ab examinatoribus deputatis à Papa, vel eius Vicario licet docent

aliqua

aliqua probabilitate *Cermonius tract. de Indulg. cur. §. quibuſuis Maſſobrius in prax. habendi concurſ. Prælect. 7. dub. 42.* attamen ſtante diſpoſitione *Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 18.* quæ iubet promouendos ad Curam animarum examinandos concurſu proprio, etiamſi Eccleſia parochialis fuerit reſeruata generaliter, vel ſpecialiter etiam vigore indulti, vel priuilegij in fauorem S. R. E. Cardinalium, videtur probabilius non poſſe, vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, quare diſtinctio, quam afferunt præfati Doctores Concilium loqui de extraordinarijs indultis ratione Abbatię, vel dignitatis, quam poſſideat in aliena Diœceſi Cardinales, non autem de indulto ordinario, non videtur amplectenda, quod ſi ex Sac. Congregat. Concilij hæc interpretatio facta ſit, omnino ſequenda, quatenus autem à Theologis proprio Marte ad inuentas, vel aliqua ratione fulcita non videtur admittenda contra Concilij de indulto generaliter loquentis intentionem.

Dico ſecundo, quod non eſt dubium de ordinarijs, qui poſſunt exercere iuriſdictionem voluntariam non dependentem ex cauſæ cognitione, & ſtrepitu Iudicij extra proprium territorium, quod poſſint etiam extra ipſum beneficia conferre, cum eorum collatio ad voluntariam pertineat iuriſdictionem; de Vicario tamen Cardinalis poteſt diſtingui; nam vel Cardinalis eſt abſens à Curia, & Diœceſi cum licentia Papæ, & tunc eius Vicarius, cui Cardinalis dedit poteſtatem conferendi beneficia, & etiam poteſt conferre extra Diœceſim, quod, ſi abſit abſque licentia Papæ, non poteſt ea conferre Vicarius extra Diœceſim, quia in tali caſu non potuiſſet ei Cardinalis dare talem poteſtatem, Ita *Maſſobr. loc. cit. prælect. 26. dub. 5.*

Vtrum Cardinalis ad Epiſcopatum aſſumptus ante poſſeſſionem adeptam poſſit conferre beneficia, & an conferre valeat beneficia Epiſcopatuum a ſe reſignatorum ante poſſeſſionem adeptam a Reſignatario iam præconizato.

DIFFIC. XV.

DIco primo, quod licet Epiſcopi nequeant iuriſdictionalia exercere quantomcunque electi, & conſecrati antequam cum oſtenſione litterarum Apoſtolicarum poſſeſſionem capiant, vt patet per extrauag. Iniunctæ, attamen ſpecialiter hoc non extendi ad Cardinales Epiſcopos docent *Lauor. in var. elucubrat. tit. 4 cap. 25 num. 10. Gonzal. in Reg. 8. Cancell. glo. 24. Barboſ. de pot. Epiſc. p. 3 allegat. 111. Bellench. de Charitatino In Eſidao q. 6. num. 18. & Diana reſol. 47.* Cardinalibus enim ante adeptam poſſeſſionem, & litterarum oſtenſionem ſtatim atque in conſiſtorio electi, & confirmati fuerint Epiſcopi, ſtatim poſſunt iuriſdictionem habere in ſuis Epiſcopatibus abſque litterarum oſtenſione, creditur enim Cardinalibus ſine oſtenſione litterarũ, vt infra fortè dicetur.

Dico ſecundò quod poſſint Cardinales conferre beneficia Epiſcopatus a ſe reſignati in fauorem Reſignatarij, donec ipſe Reſignatarius corporalem acceperit poſſeſſionem Epiſcopatus, etenim qui reſignauit Epiſcopatum in fauorem alicuius, eſt eius adhuc Dominus, quia adhuc remanet in poſſeſſione naturali, licet poſſeſſione iuris ſit priuatus per reſignationem, antequam ergo poſſeſſione naturali ſpolietur per poſſeſſionem naturalem ſucceſſoris Reſignatarij, ſemper poteſt, & debet incumbere adminiſtrationi ſuæ Eccleſiæ ex *Innoc. ad cap. qui in Dubijs de Rer. permutat.* Hinc docet optimè *Puteus deciſ. 327. num. 2. l. 3.* quod tunc Reſignatarius dicitur ſimiliter, & naturaliter poſſidere, quando eſt apprehenſa poſſeſſio, & in deciſ. 158. n. 3. eod lib. aſſerit, quod cum reſignatio ſit in fauorem certæ perſonæ ante apprehenſionẽ poſſeſſionis ab ipſo factam actu, Reſignans ſemper dicitur poſſidere, & titulum coloratum habere. Ita etiam *Maſſobr. vbi ſupra prælect. 25. dub 6. & ſermon. loc. cit. §. nec non quarumcunque num. 22.*

Vtrum Cardinales poſſint beneficia ſimultaneæ Collationis ſibi cum Capitulo vacantia in Menſe Apoſtolico conferre cum Capitulo, & an beneficia alias reſeruata, & quid de beneficijs reſeruatis vacantibus tempore anteceſſoris ſui non Cardinalis.

DIFFIC. XXVI.

DIco primo, quod poteſt Cardinalis cum Capitulo conferre beneficia ſimultaneæ collationis vacantia in menſe Apoſtolico etiamſi ſint reſeruata ſtante indulto, quod non adſunt menſes Apoſtolici in Epiſcopatu, quem Cardinalis obtinet, & quod poſſit Cardinalis reſeruata conferre, indultum enim remouet obſtaculum reſeruationis, vnde hac remota Cardinalis iure Ordinario confert, & conſequenter cum eo Capitulum iure ordinario concurrit ad conferendum. Ita etiam *Gonzal. ad Reg. 8. Canc. gloſſ. 14. à numero 52. vſq; ad 55. & licet Garzias de Beneficijs p. 5. c. 1. n. 628.* hoc videatur negare, non tamen omnino probabiliter, nam acceſſorium ſequi naturam ſui principalis axioma eſt commune, Cardinalem autem Epiſcopum eſſe principalem in collatione certum eſt ratione dignitatis, & ſuperioritatis, capitulum autem tanquam acceſſorium confert cum ſuo principali, gaudere ergo debet priuilegio ſui principalis, ſicut etiam ſi domino conceditur interdicti tempore audire ſacrum, & ipſi quoque ſuæ familiæ, ſine qua honorificè egredi nequit.

Dico ſecundo, quod ſi Cardinalis habeat indultum reſeruata beneficia conferendi etiam vacantia, poteſt ea conferre, ſi licet vacauerint tempore prædeceſſoris, quod ſi indultum non ſpecificetur datum ad vacantia etiam reſeruata, non poteſt, Verba enim Bullæ tantum valent, quantum ſonant. *Vide Garziam, & Gonza. loc. cit.*

Vtrum electus in Cardinalem priora beneficia amittat, & ad beneficia iuris Patronatus valeat præſentari.

DIFFIC. XXVII.

DIco primo, quod adeſt pro deciſione huius difficultatis decretum Conſiſtoriale Sixti, V. quod incipit Sanctiſſimus ſub die 16. Martij 1588. & reperitur in Bullar. nouo T. 2. pag. 627. *tenoris* Sequentis (*Sanctiſſimus Dominus* noſter Papa Sixtus *V. decreuit, quod* per promotionem ad *Cardinalatum* vacent omnes Eccleſiæ, *& beneficia cuiuſcumque* nominis, & tituli *ſint, niſi fuerit data* retenſio, quæ *Conceſſa intelligatur*, & data *Patriarchales, Metropolitanas*, & Cathedrales *Eccleſias*, *ad* Monaſteria *commendata*, *ad* Prioratus, & ad cetera omnia *beneficia*, *quæ* videntur conuenire *dignitati Cardinalatus*, ad alia vero, quæ *videntur repugnare* dignitati, & *gradui Cardinalatus*, puta *Archipræsbiteratus*, Archidiaconatus, *Decanatus*, *Canonicatus*, & ſimilia beneficia *non extendantur*, cum obtinentes *talia beneficia* teneantur reſidere *in Choro, & habere* debent locum poſt Epiſcopum Cardinalis dignitati non conuenientem.

Dico ſecundo, quod licet Epiſcopi non poſſint præſentari ad beneficia iuris patronatus, niſi prius ſuper hoc diſpenſationem accipiant, vt docet Abb. in c. Eccl. veſtra de elect. n. 3. attamen id indultum Cardinalibus probant *Lambertinus p. 1. l. 2. q. 7. art. 16. Vmiais in prax. iuriſpatron. l. 6. cap. 10. num. 38. & Diana reſol. 15.*

Vtrum Regula Octaua Cancellariæ excipiens Cardinales excipiat etiam Cardinales Curia abſentes.

DIFFIC. XXVIII.

AFfirmarunt Gonzalez. in d. Regula, gloſ. 24. num. 21. omnes, & ſingulos Cardinales ordinarios collatores etiamſi à Curia abſint eſſe exceptos ab illa Regula, exceptis illis ſex Cardinalibus titularibus de Vrbe, quorum Cardinalatibus annexus eſt Epiſcopatus, nam horum beneficia ſi vacent in abſentia, Sedi Apoſtolicæ reſeruantur per Reg. ſeptimam Cancellariæ. Vide *Garziam de Benef. par. 5. c. 1.* quicquid *Caſtr. Pal. p. 2. tract. 13. diſput. 2. punct. 22.* videatur in contrarium velle.

Nota hic etiam, quod cum Cardinales poſſint frui ſuorum beneficiorum fructibus, etiamſi ab eis ſint abſentes, dum in Curia Romana commorantur; quia dum ei inſeruiunt tanquam vniuerſali Dominæ, ceteris alijs deſeruire, & in eis reſidere videntur, etiam familiares Cardinalium hoc vtuntur priuilegio, acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis. Ita *Cucchus Inſtitut. Canon. l. 2. tit. 4. nu 64. Laudenſ. tract. de Cardin. q. 69. & Alban. de Card. q. 42. priuil. 6.*

Vtrum Cardinales Monaſteria Monialium ingredi valeant.

DIFFIC. XXIX.

SAnè de hoc non eſt ambigendum poſt Bullam Gregorij XIII. in qua expreſsè Cardinales prohibentur ingredi

Monaſteria

Digitized by Google

Monaſteria Monialium niſi in caſibus neceſſarijs, quod vero dubitationem faceſſit, eſt an ex vi Regulæ Monialium Sanctæ Claræ à Papa confirmatæ vbi ſic habetur § ſi quis de S. R. E. Cardinalibus ad aliquod Monaſterium huiuſmodi Religionis aliquando venire, & intra clauſuram ingredi voluerit, cum reuerentia quidem eſt ſuſcipiendus, rogandus tamen, vt cum paucis ſocijs ingrediatur) poſſint adhuc Cardinales ingredi in dicta Monaſteria Sanctæ Claræ, & licet aliqui voluerint hoc indultum ſolum ſuis Cardinalibus Protectoribus, non autem alijs, attamen niſi ad eſſet dicta conſtitutio Gregor. XIII. poſſent omnes etiam non Protectores intrare, quia generaliter de omnibus loquitur Regula.

A quo cauſæ Cardinalium decidantur, & quot Teſtes contra ipſos damnandos requirantur.

DIFFIC. XXX.

DIco primo, quod ſolum per Summum Pontificem priuatiuè quoad alios, appellatione remota ex Bullæ Pauli Quarti ſub die 9. Ianuarij anno 1556. nec enim decet ſui partes Corporis ab alio, quam à Papa correctionis iudicio tangi. Ita notant etiam *Barboſa de iure Eccleſ. lib. 1. cap. 4. num. 79. & Lother. de Benef. T. 1. quaſt. 8. num. 48.*

Vnde Cardinalibus non inhibetur ob reuerentiã erga tantæ dignitatis culmen, nec Cardinalis etiam alteri Cardinali inhibet, vide Rotam in antiquis deciſ. 31. de dolo, & contumacia, & deciſ. 25.

Dico ſecundo, quod de iure communi ſi Cardinalis ſit Epiſcopus non poſſit damnari niſi per ſeptuaginta duos Teſtes, ſi Presbyteri per ſexaginta quatuor, ſi Diaconi per viginti ſeptem Teſtes conuincantur. Ita ex *cap. Præſul 2. quaſt. 4. Ita etiam Manfred. de Cardinal. deciſ. 141. Iulius Clar. in prax. crimin. q. 66. num. 5. & Zecchius de republ. Eccleſ. Tit. 3. de Cardin. n. 9. priuileg. 10.*

Et licet hoc non eſſe in praxi hodie contra Cardinales obſeruatum doceant; *Antonius Scappa de iure non ſcripto lib. 1. quaſt. 10. num. 14. & Borrell. in ſummo omni vn deciſ. T. 2. Tit. 5. numero 38. attamen contrarium putent Zecch. vbi ſupra, & Manfred. deciſion. 181. & Barbatia de Cardin. quaſtio. 12. num. 7. & 10.* immò volunt præfato cap. præſul priuilegio gaudere etiam hodie pro delictis etiam, ſi quæ commiſiſſent ante Cardinalatum.

An vero teneatur adhibere Collegij Iudicium Pontifex in damnandis Cardinalibus, negat, & iure optimo *Iulius Clar. loco citat. quaſt. 35. num. 11.* cum vt dictum ſit ad Papam priuatiuè quoad alias ſua membra corporis, fratreſque ſuos Cardinales condemnare, & punire.

Vtrum Cardinales poſſint habere familiam armatam, & priuatum carcerem ad ſuos familiares coercendos. & an eorum Iudices ordinarij, & an eorum Palatium gaudeat immunitate.

DIFFIC. XXXI.

DIco primo; quod Cardinalis cum gaudeat priuilegijs Epiſcoporum, vt dictum eſt ſupra, & Epiſcopi habeant priuilegium habendi familiam armatam, ſanè etiam Cardinales fruuntur hoc priuilegio, tanto magis, quanto maiori dignitatis, & poteſtatis prærogatiua præfulgent. Ita *Iacobat. de Concil. lib. 1. folio 38. colum. 1. littera B.*

Dico ſecundo, quamuis habere priuatum carcerem cuilibet ſit prohibitum de iure communi, vt Verbo carcer dictum eſt ſupra, attamen Cardinalibus ſingulis hodie indultum eſt in ſuis Domibus habere priuatum Carcerem ad coercendos ſuos domeſticos, & familiares, & ita vſum obtinuiſſe teſtatur *Manfred. de Cardin. cap. 8. priuilegio 19. Tuſcus T. 1. concluſ. 100. num. 52. Cucchus inſtitut. canon. lib. 2. tit. 4. num. 114. & Zecch. de repub. Chriſt. Tit. 3. de Cardin. num. 9.* & iure optimo, decet enim tantos Princeps alijs non ſubiacere in coercendis ſuis Domeſticis. Quare

Dico tertio, quod licet *Bonacin. T. 2. diſputat. 1. quaſtion. 6. punct. 3. num. 3. & Scaccia de iudic. cauſ. T. 1. lib. 1. cap. 11. num. 22.* negent Cardinales eſſe Ordinarios Iudices ſuæ familiæ, attamen communius Doctores volunt Cardinales habere facultatem iudicandi, & puniendi ſuos Domeſticos, & familiares priuatiuè quoad alios. Vide Barboſam de iure Eccleſ. lib. 1. c. 4. n. 85.

An vero de iure, an de conſuetudine legitimè introducta hæc facultas Cardinalibus competat, ſui ex conſuetudine potius remittuntur Cardinalibus iudicandi ſui familiares ita ſuæ dignitatis merito expoſcente, ita docet Carol. de Graſſis in tractat. de eff. Cler. eff. 1. num. 151. vbi ex conſuetudine Cardinales iudices eſſe Ordinarios ſuæ familię aſſerit, idem docent *Pereira de manu Reg. T. 1. cap. 10. num. 13. & Carleualius de iudicijs l. 1. Tit. 1. diſput. 2. q. 6. n. 509.*

Quare Vicarium Papæ non iudicare familiares Cardinalium, ſed eos iudicandos remittere ſuo Cardinali docent. *Cucchus loc. citat. Manfred. deciſio. 140. Alban. quaſtio. 42. priuileg. 15. Laudenſ. quaſt. 17. & Barbatia quaſt. 11. de Cardinal.* & alij communius.

Dico quarto, quod domus, vel Palatium Cardinalium in quocunque loco extra Romam gaudent priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ, ita vt vbicumque fuerint Rei quicumque ad eorum domus, & palatia confugientes tuti, & illæſi ſeruari debeant, nec vllo iure ab illis extrahi valeant, ſicuti eſſent in Eccleſia, & licet Zecchius de Republ. Chriſtiana Tit. 3. de Cardinal. ſequ. priuileg. 9 aſſerat hoc priuilegium ſæpè à Pontificibus reuocari, hoc tamen intelligendum eſſe in Vrbe ſolum, non autem extra. Si enim vt dicetur Verbo Epiſcopus, Palatia Epiſcopor. in ſua Diœceſi potiuntur tali immunitate, multo magis Cardinales, qui vtpotè aſſumpti ad adminiſtrandum regimen vniuerſalis Eccleſiæ, Principes vniuerſæ Terræ nominantur, conuenit, vt eorum Palatia, vbique immunitate Eccleſiæ fruantur. Ita etiam Barboſ. *de iure Eccleſ. lib. 5. cap. 4. num. 80. Iacobat. de concil. lib. 1. folio 38. Tuſchus T. 1. concluſ. 100. num. 53. Sanchez in opuſc. T. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. & Manfred. tract. de Cardin. deciſ. 147. & cap. 8. priuilegio 14.*

Vtrum condemnatus obuius fortuito factus Cardinali ſit liberandus.

DIFFIC. XXXII.

NEgant parum probabiliter Barbatia de Cardinal. quæſt. 9. num. 1. & ſequ. Corſett. in ſuis ſingular. verb. Cardinal. & Farinacc. in frag. crim. p. 1. num 631. & Iul. Clar. in pract. crimin. lib. 5. § fin. quæſt. 98. num. 5. licet ipſe opinetur, vt poſſit Cardinalis, ſi caſu ei obuius fieret Reus ad mortem dum ducitur, vel ad Carceres tranſmittitur, mitigare pœnam mortis, & ad Triremes tranſmittere, modo crimen eius non ſit exceptuatum, puta crimen læſæ Maieſt. proditionis patriæ, & ſimilia atrociſſima, ita etiam docent *Dacian. T. 2. cap. 37. num. 27. Velladiego de Cardinal. quaſt. 13. Lorichius in Theſauro verbo Cardinal. § 7. Lancellott. in templo iud. l. 2. c. 2. de Cardin. § 3. nu. 3. Zecch. de republ. chriſtiana Tit. 3. de Cardin. n. 9. priuil. 7 & alij.*

Affirmant tamen hoc priuilegium ex conſuetudine ſola competere Cardinalibus vt poſſint Reum à morte liberare, ſi obuius eis caſu fiat. Baldus in l. addictos C. de appellat. & communiter Iuriſconſulti.

Immò abſolutè ratione ſuæ dignitatis eminentiſſima hoc priuilegio liberandi Reos ſibi caſu obuios factos gaudere aſſerunt Dominos Cardinales *Barboſa de iure Eccleſ. lib. 1. ca. 4. num. 61. Germonius de Sacra immunit. lib. 3. cap. 6. num. 52. Danza in pugna Doctorum de qualitat. Official. cap. 1. num. 16. Diana tractat. de Cardin. reſolut. 29. & Alban. de Cardinal. quaſt. 47.* qui reſpondet acerrimè ad argumenta Corſetti cõtrarium opinantis; & ita practicatum fuiſſe ab Eminentiſſimo, & integerrimo Viro noſtræ Seraphicæ Obſeruantię ornamento ſingulariſſimo fratre Franciſco Ximenio *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Archiepiſcopo Toletano in facti contingentia teſte Gomezio de rebus Ximenii lib. 3. & Rouſſellio in Hiſtor. Pontif. iur. lib. 2. cap. 10. num. 18.* qui vir vtique ab omni inanis gloriæ faſtu alienus, dignitatis tamen Eccleſiaſticę propugnator acerrimus, cum ſtrepitum trahentium quendam ad furcas audiret, iuſſit illum liberum dimitti; id ſuæ Cardinalitiæ dignitati conuenire conteſtans; & ſanè ad tanti viri dictum, & factum omnes tuto tramite in hanc ſententiam in fauorem Cardinalium percurrere deberent.

Vtrum Cardinales teneantur intra gremium conclauis, vel ſaltem collegij Cardinalium eligere Papam.

DIFFIC. VI.

Dico primo, quod licet multi, & non ſpernendę authoritatis Doctores noluerint Cardinales poſſe extra gremiũ conclauis, & Sacri etiam collegij intra tamen gremium Eccleſiæ Catholicæ eligere Papam, ex eo quia electio ſupremi, & generalis, communiſque Paſtoris, & omnium Epiſcoporum optimi non debet redigi intra paucos Cardinales neceſſario, cum poſſet accidere non reperiri aliquando optimum, & digniſſimum, licet inter eos numquam deeſſet dignus, & aptus. Ita videntur docere. *D. Anton. in ſum. Tom. 3. Tit. 21. c. 2. §. 7. Pet. Nauar. de reſt. l. 9. c. 2. n. 170. Campanil. in diuerſ. iur. can. rubr. 7. c. 6. n. 71. & Sot. de iuſt. l. 3. q. 6. art. 1.*

Attamen poſt decretum *Stephani tertij in capit. oportebat diſtinct. 79.* vbi ſub hiſce verbis ſtatuitur (oportebat vt hęc Sacro Sancta Romana noſtra Eccleſia (iuxta quod à Beato Petro, & eius ſucceſſoribus inſtitutum eſt (ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus culmen vnus de Cardinalibus præſtiteris, aut Diaconibus conſecraretur) quare

Dico ſecundo cum Lancellotto in templo *Iudic. l. 2. c. 1. de Pontific. §. 2. q. 4.* eſſe nullam, ſtante hoc decreto, electionem Papæ factam extra collegium Cardinalium, & licet aliqui putent electionem eſſe validam, ſi quando eligerent aliquem extra gremium Cardinalium, vt docent *Anegna, Barboſa, Lauorin., & Azorius*, quos citat, & ſequitur *Diana reſol 63. & Bonac. tra. de elect. Sum. Pont. diſp. 1. q. 1. §. vnico n. 19.* attamen hoc verum ſolum modo, quando intra collegium Cardinalium non adeſſet dignus, & idoneus, quod in praxi vix poſſet credi verum, poſſet etiam dici, quod in caſu maximę inter eos diſſenſionis, & talis, vt non poſſet fieri electio alicuius ex ipſis, tunc diuino iudicio hoc permitti putãdum, vt aliquis alius optimus intra gremium Eccleſię extra collegium eligatur validè in Papam, ne tamdiù Eccleſia ſine Paſtore gubernetur, vt forte accidit tempore Cæleſtini V. qui extra collegium electus fuit.

Ratio autem quare intra gremium Cardinalium debeat fieri electio Papæ, eſt illa, quia ex ordinaria praxi quam habent in adminiſtrando vniuerſalis Eccleſiæ regimine regulariter ſunt magis idonei, & apti, quam alij extra gremium ipſorum. Ita noſter *Villalob. in ſum. T. 2. tra. 8. diff. 3. nu. 8. Burſa caſu volu. conſ. 126. Manfred. de Cardinal. deciſ. 299. Moſcon. de maieſt. milit. Eccleſ. l. 1. c. 3. & Barboſ. in Decret. Gratia. p. 1. diſt. 79. cap. oportebat.*

Vtrum Cardinales teneantur eligere digniorem, & an electo digno prætermiſſo digniori, tuta conſcientia poſſit dignus electus acceptare Summum Pontificatum.

DIFFIC. VII.

Dico primo, quod certum eſt de congruo ſaltem teneri Cardinales ad Papatum eligere digniſſimum, quia ſi eligendus ad curam animatũ alicuius parochialis tenetur Epiſcopus eligere digniorem, tanto magis congruit, ad generalem totius orbis animatum curam non ſolum digniorem, ſed digniſſimum eligere, attamen quia ſumus in electione per ſuffragia in qua libertas ſumma requiritur, ne ſcrupulis nimis angatur eligens quiſnam reputetur dignior, vel digniſſimus poteſt vtique eligere eum, qui ſuo iudicio videtur dignus, modo ſibi non cõſtet eſſe indignum, vel ineptum, itaque ſalua ſemper Sanctę Romanæ Eccleſiæ determinatione putarem non peccare mortaliter Cardinalem eligentem aliquem dignum in Papam, cum ex in libera electionis non teneatur requirere merita perſonarum, ſed ſolum, vt non eligatur in dignus. vide infra v. electio.

Dico ſecundo, quod dignus electus in Papam prætermiſſo digniori licet velint, *Petrus Nauar. de reſtitut. lib. 3. cap. 2. nu. 63. & aduerſus in 2. 2. D. Thom. diſput. 4. quæſt. 8. dub. ſecundo.* peccet acceptando papatum, quia dignior habet iuſtitiam diſtributiuam ad Papatum, quam non habet minus dignus, quare dicunt facere contra iuſtitiam ſi acceptet Papatum, attamen omnino aſſerendum non peccare, quia dignus electus ex vi electionis comparauit ſibi ius ad poſſeſſionem Papatus, vtitur ergo iure ſuo illum acceptando, & conſequenter cum vtatur iure ſuo non facit contra iuſtitiam. Ita Sotus *de iuſtitia lib. 3. quæſt. 6 art. 2. poſt nonam concluſ. Turrian. T. 2. in 2. 2. D. Th. diſp. 22. dub. 3. n. 8. & Diana reſolut. 85.*

Poteſt etiam dici conſequenter ad rationem poſitum in primo dicto, quod ſi non peccant Cardinales eligendo dignum prætermiſſo digniori, nec peccat electus dignus prætermiſſo digniori.

Dico tertio, quod maximè verum eſt, quod Cardinales poſſunt eligere dignum prætermiſſo digniori, quando maior pars inclinat ad eligendum dignum prætermiſſo digniori, quia magis dignus nec eligeretur, & ipſi faciliter in odium inciderent electi, ſi cum maiori parte ipſi non eligerẽt quod verum puto, etiamſi iuraſſent eligere digniorem, nam iuramentum intelligitur ſi æquè bene id poteſt fieri, in tali autem caſu ſuffragium dantes minus digno, ad quem inclinat maior pars, non poſſent æquè benè eligere digniorem. Ita etiam *noſter Villalob. T. 2. tract. 8. difficul. 3. nu. 8. Ioann. Valer. in differ. vtr. for. v. electio Ricc. p. 3. deciſio. 214. Sylueſt. 2. 2. quæſtio. 63 art. 2. & Diana vbi ſupra.*

Vtrum Cardinales ſi duo ſolum, vel etiam vnus remanerent in conclaui poſſint validè Pontificem ſummum eligere.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod licet. *Caſtr. Palaus T. 1. tract. 3. diſput. 1. punct. 23. num. 20.* & alij negent ex eo, quia apud Sac. Canones, quando agitur de electione Papæ, vt videre eſt in cap. vbi periculum, & clem. Ne Romani ſemper eſt ſermo de collegio, & cœtu, collgium autem, & cœtus non poteſt conſtitere in duobus, tantominus in vno, ſed ad minus tres faciunt collegium, & cœtum ex l. Neratus de verb. ſignif.

Attamen contrarium probabile puto cum gloſa *in clemen. Ne Romani de elect. §. porro litt. ſi* vbi dicit, quod ſi vnus Cardinalis remaneat in conclaui ad ipſum ſpectabit electio, ita etiam *Laudenſ. de Cardin. quæſt. 14. Pauin. de offic. cap. ſed. vac. præf. 5. num. 8. & probat Manfred. deciſ. 796.* quia ius, & nomen Vniuerſitatis in vno ſeruatur l. ſicut, vbi Bart. §. in Decurionibus ff. quod cuiuſque vniuerſitatis, nec obſtat textus in c. Neratius. & gloſ. in c. 1. & c. licet de elect. quia & ſi actu collegium in vno conſiderari nequeat, benè tamẽ in vno virtualiter totum collegium, & cœtus dicitur remanere.

Dico ſecundo, quod licet nullus poſſit eligere ſe ipſum, tamen ſi vnus Cardinalis remaneret in collegio poſſet permodum compromiſſi alteri electionem Papæ demandare, qui ipſum Cardinalem, dum alius non adeſt, nomine totius collegij Cardinalium tanquam compromiſſarius debeat eligere. Ita *Abbas in cap. licet, in fine de elect. in 6. Albanus autem dicit opinionem Abbatis* eſſe verã, quando cæteri Cardinales exijſſent de Conclaui, vel omnes eſſent abſentes, non autẽ ſi eſſent mortui, at vero quænã ſit ratio huius limitationis non video, abſolutè ergo dicẽdum videtur in quocunque caſu modo negligerent venire, & irrationabiliter eſſent abſentes cæteri Cardinales ab vno poſſe electio fieri. Vide *Bonac. Dianam Salas, & cæteras præcitatos.*

Vtrum Cardinales electi, & creati à Papa, antequam inſignia accipiant Cardinalitia, & os eis fuerit apertum habeant, ſi interea præmoriatur Papa, vocem actiuam, & paſſiuam in ipſius electione.

DIFFIC. IX.

Vertebatur hæc difficultas ſub opinione probabili in vtraque parte, ante tempora Pij V. & recentiores, quam antiquiores, non eamdem proferebant ſententiam, at vero præfatus Sanctiſſimus Pontifex, ne in tanto negotio fluctuaretur anno Domini 1571. die 26. Ianuarij determinauit Cardinales iam electos, & creatos à Papa habere vocem actiuam, & paſſiuam in electione Summi Pontificis, etiamſi inſignia Cardinalitia tradita non fuiſſent, & os apertum ei non fuerit ſub his verbis (Pius Papa V.) *quia aliquando dubitatũ, vtrum Cardinales*, quibus os clauſum eſſet, ſi *antequam* eis aperiretur, Sedis vacatio *eueniret, vtrum* inquam in electionem *Summi Pontificis* votum haberet. Sanctitas *ſua exquiſitis* RR. DD. ſententijs de eorum *aſſenſu, & conſenſu* decreuit, quod

cum

eum potiſſima Cardinalis facultas in Romano Pontifice eligendo conſiſtat, quæ ſane ipſis propter inſignium, & ceremoniarum defectum auferri non debet, ob eam cauſam ſanctitatem ſuam ſtatuere, vt poſtquam aliquis S. R. E. Cardinalis creatus fuerit, honoremque acceperit, & conſenſum ſuum dederit, is ſtatim vocem, & ius eligendi Romanum Pontificem habeat, & conſequatur, etiam ſi Cardinalatus galerus non dum illi traditus ſit, neque os clauſum, aut ſi clauſum fuerit, nondum tamen apertum ſit, videri enim huiuſmodi claudendi oris ritum ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa electionem Summi Pontificis verſatur non pertinere, ſed ceremoniam quamdam eſſe ea de cauſa introductam, vt Cardinales antequam in conſiſtorijs, & congregationibus ſuffragium ferant de modeſtia, quæ ab ipſis in his, & alijs actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, &c. ſub die 26. Ianuar. 1571.) hæc ex decreto Pij V.

Idem etiam confirmauit Gregor. XV. in Bulla de Ceremoniali idus Martij 1622. vide pro hac difficultate Lauorium in var. elucubrat. tit. 3. c. 3. n. 16. ex cuius deciſione.

Collige interficientem, & offendentem Cardinalem electum, & creatum, ſi iam ſuæ promotioni dederit aſſenſum, & conſenſum incidere in excommunicationem Bullę Cœnę, etiam ſi dictus Cardinalis offenſus, vel occiſus galerum non acceperit Cardinalitium, galerus enim eſt quid accidentale ad veram rationem Cardinalatus, vt patet ex decreto Pij V. Ita etiam docent *Bonac. in B. C. diſp. 1. q. 12. punc. 2. n. 3. Duard. l. 3. can. 11. q. 6. Vgol. c. 11. §. 1. Souſa in B. C. diſp. 1. q. 12. diſp. 60. & Diana vbi ſupra reſ. 74.*

Vtrum ſi Cardinales non expectato tempore à iure definito ad expectandum abſentes, de facto eligant Papam ex ipſorum omnium, vel duarum partium conſenſu electio ſit valida, quid ſi intra præfinitum tempus propter nimiam diſtantiam venire nequeant, an neceſſario expectandi poſt elapſum à iure tempus.

DIFFIC. X.

AFfirmant electionem eſſe validam ſi non expectato numero dierum decem ad expectandos abſentes Cardinales præfinito à iure vt videre eſt in *c. vbi periculum de elect. in 6.* ad electionem Papæ procedant Cardinales præſentes, modo electio facta ſit ex ipſorum omnium, vel duarum partium conſenſu, quia in d. c. generatim dicitur nihil excipi, aut opponi poſſe ſi Pontifex ſit electus ſuffragijs duarum ſaltem partium Cardinalium. *Azor. t. 2. l. 4. c. 4. q. 5. Lauor. in var. Elucubrat. tit. 4. c. 5. n. 4. & Diana reſolut. 75.*

Attamen Albanus de Cardinalibus q. 14. inualidam putat huiuſmodi electionem, quia cum tempus certum lex præſcribit, ſpectare videtur ad ſubſtantiam actionis ex Authent. quę ſupplicat c. de prec offerend. 9. cum decem diebus expectari Cardinales abſentes lex præſcribat, tale tempus ad validæ electionis ſubſtantiam pertinere dicendum eſt, & quidem probabilius, quia beneficium iuris nemini auferendum 28. *diſt. de his*, & de re iudicata *c. indultum in 6.* præterquam quod multa daretur occaſio abſentibus non expectatis iuxta præfixum numerum opponendi de nullitate, & ſciſmata ſuſcitandi, ideo potius dicendum pertinere ad validitatem electionis tempus præfixum expectandi abſentes, & lex præcipiens nihil opponi poſſe contra electionem factam ex omnium, vel duorum partium Cardinalium, loquitur ſuppoſito, quod expectatum ſit tempus ab ipſa lege præfinitum pro aduentu Cardinalium abſentium.

Verum ad huc putarem in hac difficultate diſtinguendum, nam vel periculum eſt in mora, quod ſatis probabiliter diſcuſſum à præſentibus fortiter timetur in graue damnum communitatis Chriſtianæ, Catholicæ fidei, vel Sedis Apoſtolicæ, & in hoc caſu dicerem ex pia legis præfatæ de expectandis decem diebus interpretatione, quod ſcilicet in tali periculo non obliget, quod valida ſit electio facta ex communi, vel duarum partium Cardinalium præſentium conſenſu, vel ſi abſentes ita ſint pauci, puta ſi vnus, vel duo abeſſent, & reliqui adeſſent omnes, ita vt etiam ipſis præſentibus, & renuentibus communi vel duarum partium electioni, adhuc ſine ipſorum ſuffragijs electio facta foret, extimarem cum prima opinione validam eſſe electionem, ſi ipſi iuxta terminū præfatum à iure præſcriptum non expectarentur, quia nihilominus ſine ipſis electio conſiſteret valida, ita etiam *ex gloſſam d. c. vbi periculum.* At vero ſi maior pars Cardinalium abeſſet, & minor pars eſſet præſens, ita vt ſi adeſſet illa maior pars, talis electio forte non fuiſſet facta, in fraudem legis ſanè talis expectatio contemneretur, atque adeo doloſa electio præſumenda, & conſequenter inualida habenda cum ſecunda opinione.

Quod vero abſentes in tanta diſtantia, & infra dierum decem numerum poſt mortem Pontificis nequeant venire, nō ſint expectandi poſt elapſum numerum decem dierum probant communius ex d. c. vbi periculum. *Ita Azor. Lacurtat, Albanus, & Diana loc. cit. licet Manfredus dec. 226. qui citat pro ſe gloſam, Bald. Iaſonem, & Iacobatium,* contrarium fateatur, & ſanè parum probabiliter, quia Cardinales ſcientes præfixum talem terminum à lege debent illum præuenire Romę, vel in partibus vicinis cōmorando, alioquin ſibi imputandum, quod beneficio legis frui nequeant ob diſtantiam.

Vtrum ſi Papa moreretur, vel eſſet depoſitus eo tempore, quo Concilium generale eſt actu congregatum, ſpectaret electio Papæ ad Cardinales an verum ad Concilium.

DIFFIC. XI.

DIſtinguunt aliqui, quod Sede vacante per obitum Papæ, vel eius voluntariam renunciationem ad Cardinales omnino pertinere electionem etiam quando actu Conciliū generale eſſet congregatum, quia Cardinales à Papa, vel à iure diuino acceperunt poteſtatem eligendi Papam, & non à Concilio; ergo Concilium ab ipſis hanc poteſtatem tollere nequit quia Concilium non eſt ſupra Papę, vel iuris diuini authoritatē, quod ſi Papa ſit à Concilio depoſitus, vel eius electio declarata nulla, putant tunc electionem pertinere ad Concilium, nam habens auctoritatem deponendi electum, vel electionem irritandi, habet etiam authoritatem eligendi, ad Concilium autem ſpectat in crimine Hæreſis Papam deponere, & electionem irritare ex c. ſi Papa diſt. 40. *Ita Albanus de Card. q. 35. & Cucchus Inſtitut. Canon. l. 2. tit. 4. num. 35.* adde quod volunt electionem Pontificis à Concilio ad Cardinales eſſe reſtrictam ob difficultatē congregandi Conciliū, ergo congregato Concilio, remanet apud ipſum auctoritas Papam eligendi.

Attamen alij probabilius nolunt ſolum in caſu, quo Papa eſſet ob crimen Hæreſis depoſitus a Concilio, & Cardinales eſſent etiam talis criminis participes, vel ſaltem grauiter ſuſpecti; aut veriſimiliter credi poſſet, ſi Cardinales eligerent Schiſma, vel magna in Eccleſia perturbatio orirentur, quod tunc pro tali caſu poſſet Concilium Cardinalibus ſuſpendere poteſtatem eligendi Papam, & procedere abſque ipſorum ſuffragijs ad noui Pontificis electionem, non autē poſſet in perpetuum hanc authoritatem eis tollere, cum a Papa, vel à iure diuino vt dictum eſt ſupra data ſit Cardinalibus hæc Papæ eligendi poteſtas. Ita etiam *Azorius, & Diana loc. cit.*

Vtrum Cardinalis impeditus poſſit vices ſuas alteri demandare in creatione Summi Pontificis.

DIFFIC. XII.

NEgant *Azor. t. 2. c. 2. q. 9. cum Ancharano, & Phylippo Franco, Megalius in promptuar. V. Cardinalis num. 19.* ex eo quod talis poteſtas Cardinalibus à iure non eſt cōceſſa.

Ceterum *Manfred. de Cardinal. deciſ. 180. Paleot. de Sac. conſiſt. p. 5. q. 7. & Mandragor. de elect. Prælat. c. 10. 11. & 12.* volunt poſſe alteri vices ſuas demandare in Papæ electione Cardinalem legitimo detentum impedimento, poſſeque alterum Cardinalem procuratorem conſtituere, qui nomine ſuo ſuffragium ferat in electione Papæ, quod probant *ex c. ſi quis iuſto de elect. in 6.* vbi ſancitur abſentem legitimo detentum impedimento poſſe alteri demandare, Procuratoremque conſtituere, qui ſuo nomine ferat ſuffragium in electione.

Vtramque probabilem puto, ſecundam tamen iuri communi conſentaneam, primam vero tanquam rationi congruam, multa enim incommoda orirentur ex hac facultate conſtituendi Procuratores pro abſentium Cardinalium ſuffragijs ferendis.

Illud tamen notandum eſt, quod ſi ſecunda opinio amplectenda foret in praxi, iuxta præfatum caput, ſi quis iuſto, debet Procurator illi ſoli ſuffragium ferre, qui ſpecialiter nomi-

natur

natur in litteris ſuæ procurationis, quare abſens debet iuxta præfatum caput ſpecialiter nominare cui ſuum ſuffragium debeat dare, nec poteſt Procurator alium ad ſuum libitum nominare pro ſuo mandante.

Vtrum Cardinales non Epiſcopi habeant ius præſentiæ, & Iudicij in Concilijs generalibus.

DIFFIC. XIII.

NEgarunt aliqui ex eo, quia ſolis Epiſcopis à iure datur ius præſentiæ, & iudicij in Concilijs generalibus, Cardinales autem non Epiſcopi habentur tanquam ſimplices ordinarij in ſuis Eccleſijs Titularibus.

Attamen ex communiori Doctorum calculo affirmatiuè reſpondendum, quia cum ſint, Cardines terræ, & Dominus poſuerit ſuper eos orbem non ſolum in ſuis titulis habent iuriſdictionem, nec ſolum ſicut Epiſcopi in proprijs Diœceſibus, ſed eorum poteſtas reſpicit regimen vniuerſalis Eccleſiæ ſimul cum Papa, atque ideo vocantur Papæ conciliarij, aſſeſſores, atque cooperatores iuxta verba Bonifacij VII. & à D.Bernardo ad Eugenium ad Papā ſcribens vocat Cardinales ſeniores populi, Orbis iudices, & de Cardinalibus aptatur illud pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, id eſt pro Apoſtolis Cardinales, ideo ſequitur conſtitues eos principes ſuper omnem terram, quare vt Hoſtienſis, & Ioan. Andreas aſſerunt quod maior eſt coniunctio, imò identitatis vnio inter Cardinales, & Papam, quam inter ſe ipſum, & Vniuerſos alios etiā Epiſcopos, vnde pas corporis Papæ, & ſpecialia eius membra vocantur, cur ergo non habeant ius præſentiæ, & iudicij in Concilijs generalibus, qui regimini totius Eccleſiæ deputantur, & Eccleſiaſtica negotia, & fidei dogmata ſuper eos tanquam oſtium ſuper cardines volutari debent. *Itam etiam Lotherius de beneſ. t.1. l.1. q.8. Didacus ab Alaua ſec.1. & alij.*

Vtrum Papa poſſit ardua Eccleſiæ negotia abſque conſenſu Cardinalium definire.

DIFFIC. XIV.

CErtum mihi eſt Papam poſſe abſque conſenſu Cardinalium quælibet quantumuis ardua negotia Eccleſiæ definire, cum eius poteſtas non dependeat in definiendo à Cardinalibus, cum ſoli Petro, & ſucceſſoribus eius Suprema, & independens ab alijs vniuerſalis Eccleſiæ poteſtas ſit tradita, vt probatur in c. multum 2. q.6. & c. cum ea de pœnit. & remiſſ. & iura paſſim proclamant maiora Eccleſiæ negotia ad Sedem Apoſtolicam referenda *ex 6. rogamus, c. quoties 24. q. 1. c. duabus 3. q.4. & c. maiores* de baptiſmo, hanc autem Sedem Apoſtolicam ſolum tenere Romanum Pontificem probat *text. in c. hæc eſt fides 24. q.1. vide Panorm. in c.2. n. 3. de cler. non reſid. & Valenz. in monitorio Pauli V. p.6. n.97. & 98. ex Sforzam in Emptor. iuris p.1. tit. 3. n.13. maxima enim ex parte læderetur* Summa Pontificis poteſtas ſi à ſuis ſubditis neceſſariò in definiendo dependeret.

Nec obſtat, quod aliqui contrarium docentes velint Papam non poſſe abſque Cardinalium conſenſu ardua expedire huiuſmodi ſunt Cardinales creare, Epiſcopos transferre, generalem legem promulgare feuda magna concedere, legatum à latere mittere, bellum indicere, alienare res Eccleſiæ pretioſas, & hiſce grauiora ſimilia. quia vocantur Cardinales conIudices Papæ, & Apoſtolorum loco ſuccedunt quæ parem cum Petro poteſtatem habuiſſe probat text. in c. in nouo, ibi pari conſortio 12. *diſt.* & confirmant exemplo hanc doctrinam, quia Benedictus Vndecimus ſuſpendit ſtatuta, quæ Bonifacius confirmauerat abſque Cardinalibus Marchianis, ita videntur ſentire Archidiac. *in c. ſicut quidam 25. q.1. & in c. cum Redemptor 12. q.2. & Cardinalis in conſ.150. & in c. perpendimus de ſent. excom. & in c. licet de elect. Ripa rubr. de conſtitut. n.2. & alij.*

Non obſtant inquam, quia Papa dicitur habere Cardinales conIudices & cooperatores ſolum quoad conſilium, quod ſequi non imponit neceſſitatem, præcipuè dum à ſubditis datur Superiori, Cardinales autem verè ſunt ſubditi Papæ, eorum ergo conſilium non tenetur ſequi, cum conſilia non cadant ſub præcepto aduerſus Superiorem, alioquin Superior ſubditis ſubderetur, quod ſanè contradicit, quare *ex c. citato in Nouo* non colligitur quod Apoſtoli habuerint parem poteſtatem ſupremæ iuriſdictionis, ſed ſolum parem poteſtatē, & honorem quoad officium prædicationis, & abſoluendi à peccatis; Principatum autem, & Superioritatem ſuper eos Petro datum fuiſſe in ipſo eadem cap. docetur, verba autem huius Canonis hæc ſunt (hic ergo ligandi, ſoluendiq; poteſtatem primus accepit à domino, primuſque ad fidem populum ſuæ prædicationis virtute adduxit, verboque Inſtituit, ceteri vero Apoſtoli pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt, qui iubente Domino in toto orbe terrarum diſperſi Euangelium prædicauerunt, ipſis quoque decedentibus in loco eorum Epiſcopi ſurrexerunt) ex quibus verbis clarè liquet Petrum fuiſſe Principem, & in principatu nullus Apoſtolorū fuit æqualis Petro, alioquin Eccleſia fuiſſet multi cephala & conſequēter monſtruoſa; æquales ergo Petro alij Apoſtoli in virtute prædicandi, & abſoluendi, non autem in alijs iuriſdictionalibus pertinentibus ad principatum vt Princeps eſt.

Dicuntur etiam Cardinales conIudices, & cooperatores quoad iuriſdictionem ſibi à Papa delegatam, non autē quoad poteſtatem ſibi ordinariam, & in praxi in tantum Cardinales ſunt Iudices, in quantum à Papa delegantur in varijs Eccleſiæ negotijs; Nec exemplum Benedicti Vndecimi contra Bonifacium noſtræ poſitioni eſt contrarium, nam Benedictus Vndecimus non reuocauit illa ſtatuta ſimpliciter ex eo, quia nō poterat Bonifacius ea condere abſque conſenſu Cardinaliū, ſed ſtatuta non erant vtilia, & ſine conſenſu Cardinalium Marchianorum forte videbantur, vel iniuſtè, vel ſaltem non congruè condita in præiudicium talium Cardinalium, poteſt enim quandoque Papa, quando è Cathedra non docet, tanquam homo errare in regimine non pertinente ad fidem. Quare

Non eſt negandum Papæ valde congruere, & conuenire, vt in rebus arduis, & grauioribus Eccleſiæ negotijs adhibeat, & ſequatur conſilium Cardinalium, & vt loquitur textus in c. fundamenta §. decet de elect. in 6. ſub his verbis (*Decet Romanum Pontificem per fratres ſuos S. R. E. Cardinales libera habere conſilia*) vt enim Eccleſ.32. (*Rectorem te poſuerunt noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*) & *infra* (*fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.*) decet ergo Superiorem quemlibet conſilium capere etiam à ſubditis Senioribus, & doctis; quod enim fit cum conſilio temerè non fit, & vbi ſunt duo, vel tres cōgregatiui nomine meo, in medio eorum ſum, ait Dominus, vnde diuina inſpiratione poteſt etiam dici factum, quod conſilio multorum in Dei nomine adunatorum ſtatuitur, & ordinatur, itaque Papam maxime decet adhibere conſilia ſuorum fratrum Cardinaliū, qui tamen conſultoris ſolum officium exequuntur, non autem legum conditoris munus, & nomen vſurpant. Vide *Manfred. deciſ.237. Palaot. q.3. & Valenzuol. p.6. n.97. loc. cit.*

Vtrum Cardinales Sede vacante, poſſint leges vniuerſales condere, & alia iuriſdictionalia exercere.

DIFFIC. XV.

IN varias ibant ſententias antiquiores circa hanc difficultatem, vt videre eſt *apud Albanum de Cardinal. deciſ.6.* attamen hodie clare ſtatuitur *in clem. Ne Romani de elect.* vbi ſic habeatur (*Irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid poteſtatis, aut iuriſdictionis ad Romanum, dum viueret Pontificem pertinentis, niſi quatenus in conſtitutione prædicta permittitur, captus ipſe duxerit, eadem vacante Eccleſia, exercendum*)

Excipitur autem in conſtitutione citata Vbi periculum de elect. in 6. ſub his verbis (*ijdem quoque Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentius, quod ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſitan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod oporteret eos de terra ipſius Eccleſiæ defendenda, vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande, & tam euidens periculum immineret, quod omnibus, & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.*

In Clementina autem præfata *Ne Romani* datur ſolum facultas Camerarium, & Pœnitentiarios maiorem, & minores, ſi ſede vacante moriantur, ſubrogandi.

Videnda etiam pro hac materia quæ ſtatuuntur à Pio V. in conſtitut. quæ incipit *in eligendis, data Romæ idibus Octobris 1562.* Ex quibus

Colli-

Colligunt **Doctores Recentiores** præcipuè Cardinales mortuo Papa poſſe primo vbi immineret, ſede vacante periculum amiſſionis alicuius loci, vel iuriſdictionis Eccleſiaſticę, aut rei ſimilis omnibus ſimul conſentientibus, aut ſaltem duobus illorum tertijs partibus per ſuffragia illi periculo occurrere per quaſcunque ordinationes neceſſarias, & prouiſiones debitas. Secundo pro coercendis ſceleribus, ſeditionibus, ſeruanda quiete, & obedientia poſſe imponere pœnas corporales, & ſpirituales. Tertio ad eoſdem fines obtinendos poſſe Gubernatorem vrbis, tam vltra, quam citra pontē, & alios officiales, & miniſtros mutare, de nouo eligere, & confirmare etiam in quocunque loco Status Romanæ Eccleſiæ propter eoſdem fines poſitos. Quarto poſſe deputare adminiſtratores, vt facilius expediantur ea, quæ imminent pro electione. Quinto poſſe iudicare Papam intruſum, dum ipſi Canonicæ vacant electioni. Sexto cetera omnia poſſe ordinare, quæ negotium electionis, vel publicam quietem, & ſalutem periclitantis Status Eccleſiaſtici, eiuſdem ſingulorum locorum, & iuriſdictionum obtinendam, vel ſeruandam pertinent. *Ita Zalin. Lauor. in var. e. elucubrat. tit. 3. c. 3. n. 27. & ſeq.* Septimo poſſe etiam Cardinales Sede vacante dare Reuerendas. docent *Maiol & Salzedo, quot citat, & ſequitur Sanch. in opuſc. t. 2. l. 1. dub. 20. n. 39. & Diana reſol. 9. quia Concil. Trid. ſeſſ. 7. c* 10. non videtur limitare Sede Apoſtolica vacante Cardinalium iuriſdictionem, ſed ſolum capituli Sede Epiſcopali vacante dumtaxat.

Vtrum Cardinales Epiſcopi dum Romæ commorantur excuſentur à reſidentia ſuarum Eccleſiarum.

DIFFIC. XVI.

HOdie hæc difficultas manet non ſolum ſoluta per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 1. de Reformat.* vbi omnes Epiſcopos etiam Cardinales ſtatuitur in ſuis Eccleſijs, vel ſaltem Diœceſibus reſidere debere, verum etiam *ex Bulla Vrbani VIII.* recentius Cardinalibus reſidentia in ſuis Epiſcopatibus præſentialis præcipitur.

Itaque niſi ſpeciali indulto, & diſpenſatione Papæ Cardinales Epiſcopi non poſſunt extra ſuas Diœceſes commorari, nec Romæ commorari, niſi negotia ſpecialia à Romano Pontifice ibi, vel alibi peragenda committantur, nec valet quod dicit *Germonius tract. de Cardin.* quod tacita Papæ approbatio ſufficit ad excuſandos Cardinales Romę reſidentes, qui ſcit, & tolerat eos ibi commorari, nam ſimplex permiſſio, & fortè moleſta ſibi pacientia Papæ non præbet diſpenſationē in iure diuino, huiuſmodi eſt reſidentia, diſpenſatio enim debet fieri cauſa cognita, & iure exiſtente, quare cum Papa per ſimplicem permiſſionem, & patientiam non cognoſcat cauſam, quam Cardinalis non notificat, non dicitur diſpenſare Cardinali Romæ exiſtenti, vt non reſideat in ſuo Epiſcopatu, & conſequenter à peccato per talem Papæ permiſſionem, & tolerantiam non excuſatur Cardinalis Epiſcopus non reſidens in ſuo Epiſcopatu. Vide *Sanctarell. var. reſol. t. 5. q. 2. per totum.*

Quare multi Doctores vt videre eſt apud eundem *Sanctarellum* probant Epiſcopatum eſſe incompatibilem cū Cardinalatu, quia de iure communi Cardinales debent Papæ aſſiſtere pro communi Eccleſiæ Vniuerſalis Regimine, quod contraria conſuetudine falſum videtur, nam Cardinalatus eſſentialis facultas eſt conſtituita in eligendo Pontifice, & ſecundariò in aſſiſtendo Papæ pro regimine, in quo quia nō omnes ſunt neceſſarij, ideo alios poteſt ad Epiſcopatus aſſumere, maximè ſi non habeant, vnde honorificè alantur, & facti iam Epiſcopi debent reſidere, niſi à Papa ſpecialiter Romam vocentur, vt ibi ſpecialia negotia ipſis committant.

Vtrum Cardinales ex omni natione ſint aſſumendi.

DIFFIC. XVII.

SAnè ex omni natione aſſumi debere ſtatuit *Sixtus. V. in conſtitut. poſtquam anno* 1586. quoadmodum congruere patet ex eo, quod æquum eſt vt ex omni lingua, & natione adſit Cardinalis, qui tanquam tutelaris Pater ſuæ nationis negotia, & deſideria libentius audiat, & diligentius tractet cum Sede Apoſtolica, vt ab eo præſentius ſuæ Nationis, & linguæ homines præſidium in Romana Curia tanquam linguę, & morum perito inueniant, & auxilium promptius experiantur. Ita *Caiet. inſtitut. can. l. 1. Tit. 4. num. 112. Barboſa de iur. Pont. l. 1. cap. 53. cap. n. 13.*

Verum eſt tamen, quod conuenientius maior pars Cardinalium à ſtatu Eccleſiaſtico aſſumendi, quia maiori libertate ad electionem Pontificis procedunt vt pote, qui nullius alterius ſæcularis Principis ſui nationalis obligatione deuincitur. Ita etiam *Ioann. Garzias de nobilit. Hiſpan. gloſ. 48 §. 3. num. 54. & Cherubinus ex Iacobatio in compend. Bull. T. 2. Bulla 52. Sixti Quinti.*

Vtrum Cardinales in conſiſtoria poſſint ſine ſcrupulo veritatem, & alia neceſſariò dicenda tacere.

DIFFIC. XVIII.

SEntentia *Albani de Cardinal. quæſt.* 10. probans non poſſe ſine ſcrupulo tacere veritatem, cuius prætermiſſio vniuerſali Eccleſiæ obeſſet, etiam ſi omnes alij in contrariam ſententiam irent, admodum probabilis, & à verè Cardinalibus ſequenda, fortè enim fieret, vt alij inuictam veritatem alacriter proferentem ſequerentur, qui enim veritati innititur, ei Deus, qui veritas ipſa eſt ſemper ſuo auxilio præſens ſolet eſſe, qui ab aliorum odio liberet.

Cæterum ſi res dubia ſit, nec euidenter, & notoriè conſtaret eſſe contra commune bonum Eccleſiæ, licet ſibi probabiliter eſſe malum videatur, poterit tuta conſcientia Cardinalis ſequi maioris partis ſententiam, non enim videtur errare, qui cum multis ſentit. Vide *Azor. T. 2. l. 4. c. 13. q. 17.*

Vtrum Cardinales comprehendantur in conſtitutionibus generaliter latis, & in regulis cancellariæ illis, quæ ſunt odioſæ.

DIFFIC. XIX.

IN hac difficultate alij abſolutè aiunt, alij abſolutè negant, alij probabilius diſtinguunt comprehendi in cenſuris generaliter latis, affirmant, *Paulus de caſtro. in l. fin. in princ. ff. de verb. ſignific. Bonac. de legib. diſput. 1. quæſt. 1. punct. 6. num. 34. & Vgolin. de cenſ. Tab. 1. c. 17. §. 6. num.* 10. Negant comprehēdi in conſtitutionibus generaliter latis Cardinales, quia multoties in ipſis generaliter latis ſpecialiter exprimuntur, ergo quando non exprimuntur, ſanè non debent includi. Ita *Alban. de Cardin. q. 42. Germon. de Sacr. immun. l. 3. c. 6. Mandoſius reg. 19. de infirm. q. 2. Laudenſ. de Cardinal. q. 62. Iacobat. de concil. l. 1. art. 12. & alij.*

Probant etiam Cardinales non includi in generalibus conſtitutionibus ex eo, quia quæ ſpeciali nota ſunt dignę, niſi ſpecialiter exprimantur, omiſſa eſſe cenſentur *ex c. quia periculoſum de ſenten. excommu. & affirmant Gloſ. in* c. 2. *de preb. in* 6. *paris de reſignat. benef. l. 11. qu. 4.* Cardinales autem ſpeciali nota ſunt digni, cum ſint fratres ipſius Papę pars corporis ipſius, vnde videtur Papa contra ſe ipſum pœnas ferre, ſi Cardinales includeret in pœnis, quare ſi non ſpecificentur, non comprehenduntur. adde quod lex generaliter lata non comprehendit caſus ſpecialiter priuilegiatas, vt aſſerunt, *Gloſ. in Auth. de hered. quæ ab inteſt. & Gomez in c. ſtatutum de reſcri. in 6. Felin. in c. 1. de reſcr. & Iaſon in l. poſtquam lit. col. fin. C. de pactis.* delicta autem Cardinalium ſunt caſus ſpecialiter priuilegiati, vt potè qui Senatores, & Principes vniuerſæ terrę, vocantur, & ideo ſolet poni, quando includere eos intendit Papa, clauſula cuiuſcumque ſtatus, præeminentię, dignitatis exiſtant.

Diſtingunt tamen alij probabilius, quòd Conſtitutio pœnalis ſiuè cum cenſura, ſiuè cum alia pœna corporali prohibens aliquod faciendum, quod ex ſe non eſt intrinſecè malum ex ſui natura, ſed ſolum ex aliqua circumſtantia extrinſeca non comprehendit Cardinales niſi exprimantur; & ad hoc probandum valent rationes ſecundæ opiniones; quod maximè hodie ſuadetur *poſt decretum Vrbani VIII.* iubentis titulo eminentiſſimi ſingulos Cardinales colendos, tanquā ſuper omnes alios priuilegiatos, diſpoſitio autem loquens de ſimplicibus non trahitur ad perſonas habentes mixturam qualitatum, maximè ſi vna qualitas ſit dignior altera *de legat. 1. Titia textores de legat. 3. l. legatis ſeruis §. ſi vnus ff. de Adul. l. nam paſſatu §. præſcriptiones, & l. marui latrocinium §. fin. ff. de ſtatu hominum, & de teſtibus l. quæritur, & 4. q. 3. c. Teſtes*

§. Her-

Digitized by Google

§. *Hermaphroditus*, *& docent Tiraquell. de leg. connub. gloſ.* 5. *num.* 71. *Caphalus l.* 1. *conſ.* 26. *Alexand. l.* 5. *conſ.* 140. *Surdus l.* 3. *conſ.* 430. *Thuſc. practic. concluſ. V. mixtus caſus concluſ.* 294. & alij, decet enim peculiari dignitate, & prærogatiua fulgẽtes in materia odioſa non comprehendi in conſtitutione pœnali, quando res quæ prohibetur de ſe non eſt intrinſecè mala, niſi ſpecialiter exprimantur, ergo Cardinales eminentes ſuper omnes alios in Eccleſia Dei peculiari dignitate, & poteſtates non comprehenduntur in conſtitutione pœnali prohibente faciendum, quod non eſt ex ſe intrinſecè malum, niſi exprimantur. Quare

Dicendum è contrario, quod conſtitutio pœnalis prohibens faciendum, quod ex ſe eſt intrinſecè malum etiam Cardinales liget, quia dignitas, & ſi eminentiſſima non debet liberare ab obligatione legum, quarum tanta eſt vis, vt omnes obſtringat, vnde Auguſta, quæ gaudet priuilegijs, quæ habet Princeps *l. fiſcus* §. *fin. ff. de iure fiſci ſub generali vinculo talium legum comprehenditur l. Princeps ff. de leg. niſi ipſa ſpecialiter eximatur l. penult. C. de donat. inter vir. & vxor. l. bene à Zenone C. de quadr. præſcr. & axioma eſt Iuriſtarum ex l. digna C. de legib. quod digna vox maieſtate regnantis legibus allegatum ſe Principem profiteri.*

Quare cum id quod eſt de ſe intrinſecè malũ omnes aſtringit vitare quantumcunque priuilegiatos vt V. lex fuſius dicetur ergo conſtitutio pœnalis prohibens intrinſecè malum etiam Cardinales comprehendit, decet enim Cardinales, qui ſoles ſunt Eccleſiæ ab omni actu intrinſecè mali caligine per pœnales etiam conſtitutiones arceri, & in hoc ſenſu maximè audiendi ſunt primæ opinionis Authores. Ex qua diſtinctione muti caſus particulares in hac materia decidi poſſunt. Quare

Dico primo, quod Cardinales includuntur in canone ſi quis ſuad. Diad. & in Paulina Ambitioſæ, etiamſi non exprimantur, quia tam percuſſio clerici, quam alienatio rei Eccleſiaſticę eſt de ſe intrinſecè mala contra ſtatum Eccleſiaſtici, illiq; admodum iniurioſa eſt percuſſio, & damnoſa alienatio. Vide *Monachum in extr. excommunicamus de ſent. excommu. V. clericus, Felin. in c. quod ſuper his de fide inſtrum. columna* 4. *Filiucc. T.* 3. *tract.* 44. *c.* 3. *num.* 79. *& Sanctarell. var. reſol.* §. 1. *reſol.* 2. *num.* 28. quam doctrinam etiam extende ad pacta Symoniaca, quæ ex ſe ſunt etiam intrinſecè mala, & cætera huiuſmodi.

Dico ſecundo, quod conſtitutio pœnalis, quæ prohibet facienda ad vitandas fraudes, cum ordinetur etiam ad vitanda intrinſece mala comprehendit etiam Cardinales, nam cum maiori dignitate polleãt, decet eos maximè eſſe alienos fraude *c. cum quidam de iureiur. & l. presbyteri C. de Epiſ. & cler. Ita Pariſius de reſignat. l.* 8. *quæſt.* 8. *num.* 148. *& l.* 12. *q.* 4. *nu.* 8. *& Caputaquenſis l.* 1 *deciſ. deciſ* 211.

Quare comprehendi volunt in regulis illis etiam odioſis Cancellariæ, quæ ad vitandas fraudes feruntur, licet non exprimantur, Ita etiam cum prædictis ſentiunt *Filiucc. loc. cit. Gonzalez in reg.* 8. *cancell gloſ.* 24. *& Lotthérius de beneſ. in Bul. Pontif. epith.* 41. *Theorem.* 114. *& alij.*

Dico tertio, quod quando lex pœnalis fertur immediatè in ſalutem animarum, ad quam præcipuè debent inuigilare Cardinales, vt potè ad regimen totius Eccleſiæ adminiſtrandum deſtinati etiam comprehendit eos licet non exprimãtur. Ita *Monachus, & Sanctarell. loc. cit. & prapoſ. in c. non licet in princ. diſt.* 10.

Quare conſtitutiones pœnales pertinentes ad reſidentiam in proprijs Epiſcopatibus comprehendere Cardinales volunt præfati Doctores, quia ad ſalutem animarũ ordinatur, etiam ſi non exprimantur.

Dico quarto, quod lectio librorum Hæreticorum cum ex ſe non ſit intrinſecè mala, cum ad bonum finem ordinari valeat, ſicut etiam pluralitas beneficiorum, quæ etiam non eſt de ſe intrinſecè mala, & huiuſmodi ſimilia, quæ non contradicunt præpoſitis dictis ſi à pœnali conſtitutione prohibeantur non comprehenduntur Cardinales, niſi exprimantur. Vide Meroll. T. 1. diſp. 1. l. 2. coroll. 7. diffic. 11. n. 147. Germonium de ſacr. Immun. l. 3. c. 6. n. 56. Manfred. de Cardin. deciſion. 191. & quod puta certum de cõgrua pluralitate, non ita certum de ſuperflua ſuo ſtatui.

Vtrum Cardinales in ſuis Eccleſijs titularibus ordines minores conferre, cenſuras fulminare, indulgentias concedere, beneficia prouidere, & eorum reſignationes accipere, vltimas voluntates commutare, & in votis diſpenſare in quibus Epiſcopi, & abſoluere à reſeruatis in virtute Concilij Trid. in c. liceat ſeſſ. 24. *c.* 6. *& ſimilia Epiſcopalia iuria exercere licitè valeant.*

DIFFIC. XX.

Dico primo, quod Cardinales in ſuis Eccleſijs Titularibus, an ſuis familiaribus poſſint conferre minores Ordines, & primam Tonſuram licet multi negent, & præſertim ex modernioribus ex *Ledeſma Sanch. in opuſc. T.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *dub.* 19. *& Germon. in tract. de indul. Cardin.* §. *tam ratione, n.* 20. quia à Concilio Trident. ſeſſ. 23. cap. 10. de rogatur faculta conferendi Minores ordines quibuſcunque etiam ex immemorabili conſuetudine, & Cardinales in ſuis Titulis ea poſſe ſolum docet Germanius, quæ ſunt iuriſdictionis, non quæ ſunt ordinis, attamen poſt Concilium Tridentinum Doctores Grauiſſimi poſſe Cardinales in ſuis Titulis, & ſuis etiam familiaribus conferre primam Tonſuram, & minores ordines probant ex Pontificis Summi ſcientia, & tolerantia. Vide *Barboſ. in Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 9. *& de poteſt. epiſc. part.* 2. *alleg.* 5. *n.* 13. *vbi teſtatur ita ſentiſſe Rotam in iure canon.* 3. *Decembris* 1582.

Dico ſecundo Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs habere poteſtatem concedendi centum dies Indulgentiæ probat noſter *Corduba de indulg. c.* 10. *& noſter Villalob. in ſum. T.* 1. *trac.* 26 *diffic.* 5. *num.* 10. *Palud. in* 4. *diſt.* 20. *q.* 4. *art.* 3. an vero de iure, an de conſuetudine, Nauarr. ſolum de conſuetudine non de iure, cum nullibi id inueniatur expreſsè conceſſum in iure, certum tamen eſt vt notat noſter Villalob. quod ex conſuetudine, & ex tacito Summi Pontificis conſenſu ſcientis, & non prohibentis, poſſe Cardinales indulgentias centum dierum in ſuis Titulis præcipuè concedere, an vero extra ſuas Titulares Eccleſias hanc poteſtatem ex tali conſuetudine concedendi centum dies Indulgentiæ, vbicunque, & quibuſcumque contendunt multi ita in praxi à Dominis Cardinalibus obſeruari.

Dico tertio, quod Cardinales valeant in ſuis Eccleſijs Titularibus cenſuras excommunicationis, & interdicti fulminare eſt communis canoniſtarum ſententia. Vide *Felin. Abbatem, & Pontium in c. de his, quæ de maior. & obed. & hac ratione notant Laudenſis de Cardinal. quæſt.* 19. *&* 21. *& Barboſa in collect. in Cad. T.* 1. *l.* 1. *Tit.* 33. *c.* 11. *n.* 3. poſſunt etiã Pontificalibus vti inſignijs, & ſolemni ritu in ſuis Eccleſijs benedicere etiam ſi Epiſcopi non ſint. Nota etiam quod cum ſint ordinarij in ſuis Titulis poſſunt eorum etiam Vicarij generales in ipſis Eccleſijs, & locis ſubiectis cenſuras fulminare, & reliqua iuriſdictionalia exercere, Sacerdotes, & clericos corrigere, & punire ex c. his, quæ ſupra citat.

Dico quarto Cardinales, quando ſunt in Vrbe poſſe in ſuis Titularibus Eccleſijs, & locis ſubiectis ratione ſuorum Titulorum beneficia, quæcunque in ipſis vacantia conferre, licet iure ordinario tanquam beneficia in Vrbe ad Papam ſpectẽt eorum collatio, verumtamen hanc poteſtatem peculiariter in ſuis Titulis Cardinalibus confert Papa tanquam ſuis ſpecialibus fratribus, & vt etiam ad Romæ commorandum dulcius alliciat. Vide *Germon. tract. de indulg. Cardin.* §. *tam ratione nu.* 14. *& Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 13. *num.* 20. Abſentes vero à curia Cardinales ea conferre minimè poſſunt, ſed Papæ reſeruantur vide Ioann. Chokher. in comment. Reg. 1. cancell. num. 25.

Vnde infer ex *Flamminio Pariſio de reſignat. benef. l.* 7. *quæſt.* 12. *& Mandoſio in Reg.* 7. *cancell. q.* 1. *num.* 5. poſſe accipere reſignationes beneficiorum in ſuis Titulis Cardinales, poſſeq; beneficijs priuare ex eo, quia beneficia conferre illis eſt indultum in ſuis Titulis, quod etiam extendunt ad Cardinales in ſuis Epiſcopatibus, Abbatijs, & Prioratibus, in quibus ſi poſſunt reſeruata beneficia conferre in menſibus etiam Papę ex priuilegio particulari, poſſunt etiam beneficiorum eorundem reſignationes recipere.

Dico quinto, quod cum Cardinales habeant in ſuis Eccleſijs Titularibus iuriſdictionem Epiſcopalem, vt de iure communi probant Doctores communiter Vide Imolam ex clem. *ne Romani de elect. Gonzal. ad Reg.* 8. *cancell gloſ.* 13. *num.* 20. *Sanch. de matrim. T.* 1. *lib.* 3. *diſp.* 28. *& Gilenzonium conſil.* 63. conſe-

conſequenter, & probatur ex tex. c. his, quæ de maior. & obed. poſſunt dare licentiam aſſiſtendi Matrimonio etiam ſacerdoti non Parocho, vt docent *Sanch. loco cit. & Baſil. Pont. de matrim. l. 5. c. 10. n. 6. Quare*

Dico ſexto, quod poſſunt etiam commutare vltimas voluntates, in quibus poſſunt Epiſcopi, quia ad iuriſdictionem Epiſcopalem id pertinet, quam Cardinales exercent in ſuis Titulis, vide Monetam de vlt. volunt. c. 5 q. 13. concluſ. 1.

Dico ſeptimo, quod licet *Suar. de relig. T. 2. l. 6. c. 10. & Sanchez in ſum. T. 1. l. 4. c. 38. nu. 2.* velint non poſſe Cardinales in ſuis Titulis in votis diſpenſare ſeclusa conſuetudine, attamen quia diſpenſare in votis non reſeruatis Papæ pertinet ad iuriſdictionem Epiſcopalem, id etiam in ſuis Titulis in quibus vt dictum eſt ex cap. his, quæ præcitato exercent iuriſdictionem Epiſcopalem poſſe de iure Cardinales dicendum eſt. Ita etiam *Moneta loc. cit. & Diana reſolut. 58.*

Dico octauo, quod licet aliqui negent Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs poſſe vti facultate abſoluendi, & diſpenſandi data Epiſcopis a Conc. Trid. in d. c. liceat. quia hæc facultas datur Epiſcopis contemplatione propriæ Diœceſis, ac tamen ſi cæteris ordinarijs Epiſcopo inferioribus docet probabiliter in ſalutem animarum ſibi commiſſarum concedi etiam talem facultatem Concil. *Rodr. qq. Reg. T. 1. quæſt. 61. ar. 9. Henriq. l. 14. cap. 18. & lib. 6. cap. 16. Sanch. in ſumm. t. 1. lib. 2. c. 38. num. 19.* & alij, quare denegandum Cardinalibus, qui maioris ſunt dignitatis, & excellentiæ. Adde quod Domini Cardinales in ſuis Titulis Præsbyteralibus, & Diaconalibus poſſunt dici habere quandam Diœceſim licet modicam poſitam inſra fines Romani Territorij, vt docet Moneta loc. c.

Dico nono, quod probabile eſt Cardinales poſſe in ſuis Titulis exigere charitatiuum ſubſidium, quia id etiam pertinet ad ius Epiſcopale, quod habent Cardinales in ſuis Titulis, *Ita ex Chaſſaneo affirmat Benrigius de Gonnes tract. de charitat. ſubſid. quæſt. 21. & ex Bellenſ. Marcell. Megal. q. 2. l. 22. c. 15. quæſt. 3. & Scipio de Rubeis, Aphor. Epiſc. v. charitat. ſubſid. n. 9. & Diana reſol. 35.*

Dico decimo, quod fideicommiſſis ad ſuas Eccleſias Titulares pertinentibus poſſunt etiã Cardinales derogare conſequenter ex dictis, quia hoc etiam pertinet ad ius Epiſcopale, vt notat *Moneta vbi ſupra c. 9. conc. 23. n. 634. & Conchini in Theſauri v. Cardinalis §. 2.*

Quamnam authoritatem habeant Cardinales in ſuis Titularibus Eccleſijs, in quibus ſunt Monaſteria Regularium.

DIFFIC. XXI.

Dico primo, quod de iure communi videtur dicendum Regulares habentes Monaſteria in Eccleſijs Titularibus Dominorum Cardinalium ſubditos eſſe, quoad Manualem obedientiam, & correctionem ipſis Cardinalibus Titularibus, maximè ſi tales Eccleſiæ erant ſæcularium Clericorum, eum Regularibus conceſſæ ſunt, quia debent tranſire ad eos iuxta formam iuris communis in c. vero his, quæ de maioritate, & obed. Præsbyteri, & clerici ſubduntur obedientiæ, & correctioni Cardinalis Titularis, ergo etiam Præsbyteri, & Clerici Regulares, iuriſdictio enim fundata in iure communi, eſt latè interpretanda, cum ſit materia fauorabilis iuriſdictio, *Ita Caſſiodorus deciſ. 8. n. 6. de præb. & Puteus deciſ. p. 1. deciſ. 48. nu. 6. vide Gomez memb. reg. canc. §. 6. proœm. n. 27. & 47.*

Dico ſecundo, quod de facto credo Regulares ſpeciali indulto eſſe exemptos ab obedientia, & correctione Dominorum Cardinalium Titularium ea ratione, quia intolerabile videretur Regularibus habere duos Superiores ordinarios. ſ. ſuos Superiores Generales, & Prouinciales, & Cardinalem Titularem, facilè enim oriretur perturbatio, & diſſenſio, & daretur regularis obſeruantiæ relaxatio. Ita videtur ſentire *Mandoſ. ad reg. 7. canc. q. 2. nu. 10.*

Dico tertio, quod ſi regulares in dictis eccleſijs exercerent curã animarũ, illi præcipuè deſtinati ad hoc parochiale exercitium ſanè ſubderentur correctioni ipſi Titularis, ſi in adminiſtratione ſacramentorum peccarent, ex eo quia etiã regulares habentes curam animarum in locis ordinariorũ, ſæcularium ſubduntur correctioni ipſorum in ſacramentorum adminiſtratione, vt dicetur forte infra v. regularis vel V. Parochus, Cardinales autem in ſuis Titulis ordinarij ſunt.

Vtrum priuilegia Epiſcopis à iure conceſſa extendantur etiam ad Cardinales.

DIFFIC. XXII.

Affirmant communius Doctores, quia in ſuis Eccleſijs verè ſunt iuriſdictionaliter Epiſcopi, & dignitate præcellentiores vnde poſſunt ſibi eligere confeſſarium ſicut poſſunt à iure Epiſcopi, ex c. fin. de pœnit. & remiſſ. & ex conſuetudine poſſunt eligere confeſſarium pro ſua familia cum ſint quaſi Paſtores ſuorum familiarium, & in hoc Cardinales habent maius priuilegium, quam Epiſcopi, qui non poteſt extra ſuam Diœceſim eligere confeſſarium ſuis Domeſticis, ſed ſubduntur iuriſdictioni Epiſcopi loci vbi commoratur. Vide *Dianam reſol.* 10. vbi multos authores enumerat pro hac ſententia, quam puto probabilem ex tacito conſenſu Summi Pontificis, & conſuetudine introducta, neque includuntur in generali ſuſpenſione, & interdicto, ſicut nec Epiſcopi ex c. quia *periculoſum de ſent. excommu. in 6. vide Albanum de Cardin. q. 42. priuil. 31. Sayr. & Auilam quos citat, & ſequitur Vrtado de ſuram. tract. de ſuſp. diffic. 9* Immo adde ex Manfredo de Cardinal. deciſ. 214. Cardinales frui illis priuilegijs Epiſcoporum, quæ refert Gloſa in c. fin. de priuil. in 6. ſicut eſt, vt in altari viatico poſſint vbique celebrare, & facere ſibi celebrare & vbicunque etiã in loco interdicto celebrare, & audire diuina, abſque interdicti tranſgreſſione, non tamen alta voce, nec admittendo interdictos, vt notat ibi Gloſa ſicut etiam priuileg. celebrandi, vel faciendi ſibi celebrare ante Auroram, & poſt meridiem occaſione itineris, quo etiam gaudent Epiſcopi, vt docent noſter *Miranda in Manual. prælat. T. 1. q. 40. art. 10. concil. & Barboſa de off. Epiſc. par. 2. alleg. 23. n. 5. & alij.* Item poſſunt Patronis diſcordantibus conferre beneficia iuris patronatus ſicut poſſunt Epiſcopi ex cap. ſi vero & c. quoniam in quibuſdam de iure patron.

Vtrum Cardinales teneantur legibus, quæ prohibent plura ſimul haberi ab eodem beneficia.

DIFFIC. XXIII.

Alij aiunt, alij negant, affirmat *Abbas cum multis in c. bonæ memoriæ de poſtulat. in c. ex geſtis de cler. non reſid. & in c. eccleſiæ veſtræ de elect. Negant Hoſtienſ. in c. 1. eccleſia veſtra de elect. Barbatia de Cardin. q. 2. Manfred. de Card. deciſ. 208. Laudens de Cardin. q. 42.* ex eo, quia regimini totius Eccleſiæ inuigilant, & conſequenter omnibus Eccleſijs particularibus deſeruire dicuntur, ergo plurium Eccleſiarum beneficijs gaudere poſſunt.

Et probabiliter quidem nam ad eum caſum non adaptatur conſtitutio, ad quem non adaptantur verba ipſius *l. quod conſtitutum ff. de Teſtam. mil. & c. indemnitatibus §. ſed cum eas de elect. in 6. verba autem in c. de multa & extrauag. execrabilis de præb.* in quibus prohibetur pluralitas beneficiorum in vno non adaptantur Cardinalibus, ergo dictæ conſtitutiones non debent adaptari, & extendi ad Cardinales; etenim in c. de multa perſonas litteratas, & nobiles poſſe diſpenſari in pluralitate beneficiorũ ſtatuitur, ergo Cardinales qui omnium ſunt digniſſimi, & ſupponi debent litteratiſſimi nullo modo includuntur in dicta Conſtitut. Vnde merito Io. 22. in dicta extrau. excipit Cardinales expreſſè a prohibitione, quã facit de retentione plurium beneficiorum, & iure, quia vt habetur in c. cum ep. de elect. in 6. Idcirco egregijs, ſtrenuiſque militibus, & Ducibus maiora ſtipendia, & præmia tribuuntur, quia ob ſplendorem, & excellentiam perſonarum a rigore legum recedi poteſt. l. ad beſtias ff. de pœnis, merito ergo Cardinales a iure excipiuntur a pluralitatis beneficiorũ prohibitione, pluraque illis concluduntur, quia omnes alios præcedit honoris, & dignitatis amplitudine, & authoritate.

Vtrum Cardinales poſſint in curia conferre beneficium curatum vacans in ſua Diœceſi ſine concurſu, & an eius Vicarius poſſit beneficia conferre extra Diœceſim.

DIFFIC. XXIV.

Dico primo, poſſe Cardinales in curia commorantes cõferre parochialem Eccleſiam vacantem in ſua Diœceſi abſque concurſu modo ille, cui confertur examinetur ab examinatoribus deputatis à Papa, vel eius Vicario licet doceant

aliqua

Monaſteria Monialium niſi in caſibus neceſſarijs, quod vero dubitationem faceſſit, eſt an ex vi Regulæ Monialium Sanctæ Claræ à Papa confirmatæ vbi ſic habetur §. ſi quis de S.R.E. Cardinalibus ad aliquod Monaſterium huiuſmodi Religionis aliquando venire, & intra clauſuram ingredi voluerit, cum reuerentia quidem eſt ſuſcipiendus, rogandus tamen, vt cum paucis ſocijs ingrediatur) poſſint adhuc Cardinales ingredi in dicta Monaſteria Sanctæ Claræ, & licet aliqui voluerint hoc indultum ſolum ſuis Cardinalibus Protectoribus, non autem alijs, attamen niſi ad eſſet dicta conſtitutio Gregor. XIII. poſſent omnes etiam non Protectores intrare, quia generaliter de omnibus loquitur Regula.

A quo cauſæ Cardinalium decidantur, & quot Teſtes contra ipſos damnandos requirantur.

DIFFIC. XXX.

DIco primo, quod ſolum per Summum Pontificem priuatiuè quoad alios, appellatione remota ex Bullæ Pauli Quarti ſub die 9. Ianuarij anno 1556. nec enim decet ſui partes Corporis ab alio, quam à Papa correctionis iudicio tangi. Ita notant etiam *Barboſa de iure Eccleſ. lib. 1. cap. 4. num. 79. & Lother. de Benef. T. 1. quæſt. 8. num. 48.*

Vnde Cardinalibus non inhibetur ob reuerentiã erga tantæ dignitatis culmen, nec Cardinalis etiam alteri Cardinali inhibet, vide Rotam in antiquis deciſ. 31. de dolo, & contumacia, & deciſ. 25.

Dico ſecundo, quod de iure communi ſi Cardinalis ſit Epiſcopus non poſſit damnari niſi per ſeptuaginta duos Teſtes, ſi Presbyteri per ſexaginta quatuor, ſi Diaconi per viginti ſeptem Teſtes conuincantur. Ita ex *cap. Præſul 2. quæſt. 4. Ita etiam Manfred. de Cardinal. deciſ. 141. Iulius Clar. in prax. crimin. q. 66. num. 5. & Zecchius de republ. Eccleſ. Tit. 3. de Cardin. n. 9. priuileg. 10.*

Et licet hoc non eſſe in praxi hodie contra Cardinales obſeruatum doceant; *Antonius Scappa de iure non ſcripto lib. 1. quæſt. 10. num. 14. & Borrell. in ſumm. omni vn. deciſ. T. 2. Tit. 5. numero 38. attamen contrarium putent Zecch. vbi ſupra, & Manfred. deciſion. 181. & Barbatia de Cardin. quæſtio. 11. num. 7. & 10.* immò volunt præfato cap. præſul priuilegio gaudere etiam hodie pro delictis etiam, ſi quæ commiſiſſent ante Cardinalatum.

An vero teneatur adhibere Collegij Iudicium Pontifex in damnandis Cardinalibus, negat, & iure optimo *Iulius Clar. loco citat. quæſt. 35. num. 11.* cum vt dictum ſit ad Papam priuatiuè quoad alias ſua membra corporis, fratreſque ſuos Cardinales condemnare, & punire.

Vtrum Cardinales poſſint habere familiam armatam, & priuatum carcerem ad ſuos familiares coercendos, & an eorum Iudices ordinarij, & an eorum Palatium gaudeat immunitate.

DIFFIC. XXXI.

DIco primo, quod Cardinalis cum gaudeat priuilegijs Epiſcoporum, vt dictum eſt ſupra, & Epiſcopi habeant priuilegium habendi familiam armatam, ſanè etiam Cardinales fruuntur hoc priuilegio, tanto magis, quanto maiori dignitatis, & poteſtatis prærogatiua præfulgent. Ita *Iacobat. de Concil. lib. 1. folio 38. colum. 1. littera B.*

Dico ſecundo, quamuis habere priuatum carcerem cuilibet ſit prohibitum de iure communi, vt Verbo carcer dictum eſt ſupra, attamen Cardinalibus ſingulis hodie indultum eſt in ſuis Domibus habere priuatum Carcerem ad coercendos ſuos domeſticos, & familiares, & ita vſum obtinuiſſe teſtatur *Manfred. de Cardin. cap. 8. priuilegio 19. Tuſcus T. 1. concluſ. 100. num. 52. Cucchus inſtitut. canon. lib. 2. tit. 4. num. 114. & Zecch. de repub. Chriſt. Tit. 3. de Cardin. num. 9.* & iure optimo, decet enim tantos Princeps alijs non ſubiacere in coercendis ſuis Domeſticis. Quare

Dico tertio, quod licet *Bonacin. T. 2. diſputat. 1. quæſtion. 6. punct. 3. num. 3. & Scaccia de iudic. cauſ. T. 1. lib. 1. cap. 11. num. 22.* negent Cardinales eſſe Ordinarios Iudices ſuæ familiæ; attamen communius Doctores volunt Cardinales habere facultatem iudicandi, & puniendi ſuos Domeſticos, & familiares priuatiuè quoad alios. Vide Barboſam de iure Eccleſ. lib. 1. c. 4. n. 85.

An vero de iure, an de conſuetudine legitimè introducta hæc facultas Cardinalibus competat, ſui ex conſuetudine potius remittuntur Cardinalibus iudicandi ſui familiares ita ſuæ dignitatis merito expoſcente, ita docet Carol. de Graſſis in tractat. de eff. Cler. eff. 1. num. 151. vbi ex conſuetudine Cardinales iudices eſſe Ordinarios ſuæ familiæ aſſerit, idem docent *Pereira de manu Reg. T. 1. cap. 10. num. 13. & Carleualius de iudicijs l. 1. Tit. 1. diſput. 2. q. 6. n. 509.*

Quare Vicarium Papæ non iudicare familiares Cardinalium, ſed eos iudicandos remittere ſuo Cardinali docent. *Cucchus loc. citat. Manfred. deciſio. 140. Alban. quæſtio. 42. priuileg. 15. Laudenſ. quæſt. 17. & Barbatia quæſt. 11. de Cardinal.* & alij communius.

Dico quarto, quod domus, vel Palatium Cardinalium in quocunque loco extra Romam gaudent priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ, ita vt vbicumque fuerint Rei quicumque ad eorum domus, & palatia confugientes tuti, & illæſi ſeruari debeant, nec vllo iure ab illis extrahi valeant, ſicuti eſſent in Eccleſia, & licet Zecchius de Republ. Chriſtiana Tit. 3. de Cardinal. ſequ. priuileg. 9. aſſerat hoc priuilegium ſæpè à Pontificibus reuocari, hoc tamen intelligendum eſſe in Vrbe ſolum, non autem extra. Si enim vt dicitur Verbo Epiſcopus, Palatia Epiſcopor. in ſua Diœceſi potiuntur tali immunitate, multo magis Cardinales, qui vtpote aſſumpti ad adminiſtrandum regimen vniuerſalis Eccleſiæ, Principes vniuerſæ Terræ nominantur, conuenit, vt eorum Palatia, vbique immunitate Eccleſiæ fruantur. Ita etiam Barboſ. *de iure Eccleſ. lib. 5. cap. 4. num. 80. Iacobat. de concil. lib. 1. folio 38. Tuſchus T. 1. concluſ. 100. num. 53. Sanchez in opuſc. T. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. & Manfred. tract. de Cardin. deciſ. 147. & cap. 8. priuilegio 14.*

Vtrum condemnatus obuius fortuito factus Cardinali ſit liberandus.

DIFFIC. XXXII.

NEgant parum probabiliter Barbatia de Cardinal. quæſt. 9. num. 1. & ſequ. Corſett. in ſuis ſingular. verb. Cardinal. & Farinacc. in frag. crim. p. 1. num. 631. & Iul. Clar. in pract. crimin. lib. 5. §. fin. quæſt. 98. num. 5. licet ipſe opinetur, vt poſſit Cardinalis, ſi caſu ei obuius fieret Reus ad mortem dum ducitur, vel ad Carceres tranſmittitur, mitigare pœnam mortis, & ad Triremes tranſmittere, modo crimen eius non ſit exceptuatum, puta crimen læſæ Maieſt. proditionis patriæ, & ſamilia atrociſſima, ita etiam docent *Dacian. T. 2. cap. 37. num. 27. Villadiego de Cardinal. quæſt. 13. Lorichius in Theſauro verbo Cardinal. §. 7. Lancellott. in templo iud. l. 2. c. 2. de Cardin. §. 3. nu. 5. Zecch. de republ. chriſtianam Tit. 3. de Cardin. n. 9. priuil. 7. & alij.*

Affirmant tamen hoc priuilegium ex conſuetudine ſola competere Cardinalibus, vt poſſint Reum à morte liberare, ſi obuius eis caſu fiat; Baldus in l. addictos C. de appellat. & communiter Iuriſconſulti.

Immò abſolutè ratione ſuæ dignitatis eminentiſſima hoc priuilegio liberandi Reos ſibi caſu obuios factos gaudere aſſerunt Dominos Cardinales *Barboſa de iure Eccleſ. lib. 1. ca. 4. num. 61. Germonius de Sacra immunit. lib. 3. cap. 6. num. 52. Danza in pugna Doctorum de qualitat. Official. cap. 1. num. 16. Diana tractat. de Cardin. reſolut. 29. & Alban. de Cardinal. quæſt. 47.* qui reſpondet acerrimè ad argumenta Corſetti cõtrarium opinantis; & ita practicatum fuiſſe ab Eminentiſſimo, & integerrimo Viro noſtræ Seraphicæ Obſeruantiæ ornamento ſingulariſſimo fratre Franciſco Ximenio *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Archiepiſcopo Toletano in facti contingentia teſte Gomezio de rebus Ximenii lib. 3. & Rouſellio in Hiſtor. Pontif. iur. lib. 2. cap. 10. num. 18.* qui vir vtique ab omni inanis gloriæ faſtu alienus, dignitatis tamen Eccleſiaſticæ propugnator acerrimus, cum ſtrepitum trahentium quendam ad furcas audiret, iuſſit illum liberum dimitti; id ſuæ Cardinalitiæ dignitati conuenire conteſtans; & ſanè ad tanti viri dictum, & factum omnes tuto tramite in hanc ſententiam in fauorem Cardinalium percurrere debetent.

dignus eſt enim operarius mercede ſuis, dum ergo in Vinea Domini laborant, iuſtè, & licitè de Eccleſiaſticis redditibus ſe ſuamque familiam alunt.

Immò opulenter illis vti poſſunt in victu pluribus ferculis, & pretioſis ſe ſuoſque familiares iuxta eorum gradus alendo, in veſtitu ſuos famulos honeſtiori librea ornando, in comitatu decentiori famulorum, equorum inclytorum & ornatorum curruum numero incedendo, in aulis, & Cameris, aulæis, & cæteris ſupellectilibus ſumptuoſis vtendo, & in cæteris quibuſque nobilem faſtum adhibere valent. Principes enim ſunt ampliſſimi, & ideo iuxta hanc eminentiſſimam amplitudinem poſſunt nobiliori modo ſe ſuoſque alere, veſtire, incedere, & quocunque alio modo honeſtiori pompa procedere, vt decet quemcunque Chriſtianum Principem.

Sicut enim in Regis, & Imperialibus aulis ſeruientes iuxta ſeruitij magis, & minus dignū graduum maiori, & minori ſtipendio cohoneſtantur, ita vt principaliores officiales ita maiori ſtipendio gaudent, vt ſui officij dignitatem ſuperbo faſtu ad Regis honorem valeant demonſtrare, ita etiam in Aula Eccleſiaſtici Monarchæ decet, vt Cardinales, qui primarij ſunt ſuæ Aulæ officiales de redditibus Eccleſiaſticis ita luculentius prouideantur, vt ad totius orbis Monarchæ, Chriſtique Vicarij Summi honorem, tanti Principatus dignitatem viliori alimento, famulatu, comitatu, & ſuppellectili non obumbrent, ſed ad infidelium confuſionem, hæreticorumque inuidiam ſumptuoſè in omnibus hiſce, & cæteris quibuſcumque valeant cohoneſtare. Ita ferè etiam Manfred. de Cardinal deciſion. 182. Barbatia quæſt. 6. de Cardin. & Germonius de Sacra Innocen. l. 3. c. 6. n. 31.

Cæterum admonitos hic vellem Dominorum meorum Cardinalium Confeſſarios, vt ſæpè ſæpius eis inſinuent ad honeſtam, moderatamque non autem ad ſuperbam, & ſuperfluam ſumptuoſitatem in ſingulis prædictis redditibus Eccleſiaſticis memores Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ modeſtiæ ipſos vti poſſe, ſæpiuſque ad eorum memoriam reuocent, Eccleſiaſticos prouentus Patrimonia eſſe pauperum, atque adeo tanquam fideles diſpenſatores eos in ſuperbos, & ſuperfluos ſumptus non poſſunt impendere, ſed ſi quid poſt honeſtiorem iuxta ſuam dignitatem eorum vſum, ſuperfluat, non canibus, non ſcurris, non ludis Canonico iure vetitis dandum, ſed pauperibus reddendum, ſecus ſi fecerint diuini Iudicij vltionem non effugient.

Vtrum Religioſi ad Cardinalatum aſſumpti a voto paupertatis ſtatim abſoluantur.

DIFFIC. XXXVII.

AFfirmant, & probabiliter multi Theologi inſignes Religioſum ad Epiſcopatum, & Cardinalatum aſſumptum immediatè abſolutum eſſe à voto paupertatis, eſſeque verum Dominum redditutum Eccleſiaſticorum, ſicut ſunt Epiſcopi, & Cardinales à Clericatu ſeculari euocati. Ita noſter *Villalobus loco infra citat. Michael de Palatio in 4. ſentent. diſt. 38. diſputation. prima de iuſtit. lib. 3. quæſt. 10. 4. articul. 2. Vaſquez in p. 2. quæſt. 96. art. 4. diſputat. 165. capit. 8. num. 91. & in tractat. de eleemoſyn. & Diana de Cardin. reſolution. 64.* & alij; quod inquam probabile puto, quia votum paupertatis videtur repugnare ſtatui ita ſublimi in Eccleſia Dei, ſicut ſunt Epiſcopatus, & Cardinalatus, adeſt autem præcipua ratio in diſpenſando in tali voto, miniſterium ſcilicet ad quod ordinatur tam Epiſcopatus, quam Cardinalatus ad ſalutem animarum, quod maioris eſt Ordinis, & vtilitatis, & Dei honoris, quam paupertatis voto aſtringi, quod etiam poteſt ſuaderi, quia vt docent noſter *Villalob. in clemen. VII. 2. tractat. 35. dub. 40. num. 6. & Laudenſ. de Cardinal. quæſt. 22. & Cucchus inſtitut. canon. lib. 2. Tit. 4. numer. 11.* Cardinales Religioſi recuperant facultatem teſtandi, & diſpenſandi de rebus ſuis, quam per profeſſionem amiſerunt, ergo fiunt Domini ſuorum redditutum Eccleſiaſticorum, & conſequenter à voto paupertatis abſoluuntur.

Attamen nec improbabiliter aliqui non minoris authoritatis Theologi negant abſolui à voto paupertatis Regulares effectos Epiſcopus, vel Cardinales. Ita Suarez de Religion. To. 4. libro 3 cap. 19. Barboſ. in iur. Eccleſ. lib. primo cap. 3. numer. 24 Sanchez in ſumm. T. 2. lib. 6. cap. 6. Lezzana in qq. Regul. cap. 7. num. 5. & Manfred. de Cardinal. deciſion. 154. & probabiliter, quia poteſt ſaluari, quod votum non frangant Regulares facti Epiſcopi, vel Cardinales, ſi redditibus ad ſuas dignitates ſuſtentandas honeſto ſumptu vtantur, ex conceſſione S. C. quod ſint liberi, & abſoluti adminiſtratores, non autem Domini redditutum Eccleſiaſticorum, itavt ſine aliqua limitatione, aut Conditione diſponere de ipſis valeant, abſque vllo peccati ſcrupulo præterquam in ſuperfluis, & in rebus indignis ſuo ſtatui illos inſumendo. Ita etiam Granadus in 2. 2. *contract. 3. tractat. 11. diſputation. 5. Duall. 21. tractat. de eleemoſ. quæſt. 8. artic. 5. & Lorca in 2. 2. quæſtion. 32. arti. 9. ſect. 4. membro 1. num. 31.*

Vtrum Cardinales Religioſi teneantur præter tria ſubſtantialia, ad alia etiam præcepta ſuæ Regulæ aliaque ſtatuta a iure communi pro regularibus edita.

DIFFIC. XXXVIII.

DIcendum primo, quod omnia ea tenentur ſeruare, quæ decent dignitatem Epiſcopalem, & Cardinalitiam, quæ autem dedecent Prælatum non tenentur Epiſcopi. & Cardinales Religioſi, quare non tenentur groſſis veſtibus, & vilibus vti, nec nudis pedibus, nec pedites incedere, nec alia vilia miniſteria in ſuis ſtatutis, & Regulis præcepta, decorem enim Prælaturæ, & ſuæ dignitatis tenentur æſtimare. Cætera vero, quæ ad maiorem obſeruantiam Regularem conferunt, nec repugnant muneri, & dignitati pontificiæ, & Cardinalitiæ, ſicut ſunt abſtinentię, & ieiunia, videtur probabiliter docere Caietanus 2. 2. quęſtion. 185. artic. 8. dub. in fine, ſub peccato iuxta ſuæ Regulæ modum teneri Cardinales, & Epiſcopos Religioſos ſeruare, quia nulla adeſt ratio diſpenſandi in talibus non repugnantibus ſuis dignitatibus, immò multum condecentibus ad eorum perfectionem ſpiritualem. idem docent Vaſquez 12. *diſputatio. 165. capit. 8. numer. 89. Laurent. de Peyrinis in priuileg. minimor. T. 3. c. 14. n. 3. & alij.*

Attamen ſolum de quadam conuenientia, & honeſtate ad huiuſmodi ieiunia, abſtinentias etiam voto ſuæ Religionis firmata teneri ſeruanda præfatos Epiſcopus, & Cardinales Religioſos affirmant noſter *Villalob. loc. citato ſeſſion. lib. 2. capit. 4. dub. 14. Sanchez in ſumm. T. 2. lib. 6. cap. 8. num. 8. Sanctarell. de Apoſtaſ. capit. 6. dub. tertio Barboſ. in collect. T. 4 p. 2. cauſa 891. & Diana aniter tract. 2. de Card. reſo. 65. & pract. de dub. Regular. reſolut. 30.*

Cæterum an probabili fundamento, videant ipſi, hoc vnum mihi certum eſt, quod ſi aliquis Regularis factus Epiſcopus, vel Cardinalis votum emiſiſſet ſpeciale cum licentia ſui Superioris deieiunando, vel à carnibus abſtinendo aliquo die intra Hebdomadam vltra præſcriptum ſuæ Regulæ, teneretur ſeruare, quare ergo non tenetur ſeruare ea, ad quæ voto ſolemni ſuæ Regulæ aſtringitur?

Dico ſecundo, quod aliqua, quæ Religioſis iure communi imponuntur, vel etiam ſuæ ſtatuto Regulæ, quæ ſolum ſtatus Religioſi, vt ſtatus Religioſus eſt meram obſeruantiam reſpiciunt, vt ſunt habitus ſui Ordinis continua delatio, non fieri compatrem in baptiſmo, & Chriſmate permanus tenentiam, officium iuxta Ritum ſuæ Religionis recitare, & cætera ſimilia non tenentur ſeruare, quia iam ad alium ſtatum digniorem ſunt euocati, in quo alio modo eis licet veſtire, & ex veſtitu Prælatitio nulla datur mala ſuſpicio, nec adeſt periculum incontinentiæ, & ſuſpectæ familiaritatis ex compaternitate occaſio, & circa officium poteſt ſuæ ſponſæ ritui ſeſe accommodare. Ita noſter Villalob. Sanc. Barboſa Lezzana, & Diana loc. citat.

Vtrum Cardinales teneantur ſoluere ſubſidium decimarum pro aliqua neceſſitate generali à Papa impoſitum.

DIFFIC. XXXIX.

Licet *Bellonius de ſubſidio Charitatiuo* affirmet, quando ponitur pro bello contra infideles, quia diſpoſitio fauorabilis comprehendit Cardinales, diſpoſitio autem nulla maior poteſt inueniri, quàm ea, quæ fit in fauorem Catholicæ fidei ex *cap. 1. de conuerſ. in fidel.* 9. ad tale ſubſidium tenentur Cardinales contribuere ex ſuis redditibus.

Verum ſi ſpecialiter in breui, vel Bulla pro tali ſubſidio expedita non nominentur Cardinales, videtur non includi in generalitate ſimplici, quia in generali conſtitutione, in qua non prohibetur res intrinſecè mala, vel non eſt in ſalutem animarum, vel non tractatur de fraude vitanda non comprehenduntur Cardinales, niſi exprimantur ſpecialiter, vt ſuperiori difficultate reſolutum eſt. Ita etiam *Manfred. de Cardin. deciſ. 171. Lancellot. in Templ. Ind. l. 2. cap. 3. de Cardin. §. 2. Gygas de penſion. quæſt. 59. num. 10. Diana tractat. de Cardin. reſolut. 68. & Moneta de dec. cap. 9. quæſt. 3. num. 150.*

Immò Gygas vbi ſupra docet Cardinalem penſionarium non teneri contribuere ad decimam Papalem pro rata ſuæ penſionis.

Vtrum offendentes Cardinales factis, vel etiam verbis iniurioſis, vel etiam eorum palatia, domos, & ſua familiæ clericos incidant in crimen laſæ Maieſtatis, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

DIFFIC. XL.

Dico primò, quod in *cap. felicis de pœnit. in 6.* non ſolum qui S. R. E. Cardinales, fuerit hoſtiliter inſecutus, vel percuſſerit, vel cæperit, aut ſocius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut conſilium dederit, aut fauorem, aut poſtea receptauerit, vel defenſauerit ſcienter Deus criminis læſæ maieſtatis declaratur, verum etiam infamis, bandітus, diffidatus, Teſtamenti confectionis, hæreditatis ſucceſſionis, locationum, feudorum, beneficiorum ſpiritualium, & temporalium etiam quoad nepotes per rectam lineam, filioſque etiamſi forent Epiſcopi, & omnium honorum, & dignitatum, ordinum, & officiorum abſque aliqua ſpe diſpenſationis perpetua priuatione mulctatur, & publicè ſolemnique ritu per Eccleſias etiam vicinarum Ciuitatum iubet excommunicari à ſolo Pontefice abſoluendus præter mortis articulum, abſoluendus autem per eaſdem Eccleſias nudus cum ſolis fæmoralibus ferulas in manibus habens fuſtigandus, & poſtea vltra mare per tres annos mittendus, nec reuerſurus abſque Sedis Apoſtolicæ licentia; Bona autem item taliter delinquentis fiſco addicuntur, & Domus, & cuncta eius ædificia ruinæ mandantur, poſt vero reconciliationis obtentam abſolutionem, gratia obtenta indulgetur, vt ſuam, & ſuorum iniuriam proſequatur, & debitorum, quæ contracta fuerunt de poſt modum acquiſitis repetitio non denegatur. Illi porro, qui ſimplici conſilio, vel fauore in præmiſſis contra Cardinales deliquerunt, permittitur Iudici, vt iuxta delictum pœnas præfatas moderetur, Immo etiam extendit ad collaterales, fratres, Nepotes, & pronepotes ſi enormitas delicti id exigat; Ciuitas autem quæuis præter Vrbem, quæ talis criminis conſilio, auxilio, fauore, vel mandato fuerit particeps, vel cauſa niſi delinquentes intra menſem non curauerit puniendos, Pontificali dignitate caret, & manet interdicta hæc omnia ex *c. Fælicis.*

Nota tamen hic non ſolum grauem percuſſionem, ſed etiam minimam, etiamſi ſolummodo veſtes tangat, licet perſonam non offendat, comprehendi in dict. capit. notat *Mecala in 3. p. l. 3. cap. 9. q. 21. immo addit Alterius de cenſ. T. 1. l. 5. diſput. 12. cap. 5. dub. 1.* eleuantem manuum, vt percutiat, licet non ſequatur, incidere in excommunicationem Bullæ C. & conſequenter ſi hoc ſit probabile in dictas pœnas capitis fælicis: quod tamen tam de percuſſiones leuiſſima, quam de attentata tu puta probabiliter verum, quando ſecundum moralem opinionem exiſtimatur iniurioſa ratione honoris, & dignitatis.

Dico ſecundò, quod verbis iniurioſis afficiens Cardinales, aliqui & graues Doctores affirmant probabiliter, quod incidat in eaſdem pœnas præfati cap. fælicis, quia verbum percutere in dict. cap. poteſt intelligi de percuſſione actuali, & verbali. quia ergo iſta conſtitutio licet ſit, pœnalis eſt tamen fauorabilis Cardinalitiæ dignitati poteſt extendi percuſſio etiam ad verbalem, *Ita Ioann. Ananias in cap. 1. de maledictis column. 4. Felin. in cap. non dubium num. 5. de ſent. excomm. Manfred. tract. de Cardin. deciſ. 105. Iacobat. de Concil. l. 1. fol. 39. column. 1. litt. B.* & probabiliter quidem admodum, quia in dict. cap. fælicis etiam hoſtiliter inſequens, etiamſi non percuſſerit, incidit in pœnas, verbis autem iniurioſis Cardinalem afficere videtur ſaltem probabiliter pertinere ad inſecutionem hoſtilem.

Attamen probabilem etiam puto contrariam ſententiam, cum nimis largè percuſſio, & inſecutio extendatur ad verbalem ſolum iniuriam. Ita etiam *Alban. de Cardin. quæſt. 42. priuileg. 7. Plazza de delic. l. 5. cap. 2. Diaz. in pract. crimil. cap. 69. Nald. V. B. C. num. 45. Alter. de cenſ. 7. 1. l. 5. diſput. 12. cap. 49. 2. Couarr. lib. 1. var. capitul. 11. num. 5. & alij.*

Dico tertio, quod licet *Alter. loc. citat. cap. 4.* velit inſultum facientes in Domos, & Palatia Cardinalium, ita vt iniurioſa ita eſſet, vt verecundiam illis inferret incurrere in Bullæ Cœnæ excommunicationem, quia hæc lata fuit in fauorem dignitatis Cardinalitiæ, vt ab ea omnis propulsaretur iniuria, & probabiliter quidem, quia videretur pertinere ad hoſtilem inſecutionem maximè ſi ita obſiderent locum, vbi commorantur, ærumnam aliquam præter iniuriam paterentur Cardinales; vel etiam ſi ædificia conſpurcarent, vel alio modo dedecorarent ad inferendam iniuriam Cardinalibus, & ſimilia, quæ hoſtilem animum demonſtrarent, attamen, quia in pœnis non eſt facienda extenſio probabilius dicendum non incurrere nec pœnas c. præfati fælicis, nec B. C. excommunicationem. Ita *Sayr. lib. 3. capitul. 15. num. 6. Acoſta in Bull. Cruc. quæſt. 65. Duard. in B. C. l. 2. can. 11. quæſt. 7. num. 3. Barboſ. in collect. in 6. Decret. l. 5. tit. 9. cap. 5. num. 7. & alij.*

Dico quarto, quod offendentes Cardinalium famulos, & clericos etiam ipſis præſentibus, vel eorum intuitu non incidunt in excommunicationem B. C. quia ibi ſolum offendentes Cardinales excommunicantur, cenſuræ autem non obligãt vltra verba, quæ clarè intentionem ferentis eam explicant; Ita *Acoſta, Duard. Alter. & Barboſa loc. cit.* quicquid in contrarium velit *Sayr. loc.* citatis citans pro ſua opinione affirmatiua *Armillam, & Vgualdum.* limita forte niſi in actu viſitationis, & iuriſdictionis famuli offendantur, vt dictum eſt V. B. C. excom 11.

Cæterum tales percutientes, & hoſtiliter inſequentes familiares Cardinalium ipſorum intuitu excommunicantur in 6. fælicis præcitato, & in Bulla Pij V. vt notant *Alter. loc. cit. cap. 4. & ſouſa in B. C. cap. 12. diſp. 66. num. 3.*

An vero in dict. cap. fælicis comprehendantur etiam Reges, & Imperatores Cardinales percutientes, in ſequenteſque vel mandantes, auxiliantes, & fauentes, vel ratam habentes perſecutionem, & inſecutionem ipſorum hoſtilem, videatur affirmare incurrere eaſdem pœnas Imperatores, & Reges *gloſ. in cap. Apoſtolica de ſent. & v. iudic. Verbo Cardinales, Gigas de crimine læſ. maieſt. l. 1. q. 5. num. 10. & Gambacurta de Immunit. l. 3. cap. 4. num. 3.*

Vtrum autem eiicientes Cardinales à terris, in quibus nullam iuriſdictionem habent, nec exercent, & an ipſi ſe ipſos percutientes incidant in excommunicationem B. C. vide ſupra V. B. C. in excom. Vndecima, ſicut etiam ibi habes an mandans, & fauens, & conſulens præfata in Cardinales, effectu non ſecuto incidat necne.

Verum non reuelans cognitam conſpirationem in Cardinalem, quia ex correctione præmiſſa puta à tali crimine conſpirantes auertendos, incidat in excommunicationem latam à Pio V.

DIFFIC. XLI.

Pius V. occaſione mortis attentatæ contra S. Carolum Borromeum edidit Bullam 14. kalendas Ianuarij 1569. in qua ſtatuitur, vt quiſquis quouis modo cognouerit, ſiue ex litteris,

Digitized by Google

litteris, ſcripturis, cœtu, conatu, concuſſu, inſidijs, aliiſque ſignis, & indicijs qualemcunque ſcientiam habuerit, vel eam coniecerit, vel intellexerit quempiam authorum, adminiſtrorum, vel Conſciorum coniurationis, ſeu conſpirationis commiſſi, aut committendi criminis in perſonam Cardinalis, teneatur quam primum id Romano Pontifici, ſi in Curia fuerit, ſin autem ordinario loci, vel ſi Cardinalis ipſe Ordinarius extiterit, propinquiori Epiſcopo, & ſi nondum commiſſum fuerit, etiamſi ipſi Cardinali ſtatim, & quanto citius reuelare, & quicunque etiam non ſubditus, & omnino extraneus hac in re defecerit, cuiuſcunque dignitatis fuerit excommunicationis laqueo innodatus remaneat, pariterque Maieſtatis Reus infamiam, & omnes pœnas in c. Fœlicis de pœnis in 6. eo ipſo incurrat.

Dicendum ergo probabile eſſe in foro ſaltem conſcientiæ non incurrere talia cognoſcentem ſi non releuet ante præmiſſam correptionem, ex qua putat omnino auertendos eſſe à tali coniuratione, vt docet Duard. in B. C. lib. 2. canon. 11. quæſt. 19. & fuſius docebitur infra verbo Denunciatio, & Verbo correptio, quod ſi ex dilatione denunciationis ob ſecretam correptionem faciendam periculum eſſet in mora, ſtatim debet denunciare, alioquin incideret in dictas pœnas.

Verum probabilius ante factum conſulenda opinio contraria, ſcilicet non eſſe prætermittendam in hoc caſu correptionem, etiamſi ſperaretur emendatio, quia machinatio contra bonum commune abſque correptione ſtatim denuncianda, conſpiratio autem in Cardinalem eſt contra bonum commune. Ita *Alter. diſputatio. 12. c. 6. & Bonac. quem citat, & ſequitur Diana de Cardin. reſol. 89.*

Vtrum non reuelans cognitam conſpirationem in Cardinalem gaudeat immunitate Eccleſiaſtica.

DIFFIC. XLII.

Negandum probabilius videtur, quia criminis læſæ Maieſtatis eſt ipſo facto non reuelans huiuſmodi conſpirationem in Cardinalem, ergo non gaudet in terminis Bullæ Gregor. Decimoquarto immunitate Eccleſiaſtica. Ita Farinacc. *in Appendic. de immunitat. Eccleſiaſ. cap. 14. num. 186. Marius Italia de immunitat. lib. 1. cap. 5. §. 7. & Diana tra. de Cardin. reſol. 91.*

Dices ex *Peregrino de Immunitate Eccleſiæ lib. 11. num. 5.* quod huiuſmodi non reuelans conſpirationem factam in Cardinalem gaudere immunitate ex eo, quia in Bulla Gregorij Decimiquarti excipiuntur à priuilegio immunitatis perpetrantes crimen læſæ Maieſtatis in Principem committendo, non autem omittendo, hic autem, qui non reuelat cõmittit crimen non committendo, ſed omittendo, ergo non priuatur priuilegio Immunitatis.

Reſponſionem ad hanc obiectionem, & an ſit probabilis ſaltem opinio Peregrini, quære in verbo Immunitas.

Vtrum Cardinalis deponens in facto proprio, vel ſuorum familiarium faciat plenam probationem.

DIFFIC. XLIII.

Dico primo, quod Cardinalis deponens in facto proprio, licet non faciat omnino plenam fidem, facit tamen pluſquam ſemiplenam probationem, non enim præſumendum mendacium tanta dignitate fulgentem prolaturum. Ita expreſsè docet *Rota die 29. Ianuarij 1601.* coram Domino Coccino deciſ. 19. num. 1. vide etiam Dianam tract. de Cardinal. reſolut. 93.

Dico ſecundo, quod in cauſa ſui familiaris quamuis non plenè probet atteſtatio Cardinalis, facit tamen magnum adminiculum. Ita etiam Sacra Rota die 11. Martij 1615. coram eodem Coccino apud Farinacc. T. 4. deciſ. 556. num. 9. & apud Ludouiſium deciſ. 166. num. 11. vbi etiam docet, quod huiuſmodi Cardinales atteſtatio ad effectum iuſtificationis plenè probat, quicquid ſit ad effectum reſeruationis.

Dico tertio, quod fides ſimplex extraiudicialis, & ſi à iuramento facta à Cardinale, licet non probet concludenter, multum tamen illi tribuitur. Ita ex *Rota die 26. Iunij 1600. coram eodem Coccino deciſ. 4. n. 3.*

An vero familiares Cardinalium in ipſorum cauſis ſint Teſtes ſufficientes, dicendum, quod licet Teſtes familiares à iure repellantur, vt ſuo loco dicetur, attamen ſi probabile eſt ex Felino in cap. in litteris nu. 7. de Teſtibus, familiares Epiſcoporum eſſe idoneos Teſtes in cauſa Epiſcoporum, quanto magis hoc probabiliter dicendum, maximè, quia ex benigna iuris interpretatione pro tantæ dignitatis fauore præſumi debent eorum familiares integræ fidei, & conſequenter idonei, teſtes etiam in cauſis ſuorum Dominor. Cardinalium. Ita *Alban. de Cardinal. q. 42. priuil. 11.*

Vtrum Sacræ Cardinalium congregationis declarationes ſint decreta deciſiua, & habeant vim legis.

DIFFIC. XLIV.

Non vna in hac difficultate eſt Doctorum ſententia, affirmant enim multi declarationes Sacr. Congregat. Eminentiſſimorum, nõ ſolum eſſe doctrinales, verum etiam authoritatiuas, & neceſſario ſeruandas tanquam decreta deciſiua habentia vim legis obligantis in vtroque foro non ſolum ad inſtantiam eorum, pro quibus ſpecialiter fiunt in proprio caſu, ſed vt leges generales in ſimilibus omnibus, quia Cardinales in Sacra Congregatione habent authoritatem à Papa interpretandi, & decidendi dubia, vt patet ex Bulla Sixti Quinti, & Rota Romana eas abſque vlla controuerſia, & obſeruantia amplectitur, & ſuper decretis Sacr. Congregat. ſtatim Papa dat Breue, & Auditor Cameræ Apoſtolicæ præſtat monitorium pro earum executione, ergo deciſiuæ ſunt tanquam leges neceſſariæ in vtroque foro obligantes ſunt dicendæ, hanc ſententiam ſequuntur. noſter *Rodriquez. q. q. Regul. T. 1. quæſt. 11. articul. 1. & 3. Miranda in manual. Præfat. Tom. 2. quæſt. 6. artic. 11. Bellocb. de caſ. reſeruat. part. 2. quæſt. 2. num. octauo, & Salas de leg. tractat. 14. diſputation. 21. ſectio. 12. Leo tractat. de Iubil. part. 2. quæſtio. 5. Locher. tractat. de permutat. benefic. part. 2 cap. 30. Gambarupta de caſ. reſeruat. cap. 3. num. 6. Zipeus in analog. iur. canon. Epiſtol. ad lect. Lazar. tractat. de Blaſph. qu 10. num. 39. Hombon. de exam. Eccleſ. p. 1. tract. 1. c. 6. q. 29. Garzias de benefic. T. 1. in præfat. & alij.*

Negant tamen præfatas Eminentiſſimorum declarationes habere vim legis, magnam tamen authoritatem præſtare, ſed non neceſſariò eis ſtandum, quin potius doctrinales ſunt, & probant, quia leges vt habeant vim legis in ordine ad obligandum in foro vtroque debent promulgari, & publicari, at vero huiuſmodi declarationes Sacr. Congregationis non publicantur vt leges ab omnibus ſeruandæ, ergo non habent vim legis, ſed ſolum doctrinales magnam tamen authoritatem præſtantes in materia, cui adaptantur. Ita noſtri *Villal. in ſum. T. 1. tr. 2. dub. 7. n. 5. Portel. V. declarat. Sacr. Congregation. & Bonac. de leg. diſput. 1. quæſt. 1. princ. 8. Pontius de matrimon. l. 5. cap. 13. §. 2. nu. 7. Sanch. t. 3. de matr. l. 8. diſput. 2. num. 10. Ioann. Valer. in diff. vtr. for. V. Abſolutio diffic. 1. Petr. Ledeſma in ſum. T. 1. de ſacr. penit. T. cap. 13. diffic. 7. & alij.*

Diſtinguendum tamen puto inter duas iſtas ſententias pugnantes, quod declarationes Dominorum Cardinalium in ſuis congregationibus, vel factæ ſunt conſulto Summo Pontifice, eodemque annuente, & in hoc caſu vtique habent vim legis, & obligant in vtroque foro in omni caſu eodem pro quo ſpecialiter factæ fuerint, quia iam vim habent Papæ conſenſu, qui poteſt condere leges, quod ſi abſque Papæ ſpeciali voluntate reperiantur editæ, ſanè doctrinales videntur ſolum, & ratio eſt, quia vt videre eſt in Bullis Sixti V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. nihil poſſunt definire niſi conſulto Pontifice, ergo ſi reperiantur ſimpliciter editæ ſine Papæ conſilio, & aſſenſu ſolum ſunt doctrinales. Ita noſter *Coriolan. de caſ. reſeru. part. 1. ſect. 1. a. 21. num. 5. Torre blanca in pract. Iur. Eccleſ. l. 14. cap. 3. num. 19. Boſſius tract. de tripl. Iub. ſect. 3. caſu 2. ſantius in ſelect. diſp. 48. num. 1. Merolla in diſp. Theol. T. 2. diſp. 4. cap. 4. dub. 12. & Petr. Ocagonia de ſacr. tract. 2. de penit. 9. q. 40. n. 12.*

Ceterum quatuor præcipuè conditiones ſunt neceſſariæ, vt declarationes Cardinalium, quæ circunferuntur, habeant vim obligandi in vtroque foro, ita vt ſi vna deſit, iam non habeant vim legis.

Prima ergo eſt, vt monſtratur in authentica forma ſubſcripta ſcilicet à ſecretario Sacræ Congregationis, vel eius Præfecto, vel ſaltem ab aliquo Cardinali cum ſuo authentico Sigillo.

Secunda vt in ipſa declaratione vel decreto fiat expreſſa mentio, quod de tali re factum fuerit verbum cum Sanctiſſimo, & tali declarationi, vel decreto annuiſſe, & conſenſum præbuiſſe.

Tertia conditio eſt, vt Cardinales ſolum declarent, interpretentur, non vero diſpenſent, nec reſtringant, nec amplient vltra vim verborum, & regulas iuris, niſi in aliquo caſu ſpecialem habeant à Papa commiſſionem, & authoritatem ea faciendi, vt eſt in decreto de celebratione Miſſarum.

Quarta vt huiuſmodi declarationes conſtent notitia aliqua publica, qualis eſt illa, quam in ſuo Epiſcopatu poteſt præbere Epiſcopus, declarando illas eſſe authenticas, & verè à Sacr. Congregatione emanatas, vel etiam ſi à Typographia Vaticana, in qua Breuia, & Bullæ Pontificum primo typis dantur, exaratæ monſtrentur, vel eius copiæ per manus alicuius Prælati ſubſcriptæ, ſigilloq; munitæ aſſerantur extractæ à proprijs originalibus.

Quod ſi reperiantur aliquando authenticæ duæ declarationes Sacr. Congregationis contrariæ ſuper eodem, vt ambæ factæ conſulto, & annuente Summo Pontifice, tunc ſecundæ i. recentius factæ ſtandum, quia vltima videtur priorem abrogare, quod ſi altera non conſulto Papa, altera conſulto, ei, quæ facta eſt conſulto Papa ſtandum, at vero ſi neutra facta ſit conſulto Pontifice, poterit tanquam doctrinali deciſioni ſtari cui maluerit, quia vt doctrinales, iam dictum eſt non habere vim legis ſed ſolum, vt opiniones magnam auctoritatem habentes amplectendæ, non tamen neceſſario ſequendæ. Vide *Ocogoniam, Torrecblancam, & Marollam præcipuè loc. cit.*

Vtrum facultas teſtandi de bonis acceptis ex Redditibus Eccleſiaſticis à Papa detur Cardinalibus pro prima vice ſolum, & an expiret morte concedentis.

DIFFIC. XLV.

Dico primo quod Papa poſſit dare authoritatem teſtandi de perceptis ex bonis Eccleſiaſticis, licet Barbatia videatur dubitare *q. 4. num. 7. de Cardin.* ſicut etiam *Nauarr. de Reddit. Eccleſiaſt. q. 3.* attamen quia verè Papa eſt ſupra ius commune poſitiuum, quod teſtari prohibet de rebus perceptis ex bonis Eccleſiaſticis *in cap. innotuit de elect. & cap. propoſuit de Præb.* nulli debet eſſe dubium, quod vero ait *Barb.* ſolum ad benemeritos, vel ad pias cauſas poſſe dari à Papa hanc licentiam, valde poteſtatem pontificiam videtur limitare, hinc communius volunt liberè à Papa teſtandi de rebus prouenientibus, vel quæ prouenere ex redditibus Eccleſiaſticis in fauorem cuiuſcumque, & pro qualibet re modo ſit honeſta, & licita, facultatem dari poſſe aſſerunt Theologi maximè in ſententia eorum, qui Papam non ſolum diſpenſatorem, verum etiam abſolutum Dominum eſſe contendunt bonorum, & reddituum Eccleſiæ, vt loco ſuo fuſius dicetur. Vide Bagoum de Sanct. Roman. Eccleſ. dignitat. tract. 11.

Dico ſecundo, quod licet *Zecchius de Republ. Chriſt. tit. 3. de Cardin. num. 9. priuileg. 8. & Cucchus inſtitut. Canon. l. 2. Tit. 4. num. 52.* & alij velint facultatem teſtandi datam Cardinalibus de præfatis bonis ſolum intelligi pro prima vice, ſimpliciter concedatur ex eo, quod facultas data ingrediendi Monaſterium monialium, & conſimilium pro vna vice intelligitur, attamen benignius, & probabilius dicendum cum *Azorio T. 2. l. 4. cap. 3. quæſt. 10. & Diana tract. de Card. reſolut. 53.* per primum teſtamentum factum non expirare facultatem nouum condendi, nec eſt par ratio de ingreſſu monialium, & conſimilium, quæ ſunt actiones, quæ primo actu finiuntur, & nil mirum eſt, ſi ſolum pro vna vice intelligantur conceſſæ, at vero teſtari non eſt actio, quæ primo actu finiatur, eſt enim de ſua natura vltima voluntas, quæ non dicitur vltima niſi immediatè ante mortem, ergo immediatè ante mortem ſi mille fiant teſtamenta vltimum ſolum valet, quia in eo vltima voluntas demonſtratur, itaque facultas teſtandi datur pro teſtamento valituro, quod eſt vltimum faciendum à Cardinali.

Dico tertio, quod licet *Zecchius, & Cucchus locis citatis,* velint facultatem datam Cardinalibus à Papa teſtandi de præfatis bonis expirare morte concedentis, quia facultas hæc tanquam iuri communi repugnans odioſa eſt, & ideo non extendenda poſt mortem concedentis, attamen probabilius dicendum cum *Molyna de iuſtitia T. 1. tract. 2. diſput. 141. Henriq. l. 7. cap. 1. 21. Gutter. qq. pract. l. 2. quæſt. 75. & Sanch. de matrim. T. 2. lib. 8. diſput. 28. c. 7. Megalio in promptuar. Verb. Cardin. num.* 10 non expirare facultatem teſtandi morte concedentis quia teſtamentum non habet vim niſi pro vltima voluntate, quæ non poteſt haberi niſi pro quocumque tempore ante mortem teſtatoris, ergo pro illo puncto conceditur propriè licentia teſtandi à Papa, quod autem Papa præmoriatur Cardinali, cui conceſſa eſt talis facultas, per accideus eſt ad facultatem datam teſtandi, quare non valet Doctorum aduerſantium argumentum, quod non debet extendi vltra mortem concedentis talis facultas, quia odioſa, nam talis facultas non dicitur in tali caſu extendi, ſed vere lata pro illo tempore, in quo veram habet Cardinalis rationem teſtandi, quod eſt quocumque tempore ante mortem, in quo vltima voluntas propalatur, vel vltima iam ſcripta voluntas pro tali tempore aperitur, quare hoc conſiderans Couarr. mutauit ſententiam in hac difficultate docens non expirare hanc facultatem teſtandi morte concedentis *in cap. cum in officijs nu. 8. de teſtam. adit.*

Vtrum Cardinales in teſtamento gaudeant priuilegio Militum, & an ſtare debeant ſecundum iuris ciuilis, an ſolius Canonici formulas, & conditiones.

DIFFIC. XLVI.

Dico primo, quod tria præcipuè ſunt priuilegia militum circa teſtamenti confectionem, primo eſt, vt ſeptem teſtes non requirantur, ſed ſufficiunt duo, ſecundum Miles poteſt decedere ex parte teſtatus, & ex parte inteſtatus *l. miles ita ff. de milit. teſtam.* quod alijs non conceditur; tertium, quod poteſt inſtituere heredem etiam perſonam incapacem, vt eſt deportatus *l. neque §. & deportatis ff. de militum Teſtam.* Negat ergo *Molfeſius* Cardinalibus hoc priuilegium teſtandi competere, qui eatenus conceduntur hæc priuilegia militibus, quatenus ſimplices, & ignari præſumptione iuris exiſtimantur, quæ tamen præſumptio ceſſat in Dominis Cardinalibus.

Attamen in fauorem Eminentiſſimorum volunt alij gaudere Cardinales in teſtando priuilegio militum, ita ex *Baldo docet Albanus de Cardin. q. 42. §. 2. principaliter, Manfred. deciſ. 221. Zecch. de republ. Chriſtiana Tit. 3. de Cardin. nu. 9. priuil. 51. Gratianus in diſcept. T. 2. cap. 312. n. 11. Germon. de ſacr. immun. l. 3. c. 6. & Bagnus de S. R. E. dignitat. tract. 11.* & alij, & fortè probabiliter, quia non ſolum ex præſumptione quod ſunt ignari, & ſimplices præfata priuilegia indulgentur militibus, ſed multo fortius propter ſeruitium, quod præſtant Imperatoribus, & Regibus, ratione ergo eadem propter ſeruitium, quod præſtant Pontifici Cardinales, priuilegijs eiſdem frui inteſtando non eſt improbabile.

Dico ſecundo, quod Cardinales habentes à Papa facultatem Teſtandi de bonis perceptis ex rebus Eccleſiaſticis non tenentur ſeruare ius ciuile, quod requirit ſeptem teſtes, & alias ſolemnitates, ſed ſolum tenetur ſeruare ius Canonicum, quod duos, vel tres Teſtes ſtatuit ſufficere ad validitatem teſtamenti, vt patet *in c. cum eſſes, & in c. relatum de teſtam.* voluntas enim Papæ, & bona Eccleſiaſtica regulari debent ſecundum diſpoſitionem iuris canonici, non autem ciuilis. Ita *Azor. T. 2. l. 4. c. 3. q. 7. Bagnus, & Germonus* attamen de rebus patrimonialibus, vel ab amicis, vel conſanguineis, & Affinibus datis, vel legatis debere adhibere alias ſolemnitates iuris ciuilis voluerunt aliqui, verum ſi gaudent, vt dictum eſt probabiliter priuilegio militum Cardinales, non eſt cur tot limitationes afferri debeant circa modum ab ipſis teſtamenta condendi.

Vtrum

Vtrum vt vxoratus promoueatur ad Cardinalatum neceſſe ſit, vt vxor eius religionem ingrediatur.

DIFFIC. XLVII.

AFfirmant *Manfred. de Cardin. deciſ. 213. Maiolus de irregular. l. 1. c. 34. nu. 2. Ioannes And. in c. ſanè de conuerſat. coniug. & ibi Abb. n. 3. Cardinalis in fine, & Ancharan. in fine*, & quidem probabiliter ſaltem quoad honeſtatis conuenientiam, nam ex *d. c. ſanè*, vt vxoratus promoueatur ad Epiſcopatum neceſſaria eſt profeſſio, vt emittatur prius ab Vxore, ergo etiam cum Cardinales in ſuis Titulis habeant iuriſdictionem Epiſcopalem, non poteſt quis ad ipſum promoueri vxoratus, niſi prius vxor profeſſionem in Religione emittat approbata.

Negant tamen alij vxorem aſſumendi ad Cardinalatum, ſiue iuuenilis, ſiue ſenilis ætatis neceſſario debere Religionem profiteri, ſed ſufficere continentiam, & caſtitatem in ſeculo voueat, nam ad Cardinalatum vt ſic non requiritur regulariter, niſi vt ſaltem ſit Diaconus, in iure autem canonico aſſumendus ad ordines ſacros ſi ſit vxoratus ſolum requiritur, vt vxor in ſæculo continentiam voueat, & hoc ſolū ſufficit ex c. coniugatus de conuerſat. coniug. Vnde in eo differunt vxores aſſumendi ad Epiſcopatum, & aſſumendi ad Ordines Sacros, quod illæ debent profiteri Religionem, iſtæ autem ſolum continentiam in ſæculo. Ita *Pontius l. de matrim. l. 7. c. 25. n. 7. Sanch. de mat. T. 4. dub. 41. n. 4. & Diana trac. de Cardin. reſol. 39.*

Sanè quoad honeſtatis conuenientiam prima probabilior videtur, quia cum maiori præcellant dignitate, quam Epiſcopi, maiori etiam honeſtatis fulcimento debet Cardinalium eminentiſſima amplitudo communiri, nam enim eadem, & maior etiam ratio præfatæ legis militet in Cardinali, ac in Epiſcopo, videtur prima opinio ſaltem ex maiori congruitate complectenda.

At vero ſecunda, iuxta iuris rimulas non videtur improbabilis, cum ſtricto iure loquendo verè Epiſcopi non ſint curā animarum habentes ex propria ſui ratione Cardinales, atque adeo non ita ſtrictè ad honeſtatis ſuſpicionem fugiēdam obligantur, ſicut Epiſcopi ex ſuo munere immediatè ordinati ad curam animarum, nil ergo mirum ſi ad ſolos Epiſcopos ordinatur præfatum caput, ſanè vt vxores eorum prius profiteantur, non autem ad cæteros aſſumendos ad ſacros Ordines, inter quos in hac materia poſſunt connumerari probabiliter ſaltem Cardinales.

Vtrum Cardinales veniant appellatione clericorum in iure.

DIFFIC. XLVIII.

DIſtinguendum eſt, nam ſi materia ſit fauorabilis veniunt Cardinales appellatione Clericorum in iure, vt docent *Calderin. in c. in noſtra de reſcriptis*, ſunt etiam non ſolū Clerici ſimplices, ſed digniſſimi omnium Clericorum, quæ ergo conſtituuntur in fauorem Clericorum tanto magis in fauorem Dominorum Cardinalium, dum omnium ſunt vere digniſſimi. Ita etiam *Duard. in B. C. l. 2. can. 11. quæſt. 6. n. 11. Alter. de cenſ. T. 1. l. 5. diſp. 11. c. 3. Belletr. in diſquiſit. cler. p. 1. titulo de diſciplina clericali §. 2. num. 8. & alij* communiter.

At vero in materia odioſa non venire Cardinales, quando de Clericis fit mentio in iure Canonico tradunt. *Iaſon. vol. 4. conſil. 187. Ruinus vol. 5. conſ. 4. nu. 6. cephalus vol. 5. cõc. fi. nu. 40. & ſe qu. Gigas de penſion. qu. 9. n. 7. Romanus conſ. 498. Ferrett. l. 2. conſ. 315. n. 7. Barboſa de appellat. verb. & c. appellaſi n. 6. Manfred. de Cardin. deciſ. 148. Laudenſis q. 21. de Cardin. & Sanctarel. var. reſol. p. 1. q. 38. nu. 17.* & probabiliter quia vt dictum eſt ſupra in conſtitutionibus pœnalibus regulariter non comprehenduntur Cardinales niſi exprimantur ſpecialiter cum limitationibus poſitis in ſuperiori difficultate 19. ſunt enim Cardinales clerici priuilegiati, qui in communi appellatione circa pœnalia propter tantæ dignitatis reuerētiam non decet, vt comprehendantur, etc.

Caſus fortuitus.

Quid ſit caſus fortuitus, & quomodo, & quando obliget, vel excuſet contrahentes.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod caſus fortuitus eſt inopinatæ rei euentus, qui præuideri regulariter non poteſt, nec ei reſiſti, vt colligitur ex *ff. commodati l. in rebus commodatis.* Ita communiter vide *Angelum v. caſus fortuitus*. caſus ergo fortuitus reputatur hoſtium, vel pyratarum inopinatus incurſus, naufragium, morbus animalium, ſterilitas Terræ prouêniens ex nimio calore, frigore, locuſtis, tempeſtate, frugum ruina ex Terremotu, inundatione, cæterorumque impetu, aut conſimilibus prouenieus præciſa omni negligentia, & culpa, nam ſi præuideri potuiſſet, & diligentia non fuiſſet adhibita ad reparandam ruinam non diceretur caſus fortuitus.

Dico ſeptimo, quod caſus fortuitus obligat in tribus caſibus, primo ea pacto, quia .ſ. in contractu ſe ſe obligauit accipiens rem reſtituere, etiamſi periret quocumque caſu fortuito, æquiualens ſaltem in valore, vel eius prætium, quod autem hoc pactum valeat, patet ex eo quia aſſecurationis cōtractus licitus eſt, hoc autem pactum de obligatione reſtitutionis dato, quod periret quocunque caſu fortuito ad contractum aſſecurationis pertinet. Ita ex *Angelo noſtro loc. cit. Bonac. de contract. diſp. 3. q. 1. punct. 6. nu. 21. Molina tract. 2. diſput. 295. Sylu. v. commodatum, & v. caſus et Filiuc. tract. 33. qu. 10. Azor. 3. p. l. 7. de commod. Vaſq. de reſtitut. dub. 7. n. 58.* & alij.

Secundo obligat caſus fortuitus ex culpa, puta quia Petrus cōmodauit Equum Mutio, vt iret Neapolim, at Mutius contra voluntatem Petri iuit Bononiam, ſi in via latrones ei furentur equum, obligatur reſtituere ratione culpæ commiſſæ, quia equum contra voluntatem Domini tranſtulit alio, vnde tenetur de tali caſu fortuito. Ita citati Doctores, Vide etiam Rebellum l. 1. de contractu q. 10. n. 6. & habetur l. ſicut certo ff. commodati.

Tertio obligat caſus fortuitus ratione moræ, quando s. c. res non reſtituitur in termino præfixo, tunc enim ſi caſu fortuito pereat, accipienti perit, limitat tamen noſter Angelus, modo eodem modo non fuiſſet peritura etiam apud Dominum, quia tunc non tenetur reſtituere, niſi in quo damnificatus fuiſſet ratione moræ ob non reſtitutionem s. c. non factam tempore debito. Ita etiam cum *Angelo Nauar. c. 17. nu. 16. & Bonac. loc. cit.* quicquid in contrarium aliqui velint reſpectu furis in foro externo, quem excuſari nolunt aliqui titulo caſus fortuiti, etiam ſi res peritura eſſet apud proprium Dominum, vide *Bart. in l. quod te ff. ſi cert. petat.* Quare

Collige, quod quando res aliena perit caſu fortuito accipiens non tenetur ad reſtitutionem, ſiue rem acceperit in ſui, ſiue in contrahentis alterius, ſiue in vtriuſque vtilitatem Domino perit preciſo pacto, culpa, & mora, cum enim caſus fortuitus præuideri nequeat, nec poteſt accipiens illam ſeruare, non ergo tenetur, vt habetur l. contractus ff. de Regulis iuris.

Dico etiam tertio, quod qui rē alienam accepit mutuo, ſi pereat quocunque caſu fortuito ſibi mutuando perit, nō Domino, & ratio eſt, quia res mutuata tranſit in dominiū Mutuarij, ſiue accipientis Mutuum, vnde Dominus mutuans non habet in ea ius niſi repetendi tempore debito, & conſequenter ſi perit tempore, quo eſt in manu Mutuatarij, ipſi perit; & non mutuanti, & eſt caſus *in l. ſi quis rei cauſam 4. de reb. cred. & in rogaſti eodem titulo.*

An vero, qui accepit rem alienam vendendam, vt eius pretio vteretur in ſui vtilitatem, ſi pereat caſu fortuito antequam ſit res vendita, pereat accipienti, an danti, diſtinguit. *Nald. v. caſus fort. n. 5.* nam vel accipiens ipſe petit, quia hic contractus eſt Mutui, petenti perit, quod ſi tradens ſponte tradat, alias non accepturus, ratione ſpontaneæ traditionis rei ſuæ, videtur perire tradenti, non autem accipienti. *l. pretium in ſui vtilitatem fores expendendum.*

Dico quarto, quod caſus fortuitus ſuperueniens declaratur ſecundum præcedentem ſtatum; hinc beneficiarius non reſidens, ſi infirmus interea fiat, non poteſt fructus percipere ex eo, quia infirmitas excuſaret, etenim ſanus nec potuiſſet accipere,

Digitized by Google

pore, dum non reſidebat. Ita *ex c.1. de cler. ægrotante*, quod ſanè poteſt etiam dici de Clerico non recitante officium, dum eſt ſanus, quod nec excuſatur infirmus. Vide *Nald. loc. cit.*

Vtrum caſus fortuitus extra ordinarius excuſet.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod caſus fortuitus extra ordinarius in pacto generali de aſſecuratione rei pro quocunque caſu fortuito non comprehenditur, nam ſolum obligat in illis caſibus, qui ſi eſſent expreſſi, ſe ſe obligaſſet, at vero in caſu fortuito extra ordinario non ſe ſe obligaſſet contrahens, ſi tunc fuiſſet expreſſus, ergo ad eum non tenetur, quod etiam verum eſt, ſi pactum iuramento fuiſſet firmatum, quia iuramentum non obligat vltra intentionem iurantis ſecluſo omni dolo, illud tamen verum eſt, quod ſi dubium foret, an renunciaſſet tali caſui extra ordinario, tenetur ad omnem caſum extra ordinarium etiam, qui contra eum, qui legem dicere potuit apertius, & non dixit, eſt interpretatio facienda, & quicquid aſtringendę obligationis cauſa dictum eſt, niſi palam verbis exprimatur, omiſſum intelligitur. Ita Angel. noſter.

Dico ſecundo, quod ſi in pacto deductum eſt contrahentem ſe ſe obligare ad quemlibet caſum, etiam quantumuis extraordinariè fortuitum ponendo particulam ſe ſe renunciare omnibus caſibus fortuitis ſolitis, & inſolitis, licet ſit hæc iniuſta renunciatio, tamen ad eam poteſt quis ſe obligare, cum rei ſuæ vnuſquiſque ſit Arbiter. Ita noſter Villalob. in ſum. T.2. tract.25. diffic.6. n.6. & habetur expreſſum in l. licet. C. de locato, ob talem tamen aſſecurationem ſanè debet minui penſio locationis, vel alterius contractus, aliter iniuſtus contractus.

Vtrum in caſu fortuito ſterilitatis Agri ſit aliquod remittendum Agricolis de penſione Agri.

DIFFIC. III.

Dico primo, quod ſterilitas Terræ, quæ prouenit, ſecluſa naturali debilitate Terræ, vel coloni negligentia in colendo, prouenit in quam ex inſolito calore, frigore, pluuia, locuſtis tempeſtate, & ſimilibus, tunc vocatur eſſe ſterilitas vera, quando ex tribus partibus ſolitis colligi, non colliguntur vix duæ, vt notat *Armilla v. locatio n. 16.* quare in tali caſu, ſi ſterilitas iſta valeat compenſari ex fertilitate anni præcedentis, & ſequentis puta ſi in anno præcedenti fuit fertilitas, ita vt tertia pars plus ſolito fuerit collecta, non eſt minuenda penſio in anno ſterili, quia fertile cum infertili compenſatur, quod ſi dicta ſterilitas non valeat compenſari, & tam in anno præcedenti, quam in anno ſubſequenti fuerit huiuſmodi ſterilitas fortuita, debet omnino remitti penſio in vtilitatem Agricolæ, ſicut etiam ſi fuerit inſolita fertilitas vltra tertiam partem ſolitam colligi, debet augeri penſio in fauorem Domini, quia fortuita ſterilitas ſicut facit minuere penſionem, ita etiam fortuita fertilitas debet augere, contrariorum enim eadem eſt natura. Ita expreſsè docet Ioann. de la *Crux in direct. p.1. præc.7. q.7. art.6. dub.5. concluſ. 1. & Diana tract.6. Miſcel. p.1. reſol. 17.*

Dico ſecundo, quod ſi conductor renunciauit omni caſui fortuito, ſicut ſolent Notarij ponere in clauſulis Inſtrumentorum, ſanè in foro iudiciali tenebitur ſoluere penſionē promiſſam, etiamſi caſu fortuito tanta fuiſſet ſterilitas, vt nullum fructuum accipere potuiſſet, vt habetur *in l. licet C. de locatio.*

Attamen in foro conſcientiæ volunt ea probabili ſaltem æquitate teneri locatorem remittere partem penſionis ipſi Agricolæ iudicio boni viri, quia locator ex natura eſſentiali contractus debet cognoſcere caſus fortuitos, & diminutionem fructuum, & penſionis. Ita *Ioan. Valer. in differ. vtr. for. v. locatio differ.6. comitolus l.3. q.29 n.4. & Rebell. p.2. q.7. n.4.*

Quod verum puto abſolutè dicendum ſi ratione pacti de obligatione circa omnem caſum fortuitū etiam extraordinarium nulla fuerit facta mentio diminutionis penſionis, nam ſi propter aſſecurationem pro omni caſu fortuito locatore emiſerit penſionis ſolitę aliquam partem, conductor tenetur ſoluere penſionem totam, etiam ſi nullum fructum acceperit, quia ratione aſſecurationis contractus legitimè initi per diminutionem penſionis ad id tenetur, quod ſi non fuerit remiſſa pars ſolitæ penſionis, cum non ſit iuſtus contractus, in foro conſcientiæ vera eſt præfata opinio.

Vtrum extimatio faciat venire caſum fortuitum V. infra V. extimatio.

Caſus Reſeruatis.

An, & à quo reſeruandi ſint caſus, & quotuplex ſit caſus reſeruatus.

DIFFIC. I.

Caſus nomen, à verbo cadere, quod multiplicem habet eruditionem, nil mirum ſi & ipſe multiplex eſt in ſua ſignificatione, & per varias metaphoras ad multas ſignificationes transfertur, hinc Grammatici ad obliquamenta nominum à ſuo Recto deuiantium ſignificanda caſum vocant aliū Nominatiuum, alium Genitiuum, Datiuum, &c. Poetæ autem, & Oratores ad miſeriam, & calamitatem ſignificandā, per quam quis à ſtatu iucundiori cadere dicitur, caſum transferunt, hinc in hymno habetur, caſus ſecundet aſperos, Philoſophi autem caſum vocant inopinatum euentum, vnde Ariſt. de caſu, & fortuna diſputat in 2. phyſicorum. † Morales vero dicunt caſum euentum illum, per quem quis à recta Prudentiæ in rebus agibilibus regula declinat iuxta illud proloquium perpendens caſum hominis non tangit Naſum.

Iuris autem vtriuſque conſulti ad omnem quæſtionem, & dubitationem de iure propoſitam ſignificandam transferunt caſum, vnde ſummæ caſuum conſcientiæ.

Theologi denique ad ſignificandum peccatum accommodata Metaphora caſum trahunt, ſicut enim per peccatum à virtutis rectitudine ad ſeruiendum vitio cadit, iuxta illud Prouerb.24. ſepties in dies cadit iuſtus, & Iſaiæ 14. quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris, & c.64. Cecidimus quaſi filium vniuerſalis ita quodlibet peccatum veriori Metaphora dicitur caſus, & in hac ſignificatione hic accipitur caſus ſ. pro peccato, idem ergo eſt dicere caſus reſeruatus ac peccatum reſeruatum.

Quare ſub nomine peccati reſeruati licet, poſſent venire cenſuræ, quia ſine peccato mortali eſſe non poſſunt, attamen iuramenta, vota, & irregularitas nequaquam propriè ſub nomine caſuum reſeruatorum veniunt, quare Epiſcopus, vel alter Ordinarius concedens facultatem abſoluendi ab omnibus ſibi reſeruatis caſibus, non intelligitur dare facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, votis, & iuramentis, quia iſta propriè non dicuntur caſus reſeruati.

Dico ergo primo, quod licet Caluiniſtæ, & Lutherani negāt eſſe poteſtatem in Eccleſia Dei peccata reſeruandi, attamen contra authoritatem, & conſuetudinem totius vniuerſalis Eccleſiæ, quid ni contra euidentem rationem impudēter nimis ob loquuntur, etenim ſi in foro externo Princeps poteſt ſibi, ſuoque iudicio grauiſſimas cauſas reſeruare, cur non poterit Princeps Eccleſiaſticus in foro conſcientiæ quoad pœnas, & culpas ſuo iudicio, & abſolutioni peccata atrociora reſeruare? Maxime cum Papa à ſolo Deo immediatè habeat iuriſdictionem plenariam ad abſoluenda peccata, reliqui omnes Epiſcopi dependenter à Summo Pontifice, & Parochi, & alij Confeſſarijs dependenter ab Epiſcopo, & ſuis Ordinariis hinc ſicut Papa poteſt totam ſuam delegare in abſoluendo Epiſcopis, & Epiſcopus Parochis, ita etiam Papa poteſt eam limitare pro omnibus Sacerdotibus, & Epiſcopi pro omnibus ſuæ diœceſis.

Nec obſtat, quod aiunt omnes Sacerdotes poſſe baptizare omnes indifferenter, ita etiam abſoluere, & ſicut in ordinatione acceperunt poteſtatem remittendi peccata abſque reſtrictione, & reſeruatione, ita poſſunt omnia peccata indiſcrinatim diuina id ſibi authoritate permittente abſoluere, nam ad baptiſmum non requiritur iuriſdictio, ſicut nec ad conſecrare, & ideo non poteſt reſeruari cum nullitate actus, at vero in Sacramento pœnitentię adminiſtrando requiritur non ſolum clauis ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, quæ non requiritur in conſecrando, & baptizando, quare liceat Sacerdos accipiat in ordinatione Clauem ordinis ad abſoluendum à quocunque peccato, non tamen Clauem iuriſdictionis, quę à Papa, vel ab Epiſcopo, alioque ordinario ſpecialiter extra Ordinationem traditur, atque adeo, quid mirum, quia poteſt reſtrin-

reſtringi, & ampliari iuxta libitum Superioris eam tradentis.

Quare Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. canon. 11. contra hanc vniuerſaliter acceptam doctrinam negantes ſic ſtatuit. (ſi quis dixerit Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam Politiam, atque adeo caſuum reſeruationem non prohibere, quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit.)

Dico ſecundo, quod vtillima ſit caſuum reſeruatio in Eccleſia Dei, & Papam, & Epiſcopos poſſe ea reſeruare ad finem ſeruandæ diſciplinæ Chriſtianæ docet, & probat idem Concilium Tridentinum loc. cit. ca. 7. ſub his verbis (Magnopere vero ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora crimina non à quibuſuis, ſed Summis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur) & infra §. Hanc autem delictorum reſeruationem cōſonum eſt diuinæ authoritati non tantum in externa politia, ſed etiā coram Deo vim habere) etenim dum peccatores ſitorum grauiorum criminum abſolutionem non facilè inueniunt apud Minores Sacerdotes, ſed ad Maiores recurrere à ſtringuntur, eorum grauitatem, & dignitatem pertimeſcentes facilius ab illis perpetrandis coerceantur, & à recidibus fortius præſeruentur.

Dico tertio, quod *l. Alphonſus de Caſtro l. 2. de iuſta Hæreticorum punit. cap. 24.* & alij putent probabiliter Epiſcopos habere immediatè à Deo caſus reſeruandi poteſtatem, attamen quia non poteſt reperiri conſona ſcriptura, quæ hoc dictum apertius probet, communius volunt Theologi hanc facultatem habere immediatè à iure poſitiuo ex Pontificis Summi authoritate, vnde infert noſter Rodriq T. 1. c. 29 num. 3. hanc eādem facultatem etiam Prouincialibus, & Generalibus Religioſorum Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus in nos ſubditos Regulares, cæteriſque Ordinarijs eadem vtentibus iuriſdictione in ſuis locis à Papa accipere facultatē reſeruandi caſus, ita etiam *Nauar. c. 27. nu. 263. Suar. T. 4. diſp. 25. ſect. 1. n. 6. Sot. in 4. diſt. 18. q. 2. a. 5. & aly.*

Dico quarto, quod duplex eſt caſus reſeruatus aliter dicitur ab homine, aliter a iure, ab homine dicitur ille, qui à voluntate reſeruantis pendet, vt tanto tempore duret reſeruatio, & hoc caſus reſeruati genus morte reſeruantis finitur, à iure autem dicitur caſus reſeruatus, qui per generales conſtitutiones pontificias perpetuo valituras, vt ſtatuta Synodalia præcipuè reſeruātur, hæc enim habent vim legis regulariter, nec reſeruatio iſta morte finitur reſeruantis, ſed ſicut lex perpetuò durat, vſque reuocetur, ita & reſeruatio in ipſa contenta.

Nota etiam, quod ſi Epiſcopus dicat reſeruo hunc caſum, donec aliud ordinauero, non expirare morte reſeruantis docet Eman. *Sà*, verùm neſcio, quo fundamēto probabili. quare dicendum expirare, cum voluntas finiatur morte reſeruātis, in iſtis autem verbis ſola monſtratur voluntas.

Nota etiam, quod ſi Epiſcopus reſeruaret dicendo reſeruamus nobis, & noſtræ Sedi Epiſcopali, vel ſucceſſoribus noſtris, non expiraret reſeruatio morte reſeruantis, ſed eſſet reſeruatio quaſi à iure, vide *textum in c. fin. de offic. delegati in c. 2. §. ſtatuta de conſtitut. in 6. & Nauar. l. 22. nu. 2. & ſub nu. 21. & Quaranta v. caſus reſer. in fine*: quod ſi dicat ad beneplacitū noſtrum, licet *Emanuel Sà* velit non expirare morte reſeruātis, ſed expirare ſi dicat ad beneplacitum meum, quia beneplacitum meum eſt perſonale, beneplacitum autem noſtrum eſt Sedis Epiſcopalis, attamen merè perſonale eſt beneplacitum etiam noſtrum, quia Prælati loquuntur ſemper in plurali. Ita *Suar. de pœn. T. 4. diſp. 27. ſect. 4. & Sanch. l. 8. diſp. 28. de matr. Nota vt & ſupra.*

An vero caſus reſeruati in Bulla Cœnæ dicantur, ab homine, vel à iure dictum eſt ſupra V. Bulla Cœnæ, certum eſt tamen, quia quot annis mutantur, minuuntur, vel augētur iuxta voluntatem Papæ, & quia non tolluntur morte Pontificis, poſſe dici caſus mixti generis; vide ibi diffic.

Vtrum ad caſuum reſeruationem requiratur iuſta cauſa.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod ex Concil. Trid. loco cit. c. 7. cum reſeruatio ſit introducta in ædificationem, & non in deſtructionem, requiritur iuſta cauſa, ſ. quod tendat, & pertineat ad conſeruationem diſciplinæ Chriſtianæ, vnde pro libito Epiſcopi ſaltem, & alij Papa inferiores Prælati non poſſunt nec debent peccata reſeruare; Vnde Sacra Congregatio apud Quarantam V. caſus reſeruatus, ita Epiſcopis, & Ordinarij, ſeriò præcipit (Sed ne locorum Ordinarij ad quos reſeruatio caſuum ſpectat ea in re modum non excedant, eadem Sacra Congregatio illos rurſus magnoperè admonendos cenſet, vt non paſſim, ſed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum abſolutionem ſibi reſeruent, quorum reſeruatio ad Chriſtianam diſciplinam retinendum conferat in ædificationem, non autem in deſtructionem cedat, ne alioquin Sacramenti Miniſtrorum Pœnitentiæ coarctata poteſtate Sanctæ Matris Eccleſiæ piæ menti contrarius effectus ſubſequatur, prohibet etiam ne ſuperfluè ſibi reſeruent caſus in Bulla Cœnæ Domini legi conſueta, neque alias Sedi Apoſtolici ſpecialiter reſeruatos) quare ſine cauſa, ſed ſolum ad ſui animi meram complacentiam, vel fortè odioſum effectum caſus reſeruat, vel in magna quātitate, illicitè reſeruat quicunque Papa inferior, & iuxta prauitatem ſui affectus mortaliter peccat, vel venialiter.

An reſeruatio facta ab Epiſcopo ſit valida abſque iuſta, & legitima cauſa.

Dico tertio, quod licet mihi probabiliter ſatis perſuadeatur Epiſcopum, & reliquos ordinarios abſque iuſta cauſa, ſed ſolam ad ſuum libitum caſus non atrociores. & grauiores, ſed ordinarios, quoſque defectus reſeruantes non ſolum illicitè, ſed inualidè reſeruare quoad Parochos præcipuè, & quoad fratres Prædicatores, & minores, vt notat noſter Angelus v. caſus reſeruatus verſus finem, quia Parochi probabiliter volunt habere de iure diuino authoritatem abſoluendi, & minores. & Prædicatores à iure communi, ergo non poteſt arctare eorum authoritatem vltra præſcriptam authoritatem ſibi datam reſeruandi caſus in præiudicium illorum, ergo cum Epiſcopis ſolum detur a Concilio, & à Sacra Congregatione authoritas ſolum atrociorum, & grauioram criminum caſus reſeruandi, inualidè reliqua minora reſeruabit. Ita Ang noſter *loc. cit. Sot. in 4. diſt. 18 quæſt. 2. ar. 5. Valſ. T. 4. q. 1. art. 3. dub. 4. nu. 4. Ledeſma 2 p. q. 8. art. 2. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. num. 13. Petrus à Soo de pænit. lect. 4. q. 2. ar. 5. ad ſecundam, & Becan. de ſacr. in ſpecie c. 40 q. 5.*

Cæterum tutius, & probabilius videtur dicendum Epiſcopos reſeruantes crimina non atrociora, nec grauiora, ſed minora paſſim illicitè ſolum vt dictum eſt, non autem inualidè, quia Parochi à iuriſdictione Epiſcopi dependent, ſicut enim Papa eſt Ordinarius in toto Mundo, & ab eo omnes accipiūt iuriſdictionem, ita Epiſcopus eſt Ordinarius in tota ſua Diœceſi, & ab eo omnes Parochi accipiunt iuriſdictionem, & licet ſit probabile habere eas à iure diuino iuriſdictionem non tamen actualem, ſed habitualem ſolum, actualem enim ab Epiſcopo recipiunt, quare eam arctare valent pro ſuo libito, licet hoc illicitè faciant, cum ſit indeſtructionem, non in ædificationem animarum quæcunque minora peccata reſeruare, vt probat Sac. Congregatio Cardin. verbis ſuprapoſitis, vnde eos circa reſeruationem atrociorum admonet, non præcipit ſub nullitate.

Præterquam quod ſi practicari poſſet præfata prima opinio, ſemper eſſet dubium an haberet Epiſcopus iuſtam cauſam reſeruandi nec ne, & in dubio tali ſemper præſumi debet iuſta cauſa, quia potior eſt conditio paſſionis, & Prælatus ſemper præſumitur habere iuſtam cauſam, ſicut etiam Princeps niſi Notoriè, & euidenter appareret iniuſtitia, & abuſus poteſtatis contra poteſtatem Clauium, diſpoſitiones iuris, & Summorum Pontificum declarationes. Ita etiam Graff. lib. 1. *deciſ. c. 13. nu. 77. Suar. T. 4. de pœnit. diſp. 29. ſectio 4. n. 3. Layman tract. 6. de caſibus reſeruatis c. 12. nu. 5. Tannerus diſp. 6. de pænit. q. 9. dub. 4. & Sylu. v. caſus 3. q. 5. & alij.*

Vtrum peccata venialia validè reſeruari valeant.

DIFFIC. III.

Dico primo, quod omnino vanum, non ſolum infructuoſum peccata venialia reſeruare ab omnibus communiter exiſtimatur, quia cum non ſint neceſſaria materia Sacramenti Pœnitentiæ, poteſt quis ea habens non ſubijcere virtuti Clauium in Sacramento Pœnitentiæ, ſed alijs medijs illa purgare, vt dicetur ſuo loco ergo vanum eſſet, & infructuoſum illam reſeruare; at vero dato, quod quis dubitet tale peccatum

catum reſeruatum ſit ne mortale, an veniale vel cognoſcat eſſe veniale, & velit illud ad maiorem ſecuritatem ſubijcere poteſtati Clauium in confeſſione, an re vera poſſet à Sacerdote quocunque abſolui ſtante reſeruatione, quare

Dico ſecundo, quod Papa vtique poſſit etiam venialia reſeruare, dato quod quis velit ea confiteri, & ſubijcere clauium poteſtati, quia iuriſdictionem omnimodam etiam confeſſiones audiendi à quolibet ſuſpendere, ne dum à venialibus ſolis abſoluendi, non poſſet tamen facere, vt præfata venialia neceſſariò fiant materia Sacramenti Pœnitentiæ, cum ex ſua natura non ſit neceſſaria materia Sacramenti pœnitentiæ, verum dato quod Papa aliqua reſeruaret venialia, & aliquis ea vellet confiteri, & ab eis abſolui virtute clauium, non poſſit ab eis à quolibet abſolui ſine authoritate Papæ, Ita communius Doctores.

At vero circa Epiſcopos an poſſint validè reſeruare venialia, affirmant ea præcipuè reſeruare poſſe, quæ periculum grauioris mali, & præſertim legiferi cauſare queunt. Suarez *T.3.diſp.29.ſect.3.n.1.& Henriq.l.6.de pœnit.c.14.& alij.*

Cæterum communius, & probabilius negant. *Graff.l.1.ca.4.num.17.Vaſq.T.4.qu.91.art.3.dub.2.Reginald.l.1.c.4.num.19.Coninch.diſp.8.de ſmin.ſac.pæn.dub.11.num.80.Fagund.l.2.cap.2.n.10.Megala l.1.c.11.nu.12.& Medina C.de confeſſ.q.... & alij*, nam cum quilibet Sacerdos ex generali Eccleſiæ conceſſione poſſit à venialibus abſoluere, non poteſt Epiſcopus hanc conceſſionem limitare, & coarctare, quod tamē mihi perſuadetur rationabilius, & magis cōſentaneè, ex eo maximè, quia finis reſeruationis ceſſat in eis, ad ſeruādum autem diſciplinam Chriſtianam datur reſeruatio, at reſeruatio venialium non facit ad ſeruandam diſciplinam Chriſtianam, cum etiam iuſti ſæpè ſæpius in venialia incidunt, nec propter hoc diſciplina Chriſtiana labefactatur, ceſſante autem fine legis, ceſſat, & ipſa lex, vt ſuo loco probabitur. Ex quibus

Collige, quod ſi Epiſcopus reſeruet furtum, ſemper intelligitur de furto, quod ex genere ſuo mortali, ita etiam dici de feſtorum obſeruantia, in qua ex paruitate Materiæ, vel ex legitima cauſa, vel nullum, vel veniale peccatum poteſt eſſe tranſgreſſio, intelligitur reſeruatio de in obſeruantia mortali, non autem de furto, vel in obſeruantia veniali, idem dicendum videtur de Blaſphemia ex primo animi motu, vel mente turbata, ita vt non attendat, nec aduertat ſe blaſphemare, quia poterit excuſari à mortali. Ita etiam Bartholom. à *S.Fauſto de caſibus reſeru. q. 8.*

Vtrum peccata mortalia merè mentalia, & interna nullo opere externa manifeſtata reſeruari valeant.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod non congruit reſeruare interna peccata, & merè mentalia regulariter loquendo, quia reſeruatio introducta eſt ad populi Chriſtiani retinendam diſciplinam, quæ externa eſt, ergo per reſeruationem internorum non videtur finis legis haberi principaliter, maximè, quia potius talis reſeruatio in deſtructionem tenderet, cùm enim peccata cordis ſint occultiſſima, & ita difficilia captu, an eis verè conſenſerint nec ne fideles, maximis ſcrupulis angerentur, ſi præſentem non inuenirent abſolutionis facultatem, & maximis anguſtijs premerentur ſæpe ſępius ad ſuperiores pro abſolutione eorum habenda, cum facilius, & frequentius in talia interna, & mentalia homines prorumpant. Ita noſter *Rodriq.p.1.c.55.in ſumm.Caiet.22.qu.11.art.3.Sot.in 4.diſt.18.q.2.ar.5.Suar.T.4 diſp.29.ſect.3.num.3.Sanch.l.2.decul.c.8.n.4.Coninch.loco cit.q.11.& Henriq.l.3.c.14.§.5.*

Dixi regulariter non congruere, nec expedire huiuſmodi mentalia reſeruare, nam ea, quæ ita ſunt ex ſui natura atrocia, & venenata, vt ita dicam, vt mente retenta facilius ad labefactandam Chriſtianam Rempublicam, & commune bonum inducant, vt ſunt hæreſis mentalis, animus conſpirādi in Papam, Rempublicam euertendi, & ſimilia, probabiliter dicerem congruere, & expedire, vt reſeruentur, ſicut de facto de Hæreſi mentali probabiliter multi Doctores arbitrātur cadere ſub reſeruatione in B. C. vt dictum eſt, licet dum non exprimitur in Bulla ſpecialiter reſeruata, poſſit etiam probabiliter dici de facto non eſſe reſeruata.

Vtrum reſeruans ſibi cenſuras intelligatur reſeruare, etiam culpas, propter quas cenſuræ feruntur, & an ſemper Papa cum cenſuris reſeruet ſibi caſus.

DIFFIC. V.

Dico primo, quod opinio fuit Duardi, & ferè ſingularis opinantis Eccleſiam Catholicam pro conſuetudine habere, vt eorum Prælati reſeruent cenſuras, non autem culpas, propter quas feruntur, vnde arguit eos, qui cenſuras, & peccata ſimul intendunt reſeruare, quod probat ex eo potiſſimum, quia ablata cenſura, peccatum non remanet reſeruatum, at vero falſa ab omnibus exiſtimatur, nec enim ex eo deduci poteſt, quod ablata cenſura, non remaneat peccatum reſeruatum, non reſeruari etiam cum cenſura peccatum, quando quidem hoc ſolum prouenit, quia dans authoritatem abſoluendi à cenſura, dat etiam conſequenter authoritatem abſoluendi à peccatis, propter quæ cēſuræ ſunt latæ, & regulariter ita fit, vt concedens authoritatem abſoluendi ab excommunicatione, concedat authoritatem, vt etiam à culpa abſoluatur, & in praxi communi deductum eſt in Eccleſia vniuerſali, vt Superior, vel Delegatus abſoluat aliquando à ſola cēſura etiam in vtroque foro, & poſtea à culpis abſoluatur, ab alio Confeſſario priuato. Vide noſter *Angel.v.excommunic. Rodr.in ſumm.p.1.c.55.n.5.Henriq.l.6.c.14.n.1.Suar.T.4.diſp.29.ſect.2 n.7.& alij.* Quare regulariter loquendo reſeruans ſibi cenſuras, reſeruat etiam peccata, & ratio eſt, quia principale quod intendunt vitare per cenſuras eſt peccatum, propter quod tanquam in pœnam imponitur cenſura, videretur ergo inconueniens reſeruare cenſuram, & non peccatum. Ita *Nauar.in man.c.22.n.261.Tolet.l.3.c.14.Vaſq.T.4.quæſt.91.ar.3.dub.1.& Henriqu.loc.cit.* Quod ſi quis reſeruaret cenſuram, & non peccata, vel peccatum, & non cenſuram valida eſſet reſeruatio, licet non ita fructuoſa. In dubio autem ſemper intelligitur reſeruata cenſura, & peccatum ſimul. Ita citati Doctores.

Dico ſecundo, quod regulariter hodie Summus Pontifex non reſeruat peccata ſine cenſura præcipuè excommunicationis, dixi regulariter, quia aliquando reperitur apud Sac. Canones, & Pontificias conſtitutiones peccatum reſeruatum Papæ abſque cenſuris, vt videre eſt in extrau. inter cunctas §. ſuper confeſſionem, in qua apertè Benedictus Vndecimus reſeruat peccatum ſine excommunicatione, & in conſtitutione Pij V. contra male promotos, & promouentes, vbi etiam reſeruatur peccatum ſine cenſura, & alijs in locis, ſed re vera admodum rarò inuenitur à Papa facta reſeruatio peccati ſine cenſura. Ita communiter.

Vtrum abſoluens à reſeruatis abſque legitima prius accepta facultate à Superiore validè, & ſine peccato quandoque abſoluere directè valeat.

DIFFIC. VI.

Dico primo, quod abſoluens à reſeruatis abſque legitima facultate à Superiore obtenta regulariter mortaliter peccat, & nulla eſt abſolutio, patet, quia per reſeruationem tollitur, vel ſuſpenditur iuriſdictio abſoluendi ab illo caſu, qui reſeruatur, abſoluens autem peccat faciens contra Sacramētum pœnitentiæ in re graui, & nullam facit abſolutionem, ad quam neceſſario requiritur iuriſdictio, & ſuper nullitate abſolutionis circa reſeruatos abſque licentia adeſt decretum Sacr. Congregationis apud Quaranta V. caſus Reſeruati ſub data die 9. menſis Maij 1601. de mandato Clem. VIII. editū, in quo etiam decreto excommunicatione Papæ reſeruata plectuntur præſumentes abſoluere à reſeruatis abſque legitima Superioris facultate etiam ſub quocunque prætectu priuilegiorum à Summis Pontificibus prędeceſſoribus conceſſorum ratione alicuius Religionis, Societatis, vel Archiconfraternitatis, vel Congregationis, & vltra excommunicationem imponitur pœna priuationis officiorum, dignitatum, beneficiorum, inhabilitatis item ad audiendas Cōfeſſiones, & ad quęcumque officia, prælaturas, beneficia in poſterum obtinenda ipſo facto abſque alia declaratione, & reuocat quatenus opus ſit omnes facultates, & conceſſiones ſuper caſuum reſeruatione non obſtantibus quibuſcumque.

Dico ſecundo, quod in articulo, vel periculo mortis poteſt quilibet Sacerdos abſque alia facultate obtenta à ſuperiore

reſer-

reſeruante abſoluere directè à quocunque reſeruato etiam Papæ, vt patet ex Concil. Triden ſeſſ. 14. cap. 14. & colligitur ex antiqua traditione in multis decretis 26. quæſt 6. cap. de his, & alijs, quod autem non ſolum in articulo, ſed etiam in periculo mortis id liceat, colligitur ex cap. ſi quis ſuadente Diabol. 17. qu. 4. vbi pro eodem accipitur articulus, & periculum mortis, vt communiter ibi Doctores, & patet, quia vtrobique tam in articulo, quam in periculo mortis militat eadem ratio .ſ. ſalus animarum, ergo eadem legis diſpoſitio in vtroque.

Cæterum quando Sacerdos abſoluit in articulo, vel periculo mortis, an debet monere pœnitentem, vt ſi euadunt ab articulo, vel periculo mortis, debeat ſe præſentare coram Superiore habente iuriſdictionem abſoluendi a reſeruatis.

Diſtinguendum eſt, nam vel habet reſeruata abſque excommunicatione vel alia cenſura, & in hoc caſu, quia abſolutio obtinuit effectum ſuum abſolutè, non tenetur peniteos adire ſuperiorem ſi euadat, quia abſolutio à peccatis non poteſt dari cum conditione, ſed abſolutè, quod ſi peccatum habeat annexam cenſuram, debet monere pœnitentem, vt ſi euadat, præſentare ſe debeat coram habente legitimam facultatem abſoluendi, non vt recipiat abſolutionem, ſed vt pateat mandatis, & recipiat pœnitentiam, vt p. ex cap. ea noſcitur 13. de ſent. excommun. quod ſi euadens ſit in mora culpabili de non accedendo ad Superiorem, vel habentem facultatem, reincidit in eamdem excommunicationem, quia excommunicationis abſolutio poteſt dari conditionatè, vt infra ſuo loco dicetur. Ita communiter.

Dico tertio, quod nulla alia cauſa reperitur, in qua legitimè, quis poſſit abſoluere à reſeruatis directè eos iuris conceſſione, niſi in articulo, & periculo mortis, an vero dentur caſus, in quibus pœnitens poſſit abſolui ſaltem indirectè à reſeruatis, dum abſoluitur directè à non reſeruatis videbitur infra.

Verum Superior teneatur concedere facultatem ſubdito potenti vt poſſit à reſeruatis ab alio ſibi grato confeſſario abſolui, & an cum aliquo oneret, quod ſi iniustè deneget, an licitè, & validè abſoluatur a Confeſſario.

DIFFIC. VII.

QVam facilis, & diligens debeat eſſe Prælatus in concedēda facultate abſoluendi à reſeruatis Sacra Congregatio de mandato Summi Pontificis in vna data ad Cardinalem Archiepiſcopum Neapolitanum die 23. Decēbris 1602. apud Quarantam loc. cit. declarat ſub his verbis (Interim de ipſius Sanctitatis ſuæ mandato iidem Ordinarij monentur, vt per totam ſuam Diœceſim ac præſertim ijs locis, qui à ciuitate, & Cathedrali ſede longius remoti ſunt, Pœnitentiarios, alioſque Sacerdotes conſtituant, ac delegent, quibus abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis concedant, ita vt his quoque liceat eandem alijs Confeſſarijs, ſi opus ſit, etiam viua voce impartiri, idque maximè in ſolemnioribus, & præcipuis anni feſtiuitatibus, vt peccatores, quibus obuia, & facilis fuerit huiuſmodi Sacerdotum copia ad peragendam Confeſſionem alliciantur, quia alioquin plerique vel ob idipſum omittere poſſent, ſi neceſſe haberent Pænitentiæ miniſtris, quibus indigent longius quærere) hæc Sac. Congregatio. Quare

Dico primo, quod Superior denegans ſine iuſta cauſa facultatem abſoluendi à reſeruatis peccat, quia vt habetur de pœniten. diſt. 6. ſi Deus benignus, vt quid Sacerdos auſterus vult apparere, *& cap. alligant autem onera 26. quæſt. 7.* prætterquam quod Superior eſt obligatus ſalutem ſubditorum procurare, & ſe oſtendere diſpenſatorem fidelem, negando autem facultatem daret occaſionem ſubdito, vel nimium differendæ confeſſionis, vel etiam vt euenit ſæpè ſæpius in fœminis ea reticendi, nec amplius confitendi, itaque multum damnum afferret animabus, & potius in deſtructionem, quam in ædificationem vteretur auſteritate. Vide noſtrū Angelum, *& Rodriqu. loc. cit. Ita etiam D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. ad 6. Henriq. lib. 6. cap. 11. num. 6. Suar. T. 4. diſputatio. 30. ſectio. 43. Bonacin. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 5. & alij communiter.* Attamen,

Dico ſecundo, quod ſi Superior videt talem abſoluendi à reſeruatis conceſſionem non fore vtilem, ſed potius futuram occaſionem perſeuerandi in peccato ob ſpem faciliter conſequendæ poteſtatis, vel peccatum ſit tale, vt vergat in perniciem notabilem aliorum ex facili conceſſione facultatis, non tenetur habenas laxare, ſed prudenter differre cum manſuetudine denegando pro tunc, & cum ſpe certa pro alio tempore eam concedendi, & interim dolorem maiorem curet acquirere atrociorum ſuorum criminum; aliter ſi facilis eſſet in talibus caſibus, in deſtructionem daret facultatem, non in ædificationem. Ita etiam *Bonac. loc. cit. Coninch. diſputation. 8. dub. 14. T. 2. de miniſtr. Sacr. Pœnuen. & Sotus in 4. diſtin. 18. quæſt. 2. art. 5.*

Dico tertio poſſe Superiores determinare quaſdam pœnitentias ſpeciales pro peccatis ſibi reſeruatis, etenim cum ſit Iudex Ordinarius talium peccatorum, poterit etiam determinare pœnitentias, ſicut Clemens octauus in decreto de caſuū reſeruatione quoad Religioſos præcipuè iſtis verbis determinat (licebit tamen Superioribus grauibus quibuſdā peccatis & non reſeruatis à Confeſſarijs imponere penitentias, quæ ſubditos ab huiuſmodi peccatis perpetrandis cohibere poſſint.

Dico quarto, quod licet Superior poſſit dare facultatem ab excōmunicationibus reſeruatis abſoluēdi cū onere, vt penitēs ſe præſentet, quia ſicut eius abſolutio ſimpl. dependet ab Eccleſia, ita eius abſolutio quo ad modū ab ipſa dependet, vnde Prælatus poteſt modum in abſoluēdo præſcribere, at vero in peccatis reſeruatis ſimpliciter non poteſt imponere hoc onus, quia ſimpliciter abſolutio dependet à Deo in gratiæ infuſione, & conſequenter ſemel data ſortita eſt effectum ſuum, nec poteſt dari, ſicut ab excommunicatione cum reincidentiæ ſi modum non obſeruat in abſolutione præſcriptum; itaque peccata ſemel abſolutione condonata ab Eccleſia virtute clauium, non poſſunt ab eadem Eccleſia fieri, vt redeant, ſi modum in abſolutionis forma præſcriptum ab Eccleſia, vel pœnitentiam impoſitam non ſeruet pœnitens. Ita communiter. Attamen

Dico ſexto, quod poteſt Superior tanquam pro penitentia imponere, vt pœnitens eadem peccata reſeruata poſt abſolutionem denuò data opportunitate confiteatur, non vt ab eis abſoluatur ſimpliciter, ſed vt magis de ipſis habeat erubeſcentiam, quia ſicut quis poteſt vouere eadem peccata bis confiteri, ita etiam poteſt quis ſe obligare ad talem Confeſſionem de reſeruatis bis facere, & Superior fructuosè imponit, & in hoc caſu Confeſſor antequam abſoluat, debet penitēti aperire voluntatem Superioris, & ſi acceptet, abſoluat, ſecus non abſoluat, quia ſi cum hac conditione dederit facultatem non eſſet abſolutus ſi conditionem non acceptaret, poſito autem quod acceptet, debet eam ſub mortali implere, quod ſi non impleat, erit nihilominus abſolutus, quia iam habuit effectum ſuum immediatè abſolutio à peccatis, ſecus de excommunicatione, vt dictum eſt ſupra.

Et licet aliqui voluerint poſſe Superiorem dare facultatē, vt a ſuis reſeruatis Sacerdos abſoluat penitentem cum hoc onere, vt iterum data opportunitate pœnitens obligetur ſe ſe præſentare coram ſe, vt eadem peccata iterum confiteatur, vt magis de ipſis erubeſcat, tamen ſuperfluum, & nimis rigoroſum videretur hoc præceptum, etenim ideo petitur facultas, vt poſſit abſolui a reſeruatis, vt liberetur ab onere ſe præſentandi coram Superiore, non enim debent penitentes ita exacerbari, vt potius debeant ſe peccata confeſſos fuiſſe, quam perpetraſſe.

Dico ſeptimo, quod licet voluerint aliqui Doctores, inter quos eſt noſter Rodriqu. loc. cit. 1. p. cap 55., quod ſi Superior iniuſtè deneget authoritatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, poſſit Confeſſarius pœnitentem abſoluere à reſeruatis, quia debet præſumi in tali caſu, ac ſi non poſſet haberi præſentia Superioris, verum communius, vt dictum eſt ſupra V. Abſolutio hæc ſententia non amplectitur, nec mihi ſuadetur aliqua firma ratione, aut Pontificum declaratione, nam iniuſtitia, & malitia Superioris non videtur eſſe cauſa ſufficiens tollendæ reſeruationis, aut iuriſdictionis dandæ, quod ſi neceſſitas vrgeat communicandi, vel celebrandi adhibeatur modus infra dicendus. Attamen

Quamuis in cæteris hoc verum ſit, non tamen circa Religioſos, etenim ad tollendam imprudentiam aliquorum Superiorum Regularium nolentium dare facultatem abſoluendi à ſuis reſeruatis, poſtquam petita fuerit humiliter, determinauit Paulus V. per decretum datum anno Domini 1607. vt

pro

Digitized by Google

pro illa vice Regulares poſſint nihilominus abſolui à reſeruatis etiam non obtentâ facultate; quare ſi vniuerſaliter eſſet vera opinio, quod nolente Superiore dare facultatem à reſeruatis, poſſit nihilominus abſoluere Confeſſarius, Paulus Quintus pro Regularibus non emiſiſſet hoc ſpeciale decretū.

Vtrum Superior auditis ſolis reſeruatis poſſit ab illis Sacramentaliter abſoluere, & reliqua remittere abſoluenda inferiori confeſſario, & tunc an teneatur pœnitens etiam denuo reſeruata confiteri inferiori.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, quod ſi pœnitens omnia coram Superiore aperuit peccata tam reſeruata, quam non reſeruata, non debet Superior abſoluere ſolum à reſeruatis, & pro reliquijs dimittere abſoluendum ab alio, quia cum integritas huius Sacramenti ſit de iure diuino, non poteſt abſque legitima cauſa violari, ſtante ergo diſpoſitione materiæ proximæ iam poſitæ in pœnitente nullam habet cauſam dimidiandi Sacramenti, debet ergo ab omnibus abſoluere, aliter peccat faciendo iniuriam Sacramento, nec valet quod in alijs Sacramentis puta in Euchariſtia eſt in poteſtate Sacerdotis conſecrare ambas partes hoſtiæ, vel ſolum dexteram, vel ſiniſtram, quia in iſto, & alijs Sacramentis poteſt hoc Sacerdos, quia ad ipſum pertinet materiam determinare, at vero in Sacramento pœnitentiæ materia non præparatur à Sacerdote, ſed à pœnitente, itaque non poteſt ad libitum eam dimidiare. Vide noſter *Rodriqu. cap. 57. Sayrum de pœnitentia cap. 16. Henriqu. lib. 6. c. 14. Suarez diſput. 31. ſect. 1. Valentia T. 4. diſputat. 7. quæſt. 11. Bonacin. diſputat. 5. quæſt. 7. punct. 4. §. 3. & alij*, eſſet tamen in hoc caſu, quo ſolum de reſeruatis abſolueret Superior, verè abſolutus, & gratiam reciperet pœnitens bona fide paratus reliqua inferiori confiteri, quia iam ſua peccata propalauit ritè, & conſequens per abſolutionem reſeruatorum directè factam à Superiore, indirectè abſoluitur à non reſeruatis etiam, & quantum eſt de ſe confeſſio illa eſt formaliter integra.

Nec obſtat ſi dicatur, quod valor Sacramenti pendet à voluntate Miniſtri, ergo ſi ſolum intendit abſoluere à reſeruatis non remanebunt abſoluta non reſeruata, nam licet directè hoc ſit verum, non tamen indirectè, non enim poteſt virtutem Sacramenti indirectam cohibere, ſtante quod ipſe directam intētionem ſuper reſeruata habuerit, ſequitur enim ad directam abſolutionem neceſſariò indirecta abſolutio, vt patet de Confeſſis directè abſolutè, ad quorum abſolutionem neceſſariò ſequitur indirectè oblitorum abſolutio, & ratio huius eſt, quia cum effectus abſolutionis ſit gratia, quæ totam afficit animam, & omnia conſequenter abſtergit peccata, dato quod ab intentione Sacerdotis directè abſoluentis infundatur virtute Sacramenti, ergo reliqua omnia, quæ obſtarent, indirectè etiam toliit, cum non poſſint gratia, & peccata ſimul ſtare ſaltem de potentia ordinata.

Dico tamen ſecundo, quod probabile admodum eſt Superiorem legitimè impeditum poſſe audire ſolum reſeruata, & ab illis abſoluere, & pro reliquis remittere ad inferiorem, vt audiat, & abſoluat. Ita noſter *Riccardus, quem citat, & ſequitur Vaſqu. T. 4. quæſt. 91. ar. 3. Suar. diſput. 31. ſect. 1. Tolet. lib. 3. cap. 8. n. 3. Sot. in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 5. Nauarr. in cap. conſideret §. cautus num. 12. & 18 de pœnit. diſt. 5. Layman. trac. 6. c. 12. de caſib. reſeru. nu. 7. & 8. & alij, & noſter* Rodriquez, tenet probabilem etiam hunc opinionem *loc. cit. n. 14. in fine.*

An vero in hoc caſu vnum eſſet Sacramentum integratum ex duabus Confeſſionibus, an duo formalia variant Doctores, eſſe duo Sacramenta, & in primo gratiam, & in ſecundo augumentum gratiæ recipi docent *Suarez T. 4. diſp. 31. ſect. 1. & Bonaci. diſp. 5. quæſt. 7. p. 5. §. 3.* & alij, quia formaliter ſunt duæ abſolutiones ſupra diſtinctas materias.

At vero Syluester V. confeſſio 1. numer. 19. docet primam abſolutionem non eſſe Sacramentalem, ſed ſolum ſecundam, in prima enim ſolum vtitur ſuperior claue iuriſdictionis auferendo reſeruatione, vt poſſit poſtea de ipſis, & ab alijs ab inferiori abſolui.

Nauarrus tamen loc. cit. docet abſolutionem eſſe quidem Sacramentalem, ſed gratiam in ſecunda ſolum conferri, putat enim *Nauar.* ex vtraque perfici vnum numero Sacramentum, ſicut ex pluribus vnctionibus, & formis vnicum extremæ vnctionis Sacramentum conſtituitur.

Quod ſi Prælatus velit abſoluere à reſeruatis ipſemet, & pro non reſeruatis mittere ad inferiorem, an iterum teneatur reſeruata etiam inferiori patefacere; variant Doctores. affirmat. Caietan. v. confeſſio concl. 10. & Henriqu. lib. 6. c. 11. quia integritas confeſſionis eſt de iure diuino, non ergo diſpenſari valet abſque cauſa vrgente, ergo tenetur omnia inferiori confiteri.

Valentia tamen T. 4. diſp. 7. qu. 11. p. 1. Suar. loc. cit. & Petr. à Soto lect. 10. de confeſſ. negant iterum repetenda reſeruata confeſſa, quia ſicut abſolutus directè à confeſſis, & indirectè ab oblitis, reconfiteri non tenetur iam confeſſa, ſi oblita in mentem veniant, ſed ſufficit, vt oblita ſolum confiteatur, ita etiam iam reſeruata confeſſa non tenetur reconfiteri, quia de illis directè iam obtinuit abſolutionem, tenetur autem ſolum ea confiteri, de quibus ſolum indirectè habuit abſolutionem.

Sanè ſingulæ opiniones piæ ſunt, & probabiles, verum tutior, & probabilior, & facilior opinio eſt, vt Prælatus audiat reſeruata, & non abſoluat, pœnitentiam, ſi ita videbitur determinet, & pro omnibus ritè confitendis remittat ad inferiorem cum authoritate etiam à reſeruatis abſoluendi, & ita practicari in Curia Romana teſtantur grauiſſimi Doctores, & per hanc opinionem auferūtur tot lites Metaphyſicę.

Vtrum confeſſarius poſſit abſoluere à non reſeruatis remittendo pœnitentem pro reſeruatis ad ſuperiorem.

DIFFIC. IX.

NEgant *D. Thom in 4. d. 17. qu. 3. ar. 4. Sot. diſt. 18. q. 2. ar. 5. Suar. T. 4. diſput. 31. ſect. 2. Reginald. lib. 8. num. 8. Megala lib. 1. c. 14. Coninch. diſput. 8. & Henriquez lib. 8. num. 80.* ex eo, quia integritas Cōfeſſionis cum ſit de iure diuino, non poteſt violari abſque neceſſitate.

Attamen non minus probabiliter, & praxi tutum puto, & in praxi ferè obſeruatur communiter hodie poſſe pœnitentem abſolui à non reſeruatis, & pro reſeruatis mittere ad habentem authoritatem. Ita *Nauarr. de pœnit. d. 5 §. cautus num. 12. Caiet. in ſumm. V. confeſſio cond. 10. Valent. T. 4. diſp. 7. qu. 11. p. 1. Vaſqu. q. 91. art. 3. dub. 9. num. 1. & 3.* quia probabile eſt duas partiales Confeſſiones integrare vnam totalem, dum ratione iuriſdictionis non poteſt ab altero integra dari abſolutio, ſicut dictum eſt ex pluribus vnctionibus, & formis integratur vnum Sacramentum Extremæ vnctionis, quod ſi quis dicat non eſſe rationi conſentaneum hanc opinionem cum videatur repugnare Phyſicæ, & Metaphyſicè rationi, verum in materia morali ad rimulas metaphyſicas non reſpiciendum, ſed potius ad quamdam æquitatem, vel rationis paritatem, eſt enim vnum Tribunal Superioris, & inferioris quatenus inferior dependet à Superiori, nihil ergo mirum ſi iudicare incipiat inferior, vt Superior compleat ſuę plenitudine authoritatis, quod ipſe inferior non potuit; & ſtante bona, fide pœnitentis ab vno abſoluitur directè à peccatis non reſeruatis, indirectè à reſeruatis cum receptione gratię, & ab altero directè à peccatis cum augumento gratiæ, ne abſolutio ſecundi videatur fruſtatoria quoad gratiam, vel ſicut ex pluribus partialibus formis, & materijs integratur vnum Sacramentum extremæ vnctionis, in vltimo conferēs gratiam, ita ex duabus partialibus abſolutionibus in vltima datur gratia, vtraque enim opinio probabilis eſt.

Vtrum autem teneatur Superiori in hoc caſu etiam non reſeruata confiteri.

DIFFIC. X.

NEgandum omnino, ſi omnia inferiori manifeſtauit, & abſolutus fuit, ſaltem enim indirectè à reſeruatis, & directè à non reſeruatis abſolutus fuit, ea ergo à quibus directè abſolutus fuit, non tenetur iterum aperire, cum de illis iam abſolutus & iudicatus fuerit, cum nulla ſit obligatio bis ſubijciendi peccata ſua iudicio abſoluentis, ſolum ergo reſeruata tenetur manifeſtare, à quibus directè debet abſolui à Superiore.

Nec obſtat ſi dicatur, quod non licet dimidiare Confeſſionem cum ſit de iure diuino eius integritas, nam vel reſpondendum,

dendum, quod non dimidiatur Confeſſio in tali caſu, quia integritas Confeſſionis de iure diuino eſt ſolum de peccatis directe Confeſſis, a quibus directè poteſt abſolui, tunc enim debet eſſe omnino integra Confeſſio apud illum, à quo directè poteſt abſolui, non autem quando non poteſt ab omnibus directè abſolui, tunc enim ſufficit, vt indirectè, & directè ab omnibus abſoluatur reſpectiuè, & poſtea quęrat, qui directè abſoluat ab eis, a quibus indirectè eſt abſolutus.

Vel dicendum eſt, quod ſufficit, quod integra ſit materialiter Confeſſio, in hoc enim caſu integra eſt materialiter Confeſſio, quia omnia vni aperuit, per accidens autem eſt, quod formaliter dimidietur ratione iuriſdictionis.

Vel dicendum, quod eſt integra ſemper confeſſio, quia ex duabus partialibus abſolutionibus integratur vna totalis, ſicut ex pluribus vnctionibus, & formis integratur vnum Sacramentum extremę vnctionis.

Omnes iſtæ reſponſiones probabiles ſunt iuxta varia placita Doctorum in ſuperioribus difficultatibus explicata, licet non careat ſuis obſtantijs.

Itaque ſicut docet noſter *Alenſis 4.p.q.77. membr.5.art.2. Hen. à de Sandano quodlib.1.q.29.& 30. maior in 4.diſt.17. q.5 & Petr. à Soto lect. 10. de confeſſ* tempore neceſſitatis probabile eſt, & tutum in conſcientia quod Confeſſarius inferior audiat peccata non reſeruata, & ab illis abſoluat, & reſeruata mittat pœnitentem, vt Superiori confiteatur, cuius ratio patet ex dictis in ſuperioribus.

Tutius tamen eſt, vt omnia inferiori ſemper pateſaciat, tum quando ab ipſo remittitur ad Superiorem pro abſolutione reſeruatorum, tum quando ſuperior remittit ad inferiorem, vt a non reſeruatis abſoluat; ſed ſi propter nimiam frequentiam, vel aliam legitimam cauſam nequeat fieri, poteſt opinio noſtri Alenſis tutè practicari.

Vtrum migrans in alienam Diœceſim poſſit abſolui à reſeruatis ſuo Epiſcopo, & an ſi quis peregrinaretur hac ſolum intentione præciſa, vt poſſit extra ſua Diœceſim abſolui à reſeruatis ſuo ordinario.

DIFFIC. XI.

Dico primo migrantem in alteram Diœceſim domiciliũ ibi acquiſiturum, poſſe abſolui a reſeruatis Epiſcopo Diœceſis, in qua prius manebat, à quocunque Confeſſario, modo eadem non ſint reſeruata Epiſcopo illius Diœceſis, ita communiter; quia vnuſquiſque iudicandus eſt iuxta praxim loci, in quo quis commoratur, nec iudicans tenetur ſcire praxim loci, in quo commiſſum fuit delictum, ita à pari de Confeſſario, qui non tenetur ſcire reſeruata alterius Diœceſis, ſed poteſt abſoluere iuxta praxim Diœceſis, in qua eſt.

Dico ſecundo, quod licet *Graff. 1. part. libr. 1. cap. 15. Nauar. cap. placuit de pænit. diſtin. 6. num 63. Megala in cap. 1. li. 1. cap. 10. num. 14 Sotus in 4. diſtinct 18. quæſt. 4. art. 2.* & alij noluerint migrantem in alienam Diœceſim mox reuerſurum ad propriam non poſſe abſolui à reſeruatis ſuo Epiſcopo, quia cum non dicatur mutare domicilium, non dicitur relinquere proprium ſuperiorem, & nouum acquirere; attamen communior opinio eſt, quod ſi caſus ſit reſeruatus vtrique Epiſcopo, poteſt habens authoritatem abſoluere, quod ſi non ſit reſeruatus Epiſcopo Diœceſis, in qua eſt, poteſt abſolui a quocunque Confeſſario iuxta praxim Diœceſis in qua eſt, quia ſicut ibi poteſt pœnitens Confiteri, ita & ibi ſecundum praxim eius Diœceſi abſolui, eſt enim ſubditus illius Epiſcopi, & Parochi loci, in quo confitetur, dum ſe ſubdit eius iuriſdictioni, Sacramentum enim pœnitentiæ eſt Sacramentũ neceſſitatis, poteſt vbique, & quandocunque à pœnitente ſuſcipi, & conſequenter iuxta conſuetudine loci in quo eſt poteſt abſolui.

Præterquam, quod conſuetudo habens vim legis videtur legitimè introducta, quod Confeſſarius habens authoritatem abſoluendi à reſeruatis ſuo Epiſcopo, vel Ordinario, non remittat Peregrinum, vel hominem alterius Diœceſis habentem reſeruata ad Epiſcopum proprium, ſed eum abſoluat. Ita noſter Rodriquez 1. part. cap. 55. Reginaldus, lib. 8. capit. quinto Suar. T. 4 de pœnitent. diſputat. 30. ſect. 1. num. quartu, & alij etenim vt monet noſter Rodriquez loc. citat videtur vnus Epiſcopus habere ratum, quod facit Epiſcopus, vel eius delegatus circa ſubditum ſuum extra propriam Diœceſim; limitandum tamen, modo non habeat excommunicationem reſeruatam publicè, & in foro contentioſo latam, quia ab hac neceſſario remittendus ad proprium Epiſcopum, vel Iudicem, à quo denunciatus eſt excommunicatus Ita communiter. Vide Bonac. de ſacr. pæn. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 1.

Dico tertio Migrantem in alienam Diœceſim habentem peccata reſeruata proprio ergo Epiſcopo; ſi non ſint reſeruata in Diœceſi, in qua confitetur actu, licet Graff. Nauarr. Megala, & alij velint non poſſe abſolui à quocunque Confeſſario eius Diœceſis, attamen probabile admodum videtur, & tutum poſſe à quocunque Confeſſario talis Diœceſis, in qua confitetur, abſolui, patet ex ſupradictis, quia Confeſſarius non tenetur ſcire peccata reſeruata in aliena Diœceſi, & debet in abſoluendo ſequi praxim ſitæ Diœceſis, itaque ſi habeat peccata non reſeruata in Diœceſi, in qua pœnitens confitetur, poteſt licitè abſolui. Ita noſter *Rodriquez, Henriquez, Reginaldus, Suarez, loc. citat. & Homobon. de caſibus reſeruat. part. 1. cap. 2.* & conſequenter.

Dico quarto, quod ſi pœnitens habeat peccata non reſeruata propria Epiſcopo, ſint autem reſeruata Epiſcopo Diœceſis, in qua confitetur, non poteſt Confeſſarius eum abſoluere ſub prætextu, quia non erant reſeruata, quando commiſſa fuerunt, quia pęnitens debet ſequi praxim Diœceſis, in qua confitetur, & ſecundum eam debet abſolui à confeſſario. Ita præcitati Doctores.

Dico quinto, quod ſi quis hac præciſa intentione peregrinaretur extra Diœceſim, vt a reſeruatis proprio Epiſcopo abſoluantur, tunc diſtinguendum videtur, nam vel confitetur cum Regularibus habentibus ex indulto Apoſtolico abſoluendi, quoſcunque accedentes ad eorum Eccleſias, & ſic poteſt abſolui ab iſtis iuxta doctrinam poſitam à quocunque non reſeruato Epiſcopo loci, quod ſi confiteatur non habenti huiuſmodi priuilegium, non poteſt abſolui, quia qui peregrinatur hac intentione non habet licentiam nec tacitam confitendi, cum non ſit verè peregrinus, nec propter negotium iter agat, Regulares autem dicuntur tãquam proprij Sacerdotes habere priuilegiũ reſpectu cuiuſcunque accedentis ad proprias Eccleſias. Ita noſter *Rodriquez, & Felinc. T. 2. de Sacramen. cap. 10. Coninch. diſp. 8. dub. 8. & Diana tract. 3. Miſc. 1. p. reſol. 56.*

Vtrum non valens parti læſæ ſatisfacere poſſit licitè, & validè virtute Bullæ, vel priuilegij à caſibus, & cenſuris reſeruatis abſolui.

DIFFIC. XII.

Negant abſolutè noſter *Corduba tract. de indulgen. quæſt. 43. Ledeſma, in ſumma T. primo tractat. de excommunic. cap. 8. dub. 3. Guttier. qq. canon. libro primo cap. 5. num. 29.* & alij eo ducti fundamento, quia ſolet poni clauſula, ne abſoluatur, niſi parte ſatisfacta, tantum autem valent verba Bullæ, quantum ſonant, ſed rigoroſè ſic abſolutè loquendo opinantur viri docti. Quare

Diſtinguendum puto probabilius, nam pęnitens poteſt in totum, vel in partem ſatisfacere, ſaltem poteſt dare cautionem pignoritiam, vel ſaltem, fideiuſſoriam, vel abſolutè eſt factus impotens ad ſoluendum totum & partem, & ad dandam cautionem pignoritiam, & fideiuſſoriam, ſi ergo pęnitens poteſt in totum, vel in partem ſatisfacere, illicitè, & inualidè abſoluitur, niſi prius ſatisfecerit iuxta tenorem Bullæ, quod etiam dicendum eſt, ſi non poſſit in totum, nec in partem ſatisfacere, & habeat pignus æquiualens toti, vel ſaltem parti, nec validè, nec licitè abſoluitur, niſi tradat tale pignus, ſimiliter ſi non habeat pignus, & habeat facilè fideiuſſores, eos præſtet antequam abſoluatur, aliter inualidè, & illicitè abſoluitur, quia ergo vnuſquiſque tenetur omnia meliori modo

Digitized by Google

ſatisfacere quantum poteſt, & vltra vires nemo obligatur, quod ſi abſolutè factus ſit impotens, quoad totum, partem, & præfatas fide iuſſiones, præſtet fideiuſſionem iuratoriam promittendo ſe ſatisfacturum vbi primum poterit, & ſic licitè, & validè abſoluitur, ſatisfacit enim parti, & Bullæ intentioni, ſi ſatisfacit eo modo quo poteſt, impoſſibilium enim nulla eſt obligatio. leg. impoſſibilium ff. de regul. iuris.

Adde, quod ſi habeat vnde ſatisfaciat, & abſolutè non poteſt ſatisfacere ſine graui detrimento famæ, vel ſtatus, vel ſuorum bonorum vendendo ea vilius, poteſt etiam abſolui, modo creditor non patiatur æquale damnum, quia ſi patiatur æquale damnum probabilius eſt, vt debitor ſua perdat temporalia, & parcius veſtiat, & alat ſe ſe ſuoſque vt ſatisfaciat creditori æquale damnum paſſuro, niſi ipſi ſatisfiat. Ita ex noſtro *Rodriquez 1. part. cap. 83. num. 3. Nauarr. in Manu. capit. 29. num. 45. Vaſquez T. 4. tractat. de excommunic. dub. 20. Fillucc. T. 1. primo tractat. 11. cap. 9. Auila de cenſur. part. ſecunda capit. 7. dub. 3. Sanchez T. 1. oper. moral. libro ſecundo cap. 20. Bonacin. diſputation. 1. de cenſur. quæſt. 3. part. 9. num. 41. Reginald. lib. 9. num. 65. Conínch. diſp. 14. dub. 6. & alij.*

Nec valet, quod in Bulla ponatur clauſula (ſatisfacta parte,) quia vel vt aiunt aliqui ex citatis Doctoribus ibi Papa ſolum monet Confeſſarium de ſuo munere, & obligatione, non autem limitare intendit poteſtatem. Ita Sanch. & Auila loc. citat.

Vel dic, quod Papa intendit ſanè limitare poteſtatem, vt non abſoluatur niſi parte ſatisfacta, ſed intellige niſi prius ſatisfacta parte eo modo quo poteſt, aliter contra charitatem ſaltem excluderentur impotentes, quod de Papæ, & Sanctæ Matris Eccleſiæ non eſt præſumendum pietate, & benignitate.

Præterquam, quod ipſa pars debet remanere ſatisfacta, ſi Debitor facit quantum poteſt, vt ſatisfaciat, quod ſi vltra vires requirit, eſt irrationabiliter inuita, & in hoc caſu præſumptione iuris dicitur pars verè ſatisfacta, itaque licitè, & validè abſoluitur, dum ſatisfacit eo modo, quo poteſt ſaltem per iuratoriam cautionem de ſatisfaciendo vbi primum occaſio ſibi fuerit obuia.

Denique in hac difficultate illud etiam aduertendum puto, quod quando Pontifex in Bulla ponit clauſulam, niſi prius ſatisfacta parte, non ſolum intelligitur de rebus temporalibus reſtituendis, ſed etiam de ſatisfacienda parte reſpectu honoris, & famæ læſæ; iniuria enim tollenda eſt, & ſatisfacienda eo modo, quo fieri poteſt, aliter abſolutio nulla; quod aduertant diligenter Confeſſarij, nedum alios illicitè, & inualidè abſoluunt, ſe ipſos laqueo æternæ damnationis deuinciant.

Vtrum Prælatus petenti concedens vt cuilibet ex approbatis à ſe confiteatur, vel Parocho facultatem faciat audiendi peccata omnium ſubditorum ſuæ Parochiæ intelligatur conceſſiſſe licentiam ſuper peccata ſibi reſeruata, quid ſi facultatem ſuper iſta concedens dicatur conceſſiſſe etiam licentiam abſoluendi à cenſuris.

DIFFIC. XIII.

Dico primo, quod certum mihi videtur ſi Prælatus concedat alicui poſſe confiteri cuicumque à ſe approbato, modo non foret ab ipſo impeditus, ne cuicunquam confiteatur ſine ſua licentia, concedere conſequenter vt à ſibi reſeruatis poſſit abſolui, ſicut etiam concedens Parocho, vt omnes ſuos ſubditos abſoluere queat, concedere etiam videtur vt poſſit eos à caſibus ſibi reſeruatis abſoluere, aliàs in vtroque caſu fruſtratoria eſſet conceſſio, & nihil operaretur, & quoad Parochum expreſsè docet Graff. libr. 1. deciſ. aur. cap. 13. num. 68. eadem autem ratio militat etiam in dicto caſu, licet Suarez T. 4. diſputat. 30. ſect. 1. numer. 4. id negare videatur de Epiſcopo concedente, vt cuilibet approbato confiteatur, quia in generali Conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialiter eſſet conceſſurus ex cap. ſi Epiſcopus de pœnitent. & remiſſione, attamen in hoc caſu non eſt generalis Conceſſio, ſed ſpecialis, nam ſi pœnitens quilibet ſaltem ex tacita Parochi licentia, vel conſuetudine generali legitimè introducta poteſt cuilibet approbato confiteri, quia approbans Epiſcopus non Parochum audiendi Confeſſiones ſubditorum ſuæ Diœceſis, dat etiam virtualiter authoritatem cuilibet confitendi ſua peccata approbato, nulla eſſet generalis Conceſſio Epiſcopi facta tali pœnitenti aliundè non impedito, vt poſſit cuicumque approbato à ſe confiteri, niſi ſpecialiter intendat indulgere, per talem Conceſſionem, vt à ſuis reſeruatis abſoluatur.

Quod ſi concedunt licentiam, vt cuicunque approbato etiam ab alio Ordinario, quia tunc Conceſſio aliquid operatur, atque adeo non eſt intelligenda de peccatis reſeruatis.

Dico ſecundo, quod concedens licentiam ſuper ſibi reſeruatos caſus non intelligitur concedere licentiam abſoluendi à cenſuris, quia cum ſimus in materia odioſa, ſtricta facienda eſt interpretatio, caſus autem in ſtricta ſignificatione peccata propriè dicuntur à cadendo; tanto minus intelligitur dare licentiam diſpenſandi in irregularitatibus, & votis. Ita communiter.

Verum eſt tamen, quod ſi Epiſcopus, vel quilibet ordinarius concedat actiuè, vel paſſiuè totam ſuam authoritatem abſoluendi, tunc intelligitur data authoritas etiam à cenſuris, à quibus ipſe poteſt delegare facultatem abſoluendi, verba enim Principijs in Conceſſione non debent eſſe fruſtratoria, ſed aliquid operari debent, hæc autem verba extra ordinaria in concedendo debent aliquid operari vltra ordinarium modum concedendi.

Adde, quod probabile puto, quod ſi Epiſcopus, aut quilibet Ordinarius Prælatus concederet totam ſuam authoritatem in foro poli cuicumque paſſiuè, vel actiuè non ſpecificando authoritatem abſoluendi, ſed ſolum ſimpliciter totam ſuam authoritatem in foro conſcientiæ tribueret, intelligeretur Conceſſiſſe authoritatem abſoluendi, & diſpenſandi etiam in irregularitatibus, & votis, in quibus ipſe poteſt, cum enim Ordinarius non ſe reſtringat ad abſolutionem ſolam, debet contra ipſum fieri interpretatio, qui potuit apertè concedere, & non conceſſit, quod abſolutè etiam diſpenſandi facultatem tradidiſſe intenderit.

Vtrum Papa concedens facultatem abſoluendi à peccatis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, det quoque facultatem abſoluendi à caſibus Epiſcopo reſeruatis, & an etiam à reſeruatis in Bulla Cœnæ.

DIFFIC. XIV.

Diſtinguendum putant multi quoad primam partem quæſtionis, nam vel in Bulla, vel priuilegio datur merè facultas ſub his verbis abſoluendi à caſibus, vel peccatis Sedis Apoſtolicæ, vel nobis reſeruatis, & ſic non datur facultas abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo, quia cum ſimus in odioſis non debet fieri extenſio vltra proprietatem verborum, vt ſæpè ſæpius dictum eſt. In hoc fortè ſenſu locuti ſunt multi viri Docti.

At vero ſi detur facultas ſub his verbis abſoluendi ab omnibus peccatis etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, licet noſter *Coriolanus de caſibus reſeruat. part. 1. ſectio. 3. articul. 15. & Bonacin. diſputatio. prima de cenſ. quæſtion. 3. part. 1. num. decimo.* videantur negare per iſta verba dari facultatem abſoluendi ab Epiſcopo reſeruatis, attamen probabilius affirmant alij, nam in iſto modo loquendi datur facultas vniuerſaliter à peccatis abſoluendi à Papa, qui etiam poteſt ſuper reſeruata Epiſcopo, & per ly etiam tanquam particulam ampliatiuam extenditur facultas ad peccata reſeruata Sedi Apoſtolicæ, ita vt faciat hunc ſenſum datur facultas abſoluendi, ab omnibus peccatis non ſolum Epiſcopis, verum etiam Papæ reſeruatis, ſecus inanis eſſet illa particula, & nihil operaretur, ſi dum maiorem reſeruationem tollit, non tolleret minorem quoque. Ita noſter Rodriquez *loc. citat. & Henriquez libr. 6. cap. 14. Nauarr. cap. 27. num. 261. & in c. quorundam de iudic. notab. 11. num. 71. Tolet. l. 3. c. 14. Eman. Sà V. caſus reſeru. nu. 3. & Tannerus* T. 4.

T.4. diſputat.6. quæſt.9. dub.4. teſtatur ita declaratum fuiſſe à *Sacra Congregatione circa ſeſſ.14.c.7.& can.11. de ſacr.pœnit.* Tu vero in hac difficultate vide etiam, quæ dicturi ſumus V. cenſura difficultate 67.

Quoad ſecundam vero partem difficultatis Communius Doctores negant in generali Conceſſione abſoluendi à reſeruatis Papæ, venire facultatem abſoluendi à reſeruatis in Bulla, quin in generali Conceſſione non veniunt ea, quæ indigent ſpeciali expreſſione, de ſtylo autem Curiæ caſus reſeruati in Bullæ Cœnæ non veniunt, niſi exprimantur ſpecialiter, præterquam quod in decreto Clementis Octaui de reſeruatione, quod incipit Sacra Congregatio, præcipitur ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda, vt nullus audeat ſub prætextu cuiuſcunque priuilegij abſoluere à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, ergo quando conceduntur dicti caſus, debent ſpecialiter exprimi ex quibus.

Collige, quod data facultate abſoluendi à caſibus in Bulla Cœnæ contentis, non dari facultatem abſoluendi ab Hæreſi etiam occulta, quia de ſtylo Curiæ eſt ſpecialiter apponere, quando datur facultas abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ, hanc clauſulam amplificatiuam, (etiam ab Hæreſi occulta, & ita declaratum fuiſſe à Gregorio decimotertio, & à Pio Quinto, vt teſtatur noſter *Rodriquez in addition. ad Bullam Cruciata §.9. numer.66. ita etiam ſentiunt Nauarr. & Henriq. loc. cit. & Homobon. de caſ.reſeru. p.1.c.5.* dicit eſſe communem opinionem.

Quare certiſſimum etiam eſt, quod in Conceſſione abſoluendi etiam ab Hæreſi, intelligitur ſolum de occulta, nam de manifeſta ſpectat cognitio, & abſolutio ad Tribunal Sancti Officij.

Vtrum qui oblitus eſt confiteri caſum reſeruatum cum habente authoritatem, poſſit deinde abſolui à non habente authoritatem. Quid ſi confeſſio cum habente facultatem abſoluendi à reſeruatis fuerit inualida.

DIFFIC. XV.

DIſtinguendum puto, quoad primam partem, nam vel habens authoritatem abſoluendi à reſeruatis intendit à peccatis omnibus reſeruatis etiam oblitis abſoluere expreſsè, vel ſaltem virtualiter, puta quia non habuit intentionem contrariam ideſt non abſoluendi ea, quæ non confitetur actu, & in hoc caſu, licet *Sayr. de pœnitent. cap. 16. numer. 9. Suar. de pœnitent. T.4. diſputat.31. ſectio.4. Vaſquez 3. part. quæſt.91. artic.3. dub.5. & Bonacin. de Sacrament. diſputat.6. quæſt.7. par.5.§.1.* negent poſſe deinde hunc abſolui à quolibet Confeſſario, putantes requiri expreſſam intentionem in habente authoritatem abſoluendi à reſeruatis etiam oblitis,

Attamen alij communius, & probabilius affirmant oblitum confiteri reſeruata cum habente authoritatem intendente abſoluere ſaltem virtualiter à reſeruatis, licet expreſſam in abſolutione non habuerit intentionem, attamen expreſsè non habuit contrariam intentionem, poſſe ab alio deinde Sacerdote non habente authoritatem à reſeruatis cũ in mentem venerint, præfata reſeruata oblita abſolui licitè, & validè. Ita noſter Angel. *Verbo confeſſio 1. §.11. Rodriquez 1. par. cap.55. Syluest. verb. confeſſio 1. quæſt. 4. Coninch. T.2. de ſacram. diſput.8. Reginald. T.1. lib.8. cap.7. Molfeſ. T.1. tractat.7. cap.21. Filiuc. tractat.8. num. 280. Couarr. in cap. Alma mater par.1.§.10. num. 12. Henriquez lib.6.cap.16.* & alij. Quod mihi perſuadetur primo, quia abſoluens ab omnibus peccatis, intendit tollere quodcunque obſtaculum potens remouere à gratia danda, ergo habens authoritatem abſoluendi à reſeruatis intendit pœnitentem abſoluere à quocumque reſeruato, quod poſſet obſtaculum afferre à conſequenda gratia, Secundo, quia abſolutio datur etiam iuxta intentionem petentis, ſed petens abſolutionem intendit abſolui à quocumque reſeruato etiam oblito, quia intendit à ſe remouendum omne obſtaculum, & omne onus quantum poſſibile eſt, & ita intendere quemcumque prudentem, & pium Confeſſiones ſuſcipientem eſt omnino præſumendum, alias non fungeretur munere ſuo tollendi à pœnitente obſtacula à gratia conſequenda.

Immò ſi pœnitens habuit iuſtam, & legitimam cauſam tacendi peccatum reſeruatum cum Confeſſario habente authoritatem, etiam poſſe deinde abſolui ab alio non habente authoritatem volunt. Homobon. tractat. quinto Examin. Eccleſiaſt. quæſt. 37. & idem ſentit de irregularitate omiſſa ex obliuione. *Maiol. libr. 5. de Irregul. cap. 51. Nauarr. cap.26. num.13. Sanchez lib.8. de matrim. diſputatio. 15. & lib.4. in ſumm.cap.14. num. 37.* & alij, & probabiliter quidem, quia dum habuit iuſtam cauſam tacendi, perindè eſt ac ſi illud confeſſus fuiſſet, cum indirectè etiam ab illo ſit abſolutus, ergo aufertur reſeruatio per indirectam abſolutionem, ſicut per indirectam abſolutionem ab oblitis tollitur reſeruatio oblitorum.

Quod ſi habens authoritatem à reſeruatis abſoluendi expreſſam habeat intentionem abſoluendi ſolum peccata reſeruata actu confeſſa, non autem ea, quorum oblitus eſt pœnitens, vel iuſtè tacuit; ſanè indiget denuo, vt ab alio habente authoritatem abſoluatur, quia conſtat de intentione abſoluentis fuiſſe, non tollere reſeruationem ab ipſis reſeruatis non confeſſis actu.

Diſtinguendum etiam eſt quoad ſecundam partem, nam vel Confeſſio fit tempore Iubilei, & tunc quia abſolutio à reſeruatis datur ad conſequendam gratiam ſimpliciter ſi Confeſſio ſit inualida ex defectu attritionis, vel integritatis, vel aliud obſtaculum eſt etiam inualida quoad reſeruata, cum enim pœnitens non intendat præſentis Iubilæi, conditionem adimplere, nec poteſt eius priuilegio gaudere, conceditur enim abſolutio à reſeruatis, vt facilius omnes indulgentiam conſequentur, qui autem propter obicem quem ponit in facienda inualida Confeſſione, non conſequatur indulgentiam, nec priuilegio abſolutionis in poſterum vti valebit. Ita ex noſtro Rodriqu. & Reginald. Suar. & Coninch. loc. cit. Homobon. tract. de caſ. reſer. p.1. & alij communius.

At vero ſi inualidam faciat Confeſſionem coram habente Ordinariam poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, & peccata reſeruata coram ipſo aperiat, quia iam pœnitens functus eſt ſuo munere ſe præſentandi, & confitendi de ipſis reſeruatis coram legitimo Superiore, iam per eius abſolutionem ablata eſt reſeruatio, debet tamen ea iterum confiteri cum inferiori, & fictionem aperire, & pœnitentiam impoſitam exequi. Ita ex noſtro Rodriquez cap.55. 1.part. Caietan. in ſumm. Verb. caſ.reſer. Vaſq. T.4 q 91. ar.3. dub. 5. & alij.

Quam etiam doctrinam extendit Vaſquez, quando quis Confeſſionem inualidam facit cum habente authoritatem delegatam abſoluendi à reſeruatis, modo cum ipſo Confiteatur reſeruata, quod tollatur reſeruatio, & poſſit deinde à quocunque abſolui propter eandem rationem, quia iam ſatisfecit ſuæ obligationi confitendi ea habenti authoritatem, ergo per hunc actum iam ablata eſt reſeruatio; debet tamen omnia poſtea peccata etiam reſeruata alteri confiteri, fictionem exponere, & pœnitentiam habitam explicare, vt inferior ſequatur iudicium Superioris, obligetque pœnitentem ad eam implendam, quam ex inualida abſolutione non teneretur exequi.

Cæterum ſi quis faciens Confeſſionem inualidam obliuiſceretur confiteri peccata reſeruata coram habente authoritatem, non poſſet deinde eorum abſolutionem à non habente authoritatem conſequi, quia ab illis neque directè, neque indirectè abſolutus fuiſſet, & dolus nemini debet patrocinari, & maximè in tanto Sacramento.

Vtrum reſeruatio caſuum extendenda de caſu ad caſum, de Dubio ad certum, ad ſtrictam conſuetudinem, & an extra Territorium reſeruantis.

DIFFIC. XVI.

DIco primo, quod caſuum reſeruatio cum habeat rationem pœnæ, tanquam odioſa reſtringi debet, ideo non eſt extendenda de caſu ad caſum, quare in ipſa non ſpectatur paritas rationis, nec argumentum à ſimili, nec ab æquipollenti, immò nec à maiori; hinc non valet

Digitized by Google

ſi arguatur, legens librum Hæretici claſſici in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidit, ergo audiens eundem Hæreticum prædicantem tanto magis incurrit in eamdem excommunicationem reſeruatam, negatur enim hæc conſequentia, quia in reſeruatione non fit extenſio de caſu ad caſum etiam ſtante maioritate rationis. Ex quo

Collige etiam, quod ſi reſeruatur homicidium, non reſeruatur mandatum, vel Conſilium de eodem, niſi exprimatur, item ſi reſeruatur Iuramentum falſum, debet intelligi de iuramento falſo valido, non autem inualido. Ita etiam Nald v. caſu reſeru.n.11.

Dico primo, quod ſi quis dubitet an incurrerit in peccatum reſeruatum nec ne, probabile puto cum Sanchez in Decalog. lib.1 cap.10. num.79. quod poteſt tenere ſe non incurriſſe in reſeruatum, maximè ſi reſeruans planè, & clarè ſuam intentionem non manifeſtauit & ſi dubium non ſit iuris, ſed facti. vide quæ infra v. Dubium dicenda ſunt, & V. conſcientia etiam formaſſe.

In cenſuris tamen Bullæ Cœnæ ſi caſus ſit dubius communius nolunt, quod ſit comprehenſus in prohibitione abſolutionis, & in excommunicatione, quæ incurritur pro manuum violenta iniectione in Clericum, ſi dubium ſit enormis ne, an mediocris ſit percuſſio, enormis communius cenſetur, tu vero vtere doctrina loco modo citato.

Dico tertio, quod caſus reſeruatus ſub conditione, vel clauſula conſuetudinis, communius Doctores interpretandum putant, quod duo actus peccaminoſi faciant conſuetudinem, atque adeo inducant reſeruationem, quando aliud non ſtatuitur a reſeruante; an vero actus duo iudicialiter noti, an vero ſolum extraiudicialiter inducant conſuetudinem, non deſunt Iuriſtæ clariſſimi volentes ſolum binos actus deductos ad forum contentioſum, & in eo iudicatos inducere, conſuetudinem, non autem binos actus ſimpliciter; Tu vero in hac controuerſia tutius mentem reſeruantis perquire, ſi caſus ſit reſeruatus ab homine, quia fortè dulcius reſpondebit plures actus requiri ad dicendum peccatum conſuetudinarium, ſi vero ſit à iure conſule Doctorum antiquam praxim, quæ fortè à voluntate reſeruantis erit introducta, durum enim videtur, quod ſolum duo actus faciunt peccatum conſuetudinarium in foro conſcientiæ; niſi fortè fuerint actus habituati pluribus actibus æquipollentes.

Dico quarto, quod an reſeruatio caſuum afficiat extra Territorium reſeruantis diſtinguunt aliqui volentes reſeruationem peccati abſque cenſura excommunicationis ligare ſubditum etiam extra Territorium, quia ad illam requiritur ſolum iuriſdictio fori interni, quæ ſequitur ſubditum vbique, at vero ad excommunicationem cum requiratur iuriſdictio fori externi, reſeruatio ipſius excommunicationis non ligat extra Territorium, Ita Naldus verbo caſus Reſeru.

Verum quicquid ſit de hac doctrina, certum eſt committentem peccatum reſeruatum ſuo Ordinario extra ipſius Territorium, quod non ſit reſeruatum Ordinario loci in quo peccat, poſſe abſolui à Confeſſario loci, vbi peccat, ſi vero redeat ad proprium locum, in quo reſeruatur Ordinario, non poteſt abſolui à Confeſſario non habente authoritatem, quia reſeruatio afficit peccatum actiuè, & paſſiuè, ſcilicet vt non poſſit abſolui, nec Confeſſarius poſſit abſoluere, & hæc eſt certa praxis, vt ſupra dictum eſt.

Vtrum Pœnitentiarius, vel ſuperior localis habens authoritatem ab Ordinario abſoluendi à reſeruatis, poſſint eamdem authoritatem alteri ſimplici confeſſario delegare.

DIFFIC. XVII.

Dico primò, quod certum eſt apud omnes nec Pœnitentiarium, nec Superiorem localem poſſe totam ſibi tributum facultatem abſoluendi à reſeruatis alteri delegare, quia ad abſolutionem generalem a Reſeruatis eligi ſolet induſtria Perſonæ qualificatæ, quæ præſumatur à Reſeruante recta, & diligenti prudentia ſua generali authoritate viſura, quam certè alteri, vel pluribus indifferenter ſanè non committeret, ergo non datur Pœnitentiario, vel Superiori locali generalis authoritas abſoluendi à Reſeruatis, vt eam indifferenter omnibus concedere valeat; præterquam quod nimis vileſceret authoritas reſeruatorum, ſi Pœnitentiarius, vel Superior, cui data eſt authoritas abſoluendi à reſeruatis, poſſent eam ad libitum alijs communicare, immò incentiuum præberet in reſeruatis delinquendi, quia authoritas à reſeruatis abſoluendi indifferenter conceſſa facilitatem præberet veniæ, quæ incentiuum ſolet eſſe peccata committendi.

Dico tamen ſecundo, quod probabile eſt Pœnitentiarium, vel Superiorem localem cui commiſſa eſt authoritas generalis a reſeruatis abſoluendi, poſſe pro vna vice ſola Confeſſario petenti authoritatem abſoluendi à reſeruatis concedere, vt ab vno, vel duobus oretenus ſibi explicatis, poſſit abſoluere. *Ita Ricc. in prax. for. Eccleſiaſ. part. 1. reſolutio. 419.* Molin. *de iuſtit. tractat. quinto diſputatio. 15. Sanchez. de matrimon. T. 1. lib 3. diſputatio. 31. Homobon. de caſ. Reſeruat. part. prima cap. 1. & Diana tractat. 17. Min. part. 3. reſolut. 13. & alij*, quod potiſſimum credo verum ex pia interpretatione benignæ mentis Reſeruantis, qui poteſt præſumi in auditis caſibus pro vna vice velle ſuam authoritatem poſſe ſubdelegari à perſonis, quas prudentes in hoc genere agnouit.

An reſeruatio caſuum ceſſet in loco per aſſumptionem eius Epiſcopi ad Summum Pontificatum.

DIFFIC. XVIII.

Variant in hac difficultate Doctores, negant enim ceſſare reſeruationem, quia in eodem loco non amittit iuriſdictionem, quam habebat, ſed per aſſumptionem ad Papatum ampliatur authoritas per totum Mundum, argumento deducto, quod Senator factus Imperator adhuc remanet Senator, vt dictum eſt V. Baro, & Notarius factus doctor non perdit priuilegium Notariatus.

Alij autem volunt ceſſare reſeruationem, quia verè ibi ceſſat eſſe Epiſcopus, & verè dicitur vacare in hoc caſu Sedes Epiſcopalis, & ea præſumpta ſaltem benigna mente Pontificis non videtur iniuriam velle irrogare ordinariæ iuriſdictioni ſui ſucceſſoris Epiſcopi. Attamen

Dicendum puto in hoc caſu, quod ſaltem vſquequo ſucceſſor non acquirat iuriſdictionem durare reſeruationem, quia non vacat ſimpliciter Sedes Epiſcopalis per aſſumptionem Epiſcopi ad Papatum propter rationes primæ opinionis, poſt prouiſionem vero ſucceſſoris Epiſcopi poſſet probabiliter aſtrueri ſecunda opinio.

Tutius tamen cum Naldo Verbo caſus Reſeruati conſulerem ſucceſſorem Epiſcopum, vt Papam de hac reſeruatione certiorem faciat, eiuſque Conſilium ſequatur, ita enim & Reſeruantis dignitati, & prudentiæ, & ſucceſſoris Epiſcopi conſcientiæ videtur apprimè factum ſatis.

Vtrum Metropolitanus poſſit abſoluere à caſu, quem Epiſcopus ſuffraganeus Papæ reſeruauit.

DIFFIC. XIX.

Negant aliqui, quia reſeruatio facta Papæ tranſit in ius Papæ, qui eſt Superior Metropolitani, vnde ſicut Epiſcopus ſuo iure ſe ſpoliat, & ad Pontificem illud tranſmittit, ita etiam indirectè eo priuatur eius Metropolitanus. Ita Campanil. in diuerſ. canon. rubr. 11. & 15. & alij.

Attamen probabilius, autumo dicendum cum alijs Metropolitanum in Viſitationis actu poſſe abſoluere ab eo caſu, quem Epiſcopus proprio Marte Papæ reſeruauit, nam Epiſcopus potuit renunciare iuri ſuo, ſed non iuri ſui Superioris, qualis eſt Archiepiſcopus ſuus in actu Viſitationis, quare licet ipſe à tali caſu nequeat abſoluere, quia ſua ſe authoritate priuauit, poterit tamen Archiepiſcopus eius Superior in actu Viſitationis ſicut poteſt à quocumque alio peccato Epiſcopo reſeruato, ſicut enim Clericus non poteſt renunciare iuri Clericali in præiudicium ſui ordinarij, ita nec Epiſcopus poteſt renunciare iuri in præiudicium

Archie-

Archiepiſcopi. Ita Ioan. Mar. Nauar. apud Dianam tract. 4. de ſacram. reſol. 58.

Aduerte etiam hic, quod licet Epiſcopus non reſeruatum poſſit Papæ reſeruare in ſua Diœceſi, non tamen poteſt ipſe vt malè vidi in aliqua Diœceſi practicatum, ſoli Papæ reſeruatos caſus ſibi reſeruare. Ita etiam habetur ex declaratione Sac. Congregationis apud Quarantam verbo caſ. Reſeruati nu. 4.

An vero ſi idem caſus ſit reſeruatus Epiſcopo, & deinde fiat reſeruatus Papæ, tollatur reſeruatio Epiſcopi, ſi Papa abſoluendi ab eo præbeat facultatem; affirmandum puto cum Suarez T. 4. diſputat. ſecunda ſect. prima, quia Papa inuoluit ſecum authoritatem Epiſcopi, ergo tollit etiam reſeruationem Epiſcopi.

An Vicarius generalis poſt acceptam authoritatem à ſuo Epiſcopo ſubdelegandi licentiam abſoluendi à reſeruatis, ſi in reſeruatum deinde incidat poſſit per talem authoritatem alteri Sacerdoti ſubdelegatam ab illo abſolui.

DIFFIC. XX.

Rigide nimis videtur negare præcipuè *Graff. appendic. ad deciſio. aur. lib. 3. cap. 8.* ex præſumpta mente Epiſcopi, qui interrogatus ſi fuiſſet in tali caſu, non dediſſet ei talem authoritatem ſubdelegandi pro ſe ipſo, ne daret ei occaſionem peccandi faciliorem, quam doctrinam ampliat Graff. ibi ad alium Superiorem accipientem authoritatem à ſuo Prælato ordinario ſubdelegandi aliis licentiam abſoluendi à reſeruatis, quod non poſſit ſubdelegare, ſi ipſe incidat in reſeruatum, vt poſſit ab alio abſolui.

Attamen benignius, & rationabilius dicendum puto cum alijs, poſſe Vicarium, & præfatum Superiorē vti tali authoritate accepta ſubdelegandi licentiam abſoluendi à reſeruatis etiam in fauorem ſui ipſius, ſi incidat, etenim ſicut Epiſcopo incidenti in Reſeruatum Papæ, à quo poteſt virtute Concilij Tridentini abſoluere ſuos ſubditos, eam etiam ſubdelegare, licet ex declaratione Sacr. Congregatio. eam alteri delegare vt ipſe abſoluatur, ergo etiam à pari dicendum de ſuo Vicario, & de Superiore in præfato caſu.

Immò ſi quis peteret ab Epiſcopo authoritatem abſoluendi à reſeruatis non ſpecificando perſonas aliquas, ſed indifferenter pro perſonis indigentibus poſſet etiam ipſe vti tali authoritate paſſiuè, ſi indigeret, quia Ordinarius dans authoritatem abſoluendi à reſeruatis ſibi abſque vlla reſtrictione, intelligitur eam dare actiuè, & paſſiuè, ſecus ſi pro aliquibus determinatis ſuam authoritatem impartiretur ſolum, quia tunc intelligitur ſolum actiuè tradere, cum ſub ſpecificatis perſonis non veniat fauor accipientis poteſtatem, bene tamen in generalitate perſonarum, cum ipſe non ſit peioris conditionis, quam alij. Hanc opinionem puto tutè practicari poſſe tum propter adductam rationem, quia fauores ſunt ampliandi; & benignè debet in tali caſu interpretari voluntas concedentis, tum etiam, quia eam ſequuntur graues Doctores. Ita enim docent noſter Villalobos *T. 1. tractat. 9. diff. 64. Ledeſm. de offic. & poteſtat. confeſſ. To. 2. recollect. 6. fin. de caſu reſeru. par. 1. cap. 13. Vgolin. de poteſ. Epiſc. Nald. & Sà V. caſ. reſeru. Suar. Henriq. Ricc. Sanchez, & Belletus, quos citat, & ſequitur Diana part. 4. tractat. quarto reſolut. 108.*

Quare noſter Villalobos, & Ledeſma putant Prælatum præcipuè Regularem concedentem authoritatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis ſine vlla reſtrictione intelligi debere præbere eam actiuè, & paſſiuè, quod probabile exiſtimo, ſi petens habeat intentionem eam actiuè, & paſſiuè conſequendi, quod ſi ſpontè Prælatus hanc ei largiatur authoritatem, poteſt vtique probabiliter etiam cum præfatis Doctoribus ſupponi data actiuè, & paſſiuè.

Admonitos hinc volo Prælatos Regulares præcipuè, quod ſtante dicta opinione probabili in concedenda tali authoritate ſuam intentionem aperiant, quando nolint eam paſſiuè conſequendam.

Vtrum quis poſtquam habuit authoritatem, vt abſoluatur ab aliquo reſeruato, incidit denuò in eundem antequam vtatur dicta authoritate, poſſit ab vtroque abſolui ex præfata habita licentia.

DIFFIC. XXI.

Diſtinguendum puto, nam vel abſolutè accepta fuit authoritas abſolutionis à reſeruatis abſque vlla conditione promiſſionis de non recidiuando in futurum, & in hoc caſu dicendum ex præſumpta mente benigni, ac pij Prælati poſſe abſolui per eamdem authoritatem etiam ab eo peccato reſeruato commiſſo poſt habitam licentiam. Ita infra citandi Doctores.

Quod ſi accepta fuit authoritas cum antepoſitione ſecuritatis à periculo relabendi, licet Præpoſitus in 3. p. D. Thom. q. 9. de Reſeruatione caſ. dub. 4. & Diana p. 4. tract. 4. reſolut. 109. velint etiam poſſe vti tali authoritate putantes huiuſmodi authoritatem non poſſe dari conditionaliter ſed abſolutè, attamen probabilius dicerem, non poſſe vti tali authoritate relabentem in idem peccatum ſi accepit authoritatem cum conditione talis ante poſitionis ſecuritatis à periculo relabendi, quia antequam vtatur dicta authoritate iam conditio non eſt ad impleta, & conſequenter ceſſat voluntas Prelati concedentis talem authoritatem, & præſumendum eſt eam nolle concedere ita procliui ad committendum reſeruatum, quod autem talis authoritas non valeat dari conditionaliter ante abſolutionis beneficium acceptam, falſum eſt, benè tamen verum, quod non poteſt impartiri abſolutio cum tali conditione cum peccata non valeant abſolui conditionaliter, vt aliàs dictum.

Vtrum habens caſum reſeruatum ſi in neceſſitate communicandi, vel celebrandi non habeat aditum ad habentem authoritatem abſoluendi, debeat, & poſſit cum ſimplici confeſſario integrè confiteri, vt validè ab eo abſoluatur.

DIFFIC. XXII.

In hac celebri difficultate varia ſunt Doctorum placita, quorum ſingula, quæ probabilitate nituntur adducam, vt vnuſquiſque iuxta illam opinionem, quæ ſibi magis videbitur opportuna ſuæ conſcientiæ in offenſo conſulat pede. Quare

Dico primo, quod probabile puto cum multis antiquioribus, & recentioribus in caſu quo quis ad vitandum ſcandalum, vel periculum infamiæ, vel alias teneatur celebrare, vel communicare ſi habeat reſeruata, nec ei pateat facilis, & præſens aditus ad habentem authoritatem, non teneatur ad confitendum nec reſeruatas, nec non reſeruata cum ſimplici confeſſario, & ratio eſt, quia debet ſe exiſtimare, ac ſi non haberet copiam confeſſarij, atque adeo actu contritionis præmiſſo cum propoſito confitendi quamprimum cum idoneo cōfeſſario, poterit celebrare, vel communicare in tali caſu.

Nec valet ſi dicatur, quod Confeſſarius ſimplex habet per Epicheiam authoritatem ſaltem indirectam abſoluendi à reſeruatis, ideo dicitur habere copiam Confeſſarij in tali caſu, quia talis Confeſſarius ſimplex non habens authoritatem non eſt verè idoneus Confeſſor hic, & nunc pro talibus reſeruatis, ergo poteſt exiſtimare ſe non habere copiam Confeſſarij, maximè cum non teneatur quis ſequi Epicheiam huiuſmodi cum ſuo incommodo, nam confitens reſeruata cum non habente authoritatem, vt ab eo indirectè abſoluatur, tenetur iterum Superiori, vel habenti authoritatem illa confiteri, bis autem ſua peccata confiteri quis nec iure diuino, nec poſitiuo tenetur. Ita noſter Riccard. in 4. diſtin. 13. *artic. 2. q. 8. ad ſecundam Adrian. q. 4. de confeſſ. Durand. in 4. diſt. 17. q. 16. art. 1. Paludan. diſt. 17. q. 6. art. 1. nu. 4. Sylu. V. confeſſio 1. §. 2. & 3. num. 12. & V. exam. 4. n. 1. D. Antonin. p. 3. Tit. 14. c. 19. & ex recentioribus Vaſq. T. 4. tract. de excom. dub. 4. n. 8. Diana tract. 4. de ſacr. reſol. 104. & alij.*

Dico ſecundo, quod nō videtur improbabile imò practicari etiam poſſe autumo cū noſt. *Alenſi p. 4. q. 18. memb. 4. a. 5. & Soto lect. 10.* de Confeſſione, quod in præfato caſu poſſit pœnitens ſolum non reſeruata confiteri cum contritione de reſer-

reſeruatis implicante propoſitum quamprimam ea idoneo Confeſſario confiteri, ſic enim fit, vt abſolutus, à non reſeruatis directè, indirectè etiam maneat abſolutus à reſeruatis, quod probabile puto, quia confitenti reſeruata, facilè Confeſſarius poſſet denegare abſolutionem omnimodam, & ſic priuaretur abſolutione directa, & indirecta, & cum ſcrupulo celebrandi, vel communicandi abſque præuia Confeſſione remaneret anxius, & perplexus, poteſt ergo exiſtimare ſe non habere Confeſſarium pro reſeruatis, atque adeo ea reticere ſub hac bona fide, vnde Confeſſio licet materialiter non eſſet integra, eſſet tamen integra formaliter, quod ſufficit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ vt dicetur alibi, & verbo Confeſſio infra, hunc opinionem putat etiam probabilem Filiucc. T.1. tract.4.c.7.

Dico tertio, quod probabilius, & tutius putarem tamen omnia peccata tam reſeruatam, quam non reſeruata Confeſſario non habenti authoritatem à reſeruatis abſoluendi, vt abſoluatur ab eo directè de non reſeruatis, & indirectè de reſeruatis cum onere ad ſe præſentandum coram habente authoritatem pro abſolutione, ita enim videtur tutius prouiſum integritati etiam materiali Confeſſionis.

Dices Confeſſarius abſo'uens à reſeruatis abſque authoritate ſpeciali incidit in pœnas decreti Clem. VIII. à Paulo V. etiam confirmati, vt videre eſt apud Quarantam v. caſus reſeruatus, ergo hæc opinio non eſt tuta.

Reſpondeo, quod in illo decreto prohibetur abſolutio directa cum præſumptio ne propriæ authoritatis, non autem indirecta iuxta regulas iuris communis concedentis abſolutionem à peccatis reſeruatis in caſu neceſſitatis cum onere ſe præſentandi ad Superiorem pro abſolutione directa, contra præſumentes enim pœnas infligit decretum, qui autem intēdit abſoluere directè à peccatis non reſeruatis cum onere, vt reſeruata confiteatur cum Superiore, nulla vtitur præſumptione contra decretum Clem. VIII. nec contra authoritatem reſeruantis. Ita *Nald. V.B.C. Bonacin. de ſacr. pœnit. loc. cit. Reginald. lib. 8. cap. 6. Conincb. diſput. 8. de miniſtr. penit. lib. 3. dub. 53. concl. 5. Vega in ſpec. curat. T. 1. cap. 11. & capeauill. de caſ. reſeru. c. 8. & alii.*

An vero ſi caſus reſeruatus habeat excommunicationē reſeruatam annexam poſſit confeſſarius non habens authoritatem in tali caſu neceſſitatis communicandi, vel celebrandi vti etiam præfata opinione s. c. an valeat abſoluere directè à peccatis non reſeruatis, abſque eo, quod præmittat abſolutionem ab excommunicatione reſeruata.

Affirmant Recentiores præcipuè *Suar. T. 4. diſp. 31. ſect. 3. num. 6. Conincb. diſputat. 8. dub. 13. num. 107. Layman tract. 6. cap. 12. Henriqu. lib. 6. cap. 15. num. 1. de Sancto Fauſto de caſ. reſer. l. 8. de pen. q. 10. & alii*, putantes excommunicationem non reddere pœnitentem incapacem abſolutionis, ſed ſolum impedire, ne licitè impendatur abſque præuia abſolutione cēſuræ, quando autem neceſſitas cogit, quod non licet, fit licitum, ſtante ergo periculo infamiæ, & ſcandali neceſſitatus celebrare, vel communicare poteſt abſolui directè à peccatis non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis etiam cum excommunicatione reſeruata annexa, cum onere tamen vt dictum eſt ſe præſentandi quanto citius coram habente poteſtatem abſoluendi, reddere enim tutum pœnitentem ad accedendum cum reuerentia ad ſuſcipiendum tantum Sacramentum poteſt reddere licitum, vt abſque directa abſolutione excommunicationis reſeruatæ præmiſſa, abſolui pœnitens valeat directè à peccatis non reſeruatis Tu vero in hoc caſu vtore doctrina infra afferenda v. Cenſura vel v Excommunicatio.

Vtrum tempore Iubilæi abſolutus à reſeruatis cum anima adimplendi quæ Bulla præcipit, ſi poſtea ea non adimpleat puta non ieiunet, non faciat eleemoſynas, ſicut præſcribitur teneatur peccata dimiſſa iterum confiteri.

DIFFIC. XXII.

Dicendum puto, quod licet noſter *Angles in flor. Theol. qu. 9. parte 1. de confeſſione qu. 3. art. 5. diffi. 2.* teneri hunc in præfato caſu iterum omnia reſeruata confiteri, & *Vsuald. in candel. p. 3. de voto cap. 14. num. 59.* ſolum teneri confiteri iterum cenſuras reſeruatas, in quas putat reincidere non adimplentem, quæ præcipiuntur in Bulla, non autem peccata reſeruata abſque excommunicatione, attamen cum nimis rigidè, & abſque mihi probata ratione videantur loqui.

Negandum videtur teneri iterum peccata, & excommunicationes confiteri, à quibus bona fide abſolutus fuit habens animum verè adimplendi præſcripta ad conſecutionem Iubilæi; quia abſolutio à peccatis non poteſt dari conditionaliter, cum ſtatim abſolutio ritè data in materia diſpoſita abſque obice ſortiatur effectum iuſtificationis, quoad cenſuras vero, licet poſſit dari abſolutio cum conditione, & reincidentia, tamen in hoc caſu confeſſor habens authoritatem abſoluendi ab eis eum qui bona fide vult omnia præſcripta adimplere, abſolutè, & abſque conditione abſoluit, ergo immediatè ſortitur effectum ſuum. Ita etiam noſter *Cordub. l. 5. qu. 21. Rodriq. parte 1. cap. 184. Nauarr. de orat. Miſcell. 59. numer. 129. Henriq. l. 7. c. 11. nu. 4. Bonacin. de ſacr. diſp. 5. q. 7. p. 5. § 1. & diſp. 1. de cenſ. q. 3. p. 6. nu. 13. Sanch. l. 8. de Matr. diſp. 15. nu. 20. & l. 4 Decal. c. 54. n. 44. Suar. T. 4. diſp. 31. ſect. 4. n. 5. & 24. Bellarm. l. 5. de Indulg. c. 10.* Reginald. *l. 8. n. 59. Eman. Sà v. Indulg. verſus finem, & de S. Fauſto de penit. l. 8. q. 45. & alii.*

An vero idem dicendum ſit de votis commutatis in præfato caſu, affirmant noſter Rodriq. loco cit. Nauar. conſ. 19. de pænit. & remiſſ. Suar. l. 6. c. 16. num. 9. Sanch. locis citatis, & Sà v. Abſolutio n. 18. quia abſolutè facta fuit commutatio votorum in tali caſu ſub bona fide, ergo non reuiuiſcunt, ſi poſtea non adimpleantur in Iubilæo præſcripta, quicquid in contrarium velit noſter Angles loc. cit.

Quinam, & quot ſint caſus Papæ vel Epiſcopo reſeruati.

DIFFIC. XXIII.

Dico primo, quod enumerare caſus Papæ reſeruatos requirit integrum fortè nolumen, attamen caſus peculiares, à quibus priuilegiati abſoluere etiam prohibentur ſunt præcipuè omnes excommunicationes in Bulla Cœnæ Domini, & inſuper vt patet ex decreto Sac. Congregationis iuſſu Clementis octaui edito, & à Paulo V. etiam confirmato, vt cernere eſt apud Quarantam V caſus reſeruati, ſunt Immunitatis Eccleſiaſticæ violatio in terminis conſtitutionis felic. recordat. Gregor. XIV. quæ incipit cum alias nonnulli. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem; Prouocatio, & pugna in Duello iuxta decr. Sacr. Concil. Trid. & conſtitut. fæl. record. Greg. XIII. incipientem Ad tollendum. Iniectio manus violētæ in Clericum iuxta canonem ſi quis ſuad. Diab. 17. q 4. iuxta iuris diſpoſitionem. Symonia ab his ſcienter contracta, atque etiam confidentia beneficialis ab his omnibus, & ſingulis caſibus prohibentur abſoluere etiam mendicantes, & alij, quibus ex particulari indulto Sedis Apoſtolicæ licebat à Papæ reſeruatis etiam abſoluere, à cæteris tamen Papæ reſeruatis poſſunt mendicantes, & alij priuilegiati abſolutè, quia in alijs præter prædictos caſus remanent integra priuilegia à Sede Apoſtolica ipſis conceſſa circa abſolutionis à reſeruatis Papæ authoritatem.

Quinam autem, & quot ſint caſus iſti cæteri Papæ reſeruati conſule Angel. noſt. & Sylu. v. caſ. reſeru. & v. excomm. & Nauar. c. 27. n. 15. & Gambarup. de caſ. reſer. c. 5.

Dico ſecundo, quod caſus Epiſcopo reſeruati de iure multi dabantur antiquo tempore, & maximè omnia illa peccata, quæ erant notoriè ſcandoloſa, pro quibus pœnitentia publica imponebatur hodie tamen, quia non eſt in vſu imponere pœnitentiam publicam, nec peccata publica quantumuis ſcādoloſa ſunt reſeruata de iure Epiſcopo, vnde in Concil. Lateran. ſub Leone Decimo præcipitur Confeſſarijs, vt non abſoluant à peccato publico, & ſcandoloſo niſi ſeuera iniuncta pænitentia, quare ſupponit Pontifex non eſſe ex ſe reſeruata, dum quibuslibet confeſſarijs ea abſoluere ſeuera iniuncta pœnitentia indulget. Ita etiam Suar. T. 4. diſp. 29. ſect. 3. nu. 9. Tolet. 3. c. 14. n ... Fagund. l 8. c. 2. n. 7.

Nota etiam, quod Epiſcopi non poſſunt ſibi reſeruare reſtitutionem incertorum ex *ex Sac. Congregat. epiſt. 14. Iunii 1619. apud Gauentum in manu. Pralat. v. caſus reſeru. Lezanam T. 3. q. 9. reg. u. caſus n 31.* Nec poſſunt ſibi, reſeruare caſum de nocte per ciuitatem incedentium & cantantium. ex *Sac. Congreg. 16. Octobr. 1615.* Immò nec eorum qui violant dies feſtos eadem *Sac. Congreg. die 16. Ian. 1615. de quibus Sellius in collect. canon. c. 18. nu. 3.*

Nota quare hodie peccata ea omnia ſolum dicuntur Epiſcopo reſeruata, quæ in tabella, vel alio edito Epiſcopi ſinguli pro eorum libito in ſua quiſqiiuriſdictione proponunt habenda tanquam reſeruatai vel in ſtatutis, & conſtitutionibus Synodalibus ſibi reſeruant.

Excommunicationes item omnes, quæ io Sacr. Canonibus, vel ſynodalibus ſtatutis vel ſpecialibus edictis Epiſcopo reſeruantur, ſicut etiam diſpenſationes ab irregularitatibus, iuramentorum, & votorum relaxationes de iure Epiſcopis reſeruatæ non veniunt propriè ſub nomine caſuum reſeruatorum, vt ea ſuperioribus dictis conſtat, ideo poteſt dici, quod hodie verè non dantur caſus Epiſcopo de iure reſeruati, tanto magis, quia extrauagans ſuper cathedram, in qua quatuor, vel quinque caſus reſeruabantur Epiſcopo reuocata eſt per Clementinam dudum de ſepult. vt notant *Suar. & Fagund. loc. cit.* Ex quibus aduertat confeſſarius, quod Epiſcopus concedens caſus ſibi reſeruatos, non intelligitur concedere abſolutionem ab excommunicationibus, diſpenſationibus irregularitatum, votorum, & Iuramentorum ſibi reſeruatis de Iure ſed ſolum ſimpliciter peccata quæ ſibi reſeruauit abſque cenſura.

Ex qua doctrina deduci poteſt, quod caſus Epiſcopo reſeruati quidam ſunt à iure, vt illi quos in ſynodis vel edictis generalibus per modum ſtatuti, vel conſtitutionis ſibi reſeruant, qui etiam poſt mortem Epiſcoporum non ceſſant, eſſe reſeruati, alij vero dicuntur ab homine, & ſunt illi, quos in Tabellis particularibus ſibi reſeruatos declarant, qui ceſſant eſſe reſeruati poſt eorum mortem.

An vero excommunicationes latæ ſimpliciter in iure Canonico abſque ſpeciali reſeruatione, reſeruentur de iure Epiſcopis, alij aiunt, alij negant, tu vide infra dicenda V. Excommunicatio, vel Cenſura.

Quot, & quinam ſint caſus, quos poſſunt ſibi ſuperiores Regularium reſeruare.

DIFFIC. XXIV.

PRo huius difficultatis reſolutione clariori apponendum duxi verbaliter decretum Clem. VIII. editum 26. Maij 1593. ex quo ſuperiores Regulares, & ſubditi colligent apertè, quid ſibi liceat in hac materia. Tenor autem eſt ille vt habetur apud Quarantam V. Caſus Reſ.

Sanctiſſimus Dominus noſter, qui iam pridem accuratè perpendit, & re ipſa comperit, quod reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pænitentes à peccatis quibuſcumque grauioribus, niſi ſuperiores admodum prudenter, ac moderatè vtantur nonnullos infirmiores qui interdum ſuperiori ſua conſcientiæ maculas detegere formidant, vel ducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem.

Quo circa vt huic malo Sanctitas ſua opportunè prouideret, decreuit, vt nemo ex Regularium ſuperioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet exceptis ijs, quæ ſequuntur, aut omnibus aut eorum aliquot, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

1. Veneficia, incantationes, Sortilegia.

2. Apoſtaſia à Religione ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu conuentus fiat egreſſio.

3. Nocturna, & furtiua è Monaſterio, ſeu conuentu egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta.

4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

5. Iuramentum falſum factum in Iudicio regulari, ſeu legitimo.

6. Procuratio, auxilium, ſiuè conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fætum, etiam effectu non ſecuto.

7. Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij, conuentus.

8. Furtum de rebus Monaſterij, ſeu conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

9. Lapſus carnis voluntarius opere conſumatus.

10. Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ.

11. Malicioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à ſuperioribus ad Inferiores, & ab inferioribus ad ſuperiores.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis capituli in toto ordine, & Prouincialis in prouincia natura diſcuſſione, & conſenſu.

Non liceat ſuperioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſponte, aut proprio motu id ſubditi petierint.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos tres, vel plures confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, ijque ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam Reſeruatorum abſolutio committatur, quando occurrit, in quo eam debere committi ipſe in primis confeſſarius indicauerit.

Dicti ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatorum in confeſſione habuerint ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen ſuperioribus determinare pænitentias graues quibuſdam peccatis etiam non reſeruatis à confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint, atque ita per quoſcumque Regularium ſuperiores, quicumque illi ſint obſeruari mandauit. Non obſtātibus.

Vtrum omnes præfati caſus ſint de iure actu reſeruati, & an ſuperior localis prohibeatur aliquod peccatum ſub excommunicatione ſibi reſeruare.

DIFFIC. XXV.

DIco primo, quod certum eſt ex verbis clare ſonantibus præ adducti decreti non omnes eſſe actu de iure reſeruatos, ſed ſolum eos, quos iudicauerint ſuperiores ſibi actu reſeruare, itaque ſinguli ſingulorum ordinum Regularium videant quos, & quot ex ipſis ſibi ſui ſuperiores reſeruauerint, prohibetur enim ſolum, ne plures quam iſtos enumeratos per ſe ipſos reſeruent, indulgetur tamen, vt pauciores reſeruent in capitulis autem aliquot extra præfatos ex matura diſcuſſione, & conſenſu ipſorum capitulorum poterunt reſeruare.

Dico ſecundo, quod regulariter loquendo præciſo ſ. e. ſpeciali ſtatuto, vel conſtitutione in aliqua Religione particulari prohibente, ne locales ſuperiores ſibi aliquid ſub excommunicatione reſeruent, non videtur virtute præfati decreti inhibitum ſuperiori locali, ne ſibi aliquod peccatum ſub excommunicatione reſeruent, nam hoc decretum loquitur ſolum de reſeruatione culparum, & peccatorum ſimpliciter, quę locales ſuperiores non poſſunt reſeruare, non autem loquitur de reſeruatione cenſurarum, quas tanquam Prælati poſſunt in ſuos ſubditos ferre Ita etiam *Filiuc. de ſacr. tract. 7. cap. 10. num. 276. Suar. diſput. 29. ſect. 3. num. 12. Santo Fauſto l. 8. de pen. q. 52. in fine.*

An pollutio voluntaria, ſeu ſimplex mollities extra Secundam perſonam intelligatur reſeruata in caſu nono præfati decreti Clem. VIII.

DIFFIC. XXVI.

IN hac pulchra difficultate aliud de iure, aliud de facto reſpondendum videtur, & quid ſit dicendum de iure non eadem poteſt eſſe ſententia. Quare.

Dico primo, quod ſaltem ſpeculatiuè loquendo probabiliter teneri poteſt de iure non reſeruari ſimplicem mollitiem in dicto caſu, quod perſuaderi poteſt ex eo, quod cum Papa fruſtra in dicto caſu lapſum carnis non dixerit voluntarium, neceſſe eſt arguere, quod *Ly* voluntarium aliquid aliud inſinuat preter ſimplicem mollitiem, cum enim certum ſit lapſum carnis non voluntarium non eſſe peccatum mortale, & conſequenter non cadere ſub reſeruatione, dum mandat in eodem decreto ſolum grauiora, & conſequi ut mortalia reſeruanda eſſe, voluntarium ergo ibi non ponitur ſpeculatiuè pro non voluntario, quia eſſet ſuperfluo, & fruſtratoria talis ſpecificatio, ſufficeret enim ſi dixiſſet lapſus carnis quod ſit

peccatum

Digitized by Google

peccatum mortale ſufficiens ad mortale, ſicut ſpecificauit in caſu furti, & in caſu proprietatis, quare dum non ſpecificauit lapſum carnis mortalem, ſed poſuit lapſum voluntarium opere conſumatum, ne videatur fruſtra, & ſuperfluè poſitum ly voluntarium aliquid aliud innuere de iure voluit Pontifex .ſ. quod non ſimplex pollutio quæ ſit peccatum mortale, ſed cum aliquo alio reſpectu iuxta varias acceptiones huius vocabuli voluntarium. Quare

Dico primo, quod cum voluntarium accipiatur aliquando pro habituato, quaſi permanens delectabiliter in exercitio alicuius rei videtur probabiliter poſſe dici, quod de iure ſolum reſeruatur lapſus carnis voluntarius ideſt habituatus & cum exercitio talis actus, non autem mollities ex fragilitate aliquando commiſſa. Immo.

Dico tertio, quod cum ponatur in dicto caſu, quod lapſus carnis voluntarius reſeruetur cum hac ſpecificatione quod ſit (opere cõſumatus,) ne videatur fruſtra poſita hæc ſpecificatio poteſt ſpeculatiua probabilitate defendi, reſeruari lapſum carnis voluntarium .i. habituatum opere extra ſe cum ſecunda perſona conſummatum, etenim ſi ſolum pollutio, ſeu mollities reſeruaretur ſufficeret dixiſſe lapſum carnis voluntariũ, & ſufficienter expoſuiſſet mollitiem habituatam, vel ſimplicẽ, dũ ergo ponitur opere conſumatus carnis lapſus, poteſt rationabiliter argui voluntatem Papę fuiſſe reſeruandi lapſum opere extra ſecum ſecunda perſona.

Quod perſuaderi poteſt ex eo, quia opus cũ indicet actionem extra agens factam habet neceſſario relationem ad paſſum, ergo ad ſecundam perſonam terminatum lapſum carnis vult Pontifex reſeruatum in tali caſu, dum ſpecificauit lapſum carnis voluntarium opere conſumatum.

Adde, quod in ceteris omnibus caſibus videtur reſeruatum aliquod opus cum relatione ad aliquod extra peccantem, vt patet diſcurrendo de ſingulis, ergo dum ponitur apertè in hoc caſu reſeruatus lapſus carnis voluntarius non ſimpliciter, ſed cum hac ſpecificatione, quod ſit opere conſummatus, videtur voluiſſe nõ quemcumq; lapſum carnis voluntarium .i. cum ſe ſolo conſummatum, vel ſimplicem ſolam mollitiem ſed ſolum lapſum carnis voluntarium opere .i. cum relatione ad paſſum extra ſe conſummatum; aliter fruſtra talis ſpecificatio fuiſſet appoſita, verba autem legiſlatoris ſemper aliquid operari docent vtriuſque iuris Doctores, & contra eum faciendam eſſe interpretationem, qui apertius dicere legem potuit, & non dixit.

Quamuis autem hæc probabiliter ſaltem ſpeculatiuè dicta velim; Attamen in praxi.

Dico quarto, quod de iure probabilius, & tutius dixerim reſeruari etiam mollitiem ex eo, quod Papa ibi potius loquitur narratiuè de quocunque lapſu carnis voluntario opere conſummato, quatenus eſt genus ad mollitiem, & alia peccata cum ſecunda perſona, non autem ſpecificatiuè in rigore metaphyſico, loqui enim videtur Papa ibi potius practicè quã ſpeculatiuè. At vero quid ſit ſentiendũ de facto .ſ. an de facto intelligi debeat ſuperiores etiam mollitiem ſimplicem velle ſibi reſeruare, cum ad ſuperiores pertineat quos, & quot ex ipſis velint ſibi reſeruare, pro quo.

Dico tertio, quod probabile mihi videtur Prælatos nolle ſibi de facto reſeruare mollitiem, niſi eam ſpecificent expreſſe ſibi reſeruatam velle, quod autem probabiliter hoc debeat de ſuperioribus præſumi, elicio ex ratione adducta à Papa in eodem decreto, quare ſolum grauiora peccata ſolum reſeruari debeant ſuperioribus, & ea prudenter, & moderatè, ne ſcilicet infirmiores in ſpiritualibus remedijs deſperationẽ inducantur, dum quælibet peccata ſuo ſuperiori detegere formidant, at vero mollities peccatum eſt maximæ fragilitatis, & infirmiores facilè in illud cadunt, ne ergo in ſpiritualibus remedijs deſperationem incidant, præſumendũm de benignitate ſuperioris, quod nolint ſibi reſeruatam mollitiem, vt de peccato ex ordinaria fragilitate carnis contracto faciliorem, & per viam habeant infirmiores ſalutis æternæ apud quemlibet confeſſarium paratum remedium.

Tutius tamen in hac materia conſuluntur ſuperiores circa ſuam in hoc caſu intentionem, propalare, quos humiliter admonitos vellem, vt potius graues pænitentias pro hoc peccato cohibendo taxent, quam ſibi reſeruatum indicent, ita enim & fragilitati, & ſpirituali remedio infirmiorum putarem factum ſatis.

Vtrum ſi confeſſor à reſeruatis validè abſoluere nequiuit, teneatur de inualiditate commonefacere pænitentem.

DIFFIC. XXVII.

Dico primo, quod certum eſt non poſſe abſolui à peccatis abſentem, ex eo quod requiritur in pænitente abſoluendo diſpoſitio, vt ſ. ſaltem habeat attritionem de peccatis, abſens autem neſcitur in quo ſtatu ſit, & poſſet eſſe cum actuali compolacentia alicuius actus peccaminoſi, & conſequenter in nouo peccato mortali, vnde non eſſet diſpoſitus ad recipiendam gratiam per abſolutionem, & in hoc caſu confeſſarius exponeret ſe periculo committendi ſacrilegium faciendo iniuriam ſacramento, quare iure optimo à Clemente VIII. fuit tanquam erronea condemnata Nauarri ſententia autumantis poſſe abſenti dari abſolutionem à peccatis, in tali ergo caſu poſito in difficultate præſenti non poteſt confeſſor poſt authoritatem habitam abſoluendi à reſeruato abſoluere pænitentem abſentem.

Quod tamen facere poſſet, ſi abſoluiſſet ab excommunicatione reſeruata, etenim poſt obtentam authoritatem poſſet confeſſor à tali excommunicatione abſentem, & neſcientem etiam abſoluere, & ratio diſparitatis eſt, quia abſolutio ab excommunicatione non eſt propriè ſacramentalis, ita vt ad eam requiratur diſpoſitio ad gratiam accipiendam, vnde vt dicemus ſuo loco, etiam inuitus, & exiſtens in peccato mortali poteſt ab excommunicatione abſolui. Quare in præfato caſu quoad peccata abſolutionem inualidam à reſeruato puto.

Dico ſecundo, quod ſi conuenire pænitentem (habita prius ab eo licentia de ſecum loquendo in materia factæ confeſſionis) timeat probabiliter confeſſarius ſcandalum ei futurum ſi aperiat quod abſolutionem à reſeruato inualidè dederit ob non præhabitam authoritatem, debet illum relinquere ſub ſua bona fide, & Chriſto ſummo Sacerdoti eum commendare, vt illi actum contritionis de peccatis tribuat.

At vero ſi cognoſcat confeſſarius, quod non ſcandalizabitur, debet eum adire, & humaniſſimè rogare vt iterum ſibi confiteatur peccata commiſſa poſt priorem confeſſionem, quod ſi libenter conſenſint pænitẽs poterit ſanè confeſſarius interrogare an de omnibus etiam præcedentibus peccatis doleat quæ in priori confeſſione ſibi erat confeſſus, & affirmantem abſoluat Sacramentaliter ab omnibus etiam in confeſſione præterita inualida, quod ſi pænitens noluerit cum ipſo confiteri, & non timeat ſcandalum pænitentem paſſorum, habita prius licentia de loquendo ſecum de aliquo peccato confeſſo, debet eum certiorare de authoritate, quam putabat ſe habere, & verè poſtea recordatus fuit, ſe non habuiſſe, atque adeo vel ſibi, vel alteri confiteatur ſua peccata. Ita in parte *Bonacc. de Sacr. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 4. num. 8. Suar. T. 4. diſp. 32. ſect. 5. Megala in p. p. l. 1. cap. 16. & Reginald. T. 1. lib. 8. cap. 3. ſect. 2. & alij.*

Quinam dicatur caſus occultus, in quo Epiſcopi habent facultatem abſoluendi, & diſpenſandi ex Concil. Trident. in cap. liceat ſeſſ. 24.

DIFFIC. XXVIII.

Dico primo, quod certum videtur communius caſum occultum de mente Concilij non eſſe illum, qui ex natura ſua ſciri nequit, vtpotè actu interno mentali perpetratus, quia actus ſimpliciter interni tanquam ſoli Deo noti, non ſubijciuntur Eccleſiæ iudicio regulariter loquendo, in ſententia tamen eorum, qui putant actum internum poſſe reſeruari à Papa ſanè occultum tale comprehenderetur etiam in decreto præfato Concilij.

Dico ſecundo, quod nimis rigoroſè loquũtur alij putantes de mente Concilij eſſe authoritatem ſolum præbere Epiſcopis abſoluendi ab illo reſeruato culto, quod non poteſt probari, volunt enim, quod occultum iuxta terminos iuris ſolum dicatur illud, quod non poteſt iuridicè probari; concilium autem cum ibi legem ſtatuat, iuxta terminos legis eſſe interpretandum contendunt. Ita docet *noſter Rodr. in B. Cruciæ §. 9. num. 69. Garz. de Benef. p. 7. cap. 11. num. 461. Anton. Souſa in Aphor. l. 3. cap. 4. Graff. T. 2. Conſil. Tit. de Homic. conſ. 2. Gutiier. q. 9. canon. l. 4. cap. 15. & alij.* Quare

Dico tertio, quod occultum de mente concilij non ſolum exiſti-

xiſtimandum eſt illud, quod hic, & nunc probari nequit, verum etiam illud docetur ſecundum eius intentionem occultum, quod licet hic, & nunc probari poſſet, vtpotè coram duobus, vel quatuor, immo etiam decem in loco frequentiori, vt notat noſter *Portell. loco infra cit.* quorum numerus non facit publicum notorium vulgare, adhuc tamen non eſt diffamatum, nec factum notorium, vtpotè quia de illo non eſt fama in maiori parte viciniæ, Collegij vel Monaſterij, nec adhuc eſt in iudicio deductum, etenim occultum apud Sacr. Canones accipitur quatenus contra diſtinguitur à publico notorio, & famoſo, vt probat *Abb. in cap. fin. de Temp. ordinat. & idem confirmare videtur in cap. quæſitum de pænit. & Remiſſione.*

Hinc *noſter Angelus V. Blaſphemia §. 5.* iure docet, quod blaſphemia reſeruata Epiſcopo intelligenda eſt de publica notorie diffamata, quod ſi à paucis ſciatur, ait non eſſe reſeruatam, quia quod a paucis ſcitur eſt occultum, & non publicum, blaſphemia autem publica reſeruatur Epiſcopo, quæ debet eſſe notorie publica, itaque occultum ſecundum iuris diſpoſitionem vocatur illud, quod contra diſtinguitur à publico notorio, & famoſo, & in vicinia, vel Collegio, vel Monaſterio iam diuulgato.

Quare caſus, qui ſolum à paucis iuxta frequentiam maiorem, vel minorem loci ſcitur, licet poſſit probari, non tamen eſt deductus in foro iudiciali, nec in maiori parte viciniæ, vel Collegij eſt factus publicus notoriè, dicendus eſt occultus iuxta mentem Concilij, & ab Epiſcopo poteſt abſolui, & diſpenſari. Ita *noſter Portell. V. Abb. in Addit. num. 2. & 3. & infra. Vecchius in prax. Nouit. diſput. 9. ſect. 17. Sayr. de cenſ. l. 2. cap. 12. Henriq. l. 13 cap 2 §. 2. Diana par. 7. reſol. 11. Nauar. Sanch. Suar. Duard. Fagund. Alter. ſeſſ. & Azor.* quos citat, & ſequitur *Boſſius de ſubil. ſect. 1. caſ. 10* quæ doctrina ex dicendis infra magis firmabitur, & tuta in praxi conſulenda. Quare.

Vtrum quando caſus reſeruatus eſt notorius quoad actionem, occultus tamen quoad perſonam poſſit ab Epiſcopo abſolui, vel diſpenſari virtute Concilij Trid. loco cit.

DIFFIC. XXIX.

Affirmatiuè reſpondendum videtur, quia quando actio eſt ſolum materialiter notoria, non autem formaliter, puta quando à circumſtantibus cognoſcitur actio peccaminoſa, vel cenſuræ ſubiecta, ignorant tamen delinquentem, caſus dicitur formaliter occultus in materia abſolutionis, & diſpenſationis apud Sacr. Canones, vt notant *noſt. Rodriq. p. 1. cap. 176. Miranda T. 2. quæſt. 8. num. 14. in man. Prel. & Bonace. de irregul. diſp. 7. q. 5. punct. 2. Henriq. l. 14. c. 1. c. 7. num. 5. & Nauarr. conſ. 2. de Cler. non ordin.* Vnde ſacerdos excommunicatus, celebrans coram neſcientibus eum eſſe excommunicatum, dicitur irregularitatem occultam incurrere, non autem publicam, quia licet eius actio ſit notoriè peccaminoſa, tamen delinquens, eſt occultus.

Præterea Sac. Concilium in præfato loco loquitur de caſu occulto, quatenus non intendit præiudicare Iudici in foro fori per talem abſolutionem dandam in foro animæ ab Epiſcopo, intendit enim dare authoritatem Epiſcopo abſoluendi à reſeruatis Papæ occultis, qui hic & nunc ſubiacent Iudicio fori externi, & non ſunt deducti ad forum contentioſum, quia vult ex tali poteſtate tradita Epiſcopis non præiudicari Iudicum authoritati, vt rectè notant *Auila de cenſ. p. 7. diſp. 10. dub. 7. Sanch. in ſum. T. 1. l. 2. cap 11. num. 21. Sebaſtian. a Bonon. tract. de elect. p 2. cap. 4. & nomiſt. Diana part. 4. tract. 2. de irreg. reſol. 97.* & alij, quando autem actio eſt notoria, delinquens autem occultus non præiudicatur authoritati Iudicis, quia vere neſcitur delinquens, contra quem poſſit agere, & iudicialiter abſoluere, ergo poteſt ab Epiſcopo abſolui, licet eius actio fuerit notoria, dum vere delinquens neſcitur, & eſt verè occultus.

Vtrum caſus reſeruatus Papæ occultus in vno loco, publicus autem in alio, poſſit abſolui ab Epiſcopo loci in quo eſt occultus virtute Conc. Trid.

DIFFIC. XXX.

Negant *Suar. T. 4. diſp. 30. ſect. 2. Sanctarell. tract. de hær. cap. 5. dub. 6. Bonacc. de cenſ. diſp. 1. q. 3. punct. 2. Caſtr. Pal. T. 1. tract. 4. diſput. 4. punct. 3. §. 1. num. 14.* quia nullo modo colorari poteſt occultum dici, quod iam diffamatum eſt, fama enim volitare dicitur, ita vt quod iam in vno loco publicatum eſt, facile ad alium locum notificandum perueniat.

Diſtinguendo tamen puto cum alijs, nam vel facti notitia eſt talis, vt facile ad locum, in quo quis petit abſolui, peruenire valeat tum ratione facti, tum ratione propinquitatis, vel correſpondentiæ, loci ad locum propter negotiationes hinc inde, & in hoc caſu vera eſt opinio poſita, nam facile notorium quod eſt in vno loco, poteſt reddi notorium in alio, in quo hic & nunc eſt occultum, at vero ſi locus in quo eſt occultus, & in ipſo quis petit abſolui, vel diſpenſari ab Epiſcopo eius ſit talis, vt nunquam in ipſo publicari queat, vel ſaltem niſi difficillime per meram incidentiam, puta quia locus eſt admodum remotus ab eo, in quo caſus eſt notorius, & non adeſt inter ipſa loca mutua negotiantium correſpondentia poteſt vtique dici verè occultus in tali loco, & ſubijci poteſt authoritati Epiſcopo datæ à Concilio loco cit. abſoluendi ſ. & diſpenſandi in caſibus occultis Sedis Apoſtolicæ reſeruatis. Ita à pari.

Confirmari poteſt hæc doctrina ex eo quod excommunicatus vitandus in vno loco ſi non ſit publicatus in alio loco, non debet in ipſo vitari, ſed debet haberi tanquam occultus excommunicatus etiam ab ijs, qui eum publicè excommunicatum ſciunt in alio loco, quia Eccleſia in tali loco eum non iudicat excommunicatum, & vnuſquiſque debet ſe conformare Eccleſiæ præſenti, præterquam quod excommunicatus publicatus in vno loco præſens alteri loco, in quo non eſt denunciatus habet ius ſuæ famæ ſeruandæ in illo loco, itaque nec debet ſe pro excommunicato habere, nec ab alijs vitari. Vide *noſt. Mirand. in Man. Prel. T. 2. q. 8. ar. 14. Boſſium de ſub. ſem. 1. caſ. 10. Marchin. de Sacr. Ord. tract. 1. p 9 diff. 2.* Ita à pari philoſophantur in præſenti difficultate *Auila de cenſ. part. 2. cap. 3. diſp. 1. dub. 11. concl. 3. Duard. in Rel. l. 3. §. 2. quæſt. 11. num. 20. & Diana 7. p. tract. 3. reſol. 16.* ita vt optimè concludant caſum notorium in vno loco, occultum in alio ſubiacere authoritati Epiſcopi loci in quo eſt occultus.

Quomodo, & quando caſus occultus dicatur deductus ad forum contentioſum, in quo prohibeatur Epiſcopus abſoluere, & diſpenſare iuxta mentem Concilij.

DIFFIC. XXXI.

Dico primo, quod nimis rigorosè videntur loqui Doctores illi qui putant tunc caſum occultum reſeruatum dici deductum ad forum contentioſum, ita vt ab eo Epiſcopus prohibeatur abſoluere, quando Reus fuit iuridicè citatus à legitimo Iudice ſuper tali facto, volunt enim primum actum legitimum Iudicij, & fori contentioſi eſſe citationem iuris ordine ſeruato iam expeditam contra Reum *ex §. fin. Inſtit. de pen. tem. litig. gloſ. in Rubr. cap. de in ius vocando*, itaque quando reus eſt citatus ſuper aliquo crimine licet occulto à legitimo Iudice, non poſſe amplius ab Epiſcopo pro tali delicto abſolui, nec diſpenſari aiunt *Auila de cenſ. part. 2. cap. 7. diſp. 1. dub. 11. concl. 3. Henriq. l. 2. cap. 11. num. 21. Sanch. in ſum. T. 1. l. 2. Floron. de caſ. reſeru. cap. 4. §. 21. & alij.* Attamen.

Dico ſecundo, probabilius & benignius, tunc dici caſum occultum iã deductum ad forum contentioſum, in quo non poteſt amplius virtute Conc. Tridentini ſe Epiſcopus intromittere circa abſolutionem, & diſpenſationem in foro conſcientiæ, quando iam lis eſt conteſtata inter Reum, & Actorem apud legitimum Iudicem ſuper delicto negando, vel confitendo, vt docent *Boſſius de ſubil. ſect. 1. caſ. 10. §. 3. num. 15. Gauant. in man. Epiſc. V. Abſolutio num. 12. Palaus T. 1. tract. 4. diſput. 4. punct. 3. §. 1. num. 15. Trullench. in Decal. T. 1. l. 1. cap. 3. dub. 4. & Diana part. 7. tract. 3. reſol. 17.* & probatur quia forum contentioſum non differt à Iudicio iudiciũ autem non eſt dicendum, niſi lis ſit iam conteſtata, vt notat *Lancellott. de Attentat. in præf. num. 7. & Peregrin. var. l. 2 ſub Rubr. de Iud. num. 54.* quod etiam patet ex ipſa æthimologia fori contentioſi quod a contendere deriuatur, ſed non dicitur contentio niſi mota ſit lis inter actorem & Reum contendentes ille probando hic excipiendo, vide *Surdum de Alim. Tit. 5. q. 8. & Marant. de ordin. Iud. p. 5. Tit. omnia fiant durante inſtantia n. 64.*

Itaque ex hac doctrina habetur Epiſcopum poſſe abſoluere, &

re,& diſpenſare in caſu occulto iuxta mentem Concil. Trid. etiamſi ſit citatus legitimè Reus,modo lis inter actorem, & Reum non fuerit conteſtata coram Iudice legitimè, quia tunc verè dicitur deductum crimen ad forum contentioſum; in quod videtur vtique benignius dicendum quia cum ſimus odioſis verba ſunt interpretanda potius in fauorem Rei, modo natura verborum id patiatur, contentioſum autem à contendere, vt dixi deriuatur, contendere autem cum alio ex ſui ſignificatione dicit cum alio rem ſuam agere, & defendere, quare forum contentioſum videtur iure optimo ſupponere litem iam conteſtatam.

An caſus occultus in vno loco deductus ad forum contentioſum, in alio vero non deductus poſſit de mente Concilij in hoc loco ab Epiſcopo eius abſolui, & diſpenſari.

DIFFIC. XXXII.

NEgatiuè reſpondendum omnino,nec valet paritas rationis de caſu notorio in vno loco,occultũ autem in alio, in quo probabiliter dictum eſt poſſe ab Epiſcopo diſpenſari ſi nunquam,vel difficillime ſit in tali loco notorium futurum tale crimen, nam poteſt vtique fieri, quod aliquod ſit notorium in vno loco,& ſit verè occultum in alio, & non poteſt fieri quod id, quod eſt deductum ad forum contentioſum, in alio loco iuxta præſente materiam,ſit occultũ quandoquidem notorietas facti depẽdet à loco, & ita poteſt fieri,quod ſit notorium in vno loco, non ſit notorium,ſed occultum in alio,at vero deductio criminis ad forum contentioſum non dependet à loco, ſed ſimpliciter à litis conteſtatione ſuper ipſum crimen iam facta, itaque ſtatim atque crimen deductum eſt legitimè ad forum contentioſum iam perdit vbique priuilegium, vt poſſit abſolui ab Epiſcopo ſecundum mentem Concilij,quia iam ſimpliciter dicitur deductum ad forum contentioſum.Ita etiam *Palaus,Trullench. & Diana loc.cit.*

Nec valet inſtantia de excommunicato in vno loco, non denunciato in alio, quod non debet vitari in quo non eſt denunciatus, nam denunciatio excommunicati habet dependentiam à loco,& non à iudicio, vel ſententia prolata ſimpliciter, & ideo denunciatus in vno loco non debet vitari in alio loco, niſi etiam denuncietur in alio loco, at vero deductio criminis ad forum contentioſum ſimpliciter dependet à litis conteſtatione, non autem à loco.

Vtrum crimine occulto iam delato ad forum contentioſum, a quo Reus ſit abſolutus tanquam innocens, poſſit tamen ſi in foro conſcientiæ id commiſerit, ab Epiſcopi diſpenſari iuxta priuil. Conc. Tridentini in loc. cit.

DIFFIC. XXXIII.

NEgant noſter *Rodriq.in ſum. p.1.cap.168.num.16. Gutter. l.1.can.qq.cap.3. & alij*, quia eſto delictum non fuerit probatum, tamen verè dicitur deductum in foro contentioſo,in quo prohibetur à Concilio Epiſcopus diſpenſare.

Diſtinguunt tamen alij, nam ex tali deductione ad forum contentioſum non potuit probari crimen,& in hoc caſu, quia remanet occultum,volunt ab Epiſcopo diſpenſari poſſe, quod ſi abſolutus fuit Reus,quia delictum ſolum ſemiplene & non perfectè fuit probatum, & in hoc caſu dicunt Epiſcopum non poſſe diſpenſare, quia ex tali ſemiplena probatione remanet infamia talis,vt non dicatur crimen verè occultum,ſicut antea. Ita probabiliter *Floronus de caſ. Reſeru. p. 1. c.4. §. 11. Suar.de cenſ diſp.41. ſect. 2. num.6. & alij.*

Dicendum tamen puto etiam probabiliter cum aliis, qui putant magis benignè, poſſe Epiſcopum diſpenſare in caſu occulto deducto ad forum contentioſum, quandocunque Reus à Iudice fuerit innocens declaratus, etiamſi vſus fuerit medijs deprauatis ad probandam innocentiam, vel obtinendam liberationem à crimine contra delatum, quia poſt liberationem quomodocunque habitam in foro fori iam declaratus eſt innocens,& ceſſat ſuper hoc crimen ratio fori contentioſi,ergo remanet occultum in foro conſcientiæ, in quo poteſt Epiſcopus diſpenſare, nec poſt declarationem innocentię factam in foro contentioſo præiudicatur amplius ab Epiſcopo authoritati Iudicis, cum iam ea functus ſit declarando Reum innocentem, ergo poteſt Epiſcopus in ipſo diſpenſare in foro animæ iuxta mentem Concilij. Ita etiam *noſtri Pecchius prax. Nouit.de ſpecul.9.dub.16. & Caſpenſ.T.2. tract. 1. diſp.6. ſect.17. Palaus vbi ſup. num.16. Trullench.loc.cit. Dian reſol.18.loc. cit. Sanch. de matr. l.8. diſp.54. Marchin. de ſacr tract.1. p.9. diff. 4.*

Adde quod ſi iudicium non fuerit finitum, & actor per annum tacuerit,quia tunc iudicium per actoris ſilentium dicitur finitum, poterit Epiſcopus in tali caſu diſpenſare, nam remanet crimen occultum in foro conſcientiæ, & forum contentioſum in ipſo iam perdidit vim, & vis cum remaneat in tali caſu reus abſolutus. Ita *Campanil. in diuerſ. iur. caſ. Rubr.7. cap.5. & Rubr.11. cap.23. Sanctarell. vbi ſup. c. 5. dub.6*

Inſuper nota, quod ſi duo fuerint complices in eodem crimine occulto,vnus tamen deferatur ad forum contentioſum non autem alter,hic poterit ab Epiſcopo abſolui, quia verè reſpectu eius crimen dicitur occultum,ita etiam *Trullench. Palaus,& Diana loc. cit.*

Denique dicendum, quod ſi Reus non fuit definitè abſolutus defectu probationum; ſed ſolum licentiatus, ſed cum onere ſe præſentandi toties, quoties &c. nõ poteſt Epiſcopus in eius crimine diſpenſare virtute Concilij, quia iam adhuc pertinet ad forum contentioſum,ita etiam *Marchin. de ſacr. ord. tract.1. p.4. diffic.4. & adducit* ſuper hoc etiam declarationem Sacr.Congregationis,vide etiam *Barb.de poteſt. Epiſc.p. 2. allegat.39. n.1. & Garz. de benef. p.7.c.11.*

Vtrum ſi, poſtquam Reus de crimine occulto ab Epiſcopo in foro conſcientiæ fuerit abſolutus, vel diſpenſatus virtute Concil. Tridentini loco cit. deferatur crimen, & probetur in foro contentioſo, ſuffragetur ei abſolutio, vel diſpenſatio facta tam ab Epiſcopo.

DIFFIC. XXXIV.

DIcendum quod in foro animæ iam manet abſolutus, & diſpenſatus,qui accepit de crimine,vel irregularitate occulto Papæ reſeruato ab Epiſcopo abſolutionem, vel diſpẽſationem, vt notant communiter Doctores, quia verè dum crimen erat occultum Epiſcopus habebat facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ ex priuileg.Conc.Tridentini quoad vero forum contentioſum certum eſt etiam,poſtquam detectum eſt crimen, non ſuffragari huiuſmodi abſolutionem, vel diſpenſationem,quia abſolutio, & diſpenſatio in foro cõſcientiæ non præiudicat auctoritati Iudicis in foro fori, vt communiter docent Canoniſtæ; attamen à pio, & benigno Iudice,decet,vt talis abſolutio,& diſpenſatio etiam ratificetur in foro fori, & maximè quoad diſpenſationem ſuper irregularitate. Ita videntur ſuadere *Boſſius de Rub. ſect.1. caſ.1053.n. 44. Henriq. l.4. cap.21.§.1. litt. E.Camp.mil.in diuerſ.Iur. Rub. 7. cap.5. Diana part.7. tract. 3.reſol. 18. & alij*, quod etiam mihi ſuadetur, quia iura magis prona ſunt ad abſoluendum, quam ad puniendum, vt alibi etiam docuimus,ergo Iudex ſecundum iura procedens debet eſſe magis pronus ad abſoluendum in tali caſu, quam ad iterum puniendum,cum ergo iura abhorreant bis idem crimen iudicari iuxta illud non iudicabit bis in idipſum,poſſet benigne procedere,vt iudicatum in foro animæ iterum non iudicet in foro fori, ſed clementer abſolutum declaret ex benignitate, cum tamen liceat ei in foro animæ iudicatum iterum in foro fori alio modo ſcilicet iudicialiter punire.

Vtrum hodie poſſint Regulares virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere a Reſeruatis Epiſcopo, & Papæ occultis caſibus.

DIFFIC. XXXV.

DIco primo, quod probabile admodum eſt Regulares poſſe hodie abſoluere à reſeruatis Epiſcopis à iure, vt ſunt cenſuræ,& peccata, quæ à iure communi ſi quæ ſunt,vel in ſynodis Diocæſanis, & edictis generalibus per modum ſtatuti ipſi reſeruantur,probatur ex eo, quod reuocationes priuilegiorum mendicantium circa abſolutionem à reſeruatis Epiſcopis late à Clemente VIII. Paulo V. & demum ab Vrbano VIII. 17. Nouembris 1628. quam refert Bordonus Reſolut. 6. num.33. loquuntur de reſeruatis Epiſcopis ſolum ab homine,non autem à iure, id eſt de illis,quos ſibi,vt loquitur decretum *Clemen.8.apud Quarantam.V. caſus reſeruati*, Epiſcopi reſeruant,vel reſeruabunt,non ergo auferetur à Regularibus poteſtas

teſtas abſoluendi ab Epiſcopo reſeruatis à iure, quia hos propiè non ſibi reſeruant Epiſcopi, ſed à iure illis reſeruantur.

Etenim cum ſimus in odioſis ſtricta facienda eſt interpretatio de caſibus reſeruatis ſtrictè ſumptis, adde quod correctio legum odioſa ſit, & debent verba legum correctotia ſtrictè interpretari vt quanto minus fieri poteſt, videatur lex correcta, vt docent Iuriſtæ, & probabimus infra V. lex, at vero priuilegia mendicantibus conceſſa in perpetuum propter bonum commune æquantur legi, & habent ſe ae ſi eſſent inſerta in corpore iuris, vt probat *Peregr. in Comp. Priuil. Cler. Reg. Tit. Introd. §. ſcholium*, præterquam quod priuilegia Regularium paſſim dicuntur remunetatoria conceſſa propter labores, quos ſubſtinent, & ſubſtinuere propter Eccleſiam Dei, atq; adeo latè, & fauorabiliter ſuot ioterpratanda, & ſi corrigãtur interpretanda ſunt verba in fauotem quantum ſignificationes verborum patiuntur, vt dicemus V. Priuilegium, ergo cũ reuocentur per decreta dictorum Pontificium priuilegia Regularium circa abſolutionem à reſeruatis interpretanda ſunt fauorabiliter, & quantum fieri poteſt, oon videatur omnimodo inducta correctio, & ſtrictè interpretanda verba & nomina in fauorem quantum patiuntur ſignificationes eorum.

Caſus aotem reſeruatus ſecundum communem etiam Doctorum opinionem, & in ſuo rigore iotelligitur de reſeruato ab homine, non autem à iure, ideſt de illis caſibus, quos Epiſcopi ſibi in Tabellis ſolent reſeruare, & nõ de illis, quos Epiſcopis reſeruaot iura, & hanc ſignificationem eſſe veram, & propriam, & ſtrictè ſumptam caſus reſeruati ſignificatiunem docent noſter *Belloch. de caſib. reſeru. p. 2. q. 17. n. 79. Florod. de caſ. reſeru. p. 1. c. 4. §. 8. n. 4. Homobon. de caſ. reſer. p. 1. c. 3. Comitol. in reſponſ. mor. l. 1. q. 25. n. 14. Peyrin. de priuil. reſ. T. 1. conſt. vnica Pyeri. §. 8. n. 40. Lezan. T. 3. V. Caſus reſeru. n. 5. & nouiſſimè Marcus Vidal. in arc. vitali de caſ. reſeru. Inquiſit. p. num. 67.* qui omnes conclamant noo adeſſe alios caſus Epiſcopo reſeruatos in rigore, niſi eos, quos in Tabella ſibi ſpecialiter reſeruatos volunt, vnde peccata reſeruata in conſtitutiooibus ſynodalibus, & in edictis per modum ſtatuti aiunt non dici hodie caſus propriè Epiſcupos reſeruatos, quod etiã ex eo patet qoia incluſio vnius eſt excluſio alterius *c. nonne extra de præſumpt. c. qualis 25. diſt. & l. cum prætor ff. de Iudic.* cum ergo in Tabella reſeruant quos ſibi malunt, excludunt alios ſibi reſeruãdos, quod enim oon fuit expreſſum cenſetur neglectum aiunt Iuriſtæ, cum ergo in tabellis non reſeruent ſibi caſus à iure, & in cõſtitutionibus ſynodalibus, & per modum edicti propriè non ſuot dicendi caſus Epiſcopo reſeruati.

Quare cum decreta Pootificum reuocent poteſtatem abſoluendi Epiſcopis reſeruatis, quam ipſis conceſſerant anteceſſores, ſolum de caſibus ab homioe Epiſcopis reſeruatis interpretanda ſunt ſtrictè, & non de caſibus à iure Epiſcopis reſeruatis, vt vitetur priuilegiorum correctio quantum natura verborum patitur & in fauorem latè interpretentur quantum fieri poteſt. Ita etiam expreſsè docet oouiſſimè *Marcus Vidal. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod probabile eſt, ſpeculatiuè loquẽdo Regulares poſſe hodie abſoluere à reſeruatis etiam ab homine Epiſcopis, & Papæ, ſicut poterant ante reuocationem factam priuilegiorum à præfatis Pontificibus, quia reuocatio huiuſmodi non tollit vſum priuilegiorum antiquorum ex eo, quod ex Priuilegio facto Patribus Societ. Ieſu à Greg. XIII. vt videre eſt in Compend. priuileg. Societ. Ieſu, reuocatio priuilegiorum facienda non ſe extendit ad priuilegia dictæ Societatis quantumcunque io ampla forma forent reuocata, niſi fuerit reuocatio intimata, & inſinuata dictis Patribus, cum ergo in decretis dictorum Pontificum reuocantium Regularium priuilegia circa abſolutionem à reſeruatis non fuerint inſinuata, & intimata dictis Patribus ſequitur, quod eorum Priuilegium circa abſolutionem à reſeruatis manet adhuc integrum, alij autem mendicantes, quia participant plenè de eadem priuilegio, etiam ipſi conſequenter eodem integro priuilegio fruuntur, ergo hodie ex hac ſpeculatiua ratione poſſunt abſoluere à reſeruatis Epiſcopi, & Papæ, vt poterant ante reuocationem.

Nec valet clauſula, quæ ponitur in dictis Decretis reuocatorijs maximè ab Vrbano VIII. non obſtante quocunque priuilegio etiamſi habeat clauſulam, vt de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, quia intimatio, & inſinuatio requiſita ad reuocanda priuilegia Patrum Ieſuitarum dicit aliquid plus quã clauſula vt de verbo ad verbũ, &c. ergo cum nõ reuocetur dicta intimatio, & inſinuatio ſpecialis dictis Patribus, priuilegia eorum non ſunt reuocata à præfatus Pontificibus, & conſequenter nec aliorum Regularium ratione communicationis priuilegiorum.

Adde quod priuilegia per modum contractus, & remunerationem reuocantur per clauſulas generales, ſed apponi debet cauſa reuocationis, ne videantur ſuperiores in iuſti, nam obligatio remuneratoria naſcitur ex naturali quadam iuſtitia inter ſuperiorem, & inferiorem, vnde quando reuocãtur, debent compenſari, vide Bonac. & Suar. quos citat, & ſequitur Lezana T. 4. v. Priuil. regul. & Sanch. l. 8. de matri. diſput. 33. priuileg. autem Regularibus conceſſ. ſunt remuneratoria pro laboribus, quos in dies ſuſtinent, & ſuſtinuere antiquitus pro Eccleſia ſancta Dei, non ergo reuocantur per clauſulas generales ſaltem in foro conſcientiæ niſi apponatur cauſa reuocationis, vt fiat aliqua compenſatio, ergo ſaltem in foro conſcientiæ valida ſunt priuilegia Regularium circa abſolutionis facultatem à reſeruatis Epiſcopis, & Papæ, nec intelliguntur ſaltim reuocata in foro conſcientiæ.

Verum, quia hæ rationes in praxi non admittuntur, quia par in parem non habet imperium, vnde non potuit Papa Prædeceſſor obligare Papas ſucceſſores, vt ſpecialiter intiment, & inſinuent reuocationes priuilegiorum, cum ſufficiãt eorum generales non obſtantiæ cum clauſula ac ſi reuocanda priuilegia neceſſario eſſent exprimenda de verbo ad verbum, & hæc eſt praxis certa in Curia, prætetea cum priuilegia Regularium cum gratis dicantur eſſe remuneratoria, nam gratioſa prætenduntur in praxi, & cauſa legitima reuocationis adſit, nempè in illorum vſu defectus irrepti aliqui, ideo probabilius puto, & tutius ab vſu talium priuilegio non abſtinere maximè pro reſeruatis Epiſcopus ab homine, pro reſeruatis autem Papæ.

Dico tertio, quod à reſeruatis Papæ occultis, in quibus virtute Concil. Trid. in c. liceat Epiſcopis poſſunt Epiſcopi abſoluere, & diſpenſare, probabile eſt, quod etiã poſſint Prælati Regulares abſoluere ſuos ſubditos dictum eſt etiam V. Abbas, & denuo hic illud mihi ſanè fortius ſuadet, quod Epiſcopus electus non conſecutus gaudet tali facultate, & tamen non habet dignitatem Epiſcopalem, ſed ſolum iuriſdictionem, ergo non intuitu dignitatis, ſed iuriſdictionis Epiſcopalis datur talis facultas in fauorem animarum, vt fideles habeant in promptu faciliter abſolutionem à reſeruatis Papæ, & ideo eam reſidere etiam diximus ſupra apud Capitulum Sede vacante, ergo probabile admodum eſt ſalem facultatem abſoluendi à reſeruatis extẽdi ad quoslibet Prælatos iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercentes in ſuos ſubditos, nõ enim melioris conditionis ſunt animæ ſubiectæ Epiſcopis, quam animæ cæteris Prælatis. Vide noſtr. Mirand. T. 2. q. 8. n. 10.

Nec obſtat quædam declaratio Cardinalium, quæ ſolet circumferri, quod Prælati Regulares non veniunt nomine Epiſcoporum erga ſuos ſubditos, nam vel authentica non eſt, vel non eſt cuofirmata à Papa, & ideo eſt ſolam doctrinalis, vel ſaltem loquitur fortè in ijs, quæ dependent à dignitate Epiſcopali, non iuriſdictione, Regulares Prælatos non venire nomine Epiſcoporum.

Dico quarto, quod probabile eſt ſaltem ſpeculatiuè loquẽdo Regulares poſſe abſoluere à Papæ reſeruatis occultis, quorum abſolutio conceditur Epiſcopis in cap. liceat virtute ſuorum priuilegiorum non obſtantibus reuocationibus dictorũ Pontificum, & probatur ex eo, quod tales caſus occulti Papæ reſeruati, vt occulti ſunt iam euaſerunt Epiſcopis à iure reſeruati, quia à iure transfertur poteſtas abſoluendi ab ipſis in Epiſcopos, vnde deſinunt iam eſſe Papæ reſeruati vt occulti ſunt, & iure ordinario fiunt Epiſcopales, quia poſſunt talem authoritatem delegare, & datur eis hæc facultas à iure nõ ratione perſonæ, ſed ratione iuriſdictionis perpetuo in fauorem animarum, cum ergo probabile ſit ex prima concluſione poſſe Regulares abſoluere à reſeruatis Epiſcopo à iure, & caſus occulti Papales ſint iure Epiſcopo reſeruati, ſequitur etiam probabiliter ab eis poſſe Regulares abſoluere quoſcunque pænitentes. Ita etiam *Sanch. in ſum. T. 1. c. 2. d. 11. Paſqualig. in §. 9. mor. can. cent. 2. q. 146. Dian. §. 3. tract. 2. diffic. 13. & nouiſſ. Marcus Vidal. loco cit. concluſ. 3. n. 81.* An vero in praxi conſulenda hęc opinio doctorum conſilio relinquo ego ea in praxi non vtor, cum tutius ſit facultatem petere.

Cauſa.

Digitized by Google

Cauſa.

Quotuplex ſit cauſa reſpectu actionum humanarum.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod cauſa reſpectu humanarum actionum alia dicitur efficiens propinqua, alia remota, vel alia primaria alia ſecundaria, propinqua dicitur illa, quæ immediate influit in effectum, ſeu dicitur illa, per quam immediatè ſequitur effectus, & hæc ſolet etiam dici cauſa primaria, ſeu immediata, Remota vero, ſeu ſecundaria, ſeu mediata eſt illa quæ ſolam occaſionaliter, & mediatè influit io effectum. *Ita Angelus noſter V. cauſa, & alij communiter.*

Vtrum autem primaria, & immediata cauſa damni ſemper teneatur ad reſtitutionem V. infra V. Reſtitutio; illud tamen eſt hic animaduerſione dignum, quod poteſt dari caſus in quo cauſa propinqua & immediata damni non ſit obligata ad eam, ſed potius, ſit obligata cauſa remota, hinc Monachus exiens à Monaſterio ſeductus à Titio damnū ſi inferat Monaſterio, licet Monachus ſit cauſa principalis, & immediata, & Titius remota, tenebitur tamen Titius ad damna, vt videbitur alibi, & docet *Nald. 5 cauſa n. 3.* nam monachus exiens à monaſterio peccauit ſolum contra obedientiam, & contra Religionem, & non contra Iuſtitiam, at verò Titius peccauit contra iuſtitiam tollendo Monachum à monaſterio ſuo malo conſilio, ſi monachus erat vtilis monaſterio, dans enim operam rei illicitæ licet non ſit cauſa primaria damni ſecuti, attamen ſi ſequatur ex eo, quod dedit operam rei illicitæ ad ſatiſfactionem tenetur, dedit ergo Titius operam rei illicitæ dum ſeduxit monachum vtilem monaſterio, vt de eo exeat, & illud relinquat, ergo ſi monachus exiens à monaſterio damnificat monaſterium, tenetur Titius ad damna quæ patitur monaſterium, quia dedit operam rei illicitè dum monachum vtilem monaſterio ſeduxit patet ergo quod aliquando cauſa immediata damni non tenetur ad reſtitutionum, benè tamen cauſa remota.

Dico ſecundo quod cauſa actionum humanarum altera ſolet dici finalis ſeu motiuum quod, altera impulſiua, ſeu motiuum quo; cauſa finalis ſeu motiuum quod eſt illa propter quam immediatè, & primari mouetur operans ad operandū, & illa cauſa dicitur apud iuriſtas regulare diſpoſitionem; Cauſa autem impulſiua eſt illa, quæ occaſionem præſtet, vt quis moueatur ad aliquod agendum, quod tamen etiam facturus eſſet, ſi talem occaſionem, & motiuum non habuiſſet, exemplificant iuriſtæ de Calfurnia, quam dicunt fuiſſe cauſam impulſiuam ad ſanciendum ne fœmina poſtularet, videns enim importunitatem Calfurniç Imperator cepit occaſionem ſtatuendi ne fæmina poſtularet l. 1. §. ſexum de poſtulat. attamen volunt iuriſtę cauſam finalem, & immediatam talis legis promulgandæ fuiſſe honeſtatem, & decus. & zelum pudicitiæ ſeruandæ, ita vt etiam ſi importunitas Calfurniæ non adfuiſſet, adhuc illa lex promulgata fuiſſet propter cauſam principalem motiuam colendæ ſ. honeſtatis & pudicitiæ. Ita noſt. Vugarell. loc. cit. §. 5.

Quomodo ſit vera illa propoſitio ceſſante cauſa, ceſſat effectus.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod communiter vera eſt hæc regula, quod ceſſante cauſa ceſſet effectus, de cauſa finali, vnde dicitur à Iuriſtis, ceſſante fine principali alicuius legis ceſſare etiam ipſius legis diſpoſitionem, vt infra V. lex fuſius per cribrabitur, patitur autem hæc regula aliquas exceptiones.

Et primo, quia in omnibus gratioſis, & priuilegiis ſufficit etiam iuxta aliquorum opinionem ceſſare ſolam cauſam impulſiuam, ad hoc vt ceſſet affectus. Vide infra verbo Priuilegium.

Secundo dicta Regula ceſſante cauſa finali, ceſſat etiam effectus non procedit, quando cauſa præfata eſt determinata pro vno, vel tanto numero, vel tanto tempore, vt habeatur effectus; hinc ceſſante numero filiorum, ob cuius cauſam Pater habuit priuilegium exemptionis ab oneribus vectigalium, & Collectarum, non ceſſat iſte effectus priuilegij. Ita *Decius cap. cum ceſſante num. 11. de Appellat. & Nald. V. cauſa nu. 10.*

Tertio, Iſtæ regula ceſſante cauſa ceſſat effectus intelligenda ſolum eſt de cauſa expreſſa, non autem de cauſa in mente retenta, vt notat Tiraq. reg. ceſſante n. 29. limitat. 1 vnde cauſa in mente, retenta ceſſante non vitiantur donatio, tranſactio. & remiſſio debiti Vide infra V. falſum.

Dico ſecundo, quod cauſa finalis, quando adeſt, & non eſt impulſiua, & ècontra ad cognoſcendum an ceſſante cauſa, ceſſet effectus, cognoſcitur primo, quando cauſa expreſſa eſt in vtilitatem alterius, & partium, tunc eſt cauſa finalis, & hac deficiente deficit effectus; hinc ſi quis donet tibi mille, vt ædificas capellam in Eccleſia, quæ ipſa indiget, ſi non ædificas, non debentur tibi mille, quia cauſa finalis donationis eſt ædificatio Capellæ, quia eſt in vtilitatem alterius, & partium, at vero ſi quis tibi donat fundū vt emas ex eis caligas ſi tu non emas caligas, adhuc tibi debetur fundum, quia emptio caligarum eſt ſolum impulſiua talis donationis, quia eſt ſolum in beneficium tui, ceſſante autem impulſiua non ceſſat effectus, ècontra vero, ſi quis donet tibi fundum, vt emas veſtes pro quatuor Orphanis in ſingulos annos, tunc emptio veſtium eſſet cauſa finalis donationis, quia in beneficiū partium ſi ergo non emas veſtes, poteris fundo ſpoliari, quia ceſſante cauſa finali ceſſat effectus, Secundo, quandocunque actus pius exprimitur cenſetur cauſa finalis, & non impulſiua vt habetur leg. ſi quis pro redemp. C. de donat. 3. quando cauſa exprimitur, vt ſuſtineatur actus ſecundum iuris diſpoſitionem cenſetur finalis, hinc donatio facta vxori propter combuſtionem dotium dicitur finalis, vt ſuſtineatur actus vſque ad earum reparationem ſecundum Iuriſtas, quarto quādocunque non poteſt eſſe alia cauſa intelligenda eſt de finali, Vbi. quando lex exprimit cauſam regulariter, niſi aliud circumſtantiæ ſuadeant. Vide Nald. loc. cit.

Cautio.

Qua, quomodo, & à quibus præſtanda cautio.

DIFFIC. Vnica.

DIco primo, quod cautio ſimpliciter dicta ſc. à lege Ciuili, vel ab homine regulariter intelligitur pro nuda promiſſione præſtanda, vt habetur *l. Sancimus C. de verb. ſignific.* Fallit tamen hæc doctrina in cautione expreſſa lege Prætoria, & quando perſona eſt ſuſpecta, quia tunc debet præſtari fideiuſſoria, ſi verè dicatur cautio idonea, vel ſufficiens intelligitur de pignoratitia etiam, vel ſaltem fideiuſſoria, *ex gloſ. in cap. ad noſtram 1. de iure iur. vide Angel. noſtr. V. Cautio.*

Dico ſecundo, quod ſi dicatur præſtanda cautio mediocris, intelligitur de cautione ſolemni, quæ fit per ſtipulationem, & inducit regulariter obligationem omnium bonorum, ſi vero dicatur præſtanda cautio competens, intelligitur arbitrio boni viri relicta, qui probatæ vitæ perſonis debet ſolum imponere nudam cautionem, ſuſpectis vero debet imponere fideiuſſoriam, vel pignoratitiam. Vide *Ang. vbi ſup.*

Notat tamen *noſter Vngarell.* ibidem, quod ſi cautio præſtanda iubeatur ad conſilium ſapientis, non poteſt interpretari præſtanda fideiuſſoria, vel pignoratitia, niſi in promiſſione, vel lege ponatur clauſula idoneitatis.

Dico tertio, quod obligatus dare cautionem fideiuſſoriam, vel pignoratitiam ex lege, vel ſtatuto, ſi non poſſet propter euidenter paupertatem, vel neceſſitatem, puta quia Peregrinus eſt de longinquo, debet præſtare iuratoriam cautionem, & illi omnino ſtandum *docet noſter Vngarell. vbi ſupra Schol. d.*

Cenſus.

Quid & quotuplex ſit Cenſus.

DIFFIC. I.

CEnſum à cenſendo ſuam trahere Aethimologiam non eſt qui dubitet, quaſi cenſus æſtimationem rei alicuius præſtet, vnde varias ſignificationes ſortitas eſt hæc vox

cenſus,

cenſus, etenim primò cenſus accipitur pro illa æſtimatione patrimonij, quod ſinguli ciues poſſident, quæ ſolet fieri vt ſciatur quantum tributi vnuſquiſque debeat Principi, vel Reipublicæ ſoluere, ſecundo capitur pro ipſo patrimonio recenſito, & iuxta hanc acceptionem dicitur illud vulgatum dat cenſus honores, cenſus amicitias; tertio capitur cenſus pro ipſo tributo, quod ratione dominij præſtari ſolet, & ſecundum hanc acceptionem interrogatus fuit Christus Dominus noſter à Iudeis, *licet ne dare cenſum Cæſari Matt. 22.* 4. capitur cenſus pro iure quod habet quis in re alterius vtili, & fructifera, vt ex ea penſionem annuam percipere valeat quotannis, in præſenti ergo materia de cenſu ſolum hoc quarto modo loquendum eſt, nam ſecundum alias acceptiones V. Tributum, vel Patrimonium erit ſermo. Quare.

Dico primo, quod cenſus eſt ius acquiſitum à cenſualiſta exigendi annuam penſionem ex re fructifera, & immobili cenſuarij accipientis actu ab illo æquiualens prætium; cuius particulæ in ſequentibus difficultatibus fuſius explicabuntur, nota tamen hic eſſe ſermonem de cenſu reali vt patet ex definitione, non autem de perſonali, quæ immobilis non eſt. Quare

Dico ſecundo, quod cenſus realis iuxta varios modos multiplex eſt, etenim primo ratione modi, quo fundatur, alius dicitur reſeruatiuus, alius dicitur conſignatiuus, cenſus reſeruatiuus dicitur ille quo rei ſuæ dominium cenſuarius transfert in cenſualiſtam reſeruata ſibi aliqua penſione annua in pecunijs, vel fructibus à cenſualiſta reddenda, vt cum Petrus pro pretio ſibi ſoluto à Ioanne tradit ipſi ſuam domum, vel prædium multo pluris valens pretio ſoluto, quare ſibi reſeruat annuam penſionem in pecunia, vel fructibus, vt habetur *C. vltima capitul. de rerum permutatione, & capitul. 6. de Religioſis* domibus quod genus cenſus practicari apud Eccleſiaſticos in preſtandis fundis ſuorum beneficiorum, *notat Mercad. l. 2. de contr. capitul. 15.* an vero hoc ſymoniam ſapiat, dicetur ſuo loco V. Symonia.

Cenſus autem conſignatiuus eſt, quando quis retinet quidem dominium ſuæ poſſeſſionis, vel domus, obligat tamen illam ad ſoluendam aliquam annuam penſionem cenſualiſtæ, à quo pretium accepit cenſuarius, & hic cenſus eſt propriè hodie in vſu; qui etiam multiplex eſt. Quare cum penſio poſſit ſolui, & in pecunia, & in fructibus, ideo cenſus dicitur etiam eſſe alius pecuniarius, ſcilicet qui ſoluitur in pecunia, alius fructuarius, qui ſoluitur ſolum de fructibus.

Quia vero aliquando ſolet fundari cenſus in re, & in perſona, ita vt ſi res pereat, remaneat perſona obligata ad ſoluendum, idcirco cenſus etiam dicitur eſſe mixtus. ſ. partim realis, & partim perſonalis.

Porro cenſus alius dicitur certus, alius incertus, certus eſt ille quando certa pecuniæ quantitas in penſionem conſtituitur, ſiue annus ſit ſterilis, ſiuè abundans, alius etiam dicitur incertus, quand. ſcilicet in determinata quantitas quarta ſcilicet vel quinta pars fructuum alicuius fundi ſoluenda traditur, qui tamen modus in cenſu reſeruatino eſt in vſu.

At vero, quia cenſus poteſt etiam à tempore modificari, ideo alius dicitur temporalis, alius perpetuus, temporalis quando ſolum ad tempus aliquod ſiue determinatum puta ad viginti, vel triginta annos, ſiue inde terminatum puta durante vita alicuius filij, vel fratris, qui ſolet dici vitalitius ſoluenda eſt penſio, perpetuus vero ad hæredes etiam tranſit tam cenſuarij, quam cenſualiſtæ.

Denique quia etiam a pacto poteſt affici cenſus, ideo ſolet dici cenſus alius irredimibilis, alius redimibilis; irredimibilis dicitur, quando adeſt pactum in contractu de non redimendo cenſu, redimibilis vero eſt ille quando adeſt pactum, vt quandocunque reſtituitur pretium à cenſuario, teneatur cenſualiſta illud recipere, vt ab annua penſione ſoluenda liberetur.

Ad quod genus contractus reducatur cenſus, & an licitè contrahatur.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod licet multi exiſtimauerint cenſum eſſe reducendum ad contractum innominatum ſcilicet, do, vt des, do iuſtum pretium pecuniæ, vt des ius exigendi annuam penſionem ſuper re tua fructifera, Attamen poteſt reduci ad Contractum Emptionis, & venditionis, nam cenſualiſta emit à cenſuario ſoluto ſibi æquiualenti prætio ius exigendi annuam penſionem à re fructifera ipſius, & cenſuarius vendit tale ius accepto iuſto pretio; ita colligi poteſt ex Conſtitutionibus Martini Quinti, Calixti III. & Pij V. qui in hac materia, ne erretur, multa piè ſtatuerunt. Quare

Dico ſecundo, quod licet antiquiores aliqui Theologi, vt fuerunt Henricus de Gandauo quodlib. 1. quæſt. 39. & quodlib. 8. quæſt. 24. Gregorius Ariminenſis, & alii citatia Couarr. lib. 3. variar. cap. 7. cum Innocen. ſuper cap. in ciuitate de vſuris, cenſum nouum conſtituere vſurarium putauerint, quia emptio cenſus noui eſſe purum mutuum exiſtimabant, non autem Emptio, vel venditio cenſus antiqui, vnde licitè Principem cenſum antiquum, quem à ciuibus ſuis legitimè accipiebat, poſſe vendere docuerunt.

Attamen non debet hæc ſententia hodiè ſequi, quia Pontifices ſummi, vt dictum eſt cenſum approbarunt, & conditiones ad hæc, vt licitè fundetur, appoſuerunt, licitus ergo omnino eſt cenſus, & iuſtitiam continere cenſuarios contractus ſi debitis circumſtantiis contrahantur iam determinarunt Summi Pontifices præfati.

Quod autem contractus cenſuarius non ſapiat mutuum, vt putabant antiquiores, ex eo patet primo, nam mutuatarius tenetur in omnem euentum pecuniam mutuatam reſtituere mutuanti, cenſuarius autem non tenetur reſtituere pecuniam cenſualiſtæ, Secundo ſi res ſuppoſita cenſui pereat, cenſus ipſe euaneſcit, nec tenetur cenſuarius vltra cenſus penſionem dare, nec pecuniam reſtituere, at vero Mutuarius ſemper tenetur realiter, & perſonaliter reddere mutuanti acceptam pecuniam, clarè ergo patet differentiam magnam eſſe inter mutuum, & cenſum, nil ergo mirum ſi cenſus eſt licitus, licet annua ſumatur penſio de pecunia præſtita, non autem poſſit exigi ratione mutui.

Dico vltimo, quod ex dictis patere poteſt cenſum differre ab Emphytheuſi, quia in Emphytheuſi traditur ſolum dominium vtile, reſeruat tamen ſibi dominium directum tradens in Emphyteuſim ſuum fundum, hinc Emphyteuta non ſoluens penſionem debitam incidit in commiſſum, ideſt amittit vtile dominium, & redit ad eum, qui tradidit, vt vero in cenſu traditur omne dominium, & ſi non ſoluat penſionem Cenſuarius non incidit in commiſſum. Præterea Emphyteuta non poteſt aliena re fundum irrequiſitò Domino, & tenetur ſoluere laudemium, ideſt quinquageſimam in venditione, non ſic in cenſu, cum abſolutè Cenſualiſta poſſit vendere ius exigendi penſionem ſuper re fructifera cenſuarii, Ita communiter.

Quot conditiones requirantur ad hoc, vt contractus cenſuarius ſit abſolutè licitus.

DIFFIC. III.

Nauarrus *in comment. de vſuris num. 69. & 84. refert Bullam Pij Quinti*, in qua conditiones conſtituit Pontifex neceſſariò ſeruandas ad iuſtitiam cenſus, quas ſub propriis paragraphis ipſius conſtitutionis recenſere operæ pretium duxi.

In primo ergo §. Pontifex ſic ſtatuit (hac noſtra Conſtitutione ſtatuimus cenſum nullo modo niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, & de ſui natura fructifera, & quæ nominatim, & certis finibus deſignata ſit,) in quo §. tres conditiones enumerat ad iuſtitiam cenſus neceſſarias.

Prima eſt, vt cenſus fundetur ſuper re immobili, aut quæ pro immobili habeatur.

Secunda eſt vt in re fructifera de ſui natura collocetur.

3. Eſt, vt res cenſui ſubiecta nominatim certis finibus ſit deſignata.

In 2. §. Papa ſic iubet (rurſum niſi verè in pecunia numerata præſentibus teſtibus, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius recepto integro iuſtoque prætio) Ex qua.

4. Conditio requiſita ad Iuſtitiam cenſus eſt, vt numerata pecunia coram teſtibus, & non pro pecunia credita fundetur cenſus, quam pecuniam numeratam videre debent teſtes præſentes, & Notarius de éa mentionem facere debet in contractus.

In tertio §. habetur (ſolutiones, quas vulgo anticipatas appellant fieri, aut in pacto deduci prohibemus.) Ex qua.

5. Conditio cenſus, vt non cogatur cenſuarius ſoluere annuam penſionem anticipatè ſed pro rata temporis elapſi.

In 4. §. ſic mandat (Conuentiones directè, vel indirectè obligantes ad caſus fortuitos ad quos alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus) Ex qua.

6. Cenſus conditio eſt, quod ſi caſu fortuito pereant res cenſui ſubiectæ, non poſſit deduci in pactum, vt cenſuarius obligetur adhuc ſoluere penſionem de re iam perdita, vel facta in fructifera, modo caſus fortuitus non includatur in natura contractus, vt ad eum teneatur cenſuarius.

In 5. §. ſic Præcipit Papa (quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam quia volumus rem ipſam ſemper, & liberè, & ſine ſolutione laudemij, ſeu quinquageſimæ, aut alterius quantitatis, vel rei tam inter viuos, quam in vltima voluntate alienari, vbi autem vendenda ſit, volumus Dominum cenſus alijs omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda ſit, & per menſem expectari) ex quo tres conditiones eliciuntur, quarum in ordine prima eſt.

7. Cenſus conditio, quod res cenſui ſuppoſita poſſit ſemper à cenſuario alienari ſine ſolutione laudemij, aut quinquageſimæ.

8. Cenſus conditio ex eodem §. quod cenſualiſta, ſeu emptor, & Dominus cenſus omnibus præferatur, quando res ſuppoſita cenſui vendenda eſt, & certiorari de conditionibus, quibus vendenda eſt.

9. Cenſus conditio ex eodem §. quod cenſualiſta expectetur per menſem, poſtquam intimata ei fuerit venditio cenſus facienda, an ſcilicet ipſe velit pactis cum alio conditionibus rem emere.

In 6. §. hæc ſtatuitur (pacta *Continentia* moroſum cenſus debitorem teneri *ad intereſſe* lucri ceſſantis, vel ad *Cambium, ſeu certas* expenſas medio Iuramento *Creditoris* liquidandas, vel rem cenſui *ſubiectam*, ſiue aliquam eius partem amittere, *aut aliud* ius ex eodem contractu, ſiue *aliunde acquiſitum* perdere, aut in aliquam pænam *cadere*, ex toto ſint irrita, & nulla.) *ex quo* §. elicitur.

10. Cenſus, quod non poſſint fieri pacta, quod ſi cenſuarius determinato tempore non ſoluat penſionem teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad Cambium, ſiue alias expenſas, reprobantur etiam hæc pacta, quod ſi non ſoluat penſionem determinato tempore partem aliquam amittat cenſuarius rei ſubditæ cenſus aut alterius, vel in aliquam aliam pænam incidat ob moram non ſolutæ penſionis, omnia enim hæc pacta irritat in hoc §. Pontifex, &c.

Aduertè tamen quod cum non explicet intereſſe damni emergentis, argumentum, eſt non comprehendi in hoc §. ſed licitè peti poſſe ſcilicet Azorius contrarium putet.

In 7. §. talis fit inhibitio (Immò *etiam &* cenſum augeri, & nouum creari ſuper eadem, vel alia re in fauorem *eiuſdem perſonæ* per eum ſuppoſitæ pro *cenſibus temporis* præteriti, vel futuri omnino prohibemus) ex quo deducitur.

11. Cenſus conditio eſt, ne expenſionibus non ſolutis poſſint creari noui cenſus, quæ conditio licet non repugnet iuri naturali, nec antiquo, ponitur tamen à Pio, V. ad vitandas fraudes; & ne cenſuarius opprimatur, & in paupertatem redigatur, ſicut ex vſuris vſurarum, & cambijs, & Recambijs.

In 8. §. Continetur (ſicuti etiam nullamus pacta continentia ſolutiones onerum ſpectare, ad quem de iure, & natura contractus non ſpectarent.) Vnde habetur,

12. Conditio cenſus ſcilicet ne apponātur pacta onerosa, vltra quod patitur natura contractus, &c. v. g. ſi in contractu cenſuatio apponeretur onus, vt obligaretur cenſuarius ad hoſpitandos familiares cenſualiſtæ, & aliud ſimile, nullum eſſet factum, quia eſt contra cenſus contractum, at vero ſi imponeretur onus ſoluendi collectas, non eſſet nullus contractus, quia onera realia debet venditor ſoluere.

In 9. §. ſic iubetur (poſtremo *cenſus in futurum* creandos non ſolum re in *totum vel* pro parte perempta, aut in *fructuoſa in* totum, vel pro parte effecta *volumus ad ratam* perire, ſed etiam poſſe *pro eodem* pretio extingui non obſtante *longiſſimi* etiam temporis, ac immemorabilis, immò centum, & plurium annorum *præſcriptione*, non obſtantibus aliquibus *pactis directè*, aut indirectè talem facultatem *auferentibus* quibuſcumque *clauſulis aut* verbis concepta ſint.) Vnde duæ conditiones præcipuæ in cenſibus aſſignantur, quarum in ordine eſt.

13. Conditio eſt, quod in toto, vel in parte pereunte re ſubiecta cenſui pereat in toto, vel in parte obligatio reddendæ penſionis, ita vt cenſuarius, vel venditor non teneatur ſoluere penſionem niſi pro ea parte, vel toto fructum reddente, ceſſante fructum dare vel in toto, vel in parte, nec in toto, nec ratione partis non fructificantis teneatur.

14. Conditio eſt, vt cenſuarius poſſit ſemper eodem pretio rem cenſui ſubiectam redimere non obſtante quacumque præſcriptione etiam centum annorum, & quocumque etiam pacto, vel clauſula.

10. §. (*Cum vero* redditus extinguendus *erit volumus* per bimeſtre ante id ei *denunciare*, cui pretium dandum erit, & *poſt denunciam* intra annum tamen ab *inuito pretium* reperti poſſe, ita vt pretium *nec volens* intra bimeſtre ſoluat, nec *ab inuito* intra annum exigatur, *volumus* nihilominus quandocumque redditum *extingui* poſſe præuia tamen ſemper *denuntia de* qua ſupra, & non obſtantibus *ijs de quibus* ſupra; idque ſeruari mandamus *etiam* quod pluries, vel pluries *denunciatum* fuerit, nec vnquam effectus *ſecutus fuerit.*) Ex quo ſequitur.

15. Conditio in cenſu appoſita à Papa vt cenſuarius, ſeu venditor cenſus volens redimere eodem pretio rem cenſui ſuppoſitam, per bimeſtre ante denunciet emptori, ſeu cenſualiſtæ ſuam intentionem, quam habet redimendi, & reddendi iuſtum pretium, ita vt nec infra bimeſtre teneatur ſoluere cenſuarius pretium, poſſit tamen intra annum poſt denunciam cenſualiſta, ſeu emptor cogere cenſuarium ad ſoluendum pretium, elapſo autem anno non poteſt amplius cogi.

11. §. (*pacta autem* continentia *pretium cenſus* extra caſum prædictum *ab inuito ob pœnam*, vel aliam cauſam repeti *poſſe omnino* prohibemus.) Ex quo ſit

16. Conditio cenſus, quod in nullo caſu præterquam intra annum poſt factam denuntiam vt ſupra poteſt cenſuarius cogi ad reddendum pretium.

12. § (*declarantes* pretium ſemel *cenſui* conſtitutum nunquam poſſe *ob temporum*, aut contrahentium *qualitatem, ſeu aliud* accidens, nec quoad *vltimo contrahentes* minui, vel augeri.

13. §. (*Contractus* ſub alia forma *poſt hac* celebrandos, fæneratitios *iudicamus*, & ita illis propterea non *obſtantibus* quicquid, vel expreſsè, *vel tacite contra* hæc noſtra mandata dari, *remitti*, aut dimitti contingat *à fiſco* volumus poſſe vindicari.

17. Conditio, quod cenſus alijs modis, & conditionibus, vel omiſſis præfatis ab ipſo conditionibus fænoratitius, & vſurarius cenſendus, quare ſi aliquid detur, remittatur, vel dimittatur contra præſcripta à Papa fiſcus poteſt accipere.

14. §. (Salutiferam hanc ſanctionem *ne dum in cenſu* nouiter creando, *verum etiam* in creato quocunque tempore *alienando*, *modo* poſt publicationem *conſtitutionis huius* creatus ſit, perpetuò, *& in omnibus ſeruari volumus.*)

18. Mandat Papa, quod hæc ſalutifera ſanctio præfatis conditionibus ſeruetur perpetuo tam in cenſu nouiter creando, quam in creato quocumque

tempore

tempore alienando modo poſt hanc conſtitutionem ſit creatus.

Iſtæ ſunt conditiones à Pio V. appoſitæ ad iuſtitiam veri cenſus, verum quia ali quæ & ferè omnes aliquam dubietatem pati poſſunt ideo per ſequentes difficultates plenius Deo dante exponentur.

Vtrum præfatæ conditiones à Pio, V. appoſitæ ad iuſtitiam cenſus ſint vbique ſeruandæ tanquam obligantes tam in foro fori, quam conſcientiæ?

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod conditiones illæ, quæ iuri naturali, vel diuino inniuntur ſanè ab omnibus ſeruandæ, quia ius diuinum, & naturale omnes ligat, illæ vero, quæ ſolum continent prohibitiones, vel mandata ex ſolo iure nouo in terris Papæ ſubiectis aiunt *Nauarr. in comp. de Vſur. numer.* 106. *& Leſſ. lib. 2. de Iuſtit. capit.* 22. *dub.* 13. *& Couarr. lib.* 2. *variar. capitul.* 16. *num.* 6. ligare ſolum quoad temporalia, & in Prouincijs, in quibus conſtitutio iſta ſimpliciter, & omnino non ſolum eſt promulgata, verum etiam omni ex parte recepta, & in conſuetudine poſita, quia leges huiuſmodi non habent vim obligandi, niſi vſu recipiantur.

Dico ſecundo, quod in foro conſcientiæ ſeruandæ ſunt ab omnibus præfatæ conditiones, quia licet ſingulæ non ſint de iure naturali, vel diuino, attamen quia, quæ de iure nouo pontificio ponuntur, vel vſuram, vel ſpeciem vſuræ, vel vſuræ periculum prohibent, iuſtæ ſunt, & ſalutiferæ; atque adeo in conſcientiæ foro ſeruandę, nam leges, quæ malum prohibent, & ſpeciem, & periculum mali in foro conſcientiæ tanquam iuſtæ amplectendæ, & executioni mandandæ. Ita *Nauarr. loco citat. & à Sancto Fauſto de cenſ. quæſt.* 95. intellige vbi huiuſmodi conditiones receptæ ſunt, & in vſu poſitæ, ſecus non obligant vt conſentiatc.

Dico tertio, quod in Regnis vtriuſque Siciliæ citra, & vltra Pharum *indulſit Gregorius Decimuſtertius*, *vt refert Naldus V. cenſus*, vt non teneantur incolæ ad conditiones omnes à Pio V. ſtatutas pro cenſus iuſtitia, ſed illas ſolum, quas ponit Nicolaus, V. prodictis Regnis ad petitionem Alphonſi Regis Aragoniæ cum hoc tamen, vt ſemper ſeruentur illæ duæ conditiones, vt certa res exprimatur, ſuper quam cenſus fundari debet, & facultas redimendi cenſum nullo modo reſtringatur, ſed libera ſemper maneat cenſuario facultas redimendi. Ex quo

Aduerte primo, quod non omnes præfatæ conditiones poſitæ à Pio, V. ſunt de iure naturali, aut diuino, quia in eis omnibus non diſpenſaſſet ſapientiſſimus Gregorius XIII. quare aliquæ ſunt de iure poſitiuo, in quibus Papa diſpenſauit.

Dico vltimo, quod præfatę conditiones illæ, quæ fundantur in iure naturali, vel diuino ſanè per non vſum, vel contrariam conſuetudinem, tolli nequeunt, nam vt ſuo loco dicetur conſuetudo contra ius naturale, & diuinum tanquam iniqua non tollit legis obligationem; quæ vero ſolum ſunt de iure poſitiuo ſanè per non vſum abrogari potuerunt, & poterunt. Ita etiam *Nauarr. loco citat.*

An cenſus conſtitui poſſit ſuper ſimplici, ſolaque nuda perſona cenſuarij, vel alia re mobili puta oleo, frumento, & vino ſtando in ſolo iure naturæ.

DIFFIC. IV.

CErtum eſt de iure nouo ſcripto à Pio, V. non poſſe cenſum conſtitui ſuper nudam perſonam cenſuarij, quia ſecundum illud requiritur, vt dictum eſt in prima conditione, quod res ſubiecta cenſui ſit immobilis, aut pro immobili habeatur, quid autem mobilius, & incertius homines quæritur ergo quid dicendum de iure naturæ, & naturali æquitate.

Affirmant *Gabr. in 4. diſtinct.* 15. *articul.* 12. *Conrad. de Contractat. quæſt.* 74. *&* 75. *Palatius lib.* 4. *de contractat. l.* 3. *Bann.* 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 4. *Medina quæſt.* 1. *&* 2. *cap. de cenſibus Bartol. a Sancto Fauſto, Sot. l.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 1. *& alij* volentes ſuper perſona, quę ex ſua induſtria, & opera eſt vtilis, & fructifera attento ſolo iure naturæ poſſe conſtitui cenſum, ſeu annuam penſionem exigendam; ſi adſit iuſtitia iuſti pretij, quod ſi perſona non ſit fructifera, & vtilis ex ſua induſtria, & opera, negant poſſe conſtitui cenſum, quia penſionem ex re fructifera percipere non prohibetur ex iure naturæ, ergo dum perſona frugifera eſt, non prohibetur de iure naturę ex ipſa penſionem exigere ratione fructuum prouenientium ex ſua induſtria, & opera, & conſequenter cum repugnet de iure naturę imponere penſionem ſuper re non fructifera, repugnabit etiam cenſum imponere ſuper perſona, quæ ex ſua induſtria, & opera inutilis eſt, & in fructifera.

Negant tamen noſtri *Angelus V. vſura quæſt.* 78. *& Roſell. V. vſura* 1. *num.* 31. *Panormitan. capitul. in ciuitat. de vſur. Molyn. T.* 2. *de contractat. diſput.* 389. *Valaſc. de iure Emphyt. capitul.* 32. *nu.* 10. *Guttier.* 2. *pract. quæſt. quæſt.* 177. *Nauarr. in commem. de vſur. num.* 81. vbi habet hanc ſententiam eſſe communiorem, &c. & *Couarr. l.* 3. *variar. cap.* 7. *num.* 5. fatetur etiam hanc eſſe communiorem licet ipſe etiam primam amplectatur.

Garzias tamen nititur vtramque opinionem *in lib. de contract. part.* 2. *capitul.* 4. Conciliare diſtinguendo ſecundam opinionem veram eſſe in cenſu irredimibili, primam vero in cenſu vitalitio ſequi poſſe.

Vtramque tamen opinionem probabilem puto, & tutam in conſcientia præcipuè primam, modo cenſus imponendus ſit redimibilis, quia licet perſona ſit admodum ſubiecta mobilitati infirmitatum variarum, & aliorum accidentium, & infortuniorum, ex quibus poteſt impediri fructus ex ipſius opera, & induſtria prouenien (vnde ſecunda, opinio probabiliter loquitur non poſſe cenſum conſtitui ſuper perſona) attamen ſi cenſus ſit redimibilis, poterit cenſuaria perſona aduenientibus præfatis impedientibus fructus ex ſua induſtria, & opera prouenientes reddere iuſtum pretium Domino, & ſic ſe eximere ab annua penſione reddenda.

Quare iuxta diſtinctionem hanc puto intelligendam *Extrauag. Nicolai V.* in qua ſolum naturam cenſus proſpiciens Papa declarat poſſe cenſum conſtitui in perſonis redditibus, iuriſdictionibus, iuribus, proprietatibus, & quibuſcunque bonis, ſiuè mobilibus ſiue immobilibus, nam conſtituere cenſum irredimibilem ſuper perſona, & ceteris rebus mobilibus eſſet contra ius naturæ prohibens penſionem accipere à re non fructifera, poteſt ergo perſona, & res mobilis faciliter pati in fructiferam ex qua conſtitutione Nicolai V.

Collige attento ſolo iure naturæ poſſe ſuper vino, oleo, & alia re mobili cenſum conſtitui, modo ſint in ſtatu fructificandi, quia dum manent in ſtatu fructificandi præbent ius accipiendę annuæ penſionis, & conſequuntur obligari poſſunt ad annuam penſionem, ſecus tamen ſi non eſſent in ſtatu fructificandi, quia cum non præberent ius accipiendæ verę annuæ penſionis, ex eo quia nullam vtilitatem afferrent, contra ius naturæ talis cenſus conſtitueretur.

Collige ſecundo, quod cenſus fundatus ſuper re mobili, vt eſt perſona, oleum, frumentum, & ſimilia debet minus vendi, quam fundatus ſuper re immobili, & ratio eſt, quia cum res mobilis regulariter citius pereat, quam immobilis, cenſus etiam citius extinguetur, quam ſi ſupra rem immobilem poneretur. Vide *Gabr. in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 12. *art.* 2. *Conrad. de contractat. quæſt.* 72. *Concil.* 1. *& Sot. l.* 6. *quæſt.* 5. *a.* 1.

Vtrum cenſus fundari valeat tam in re actu minus fructifera, quam actu magis fructifera penſione ſoluenda, & an cenſus creari debeat iuxta rationem pretij quo res valet, an ratione fructuum, quos reddit quotannis?

DIFFIC. V.

DIco primo, quod certum putant paſſim Doctores, vt notat *Nauar. in comm. de vſur. nu.* 113. & probabiliter quidem cenſum conſtitui poſſe in re, quæ ex ſui natura fructum poteſt ferre iuxta onus penſionis ſoluendæ, licet actu non ferat tantam vtilitatem, quia cenſuario imputandum, quod actu rem fructificare non faciat, præterquam quod in l. competit ff. quod vi, aut clam habetur, quod ſit dicendum fructiferum prædium, quod licet nullum ferat fructum, ſi amænitatis cauſa retineatur propter Domini, aut fructuarij voluptatem; ſufficit ergo quod res nata ſit iuxta qualitatem annuæ penſionis fructus reddere ad hoc, vt cenſus ſit iuſtus.

Dico ſecundo, quod licet Couarr. l. 3. var. cap. 7. num. 6. & Conrad. de contractat. quæſt. 88. concluſ. 12. velint cenſum poſſe conſtitui ſuper rem, quæ non reddit tantam vtilitatem, quantum valet cenſus putantes cenſum eſſe ius exigendi penſionem à perſona, rem autem eſſe tanquam pignus, attamen quia verè cenſus vt dictum ſupra eſt ius exigendi penſionem ex fructibus rei immobilis, quæ ſupponitur cenſui, neceſsè eſt dicere, vt res ſuppoſita cenſui tot fructus poſſit ferre deductis laboribus, & expenſis in fructibus colligendis, quot ad annuam penſionem ſufficiunt, obligare autem perſonam ad penſioſum ſoluendam à Bull. Pij, V. interdicitur, itaque neceſſe eſt vt res ſuppoſita cenſui omnino poſſit ſaltem tot fructus producere, vt ad penſionem ſoluendam ſufficiant deductis expenſis, alioquin cenſus non eſſet iuſtus, quia ſi res non redderet tot fructus iuxta quantitatem penſionis ſoluendę, Dominus venderet ius quod non habet, vendit enim rem quæ non fert tot fructus, qui adæquent cenſum. Ita etiam *Nauarr. comm. de vſur. num.* 79. *Tolet. lib.* 3. *cap.* 37. *Lop. l.* 1. *capitul.* 10. & *Barth. a Sancto Fauſto de cenſibus diſput.* 8. *quæſt.* 15. & 16.

Aduerte tamen, quod non eſt neceſſe vt res fructus reddat eodem omnino anno quo penſio eſt ſoluenda, in tanta quantitate, quæ exæquet cenſum, ſed ſufficit vt poſſit penſio ſolui ex fructibus rei cenſui ſuppoſitæ tempore opportuno.

Dico ſecundo; quod ſi propter hoſtium incurſus, vel aeris intemperiem, & conſimilia res cenſui ſuppoſita reddatur in fructifera, quia ſcilicet locari nequeat, ſi talia impedimenta ſint crebra, vel perpetua, non poteſt ſuper tali re cenſus conſtitui, quia moraliter habetur in fructifera. Vide Virginium 2. p. de cenſ. num. 27.

Dico tertio, quod cenſus fundari poteſt in re, quæ magis fructifera eſt, quam ſit penſio ſoluenda, nam incenſu non emitur totum ius in re, nec emuntur omnes fructus, ſed ſolum pro rata penſionis ſoluendæ, vnde Martinus, V. Calixtus Tertius & Pius, V. in ſuis extr. ſolum præceperunt rem cenſui ſuppoſitam ſaltem debere tantum fructum reddere, quanta eſt penſio ſoluenda, non autem prohibent fructus vberiores eſſe poſſe.

Dico quarto, quod licet Couarr. l. 3. variar. cap. 7. num. 6. putet in cenſu creando habendam rationem ſolum ad æſtimationem pretij rei, non autem fructuum, qui ex ea percipi ſolent, attamen probabilius aſſerendum capiendam eſſe æſtimationem fructuum in cenſus creatione, non autem pretij rei cenſui ſuppoſitæ, quia cenſualiſta non emit rem ipſam, ſed ius percipiendi penſionem ex fructibus rei, vnde iure concludunt Pontifices in ſuis Conſtitutionibus fructum rei cenſui ſuppoſitæ non poſſe eſſe minorem annua penſione ſoluenda. Ex quo

Collige, quod ſi res aliqua puta Palatium, ager æſtimetur viginti millibus aureis, & non ferat fructum quot annis niſi quinquaginta aureis non poteſt in ea fundari cenſus pro penſione annua centum ducatorum, vel aureorum, quia licet pretium poſſit ſuſtinere hanc penſionem, non tamen fructus ab ea percipiendi, & è contra ſi domus valeat mille aureis, & tamen ratione alicuius commoditatis, vel loci locetur quotannis centum aureis, poterit ratione huius fructificationis in ea fundari cenſus cum penſione annua nonaginta ducatorum, licet ratione pretij non poſſet ſuſtineri tanta penſio, cum domus locari non ſoleant niſi ratione quinque pro centenario in ſingulos annos.

Aduertendum eſt etiam hic, quod ſi res cenſui ſupponenda ſolum ſit fructifera ex induſtria alicuius perſonæ ſimpliciter, non autem ex natura ſua, cenſus eſt iniuſtè celebratus contra Pij V. conſtitutionem, in qua præcipitur vt res cenſui ſupponenda ſit ex natura ſua frugifera.

An res cenſui ſuppoſita dicatur facta in fructifera, ſi duobus vel tribus annis non ferat fructum?

DIFFIC. V.

DIcendum videtur, quod ſi per accidens ſit vt duobus, vel tribus annis in toto, vel in parte non fructificet res cenſui ſuppoſita, non eſt æſtimanda reddita in fructifera, quia manet in potentia fructifera, & ſi aliquo anno propter grandines, pruinas, & alia ſimilia non fructificat, in anno ſequentibus ſolet vberiores fructus reddere, quod ſi reddatur in fructifera etiam potentialiter, puta quia tota domus corruit, vel ab inimicis res occupata, dicitur reddita in fructifera, quare ceſſat penſio ſoluenda pro cenſu in ea poſito.

Vnde conſtitutio Pij, V. docet, quod ſi res ſuppoſita cenſui ſit facta in fructifera in toto, vel in parte cenſum extingui in toto, vel in parte, non autem mandat, quod ſi res non reddat fructum ex aliquo accidente, cenſus in parte, vel in toto extinguatur. Ita etiam *Nauarr. comm. de vſur. num.* 117. *Conrad. de contr. quæſt.* 83. *Molyn. diſp.* 391. *de contr. Leſſ. de Iuſt. l.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. & *alij.*

Quare non videtur audiendus Virginius de cenſ. part. 2. num. 4. volens quod ſi res ſubiecta cenſui duobus, vel tribus annis ferat modicum fructum non dicatur reddita in fructifera, quod ſi nullum ferat fructum, quod debeat dici in fructifera, nam in hoc caſu attendenda eſt potentia ad faciendos fructus; dum enim adeſt potentia non poteſt dici reddita in fructifera, cum maneat ſpes fructus percipiendi.

Vtrum cenſus in alio cenſu vel in re ſuppoſita alteri cenſui fundari poſſit.

DIFFIC. VII.

DIcendum primo, quod licet aliqui abſolutè negauerint cenſum fundari poſſe in alio cenſu, ex eo, quia non eſt res certis finibus deſignabilis cenſus, ſicut Pius, V. mandat in ſua conſtitutione debere eſſe rem, in qua fundatur cenſus, & ita docet *Virginius de cenſ. part.* 1. *num.* 49. attamen quia Pius, V. refert finium deſignationem ad rem ſolum immobilem, & ibi dicit Pontifex quod etiam res, quæ pro immobili habetur poſſit cenſui ſupponi, ſequitur, quod non obſtat finium deſignatio, quo minus res quę pro immobili habetur, poſſit cenſui ſupponi, cenſus autem pro re immobili habetur *in Clement.* 1. *§. cumque annui cenſus de verb. ſignificand.* ergo poteſt ſupponi alteri cenſui, maximè cum res fructifera ſit, licet certis finibus non poſſit deſignari, quia ſolum res ex ſe immobilis iuxta mentem Pij, V. debet certis finibus deſignari, non autem res, quæ pro immobili habetur, cum finibus huiuſmodi careat. Ita *etiam Nauarr. comm. de vſur. num.* 87. *Valent. T.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 22. *Med. q.* 11. *de vſur. Leſſ. l.* 2. *cap.* 22. *dub.* 2. & *alij.*

Verum aduerte, quod hæc opinio affirmatiua intelligenda eſt de cenſu perpetuo, qui verè pro re immobili habetur, ſuper quo ſaltem de iure naturæ non repugnat conſtitui poſſe alium cenſum, immo etiam ſtando in conſtitut. Nicolai, V. in qua permittitur cenſus conſtitutio in redditibus annuis, in cenſu autem non perpetuo communius putant non poſſe cenſum alium conſtitui, quia cenſus temporaneus non ponitur inter immobilia.

Dico ſecundo, quod ſi res ſuppoſita cenſui ſolum fructus ferat adæquantes penſionem annuam ſoluendam non poteſt ſupponi alteri cenſui abſque cenſualiſtæ conſenſu, quia ipſe habet ſibi obligatam talem rem pro ſua annua

annua penſione, ergo abſque eius conſenſu non poteſt ſupponi alteri cenſui, quod ſi maiores fructus ferat res ſuppoſita cenſui, quam ſit penſio ſoluenda, non videtur abſurdum affirmare pro alia re fructuum exuberantium eamdem rem cenſui alteri ſupponere, propriè enim cenſualiſta emit ius percipiendi fructus, non autem rem ipſam, ergo fructus exuberantes annuam penſionem alterius cenſus poteſt vendere legitimè Cenſuarius alteri, monendum tamen puto priorem cenſualiſtam, vtrum velit alteram partem ipſe emere ad ſoluendas diſcordiarum occaſiones.

An cenſualiſta valeat penſionem exigere ex cenſu fundato in re aliena, vel alijs vinculi obſtrictam.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod certum eſt non poſſe ſcienter cenſum conſtitui in re aliena abſque conſenſu Domini ſui, quia nullus poteſt ſcienter vendere rem alienam, in quem venditor non habet ius: itaq; cenſuarius cũ transferat ius percipiẽdi fructus de re ſuppoſita cenſui, nõ poteſt vendere ius, quod non habet, atque adeo nulla eſſet venditio, & cenſus celebratio. Vide Nauar. de vſur. n.131. & Molin. diſp. 394.

Dico ſecundo, quod ſi cenſualiſta, ſiuè Emptor cenſus à principio ignorauit rem cenſui ſuppoſitam eſſe alienam, vel alijs vinculis obſtrictam licitè poteſt à venditore, ſeu Cenſuario exigere penſionem per totum tempus, quo iuſta durat ignorantia, quia ignorantia probabilis facit bonam fidem, bona autem fides dum durat facit fructus legitimè perceptos.

Attamen ſtatim atque cognouerit cenſualiſta rem cenſui ſuppoſitam eſſe alienam, & in ea nullum ius habuiſſe cenſuarium, ſiuè Venditorem, non poteſt amplius penſionem exigere, quia cenſum non ſubſiſtere cognoſcit, & ceſſat bona fides conſequenter, nemo enim inuito Domino poteſt penſionem exigere ex fructibus ſuæ rei, poteſt tamen cogere venditorem, vt cenſum in alia re ſua fructifera conſtituat, vel ſaltem pretium reſtituat.

Dico tertio, quod ſi cenſualiſta à principio ſciebat, vel ſuſpicabatur rem cenſui ſuppoſitam eſſe alienam, vel alijs vinculis obſtrictam, non poteſt penſionem exigere, & ſi exigat tenetur penſionem in partem pretij computare, dolus enim nemini debet patrocinari, doloſè autem cenſualiſta celebrauit cenſum ſuper re aliena, vel alijs vinculis obſtricta, itaque cum verè ſciat cenſum non ſubſiſtere, iniuſtè penſionem exigit, debet ergo eam reſtituere, & in partem pretii accepti computare.

Confirmatur ex eo, quia emens ab aliquo boues, quos ſcit non eſſe venditoris, ſi eoſdem venditori locat, non poteſt exigere pretium locationis, quia cum emptio non ſubſiſtat, nec ſubſiſtit locatio, immò in foro fori poteſt tanquam vſurarius puniri talis Emptor, & locator, vt potè ſolum ratione mutuæ pecuniæ penſionem accipiens, ita etiam à pari intradente pretium cenſus ſuper re aliena, videtur adeſſe ſolum mutuum pecuniæ pro quo penſionem accipit annuam Ita etiam Nauarr. commen. de Vſur. num.119. & Mol. diſp. 394. & alij.

Dico quarto, quod ſi cenſuarius, ſiue venditor Cenſus ſciebat rem eſſe alienam, vel aliis vinculis obſtrictam, quam cenſu ſupponit, hoc ignorante cenſualiſta, tunc licitè exigit cenſualiſta penſionem, quia dolus nemini debet patrocinari, & compellere poteſt cenſuarium ad reſtituendum prætium, vel locandum cenſum in alia re fructifera, vt dictum eſt ſupra, & tenetur Venditor ad intereſſe cenſus ex regula iuris ſitua culpa damnum datum eſt, iure ſuper his te oportet ſatiſfacere. Vide Molin. diſput 394. & Barthol. à Sancto Fauſto vbi ſupra q.24.

Vtrum feudatarius, Emphyteota, & maritus poſſint cenſui ſupponere feudum, rem emphyteoticam, & bona dotalia.

DIFFIC. IX.

Dico primo, quod licet *Follerius de cenſualibus contract. §. cenſus* affirmare videatur poſſe feudatarium, & Maritum fundare cenſum in feudo, & re dotali, quia vterque habet ius percipiendi fructus tam ex feudo, quam ex re dotali, cenſus autem ex ſui natura ſolum dat ius percipiendi penſionem ex fructibus, attamen probabilius videtur negandum, quia res in feudum data poteſt incidere in commiſſum, eiuſque pœnam poteſt ſubire feudatarius, vnde abſolutè non eſt dominus perpetuus fructuum feudi, itaque nec ius poteſt dare exigendi annuam penſionem ex fructibus ratione cenſus.

Idem dicendum de re dotali, nam poſſet mori vxor abſque liberis, & ita ſpoliaretur Maritus iure percipiendi fructus, quare non eſt Dominus perpetuus fructuum dotalium, non ergo poteſt cenſui ſupponere tale ius.

Dico tamen ſecundo, quod conſentiente Domino feudi, & conſentiente vxore, poſſunt feudatarius, & Maritus ſupponere feudum, & rem dotalem cenſui, quia tunc transfertur plenum ius percipiendi penſionem ex fructibus. Vide Virginium de cenſ. p.2.n.74. & 77.

Quod dictum eſt de feudatario, dicendum pariter de Emphytheota, qui eadem ratione non poteſt abſque conſenſu Domini ſupponere cenſui rem in Emphyteo ſim acceptam.

Vtrum iure naturali, vel diuino prohibeatur cenſum conſtituere generaliter ſuper omnia bona præſentia, & futura cenſuarij.

DIFFIC. X.

Præſens difficultas non procedit in locis, in quibus conſtitutio Pii Quinti, eſt recepta, vt patet ex conditionibus ſupra aſſignatis, examinanda ergo eſt an liceat alibi vbi Bulla non ſeruatur, an s.c. tuta conſcientia poſſit ita praticari præciſa præfata conſtitutione.

Diſtinguendum ergo puto, quod ſi cenſus conſtituatur ſuper omnia bona præſentia, & futura, ita vt deficientibus in toto, vel parte bonis adhuc maneat penſio ſemper ſoluenda ratione ſpei bonorum acquirendorum, & in hoc caſu cum cenſuarius multum opprimatur videtur eſſe contrarius naturali, & diuino iuri tales cenſus.

Quod ſi ſolum ſuper omnia bona indeterminatè ita conſtituatur cenſus, vt pereuntibus ex toto, vel parte bonis, ipſe quoque cenſus in parte, vel toto pereat, non videtur eſſe contra ius diuinum, & naturale, quia ſicut habet ius generaliter ſuper omnes fructus, ita etiam poteſt cenſuarius tradere ius alteri percipiendi penſionem ex omnibus fructibus generaliter.

Quare de facto in Conſtitutione Nicolai Quinti facta ad inſtantiam Alphonſi Aragoniæ Regis permittitur, vt Neapolitani, & Siculi ſupponant cenſui bona ſua generaliter, quod non permiſiſſet Pontifex, ſi contra ius naturale, & diuinum foret. Vide *Couar. l. 3. var. c.7. n.5. Conrad. q.74. & 75. de contract. & Tolet. l.5. c.46.*

Vtrum cenſus poſſit conſtitui in diuerſis rebus immobilibus ad inuicem ſeparatis.

DIFFIC. XI.

Diſtinguendum puto, nam vel res vna immobilis puta vnum Prædium ſufficiens eſt ad tot fructus reddendos, quot ſuſtinere poteſt penſio annua ſoluenda ratione cenſus appoſiti, & in hoc caſu non debent plura prædia, & plures res immobiles ſeparata ſupponi cenſui, quia fruſtratorium eſſet, quod ſi vnum, vel duo non ſufficiant, poſſunt quidem tot ſupponi, quot requiruntur ad penſionem annuam ritè perſoluendam, quia tunc plura illa prædia vni æquiualerent ratione penſionis ſoluendæ. Ita Virginius diſputat. de cenſ. num. 137.

Quare licet Pius Quintus, præcipiens cenſum conſtitui ſuper re immobili in ſingulari loquatur, non intendit excludere pluralitatem neceſſariam ad ſolutionem penſionis, lex enim loquens de vno habet locum in pluribus ſi eadem militat ratio: Vnde à Martino V. & Calixto III. in ſuis extrauag. loquendo de cenſibus in plurali etiam loquuntur, vt. ſ. Venditores aſſignent prædia, & poſſeſſiones.

Vtrum vero ſtando in rigore Bullæ Pij Quinti, poſſit cogi

cenſuarius ad aſſignanda plura prædia, ſi vnum ſufficiat, negatiuè reſpondendum eſt, quia grauaretur nimis cenſuarius ad ſupponendum cenſui prædia plura, ſi vnum ſufficiat, quod ſi cenſuarius es ſuo beneplacito id velit facere, non fieri contra Bullam Pij V. docent probabiliter *Nauar. in comm. de vſur. n. 113. Moly. de contr. T. 2. diſp. 389. & alij.*

Vtrum beneficiarius poſſit cenſum conſtituere ad tempus vitæ ſuæ in bonis, vel fructibus ſui beneficij.

DIFFIC. XII.

CErtum eſt non poſſe beneficiarium cenſum conſtituere in bonis, vel fructibus ſui beneficij in perpetuum, quia ipſe non eſt Dominus, nec adminiſtrator perpetuus ſui beneficij, quæritur ergo, an ad tempus ſaltem vitæ ſuæ id poſſit.

Dicendum puto, quod *licet Foller. de cenſual. contr. §. cenſus n. 22.* affirmet poſſe beneficiarium ad tempus vitæ cenſui ſupponere fructus ſui beneficij, ex eo quia habet verum, & reale ius percipiendi fructus ſui beneficij, ergo poteſt alteri tradere tale ius accepto prætio ſoluendo annuatim æquiualentem penſionem pro toto tempore vitæ ſuæ.

Attamen hodie ſtante conſtitutione Pij V. non poteſt cenſus emi, vel vendi ad vitam, ſed debet vendi, & emi perpetuo cum pacto retrouendendi, vel redimendi, præterea nec Beneficiarius eſt abſolutè, & ſimpliciter Dominus fructuum ſui beneficij, poteſt enim ex delicto eo priuari vnde fructus beneficiorum propriè non ponuntur inter res immobiles, ſed inter res mobiles, non poſſunt autem cenſui ſupponi res mobiles, Adde quod ex *Conſtitut. Paul. 2. in extr. Ambitioſæ de reb. Eccleſiæ non alienandis* prohibetur, ne res Eccleſiæ locentur vel obligentur vltra triennium,

Vtrum præciſa Pij V. conſtitutione, poſſit ex natura contractus cenſualis initus cenſus in alia re, quam in pecunia numerata?

DIFFIC. XIII.

DIco primo, quod abſolutè loquendo non videtur iuri naturali conſentaneum in alia re, quam in pecunia numerata cenſum conſtitui, quia poſſet fieri quod res alia non ſit vtilis æquè cenſuario, ſicut numerata pecunia, vnde penſionem ſoluere illi valde eſt onetoſum, & ita videtur docere Virginius 2. p. de cenſib. n. 5.

Dico támen ſecundo, quod ſi alia res illa, quæ datur loco pecuniæ numeratæ pro fundatione cenſus habeat iſtas duas conditiones .ſ. vt talis res puta merces, domus exhibeantur iuſto, & moderato prætio, ſecundo vt tales merces, domus, vel Ager verè realiter citra omnem fraudem, & dolum ſint vtiliores cenſuario, vel ſaltem æquè vtiles ſicut pecunia numerata, puta quia fortè pecunia numerata ſi data fuiſſet empturus eſſet tales merces, vel domum cenſuarius ad vtilitatem ſibi comparandam ex talibus mercibus, vel domo, ſanè ex natura cenſualis contractus non repugnaret talibus rebus loco numeratæ pecuniæ cenſum conſtituere, quia tales merces, ſiue domus ita inſeruiunt cenſuario, ipſique vtilitatem afferunt ſicut pecunia numerata. Ita etiam *Nauarr. in comm. de vſur. n. 105. Salon. l. 2. de contract. diſp. de cenſib. & alij.*

Vnde optimè præciſa Pij, V. conſtitutione infert *Couar. l. 2. var. cap. 11.* quod licitè ſi Titius emit domum à Caio, & loco prætij dat Caio domum, quæ in ſingulos annos ex locatione ſolet reddere tantum, quanta eſt penſio cenſus, conſtituere poteſt Titius cenſum in domo, quam tradit Caio loco pretij, quia videtur, ac ſi numerata pecunia conſtituat cenſum, dum Caio eſt vtilis æque domus, ac penſio ſoluenda quotannis.

Porro Pius V. ad vitandas potius fraudes quam ad naturam contractus reſpexit, dum ſanctè ſanciuit cenſum non poſſe conſtitui niſi numerata pecunia præſentibus Notario, & teſtibus.

Vtrum iuxta conſtitutionem Pij, V. ſit nullus contractus cenſualis, ſi non fiat numerata pecunia coram teſtibus, & Notario.

DIFFIC. XIV.

AFfirmant aliqui probabiliter ex eo, quod quando conditiones apponuntur tanquam forma ſubſtantialis contractus ſi non ad ſint, nullus eſt ipſo iure contractus, vt dicetur loco ſuo, quod autem contractus cenſualis non fiat niſi numerata pecunia coram teſtibus, & Notario ponitur a Pio, V. tanquam forma ſubſtantialis in ipſo contractu cenſuali, ergo ſi celebretur ſine tali conditione nullus eſt. Ita videntur ſentire *Bonac. de contr. diſp. 3. q. 4. punct. vlt. num. 45. & Filiuc. tractat. 35. part. 2. num. 339. Salon. de cenſ. contr. 24. num. 3. & alij.*

Attamen etiam probabiliter alij volunt, quod quando formulæ dantur à iure ſolum ad tollendas fraudes doloſque vitandos, ſi quando verè non adſit dolus in contractu, erit validus, ſi non ſeruentur, quia iam finis legis adeſt, quando non adeſt fraus, ceſſante autem fine legis, ceſſare legem dicetur V. lex: itaque hanc conditionem vt cenſus celebretur numerata pecunia coram Notario, & Teſtibus videtur appoſuiſſe Papa ad euitandas fraudes, ergo ceſſante fraude, in conſcientia erit validus contractus. Ita *Nauarr. com. de vſur. num. 106. Palac. l. 14. de contr. ca. 6. Valent. T. 3. diſp. 3. q. 22. p. 2. Barth. a Sancto Fauſto q. 29.*

Immo volunt multi, quod hæc conditio, vt numeretur actu pecunia coram Notario, & Teſtibus non ſit recepta ab ijs etiam, qui ſeruant Bullam Pij, V. ſed ſolum volunt ſufficere, vt pretium ſoluatur præſentibus teſtibus, & Notario ſimpliciter abſque actuali numeratione.

Vtrum in foro conſcientiæ, præciſa conſtitutione Pij, V. poſſit ex natura ipſius contractus celebrari cenſus ex debitis præcedentibus, & penſionibus iam excurſis, & non ſolutis, & an ex pecunia Credita.

DIFFIC. XV.

NOn improbabiliter negant poſſe in foro conſcientiæ conſtitui cenſum ex debitis præcedentibus, & penſionibus non ſolutis *Azor. 3. p. l. 10. cap. 8. Michael de Palacio l. 3. de contract. cap. 6. & Rebell. 1. p. de oblig. l. 10. quæſt. 1. & alij.* cum nimis ſit onerosum cenſuario imponere cenſum ex præfatis debitis præcedentibus, & penſionibus excurſis, & non ſolutis & præcipuè quoad penſiones excurſas videtur ſapere anatociſmum, & ſpeciem vſuræ vſurarum.

Attamen probabiliter etiam alij volunt id fieri poſſe tuta conſcientia modo duæ ad ſint conditiones: prima eſt vt debita illa ſint realia, & iuſtè contracta: ſecunda eſt vt in creatione cenſus ſuper huiuſmodi debitis, & penſionibus nulla vis inferatur cenſuario ad id faciendum, nullaque fraus interueniat. Ita *Nauarr. in comm. de vſur. num. 88. Salon. l. 2. de contr. diſp. de cenſ. num. 3. Leſſius de iuſt. l. 2. cap. 22. dub. 12. Lopez l. 1. de contract. cap. 39* & alij Communius, quam etiam opinionem probabilem *putat Rebellus loc. cit. q. vltim.*

Quare aduertant, qui hanc opinionem probabilem volunt ſequi, vt cenſuarius liberè ſe diſponat nulla interueniente fraude, & dolo, vt cenſum celebret de præfatis debitis præcedentibus, & penſionibus excurſis, quia volenti non fit iniuria, & contractus de ſui natura validus eſt, cum nemo vltra ſuas vires onera præſumatur velle ſuſcipere, quod ſi angariaretur, vel fraude, vel dolo duceretur ad celebrandum huiuſmodi cenſum de debitis præcedentibus, & penſionibus, vtrique contractus eſſet nullus cum prima opinione.

An verò idem dicendum ſit de pecunia credita affirmauit Sotus l. 6. de iuſt. q. 5. a. 3. ex eo, quod cum cenſus reducatur ad contractum Emptionis, & venditionis, & res poſſit emi, & vendi pretio credito, & actu non ſoluto, ita etiam in cenſu putat licere in foro conſcientiæ, & ex natura contractus.

Attamen dicendum puto cum alijs, non licere ex natura contractus conſtituere cenſum in pecunia credita, & ratio eſt, quia cenſus eſt emptio, & venditio non in genere de qualibet re præſenti, vel futura, ſed ſolum Emptio, & venditio rei præſentis, nam ab ipſo momento initi contractus venditor cenſus manet obligatus ſoluere penſionem, ergo ad hoc, vt ſit iuſtus contractus debet venditor ſentire in ipſo actu commodum prætij. Ita etiam *Nauarr. num. 82. Lopez l. 1. de contr. c. 59. Salon. l. 2. de contract. diſp. de cenſ. a. 3. & Barth. a Sancto Fauſto q. 32. de cenſ.*

Vtrum

Vtrum ſi cenſus vilius minoris iuſto pretio emantur penſiones ſint reſtituendæ iuxta quod ſuperant iuſtum pretium.

DIFFIC. XVI.

SVppono in cenſibus illud eſſe iuſtum prætium, quod vel lege Principis, vel Reipublicæ fuerit conſtitutum, ſi vero non adſit determinatio pretij à lege, illud dicetur iuſtum, quod fuerit communi vſu locorum legitimè approbatum, modo non excedat decem pro centenario, vt habetur in conſtitut. Nicolai Quinti, quod ſi nec lex præſcribat pretium, nec loci conſuetudo adſit, tunc attendenda eſt ſimilitudo locorum in quibus eſt lex, vel conſuetudo præſcripta pretij cenſus, & ſecundum legem, & conſuetudinem talium locorum conſimilium prætium cenſus conſtitui poteſt, ſi enim ſimiles ſunt regiones quantum ad aliarum rerum pretium, poteſt etiam prætumi poſſe ex ipſis etiam ſumi iuſtum pretium cenſus; quare ad præſentem difficultatem.

Dico, quod ſi adſit pretium cenſus taxatum à lege, vel conſuetudine cum clauſula irritante contractum, certum eſt ementem reſtituere debere penſionem iuxta quantitatem, quę ſuperat iuſtum pretium, quia nullus adeſt titulus, quo iuſtè poſſit exigi penſio vltra taxatum pretium. quod ſi non adſit pretium taxatum à lege nec conſuetudine cum clauſula irritante, videtur poſſe probabiliter dici, quod non tenetur penſiones reſtituere iuxta defectum iuſti pretij, ſed ſolum cautè ſupplere pretium iuſtum, & ratio poteſt ex eo deſumi, nam ſi quis emat agrum minoris iuſto pretio, non tenetur, fructus reſtituere, ſed pretium ſupplere, cum ergo penſio ſuccedat loco fructuum, debet cenſualiſta ſupplere iuſtum pretium, ſi minoris iuſto pretio emit ius percipiendi penſionem, non autem obligabitur penſiones reddere, quas accepit vltra iuſtum pretium, Ita etiam Leſſ. l.2 de iuſt.c.22. dub.15.

Vtrum pactum de anticipata ſolutione penſionis, in cenſu, & vt venditor ſeu cenſuarius teneatur ad caſus fortuitos poſſit in aliquo caſu licitè fieri.

DIFFIC. XVII.

CErtum eſt prohiberi pactum tam de anticipata ſolutione quam, vt cenſuarius teneatur ad caſus fortuitos per conſtitutionem Pij V. vt videre eſt in appoſitis conditionibus, quæritur ergo an in aliquo caſu poſſit ſuſtineri tale pretium abſque eo, quod fiat contra Pij V. conſtitutionem, quare.

Dico primo, quod ex mutuo, & libero contrahentium conſenſu non repugnat tale pactum de anticipata ſolutione ex natura contractus, quando emptor auget pretium propter illam obligationem, quæ cum ſit ciuilis, eſt pretio æſtimabile, pretium autem debet augeri iuxta probi, & intelligentis viri iudicium; & hæc doctrina procedit ſolum in locis in quibus Bulla Pij V. nō eſt recepta, nam vbi eſt recepta nullo modo licebit, quia Pius V. irritat contractum ſub tali pacto, & fæneratitium vocat.

Dico ſecundo, quod pactum vt teneatur cenſuarius ad caſus fortuitos validum putant aliqui ex mutuo conſenſu contrahentium quando ratione pacti huiuſmodi augetur pretium arbitrio prudentis viri, nam contractus aſſecurationis licitus eſt ſeorſum in re tali, ergo iam licitus eſt in ipſo contractu cenſus, quod tamen puto verum, vbi non eſt recepta Bulla Pij V. nam ex ratione contractus non repugnat ſtante quod includatur contractus aſſecurationis rei mediante iuſto pretio.

Vtrum cenſuario volente vendere rem ſuppoſitam cenſui præferendus ſit cenſualiſta proximiori, qui ratione ſtatuti ciuitatis habet ius Prælationis.

DIFFIC. XVIII.

SVppono ex ſupra allatis conditionibus taxatis à Pio Quinto cenſuarium ſi quando velit vendere rem cenſui ſuppoſitam, debere monere cenſet aditam, per menſemque expectandum, an velit ipſe emere, & cæteris alijs præferendum, quæritur ergo, an præferendus illi, qui habent priuilegium Prælationis in emendo. Quare

Affirmant probabiliter Nauarr. comment. de vſur. n.127. & Molina T.2. de contract. diſput. 394. præferendum eſſe in tali emptione habentem priuilegium prælationis in emendo, quia Pius V. in ſua Conſtitutione non prætendit præiudicare habentibus priuilegia prælationis in emendo, hinc volunt Emptorem cæteris alijs præferendum non autem priuilegiatis, attamen contrarium alij ſentiunt probabilius, quia in calce conſtitutionis ponit clauſulam reuocatiuam conſuetudinum, & priuilegiorum dum ait (*non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis ſtatutis, nec non priuilegijs*) quare videtur emptor pręferendus in emptione cuilibet quantumuis priuilegiato.

Dico, quod in Terris ſubiectis immediatè Summo Pontifici, in quibus poteſt tollere tale priuilegium vera eſt ſecunda opinio, in Terris autem cæterorum Principum vera eſt prima, quia Papa non præſumitur annullare priuilegia in Terris ſibi immediatè non ſubiectis, quando priuilegia non ſunt immediatè, & abſolutè erronea, vel turpia contra fidem, vel bonos mores, priuilegium autem prælationis in emendo ſatis eſt legitimum, & ſatis congruum; nec per ſe eſt de ratione cenſualis contractus quod cenſualiſtę præferatur cæteris, ſed ſolum ad commodum ipſius cenſualiſta, quare non præſumitur Papa velle derogare priuilegio prælationis in emendo in Terris ſibi non ſubiectis propter ſolum commodum cenſuarij, in Terris autem ſubiectis ſibi immediatè ſicut poteſt gratis dare priuilegium, poterit etiam ex aliqua cauſa tollere.

Vtrum ſi cenſuarius vendat rem cenſui ſuppoſitam non admonito cenſualiſta, venditio ſit valida, & an cenſualiſta poſſit agere pro ſua penſione exigenda contra cenſuarium ſuum, an contra nouum emptorem.

DIFFIC. XIX.

DIco primo, quod in conſcientia valida eſt venditio, quia vt notat Nauarr. in comment. de vſur. n. 92. hæc conditio, vt moneatur cenſualiſta non eſt neceſſaria ad rationem contractus cenſualis, bene tamen verum eſt, peccare mortaliter cenſuarium dimittendo hanc monitionem, quia cenſualiſta per Conſtitutionem Pij V. acquiſiuit ius ad hanc monitionem habendam, quare poteſt cenſualiſta agere ad reſcindendum contractum venditionis alteri factæ cum priuatus homo in foro fori non habeat poteſtatem tollere ius acquiſitum ex Pontificia Conſtitutione, maximè quando eſt in præiudicium partis.

Dico ſecundo, quod licet Couarr. 3. var. cap 7. n. 22. velit in caſu præfato in quo inſcio cenſualiſta cenſuarius alteri vēdidit rem ſuppoſitam cenſui, cenſualiſta poſſeſſorem conuenire valeat ſolum in penſione exigenda quia res tranſit cum onere ſuo attamen Nauarr. n.116. loc. citat. & Virgin. part. 1. de cenſ. n.23. probabilius volunt cenſualiſtam etiam habere ius pro exigenda penſione contra cenſuarium ſuum, etiā ſi non poſſideat rem ſuppoſitam ſuo cenſui, quia dolus adfuit in non monendo cenſualiſtam iuxta ius Pontificium, dolus autem nemini debet patrocinari.

Vtrum ſi res ſubiecta cenſui pluribus vendatur, vel inter plures Hæredes diuidatur, poſſit cenſualiſta a ſingulis penſionem totam exigere tanquam obligatis in ſolidum.

DIFFIC. XX.

VAriant in hac difficultate Doctores. *Nauarr. commen. de vſur. num. 118. Molin. T. 3. de contract. diſput. 383. & Leſſ. l. 2. de iuſt. cap. 22. dub. 12.* volunt cenſualiſtam habere ius exigendi ſuam penſionem tum ab ipſo venditore, tum etiam a quolibet poſſeſſore in ſolidum, ex eo, quod ex multiplicatione emptorum rei ſuppoſitæ ſuo cenſui, non ſit deterior conditio cenſualiſtæ, ergo ſicut antea ab vno ſuam penſionem exigebat, ita & poſt venditionem eiuſdem pluribus factam.

Couarruuias tamen l. 3. var. c. 7. n. 7. contendit à ſingulis ſolum poſſe ſuam penſionem exigere per partes iuxta quas poſſident rem diuiſam, quia diuiſis rebus diuiduntur etiam obligationes ſoluendi, non ergo quis ſoluere debet niſi pro parte, quam poſſidet, & conſequenter cenſualiſta non habet ius, niſi per partes à ſingulis ſuam penſionem exigere.

Virginius autem p. 2. de cenſ. num. 32. & 33. diſtinguit, nam

nam vel res ſuppoſita cenſui iam vendita pluribus, vel pluribus hæredibus relicta patitur realem diuiſionem, tunc cum Couarr. ſentit cenſualiſtam à ſingulis iuxta partem, quam poſſident, partem penſionis, non autem totam poſſe exigere, quia res tranſit cum onere ſuo, ergo ſi pars rei ſit tranſlata in Caium, non debet Caius penſionem pro tota re, ſed ſolum pro parte ſoluere.

Quod ſi res pluribus vendita, vel relicta non patitur realé diuiſionem, tunc quilibet Emptorum, vel Hæredum teoetur integram penſionem requiſitus à Cenſualiſta ſoluere, quia ſicut in ſolidum ſinguli poſſident totam rem, ita etiam in ſolidum tenentur penſionem ſinguli ſoluere requiſiti à cenſualiſta. Verum

Dicendum putarem, quod ſi cenſualiſta fuit admonitus de venditione facienda pluribus, vel de re pluribus hæredibus relinquenda iuxta Pij conſtitutionem, & ipſe conſenſum præbuit, tunc ſolum a ſingulis iuxta partes poſſeſſas poteſt ſolum exigere penſionem, & nullo modo à cenſuario ſuo priori, nec à ſiogulis in ſolidum, quia iam ex ſuo conſenſu dum diuiſa res eſt, diuiſa eſt etiam penſio exigenda, cum res tranſeat cum onere ſuo, quod ſi cenſuarius non admonuit ſuum Cenſualiſtam deuendeodo, vel relinquenda re ſua pluribus, ſanè contra cenſuarium ſuum poterit agere pro tota penſione, vt dictum eſt ſupra, & poſſe in ſolidum agere contra poſſeſſores partiales pro tota penſione valdè probabile videtur, cum venditoris, culpa non debeat ſuper cenſualiſtam retorqueri.

Vtrum vbi Bulla Pij V. non ſeruatur, ſi res ſuppoſita cenſui pereat, teneatur cenſuarius ſoluere adhuc annuam penſionem.

DIFFIC. XXI.

NOn defuerunt, qui nimis benignè in fauorem cenſualiſtarum affirmarunt ex natura contractus cenſualis eſſe, vt ad penſionem ſoluendam ſemper obligata maneat cenſuarij perſona, quantumcunque in toto, vel in parte pereat res cenſui ſuppoſita putantes perſonã potius obligari ad penſionem, quã ad rem ſuppoſitam cenſui, ergo licet pereat res, manet tamen perſona obligata ex natura ipſius contractus, vnde aiunt in vſu deductum, vt cenſuarius non ſolum rem ſuam, ſed ſemetipſum ſupponat obligatum in contractu cenſoali ad ſolendam penſionem. Ita videntur ſentire *Sot. de iuſt. lib. 6. art. 1. Salon. lib. 2. de contr. diſput. de cenſ. art. 5. Conrad. de contr. q. 74. concl. 4. & Cauarr. lib. 3. variar. cap. 7. num. 6. & alij.*

Dicendum tamen puto cum communiori Theologorum, & Iuriſtarum ſententia, quod pereunte re ſuppoſita cenſui, non ſolum ex vi conſtitutioois Pij V. verum etiam ex natura contractus cenſualis, remaneat abſolutus à penſione ſoluenda cenſuarius, modo ſua culpa non perierit, quia ſtante culpa cenſuarij, tenetur ratione culpæ ſoluere penſionem, tenetur enim damnum illatum cenſualiſtæ reſarcire, culpa autem cenſuarii nulla exiſtente ſi pereat res, cenſualiſtæ perit, nec tenetur amplius cenſuarius penſionem ſoluere etiam ratione contractus, ratio eſt, quia ratione cõtractus res empta perit emptori, & nõ venditori, etenim de ratione contractus eſt, vt vẽditor ſe obliget ſemper rẽ venditam ſeruare indemnẽ Emptori, cenſualiſta autem emit ius percipiendi penſionem ex fructibus rei ſuppoſitæ cenſui, pereunte ergo re, pereunt fructus, ergo perit ius percipiendi penſionem ex fructibus, fundamentum enim accipiendæ penſionis eſt res fructifera, pereunte autem fundamento rei, perit etiam res ſuper ipſam fundata, ergo pereunte re fructifera tanquam cenſus fundamento, perit etiam ius percipiendi penſionem.

Nec obſtat, quod dicunt Aduerſarii in contractu cenſuali non ſolum rem obligari cenſualiſtæ, verum etiam perſonam cenſuarii, nam non obligat ſe cenſuarius ratione perſonæ ſoluere penſionem, ſed obligat ſe ratione fructuum percipiendorum dumtaxat, & vt cenſus maneat tutus, & ſaluus, puta ſi res cenſualis fuerit inuenta eſſe aliena, vel alienis vincolis adſtricta, poſſit cogi perſonaliter aliam rem ſubrogare, vel pretium reſtituere. Vide Molin. T. 7. de contr. diſp. 389. & 391. Lopez l. 1. de contr. c. 33. Fol. l. 5. c. 45. & Bart. à S. Fauſto q. 56. de cenſ.

Vtrum pereunte re ſuppoſita cenſui puta domo, vel Molendino, ſi iterum readificetur maneat obligatus cenſuarius.

DIFFIC. XXII.

DIſtingitendum puto, nam Domus, vel Molendinum, aut alia res conſimilis per partes deſtruitur, & per partes reædificatur tũc, cũ maneat eadem domus, vel Molendinum idem, remanet conſequenter in ipſis fundata obligatio ratione cootractus cenſualis ſoluendæ ſolitæ penſionis, argumento C. quod tamen §. in Nauis quoque ff. quibus modis vſusfructus, quod ſi domus, vel Molendinum in totum pereant, puta quia in toto corruerunt, vel combuſta, vel Molendini aqua alio diuerſa eſt, ita vt iam non adſit ſpes amplius ibi molendi, tunc licet de nouo reædificentor, & ex eadem materia ceſſat penſionis ſoluendæ obligatio in toto, quia verè domus, & Molendinum, io quibus fundabatur cenſus, iam periernt, & Molendinum, domuſque de nouo ædificata etiam in eadem area non eſt amplius illud idem Molendinum, nec eadem illa domus prius, in quibus fundabatur cenſus. Ita Nauar. in *comm. de vſur. num. 118. Molin. diſp. 399. Leſſ. l. 2. c. 22. dub. 12. Bonac. de contrac. diſp. 3. q. 4. punct. vn.*

Vtrum cenſuarius teneatur ſoluere annuam penſionem iis annis, in quibus nullos fructus ex agro cenſui ſuppoſito collegit.

DIFFIC. XXIII.

HAec quæſtio expedita manet ex dictis in ſexta difficultate, ideo breuiter dicendum, quod licet aliqui cum Molina diſp. 39. voluerint non teneri cenſuarium annuam penſionem ſoluere iis annis, quibus nullos fructus affert res cenſui ſuppoſita, quibus videtur etiam fauere Leſſius l. 2. cap. 22. n. 82. dub. vlt. attamen probabilius aſſerendum teneri etiam annis iofructiferis, in quibus nullos res cenſita profert fructus cenſuarium ad ſoluendam annuam penſionem, quia cenſualiſta non emit ius ſimpliciter exigendæ penſionis ratione ſolorum fructuum, ſed ratione fructuum ex re cenſita, ſeu ſuppoſita cenſui, quæ non eſt neceſſum, vt ſemper fructus afferat, ſed ſufficit, vt ſit apta nata producere fructus, quod autem aliquo anno non ferat fructus per accidens, & ſolet vtplurimum annum infrugiferum ſequi annus maximè frugifer, ita vt ſoleat fieri compenſatio anni ſterilis cum anno frugifero, manente ergo integra in toto re cenſita, ſemper obligatur cenſuarius regulariter penſionem ſoluere. Ita *Bonac. loc. cit. 26. Nauar. comment. de vſur. n. 117. Rebell. de cenſ. q. 5. n. 11. Sot. l. 6. q. 5. art. 1. & alii.*

Vtrum ad cenſuarium, an vero ad cenſualiſtam pertineat ſoluere expenſas pro ſcripturis, gabellas, & tributa ſoluta ſolus ratione res cenſitæ.

DIFFIC. XXIV.

DIco primò, quod licet *Tiraq. Caſ. Man. & alii relati à Molin. T. 2. de contrac. diſputat.* 383. putauerint pertinere totam mercedem ad cẽſuarium, & Molina ipſe voluerit pertinere dimidiam ad cenſuarium, & dimidiã ad cenſualiſtam ſoluere Notario pro ſcripturis neceſſariis ad contractum cẽſualem, attamen ſecluſa conſuetudine in contrarium videtur æquius dicendum ad cenſualiſtam pertinere ſoluere expenſas pro ſcripturis, quia ſecundum Regulam iuris, qui ſentit commodum, debet ſentire, & incommodum, at vero cenſualiſta ſentit commodum ſcripturarum talium, quia per tales ſcripturas poteſt moſtrare ius, quod acquirit contra cenſuarium, & virtute earum poteſt agere contra cenſuarium, ergo totum commodum habet cenſualiſta ex talibus ſcripturis, præterquam quod debitor non tenetur propriis ſumptibus Aduerſarium tueri, & inſtruere, ex l. præter in fin. ff. de edendo vt notant Bald. Cynus, Salicet. & Cepolla, quos citat Salas de cenſ. dub. 52 Ita etiam Bonac. de contrac. diſp. 3. qu. 4 punct. vlt. num 32.

Dico ſecundo, quod onera impoſita rei cenſitæ ſoluere ſpectat ad cenſuarium, quia ad Dominum pertinet onera rei ſuæ ſoluere, cenſuarius autem remanet vetus Dominus rei cenſitæ, ergo ad ipſum pertinet ſoluere onera, & tributa impoſita

Digitized by Google

poſita ſupet rem cenſitam. Ita communiter. Vide Bonac.loc. cit. Boninſignium de cenſ.n.12.

Dico tertio, quod gabellas, quæ ſoluuntur ratione contractus regulariter ſoluit cenſualiſta, vtpotè emptor cenſus. Ita Bald. Pariſ. & alij quos citat. Salas dub.33. & Bonac. loc. cit. licet alicubi contrarium ſeruetur.

Vtrum liceat obligare cenſuarium in contractu cenſuali, vt in mora ſoluendæ penſionis teneatur ad lucrum ceſſans, vel damnum emergens ipſi cenſualiſtæ.

DIFFIC. XXV.

Dico primo, quod licet de iure naturæ, & diuino non repugnet adiicere pactum in contractu cenſuali, vt cenſuarius quando fuerit in mora ſoluendæ penſionis obligetur ad lucrum ceſſans; & damnum emergens, ſi quod pateretur cenſualiſta ex tali mora, cum verè diceretur cenſuarius ex tali mora damnum inferre cenſualiſtæ, & conſequenter tenetur cenſuarius ad tale damnum reſarciendum, vt communiter Theologi, attamen de iure poſitiuo ex Conſtitutione Pij V. tale pactum ad vitandas fraudes, & dolos iure optimo reprobatur, quia multoties verè cenſualiſta non patitur damnum emergens, nec lucrum ceſſans, ad hoc ergo vt cenſualiſta non habeat iniuſtè occaſionem opprimendi cenſuarium prohibuit, in tale pactum ponatur in contractu.

Dico tamen ſecundo, quod licet tale pactum non poſſit poni ad tollendas fraudes vſurarias, attamen habet ius cenſualiſta conueniendi cenſuarium pro lucro ceſſante, vel damno emergente, ſi quod paſſus ſit, vel etiam expenſas, quas coactus eſt ſubire ob morā ſolutionis annuæ ſibi debitæ penſionis, vel ad eam quo quomodo recuperandam, ita vt prohibeat Pius V. ratione contractus cenſualis aliquid exigere iuxta voluntatem ipſius cenſualiſtæ ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, non autem Iudicis arbitrio. Ita etiam *Nauarr. comm. de vſur. n.33. Virgin p.1. de cenſ. n.9. & Mol. diſput. 390.*

Dico tertio, quod licet Nauar. loc. cit. & Rebell. p.2. de oblig. lib.10. q.6. velint in contractu cenſuali non repugnare apponi pactum, quod cenſuarius teneatur ad damnum emergens ex mora ſolutionis, & probabiliter, quia Pius V. in ſua conſtitutione ſolum loquitur prohibitiuè de lucro ceſſante, non autem de damno emergente, attamen probabiliter etiam dici poteſt, quod etiam prohibeat pactum de damno emergente, nam adeſt idem legis finis circa pactum de damno emergente non apponendum, ergo eadem legis manet diſpoſitio de non apponendo pacto de damno emergente, nam ſicut poteſt proprio arbitrio iniuſtè cenſuarius petere lucrum ceſſans ob moram non ſolutæ petitionis ita etiam damnum emergens poteſt petere iuxta ſuum arbitrium cenſualiſta, ne ergo habeat occaſionem grauandi cenſuarium prohibet Papa ne deducatur in pactum lucrum ceſſans ob dictam moram, ergo etiam id prohibere conſimiliter de damno emergente dicendum probabiliter, itaque tam lucrum ceſſans, quam emergēs damnum debet probare adfuiſſe propter moram præfatam, & à Iudice damnari cenſuarius ad ſoluēdum vltra penſionem talia damna, vel lucra ceſſantia poteſt.

An apponere in contractu cenſuali pactum, vt propter culpam non ſolutæ penſionis debito tempore incidat in pœnam aliquam arbitrariam, vel in pœnam commiſſi, ſeu amiſſionis rei cenſuariæ ſit contra ius naturæ, vel diuinum, vel ius commune.

DIFFIC. XXVI.

Sanè contra ius poſitiuum particulare Pii V. certum eſt huiuſmodi pacta pœnalia fore, vnde cenſualiſta ſi huiuſmodi pœnas exigeret, teneretur in conſcientia reddere, vbi conſtitutio præfata ſeruatur, itaque ratione naturæ ipſius contractus, an vero aliquo iure diuino, vel communi poſitiuo apponi huiuſmodi pacta pœnalia prohibeatur in præſenti difficultate quærimus. Quare

Dico primo, quod opponere aliquam pœnam in caſu malitioſæ moræ cenſuarij in ſoluenda penſione ex communi contrahentium conſenſu in contractu ipſo cenſuali non eſt contra ius naturale, nec diuinum, nec commune poſitiuum, modo adſint duo conditiones. Primò, vt pœna ſit proportionata culpæ, & non omnino arbitraria ad fraudes, & dolos vitandos contra naturam contractus bonæ fidei, Secundo, vt culpa cenſuarij verè intercedat in non ſoluenda penſione, quia ſi ratione impotentiæ, quia nimirum omnino factus eſt pauper, nec fructus redditi ſunt illo anno à re cenſita, ſi nō ſolueret, pœna exigi non poſſet, nam vbi culpa non eſt, pœna eſſe non debet, quod autem ſit iuri conſentaneum præciſa omni fraude pœnam imponere culpæ proportionatam videbitur ſuo loco.

Dico ſecundo, quod in contractu cenſuali apponere pœnam commiſſi, vel amiſſionis rei cenſitæ ob culpam non ſolutæ penſionis, non ſolum eſt contra ius particulare Pij V. verum etiam contra naturam ipſius contractus, & contra æquitatem, quod patet ex eo, quod pœna commiſſi, ſeu amiſſionis rei, ideo ponitur in contractu Emphyteotico, vel in cenſu reſeruatiuo, quia in vtroque, qui rem dat, retinet ſibi directum dominium rei, remanetque abſolutus rei Dominus, & ideo nil mirum ſi in re ſua poteſt ponere pœnam amiſſionis, ſi non ſoluat penſionem tempore debito, at vero in cenſu conſignatiuo cenſualiſta non eſt Dominus rei cenſitæ, ſed cenſuarius, ergo ex natura contractus non poteſt cenſualiſta in aliena re imponere pœnam commiſſi, ſeu amiſſionis rei.

Præterea eſt contra æquitatem, quia pœna commiſſi, & amiſſionis eſt immoderata, & improportionata culpæ non ſolutæ penſionis annuæ, nam ob non ſolutam v. gr. penſionem centum ducatorum amittere rem valentem pluſquam mille aureis, nimius eſſet pœnæ exceſſus. Ita etiam *Nauarr. num.93 commen. de vſur. Couar. lib.3. var. c.7. nu.1. virg. p.1. de cenſ num.60. Salas l.2. de contra. diſp. de cenſ. art.3. & alii.*

Dico tamen quarto, quod huiuſmodi pœna poſſet iuſtè poni in contractu cenſuali ſi pretium cenſus augeretur ratione huius pœnæ appoſitæ, ita vt ſeruaretur æqualitas inter pretium cenſus & pœnam appoſitam, nam cenſum cum tali pacto pluris valere, quam ſine tali pacto certum eſt.

Vtrum pactum in contractu cenſuali liceat de iure naturæ, vel communi poſitiuo, vt teneatur cenſuarius extinguere cenſum, & pretium reſtituere ſi puta per biennium non ſoluerit penſionem, vel rem cenſitam vendiderit.

DIFFIC. XXVII.

Dico primo, quod licet tale pactum damnetur iuſtè à Pio V. *& Virgin. p.2. de cenſibus*, putet etiam damnari de iure naturæ tanquam nimis onerоſum cenſuario, attamen probabiliter poteſt dici, quod tale pactum, vt Cenſuarius teneatur reſtituere pretium, & cenſum extinguere, ſi per biennium, vel vltra non ſoluerit penſionem liceat de iure naturæ, & communi poſitiuo, modo cenſuarius ſe ad talem pœnam obliget ſponte tanquam ſtimulum ad ſoluendum, videtur enim talis pœna proportionata culpæ. Ita etiam Leſſ lib. *2. de iuſt. c.22 dub.11. Medina q.15. c. de vſur. & Barthol. à S. Fauſto q.67. de cenſ.*

Dico ſecundo, quod pactum vt ſi cenſuarius vendat rem cenſui ſubiectam, teneatur extinguere cenſum, omnino tanquam iniquum reiiciendum eſt etiam ex natura contractus, quia cenſuarius non eſſet dominus rei ſuæ cenſui ſuppoſitæ, ſi eam alienare, & vendere non poſſet, at de natura Contractus cenſualis remanet cenſuarius dominus rei cenſitæ, ergo eſſet contra naturam contractus ipſum obligare ad non vendendum ſub aliqua determinata pœna. Vide Nauarr. in comm. de vſur. n.115 & virg. p.2. de cenſ. n. 54.

An vero ſi ratione pœnæ huius cenſus augeatur, dic conſequenter ad dicta in ſuperiori. Vide Tolet. libr.5. cap.48. & Syl. v. vſura 2. q.15.

Vtrum pactum vt cenſus augeri valeat ex penſionibus debitis, vel debendis ſit iure naturæ, vel communi poſitiuo prohibitum.

DIFFIC. XXVIII.

Dico primo, quod pactum ex penſionibus debitis, & non ſolutis valeat augeri cenſus non eſt prohibitum iure naturæ, nec communi poſitiuo, ſecluſa tamen omni fraude, & dolo, nam penſiones tranſactæ, & non ſolutæ, debent numerari

Digitized by Google

merari actualiter à cenſuario, poteſt virtualiter talis pecunia, ergo contra naturam contractus non eſt, nec aliquo iure communi prohibetur, quod autem fuerit prohibitum à Pio V. ſpeciali iure fuit ad tollendum nimium onus à cenſuario, & ad tollendas fraudes vſurarias. Ita communiter.

Dico ſecundo, quod pactum augendi cenſum ex penſionibus debendis, omnino iniquum eſt contra naturam Contractus cenſuarij, nam penſiones debendæ non faciunt vllo modo pecuniam præſentem nec virtualiter, at vero de natura contractus cenſuarii eſt, vt putant, vt pecunia ſolũ ſit præſens virtualiter, puta realiter debita, & liquidè, & ſine lite præſtanda actualiter.

Vtrum iure naturali, vel ex ratione naturæ contractus repugnet pactum, vt cenſualiſta ad ſuum placitum poſſit cogere cenſuarium ad reſtituendum pretium, vel cenſum extinguendum.

DIFFIC. XXIX.

Dico, quod licet non videatur omnino contra rationem contractus cenſualis tale pactum, quia adhuc cum tali pacto contractus eſt cenſualis, non autem mutui, nam in mutuo non ſubitur periculum perdendæ rei mutuatæ, in cõtractu autem cenſuali cum tali pacto ſubitur periculum perdendi capitale, ſeu pretium, ſi res interea periret, ergo remaneret cum tali pacto vere contractus cenſualis, & non mutui, vt docent etiam *Gabr. in 4. diſt. 15. quæſt. 12. art. 2. Med. q. 15. C. de vſur. dub. 5. Tolet. lib. 5. c. 45. Leſſius l. 2. cap. 22. dub. 11. Valent. T. 3. diſp. 13. qu. 22. p. 2.* & alij.

Attamen ad vitandas fraudes vſurarias, quæ ratione talis pacti poſſent ſuboriri, iure damnatum fuit tale pactum à Pio V. & probabilius dicendum eſſe etiam contra naturam contractus cenſualis, & nullo modo contrarium ſuadendum, quia verè tale pactum ſapit mutuum, quia videtur reſtitui pretium ad arbitrium cenſualiſtæ cum lucro penſionis ſolutæ. Ita etiam Sot. l. 6. q. 5. ar. 3. & Bann. 2. 2. q. 78. art. 4. Nauar. de vſur. n. 97. & Virg. de cenſ. p. 3. n. 27. & alii.

Vtrum pactum, quod ſi cenſuarius intra certum tempus non redemerit cenſus maneat irredimibilis, vel ſi intra aliquod tempus puta decennium nequeat redimere, poſtea vero queat, vel quod ſolum poſſit redimere in totum, & non in partes ſit contra naturam contractus cenſualis.

DIFFIC. XXX.

Dico primo, quod licet probabile ſit qualecumque pactum reſtringens libertatem cenſuarii ad redimendum, & nõ redimendum cenſum vel in toto, vel in parte eſſe iniquum, & contra naturam contractus, vnde à Summis Pontificibus Mart. V. Calixto III. & Pio V. iure prohibitum tam directè, quam indirectè apponitur, vt notat Nauarr. in comm. de Vſur. n. 7.

Attamen ſi ratione talis pacti, & libertatis reſtrictæ, iuxta placitum cenſualiſtæ detur cenſuario aliquod iuſtum pretiũ arbitrio boni viri, non videtur de natura contractus damnabile, nam ius tale eſt pretio æſtimabile, ergo poteſt licitè vendi, quod poteſt comprobari ex Leuit. 25. vbi habetur, (qui vendiderit domum intra muros Vrbis, habebit licentiam redimendi donec impleatur annus, ſi non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, Emptor poſſidebit eam, & poſteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in Iubilæo; quod autem Summi Pontifices tale pactum damnatint, non obſtat, quia ad tollendas fraudes hoc ſanctè ſtatuerunt, non autem definiuere tale pactum reddere cenſus vſurarios. Ita etiam Angles noſter de cenſ. cond. 7. Gabr. in 4. diſt. 15. q. 12. ar. 2. Conrad. de contr. q. 83. concl. 8. Med. C. de reſt. cap. de cenſu redimibili, Sot. l. 6. q. 5. ar. 3. Leſſ. l. 2. c. 22. dub. 9. Molin. diſp. 391. & alii.

Dico ſecundo, quod quando in cenſuali contractu apponitur pactum iuxta datam doctrinam redimendi tali tempore, nec appoſita eſt clauſula in toto, an in parte ſit redimendus, Nauarr. putat ſtandum loci conſuetudini, an debeat per partes, an in toto extingui, ceſſante autem conſuetudine docet poſſe per partes etiam extingui magis æquitati naturali fauere, vt cenſuarius minus onus ſubeat in redimenda ſua re, volunt tamen alii æquius eſſe, vt in toto redimatur, quia ſicut cenſualiſta in toto pecuniam numerauit, quando emit cenſum, ita etiam redimens æquum eſt, vt totam penſionem reſtituat. *Ita Molin. diſp. 393. Bona. 2. 2. q. 78. art. 4. Garz. 2. p. de contract. cond. 5. & alii.*

Noſter tamen *Rodriqu. part. 1. ſumm. cap. 44. Lopez l. 1. de contr. c. 59.* volunt, quod ſi cenſuarius redimens ſit diues, teneatur in toto pretium reſtituere, quod ſi pauper, & impotens de æquitate eſt, vt per partes reſtituat, quę diſtinctio maximæ æquitati naturali innititur.

Vtrum cenſus volens redimere poſſit licitè de natura contractus pœnam apponere vt maiori pretio redimatur.

DIFFIC. XXXI.

Dicendum puto, quod licet *Medina C. de reſtitut. 9. de cenſ. redimib. & Molina diſpu. 391.* velint poſſe apponi tale pactum, quia non eſt contra rationem contractus cenſuali attamen cum tale pactum ſit contra libertatem quam natura contractus talis implicat, omnino iniuſtum videtur etiam præciſis conſtitutionibus Martini V. Calixti III. & Pii V. prohibentibus tale peccatum ita etiam *Couarr. lib. 3. var. c. 3. num. 4. Salon. de contract. diſp. de cenſ. art. 3. & Conrad. de contract. quæſt. 84.* pactum enim tale nimis eſt onerofum cenſuario contra legem naturæ in contractibus dictantem, quod tibi vis, alteri feceris, & quod tibi non vis, alteri ne feceris, cenſualiſta enim nollet ſibi tale onus in contractu ſibi imponi, ſi ipſe eſſet vẽditor, ergo dum eſt emptor, nec debet ſuo venditori tale, grauamen inſerre.

Verum eſt tamen, quod ſi maiori pretio emeret cenſum cenſualiſta ad hoc, vt pactum illud acceptet cenſuarius, iuſtum eſſet, quia onus iſtud cum ſit pretio æſtimabile poteſt emi, & vendi.

Non tamen improbabile cenſerem pactum vt redempturus cenſum redimat eo pretio, quo tunc temporis valebit minoris, vel pluris, etiam ſi certus eſſet mortaliter cenſualiſta pluris valiturum tempore redemptionis, quia poſſit etiam accidere, quod minoris fuerit valiturus, & grauamen non ita apparet certum, vt non ſit ſpes etiam commodi.

Tutius autem videtur iuxta conſtitutiones Summorũ Pontificũ talia pacta nõ apponere, cum vix poſſint iuſtificari, quod bona fide, & recta intentione apponantur.

Vtrum dentur caſus, in quibus cenſus minoris emi, & pluris vendi, quam à principio fuerit creatus.

DIFFIC. XXXII.

Dico primo, quod regulariter loquendo, quãdo cenſus habet pretiũ taxatum à lege, vel receptũ ex communi fori conſuetudine non poteſt minoris emi, & pluris vendi, quam à principio fuit creatus, iuſtitia enim ſuadet, vt res æque bona, & ſana æquali pretio legali, quod conſiſtit in indiuiſibili ſemper ematur, & vendatur, cum ratione temporis non ſit variata ſecundum ſubſtantiam, ergo neque variari debet ſecundum pretium. Ita noſter Corduba de caſib. conſc. q. 79.

Dico ſecundo, quod ſi cenſus non habeat pretium nec à lege, nec à communi conſuetudine fori taxatum, poteſt in hoc caſu minoris emi, & pluris vendi, quam ab initio fuerit conſtitutus ſi adſit iuſta cauſa, puta quia vltroneè offertur venditio cenſus, emptor poteſt ſanè minoris emere talẽ cenſum, quia vltroneè, quod venditur, vileſcit ratione vltroneitatis, vt ſuo loco dicetur, & èccontra ſi ſint plures emptores talis cenſus, poteſt carius vendi, nam copia emptorum pecuniam rei vendibilis auget, vnde poteſt carius vendi, quando .ſ. non adeſt pretium taxatum à lege, vel à fori conſuetudine, nam pretium non legale, & non forenſe, quod aiunt naturale non conſiſtit in indiuiſibili, poteſt ergo augeri, & minui ex rerum penuria, & copia Emptorum, vel ex vltroneitate.

Dico tertio, quod quando res cenſita incipit periclitari, aut quando penſio difficillimè, vel non ſine magnis expenſis ſoluitur, puta quia litigioſus, ſunt caſus legitimi, in quibus cenſus poteſt vilius emi penſata tamen ratione periculi, & expenſarum, nam tale periculum, & labor, ſiue expenſæ pretio æſtimari poſſunt, ergo iuxta ipſorum rationem poterit iuſtè vilius emi cenſus. Ita etiam Lop. lib. 1. de contr. cap. 18.

Barth.

Barth. de S. Fauſto de cenſ. q. 77. & Molin. diſp. 92. quæ doctrina etiam vera eſt in terminis conſtitutionis Pij V. quia tales caſus per Epichæiam excipiẽdi ſunt ab illa generali prohibitione, quod minoris non ematur cenſus, quam ab initio fuerit conſtitutus.

Vtrum cenſum perpetuum, & irredimibilem habeat adhuc poteſtatem cenſuarius redimendi pro ſuo arbitratu.

DIFFIC. XXXIII.

AFfirmat Nauarr. in terminis conſtitutionis Pij V. ex eo, quod Pontifex in illa conſtitutione generaliter loquitur de quolibet cenſus, vbi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, in comm. de vſur. n. 122.

At vero præciſa Conſtitutione Pii V. præcipiente cenſum redimi poſſe ſemper iuſta libitum cenſuarii, ſi cenſus eſt irredimibilis, & perpetuus pugnat poſſe redimi, eſſet enim contra naturam contractus cenſus irredimibilis.

Vtrum cenſuarius poſſit dare partem pretii alteri cum pacto, vt ſoluat partem penſionis correſpondentis pretio.

DIFFIC. XXXIV.

NEgandum omnino, quia tale pactum potius ſaperet naturam mutui palliati, quam cenſus, vnde vſurarium eſſet, etenim cenſuarius dans partem pretij alteri, vt partem penſionis ſoluat abſque alio contractu cenſus fundati in re aliqua, verè talis partem pretij dat mutuam illi, vt lucrum ex ipſo mutuo reportet, lucrum autem accipere ex mutuo, vſura eſt. Ita etiam Nauar. n. 115. & Molin. diſp. 393. Quod

Si dicas cenſuarium poſſe iuſtè exigere partem penſionis pro tali pretio dato alteri, quia ipſe tenetur eamdem ſoluere cenſualiſtæ, ſi ergò accipiens partem pretii ſentit cõmodum, debet etiam ſentire, & incommodum.

Reſpondeo, quod non ſunt facienda mala, vt veniant bona, malum eſt enim tradere pecuniam talem cum tali pacto, ergo cenſuarius non debet eam tradere, vel ſi tradit, ſibi imputandum eſt, quod penſionem accipere nequeat; tradere enim debet cum modo licito, ſ. celebrando cum eo contractum cenſus pro tali parte pretii traditi, atque hoc modo iuſtè partem penſionis iuxta pretium traditum accipere poteſt.

Vtrum cenſus redimi valeat alio modo, quam in pecunia numerata.

DIFFIC. XXXV.

DIco primo, quod Pius V. pecuniam numeratam voluit ſolum adeſſe in Creatione cenſus, non autem in extinctione, & redẽptione, nam via quæ aperitur fraudibus & vſuris adeſt ſolum in creatione, non autem in extinctione cenſus, vt patet intuenti, atque adeo in omni alia re grata Cenſualiſtæ, poteſt fieri extinctio cenſus, licet non ſit pecunia numerata, quando quidem cum Conſtitutio Pij Quinti, præcipiens vt cenſus celebretur in pecunia numerata ſit exorbitans à iure communi, non eſt extendenda ad caſum redemptionis, & extinctionis cenſus. Ita etiam Molina diſp. 394. Quare

Dico ſecundo, quod ſi cenſuarius ſit creditor, & à ſuo Cenſualiſta debeatur ſibi ſumma, æqualis pretio cenſus poteſt, modo tale debitum ſit vndequaque liquidum etiam renuente cenſualiſta compenſationem facere, admonendo eum etiam extraiudicialiter, vt in futurum pro extincto habeat cenſum, quem ſecum contraxit ratione talis debiti æqualis cum pretio cenſuario, quandoquidem ſi centum aurei ſint pretium cenſus, & adueniat tempus, quo cenſualiſta centum alios aureos debeat liquidè cenſuario, iuſtum eſt, vt cenſualiſta ſoluat, vel in compenſationem habeat pro extinctio cenſus. Ita etiam *Nauarr. comm. de vſur. n. 213. Molina diſp. 394. Rebell. p. 2. de obligat. lib. 10. q. 6. & Barthol. à S. Fauſto de cenſ. queſt. 81.*

Vtrum ex natura contractus cenſuarii liceat cenſualiſtæ in creatione cenſus petere fideiuſſores, vel pignora.

DIFFIC. XXXVI.

DIſtinguendum puto, nam vel res immobilis ſuppoſita cenſui iudicio boni viri ſubit probabile periculum aliquod, vnde amitti poſſit, & cenſus conſequenter interiturus ſuſpicetur probabiliter, & in hoc caſu licebit cenſualiſtæ fideiuſſores, & pignora petere ad ſecuritatem pretii dati pro re cenſita, quia de iure naturæ eſt, vt vnus quiſque petat ſecuritatem ad ſeruandam indemnem rem ſuam, & ſicut poteſt venditor optimam probatamque pecuniam accipiendam poteſt curare ab Emptore, ita Emptor, vt rem emendam ſibi vtilem, & ſecuram recipiat; quando ergo adeſt probabilis ſuſpicio, quod res ſuppoſita cenſui non ſit fructifera, vel breui tempore interitura, non repugnat contractus cenſuarij naturæ, vt petat ſecuritatem à cenſualiſta, vt ſuam penſionem reddat probabiliter ſecuram. Ita etiam Molin. diſp. 394.

At vero ſi res cenſui ſuppoſita ſecura ſit ex ſe, nullumque periculum ſit ſubitura cenſeatur iudicio boni viri, ſitque fructifera, & ſufficiens. vt ſuper ipſam talis cenſus fundetur, nõ poteſt ratione contractus cenſuarii pignora, & fideiuſſores cenſualiſta petere à cenſuario, & ratio eſt, quia contractus iſte reducitur ad emptionem, & venditionem, repugnat autem naturæ venditionis, vt venditor det pignora, & fideiuſſores pro re vendita, nam de natura Emptionis eſt, vt rẽ bonam, & ſanam emptam iam ſuo periculo accipiat, & ſi pereat, emptori pereat, non venditori, quandoquidem per emptionem iam emptor factus eſt Dominus rei emptæ, res autem Domino perit, quare cum cenſualiſta ſit Emptor rei cẽſitæ, quoad ius percipiendi penſionem ex eius fructibus ſi perit cenſualiſtæ perit virtute contractus, ergo non poteſt petere pro dicto iure pignora, & fideiuſſores in ſecuritatem, accipere enim pro eadem re duas obligationes iniquum eſt ratione contractus cenſuarii, quare dum cenſuarius illi rem ſuam ab omni alio vinculo abſolutam, & ſecuram, & fructiferam hic, & nunc tradit, non poteſt licitè ab eo alia ſecuritas exigi.

Verum eſt tamen, quod licet virtute contractus cenſuarij non liceat ſecuritatem petere pro re immobili fructifera, & alijs vinculis abſoluta tradita à cenſuario, poteſt tamen talis ſecuritas alia peti aucto pretio ratione contractus aſſecurationis, itaque ſi cenſualiſta emat maiori pretio hanc obligationem præſtandi fideiuſſores, vel pignora pro aſſecuranda re cenſita, & eo maius ſit pretium, quo diuturnior fuerit expetita aſſecuratio, poterit tale pactum in contractu cenſuario apponi, nam vt aliàs dicetur ſuo loco aſſecurationis contractus licitus eſt ſeruata æqualitate inter pretium, & rem aſſecurandam, periculaque ſubeunda. Ita etiam videntur aſſerere. *Molina loc. cit. & Barth. à S. Fauſto q. 83. de cenſib.*

Vtrum ſcriptura ſit de neceſſitate requiſita ad validitatem contractus cenſuarij.

DIFFIC. XXXVII.

CErtum eſt ex Conſtitutione Pii V. requiri ſcripturam ad validitatem contractus cenſuarii, cum expreſsè decernatur in ea ſine ſcriptura celebratum huiuſmodi contractum eſſe omnino nullum, quod ergo hic quæritur eſt, an ſcriptura requiratur ex natura talis contractus, ita vt vbi conſtitutio Pij V. nõ eſt recepta, ſi celebretur ſine ſcriptura, ſit validus necne.

Negandum videtur ex natura contractus requiri ſcripturam, quandoquidem ſcriptura in contractibus reperta eſt nõ ad ſubſtantiam ipſius contractus, qui ex conſenſu contrahentium legitimè acquirit ſuum eſſe, hic autem conſenſus per accidens eſt, quod ſcribatur, ſufficit enim fuiſſe legitimè inter contrahentes conſenſus, ſcriptura autem vt habetur in l. contrah. C. de pignor. ſolum reperta eſt, ad rei tantum euidẽtiam & fidem inter homines. Vide Barth. à S. Fauſto q. 84.

Vtrum cenſus irredimibilis ex natura contractus, & ex Pij V. conſtitutione ſit licitus.

DIFFIC. XXXVIII.

DIco primo, quod licet Henricus de Gandauo quod lib. 3. q. 22. omnino ex ratione contractus aſſeruit iniuſtum eſſe

eſſe cenſum perpetuum, & irredimibilem, attamen alij non improbabiliter cenſent eſſe iuſtum ſeruato iuſto pretio, nam ſicut licet domum, & fundum, & quamcumque aliam rem in perpetuum emere ſublata facultate à venditore redimendi, & abſque pacto de retrouendendo, ergo etiam cenſum ita emere fas eſt, cum cenſus inter immobilia habeatur, quod ex eo etiã confirmatur, quia ius percipiendi fructus decimales, quod habet Eccleſia in prædijs laicorum eſt perpetuum, & irredimibile, ergo etiam ſeruato iuſto pretio poteſt emi ius perpetuum, & irredimibile exigendi iuſtam penſionem ſuper rem cenſitã. Ita Conrad. de contract. q. 82. & Molin. diſput. 391. &c. Imò

Dico ſecundo, quod licet Virginius de cenſ. p. 2. n. 37. 55. & 153. aſſeruerit talem cenſum perpetuum, & irredimibilem abſolutè etiam aucto pretio prohiberi, attamen ſi cenſus pluris ematur à cenſualiſta, quam deberet emi ad hoc, vt cenſuarius obligetur ad non redimendum cenſum, quia pro tali obligatione libertatis ſoluitur, vt ſuppono iuſtum pretium, puto, quod non prohibeatur à Pio V. qui ſolum ad tollendas fraudes vſurarias conſtituit cenſum poſſe redimi ad voluntatem cenſuarii, facta eſt ergo à Pio V. hæc Conſtitutio in fauorem cenſuarii, in cuius poſſe eſt, cani renuntiare, & ius ſuum vendere, hinc in Germania, Gallia, & Hiſpania huiuſmodi cenſus perpetui, & irredimibiles iuſto pretio adaucto celebrantur ſine ſcrupulo, communis autem tot Nationum vſus ſufficit ad probandam validitatem cenſuum irredimibilium. Ita etiam Nauarr. comment. de vſur. num. 98. & Molina diſput. 391.

Vtrum cenſus vitalitius præciſa Pij V. conſtitutione ex ratione contractus liceat.

DIFFIC. XXXIX.

VAriæ ſunt in hac difficultate Doctorum opiniones. Panormitanus enim licet abſolutè, & ſimpliciter eum non damnet in ſuis diſp. diſput. 5. attamen Clericis omnino prohiberi putat, cum negotiationis cuiuſdam ſpeciem ſapere videatur cenſus vitalitius, negotiatio autem omnino Clericis interdicta.

Henricus autem de Gand. quodlib. 1. q. 39. & quodl. 2. q. 15. omnino prohibitum autumat ex ratione ipſius contractus cenſum vitalitium, cum potius quandam mutui ſpeciem cum lucri acceptione, putet hanc cenſus ſpeciem, quam veri, & realis cenſus contractum.

Noſter tamen *Angel. v. vſura §. 44. & Syln. eod. v. 2. quæſt. 12.* diſtinguunt, nam cenſum ad vitam venditoris putant licitum, illicitum vero ad vitam Emptoris ex eo, quia cenſus ad vitam venditoris vel Cenſuarij non dat occaſionem peccandi, quia non dat occaſionem cenſualiſtæ mortis optandæ, ſed potius, vt diutius viuat, quo diutius penſionem accipiat, at vero cenſus ad vitam Emptoris, ſeu cenſualiſtæ dat occaſionem cenſuario captandi, vel exoptandi mortem cenſualiſtæ, vt quanto citius moritur, tanto citius abſoluatur ab onere, ſoluendæ penſionis, pactum autem præbens occaſionem captandæ, vel exoptandæ mortis tanquam iniquum, & contra bonos mores damnant iura ciuilia. l. pactum quod dotali, & l. vltim. Co. de pactis, & quidem admodum probabiliter, & piè.

Verum quia leges non abſolutè damnant talia pacta quãdo ex communi contrahentium conſenſu fiant, probabiliter, poteſt etiam dici, quod ex ratione contractus licitus ſit cenſus vitalitius, cum pari incertitudine lucri, & dãni ex vtraque parte celebretur. Ita *Couar. lib. 3. var. c. 7. nu. 9. Nauarr. comm. de vſur. n. 71. Conrad. de contract. quæſt. 8. Sot. lib. 6. qu. 5. art. 2. & Lopez l. 2. c. 53.*

Vtrum cenſus poſſit conſtitui ad certum tempus puta decem annos, quando annua penſionis in vnum collectæ ſortem principalem excedunt.

DIFFIC. XL.

COmmunius putant id licere ex natura contractus, quando penſiones ſperatæ, quæ toto eo tempore ſoluendæ ſunt, non excedunt totam pecuniæ ſummam datam à principio in pretium, puta ſi Frãciſcus det Petro centum eo pacto, vt intra decennium ſingulo quoque anno reddat decem Petrus Franciſco, quia ſolutio facta per partes intra decennium eſt æqualis cum tota ſorte, & ſumma centũ aureorum, quod autem facit difficultatem eſt, an ſit licitus talis cenſus, quando penſiones per partes recuperandæ excedunt ſummam cẽtum aureorum, puta quia dedit centum infra decennium accipiat centum, & decem pro lucro, in qua difficultate non eſt eadem Doctorum ſententia.

Sotus lib. 6. q. 5. art. 2. Molina diſp. 386. & 389. & Lop. de contract. c. 55. volunt hunc contractum eſſe vſurarium, quia perinde eſt, ac ſi conferas alicui centum, vt ſupra centum decem pro lucro reſtituantur, quare rationem mutui palliati cum lucro potius putant induere talem contractum, quam veri cenſus.

Attamen noſter *Angel. v. vſura 1. § 44. Caiet. in v. vſura n. 71. Couar. l. 3. var. cap. 7. n. 9. Rebell. p. 2. de oblig. l. 10. quæſt. 5. Conrad. de contra. q. 80. D. Antonin. 2. p. Tit. 1. cap. 8. §. 11. Salon. l. 2. de contr. diſp. de cenſ. art. 5.* & alij licitum putant huiuſmodi contractum, & probabiliter, quia hic contractus nõ ſapit naturam mutui, ſed emptionis, & venditionis, etenim de ratione mutui eſt, vt res mutuata debeat in omnem euentum neceſſario mutuanti reſtitui, & mutuatarius ad reſtituendum compelli poteſt, at vero in hoc contractu non poteſt cenſuarius ad reſtituendum compelli, ergo hic non adeſt ratio mutui, ſed veri contractus cenſuarii, in quo cenſualiſta accipit ius ex tali re cenſita penſionem accipere, non autem lucrum ex re mutuata.

Vtrum ſi aliqua ex conditionibus appoſitis à Pio V. deſit in contractu cenſuali totus ſit habendus vſurarius, & nullus, an vero ſolum id, quod eſt contra diſpoſitionem Bullæ.

DIFFIC. XLI.

DIco primo, quod licet *Guttier. de pract. qq. lib. 2. q. 176.* velit ſolum id quod repugnat Bullæ cenſeri fœneratitium, non autem totum contractum attamen Bulla ipſa videtur contrarium ſentire, & annullare totum contractum, eumque vſurarium affirmare quandocunque cõtra quamlibet ipſius conditionem appoſitam celebratur. Ita *Nauar. comm. de vſur. n. 98. Molin. diſp. 392.* & alii rectè adnotant quia totum vitiatur ex qualibet parte mala ibi reperta.

Dico tamen ſecundo, quod quando ex natura contractus non ſit conditio aliqua deficiens in contractu, licet ſit contra Bullã Pii V. in foro conſcientiæ non eſt habendus vſurarius, nec ante iudicis ſententiam debet reputari nullus, poteſtque interea licitè cenſus retineri, & penſio exigi non computanda in ſortem, quia in iſtis rebus forenſibus ſolum poſt Iudicis ſententiam nullitas incurritur. Ita *Nauar. comm. de vſur. n. 88. Molin. diſput. 392. Bann. 2. 2. quæſt. 78. ar. 4. & Barth. a Sancto Fauſto de cenſ. q. 98.*

Quandonam, & vbi annua penſio cenſualis ſoluenda eſt.

DIFFIC. XLII.

DIco primo, quod iam dictum eſt non poſſe exigi in principio anni, quia à Pio V. prohibetur anticipata ſolutio ſeruanda eſt ergo in hoc conſuetudo fori, vt s. c. ſoluatur in fine cuiuſcumque ſemeſtris, inmeſtris, vel quadrimeſtris, & dulcius in fine cuiuslibet anni.

Dico ſecundo, quod in eo loco ſoluenda eſt penſio, in quo conuentio facta eſt inter cenſuarium, & cenſualiſtam, dummodo cum ſit nimis oneroſa, regulariter tamen præciſa tali conuentione in loco, in quo eſt res ſuppoſita cenſui, æquum eſt ſolus penſionem, &c.

Cenſura.

Quid, & quotuplex ſit cenſura.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod cenſura, vel à verbo cenſio, quod apud Placitum eſt caſtigo, vel à verbo cenſeo quod apud Ciceronem in Catilinam, ſententiam fero, ſonat, vel à nomine cenſor, ad quem aliorum mores monere, & prauos corrigere ſpecta-

ſpectabat ſui nominis æthimologiam appoſitè ſumere videtur, nam vt ex dicendis conſtabit. cenſuras pœna, ſententia, & correctio, ſeu effectiuè,ſeu finaliter dici poteſt,vt ergo à nominis interpretatione ad eius quidditatiuam definitionem procedamus.

Dico ſecundo, quod cenſura (vt ex Scoti doctrina in 4. diſtinct. 5 quæſt. 1. & aliis Theologis, & Canoniſtis colligi poteſt) eſt pœna Canonica ex iuriſdictione Eccleſiaſtica inflicta ab homine, vel à iure priuans fideles aliquorum vſu alias licito ad ſalutem animarum principaliter ordinata. Dicitur autem cenſura eſſe pœna quia propter delicti, vel contumaciæ purgationem fertur; dicitur (Canonica pœna) vel per Antonomaſiam, vt Scotus docet loco citat. quia à Canone paſſim, vel à Iudice iuxta Canonicas ſanctiones infligi ſolet; dicitur porro (ex iuriſdictione Eccleſiaſtica inflicta ab homine, vel à iure) vt intelligatur cenſura à foro, vel Iudici ſæculari minimè fulminari poſſe, cum immediatè, & eſſentialiter à iuriſdictione Eccleſiaſtica dependeat effectiuè; ponitur deinde, (priuans fideles) vt intelligatur ſubiectum cenſuræ eſſe ſolum fideles baptizatos, ad quos ſolum, vtpotè in gremio Eccleſiæ exiſtentes extenditur iuriſdictio Eccleſiaſtica, dicitur conſequenter (priuans aliquorum vſu alias licito, quia ſi alias licita non eſſent ea,quibus priuat cenſura non eſſet pœna, illicito enim priuare hominem propriè non eſt pœna, vt docet Scotus loc citat. dicitur autem, aliquorum vſus) quia non omnibus licitis priuat cenſura, vt infra dicetur; ponitur denique ad ſalutem animarum principaliter ordinata eſſe cenſura ad differentiam aliarum pœnarum Canonicarum ſcilicet Depoſitionis, Degradationis, & Irregularitatis, quæ ſolum in pœnam peccati commiſſi Ordinantur, vt notat optimè noſter Vngarell. verbo Cenſura ſch. A. Cenſuræ autem ad ſalutem animarum vtpotè medicinales potius, quàm merè pænales regulariter ordinantur, vt docent etiam noſter *Fauentin. in 4. diſtin. 25. cap. 1. Sayr. de cenſ. lib. 1. cap. 1. num. 10. Vgolin. Tab. 1 cap. 15. Suar. T. 5. de cenſ. diſputat. 1. ſect. 1. Bonacin. de cenſ. diſputat. 1. quæſt. 1. punct. 1. Aula de cenſ. lib. 1. diſput. 4. Vaſq. tract. de Excomm. dub. 1. & alij.*

Dico tertio, quod cenſura in prima ſui diuiſione duplex eſt altera ab homine, altera à iure, ea dicitur cenſura ab homine, quæ fertur immediatè ab aliquo ſuperiore iuriſdictionem Eccleſiaſticam habente, dum præcipit aliquod non intentione condendi legem, aut ſtatutum, ſed ſolum imponendo contra inobedientes cenſuram per modum præcepti temporalis, & tranſitoris, vnde mortuo ſuſpenſo, vel officio functo tali ferente cenſuram, ceſſat cenſura, & amplius non ligat eius præceptum ſub cenſura; à Iure autem dicitur cenſura lata, dum fertur a legiſlatore cum intentione condendi legem, vel ſtatutum generale perpetuum propter aliquod crimen vitandum, hæc autem cenſura à iure mortuo, ſuſpenſo, vel officio functo ſuperiore eo, qui ipſam tulit, non ceſſat, ſed ſemper ligat præceptum ſub tali cenſura impoſitum. Ita communiter citati Doctores.

Dico quarto, quod quælibet cenſura ſiue à iure, ſiue ab homine adhuc duplex eſt, altera dicitur latæ ſententiæ, ſiue ipſo iure, vel ipſo facto inflicta, talis dicitur ferendæ ſententiæ, ſeu comminatoria cenſura; dicitur autem cenſura latæ ſententiæ, ſeu ipſo iure, vel ipſo facto, quæ vt Scotus noſter loquitur, fert ſecum in momento executionem, & ſtatim incurritur, & ligat poſt tranſgreſſionem, ob quam ponitur, nec indiget aliâ Iudicis declaratione, ea autem cenſura, quæ eſt ferendæ ſententiæ, ſeu comminatoria non ligat etiam poſt tranſgreſſionem, ob quam ponitur, niſi à Iudice declaretur inflicta propter talem tranſgreſſionem. Ita etiam communiter Doctores.

Dico quinto, quod quælibet cenſura ſiue à Iure, ſiue ab homine, ſiue latæ ſententiæ, ſiue comminatoria in tres communiter diuiditur tanquam genus in ſuas ſpecies ſcilicet in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Ita ex cap. quærenti de verb. ſignificatione colligit præcipuè noſter Ang. loco cit. ita etiam communiter docent Doctores citati, & Nauar. c. 27. ex qua doctrina communi.

Collige cum noſtro Vngarello, quod ſi quis Iudex habeat in mandatis, vt compeſcat delinquentes per cenſuras Eccleſiaſticas, vnam de tribus dictis fulminare poteſt ad ſuum licitum, non autem poterit infligere degradationem, vel depoſitionem, vel irregularitatem, quia iſtæ non ſunt propriè cenſuræ ad compeſcenda peccata ordinatæ, ſed ſolum ad punitionem pro commiſſo delicto, & irregularitas præcipua aliquando ſine peccato incurri poteſt; de ſingulis ſuo loco ſpecialiter dicetur. & differentiæ inter ſe ſe vibrabuntur, hæc autem de ſingulis generaliter, pro tunc dixiſſe ſufficiat.

Quomodo cognoſci valeat cenſura ſit ne latæ, an ferendæ ſententiæ.

DIFFIC. II.

Variæ regulæ ponuntur à Doctoribus ad cognoſcendum cenſura ſit ne latæ, vel ferendæ ſententiæ præcipuè à noſtro *Angelo verb. excommun. 1. §. 9. & Corduba qq. lib. 1. q.* 36. Quarum.

Prima eſt, quandocumque à iure, vel ab homine ponuntur iſtæ particulæ in cenſura ferenda, puro ipſo facto, ipſo iure, aut ſub pæna latæ ſententiæ, vel cum aliquo verbo adiunguntur aliquæ ex iſtis particulis, ſeu aduerbijs, confeſtim, ſtatim, protinus, illico, continuò, omninò, prorſus, mox, incontinenti, &c. ſemper cenſura dicitur eſſe latæ ſententiæ, & incurritur abſque alia Iudicis declaratione.

Secunda Regula eſt, quando cenſura fertur cum verbo præteriti, vel præſentis temporis puta ſi dicatur, qui hoc, vel illud fecerit, nouerit ſe eſſe excommunicatum, interdictum, vel ſuſpenſum, vel eſt excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus, vel excommunicatur, ſuſpenditur, vel interdicitur, aut volo, aut declaro, aut definio eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, vel excommunico, ſuſpendo, & interdico, Anathematizo, vel ſit anathema, ſemper ſub hiſce modis loquendi cenſuræ ipſo facto ferſtatur.

Verum eſt tamen, quod ly ſit Anathema ſolum in decretis ad fidem ſpectantibus indicat excommunicationem latæ ſententiæ, nam declarat Hæreticum tanquam ſentientem cōtra fidem de facto excommunicatum, at vero ſi extra decreta fidei inueniatur Anathema ſit ſolum ferendæ ſentētiæ dicere excōmunicationem, vt optimè notant noſter Portel. v. excōmun. n. 14. Sanch. l. 2. Decal. c. 33. & ita conciliari poſſunt moderniores volentes eſſe latæ ſententiæ Anathema ſit cum antiquioribus putantibus eſſe ſolum ferendæ ſententiæ vide gloſ. in c. de foro comper. & Angelum noſtrum pro antiquioribus, & pro modernioribus vide Bonac. Vgol & Suar. lo. cit.

Tertio Regula eſt cenſura eſſe latæ ſententiæ, quando adſunt verba Imperatiui modi temporis præſentis, puta, qui hoc, vel illud fecerit, ſubiaceat excommunicationi, habeatur pro excommunicato, incurrat, vel incidat in excommunicationem, veluti notat Hoſtienſis apud Vngarell. ſch. O. habeas te pro excommunicato, ſcias te eſſe excommunicatū, vel geras te pro excommunicato, iſti enim modi loquendi implicant de facto incurſum cenſuram.

Quarta Regula, quando præceptum, vel cenſura fertur ſub iſto tenore, præcipimus, mandamus, ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, certum eſt eſſe ferendæ ſententię, cum pœna non incurratur regulariter niſi poſt Iudicis ſententiam, ſicut etiam ſi dicatur præcipimus ſub interminatione Anathematis, comminatoria eſt cenſura non autem de facto lata.

Quinta Regula eſt, quando Cenſura lata eſt cum verbo futuri temporis ſemper eſt comminatoria, nec incurritur ipſo facto puta ſi dicetur, qui hoc, vel illud fecerit excommunicationem incurret, tali cenſuræ ſubdetur.

Nota tamen, quod ſi aliquod verbum ſit, quod poſſit eſſe futurum modi coniunctiui, & præſens etiam modi Imperatiui, puta ſi dicatur, excommunicetur, Innodetur excommunicatione, poterit indicare excommunicationem eſſe latæ, vel ferendæ ſententiæ iuxta doctrinam poſitam, à modo autem loquendi poteſt colligi intentio Iuris, vel Iudicis, regulariter tamen, quando aliqua alia particula in ſuperiori regula poſita non additur pro futuro coniunctiui accipitur, & conſequenter ferendæ ſententiæ cenſuram indicat, vt notant noſter Vngarell. & alij.

Vltima Regula eſt, quando oritur dubium ſit ne ferendæ, vel latę ſententiæ cenſura lata, reſpondendum eſt eſſe potius ferendæ, quam latæ ſententiæ, quia odia ſunt reſtringenda, & pœnæ in mitiorem partem interpretandæ iuxta Theologorum,

gorum, & Canoniſtarum commune proloquium, hinc Felin. cap. Rodulphus de reſcrip. notat, quod ſi Iudex dicat, te noueris in excommunicationem incurſurum, tanquam ſententia in dubio data, ſit ne latæ, an ferendæ ſententiæ, iudicanda eſt eſſe ſententiæ ferendæ, & ſolum comminatoria. Ita etiam Bonac. Suarez & Vgolin. loc. cit.

Singulæ autem iſtarum Regularum, apud varios Doctores habentur in parte. Vide noſtra *Cordub. & Angel. loc. cit. Sayr. de cenſ. lib. 1. cap. 11. Bonacin. loc. cit. Auilam de cenſur. 1. part. dub. 7. Hugolin. Tab. 1. cap. 9. §. 6. Filiuc. de cenſ. tract. 1. cap. 1. quæſt. 8. Azor. 1. p. lib. 5. cap. 6. & 26. & Suar. loc. cit. & de leg. lib. 1. cap. 6.*

Vtrum poteſtas ferendi cenſuras ſit de iure diuino data, ſ. à Chriſto ſuæ Eccleſiæ.

DIFFIC. III.

DIco primo, quod poteſtas ferendi cenſuras ſit de iure diuino tradita, ſ. à Chriſto ſuæ Eccleſiæ, concedunt omnes communiter, & Iuriſtæ, & Theologi, probatque *ſubtilis noſter Doctor in 4. diſt. 19. quæſt. 1. ex Matth. cap. 18.* vbi habetur, quod ſi te non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus, & infra, ſi quod ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælo, & ſi quod ſolueritis ſuper Terrem, erit ſolutum, & in Cælo, quæ verba cum ſint generalia generaliter referenda ſunt ad quamlibet cenſuram, qua ligari poſſunt fideles ad hoc, vt à vitijs compeſcantur, & deinde ſolui, ſi vere eos pœnituerint, quod etiam patet in Concilio Conſtantienſi contra Vuicblephitarum errores ſeſſ. 8. vide etiam Bellarminum de ſumm. Pont. l. 1. cap. 5 Suar. de cenſ. ſect. 2. Auil. diſp. 2. Vaſquez dub. 1. Bonac. & Vgolin loc. citat. in ſup. diff. Valent. 3. diſput. 7. q. 17. Filiuc. tract. 11. cap. 2. q. 1. Henriquez l. 13. cap. 1. Alter. de cenſ. l. 1. diſput. 1. cap. 1. Coninch. T. 2. diſp. 13. dub. 3. & alii.

Dico ſecũdo, quod huiuſmodi poteſtas cẽſuras ferẽdi à Deo Summo Pontifici Canonice, & legitimè electo immediatè traditur, & per ipſum Pontificem in alios Prælatos inferiores transfunditur, à quibus tanquam Summus Eccleſiæ Hierarca poteſt talem authoritatem auferre, & moderari iuxta occurrentes ad ſalutem animarum neceſſitates; Petro enim tanquam Pontifici Summo Chriſti ſucceſſori, & Vicario in Terris dictum fuit independenter ab alijs, Tibi dabo Claues regni Cælorum, quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper Terram, erit ſolutum, & in cælis, alijs vero dependenter à Petro dictum fuit generaliter quæcunque alligaueritis Ita etiam noſter Fauent. *in 4. diſt. 25. diſput. 4. quæſt. 1. cap. 1. n. 4. Bonac. de cenſ. diſput. 2. q. 1. par. 3. Suar. diſp. 2. Vaſqu. dub. 1. Henriqu. libr. 13. cap. c. 1. Alter. lib. 1. diſp. 3. Vgol. tab. 1. cap. 2. §. 1. Auila part. 1. dub. 2. & p. 2. diſput. 1. dub. 6. Filliuc. tract. 11. cap. 2. quæſt. 3. & alij*, quod autem Petro independenter, alijs autem dependenter à Petro poteſt colligi ex modo loquendi ipſius Chriſti, nam Petro dixit ſolum tibi dabo, & quodcunque ligaueris, cæteris vero alligaueritis, differentia autem inter ligare, & alligare, eſt quod ligare non dicit Conſortium, & dependẽtiam ligandi, at vero alligare dicit ſimul legare .i. cum dependentia ad alium, itaque Petro ligare ideſt cenſuras ferre independenter traditur, alijs vero per verbum alligare, traditur poteſtas ferendi cenſuras dependenter ab eo, cui ſoli dictum eſt tanquam ſuo ſucceſſori, & Vicario generali, tibi dabo, &c.

Dico tertio, quod licet aliqui voluerint fuiſſe à iure diuino impoſitas aliquas cenſuras ſuper particulari aliqua tranſgreſſione, quod colligunt ex prælatis verbis Matth. 18. ſi te non audierit, ſi tibi tanquam Ethnicus & publicanus, vt videtur velle noſt. Fauent. loc. cit. & Couar. in c. Alma mater p. 1. §. 1. num. 1. negant tamen probabilius Suar. Vaſq. Bonac. Auila, Henriq. & Alter. locis cit. quia aliter quilibet contumax eſſet excommunicatus ipſo facto abſque alia Prælati fulminatione, quod nullus Theologus concederet; ſolum ergo traditur forma, modus, vel cauſa ferendi cenſuras & maximè excommunicationem per illa verba, non autem de facto fulminat contra inobedientes excommunicationem.

Quinam in Eccleſia Dei ſit capax poteſtatis ferendæ Eccleſiaſticæ cenſuræ.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod regulariter ſolus homo viator fidelis vſu rationis pollens, nec aliàs impeditus, & capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ poteſt accipere poteſtatem ferendi cẽſuras. Ita communiter Theologi, & Canoniſtæ. Hinc collige.

Primo quod Angeli, & beati non ſunt capaces regulariter, & de facto poteſtatis ferendæ cenſuræ, quia non ſunt viatores, & Angeli non ſunt homines, cenſura autem eſt gladius Eccleſiæ militantis, quæ conſtat ex hominibus, & iiſdem viatoribus, ergo cũ Beati, & Angeli non ſint de gremio militantis Eccleſiæ, de facto ad eos non pertinet poteſtas huiuſmodi, adde, quod ipſi ſunt de gremio Triumphantis Eccleſiæ, vbi pax ſumma eſt, & nulla pœnarum turbatio, ergo eos dedecet ſe ſe immiſcere in ijs, quæ turbationem animi ſolent afferre, vt eſt cenſurarum fulminatio.

Secundo. Infidelis vtpotè extra gremium non ſolum Eccleſiæ, verum etiam inimicus ſaltem præſumptus Catholicę fidei eſt incapax poteſtatis ferendę cenſuræ, indiſcretè .n. inimicus gladio vtitur contra inimicum; an vero Pontifex de potentia abſoluta poſſit in fideli poteſtatem ferendæ cenſuræ cõtra fideles delegare, ſub dubio videtur relinquere. Vgol. Tab. 1. c. 2.

Tertio furioſus, & ebrius, aut alias mẽte captus incapax eſt poteſtatis ferendæ cenſuræ, quod patet ex eo, quia poteſtas ferendi cenſuras ſupponit cauſæ cognitionem per verum Iudicium, quo carent præfati, an vero poſſit furentibus, & amẽtibus conferri talis poteſtas pro tempore, quo ad mentem redierint, affirmant Doctores, quia cum alias ſint capaces, & apti ad talem poteſtatem accipiendam, nihil impedit quo minus eis ſub conditione, quod ea vtantur, cum ad rationem redierint de legari queat huiuſmodi poteſtas. Ita Alter. l. 3. diſp. 7. c. 6. & Bonac. loc. cit.

Quarto Regulariter, & de facto laicus eſt incapax ferendę cenſuræ Eccleſiaſticę, quia de facto, & regulariter incapax eſt iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, à qua dependet poteſtas ferendæ cenſuræ, vt habetur *c. decernimus de ind. & c. eccleſ. de conſtitu. & probant Scotus, & Riccardus, & D. Th. in 4. diſt. 19.*

An vero Pontifex Summus poſſit laico hanc poteſtatem ferendi cenſuras de potentia abſoluta conferre, cõmunius aſſerunt Theologi, quia ea, quæ ſunt ſolũ iuriſdictionis poteſt Papa laico conferre, non autem, quæ ſunt ordinis, cenſuras autem ferre non pertinet ad claues ordinis, ſed ſolũ iuriſdictionis, ex priuilegio ergo particulari de ſuę poteſtatis plenitudine poteſt laico poteſtatem hanc Eccleſiaſticã conferre, faciendo laicũ in hoc Eccleſiaſticã perſonam vide infra v. Excõ.

Vtrum Papa poſſit fœminæ poteſtatem cenſuras ferendi conferre.

DIFFIC. V.

NEgant *Decius in Reg. 1. de reg. iur. 41. & dilecta de maiori, & obed & c. dilecta, de excep. Prelat. Couar. in c. Alma mater p. 1. § 11. Auila 1. p. dub. 6. Coninch. diſp. 13. dub. 4. & probant ex c. nona de pænit. & remiſſ.* vbi dicitur claues Regni cælorum non eſſe datas fęminis, neque Beatiſſimæ Virgini, & in c. monialibus de ſent. excom. habetur Abbatiſſam non poſſe à cenſuris abſoluere ſubditas, & licet aliquando reperiatur clericos ſuſpendiſſe, ea tamen non erat ſuſpenſio, vt cenſura eſt Eccleſiaſtica ex poteſtate Eccleſiaſtica, ſed ſolum quędam prohibitio ex æconomica poteſtate proueniens. Vnde per tranſgreſſionem talis ſuſpenſionis non foret incurſa irregularitas.

Attamen alij, qui hos ſacros canones allatos ſolũ de potentia ordinaria Papæ, & de facto locutos volunt, aſſerũt probabilius Papã de potentia abſoluta, & de ſuæ plenitudine poteſtatis poſſe fœminæ alias non impeditæ committere poteſtatem ferendę cenſuræ Eccleſiaſticæ, quia licet fęmina ſit incapax poteſtatis ordinis, non tamen poteſtatis iuriſdictionis, quod autem fœmina ſit incapax poteſtatis iuriſdictionis nec diuino, nec naturali iure probatur, cum ergo nec iure diuino, nec naturali repugnet, poteſt vtique ei conferri à Papa, qui ſupra ius poſitiuum habet omnimodam poteſtatem. Ita noſter *Rodriq. p. 1. cap. 36. n. 3. Paludan. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 1. Sot. diſt. 20. q. 1. art. 4. Filliuc. tract. 11 cap. 2. q. 8. Nauarr. conſ. 72. de ſent. excomm. Vgol. T. 1. c. 2. §. 7. Suar. diſp. 2. ſect. 3. Alter. l. 3. diſp 7. c. 5. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum

Vtrum habens poteſtatem ferendi cenſuras aliquando inualidè ea vtatur.

DIFFIC. VI.

DIco primo, quod habens poteſtatem ferendi cenſuras impeditur aliquando à iure poſitiuo, ne validè ea vtatur, & præcipuè in duobus caſibus; primo quando Iudex, & Prælatus habens poteſtatem excommunicandi ordinariam, vel delegatam, eſt notoriè denunciatus excommunicatus, tunc amittit authoritatem cenſuras ferendi, vt ſuo loco V. excommunicatio videbitur, inualidè ergo ex iure poſitiuo cenſuras ferret excommunicatus denunciatus, ſecundo in caſu appellationis, quia per appellationem legitimã ad ſuperiorem tollitur à Iudice, & Prælato authoritas ferendi cenſuras contra appellantẽ ex eo, quod per legitimã appellationem appellans non eſt amplius eius ſubditus, ergo eum cenſuris iudicare, & punire nequit, qui .n. me iudicat Dominus eſt, ait D. Paulus.

Dico ſecundo, quod habens poteſtatem ferendi cẽſuras poteſt etiam à iure naturæ impediri, ne validè eas ferat cẽſuras, & hoc accidit quando in cauſa propria Iudex ſuſtinẽs perſonã Actoris pro ſe vellet in Reum ſuum cenſuras proferre, in hoc enim caſu de iure naturæ, impediretur, ne validè cẽſuras proferat, quia de iure naturę eſt, vt quis in cauſa propria nequeat eſſe Actor, & Iudex, vt habetur *in c. inter querelas 23. q. 4. & ibi Gloſa, & ibidem in c. 1. ex Fabiano Papa* præterquam, quod nullus poteſt iudicare non ſibi ſubditum, nullus autem eſt ſibi met ſubditus, ergo nullus poteſt iudicare ſe ipſum, quare ſicut ſe ipſum non poteſt excommunicare Iudex, ita nec alium in cauſa propria.

Quare Iudex animo vindictæ excommunicans ſuum Aduerſarium tanquam Actor in cauſis propriis, inualidè excommunicat. Ita etiam docent Bonau. in 4. diſt. 8. dub. 6.

Excipit tamen ab hac doctrina Seraphicus Doctor caſum defenſionis, nam excommunicans volentem ſibi ſuiſque notoriam vi lentiam inferre validè excommunicaret ad ſui defenſionem, quæ etiam eſt de iure naturæ fortius ligans, licitũ eſt .n. de iure naturæ proprijs armis vti ad propulſandam notoriam, imminentemque iniuriam ſibi, ſuiſque inferẽdam. Ita etiam *Panorm. in c. cum venissent de iudic. & c. 2. de deleg. Suar. de cenſ. diſp. 2. ſect. 4. Eſinc. tract. 21. c. 2. q. 9. & Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1. punct. 2.*

Quare quando debitum eſt liquidum, & alia remedia conuenientia adhibuit Prælatus, vt debitor ſibi ſolueret, quod debet, nec potuit eum inducere ad ſoluendum, poteſt tunc ad inſtãtiam Patroni ſui fiſci pro ſuarum rerum defenſione in propria cauſa cenſuris contra debitorem procedere.

In quibus regulariter reſideat poteſtas ferendi cenſuras Eccleſiaſticas.

DIFFIC. VII.

DIco primo, quod immediata poteſtas ordinaria ferendi cenſuras primario reſidet in Summo Pontifice tãquam omnium fidelium Chriſtianorũ cuiuſcunque gradus, & conditionis ſummo Hierarca, & Domino. ab ipſo autẽ deriuatur hæc poteſtas in ſuos legatos de latere, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros locorum ordinarios, Cardinales in proprijs titulis, iſtorumque omnium Vicarios generales in ſuis Prouincijs Diœceſibus, & locis in quibus habent iuriſdictionem in foro externo, ſimiliter deriuatur hæc poteſtas à Papa in Prælatos Regulares, puta in Abbates, Generales, Prouinciales, & Prælatos locales in ſuos ſubditos Regulares.

Ratio autem quare in ſolo Papa maneat immediata, & primaria poteſtas ferendi cenſuras, & à Papa in cæteros Prælatos transfundatur ea eſt, vt notat noſter ſubtilis Doctor in 4. diſt. 25. maximè loquens de excommunicatione, quia excommunicatio priuat à communione omnium fideliũ, cæteri autem Prælati non habent iuriſdictionem in omnes fideles, ſequitur ergo, quod ſolus Papa tanquam vniuerſalis Dominus poſſit immediatè excõmunicare, quia vero non poſſet Papa omnium querelas, nec omnium defectus audire ad ea corrigenda, ideo à Papa transfunditur authoritas excommunicãdi in cęteros Pręlatos, vt per authoritatem illis impartitam ferendi cenſuras, facilius in ſuis quiſque locis coercendi delicta habeant occaſionem.

Quare non benè contra Scotum obmurmurat Sot. in 4. diſt. 71. q. 2. quia ſi à Papa haberent authoritatem excommunicãdi Epiſcopi pręcipuè, non eſſent ordinarij in ſuis locis, nam dum habent eam à iure communi dependenter à Papa, habent eam tanquam ſibi ordinariam, & licet eam Papa poſſet vt dictum eſt ſupra, tollere, & moderari, non tamen intelligitur ablata per generalem prohibitionem, niſi ſpecificè eam reuocet ab Epiſcopis, quia talis poteſtas facta eſt eis Ordinaria, ideo per ſpeciales clauſulas ſolũ tollitur, & moderatur.

Dico ſecundo, quod licet aliqui voluerint in Parochis reſidere etiam ordinariam poteſtatem ferendi cenſuras in ſuos Parochianos, vt videtur velle Syl. v. excomm. 1. attamen negãdum communiter cum Doctoribus, an vero ex conſuetudine legitimè præſcripta poſſint Parochi excommunicare, & cenſuras ferre, negant noſter *Rodr. q. 1. c. 76. n. 7. & alij, attamẽ probabilius noſt. Ang. v. excom. 1. §. 3. Innoc. quem citat, & ſequitur Vgol. Tab. 1. c. 2. §. 21. Sayr. l. 1. c. 6. Suar. ſec. 2. Alter. l. 1. c. 3. d. 7. & Bonac. loc. cit.* affirmãt, quod videtur colligi ex eo, quod licet conſuetudo ex ſe non tradat iuriſdictionem, tamẽ ſi nota, & tolerata ſit a ſuperiore, confert Iuriſdictionẽ, quia Prælatus eam tacitè tradit, dum eam non tollit, vnde notat noſter Angelus, quod ſi talis conſuetudo fuerit ab Epiſcopis cognita, & non prohibita, eſſet vtique in Parochis toleranda.

Aduertunt tamen Bonac. & Vgol. quod ſi Parochi haberẽt ex conſuetudine ſolam vnam ex cenſuris, puta excommunicationẽ non poſſet ferre aliam, puta nec interdictum, nec ſuſpenſionem, & probabiliter quidẽ, quia cum talis conſuetudo in Parochis ſit contra ius cõmune, ſtrictè interpretanda eſt.

Dico 3. quod in collegio, in quo ſit ęqualis pars ſæculariũ, & Clericorum poteſt reſidere poteſtas ferendi cenſuras, quia magis dignum trahit ad ſe minus dignum in ęquali portione, vnde dicendũ eſſet huiuſmodi collegiũ verè Eccleſiaſticum.

At vero ſi maior, & ſanior pars collegij ſint ſæcularium, & minor pars clericorum, vtpotè dicendum meræ ſæculare, non poterit habere iuriſdictionem ordinariam ferendi cenſuras. Ita etiam Bonac. & Alter. loc. cit.

Vtrum poteſtas ferendi cenſuras poſſit cuilibet Chriſtiano delegari à quolibet Prælato Papa inferiore ordinariam tamen ferendi cenſuras authoritatem habente.

DIFFIC. VIII.

DIco primo, quod cuilibet Chriſtiano laico nõ poteſt Prælatus Papa inferior quantumcumque habeat authoritatẽ ordinariam ferendi cenſuras, ipſam delegare, quod probatur ex eo, quod nullus Papa inferior poteſt in iure communi diſpenſare, quod autem laicus nequeat ferre cenſuras prohibetur in iure communi præcipuè in c. prætcrea diſt. 32. ergo nõ poteſt Prælatus inferior Papa laico conferre poteſtatem excommunicandi. Itaque ſoli Clerico ſaltem prima tonſura initiato poteſt à Prælato Papæ inferiore conferri poteſtas ferendi cenſuras. Ita communiter.

Dico ſecundo, quod licet Clerici coniugati fuerint Minoribus ordinibus inſigniti, nõ poteſt tamen eis Prælatus Papa inferior ſuam authoritatẽ ferendi cẽſuras impartiri, quia cẽſuras ferre prohibetur clericus coniugatus præcipuè in iure communi cap. ſanè de Clerico coniugato, quia vt dictum eſt non poteſt Prælatus in iure communi diſpenſare.

Dico 3. quod laici Religionem approbatam profeſſi, & prima tonſura non ſunt initiati regulariter non poſſunt accipere iuriſdictionem ferendi cenſuras, etiam ſi adeſſet conſuetudo præſcripta, quia hæc non poteſt incapacem de iure communi facere capacem tradunt *Abb. in c. fin. n. 15. de conſuet. Vgol. nu. 15. Suar. diſp. 2. ſect. 3. Eſinc. c. 2. q. 2. Auila 1. p. dub. 6. Henriq. l. 13. c. 24. Alter. l. 3. diſp. 7. Veſteria relect. 2. q. 3. & Bonac. loc. cit.*

Attamen dicerem, quod ſi conſuetudo præſcripta adſit cognita, & tolerata à Papa, quod laici Regulam approbatæ Religionis profitentes valeant eſſe Superiores, & conſequenter ad rectè gubernandum cenſuras ferre queant, ſanè iuriſdictionem tradit huiuſmodi conſuetudo, vt dictum eſt de Parochis, quia laici Regulares quando ſunt ſuperiores habent curam animarum.

Quare in noſtra Obſeruantia Minoritica, in qua viget conſuetudo, vt etiam laici profeſſi eligantur in Guardianos, poſſunt ſanè cenſuras ferre, quia non ſolum hæc conſuetudo cognita eſt, & tolerata à Papa, verum etiam cum multa noſtra ſtatuta, in quibus laicos poſſe aſſumi

Digitized by Google

ad ſuperioritates Religionis definitur, à Pontificibus motu proprio ſunt confirmata, concedens autem principale, concedere etiam videtur acceſſorium neceſſarium ad executionem principalis, iuxta quod habetur in cap. præterea de officio delegati, ergo Papa concedens in noſtra Religione laicis profeſſos poſſe eſſe Superiores, concedit etiam ipſis facultatem ferendi cenſuras tãquam neceſſariam ad rectè gubernandum, & vitia ſubditorum compeſcenda.

Vtrum ad incurrendam cenſuram requiratur ſemper culpa mortalis, an vero etiam pro veniali poſſit infligi.

DIFFIC. VIII.

DIco primo, quod inter cenſuras maiorem excommunicationem neceſſariò infligendam ob ſolum peccatum mortale omnes communiter debent Canoniſtę, & Theologi, & noſter *Subtilis Doctor in 4. diſt. 9. q. 5. art. 5.* ait fatuos vocãdos ſuperiores, qui qualibet leui cauſa excommunicationem maiorem fulminant, vide etiã noſter *Rodriq. t. p. cap. 77.* quod autem pro leui culpa, etiam veniali poſſit ferri excommunicatio minor, communiter aſſerunt Theologi, verum eſt tamen, quod excommunicatio minor non ſolet fulminari à Iudice. Vide infra V. Excom.

Dico ſecundo, quod licet interdictum, & ſuſpenſio probabiliter velint, quod poſſit fieri etiam pro culpa veniali propria Nauar. c. 27. n. 165. Caiet. v. in ſum. v. Præceptũ, & Auila diſp. 4. dub. 3. ex eo fortè, quia non inconuenit haſce cenſuras ferri etiam pro veniali, quia non priuat tot bonis, quot priuat Excommunicatio maior.

Attamen alijs Doctoribus diſtinguendum videtur, quod ſicut datur excommunic. maior, quæ ſemper pro mortali, & excommunicatio minor, quæ ſemper pro veniali, ita etiam detur interdictũ maius, & ſuſpenſio maior, quæ ſemper pro peccato mortali, & Interdictum minus, & ſuſpenſio minor, quæ etiam pro veniali culpa, vocant autem Interdictum minus, & minorem ſuſpenſionem, quæ pro breui tempore infliguntur pro aliquo caſu particulari; Interdictum vero maius & ſuſpẽſionem maiorem volunt ſolum fulminari pro peccato mortali, & ad lõgum tempus duratura, pœnæ .n. culpæ grauitati reſpondere debent, pro peccato ergo mortali graui diuturnior, & maior cenſura, pro leuiori autem minor, & breuior cenſura inferenda. Ita *Suar. diſp. 8. ſect. 4. & diſp. 18. ſect. 9. Filiuc. tract. 11. c. 1. q. 8. Tolet. lib. 1. c. 44. Coninck. diſput. 15. dub. 13. dub. 8. & Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1. punct. 3.*

An vero hæc diſtinctio ſit iuxta ſacros Canones, videant viri docti, certum eſt tamen mihi, quod ſpeculatiuè loquendo non videtur improbabilis.

Vtrum cenſura infligi poſſit pro peccato mero interno, & mentali nullo exteriori ſigno manifeſtato.

DIFFIC. IX.

NOn defuerunt Doctores etiam graues putantes excommunicationem maiorem poſſe etiam infligi pro quolibet peccato graui mero interno, & mẽtali nullo ſigno exteriori manifeſtato, quos alibi citaui, & probant ex eo, quod poteſtas ferendi cenſuras in Eccleſia, eſt merè ſpiritualis, & non corporalis, ergo extenditur ad quodlibet peccatum mẽtale, & internum; poteſtas enim ſpiritualis etiam intrinſeca afficit cum repagulo extrinſeco detineri nequeat, quin ad intrinſeca non feratur, hinc Eccleſia reſeruat peccata non ſolum, ſed etiam vota pure mentalia, & interno nullo ſigno exteriori manifeſtata, vnde volunt hæreſim pure mentalem excommunicationi Bullæ Cœnæ etiam ſubiacere.

Attamen probabilius videtur cum alijs diſtinguendum, nã actus internus, vel conſideratur ſimpliciter ſecundum ſe abſolutè, quatenus internus eſt, vel quatenus eſt vnitus & informat actum exteriorem, vel omiſſionem actus externi, vel ad externum ordinatur, actus ergo merè internus ſecundum ſe quatenus internus eſt non poteſt puniri cẽſura, quia Eccleſia non iudicat de internis, quæ ſolent eſſe occulta, de quibus nõ iudicat Eccleſia, interna enim, & occulta iudicare ſibi ille reſeruauit, qui ſolus eſt cordiũ ſcrutator Deus benedictus actus autem internus ordinatus ad exteriorem actum poteſt quidẽ cadere ſub cenſura, vt inquirere, vt proceſſare, eligere, præſentare ex odio, vel alia interna paſſione, vnde poſſet cadere odium, & paſſio interna ſub cenſura, quatenus informat hoſce actus exteriores inquirendi, proceſſandi, eligendi, & præſentandi, quia aliquo modo cadit ſub ſenſu, vtpotè ad actus exteriores ordinatum tale odium, quia tale odium actum externum ex ſe bonum reddit malitioſum, & peccaminoſum, ſimiliter ſi actus internus informaret actũ externum per omiſſionem extrinſecam, puto frangere ieiunium ex contemptu, recitare officium, vel miſſam abſq; attentione, cõfiteri peccata abſq; dolore, & propoſito ea vitandi etiam cadere poſſent ſub cenſura tales actus, quia aliquo modo ad externum opus ordinantur, & aliquo modo videntur cadere ſub ſenſu.

Hine in clem. 1. §. verum de hæret. excommunicantur inquiſitores, qui odio, vel ſpe lucri puniunt aliquem innocentem, quæ etiam doctrina poteſt colligi ex dictis *in c. erube. cat. & c. ſicut nos de Sym. Ita etiam ex Scoto docet noſter Fauent. diſt. 25. q. 1. diſp. 4. c. 2. Alph. de Caſtr. l. 2. de leg. pan. c. vlt. Rodr. p. 1. c. 80. Suar. diſp. 4. ſect. 2. Vaſq. dub. 13. Filiuc. q. 3. n. 166. & q. 6. n. 178. & Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1. punc. 3.* & alij.

Notant tamen præfati Doctores, quod ſi actus internus non ſit de ſubſtantia actus externi, ſed ſolum requiratur modus, non cadit ſub cenſura, puta ſi ferretur excommunicatio contra non communicantes in Paſchate abſolutè, & ſimpliciter, communicans indignè non cadit in excommunicationem, quia communicare dignè, eſt modus requiſitus ad benè communicandum, non autem ad communicandum ſimpliciter, Eccleſia autem non poteſt præcipere ſub excommunicatione, vt dignè quis communicet, quia nullo modo id poteſt cognoſcere communicans, cum nemo ſciat an odio, an amore dignus ſit, at vero quando actus internus eſt de ſubſtantia actus externi poteſt ſub cenſura præcipi, quia dum eſt de ſubſtantia actus externi poteſt cognoſci, & cadere ſub ſenſu hinc attentio eſt actus internus de ſubſtantia recitationis diuini Officij, & Miſſæ auditionis, atque adeo poteſt ſub cenſura præcipi attenta recitatio diuini officij, & miſſæ auditio attenta, eſt enim de ſubſtantia vtriuſque præcepti attentio interna, & poteſt à recitante, & audiente cognoſci, & ſub ſigno externo cadere poteſt, non eſt ergo attentio purè, & ſimpliciter mentalis quatenus eſt de ſubſtantia præcepti recitationis officij, & auditionis Miſſæ, ſub cenſura ergo præcipi poteſt. Ita Doctores citati.

Notat etiam ex tali doctrina non incurrere illum in cenſuram, qui actu interno mortaliter peccat, tamen actus externus, qui prohibetur ſub cenſura leuis eſt, & venialis, quia Eccleſia in tali caſu non intendit punire actum internum, ſed ſolummodo externum, hinc percutiens Clericum ex odio, & mala voluntate, tamen ita leuiter, vt percuſſio ſit ſolum iudicanda venialis, non erit extimandus excommunicatus, quia ſolum percuſſio extrinſeca ab Eccleſia iudicatur, quæ vt potè venialis non ſubijcitur excommunicationi. Ita in Terminis Valentia T. 4. diſp. 3. q. 17. punct. 5. & Bonac. loc. cit.

Vtrum cenſuræ ſaltem maiores ferri valeant pro qualibet mortali, & an pro aliquo actu indifferenti, qui poſſit fieri mortalis.

DIFFIC. X.

ASſeruerunt aliqui excommunicationem præcipuè maiorem ſolam infligi poſſe pro illo peccato mortali externo quod alia via corrigi, & emendari nequit, quod probant ex *Concilio Trid. ſeſſ. 21. c. 3. de refor. & ex Concilio Maldenſi, quod citat Suar. diſp. 4. ſect. 4.*

Dicendum tamen primo, quod pro quolibet peccato mortali externo emendando poſſunt ferri cenſuræ, conſilium tamen eſt noſtri Doctoris, & cæterorum Theologorum, quod ſolum pro peccato graui ferantur, maximè excommunicatio, ne cenſuræ vileſcant, ſi ferantur paſſim pro qualibet leui culpa mortali, vt docet etiam Trident. Concil. loc. citat.; quod autem adducunt ſententiæ prioris Authores, quod ſolum pro peccato, quod alia via emendari nequit, ferri debeant cenſuræ non bene probatur ex concilio, quia ibi concilium ſolũ loquitur de excommunicationa ferenda à iudice propter cauſas ciuiles, & criminales, in quibus excommunicatio debet eſſe remedium ſubſidiarium .i. quando in dictis cauſis non poteſt Reus alia via ad ſatisfactionem, vel obedientiam induci, tunc debent adhiberi cenſuræ, cæterum non prohibet concilium, ne pro aliis peccatis grauibus emendandis ferantur, etiam ſi alia via poſſent emendari, nam fortè per Cenſuras

melius,

Digitized by Google

melius, & facilius corrigi valebunt, quam alio modo, ides relinquitur arbitrio ſuperioris peccata grauia per cenſurasoe potius, an alia via compeſcant.

Dico ſecundo, quod actio ex ſe indifferens, ſi propter aliquem finem malum, vel ratione alicuius circumſtantiæ poſſet fieri mortalis, vtique poteſt ſub cenſura prohiberi, puta choreas ducere, nutrire comam, arma deferre, per talem locum tranſire, & ſimilia, licet poſſint eſſe actiones ex ſe indifferentes, tamen quia ratione finis, & circumſtantiarum poſſunt fieri mortales, ſi prohibeantur ſub cenſura valida eſt, & poſt tranſgreſſionem inducunt mortale, quia fit contra præceptum Superioris in re coercente peccati mortalis occaſionem, & conſequenter fit contra præceptum Superioris in re graui, vnde tranſgreſſores verè cenſura illaqueari manent, quod ſi res venialis non poſſint ex fine, vel circumſtantia fieri mortalis, ſi prohibeatur à Superiore ſub cenſura maiori, nulla eſſet cenſura, quia tranſgreſſio præcepti ſuperioris in re leui, quæ poſt tranſgreſſionem remanet in ſua leuitate, non incurritur peccatum mortale, præceptum enim ſuperioris non poteſt obligare magis, quam ius naturale, & diuinum, quorum vtrumque excuſat in materia leui, nec obligat ad mortale, quare ſi ſuperior præciperet ſub cenſura oe proferatur verbum otioſum nec à fine, nec à circumſtantia vergens ad mortale, tranſgreſſor non incideret in eam, quia eius tranſgreſſio non poſſet inducere peccatum mortale ſufficiens ad incurrendam cenſuram maiorem. Ita ex Scoti doctrina noſter *Fauentinus, Valentia, Vaſqu. Suarez, & Bonac. loc.cit. & Sayr. lib.1. cap.9. Alterius libr.3. diſput.1. cap.1. Sot. in 2. diſt.22. quæſt.1. art.3. Aula 2.p. quæſt.5. Filiuc. tract. 12. c.1. q.8. & alii.*

Verum ſub excommunicatione maiori talia præcipere indifferentia, niſi euidens animarum ſalus expoſceret, paſſim non debet Superior, ne vileſcant cenſuræ, vt monet noſter *Fauent. & ex Concil. Trid. loc. cit.* colligitur.

Quomodo autem cognoſci valeat, quando res venialis ex aliqua circumſtãtia poſſit dici materia excommunicationis, ſi ſub ipſius pœna prohibeatur, relinquendum iudicio prudẽtis viri, vti optimè notant Bonac. & Alter. loc. cit. etenim poteſt fieri, quæ laicis ſunt ſemper venialia, Clericis, & Religioſis ratione ſtatus perfectionis poſſint fieri materia peccati mortalis.

An cenſura lata contra furentes vel detinentes rem alienam liget eos, qui rem leuem abſtulerunt, vel detinent.

DIFFIC. XI.

Diſtinguit, & optimè noſter *Corduba in ſumm. quæſt. 70.* nam vel furans, & detinens iniuſtè rem alienam leuem ſ. in parua quantitate, quæ non ſufficit ad mortale ſolus fuit in damnificando, ita vt Dominus rei non remaneat notabiliter damnificatus ex tali furto, & rei detentione, & in hoc caſu aſſerit furantem, vel detinentem non ligari cenſura, quia ob furtum, vel detentionem rei in parua quantitate non incurritur mortale, & conſequenter cenſura maior.

Quod ſi plures fuerint fures & detentores rei in parua quantitate, ita vt res ſingulæ ablatæ & detentæ in parua quãtitate à ſingulis ad ſummã talem perueniant, vt notabiliter ſit læſus Dominus, in hoc caſu ſingulos docet in cenſuram incurrere, quia ſinguli concurrunt ad notabile damnum inferendum, & conſequenter ſinguli peccant mortaliter, vnde validè cenſura ligantur, niſi reſtituant.

Notat tamen noſter Corduba, quod ſi multi reſtituant, & aliqui non reſtituant, ita vt ex reſtitutione multorum iam non remaneat notabiliter læſus Dominus, cæteri non tenentur reſtituere, quia remanent fures, & detentores rei in parua quantitate, & conſequenter nec cenſuram incurrunt non reſtituentes. Ita etiam præter noſtrum *Cordubam Sotus in 4. diſt. 22. q.1. art.2. Tolet. apud Sanch. in opere mor. l.7. c.29. & Bonac. de cenſ. diſp. 1. q.1. punct.3.*

Aduertendum tamen, quod in hoc caſu furantes in parua quantitate, vel detinentes ſufficit, vt probabiliter ſint certi, Dominum ex pluribus furantibus, & detinentibus in parua quantitate non fuiſſe notabiliter læſum, quod ſi probabiliter ſciant quam plurimos fuiſſe fures, & detentores rei in parua quantitate, notabiliter fuiſſe læſum Dominum debent exiſtimare, atque adeo reſtituere tenentur, ne in cenſuram latam ad inſtantiam talis Domini contra furantes, vel detinentes rem ſuam incurrant. Ex qua doctrina.

Collige, quod ſi lata ſit excommunicatio contra fures, & detẽtores rerum Titij Sartoris, quia acum dumtaxat furatus eſt ab eo, vel detinet, ſi alium acum non habeat, Titius, quo laboret, & ita notabiliter damnificetur, non incurrit excommunicationem, ſi ſolum lata fuerit contra furantes, & malè detinentes, quia verè acus in ſe ratione furti, & in genere reſtitutionis eſt res paruæ quantitatis, vnde nec materia excommunicationis, quod ſi cenſura lata ſit etiam contra furantes, & detinentes cum damno Domini, tunc quia excommunicationis materia eſt damnificatio, incidit in excommunicationem, acum, qui à Sartore furatus eſt, vel detinet, ſi aliũ non habeat quo laborat, & ſibi victum quærat Sartor. Ita etiam præter noſtrum *Cordubam Aula 2.p.c.5. Nauarr. c.17. n.4. Arragon. 2.2. q.66. ar.6. dub.4. Suar. diſput.4. ſect.6. Rebellus, & Sayr. quos citat, vt ſequitur Bonac. in 7. præcep. Decalog. punct.3. & de cenſ. loc. cit.*

Vtrum cenſura ſemper liget ſimplicem tranſgreſſionem facti ſub ipſa prohibiti.

DIFFIC. XII.

Negatiuè reſpondendum, ſed eſt diligenter perpendenda voluntas ferentis cenſuram, an ſ. c. quodlibet voluntarium peccaminoſum prohibeat, an vero factum ex contẽptu, vel temerario auſu, an ſolum actum exteriorem, an vero etiam interiorem ad exteriorem ordinatum, an ſolum agentes, an etiam conſulentes, & mandantes, an effectum directè ſolum, an etiam indirectè ſecutum velit cenſuræ ſubiicere. Quare

Dico primo, quod quando ferens cenſuram dicit, qui temerè hoc fecerit, vel auſus fuerit, vel præſumpſerit, vel qui ſcienter ex contemptu id perpetrauerit incurrat eo ipſo in talem cenſuram, tunc non quodlibet voluntarium mortale ſecutum ſub cenſura prohibitum erit materia ad incurrendam cenſuram, niſi fuerit factum tali temeritate, contemptu, & ſcientia contra ſuperioris præceptum, hinc ſi quis tale peccatum ſub cenſura prohibitum cum prædictis clauſulis patrauerit ex ſola culpabili negligentia, vel ex ignorantia præciſa omni temeritate, & contemptu, & dolo non incidet in cenſuram, licet ratione negligentiæ, vel ignorantiæ culpabilis mortaliter peccet, quia intentio ferentis cenſuram eſt ſolum ligare temerè, & ex contemptu ſcienter tranſgredientes præceptum ſub Cenſura, quod ſi abſque prætatis clauſulis auſus temerarij, contemptus, & ſcientiæ abſolutè feratur cenſura contra tranſgredientes præceptum ſub cenſura, ſanè mortaliter tale præceptum tranſgrediens ligabitur, an vero ignorantia etiam culpabilis excuſet dicetur infra Verbo Excommunicat. Ita docent Suar. *diſputat. 4. ſect.3. Aula 2. part. diſputat. 1. cap.5. Molin. ex parte tract. 1. diſputat.71. Sanch. lib.9. de matrim. diſput.32. Bonac. de cenſur. punct.3. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod cenſuram ferens contra facientem aliquem actũ completũ, non intendit ligare facientem actum eundem incompletum, & ſolummodo attentatum, quod ſi ſimpliciter prohibeat actum quemcumque etiam attentatum ſub cenſura, licet quis actionem ſolam incompletam aſſequatur, incidit, nam intentio ferentis attendenda eſt, quare ſi quis iaciat lapidem contra Clericum, & lapis eum nullo modo attingat, non incidit in excommunicationem latam in c. ſi quis ſuad. diab., quia ibi ferens cẽſuram prohibet actionem percuſſionis completam, non autem attentatam, è contra ſi quis contra vitam Pontificis aliquod attentaret, licet non ſequatur effectua ex aliquo impedimento, incidit in excommunicationem, quia actus attentatus etiam ſubijcitur excommunicationi.

Dico tertio, quod ſi actus completus ſub cenſura prohibeatur, ſi talis actus ſit inceptus, & deinde finitus, ita vt actus nõ fuerit ex tali inceptione completus, ſi deinde ex alio incidẽti ordinetur ad actum completũ non dicitur in tali caſu actus iſte completus ab eo, qui eum incepit, & conſequenter non incidet in cenſuram, quia verè ad talem actum completum non influxit tanquam cauſa per ſe completa; Quare ſi ſub excommunicatione prohiberet, ne quis talem Eccleſiæ arborẽ

Digitized by Google

in terram eam cedendo proijciat, vel ne radicitus eam euellat, ſi quis eam incipiat cedere, ſed actum noo compleat, non incurrit excommunicationem quia actus completus prohibitus fuit, quod ſi alius eam proſequatur cedere, & de facto in terram proſternat, hic ſolum erit excõmunicatus; Imò ſi qui eam inciperet cedere, vel euellere, & ab alio caſu incidenti puta ab aliquo vehemẽtiori vento proijceretur, & euelleretur, adhuc qui incepit non incidit, modo eius actus inceptus non fuerit cauſa proxima, vt ventus eam euelleret, alias oon paſſura arbor euulſionem à vẽto, niſi fuiſſet cedi, vel euelli iocepta, quia tũc actus inceptus eſſet ordinatus ad euulſionem, ſed ſi actus non eſſet talis, vt ordinatus eſſet ad tale periculum, & ſine tali actu incepto adhuc à vento euulſa eſſet, nõ incurreret, quod apparet ſi etiam aliæ arbores conſimiles fuerint euulſæ, &c.

Hanc etiam doctrinam exemplificãt de vulnerante Petrũ, quod tamen vulnus ex ſe non ſit ordinatum ad mortẽ, ſi poſtea ex aliquo caſu, puta quia Petrus magnam vini quantitatẽ bibit, ex quo vulnus factum eſt læthale, & mortuus fuerit, ſi eius mors foret ſub excommunicatione prohibita, vulnus, qui inflixit, non eſſet excommunicatus, quia actus inceptus non erat ordinatus ad mortem, excommunicatur autẽ actus completus, oon autem inceptus, ſi oon ſit ordioatus ad completum. Ita etiam *Suar. diſp. 9 ſect. 3. Filiucc. c. 6. qu. 4. Alter. l. 3. c. 2. Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1. p. 3. & alij.*

Vtrum quando actus exterior non habet malitiam internam ſub cenſura prohibitam ſubiaceat ipſi cenſuræ.

DIFFIC. XIII.

AFfirmat Caiet. 2. 2. q. 12. art. 1. quia Eccleſia non indicat de occulto, & de malitia iotrinſeca, vnde putat proferentem ſolo ore hæreſim, quam ſanè non habet in mente, & verè iotrinſecè non eſt hæreticus, ſed fidelis incurrere in excommunicationem latam contra Hæreticos.

Attamen mitius, & probabilius alij volont, quod quando actus exterior prohibetur ratione actus interioris, in quo conſiſtit malitia actus prohibiti, ſi ſolum fiat actus exterior abſque concurſu actus interioris, non ſit materia excommunicationis ſolus actus exterior, quare proferentem hæreſim ore ſolum, ſi verè oon concomitetur etiam actus interior, ſed in mente ſit verè fidelis, & nullum habeat in intellectu errorẽ circa fidem, non incurrere excommunicationem dicendum eſt, quandoquidem verè non adeſt malitia hæretica, quæ conſiſtit in actu ioteriori, non in actu exteriori Ita etiam Nauar. c. 11. *Suar. diſp. 4. ſect. 3. Vaſq. dub. 12. Aula p. 1. dub. 11. Conınc. diſp. 19. dub. 8 Filiuc. tr. 11. q. 4. & 6. Bonac. de cenſ. d. 1. qu. 1. p. 3.*

Verum eſt tamen, quod in foro fori plectendus eſt tanquã hæreticus proferens ore hæreſim, licet eam intellectu nõ aſſequatur, quia vt dicit prima opinio, Eccleſia iudicat de extrinſeco, quod in ſe eſt malum, in foro tamen conſcientiæ poteſt probabilius ſecunda hæc opinio practicari.

Vtrum ſi ſit mandatum, vel conſilium ſub cenſura prohibitum incurratur cenſura, ſi non ſequatur effectus mandatus, vel conſultus.

DIFFIC. XIV.

DIſtinguendum puto, nam vel mandatum, & conſilium prohibetur principaliter ſub cẽſura, vel ſolum acceſſoriè, & concomitanter; ſi principaliter prohibeatur, etiam non ſecuto effectu, excommunicationi ſubijcitur ipſo facto mandans, & conſulens actũ ſub excommunicatione priocipaliter prohibitum, nam intentio ferentia cenſuram eſt ligare mandantes, & conſulentes, non autem complementum effectus, at vero ſi ſolum acceſſoriè cenſura ligat mandantes, & conſulẽtes, ſi non ſequatur effectus, oon incurritur, quia effectus completus ſolum ſub cenſura prohibetur non autem attentatus, hinc volũt, quod io c. 1. de homic in 6 excommunicetur mandana occidi per Aſſaſſinos, etiam non ſecuto effectu, quia æquè principaliter in dicto Canone cenſura feriuntur mandantes, & occidentes, & èʼcontra mandans, & conſulens percuſſionem Clerici oon incurritur excommunicationem, niſi ſequatur effectus, quia principaliter effectus complectus percuſſionis ſubijcitur excommunicationi, acceſſoriè autem conſilium, & mandatum, & ratio huius diſparitatis eſt, quia odia ſunt reſtringenda, non ergo mandatum, & conſiliũ debet ſubiici cenſuræ, niſi ſecuto effectu, quando principaliter non infligitur cenſura ipſum mandatum, & conſilium, pœnæ enim in benigniorem partem interpretandæ Ita etiã Nauar. *l. 5. conſil de ſent. excom. conſ. 5. Bonac. de cenſ. diſp. 1. qu. 1. p. 3. & Aula 2. p. c. 5. diſp. 3. dub. 6. & alii. Vide infra V. conſilium.*

Vtrum pro peccato ſimpliciter præterito cenſura incurratur.

DIFFIC. XV.

AFfirmare videtur Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. licet noſter Fauẽtinus in 4. diſt. 25. q. 1. diſp. 4. c. 2. talem ſententiam apud Caietanum ibi reperiri neget, quod probatur ex eo, quia cenſura pœna eſt, pœnam autem infligi pro peccato præterito nõ repugnat, vnde pro peccato præterito ſolet ferri ſuſpenſio ab officio, & beneficio, & in c. Guilliſarius 1; 94. Sylucrius Papa excommooicauit eos qui ſe dolo, & vi comprehenderunt, & in exilium miſerunt, & in c. Raptores, & in c. os qui rapiunt, 36. q. 2. imponitur excommunicatio contra eos, qui raptũ fecerunt, & c. quidam 5. q. 1. Gregorius Papa excõmunicat eos, qui libellum fecerunt, niſi ſe proderent, & Innoc. excommunicauit Arcadium Imperatorem propter peccatum præteritum ex c. duo ſunt diſt. 96.

Attamen communius negant, nam cenſuræ, medicinales pœnæ ſunt potius, quam vindicatiuæ vnde ad peccati futuri coerctionem regulariter ordinantur, vt timore s. c. earum cõpeſcantur homines ab aliquo delicto perpetrando. primo pro peccato futuro infligitur, alioquin eſſent potius pœnæ vindicatiuæ, ſi pro attentato peccato præterito ferrentur. Ita ex noſtro *Bonauen. & Riccardo in 4. diſt. 18. ar. 3. q. 2. Corduba, & Fauent. l. cit. Vgol. tab. 1. c. 9 §. 5. Sayr. l. 1. c. 9. Alter l. 3. diſp. 1. c. 4. Filiuc. c. 9 p. var. diſp. 4. ſect. 5. & Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. p. 3.*

Quod tu tamen limita, niſi peccatum præteritum fuerit comminatum per cenſuram à iure vel ab homine, vel tale ſit enorme commiſſum, vt mereatur de facto ſuſpenſionem ab officio, vel Beneficio, & in hoc caſu talis ſuſpenſio potius dicenda eſſet ſpecies depoſitionis, quam propriè cenſura.

Vnde ad Canones illos pro prima opinione reſpondeodũ, quod io c. *Guilliſarius* declarantur excommunicati illi, qui in exilium pellere auſi ſunt Pontificem, vel in ipſum manus injcere, vel à propoſito reuocandi ab exilio noo deſiſtebant, & Innocentius excommunicauit ibi Arcadium qui reuocare de facto oolebat D. Ioannem Chriſoſtomum, & D. Ambroſius excommunicauit Theodoſium, qui renuebat ſatisfactionem præbere pro cæde facta Theſſalonicæ in c. vero Raptores, & in c. eos qui rapiunt, excommunicati declarantur illi, qui deliquerunt, & excommunicantur, qui in futurum taliter deliquerint, in c. autem quidam præcipiuntur delinquentes vt abſtineant à ſumptione corporis Chriſti, quod ſi non abſtineãt, excommunicantur, itaque oon pro peccato præterito lata fuit excommunicatio, ſed vel pro futuro cauendo, vel declarando alias iocurſam.

Vtrum Dæmones, animalia bruta, & homines iam defuncti poſſint cenſuris innodari.

DIFFIC. XVI.

DIco primo, quod Dæmooes excommunicari nequeunt, nec alia cenſura ligari, quia non ſunt homines foro Eccleſiaſtico ſubiecti, nec emendationis, & correctionis capaces, quod ſi aliquando audiantur quidam exorciſtæ excõmunicare, & anathemizare Dæmones, impropriè vtuntur verbis excommunicationis & Anathematis, quatenus ſ. excommunicatio, & anathematizatio accipi ſolent largo vocabulo pro execratione, deteſtatione, & maledictione, vel vt notat noſter *Fauentinus c. 3. n. 110. loc. cit.* potius hoc faciunt Exorciſtæ propter quamdam exagerationem ſicut fecit *Paulus ad Galatas 1.* qui dixit Anathema Angelo, ſi contra Euangelium aliquid doceret

Dico ſecundo, quod multo minus excommunicari, & cenſuris innodari valent animalia irrationalia, quia vndequaq; vt rationis vſu carentia ſunt incapacia effectus ſpiritualia cẽſurarum, & ſi quando io exorciſmis audiuntur, excommunicari, iotelligi debet excommunicare pro maledicere, execrari, & deteſtari, itomo addit noſter Rodr. 1. p. c 88 quod ſuperſtitioſè excommunicarentur, & ſi per talem excommunicationem fugerent, vel morerentur, arte Dæmonis id accidere docet,

docet, vt perſuadeat deſiderantibus hunc eſſe effectum vetæ excommunicationis latæ contra illa, vt in ſuis ſuperſtitionibus decepti remaneant.

Remedium ergo contra iſta animalia ait Rodriq. eſt iuxta ritum Catholicam Eccleſiæ, vt ſacerdos ſacris indutus terram aſpergat aqua benedicta cum omnibus illis exorcitmis ab Eccleſia ordinatis, & receptis præciſo animo verè ea excommunicandi, vel alijs cenſuris innodandi, cum talium ſpiritualı effectu omnino ſint incapacia bruta aoimalia, aliæque inſeoſatæ creaturæ.

Dico tertio, quod homo iam mortuus per ſe excommunicari, nec alia cenſura ligari valet, cum ſuperior Eccleſiaſticus ſolum ſuper terram habeat ſuam iuriſdictionem, iuxta illud Matt. 18. quodcunque ligaueris ſuper terram, mortuus autem homo ſub terra manet, aut in Cælo, eſt ergo mortuus homo extra forum Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quod ſi corpus adhuc ſit ſuper terram, nec excommunicari poteſt, quia corpus non eſt homo capax correctionis, & emendatioois propter quod cenſura fertur.

Verum eſt tamen, quod mortuus poteſt denunciari excommunicatus, ſi deceſſerit impænitens excommunicatione ligatus, & indirectè etiam excommunicari Peccator notorios mortuus ootoriè impæoitens io aliquo peccato quatenus poteſt præcipere io tali caſu ſuperior Eccleſiaſticus, vt pro tali peccatore non fiant orationes, nec ſacrificia celebrentur, nec ſuffragia offerantur pro illius anima, vt legitur feciſſe S. Gregorius dum priuauit ſuffragijs ſolitis fidelium Mooachum illum inuentum poſt mortem cum Marſupio pecuoiæ.

Ita etiam iodirectè dicitur ſuperior abſoluere mortuum ab excommunicatione, quatcous certus factus, quod pænitens, & obediens mortuus fuerit, ad effectum vt poſſit gaudere Eccleſiaſtica ſepultura, & ſuffragijs fidelium; quod propriè non eſt abſoluere, ſed declarare cum abſolutum in foro conſcientiæ vitam obijſſe. Ita communiter noſter Fauent. loc. cit. num. 115. cap. 3. Alter. l. 3. diſp. 2. & alij, ex qua doctrina.

Collige primo, quod mandans aliquod ſub cenſura prohibitum, puta Clerici percuſſionem, ſi effectus percuſſionis ſequatur poſt mortem mandantis, oon incidit in excommunicationem, quia poſt mortem mandans noo eſt de foro Eccleſiaſticæ iuriſdictioois, quicquid in contrarium velint ooſter *Riccard. in 4. diſt. 18. a. 5. & Biel. diſt. 16. q. 2.* volentes huiuſmodi mandantem excommunicari poſſe poſt mortem, & priuari Eccleſiaſtica ſepultura, ſi mandatum oon reuocauerit ante mortem, etenim poſt mortem, quæ omnia in hoc mundo ſoluit, abſolutos remanet à iuriſdictione iuris poſitiui, & Eccleſiæ; vt notat noſter Faoen. loc. cit. oum. 115. in hoc caſu præcipuè, è contra vero.

Collige ſecuodo, quod ſi quid mandetur ſub cenſura, quod morte completur, puta, vt quis ſub excommunicatione confiteatur in articulo mortis, non confitens in tali articulo remanet cenſura ligatus in ipſo tum, quando iam moriens non poteſt vltra confiteri, quia adhuc viuere dicitur in tali puoc. Ita *Alter. & Bonacc. loc. cit.*

Collige tertio, propter eamdem rationem, quia non ſunt de foro iuriſdictionis Eccleſiaſticæ io fideles, etiam Catecumeoi non poſſunt cenſuris innodari, vt notant noſter Rodriq. & citati Doctores ex D. Paulo 1. ad Corinth. 5. (de ijs qoi foris ſunt, nihil ad nos, quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare?)

Vtrum cenſuris innodari valeant perpetuò amentes, furioſi, ebrij, & Dormientes.

DIFFIC. XXVII.

DIſtinguendum videtur, nam perpetuo dormientes, amentes, furioſi, & Ebrij antequam inciderent io ſomnum, amentiam, & Ebrietatem, & furorem oullo modo dederunt, cauſam tranſgreſſionis præcepti factæ in ipſo actu Ebrietatis, furoris, ſomni, & amentiæ vode nec virtualiter ſunt contumaces non incidunt in excommunicationem, nec cenſoram, ſi quid perpetrent ſub excõmunicatione prohibitũ, quia in ipſo actu furoris, amentiæ, vel Ebrietatis non ſunt doli capaces, nec vtontur vſu rationis, & conſequcoter noo poſſunt reputari contumaces, propter quod ligari valeant cenſura; at vero ſi ante ebrietatem, ſomnum, furorem, & ameotiam dederunt occaſionem tranſgreſſionis, puta quia maodarunt, vel conſuluerunt aliquod ſub cenſura prohibitum, nec antequam in ſomoum, amentiam, furorem, vel Ebrietatem inciderint, reuocauerunt mandatum, vel conſilium tale, vel antequam in dicta iociderint, non præcauerunt occaſionem proximam tranſgrediendi peccatum io ipſo ſomno, amentia, furore, & ebrietate, dum potuerunt præcauere, & præſcriuere ſe poſſe in tale peccatum ſub cenſura iocidere, in talibus caſibus vtique in cenſuras incurrunt, ſi tale quid perpetrauerint ſub cenſura prohibitum in ipſo ſomno, ebrietate furore, & amentia, quia in talibus caſibus cum dictis circumſtantijs notabiliter fuerunt in mortali culpa, & negligentia; vt dicetur V. Ebrietas; vbi fortè etiam moderabitur talis opinio. Vide *Suar. diſp. 5. ſect. 2. Alter. l. 3. diſp. 2. cap. 2. Sayr. l. 1. c. 8. Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1. p. 3.*

Vtrum impuberes cenſuris ligari valeant.

DIFFIC. XXVIII.

SAnè impuberes qui non ſunt doli capaces communiter ſentiunt cenſuris directè ligari non poſſe, quia nec peccare mortaliter, nec contumaces eſſequeunt, quod controuertitor eſt de Impuberibus, qui ſunt doli capaces.

Affirmant huiuſmodi impuberes poſſe cenſuaris ionodari ab homioe validè quidem, ſed oon licitè, argumento *ex c. 1. & 2. de puerorum delictis Suar. diſp. 5. ſect. 2. Alter. l. 3. diſp. 1. c. 3. Filucc. c. 5. q. 4. Bonacc. de cenſ. diſp. 1. q. 1. p. 3.* ex eo, quod peccare poſſunt mortaliter, oec ius aliquod reperitur inualidans cenſuras contra eos latas.

Attamen probabiliter etiam negant poſſe impuberes maſculum qoidem ad quartum decimum anoum, & fæminam vſque ad duodecimum ab homine ligari cenſuris noſter *Corduba in ſum. q. 60. Sanch. in ſum. T. 1. l. 1. c. 12. Vaſq. 3. p. q. 90. art. 4. T. 4. Sancius in ſelect. diſp. 26. Ocegoma de Euchar. q. 7. Mercer. de ſacr. in 3. p. D. Th. q. 6. a. 5. Vgol. c. 17. §. 2. & alij*, quod probari poteſt ex c. 2. de delict. puer vbi habetur, quod in pueris ſolet relioqui inultum, quod in alijs trangreſſoribus maioris ætatis diuinæ leges ducunt ſeuerius puniendum.

Quoad vero cenſuras latas à iure affirmant ligari Impuberes doli capaces *Azor. T. 1. l. 7. c. 41. q. 10. Henriq. l. 8. c. 42. Sanch. Vgolino, Bonacc. & Sancius locis cit.* quod probant ex c. ſuper eo c. pueris, & c. quamuis de ſent excomm.

Probabiliter tamen poteſt etiam negari quoad omnes reliquas excommunicatiooes à iure preter excommunicationẽ latam contra clericorum percuſſores incurri ab impuberibus, propter enim reuerentiam ſtatus Eccleſiaſtici non eximuntur impuberes à tali excommunicatione, propter tamen ipſorum fragilitatem, & præſumptam ſimplicitatem à ceteris cenſuris incurrendis priuilegiantur probabiliter, odia enim ſunt reſtringenda, & fauores ampliandi, com in dictis textibus ſolum fiat mentio de excommunicatione lata contra percuſſores Clericorum, quam volunt Canones incurri etiam à pueris, non ergo ceteras à iure latas, à quibus videotur eximi *in dict. cap. 1. & 2. de delict. puer.* Impuberes. *Ita etiam Caſtr. Palaus apud Bonac. loc. cit.*

Immo aliqui putant impoberes non incidere io Irregularitatem, vt docet *Auila p. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 13. ſed de hoc, quod* ſit dicendum habebitur Deo dante V. In regularitas.

Vtrum aliquis poſſit ſeipſum cenſura innodare?

DIFFIC. XXIX.

DIco primo, quod licet aliqoi voluerint aliquem poſſe excommunicare ſe ipſum ex eo quod *in c. nunc autem diſt. 27.* dicitur ad Papam à Concilio, tuo te ore condemna, & in c. facilius de pænit. diſt. 1. habetur (facilius Deum placabunt, qui ſe ipſos excommunicabunt) attamen quia in dictis Canonibus non eſt ſermo de excommunicatione, quatenus eſt cenſura, negandom omnino aliquem poſſe ſe ipſum excommunicare, & ceteris cenſuris ligare, etenim ferre cenſuram pertinet ad ſuperiorem habentem iuriſdictiooem in ſubditos, nullus autem poteſt eſſe ſibimet ſuperior. nec ſubditus ſui ipſius, ergo nullus in ſe ipſum poteſt exercere iuriſdictiooem, & conſequeoter nec ſeipſum cenſura ligare, quando ergo dicitur in c. nunc autem ad Papam à Concilio tuo te ore iudica, non intelligitur de iudicio iuriſdictionis exercendæ cootra ſe ipſum, ſed ſolum, vt Papa ſuum errorem recognoſcat, & Pr-

patum

patum deponat, vt ab Eccleſia iudicetur, & in c. facilius non ſumitur excommunicare, ſeipſum ipſum pro cenſura ſe innodare, ſed pro ſe ipſum redarguere, & reprehendere. Ita communiter Canoniſtæ, & Theologi. Ex qua doctrina.

Dico ſecundo, quod par in parem, & æqualis in æqualem non poteſt ferre cenſuram; quia par in parem non habet imperium, ergo nec iuriſdictionem aliquam par in parem poteſt exercere, niſi fortè alter habeat iuriſdictionem delegatam à communi ſuperiori alterum ſibi æqualem cenſuris ligandi.

Dico tertio, quod licet habens poteſtatem à Papa excommunicandi puta furantes, ſi ipſe furetur, non incidet, quia vt dictum eſt, nullus poteſt ſe ipſum excommunicare, attamen ſi habeat auctoritatem denunciandi excommunicatũ ob tale crimen, ſi ipſe tale crimen admiſerit, an denunciare ſe ipſum excommunicatum valeat, ſunt qui affirmant, ſed mihi non videtur, cum denunciare excommunicatos ad finem vt vitentur, dicat etiam actum iuriſdictionis, quam in ſe ipſum nullus exercere valet.

An vero ſuperior interdicens aliquem locum ſibi ſubiectũ teneatur ſeruare tale interdictum à ſe poſitum, infra dicetur verbo Interdictum, vbi dicetur affirmatiuè, quia effectus interdicti à ſe poſiti non eſt dependens ab ipſo ſuperiore interdicente, ſed à iure communi, in quo diſpenſare non poteſt inferior Prælatus, poteſt quidem ſuſpendere Interdictum à loco, at manente interdicto, debet illum ſeruare.

Vtrum Collegium, & vniuerſitas cuilibet cenſuræ ſubijci valeat?

DIFFIC. XX.

Dico primo, quod certum eſt collegium, & vniuerſitatem collectiuè ſumptum excommunicari non poſſe, vt apertè habetur in Romana de ſent. excomm. in 6. nam ſæpè contineret errorem intolerabilem, ſi excommunicari poſſit collegium, & vniuerſitas, nam ſæpè remanerent excommunicati innocentes à ratione autem videtur alienum pœna grauiſſima, qualis eſt excommunicatio, plecti innocentes, præterquam quod excommunicatio non incurritur niſi propter peccatũ mortale, quod innocẽtes ſupponitur non perpetraſſe.

An vero, ſi de facto infligatur excommunicatio contra vniuerſitatem, vel collegium eſſet valida, affirmare videtur noſter *Ang. V. excomm. cum gloſa in præfato c.*

Attamen noſter Vngarell. 16. Sch. g. optimè in hoc caſu diſtinguit, nam vel eſt ſermo de vniuerſitate collectiuè, vt vniuerſitas eſt, & ita eſt omnino incapax excommunicationis, & ſi excommunicaretur de facto, nulla eſſet talis excommunicatio, quia vniuerſitas vt ſic nõ eſt hic homo baptizatus propriè, nam vt ſic ſolum eſt materia excommunicationis, vt docent etiam noſter Riccardus *in 4. diſt. 18. a. 5. q. 3. Salicetus, & alij antiquiores, & ex moderníoribus noſter Rodr. p. p. c. 18. Sayr. l. 1. c. 8. Reginald. l. 9. Henriq. l. 13. cap. 25. Suar. diſp. 5. ſect. 1. Filiuc. tract. 11. c. 5. q. 6. Vgol. & Bonacc. loc. cit.*

At vero ſi vniuerſitas ſumatur non colletiuè, & abſolutè, ſed determinatè pro ſingulis, vt ſcilicet notat ſingulos non vagè, ſed determinatè ſumptos, maximè ſi ſinguli præſumantur culpabiles, poteſt excommunicari, quia tunc intelliguntur ſinguli excommunicati, ac ſi eſſent ſinguli denunciati, & determinatè illi, qui in culpa fuerunt ſunt excommunicati, non autem qui innocentes ſunt, quia iſti non comprehenduntur in pœna, dum carent culpa, & ita noſter Vngarell. loc. cit. ait practicatum fuiſſe à Iulio II. qui Bononiam, & Ferrariam excommunicauit, ita etiam ferè docent *Suar. Filiuc. Bonacc. & Alter. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod vniuerſitas, & collegium poteſt interdicto ſupponi, & capitulum ſuſpendi, quia non ſunt pœnæ ita graues, nec priuat tot bonis, quot excommunicatio, atq; adeo non eſt inconueniens, vt aliquando innocentes ad terrorem propter delictum maioris partis interdicantur, & ſuſpendantur, vt notant noſter *Rodr. Suar. Filiuc. & Bonacc.*

Vtrum ſuſpenſo capitulo, vel Collegio intelligantur ſinguli de capitulo ſuſpenſi etiam quoad particularia munera ad ſe ſpectantia?

DIFFIC. XXI.

Negant communiter Doctores, ſed ſolum ſuſpendi ſingulos de capitulo quoad munera ſpectantia ratione capitularis iuriſdictionis, non quoad reliqua ſpectantia ad propria ſingulorum munera, niſi aliter in ſuſpenſione caueatur, quod ex tenore, & materia ſuſpenſionis colligi debet, etenim cum ſimus in materia odioſa, ſi non ſpecificetur ſuſpenſio lata etiam contra ſingulos de capitulo quoad propria officia, debet reſtringi ſolum ad ſuſpenſionem iuriſdictionis capitularis, ſeu capituli collectiuè ſumpti, non autem diuiſiuè in ſingulos, capitulum enim collectiuè ſumptum habere ſolet ſuam iuriſdictionem eligendi, præſentandi, conferendi beneficia, & cenſuras ferendi, itaque ad hæc ſolum debet dici data ſuſpenſio capitulo collectiuè ſimul, & non ſingulis quoad munera particulariter ſingulis, vt ſingulis ſpectantia, cum pœnæ ſint reſtringendæ, & fauores amplicudi.

Nec obſtat, quod vel ſuſpenſo clero, ſinguli de clero ſuſpenſi manent qui ſolum deliquerunt, non autem totus Clerus, nã ſuſpenſio lata in clerum non fertur in clerum collectiuè, ſed diuiſiuè contra ſingulos delinquentes, nam clerus Ciuitatis, & Diœceſis non facit vnum corpus in quo reſideat collectiuè iuriſdictio aliqua, ſed ſolum diuiſiuè, itaque ſolum, ſingulos poteſt afficere ſuſpenſio, quia ſolum ſinguli ſunt materia ſuſpenſionis, clerus enim collectiuè non eſt materia ſuſpenſionis, cum non habeat iuriſdictionem, at vero capitulum collectiuè habet iuriſdictionem, ergo collectiuè eſt materia ſuſpenſionis, non ſic clerus. Ita etiam noſter *Rodr. loc. citat. Suar. diſp. 28. ſect. 3. Alter. & Bonacc. loc. cit.*

Vtrum ſub cenſura generaliter lata à iure, vel ab homine comprehendantur Epiſcopi?

DIFFIC. XXII.

Dico primo, quod ſi ſermo ſit de ſuſpenſione, & interdicto non ligantur Epiſcopi, etiam ſi ſolum ſint electi, & confirmati, licet non fuerint conſecrati, quia nomine Epiſcopi veniunt apud Sacr. Canones etiam Epiſcopi non conſecrati ſi fuerint electi, & confirmati, vt docent *Alter. T. 2. diſp. 7. c. 4. Bonacc. de cenſ. diſp. 1. quæſt. 1. punct.* 4. quod autem Epiſcopi nos ligentur ſuſpenſione, vel interdicto generaliter lato habetur expreſsè *in cap. periculoſum de ſent. excomm. in 6.* debet ergo ſpecifica mentio de Epiſcopis, quando legiſlator, vel ſuperior intendit ligare in ſuſpenſione, & interdicto generaliter lato etiam Epiſcopos.

Dico ſecundo, quod ſi ſermo ſit de excommunicatione, nõ eximuntur Epiſcopi in dicto capitulo periculoſum, ergo dum ſolum priuilegiantur circa interdictum, & ſuſpenſionem, & non circa excommunicationem, videtur dicendum Epiſcopos ligari excommunicatione generaliter lata, vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ita Bonacc. loc. cit. & Vgolin. Tab. 1. c. 12. §. 6. Azor. P. 1. l. 5. c. 19. q. 5. & Sal. s de leg. diſp. 14. ſect. 14.

Nec obſtat, quod aliquando ab excommunicatione aliqua generaliter lata excludantur ſpecialiter Epiſcopi, quia ad maiorem cautelam excludũtur, vt omne dubiũ tollatur, vt notãt Vgol. & Bonacc. loc. cit. abundans autem cautela non nocet *C. de Teſtam. l. teſtamentum*, tu vide hoc fortè ſuſius V. Epiſcopus, & V. Cardinalis.

Vtrum Imperator, & Reges, & alij priuilegiati ligentur cenſuris latis ab Epiſcopis, in quorum Diœceſibus commorantur.

DIFFIC. XXIII.

Dico primo, quod cenſura generaliter lata ab Epiſcopo ligari non ſolent Imperator, & Reges, quia ſolent habere particulare priuilegium exemptionis à cenſuris ſuorum Epiſcoporum, incumbit tamen ipſis Imperatori, & Regibus hoc priuilegium probare, quod ſi verè non habeant, poſſunt Epiſcopi eos cenſuris innodare, quia habent à iure poteſtatem ferendi cenſuras contra quoslibet exiſtentes in ſua Diœceſi quacunque fulgent dignitate vt *p. in c. Valentiniani diſt. 63. & c. ſolida de re maiori. & ex d. & c. duo ſunt diſt. 96. & c. ſi autem 11. q. 3.* quod etiam patet exemplo D. Ambroſij, qui Theodoſium Imperatorem prohibuit ab ingreſſu Eccleſiæ.

Dico ſecundo, quod à cenſura generaliter lata ab Epiſcopo eximuntur, qui in proprios, & ſpeciales ſolijs S. R. E. recipiuntur, vt conſtat *ex cap. 1. de verbor. ſignific. in 6* vbi licet fiat mentio ſolum de excommunicatione, & interdicto, tamen Germinianus, Frenecus & Ancaran. in d. cap. extendunt etiam huiuſmodi exemptionem ad ſuſpenſionem, quia effectus ſuſpenſio-

ſpenſionis videtur quodammodo contineri in excommunicatione, ita etiam docent Alter. & Bonac. loc. cit.

Dico tertio, quod eximuntur etiam à cenſura generaliter lata ab Epiſcopo Regulares exempti, vt docet noſter Rodr. per priuilegium ſpeciale Clementis IV. qui etiam à legatis, niſi fuerint à latere, cenſuris innodari nequeunt, ſi ſpecifica non detur poteſtas etiam Regulares exemptos cenſuris innodandi.

Verum eſt tamen, quod in multis caſibus poſſunt Epiſcopi tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ cenſuris Regulares afficere, vt habetur in *Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 1. de Reform.* & alibi vide *Nauar. cap. 25. vide Bonacc. de cenſur. in partic. in explicat. Bull. Greg. XV.* contra Regulares delinquentes circa curam, & clauſuram monialium.

Vtrum cenſura vna irretitus poſſit adhuc alijs eiuſdem rationis cenſuris adhuc innodari.

DIFFIC. XXIV.

Affirmant communius Theologi, & Canoniſtæ, & habetur expreſsè *in c. cum pro cauſa de ſent. excom. & in cap. Engeltrudam 3. q. 4. & c. quorundam de Iudeis*, quot enim ſimul ſunt tranſgreſſiones prohibitæ ſub cenſura, tot cenſuræ incurruntur ſimul, quot enim peccata mortalia prohibita ſub cenſura committuntur, tot etiam cenſuris ligantur committentes talia prohibita, nec obſtat, quod per vnam cenſuram iam eſt ſecutus effectus pretenſus à cẽſura, quia ceteræ ſubſequentes eiuſdem licet rationis priuant habitualiter eodem effectu, quo priuauit actualiter prima cenſura eiuſdem rationis incurſa, ſicut peccator, qui primo peccato gratiam amiſit, per reliqua ſuccedentia habitualiter priuatur ea.

Quare qui multa fecit peccata ſingula prohibita ſub excommunicatione, tot excommunicationes incurrit, ita vt ſi ab vna abſoluatur, non abſoluitur ab alijs, niſi intendat ab omnibus abſoluere poteſtatem habens. Ita communiter noſtri *Ang. Riccard. Rodr. loc. cit. & Bonac. punct. 5. loc. cit. Alter. l. 3. diſp. 10. & alij.*

Vtrum cenſura lata à pluribus eamdem poteſtatem habentibus ſuper eadm materia, & precepto incurratur à tranſgreſſore tanquam vna, an multiplex.

DIFFIC. XXV.

Diſtinguendum videtur, nam vel plures eamdem poteſtatem habentes ſub eodem motiuo prorſus cenſuram ferunt ſuper eadem materia, & præcepto, vna intelligitur eſſe excommunicatio à pluribus lata, & tanquam vna incurritur à tranſgreſſore, quia licet ſint plures materialiter inferendo cẽſuram, tamen ſunt vnus formaliter, quia vnam, eandemque habent poteſtatem, motiuum, & finem, & conſequenter idem prorſus ius condere velle præſumuntur, quod ſi multi habentes eamdem poteſtatem ferant eamdem cenſuram ſuper eamdem materiam, & præceptum, ſed ſinguli habent diuerſum motiuum, & finem, cum ſinguli præſumantur velle condere nouum ius diſtinctum, ſingulæ cenſuræ incurrentur à tranſgreſſore, quia tunc vnuſquiſque diſtinctam cenſuram materialiter, & formaliter profert ſuper eadem materia, & præcepto tanto magis id erit verum, ſi ſuper eodem præcepto à pluribus diuerſam poteſtatem habentibus eadem cenſuræ ſpecies infligatur, quia plures cenſuræ à tranſgreſſore eiuſdem præcepti incurrentur.

Hinc ferre arma ad ſaracenos licet à multis ſummis Pontificibus fuerit prohibitum ſub excommunicatione, vna tantum incurreretur excommunicatio à tranſgreſſore, quia lata fuit hæc cenſura à pluribus eamdem poteſtatem habentibus pro eodem motiuo: Quod ſi ab alio Pontifice pro alio motiuo ferretur ſuper eodem præcepto alia cenſura, tunc duplex cenſura incurretur à tranſgreſſore. Ex qua doctrina.

Collige, quod ſi actus prohibeatur ſub excommunicatione à iure communi, & etiam ab Epiſcopo intendente etiam ius ſuum particulare in hoc condere, duæ erunt excommunicationes diſtinctæ, quia diſtinctas habent poteſtates licet Epiſcopalis à Papa dependeat, è contra vero ſi quis tranſgreditur leges ſub eadem cenſura ab eamdem poteſtatem habente abſque nouo motiuo repetitas, & reuocatas, vna tantum incurretur cenſura à tranſgreſſore. Vide Nauar. in c. ita quorundam de Iudæ notab. 11. Vgol. Tab. 1. c. 16. §. 3. Suar. diſp. 5. ſect. 3. Filliuc. c. 5. q. 7. Alter. l. 3. diſp. 10. c. 7. Sayr. l. 1. c. 10. & Bonac. punct. 5. loc. cit. Vide ſup. V. Bulla Cæ. diff. 4.

Vtrum vna ligetur cenſura, qui plures actus ſub cenſura vetitos ſucceſſiuè committit?

DIFFIC. XXVI.

Diſtinguendum puto, nam vel actus ſucceſſiuè commiſſi contra cenſuram ſinguli prout ſinguli ſub cenſura prohibentur, quia ſinguli habent completam malitiam requiſitam ad prohibitionem factam ſub cenſura, & in hoc caſu certum eſt iuxta pluritatem actuum contra cenſuram, multiplicari etiam incurſiones in cenſuras, quod ſi ſinguli actus licet per ſe ſumpti ſingillatim poſſint habere completam malitiam contra cenſuram, tamen poſſunt ſinguli ſine interruptione morali commiſſi ordinari ad vnum actum completum, ſi de facto ordinentur à committente tanquam actus partiales ſine intermiſſione, & interruptione ad vnum actum completum, tunc cum vna ſit malitia, & vnum peccatum, vt dictum eſt V. Actus, conſequenter vna incurritur excommunicatio. Ex qua doctrina.

Collige, quod percutiens Clericum vnica percuſſione graui, quia eſt vnus actus completus prohibitus ſub cenſura, vna incurritur excommunicatio, ſi plures ſucceſſiuè committat quis in Clericum percuſſiones cum morali interruptione, plures incurrit excommunicationes, ſi vero plures percuſſiones ſucceſſiuè in clericum iniiciat abſque morali interruptione animo, vt vulgo dicitur, di farli vna mazziata, tunc quia illæ percuſſiones ordinantur ad vnam percuſſionem completum, ſucceſſiuè ſine morali interruptione factæ ſingulæ percuſſiones in hoc actu habentur vt actus incompleti, & conſequenter vt potè conflantes vnam malitiam, & vnum peccatum vna à taliter percutiente incurretur excommunicatio. Ita ex doctrina Scoti relata ſupra v. Actus, & explicitè docet etiam noſt. *Fauentinus in 4. diſt. 14. diſp. vlt. Suarez diſput. 5. ſect. 3. Vgolin. Tab. 1. c. 16. §. 3. Nauar. c. 6. num. 17. Alter. l. 4. diſp. 10 c. 4. Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 1 p. 5. & de pecc. q. 3. p. 4.*

Nec obſtat, quod pluries fornicans plura peccata committit, etſi prohiberetur fornicatio ſub cenſura, plures fornicationes ſucceſſiue pluribus afficerentur cenſuris, ergo etiam plures percuſſiones ſucceſſiuè pluribus excommunicationibus in clericum factæ puniuntur, nam fornicationis actus quilibet in ſe eſt ita perfectus, vt non poſſit ad malitiam accipiendam pluries ordinari ad eumdem actum, at vero actus percuſſionis habet malitiam non ſimpliciter ex ſe, ſed à voluntate percutientis ordinare volentis plures ad vnam completam malitiam, & ratio eſt, quia fornicationis actus phyſicè ſumptus per ſe prohibitus eſt, & conſequenter malitiam induit completã ex ſe quilibet actus phyſicus, at vero percuſsionis actus nõ ſolum tanquam vnus phyſicus actus prohibetur, ſed etiam tanquam actus moraliter vnus poteſt conſtare ex pluribus actibus phyſicis ſucceſsiuè moraliter non interruptis. E contra vero.

Collige ſecundo; quod ſi cenſura ferretur contra furantes aliquid ad ſummam decem aureorum ſi quis à pluribus eodẽ actu furaretur ſingillatim decem aureos, puta ſi burſam, vel capſam quis furaretur vbi ſint repoſiti centum aurei, qui decẽ ſint perſonarum, & decem ad ſingulos pertineant, plures cenſuras incurreret, quia pluribus eodem actu damnum ſub cenſura vetitum faceret, & plura peccata obnoxia reſtitutioni committeret, quia licet actus ſit vnus formaliter, materialiter tamen, & obiectiuè eſt multiplex, in quo fundatur multiplex damnum, & peccatum cenſura prohibitum.

At vero ſi quis animo furandi ab eodem vno, eodemque actu non interrupto moraliter centum aureos, vnam ſolam excommunicationem incurreret, & non decem iuxta ſummam ſub cenſura prohibitam, quia hic materialiter, & obiectiuè, & formaliter vnus eſt actus vnã habens malitiam, quia vnus ſolum damnificatur eodem actu moraliter non interrupto, ergo vna ſolum incurritur cenſura. Vide V. Actus.

Collige tertio, quod vnico ictu percutiens plures clericos plures incurrit excommunicationes, quia pluribus vnico actu damnum infert. Ita ex doctrina Scoti poteſt colligi, vt dictũ eſt ſupra V. Actus, & apertè docent *Ioann. And. quem citat, & ſequitur Vgol. Tab. 1. c. 16. §. 3. Vaſq. de pænit. q. 91. art. 1. dub. 4. Sayr. l. 1. cap. 10. num. 9. Henriq. l. 5. c. 5. Alter. l. 3. diſput. 10. cap. 8.*

cap.8. Zerola de pæn. t.12. quæſt.48. Salas in p.2. tract.13. diſp. 3. ſect.2. Azor. T.1. l.4. c.4. q.5. & alij.

Contraria tamen opinio volens vnam incurri excommunicationem à committente vnico actu plures transgreſſiones cenſura prohibitos, & conſequenter furantem vnico actu à diuerſis, vel vnico ictu plures clericos percutientes vnum peccatum, & vnam excommunicationem, ſicut etiam blaſphemantem vnico verbo, quod abſit duodecim Apoſtolos, vnicũ peccatum incurrere, probabilis eſt, quam ſecuntur *Suar. in 3. p. T.4. diſp.22. ſect.5. Filiucc. T.2. tract.11. cap.8. Layman. in Theol. mor. l.1. tract.3. cap.3. Duard. in D.C. l.3. §.5. quæſt.2. num.3. Megala in 1. p. l.5. cap.12. & Bonacc. de cenſ. diſput.1. quæſt.1. part. 5.*

Attamen priorem opinionem probabiliorem puto, & hanc etiam in praxi conſulendam omnino, maximè vbi adeſt damnum tertij. Vide ſupra V. Actus diffic.9.

Verum transgrediens actum vnum cum pluribus circumſtantijs ſub cenſura vetitis, vna tantum incurratur cenſura.

DIFFIC. XXVII.

Diſtinguendum videtur, nam ſi circumſtantiæ plures ſub vno actu ſint mutantes ſpeciem, cum qualibet habeat malitiam eſſentialiter diſtinctam, ſanè plores incurruntur cenſuræ, & tot, quot ſunt circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſub eodem actu, quod ſi circumſtantiæ ſint ſolum aggrauantes, nec mutent ſpeciem vna incurritur cenſura ratione vnius malitiæ quæ in vno actu ſolo conſiſtit, circumſtantiæ enim non mutantes ſpeciem, ſed ſolum aggrauantes non reddunt actum, vt dicetur ſuo loco, multipliciter peccaminoſum. Ex qua doctrina.

Collige primo, quod ſepeliens in loco ſacro Titium, quia ſit vſurarius publicus, excommunicatus vitandus, nominatim interdictus in loco ſpecialiter interdicto extra caſus conceſſos, quatuor incurret excommunicationes pro vno actu ſepeliendi Titium, quia hic actus ſepeliendi aſſociatur à quatuor circumſtantijs mutantibus ſpeciem vetitis ſub excommunicatione vt patet in Clem. 1. de ſepult. vbi ſub excommunicatione latæ ſententiæ iſta quatuor prohibentur ſepelire .ſ. in loco ſac. Vſurarium, denunciatum excommunicatum, & interdictum, & quemlibet ſepelire tempore interdicti extra caſus conceſſos.

Collige ſecundo, quod percutiens Caium ſacerdotem, qui etiam eſt Diaconus, & ſubdiaconus, & quatuor inſignitus minoribus cum prima Tonſura, quorum quilibet ordo, & prima Tonſura eſt ſufficiens vt incurratur cenſura ſi quis ſuadente Diabolo, quia omnes iſtæ circumſtantiæ in vno actu percuſſionis ſunt ſolum aggrauantes, non autem mutantes ſpeciem, vnam ſolum incurrit excommunicationem, quia percutiens ſacerdotem contrahit ſolum vnam malitiam offenſionis .ſ. ſtatus clericalis, qui ſub diuerſis circumſtantijs variorum ordinum idem, & vnus reperitur in ſacerdote, atque adeo incurritur vna excommunicatio.

Ceterum, quod aliqui inſignes Doctores velint percutientem Monachum prima etiam Tonſura initiatum duplicem incurrere cenſuram excommunicationis quia Monacatus, & prima Tonſura ſunt duæ circumſtantiæ in eodem Religioſo mutantes ſpeciem, & vterq; ſtatus prohibitus ſub excommunicatione, ne percutiatur, ergo vna incurritur quia percutitur vt Monachus, & altera quia percutitur vt clericus, ita Bonac. *de ſent. diſp.1. quæſt.1. part.5. Alter. l.3. diſp. 10. c. 8. & Suar. 3. p. T.4. diſp.22. ſect.5. & alij*, attamen licet non putem improbabilem talem opinionem, maximè ſi adſit ſpecialis excommunicatio lata contra percutientes Monacos, ſtando in rigore canonis ſi quis Suad. Diabolo, in quo Monaci etiam veniunt nomine clericorum, vna tantum probabilius incurritur excommunicatio à percutiente Monacum prima, Tonſura inſignitum, quia ſub eadem ratione formali, vt reuerentia afferatur ſtatui Eccleſiaſtico infligitur excommunicatio contra percutientes tam clericos initiatos prima Tonſura, quam contra Monachos, & Regulares, quod ſi diuerſa cenſura ſub diuerſo motiuo apud Sacros Canones, & conſtitutiones pontificias reperiatur prohibita percuſſio Monachorum, vtique duplicem cenſuram incurret percutiens Monachum clericum.

Vtrum cenſura lata in genere, puta, qui fecerit hoc cenſura ligetur, incurratur eius effectus?

DIFFIC. XXVIII.

Dicendum, quod certum eſt formam ferendi cenſuras exprimi debere cum certis verbis determinatis ſpecificè cenſuram aliquam nominantibus, verba autem hæc non ſunt determinata à iure, ſufficit enim, vt intentio ferentis cenſuram cognoſcatur per illa verba eſſe, ferre vel excommunicationem determinatè, vel Interdictum determinatè, vel ſuſpenſionem, aliter ſi ſolum genericè aliquid præciperet ſub cenſura, puta ſi dixerit nullus ferat arma ſub pæna cenſuræ incurrendæ, nulla incurreretur cenſura, quia cenſura eſt genericum nomẽ, quod non reperitur niſi in ſua ſpecie, & ſicut effectus genericus non datur à parte rei, ita etiam cenſura generica non poteſt ſuum effectum genericum ponere à parte rei, non ligat ergo cenſura lata in genere, vt docent noſter *Fauent. cap.2. in 4. loco in ſuperioribus citato, Sayr. l.1. cap.11. Suar. diſp.2. Vgol. Tab.1. cap.20 & Tab.2. cap.28. Alter. Tit. de ſuſpenſ. diſp.7. c.2. & Bonacc. de cenſ. diſp.1. q.1. punct. 7.*

Nec obſtat ſi dicatur, quod valet ſi præcipiatur ſub excommunicatione genericè non ſpecificando maiorem, vel minorem, ergo etiam valet, ſi quid præcipiatur ſub cenſura genericè, nam eſt diſpar ratio, quandoquidem excommunicatio minor; vt docet Scotus noſter, non eſt excommunicatio ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid, quando ergo aliquid præcipitur ſub excommunicatione, ſemper intelligitur de excommunicatione maiori, quæ eſt vera, & ſimpliciter excommunicatio, at vero cenſura eſt verum genus indifferens ad ſingulas, & à ſingulis æqualiter contrahitur, & ideo præceptum ſub cenſura in genere non ligat, quia eſt indifferens ad ſingulas, nec ſciri poteſt, quæ earum in ſpecie liget, vnde meritò nulla ligat. Qua doctrina ſuppoſita quæritur.

Vtrum cenſura lata ſub diſiunctione, puta qui fecerit hoc ſit vel excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus liget aliquo modo transgreſſorem.

DIFFIC. XXIX.

Affirmant multi Doctores incurri eam cenſuram, quam delinquens elegerit, quod ſi non elegerit, ſingulis ſubiacere, vel ſaltem ſi vnam non obſeruet cenſuram, cenſendus eſt elegiſſe alteram, cum natura diſtinctionis ea eſt, vt vna pereunte, altera remaneat neceſſario verificata, & in ſuo robore, & probant valore talem ſententiam ſub diſiunctione poſitam, quia licet ex ſe abſolutè ſit indeterminata talis ſententia tamen confuſè determinata eſt in mente Iudicis ſecundum quod Reus poſitiuè, vel negatiuè ſaltem eligerit. Ita *Suar. diſp.3. ſect.2. num.121. Alter. l.3. diſp.9. Bonacc. punct.7. & Filiucc. q.5. num.58.*

Negant tamen noſter *Fauentinus in 4. diſt.25. diſput.4. c.2. Vgol. T.1. cap.21. §.1. Nauar. cap.27. num. 161. Sayr. l.4. c.2. Henriq. l.13. cap.32.* & alij & probant, quia ſententia indeterminata, & confuſa tanquam ſententia ſine debita quantitate prolata non meretur nomen ſententiæ, ex l.3. c. de ſententia, quæ ſit certa, Reus enim perplexus eſſe, non debet, qua cenſura ſit innodatus, cum non ſit maior ratio, cur potius vna, quam alia ligetur, nulla ergo ligabitur, cum contra Iudicem, & legiſlatorem debeat fieri interpretatio, qui legem, & ſententiam dicere potuit apertè, & diſtinctè, & non dixit.

Probabiliorem puto hanc ſecundam, cum non teneatur Reus ex ſe eligere ſibi impoſitam pænam, debet tamen ſubire patienter impoſitam, nec valet quod pænitenti aliquando indulgetur, vt hanc vel illam quam maluerit acceptare pænitentiam, ieiunium ſcilicet, vel talem orationem, ergo etiam Reus poterit eligere potius vnam, quam aliam cenſuram ſub diſiunctione poſitam, nam pænitens voluntariè eligit, & acceptat pænitentiam, & poſſet non acceptare, ſi eam proponat facere in Purgatorio, nil ergo mirum ſi ipſi indulgetur pænitentia ſub diſiunctione, at vero Reus contra ſuam voluntatem recipit effectum cenſuræ, & nullam ex ſe velle incurrere cenſuram, ſi poſſet, & neutram ſanè voluntariè eligeret, nec eligere tenetur, ſed eam ſubire patienter, quam ſuperior determinauerit.

Hinc ſciolos illos iudices, qui talibus formis vterentur, ſanè iudicarem, qui ita irreuerenter forma ferendi cenſuras vterentur,

Digitized by Google

tur, & ſanè factu is eos, qui tali vterentur, puta, ego te excommunico, & abſoluo, quia in materia graui vt eſt cenſuras ferre Iudex debet conſuetis formis, vti, & multa prudentia ſuam intentionem certam, & determinatam propalare ne Reus ſit perplexus, & cenſuræ vileſcant? Ex quibus.

Collige, quod ſententia excommunicationis ferenda eſt contra determinatam perſonam indiuidualiter ſignatam, & non ſub disiunctione, vnde nulla eſſet excommunicatio ſi diceretur, ego excommunico clericum, quia clericus in communi non eſt capax effectus excommunicationis, neque eſſet valida, ſi diceretur ego excommunico vnum de duobus, vel hunc, vel illum, vel vnum ex ijs, qui furati ſunt, cum intentio ſuperioris non poſſit cognoſci, qui nam ſit excommunicatus, nullus ergo ſe debet gerere pro excommunicato. Ita noſter *Ang. V. Excomm. 2. §. 4. Bonacc. & Filiuc. loc. cit.*

Vtrum cenſura lata ſub conditione ſuum ſortiatur effectum.

DIFFIC. XXX.

NOn defuerunt, qui abſolutè negarunt cenſuram latam ſub qualibet conditione nullius eſſe roboris, quod probarunt *ex cap. Romana §. caueant de ſent. excomm. in 6* vbi prohibet expreſsè excommunicationem ferri ſub conditione.

Attamen quia, vel iſtud caput Romana, prohibet ſolum excommunicationes ferri ſub conditione impertinenti, vel alias illicita, aut præfatum caput, vt notat noſter *Fauentinus Couarr. in cap. alma mater p. 1. cap.* 18 per contrariam conſuetudinem eſt abrogatus ideo.

Diſtinguendum videtur cum noſtro *Fauentino in 4. diſt. 25. diſput. 4. cap. 2. num.* 66 nam vel conditio eſt de præterito, præſenti, vel futuro pertinente ad cauſam propter quam fertur cenſura, & tunc ſemper valida eſt, quia poſita conditione adeſt cauſa vera propter quam debet ferri cenſura, & hanc conſuetudinem ferendi cenſuras ſub conditione de futuro ad cauendum delictum ſemper fuiſſe in Eccleſia docent noſter *Fauentinus, & Couarr. loc. cit. & Sayr. l. 7. cap. 16. Suar. diſp. 7. ſect. 8. & diſp. 3. ſect. 7. Alter. l. 4. diſp. 1. cap. 3. Bonacc. diſp. 1. quaſt. 3. p. 7. & alij.*

Quoad conditionem vero impertinentem ad cauſam cenſuræ adhuc diſtinguendum, nam vel conditio impertinens eſt impoſſibilis, puta ſi dicatur, ego te excommunico, ſi ſum omnipotens, vel ſi dicatur, ego te excommunico de pura potentia humana, & non diuina, & in hiſce caſibus, & ſimilibus, quia conditio nihil ponit in eſſe, quia repugnans potius aliquid dicunt ad cenſuram, omnino tales cenſuræ ſic prolatæ ſunt nullæ, & inualidæ. Ita *Fauentinus ex Scoto diſt. 3. q. 2. §. de ſecunda condit.*

Quod ſi conditio impertinens quidem ſit, ſed poſſibilis, tūc vel eſt de præſenti, vt ſi dicatur te excommunico, ſi ſum homo, vel eſt de præterito, puta ſi dicatur, ego te excommunico, ſi officium hodie manè recitaui. & vtroque modo prolatam cenſuram validam putant præfati Doctores, & probabiliter quia conditio de præſenti, vel de præterito ſi poſsibilis ſit, non ſuſpendit actum cenſuræ, nec robur, & vires aufert ab ea, ſi conditio poſita ſubſiſtat, & exiſtente vera conditione ſub qua fertur, æquiualet modo abſoluto ferendi cenſuram; peccare tamen verè monendum puto cum citatis Doctoribus eum, qui ſub hiſce conditionibus impertinentibus cenſuras ferunt, cum imperitè, imprudenter, & ſine ratione procedant in re graui.

Ceterum quoad conditionem impertinentem de futuro, puta ſi dicatur, excommunico te ſi poſt dies tres ninget, vel Rex Romam venerit, affirmant Coninch. de ſact. diſp. 13. dub 2. & diſp. 14. dub. 16. Bonacc. de cenſ. diſp. 3. p. 7. & alij, & probant, nam licet peccent imprudenter ferentes cenſuram, tamen quia futurus effectus non a futuro euentu, ſed à ſua poteſtate dependet, valida eſt cenſura poſita in actu conditione. Attamen alij fortè probabilius negant ſub tali conditione impertinenti de futuro eſſe validam cenſuram latam, quia videtur intolerabilis error eſſe poteſtatem ſpiritualem pendere à futuro euentu, & caſuali impertinente ad cauſam propter quam cenſura fertur, atque adeo volunt non expectandum tempus tale quia ab initio talis cenſura inualidè lata eſt, ſicut etiam adminiſtratio Sacramenti ſub conditione de futuro inualida eſt. Ita noſter *Fauent. & Suar. loc. cit. Filiuc. cap. 3. q. 6. Vgolin. c. 10. §. vltim. & alij.*

Vtrum licitè ſine vlla pæna, & validè feratur cenſura ſine ſcriptis.

DIFFIC. XXXI.

SVpponitur in hac difficultate tanquam certum cenſuras maximè excommunicationem debere ferri in ſcriptis, ita habetur *in c. 1. cum medicinalis de ſent. excom. in 6* ſub his verbis (*quiſquis* igitur excommunicat, excommunicationem in ſcriptis *proferat*, & cauſam *excommunicationis* expreſsè conſcribat, propter quam *excommunicatio profertur*) quod optimo iure præcipitur, quia cum iudex ſit redditurus rationem, propter quam excommunicat, debet ſtatim præſto eſſe cauſa ſcripta, ad hoc, vt ſi Reus velit appellare, poſsit habere exemplum ſententiæ datæ, quod dandum ſub authentico ſigillo Reo petenti mandatur in eod. c.

Aduertè tamen cum noſtro *Fauentino n. 79.* quod hic textus loquatur ſolum de excommunicatione lata contra perſonā particularem prius monitam, non autem quando fertur contra delinquentes incertos, pro reſponſione autem ad principalem difficultatem.

Dico primo, quod iudex non ferens cenſuram in ſcriptis maximè excommunicationem non ſolum peccat mortaliter, quia facit contra ius commune in re graui, verum etiam incurrit ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & à diuinis per mēſem, vt ex *d. c. referunt noſter Fauent. loc. cit. Ang. V. ſuſpenſio. c. §. 16. Hugol. Tab. 1. c. 14. §. 6. Suar. diſp. 3. ſect. 13. & diſp. 37 ſect. 1. Alter. T. 2. diſp. 7. cap. 2. Sayr. l. 5. cap. 7. Nauar. c. 27. num. 8. & Bonacc. q. 1. p. 8.*

Eximuntur tamen ab hac pæna Epiſcopi primo, quia non exprimuntur iuxta doctrinam traditam ſuperius ſecūdo Denunciantes incurſam cenſuram, quia nec exprimuntur in d. c. 3. qui ex in aduertentia, vel ignorantia, & bona fide ſine ſcripto excommunicant, quia in d. c. medicinalis puniūtur præſumentes temere excōmunicare ſine ſcriptis. Ita noſter *Portell. V. excomm. & Bonac. loc. cit.* licet gloſa contrarium parum probabiliter dicat quarto, eximuntur à dicta pænas qui ob aliquā vrgente cauſam, fortè ſi periculum adſit in mora, ſi expectare debeat ferre cenſuram in ſcriptis, quia temerè non agit, qui cum cauſa operatur 5. eximuntur Prælati Regulares ex priuilegio facto noſtræ Minoritiæ obſeruantiæ à Leone X. vt notat noſter Portell. quod ſolum intelligendum puto, quando contra fratrem aliquem particularem ferenda eſt cenſura, nec adſit ita in promptu copia ſcribendi, quamquam tale priuilegium hodie nullius eſt roboris, cum ſit viuæ vocis oraculo conceſſum, 6. eximuntur qui ex præſcripta conſuetudine oretenus excommunicare ſolent, vt notat Portell. etiam loc. cit. & V. ſuſpenſio num. 8.

Dico ſecundo, quod quamuis illicitè feratur cenſura etiam excommunicationis ſine ſcriptis, validè tamen fertur oretenus ſine ſcriptis, quia in d. c. medicinalis relaxandam à ſuperiore mandatur excommunicationem latam ſine ſcripto, ergo præſupponitur valida. Ita noſter *Fauentin. Bonac. Suar. & Alter. loc. cit. contra Ripam in Rubr. de conſtitut. nu.* 48 & alios putantes parum probabiliter eſſe nullam cenſuram latam ſine ſcripto.

Aduertant tamen noſtri Ordinis Prælati, quod cenſura lata per modum ſtatuti ſolum oretenus abſque ſcripto nulla ipſo facto declaratura à *ſtatuto Generali 1639. c. 7. fol. 82. num. 28.*

Vtrum cenſura ferenda cum præuia monitione.

DIFFIC. XXXII.

DIco primo, quod cenſura lata ab homine neceſſario ferēda cum præuia monitione contra determinatam perſonam, vt patet pro excommunicatione in c. ſacro de ſent. excomm. vbi præcipitur excomm. ferenda præuia monitione, quod etiam præcipitur de ſuſpenſione *in c. Reprehenſibiles de Appellat. & de interdicto etiam mandatur idem in c. ſtatutum de excomm. in 6.* quia cum cenſuræ ſint medicinales .ſ. ad præcauenda peccata regulariter ferendæ, debet prius peccator moneri, vt à peccato abſtineat, vel obedientiam præſtet, vt non cogatur ſuperior cenſuram fulminare, vel ſaltem monitus ſub cenſura, & eius terrore percitus reſipiſcat, ſi vero contumax reperiatur, tunc debet cenſura fulminari. Ita cōmuniter Doct.

Dico ſecundo, quod licet cenſura ferenda ſit ex præuia monitione, quando ab homine fertur, attamen quando ab homine fertur

ne fertur per modum ſtatuti generaliter cõtra quoſcunque, & non contra determinatam perſonam, non eſt neceſſaria monitio, quia cenſura generaliter lata contra quoſcunque æquiualet ſtatuto, & vim conſtitutionis habet, & poteſt reputari tanquam à iure lata.

Cenſuræ porro latæ à iure regulariter non prærequirunt admonitionem, quia lex ipſa ſufficienter promulgata, & non ignorata admonet, & ſecum trahit admonitionem ſufficientem, aliter nulla cenſura à iure incurreretur, ſi eſſet neceſſariò præmonitio.

Verum eſt tamen, quod aliquando cenſura lata à iure etiam admonitionem prærequirit, puta quando fertur ſub hac forma, quicunque hoc delictum fecerit, ſit excommunicatus, niſi monitus reſipiſcat, quia in tali caſu lex ipſa monitionem requirit, nec de facto cenſuram profert; vt patet *in Clem. vltim. de ſtat. Monach. §. fin.*

Dico tertio, quod *Tolet. l. 2. cap. 9. & Sayr. cap. 12.* volunt in duobus caſibus poſſe iudicem abſque monitione præuia excommunicare, primo quando pro tribunali ſedens contemnitur, ſecũdo, quando iudex excommunicat pro aliquo delicto, quod à iure cenſura ipſo facto punitur, verum *Suario, Bonaccinæ, & Alterio*, hæc doctrina non placet, quia in neutro eſt ſufficiens contumacia, vide Bonac. punct. 9. non tamen omnino improbabilem puto opinionem Toleti.

Vtrum cenſura lata abſque præuia monitione ſit de potentia abſoluta Papæ ipſo facto nulla.

DIFFIC. XXXI.

CErtum eſt de potentia ordinata nullam eſſe cenſuram latam abſque præuia monitione, vt patere poteſt ex ſacris Canonibus adductis in ſuperiori difficultate, nec obſtat, quod aliquando pro peccato præterito inueniatur inflicta cenſura abſque admonitione præuia, vt patet in *c. litteris de teſt.* quia hoc ſolum repetitur de ſuſpenſione, & interdicto, & nunc nõ vt cenſuræ medicinales, ſed potius quatenus pœnæ vindicatiuæ particulares ſapientes potius, vel modum depoſitionis, & particularis prohibitionis quam cenſuræ, attamen excommunicatio maior, quia ſemper eſt cenſura in rigore non inuenitur inflicta abſque præuia monitione de potentia ordinaria Papæ loquendo. Ita communiter *Bonac. Alter. loc. cit. & alij.*

De potentia vero abſoluta Papæ, quid ſit dicendum alij aiunt, alij negant.

Affirmant validam eſſe cenſuram latam abſque præuia monitione de potentia abſoluta Pontificis *Caiet. 22. q. 69. Filiuc. cap. 4. q. 4. Suar. diſp. 3. ſect. 8. Alter. l. 3. diſp. 3. cap. 5. & 7. & Bonac. diſp. 1. q. 1. p. 9. & alij*, quia cenſuras ferre ſine præuia monitione non repugnat iuri naturali, nec diuino, ſed ſolum poſitiuo, in quo poteſt Papa diſpenſare, quod colligi volunt & c. in cauſis de ſent. & re iudic.

Negant tamen probabilius alij poſſe Papam ferre cenſuram contra determinatas perſonas, niſi prius moueantur, putantes eſſe de iure naturali, & diuino, vt quis non feriatur cenſura tanquam pœna grauiſſima, niſi prius moneatur, de iure enim naturali eſt, vt quis pœna non feriatur ignorans delictum pœna puniendum, & de iure naturæ ignorans cauſam pœnæ, nõ debet ea puniri, & de iure diuino habetur Matt. 18. cum priuſquam quis habeatur, vt Aethnicus, & publicanus, moneatur coram teſtibus. vnde concludit Chriſtus, quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit ſibi tamquam Aethnicus, & publicanus. Ita colligi poteſt *ex doctrina Scoti in 4. diſtin. 25. ita expreſsè Vaſq. tract. de excomm. dub. 12. Auila 2. p. c. 2. diſp. 7. & alij.*

Vtrum iudex volens de facto cenſuræ ſubmittere tranſgreſſorem præcepti comminati, ſub cenſuræ alicuius pœna teneatur antea monere.

DIFFIC. XXXII.

NEgant prærequiri aliam monitionem ad cenſuram de facto puniendum eum, qui tranſgreſſus eſt præceptum ſub cenſura prohibitum, ſed volunt poſſe à iudice immediate afficere tranſgreſſorem abſque alia monitione, ex eo quod lex, & ſtatutum affert ſecum monitione ſufficientem, ne fiat tale peccatum ſub cenſura vetitum, & tranſgreſſor iam eſt ſufficienter contumax contra tale præceptum vetitum ſub cenſura. Ita *Bonacc. de cenſ. diſput. 1. queſt. 1. part. 9. & in parte Filiuc. cap. 3. quaſt. 3. num. 30.*

Affirmant tamen Caiet. in ſum. V. Cleric. peccata, & V. præceptum, *Couarr. 1. p. §. 9. num. 5. Suar. diſp. 3. ſect. 8.* & alij volentes iudicem debere admonere tranſgreſſorem præcepti comminati ſub cenſura, quia comminata cenſura non affert ſecum admonitionem ſufficientem, quia eſt in arbitrio iudicis eam ferre de facto, neceſſe ergo eſt, admoneatur Reus de animo iudicis volens eam de facto infligere, quare aiunt eſſe diſparem rationem de cenſura ipſo facto lata, & de ſolum comminata, quia de facto lata admonet tranſgreſſorem de animo iudicis, & ſuperioris volentis eam abſque alia monitione incurri, vnde fert ſecum ſufficientem admonitionem, at vero in comminatoria non notificatur animus iudicis, quando velit poſt tranſgreſſionem eam incurri ergo in iſta, & non in illa debet præcedere alia præmonitio, vt ſint, quare cenſura ſit de facto plectendus.

Vtraque ſanè opinio mihi probabilis videtur; ſecunda tamen tanquam benignior, & æquior potius amplectenda, & ſacris canonibus magis accommoda, vt colligi poteſt ex cap. *Reprehenſibilis de appellat.* & in praxi omnino ſequenda debet enim citari, & moneri, quare pro tali peccato ſub cenſura vetito iam perpetrato non debeat actu cenſura feriri.

Hæc tamen admonitio, & citatio eſt omnino, & abſolutè ſeruanda à iudice volente per Cedulones iam excommunicatum denunciare, vnde ſi excommunicatus etiam publicè propter aliquod crimen publicè patratum ſub cenſura ipſo facto prohibitum denunciaretur per Cedulones antequam citetur, & præmoneatur, quare non debeat denunciari puta excommunicatus propter tale crimen, nulla eſſet denunciatio, nec eſſet vitandus, quia ſententia lata, inaudita parte nulla eſt, nam poſſet fieri, vt Reus habeat iuſtas exceptiones, quare non debeat declarari excommunicatus, ne ergo contra ius naturæ indefenſus damnetur Reus, debet omnino citari Reus, & audiri, vt iubetur in cap. Inter quatuor de maioritate, & obed.

Limitant tamen hanc doctrinam non procedere in publica, & notoria Clerici percuſſione, quę nulla tergiuerſatione cælari poteſt, nec aliqua ratione defendi fuiſſe licita, tunc enim percuſſor abſque alia citatione poteſt denunciari, immo vitari, quod ſi percuſſio licet fuerit publica, tamen poteſt excuſari percuſſor, quod nec ſuadente Diabolo, nec ad odium, ſed ad ſui meram defenſionem percuſſerit, debet citari, & audiri, alias ſi notoriè conſtet, quod fuerit peccaminoſa percuſſio abſque alia monitione debet denũciari excommunicatus. Ita *Nauar. conſ. 56. num. 5. de ſent. excomm. Falin. in cap. Rodulphus n. 5. de Reſer. Bonac. de cenſ. q. 1. diſp. 1. punct. 9. Alter. T. 2. de ſuſpenſ. diſp. 7. c. 2. & de Interd. diſp. 10. c. 3. & alij.*

Quotuplex neceſſario requiratur præcedens monitio ad cenſuram ritè infligendam?

DIFFIC. XXXV.

DIco primo, quod regulariter loquendo triplex præcedere debet monitio, antequam cenſura de facto infligatur ſaltem virtualiter, ſi non ſemper actualiter, vt colligitur ex Matt. 18. vbi Chriſtus præcipit peccatum primo ſecretè, deinde coram teſtibus & tertiò Eccleſiæ denunciandum, & habetur etiã in c. conſtitutionem de ſent. excom. in 6. §. ſtatuimus.

Aduertendum tamen, quod non ſemper eſt neceſſaria trina monitio per tria diſtincta ſpatia, ſed ſufficit, vt ſit trina monitio virtualiter, puta in vno tempore determinato poſſunt conſtitui tres monitiones, quarum vna inſeruiat in vna parte dicti temporis pro prima, in ſecunda parte dicti temporis alia inſeruiat pro ſecunda, & in vltima parte dicti temporis alia inſeruiat pro tertia monitione, vt ſi dicatur moneo te, vt intra tres dies parcas, & mãdatum exequaris, quorum primus dies pro prima monitione, ſecũdus pro ſecunda monitione, & tertio dies pro tertia Canonica, vlt. & perẽptoria ſibi inſeruiat, alias in excommunicationem ipſo facto te noueris innodatũ.

Dico ſecundo, quod quantum opus aſſignari debeat pro trina hac monitione, & quantum ſit aſſignandum ſpatium inter ipſas tres monitiones arbitrio iudicis relinquitur à iure iuxta facti occurrentis neceſſitatem, & exigentiam, & licet in d. c. *conſtitut. Suar. Vgolin. & Bonac. Filiuc. & Reginald. loc. cit.* in ſuperioribus velint adhibendos ſaltem duos dies interualli inter quamlibet monitionem, attamen concludunt ijdem Doctores

breuius

breuius tempus poſſe dari ad arbitrium Iudicis iuxta facti neceſſitatem, & vrgentiam, ita etiam noſt. *Fauentinus in 4. diſt. 25. cap. 4. Alter. l. 3. diſp. 3. c. 3. & alij*.

Dico tertio, quod neceſſariò debet aſſignari tertia monitio pro vlt. & peremptoria, aliter non eſſet Reus ſufficienter admonitus, ſed poſſet expectare aliam monitionem pro vltimo termino. *Ita Suar. & Bonac. loc. cit.*

Dico quarto, quod ſi neceſſitas exigat vna monitio ſufficit pro tribus, quando ſcilicet ita Reus paratus eſt delinquere, vt fruſtra expectaretur interuallo, quia ita facti vrgentia requirit, tunc enim ſufficit vna pro tribus, nullo tamen modo in qualibet facti etiam maxima vrgentia omitti poteſt ſaltem vnica monitio quæ pro non Reo intimetur.

Dico quinto, quod licet in facti vrgentia ſufficiat vna pro tribus extra tamen hanc neceſſitatem peccaret mortaliter iudex ſi cenſuram ferret abſque trina monitione, quia faceret contra ius commune in re graui.

Eſſet tamen valida cenſura lata abſque trina monitione, quia ſolum vnica monitio eſt de ſubſtantia ferendæ cenſuræ, trina autem præcipitur ad maiorem Reo indulgentiam præbendam, ita communiter Doctores citati.

Vtrum ſemper perſonaliter ſit monendus tranſgreſſor, vt cenſura feratur.

DIFFIC. XXXVI.

DIco primo, quod regulariter loquendo delinquens debet perſonaliter moneri, antequam cenſura feratur, ſi delinquens ſit vna perſona determinata, quod ſi plures ſint perſonæ indeterminatæ, ſufficit, vt monitio fiat in Eccleſia, aut alio loco publico, vnde delinquentes facilè admoneri valent, quando autem ſuſpẽditur vel interdicitur collegium, vel vniuerſitas, debet perſona particularis principaliter delinquens moneri, non autem tota vniuerſitas, quia delinquens eſt propriè contumax, non vniuerſitas, niſi fortè delinquens moneri nequeat niſi cum tota vniuerſitate, vt notant *Suar. diſp. 3. Alter. l. 3. diſp. 3. & Bonacc. punct. 9. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod licet perſona determinata regulariter non ſufficiat, vt domi moneatur, quia poſſet fieri, vt domi non ſit, & ita non ſit iurè admonitus, nec contumax verè, attamen in multis caſibus ſufficit, vt domi citetur, & moneatur, quia ex l. ſcire oportet §. qui autem ff. de excuſat. Tutor, & c. cauſam de dolo, & contumacia legitima eſt citatio facta domi, ſi legitima adſit cauſa.

Primo ergo dicitur quis legitimè admonitus domi, qui per dolum ſe abſcondit, & per vim curat impedire, ne ſibi perſonaliter fiat monitio, in quo caſu nota, quod debet prius probari ſufficienter per teſtes, quod doloſè ſe abſcondit, vel quod per vim impedit, ne perſonaliter citetur, & tunc, vel domi, vel in ſuo domicilio fiat monitio, vel citatio, quod ſi determinatam domum, nec domicilium habeat, ſufficit monitionem, vel citationem fieri in Eccleſia maiori illius loci. Vide *Vgol. c. 18. Alter. l. 3. diſp. 3. & Bonac. punct. 9. locis cit.*

Secundo ſufficit, vt domi moneatur, vel citetur Reus, quando ſemel perſonaliter eſt admonitus, vel ſaltem per edictum, aut etiam in ipſo Tribunali, vt habetur ex deciſ. Rotæ in nouiſſ. deciſ. 399.

Tertio, quando alia via certum eſt Reo innotuiſſe monitionem, vel citationem, tunc ſufficit, vt domi de cetero moneatur, & citetur, vt notant Sayr. Suar. & Bonac.

Quarto, quando tractatur reuocare Reum ad priorem excommunicationem, à qua malè abſolutus fuit, tunc etiam ſufficit, vt domi moneatur, & citetur, vt docet Rota loc. cit.

Nota demum quod vt citatio, & monitio domi dicatur legitimè, & ſufficienter facta etiam in præfatis caſibus, debet fieri coram teſtibus idoneis, qui ſi opus fuerit, teſtentur de admonitione, & citatione legitima facta, vt præcipitur in cap. ſacro de ſent. excomm. aliter admonens ſine teſtibus ſuſpenſus eſt ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem.

Ita noſt. Fauent. Suar. & Bonacc. locis citatis in ſuperioribus.

Quotuplici ex capite dicatur iniuſte, vel inualidè lata cenſura.

DIFFIC. XXXVII.

DIco primo, quod regulariter ex triplici capite dicitur cẽſura iniuſtè, ſed validè prolata, primo ſi ex odio, inuidia, & prauo affectu, non autem, vt debet ex affectione iuſtitiæ, & deſiderio correctionis feratur, quia peccat iudex, eius tamen iniquitas non aufert iuriſdictionem ab eo, nec effectum cenſuræ annullare poteſt, ſolum ſibi nocet, cenſura vnde iniuſtè profertur, valida tamen eſt. Ita communiter vide noſtrum *Fauent. Suar. Bonac. punct. 10. & Filiuc. loc. cit.*

Secundo, dicitur iniuſta, ſi prætermittatur ordo accidentalis in ipſa ferenda, puta, quia non prætermittitur trina monitio, vel non datur in ſcriptis, quod ſi omnino prætermittatur monitio erit omnino nulla, vt dictum eſt ſupra, quia monitio eſt de ſubſtantia ferendæ cenſuræ.

Tertio, dicitur iniuſta ratione cauſæ, propter quam fertur cenſura, quia vel non eſt vera, vel non eſt æqua, quamuis in iudicio probentur vera, & æqua, & hæc dicitur materialiter iniuſta, quomodo autẽ dicatur nulla ex parte cauſæ dicetur infr.

Dico ſecundo, quod multis modis dicitur nulla cenſura, vt videre eſt apud noſtrum *Angelum V. excom. 3. Sylu. eod. verbo, & Palud. in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4.* attamen ad ſex modos præcipuè reducuntur facilius, vt ex parte docet noſter *Fauent. in 4. diſt. 25. q. 1. diſp. 4. cap. 3.*

Primo, ex parte ferentis non habẽtis legitimam poteſtatẽ, ſententia enim lata à iudice non ſuo nulla eſt, ex cap. ad noſtrum de conſuetud. vel ſi eſt ſuus index habet tamen authoritatem ſuſpenſam, puta ſi ſit præcipuè excommunicatus vitandus, quia nulla eſt omnino cenſura ab ipſo lata.

Secundo, nulla eſt cenſura ex defectu formæ, vt ſit cum conditione impertinente impoſſibili, vel deſtructiua eſſentiæ cenſuræ.

Tertio, nulla eſt, ſi non ſit ſufficienter promulgata, ſicut enim lex non ſufficienter promulgata non obligat, ita nec ſufficienter promulgata ligat.

Quarto, nulla eſt cenſura ſi legitima conſuetudine non ſit recepta, quia ſicut lex per non vſum, & contrariam conſuetudinem non obligat, & dicitur abrogata, ita etiam cenſura per non vſum, & contrariam conſuetudinem legitimam non ligat, & de facto multæ cenſuræ per non vſum apud Sac. Canones cenſentur abrogatæ.

Quinto, ſi propter peccatum veniale ſimpliciter, & abſolutè feratur cenſura, maximè excommunicatio dicitur nulla, vt dictum eſt ſupra.

Sexto, ratione cauſæ propter quam fertur poteſt eſſe nulla præcipuè, quia continet intolerabilem errorem, continere autem intolerabilem errorẽ dicitur cenſura ex noſt. *Ang. V. excomm. 3. §. 12. Sayr. l. 1. c. 16. Suar. diſp. 4. ſect. 7 n. 3. Alter. l. 3. diſp. 2. c. 1. & Bonac. punct. 10.* quando cenſura fertur contra eum, qui fecerit aliquod bonum, puta ſi excommunicatur Titius, quia fecit eleemoſinam, vel quia ſub cenſura præcipitur aliquod illicitum, puta, vt occidatur, vel furetur, ſecundo, quando ſub cenſura præcipitur aliquod impoſſibile, tertio, quia cenſura fertur propter cauſam, nec veram, nec præſumptam, quarto, quia cenſura fertur immediatè contra ius ſcriptum, puta, quia cenſura fertur contra Reum poſt legitimam appellationem, quinto, quia præcipitur aliquod contra bonum cõmune, in omnibus iſtis caſibus adeſt intolerabilis error, & cõſequẽter in omnibus iſtis præcipuè cenſura lata omnino nulla eſt.

Quod ſi iſtæ conditiones annullantes cenſuram non ſint omnino notoriæ, timendæ ſaltem ſunt cenſuræ tanquam iniuſtæ vſquequo conditiones præfatæ declaratur.

Vtrum cenſura ſemper ſit inualida ex parte cauſæ iniuſtæ verè non ſubſiſtentis, & in re ipſa falſæ.

DIFFIC. XXXVIII.

DIſtinguendum puto, nam cenſura poteſt ex iniuſta, & falſa cauſa triplici modo intelligi inflicta, primo, quando cẽſura fertur ſub titulo veræ cauſæ præſumptæ, licet ex parte rei non ſit vera, puta, quia per allegata, & probata legitimè cõſtat iudex eſſe verã cauſam, propter quã cenſurã fulminat, ſecundo, quãdo cauſa in ſe eſt vera, ſed in iudicio non eſt legitimè probata, 3. quod cauſa eſt iniuſta, & iniqua, neq; in iudicio

legitimè probata, certum eſt autem, quod cenſura lata propter cauſam in ſecundo, & tertio modo omnino eſt nulla, & quidē in ſecundo genere eſt nulla, quia licet vera ſit cauſa, tamen quia de occultis non iudicat Eccleſia, nullam fert cenſuram iudex, ſi legitimo in iudicio ſibi per teſtes non conſteti quādo enim res non eſt per legitimum iudicium probata dicitur occulta, licet ipſe iudex veram eſſe nouerit cauſam, vt 1. ex c. cum *alij. 6. q. 2. ex gloſa, & Doctor. in c ſacr. de ſent. excomm.* prætterquam, quod videtur defectus eſſe eſſentialis in iuris ordine ſeruando, in tertio autem genere etiam clarum eſt, quia cuntineret intolerabilem errorem, dum nullam conſtat eſſe cauſā ferendi cenſurā nec veram, nec præſumptā, vt patet in primo autem genere, quid ſit dicendū patebit in ſequenti difficultate.

Vtrum cenſura nulla ſit quando cauſa propter quam fertur in realitate falſa eſt, & Reus omnino innocens, conſtat tamen iudici pro allegata, & probata, quod ſit vera?

DIFFIC. XXXIX.

AFfirmare videntur noſter *Ricardus in 4. diſt. 18. art. 3. q. 5. D. M. ibid. q. 2. ar. 2. quæſtiuncula 4. Paludan. ibid. q. 1. Couar. in c. Alma mater p. 1. §. 12. n. 14 & alij*, quos ipſe pro ſe citat, & Iuriſtæ communiter affirmant, quia Reus innocens per allegata, & probata, repertus in legitimo iudicio culpabilis, validè damnatur ſecundum iura, ergo etiam innocens repertus culpabilis in legitimo iudicio per allegata, & probata poteſt iurè, & validè cenſura feriri, quæ conſequentia etiam ex eo probatur, quod actus à iudice permanens claue non errante, ſemper eſt validus, dum autem cenſura feritur Innocēs, repertus tamen in iudicio legitimo culpabilis non erat clauis, cum operetur iudex iuxta ſcientiam iudicialiter habitam. Addunt etiam quod ſi Sacerdos abſoluat pænitentem à peccato, quod à pænitente declaratur veniale, & tamen eſt mortale, validè abſoluit, quia iuxta extrinſecam confeſſionem tenetur abſoluere, & ſic non erat clauis, ita etiam iudex per extrinſecum iudicium legitimum reperiens innocentem culpabilem, non erat clauis, ſi cum cenſura feriat propter delictum, quod commiſiſſe noſcit in iudicio.

Attamen communius, & probabilius alij diſtinguunt, quod in foro fori valida eſt talis cenſura, & debet ſe abſtinere à prohibitis innocens cenſura ligatus in foro fori, & debet, vt talis reputari in actionibus tanquam cenſura ligatus, quia in foro fori conſtat eſſe cenſura ligatum, & cenſura vileſceret ſi in foro fori non æſtimaretur valida, immo poſſet iudex Eccleſiaſticus violatores, & cōtemptores etiam ipſum Reum innocentem cenſura ligatum, ſi contemneret, punire in foro fori, & Reus licet innocens in tali caſu ſe cenſura ligatum monſtraret, & ceteri fideles eum tanquam cenſura ligatum vitarent ad remouendum ſcandalum, & ſeruandam reuerentiam Eccleſiaſticæ poteſtati.

At vero in foro conſcientiæ nullam putant huiuſmodi excommunicationem, dum verè Reus eſt innocens, vnde in foro conſcientiæ, & occultè vbi ſcandalum non timetur poteſt ea omnia facere, ac ſi non eſſet cenſura ligatus, quia verè apud Deum non eſt cenſura innodatus, qui ſe innocentem cognoſcit in cauſa, propter quam falſo iudicatus eſt dignus cenſura, cōtinet .n. in foro conſcientiæ talis cenſura intolerabilē errorē, vnde verè nulla eſt. & vbi neſcitur, quod ſit cenſura ligatus, poteſt etiam publicè ea omnia facere, ac ſi nō eſſet cenſura ligatus, quia ceſſaret ſcandalum, & contemptus. Ita ex doctrina Scoti videtur docere noſt. *Fauent. loc. cit. c. 3. & noſter Alenſ. 4. p. quæſt. 22. membro 2. art. 1. & 2.* licet malè à Soto pro contraria opinione citetur, idem docent noſter *Miranda crimen. Prælat. 2. p. quæſt. 55. art. 14. Biel. in 4. diſt. 18. quæſt. 2. Conc. 8. Soto diſt. 23. q. 1. art. 3. Nauar. cap. 9. num. 4. & cap. 17. num. 3. Suar. diſp. 4. ſect. 7. Caiet. 22. quæſt. 70. ar. 4. ad 2. Filiucc. cap. 8. quæſt. 4. & 5. Sayr. l. 1. cap. 17. Alter. l. 3. diſp. 2. cap. 12. & Bonacc. diſp. 1. q. 1. punct. 10. de cenſ.*

Vtrum cenſura nulla in foro conſcientiæ, valida tamen in foro fori ligatus celebrans incurrat irregularitatem, & actus iuriſdictionis exerceat validè in foro fori?

DIFFIC. XL.

CErtum eſt, quod cenſura nulla in foro conſcientiæ, & valida in foro fori præcipuè ſi ſit excommunicatio, non priuat ſuffragiis Eccleſiæ communibus, quia verè apud Deum non eſt membrum præciſum, nec tenetur ſe ab hominū conſortio ſubtrahere, modo ceſſet ſcandalum, & cōtemptus, quod autem facit difficultatem eſt, an celebrans incurrat irregularitatem, & ſi abſoluat, validè abſoluat, pro quorū reſponſione.

Affirmant aliqui graues Doctores *ſ. Couar. Nauar. & Caiet.* vt refert noſter *Fauent. loc. cit.* quia innocens legitimo ex iudicio cenſura irretitus violat celebrando cenſuram ligantem in foro fori, ergo irregularitatem incurrit.

Attamen benignius, & probabilius negant in foro conſciētiæ Reum innocentem cenſura ligatum ſolum in foro fori ob malam imputationem, ſi celebret incurrere irregularitatem, maximè ſi celebret occultè remoto ſcandalo, & contemptu, quia ſubſtantialiter cenſura inualida eſt, ergo effectum irregularitatis in anima inducere non poteſt cenſura, quæ verè animam non ligat, Ita noſter *Fauentinus, Suar. Bonacc. Filiuc. Sayr. & Alter. loc. cit. Vaſq. tract. de excomm. dub. 11, & Coninch. diſp. 13 dub* 13. quod ſi poſſet probari in foro fori celebraſſe, ſanè poſſet à iudice in foro fori tanquā irregularis denūciari.

Adde, quod ſi vbi publicè eſt denunciatus cenſura ligatus præfatus innocens, celebraret, nec incurreret in foro conſciētiæ irregularitatem, quia irregularitas non incurritur propter celebrationē in cenſura denunciata, ſed propter celebrationē in cenſura incurſa in foro animæ, ſi ergo cenſura in foro animæ non ligat, nō ſequitur irregularitas propter celebrationē, nam irregularitas non incurritur propter celebrationem ſcādaloſam, vel ex contemptu, ſed propter celebrationem in cenſura, ſi ergo nulla eſt cenſura in foro animæ, nulla eſt irregularitas, poteſt tamē iudex in foro fori eū irregularē declarare propter talē celebrationē. Ita cōmuniter Doct. cit. pro 2. opin.

Aduertendum tamen, quod celebrans in cenſura inualida in foro animæ, & valida in foro fori, peccaret mortaliter ſi publicè celebraret ratione ſcandali, & contemptus.

Conſimiliter irretitus cenſura inualida, & nulla in foro interiori, & in foro animæ, valida tamen in foro exteriori, validè exercet actus iuriſdictionis, vnde ſi abſoluit, eligit, præſentat, & cōfert, validè agit, & validè recipit officia, & beneficia, quia Eccleſia priuat hunc rebus ſolum propter verum peccatū, & realem culpam, & veram, & realem contumaciam, quę ſub vera, & realiter incurſa cenſura puniuntur, non autem propter præſumptum delictum, & contumaciam, poſſunt tamen in foro fori declarari irritæ iſtæ actiones, iuxta, quod cenſura valida æſtimatur, quia Eccleſia de extrinſeco iuxta allegata, & probata iudicare rite poteſt, de intrinſeco autem non iudicat, quia ſoli Deo reſeruatur de intrinſeca veritate iudicium. Ita noſter *Fauent. Suar. Alter. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum cenſura ſiuè iuſtè, ſiuè iniuſtè prolata ſemper ſit timenda, & ſeruanda.

DIFFIC. XLI.

CEnſuram ſiue iniuſtam, ſiue iuſtam ſemper eſſe timendā, ex illo axiomate poſito à Diuo Gregorio *Comm. 26. in Euang. & habetur apud Suar. Can. 11. q. 3. c. 1. ſub his verbis, ſententia Paſtoris ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda eſt.*

Attamen ſic ſimpliciter intellecta non admittitur communiter, ideo explicanda eſt iuxta Sacrorum Canonum ſenſum veriorem,

Quare diſtinguendum puto, nam ſententia iniuſta latæ clauſuræ, vel eſt notoriè nulla, quia notoriè conſtat continere intolerabilem errorem, vel latam ob cauſam notoriè illicitam, vel impoſſibilem, & in hoc caſu dum notoriè conſtat ius nullitas, & iudicis error intolerabilis, non eſt ſeruanda, nec timenda; hinc ſi iudex infantem, vel notoriè eunucum, quod Virginem ſtuprauit, vel Petrum, quod expoliauerit Caium, cum notoriè conſtet fuiſſe titium, excommunicauerit, vel Franciſcum cenſura innodauerit, quia renuit occidere Principem, in hiſce caſibus, quia excommunicatio notoriè implicat intolerabilem errorem, & rem illicitam continet, nullo modo eſt timenda, & ſeruanda, quia notoriè conſtat excommunicationem eſſe nullam, quia vt notat noſter *Vngarell. V. excomm. 11. Theol. 1.* non poteſt præſumi ius Canonicum, quod eſt ſummè iuſtum, velle approbare iniuſtitiam notoriam & notoriam iudicis iniquitatem fouere, ita etiam Abb. in cap. inter ceteras poſt *Domin. Ant. de re iudicata, & in c. ab excomm. verſic. 4. de reſcript.*

Aduertit

Digitized by Google

Aduertit tamen noſt. Vngarell. & optimè, quod res debet eſſe notoriè falſa, & notoriè impoſſibilis, vel illicita copulatiuè, quando cenſura ob eius cauſam lata debet omnino nulla reputari, & conſequenter omnino contemnenda, & nullo modo ſeruanda.

Verum ſi ſit notoriè falſa tamen poſſibilis eſt, puta ſi quis excommunicet Caium, quia ſpoliauit Eccleſiam, & tamen notoriè conſtat non fuiſſe Caium, quia poſſibile tamen eſt fuiſſe Caium, nec continet impoſſibilitatem eſt ſeruanda, & timenda, donec Caius in legitimo iudicio ſe purgauerit. Ita *Archidiac. in cap. Venerabilibus, & alij.*

Quæ doctrina poteſt fulciri ex cap. per ſuas. de ſent. excom. vbi decernitur, quod, qui fuit excommunicatus poſt debitam interpoſitam appellationem, vel quia cenſura lata continet intolerabilem errorem debet admitti ad defenſiones faciendas, at in alijs præterquam pertinentibus ad defenſionem iubet eſſe vitandum, quare licet adſit iniuſtitia, & intolerabilis error debet cenſura ſeruari, & non debet contemni vſquequo in iudicio conſtet legitimè adfuiſſe error, & iniuſtitia; itaque è contra quando conſtat notoriè error intolerabilis, impoſſibilitas, & illicitum præceptum ſub cenſura, nullo modo ſeruanda, & omnino contemnenda, quia Eccleſia non præſumitur vllo facere notoriam iudicis iniquitatem, & notoriam Rei innocentiam punire. Ita *ex noſtro Vngarell. loc. cit.*

An dubitans vera ne ſit cauſa, ob quam cenſura eſt de facto innodatus debet ſe gerere tanquam cenſura ligatum?

DIFFIC. XLII.

AFfirmant communiter ſe tanquam cenſura ligatum gerere debere, qui dubitat, an ex cauſa vera ſit cenſura innodatus, quia in dubio tutior pars eſt eligenda, vbi maximè periculum eſt animæ perdendæ. Ita noſter *Miranda loc. ſupr. cit. art. c. 14. & Filiuc. cap. 8. q. 5. Suar. ſect. 6. Vaſq. dub. 11. Sayr. & Bonacc. loc. cit.*

Inter litigantes vero ſi adſit dubium, & alter excommunicetur, ſi per aduocatum probabile ſibi conſtet quod non ſit validè excommunicatus, poteſt ſuſtineri probabiliter non debere ſe gerere tanquam excommunicatum ſaltem in foro conſcientiæ quia poteſt quis ſequi opinionem probabilem tuta conſcientia, etiam ſi contraria ſit probabilior, vt videbitur V. opinio, & notant in huius facti contingentia *Suar. & Bonac. loco cit.*

Vtrum cenſura extra proprium ſuæ iuriſdictionis territorium validè à Prælato, vel iudice feratur?

DIFFIC. XLIII.

DIſtinguendum puto, quia, vel Prælatus, & iudex laturus ſententiam extra proprium territorium indiget foro contentioſo ad ferendam cenſuram, puta, quia cum ſtrepitu iudicis citationis ſcilicet deſtinum examinationis, & pro Tribunali ſedere debet ad ferendam ſententiam, & in hoc caſu extra proprium territorium non poteſt validè cenſuras ferre, quia Prælato prohibetur iuriſdictione contentioſa vti extra proprium territorium, ex cap. Epiſcopum 11. q. 3. abſque Ordinarij loci expreſſa licentia, etiam ſi locus ſit exemptus *ex cap. fin. de conſtitut. in 6. & cap. luminoſo 18. queſt. 2. vide noſtrum Angelum V. excomm. 1. §. 9. & 10. Coninch. diſp. 13. dub. 11. Alter. l. 3. diſp. 9. & Bonacc. punct. 11.*

Quod ſi in ferenda cenſura non indigeat iuriſdictione contentioſa, nec cauſæ cognitione per ſtrepitum iudicis, nec pro tribunali ad ferendam ſententiam poteſt ſine cauſæ cognitione, & ſine ſtrepitu iudicis per modum ſententiæ particularis, & per modum ſtatuti cenſuras validè ferre contra nos ſubditos, cum in hoc non requiratur iuriſdictio localis, nec reperiatur alicubi vetitum. Ita noſt. *Miranda q. 3. art. 8. Nauarr. cap. 27. num. 6. Vgol. tab. 1. cap. 27. §. 1. Sayr. l. 1. cap. 14. Auila 2. part. diſp. 2. Alter. cap. 5. loc. citat. & alij.*

Aduerte tamen primo, quod ſi iudex, vel Prælatus impediatur dolori, ne exerceat iuriſdictionem in ſuo territorio, poteſt in loco vicinio in præ iuriſdictionis licet alieno exercere eã; quia id ei indulgetur *in Clem. 1. de foro compet.*

Aduerte ſecundo, quod Prælati Regulares, qui propriè non habent territorium, & iuriſdictionem exercent ſine Territorio, vbicumque validè ferunt cenſuras contra ſuos ſubdito. *Vide noſtrum Mirandam loc. cit. Rodr. t. 3. q. 3. Reg. q. 59. art. 1. Auilam, Bonac. Sayr. & Vgolin. locis citatis.*

Vtrum cenſura per modum ſtatuti lata liget delinquentes ſubditos extra Territorium ferentis, & an in exempta Parochia, vel loco Regulari exempto intra Territorium ferentis?

DIFFIC. XLIV.

DIco primo quod licet Innocentius relatus ab Angelo velit cenſuram per modum ſtatuti ligare delinquentem etiã extra territorium ferentis, attamen contrarium communius aſſerunt, nam vt optimè notat noſt. *Vngarell. V. excomm. 1. § 9. Sch. K.* ſtatutum eſt lex territorij, & regulariter loquendo non poteſt eius finis tranſilire, ex l. fin. de iur. omn gent. & ex c. fin. de for. comp. ad ferendam enim cenſuram non ſufficit intentio iudicis, quæ vtiq; poteſt fieri extra territorium, ſed requiritur etiam iuriſdictio, quę non afficit extra territorium cum ſit terminata eius finibus Itaque regulariter loquendo non ligat cenſura ſubditos delinquentes extra territorium propriũ Prælati ferentis eam per modum ſtatuti. Ita communiter.

Dico ſecundo, quod nec in Parochia exempta delinquentes afficit cenſura lata per modum ſtatuti licet ſit intra Diœceſim, & iuriſdictionẽ ferentis, vnde peccatum vetitum ſub cenſura ab Epiſcopo per modum ſtatuti committens in Parochia exẽpta non innodatur ab ea, quia perinde eſt, ac ſi eſſet extra proprium territorium, Parochiæ enim tales exemptæ dicuntur ſolum materialiter eſſe in territorio Epiſcopi, formaliter autem dicuntur eſſe extra Diœceſim, & Territorium Epiſcopi: *Ita noſter Ang. V. ſtatutum §. 1. Vgol. Tab. 1. cap. 9. §. 3. Azor. p. 1. l. 5. cap. 15. q. 4. Suar. de leg. l. 3. c. 32. Salas de leg. diſp. 14. ſect. 6. Reginald. l. 9. Filiucc. tract. 11. cap. 5. q. 9. Bonacc. de cenſ. diſp. 1. queſt. 1. punct. 11.*

An vero idem dicendum ſit de peccante contra ſtatutum prohibente ſub excommunicatione tale peccatum, ſi illud cõmitat in loco Regulari exempto intra territorium ferentis exiſtente negant Suar. Filiuc. Salas, & Alter. loc. cit. attamen probabilius affirmant noſter *Ang. Vgolin. & Bonacc. loc. cit. & Syluſ. V. excomm. 2. n. 12. & Auila p. 2. c. 3. diſp. 2. dub. 5.* nam, vt notat Angelus locus exemptus & locus extra Diœceſim æquiparãtur *ex c. 1. de ſtat. Reg. in fin. in 6. & in Clem. 1. de Priu.*

Vtrum dentur caſus, in quibus cenſura lata per modum ſtatuti afficit etiam delinquentes extra Territorium ferentis?

DIFFIC. XLV.

IN quatuor præcipuè caſibus licet cenſura lata per modum ſtatuti etiam delinquentes extra territorium ferentis, & ideo in ſuperiori difficultate fuit dictum, quod regulariter ſolum non ligat cenſura extra territorium, quia vniuerſaliter in omni caſu non poteſt talis doctrina ſuſtineri. *Vide Ang. noſt. V. excommunicatio 1. num. 10*

Primus caſus eſt, quando ferens ſtatuta agit cauſam originariè in proprio territorio ex facto negatiuo commiſſo in limitibus alterius territorij, puta ſi caueatur, quicumque furtum fecerit vbicumque, niſi infra menſem à die commiſſi criminis compareat coram iudice delicti, vel coram nobis ſit excõmunicatus, faciens furtum ſubditus ferentis nõ excommunicatur ratione delicti negatiui ſcilicet furti non fiendi etiam in alieno territorio, ſed ex capite, quod ipſe in territorio ſuo iubet vt compareat ſubditus intra tale ſpatium temporis, ſi faciat contra ſtatutum, ſi ergo non compareat vbicumq; ſit etiã in loco exempto afficitur excommunicatione, quia cauſa comparitionis agit per ſtatutũ in proprio territorio propter factum negatiuum, ita habetur *in c. ex tua de Cler. non reſid.* vbi ſtatuto tribuitur robur, & vis contra exiſtentes extra territorium per factum negatiuum, quia noluerunt comparere.

Secundus caſus eſt, quod ligantur cenſura facta per modũ ſtatuti etiam delinquentes extra territorium, quãdo ſtatutum concernit rem ſubiectam ſtatuenti in proprio territorio exiſtentem, puta ſi Epiſcopus excommunicaret Clericos beneficiatos in ſuo territorio ibidem non reſidentes, etiam ſi Clerici tales beneficiati extra territorium excommunicationem incurrunt *ex c. fin. de for. comp.* etiamſi perſona beneficiata in territorio eſſet omnino extra Diœceſim tale ſtatutum ſub cenſura ferentis, vt *patet ex c. Romana §. contrahentes de for. comp. in 6.* quod bene nota contra nolentes reſidere.

Tertius caſus eſt, quando quis tenetur aliquid facere in territorio ſtatuentis, puta hoſpitali inſeruire ſtatutis diebus, ſi feratur excommunicatio per modum ſtatuti contra omittentes facere, quod tenentur in ſuo Territorio, ligatur tali excommunicatione id omittens facere, etiam ſi ſit extra territorium *ex cap. 1. de vſur. in 6. & gloſa ibi, & colligitur ex l. qui non facit ff. de re iudic.*

Quartus caſus eſt, quando factum ſub excommunicatione vetitum, eſt inceptum in proprio territorio ſtatuentis, ligatur excommunicatione, ſi compleatur in alieno territorio, puta ſi latum ſit ſtatutum ſub excommunicatione ipſo facto, ne extrahatur frumentum extra territorium, extrahens excommunicationem incurrit, licet extractio compleatur in alieno territorio, quia factum fuit inceptum in territorio ſtatuentis.

Limitationem tamen recipit hic quartus caſus, nam vera eſt hæc doctrina, quando actio vetita ſub excommunicatione non requirit delictum conſummatum & completum in territorio ſtatuentis ſed ad verificandam talem actionem vetitam, ſufficit actio inchoata in territorio, vt patet de extractione tritici, ad quam verificandam ſufficit à territorio extractio ſit inchoata, cum non poſſit dici fieri extractio, niſi à territorio inchoetur, & priuetur tali tritico.

At vero quando ad verificandam actionem prohibitam à ſtatuente neceſſe eſt, vt actio ſit completa, ita vt non dicatur vera actio prohibita niſi completa, tunc complens actionem prohibitam extra territorium ſtatuentis non incidit, quia verè peccatum non eſt conſumatum in proprio territorio.

Hinc ſi fiat ſtatutum ab Epiſcopo Pinnenſi, vt nullus audeat ſub pæna excommunicationis ipſo facto rapere Virginem, quia raptus Virginis conſiſtit in ea ſtupranda, & ſtuprum dat completam rationem raptus, ſi quis raperet Virginem in Diœceſi Pinnenſi, & eam violaret in Diœceſi Sulmonenſi non incurreret excommunicationem latam contra Raptorem ab Epiſcopo Pinnenſi, quia actio licet incepta fuerit in territorio ſtatuentis, completa tamen fuit in ſui ratione extra territorium ſtatuentis, vnde concludit noſter Ang. in d. §. quod quando delinquens, & res circa quam delinquitur eſt extra territorium ſtatuentis non incurritur excomm. Ita etiam Suar. Bonac. & Filiucc. loco ſupra citat. Nec obſtat, quod *in l. 1. cap. vbi de crimine*, agi oportet: habetur delinquentem, qui incepit delictum in vno loco, & in alio complentem ſubdi iuriſdictioni vtriuſque iudicis, & in tali caſu, vt notat noſter *Vgarell. ibid. ſch. 5.* datur locus præuentioni; quia eſt diſpar ratio, nam cenſura requirit actionem completam, & non attentatam, vel inceptam, & peccatum conſumatum, quia pænæ ſunt reſtringendæ, at vero iuriſdictio contra delinquentem, eſt in fauorem iuſtitiæ, nec agitur de afficienda anima, ideo nil mirum ſi vtrique iudici committitur iuriſdictio tam in loco, vbi inceptum eſt crimen, quam loci, vbi completum eſt, in materia autem cenſuræ, quia afficitur anima pæna grauiſſima, ſolum debet crimen completum puniri, & in loco vbi completur cenſura affici ex qua doctrina.

Collige primo, quod ſi Epiſcopus ferret excommunicationem contra occidentem in Eccleſia, ſi quis iaceret ſagittam contra exiſtentem extra Eccleſiam, & extra ipſam moreretur, non incurreret cenſuram, quia actus eſt inceptus, & attentatus ſolum in Eccleſia, completus eſt extra ipſam; excommunicatio autem afficit opus completum, non attentatum.

E contra vero, ſi quis è Platea iaceret ſagittam contra exiſtentem in Eccleſia, & ibi moreretur, incideret in præfatam excommunicationem, quia opus licet inchoatum extra, eſt tamen completum in Eccleſia. Ita *etiam Suar. & Bonac. loc. cit.*

Limitanda eſt tamen hæc doctrina ſaltem probabiliter, quod quando actio prohibita ſub cenſura licet ſit inchoata in loco prohibito, tamen virtualiter habet rationem completæ actionis, licet extra compleatur incidit tamen in cenſuram latam.

Hinc ſi excommunicetur occidens in Eccleſia, & intra illam quis iaciat ſagittam contra exiſtentem in Eccleſia, & læthaliter eum vulneret in Eccleſia, ſi poſtea moreretur ex dicto læthali vulnere extra Eccleſiam, adhuc incideret in excommunicationem latam contra occidentem in Eccleſia, quia opus inchoatum in Eccleſia virtualiter habet rationem completi, læthaliter enim vulnerans ſecuta morte, eſt ac ſi in ipſa Eccleſia occidiſſet, Ita etiam *Suar. diſp. 5. ſect. 4. Bonac. & Alter. loc. cit.* quod ſi mors non ſequatur, non incidit, nec ſubiacere excommunicatio non latæ contra occidentem debet æſtimari in tali caſu, niſi ſecuta morte. Ita Doctores citati, quia ſectus virtualiter prohibitus non punitur niſi ſecuto effectu.

Collige ſecundo, quod cenſuram latam per modum ſtatuti non incurrit ſubditus tempore ſtatuti facti, ſi domicilium mutet, conſtituatque in alieno territorio, quia peccans contra tale ſtatutum in alieno territorio non eſt amplius ſubditus ſtatuentis cenſura autem non poteſt ligare non ſubditum.

Limitanda eſt tamen hæc doctrina primo, modò non ſit inchoata cauſa in foro ſori in tribunali ſcilicet ſtatuentis antequam mutet domicilium, nam ſi cauſa inchoetur in tribunali prioris domicilij poteſt conueniri, etiam ſi mutet domicilium, & in caſu contumaciæ excommunicari, etiam ſi maneat in alieno territorio ex cap. propoſuiſti de for. comp. & cap. ſi quis de iudic.

Secundo, ſi cenſura ſit lata propter delictum non reſpiciens futurum, ſed propter actum præteritum, puta ſi lata ſit excommunicatio contra Caium, qui furtum commiſit, niſi reſtituat intra menſem, licet enim Caius interea domicilium mutet, attamen, quia eſt inchoata cauſa in priori domicilio, etiamſi exiſtat extra territorium ligabitur cenſura ſuperioris prioris domicilij, quia licet non ſit ſimpliciter ſubditus prioris domicilij Prælato, attamen ratione commiſſi delicti, & ſententiæ inchoatæ eſt eius ſubditus, & iure optimo, ne delicta propter ſimiles fugas impunita remaneant. Ita *Angel. noſt. loc. cit. Suar. diſput. 3. ſect. 5. Filiucc. cap. 3. queſt. 10. & cap. 5. queſt. 10. Vgol. cap. 4. Sayr. l. 1. cap. 11. num. 18. Bonac. loc. cit. punct. 11. & alij.*

Vtrum cenſura lata per modum ſententiæ liget ſubditos ferentis extra proprium territorium.

DIFFIC. XLVI.

ABſolutè videntur affirmare ſubditos poſſe excommunicari per modum ſententiæ, licet exiſtunt extra territorium excommunicantis, quia cenſura per modum ſententiæ reſpicit perſonam, non territorium, vnde volunt, quod ſi Epiſcopus per modum ſententiæ generalis, vel particularis excommunicet quemcumque ſibi ſubditum furantem, etiam ſi furetur in alieno territorio incidat in excommunicationem, *Sayr. & Bonac. loc. cit. Vgol. Tab. 1. c. 9. §. 3.* & alij, atque adeo docent, quod ſi per modum ſententiæ generalis, vel particularis prohibeat Epiſcopus, vel alter Ordinarius, ne ſacerdotes ſibi ſubditi celebrent ſine ſua licentia extra Diœceſim ſub pęna excommunicationis vel ſuſpenſionis ipſo facto, ſi de facto celebrent extra Diœceſim incurrant latam ſententiam; quia putant probabiliter cenſuram latam per modum ſententiæ ligare ſubditos vbicumque, quia hæc ſequitur perſonam, non autem territorium.

Attamen alii etiam probabiliter diſtinguunt, quod ſi feratur cenſura per modum ſententiæ generaliter pro culpa præterita, puta, excommunico omnes, qui ſacrilegium commiſerunt in hoc caſu non ligare putant delinquentem extra territorium ferentis, quia ibi nullum habet ius cenſura, quod ſi ſacrilegium vetitum ſub cenſura commiſerit quis in territorio ferentis cenſuram, poteſt excommunicatus declarari etiam extra territorium exiſtat.

Quod ſi feratur excommunicatio pro delicto præterito ſpecialiter contra determinatam perſonam volunt ligari etiam ſi exiſtat extra territorium *Ita Ang. noſt. §. 11. loc. cit. Azor. 2. part. cap. c. 3. diſput. 2. Coninck. & Alter. loc. cit. & ſyn. V. excomm. 2. q. 10.*

Collige ex dictis, quod per modum ſententiæ poteſt probabiliter dici, quod poteſt excommunicare omnes, puta, qui furati ſunt in proprio territorio, niſi reſtituant, atque adeo dicendum ſingulos, qui furati fuerint in proprio territorio ferentis excommunicationem contra ibi furantes per modum ſententiæ, niſi actualiter reſtituant, etiam ſi poſt furtum è territorio excommunicantis exiuerint. Ita ex noſtro *Ang. Suar. Bonac. Filiuc. & alijs Doctoribus.*

Vtrum

Vtrum cenſura lata a ſuperiore locali ligentur forenſes, & extranei ſi preceptum ſub cenſura prohibitum ibi violauerint.

DIFFIC. XLVII.

Diſtinguunt multi, quod ſi forenſes extranei non ſint permanſuri pro maiore parte anni, ſed ſimpliciter per modum tranſeuntis commorentur in loco, ſi ab ordinario loci feratur cenſura per modum ſententiæ contra eos, ſi aliquod tale non fecerint, aiunt non ligati, quia verè dum ſunt per modum tranſeuntis nullo modo ſunt ſubditi, ſententia autem lata in non ſubditum nulla eſt, quod ſi cenſura feratur per modum ſtatuti contra tranſgredientes aliquod præceptum in ſuo territorio, putant ligari etiam præfatos forenſes, & extraneos committentes tale peccatum prohibitum ſub cenſura in tali loco, quia ſtatuta eſt lex territorij, ergo afficit omnes, qui ſunt in territorio. Ita noſter *Angelus loc. ſup. cit. Suar. diſput. 5. ſection. 5. Sayr. lib. 1. capit. 7. Vgolin. & Filiucc. loco citat.*

At vero probabiliter etiam negant alij abſolutè forenſes, & extraneos, qui non ſunt permanſuri per maiorem anni partem in territorio, vt ſunt Peregrini, & alij negotiatores per modum tranſitus incidere in cenſuras per modum ſtatuti latas à ſuperiore loci, quia huiuſmodi perſonæ, nec actu, nec ſpe ſubditi ſunt Ordinario loci, & conſequenter nullam iuriſdictionem putant habere in ſimili genere perſonarum. Ex quorum doctina probabili.

Collige, quod huiuſmodi exiſtentes in aliquo loco per modum tranſeuntis abſque animo permanendi per maiorem partem anni ibi, ſi feratur excommunicatio contra non ſeruantes puta ieiunium in die ſabbati, non tenentur ſub excommunicatione tale præceptum adimplere, & ſi tranſgrediantur, non incurrunt in eam, quia verè non eſt ſubditus, ſi ſolum per modum tranſeuntis ibi commoretur. Ita *Bonacina loco cit. Aula 2. part. capit. 2. Reginald. l. 9. Alter. & Suar. l. cit.*

Vtrum cenſura lata per metum incuſſum Iudici, ſit valida, nec ne?

DIFFIC. XLVIII.

Diſtinguunt aliqui, quod ſi metus ſit cadens in conſtantem virum, quia æquiparatur omnino apertæ violentiæ, facit conſequenter omnino inuoluntarium, quia autem in cenſuram ferente requiritur intentio ferendi, & metu cadente in conſtantem virum compulſus iudex ferre cenſuram inuoluntariè, & contra intentionem eam infligit, ergo omnino nullam putant, quod ſi metus ſit paruus, nec cadens in conſtantem virum, quia non facit verum inuoluntarium, ſed ſolum, quid præter intentionem, non autem contra intentionē, ſed habet aliquid voluntarij inferenda cenſura, validam putant tali metu inflictam cenſuram. Ita *Vgol. & alij apud ipſam Tab. 1. cap. 2. §. 4.*

Alij tamen abſolutè volunt cenſuram latam etiam per metum cadentem in conſtantem virum validam eſſe, quia licet inuoluntariè, ferat metu tali percuſſus, attamen habet veram intentionem eam ferendi, licet ſi poſſet non ferret, fert tamen compulſus intendens ferre cenſuram; nec inuenitur in iure poſitiuo metum quemcumque grauem iudici incuſſum annullare ſententiam ab eo per talem metum prolatam, & vulgariter fertur iuſta per metum facta valida eſſe *ex l. ſi mulier §. ſi metu ff. de eo qui metus cauſa.*

Tu autem in iſta difficultate dic conſequenter ad ea, quæ infra dicentur in hoc titulo diffic. 8. vbi iterum examinabitur diſtinctius.

Vtrum cenſura validè, & licitè ferantur in die feſto.

DIFFIC. XLIX.

Dico primo, quod certum eſt apud omnes cenſuras non licitè ferri in die feſto, quod colligitur ex cōſtitutione Sūmi Pontificis, vel ex locis, & Eccleſiæ legitima conſuetudine, quia cum cenſuræ prolatio prærequirat cauſæ cognitionem, & cauſæ cognitio non poſſit fieri in die feſto, cum in ipſo ceſſare debeat ſtrepitus iudicij, ſequitur, quod illicitè in die feſto fertur cenſura, quare debet ſolum ferri in die feriali. Ita communiter.

Dico ſecundo, quod cenſuræ, quæ non requirunt cauſæ cognitionem validè feruntur etiam die feſto, quia cum non ſit neceſſarius ſtrepitus iudicij, non prohibentur fulminari. Ita *Suar. de relig. T. 1. tract. 2. cap. 30. & Vgol. Tab. 1. cap. vltim. & Bon. sec. loc. cit.* quod ſi requiratur cognitio cauſæ, nullam eſſe volunt latam in die feſto cenſuram propter reuerentiam diei feſti, in quo debet ceſſare omnis ſtrepitus, & fidelium mentes quieſcere in obſeruantia cultus diuini; quod ſi vrgeat neceſſitas, cum diſpenſatione fulminanda eſt poſt cauſæ cognitionem factam cum omni, qua fieri poteſt, quiete.

Vtrum ſuperior teneatur denunciare excommunicatum, & quis iſte ſit ſuperior, qui poteſt denunciare.

DIFFIC. L.

Dico primo, quod non ſemper tenetur ſuperior excommunicatum denunciare ita ſtrictè, vt aliquo in caſu, ſi prætermittat, non peccet, nam in c. curæ 11. q. 1. non præcipitur abſolutè, Prælato, vt denunciet excommunicatum, ſed ait ſolum, vt curæ, eius ſit ipſum denunciare .i. vt explicant Doctores, quod curet denunciare excommunicatum, ſi ita poſtulet ratio boni communis, honoris Eccleſiaſtici, & vtilitas perſonæ excommunicatæ, quare ſi ex denunciatione poſſet oriri aliquod ſcandalum, vel damnum contra bonum commune, vel etiam contra priuatam perſonam, vel reſultaret aliquod dedecus contra Eccleſiam, non debet excommunicatum denunciare. Ita *Suar. diſp. 3. ſect. 14. Alter. l. 3. diſp. 5. cap. 2. dub. 2. & Bonac. punct. 12. loc. cit.* quando ergo Prælatus cognoſcit ex denunciatione emendandum excommunicatum, tenetur denunciare, *ex cap. conqueſti de ſent. excomm.*

Dico ſecundo, quod ſuperior ad quem ſpectat denunciare excommunicatum regulariter eſt ille, qui eam tulit, vel alius de eius mandato, immo Epiſcopus etiam in cuius territorio commiſſum eſt crimen ſub excommunicatione prohibitum, poteſt denunciare excommunicatum huiuſmodi delinquentem, quia ratione delicti commiſſi in ſuo territorio factus eſt ſibi in hoc ſubditus, ex *Clem. 2. verſic. locorum de pœnis, & cap. de illis 6. quæſt. 1. Ita etiam Suar. Alter. & Bonacc. loco citat.* Immo *Vgolinus* addit, quod à quocumque ſuperiore excommunicatus denunciari poteſt, ſi conſtet ita notoriè commiſſum fuiſſe ab eo peccatum cenſura prohibitum, & nulla tergiuerſatione cælari valeat.

Aduertè tamen, quod antequam denuncietur debet moneri, & citari, quare non debeat pro tali crimine commiſſo denunciari, & lata ſententia criminis declaratoria procedere debet ad denunciationem, vt habetur in c. peruenit primo, & c. conſuluiſti de appellatione, quia cum denunciatio talis ſit executio pœnæ, fieret iniuria Reo, ſi inaudita parte id fiat, quantumcumque crimen ſit notorium, & nullam excuſationem Reus afferre valeat, deinde, ſi denuncietur, poſtquam legitimè monitus ſe purgare nequiuerit. Ita ex noſtro *Fauent. in 4. diſt. 25. loc. cit. Couar. in cap. Alma mater cap. 1. §. 1. Suar. Alter. Bonac. & Filiuc. loc. cit.*

Dico tertio, quod cum cenſura medicinalis ſit, & ad correctionem, & ſalutem principaliter inſtituta, vt patet ex *D. Paulo 1. Corint. 1.* (vt reſurgat à peccato, & ſaluus fiat in die Domini) ſequitur, quod Prælatus, & iudex non debet excommunicare, quando moraliter certus eſt non profuturam cenſuram ad hoc, vt peccator à peccato reſurgat, & in meliorem vitam ſe recipiat, & reſipiſcat, fruſtra enim adhibetur Medicina, in quo ſalus omnino deſperatur.

Quod ſi cenſura talem obſtinatum peccatorem ferretur ad terrorem aliorum, vt ita alij admoniti aliorum periculo à vitijs facilius ſe retrahant, poſſet licitè ferri contra huiuſmodi obſtinatum, quia ſi ipſi non prodeſt, prodeſt tamen alijs. *Ita Abb. in cap. ab excommunicatio num. 20. de Reſcript. Couar. in cap. Alma mater cap. 1. Alter. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum ignorantia inuincibilis, ſeu probabilis iuris communis, & particularis excuſet ab incurrenda cenſura?

DIFFIC. LI.

Communius Doctores excuſant ab incurrenda cenſura ignorantia iuris communis, & particularis etiam pro-

babili, & inuincibili laborantem, & colligitur *ex cap. 2. de conſtitution. in 6.* ignorantia enim inuincibilis, & probabilis eſt illa, quæ nunquam tolli potuit, vel quia nunquam audiuit, vel nunquam cogitauit, vel nunquam dubitauit ad eſſe cenſuram annexam tali actui, & ſi dubitauit, diligentiam adhibuit ad cognoſcendum, vtrum adfuerit cenſura, & poſita diligentia ſcire non potuit eſſe annexam cenſuram, vnde hæc ignorantia inuincibilis, & probabilis dici ſolet omnino inculpabilis, & ſine peccato, vbi ergo non eſt peccatum, non poteſt eſſe cenſura, hæc enim contra contumaces tranſgreſſores præcepti ſub ipſa lati incurritur, ignorans autem inculpabiliter cenſuram in eſſe actui, non eſt contumax tranſgreſſor talis actus ſub cenſura prohibiti, ergo non incurrit cenſuram, ſicut enim hæc ignorantia excuſat à peccato, ita etiam à cenſura. Ita noſter *Ang. V. excomm. 7. §. 3. noſter Fauentinus in 4. diſt. 25. diſp. 4. cap. 3. num. 101. Sylu. V. excomm. 2. not. 3. Nauarr. cap. 27. num. 16. & cap. 23. num. 47. Couarr. in cap. Alma mater, p. 1. §. 10. Suar. diſp. 4. ſect. 8. Molyna tractat. 5. diſput. 71. Sayr. l. 1. cap. 18. Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 1. Vgolin. Tab. 1. c. 9. §. 8. Valent. T. 4. diſp. 7. q. 17. p. 7. Filluc. q. 9. & alij.*

Vtrum ſciens actum prohibitum lege naturali, vel diuina, ignorans tamen inuincibiliter, ſeu probabiliter eſſe cenſuræ ſubiectum, ſicut non excuſatur à peccato, ita nec à cenſura excuſetur?

DIFFIC. LII.

NEgant multi ſcientem actum eſſe peccaminoſum, inuincibiliter tamen ignorantem eſſe ſubiectum excommunicationi inuincibiliter, excuſari à tali ignorantia ab incurrenda cenſura, & probant, quia ruſticus ſciens adulterium eſſe peccatum, ignorans tamen ſubiacere pœnæ capitis, eam incurrit, nec excuſatur ab ignorantia iuris, ita etiam ſciens actum eſſe peccaminoſum, ignorans tamen eſſe cenſuræ ſuppoſitum, incurrit in eam, quia ſcientia peccati debet eum admonere, vt inquirat, an pœnæ ſpiritualis cenſuræ ſubiaceat; ſcire enim, & debere ſcire volunt æquiparari. Ita *Couarr. in c. Alma mater part. 1. §. 10. Auila 2. part. capit. 5. diſput. 5. dub. 10. & alij apud ipſos.*

Affirmatur tamen excuſari ſcientem actum peccaminoſum ignorantem tamen inuincibiliter eſſe annexum eum cenſuræ, quia contra præceptum poſitiuum Eccleſiæ, & ſuperioris non eſt contumax, qui ignorat inuincibiliter eſſe tale peccatum prohibitum ſub cenſura, ergo licet offendat ius diuinum, vel naturale patrando tale peccatum, non tamen offendit ſuperiorem prohibentem talem actum ſub excommunicatione, propter contumaciam enim contra præceptum ſuperioris incurrere volunt præcipuè cenſuram. Ita noſter *Fauent. in 4. diſt. 25. diſp. 4. cap. 3. num. 102. Portell. V. Ignorantia num. 29. & 21. qui citat etiam pro hac opin. Rodr. & Corduba l. 2. quæſt. 27. Nauarr. cap. 17. num. 272. Sylu. V. excomm. vltim. quæſt. 3. Vaſq. de excomm. dub. 18. Filluc. cap. 8. quæſt. 10. Suar. diſp. 4. ſect. 8. & alij.*

Diſtinguunt tamen alij in hoc caſu, volentes, quod excomunicationes ordinariæ, quæ paſſim circumferuntur tanquam notoriæ, puta excommunicatio, quæ incurritur ab eis, qui contrahunt in gradu prohibito, ſimiliter excommunicatio lata contra percuſſorem Clerici, & ſimiles, non excuſant ignorantem eas ignorantia inuincibili, quia lata eſt culpa ignorare ea, quæ ſolent ſcire paſſim homines idiotæ, & infimæ conditionis, & notorie circumferri ſolent, quod enim ignorantia inuincibilis ſit circa eas cenſuras, quæ paſſim non circumferentur, ſed ſcriptæ ſunt in iure communi, vel in ſtatutis particularibus, excuſat ab earum incurſione ignorantes inuincibiliter, modo ex officio non teneantur eas ſcire; quia in hoc caſu contemneret iura Eccleſiaſtica, qui tenetur ea ſcire ex officio, & non curat ſcire. Ita noſter *Angelus V. excomm. 7. §. 3. & alij.*

Ceterum licet ſit æqua nimis, hæc diſtinctio noſtri Angeli, attamen videtur ſupponere non poſſe dari ignorantiam inuincibilem cenſurarum, quæ paſſim vulgantur, in Eccleſijs, & notoriè videntur, ſicut etiam ſupponere videtur, ex officio obligatum ſcire cenſuras non poſſe inuincibiliter ignorare eas.

Attamen poteſt ſanè dari homo ita rudis, & idiota, vt etiam communes dictas neſciat excommunicationes, ſi habitet inter rudes, & idiotas, quia poteſt fieri, vt nunquam audiuerit, vel cogitauerit, vel nunquam dubitauerit, & ſi dubitauit, quod fecerit eam diligentiam, quam potuit, adhuc dicitur omnino ignorans inuincibiliter, & inculpabiliter, ergo non incurrit, dum culpa, & contumacia caret, ita etiam obligatus ex officio aliquam excommunicationem abſtruſam, & communiter non ventilatam poteſt vtique facta diligentia inuincibiliter etiam ignorare, itaque poſſunt etiam excuſari rudes ſi communes inuincibiliter ignorent excommunicationes, nec obſtat, quod ſcire, & debere ſcire æquiparantur, nam non eſſe vniuerſaliter veram oſtendetur infra V. Ignorantia, non enim quis tenetur ſcire, cuius cognitionem ſine dolo, & culpa aſſequi non poteſt.

Nec obſtat, quod lex ciuilis punit ignorantem etiam inuincibiliter pœnam à iure poſitam ſi delictum committat, quia iura non requirunt contumaciam in pœna infligenda, ſed ſufficit delictum eſſe commiſſum, alias pœnas in foro fori vnuſquiſque ſubterfugeret, at vero Eccleſia non intendit infligere cenſuras, quæ pœnæ ſunt ſpirituales niſi contra contumaces ſuo præcepto, qui ergo inuincibiliter ignorat tale præceptum ſub cenſura prohibitum, non eſt contumax contra Eccleſiam.

Dices: tranſgrediens præceptum ſub excommunicatione in iure prohibitum non reputatur contumax, ergo non requiritur contumacia ad incurrendam talem excommunicationem.

Reſpondens, quod non requiritur contumacia iuridica, ſed contumacia ea, quæ dicitur inobedientia contra præceptum Eccleſiæ, quod tranſgrediens contemnit, & dicitur talis contumacia virtualis, intimatur enim præceptum ſub excommunicatione, vt vnuſquiſque abſtineat, tranſgreſſor ergo ſciens tale præceptum contumax, & inobediens eſt præcepto Eccleſiæ, ignorans autem non eſt inobediens, nec contumax, & ideo non punitur tali cenſura.

Vel dic cum Nauar. c. 27. num. 174. quod ignorans non excuſatur à pœna ordinaria, bene tamen ab extraordinaria, cenſura autem pœna eſt extraordinaria, quod etiam docent probabiliter *Sanch. in op. mor. l. 2. cap. 10. Suar. diſp. 4. ſect. 9. & Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 2.*

Vtrum cenſuram incurrat laborans ignorantia facti, & qualitatis facti inuincibiliter, ſeu probabiliter.

DIFFIC. LIII.

COmmunius affirmant excuſari laborantem ignorantia facti, vel qualitatis facti inuincibiliter à cenſura, vt colligitur ex cap. ſi vero de ſent. excomm. quia interueniente tali ignorantia non adeſt contumacia, nec contemptus præcepti Eccleſiaſtici, & hoc verum putant ſi tranſgrediens daret operam rei illicitæ, vt patet ex cap. ſi vero citato, in quo excuſatur ab excommunicatione occidens clericum, quem inuincibiliter neſciebat eſſe clericum, eo quod comam geſtabat, ex qua doctrina patet occidentem clericum, quem certè putabat feram, & inuincibiliter ignorabat eſſe clericum, non incurrere excommunicationem propter eandem rationem. Ita ex noſtro *Ang. loco cit. verſus finem, Cord. l. 99. q. 26. Molyn. diſp. 53. Sot. in 4. diſt. inſt. 22. q. 1. artic. 2. Vaſq. dub. 14. Reginald. l. 9. Salas de leg. diſput. 15. ſect. 9. Alter. & Bonac. loco ſupra cit.*

Vtrum aliquando etiam excuſet à cenſura incurrenda ignorantia culpabilis, & vincibilis.

DIFFIC. LIV.

DIſtinguendum videtur, nam triplex datur ignorantia vincibilis, & culpabilis, prima eſt, quæ prouenit ex negligentia graui, quæ ſufficiat ad mortale, potens enim, & debens ſcire, attamen negligit ſcire, quia non adhibet omnem diligentiam, quam ſolent adhibere homines diligentes, & graues, ſed ſolum leuem adhibuit curam in ſciendo, quod tenetur, hæc ergo dicitur vincibilis ignorantia, quia potuiſſet vinci, ſi adhibuiſſet eam diligentiam, quam potuiſſet, & debuiſſet, & quam alij diligentes, & graues adhibent, atque adeo hæc ignorantia eſt omnino culpabilis.

Secunda ignorantia dicitur ſupina, & craſſa, quia ſcilicet

rem

Digitized by Google

rem clariſſimam, quam omnes ſciunt, negligit, quis ſcire, & nullam prorſus adhibet diligentiam in ea ſcienda.

Tertia ignorantia dicitur affectata, qua ſcil. potuit, & debuit ſcire aliquam rem, ſed noluit ſcire data opera, vt liberius peccaret.

Differunt autem hæ tres Ignorantiæ inter ſe affectata enim differt à ſupina, quia affectata eſt directè volita, ſupina vero ſolum indirectè; differt vero ignorantia primo modo à ſupina, & affectata, quia ſupina, & affectata nullam admittit diligentiam in ſciendo, at vero prima ignorantia admittit aliquam ſufficientiam, ſed non ſufficientem, quare culpabilis eſt prima ignorantia, ſed non eſt culpabilis cũ dolo, ſed ſolum ex omiſſione maioris diligentiæ, at vero ignorantia ſupina, & affectata eſt culpabilis cum dolo, & quidem ſupina, & craſſa cum dolo virtualiter ſaltem, affectata verſo cum dolo expreſsè. Itaque poſita hac diſtinctione.

Dico primo, quod ignorantia craſſa, & ſupina tam iuris, quam facti non excuſat à cenſuris, vt colligitur ex cap. vt animarum de conſtitut. in 6. quia talis ignorantia non excuſatur à cõtemptu & contumacia, quia negligit ſcire, quod debet, & poteſt ſcire, ergo doloſè contẽnit ſcire, quod debet ſcilicet ad eſſe cenſuram annexam tali præcepto, culpabilis ergo doloſè eſt iſta negligentia, ergo non excuſat.

Tanto minus excuſat ignorantia affectata, quæ expreſsè eſt doloſa, & turpius culpabilis.

Itaque ignorans ignorantia ſupina, & craſſa, vel affectata actui annexam eſſe cenſuram non excuſatur, ſed incidit, quia doloſè contemnit cenſuram Eccleſiaſticam. Ita noſtri Fauẽtinus, & Rodr. loc. cit. Portel v. ignorantia n. 5. Molin. Sanch. Auila, Bonac. locis cit.

Dico ſecundo, quod licet Suar & Sot. loc. cit. videantur velle non poſſe dari ignorantiam vincibilem quæ excuſet a cenſura putantes ignorantiam primo modo dum non excuſat à peccato, nec excuſare à cenſura, & probabiliter, quia iam adeſt materia cenſuræ, dũ adeſt peccatum mortale in tali ignorantia.

Attamen probabiliter etiam dici poteſt excuſare ignorantiam primo modo .ſ. vincibilem, & peccaminoſam, quia non fuit adhibita maior diligentia, quam diligentes, & graues viri ſolent adhibere, ſed ſolum leuem in ſciendo, an talis actus cenſuræ ſubiaceret nec ne; quia in cap. præfato Animarum, ſupina, & craſſa damnatur ignorantia, nec excuſatur ab incurrenda cenſura, quia doloſa eſt, & in contemptum Eccleſiaſtici præcepti, ergo cum ignorantia ſimpliciter vincibilis non ſit doloſa, nec in contemptum Eccleſiaſtici præcepti, ſed ſolum ratione maioris diligentiæ omiſſę, eſt culpabilis, videtur probabiliter excuſare à cenſura incurrenda. Ita noſter *Portell. loc. cit. Sanchez in oper. mor. lib. 2 cap. 10. Nauar. cap. 27. num. 274. Bonac. diſput. 1. quæſt. 2. p. 1. Sylu. V. culpa quæſtio. 11. §. 14. in fin. Mariol. l. 5 de irregular. l. 48. §. 3. Vualld. in crudel. tract. de irregul. n. 265. & alii.*

Vtrum cenſuram latam ſub hac, vel ſimili forma, contra quemcumque, qui ſcienter, temerè, conſulto præſumpſerit talem actum ſub cenſura vetitum incurrat eam ignorans ignorantia craſſa, & ſupina, vel affectata.

DIFFIC. LV.

Dico primo, quod communius volunt non incurrere cenſuram ſub dictis clauſulis latam ignorantem eam ignorantia craſſa, & ſupina, quia taliter ignorans, nec temerè, nec conſulto, nec ſcienter, nec ex contemptu tranſgreditur præceptum ſub tali cenſura latam, qui n. ignorat actum ſub cenſura non dicitur ſcienter, conſulto, & temerè præceptum tranſgredi in contemptum cenſuræ. Ita noſter *Angelus verb. dolus §. 1. Sylu. v. culpa Bonac. loc. cit. Merolla diſp. 1. c. 2. dub. 6. & Diana tract. miſc. 6. reſol. 3. parte 3. & aly.*

Dico ſecundo, quod probabiliter docent multi ignorantia affectata laborantem incurrere cenſurã latam ſub prædictis clauſulis, temerè, ſcienter, conſulto, quia ignorantia affectata auget culpam, quia nimis doloſa eſt, & dolus nemini debet patrocinari, vnde negligens ſcire præceptum, vt liberius contra ipſum faciat, videtur ſcienter, temerè, & conſulto ignorare, & contemnere præceptum. Ita noſter Portel. loc. cit. *Graff. in deciſ. T. 1. lib. 4. cap. 9 Molin. tract. 5. diſp. 71. Henriq. l. 13. cap. 23. Suar. 4. p. diſput. 5. Layman in Theol. mor. libr. 5. tract. 5. & alii:* probabiliter inquam ſaltem ex præſumptione, quia affectate negligens ſcire, quod debet, præſumi debet, quod ſcienter, & temerè contemnat præceptum ſub cenſura, quum ita affectate negligit ſcire.

Attamen etiam puto dicendum probabiliter ignorantem ignorantia vera affectata non incurrere cenſuram latam ſub præfatis clauſulis ſcienter, conſulto, & temerè, quia ad incurrendam talem cenſuram requiritur vera ſcientia, & voluntas contemnendi actu cenſuram, & præceptum, nam cum ſimus in odioſis, facienda eſt ſtricta interpretatio verborum, nec extendenda, qui autem ignorat quantalibet ignorantia affectata dicitur verè neſcire cenſuram, & acta cauſa verè nõ contemnit, nec enim dicitur verè contemni, quod neſcitur prohibitum, ergo verè non incurrit cenſuram contra ſcienter, conſultò, & temerè, præceptum tranſgredientes, intentio enim ferentis apparet, quod ignorantes nullo modo vult ligare dum ſolum contra ſcienter, conſultò, & temerè tranſgredientes præceptum ſub cenſura intendit afficere. Ita *Bonac. de cenſ. diſput. 1. q. 2. p. 1. Sanch. in opere mor. l. 2. cap. 10. licet iſte Doctor contrarium doceat l. 7. de matrim. diſput. 48. & l. 9. diſput. 32. Filiuc. T. 2. tract. 22. cap. 7. Duard. in B. C. lib. 2. quæſt. 36. Diana p. 3 tract 6. miſc. reſ. 2. & alii.*

Vtrum ignorans ignorantia comitante prohibitum ſub cenſura, incurrat eam ſi tranſgrediatur tale præceptum.

DIFFIC. LVI.

IGnorantia comitante laborare dicitur ille, qui ſi ſciuiſſet, quod ignorabat, adhuc feciſſet ſcienter, quod ignoranter fecit, puta Petrus occidit Clericum, quem neſciebat verè eſſe Clericum, ſed feram putabat, attamen ſi ſciuiſſet Clericum, adhuc occidiſſet.

Affirmant ergo aliqui ignorantem ignorantia comitante tranſgrediendo præceptum ſub cẽſura prohibitum incurrere in cenſuram, & conſequenter Petrum in dicto caſu tali ignorantia occidentem Clericum incurrere in excommunicationem, quia actus externus concomitatur ab actu interno virtuali occidendi Clericum. Ita Couarr. in c. Alma mater p. 1. §. 10. Vgol. tab. 1. q. 1. §. 6. Sayr. l. 1. c. 18. & alij.

Probabilius tamen videtur dicendum non incurrere ignorantia comitante tranſgredientem præceptum ſub cenſura, & conſequenter Petrum in tali caſu non incidere in excommunicationem, quia verè actu externo non peccat contra cenſuram, vnde non eſt contumax hic, & nunc contra cenſuram, ad incurrendam autem cẽſuram requiritur actus internus malitioſus hic, & nunc tranſgrediendi ſub cenſura vetitus, quem hic, & nunc occidẽs Clericum, quem verè neſciebat eſſe Clericum, ſed feram, nõ peccat actu interno malitioſo contra præceptum ſub cenſura prohibitum ergo verè non incurrit cenſuram ignorans ignorantia comitante actum à ſe fieri prohibitum ſua cenſura. Ita noſter *Portel loc. cit. nu. 24. Vaſq. c 2. q. 67. ar. 4. & diſp. 126. & de excomm. dub. 14. Suarez diſp. 4. ſect. 8. Bonac. loc. cit. Filiuc. c. 8. quæſt. 9. Molin. diſp. 53. T. 4. & l. 6. tract. 5. diſp. 21. Sanch. vbi ſupra, & alii: ex qua doctrina.*

Collige, quod proijciens ſaxum ad percutendum Mutium Clericum, caſu autem percuſſit Petrum Clericum, non eſt excommunicatus, quia omnino inculpabiliter percuſſit Petrum Clericum, quam amplia, verum ſi volens percutere Mutium Clericum cum errare manus percutiat Petrum Clericũ, modo adhibuerit diligentiam, ne manus percutiens perueniret ad Petrum Clericum, quia vbi non eſt culpa, non eſt cenſura. Ita noſter Portel. vbi ſupra n. 25. Suar. diſp. 22. ſect. 1. Sayr. l. 2. c. 28. & Bonac. loc. cit.

Econtra autem, ſi quis percutiat Mutium Clericum, quem credit eſſe Petrum Clericum licet Sanch. Molina, & Bonac. velint, quod incurrat in cenſuram, quia habet animum, percutiendi Clericum, & verè percutit Clericum, licet non percutiat eum, quem vellet percutere, & iam facta eſt ſcienter iniuria Clericali ſtatui.

Attamen noſter Portel loc. cit. & v. manus violenta n. 9. videtur negare iſtam in hoc caſu incurrere excommunicationem ex quadam declaratione Sac. Congreg. Concil Trid. quæ habetur in 4. T. declarationum impreſſo ex Bibliothec Farinacij,

nacij, in qua reſoluitur, quod occidere mandans Ioannem, ſi mandatarius occidat Petrum non incurrit irregularitatem, quia mandans omnino innocens eſt, reſpectu mortis Petri, ergo etiam à pari cum percutiens Mutium Clericum non intendat percutere Mutium, ſed Petrum, eſt omnino innocens reſpectu percuſſionis Mutij.

Collige ſecũdo, quod ſi quis percutiat Clericum, quem neſcit eſſe Clericum, attamen percutit cum hac intentione dicens, ego volo percutere hunc hominem, qui eſt laicus, & ſi eſſet Clericus volo eum etiam percutere, incidit in cenſuram, quia hic non excuſatur ab ignorantia comitante, quia hæc non habet actum reflexum actualem, vt patet ſupra, atque adeo non eſt culpabilis, in hoc autem actu adeſt actus reflexus contra præceptum prohibitum ſub cenſura, vt patet. Ita etiam Suar. Bonac. Sanch. loc. cit.

Aduerte hic etiam humaniſſime lector, quod omnia, quæ dicta ſunt de ignorantia reſpectu cenſuræ, poteris applicare ad ea, quæ fiunt contra præceptum vetitum ſub cenſura ex in aduertentia, inconſideratione, & obliuione, æquiparantur enim in hac materia ignorantia obliuio, inaduertentia, & inconſideratio.

Vtrum erroneè credens percuſſionem laici ſubiacere excommunicationi, ſi actu percutiat cum hac erroneitate clericum incidat in excommunicationem.

DIFFIC. LVII.

Negandum abſolutè cenſeo, quia erroneam conſcientiam inducere cenſuras non reperitur in iure ſcriptum, nec poteſt aliqua ratione probari erroneam conſcientiam tribuere iuriſdictionem ad cenſuras affligendas abſque intentione habentis poteſtatem, adde quod cenſura lata ad prohibendum actum externum regulariter non poteſt incurri ab eo, qui habet actum internum malũ ſine opere externo, hinc percutiens laicum erroneè putãs ſubiacere excommunicationi talem percuſſionem non incidit, quia actus æternus percuſſionis laici non eſt ſub cenſura prohibitus, actus autem internus malus erroneus nõ punitur à ferente cenſuram, ſi non adſit actus internus ab eo ſub cenſura prohibitus, quia nullo ferente, nec à iure aliquo id innenitur declaratum.

Nec obſtat, quod conſcientia erronea poteſt facere peccatum, id quod non eſt peccatum, ergo poteſt facere cenſuram vbi non eſt, nam eſt diſpar ratio, quia ad faciendum de non mortali mortale, ſufficit, quod voluntas deordinet actum, & in poteſtate voluntatis eſt deordinare actum, & reddere malitioſum, at vero ad faciendam cenſuram requiritur iuriſdictio, & intentio ferentis, & non eſt ſub poteſtate voluntatis delinquentis facere cenſuram, iure ergo dicendum conſcientiam erroneam putantis percuſſionem laici ſubiacere excommunicationi non ſubiacere cenſuræ, quia non adeſt in tali conſcientia erronea contumacia, & contemptus contra iuriſdictionem ferentis, nec adeſt intentio ferentis ligare ſub cenſura talem actum erroneum. Ita etiam noſter *Rodriq. T. 1. q. 6. ar. 7. Sanch. l. 9. de matr. diſp. 32. Suarez diſp. 22. ſect. 1. Sal. de leg. diſp. 13. ſect. 4. & Bonac. loco ſuperius cit.*

Vtrum per appellationem ſuſpendatur effectus cenſuræ iam à iudice latæ.

DIFFIC. LVIII.

Dico primo, quod cenſura lata ſub conditione, puta ſi nõ comparueris intra menſem ſis excommunicatus, ſuſpenditur per legitimam præcedentem appellationem, antequam cõditio adimpleatur, quare ſi appellet ante menſem ad legitimum ſuperiorẽ non incurritur excommunicationẽ, quia per appellationem legitimam ad legitimum ſuperiorem, deſinit Reus eſſe ſubditus Iudicis, à quo lata fuit cenſura, ergo ſuper talem Reum Iudex amittit iuriſdictionem, ſine qua excommunicatio lata nulla eſt. Ita habetur in c. præterea 2. & in ca. Paſtoralis de appell.

Adde, quod ſi non proſequatur appellatio adhuc data iam, & accepta appellatione adhuc cenſura Iudicis, à quo prius fuit lata cenſura nulla eſt, quia pendente appellatione prior Iudex nullam habet iuriſdictionem in appellantem. Ita Couar. *in c. Alma mater l. p. c. 10. Vgol. Tab. 1. c. 13. Alter. l. 3. diſ. 5. c. 1. Sayr. Aula, & Bonac. loc. infra citandis.*

Dico ſecundo, quod cenſura abſolutè lata ipſo facto, vel poſt purificatam conditionem iam incurſa non ſuſpenditur per appellationem ſubſequentem, quia excommunicatio ipſo facto ſtatim immediatè afficit poſt tranſgreſſionem præcepti abſolutè prolati ſub cenſura, & poſt conditionem iam purificatam, ab excommunicatione autem iam incurſa non datur appellatio, ex *cap. 15. cui § fin. de ſentent. excomm. in 6. Ita noſter Ang. V. appell. nu. 1. & V. excomm. 3. § 9. Nauar. c. 27. n. 159. Aula 2. p. c. 5. diſp. 5. Sayr. l. 1. c. 16. Bonac. de cenſ. diſput. 1. q. 2. p. 2. Vgol. loc. cit.*

Aduertunt tamen Abb. in c. ad reprimendum de off. ordin. Alter. T. 2. diſp. 6. c. 2. & alij, quod appellatio ſubſequens ad cẽſuram iam incurſam abſolutè, vel poſt purificatam conditionem, licet non habeat vim ſuſpendendi immediatè effectum excommunicationis, habet tamen vim deuoluendi cauſam ad Superiorem, vt de iuſtitia excommunicationis iudicet, & vt notat *Bonac.* eſt potius remedium per viam nullitatis declarandæ, quam vera appellatio, vt colligitur ex *c. ſacro de offic. ordin.*

Aduertunt etiam hic Religioſi, quod non datur ipſis appellatio, ne corrigantur ſecundum Regulam, quam profitentur, vt patet ex c. ad noſtrum & ex c. reprehenſibilis de appell. ſicut etiam in cauſis fidei nullã dari legitimam appellationem docent noſter *Portel. V. appellatio, Suar. & Bonac. loc. cit.*

Dico tertio, quod ſi dubitetur, an appellatio præceſſerit excommunicationis incurſionem, an vero fuerit ſubſecuta, potius dicendum præceſſiſſe excommunicationis incurſionem, & ſubſecutam appellationem, & conſequenter Reum eſſe cẽſura ligatum, quia poſſeſſio ſtat pro cenſura, quæ certò lata eſt, incumbit autem Reo probare præceſſiſſe appellationem, in dubio autem potior eſt conditio poſſidentis. Ita *Couarr. in c. alma mater p. 1. § 10. Bonac. & Sayr. loc. cit.*

Vtrum à cenſuræ declaratoria ſententia appellari licite valeat.

DIFFIC. LIX.

Diſtinguendum puto, nam, vel crimen eſt ita notorium, propter quod incurſa eſt cenſ[u]ra, vt nulla tergiuerſatione celari queat, non eſt valida appellatio ab eius ſententia declaratoria, quia friuola eſt, & potius ad eludendam iuſtitiam, quam iuxta terminos iuſtitiæ affertur talis appellatio, vnde non ſuſpendit effectum declaratoriç, quod ſi crimen non ſit ita notoriè clarum, ſed poſſit iuxta terminos iuris defendi non eſſe incurſum delinquentem, poteſt vtique licitè appellare à declaratoria, & poſt appellationem legitimam ſuſpenditur effectus declaratoriæ. Ita noſt. Ang. v. appell. § 5. Suarez, Bonac. Alter. & Filiuc. & Couarr. loc. cit.

Quare poſt legitimã hanc appellationem valida ſunt geſta appellantis, quia poſt appellationem habetur, vt toleratus.

Aduertendum etiam eſt in hac materia appellationis, quod ſi quis neſciens appellare ſe tradat protegendum Papæ, & Romam verſus viam arripiat, dicitur vere appellaſſe, & frui debet priuilegio appellationis, vt patet ex c. ad audientiam de Appellat. & c. dilecti filij 1. de dolo, & contum. quia æquiualet hic recurſus veræ appellationi, modo adſit iuſta cauſa, & fiat debito tẽpore, vnde potius appareat, ſi fiat abſque cauſa, & poſt longum tempus eluſio iuſtitiæ, quã iuſtus recurſus ad ſuperiorem. Porrò requiritur appellatio, vt ſcripto, fiat coram Iudice dicendo, nolo coram te litigare, quia me grauaſti, volo adire ſuperiorem, peto Apoſtolos, & ſimilia, quibus appellatio intimatur. Ita Sayr. Bonac. & Filiuc. loc. cit.

Vtrum ab incurrenda cenſura excuſet impotentia etiam moralis faciendi præceptum ſub cenſura.

DIFFIC. LX.

Dico primo, quod certum eſt impotentiam naturalem excuſare ab incurſione in cenſuram, quia ad impoſſibile nemo tenetur *l. impoſſibilium ff. de reg. iuris*, ſicut enim impotentia excuſat à peccato, ita etiam à cenſura.

Vnde ſi præcipiatur ſub cenſura, vt quis reſtituat malè ablatum, ſi omnino ſit impotens factus ad reſtituendum, reſque mala ablata ſit iam conſumpta, nec habeat aliundè, quid pro ea reſtituat, non incurrit excommunicationem. Ita communiter. Immò

Dico ſecundo, quod habens impotentiam moralem faciendi,

plendi, quod præcipitur ſub cenſura, excuſatur etiam ab eius incurſione, dicitur autem habere impotentiam moralem, qui non poteſt facere præceptum ſub cenſura ſine graui, & euidenti incommodo bonorum ſuperioris ordinis, quia Eccleſia tanquam pia mater non præſumitur obligare cu:o tanto incommodo bonorum ſuperioris ordinis.

Quare ſi quis iuſſus reſtituere ſub excommunicatione nequeat ſine graui, & euidenti incommodo, vel iactura bonorũ Superioris ordinis, ſicut etiam iuſſus ſoluere penſionem, & nequeat ſine graui, & euidenti incommodo bonorum ſuperioris ordinis neuter incidit in cenſuram ſi non reſtituat, vel ſoluat, quia vterque dicitur laborare impotentia morali excuſante ab incurſione cenſuræ. Ita noſter *Ang. excommunic. 3.§.15. Cordub. quem citat, & ſequitur Suar. diſput. 20. ſect. 10.3. Filiuc. cap. 8. & Sot. apud Suarez. loc. cit. & Bonacin. de cenſur. diſput. 1. qu. 2. & part. 2.*

Vtrum iuſſus ſub cenſura facere aliquid intra determinatum tempus, & potens in principio illud exequi, ſi præuideat ſe impotentem in termino dato, non exequatur dum poteſt, incidat in cenſuram dum impotens eſt in termino dato.

DIFFIC. LXI.

AFfirmandum videtur, quia tenetur antecipatè præceptũ exequi præuidens in termino executionis eius non poſſe illi ſatisfacere, quando obligatio afficit ſolum terminum, .i. quando in toto termino tenetur exequi, licet .n. in vltima parte termini ſatisfaciens adimpleat præceptum, tamen in qualibet parte termini ſatisfaciens etiam adimplet, cognoſcens ergo ſe impotentem in vltima parte termini, & non ſatisfaciens, dum in aliqua parte ipſius contemnit præceptum, atque adeo ab impotentia non excuſatur in vltima parte termini, ſi inueniatur impotens; vnde poteſt audire Miſſam ſummo mane, ſi præuideat ſe eam non poſſe audire in reliquo tempore, debet ſummo mane audire, alioquin non excuſatur ab impotentia in reliquo tempore ſuperueniens, & ſi ſub cenſura præciperetur audire Miſſam, hic præuidens ſe non poſſe audire in reliquo tempore, ſed ſolum ſummo mane, incidit in excommunicationem, ſi eam non audiat ſummo mane, quia impotentia præuiſa ſuperueniens non excuſat, cum præceptum audiendi Miſſam afficiat à ſummo mane vſque ad nonam, ergo in parte temporis, in quo poteſt, tenetur audire, alioquin cenſuram contemnere videtur.

Ita etiam dicendum de eo, qui iuſſus ſub cenſura ad reſtituendum intra menſem ſi præuideat in termino vltimo mẽſis ſe futurum impotentem, incidit in excommunicationem, ſi non reſtituat, quando poteſt intra menſem. Ita communiter.

An vero, ſi factus iam impotens, antequam elabatur terminus ſub cenſura præfixus doleat, & pœniteat, quod in tempore, quo poterat ſatisfacere, non adimpleuerit præceptum ſub cenſura vetitum incidat in cenſuram elapſo in termino, alij aiunt, alij negant.

Negant Tabiena verb. excommu. 5 caſ. 1. & Innocentius, quem citat, & ſequitur Filiuc. quia tempore, quo debet incurrere cenſuram caret culpa mortali, nec poteſt in illa vltima parte termini dico contumax, quia ex pœnitentia non adimpleti præcepti, quando poterat, monſtrat ſe paratum hic, & nunc adimplendi illud, ſi poſſet, ergo cenſuram non incurrit, & probabiliter, quia non poteſt eſſe cenſura, vbi non eſt peccatum.

Attamen ſentiunt alij in tali caſu pœnitentem, & dolentem de præcepto non adimpleto, quando poterat, adhuc in termino præfixo ſub cenſura ab ipſa innodari, licet non ſatisfaciat ex impotentia, quia licet in animo hic, & nunc non ſit contumax, quia dolet, eſt tamen in cauſa contumax, quod ſufficit ad incurrendam cenſuram. Ita etiam Reginal. & *Leſ. quos citat, & ſequitur Bonacina loc. citat. &* *Suar. diſput. 29 ſect.* 2. nec improbabilis eſt iſta, magis tamen pia prima eſt.

Vtrum metus cadens in conſtantem virum excuſet ab incurſione in cenſuram.

DIFFIC. LXII.

DIco primo, quod certum eſt ſorè communiter, quod præceptum poſitiuum ſeruari iuſſu ne ſub cenſura ex metu graui cadente in conſtantem virum tranſgrediens non incurrit, quia mater Eccleſia ex ſua benignitate in nos ſuos filios non obligat in ſuis præceptis cum periculo vitæ, & honoris, præcepta enim Eccleſiæ ſunt benignè interpretanda, quare ſicut ex vi, & metu tranſgrediens præceptum poſitiuum non intenditur ab Eccleſia obligari ad peccatum, ita nec intẽditur obligari ad cenſuram. Ita noſter *Fauent. in 4. diſt. 25. diſput. 4. c. 3. n. 106. Nauar. c. 27 n. 6. Suar. diſp. 4 ſect. 3. Aurla 2. p. diſp. 8. dub. 5. Salas ad leg. diſp. 11. ſect. 1. Duard. in B.C. l. 1. c. 1. Filiuc. tract. 11. c. 6 q. 4 & Bonac. diſp. 1. q. 2. p. 2. & alij.*

Dico ſecundo, quod certum eſt præceptum diuinum, vel naturale prohibitum etiam ſub cenſura ex metu cadentè in conſtantem virum tranſgredientem peccare mortaliter. & licet Suar. loc. cit. & alij velint incidere etiam in cenſuram, nec excuſari a tali metu, quia metus non excuſans à peccato, non excuſat à cenſura; attamen probabiliter cum Bonacina poteſt excuſari etiam à cenſura, quia licet tranſgrediens præceptum diuinum, vel naturali ex metu graui faciat contra ius diuinũ, & naturale cum debeat potius, quis mori, quam Deum offendere, attamen non eſt contumax contra Eccleſiæ præceptum, quia hæc tanquam pia mater non prætendit ligare ſuis cenſuris, vbi adeſt metus grauis cadens in conſtantem virum.

Dico tamen tertio, quod ſi adſit contemptus Eccleſiæ, vel fidei tranſgrediens ex metu præceptum quodcunque ſiue naturale, ſiue diuinum, ſiue etiam poſitiuum ſub cenſura prohibitum incurrit in cenſuram, quia quando adeſt contemptus fidei, & Eccleſiæ debet potius mors eligi, quam præceptum tranſgredi cum contemptu fidei, & Eccleſiæ, hinc ſi quis in contemptum Religionis Chriſtianæ commioetur, vt ieiunium Quadrageſimale vel ſimile ſi foret ſub excommunicatione vetitum, vt tranſgrediatur, alioquin capite plecteretur, ſi tranſgrederetur, incidet in excommunicationem, quia potius debet mortem excipere, quam in contemptu Sanctę Matris Eccleſię ieiunium frangere, vel carnes vetitas manducare, ita noſter Fauent. Bonac. Suar. & alij, quicquid in contrarium reclamat Salas excuſare conatur etiam in prædicto caſu tranſgredientem præceptum a cenſura, quia in tali caſu præſumitur Eccleſia velle ligare ad vitandum ſui contemptum.

Vtrum à cenſura effectibus excuſet vis, & metus cadens in conſtantem virum.

DIFFIC. LXIII.

DIco primo, quod ab immediatis effectibus cenſuræ, qualis eſt in ex communicatione præcipuè ſuffragijs priuari non excuſat metus, nec vis, quia talem effectum affert ſecum immediatè excommunicatio, attamen loquendo de effectibus mediatis, ſicut participare in diuinis, & in humanis, licet Hoſtienſis videatur negare, quod excuſet vis & metus, attamen communius affirmant, quare abſque ſcrupulo peccati mortalis, & irregularitatis excommunicatus per vim, & metum cadentem in conſtantem virum coactus participare in diuinis, & humanis cum cæteris Chriſti fidelibus, poteſt participare, vnde, qui ex metu probabili perdendæ vitæ, vel amiſſionis grauis bonorum, vel ad tuendam famam, vel ſcãdalum graue vitandum, licet ſit cenſura aliqua innodatus poteſt participare, in diuinis, abſoluere .i. celebrare, ſacrum audire, & cum alijs conuerſari abſque peccati mortalis, & irregularitatis periculo, quia, vt dictum eſt ſupra Sancta Mater Eccleſia pia eſt, & eius præcepta non intendit obligare cũ tanto filiorum ſuorum incommodo. Ita noſter *Corduba in qq. queſt. 137. Sot. in 4. diſt. 22. qu. 1. ar. 4. Henriq. l. 29. cap. 6. Nauarr. cap. 27. num. 339. Azor. par. 1. lib 10. cap. 31. qu. 6. Suarez. diſput. 6 ſect. 2. Sayr. lib. 1. c. 15. Bonac. diſput. 1. q. 2. p. 3. Filiuc. c. 7. q. 7. & c. 8. q. 14. & alij.*

Dico tamen ſecundo, quod ſi adſit contemptus Religionis Chriſtianæ fidei, & Sanctæ matris Eccleſiæ non excuſatur a peccato, & ab irregularitate cenſura innodatus participans in

Digitized by Google

in diuinis, vel in humanis contra effectum cenſuræ, quia in tali caſu contemptus, Eccleſia cum periculo vitæ præſumitur obligare fideles cenſura innodatos ad ſeruandos eius effectus. Ita communiter Doctores citati.

Vtrum cenſuram latam ad inſtantiam partis puta contra Debitorem niſi ſoluat intra menſem, poſſit pars ipſa prorogare terminum, ita vt non cadat in cenſuram tranſacto termino dato à Iudice.

DIFFIC. LXIV.

NEgare videntur *Nauarr. c. 27. n. 25. Vgol. tab. 1. c. 20. §. 6.* quibus videtur adhærere etiam *Sayr. l. 1. c. 11. num. 10.* & probant, quia ſuſpendere cenſuram eſt actus iuriſdictionis, quam non habet pars in ſuſpendenda cenſura, vt patet.

Attamen affirmant alij probabiliter, quia vt notat noſter Vogareli. verb. Excommun. 1. §. 20. ſi h. l. cenſura in tali caſu poſita eſt in fauorem partis, pars autem poteſt renunciare iuri ſuo, & ſuo fauori, vnde ſi pars à Iudice Bannum extorqueret contra aliquem, poſſet ſuſpendere illud Bannum, vt docet *Barbatius in l. 1. §. & poſt operis ff. de nou. op. nu.* & ex Panormitano creditor poteſt remittere iuramentum factum in fauorem ſui à ſuo Debitore, nec indigebit abſolutione, niſi fortè eſſet factum in contemplationem ſolummodo Rei, ergo etiam à pari poteſt Pars ſuſpendere excommunicationem latam in ſui fauorem, ne incurratur à ſuo Debitore tranſacto termino, in arbitrio enim, & voluntate partis præſumitur Iudex ferens cenſuram ad eius inſtantiam velle relinquere poteſtatem ſuſpendendi eam, & prorogandi, vt ſuo Debitori compatiatur.

Confirmatur hæc doctrina ex eo, quia ſi pars debitum ſub cenſura iuſſum ſolui intra menſem remitteret, & condonaret ante elapſum terminum, Debitor non incurreret eam, ergo etiam prorogando obligationem debiti videtur pars prorogare, ne incurratur cenſura, nam cenſura incurritur propter contumaciam, elapſo autem termino Debitor non eſt contumax, dum ſibi prorogatur obligatio ſoluendi poſt terminum ergo non incurrit cenſuram.

Nec obſtat, quod dicunt Aduerſarij, quod ſuſpendere cenſuram non poteſt pars, quia non habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam requiſitam, nam licet non habeat directè hanc iuriſdictionem pars, habet tamen indirectè ex voluntate Iudicis, qui in arbitrio Partis repoſuit hanc poteſtatem, vt poſſit, ſi velit ſuo Debitori hunc fauorem impartiri, & ita rationabiliter præſumi debet de quolibet Iudice ferente cenſuram ad inſtantiam partis, quia in hac materia benigna eſt Sanctæ Mater Eccleſia, & benignè interpretanda eius præcepta, in odioſis enim non eſt facienda ſtricta interpretatio, quare ex interpretata ſaltem poteſtate Iudicis poteſt probabiliter dici, quod Pars licitè prorogare poteſt, ne ſuus Debitor incurrat cenſuram tranſacto termino dato à Iudice, dum ei prorogat obligationem ſoluendi. Ita etiam noſter. *Ang. v. excommun. 1. §. 20. Suar. de cenſ. diſput. 3. ſect. 6. Filiuc. tract. 11. c. 3. quæſt. 12. Conincb. diſp. 14. dub. 16. Bonacin. diſput. 2. q. 2. part. 4. & alij.*

Vtrum Debitor prædictus ſi vltra terminum prorogatum à creditore ſuo non ſoluat, cenſura ligetur pro vt monitorio comminabatur.

DIFFIC. LXV.

NEgant incurrere cenſuram comminatam in monitorio tranſacto iam termino poſito à Iudice, ſi creditor ſuſpenderat cenſuram prorogando terminum ſolutionis, nam creditor poteſt, quidem auferre materiam cenſuræ incurrendæ prout in monitorio, dum obligationem remittit ſoluendi ſo termino præfixo à Iudice, & ſic poteſt tollere cenſuram, vbi enim non eſt contumacia, non poteſt eſſe cenſura, pars, ſeu creditor poteſt tollere contumaciam, ergo poteſt tollere excommunicationem, ne incurratur, at vero non poteſt ferre cenſuram de nouo, nec eam prorogare ſine Iudicis authoritate, quia iam ſemel renunciauit iuri ſuo in termino dato à Iudice, neceſſe eſt ergo, quod alius terminus detur à Iudice, in quo ſi non ſoluat, incidat in cenſuram, quam de nouo Iudex debet ferre. Ita noſt. *Ang. & Nauar. locis ſuperius citatis.*

Attamen probabiliter etiam Bonacin. & Filliuc. loc. citat ſentiunt creditorem in dicto caſu prorogando obligationem vltra terminum datum à Iudice, prorogare etiam virtualiter eamdem cenſuram, ad alium terminum quo elapſo, ſi non ſoluat, verè incidat Debitor in eamdem cenſuram à Iudice in priori termino comminatam, nam quando præfigitur talis terminus à Iudice, ſi non ſoluat intra menſem: verbi gratia, quod incurrat cenſuram, non præfigitur ad tollendam obligationem in termino præfixo, ſed ad ſollicitandam ſolutionem, ergo ſi prorogatur obligatio ſolutionis à creditore, prorogatur etiam cenſura ſaltem virtualiter ex benigna interpretatione mentis Iudicis adhoc, vt ſolutio fiat à Debitore, propterquam cenſuram in primo termino tulit, quandocumque ergo non eſt extincta obligatio ſoluendi, non extinguitur cenſura lata ad hūc finem, cenſetur ergo ſemper adeſſe voluntas Iudicis in hoc repoſita in arbitrio creditoris, vt cenſuram proroget ad ſolutionem ſibi opportunius faciendam.

Fundatur hæc opinio in iure, nam prorogatio fit cum eadem conditione, quando obligatio prorogatur, nec finitur elapſo termino *ex l. ſed & ſi ff de precario, & in l. ſi cum die ff. de Arbitr.*

Verum licet hæc opinio probabilitate iuris non careat, attamen probabilitate facti probabilior videtur opinio prima cum in ferenda cenſura potius in facto reſpicienda ſit iuriſdictio, quam ratio deſumpta ea probabilitate, vel præſumptione iuris, tutius ergo de nouo in tali caſo conſulitur Iudex, qui in priori termino cenſuram tulit, vt dignetur in nouo termino dato à creditore, eamdem cenſuram contra Debitorem confirmare.

Vtrum cenſura lata in iure communi, vel particulari, vel etiam per ſententiam generalem, ſi nulli reſeruetur à ferente, poſſit abſolui à quocunque habente authoritatem abſoluendi à mortalibus.

DIFFIC. LXVI.

NEgare ſaltem ſub dubio videtur noſter *ſubtilis Doctor in 4. diſt. 25. Paludan. diſtin. 18. q. 5. Durandus 16. q. 4. Suar. diſp. 7. ſect. 2. Vgol. Tab. 1. c. 4. Alter. l. 4. diſput. 2. cap. 4. Filiuc. lo. ſupra cit.* ex eo, quod, qui ligat poteſt abſoluere, ergo conditor Canonis poteſt regulariter abſoluere à cenſura ſibi lata, & non alius; & probabiliter quidem, quia, quod non eſt conceſſum, videtur eſſe prohibitum, maximè in re graui, vt eſt abſolutio à cenſuris in diſpenſatione ab irregularitate, & gradibus prohibitis in matrimonio, quare ſicut Papa non reſeruat ſibi diſpenſationem in irregularitatibus, & gradibus prohibitis, tamen Parochus, & ſimplex Sacerdos, nec Epiſcopus regulariter in ipſos diſpenſat per illam regulam, quod non eſt conceſſum, videtur eſſe prohibitum, ergo etiam in cenſuris à pari valet iſta regula, quod non eſt conceſſum, videtur eſſe prohibitum, quare quando à conditore cenſuræ, non datur authoritas abſoluendi, videtur eſſe prohibita.

Nec obſtare volunt caput nuper de ſent. excommun. vbi habetur (*ex quo conditor Canonis eius abſolutionem ſpecialiter non reſeruauit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem alijs relaxandi.*) quandoquidem volunt ibi eſſe ſermonem de excommunicatione minori, non autem maiori, quia in excommunicatione minori cum non ſit in re graui, valet illa Regula, quod non eſt prohibitum, videtur eſſe conceſſum, at vero in excommunicatione maiori tanquam in re graui valet illa alia regula, quod non eſt conceſſum, videtur eſſe prohibitum.

Attamen putant alij etiam probabiliter, quandocumque cenſuram ibi non reſeruat conditor, tam in iure communi, quam particulari, quam per ſententiam generalem, quæ æquiualet excommunicationi à iure, & non ſit ſimpliciter ab homine per ſententiam particularem, quod poſſit quilibet abſoluere potens à mortalibus, abſoluere etiam à tali cenſura. Ita noſter *D. Bonauen. in 4. diſt. 18. par. 2. quæſt. 6. Riccard. ibid. art. 9. quæſt. 1. & 3. Ang. v. Abſolutio § 2. D. Thom. in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 5. Nauarr. cap. 27. num. 44. Sayr. lib. 5. cap. 15. Vaſq. dub. 20 loc. cit. Henriq. l. 13. c. 28. Bonac. diſput. 1. q. 2 p. 1.* & alij communius, quia volunt *in c. nuper* præfato eſſe ſermonem de excommunicatione etiam maiori ex illa regula, quod non eſt prohibitum, videtur eſſe conceſſum.

Sanè hanc opinionem puto hodie probabiliorem, & tutam omni-

Digitized by Google

omnino in conſcientia, quia vſus iam præualet, quicquid in contrarium velit Couar. quod p tens abſoluere à mortalibus, abſoluit etiam ab excommunicationibus non reſeruatis, tum quia conditores quando volunt ſibi cenſuram eſſe reſeruatã, ſpecialiter ſibi reſeruant, & prohibent ab alijs inferioribus abſolui poſſe, tum, quia in Rituali Pauli V. nouiter impreſſo in forma, quam tradit omnibus ſacerdotibus abſoluendi, præmittit formam abſolutioni, ab excommunicatione reſtituendi abſolutum Sacramentis Eccleſiæ, quod eſt effectus maioris excommunicationis, ergo datur authoritas abſoluendi ab omni excommunicatione maiori non reſeruata cuicumque valenti abſoluere à peccatis.

Limitant tamen hanc doctrinam, modo Epiſcopus non reſeruauerit ſibi authoritatem abſoluendi à qualibet maiori excommunicatione, & ſtatuerit, quod ſolum poſſit Sacerdos, præmittere abſolutionem à minori, quia putant, quod reſeruatio valeret, cum Epiſcopus poſſit ſibi caſus reſeruare, quomodo tamen hæc limitatio ſit intelligenda vide ſupra caſus reſeruatus.

Excipiuntur tamen aliqui caſus, à quibus non poteſt ſimplex Sacerdos, nec aliquando Epiſcopus licet conditor ſibi eos non reſeruauerit.

Primus eſt de Papæ delegato, qui ſuæ ſententiæ contumacem, & inobedientem poteſt excommunicare, non poteſt tamen poſt annum à ſua diffinitiua ſententia eum abſolue, ſed ad Papam deuoluitur abſolutio.

2. Eſt de Incendiario, quem ſi Epiſcopus excommunicatum denunciauerit, non poteſt eum amplius abſoluere, ſed ad Papam pertinet abſolutio.

3. Caſus eſt, quando cenſura lata eſt ab inferiori, & cum cauſæ cognitione eam etiam poſtea confirmauit Superior, non poteſt ab ea amplius inferior abſoluere.

4. Caſus eſt, ſi quando Papa abſque alia cauſæ cognitione committat alicui, vt laicum excommunicet, non poteſt deinde eum abſoluere, quia eſt merus executor ſententiæ ferendæ, non autem eſt Iudex delegatus. ſi vero committat excommunicare cum cauſæ cognitione tunc poteſt etiam abſoluere, quia tunc non eſſet merus executor, ſed Iudex delegatus.

An vero cenſuram, quam tulit Iudex, à quo Reus appellauit poſt eius incurſionem, poſſit relaxare affirmant, *Suar. Alter. & Bonacina loc. cit.* & iure, quia appellatio non tollit iuriſdictionem fauorabilem à Iudice, à quo Reus appellauit.

Vtrum cenſura incurſa ceſſet poſt obitum Prælati, vel Iudicis, qui eam fulminauit.

DIFFIC. LXVII.

NEgant communiter ceſſare excommunicationem iam incurſam latam à Prælato, vel Iudice iam defuncto, vel à Iuriſdictione remota, vt habetur ex *c. ſi Epiſcopus* 11. *qu* 3. *& cap. paſtoralis* §. *præterea de off.* ordinand. ſtatim enim, ac lata, & fulminata eſt cenſura fert ſecum ſuum immediatum effectum, & conſequenter ſemper ea dicitur innodata perſona contra quam iam lata eſt, donec verè abſoluatur à valente abſoluere, adde, quod ſicut excommunicatio, nec ceſſat per mortem excommunicati niſi abſoluatur ante mortem, vt habetur ex cap. à nobis, & ex cap. ſacris de ſentent. excommu. ita nec ceſſat per mortem excommunicantis, quærenda eſt ergo neceſſariò abſolutio à ſucceſſore, vel Superiore excommunicantis. Ita etiam Bonac. & Alter. loc. cit.

Vtrum cenſura lata ab inferiori poſſit tolli à ſuo ſuperiore.

DIFFIC. LXVIII.

NEgare videtur *Couarr. in cap. Alma mater part.* 1 §. 12. putans priuatiuè, quo ad ſuum Superiorem dari inferiori Prælato authoritatem ferendi, & abſoluendi à cenſuris.

Attamen communiter affirmant, quia verè iuriſdictio data inferiori Prælato confert ampliatiuè, & cumulatiuè cum ſuo Superiori Prælato, non autem ſolum priuatiuè. & ratio eſt, quia aliter inferior non dependeret à ſui ſuperiori, quod eſſet alienum à ratione ſuperioris, quare certum eſt Epiſcopum poſſe abſoluere à cenſuris latis à ſuo Archidiacono, & Archipresbytero, Generalem poſſe abſoluere à cenſuris latis à Prouincialibus ſuis, & Prouinciales poſſe abſoluere à cenſuris latis à ſuperioribus localibus ſibi ſubditis, & Pontificem maximum tãquam ſupremum, & Generaliſſimum omnium ſuperiorem à quocumque cenſura lata à quolibet Canone, Concilio, Patriarcha, Primate, Archiepiſcopo, & Epiſcopo, & quolibet alio, tam Regulari, quàm ſæculari ordinario. Ita communiter *Angel. notter v. Abſolutio* 2. §. 3. *Suar. diſputat.* 7. *ſect.* 2. *Auila* 2. *p. c.* 7 *diſp.* 1 *Vgol. Tab.* 2. *c.* 4. *Bonacin. diſputat.* 1. *qu.* 2. *p.* 1. *& alij. at vero*

Vtrum in Iubileo, vel extra concedens Pontifex facultatem abſoluendi à reſeruatis ſibi cenſuris intelligatur conceſſiſſe facultatem abſoluendi etiam à reſeruatis Epiſcopo, & cæteris ſuperioribus inferioribus.

DIFFIC. LXIX.

NEgant *Nauarr. in cap. quorundam de iudic. notab.* 11. *& in man. c.* 27. *nu.* 261. *Graſſ. deciſ. l.* 4. *c* 15. *Farinac. de hæreſ. qu.* 92. *Bonac. diſp.* 1. *q.* 3. *p.* 1. & alij ea ducti probabili ratione, quia ſicut dum Pontifex condit aliquam legem, non intendit derogare ſtatutis, & cõſuetudinibus locorum particularium, niſi id ſpecialiter exprimat, ita etiam concedens facultatem abſoluendi à cenſuris ſibi reſeruatis, non intẽdit derogare reſeruationi inferiorum Prælatorum, niſi exprimat ſe ei velle derogare.

Attamen affirmant alij, quia Papa dum maius concedit, videtur concedere minus, & dans authoritatem abſoluendi à ſibi reſeruatis cenſuris, quæ grauiores, ſunt præſumitur virtualiter dare authoritatem a minus grauibus cenſuris, quæ inferioribus reſeruantur. Ita *Alter. lib.* 4. *diſp.* 4. *c.* 1. *dub.* 2. *Suar. diſp.* 7. *ſect.* 5. *& alij.*

Sanè hæc opinio mihi videtur probabilis, & tutè ſequenda in praxi, niſi aliud ab Eminentiſſimorum Congregatione, vel pontificio decreto, quod adhuc mihi non conſtat, fuerit ordinatum, ſtante ergo in probabilitate iuris, & rationis probabilis inquam mihi videtur, quia in fauorem animarum facienda eſt lata interpretatio, & priuilegium Principis latè interpretandum, quantum patitur verborum proprietas, & Principis authoritas, cum ergo cenſuræ reſeruatæ inferioribus cumulatiuè intelligantur reſeruatæ ſuperiori, ſequitur, quod dans authoritatem abſoluendi à reſeruatis ſibi tanquam ſuperiori, intendat etiam dare authoritatem abſoluendi à reſeruatis ſibi cumulatè cum inferiori.

Nec obſtat, quod aiunt primæ opinionis Authores, quod ſicut condens legem, nõ intendit derogare ſtatutis locorum, niſi exprimat, ita dans authoritatem abſoluendi à ſuis cenſuris Superior non intendit derogare authoritati inferioris reſeruantis, quia eſt diſpar ratio, nam lex generaliter lata habet hoc ſpecialiter cautum in iure, vt habetur in cap. præfato de conſtitutionibus, vt non deroget ſtatutis locorum particularium, niſi expreſsè legiſlator ipſis deroget, at vero circa abſolutionem generalem datam à Superiore abſoluendi à ſibi reſeruatis, non inuenitur cautum in iure, quod non intendat dare facultatem abſoluendi à reſeruatis inferioribus, ergo poteſt præſumi cum etiam ſibi cumulatiuè cum inferiore reſeruentur, quod dans poteſtatem abſoluendi à ſibi reſeruatis, intelligatur etiam dare licentiam etiam de cenſuris inferioribus Prælatis reſeruatis.

Quod ſi dicatur à Clemente octauo, vt dictum eſt ſupra (Caſus Reſeruatus) præcipitur, vt nullus præſumat abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis virtute cuiuſcunque priuilegij abſque eius authoritate reſpondendum puto, illud decretum Clementis octaui, non eſſe ad propoſitum contra hanc opinionem, quia ibi Clemens octauus reuocat priuilegia abſoluendi à caſibus Papæ, & Epiſcopo reſeruatis, quæ fuerant conceſſa varijs Ordinibus in præterito, vnde iam nulli erant caſus reſeruati Papæ, & Epiſcopis, volens huic obuiare, fecit tale decretum, hic autem eſt ſermo, vtrum, quando per Iubilæum, aut extra dat Papa priuilegium alicui, vt abſoluatur à ſibi reſeruatis, huius virtute poſſit abſoluere à reſeruatis cæteris inferioribus itaque non obſtat huic opinioni præfatum decretum Clem. octaui.

Tu vero probabilius diſtingue in hac difficultate iuxta doctrinam poſitam in difficultate decimatertia verbo caſus reſeruatus; vbi etiam hæc difficultas percribrata a nobis eſt.

Ibi etiam reperiens, an concedens Papa poteſtatem abſoluendi

uendi ab omnibus ſibi reſeruatis , intelligatur etiam dare licentiam abſoluendi à reſeruatis in B.C.

An vero poteſtas data Epiſcopis à Concil. Triden. ſeſſ.24. c.6. abſoluendi à reſeruatis occultis Sedi Apoſtolicæ extendatur ad alios Ordinarios etiam Regulares circa ſuos ſubditos. Vide ſupra verbo Abbas difficul.6. & verb. caſ. Reſeruat. occultus in quo verbo reperies omnes difficultates, quomodo, & quando Epiſcopus poteſt ab occultis Papæ reſeruare, quomodo, & quando poſſit Epiſcopus abſoluere Peregrinos, & alios forenſes ab eiſdem.

Vtrum à cenſuris occultis Papæ reſeruatis abſoluat Epiſcopus virtute Concil.Trid.ſeſſ. 24.cap 6.etiam forenſes ad ſuam Diœceſim peruenientes.

DIFFIC. LXX.

AFfirmant communius Doctores poſſe Epiſcopum quoſcumque forenſes,& extraneos à ſua Diœceſi puta Peregrinos, Mercatores, Scholares , Vagabundos dum actu ſunt in ſua Diœceſi abſoluere ab occultis Sedi Apoſtolicæ , iuxta dictum caput 6.Concilij Tridẽtini,quia,quo ad Sacramentum pœnitentiæ,& Euchariſtię ſunt tales perſonæ ſubditi Epiſcopo loci, in quo hic,& nunc morantur, & volunt vti ſacramẽtis prædictis,vel ex generali Eccleſiæ conſuetudine, vel Papæ interpretata voluntate,ergo ſi ſunt ſubditi ratione Sacramenti Pęnitentiæ poteſt Epiſcopus loci eis omnem ſuam authoritatem circa abſolutionem impartiri,ne bono deſiderio Sacramentũ ſumendi fruſtrentur,atque adeo ipſos abſoluere,& cum ipſi diſpenſare quacumque poſſet authoritate ſiue à concilio, ſiue alio iure, quia verè hic , & nunc ſunt eius ſubditi. Ita declaraſſe etiam *Sacr. Congregationem Sac. Concil.teſtatur Petrus Marſilla in ſeſſ.24. c.6. Concil. Triden.ita etiam docent Zerola in prax. Epiſcop. p.1.v. Vicarius* §.18.*dub.4. Sanchez in ſumm.l.2.c.10. Suar. de pænit.diſp.30. Alter.l.4.diſp.3.c 1.dub.1. 3.& 4.& Bonac.de cenſ.diſp.1.q.3.p.3.& alij.*

Vtrum cenſuras latas ad tempus puta ſuſpenſionem ad triennium in iure communi , vel in ſententia generali poſſit Epiſcopus ante tranſactum præfinitum tempus tollere.

DIFFIC. LXXI.

ABſolutè negant noſter *Rodriq.2.p. c.69. nu.2. Couar.4.decret.p.2.c.6. Henriq.l 13.c.35. Sanch.l.3. dematrim. diſp. 52.Gutier.de matr.c.75. Alter.T.2.diſp.8.c.3.* & probant,quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in iure communi .

Hoſtienſis tamen apud Garziam de benef.p.11.c.10.& alij affirmant, quod colligunt ex c.nuper de ſent.excomm.

Et ſanè ſi ſermo ſit de occultis reſeruatis Papæ cum dicta reſtrictione abſoluit Epiſcopus virtute Conc. Tridentini, de notorijs vero puto procedere primam opinionem.

Vtrum Epiſcopus poſſit abſoluere à cenſuris publicis Papæ reſeruatis impotentes adire Summum Pontificem , vt ab eo abſoluantur.

DIFFIC. LXXII.

AFfirmant communiter Doctores poſſe legitimè impeditum adeundi ad Sedem Apoſtolicam poſſe à cenſuris etiam publicis abſolui à proprio Epiſcopo ex interpretata benignitate Summi Pontificis committentis ſuam poteſtatem in tali caſu proprio Epiſcopo. Ita *Nauarr.c.27.nu.90. Henriqu. l.6.c.9. Auila p.2.cap.7.diſp.1. Sanch. in opere mor. libr.2.c. 13.Vaſq. de pænit.qu.91.dub.8.Coninch.de pæn.diſput.8 Gutier. lib.1.qq.can.q.3. & Bonac.de cenſ. diſp.1. qu.3.p.3.* ad fœminas etiam hanc benignitatem Summi Pontificis extendere probabiliter videtur , quia ratione honeſtatis ſemper videntur impedita itinera frequentare.

Attamen ſi adſit legatus in Prouincia, vel alius habens priuilegium abſoluendi, huiuſmodi impediti adire Papam, non poſſunt abſolui ab Epiſcopo, quia ceſſat impedimentum , quod per Epichæiam dat ei præfatam authoritatem , probabilius,enim ſunt impediti adire Romam debent adire legatum, vel habentem priuilegium. Ita noſt. *Corduba in ſumm.q. 18.Nauar.Coninch. & Bonac.loc.cit.*

Quod ſi etiam adeundi legatum, & habentem priuilegium ſit eijdem difficultas, tunc probabiliter dico poſſe Epiſcopum etiam eos abſoluere ex eadem benignitate Sedis Apoſtolicæ. Ita etiam Auila,& Henriq. loc.cit.quod Epiſcopi etiam in illis reſeruatis Sedi Apoſtolicæ in decr. Clem. octaui ſcilic. ob percuſſionem violentam Clerici , ob violationem clauſuræ monialium ad malum finem vel Eccleſiaſticæ immunitatis iuxta Conſtitut. Greg. XIII. & pugnam in Duello , & ob ſimoniam realem, vel confidentiam beneficialem, quia in dicto decreto non limitatur authoritas Epiſcopis , ſed ad corroborationem Epiſcopalis poteſtatis potius ſit conditum , ſolum ergo priuilegia habentibus abſoluendi à Papalibus, prohibetur, ne ab illis cenſuris abſoluant, non autem Epiſcopis in caſibus præfatis, in quibus poſſunt ex interpretata benignitate Summi Pontificis. Ita etiam *Reginal.l.9. c.2. Peregr. tract. de duel. Viuald.in Candel.c.de Abſolut.& Bonac.loc.cit.*

Vtrum præſente Parocho, vel alio Sacerdote authoritatem abſoluendi habente poſſit ritè conſtitutus in articulo mortis ab alio ſimplici ſacerdote à cenſuris , & peccatis abſolui.

DIFFIC. LXXIII.

SVpponitur tanquam certum in articulo mortis concedi à Concil. Trid. ſeſſ.14.c.7. cuicumque Sacerdoti abſoluendi à quocumque peccato , & cenſura,an vero id competat ſimplici Sacerdoti præſente Sacerdote habente authoritatem abſoluendi ab ordinario loci conuertunt Doctores.

Affirmant probabiliter noſter *Rodriq.p.1 c.59.conc.3.& Sà v.Abſolution.3.* quia Concilium indifferenter hanc poteſtatem tradit cuicumque Sacerdoti in articulo mortis,ita vt quicumque Sacerdos in articulo mortis dicatur approbatus ad audiendum, & abſoluendum in articulo mortis conſtitutum, probabiliter inquam, quia in fauorem animarum factum eſt illud decretum à Concilio , vnde latè interpretandum ad finem, vt vnuſquiſque cum Sacerdote ſibi magis bene viſo , & confidenti liberius ſuam conſcientiam aperire valeat .

Negant tamen *Bonac. de cenſ.diſp.1. q.2.p. 3. Vgolin.de cenſ. Tab.1.§ 5.c.4. Molin.T.4.diſp.63.Valent.T.4. diſp.7.q.10. Alter.l.1. diſput.6.c.6. & Duard.lib.*3.§.2. & alij putantes Conc. Trid. ibi non condere ius nouum , ſed confirmare veterem conſuetudinem deſumptam ex Conc. Cartagin.3.can.3. cap. Presbyter,& habetur 26 q.6. vbi datur authoritas cuicumque ſacerdoti abſoluendi in articulo mortis, dum deeſt copia proprij ſacerdotis,vel aliàs approbati etiam alterius Diœceſis,quę opinio videtur tutior, & in praxi magis conſulenda, maximè ſi pęnitens ſpecialiter non requirat aliquem ſimplicem Sacerdotem,vt ſibi ſuæque conſcientiæ liberius, & tutius conſulit .

Verum eſt tamen, quod etiam iuxta Doctores huius ſecũdæ opinionis,ſi Sacerdos ſimplex cęperit audire conſtitutum in articulo mortis, ſi interea Parochus, vel aliàs approbatus aduenerit, poteſt proſequi, & abſoluere, nam re non integra non ceſſat iuriſdictio delegati ex morte delegantis ex c. relatum de offi.delegati,ergo à pari non ceſſat iuriſdictio ſimplicis ſacerdotis adueniente proprio , aut aliàs approbato Confeſſario .

Vtrum præſente approbato confeſſario excommunicato vitando, vel irregulari poſſit abſolutè audire , & abſoluere conſtitutum in articulo mortis, ſimplex Sacerdos.

DIFFIC. LXXIV.

COmmunius ſuadent Doctores, quod præſente approbato excommunicato vitando debet ſimplex Sacerdos audire, & abſoluere, quia ille, vt repulſus à communione , eſt habendus, vt abſens, immò præſente tali excommunicato vitando, & publico irregulari , potius irregulari facienda Confeſſio , quia irregularitas minus impedimentum præſtat, præſente autem interdicto, vel ſuſpenſo in tali caſu neceſſitatis potius interdicto , vel ſuſpenſo, quam irregulari facienda eſt Confeſſio , quia minus impedimentum præſtat interdictum , & ſuſpenſio, quam irregularitas .

At vero præſente excommunicato vitando , & Sacerdote degradato in tali neceſſitate , potius excommunicato vitando facienda eſt confeſſio, quam degradato , quia degradatio maius impedimentum præſtat ad abſoluendum , quam ex commu-

communicatio. Ita ex noſtro *Rodriqu. Vngarello*, *Bonacina*, *Nauarro Sanch. Suar. & Vaſq. locis in ſuperioribus citatis.*

Vtrum exiſtente opportunitate adeundi Superiorem pro reſeruatis, poſſit ſine tali facultate ſimplex ſacerdos abſoluere à cenſuris reſeruatis conſtitutum in articulo mortis.

DIFFIC. LXXV.

AFfirmant *Sanch. in ſum. l. 2. c. 13 n. 14. & Henriq. li. 6. c. 9. & c. 11. n. 4.* quia abſolutè datur facultas in tali caſu abſoluendi à reſeruatis cuicunque ſacerdoti.

Negant tamen *Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 3. & Zambr. de caſib. in art. mor. c. 4.* quia ſolum in neceſſitate datur talis authoritas, vbi autem adeſt copia adeundi Superiorem pro reſeruatis, omnino adeundus ſuperior, & authoritatem à reſeruatis abſoluendi debet accipere Confeſſor.

Quare volunt, quod exiſtente approbato non habente authoritatem à reſeruatis, & alio habente, facienda eſt abſolutè, & omnino confeſſio cum habente authoritatem.

Sanè tutior eſt hæc ſecunda opinio, prima tamen ſua probabilitate non caret, quando adeſt fauor ſpiritualis infirmi, etenim ſi ex adeundo ſuperiorem pro reſeruatis poſſet aliqua triſtitia in infirmo, vel ſcandalum ſuboriri, poteſt ſacerdos tutè prima opinione vti, quia Concilium latè interpretandum in tali decreto lato in fauorem animarum.

Ad quid teneatur Sacerdos abſoluens à cenſuris reſeruatis conſtitutum in articulo mortis.

DIFFIC. LXXVI.

DIco primo, quod Sacerdos non habens authoritatem à Superiore abſoluendi à cenſuris reſeruatis conſtitutum in articulo mortis, debet, ſi poteſt fieri, modo ſenſibus non ſit omnino deſtitutus, ab eo iuramentum extorquere, vt ſi conualuerit, quam primum conueniat habentem authoritatem, vt ab eo abſoluatur, alioquin in eaſdem cenſuras reincidet. Ita communiter Doctores ex *cap. eos de ſent. excomm. in 6. & c. ea noſcitur de ſenten. excomm.* quicquid *Auila 2. p. c. 7. diſp. 3.* hoc iuramentum velit extorquendum pro excommunicatione incurſa pro percuſſione Clerici, non propter alias, alij tamẽ tutius, & probabilius in omnibus id faciendũ exiſtimãt.

Dico ſecundo, quod in grauioribus delictis, vt ſunt reſeruata in Bulla Cęnæ præter iuramentum extorquendum etiã cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, ad hoc vt ſi conualuerit ad Sedem Apoſtolicam ſe conferat abſoluendus in articulo mortis à dictis cenſuris, & maximè hoc faciendum in eo, qui eſt excommunicatus propter debita ſoluenda, ſi ante abſolutionem verè non poſſit ſoluere debita. Ita Bonac. de *cenſ. diſp. 1. q. 3. p. 3. Suar. T. 5. de cenſ. diſp. 31. ſect. 3. Sanchez in ſum. l. 12. cap. 13.*

Attamen ſi quis perpetuo impedimento laboraret adeundi ſuperiorem, non debet angariari, nec ad præſtandũ iuramentum, nec cautiones prędictas, quia ius ſolum obligat temporaliter impeditos ad iſta præſtanda ex c. quamuis de ſenten. excommun.

Immò ſi taliter perpetuo impeditus miraculosè liberaretur nec amplius ſe debet præſentare, quia fuit abſolutus abſque hoc onere.

Vtrum abſolutus in articulo mortis à cenſuris cum onere ſe præſentandi teneatur adhuc ſe præſentare, ſi interea parti ſatisfecerit, vel cum ea ſe compoſuerit.

DIFFIC. LXXVII.

AFfirmant *Couarr. in c. Alma mater 1. p. §. 11. Suar. de pænit. diſp. 30. ſect. 2. Sanch. & Bonac. loc. cit.* quia imponitur pręſentatio, vt pars pœnæ, & vt obedientiam præſtet Superiori, vt deinceps cautior fiat in parendo mandatis.

Negant tamen etiam probabiliter *Nauar. c. 10. n. 26. Henr. l. 13. c. 24. Auila loc. cit. diſp. 3. cap. 4. & Gambacurt. de caſ. reſeru.* quia virtualiter cenſetur abſolutus à Iudice, dum pars ſatisfacta fuit, ad cuius inſtantiam fuit cenſura innodatus.

An vero ſi ſacerdos abſoluens in articulo mortis conſtitutum à præfatis cenſuris obliuiſcatur hoc onus pręſentandi ſe ei imponere, adhuc maneat abſolutus obligatus ſe pręſentare, affirmant communius Doctores, vide *S. Antoninum Armillam. & Sylu. quos citat, & ſequitur Henriq. l. 6. c. 10. & Alter. T. 2 diſp. 8. c. 4. Vaſq. dub. 19. Bonac. & Sanch. loc. cit.*

Vtrum abſolutus cum onere ſe præſentandi, ſi poſtea conualeſcens, vel impedimento liberatus ſpernat ſe præſentare incidat in eandem, vel aliam cenſuram.

DIFFIC. LXXVIII.

DIcendum, quod licet noſter *Ang. vbi ſup. §. 16. ex deciſione Rotæ 492.* videatur velle, quod abſolutus cũ onere ſe præſentandi ablato impedimento non reincidat niſi actu denuo excõmunicetur, hodie tamen contrarium practicatur, quare cõmunius DD aſſerunt reincidere ſtatim non illam priorem, à qua fuit abſolutus, ſed in aliã eiuſdem ſpeciei cũ illa priori, dum non præſtat fidem ſe præſentandi ſtatim ac poteſt, quia ita ex iuris diſpoſitione cautum eſt ad puniendum pęnitentis inobedientiam, & contumaciam in non ſeruando ea, quę ſibi impoſita fuere. Ita communiter DD. citati in ſuperioribus.

Adde, quod ſi excommunicatus erat vitandus ante abſolutionem ad reincidentiam, ſi non ſeruet iuſſa à Cõfeſſario abſoluente quamprimum commodè poteſt ablato impedimento in eam ſeu ſimilem excommunicationem eiuſdem ſpeciei reincidit, vnde non obſtante abſolutione, iterum eſt vitandus tanquam verè excommunicatus denunciatus. Ita *Bonacin. de cenſ. diſp. 1. q. 3. p. 3. & alij.*

Vtrum abſens ignorans, & inuitus abſolui poſſint à cenſuris.

DIFFIC. LXXIX.

DIco primo, quod cenſura ſicut abſens quis poteſt ligari, ita & abſolui. Ita communiter Doctores *Riccard. noſter in 4. diſt. 18. ar. 10. q. 2. Angel v. abſol. 3 §. 5. Rodr. c. 83. n. 13. Nauar. c. 26. n. 18. Alter. l. 4 diſp. 6. c. 1. & T. 2. diſp. 8. c. 4 Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 3. p. 3. Suarez loco ſupra cit. & alij.* Imò addunt *Nauar. Bonacin. & Suar.* probabiliter, quod confeſſarius non habens authoritatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis, ſi poſtea eam impetret, poſſit ſuum pœnitentem abſentem abſoluere.

Quam doctrinam ampliat etiam Nauarrus ad peccatum mortale reſeruatum ſine cenſura, quod etiam poſſit de eo abſoluere pœnitentem abſentem, ſi poſtea eam impetret, quod quod tamen non eſt admittendum, nemo enim poteſt abſens à peccato abſolui, quia neſciri poteſt, an ſit diſpoſitus ad recipiendum beneficium abſolutionis à peccato, quod non eſt neceſſarium in cenſura, vt infra dicetur.

Vtrum vero abſolutio cenſuræ data abſenti ſortiatur effectum ſuum, quando per litteras, aut nuncium innoteſcit abſolutio pœnitenti, an vero quando realiter abſoluit, ſtatim ac abſoluit abſentem Confeſſarius, habere ſuum immediatum effectum abſolutionem cenſent communius, quia ſicut ſtatim fulminata habet ſuum effectum ligãdi cenſura, ita etiam abſoluta fert ſecum abſolutionis effectum immediatum, quicquid in contrarium velit *gloſſa in cap. quanto 2. qu. 5.* Vide *Bonac. & Alter. loc. cit.*

Limitat tamen hanc doctrinam noſter Angelus, niſi aliter conſtet de mente abſoluentis, qui poſſet tunc habere animum abſoluendi, quando litteræ pœnitenti intimantur.

Dico ſecundo, quod ignorans, & inuitus etiam abſolui poſſunt à cenſura, quia non eſt neceſſe abſolutionem Cenſuræ, impendere ſacramentaliter, & Superior ſicut ex ſua libera poteſtate excommunicationem, vel aliam cenſuram fulminauit independenter à voluntate Rei, ſic independenter à voluntate eius poteſt eas tollere. Ita noſter *Rodr. Vaſq. Bonac. & Alter. locis citatis, Suarez diſput. 7. ſectio. 7. Filiuc. cap. 10. quæſt. 6. Coninch. diſput. 14. dub. 11. Auila 2. part. cap. 7. dub. 2. & alij.*

Noſter autem Angelus hanc doctrinam optimè explicat § 7. loc. cit. dicẽs, quod tunc aliquis inuitus rationabiliter poteſt abſolui, quando excommunicatio, & cenſura alia nõ prodeſt Reo, & nocet communitati ratione participationis, vnde *Panormit. in cap. Apoſtolicæ, de excep.* ait, quod vbi imminet vtilitas Eccleſiaſtica, & impeditur ordinatio Eccleſiæ, ſi non abſoluatur aliquis, tunc eſt abſoluendus etiam inuitus, vt ex c. veniens 2. de Teſt. colligitur.

Immò ſi ſine cauſa abſoluatur inuitus, valida eſt abſolutio, par enim eſt ius ligandi, atque ſoluendi ex *cap. certum diſt. 1. de pœnit.* Vide *Ang. noſt. loc. cit.*

Digitized by Google

Vtrum cenſura per ſigna, & nutus ſufficienter indicantia abſolutionem datam à ſuperiore, vere tollatur.

DIFFIC. LXXX.

DIſtinguendum puto, nam ſi ſit Superior inferior Papa non valet, quia cenſura debet abſolui per aliqua verba indicantia abſolutionem, licet determinata verba pro forma non afferantur, per verba tamen ore prolata, vel ſcripta expreſſè facienda eſt abſolutio, vt habetur in iure communi, & præcipuè in *c. deſideret. & c. ſi aliquando de ſent. excomm. & docet gloſa in clemen. vlt. de ſent. excommu.* nullus autem Papa inferior poteſt in iure communi diſpenſare, ergo tenetur verbo, vel ſcripto proferre abſolutionem à cenſura, aliter nulla exiſtimanda, quicquid in contrarium videatur docere, *Salas de legib. diſput. 20. ſect. 9.* contra communem doctorum hanc ſententiam.

Dico ſecundo, quod cum Papa ſit ſupra ius commune, poteſt per nutus, & ſigna ſufficienter ſignificantia abſolutionem à cenſura abſoluere. Ita etiam noſter Angelus *V. abſolutio §. 3. & 4. Sanch. de matr. l. 8. c. 4. Alter. l. 4. diſp. 7. c. 1. Suar. diſp. 7. ſect. 9. Filiuc. c. 10. q. 8. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 5. & alii.*

Notat tamen noſter *Angel. cum Vngarello ſ. h. ſ. g. loc. citat.* quod ad oſculum receptus a Papa, vel ab eo ſalutatus excommunicatus denunciatus ſi verè per hæc ſigna intendat abſoluere, verè remanet abſolutus abſque alia forma, at vero ſi non intendat abſoluere, non remanet abſolutus, ſed ſolum pro tali actu ſuſpendio effectum excommunicationis pro alijs præſentibus non pro ſe; quia ipſe non ſubditur pœnæ circa participationem cum excommunicato, cum ſit vt dictum eſt ſupra ius poſitiuum.

Quod autem ſi vere non intendat abſoluere per talia ſigna, non remaneat abſolutus excommunicatus, probat noſter *Vngarell. ſ. h. a.* ea doctrina quadam Cardinalis in *Clemen. ſi Summus Pontifex* docentis, quod ſi Papa vocat aliquem ſub nomine alicuius dignitatis incidenter non intendens eum tali dignitate honeſtare, nullum eius tribuitur circa talem dignitatem ex ſimplici, & incidentali Papæ nominatione, ita a pari, ſi Papa non intendit abſoluere per ſalutationem, vel receptionem ad oſcula, non propterea dicetur abſolutus.

Vtrum petens abſolui ab vna cenſura, qui pluribus eſt irretitus à valente abſoluere ab omnibus, remaneat ab omnibus abſolutus.

DIFFIC. LXXXI.

AB illa ſolum à qua petit abſolui remanere abſolutum, & non ab alijs certum exiſtimant in hoc caſu Doctores, nam abſolutio intenditur dari iuxta petitionem pœnitentis, non autem iuxta poteſtatem plenariam abſoluentis, cenſuram autem poſſe tolli ſine alia commune eſt proloquium, non ſic peccata, quia peccata per gratiam auferuntur, gratia autem non poteſt ſtare cum peccatis alijs, vel ergo cuncta aufert, vel nullum cenſuræ autem abſolutio ex ſe non confert gratiam, cum poſſit dari extra Sacramentum pœnitentiæ, itaque poteſt vna ſine alia tolli. Ita Angel. noſter *loc. cit. § 10. S. Thom. in 4. diſt. 18. Vgolin. Tab. 1. c. 19. Suar. l. 2. c. 25. Suar. diſp. 7. ſect. 9. Vaſq. dub. 18. Valentia T. 4. diſp. 8. q. 17. Alter. l. 4. diſp. 5. c. 4. Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 3. p. 61 & alij.*

Quod ſi quis confiteatur cum habente authoritatem generalem abſoluendi à cenſuris, & habeat animum abſoluendi ab omnibus, quas habet, & intendat more ſolito abſoluens abſoluere ab omni cenſura in quantum ipſe poteſt, & pœnitens indiget, tunc ſi obliuiſcatur confiteri aliquas cenſuras, poteſt deinde ab oblitis, quando in mentem venerint, à quocumque alio abſolui, quia per generalem abſolutionem habentis authoritatem ablata eſt reſeruatio, vt alibi diximus.

An vero hæc doctrina practicari valeat in habente cenſuram ad inſtantiam partis, cuius erat oblitus, quando cum habente authoritatem confeſſus fuit, poſſit ab alio abſolui nō ſatisfacta parte, diſtinguunt aliqui, quod ſi ille habens authoritatem abſoluendi à cēſuris habebat abſolutè authoritatē abſoluendi etiam non ſatisfacta parte, poſſe in vim generalis abſolutionis ab eo habitæ abſolui à quolibet non ſatisfacta parte ſecus ſi habebat facultatem abſoluendi, ſatisfacta parte.

Negant tamen alij, & probabilius abſolutè, quia præſumi debet præfatus habens authoritatem non daturam fuiſſe abſolutionem non ſatisfacta parte. *Ita Aula 2. part. diſput. 3. dub. 9. Comnch. de pænit. diſp. 8. dub. 12. & Bonac. loc. cit. punc. 6.*

Vtrum habens poteſtatem abſoluendi à cenſuris, poſſit abſolutionem ab eis præſtare extra Sacramentum pœnitentiæ.

DIFFIC. LXXXII.

DIco primo, quod habens authoritatem Ordinariam abſoluendi à cenſuris, poteſt etiam extra Sacramentum pœnitentiæ abſoluere ab eis, cū cenſura, vt cenſura non dependeat in materia abſolutionis neceſſario à Sacramento pœnitentiæ, cum abſolutio cenſurarum potius pertineat ad clauē iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam ad Clauem ordinis, abſolutio autem Sacramentalis neceſſario dependet ab vtraque Claue tam iuriſdictionis, quam Ordinis.

Dico ſecundo, quod delegatus in abſolutione Cenſurarum ſi habeat authoritatem generalem, & abſolutè abſque limitatione in foro conſcientiæ, vel pœnitentiæ, poteſt etiam extra Sacramentum abſoluere delegatus, fauores enim ſunt ampliandi, quod ſi limitetur authoritas delegati ſolum in foro pœnitentiæ abſoluendi a cenſuris, inualida eſſet abſolutio data extra Sacramentum, quia formam delegationis ſuæ debet omnino ſequi.

Verum eſt tamen, quod ſi auditis peccatis, & cenſuris pœnitens ante datam abſolutionem à peccatis moreretur, vel vocem amitteret, poſſet abſolui à cenſuris licet non poſſet abſolui à peccatis, quia iam incepta eſt Confeſſio Sacramentalis, & per accidens eſt, quod à peccatis non poſſit abſolui.

Dico tertio, quod non videtur omninò improbabile, quod aiunt multi Doctores, quod ſi daretur facultas abſoluendi a cenſuris auditis Confeſſionibus, poſſit delegatus abſoluere etiam extra Sacramentum à Cenſuris, quia volunt ly auditis Confeſſionibus referri ad peccata, non autem ad Cenſuras. Ita *Sanch. lib. 8. de Matrim. diſput. 15. & diſput. 34. & Comnch. diſput. 14. dub. 16.* quod inquam non videtur omnino improbabile, ſi detur authoritas abſoluendi à Cenſuris in ordine ad peccata tollenda; poſſet enim extorqueri, quod intenſio dantis poteſtatem abſoluendi ſit, vt à peccatis abſoluat audita Confeſſione, verum nimis largè videtur intentio concedentis interpretari. Attamen

Dico quarto, quod habens facultatem abſoluendi à cenſuris in foro conſcientiæ abſque alia limitatione poteſt abſoluere extra Sacramentum pœnitentiæ, pro quo aduertendum quod aliud eſt habere facultatē abſoluendi à cenſuris in foro conſcientiæ, & aliud habere poteſtatem abſoluendi in foro pœnitentiæ, forum enim conſcientiæ dicitur forum ſecretum quatenus diſtinguitur à foro ſolemni, ita vt habens authoritatem abſoluendi in foro conſcientiæ non poſſit abſoluere ſolemniter, nec requiritur in abſoluente in foro conſcientiæ, ideſt ſecreto poteſtas ſeu clauis ordinis, hinc Parochus habens authoritatem in foro conſcientiæ abſoluendi ſuos ſubditos à Cenſuris, extra Sacramentum abſoluit etiam ſi nō ſit factus Sacerdos, at vero poteſtas data abſoluendi in foro pœnitentiæ eſt data in ordine ad Confeſſionem Sacramentalem, nam forum pœnitentiæ Sacramentum reſpicit, & requirit clauem Ordinis neceſſario. Ita etiam *Suarez lib. 8. de leg. c. 4. p. 6. numer 16. Bonacin. de cenſur. diſput. 1. quæ 1. 3. punct. 6.* & licet noſter *Rodriquez T. 1. qq. Reg. quæſt. 61. a. 10. & Sanchez loc. cit.* non videantur vndequaque hanc doctrinam approbare, attamen mihi probabilis admodum videtur, nam quoties abſolutio à Cenſuris cadere debet ſupra materiam, ad quam per ſe non requiritur abſolutio Sacramentalis, ſed ſolum, vt obedientia præſtetur, & imponatur pro contumacia pœnitentia ſalutaris ideſt ſecreta, & non publica, & ſolemnis, poteſt vtique in foro conſcientiæ ſecreto impendi extra Sacramentum pœnitentiæ, vt hodie eſt in vſu, quod quando datur à Prælatis, vel pontificijs Decretis pœnitentia ſalutaris intelligitur de pœnitentia ſecreta extra Sacramentum pœnitentiæ pro vt contra diſtinguitur a pœnitentia ſolemni.

Vtrum petens ab habente poteſtatem abſolutionem omnium cenſurarum, quibus eſt irretitus, ſi vnam reticeat ſcienter, & voluntariè, ab ea etiam maneat abſolutus.

DIFFIC. LXXXIII.

DIſtinguendum puto, nam abſoluens eſt Ordinarius Iudex, & Prælatus, & ſic, ſi intendat ab omnibus indiſtinctè abſoluere, remanet abſolutus petens ab eo ab omnibus abſolui, licet aliquam ſcienter reticeat, quia Ordinarius Iudex, & Prælatus poteſt abſoluere abſque cauſæ cognitione à cenſuris ſibi reſeruatis, quamuis malefaciat abſoluendo abſque eo, quod prius videat, an Eccleſiæ, vel parti ſatisfecerit, itaque licet reticeatur etiam ſcienter aliqua cenſura, remanet ab illa abſolutus, ſi Iudex, vel Prælatus Ordinarius intendit abſoluere ab omnibus, quibus eſt irretitus pænitens.

Si vero abſoluens ſit delegatus, tunc ſi habet abſolutam abſque limitatione facultatem abſoluendi etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, etiam validè remanet abſolutus pœnitens in dicto caſu ab omnibus, ſi vero ſolum in Sacramento pœnitentiæ habeat authoritatem abſoluendi, non remanet abſolutus ab ea, quam ſcienter reticet, quia huiuſmodi delegatus abſoluens in Sacramento pœnitentiæ, debet abſoluere cum peccati cognitione, nec poteſt abſoluere à cenſuris, quas ſcienter, & doloſè pœnitens relinquit, iuſſu illarum cognitio ſibi ſub trahatur ſimul cum peccato, quod eſt materia confeſſionis, in qua habet authoritatem ſolummodo à cenſuris abſoluendi, & non aliter, quod ſi ex obliuione, vel inaduertentia non patefecerit aliquam cenſuram, tunc quia indirectè etiam peccata oblita, & ex inaduertentia non culpabili omiſſa confiteri abſoluit virtute Sacramenti Confeſſarius, etiam à cenſura oblata cenſetur abſoluiſſe, atque adeo à quolibet, cum in mentem venerit oblata cenſura poterit abſolui quantumuis ſemplici Confeſſario, quia ſicut obliuio, & inaduertentia non culpabilis à Deo in Sacramento compatitur, ita dolus omnino damnatur. Ita etiam *Suarez diſputation. 7. ſect. 5. Alter. lib. 4. diſput. 4. cap. 3. Coninch. Filiuc. & Bonacina, loc. citat.*

Vtrum à cenſuris abſolutus tempore Iubilæi cum animo adimplendi in ipſo mandata, ſi poſtea non adimpleat, reincidat in eaſdem cenſuras.

DIFFIC. LXXXIV.

AFfirmare videntur noſtri *Rodriq. in B. Cruc. §. 2. nu. 8. & Angles p. 1. q. 3. de confeſ. ar. 5. diffic. 4.* ex eo, quod datur facultas cum ea intẽtione, vt ſolum illi ſint abſoluti, qui mandata in Iubilæo adimpleuerint.

At vero noſter Corduba, quem citat, & ſequitur Suarez *de pœnit. diſput. 31. ſect. 4. Sanch. l. 8. de matrim. diſp. 15. Henriq. lib. 6. cap. 16. Sà v. abſolutio n. 18. & v. indulgentia, & Bonac. loco cit. verſ. fin.* volunt non reincidere, ſi abſolutio data fuerit abſque reincidentiæ pęna, quod puto probabilius, ſi in Bulla Iubilæi non fiat expreſſa mentio de reincidentia.

At vero peccet, qui poſt obtentam abſolutionem à cenſuris, non adimplet ea, quæ in Bulla præcipiuntur, negare videntur Sanch. & Bonac. loc. cit. & iterum Bonac. de pęnit. q. vlt. propoſ. 1. Suar. autem affirmat, quia delinquet in re graui.

Attamen dicendum puto, quod ſi ex dolo, & contemptu negligat iuſſa in Bulla exequi, abſolutus iam à cenſuris, ſanè peccat mortaliter delinquens doloſè in re graui, quod ſi ex inaduertentia, negligentia, vel obliuione licet aliquo modo culpabili modo, non adſit dolus, & non ſit affectus, non peccat mortaliter in tali caſu, quia non relinquit ex contemptu, & temere.

Vtrum cenſurarum abſolutio cum conditione de futuro ſit valida.

DIFFIC. LXXXV.

CErtum eſt apud Doctores conditionem de præterito, vel de præſenti non efficere inualidam abſolutionem ſub ipſa datam in cenſuris, quia neutra ſuſpendit actum, de futura autem controuertunt Doctores, quorum alij aiunt, alij negant.

Negant noſter Ang. v. Abſolutio c. 3. §. 1. Vngarel. ibi ſchol. A. & v. excomm. 2. §. 5. & Sylu. eadem verbo, quia illuſoria eſt vt plurimum abſolutio, quæ à contingenti prouenit effectu.

Affirmant tamen *Couarr. cap. Alma mater p. 1. c. 11. Sayr. l. 2. c. 16. Suar. diſput. 7. ſect. 8. & diſp. 3. ſect. 7. Filiuc. cap. 10. p. 2. Reginald. lib. 9. Alter. lib. 4. diſput. 1. cap. 3. & Bonac. punct. 7.* & probabiliter, quia licet abſoluens ſub conditione de futuro peccet, quia contra ritum, & vſum Eccleſiæ, abſoluat, attamẽ ſi vere purificata conditione habeat animum abſoluendi, validè remanet Reus abſolutus, ſed de hac doctrina vide, quæ infra v. excommunicatio de triplic. conditione dicetur.

Vtrum abſolutio cenſurarum ad cautelam ſit licita.

DIFFIC. LXXXVI.

ABſolutio cenſurarum ad cautelam licita eſt ex communi vſu, & praxi Sanctæ Eccleſiæ, quando, vel neſcitur, aut dubitatur contracta fuiſſe cenſura, vel ſaltem prætenditur eſſe inualida, ad maiorem enim conſcientiæ tranquillitatem in hiſce caſibus vtiliter admodum dari conſueuit, ad hoc ſi pœnitens indigeat, maneat abſolutus, abundans autem cautela non nocet l. Teſtamentum C. de Teſtam. quia autem cautela non nocet, non facit præiudicium contra petentem abſolutionem ad cautelam, etenim per petitionem tali abſolutionis non confitetur ſe admiſiſſe delictum, ſed ſuæ conſcientiæ tranquillitatem quærit; & licet faciat aliquam præſumptionem de contracta cenſura, attamen ex hac præſumptione nihil probatur contra petentem, quia in ijs, quæ ſunt grauioris præiudicij probationes debent eſſe claræ l. faciunt C. de probat. *Panormit. in c. prudentiam v. 6. nu. 36. de offic. deleg. Alter. l. 4. diſp. 6. c. 3. Bonac. loc. cit. punct. 7. & alij.*

Vtrum cenſurarum abſolutio extorta per dolum, vim, & metum valida ſit.

DIFFIC. LXXXVII.

DIco primo, quod diſtinguendum videtur de dolo, nam vel dolus verſatur circa cauſam finalem motiuam, puta, quia non repræſentatur cauſa motiua finalis Iudici, ob quam abſolutè moueretur ad abſoluendum, & in hoc caſu abſolutio eſſet inualida, quia Iudex non intenderet abſoluere non ſubſiſtente cauſa, ob quam moueretur ad abſoluendum, aliter non abſoluturus, hinc ſi quis extorqueret doloſè abſolutionem repræſentando ſe iam ſatisfeciſſe Parti, vti verè non ſatisfecit, inualida eſt abſolutio, quia cauſa finalis motiua, ob quam Iudex mouetur regulariter ad abſoluendum eſt ſatisfactio partis, hac ergo non ſubſiſtente, & doloſè tanquam vere repræſentata inualida eſt abſolutio, quia in hoc, & ſimili caſu ſuperior non intendit abſoluere.

Quod ſi Dolus verſetur ſolũ circa cauſam impulſiuam, quia ſcilicet non ſubſiſtente adhuc abſolueret, valida eſt abſolutio, quia intenderet Iudex abſoluere etiam tali cauſa non ſubſiſtente. Ita communiter Suar. Alter. & Bonac. locis in ſuperioribus citatis.

Dico ſecũdo, quod Abſolutio cenſurarum extorta per vim, & metum iuſtum cadentem in conſtãtem virum inualida eſt, quia talis metus tollit omnino voluntarium, eſt omnino inualida, & de facto irritatur talis abſolutio *in c. vnico de iis, qui vi in 6.* in quo capite fertur etiam excommunicatio contra extorquentes abſolutionem per vim, & metum iniuſtum. Vide noſter Ang. v. excomm. 7. caſu 18.

Quod ſi metus ſit iuſtus, & incutiatur iuſtè, & ſine iniuria ad extorquendam non ſolutionem, valida erit, nec incurritur præfata excommunicatio idem dicẽdum, ſi metus ſit ſolum naturalis, vel etiam ſupernaturalis à Deo incuſſus, niſi abſoluat, valida etiam eſt abſolutio, quia in neutra metus eſt iniuſtitia. Ita communiter Doctores infra citandi.

Dico tertio, quod ſi metus ſit leuis, & non cadens in conſtantem virum, cum non tollat voluntarium, valida erit abſolutio. Vide noſtrum *Angelum v. abſolutio 3. §. 19. & v. excomm. 7. caſu 18. Suar. diſp. 2. ſect. 5. Vgol. Tab. 1. c. 20. §. 4. Nauar. c. 27. n. 125. Bonac. diſput. 1. qu. 2. punc. 8. Regin. l. 9. Henriqu. l. 13. cap. 30. & alii.*

Vtrum habens poteſtatem ordinariam abſoluendi à cenſuris reſeruatis, ſi in ſententia, vel canone dicatur, vt non abſoluatur niſi parte ſatisfacta, abſoluere valide queat, parte non ſatisfacta.

DIFFIC. LXXXVIII.

AFfirmant communius Doctores, & colligunt poſſe iudicem ordinarium abſoluere à cenſuris etiam non ſatisfacta parte, licet in ſententia, vel Canone dicatur, quod non abſoluatur niſi parte ſatisfacta ex c. Venerabilem §. ſanè de ſent. excomm. in 6. quia Iudex ordinarius non habet authoritatem limitatam, cum debeat, vt ordinarius habere plenum ius in ſententia, aliàs non eſſet ordinarius, ſi ab alio dependeret. Ita noſt. *Ang. v. excomm. 7. caſu vlt. verſus finem Vngarel. ibi ſch. b. Nauar. c. 27. n. 37. Syl. v. abſol. 3. n. 3. Bonac. de cenſ. diſp. 1. qu. 3. punc. 9. Caiet. V. abſol. c. 4. Auila diſp. 3. dub. 7. Coninch. diſp. 16. Henriq. l. 13. c. 38. & alij.*

Vnde infert noſter Vngarel quod Papa tãquam vniuerſalis Ordinarius iudex cauſarum in toto Mundo, & quilibet Prælatus ordinarius in ſua iuriſdictione validè abſoluunt à cenſuris etiam parte non ſatisfacta, quia, vt ordinarius eſt ſibi nemo poteſt ſuam authoritatem limitare. An vero Prælatus ordinarius abſoluens abſque partis ſatisfactione peccet contra charitatem, & contra iuſtitiam, certum eſt peccare contra charitatem, quia bono proximi non conſulit.

Quod autem peccet etiam contra iuſtitiam, & teneatur conſequenter procurare bonum, quo priuatur pars læſa docent, Auila, Suar. & Coninch. loc. cit.

Negant tamen alij probabiliter etiam, vt dicetur v. reſtitutio, vide *Molin. & Leſſ. apud Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 7. p. 4. §. 3. n. 22. & de reſtit. q. 1. punct. 11.*

Vtrum delegatus cui committitur abſolutio cenſuræ cum partis ſatisfactione validè abſoluat ſine ipſa.

DIFFIC. LXXXIX.

DIſtinguendum probabiliter puto, nam, vel clauſula iubens abſolutionem cum partis ſatisfactione, vel eſt poſita cu particulis irritatiuis, puta ſi dicatur, non poſſit, nõ valeat, nulla ſit abſolutio, nullatenus abſoluatur niſi parte prius ſatisfacta, & tunc certum eſt inualidè abſoluere delegatum niſi parte ſatisfacta, quia aliter non ſeruaret formam ſubſtantialem ſuæ delegationis, ſi abſolueret ſine partis ſatisfactione.

Quod ſi ponatur tanquam conditio admonitionem potius, quam neceſſitatẽ imponens, vt ſi dicatur non abſoluatur niſi parte ſatisfacta, quia iſte ablatiuus videtur ſolummodo ſonare quandam admonitionẽ ad ſeruandam formam iuris in abſoluendo, poſſet dici, quod valida eſſet abſolutio data abſq; partis ſatisfactione, illicita tamen eſſet, quia conditor Canonis, vel ſententiæ per tales particulas non irritatiuas abſolutionis nõ debet præſumi voluiſſe irritare, ſed ſolum monere, quod licitè debet facere delegatus, nec obſtat, quod ablatiuus abſolutus importat conditionem, & formam neceſſariam ex l. teſtatore ff. de condit. quia talis ablatiuus, quando importat conditionẽ, & formam neceſſariam aliquod validè faciendi, & aliquando faciendi aliquod licitè, ita, & in propoſito, quia quando conditor Canonis vult nullam eſſe abſolutionem niſi ſatisfacta parte adhibet particulas expreſsè irritatiuas, ergo quando non adhibet eas ſignum eſt ſolum velle commonere facere de eo, quod licitè, & ritè debet fieri in abſolutione præſtanda, & nõ intendit irritare ſi aliter fiat, ſed ſolum declarare, quod illicitè fiat ſine partis ſatisfactione. Ita etiam noſter Vngarel loc. cit. *ſch. q. Rodr. 1. par. §. 3. n. 4. Angles de excommu. f. 53. Cardinalis, quem citat noſt. Ang. loc. cit. Auila 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 9. Sanch. l. 3. de matr. diſp. 9. & l. 3. diſp. 33. & l. 2. de matri. diſput. 5. & Bonac. loc. cit. & alij.*

Verùm potius ſpeculatiuè verã puto hanc opinionẽ, quam in praxi docendã, vtpotè parti læſæ, & charitati contrariã &c.

Vtrum potens abſoluere à cenſuris ſatisfacta parte validè abſoluat moraliter impotentem reſtituere.

DIFFIC. XC.

DIco primo, quod moraliter impotentem reſtituere, puta, quia ſi reſtitueret graue incommodum famæ, honoris & bonorum, vel vitæ pateretur, poteſt validè abſoluere etiã non ſatisfacta parte delegatus, cui committitur abſolutio ſatisfacta parte, quia ad impoſſibile nemo tenetur, l. impoſſibilium ff. de reg. iur. habet autem moralem impoſſibilitatem, qui in præfatis caſibus impotens eſt, ergo non tenetur reſtituere, ergo poteſt validè abſolui, cõditio .n. poſita ne abſoluatur niſi ſatisfacta parte, debet intelligi de potente æquè bene reſtituere, nõ autem de impotente moraliter, quod etiam verum puto, ſi dicatur, quod non abſoluatur niſi in mortis articulo, impotentiæ .n. cauſa tanta videtur eſſe, quanta neceſſitas mortis, vnde pœnitens moraliter impotens etiam extra articulũ abſolui regulariter poteſt. Ita ex noſtro *Angelo v. abſol. 3. §. 20. & 21. Rodr. 1. p. c. 73. n. 3. Nauar. c. 27. n. 45. Auila 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 5. Vaſq. de excom. dub. 20. Suar. d. 7. ſec. 5. Regin. l. 9. Alter. l. 4. diſp. 4. c. 4. Henriqu. lib. 13. c. 28. Bonacin. de cenſ. diſput. 1. q. 3. punct. 9.* & alij. Attamen

Dico ſecundo, quod licet in ſe præfata doctrina vera ſit, limitanda tamen videtur, modo creditor non ſit in æquali incõmodo, & non ſentiat æquale damnum, nam ſi creditor eſt in pari neceſſitate, & ſi ei non ſit reſtitutio æquale damnum, & incommodum ſentit, quod ſentiret debitor reſtituendo, non poteſt abſolui debitor, niſi ſatisfaciat in tali caſu, quia Dominus directus debet in æquali incommodo præferri, & res ſua debet reſtitui cum incommodo debitoris ita aliqui præcitatis Doctoribus, licet vndequaque hæc doctrina non admittatur a noſtro *Corduba de indulg. q. 43. & Sot. in 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. pia tamen eſt, & probabilis ſententia*, tu vide; quæ in hoc caſu conſimili dicturi ſumus V. Reſtitutio.

Dico ex noſtro *Ang. & Rodr. loc. cit.* quod in caſu impotẽtiæ huiuſmodi exigenda eſt antequam abſoluatur non ſatisfacta parte cautio, vel pignoratitia, vel fideiuſſoria, vel ſaltem iuratoria à Debitore, quod ſi in parte ſit potens, & in parte impotens, prius reſtituat in quo poteſt, & de reliquo cautionem præſtet ſupradictam.

Dico quarto, quod, qui materiam reſtitutioni obnoxiã tradiderit confeſſario, vel alteri viro fideli, vt reddatur tempore opportuno creditori, quando non adeſt copia præſens ipſius creditoris, poteſt abſolui, licet actu ad manus creditoris non peruenerit reſtitutio, qui iam in hoc caſu habetur pro reſtituta, dum eſt in manu fidelis viri, vt reſtituat opportuno tempore hic .n. iam non eſt amplius contumax dum iudicio confeſſoris tradit rem reſtituẽdam opportuno tempore, ergo poteſt abſolui. Ita etiam ex Sanch. in ſum. l. 2. c. 20. Bonac. Henriq Auila, & Alter. loc. cit.

Adde, quod ſi pars negligat, vel renuat recipere ſatisfactionem, ſi cenſura ligatus ſit paratus ſatisfacere, cum non ſit contumax, & per ipſum non ſtat parti ſatisfacere, poteſt etiam abſolui, negligentia enim, vel dolus partis non debet præiudicare vtilitati ſpirituali cenſura ligati, qui eſt paratus ſatisfacere, vt abſoluatur. Ita Bonac. & Auila loc. cit.

Dico vltimo, quod impotens reddere non poteſt cogi à Confeſſario etiam ad inſtantiam partis, vt bonis cedat, antequam abſoluatur, quia ad rem turpem faciendam non cogit Sancta Mater Eccleſia, vt abſolutionem impertiatur, nec valet, quod de rigore iuris poteſt cogi debitor ad cedendum bonis ad inſtantiam partis, nam ius ciuile ſatisfactionem partis reſpicit quocunque modo in pœnam Debitoris, non autem ita Eccleſia in foro conſcientiæ, in quo impotentia apud Deum excuſatur, vide Ang. noſtr. §. 22. loc. cit.

Vtrum cenſura ligatus dubitans, an teneatur ſatisfacere poſſit abſolui à Delegato abſoluendi habente poteſtatem ſolum ſatisfacta parte, ſi verè prius non reſtituat.

DIFFIC. XCI.

DIſtinguunt Doctores, nam, vel dubium, an teneatur ſatisfacere eſt probabile, & Confeſſarius ex narratione ipſius pœnitentis poteſt colligere dubium eſſe probabile, quod non teneatur reſtituere, poteſt vtique taliter dubitantem abſoluere non ſatisfacta parte, quia in dubio fauendum eſt Reo, & in dubio probabili potior eſt conditio poſſidentis, quãdo autem prohibetur, ne detur abſolutio niſi ſatisfacta parte, eſt ſermo de debitis certis, & liquidis, non autẽ dubijs, & illiquidis, quod ſi confeſſarius colliget dubiũ non eſſe probabile, ſed potius eſſe ſugam Debitoris, ne ligatur reſtituere,

quod

quod faciliter prudens confeſſarius accipiet ex eius verbis nõ debet eum abſoluere. Verum eſt tamen, quod cum foro conſcientiæ debet confeſſarius ſtare relationi pęnitẽtis. Vide noſtrum *Ang. l. cit. Nau. c. 26. n. 7. Auila 2. p. c. 7. diſ. 3. dub. 5. Suar. diſp. 7. ſect. 5. Alter. l. 4. diſ. 4. c. 4. dub. 4. & Bon. diſp. 1. q. 3. punc. 9.*

Vtrum cenſura ligatus ſub hac forma ſit cenſura tali innodatus donec ſatisfacias parti, ſit intelligendus abſolutus abſque alia abſolutione ſtatim atque ſatisfecit.

DIFFIC. XCII.

CErtum puto, quo ad ſuſpenſionem, & interdictum tolli ſtatim ſatisfacta parte abſque alia præuia abſolutione, vt dicetur ſuis locis, quo ad excommunicationem vero affirmãt probabiliter Alciatus, quem citat, & ſequitur *Couar. in c. Alma mater 1. p. § 11. Vaſq. 18. de excomm. & alij.*

Probabilius tamen tolli abſque abſolutione realiter tradita excommunicationẽ negant alij in tali caſu, ſed indigere adhuc ſatisfacta parte, vt verba abſolutionẽ indicantia ſaltem ſcripto actu proferantur, quod colligitur *ex c. quod in dubijs, & ex c. ſicut nobis de ſent. excom.* vbi dicitur eſſe abſoluendum huiuſmodi excommunicatum.

Quare volunt illam particulam, quod ſis excommunicatus donec reſtituas, & ſatisfacias facere hunc ſenſum, vt poſſis abſolui, poſtquam ſatisfeceris. Ita *Suar. diſp. 19. ſect. 1. Filiuc. c. 9. q. 2. & c. 10. q. 1. Coninch. diſp. 14. dub. 16. & Bonac. loc. ſup. cit.*

Vtrum à cenſuris latis à ſuis ſuffraganeis abſoluere poſſit Archiepiſcopus.

DIFFIC. XCIII.

IN tribus caſibus ſolis poſſe Archiepiſcopum abſoluere à cẽſuris latis à ſuis ſuffraganeis volunt cõmuniter DD. primo, quando actualiter viſitat Diœceſim ſui ſuffraganei, quia in actu viſitationis habet authoritatem ordinariam in ſubditos ſui ſuffraganei, eoſque abſoluit, at cum eis diſpenſat, in quibus poteſt ſuffraganeus 2. quando ſuffraganeus doloſè, vel malitioſè, aut etiam negligenter differt abſolutionem, nam in hoc caſu Archiepiſcopus abſoluit, cum dolus, & culpa ſuffraganeo nõ debeat patrocinari maximè in deſtructionem animarum ſibi commiſſarum 3. quando delata fuit cauſa per legitimã appellationem ad Archiepiſcopalem curiam, vt patet ex c. *Venerabilis de ſent. excomm. in 6. Ita noſt. Ang. v. Archiepiſ. Sylu. V. abſol. nu. 1. Couar. in c. alma mater p. 1 § 2. Auila 2. p. c. 7. diſp. 1. Henriq. l. 13. c. 24. Alter. l. 4. diſp. 2. c. 3. Suar. diſp. 30. ſect. 2. Coninch. Filiuc. & Bonac. loc. ſupra cit.*

Vtrum habens priuilegium eligendi confeſſarium approbatum, vt abſoluatur à cenſuris, poſſit eligere à quocunque ordinario approbatum.

DIFFIC. XCIV.

LIcet non defuerint graues Doctores, qui putarunt poſſe à quocunque ordinario approbatũ eligere habẽtem Bullam, ſeu priuilegium, vt poſſit abſolui à cenſuris per confeſſarium approbatum, attamen hodie adeſt *declaratio Sac. Congregationis apud Quarantam v. confeſſor*, decernens confeſſarium debere eligi approbatum ab Ordinario loci, ſeu Diœceſis, in qua eſt pęnitens Ita etiam Bonac. diſp. 1. q. 3. punct. 6.

Vtrum ligatus cenſura propter percuſſionem Clerici teneatur ſatisfacere, antequam abſoluatur.

DIFFIC. XCV.

SAtisfactionem præſtandam ab eo, qui petit abſolui propter percuſſionem clerici antequam abſoluatur, certum eſt, & quidẽ ipſi clerico ſoli ſi fuerit ſæcularis, ſatisfactio prius danda, niſi fuerit etiã lęſa Eccleſia, vel Capitulũ ratione talis percuſſionis ſui clerici, quia tunc etiam Eccleſia poterit agere pro iniuria ſibi illata Inſtit. de iniuria § ſi cõmuni ſeruo. quare eccleſiæ etiam ſatisfaciendum, antequam abſoluatur.

Quod ſi percuſſio facta fuerit Clerico Regulari, ſeu Religioſo religionis approbatæ, ſatisfactio etiam pręmittenda, antequam abſoluatur, & præſtanda eſt Monaſterio, non autem Religioſo percuſſo *ex 12. q. 1. c. non dicatis, & c. cum ad monaſterium 1. de ſtat. Monach.* quicquid .n. Monachus requirit, Monaſterio acquirit, & Monaſterium potius videtur paſſum iniuriam, cum Monachus, vtpotè mundo mortuus non dicatur poſſe directè iniuriam accipere.

Vtrum cenſurarum abſolutio conceſſa à ſuperiore intelligatur pro vtroque foro.

DIFFIC. XCVI.

DIco primo, quod cenſurarum abſolutio quando datur à Superiore pro foro interiori, ſeu pęnitẽtiæ ſemper intelligitur data ſaluo iure cognoſcendi, & puniendi delictum in foro fori, & ſatisfactionem in eadem foro imponẽdi, & exigendi. Ita communiter DD. noſtri *Miranda in man. Prel. T. 1. q. 46. a. 7. Rodr. in ſum. p. 1. c. 83. n. 9 Suar. diſp. 7. ſect. 5. Auila 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 12. Alter. l. 4. diſp. 1 c. 2. & diſp. 4 c. 4. Sanc. in ſum l. 2. c. 11. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 10. Filiuc. tr. 11. c. 9. q. 7. & alij.*

Cognoſcitur autem, quando ſolũ authoritas in foro conſcientię, vel in ordine ad confeſſionem Sacramentalẽ abſoluendi à cenſuris traditur, quando ponitur ſpecificatio expreſſè denotans valiturã abſolutionem pro foro pęnitentiali tantũmodo. At vero ſi generaliter ſit data authoritas abſoluendi præfata abſq; vlla reſtrictione, & limitatione tũc intelligitur data authoritas abſoluẽdi in vtroque foro, modo præmittatur ſatisfactio partis, vt colligitur ex motu Pij V. etenim verba generalia generaliter intelligenda, ſi ex alijs circũſtantijs alia fuiſſe mens Superioris non colligatur. Ita ex noſtro *Rodr. loc. cit. Nauar. c. 27. n. 278. Suar. Bonac. & Filiuc. loc. cit.* & licet cõtrarium velint Auila, & alij putantes etiã authoritatem datam generaliter abſoluendi à cenſuris, ſolum intelligẽdum pro foro conſcientiæ, attamen tuta eſt, & probabilis prima opinio, cum verè ſpecificatio ponatur a dante authoritatem, quando non intendit dare pro vtroque foro, tutius tamen cum ſecunda opinione practicatur. Quare

Dico ſecundo, quod ſi quis velit vti opinione prima *Rodr. & Nauar.* ſ. authoritatem generaliter latam abſoluendi à cẽſuris extendendum ad vtrumque forum, aduertere debet, antequam atteſtationem abſolutionis pro foro externo tradat pęnitenti, petat prius ab eo licentiam de auditis in Confeſſione poſſe atteſtari in foro externo, cum non liceat loqui de auditis in confeſſione extra ipſam.

Dico tertio, quod atteſtatio, quam facit Confeſſarius iuxta præfatam opinionem, quod pęnitentẽ à cenſuris abſoluerit, iuxta opinionem probabilem. Calderini conſ. 2 de teſtam. Paleot. dec. 220. Suar. & Bonac. loc. cit. ſufficit, quod manu cõfeſſarij ſit firmata, quia ſi creditur Tabellioni pro rebus publicis, cur non confeſſario pro rebus pertinentibus ad forũ animæ.

Attamen probabilius videtur practicandũ cum noſt. Rodr. *loc. cit. Salzedo in ſua prax. crimin. et Rebuf. in conc. in for. mand. Apo. v. abſolutio n. 551.* qui volunt non ſufficere atteſtationem ſola confeſſarij manu ſubſumptam, ſed requiri putant ſaltem duos teſtes, qui cenſura ligatum abſolutum, & parti ſatisfeciſſe teſtentur. Imò *Nauar. l. 5. conſ. de ſent. excom.* ad maiorem cautelam, & fidem docet ſchedulam manu confeſſarij firmatã abſolutionis impertitę fidem facientis tradendam pœnitenti coram Notario, & Teſtibus, qui in dorſo ſchedulæ ſuo ſigillo publico appoſito teſtetur tali die, & anno & loco fuiſſe impẽſam talem cenſurarũ abſolutionem præuia partis ſatisfactione, prout continetur in ſchedula manu confeſſarij firmata.

Aduertendum etiam, quod licet Abſolutio à Confeſſario validè ſit lata in foro fori, adhuc tamen iudex ordinarius poteſt de tali crimine cognoſcere, & delinquentem punire, quia talis abſolutio à confeſſario datur in fauorem pœnitentis abſque præiudicio iudicis ordinarij.

Denique abſolutus in foro conſcientiæ, & præcipuè ab excommunicatione ſicut erat denũciatus excommunicatus poteſt cum alijs participare occultè, qui norunt eius abſolutionẽ in foro conſcientiæ modo non adſit ſcandalum neſcientium eius abſolutionem, & maximè puſillorum, quare totius videtur publicam facere abſolutionem habitam à valente abſoluere cum partis ſatisfactione, vt dictum eſt ſupra. Ita Rodriq. Nauar. Auila, & Bonac. loc. cit.

Quomodo præſtanda abſolutio in foro externo.

DIFFIC. XCVII.

DIcendum, quod danda abſolutio à cenſuris in foro externo cum cęremoniis ſcriptis in c. à nobis de ſent. excom.

vbi tamẽ vſu receptę ſint,ſaltẽ nõ docẽt omitti,quę nouiſſimè in Rituali iuſſu Pauli V. edito. In foro tamen conſcientiæ, quando datur abſolutio, non ſunt abſolutè neceſſariæ, ſed ſufficit dari in forma conſueta in foro Sacramentali.

Quare licet in abſolutione danda in foro fori ſemper præmitti debeat ſatisfactio realis parti offenſæ, vel ſaltem cautio pignoratitia, fideiuſſoria, & omnino iuratoria præſertim in criminibus grauioribus, vt ſunt B. C & percuſſionis Clericorum de parendo mandatis, & reuerentia exhibenda Eccleſiæ, & in futurum amplius de talibus non patrandis, tamẽ in abſolutione danda in foro pœnitentiæ virtute Iubilæi, vel Priuilegij licitè extorquatur, non tamen neceſſariũ, vt notant Alter. l. 4. diſp. 7. dub 4. & Bonac. punct. vlt. loc. cit.

An vero poſſit imponi pœnitentia pecuniaria ſoluenda ſi iuxta abſoluentis mandata in abſolutione, poſtea non paruerit Abſolutus, relinquendum putant Doctores arbitrio confeſſarij iuxta facti, & perſonæ circunſtantiam, partim tamen non eſt imponenda ad vitandam auaritiæ ſuſpicionem, &c.

Ceſſatio à diuinis.

Quid, & quotuplex ſit ceſſatio à diuinis.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod ſecum ſuam fert abſolutionem quid nominis iſta pœna & licet formali, & quidditatiua definitione nequeat ſtrictè definiri, poteſt ſaltem deſcribi ſaltem tali pacto. Ceſſatio à diuinis eſt ſimplex prohibitio, qua miniſtri Eccleſiæ prohibentur publicè perſoluere diuina officia, miniſtrare Sacramenta, & laicos in loco ſacro ſepelire. Ita noſter *Ang. V. ceſſatio à diuinis, Nauar. c. 27. nu. 188. Suar. diſp. 39. ſect. 1. n. 1. Filiuc. tra. 18. c. 7. q. 1. Coninch. diſp. 17. dub. 7. Sayr. l. 5. c. 17. Bonac. diſp. 6. p. 1. & alii.*

Dico ſecundo, quod ceſſatio à diuinis duplex eſt altera generalis, qua vniuerſaliter in tota ciuitate, Caſtro, Regno, vel Prouincia imponitur talis pœna in quacumque Eccleſia ſeruanda, alia particularis, qua ſolum fit ceſſatio in aliqua Eccleſia particulari. Ita communiter Doctores citati.

Vtrum ceſſatio à diuinis ſit cenſura, & an differat ab Interdicto.

DIFFIC. II.

NEgant communiter Doctores primo, quia cenſura medicinalis eſt, & ad emendationem præcipuè inuenta ab Eccleſia, vt dictum eſt v. cenſura, at vero ceſſatio imponitur ad punitionem præcipuè eius, ob cuius delictum inducitur, Secundo, quia cenſura videtur afficere, & ligare animam, at vero ceſſatio à diuinis eſt ſola ſimplex prohibitio. Tertio ceſſatio à diuinis non dicitur cenſura, quia per violationem eius non incurritur irregularitas, ſicut incurritur per violationẽ cenſuræ, irregularitas enim non incurritur, niſi in caſibus in iure expreſſis, nullibi antem propter ceſſationis violationem irregularitas inuenitur inflicta apud Sac. Canones. Ita noſt. Vngarell. ex Panormit. Angelus tamen noſter ceſſationem generalem interdicto comparat, ſed non videtur audiendus.

Imponitur tamen Religioſis non ſeruentibus ceſſationem, quam ſeruat Eccleſia matrix, Excommunicatio ſolum, vt in clem. 1. de ſent. excom. Ita Ang. noſter Nauar. Bona. Sayr. locis citatis, & alij communiter, an vero excommunicantur Regulares ſi non ſeruent ceſſationem validam, licet eam nõ ſeruet Eccleſia matrix, vel Parochialis affirmat Alter. de Interdicto diſput. 2. c. 1. at vero pondera bene præfatum caput.

Quare differre ab Interdicto clarum eſt, quia interdictum eſt vera cenſura, vt ſuo loco dicetur, & propter eius violationem incurritur Irregularitas, Interdictum afficit, & ligat, non ita ceſſatio cum ſit ſimplex prohibitio, tertio differt ab Interdicto, quia tempore ceſſationis non licet celebrare officia vllo tempore, at vero tempore interdicti licet iuxta moderamen datum in c. Alma mater vt dicetur ſuo loco 4. differt ab Interdicto, quia Interdictum incurritur etiã iure de facto, vt patet in c. quamquam de off. ordinaris. at vero ceſſatio nũquam ipſo facto incurritur à iure, ſed ſolum comminatoriè. ex quibus

Collige cum noſtro *Rodriq. 1. p. ca. 117. Suar. diſp. 39. ſect. 1. Henriq. l. 13. c. 52. Alter. diſp. 2 c. 1. & 2.* quod habens priuilegium audiendi Miſſam tempore interdicti, non poteſt eo vti tempore ceſſationis, & econtra, quia magna eſt differentia inter vtramque, & priuilegium non poteſt extendi de caſu ad caſum, quando exorbitat à iure communi maximè, quia Interdictum non clauditur ſub ceſſatione, nec ceſſatio clauditur ſub interdicto, ſed vndequaque differant.

Quot conditiones requirantur ad validitatem ceſſationis à diuinis.

DIFFIC. III.

PAſſim doctores quatuor aſſignant conditiones ad validitatem ceſſationis à diuinis vt videre eſt apud noſtrũ Ang. *Suar. Bonac. Filiuc. loc. cit. Henriq. c. 52. Sayr. c. 18. & alios.*

Prima eſt, vt quando imponenda eſt ceſſatio, Capitulum cõuocet omnes Canonicos etiam abſentes, prout ſeruatur in qualibet alia re graui determinanda capitulariter, ita vt ſaltem duæ partes Canonicorum conueniant in imponẽda ceſſatione ex *c. quamuis §. 2. de offic. ordin. in 6.* & debent Canonici benè diſquirere, an cauſa propter quam imponenda ſit iuſta, & præcipuè propter delictum notorium, vt nulla tergiuerſatione celari valeat.

2. Eſt, vt, qui ceſſant, ſeu ceſſationem imponunt, habeant facultatem à iure, vel conſuetudinem eam imponendi. Ita noſter Ang. loco cit.

3. Vt admoneatur is, ob cuius culpam ferenda eſt ceſſatio, vt pareat, & ſatisfaciat, adhuc, vt inexcuſabilis fiat, ſi per ipſius contumaciam, & malignitatem tantum damnum prouenit toti communitati, & addit noſter Ang. vt nolente obedire, & ſe ſe emendare cauſa ceſſationis inſtrumento publico, vel patentibus litteris ſigillo munitis exprimi debet, & tradi ei contra quem præcipuè ceſſatur.

4. Vt ferens ceſſationem & ille contra quem fertur, niſi ſe intra menſem componant, adeant Summum Pontificem per ſe, vel per Procuratorem, ne Eccleſia diutius tam graue damnum patiatur.

Quod ſi ferens ceſſationem non adeat Romam intra mẽſem, non adeſt obligatio ſeruandæ ceſſationis poſt menſem ex cap. *quamuis §. fin. de offic. ordin. Vide noſter Ang. Suar. Sayr. Henriq. Bonac. loc. cit.*

Pęna autem imponentis ceſſationem ſine præfatis conditionibus habetur in c. ſi Canonici de off. ord. in 6. quod .ſ. priuantur fructibus, vide *Vngarell. ſch. h. loc. cit.* An vero ſi poſtquam Romam verſus iter arripuit, qui ceſſionem impoſuit, & poſt menſem velit tollere ceſſationem, an valeat, negarunt aliqui ex eo, quia cauſa deuoluta eſt ad Summum Pontificem, attamen non videtur ſufficiens oratio, quia cauſa propter quam iubetur aditus ad Summum Pontificem non eſt præcipuè, vt ad eum deuoluatur cognitio, ſed vt citius tollatur graue damnum Eccleſiæ, ergo ſemper habet imponens authoritatem tollendi ceſſationem, vt tollatur graue damnum à tota communitate. Ita etiam *Sot. in 4. diſt. 22. q. 3. ar. 2. Alter. diſp. 1. c. 6. & Bonac. loc. cit. n. 4.*

Quinam poſſit, & propterquam cauſam imponere ceſſationem à diuinis.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod Papa, & Epiſcopus regulariter imponũt ceſſationem à diuinis, hæc .n. cum pertinent ad forum contentioſum, cui regulariter præſunt Papa vniuerſaliter, & Epiſcopi per ſuas Diœceſes; Hinc Capitulum ſede vacante, vt ſuccedens iuriſdictioni Epiſcopali regulariter, niſi aliundè impediatur, poteſt etiam imponere ceſſationem, an vero viuente Epiſcopo valeat, affirmandum ſi hanc iuriſdictionem ex legitima conſuetudine acquiſierit Capitulum.

Item Concilium diœceſanum, & Prouinciale poſſunt ceſſationem imponere ex Clem. 1. de ſentent. excommu. Cæteri autem, qui ex delegatione, vel ex conſuetudine legitima iuriſdictionem imponendi ceſſationem habere prętendunt, litteræ ſuæ delegationis, vel legitima conſuetudo prius examinentur, antequam ad hunc actum oneroſum deueniant. Ita communiter Doctores. Vide Angel. noſtrum *Sayr. Filiuc. Bonac. loc. cit. Auilam diſput. 2 dub. 1. Reginald. libr. 32. tract. 3. num. 72.*

Dico 2. quod cauſa ob quam ceſſatio debet imponi, debet

duas

duas præcipuè habere cõditiones, primo, vt ſit grauior, quam ea, ob quam ponitur interdictum, cum ſit prohibitio magis oneroſa, quam interdictum, pæna autem debet æquiparari culpæ, ferè autem ſolet imponi pro ex...one ſtatuti contra libertatem, vel immunitatem Eccleſiaſticam puta pro impoſitione talearum, & collectarum contra Clericos, detentione Clerici, vel Canonici per iudicem ſecularem cum graui Eccleſiæ contemptu, & alijs ſimilibus, quæ grauiora reputantur arbitrio iudicis, quanquam alij velint ad Papam ſolum ſpectare, an cauſa, vel culpa ſit ſufficiens ad tantam pœnam imponendam, ex gloſ. in c ſi Canonici de offic. Ordin. in 6. vide Alter. in cap 6 & Bonac. num. 4 loc. cit.

Secunda conditio eſt, vt delictum propter quod imponitur non ſolum ſit publicum, in iudicio probatum, ſed probabilius, vt ſit notorium ex ſe, & nulla tergiuerſatione celari poſſit, & populi contra imponentem pænam ſic oneroſam, murmuratio obmuteſcat; cauſa autem iſta ſic grauis, & manifeſta debet, vt dictum eſt ſupra authenticè in ſcriptis reduci cum Sigillo publico, & tradi illi contra quem fertur præcipuè ceſſatio.

Quinam ſint effectus ceſſationis à diuinis.

DIFFIC. V.

DIco primo, quod primus effectus ceſſationis eſt, quod toto tempore, quo durat, non poſſit publicè in Eccleſijs celebrari diuina officia, nec Miſſæ celebrari, & hoc tam in ceſſatione generali, quam particulari, vt colligitur ex cap. ſi Canonici præcitato. Immò communius docent nec in Paſcate, nec in Natiuitate Domini, nec in Pentecoſtes licet diuina officia recitare, & Miſſas celebrare, ſicut poteſt in generali interdicto, *ex cap. Alma mater*, quia ibi ſermo præcisè eſt de interdicto, non de ceſſatione. Ita *Suar. Auila, Conınch. Filiuc. Reginald. & Bonacc. loc. cit. licet Alter. in diſput.* 2. *cap.* 3. *dub.* 1. videatur contrariam ſententiam in hoc particulari approbare, tamen pennia videtur eſſe contraria. Ex qua doctrina.

Collige, quod dum prohibentur recitari, & celebrari diuina officia, & Miſſæ in Eccleſijs prohibetur etiam pulſari campanas in ſignum talium officiorum, non tamen prohibentur pulſari ad concionem, parlamenta, & ſalutationem Angelicam, niſi aliud conſuetudo poſtulet. Ita communiter Doctores citati.

Dico ſecundo, quod ſicut Clerici prohibentur celebrare diuina officia, ita etiam laici prohibentur ea audire, ita vt ſi Clericus ex priuilegio celebraret, laici debent abſtinere à Miſſa audienda tali tempore, quia hæc pæna præcipuè afficit laicos, & priuilegium non extenditur ad eos, de quibus in ipſo non fit mentio. Ita *Suar. Filiucc. Bonacc. & Alter. cap.* 3. *loc. citat.* licet autem Clerici videantur in definitione prohiberi, attamen indirectè, & virtualiter etiam laici prohibentur audire, dum Clerici prohibentur publice celebrare.

Dico tertio, quod ſecundus effectus ceſſationis eſt priuatio Sacramentorum, nam tam tempore, quo durat non poſſunt conferri nec laicis, nec Clericis Sacramenta Ordinis, Matrimonij, extremæ vnctionis, & Communionis Eucharistiæ extra tamen articulum mortis, Sacramenta tamen Baptiſmi, & Pænitentiæ propter eorum neceſſitatem adminiſtrantur ex benignæ ſanctæ Eccleſiæ mentia interpretatione, vt docent communius Doctores, licet contrarium nimis rigidè videantur ſentire Reginald. & Filiucc. quare cum confirmatio ſit quaſi complementum Baptiſmi etiam permittitur conferri, Ita *Alter. cap* 4 *& Bonacc. num.* 5. *loc. cit.* & Matrimonium etiam ſi conſuetudo adſit aliter non datur. Ita præcitati Doctores.

Dico quarto, quod tertius effectus ceſſationis à diuinis eſt priuare laicos ſepultura Eccleſiaſtica etiam eos, qui habẽt priuilegium ſepulturæ ſacræ tempore interdicti, Clerici tamen ex benigna interpretatione non priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, quamuis in iure hoc priuilegium eis non concedatur, attamen ex praxi iam introducta poſſunt ſepeliri ſine tamen diuinis officijs; *Ita Auila diſp.* 1. *dub.* 10. *Alter. diſp.* 2. *cap.* 5. *Suar. diſput.* 39. *ſect.* 2. *Coninch. diſput.* 17. *dub.* 7. *Filiucc. & Bonacc. loc. cit.*

An vero etiam laici eo tempore ſine diuinis officijs poſſint ſepeliri in Eccleſijs nimis benignè affirmant Sacr. Filiucc. & Reginald. quia nulli ſi hoc vetitum eſſe ſufficienter probari poſſe putant, at vero idem Suar. communiorem opinionem doctorum id negare teſtatur nu. 19. quia ceſſatio videtur priuare omnibus, quibus priuat interdictum.

Vtrum vero ceſſatio poſſit fieri quoad vnum ex iſtis effectibus, & non ſecundum omnes, at quidem à Papa certum non poſſe fieri, cum ſit ſupra ius poſitiuum, quos ad autem ad Epiſcopum negant Henriq. cap. 54. & Auila diſp. 3 dub. 4. qui non poteſt diſpenſare in iure communi, ceſſatin autem habet ſimul hos tres pra tatos effectus annexos à iure, vt patet in c. non eſt vobis de ſponſalibus, affirmare tamen videntur *Alter. cap.* 3. *ad fin. Suar. diſp.* 39. *ſect.* 4. *&* 2. quia ideſt in eorum poteſtate in parte, vel in toto contra omnes, vel contra determinatas perſonas ceſſationem fulminare, quod tamen non practicandum videtur.

Quænam liceant tempore ceſſationis à diuinis.

DIFFIC. VI.

DIco primo, quod licet tempore ceſſationis ſaltem ſemel in hebdomada celebrare cum vno miniſtro ad renouandã Euchariſtiam propter neceſſitatem infirmorum, ne ſpecies Sacramentales putreſiant, etenim eum communicare tempore, & in articulo mortis ſit de iure diuino, non denegatur tempore ceſſationis, ſicut nec Sacramentum pænitentiæ, ergo ſi neceſſe eſt ſeruare Euchariſtiam propter communicandos infirmos, neceſſe eſt, vt ſimul in hebdomada permittatur ſecretè celebrare ad renouandam Sacratiſſimam Euchariſtiã, ne ſpecies corrumpantur, conceſſo enim principali neceſſario conceditur medium ad illud exequendum. Ita communiter noſter Angel Henriq. Auila. Sayr. Alter. Suar. & Bonacc. loc. cit. Adde ſi nulla eſſet hoſtia conſecrata pro infirmo communicandi in articulo mortis poteſt etiam Miſſa celebrari. Ita Suar. Alter. & Bonac.

Dico ſecundo, quod licitum eſt priuatas orationes etiam in Eccleſia Deo, & ſanctis eius deuotè offerre; modo ſinguli communitatem in orando non videantur afficere, quia publicos, & communes Orationes fieri prohibetur. Ita præcitati Doctores.

Dico tertio, quod Ordinati in ſacris, & beneficiati tenentur tempore ceſſationis priuatim officium diuinum recitare, & horas canonicas perſoluere, etiam nomine Eccleſiæ, alioquin commodum reportarent à pæna ceſſationis.

Vtrum autem bini, vel terni voce ſubmiſſa ianuis clauſis ſine cantu valeant officium diuinum in Eccleſia recitare clericos, affirmandum puto probabiliter, quia hoc non eſt publicè diuinum officium recitare, hoc enim modo ſicut poſſunt extra Eccleſiam recitare, ita & intra Eccleſiam. Ita etiam Henriq. l. 13. c. 53. Auila dub. 4. Sayr. l. 5. c. 19. Alter. diſp. 2. c. 3. Suar. diſp. 39. ſect. 2. & Bonac. punct. 5. n. 3.

Aduerte tamen, quod in portanda Sanctiſſima Euchariſtia ad infirmos poteſt quidem campanula inter delationem, & ante etiam ad conuocationem cãpana maior pulſari, attamen diuina officia in delatione publicè non dicuntur, vt dicetur V. Interdictum.

Nec prætereundum, quod ceſſationis tempore reprobatur hodie antiqua conſuetudo, vel potius abuſus imagines Crucis, & Sanctorum proſternendi, & vrtitis, vel lapidibus abruendi, *ex cap. ſi Canonici præfato, & notat noſt. Angelus.*

Vtrum violans ceſſationem, aliquam pænam incurrat?

DIFFIC. VII.

CErtum eſt mortaliter peccare eum, qui ceſſationem à diuinis non ſeruat, quia facit contra præceptum ſuperioris Eccleſiaſtici in re graui, & Eccleſiam Sanctam videtur cõtemnere, *& licet noſter Angelus vbi ſup.* interdicto comparet, & æquiparet ceſſationem generalem, vnde vult violantem ceſſationem incurrere irregularitatem, attamen noſt. Vngarell. eius Scholiaſtes contrarium docet, & communiter moderniores negat incurri irregularitatem, quia hæc non incurritur, niſi ſpecialiter à iure infligatur, propter violationem autem ceſſationis nulla reperitur in iure inflicta irregularitaa Religioſos tamen non ſeruantes ceſſationem generalem, quæ ſeruatur ab Eccleſia Cathedrali, & Matrice, aut Parochiali puniri excommunicatione tantum inuenitur in Clement. 1. de ſent. excomm. vt dictum eſt ſuperius Ita etiam *Henriq. l.* 13. *c.* 54. *Auila diſp.* 3. *dub.* 2. *Syl. V. ceſſatio q.* 5. *Sayr. c.* 10. *Suar. ſect.* 2.

Digitized by Google

*Filiuc.num.*184. *Reginald. n.*83. *& Bonac. p.*3. *num.*9. *& alij*, an vero teneantur etiam dum non ſeruatur à Matrice,& Parochiali videtur aſſerere Alter.de interd. diſput.1. cap.1. & 2. verum, an probabiliter diſcutè diligenter verba præcitatæ Clement.

Vtrum autem ex vigore etiam Concil. Trid. ſeſſ.25. c. 12. teneantur Religioſi ſeruare ceſſationem. negat *Alter. c.*8.*loc. cit.* quia ibi Concil.loquitur ſolum de cenſuris,& interdictis; Bonac. autem ſentit Concilium loqui de ceſſatione generali, quæ videtur eſſe genus Interdicti, verum mihi hæc ſententia Bonaccinæ non probatur,cum odia ſint reſtringenda, & per eum etiam habetur ceſſationem non includi ſub interdicto.

Vtrum ſeruanda ceſſatio, quando non ſeruatur ab eo contra quem eſt lata, vel, qui eam tulit.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod communiter Doctores volunt ſeruandam etiam, quando non ſeruatur ab eo, contra quem eſt lata, quia à reliqui ex populo non debent reportare commodum,& illius contumacia, & inobedientia.

Dico ſecundo, quod an ſeruari debeat, quando non ſeruatur ab eo,qui eam tulit, benigna probabilitate reſpõdent Sylu. *V. ceſſatio q.*2.*& Sayr. l.*5.*cap.*18.*& alij*, non eſſe ſeruandam; attamen tu vide,quid etiam probabiliter dicendum ſit in hoc caſu V.Interdictum iuxta caput præfatum ſi canonici.

Vtrum ille cuius cauſa poſita eſt ceſſatio teneatur ad aliquam reſtitutionem.

DIFFIC. IX.

AFfirmant communiter teneri ad reſtitutionem faciendam,& ad omnia dãna reficienda Clericis,Religioſis, & Canonicis, qui diſtributiones amiſerunt, & alia damna paſſi ſunt circa elemoſinas certas, & incertas arbitrio tamen ſuperiorum damna illa reficienda, quod autem teneatur ad reſtitutionem,qui in iuſtam cauſam dedit ceſſationi patet ex eo, quod cauſa fuit efficax damni illati.Ita *ex cap. præfato ſi Canonici noſter Ang.V. ceſſatio,Sylu.*16. *Henriq. cap.*52. *l.*13. *Auila diſp.*2.*dub.*3. *Sayr. l.* 5. *cap.* 19. *Alter. cap.*6. *Bonacc. num.* 12. *loc. cit.*

Immo etiam quicumque ſuperior, qui ceſſationem iniuſtè impoſuiſſet, tenetur ad damna illata cuilibet, quia cauſa iniuſta efficax damni iure naturæ tenetur ad reſtitutionem. Vide *Nald. hic Alter. & Bonacc.loc.cit.*

Quomodo fiat relaxatio ceſſationis.

DIFFIC. X.

CEſſatio,quia non eſt propriè cenſura, ſed ſimpliciter quędam prohibitio diuinorum officiorum non à iure, ſed à iudice non ad determinatum tempus,ſed ſimpliciter à iudice, qui eam tulit,vel à ſuperiore, vel ſucceſſore, vel delegato authoritatem habente, tollitur ſine alia abſolutione, à ſimili eo modo,quo dicetur tolli interdictum generale.Ita communiter Doctores citati.

An vero poſſit tolli per appellationem dic conſequenter ad ea,quæ dicta ſunt de cenſuris, vide *Alterium cap.*8. *Filiucc.& Reginald. loc. citat.*

Ceſſio bonorum.

Quid ſit bonorum ceſſio, & quod beneficium operetur, & an renunciari valeat.

DIFFIC. I.

CEſſio bonorum dicitur illa, qua debitor ſe impotentem cognoſcens ad ſoluendum creditoribus, quia cedendo bona ſua iudici,aut creditoribus declaratur beneficio legis decoctoriæ à ſolutione immunis. Ad tria autem valet ei hæc ceſſio iuxta iuriſtarum doctrinam, primo,ne propter delicta poſſit carceribus tradi *ex l.*1.*cap. qui bon.cedere poſſit*, ſecundo, ne excommunicet propter debita,& ſi erat excommunicatus debet abſolui recepta idonea cautione de ſoluendo cum ad pinguiorem fortunam peruenerit, *ex c.Odoardus* 3.quod non condemnetur niſi in quantum facere poteſt, habita ratione an egeat, & dimittere debeat necne, quoniam omnino debitoribus præter ea,quæ ſibi ad victum, & veſtitum ſunt neceſſaria.Vide noſt.Ang V.*Cedere bonis,& infr.V.debit.reſaſius.*

Exiſtimatur autem ita fauorabile hoc priuilegium,ne poſſit incarcerari cedens bonis, vt non poſſit renunciari à cedente faciendo pactum cum creditoribus, vt poſſit carcerari etiam ſi cedat bonis. Ita noſt. *Ang. V. carcere ex Panormit. in c. lator de pignorib.& Bart.in §. eleganter l.alia cauſa ff. ſolut. matr.* quia hoc priuilegium eſt latum in fauorem communitatis, & ideo à particulari nequit renunciari.

Limitatur tamen hoc priuilegium in duobus caſibus,primo ſi cedens bonis omnia bona ſua in fraudem creditorum, quia poſset carcerari ex *l.fin.ff. de his, qui infraud. inſtit.de Act.* 2. non ſuffragatur ei tale beneficium, quando eo tempore, quo ſciebat ſe non poſſe ſoluere, & ſatisfacere debita contraxit, quia in hoc caſu poteſt carcerari ex *l.penult.ff.de iur.Dom.*

Vtrum ceſſio bonorum ita à reſtitutione excuſet,vt tuta conſcientia retinere valeat, quæ ad victum ſibi, ſuiſque ſunt neceſſaria.

DIFFIC. II.

DIco primo,quod cedens bonis iuxta præſcriptum iuris ciuilis eſt in conſcientia tutus, & immunis ab onere reſtituendi,modo integrè bona ſua cedat in manu iudicis, vel creditorum etiamſi ſufficientia non ſint ad ſoluendum ſingulis, facit enim debitor hoc modo quantum poteſt,& leges ad impoſſibile etiam moraliter non obligant impotentem,quare cum leges excuſantes eum in tali caſu ſint iuſtæ, excuſatur in conſcientia etiam cedens bonis ab integra reſtitutione. Ita *noſtr.Ang.loc cit. Nauar. cap.*17. *num.*86.*Tolet.c.*16.*lib.*5.*ſeſſ. l.*2 *de iuſt. c.*16. *dub.*1. *Sot.de iuſt.l.*4. *q.*7. *art.*4. *Salon.*22.*q.*62. *art.*8. *Aragon.ibid.& Lop.* 1.*p. inſtr. confeſſ. cap.*119.

Dico ſecundo,quod licet *Medina de reſtitut. quæſt.*3. *cauſa* 4. neget cedentem bonis omnia integrè debere tradere in manu iudicis,vel creditoris,& nihil poſſe pro ſe ſuiſque alendis retinere; attamen benignius, & probabilius diſtinguendum ſaltem puto.

Nam,vel cedens bonis habet bona furto,rapina, vſura, vel alia via illicita acquiſita,& ſic debet omnia iſta cedere,nec pro ſe aliquid retinere,vel pro ſuis alendis valet, quia talia non concedunt leges retinere,cum non foueant iniquitati, ſed debet ſibi victum quærere labore, vel medicando. Ita etiam P. *Nauarr.l.*4.*de reſtitut.Salon.& Lopez. loc. cit.*

Quod ſi cedens bonis iuſto titulo poſſideat, attamen infortunio,vel aliqua legitima cauſa debita contraxit,vnde cogitur decoquere, poteſt cedendo cetera ſua bona, ea retinere, quæ pro ſe ſuiſque alendis iuxta ſui ſtatus conditionem alendis ſunt neceſſaria,manetque interea tutus in conſcientia,ſi integrè ceteris debitoribus non reſtituat, quia ita expedire bono communi ſtatuunt leges. Ita *Tolet. l.*5. *cap.*26. *Valent. T.*3. *diſp.*5. *q.*6. *p.*7. *Leſſ.l.*2. *c.*16.

An vero ſi ſua culpa puta ludendo,ſcorta ſequendo, & ſimilia illicita faciendo debita contraxit,an cedens bonis poſſit etiã pura conſcientia retinere alimenta neceſſaria pro ſe ſuiſq; iuxta ſui ſtatus conditionem affirmare videntur præfati Doctores,negat tamen *P.Nauar.vbi ſup.* tu vide,quæ dicturi ſumus infra V.debitor, vbi etiam dicetur Deo dante,quid agendum ſi creditor ſit in æquali, vel maiori neceſſitate.

Vtrum cedens bonis iuxta legum præſcripta teneatur ſaltem creditoribus ſatisfacere quando ad lautiorem fortunam deuenerit.

DIFFIC. III.

AFfirmatiuè reſpondendum,quia ita in iure exprimitur, vt patet *ex l.cum & filijsfamilias c.qui bonis cedere poſſunt*, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus, vnde iuriſtæ volunt per priuilegium ceſſionis bonorum non eſſe extinctam,ſed ſolum ſuſpenſam,vel conſopitam obligationem reſtitutionis, quando ergo acquiſierit pluſquam ſibi ſit neceſſarium ad honeſtam ſui ſuorumque ſubſtentationem,tenetur illud plus reſtituere,quod ſi plus non acquiſierit, non tenetur, vt habetur ex dicta lege qui bonis. Ita etiam *Nauar. cap.*17.*num.*86.*Tolet. l.*5. *cap.*26. *Valent.* 1.3. *art.*5. *q.*6 *p.*7. *Sot. l.*4. *quæſt.* 7. *artic.*4. *Salon.* 2. 2. *quæſt.*62. *art.*8. *& alij.*

Adde

Adde præfatam doctrinam eſſe etiam veram in eo, qui cedit bonis cum aliqua cæremonia ignominioſa, quia hæc pæna non imponitur a iure, vt ab onere reſtituendi ſit immunis ſed vt plectatur culpa, quæ præſumitur ab eo admiſſa in debita vltra ſui ſtatus potentiam contracta. Ita etiam *Couarr. l. 2. var. reſol. cap. 1. num. 6.*

Character.

Quid ſit character, & in quo ſubiecto imprimatur immediatè.

DIFFIC. I.

Dico primo, quod character latinè notamen, lineamentum, littera, ſignum, figura iuxta ſuam æthimologiam dicitur, vnde character apud Theologos pro quodam ſigno ſpirituali accipitur iuxta nominis definitionem, iuxta vero definitionem, quid rei variant Theologi, an hoc ſignum ſit de genere entis abſoluti, vel reſpectiui vtrumque ſuſtineri poſſe docet *noſtr. Subtiliſſimus Doctor diſt. 6. q. 10.* practicè tamen loquendo in moralibus probabilior ſententia, quod ſit de genere entis abſoluti, an vero ſit habitus de prima, vel ſecunda ſpecie habitus etiam ſpectat ad ſpeculatiuos, quare D. noſtri Bonau. in definitione characteris ſequendu, & aliorum moralium opinionem.

Dico ſecundo, quod character eſt quædam ſpiritualis qualitas inhærens animæ diuinitus infuſa reddens hominem actum ad ſacramenta aliqua paſſiua, & actiua, & alia diuini cultus opera, dicitur ergo character qualitas loco generis, vt intelligatur, practicè loquendo, quod non eſt pura relatio, licet ſpeculatiuè poſſit etiam dici eſſe quædam relatio, vt docet noſtr. *Doct. loc. cit.* quod autem ſit qualitas, vel reductiuè ad quamdam potentiam, qua homo redditur aptus ad opera diuini cultus præſtanda, vel ſuſcipienda, vt volunt *D. Th. & eius diſcipuli 3. p. q. 63. art. 2.* ſiuè ſit qualitas pertinens ad habitum, & diſpoſitionem formaliter perficientem animam, vt probabilius Suar. docet T. 3. diſp. 11. ſect. 3. cum noſtris *D. Bonau. & Scoto*, & alij ad ſpeculatiuos potius pertinet, dicitur etiam inhærens animæ diuinitus infuſa, quia character eſt donum ſuper naturale dicitur etiam, quod reddit aptum hominem ad Sacramenta aliqua actiuè, vel paſſiuè ſuſcipienda, quia non eſt neceſſarius character pro ſingulis Sacramentis immediatè, ſed ſolum pro Baptiſmo, confirmatione, & Ordine, vnde etiam poteſt diſponere etiam ad alia diuini cultus opera, vt infra explicabitur.

Dico tertio, quod certum eſt characterem imprimi in anima, quia ſic patet definitum in Conc. *Trident. ſeſſ. 7. can. 9. & Florent. in Deut. Eugenij*, an vero immediatè, an vero mediatè variant Theologi, *Caiet. 3 p. q. 63. art. 4. cum D. Th. & Hugnut ibid. & Valentia T. 4. diſp 3. quæſt. 4. punct. 4. & alij*, putant immediatè recipi in intellectu, & per eum in anima, cum qua identificatur intellectus, & probant, quia in intellectu eſt fides, quæ eſt fundamentũ omnium operationum ſpiritualiũ, ergo intellectum debet immediatè perficere character, qui ad opera ſpiritualia præſtanda infunditur.

Attamen *Scotus in 4. diſt. 6. q. 1.* & noſtri communiter Scotiſtæ in voluntate contendunt immediatè ſubiectari characterem, quia voluntas eſt principium actuum meritoriorum, quia in ipſa ſubiectatur charitas, quæ eſt regina virtutum, ergo in ipſa debet ſubiectari character, qui diſponit ad opera meritoria, & diuini cultus, & mediante voluntate, quæ identificatur cum anima dicitur eſſe in anima.

Alij tamen, & præcipuè recentiores ſtantes in verbis præfatorum Conciliorum nimis quidem verbaliter abſolutè volunt immediatè ſubiectari in ſubſtantia animæ. Ita *Suar. T. 3. diſp. 1. ſect. 4. Vaſq. 3. p. q. 3. art. 6 diſp. 134. Bellarmin. l. 4. de ſacr. in gen. Conmch. Camerota, Filliuc. quos citat, & ſequitur Bonac. de ſacram. in genere q. 5. p. 2.*

Vtrum Chriſtus Dominus habuerit characterem, & quid dicendum de Angelis.

DIFFIC. II.

Non defuerunt Theologi antiquiores, qui voluerunt Chriſtum Ieſum habuiſſe characterem impreſſum in Baptiſmo Ioannis.

At vero negandum omnino videtur, quia character datur ad perficiendam animam, at vero anima Chriſti ab inſtanti ſuæ Conceptionis fuit perfectiſſima, & cum ſit Summus Sacerdos, & Princeps non indiget charactere tanquam diſtinctiuo ab alijs ouibus, quæ non ſunt de ſuo ouili, ipſe enim nõ ouis, ſed Paſtor ouium, characteribus inſigniuntur oues, vt cognoſcantur cuius ſunt, Paſtores vero non tanguntur charactere, quia per ſe cognoſcuntur, ita in propoſito rite philoſophatur. Adde, quod inſignitus charactere videtur ex vi ipſius habere dependentiam ad alium, cuius eſt character. at vero Dominus Ieſus ad nullum alium habet dependentiam cum ſit verus Deus Patri æqualis in omnibus, ergo repugnat, quod ei character imprimatur etiam, vt homo, quia verè eſt homo Deus ſuper omnes homines. Ita etiam *D. Th. q. 63. art. 3. Suar. T. 3. diſp. 14. ſect. 4. & alij apud Cameratam de ſacram. c. 4. dub. 4. contra Mauarem, & alias.*

Angelis autem non repugnaret imprimi characterem, quia in ipſis ſicut ſubiectatur gratia, & dona eius, ita poſſent etiam recipere characterem.

Quotuplex ſit character, & quinam eius effectus.

DIFFIC. III.

Dico primo, quod triplex communiter ponitur character, primus eſt character Baptiſmi, quo homo diſponitur ad ſuſcipienda ſacramenta, hinc Sacramenta cetera ſine baptiſmo validè non conferrentur infideli. Secundus eſt character Confirmationis, quo diſponitur cõfirmatus ad eliciendos actus fidei alacrius, & ad reliqua Sacramenta ſuſcipiendus, tertio eſt character Ordinis, quo diſponitur ordinatus ad exercenda munera, & opera proprij ordinis.

Dico ſecundo, quod licet hi tres characteres Baptiſmi ſcilicet Confirmationis, & Ordinis inter ſe ſpecie differant, cum ordinentur ad actus eliciendos ſpecie diſtinctos, tamen habent inter ſe aliquam connexionem, & ratio eſt, quia confirmatio, & ordo præſupponunt baptiſmum, qui eſt ianua Sacramentorum, quare neceſſariam habent dependentiam characteres ordinis, & confirmationis cum charactere baptiſmi: character autem ordinis habet dependentiam, & connexionem cum charactere confirmationis, quia regulariter licitè quis non ſuſcipit ordines, niſi prius confirmatus fuerit, ſed iſta dependentia non eſt eſſentialis, ſed ſolum conueniens, quia validè etiam ordinatur, qui confirmationis Sacramentum non recepit, vt dicetur ſuo loco fuſius. Ita etiam dicendum de characteribus ordinis, qui ſolum neceſſitate præcepti vnus ordinis character debet præſupponere alium, ſed non eſſentialiter, vnde ordinatus per ſaltum, vere recipit ordinem maiorem non accepto minori, &c.

Dico tertio, quod character ex D. noſtr. Bonauent quatuor habet effectus ſcilicet ſignare, diſponere, aſſimilare, & diſtinguere, ſignat enim in Sacramento in quo imprimitur, diſponit ad gratiam aſſimilat Deo, quia gratia eſt ſimilitudo Dei, & aſſimilat etiam oues Dei inter ſe, vnde etiam dicitur diſtinguere, quia per characterem baptiſmum diſtinguimur ab alijs, qui non ſunt de grege Domini, & per characterem ordinis clerici à laicis diſtinguuntur, & per characterem confirmationis fortes ab infirmis in fide Chriſti dignoſcuntur. Ita communiter Doctores cum noſtro *Seraphic. Bonauentura in 4. diſt. 6. quæſt. 2.*

Vtrum character ſit indelebilis ab Anima.

DIFFIC. IV.

Dicendum ex noſtro *D. Bonauent. loc. cit. quæſt. 5.* quod character dicitur indelebilis primo ex parte Dei imprimentis, ſecundo ex parte ſubiecti, quia eſt in anima, quę poteſt rem ſpiritualem indelebiliter retinere, & nullum habet contrariũ, à quo poſſit corrumpi, dicitur etiam indelebilis ex parte finis, quia datur ad actum diſtinguendi, ſicut ergo homo perpetuo duraturus eſt per reſurrectionem generalem, ita etiam debet vnuſquiſque ſuum characterem retinere, vt cognoſcatur tãquam ouis Chriſti, vel alio honore inſignitus ad maiorem gloriam accidentalem. & ad maiorem pænam in damnatis, qui talibus characteribus non ſunt bene vſi ad vitam æternam. Ita communiter Theologi, ex quibus.

Colligė, quod ſi Chriſtianus, vt ordinatus moriatur, ſi

ad vi-

Digitized by Google

ad vitam rediret miraculoſè, non eſſet rebaptizandus, nec reordinandus, nec reconfirmandus, quia indelebiliter characteres manent etiam in anima poſt mortem.

Charitas.

Quid ſit charitas, & quo ordine ſeruanda.

DIFFIC. I.

CHaritas voce græca Καρις, quæ amorem, & gratiam noſtro ſonat idiomate ſuam trahit æthimologiam, hinc rectè dicitur à *D. Auguſtino*, quod Charitas effectualiter loquẽdo eſt rectiſſima animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum, at vero ſi charitatem quatenus eſt virtus, & principium actiuum talis affectionis ſit definienda.

Dico primo, quod charitas eſt virtus ſupernaturalis omniũ virtutum excellentiſſima, qua Deus ſuper omnia diligitur, & per ipſum proximus, dicitur autem virtus ſupernaturalis, tum quia verſatur immediatè circa Deum tanquam eius obiectum primarium, & ob id dicitur virtus Theologica, dicitur etiam ſupernaturalis, quia à Deo ipſo creatur, & infunditur, quod autem ſit excellentiſſima omnium virtutum, probatur ex *D. Paulo ad Coloſſ. 3.* ſuper omnia hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, vnde bene ſequitur, quod per eam immediatè diligimus Deum, & per ipſum proximum, quia ex *D. Paulo 1. ad Thimot. 1.* finis præcepti eſt charitas, *Matth. autem 22.* dicitur hoc eſt primum, & maximum mandatum Deum diligere, ſcilicet, & proximum in dilectione enim Dei, & proximi tota lex pendet. Ita communiter Theologi.

Dico ſecundo, quod præcepto charitatis ex *D. Bonau. noſtr. in 3. diſt. 27. q. 6.* hoc ordine vti debemus primo ſcilicet diligẽdus Deus ſuper omnia, ſecundo noſmetipſos, tertio, quod iuxta nos eſt, ideſt proximos, quarto, quod infra nos eſt ſcilicet corpus noſtrum, & proximi, vt habetur *de pænit. diſt. 2. c. charitas eſt*, hinc Doctor Seraphicus dat pulchrum ordinem in diligendo proximum ex charitate, dicitque proximum eſſe magis, vel minus diligendum prout magis, vel minus vnitur Summo Bono per cognitionem, & amorem, vnde beati, qui actu vniũtur in Patria cum Summo Bono perfruitionem, & cognitionem maximè omnium proximorum ſunt diligendi, deinde iuſti in via, qui per ſolam gratiam vniuntur Summo Bono habitualiter, non actu ſunt minus diligendi, quam beati, peccatores vero, qui ſolum in potentia vniuntur Summo Bono minus ſunt diligendi, quam iuſti, damnati autem, quia nec actu, nec habitu, nec potentia vniũtur Summo Bono nullo modo ſunt diligendi, quia nec vt tales ſunt noſtri proximi, quatenus autẽ creaturæ Dei in ordine ad Deũ diligi poſſunt.

Quomodo ſit amandus Deus ſuper omnia ex charitate.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod Deus dupliciter amari poteſt ſuper omnia, primo, intenſiuè, ſecundo appretiauè, dicitur Deus tunc amari intenſiuè ſuper omnia, quando ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, ex tota mente amatur Deus per excluſionem omnimodam, vt loquitur *D. Bonau. in 3. diſt. 27. q. vlt.* ita ut nihil ſit in amore noſtro, in cogitatione, in mẽte niſi ſolus Deus. Appretiatiuè autẽ dicitur ſolus Deus amari ſuper omnia, quando ita amatur, vt magis æſtimetur Deus, quam cetera omnia, quod contingit, quando homo eſt ita Dei amore affectus, vt potius omnia mala ſuſtinere, & res omnes mundi amittere, quam Deũ offendere, vnde per excluſionẽ affectus cõtrarij, vt loquitur Seraphicus Doctor appretiuè Deum colimus, quia nihil diligere debemus pluſquam Deum, vel nihil aliud diligere debemus æqualiter, ac Deum benedictum.

Dico ſecundo, quod non tenemur diligere Deum ex charitate ſuper omnia in hoc mundo intenſiuè per excluſionem omnimodam effectus contrarij, cum etiam diligere proximũ iubeamur, nec ita intenſiuè, vt actus omnino ſit elicitus cum vehementia, cum in noſtra poteſtate non ſit intenſione actus amorẽ in Deum elicere, & ſcrupulis ſemper vexaretur fidelis, an verè intenſiuo actu Deum ſuper omnia dilexerit, iugum enim Chriſti ſuaue eſt, itaque ſolum appretiatiue debet homo ſuper omnia amare Deum, ita vt ſit paratus ſemper vitam, honorem, & bona omnia amittere, quam Deum offendere, ita enim oſtenditur, quod ametur Deus ſuper omnia per excluſionem affectus contrarij ſcilicet, quod nihil diligatur ſupra Deum, & nihil æqualiter diligatur, ac Deus, ſed omnia minus diligantur, & contemnantur omnia in comparatione Dei, qui creauit, & redemit nos, & ita intelligi debet, quando præcipitur amari Deus, & tota mente, ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine. Ita ex noſtro *D. Bonau. loc. cit. ex S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 3. Ita etiam Suar. de pænit. diſp. 4. ſect. 4. Valent. T. 2. q. 4. p. 2. Maldcr. 2. 1. q. 23. ar. 6. Sanch. in ſum. l. 2. c. 3. & 5. Tolet. l. 4. c. 9. & Bonac. in 1. Decal. præc. diſp. 5. q. 4. p. 1. & alij.*

Dico tertio, quod ex hac doctrina deducendum eſt Deum amandum tanquam vltimum finem noſtrum, alioquin ſi aliũ finem nobis præſtituerem9, nõ amaremus Deum ſuper omnia ſi dilectio ad aliud tanquam ad noſtrum finem referri valeret, hinc licet poſſimus diligere Deum propter gloriam, iuxta illud *Pſalm. 28.* Inclinaui ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem, attamen non poteſt eſſe finis vltimus noſter præmium beatitudinis, ſed mediatus, & minus principalis, quatenus à Deo, qui propter ſe diligi debet, procedit beatitudo in nobis.

Dico quarto, ex præfata doctrina etiam colligi debet contra eos, qui in hac vita degere ſemper, quia peccant grauiter, nam notabiliter ordinem peruertit diuinum: quia præferret commoda huius vitę æternæ illi beatitudini, & finem noſtrũ vltimum non amaret ex tota mente ſua, qui ſemper huius mundi voluptatibus adhærere vellet. Ita etiam *Nau. c. 11. n. 20.*

Quando charitatis præceptum diligendi Deum ſuper omnia hominem obliget.

DIFFIC. III.

DIco primo, quod præceptum amoris Dei negatiuum obligat ſemper, dicitur autem præceptum negatiuum amoris Dei, quo tenemur non proſequi Deum odio, ad hoc enim ſemper, & pro ſemper tenemur, cum Deus ſumnè ſit bonus, vnde odio eum proſequi ſemper nefas.

Dico ſecundo, quod præceptum affirmatiuum dilectionis Dei obligat ſemper, ſed non ad ſemper, quare multi pij Doctores volunt præcipuè obligare primo, quando ſtatim puer acquiſiuit vſum rationis perfectum, ſecundo, quando ſuſcepturus eſt baptiſmum aduultus, vel ſaltem poſtquam ſuſcepit tertio, quandocunque eſt eliciendus actus contritionis, quia in ipſo includitur actus amoris Dei, quarto, in Die feſto, quinto, tempore martirij, ſexto, tempore mortis, ſettimo, quando actus amoris Dei eſt neceſſarius ad defendendum honorem Dei periclitantem, octauo, quando inſurgunt tentationes odij Dei, eſtque periculum illis conſentiendi.

Dico tertio, quod licet in omnibus iſtis caſibus optimum ſit elicere amorem Dei, attamen non in omnibus obligamur ex præcepto ſub mortali, præcipuè tamen ſub præcepto obligamur in ſecundo, & tertio, quinto, ſeſto, ſettimo, & octauo, formaliter elicere actum dilectionis Dei, in die autem Dominico licet non ſimus obligati formaliter elicere actum dilectionis Dei, virtualiter tamen per attentam Miſſæ auditionem, vt dictum eſt in principio V. A.

Vtrum teneamur ex charitate quemlibet proximum etiam Inimicum diligere.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod certum eſt de fide, quod tenemur proximum quemlibet diligere, nam indifferenter ſcriptum eſt *Deuteron. 5. diliges proximum tuum ſicut te ipſum, & Ioann. 12. mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.*

An vero peccator, vt peccator eſt offendens Deum poſſit odio haberi, ſanè poteſt, quia ſic potius peccatum in eo odio habetur, quam homo, hinc *David. p. 18.* Iniquos odio habui, & alibi in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, quatenus tamen homo eſt, diligi debet, quia proximus noſter eſt. Ita ex *D. Bonauent. loc. cit. D. Thom. 2. 2. quæſt. 25. art. 6. Reginald. l. 4. & lib. 17. Layman l. 2. tract. 3. cap. 4. quæſt. 3. & Bonacc. punct. 3. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod non ſolum amici, ſed etiam inimici dicuntur

cuntur noſtri proximi, capaces enim ſunt beatitudinis etiam noſtri inimici, vnde ſunt nobis proximi, & ius naturale dictat, quod tibi vis, alteri feceris, tu enim etiam velles ab inimicis diligi, dilige ergo tu quoque eos, hinc *Matt. 5.* iubetur diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs, qui oderunt vos, & ad *Rom. 12.* ſi eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit, potum da illi, debemus enim Patrem noſtrum imitari, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Ita communiter Theologi. Ex qua doctrina.

Collige primo, quod licet optimum foret conſilium inimicos ſalutare, dum occurrunt, & docent nimis rigoroſè de præcepto id faciendum *Tolet. l. 4. cap. 10. num. 9.* & alij, attamen non peccare eum, qui nolet ſalutare, quia ſalutare aliquem non eſt effectus dilectionis ex charitate, ſed ſolum cuiuſdam beneuolentiæ ſpecialis, qua amici, & familiares inter ſe vtuntur, vnde paſſim qui non ſunt inimici, nec amici non ſalutantur, quia ad eos non adeſt beneuolentia quædam ſpecialis. Ita ex *D. Thom. loc. cit. & alijs.*

Quando tamen noſceretur ſalutare inimicum fore bonum vel quia ex hac ſalutatione ſperatur reconciliatio, vel quia daretur ſcandalum, niſi ſalutaretur, debet, quando abſque ſui detrimento poteſt fieri, ſalutari inimicus. Ita *Nauar. cap. 14. num. 25. Bonacc. & alij loc. cit.* Attamen è contra dicendum puto, quod ſalutanti inimico debet ſub pæna peccati mortalis reſalutatio reddi, quoties ex reſalutatione non reddita naſceretur ſcandalum, aut notabilis contemptus ſpectata circumſtantia perſonarum, & conſuetudinis patriæ. Ita etiam *Valentia, Bonacc. Tolet. & Reginald. loc. cit.*

An vero teneatur inimicus alteri inimico ex charitate petere veniam & iniuriam remittere, certum eſt odium omnino deponendum, & ſigna reconciliationis demonſtrare, non tamen iniuriam, & offenſam remittere tenetur, itavt non poſſit proſequi contra inimicum iuſtitiam circa ſatisfactionem recipiendam, vel circa iuſtam punitionem ei infligendam, hæc enim cum petuntur ſine odio, ſed amore iuſtitiæ non poſſunt prohiberi. Ita communiter *Valentia, Layman, Bonacc. & alij; V. Inimicorum dilectio, &c.*

Vtrum teneamur ex charitate proximo indigenti ſubuenire cum periculo vitæ, & bonorum temporalium.

DIFFIC. V.

DIco primo, quod ex charitate tenemur extremæ neceſſitati ſpirituali noſtri proximi cum periculo vitæ, & bonorum noſtrorum temporalium ſubuenire, *iuxta illud 1. Ioan. 3. & nos debemus pro fratribus animas ponere* pluris enim æſtimanda eſt vita ſpiritualis proximi, vtpotè ſuperioris Ordinis, quam noſtra temporalia, quæ ſunt inferioris Ordinis, hinc in articulo mortis conſtitutus indigens baptiſmo, vel Sacramento pœnitentiæ, debet quis etiam cum periculo vitæ, & bonorum miniſtrare Sacramenta iſta neceſſaria ad ſalutem, modo talis adminiſtratio poſſit ab eo fieri abſque ſuæ conſcientiæ detrimento, & ſuę ſalutis ſpiritualis periculo. Ita communiter Theologi.

Dico ſecundo, quod extra neceſſitatem extremam ſpiritualem proximi non tenemur cum periculo vitæ, & bonorum temporalium ex charitate cuilibet proximo indigenti ſubuenire, nam potius noſtra amare debemus, quam proximum, vt naturalis ipſa ratio docet, maximè cum ſupponere debeamus poſſe ſibi aliunde ſalutem quærere, dum extrema non laborat neceſſitate.

Verum eſt tamen, quod aliquibus indigentibus non ſolum extrema, verum etiam in graui neceſsitate ſpirituali conſtitutis tenemur ex charitate cum periculo vitæ, & bonorum noſtrorum ſubenire, primo, communitati ſpiritualiter periclitanti grauiter debent ſinguli cum periculo vitæ, & bonorum ei auxilium ſpirituale ferre, quia bonum ſpirituale communitatis præponderat ad bonum particulare ſingulorum.

In neceſsitate autem leſa communitatis non obligantur ſinguli cum periculo vitæ, & bonorum eam adiuuare, quia leſis neceſsitas poteſt aliunde tolli abſque iactura vitæ, & bonorum ſinguli, nec enim prodigenda vitam, & bona pro communitate dictat ius naturale, dum alio modo cõſuli ei poteſt.

Dico tertio, quod illi quibus ex officio incumbit ſalus ſpiritualis proximi, tenentur non ſolum in extrema neceſsitate, ſicut ceteri, ſed etiam in graui neceſsitate cum vitæ periculo & bonorum eis ſpirituale auxilium præſtare, quo grauiter indigent, ſtrictius enim obligat Paſtorem oues ſuas è lupi faucibus eripere, quam extraneos, vnde dicitur *Ioan. 10.* bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.

Adde, quod iſti, quibus ex officio incumbit ſalus animarum non ſolum tenentur ſubuenire ſaluti ſpirituali ouium ſuarum in graui neceſſitate ſeſe obiter offerenti cum periculo vitæ, & bonorum, verum etiam tenentur inquirere earum neceſſitates, quo enim maiori vinculo adſtringuntur, maiorem adhibere tenentur diligentiam. Ita communiter apud *Valentiam loc. cit.* ex qua doctrina.

Collige, Parochos non poſſe tempore peſtis à ſua Parochia recedere, ſed debent ſuis ouibus peſte laborantibus cum periculo ſuæ vitæ miniſtrare ſacramenta neceſſaria ad ſalutem niſi alios miniſtros ſufficientes, & idoneos ſubſtituerent. Ita communiter.

Dico quarto, quod cum periculo vitæ poſſumus vitam amici ex virtute charitatis ſaluare, quando vita noſtra alijs non ſit neceſſaria, puta noſtræ familiæ, vel communitati, quia actus charitatis eſt ponere animam ſuam pro amicis ſuis, vt docet Chriſtus *Ioan. 5.* Maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, quod ſi vita ſit neceſſaria familiæ propriæ, vel ſuæ Reipublicæ, non poteſt quis vti hac dilectione pro amico periclitanti, quia maius vinculum charitatis eſt ſeruare vitam pro ſua familia, & pro Republica, non enim ſunt facienda bona, vt veniant mala.

Quare ſi Petrus non habet familiam, & non ſit neceſſarius ſuæ Reipublicæ poteſt in maris naufragio tabulam qua ipſe poſſet ſaluari, non amico periclitanti concedere ex virtute charitatis, inique autem ageret, ſi ſeipſum perdere in periculo poneret pro ſaluando amico, dum habet familiam, & Rempublicam ſuo auxilio indigentes. Ita communiter vide *Valentiam, Malderum, & Bonacc. loc. cit.*

Quo ordine teneamur magis vni, quam alteri proximo in neceſſitate ſubuenire ex charitate.

DIFFIC. VI.

DIco primo, quod natura ipſa dictat prius, & potius auxilium præſtandum magis coniunctis, quam minus coniunctis, quia magis proximi prius ordine naturæ diligendi, & deinde minus proximi. Quare communius volunt Patrem ſecũdo matrem tanquam genitores, à quibus vitam poſt Deum recepimus, tertio, vxorem, cum qua vna caro efficitur homo, quarto, filios, quinto conſanguineos, & inter eos primo magis coniũctos, ſexto, perſonas publicas, ſeptimo, Amicos & ceteros deinde adiuuare tenemur.

Eſt tamen verum, quod aliquando iſte ordo ſine peccato peruertitur inter Patrem, Matrem, vxores, & filios propter aliquam legitimam cauſam, at vero inter ceteros remotiores ſemper ſunt præferendi Pater, Mater, vxor, & filij. Ita *ex noſt. Seraph. Doct. in 3. diſt. 9 quæſt. 6. D. Thom. 2. 2. quæſt. 26. art. 4. & 10. Bonacc. & Mader. loc. cit.*

Dico ſecundo, quod licet aliqui velint creditorem in neceſſitate extrema exiſtentem præferendam Patri, & ceteris eadem neceſſitate laborantibus, tamen probabilius negandum, modo quis retineat iuſtè rem, ex qua debet neceſſitati ſubueniri, nam tempore neceſſitatis omnia facta ſunt communia, ergo prius ſubueniendum ijs, quibus magis ſunt proximi. Ita etiam *Bonac. loc. ci. & Turrian. 2. 2. diſp. 82. dub. 9. vide infra V. neceſſitas, vbi fuſius.*

Dico tertio, quod ceteris paribus aliquando in neceſſitate ſpirituali probabiliter ſuſtineri poteſt præferendum patrem ſpiritualem etiam Patri carnali, quia in ratione ſpiritus magis proximus eſt nobis Pater ſpiritualis, quam carnalis, & ita dicendum filium ſpiritualem pręferendum ceteris, qui non ſunt ſpiritualiter coniuncti, quia ratio dictat ſeruandum etiam eſſe ordinem inter ſpiritualiter coniunctos, ſicut inter carnaliter coniunctos, hinc D. Pater noſter Franciſcus in ſua Regula ait, *ſi mater nutrit, & diligit filium ſuum carnalem, quanto magis nos debemus amare, & diligere fratres noſtros ſpirituales.*

Vtrum autem teneamur per eleemoſinam proximum in neceſſitate conſtitutum ſubleuare vide infra V. Eleemoſina &c.

Chyrographum.

Vtrum Chyrographum puta mille aureorum abſentium poſſit emi minoris, quam ſi forent præſentes.

DIFFIC. I.

SAnè ſi intercedat ratio lucri ceſſantis, vel damni emergentis nulla eſt dubitatio inter Doctores, quod licitè poſſit minoris emi ſpectata ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod haberetur, vel ceſſaret propter pecuniam actu traditam pro pecunia exigenda in alio loco, quod ergo controuertitur eſt, an id liceat nulla exiſtente ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis; vtrum per ſe iſte contractus ſit licitus.

Negant eſſe licitum *Petr. Nauarr. l. 3. cap. 2. num. 163. Sylu. V. vſura 2. Medina C. de reb. reſtitut. & Naldus hic num. 2.* ex eo, quod non eſt æqualitas, dum minoris res venditur nulla exiſtente cauſa, & ratione huius præij minorandi, ergo illicitè ſit talis contractus, propter abſentiam enim non mutare valorem, & pretium pecuniam nulla exiſtente damni, vel lucri ceſſanti ratione.

Attamen puto etiam probabile, quod nulla exiſtente ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, adhuc ratione ſolius abſentiæ poſſe minoris emi Chyrographum pecuniæ abſentis quàm præſentis, etenim pecunia præſens pluris valet, & abſés minoris valet ſaltem ratione periculi ſubeundi, æſtimatur enim minoris pecunia, quæ periculo ſubiacet, quàm quæ nullo periculo, pecunia præſens actu accepta non ſubeſt periculum, vt amittatur, vel propter decoctionem, vel propter infidelitatem debentis pecuniam, vel propter latronum inſidias, pecunia autem abſens poteſt hæc pericula ſubire ſcilicet debens eam decoquat, vel infideliter expendat, vel à latronibus in via capiatur, ergo minoris licitè poteſt pecunia abſens emi tanquam minoris æſtimanda, quàm præſens. Ita etiam Abb. & Innoc. *in c. in Ciuitate de vſur. & Caiet. V. vſura.*

Vtrum Chyrographum, quod ob inopiam debitoris dubitatur inexigibile poſſit vendi licitè pro toto pretio.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod ſi certus ſit creditor eſſe Chyrographum inexigibile, vel ſaltem probabiliter dubitat, eſſe inexigibile à ſuo debitore, non poteſt pro toto pretio alteri vendere, qui neſcius eſt talis inexigibilitatis, vel certæ, vel probabiliter dubiæ, quia venderet rem expreſsè, & intrinſecè vitioſam alteri bona fide contrahenti.

Nec obſtat ſi dicatur, quod ſciens merces, vel monetas breui minoris valituras poteſt eas licitè expendere, & vendere eo pretio, quo valent, nam in hoc caſu vitium eſt ſolum extrinſecum, quia pendet omnino à futuro euentu, & hic, & nunc tam monetæ, quàm merces tanti valent, quanti hic, & nunc venduntur, at vero in caſu noſtro vitium eſt intrinſecum, dum verè Chyrographum eſt inexigibile ſaltem ſub dubio probabili ignorato ab emptore. *Ita etiam Molyn. de contr. diſp. 352. & Lop. inſtr. confeſſ. T. 2. cap. 42.*

Dico ſecundo, quod ſi dubium ſit probabile inexigibilitatis, & emptor ſciat tale dubium, nec curet emere pro toto pretio tale Chyrographum, poteſt pro toto pretio vendi, cum nulli fiat iniuria.

Vtrum Chyrographum falſum adductum in iudicio poſſit alio Chyrographo falſo eludi.

DIFFIC. III.

NEgandum abſolutè, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, maximè, quando malum nulla circumſtantia poteſt bonificari, falſitas autem cum mendacium includat contra veritatem nullo pallio, ſeu circumſtantia boni cohoneſtari valet.

Quod ſi dicatur, vim vi repellere poſſe à iure etiam naturæ concedi, falſum ergo dum falſo eluditur, vis vi repellitur, ergo ratione defenſionis licitæ via naturali poteſt falſum chyrographum alio falſo chyrographo per viam defenſionis licitè eludi, nam diſpar eſt ratio, quandoquidem vim vi repellere licet, quando vis non eſt ex ſe intrinſecè mala, qua vim noluimus repellere, & vis qua vim poſſumus repellere debet ex ſe eſſe ordinata ad talem vim repellendam, at vero falſum eſt intrinſecè malum, nec per ſe ordinatum ad repellendum aliud falſum, ergo falſum, falſò per viam licitæ defenſionis nequit eludi.

Quare in iudicio licet alio chyrographo falſo non poſſit probare ſe iam ſolutionem feciſſe, poteſt tamen in iudicium afferre ſibi nihil datum fuiſſe, quod non ſoluerit, quia ſic poteſt vitari falſitas, quando verè ſolutionem fecit. *Ita Couarr. l. 1. var. reſol. cap. 2. num. 3.*

Nota etiam in hac materia, quod ſi chyrographum inueniatur in manu debitoris, licet ſecundum gloſam non teneatur abſolutus à debito, ſi verè non ſoluit, tamen magna præſumptio eſt ſolutionis factæ, vt ſentit *gloſa in Auth. 2. V. non minus*, quia non ſolent creditores chyrographum crediti relinquere in manibus debitoris.

Vtrum chyrographum dari ſolitum Dæmoni à Magis ſit neceſſario repetendum in conuerſione magi volentis verè confiteri.

DIFFIC. IV.

NOn defuerunt qui nimis ſcrupuloſè putauerunt Magũ, qui per chyrographum propria manu ſignatum animam ſuam Dæmoni vendidit, vel alio modo cum Dæmone pactum fecit circa ſuam animam, vel corpus, non poſſe abſolui, nec eſſe capacem pænitentiæ, niſi chyrographum repetat à Diabolo, & laceretur, vel comburatur, quia ſi pactum, vel contractus non diſſoluatur, ſemper remanet obligatus ad ſeruandam fidem.

Attamen erroneam puto hanc ſententiam, nam licet optimum ſit chyrographum tale comburere, vel lacerare ſi reperiatur, attamen ſi non reperiatur non eſt conſulendus pænitens, vt Diabolum denuò adeat ad hoc vt chyrographũ reddat, poſſet enim eſſe cauſa nouæ ſubuerſionis, ſed debet, ſi verè contritus eſt, & de peccato dolet, & paratus eſt pænitentiam verè facere de tam immani crimine, & omnes ſcripturas magicas, & magica inſtrumenta ad Epiſcopum, vel Sanctum Tribunal detulerit comburenda, & vaſtanda, & petita licentia à reſeruatis abſoluendi, debet abſolui, & ſtatim poſt acceptam abſolutionem chyrographum eſt nullius valoris, nam per pænitentiam veram deletur tale pactum, & contractus cum Diabolo, vt exemplo patet *in 2. parte Chronic. ordin. Ita etiam Sanch. in ſumm. l. 2. cap. 10. & Symanca de Chriſti. inſtitut. Tit. de ſuperſtit. num. 13.*

Chriſtianus.

Vtrum teneantur Chriſtiani ad explicitè ſciendos articulos fidei, Orationem Dominicalem, ſalutationem Angelicam, & præcepta Decalogi memoria retinenda ſub mortali.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod Chriſtianus adultus tenetur ſcire, & memoriter retinere ſingulos fidei articulos contentos in Symbolo Apoſtolorum ſub mortali, quia vnuſquiſque tenetur ſcire, quæ neceſſario ſunt credẽda ad vitam Chriſtianam, quam profitetur, contemnere enim videtur Chriſtianam religionem, quam amplectitur, qui ea neſcit, quæ credere debet ad proteſtandam religionem, quam ſequitur.

Excuſantur tamen illi, qui ingenio rudiores ſunt, nec poſſunt intelligere, nec memoria retinere omnes articulos præfatos, quibus ſufficit ſi generaliter credant, quod totum credat Sancta Romana Eccleſia Catholica, & ſunt cogendi ſaltem, vt articulos facilioris captus, vt ſunt de morte, & Reſurrectione Ieſu Chriſti, & conſimiles addiſcant, iuxta quod melius poſſunt. Ita *ex Scoto in 3. & D. Thom. 2. 2. at de hoc fuſius vide V. fides.*

Dico ſecundo, quod licet multi voluerint obligare etiam ſub mortali ſingulos Chriſtianos adultos addiſcere, & memoriter ſcire orationem Dominicalem, ſalutationem Angelicam, & præcepta Decalogi, niſi ruditate, vel ſenio impediantur. *Ita Vegh. l. 3. ſum. Caſu 211. & Ledeſma de Matrimon. dub.* 21. attamẽ nimis rigoroſè videtur dictum abſolutè loquẽdo.

Quare ſi non adſit contemptus, & confusè, ſaltem ſciat orare,

orare,& præcepta Decalogi, non obligarem ad mortale peccatum expreſsè memoria non retinentes præfata; Vnde cum Sanch. præciſo contemptu,poſſet dici probabiliter ſolum peccare venialiter ea expreſsè memoria non retinentes.

Quid Chriſtianis inter infideles liceat, ſi in Terris eorum commorari contigerit.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod Chriſtianis in partibus infidelium commorantibus licet habitus eiuſdem barbaræ nationis aſſumere, modo habitus non ſint inſignia falſæ ipſorum religionis, & impij cultus, quia in polyticis non concernentibus contemptum noſtræ fidei, nec alio modo iuri diuino, vel poſitiuo contrarijs non inconuenit cum eis conuenire; tanto magis ijs veſtibus non ſpectantibus ad cultum eorum poſſunt vti Chriſtiani, ſi ſub ijs poſſent eos vel facilius ad noſtrum adducere cultum, vel ab eis facilius amore proſequi valerēt noſtri.

Dico ſecundo, quod Chriſtiani remigantes apud Turcas, ſi cognoſcāt magnum damnum allaturos alicui Regno Chriſtianorum, debent potius mori, quam eos ad tantum facinus adiuuare; quia commune bonum Chriſtianorum præponderat vitæ ſingulorum apud Turcas remigantium. Ita etiam noſter *Corduba cum Adriano, & Lopez quos citat, & ſequitur Naldus V. Chriſtiani n. 3.*

Dico tertio, quod Chriſtiani Itali prohibentur à Clemen. octauo habitare extra Italiam in locis infidelium, in quibus non eſt vſus Catholicæ Religionis, & à Gregorio XV. prohibentur hæretici poſſe commorari in Italia, & in inſulis adiacentibus etiam Mercimonij cauſa, & eorum Receptatores puniuntur.

Circumſtantia.

Quid, & quotuplex lex ſit Circumſtantia.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod Circumſtantia ex ſui nominis æthimologia eſt illa, quæ circumſtat actum aliquem eum aliqua ratione modificans. & diſtinguens, quare propriè, & in rigore non eſt de ſubſtantia actus humani, ſed eum circumſtans, & concomitans aggrauat, alleuiat, vel mutat. Ita noſter *Ang. V. circumſtantia n. 1. Zerola in praxi de pænit. c. 12. q. 1. et Bonac. de pænit. diſput. 5. quæſt. 5. p. 2.*

Quare poſſet ſic deſcribi circumſtantia ſaltem in genere, quod Circumſtantia eſt accidens, quod adueniens actui humano illum iuxta ſui rationem modificat, vel mutat; dicitur ergo accidens circumſtantia, quia extrinſecus aduenit actui humano, nec per ſe eſt de ratione, & ſubſtantia actus, dicitur autem actum modificare, vel mutare, quia facit eum diſtingui ab alio, vel ſecundum magis, & minus, vel etiam ſpecie iuxta circumſtantiæ naturam vel aggrauātem, vel minuētem, vel mutantem ſpeciem, vt infra mox exemplis patebit. Quare ex dictis

Dico ſecundo, quod Circumſtantia quadruplex præcipuè circumfertur, s. e. alia dicitur impertinens, alia minuens, alia aggrauans, & alia mutans ſpeciem. Circumſtantia impertinens eſt illa, quæ impertinenter ad actum circumſtare narratur, qui nullo modo actum humanum afficit, nec diſtinguit, vt ſi dicatur furatus ſum centum aureos manu ſiniſtra, circumſtantia manus ſiniſtræ nullo modo afficit actionem furtiuam, nec eam ab alia actione conſimili diſtinguit aggrauando, vel minuēdo, & hæ circumſtantiæ impertinentes in Confeſſione omnino reprehendendæ à Confeſſoribus.

Circumſtantia autem aggrauans eſt illa, qua actus humanis redditur, vel magis perfectus, vel magis malitioſus, ita vt actus, vel dicatur magis meritorius, vel grauius peccatum vt ſi quis adulteretur in die paſcatis, grauius peccat ratione circumſtantiæ temporis, vel ſi quis ieiunet tempore carnis priuij, in quo cæteri ventri indulgent, ratione circumſtantiæ temporis videtur actus magis meritorius.

Circumſtantia porro alleuians, vel minuens eſt illa, quæ actum aſſocians reddit illum minus malitioſum, & peccaminoſum, puta ſi quis ex metu incuſſo, vel paupertate impellente ſit furatus, furtum iſtud alleuiatur, & dicitur minus peccaminoſum ratione circumſtantiæ metus, vel paupertatis, vt patet.

Circumſtantia denique mutans ſpeciem eſt illa, quæ adiuncta actui vel de mortali facit veniale, & econtra, puta ſi quis ex mera inaduertentia blaſphemaret, circumſtantia inaduertentiæ de mortali faceret venialem actum blaſphemādi, vel ſi quis in notabili quantitate vuas furaretur in vinea, Circumſtantia quantitatis notabilis, peccatum veniale furandi vuas tanquam de re parui valoris efficeret actum mortaliter peccaminoſum, mutat ergo ſpeciem iſta circumſtantia, quia de veniali facit mortale, & de mortali veniale, quæ peccata inter ſe ſpecie diſtinguuntur.

Secundo dicitur Circumſtantia mutans ſpeciem ex eo quod adiuncta actui diuerſæ ſpeciei eum reddit immediatè diſtinctum ab alio eiuſdem generis, puta fornicatio ſimplex dicitur committi à ſoluto cognoſcens fœminam, quod ſi fornicationis actum concomitetur circumſtantia vxorati, dicetur Adulterium, quod ſpecie differt à fornicatione ſimplici, quod ſi concomitetur eumdem actum circumſtantia voti Caſtitatis, erit ſacrilegium ſpecie diſtinctum ab vtroque.

Aduerte, quod circumſtantiæ iſtæ mutantes ſpeciem ſolent à Doctoribus nuncupari, etiam circumſtantiæ aggrauantes in infinitum, vel infinitè, ex eo, quod vel, quia de veniali efficiunt mortale, quæ inter ſe infinitè diſtant, vtpotè, quod peccatum mortale affert pœnam æternam, & infinitam à parte poſt, non ita peccatum veniale, vel infinite aggrauantes vocant iſtas circumſtantias mutantes ſpeciem, eo quod homo ratione malitiæ mortalis, quam afferunt huiuſmodi circumſtantiæ peccatis, auertunt ab infinito bono, quod eſt Deus benedictus in ſæcula.

Quot ſint circumſtantiæ actus humani.

DIFFIC. II.

COmmuniter Theologi ſequenti verſiculo circumſtantias, quibus actus humani ſolent diſtingui ſecundum maiorem, vel minorem malitiam, vel etiam inter ſe ſpecie diſtingui, concludunt; quas ſingillatim ad maiorem vtilitatem legentium explicare viſum fuit.

Quis, quid, Vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

DIFFIC. III.

CIrcumſtantia (quis) pertinet ad conditionem, & qualitatem perſonę patrantis delictum, nam iuxta varias perſonarum circumſtantias poteſt aggrauari, minui, vel ſpecie mutari actus, ſi pauper ſit furatus minuit peccatum, quia perſona pauper poteſt excuſari aliquo modo ex circumſtantia paupertatis, ſi diues furetur, aggrauat, quia perſona diuitis ex ſola malitia, cum non indigeat, furatur; item coniugatus ſi fornicetur, & fornicetur ſolutus ratione perſonarum, quarum illa eſt matrimonij vinculo aſtrictus, hic vero non. ſpecie diuerſam fornicationem committunt, quia ille adulterium, hic ſimplicem admiſit mechationem, Item ſi Iudex, vel Officialis non impediat malum, quod tenetur ex officio impedire, & alius non impediat, qui ſolum tenetur ex charitate, ille omiſſione ſpecie diſtinctam ab omiſſione huius ratione perſonæ incurrit, ille enim peccat contra iuſtitiam, & tenetur reſtituere, iſte autem contra charitatem, & non tenetur reſtituere.

Circumſtantia (Quid) pertineat ad quantitatem, ita vt primo circumſtantia quid, multitudine materiæ, vel actuum aggrauet, vel mutet ſpeciem, puta ſi quis decies, vel centies blaſphemiam tulerit in Sanctos, circumſtantia multitudinis ſcil. centies, vel vigeties iuxta numerum aggrauat, vel minuit, vt patet, item ſi quis in notabili, vel parua quantitate ſit furatus, circumſtantia parui, & multi aggrauat, alleuiat, vel etiam mutat ſpeciem vt dictum eſt.

Secundo, quid pertinet circumſtantia (Vbi) pertinet ad locū in quo delictum fuit perpetratum, puta ſi ſit publicus, in quo cōmittitur peccatū, quia ratione ſcandali aggrauat publicitas loci. 2. ſi locus ſit ſacer, vel Religioſus, & immunis, hinc copulā

Cc habens

Digitized by Google

habens in loco ſacro, vel furans, vel extrahens ab Eccleſiã, vel loco Religioſo contra priuilegia immunitatis, vel ſanguine polluit Eccleſiam dicuntur ſinguli ratione loci adiungere actui malitiam ſpeciem mutantem, quia ſacrilegium committunt.

Secundo, (quid) pertinet ad conditionem obiecti circa quod verſatur actio, puta ſi perſona qua cum peccauit ſit voto caſtitatis adſtricta, affinis, ſi quem percuſſit, ſit pater, mater, Clericus, ſi furatus ſit rem ſacram, quæ obiecta, ſiue materias circa quę verſatur actio, patet habere circumſtantiam aggrauandi actum, vel mutandi ſpeciem.

Circumſtantia (quibus auxilijs) ad complices in peccando pertinet, quia qui alijs vtitur tanquam medijs ad peccandum grauius peccat, cum ſit cauſa ruinæ ſpiritualis aliorum.

Circumſtantia (cur) reducitur ad finem, propter quem poteſt actui noua ſpecies malitiæ tradi, vt ſi quis faciat æleemoſinam puellæ, vt cum ea rem habeat, vel furetur gladium. vt cum eo aliquem occidat, in quibus finis clarum eſt, quod vel faciat actum peccaminoſum, vel addat ſpeciem malitię diſtinctam, furari enim gladium vnum eſt peccatum, addita autem circumſtantia finis ad occidendum, noua tribuitur ſpecies malitiæ, atque adeo duo peccata committit, & actum eleemoſinę ex ſe bonum, circumſtantia finis reddit peccaminoſum.

Circumſtantia (quomodo) ſpectat ad modum, quo peccatum patratur, poteſtque malitiam augere, vel aliam ſpecie diſtinctam addere, hinc furans neſciente domino ſimplex furtum admittit, ſi vero ſciente, & inuito Domino quis furetur, hic modus addit actui furandi diſtinctam ſpecie malitiam, quia quod aufertur ſciente, & inuito Domino non dicitur ſimplex furtum, ſed rapina, quæ addit malitiam actu ſpecie diſtinctam, vt patet.

Circumſtantia (quando) pertinet ad tempus ratione enim temporis multi actus alias liciti prohibentur, quare poteſt temporis circumſtantia nouam malitiam actui addere, hinc celebrare poſt prandium, comedere bis tempore ieiunij ſunt circumſtantiæ addentes nouam malitiam, ita vt actus ex circumſtantia temporis accipiat malitiam peccati mortalis. Vide *noſtr. Pitgian. in 4. 2. p. diſt. 17. quaſt. vnic. num. 5. Valent. T. 4. diſp. 7. quæſt. 11. part. 1. Suar. diſp. 22. ſect. 4. Sanch. in op. mor. l. 4. cap. 11. Sayr. C. R. l. 2. cap. 1. &c.*

Vtrum circumſtantię alleuiantes in Confeſſione neceſſario aperienda.

DIFFIC. III.

Affirmarunt aliqui ex eo, quod Sacerdos ob tacitam hanc circumſtantiam alleuiantem inducitur ad credendum peccatum grauius eſſe ergo aperienda Confeſſario, vt iuxta peccati grauitatem pænitentiam imponat,

Attamen quia pænitens nulla hac de cauſa reticendi circumſtantiam alleuiantem ſubit incommodum peculiare, vel ſi ſubit, poteſt cedendo iuri ſuo illud voluntariè ſubire, acceptando fortè pænitentiam rigidiorem, communius putant circumſtantiam alleuiantem non eſſe neceſſariò aperiendam in confeſſione, quia potius iuuant ad excuſandum pænitentem, quam ad conſulendum ſtatui conſcientiæ, & modum accipiendum, vt pænitens liberetur à peccato, dum enim circumſtantia minuit peccatum, non eſt cur confeſſarius ſe vexet ad ei conſulendum.

Poteſt tamen Confeſſarius iuſta de cauſa de huiuſmodi alleuiantibus pænitentem interrogare, quia non ſunt impertinentes omnino, maximè.

Debent confeſſarij interrogare de circumſtantijs alleuiantibus, ſi quando dubitent tales circumſtantias ita alleuiare, & minuere peccata, vt peccati ſpeciem mutent, & de mortali efficiant veniale, poteſt enim fieri, vt dictum eſt ſupra quod peccatum, quod ex ſe eſt mortale, ratione alicuius circumſtantiæ fiat veniale puta ſi quis blaſphemet, percutiat, vel aliud damnum inferat ex imperfecta inaduertentia, obliuione, & ignorantia inuincibili. Ita communius Theologi *noſt. Pitgian. in 4. diſt. 17. quæſt. vnic. ar. 5. conc. 4. Nauarr. c. 6. nu. 6. Suar. diſp. 22. ſect. 3. Sayr. in C. R. cap. 8. n. 1. Reginald. l. 6. nu. 130. Henriq. l. 5. c. 7. Victoria de ſacr. n. 175. Coninch de Pænit. diſp. 67. dub. 3. Bonac. in 1. Decal. præc. diſp. 5. q. 5. punct. 2. & alij.*

Vtrum circumſtantiæ aggrauantes ſint neceſſariò in confeſſione detegendæ.

DIFFIC. IV.

Negant alij, alij affirmant, & ij omnes ex vtraque parte grauiſſimi Doctores, & ideo ambas opiniones probabiles puto, recitabo ſingulas, & vtra ſit probabilior manifeſtius apparebit ex proprijs fundamentis.

Affirmant circumſtantias quaſcumque aggrauantes neceſſariò in confeſſione aperiendas noſter *Alenſ. p. 3. quæſt. 18. membro 4. art. 3. Fauentinus in 4. diſt. 17. diſp. 24. c. 1. num. 18.* (qui hanc etiam ſententiam Scoto falſo adſcribit, vt infra demonſtrabo) *Villalob. T. 1. tract. 9. dub. 36. Sot. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. Caiet. in ſum. V. Confeſſio. Suar. in 3. p. T. 4. diſput. 22. ſect. 3. Sanch. in ſum. T. 1. l. 2. cap. 11. Henriq. Fagund. & Coninch. apud Siluium Addit. ad 3. part. quæſt. 9. art. 2. dub. 1.* qui nimis audacter ita certam putant hanc ſententiam, vt contrariam omnino improbabilem exiſtiment noſter tamen *Villal. & Henriq.* hanc quidem probabiliorem, probabilem tamen cenſent benignius contrariam. Et probant.

Primo, quia in iure Canonico aliquando iniungitur pænitentia pro peccatis ratione circumſtantiæ aggrauantis, ſecundo vt confeſſarius ſciat ſtatum pęnitentis neceſſariò ſunt confitendæ aggrauantes, tertiò, quia qui peccat continuè per vnam horam ita grauiter peccat, ſicut qui eadē hora ter peccat, vel quater, ſed qui pluries peccat in eadem hora tenetur numerum peccatorum manifeſtare, ergo etiam qui per totam horam peccat, quia totum illud tempus eſt circumſtantia aggrauans peccatum, quarto, ſi non eſſent neceſſariò aperiendæ circumſtantiæ aggrauantes ſequeretur, quod in quadrageſima frangens ieiunium, & carnes comedens non teneretur aperire circumſtantiam comeſtionis carnis, ſed ſufficeret dicere, & fregiſſe ieiunium, ſed falſum eſt non teneri aperire circumſtantiam comeſtionis carnis, ergo falſum eſt non eſſe aperiendas circumſtantia aggrauantes.

Verum hiſce rationibus non obſtantibus negant etiam grauiſſimi Doctores circumſtantias notabiliter aggrauantes non mutantes ſpeciem, & non pertinentes ad numerum peccatorum, eſſe neceſſariò in confeſſione aperiendas, ita vt ſolum circumſtantiæ mutantes ſpeciem, & ad numerum peccatorum exprimendum neceſſario confitendas, reliquas vero quantumcunque aggrauantes non eſſe neceſſariò aperiendas in confeſſione exiſtiment D. noſter *Bonau. diſt. 17. quæſt. vlt. in 4. ſent. Angel. V. Confeſſio 1. num. 13. Cordub. in ſumm. q. 3. Ortez. in ſum. capit. 23. & ſubtiliſſimus noſter Doctor in 4. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 2. de circumſtantijs aggrauantibus non mutantibus ſpeciem hiſce formalibus verbis loquitur (non eſt ita certum, quod oporteat eas confiteri, tamen tutum, & vtile eſt hoc fieri)* hanc etiã ſententiã non eſſe neceſſariò confitendas circumſtantias aggrauantes docent *D. Thom. in 4. diſt. 16. q. 3. a. 2. Durand. 16. q. 4. Palud. 16. q. 3. Gabr. ibid. q. 1. Adrian. q. 4. de confeſſ. art. 2. Turrecrem. de pænit. 5. cap. 1. Nauar. c. 6. num 7. Vaſqu. q. 91. art. 1. dub. 2. Valentin. T. 4. diſp. 7. quæſt. 11. p. 1. Sayr. de pænit. cap. 8. num. 3. Bonacc. de pænit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. Medina in c. de confeſſ. quæſt. de circumſt. & alij.*

Probant primo *ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1.* vbi loquens de ijs, quæ ſunt abſolutè neceſſaria ad Sacramentum pænitentię per confeſſionem peccatorum ritè ſuſcipiendum aſſerit ſolũ circumſtantias, quæ mutant ſpeciem eſſe neceſſariò aperiendas in confeſſione, ergo videtur implicitè, & virtualiter dicere reliquas circumſtantias aggrauantes non eſſe neceſſariò confitendas quia notabiliter grauarentur fideles ſi omnes circumſtantias aggrauantes neceſſariò deberent confiteri, cum pauci ſint, qui circumſtantias aggrauantes ſciant, & ritè intelligant.

Secundò, quia cum expreſsè non inueniatur nec à Domino præceptum, nec iure conſtitutum neceſſariò explicandas circumſtantias aggrauantes, nec Eccleſia huc vſque id definiuerit, ſequitur dicendum non eſſe neceſſarium, in dubio enim iuris, & præcepti fauendum eſt poſſidenti ſuam libertatem, maximè cum Eccleſia, quæ cognoſcit hoc dubium eſſe inter fideles, non definiuit eſſe neceſſariò confitendas circumſtantias aggrauãtes, & in re tanti momenti ſpectantis ad ſalutem, animæ non permitteret hanc opinionem probabilem.

Tertiò, probant ex ſolutione rationũ contrariæ opinionis,

prima

prima enim ratio non probat neceſſariò cōfitendas aggrauātes ex eo, quia in Sacris Canonibus iſtæ grauiori pænitentia puniuntur, nam vel apud Sacr. Canones eſt ſermo in foro fori, vel in foro conſcientiæ publico ad dandam pro talibus, publicam pænitentiam, quam non ſolum ponūt pro circumſtantijs aggrauantibus, ſed etiam in ijs, quæ neceſſariò non ſunt confitendæ, vt eſt pænitentia, quæ imponitur in Sacr. Canonibus viro accedenti ad ſuam vxorem poſt conceptionem, vel die Dominico, quæ tamen circumſtantiæ non ſunt neceſſariò confitendæ.

Ad ſecundum, reſpondent ſufficere, quod confeſſarius cognoſcat ſtatum pænitentis quoad circumſtantias mutantes ſpeciem, & numerum peccatorum, & iuxta illas attendi debet æqualitas pænitentiæ, non autem neceſſe eſt quoad circumſtantias aggrauantes, vel minuentes.

Ad tertium dicunt, quod non tenetur aperire quod per vnam horam peccauerit, benè tamen, quod ter, vel quater in eadem hora peccauerit, quia hæc circumſtantia pertinet ad numerum peccatorum, illa ſolum ad maiorem grauitatem peccati non autem ad pluralitatem peccatorum, quia peccans in vna hora integra vnum peccatum ſimpliciter committit; at vero ter, quater in eadem hora plura peccata numero diſtincta committit, quorū quodlibet habet ſuam malitiam diſtinctam, atque adeo neceſſariò aperienda, peccans vero in vna hora integra vnum ſolum peccatum facit, quod quia non mutat ſpeciem, nec addit numerum, ſufficit, vt ita ſimpliciter aperiatur, eſſet enim onus inſupportabile, ſi tempus totum in quo quis peccat, teneretur aperire.

Ad quartum reſpondent verum eſſe non ſufficere frangenti ieiunium, & comedenti carnem in quadrageſima, quod ſolum in confeſſione aperiat ſe ieiunium ſemel fregiſſe, ſed non propter hoc, quod comedere carnes ſit circumſtantia aggrauans ieiunij fractionem, ſed quia ſunt duo formaliter peccata diſtincta contra duo præcepta diuerſa, nam ieiunij fractio opponitur præcepto affirmatiuo de vnica comeſtione in die, commeſtio autem carnis opponitur alteri præcepto negatiuò de non comedendo carnes tempore quadrageſimæ.

Quare licet prima opinio ſit probabilis, & viris pijs conſulenda, quia vt loquitur noſter ſubtiliſs. Doctor eſt magis tuta, & vtilis, attamen ſecunda probabilior mihi videtur, & tuto pede practicanda, tum quia tot Doctorum eſt innixa authoritati, tum etiam quia rationibus fortioribus fundatur, & maximè ad ſcrupulos tollendos à pleraque parte fidelium conducit.

Vtrum ſolum circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſint neceſſario in confeſſione aperiendæ.

DIFFIC. V.

Dico primo, quod quæcumque circumſtantiæ non ſolum mutantes ſpeciem; ſed illæ etiam à pari quæ ſpecie ex ſe diſtinguuntur ab actu principali propter propriam formalem malitiam, quam retinēt ex eo, quia ſpeciali præcepto poſitiuo, diuino, vel naturali ſpecialiter prohibētur, vt eſt effuſio ſanguinis à ſacerdote, quæ ſpeciali præcepto prohibetur, itaque Sacerdos occidens debet confiteri ſacerdotij circumſtantiam, non quia homicidium ſacerdotis, & laici ſpecie differant, ſed quia ipſi ſpecialiter prohibetur effuſio ſanguinis humani, & membrorum mutilatio. Item frangens ieiunium in die, quo ex voto ſpeciali à ſe facto concurrit etiam præceptum Eccleſię, non ſufficit, quod ſolum dicat ſe fregiſſe ieiunium, ſed circumſtantiam vtramque debet confiteri, quia contra duplex diſtinctum facit præceptum.

Item frangens ieiunium, vt luxurietur, non ſufficit vt dicat ſolum, quod ieiunium fregerit, ſed debet finis circūmſtantiam, quæ ex ſe intrinſecè mala eſt, & mortaliter peccaminoſa aperire.

Item ſi quis notabiliter percutiat Petrum, vt blaſphemet, debet hanc circumſtantiam finis ex ſua natura intrinſeca peccaminoſi cum percuſſione confiteri, & ita in ſimilibus caſibus philoſophandum in quibus circumſtantia eſt in ſe intrinſecè, & per ſe peccaminoſa, & mortaliter læthifera.

Dico ſecundo, quod quandocumque circumſtantia pertinet ad ſubſtantiam indiuiduam actus, qui ſine expreſſione indiuiduæ eius circumſtantiæ ſufficienter exprimi non poteſt, licet nō mutet ſpeciem, probabilius dicendū, quod neceſſariò in cōfeſſione aperienda, puta ſi quis vno actu plures perſonas occidat, vel plures vno actu iniurijs grauibus lędat, licet circūſtātia occiſionis, vel læſionis vnius, vel plurium nō diſtinguatur ſpecie, tamen eſt circumſtantiā ita pertinens ad ſubſtantiā indiuiduā actus, vt nō poſſit exprimi iſte actus ab alio diſtinctus, niſi cum hac circumſtantia occiſionis, vel læſionis plurium determinatè, quandoquidem actus eſt ſingularium, vel circa ſingularia, nec poteſt exprimi in genere ſufficienter dicendo, ego occidi, ego iniurias affeci, ſed neceſſe eſt, vt ſingularizetur circa obiectum, vel ſubiectum, dicendo ego occidi hominem vnum, vel duos, vel tot occidi vnico, vel diuerſo actu, nec enim poteſt reticeri indiuidualitas, vel pluralitas perſonæ, quia ſicut non poteſt occidi homo in ſpecie, ita nec ſufficit dicere occidi hominem, neceſſe eſt ergo dicere occidi vnum, vel plures homines vnico, vel diuerſo actu, quia circumſtantia plurium, vel vnius obiecti eſt pertinens ad ſubſtantiam actus ſingularis humani, nec ſufficienter exprimi poteſt abſque tali circumſtantia.

Præterquam quod videtur hæc circumſtantia reduci ad numerum peccatorum ſaltem virtualiter, quia cum plures occiſerit, vel damnificauerit licet vno actu, tamen terminatiuè ſunt plures actus ex ſe æquiualente, pluribus peccatis, vt dictū eſt V. Actus, itaque neceſſariò diſtinctè aperienda.

Vt autem Confeſſarij, & pænitentes magis practicè dignoſcant, quænam in praxi ſint aggrauantes ſolum, & quænam mutantes ſpeciem multas in praxi particulares difficultates viſum eſt explicare in ſequenti titulo, &c.

Vtrum circumſtantiæ Epiſcopatus Generalatus, Ordinis Sacri Religionis; Nouitiatus, voti caſtitatis, Sodomiæ, coniugij, Sponſalium affinitatis & conſanguinitatis peccato carnis annexæ ſint neceſſario confitendæ.

DIFFIC. VI.

Dico primo, quod licet non omnino improbabiliter negēt *Fagund. de præc. Eccl. tract. 2. l. 4. cap. 3. & Nugnus in Add. ad 3. part. T. 2. quæſt. 9. art. 2.* neceſſariò confitendam in peccato carnis circumſtantiam Epiſcopatus, & generalatus, & ſimilium dignitatum, cum non addant malitiam mutantem ſpeciem de peccato, attamen probabilius diſtinguunt alij, nam ſi peccatum carnis Epiſcopi, Generalis, & conſimilium Prælatorum ſit publicum ratione ſcandali accipit malitiam diſtinctam mutantem ſpeciem, quia tenentur ex Officio bonum exemplum præbere, neceſſariò iſta circumſtantia Epiſcopatus, & Generalatus aperienda eſt in peccato carnis, ſi vero ſit ſecretum peccatum non eſt aperienda, vt bene docet opinio prima. Ita noſtr. *Villalob. in ſumm. T. 1. tract. 9. dub. 76. F. Lucc. T. 2. tract. 30. cap. 7. Coninch. de ſacram. diſp. 7. dub. 4. Sanch. de matr. T. 2. l. 7. diſp. 27. & alij.*

Dico ſecundo, quod circumſtantiæ Ordinis Sacri, Religionis, & voti caſtitatis neceſſariò explicandæ in peccato carnis, tam mentali, quam opere extrinſeco perpetrato, quia facit tale peccatum eſſe diuerſæ ſpeciei, ſcilicet ſacrilegij, ſit, vt concupiſcens monialem, vel habens rem cum Clerico in Sacris, Religioſo, vel voto caſtitatis adſtricto debeat explicare in Confeſſione concupiſcentiam fuiſſe erga Religioſam, vel Religioſum, vel Clericum in ſacris.

Eſt tamen verum, quod ſi peccatum carnis committens ſit Clericus in ſacris, & Religioſus profeſſus, vel ſacerdos, & Religionē profeſſus ſufficit, quod alteram circumſtantiam aperiat, ſcilicet quod vel ſit Religioſus profeſſus, vel quod ſit Clericus in ſacris, vel quod ſit Sacerdos, nam idem numero ſolum non ſpecie diſtinctum Sacrilegium committunt ſinguli, licet grauius ſit ſacrilegium Religioſi, quam Sacerdotis, & Sacris ſolum initiati, tamen cum ſit ſolum circumſtantia aggrauans, non tenetur dicere ſe Religioſum vel Sacerdotem, ſi ſit Religioſus in Sacris conſtitutus, ſed ſufficit dixiſſe, ſe in Sacris eſſe ordinatum.

Itaque ſi fæmina cum Religioſo, vel ſimplici Sacerdote rem haberet, ſolum teneretur dicere ſe peccaſſe cum ordinato in ſacris, vel cum habente votum caſtitatis, quia per hoc ſufficienter circumſtantiam mutantem ſpeciem id eſt commiſſum ſacrilegium aperit. Ita ex noſtris *Pitigian. in 4. T. 4. diſt. 16. quæſt. vn. art. 5. Rodriq. Sanch. & Medina, quos citat,*

& ſequitur *Villalob. loco citat. dub 37. Sanch. de matrim. l.7. diſp.27. & Leſſ. l.4. cap.3.*

An vero circumſtantiæ voti ſimplicis, & ſolemnis caſtitatis tanquam ſpecie diſtinctę ſint neceſſariò diſtinctè in peccato carnis confitendæ, affirmant *noſtr. Rodr. in ſumm. T.1. cap.1c9. Villal. loc. cit.* & alij, negant ſpecie diſtingui *Filiuc. T.2. tract.30. cap.9. & Sanch. vbi ſupr.* cum quibus etiam conſentio, nam ſolemnitas eſt ſolum quid accidentale in voto caſtitatis, vnde non diſtinguuntur ſpecie quare ſacrilegium eiuſdem ſpeciei, eſſe autumo tranſgreſſionem carnis in vito, que ſufficit ergo votum caſtitatis ſe habere vt dicat, quicumque etiam Religioſus profeſſus, peccatum carnis ſi admiſerit.

Quibus adde, quod confirmatio voti caſtitatis non eſt circumſtantia neceſſariò aperienda, quia confirmatio voti non eſt noua obligatio, nec nouum votum diſtinctum, ſed veteris obligationis renouatio, eſt ergo ſolum aggrauans circumſtantia, non autem mutans ſpeciem. Ita *Fagundez loc. cit.*

Porrò quis Nouitius, & Nouitia non habent votum caſtitatis, eorum peccatum carnale tam actiuè, quam paſſiuè non faciunt circumſtantiam ſpeciè diſtinctam, ſed ſolum aggrauantem, quæ non eſt neceſſariò aperienda cum communiori ſententia, licet non defuerint, qui contrarium parum probabiliter contendant.

Dico tertio, quod licet putauerint Sodomiam cum maſculo ſpecie diſtinctā eſſe à Sodomia cū fæmina *Zanard. in Direct. p.2. precep. 6. cap.9. Tannerus 2. 2. diſp.3. q.5. part.6. T.3. & Diana tract. de circumſtant. reſolut. 2.* vnde neceſſariò diſtinctè aperiendam putant in confeſſione. Attamen contrarium docent alij, vide *Caiet. quæſt.3. de confeſſ.* Tu vero dic conſequenter ad ea, quæ dicturi ſumus V. Sodomia, vbi cribrabitur, an concubitus cum fæmina extra vas naturale, vel in vaſe præpoſtero, ſit vera Sodomia dicenda.

Certum eſt tamen, quod beſtialitas tam in maſculo, quam in fæmina ſemper eſt eiuſdem ſpeciei.

Dico quarto, quod coniugati peccatum carnis cōmittentes cum altero non coniugato, vel cōiugato debent aperire in cōfeſſione hanc circumſtantiam coniugij tam actiuè, quā paſſiuè .i. tam ſolutus cum coniugato, vel coniugata, quā coniugatus, & coniugata cum ſoluto, & ſi vterque ſit coniugatus, debet etiam aperiri, quia coniugium facit fornicationem eſſe adulterium peccatum ſpecie diſtinctum, cum vltra malitiam contra caſtitatem, addat malitiam contra fidem matrimonij. Ita communiter Doctores citati.

An vero qui ſolum ſponſalia contraxerunt, ſi in peccatum carnis cum alijs incidant tam ſponſus, quam ſponſa teneantur circumſtantiam ſponſalium aperire. Negant de ſponſo noſtri *Rodr. & Villal. dub.36. loc. citat.* affirmant de ſponſa, & de fornicatione cum ea, ſed re vera neſcio, quo ſolido fundamento ita diſtinguant.

Quare affirmant abſolutè alij, non quia ſponſalia faciant fornicationem ſpeciè diſtinctam, ſed quia fractio fidei in ſponſalibus eſt peccaminoſa in ſuo genere diſtincta à fornicatione. Ita *noſtr. Pitigian. in 4. var. vbi ſupr. Nald. V. ſponſal. num. 12. Syluest. in 3. part. quæſt.43. art.1. & Lopez p.1. cap.39.* & alij nec improbabiliter.

Negant tamen fortè probabilius abſolutè *Couar. in 4. Decret. part.2. cap.1. Vgold. in Candel. p.1. Tit. de ſponſal. Azor. part.3. l.3. cap.11. & Diana loc. citat. reſolut. 5.* quia fides cum non ſit in ſponſalibus Sacramento adhuc firmata, ſi lædatur, non facit malitiam peccaminoſam grauem, cum non adueniat iniuria Sacramento.

Dico quinto, quod circumſtantia affinitatis, vel conſanguinitatis neceſſariò diſtinctè aperienda, nam ſpeciè diſtinguuntur à ſimplici fornicatione ex diſtincta ſpecie malitia, quam includunt reuerentiæ ſcilicet ferendę ſanguine coniunctis. Ita communiter, vnde fornicationem cum conſanguineo, vel affine inceſtum vocant ſpecie peccatum diſtinctum à fornicatione ſimplici. Verum.

Vtrum circumſtantia graduum inceſtus ſit neceſſariò diſtinctè aperienda in confeſſione.

DIFFIC. VII.

Circumſtantiam graduum inceſtus non eſſe neceſſariò confitendam docere *D.Thomam 2.2 quæſt.154. art.9.* inuenio apud *Dianam tract. de circumſtantia reſolut.31.* ſed re vera dum totum illum articulum attentus perlegi, non inueni Doctorem Angelicum hoc aſſerere, ſed potius contrarium. Quare

Diſtinguendum puto, quod gradus inceſtus in primo, & ſecundo gradu circumſtantia neceſſariò confitenda, at vero in ceteris gradibus non eſt neceſſarium, ratio autem huius diſparitatis eſt, quia vt docent *D.Thom. loc. citat. & noſter ſubtiliſſimus Doctor in 4. diſtin.40.* commixtio carnalis cum perſonis coniunctis in primo gradu, eſt ex ſe indecens, & repugnans naturali rationi, vt eſt inter filios, & parentes, fratres, & ſorores, in ceteris autem gradibus eſt indecentia ſecundum legem diuinam, & humanam, hinc commixtio fratrum, & ſororum quanto fuit antiquius licita compellente neceſſitate, tanto poſtea facta eſt damnabilior, Religione prohibente. Quare maior cauſa requiritur indiſpenſando coniugium in primo gradu, quam in ceteris, & magis difficulter diſpenſat Papa in primo gradu, quam in alijs, quia ex obiecto maior eſt indecentia in commixtione in primo, quam in reliquis, vnde Epiſcopi ſolum inceſtum in primo, & ſecundo gradu ſolent reſeruare, ergo habet primus gradus circumſtantiam ſpecie diſtinctam à reliquis ſecundus autem gradus quia primum immediatè ſequitur, videtur adhuc retinere quamdam reuerentiam, & decentiam naturalem, licet non ita ſtrictè, ſicut in primo, ratione cuius ex obiecto videatur repugnare inter ipſos commixtio, vnde videtur etiam eſſe circumſtantia mutans ſpeciem ſaltem moraliter loquendo, quia ſaltem Eccleſia dum reſeruat inceſtum in primo, & ſecundo gradu, intendit diſtinctionem ſpecificam moraliter inter ipſos intercedere. Ita etiam *Bonac. de pœnit. diſp.5. quæſt.5. ſect.2. punt.2. Henriq. de pœnit. l.2. cap.8.*

Vtrum vero cognoſcens carnaliter matrem filius, & filiam Pater teneantur explicare in confeſſione ſe cum matre, vel filia concubuiſſe, an vero ſufficiat dixiſſe ſe habere peccatum in primo gradu inceſtus, noſter *Rodr. T.1. cap.207. & Bonac. loc. citat.* affirmant neceſſariò exprimendam, circumſtantiam Patris, matris, & filij, vel filiæ, quia hæ perſonæ ſunt manifeſtandæ tanquam obiecta indecentiæ naturalis, at vero *noſtr. Ang. V. Confeſſio num.3.* docet ſufficere in dicto caſu ſi aperiat in confeſſione ſe commiſiſſe peccatum in primo gradu, vtraque mihi probabilis videtur opinio; Illud tamen certum eſt, quod ſi adſit periculum infamiæ, ſufficit aperire peccatum commiſſum in primo gradu inceſtus. Ita etiam *Rodr. & Bonacc.*

Vtrum Virginitatis amiſſio ſit circumſtantia in Confeſſione neceſſariò aperienda.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod circumſtantia Virginitatis amiſſæ in viro non eſt neceſſariò confitenda, quia non addit malitiam ſpecie diſtinctam à peccato carnis, quod commiſit quando Virginitatem perdidit, nam licet per amiſſionem Virginitatis aureolam debitam Virginibus amiſerit per primum peccatum carnale commiſſum, quæ vtique eſt irreparabilis, tamen nullam aliam ſpecialem malitiam induit, nec diſtinctum peccatum committit, ſicut qui primo, perdit innocentiam baptiſmalem non debet neceſſario hanc circumſtantiam aperire, quia nullam malitiam ſpecialem habet diſtinctam à peccato, quod committit. Ita communiter Doctores *Ang. loc. citat. Nauarr. capit.8. num.3. Suar. diſp.21. ſection.4. Reginald. l.2. num.128. Coninch. diſp.2. dub.4. & Bonac. de pœn. diſp.5. quæſt.5. ſect.2. & alij.*

Dico ſecundo, quod licet multi graues Doctores aſſeruerint circumſtantiam virginitatis amiſsæ in fæmina non eſse neceſsariò confitendam, putantes non addere diſtinctam malitiam à peccato carnis, quod primo Virgo committit. Ita *Leſſ. l.7. capit.10. Coninch. de ſacr. diſput.7. dub. 4. Sanch. de Matrim. l.2. diſput.4. Vaſq. opuſc. de reſtitut. cap.3. Petr. Nauar. de reſtitut. cap.3. l.2. & alij*, etiam ſi Virgo ſit ſub cura parentum, modo ſponte conſentiat.

Attamen probabilius alij volunt virginitatem amiſsam in fæmina eſse circumſtantiam ſpecie diſtinctam à peccato carnis, quod primo committit Virgo etiam ſpontaneè, quia habet diſtinctam malitiam, etenim Virginitas fæminæ fuit à Deo benedicto quodam ſpeciali ſignaculo conſtituta,

indebita

indebita autem fractio talis ſignaculi eſt malitia ſpecie diſtincta à peccato carnis, quod committitur, ergo neceſſariò in confeſſione aperienda circumſtantia amiſſæ Virginitatis à fæmina. Ita etiam *Angel. V. ſtuprum, & Villalob. T. 1. tract. 9. dub. 36. & omnium recentiorum contrariæ opinionis magiſter Angel. Doctor 2. 2. quæſt. 64. art. 6. Tabiena V. ſtuprum. & V. luxurioſus quæſt. 5. num. 6. Armilla V. luxuria num. 4. & V. ſtuprum num. 1. Graff. 1. p. l. 2. cap. 79. Azor. part. 3. l. 3. cap. 11. quæſt. 4. & Filiucc. T. 2. tract. 30. cap. 2. Bonacc. de matr. q. 4. punct. 17. & de pænit. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. Sylueſt. in Addit. ad 3. part. quæſt. 9. diſput. 8. Fagundez de præcept. Eccleſ. tract. 2. lib. 4. & alij.*

Vtrum circumſtantia copulæ maritalis, & cuiuſcumque peccati carnalis in loco ſacro ſit neceſſario in confeſſione detegenda.

DIFFIC. IX.

DIco primo, quod circumſtantia copulæ coniugalis in loco ſacro ex neceſſitate propter retentionem ſcilicet alterius coniugis ibi per longum tempus certum eſt apud omnes, quod non eſt confitenda, quia non facit ſacrilegium ratione Sacramenti matrimonij, longum autem tempus putat *Sanch. de matrim. T. 3. diſp. 15.* eſſe vnum menſem, quindecim dies cenſet *Leſſius l. 4. cap. 3. at vero Suar. in 3. p. q. 83. artic. 3. diſp. 83. Ledeſma de Sacram. Euch. T. 1. cap. 20. Diana. tractat. de circumſt. reſol. 19. & Fagundez de præcept. Eccleſ. l. 4.* putant longum tempus in tali caſu quatuor, vel quinque dies.

Attamen licet hæc opinio ſit admodum pia, poteſt abſolutè dici tuta conſcientia, quod copula coniugalis in loco Sacro nullo modo ſit dicendum ſacrilegium, quia conſumatio matrimonij vtpotè actus bonus, nullam inducit turpitudinem, ſi fiat in loco ſacro. Ita etiam *Vaſq. T. 1. p. 2. diſp. 98. cap. 3. Pontius de matrim. l. 10. cap. 10.*

Dico ſecundo, quod parum probabile puto, quod Vaſq. aſſerit circa peccatum carnis patratum in loco ſacro volens, ſi ſit ſecretum, non eſſe ſacrilegium, nec in confeſſione neceſſario aperiendum, nam ratio ſecreti, vel publici de ſe per accidens eſt ad ſacrilegium, quod committitur à peccãte carnaliter in loco ſacro, nam ſacrilegium aduenit peccato carnis facto in loco ſacro, quia actus ille inhoneſtus repugnat, & diſconuenit ſanctitati, & munditiei Eccleſiæ Chriſti ſponſæ immaculatæ, itaque actus ille inhoneſtus vel fiat publicè, vel ſecretè ſemper eſt ſacrilegus, hinc ſi actus iſte inhoneſtus ſecretus publicaretur, ſanè iudicaretur ſacrilegus, & Eccleſia polluta diceretur, culpa autem non dependet à futuro euentu, ergo ab initio actus ille inhoneſtus ſecreto patratus in loco ſacro fuit ſacrilegus, & neceſſariò in confeſſione aperiendus. Ita communius Doctores, *vide Suar. de Relig. T. 1. l. 3. cap. 7. Sanch. loc. cit. & Bonac. de matr. q. 4. punct. vlt.*

Itaque quodcumque peccatum carnale cum pollutione patratum in Eccleſia etiam occulte eſt verum ſacrilegium neceſſariò in confeſſione aperiendum.

Aduertendum tamen, quod Oratorium priuatum alicuius Palatij, vel intra monaſterium etiam ſi in eo miſſa dicatur, item porta externa Eccleſię, Dormitorium Religioſorum etiam ſi in eo celebretur aliquando miſſa, & benedicatur quotidie à ſuperiore aqua luſtrali, ſicut etiam Sacriſtia non dicuntur loca Sacra in rigore, vnde peccatum inhoneſtum committens in dictis locis non dicitur admittere ſacrilegium quare talis circumſtantia non eſt neceſſariò aperienda in confeſſione.

Vtrum circumſtantia delectationis moroſæ ſit confitenda iuxta diuerſa obiecta ad quæ tendit.

DIFFIC. X.

DIſtinguunt aliqui Doctores, quod ſi delectatio moroſa conſiſtat ſolum in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate, non ſit circumſtantia neceſſariò confitenda, quia non habere diſtinctam malitiam volunt ratione obiectorum diuerſorum, ad quæ terminantur, quare ſi quis haberet delectationem moroſam huiuſmodi circa monialem, vel conſanguineam, putant ſufficere, ſi dicat in confeſſione ſe habuiſſe delectationem de mulieribus in genere, ſecus ſi voluntate efficaci eas proſequeretur, quia tunc delectatio ad opus erga obiecta deſtinatur, vnde ſumit delectatio diſtinctionem ab obiectis, & neceſſariò in confeſſione ſpecificanda iuxta qualitatem obiectorum. *Ita Vaſq. part. 2. T. 2. diſput. 112. cap. 2. Sayr. in C. R. l. 9. cap. 17. Reginald. T. 2. l. 12. cap. 2. quam opinionem docet etiam probabilem Bonac. de matr. quæſt. 4. punct. 8. & Leſſ. l. 4. cap. 5. dub. 5.*

Attamen communius volunt ſpecificè confitendas ſemper circumſtantias delectationis moroſæ iuxta obiecta ad quæ terminatur, quia ſpecificatio mortalis ſemper ſumitur ab obiecto diuerſæ rationis. Ita *noſtr. Villal. in ſum. T. 1. tract. 3. dub. 3. Caiet. 2. 2. quæſt. 154. art. 4. Nauarr. cap. 16. num. 9. Sanch. in ſumm. T. 1. l. 1. cap. 2. Azor. part. 1. l. 4. cap. 6. quæſt. 3. & alij*, dicunt communius, ita etiam, & probabilius, & tutius dicendum, & primam conſulere in praxi non auderem, licet ſua ſpeculatiua ratione non careat, in hiſce cum caſibus non ſunt habenæ ex ſola ratione ſpeculatiua laxandæ. Ex qua doctrina.

Collige, quod circumſtantia pollutionis cum tactu impudico monialis, vel Religioſi eſt neceſſario confitenda ſecundum ſententiam probabiliorem, quæ docet peccata mentalia diſtingui ſpecie iuxta quod diſtinguuntur peccata actualia, quare vix probabiliter dicerem ſcripſiſſe *Llamas in ſumma p. 3. cap. 3. §. 16.* volentem circumſtantiam talem pollutionis cum tactu impudico monialis, vel Religioſi non eſſe neceſſariò confitendam, nimis enim largè dictum puto.

Vtrum circumſtantia copula carnalis fidelis cum infideli ſit neceſſario explicanda in confeſſione.

DIFFIC. XI.

NEgant *Azor. part. 3. l. 3. cap. 29. quæſt. 3. Filiucc. T. 2. tract. 30. cap. 2.* putantes non habere talem copulam malitiam ſpeciem diſtinctam ab alijs, quod putant etiam probabile *Alcozer. & Sylueſt.*, quos citat, & ſequitur *Diana de ſacram. tract. 4. reſol. 183.* modo non ſit caſus reſeruatus, & non adſit contemptus legis, ſcandalum, vel periculum ſubuerſionis.

Attamen probabilius alij volunt talem circumſtantiam neceſſariò confitendam, vtpotè quæ addit malitiam diſtinctam ſpecie actui tali inhoneſto habito cum infideli, diſparitas enim cultus dat malitiam ſpecie diſtinctam, vnde Eccleſiæ inter eos dirimit contractum matrimonium ratione diſparitatis cultus. Ita noſter *Bellochius de caſib. reſeru. part. 2. quæſt. 1. Nald. V. fornicatio, Thoron. de caſib. Reſer. Sanch. de matrim. T. 2. l. 7. diſput. 5.*

Immò non improbabiliter putarè dicendum cum *Leſſio l. 4. cap. 3.* huiuſmodi copulam fidelis cum infideli operari ſacrilegium, quia videtur baptiſmali charactere in filium Dei eleuatum fidelem deturpari in commixtione cum immundo infideli, vnde ſpecialiter ab Eccleſia in honorem Chriſtianitatis prohibetur.

Prima ergo opinio licet non ſit improbabilis, quia ratione ſua fulcitur ſufficienti, attamen nullo modo conſulenda propter multa pericula, quæ oriri poſſent in damnum, vel dedecus fidelium, & Sanctæ Eccleſiæ propter tales copulas cum infidelibus. Salomon enim in idolatrias cecidit ex conſortio alienigenarum.

Vtrum circumſtantia pollutionis præuiſæ in Ebrietate, vel comeſtione ſit neceſſario confitenda.

DIFFIC. XII.

DIſtinguendum videtur, nam pollutio præuiſa in Ebrietate, & comeſtione fuit ſimpliciter abſque eo, quod fuerit intenta, & paſſim non ſolet eſſe cauſa principalis pollutionis, & in hoc caſu cum ebrietas, & comeſtio ſint cauſæ remotæ pollutionis, etiam ſi ſequatur in ſomnis poſtea, non eſt neceſſariò confitenda, quia ex cauſa ſolum veniali proceſſit in ſomnis pollutio.

At vero ſi pollutio fuit præuiſa in Ebrietate, & comeſtione, & vel fuit intenta, vel paſſim habita ſit cauſa principalis pollutionis ſecutæ in ſomnis Ebrietas, vel comeſtio, omnino aperienda eſt circumſtantia iſta, quia verè cauſa principalis habenda eſt pollutionis ſecutæ in ſomnis, in caſibus enim iſtis cumeſtio, & Ebrietas ordinantur

Digitized by Google

actu, vel virtualiter ad pollutionem in ſomnis habendam. *Ita noſt. Villal. in ſum. T. 2. tract. 40. dub. 26. Vaſq. p. 3. T. 1. diſp. 115. c. 3. Sanch. de matr. T. 3. l. 9. diſp. 45.*

Quod autem addit Sancius in ſelect. diſp. 21. quod præuiſa pollutio in ſomnis ex tactibus, & ceteris impudicis præcedentibus non ſit circumſtantia neceſſariò aperienda in confeſſione, quia talia impudica non influunt in malitiam pollutionis nocturnæ videtur gratis omninò dictum, cùm talia impudica moueant partes ſenſitiuas vt plurimum, vnde facilè pollutio in ſomnis euenire ſolet.

Vtrum circumſtantia retinendi Reliquias Sanctorum in actu venereo ſit neceſſariò confitenda.

DIFFIC. XIII.

NOn eſſe neceſſariò confitendam huiuſmodi circumſtantiam, quia non eſt propriè ſacrilegium communius volunt Doctores, quare non addit malitiam ſpecie diſtinctam ab actu carnali, verum eſt tamen quod aggrauat peccatum propter quamdam irreuerentiam ſacris reliquijs, quę fuerunt Spiritus Sancti habitaculum in corporibus Sanctorum, quorum ſunt particulæ; quod tu puta certum, niſi adſit contemptus, ſi enim quis recordaretur ſe retinere reliquias Sanctorum, & poſſet faciliter eas deponere, attamen irreuerentiam, quam contipit fieri Sacris reliquijs in actu venereo, ſpernens cum illis turpe committat peccatum, omnino talem circumſtantiam confitenda, quia addit malitiam contemptus rei ſacræ, quod ſi inaduertenter, vel quia non habet facilem modum eas deponendi ex improuiſo motu carnis veneseum peccatum patret, non tenetur talem circumſtantiam confiteri.

An vero ſi Amaſiæ donaretur Reliquiarium, eſſet neceſſariò aperienda hæc circumſtantia, diſtinguendum videtur, nam vel dat Amaſiæ reliquiarium in pretium turpitudinis, & fornicationis, ſanè eſſet circumſtantia neceſſariò aperienda, quia eſſet ſacrilegium facere pretium de rebus Sacris, ſi vero ſolo animo gratificandi non eſſet ſacrilegium. Ita etiam *Filiucc. T. 2. tract. 30. cap. 5. & Diana tract. de circumſtantia reſolut. 18.*

Vtrum circumſtantia Confeſſarij cum ſua filia ſpirituali ſit neceſſario confitenda.

DIFFIC. XIV.

AFfirmant *Nugnus in addit. ad 3. p. quæſt. 9. artic. 2. dub. 3. Filiucc. tract. 10. p. 2. cap. 5. quæſt. 5. & Sanch. T. 2. de Matrim. T. 2. l. 7. diſp. 55.* quia irreuerentia videtur eſſe tanta, vt malitiam diſtinctam à copula videatur induere, refugit enim ipſa naturalis æquitas tantum facinus ei ſcilicet occaſionem peccandi tradere, quam debet ſatagere, vt à peccato ſeruet immunem.

Attamen licet ſit admodum pia opinio probabiliter diſtinguerem, quod ſi confeſſarius habeat ex officio, puta quia Parochus, vel Epiſcopus, vt ſuæ filiæ ſpiritualis procuret ſalutem, & tunc cum prima omnino ſentirem ratione potius officijs ſpecialis erga ipſius ſalutem, omnino confitendam huiuſmodi circumſtantiam. Ita videtur ſentire etiam *Bonac. de Matrimon. quæſt. 4. part. 16. & de pænit. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2.* quod ſi ſimplex ſit confeſſarius, non tenetur neceſſario eam circumſtantiam aperire, quia nulla adeſt malitia ſpecialis, quia nec cognatio ſpiritualis inter eos eſt, nec alia malitia ſpecialis ſacrilegij in quantum Pater ſpiritualis, & confeſſor eſt. Ita *noſtri Rodr. in ſumm. T. 1. cap. 200. & Portell. in Add. ad dub. R. g. V. eligere, & Vaſq. in 3. part. T. 4. quæſt. 9. art. 1. & alij.*

Vtrum circumſtantia vxoricidij cum promiſſione ducendi Adulteram ſit neceſſario ab Adultero confitendam.

DIFFIC. XV.

NEgare videntur *Leſſius, & Filiuccius*, putantes circumſtantiam promiſſionis ducendi Adulteram in vxoricidio eſſe ſolum aggrauantem, non autem mutantem ſpeciem, cum ad nullam malitiam ſpecie diſtinctam ab vxoricidio ſit reducibilis.

Attamen probabilius dicendum ex doctrina Scoti docentis circumſtantiam, quando peculiari præcepto ab Eccleſia prohibetur, neceſſariò confitendam, quia habet ex tali præcepto quandam malitiam moraliter ſaltem ſpecie diſtinctam ab actu quę circumſtat, vxoricidium autem cū promiſſione ducendi adulteram ſpeciali præcepto ab Eccleſia prohibetur, vt dicitur ſuo loco V. Impedimenta matrimonij, ergo neceſſariò in confeſſione aperienda. Ita etiam *Henriq. l. 5. loc. cit.*

Vtrum qui fornicatus eſt cum tribus fæminis integrè confiteatur, ſi dicat, quod ter ſit fornicatus.

DIFFIC. XVI.

DIſtinguendum videtur, nam vel fæminæ cognitæ ſunt ſolum ſolutæ, nec Virgines, nec Sacræ, nec conſanguineæ, nec vxoratæ, & ita ſufficit, vt dicat, ſe ter fornicatum fuiſſe, quia actus fornicationis indiuiduales ſunt eiuſdem ſpeciei, & ceteris paribus habet eamdem malitiam, ſiue cum vna, ſiue cum pluribus exerceantur.

At vero ſi fęminæ cognitæ includant circumſtantias diuerſas ſpecie, puta ſi altera fuerit voto caſtitatis adſtricta, altera conſanguinea, altera vero vxorata, tenetur aperire cum tribus fæminis cum ſuis ſingulis circumſtantijs ſe concubuiſſe, nec ſufficit dixiſſe, ſe ter fornicatum fuiſſe, quia circumſtantiæ annexæ fæminis faciũt peccata tria formalites ſpecie diſtincta habẽtia malitias ſpecie diſtincta. Ita cõmuniter. Vide *Azor. 1. p. l. 4. cap. 4. & Bonac. de pænit. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2.*

Ex quibus collige, quod peccans coniugatus cum coniugata debet vtrumque exprimere in confeſſione tam coniugatus, quam coniugata, ita etiam voto caſtitatis adſtrictus ſi cum fęmina peccet etiam voto caſtitatis adſtricta ſiue ſimplici, ſiue ſolemni, vtraque circumſtantia ab vtroque confitenda, idem dicendum de conſanguineo cum conſanguinea, debet enim vterque vtramque circumſtantiam aperire, quia actus peccati in hiſce caſibus actiuè, & paſſiuè habent malitiam diſtinctam ſpecie neceſſariò confitendam. Idem dicendum de eo, qui in actu mollitiei concupiuit Virginem, & Monialem, vxoratam, & conſanguineam, quia ſingulas circumſtantias debet diſtinctè in illo actu explicare. *Ita Nauar. cap. 14. & Henriq. l. 5. cap. 6. & alij communius.*

Vtrum circumſtantia mutans ſpeciem oblita in confeſſione poſſit repeti peccato principali non repetito.

DIFFIC. XVII.

DIſtinguunt alij tunc eſſe neceſſariò repetendum peccatum cum circumſtantia, quando circumſtantia eſt inſeparabilis ab actu quando vero circumſtantia eſt ſeparabilis ab actu, putant poſſe repeti in dicto caſu circumſtantiam abſque peccato, hinc volunt quod ſi quis confeſſus fuerit ſe fornicatum fuiſſe, & oblitus fuerit, quod cum fæmina voto caſtitatis adſtricta tale peccatum admiſerit, ſufficiat repetere ſe admiſiſſe ſacrilegium, abſque eo, quod repetat peccatum fornicationis. Ita videtur docere *Suar. in 3. part. T. 4. diſput. 22. ſect. 2. Coninch. Filiucc. & Reginald. apud Dianam tract. de circumſt. reſolut 45.*

At vero hæc opinio nimis metaphyſica ratione, licet probabili videtur fulciri, in praxi ergo probabilius, & tutius cum noſtro Angelo reſpondendum, cum non poſſit à confeſſario ſtatus pænitentis dignoſci, & pænitentia iuxta rationem peccati imponi, ſi ſolum in genere circumſtantiam nouit abſque ſpecie peccati, cui adhæret. Ita etiam *Nugnus in Addit. ad 3. p. T. 2. quæſt. 9. art. 1. dub. 2.*

Vtrum circumſtantia manifeſtatiua complicis etiamſi mutet ſpeciem, neceſſariò confitenda, ſi infamia timeatur apud Confeſſarium.

DIFFIC. XVIII.

AFfirmant aliqui putantes nunquam infamari complicem apud confeſſarium, nam ſcilicet cum duobus, & tribus amicis occultum propalare peccatum abſque ſcrupulo peccati mortalis in multorum ſententia probabili, multo magis arguunt id fieri poſſe apud confeſſarium. Ita *Tolet. l. 3. c. 8. Vaſq. in 3. p. T. 4. quæſt. 91. art. 2. Bonac. de contract. diſp. 2. quæſt. 4. & S. A. V. confeſſio 18. & alij.*

Negant tamen *noſt. Villal. in ſum. T. 1. tract. 9. dub. 38. Caiet. v. confeſ.*

Digitized by Google

*v.confeſ. cond.*3. *Armilla v. circumſt. num.* 11. *Med. in ſum. lib* 2.*c.*4. *Bannes* 2.2.*q.*33 *dub.*8 & alij aſſerentes circumſtantiam manifeſtatiuam complicis etiamſi mutet ſpeciem, quãdo timetur ex eius explicatione infamia etiam apud ſolum confeſſarium, puta, quia Confeſſarius complicem pro honeſta, vel timorata admodum perſona habet in ſua æſtimatione, non eſſe confitendam, quia præceptum de non infamãdo proximum fortius ligat, quam integritas Confeſſionis cũ hoc ſit de iure diuino, illud autem de iure naturæ.

Sanè hæc ſecunda opinio mitior eſt, & benignior, & rationi etiam magis cõſentanea, & videtur eam etiam docere noſter ſubtilis Doctor in 4. *diſt* 18.q.2 art.5. & 1. autem probabilitate ſua non caret, quare

Diſtinguendum tutiùs puto in hoc caſu, quod quando Cõfeſſarius habetur à pœnitente vir parùm diſcretus, & de facili ſcandalum patiens de tali peccato, nec habet alium pre manibus magis diſcretum, poteſt in hoc caſu pœnitens, etiamſi foret in articulo mortis tacere circumſtantiam manifeſtatiuã complicis, licet foret aliàs neceſſariò confitẽda, puta, quia ſpeciem mutat, & in hoc ſenſu puto ſequendam ſecundam opinionem cum ſua ratione. Quod ſi Confeſſarius habeatur vir diſcretus, prudens, & compatiens, poteſt vtique manifeſtari circumſtantia. & in hoc ſenſu puto poſſe ſequi primam cum ſuo fundamento.

Vtrum circumſtantia occaſionis captæ ad peccandum ſit neceſſario confitenda.

DIFFIC. XIX.

Diſtinguendum breuiter puto, nam ſi circumſtantia occaſionis arreptæ ad peccandum notabiliter præcedat ante con ſummatum peccatum, ita vt videatur actus diſtinctus, à peccato, ſanè confitenda eſt, quia malitiam induit diſtinctam à peccato ſecuturo, quod ſi circumſtantia occaſionis arreptæ ad peccatum ſit ſimul cum ipſo peccato, nec diſtinctũ habeat tempus, non videtur neceſſariò confitenda, quia pro eodem actu habentur medium, & finis, quando finis immediatè habetur per tale medium. Ita etiam noſter *Villalob. in ſumm.T.* 1. *tract.*24. *dub.*4. *Suar. in* 3.*p.T.*5. *diſput.*28. *& Diana tract. de circumſt. reſol.*94.

Vtrum circumſtantia furti facti de qualibet re quomodocumque in Eccleſia exiſtente ſit neceſſario in confeſſione aperienda.

DIFFIC. XX.

Non deſunt graues Doctores, qui volunt circunſtantiam furti facti in Eccleſia de quacunque re quomodolibet ibi exiſtente ſiue in depoſito, ſiuè per accidens illatæ abſque ratione cuſtodiæ Eccleſiæ concreditæ omnino confitendam, quia putant furtum cuiuſcunque rei factæ in Eccleſia ſacrilegium nuncupari iuxta illud Ioan. Papæ *in c. quiſquis* 17.*q.*4. (Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro.) Ita *Suar. de Relig.T.*1.*l.*3 *c.*4. *Layman tract.*10.*c.*7. *Menoch. de arb. l.*2. *cent.* 4.*c.*389. *Ledeſma tract. de pæni.c.*10.

Diſtinguendum tamen videtur probabilius, quod quando res eſt concredita quocunque modo Eccleſiæ, puta etiam quando quis ad Eccleſiam confugit, ne res ſua ab alio rapiatur, tunc vera eſt allata opinio, quia verè fit iniuria Eccleſiæ, quod ſub eius protectione, vel cuſtodia res in ipſa locatur, vnde ſacrilegium eſt tollendo non ſacrum de ſacro, quando vero per accidens res aliqua eſt in Eccleſia, nec cuſtodiæ cõcredita, nec allata ibi ad hunc finem, vt Eccleſiæ protectione fulciatur, ſed ſolum per merum accidens eſt ibi, cum non pertineat ad ius Eccleſiæ, ſi auferatur, poteſt probabiliter dici non eſſe ſacrilegium, quia vere non dicitur ablatum non ſacrum de ſacro, ly enim de ſacro dicit aliquam dependentiam protectionis, vel cuſtodiæ rei non ſacræ ad ſacrum, itaque ſi quis furaretur Crumenam, quam quis per accidẽs portat in Eccleſia, videtur non committere ſacrilegium, quia verè non auferetur non ſacrum de ſacro, dum crumena nõ erat commiſſa cuſtodiæ, vel protectioni Eccleſiæ. Ita noſter *Puigian. in* 4.*ſent. diſt.*18.*q. vn. ar.*5. *Leſſ.l.*2.*c.*45. *dub.*3. *Farinacc. de immunit. eccleſ. c.*16. *Sot. in* 4.*diſt.*18.*q.*2.*a.*4. *& alii. ex quib.*

Collige, quod furans non ſacrum à Clerico licet iure Eccleſiaſtico poſſeſſum, non committit ſacrilegium, quia furans nullam iniuriam affert loco ſacro, nec dicitur verè auferre non ſacrum de ſacro.

Vtrum circumſtantiam ordinis, quem habet teneatur neceſſariò aperire Clericus mutilans, vel occidens.

DIFFIC. XXI.

Negant aliqui non valentes intelligere, vnde naſcatur iſta neceſſitas, cum circumſtantia Ordinis nullam malitiam diſtinctam ponat ab ipſo actu, ergo non eſt mutilatio, & occiſio vt à Clerico facta neceſſariò aperiri in Confeſſione.

Attamen probabiliùs dicendum puto cum doctrina mei Doctoris, quod quando circumſtantia eſt ſpeciali præcepto ab Eccleſia prohibita debet neceſſariò confiteri tanquam habens ſpecialem malitiam diſtinctam ab actu, prohibetur autem Clericis ſpecialiter mutilatio, & occiſio ſub pœna irregularitatis, ergo ratione huius præcepti habet malitiam diſtinctam neceſſariò confitendam. Ita etiam *Diana ſaltem in opinione ſi in fundamento reſol.*8.

Vtrum circumſtantia odij in proximum ſecundum diuerſa mala ei volita ſint neceſſariò confitenda.

DIFFIC. XXII.

Negant, qui putant odium potius dependere ex motiuo, quam ex obiecto materiali, vnde volunt circumſtantias odij in proximum ſecundam mala volita circa perſonam, facultates, vel honorem non eſſe neceſſariò in Confeſſione aperiendas, quia vnam volunt habere malitiam ex motiuo odij. Ita *Bonacin. tract. de leg. diſput.*3.*quæſt.*4. *& Ledeſma T.* 2. *tract.*3.*c.*6.

Attamen probabilius videtur affirmandum quod ſint diuerſa peccata ſpecie, vel numero diſtincta iuxta numerum obiectorum ſpecie, vel numero diſtinctorum, quia actus vnus poteſt eſſe materialiter, & obiectiui peccaminoſus iuxta ſpecies, & numerum malitiarum, vide ſupra, quæ docuimus V. Actus, ſicut etiam videtur ille multipliciter peccare, qui vnico impetu profert opprobria ſpecie diſtincta in proximum vocando furem. Adulterum, Sodomitũ, &c. Ita etiam *Nauarr. cap.*6.*num.*18. *Sanch. in ſumm. l.* 1 *cap.*3. *Suar. de charit. diſput.*6. *contra Caietan. Sotum, & Azor.* putantes nec improbabiliter eſſe vnum peccatum iuxta ea, quæ à nobis ad aures Scoticæ doctrinæ ſupr. v. Actus.

Vtrum blaſphemiæ circumſtantia in Deum, & in ſanctos ſit ſpecie diſtincta neceſſariò diſtinctè in Confeſſione aperienda.

DIFFIC. XXIII.

Diſtinguunt aliqui, quod blaſphemia ſimplex in Deum nõ eſt diſtincta ſpecie à blaſphemia in Sanctos, & conſequenter, quod non eſt neceſſariò in Confeſſione diſtinctè aperienda, ſed ſufficere volunt ſi dicatur, quod blaſphemauerit toties, quod ſi blaſphemia in Deum contineat hæreſim, vel odium Dei formaliter, tunc neceſſariò diſtinctè aperienda in Confeſſione, quia ſpecie diſtinguitur à blaſphemia in Sanctos ea, quæ continet hæreſim, vel odium Dei formaliter. Ita *Caietan. v. Blaſphemia, Valent. T.*3.*diſput.*1.*quæſt.*13. *punct.*1. *Azor.T.*1.*l.*9. *cap.*28. *& Diana tract. de circumſt. reſ.* 50. At vero probabiliùs dicendum, quod blaſphemia in Deũ, & ſanctos ſpecie diſtinguatur, vt probatum eſt v. Blaſphemia difficultate nona, quare eſſe circumſtãtiam ſpecie diſtinctam blaſphemare Deum, & blaſphemare Sanctos & neceſſariò diſtinctè confitendam. Ita etiam *Filliuc.T.*2.*tract.*10. *c.*1. *qui citat etiam Suarez, item Regin.T.*2.*l.*18.*c.* 14. *Sanctarel. tra. de Hær.c.*4. *Sanctius diſp.*6.*q.*6. *Layman Theol. mora.l.*4. *Bannes, & Arragon.*2.2.*q.*23. *& alii.* Quare Epiſcopi ſolent blaſphemiã aliquando in Deum ſolum, & non in Sanctos reſeruare.

Vtrum circumſtantiæ diuinationum Chyromantiæ, Pyromantiæ, Hydromantiæ, Necromantiæ, &c. ſint diſtinctæ in Confeſſione aperiendæ.

DIFFIC. XXIV.

Negat *Diana tract. de circumſt. reſolut. vlt.* quia ſingula ſunt eiuſdem ſpeciei, & eamdem ſpecie malitiam induunt. At

At vero dicendum puto Diuinationem eſſe genus, & ſingulas eſſe ſpecies diſtinctas ſub eodem genere Diuinationis, quod ex eo patet, quod ſingulæ habent obiecta, materiam, & modum diuinandi diuerſum, & diuerſa etiam inſtrumenta, quæ indicant eſſe ſpecie inter ſe diuerſas propter diſtinctas formaliter, & materialiter rationes diuinandi, quas ſingulæ habẽt, quare neceſſariò ſingulæ ſunt aperiendæ vt diſtinctæ, quod tanto magis eſt conſulendum, vt ſciat Confeſſarius ſtatum pœnitentis, quia aliquæ eorum omnino fundantur in ſuperſtitionibus, & Dæmonum tacitis, vel expreſſis inuocationibus, vnde priorem opinionem puto à veritate alienam, & in praxi nullo modo conſulendam.

Vtrum circumſtantiam conſuetudinis in peccato teneatur pœnitens aperire à Confeſſore interrogatus.

DIFFIC. XXV.

NEgat *Sancius in ſuis pract. diſputat.* diſp. 9. putans Confeſſarium non habere ius ad obligandum pœnitentem, vt reſpondeat tali interrogationi à ſe factæ circa peccati cõſuetudinem ex eo, quia non habet ius ad obligandum pœnitentem, vt antiqua peccata iterum confiteatur ſufficere enim ait *Sancius*, vt conſuetudinarius habeat propoſitum certum de cætero non offendendi amplius tali peccato Deum, & de præteritis verè doleat.

Attamen licet hæc ratio videatur habere aliquid apparentis, tamen friuola eſt, nam licet non habeat ius Confeſſarius ad obligandum pœnitentem, vt ſingula numero peccata reconfiteatur, & hoc ſolum concludit ratio *Sancy*, attamen habet ius, vt peccata in genere iterum confiteatur, ſi ſpectent ad iudicium particulare peccati, quod de præſenti confitetur, ſicut de facto eſt conſuetudo in peccando, pertinet .n. ad iudiciũ præſentis peccati, nã ſi conſuetudinarius eſt, & recidiuus eſt, alio modo iudicandum peccatũ præſens, quo iudicaretur, ſi non foret in eo conſuetudinarius, & recidiuus. Itaque nullo modo conſulenda talis opinio *Sancij*, quia daret occaſionem peccantibus in peccato foueri, dum vulnus iam impium ex diligentiſſima medicina à Confeſſario curandum, cælandum exiſtimat.

Benè tamen verum eſt quod pœnitentẽ nõ obligari ex ſe ad aperiendam neceſſariò peccati conſuetudinem probabile eſt, attamen, quod quod interrogatus à prudente Confeſſario ſit obligatus patefacere quoto tempore in tali peccato perſeuerauerit, omnes ferè vnanimiter conclamant Doctores. Ita etiam expreſsè *Villalob. in ſum. T.1. tract. 117. dub. 15. Suar. in 3.p.T.4.diſp.32. Vaſq. Henriq. Reginald. Sayr. Tolet. & alij quos citat, & ſequitur Diana reſol. 35. tract. de circumſt. & Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 5 ſect. 2.*

Immò probabilius putant cum noſtro Doctore *ſubtili in 4. diſt. 17. q. 1. & Henriq. l. 5. c. 8. num. 2. qui in gloſa A, citat Antonin. Tabienam, noſtrum Roſellam, Armillam, & Sotum.* quod circumſtantia conſuetudinis per quam plura peccata actualiter, vel habitualiter commiſſa, neceſſariò confitenda, habet enim peccatum habituatum malitiam diſtinctã actu à ſimplici peccato ſcilicet habitum, & peruerſam inclinationem, quæ quanto peccato ſimplici eſt damnoſior, tanto magis habet diuerſam malitiam ſpecie diſtinctam neceſſariò confitendam, præterquam, quod vnuſquiſque obligatur aperire in Confeſſione, quod maximè ad ſalutem animæ ſuæ ritè conſequendum ordinatur, aperire autem cõſuetudinem peccati maximè ordinatur ad conſequendam ſalutem, ita vt ſi dereliquatur, facilè abſque medicina danda à Confeſſario, in idem ſit relapſurus peccatum.

Adde, quod neceſſariò confitenda tanquam habens malitiam diſtinctam conſuetudo peccandi, quia ab Eccleſiarum Prælatis paſſim multa peccata conſuetudinaria reſeruantur. Itaque probabilior, & tutior eſt hæc opinio, licet prima probabilis videatur maximè ſi foret ſimplex, & non iam praua, & inueterata.

Vtrum circumſtantia peccati perpetrati in die feſto ſit neceſſario in Confeſſione aperienda.

DIFFIC. XXVI.

ANtiquiores communiter, & Neoterici etiam aliqui affirmatiuæ ſententiæ adhæſerunt, putantes ſeruare, & colere feſtum diem ſpiritualiter eſſe præceptum diſtinctum à ſanctificatione corporali, vnde diſtinctam malitiam habere putant à malitia in obſeruantiæ corporalis neceſſariò confitendam. Ita noſter *Alenſ. in 3. par. quæſt. 31. membro 5. artic. 2. Angel. verb. præcep. §. 5. Pitigian. in 4. diſt. 17. q. vn. ar. 5. Rodr. in ſum. T. 1. c. 13. item S. Antonin. 3. p. Tit. 17. c. 17. Adrian. in 4. de confeſſ. q. 4. Medina in ſum. l. 1. c. 9. § 5.*

Attamen communius contrarium ſentiunt Recentiores eſſe ſolum ſcilicet circumſtantiam aggrauantem peccata perpetraſſe in die feſto, cum ſanctificatio feſti corporaliter ſolum cadat ſub præcepto, vt patet à verbis Domini præcipiẽtis, & videbitur infra, teſtus Dies, quia nimis durum præceptum fuiſſet obligare ſub mortali abſtinentiam a peccatis in die feſto, eiuſque obſeruantiam, & ſanctificationem ſpiritualem, iugum autem Domini ſuaue eſt, & onus eius leue.

Quare cum non appareat in ſcriptura hoc onus fuiſſe impoſitum à Deo ſeruandi etiam feſtum diem ſpiritualiter per abſtinentiam à peccatis, cum lubrica ſit, nimis humana voluntas ad peccandum, videtur probabilius dicendum eſſe ſolum circumſtantiam aggrauantem, maximè cum non doceant euidenti ratione Doctores contrariæ ſententiæ, vnde hæc circumſtantia habeat formaliter diſtinctam malitiam ſpecie diſtinctam à peccato huiuſmodi; & ab hac ſententia non abhorret Scotus, vt in principio, V. A. ex eius doctrina allata colligi poteſt; dum vult ſanctificationem ſpiritualem feſti determinatam ſolum eſſe in attenta Miſſæ auditione, probabiliorem hanc ſententiam docent Neoterici ferè omnes. *Vaſquez in 3. p. T. 4. quæſt. 91. art. 1.* Bonaci. *de ſacram. diſput. 5. quæſt. 3. ſect. 1. & diſput. 5. quæſt. 5. ſect. 2. Ledeſ. in ſum. de pœn. cap. 19. Nauarr. cap. quæſt. 10. Nugnus in Add. quæſt. 9. art. 2. dub. 3. Henriq. Coninch. Homobonus, & alij, quos citat, & ſequitur Diana tract. de circumſtantia reſol. 32.*

Vtrum ignorantia affectatæ circumſtantia neceſſariò ſit confitenda.

DIFFIC. XXVII.

DIcendum, quod licet ignorantia probabilis, vel etiam craſſa multarum legum poſitiuarum non ſit diſtinctum peccatum à tranſgreſſione earum, quia non omnia iota, niſi pertineãt immediatè ad proprium officium exequẽdum, vt dicetur ſuo loco V. Ignorantia, non tenetur quis ſcire ſub mortali propter eorum multiplicitatem, & humanæ memoriæ fragilitatem, tamen circumſtantiæ ignorantiæ affectatæ ad liberius peccandum, puta, quia non vult quis ſcire, quod poteſt faciliter ſcire, & tenetur ſcire, vt liberius peccet, & propter ſcientiam peccati ne retrahatur à male operando, eſt peccatum diſtinctam malitiam habens ab actu peccaminoſo, quod ignorantia talis circũſtat, quare neceſſariò diſtinctè talis ignorantia aperienda cum peccato ignoranter perpetrato. Ita communiter *Sanchez T. 1. lib. 1. cap. 17. Malder. in part. 2. D. Thom. quæſt. 16. Diana tract. 4. reſolut. 141. licet in parte alibi contrarium ſentiat.*

Vtrum circumſtantia intentionis peccata reſeruata committendi vt abſoluatur in Iubilæo, vel propter aliud priuilegium ſit neceſſario in Confeſſione aperienda.

DIFFIC. XXVIII.

NEgant noſter *Pitigian. in 4. diſt. 17. quæſt. vn. art. 3. & Fagund. præcep. 2. lib. 4. cap. 5.* & alij putantes non addere diſtinctam ſpecie malitiam actui peccaminoſo.

Attamen tutius diſtinguendum puto; nam ſi Iubilæi, & priuilegij authoritas ſumatur tanquã cauſa finalis ad peccandum, vt eius virtute poſtea abſoluatur, ita vt intenderet, quod ſi non foret ſecurus de Iubilæo, vel priuilegio nullo modo peccatum reſeruatum committeret, neceſſario hæc circumſtantia eſt aperienda, quia habet malitiam diſtinctam, ſumeret enim Eccleſiæ authoritatem tanquam fomitem, & incẽtiuum peccata grauia patrandi, vnde virtualiter ſaltem offenderet Eccleſiam, quæ ad emendationem, & conuerſionem Iubilæum, & priuilegia abſolutionis à reſeruatis concedit, non autem vt ſit cauſa finalis motiua, incentiuum efficax, & fomes certus peccata grauia committendi.

Verum

Verum ſi authoritas præſagita abſoluendi à reſeruatis fuit ſolum cauſa impulſiua, puta, quia, etiamſi non eſſet futurum Iubilæum adhuc illud peccatum reſeruatum commiſiſſet, attamen occaſione Iubilæi facilius occaſione proximæ abſolutionis habendæ labitur in illud, etiam lapſurus, ſi non foret Iubilæum, in hoc ſenſu poteſt admitti prior opinio, ſcilicet, quod non ſit neceſſarium hanc circumſtantiam detegere in Confeſſione, cum ſolum aggrauet peccatum committendũ, non autem diſtinctam apponat malitiam. Ita etiam *Zanardus in Director. Theol. p. 1. de pænit. c. 18.*

Vtrum circumſtantia inductionis, parati iam ad peccandum ſit neceſſariò confitenda.

DIFFIC. XXIX.

NEgant multi Doctores abſolutè non eſſe confitendam circumſtantiam inductionis parati ad peccandum, vel cooperationis cum parato ad peccandum, quia talis inductio non eſt cauſa phyſica, nec moralis inducens, dum eſt paratus peccare, ergo mortaliter non peccat inducens, ſi ergo inductio non eſt mortalis, non addit malitiam diſtinctam ſpecie actui, ergo non eſt neceſſariò confitenda. Ita *Suarez in 1. p. T. 4. diſp. 22. ſect. 4. Azor. p. 1. l. 12. c. 16. Ledeſm. in ſumm. T. 2. de pænit. c. 11. & alii.*

Attamen probabilius diſtinguunt alij, quod circumſtantia inductionis, & cooperationis tunc eſt neceſſariò aperienda diſtincta ab actu, quando non cenſetur ſufficienter explicata explicato actu principali, quod ſi ſufficienter cenſentur explicata explicato actu principali, non eſt neceſſariò confitenda, ratio eſt, quia ſi explicato actu principali non cenſeretur explicata circumſtantia inductionis, & cooperationis, ſignum eſt circumſtantiam habere malitiam diſtinctam ab actu, ſi vero explicato actu, explicata manet circumſtantia inductionis, & cooperationis, ſignum eſt non habere aliam malitiam diſtinctam ab actu Inductionem, & cooperationem, exemplo hæc doctrina clarebit.

Etenim ſi quis inducat fœminam paratam ad peccandum, & cum ipſa cooperetur in actu fornicationis, iſta inductio, & cooperatio, quia ſufficienter explicatur confeſſo actu principali fornicationis, talis circumſtantia inductionis, & cooperationis cum parata ad fornicandum, quia non habet malitiam diſtinctam ab ipſo actu fornicationis non eſt confitenda; paratam enim inuitans, vel inducens non dat ſcandalum, neque ruinam eius procurat.

Si vero, quis inuitat fœminam paratam ad peccandum cũ alio, & non ſecum, tunc circumſtantia inductionis, & cooperationis non explicatur explicato actu fornicationis, quia fœmina erat parata cum alio fornicari, & non cum Inducente, Inducens ergo eſt cauſa realis moralis inductiua ad peccandum, ergo inductio eſt malitia, diſtincta ab actu fornicationis, hinc explicato actu fornicationis non explicatur ſufficienter inductionis malitia. Ita ex *Sanch. in ſumma T. 1. l. 1. c. 7. Vaſq. q. 91. art. 1. dub. 4. Nugnos in add. qu. 9. art. 2. dub. 3. & Bonac. diſp. 5. q. 5. ſect. 2 p. 2. & 3. de ſacr.*

Vtrum circumſtantia iniuria illata Principi, ſuperiori, Patri, vel etiam Sacerdoti ſit neceſſario in Confeſſione detegenda.

DIFFIC. XXX.

DIco primo, quod probabile admodum videtur circumſtantiam iniuriæ illatæ Principi, Prælato, Superiori, & Patri, & Sacerdoti ſpecialem malitiam induere diſtinctam ab actu, & ideo in Confeſſione neceſſariò detegendam, nam Principi, Prælato, Superiori, Sacerdoti, & Patri adeſt peculiare præceptum reuerentiæ eis exhibendæ, ergo habet iniuria ipſis illata peculiarem malitiam neceſſariò confitendam. Ita *Bonac. de ſacr. diſput. 5. q. 5. ſec. 2. Henriq. l. 5. c. 6. n. 3. & Nauar. c. 14. n. 11.*

Dico ſecundo, quod licet viri nobiles, docti, & Diuites ſint præ cæteris venerandi, & colendi, non tamen adeſt præceptum obligans ad præſtandam illis reuerentiam, ſed ſolum ex quadam congruitate, & conuenientia illis præberi honorem docent Politici, quare circumſtantia iniuriæ illatæ viro nobili, Docto, & Diuiti non eſt neceſſariò in Confeſſione aperienda, quia ſpecialem malitiam diſtinctam ab actu iniuriæ non habet.

Vtrum circumſtantia furti in notabili quantitate ſub ratione præciſa tantæ, quantitatis ſit neceſſariò explicanda in Confeſſione.

DIFFIC. XXXI.

NEgant *Nauar. in cap. conſideret diſt. 5. nu. 12. Vaſq. in 3. p. T. 4. quæſt. 91. art. 1.* & alij putantes ſufficere furantem dicere in Confeſſione ſe rem in quantitate notabili furatum fuiſſe, non ſpecificando, centum, vel mille, vel decem aureos, quia volunt maiorem, vel minorem quantitatem ſupra rem ſufficientem ad peccatum mortale non addere malitiam ſpecie diſtinctam ab ipſo furti actu mortaliter peccaminoſo.

Affirmant tamen neceſſariò confitnedam quantitatem determinatam furti, vt ſciat Confeſſor ſtatum conſcientiæ pœnitentis, & ei condignam pœnitentiam, & ſatisfactionem imponere poſſit. *Med. lib. 1. cap. 9. §. 2. Tolet. lib. 3. c. 7. Suar. in 3. p. T. 4. diſput. 27. Sayr. de pænit. c. 8. Sanch. in ſum. T. 1. li. 4. c. 11. & Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5 ſect. 2.* qui tamen etiam primam probabilem vocat.

Sanè hæc ſecunda magis pia videtur opinio, prima tamen probabiliori rationi fundatur, etenim quantitas determinata non apparet, vnde habeat malitiam ſpecie diſtinctam ab actu furti peccaminoſo, & ſufficit Confeſſario, vt pœnitentem obliget ad reſtitutionem tantæ quantitatis determinatæ, quantum fuit furatus.

Quare potius ad Confeſſarium ſpectare videtur, vt interroget pœnitentem de quantitate determinata, quam teneatur pœnitens eam ex ſe propalare, vt enim melius furantis conſcientię conſulat, optimum eſt, vt id à Confeſſario cognoſcatur, quod ſi pœnitens dicat ſe velle citius quantitatem, quam furatus eſt, reſtituere, abſoluendus eſt, quia probabiliùs eſt non teneri ad aperiendam hanc circumſtantiã, prior tamen opinio tutius conſulenda, & practicanda, licet tuta ſit etiam ſecunda,

Vtrum circumſtantia tranſgreſſionis præcepti à Prælato ſub obedientia impoſiti ſit neceſſariò confitenda.

DIFFIC. XXXII.

AFfirmant multi, quia præceptum, puta poſitiuum, vel diuinum ſub obedientia etiam à Prælato mandatum, ſi quis tranſgrediatur, facit duplex peccatum, alterum contra Religionem, quatenus ex ſe eſt præceptum ſeruandum ſub peccato, & alterum contra obedientiam, quia à Prælato impoſitum ſub obedientia, quare cum idem actus habeat diſtinctas ſpecie malitias, neceſſario talis circumſtantia trãſgreſſionis obedientiæ eſt aperienda. Ita noſter *Villalobus in ſum. T. 1. tract. 9. dub. 36. & alii.*

Non deſunt tamen Doctores, qui magis benignè, & probabiliter etiam contrarium docent, ſcilicet vnum tantum peccatum committi. Ita *Caietan. 2. 2. quæſt. 8. art. 5. ad 3. & Ledeſma de penitent. cap. 19.*

Diſtinguendum tamen puto probabilius, nam ſi à circumſtantijs appareat mentem Superioris eſſe in mandando per obedientiam præceptum alias ex ſe obſeruandum, quia eius obſeruantia maximè confert ad ſuæ Religionis, vel inſtituti meliorem, vel fæliciorem obſeruantiam, ſanè tranſgrediens duo peccata committit, quia Superior habet finem diſtinctum à præcepto ſub alio titulo obligante: at vero ſi Superior ſolum huiuſmodi præceptum ſub obedientia imponat, ſimpliciter, vt cum maiori merito ſubditi exequantur, tunc tranſgrediens non committit duo peccata, quia intentio Superioris non eſt illaqueare ſubditum, ſed potius ei fauere, vt maius meritum conſequatur, fauor autem iſte non debet in damnum ſubditi retorqueri, quare non videtur obedientiæ præceptum mortaliter tranſgredi.

Vtrum circumſtantia numeri perſonarum, quibus miniſtratum fuit in peccato mortali Sacramentum Euchariſtiæ, vel pænitentiæ, & quid de iuramento facto ſuper pluribus articulis ſimul ſit neceſſario in Confeſſione exprimenda.

DIFFIC. XXXIII.

AFfirmant *Suar. in 3. p. T. 4. diſp. 22. ſect. 5. Azor. p. 1. l. 4. c. 4. q. 6. & alii*, quia tot ſunt malitiæ numericè diſtinctæ, quot perſonis miniſtratur.

Negant tamen noſter *Rodr. T. 1. c. 44. Henriq. l. 5. c. 5. Diana tract. de circumſt. reſol. 43.* putantes eſſe vnum peccatum ſi continuatè fiat, quia vnus eſt actus in genere moris, qui in ratione peccati conſideratur.

Vtraque opinio mihi probabilis videtur, vide, quæ dicta ſunt v. Actus diffic. &c. Vnde etiam colligi poteſt, quod

Probabiliter poteſt dici Teſtem interrogatum cum Iuramento ſimul de pluribus articulis, ſi vnico iuramento mentiatur in omnibus, non eſſe obligatum hanc circumſtantiā quod in pluribus articulis ſit mentitus cū iuramento, quia vnus eſt actus iurandi, & fecit contra vnum præceptum, vide ſupr. V. Actus. Ita etiam *Henriq. l. 2. c. 2. in gloſa litt. f. qui citat Archidiaconum, & Sarmento, & Dianam tra. de circumſt. reſol. 40.*

Vtrum circumſtantia Euchariſtiæ ab alio confectæ, miniſtratæ ab alio in peccato mortali ſit neceſſariò aperienda in confeſſione.

DIFFIC. XXXIV.

VAriant Doctores, vt videbitur infra v. Euchariſtia, an miniſtrans ſolum Euchariſtiam in peccato mortali, peccet mortaliter, alij aſſerunt, vt ſunt noſter *Villalob. T. 1. tra. 4. dub. 14. Valentia T. 4. diſp. 9. & Filliuc. T. 1. tract. 4. c. 9.* & alij apud ipſum communiter, quare in horum opinione neceſſariò confitenda.

Negant alij putantes ſolum conficientem in mortali Euchariſtiā peccare mortaliter, non autem miniſtrantem. Ita *Vaſq. in 3. p. T. 2. diſp. 156. c. 3. Io. de la Cruz in directori confeſſ. v. 2. q. 4. dub. 3.* & alii apud ipſos, quare iuxta ipſorum ſententiam non eſt neceſſariò aperienda.

Vtra harum opinionum ſit probabilior vide infra Verbo Euchariſtia.

Vtrum circumſtantia detractionis vel de turpibus collocutionis coram pluribus, & diuerſis perſonis ſit neceſſariò confitenda iuxta numerum, & qualitatem perſonarum.

DIFFIC. XXXV.

DIco primo, probabile admodum eſſe detrahentem, aut loquentem de turpibus coram pluribus obligari ad aperiēdam circumſtantiam hanc ſe detraxiſſe, vel locutum fuiſſe obſcænè coram tribus, quatuor, decem, & quot, quot ſunt indiuidualiter perſonis, quia circumſtantia hæc multiplicat diuerſa numero peccata, quot ſunt perſonæ numero coram quibus peccatur, nam vel talis ſermo ſcandalizare poteſt ſingulos, vel delectare ſingulos, & eſſe cauſa ruinæ ſpiritualis ſingulorum, quare ſicut præſentes ſingula potuerunt peccata diſtinctè cōmittere, ita etiam ſuis ſermonibus cum ſit cauſa peccatorum in ſingulis tot & peccata ipſe commiſit Ita in terminis *Sanch. in ſum. l. 1. c. 6. n. 8. Sylu. v. ſcandalum q. 2. Adrianus, & alii, quos citat, & ſequitur Sayr. de pænit. c. 9. & Bonac. de pænit. diſp. 5. quæſt. 5. ſection. 2.*

Dico ſecūdo, quod probabile videtur admodum eſſe, quod alloquēs cum delectatione rerum per verba repræſentatarum coram perſonis diuerſarum qualitatum puta corā coniugatis, ſolutis, Religioſis, & ſimilibus obligari non ſolum ad numerū perſonarum exprimendum, verum etiam ad exprimēdas perſonarum qualitates diſtinctè, quia peccatum ſumit ſpecificationem ab obiectis ſpecie diſtinctis, peccata autem carnis ſūt ſpecie diſtincta iuxta perſonas ſpecie diſtinctas, vt dictum eſt ſupra, vnde cum coniugata eſt peccatum ſpecie diſtinctum à ſimplici fornicatione, ita in propoſito, quia talis delectatio ad peccatum carnis ſpectat. Immò ſi delectatio fuerit circa res turpes coniugatorum, vel voto adſtrictorum, conſanguineorum, & conſimilium diſtinctè aperienda eſt, iuxta diſtincta obiecta, ſuper quibus fundata eſt delectatio. Ita Bonac. loc. cit.

Vtrum circumſtantia plurium, qui vnico actu percuſſi, infamati, & damnificati notabiliter fuerunt, ſit neceſſariò in Confeſſione aperienda.

DIFFIC. XXXVI.

VAriæ in hac materia opiniones ex doctrina V. Actus allatæ poſſent haberi, quare breuiter.

Affirmant aliqui non quia pluralitas ſit mutans ſpeciē, ſed quia pluralitas eſt obiectum terminans, & determinans ipſum actum, vt aliquid ſpectans ad ſubſtantiam actus indiuiduā, ita vt non poſſit exprimi ſufficiēter indiuidua iſtius actus, ſubſtantia niſi exprimatur pluralitas affecta, vnde neceſſariò exprimenda circūſtantia plurium vnico actu male affectorū, Ita *Suar. diſp. 3. ſect. 5. nu. 35. Henriq. l. 5. c. 5. Vaſq. q. 91. num. 1. dub. 4. & Bonac. de pænit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. & alii.*

Negant tamen alij, quia vnum eſt peccatum formaliter, dum vnicus eſt actus, ergo ſufficit ſe dixiſſe vnicum peccatum percuſſionis furti, & infamiæ perpetraſſe attamen tu vide, quæ ſupra V. Actus dicta ſunt, & v. Cenſura prior autem opinio communior, & tutior.

Vtrum circumſtantia finis in aliquo peccato ſit neceſſariò in Confeſſione exprimenda.

DIFFIC. XXXVII.

CErtum eſt circumſtantiam finis mali, & ex ſe peccaminoſi neceſſariò aperiēdam, puta ſi quis furatur ad mechandum vel ad ſimilia ex ſe intrinſecè mala, tenetur dicere ſe furatum, ad tales malos fines, & non ſufficit, vt ſimpliciter dicat ſe furatum, quia hæ circumſtantiæ ſunt ex ſe formaliter peccata diſtincta ſpecie à furto.

Quod ſi finis additus peccato per ſe non ſit malus, ſed indifferens, puta ſi quis non audiuit ſacrum in feſto propter ſtudium, modo abſit contemptus, non tenetur dicere hanc circumſtantiam, quia non addit malitiam tranſgreſſioni præcepti de audiendo ſacro. Ita communiter.

Vtrum circumſtantia diei feſti de præcepto ſeruandi occurrentis in die Dominica aperienda ſit ab eo, qui ſacrum non audiuit in eo, & quid dicendum de frangente ieiunio in die Quadrageſimæ in quo tenetur etiam ex voto.

DIFFIC. XXXVIII.

DIco primo, quod omittens audire ſacrum in die Dominico, in quo occurrit alter dies feſtus de præcepto colendus, vnum tantum peccatum committit, quia vnus eſt finis vtriuſque præcepti, & ad idem ambo ordinantur, quare vnica Miſſa ſatisfit ambobus, & vnum peccatum fit, ſi omittatur, quare hæc circumſtantia non eſt neceſſario aperienda, quicquid in contrarium voluerint. *Reginald. l. 6. n. 129. & Coninc. diſp. 2. de pænit. dub. 6. n. 47.* diuerſitas enim peccati non naſcitur ab obligatione eiuſdem rationis. Ita etiam *Suar. diſp. 22. ſect. 4. Vaſq. q. 91. ar. 1. Henriq. l. 5. c. 5. n. 6. Sanchez. l. 9. de matr. diſp. 15. & Bonac. de pænit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2.*

Dico ſecundo, quod probabile eſt frangentem ieiunium in die quo tenetur ex voto particulari, & ex præcepto Eccleſiæ duo peccata committere, & conſequenter eſſe circumſtātiam neceſſariò confitendam, quia contra duo præcepta formaliter diuerſa peccat in eodem die ſcil. contra præceptum Eccleſiæ, & contra Religionis præceptum ratione voti. Ita *Nauar. c. 11. num. 4. & Bonac. loc. cit.* tu vero hoc potius Vide Verbo Ieiunium.

Ciuis.

Quot modis efficiatur quis Ciuis alicuius ciuitatis.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod multis modis, quis dicitur Ciuis alicuius ciuitatis primo ex Natiuitate in ea, ad quod requiritur, vt mater fuerit manſura per aliquod tempus ad domicilium ſufficiens in ipſa ciuitate, quod ſi ſolum habuerit Natiuitatem in ciuitate per ſolum tranſitum matris in ea non acquirit ius ciuilitatis dictæ Ciuitatis, ita communiter Iuriſtæ

ſecundo

ſecundo, dicitur, quis Ciuis alicuius ciuitatis ab origine ideſt à loco in quo natus eſt Pater, non autem à loco in quo Aui, tertio dicitur, quis Ciuis ratione adoptionis, vel manumiſſionis in loco, in quo adoptatus eſt, & manumiſſus. quia eius ciuitatis, & loci ciuis efficitur, quarto, Monachus dicitur ciuis illius loci, in cuius Monaſterio, vel conuentu de familia commoratur. quinto dicitur aliquis ciuis ratione electionis, ſcilicet ſi quis ad aliquam dignitatem fuerit electus in aliqua ciuitate, eius Ciuis efficitur *ex cap. 1. de vſur. in 6.* Poſtremò ex priuilegio poteſt quis dici Ciuis, pro quo nota, quia ſi non habitat in ciuitate, nec eius onera ſubit, neque priuilegio ſuæ ciuilitatis gaudet, quamuis non deſinat eſſe ciuis. Vide *Naldum v. ciuis nu. 1.*

Dico ſecundo, quod Ciuis non dicitur quis eius loci, in quo natus eſt, etiam ſi per centum, & mille annos in ea habitauerit, ſi parentes eius nunquam habuerint animum ibi permanendi, quia ſine animo permanendi non datur à iure ciuilitas loci, ſed ſemper hoſpes vocabitur, & aduena. Vide Boer. *deciſ. 13. num. 52. & Diaz. pract. can. cap. 56. nu 7.* qui addunt, quod ſi pater habeat animum commorandi per decennium, quod tempus requiri volunt Iuriſtæ ad ciuilitatem loci acquirendam,) & infra decennium ſibi naſcatur puer erit dicendus Ciuis, licet decennium non fuerit abſolutum; fauores enim ſunt ampliandi.

Nota hic etiam, quod ciuitatis homines non comprehenduntur in decreto lato contra homines Diœceſis ex *c. Rudulphus de reſcript.* quod etiam intellige de Clerico; quia Diœceſis diſtrictum latius patet, quam Territorium ciuitatis, & in pœnalibus ſtricta facienda eſt interpretatio, quod ſi decretum eſſe fauorabile tam pro ciuibus, quam pro Diœceſanis eſſet interpretandum late.

Hinc legatum factum pro maritandis Orphanis ad vtroſque extenditur tam ad Diœceſanos, quam ad ciues. Ita colligitur ex *Rota Marchiæ deciſ. 96. vide Nald. loc. cit.* [illegible]

Vtrum Ciuis transferens domicilium ad ciuitatem [illegible] *efficiatur etiam & ipſe interdictus* [illegible]

DIFFIC. II.

AFfirmatiuè reſpondendum ex gloſa notab. in c. ſi ſententia de ſent. excomm. in 6.

Attamen ſi Ciuis alicuius ciuitatis interdictæ, modo non dederit cauſam interdicto ſe transferat in locum non interdictum, non remanet interdictus, ſecus ſi dederit cauſam interdicto, quia quocumque vadit, ſemper manet interdictus. Ita communiter Doctores in dicto c.

An vero ſi interdicantur ciuitates alicuius Domini habentis aliquam Ciuitatem in dominio communem cũ alio Domino, remaneat hæc etiam communis ciuitas interdicta, negant Doctores, quia iniquum eſt Innocentem puniri propter aliorum peccata.

Clauſura Religioſorum.

Quid per Clauſuram intelligatur in Monaſterijs, & conuentibus Religioſorum, & à quo determinanda.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod Clauſuræ nomine in conuentibus, & Monaſterijs Religioſorum intelligitur totum illud ſpatium, quod intra ſepta Monaſterij, vel conuentus interiora, ideſt vltra portam intra Clauſtrum ducentem, includitur. Ita ex noſter *Rodriq. T. 1. qq. Reg. q. 46. ar. 1. & Nauar. l. 2. conſil. 66. de regular. & Bonac. de clauſura q. 5.*

Quare domus contiguæ, ad quas ex Monaſterij introneis partibus non patet aditus non pertinent ad Clauſuram, nec obſtat, quod Pius Quintus prohibens ingreſſum in clauſuram interdixit ingreſſum in Monaſteria, & Domos, nam pro eodem ſumit Pontifex ibi Monaſteria, & Domos, quia aliquando conuentus Religioſorum vocantur Domus, & non Monaſteria, quare ponitur ly Domos declaratiuè pro illis, in quibus Religioſis morantur cum Regulari obſeruantia, ſiue vocentur Monaſteria conuentus, ſiue Domus. Horti tamen Monaſteriorum, & conuentuum, ad quos non poteſt intrari niſi per partes introneas ipſorum conuentuum, ſubiacent clauſuræ obligationi. Ita communiter.

Nec propterea Clauſuræ obligationi ſubduntur illæ domus Religioſorum, quæ ipſis inſeruiunt, vel pro negotijs ſolum, vel ſolum pro Hoſpitijs. vel Infirmarijs à conuentu, & Monaſterio diſtinctis, vel diſcontinuis, quia cum in ipſis non exerceant Regulare inſtitutum, non habent rationem Domus Regularis, vel conuentus.

Et licet Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 17. n. 13. velit non debere Religioſos in talibus hoſpitijs vel domibus Ruſticanis admittere fœminas pro audienda Miſſa vel concione, attamen regulariter poſſunt admitti, cum clauſuræ non ſubiaceant, niſi aliud honeſtatis periculum, vel alia legitima cauſa prohibeat. Ita Bonac. loc. cit.

Dico ſecũdo, quod clauſura in conuentibus, & Monaſterijs Religioſorũ determinanda eſt, & varianda etiã per Superiores eorum. vide *Conſtitutum, qui pro hac re Pontificiam, affert declarationem fol. mihi 38 . in fine,* ex quo habetur, quod non intelligitur Clauſura in Monaſterijs in fieri exiſtentibus, donec Superior clauſuram determinauerit, & Numerum Religioſorum facientem conuentum poſuerit.

Vtrum Chorus, & Sacriſtia in Clauſura comprehendantur.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod certum eſt de Choro, qui eſt pars Eccleſiæ extroneæ, non ſubdi clauſuræ, quia extra ambitum introneum conuentus eſt, at vero Chorus introneus, quia apud multos Regulares habetur, in quẽ iter aliundè non eſt, quã per partes introneas Monaſterij, ſanè ſubiacet Clauſuræ, licet in eo recitent Religioſi diuina officia.

Dico ſecundo, quod Sacriſtia tunc ſubijcitur Clauſuræ, nec poſſunt fœminæ in eam intrare, quando habet aditum ſolummodo per Clauſtra Monaſterij, & per Clauſtrum Sacerdos celebraturus neceſſariò intrat in Eccleſiam, quia tunc Sacriſtia eſt pars cõuentus, vel Monaſterij, quod ſi Sacriſtia ſit extra partes introneas Monaſterij, & ad illam pateat aditus per partes extroneas Monaſterij, nec neceſſariò per partes introneas tranſeundum, vt ad Eccleſiam eatur, non eſt ſubiecta Clauſuræ, niſi Superior eam determinauerit eſſe Clauſuræ ſubiectam, quia ad ipſum ſpectat determinare Clauſuram vt dictum eſt.

Quod ſi Sacriſtia habeat duas partes, quarum vna ad clauſtrum, altera ad Eccleſiam, tutius clauſuræ ſubditur, quia potius videtur eſſe para Monaſterii, dum habet portam ad introneas partes illius. Ita ex noſtro Coriolano de caſ. reſeru. p. 2. caſ. 3. quæſt. 4. n 32. vbi quandam declarationem Sacr. Congregationis pro Sacriſtijs Patruum Capuccinorum huic propoſito facientem affert, ita etiam dicendum puto de Sacriſtijs quibuſdam noſtræ Prouinciæ, quæ habent Cameram, vel Atrium ante Portam, per quod via eſt ad intronea Monaſterij, quia videtur illud Atrium, ſeu Camera ſpectare ad partem Monaſterij, ergo & ipſa Sacriſtia intelligenda eſt para Monaſterij.

Quomodo cognoſci poſſit Domus Religioſorum non ſubiacere Clauſuræ.

DIFFIC. III.

EX quadam declaratione Eminentiſſimorum Congregationis *teſte Sorbo V. ingredi num. 11.* colligi poteſt domos illas, quæ ſolum ad excipiendos Religioſos tanquam hoſpites, vel tanquam infirmos regulariter non obſtringi Clauſura, quia propriè hę domus ferè non habent formam conuentus, nec habent Eccleſiam, in qua celebrent conuentualiter diuina officia, die noctuque, ſed ſolum ad commoditatem Miſſas celebrandi.

Immò addunt noſter *Coriolan quæſt. 2. num. 29. de caſibus, reſeruа. par. 7. & Sanch. in oper. mor. lib. 6. cap. 14.* idem declaratum fuiſſe de Monaſterijs, & conuentibus in fieri exiſtentibus non ſubiacere Clauſuræ, dum nondum poſitus eſt a Superiore numerus fratrum faciens conuentum, nec ibi celebrantur formaliter diuina officia, ſed ſolum ad ſunt aliqui fratres pro fabricæ neceſſitate.

Regulariter tamen ex tribus cognoſci poteſt Domus Religioſorum ſubiacere Clauſuræ, primo ſi iam erecta eſt in forma cõuentus ad quem per portam vnam extra Eccleſiam

patet

Digitized by Google

patet adytus ordinarius, & ſecundo ſi in Eccleſia aſſeruetur ſanctiſſimæ Euchariſ. Sacramentum; tertio, ſi officia diuina conuentualiter celebrentur, nam iſtis tribus exiſtentibus ſignum eſt conuentum, & Monaſterium formaliter eſſe abſolutum, & ideo poſſe ſubiacere legi clauſuræ licet omnino materialiter omni ex parte non ſit completum. Ita ex *Bonac. de clauſur. quæſt. 3. p. 1.* in parte ſaltem colligi poteſt, & ex ſup. citatis doctoribus. Ex quibus etiam

Collige, quod Horti extronei conuentibus, & Monaſterijs clauſuræ obligatis contigui, ſi vndequaque ita muris obſit ſint, vt nulla ex parte in eos pareat aditus, niſi ex portis intraneis conuentus, & Monaſterii ſubiacent Clauſuræ, quia clauſæ partes ſunt conuentus, & Monaſterii clauſi, quod ſi extroneam habeant portam, per quam in hortos abſque tranſitu per intronea monaſterii poteſt adiri, regulariter non ſubiacent clauſuræ, quia tunc non ſunt partes clauſæ Monaſterii clauſi.

Vtrum cuiuſcumque conditionis, & ætatis Mulieres prohibeantur Monaſteria Religioſorum intrare ex lege clauſuræ.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod certum eſt omnes fœminas, ſiue priuatas ſiue nobiles etiam Titulatas, vt potè Comitiſſas, Principiſſas, Marchioniſſas, & Ducitlas [illegible] ingredi in Monaſteria Religioſorum [illegible] XIII. & Pio V. & iterum ſingulas præfatas [illegible] abſolutè, alio abſque prætextu facultatum [illegible] in Monaſteria Religioſorum ab eodem Pio V. [illegible] *(tenore præſentium dicimus, & declaramus* [illegible] *intentionem noſtram, quod dictæ litteræ com*[illegible] *comprehendant mulieres habentes, & prætendentes* [illegible] *& indulta ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes* [illegible] *cumque mulieres alias tam in genere, quam in ſpecie.* [illegible]

Dico ſecundo, quod puellæ ſeptennio mi[illegible] non poſſunt dici mulieres, nec fœmin[illegible] ſolent, probabile eſt non ligari [illegible] ſet ratio, & finis [illegible] licet [illegible] tamen nubiles vſque ad vndecimum [illegible] licet non ſint in rigore adhuc dicendæ mulieres, attamen, quia poſſunt præbere incentiuum luxuriæ omnino dicendum, quod prohibeantur ab ingreſſu per dictas Bullas, quicquid in contrarium docere audeant, *Llamas in meth. curat. in append. §. 13. & alii*, quia Pius V. omnes fœminas in genere, & ſpecie ab ingreſſu prohibet, puella autem ſeptennio maior vſque ad vndecimum mulieris in genere, & in ea ſpecie erubeſcentiã, mores, inceſſus, ſeruitia, & veſtes experitur, quare omnino poſt ſeptennium dicẽdum eſt prohiberi ab ingreſſu Monaſteriorum. Ita etiam noſter Rodriq. in expoſ. Pii V. Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 17. n. 4. & Bonac. de clauſ. q. 3.

Dico ſecundo, quod Reginæ Imperatrices, & earum filiæ probabile eſt admodum, quod non comprehendantur in præfatis conſtitutionibus prohibentibus fœminas ingredi Monaſteria, quia de ipſis nulla eſt mentio ibi, & quia ſpeciali nota ſunt dignæ, poteſt mens Pontificum interpretari eas noluiſſe comprehendere, alioquin cum aliis Titularis inferioribus nominatis eas etiam ſpecialiter prohibuiſſet, maximè cum alibi non inueniantur fœminæ ſub talibus pœnis prohibitæ ab ingreſſu huiuſmodi, ſignum eſt eas noluiſſe in talibus conſtitutionibus comprehendere, dum earum nullam facit mentionem inter cæteras Titulatas. Ita ex parte noſter *Ro. tr. qq. T. 1. q. 48. ar. 1. & noſter Villal. 3. p. ſum. tr. 5. diff. 35. & Hier.*[illegible] *Rodr. de clauſ. relig. reſol. 27. Sanch. & Bonac. loc. cit. & Suar. T. 4. de relig. l. 1. c. 87. n. 5. & de cenſ. T. 5. diſp. 22. ſect. 6.*

Quare Imperatrices, Reginæ, & earum filiæ iuxta probabilem hanc ſententiam abſque alio priuilegio decenti aliarum fœminarum comitatu obſecutæ licitè poſſunt in Monaſteria Religioſorum intrare.

Dico tertio, quod illæ fundatrices Monaſteriorum, quæ ex Regula talium Religioſorum habent, vt poſſint cum decenti ſecundum eorum ſtatum comitatu fœminarum intrare Monaſteria, probabile eſt, quod non includantur in præfatis conſtitutionibus, quia Papa non præſumitur derogare legibus inferiorum, niſi exprimat, præterquam, quod à Gregorio XIII. reſponſum fuiſſe de hoc interrogatum, non eſſe, nec fuiſſe ſuæ intentionis reuocare tales conceſſiones factas in Regulis Religioſorum fœminis, quæ fuerũt fundatrices, Protectrices, & Altrices Monaſteriorum. Ita noſter *Rodriq. Sarbus, Sanch. & Bonac. loc. cit.* imò nec per motum Pii V. derogatum fuiſſe præfatis fœminis *addit Hier. Rodr.* reſpondiſſe Greg. decimum tertium prænominatum.

Quibus pœnis afficiantur ingredientes fœminæ, & Religioſi eas admittentes intra clauſuram Monaſteriorum regularium.

DIFFIC. XXX.

Dico primo, quod Dominæ Comitiſſæ, Marchioniſſæ, & Principiſſæ prætendentes prætextu facultatũ, & priuilegiorum ingredi, ſi de facto ingrediantur ipſo facto incurrunt in excommunicationem latam ſpecialiter contra ipſam tam à Pio V. quam à Gregor. XIII. ex qua nemo, præter Romanũ Pontificem abſoluere valet, vt videre eſt in proprijs conſtitutionibus relatis à citatis in ſuperiore Difficultate Doctorib.

Dico ſecundo, quod licet cæteræ fœminæ ingredientes abſque præfato prætextu dubitatum fuerit, an excommunicationem [illegible] reſeruatam incurrerent, tamẽ per declarationem [illegible] V. ſupra relatam, hodie certum eſt eas incurrere [illegible] præſumptione, & temeritate, & ſcienter ingrediantur [illegible] Monaſteriorum. Ita ex Bonacina loc. cit.

[illegible] Religioſi admittentes Dominas præfatas [illegible] um, & priuilegiorum intra clauſtra iuxta [illegible] Greg. XIII. qui incipit, Vbi gratias, in[illegible] communicationem Papæ reſeruatam, [illegible] um, & beneficiorum, & inhabilitatis ad [illegible]

[illegible] Religioſi admittẽtes fœminas in[illegible] [illegible] itorum præciſo quocumque [illegible] facultates, & priuilegia certum eſt incurrere pœnas à Pio V. in ſuo motu, qui incipit Regularium [illegible] m, quæ delinguntur ſub his verbis formalibus. (*Ip*[illegible] *Monaſteriorum* [illegible] *conuentuum Abbatibus Præpoſitis, Prioribus, & aliis* [illegible] *ibus quocumque nomine vocentur, & eorum Mon*[illegible] *nouerit, & fratribus ſiue mendicantibus, ſiue non* [illegible] *ſub priuationis officiorum, quæ in præſenti obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittere vt præſumant.*) hæc Pius V.

An vero Religioſi præfati vltra pœnas inflictas à Pio V. in præfata conſtitutione Regularium perſonarum etiam incurrant excommunicationem reſeruatam Papæ in Bulla Greg. XIII. & Pij V. ſi admittant fœminas intra clauſuram affirmat noſter *Rodr. in explicat. Bullæ crut. n. 6. & 7. & Suarez. quam de cenſ. diſp. 24. ſect. 6.* ex eo, quod finis illarum Bullarum prohibentium ſub excommunicatione reſeruata Religioſis introductionem, & admiſſionem fœminarum in Clauſuram ſub prætextu facultatum, & priuilegiorum militat etiam in introductione, & admiſſione earumdem in clauſtra præciſa omni facultate, & priuilegio, ſed ſolum ad merum libitum, nam inquietationis cauſa tollendæ fit vtraque prohibitio, ergo dum idem in vtraque prohibitione habetur à lege, eadem pœna pro vtraque prohibitione incurritur, & ita oretenus fuiſſe explicatum, & deciſum à Gregor. XIII. & Pio V. teſtatur Nauarrus, vt refert idem Rodr. loc. cit.

Verum cum talis Gregorii, & Pii V. explicatio, & deciſio non conſtet authenticè probabile puto excommunicationem reſeruatam Papæ in dictis Bullis, vbi ſolum loquuntur Pontifices contra admittẽtes virtute facultatum fœminas in clauſtra, non extendendam de iure contra admittentes ſolum ad libitum, nam in pœnis non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum, & ſufficientibus pœnis puniuntur a Pio V. in præfata conſtitut. Regularium admittentes & introducentes ſimpliciter, & abſolutè abſque alio prætextu. Ita etiam noſter Portell. V. Clauſura n. 2. licet probabilem, & tutiorem putet opinionem Rodr. & Suarez, hanc tamẽ etiam probabilem, & tutam putat, & Bonac. videtur etiam hanc ſententiam ſequi.

Nec

Nec obſtat, quod Sacræ Pœnitentiariæ ſtilus pro excommunicatis habeat huiuſmodi Religioſos admittentes, & intro ducentes, nam Pœnitentiaria præterquam quod ſuæ fauet authoritati ſequẽdo opinionem probabiliorem, medetur etiam ſcrupulis petentium abſolutionem, non propter hoc autem intendit alteri opinioni probabili aduerſari.

Vtrum fœminæ habentes priuilegium Papæ ingrediendi clauſuram regularium poſſint intrare in clauſuram illorum, quibus ex vi Regulæ ſuæ Religionis prohibetur ſpecialiter ingreſſus fœminarum.

DIFFIC. VI.

NEgandum abſolutè videtur, quia inferiorum ſtatuta, & leges Princeps per ſuas generales conceſſiones non intendit irritare, niſi exprimat, ſe velle ipſis derogare, ex c. 1. de conſtit. ſi ergo in ſimilibus generalibus indultis datis fœminis ingrediendi clauſuram nõ fit mentio particularis de concedendo etiam ingreſſum in clauſuras ſpecialibus, & particularibus ſtatutis prohibitum, non præſumitur à Iure, Papa voluiſſe cõcedere, quia retera ſi hoc indultum ſpeciale fuiſſet expoſtulatum, Papa non conceſſiſſet, ne fundatoris illius Religionis legem euertere videretur ſine cauſa neceſſaria. Si tamẽ cum hoc generali priuilegio in dictam clauſuram intrarent fœminæ bona fide putantes ſe poſſe tali priuilegio frui in omnibus clauſuris non inciderent in pœnas contra ingredientes Clauſuram, quia nec temerè, nec ex præſumptione intrarent. Ita videtur ſentire noſter *Rodr. apud Sanch. in ſum. l. 6. c. 17. & Suarez, Reginaldus, & Rebellus, quos citat, & ſequitur Bonac. de clauſ. q. 5. p. 4. & de legibus diſp. 1. q. 1. punct. vlt. & q. 3. p. 8.*

Vtrum ignorantia, Inaduertentia, & Neceſſitas excuſent mulierem ingredientem clauſuram religioſorum ab incurſu in excommunicationem Papæ reſeruatam.

DIFFIC. VII.

DIco primo, quod ab incurrenda hac cenſura excõmunicationis Papæ reſeruata poſſunt excuſari fœminæ intrãtes in clauſurã Religioſorum ex bona fide, ex inaduertẽtia facti, & ex ignorantia etiam craſſa, & iuxta opinionẽ relatam V. Cenſura etiam ex ignorantia affectata, quia ad incurrendam hanc cenſuram requiritur præſumptio, & temeritas, quæ cum ignorantia bona fide, & temeritate ſtare non poteſt; quod ſi cũ ignorantia affectata ſit coniuncta, vt multoties ſolet, ingẽs temeritas & contẽptus, quia ſcientiæ, & præſumptioni comparatur, non excuſarentur ingredientes cũ tali ignorantia, ita tenentur docere omnes quos citaui V. Cenſura, & in hoc caſu ſpecialiter docet etiam *Bonac. de clauſ. q. 5. punct. 3.*

Dico 2. quod fœminæ ingredientes Monaſteria, & conuentus Religioſorum ob inſtantem neceſſitatem, cui alia ratione commodè hic, & nunc conſuli, & ſubueniri non poterat, niſi per ingreſſum excuſari poſſunt à peccato, & a cenſura excõmunicationis latæ à Pio V per Epichæiam enim caſus neceſſitati ſubiecti excluduntur ex interpretata benignè mente legiſlatoris à pœnis alias alicui actui impoſitis, & præcepta Eccleſiæ piiſſimæ Matris ſemper benignius interpretanda iuxta illud proloquium diuinum: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Ex quibus

Dico tertio, licere fœminæ ingredi abſque metu incurrẽdæ cenſuræ in Monaſterium Regularium ad lactãdum Religioſum infirmum, qui cõſilio Medicorum hoc vnico ſalutari remedio indigeat, nec commodè poſſit extra cellam, vbi iacet, ad Eccleſiam ſaltem deportari, ita etiam dicendum ſi ſolũ fœmina certo alicui morbi generi nullus ſciat mederi niſi fœmina aliqua, poteſt licitè abſque metu ingredi, & admitti ad tale opus pium præſtandum, in vtroque tamen caſu ab alia ſaltem fœmina iuxta ſui gradus honeſtatem aſſociata. Ita ex noſtro *Rodr. T. 1. qq. reg. q. 46. art. 7. Sorb. v. ingredi in 6. Bonac. loco cit. punct. 4. & Sanch. l. 6. c. 17. n. 30.*

Dico 4. quod etiam magis licebit ingredi abſq; metu cẽſuræ fœminis in Monaſteria Religioſorum, quando verã habent, & realẽ neceſſitatem ſaluandæ vitæ, & honoris, ita ut alia via ſuæ vitæ, vel honori ſubueniri nequeat, quam per ingreſſum in Monaſterium Religioſorum, modo ſi fieri poſſit, inguente neceſſitate ſit honeſtè ſociata, vt ſcandalum ſæculi, & Perturbatio Religioſorum vitari nequeat. Ita noſter. *Rodr. q. 47. l. cit. Sorbo v. ingredi, & Corsol. 2. p. caſu 3. n. 32. & Sanc. contra Bona.*

Vtrum ratione diuinorum Officiorum fœminæ licitè abſque metu cenſuræ in Monaſteria Religioſorum ingredi valeant.

DIFFIC. VIII.

DIco primo, quod circa hanc difficultatem extat (*declaratio Pij V. relata ab Eminentiſſimo Cribello facta anno Domini 1568. die 26. Ianuar. & refertur à Quaranta v. Monaſteria, & noſtro Rodr. T. 1. qq. reg. q. 48. ar. 3. ſub his verbis. (Idem SS. D. N. eodem viuæ vocis oraculo nobis facto, quod propter hoc, & propter dictas ſuas litteras non intelligit, quod mulieribus præcludatur aditus accedendi ad monaſteria, & loca Regularia, ac eorũ clauſtra, quando in eis miſſæ, & alia diuina celebrantur officia, ac quando proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, & etiam pro eis ſuffragia fiunt, ſed liberè conceſſit, ac concedit eiſdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur cum aliis catholicis perſonis accedere liberè, & licitè poſſint, ſimiliter, quod quando diuinum officium in Eccleſia monaſteriorum, & Regularium locorũ, huiuſmodi proponitur, vel propter aliã cauſam quandocumque eſt tantus confluxus populi, quod commodè ingredi non poſſint, & egredi per principalem portam Eccleſiæ conceſſit, & concedit eodem viuæ vocis oraculo, vt dictæ mulieres vna cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam clauſtri Monaſteriorum, & locorum regularium huiuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur à Monaſterio non obſtantibus & c. ex qua declaratione.*

Dico ſecundo, quod fœminæ poſſunt licitè intrare in clauſtra intronea, & in quamcumque partem introneam locorũ Regularium, quando in dicta parte quantumcunque intronea adeſt altare, in quo celebratur Miſſa tempore, quo publicè celebratur ibi Miſſa, & conueniunt etiam laici, & ſæculares perſonæ ratione alicuius deuotionis, vel feſti particularis, modo directo tramite abſque vagatione ad alia loca procedunt ad altare vbi Miſſa publicè celebratur, quod tamen non licet, ſi miſſa in priuatis oratorijs introneis pro infirmis fratribus, vel alia re ſpeciali celebretur, quia conceditur fœminis ab alijs perſonis intrare, ergo ſolum dum publicè recitantur Miſſæ in dictis introneis altaribus, ſeu Oratorijs, quia tunc ſolent aliæ perſonæ ad dictas miſſas audiendas intrare. Ita etiam ex noſtro R*odr. in B. tract. & Bonac. loc. cit.*

Immò adde probabile eſſe, quod ſi in Clauſtra Regularium ſit aliqua Capella magnæ deuotionis, & petat ſibi in ea dici Miſſa ab aliqua fœmina nobili, vt ſuæ deuotioni ſatisfaciat, poſſit concedi intrare aſſociata ab alijs fœminis ad audiendam miſſam in dicta Capella, ita docet *Rodr.* & probabile putat *Portel. loc. cit.* licet hoc in praxi adhuc non videatur deductam, tutius putarem ab hoc abſtinendum, licet ſi fieret, dicerem cum Portel. non eſſe damnandum.

Dico tertio, quod fœminæ virtute allatæ declarationis Pij V. poſſunt intrare Clauſtra, & loca intronea Regularium, dum in illis locis introneis publicè recitantur horæ Canonicæ, officium B. Virginis, Defunctorum, fit benedictio Candelarum, aut palmarum, adoratio Crucis, lotio ſolemnis pedum in Fer. v. C. D. ſicut in rubrica Miſſalis, aliàs ſi non fieret cum ſolemnitate Rubricæ, non poſſent admitti, & aliæ cæremoniæ ſacræ exercentur, ſicut eſt quãdo datur habitus Religioſo cum ſolemnitate, vel cum cæremonijs ſolitis, & benedictionibus admittatur Nouitius ad profeſſionem ſimiliter, quando in Clauſtro ſepelitur defunctus, quando Verbum Domini à concionatore proponitur publicè in locis introneis, non autem ſi recitaretur Tragedia quantumuis ſpiritualis, vel ſi haberetur cathedra Theologica, aut oratio aliqua oratoria haberetur, quia iſta non veniunt ſub nomine diuinorum officiorum, ſicut concio ſacra; ita etiam ſi lotio pedum fiat occaſione fratrum Hoſpitum, vt fieri contingit apud nos: licet canantur hymni, & orationes non tamen ſub ratione diuini officij, idem dicendum, ſi habitus collatio, & ad profeſſionem receptio non fieret ſolemni ritu cum orationibus, & pſalmis redolentibus ſpeciem diuini officij, non poſſunt eſſe cauſæ licitæ, ob quas fœminæ intrare, & admitti poſſent in clauſtra, quia cauſa ſolum eſt recitatio diuinorum officiorum, & piorum operum publicum concurſum requirentium. Ita ex *Sorbo Rodr. Sanch. & Bonac. collegi poteſt.*

Digitized by Google

Vtrum femina licitè iuxta declarationes poſitas ingrediens clauſtrum regularium tamen ob malum finem, vel ex ſola curioſitate, & non cauſa deuotionis ingrediatur excommunicationem incurrat lata à Pio V.

DIFFIC. IX.

NOn ſatis benignè Doctores aliqui affirmant fęminas ingredientes ex cauſa licita de iure, puta cauſa diuinorum officiorum, vel proceſſionum in Monaſteria Regularium ob aliquem prauum finem, & non ob intentionem deuotionis, & pietatis incidere in excommunicationem reſeruatam contra ingredientes à Pio V. latam, Ita noſter *Rodr. q. 45. ar. 5. & Sanch. l. 6. c. 17.* ſentiunt, quibus videtur etiam adſtipulare *Bonac. de clauſ. q. 5. p. 4.* ex eo, quod mens Summi Pontificis ſit concedere facultatem propter opera pia ibi exercenda ratione ingreſſus ſi ergo contra intentionem Pontificis ingrediantur fœminæ ob alium ſibi præſtitutum finem ſanè priuilegio conceſſo non gaudent, ergo ingrediuntur cum tali praua, vel vana conſuetudine, ac ſi priuilegium non haberent intrandi.

Cæterum hæc ratio licet probabilis videatur, attamen non vndequaque conuincit, ita vt fortè contraria ſententia nõ ſit magis probabilis, ſicut eſt magis benigna, Etenim Papa concedens fęminis priuilegium ingreſſus materialis in Monaſteria virorum, non debet intelligi voluiſſe obligare eas ad ingrediendum cum intentione operis pij intrinſeca exercendi ſub pęna tam graui, quia Eccleſia non iudicat de intrinſeca, ſed ſolum ad opus pium extrinſecè exequendum, ſicut eſt præſentiam præbere diuinis officijs, & proceſſionẽ aſſociate, itaque dum fęminæ præſentiam ſuam corporalem exhibeant pio operi extrinſecè, iam videntur ſatisfeciſſe intentioni Pontificis, vt eius priuilegio perfruantur, peccata enim mentalia, vt dictum eſt alibi probabilius non ſubduntur cenſuræ ab Eccleſia.

Verum eſt tamen, vt dictum eſt de hæretico mentali, quod ſi fœmina ingrediens propter malum finem, vel ob ſolam curioſitatem aliquo ſigno extrinſeco ſuam propalaret ſufficienter prauam, vel curioſam intentionem probabilius dicendum incidere in excommunicationem reſeruatam propter rationem adductam à priori opinione; ſaltem peccare ingredientem fœminam cum prauo fine, vel ob ſolam curioſitatem occaſione diuinorum officiorum in loca Regularium mortaliter, vel venialiter iuxta mortalem, vel venialem finem malum, & curioſitatem, quam habuit.

Vtrum regulares valeant proceſſionem, vel aliud pium opus extraordinarium inſtituere intra clauſtra, & præciſa intentione, vt fœminæ poſſint ingredi ad videndam clauſuram, & an fœminæ ſcienter ita ingredientes incidant in excommunicationem.

DIFFIC. X.

NEgant licitè, & abſque incurſione in pœnas contra admittentes fęminas in Clauſtra Regulares poſſe inſtituere proceſſionem, vel aliud pium opus extraordinarium ad hunc finem præciſè vt fęminæ ingrediantur, quia daretur nimia relaxationis, & perturbationis occaſio, quæ pretenditur à Pontificibus prohiberi per ingreſſum fęminarum in Clauſtra Religioſorum, ergo contra mentem Pontificum tales proceſſiones, & pia opera ſic facientes ſubduntur pęnis in præfatis conſtitutionibus contentis. Ita *Rodriq. & Sanch. loc. cit.*

Affirmant quidem alij peccare Regulares inſtituentes huiuſmodi proceſſiones extraordinarias præciſè, vt fęminæ ingrediantur in Clauſtra ob finem ab Eccleſia non intentum, attamen non incurrere pęnas contra admittentes in tali caſu ex eo, quod non admittunt fęminas illicitè ingredientes, cum ratione diuini officij, vel Proceſſionis fœminæ licitè ingrediuntur. Ita videntur ſentire noſter *Portel. V. clauſura religio. & Bonac. loc. cit.*

Attamen mihi diſtinguendum videtur vt dictum eſt in ſuperiori difficultate, nam ſi Religioſus hanc intentionem pręciſè ordinandi proceſſionem, aut aliud opus pium vt ingrediantur fæminæ ſolum nullo ſigno exteriori propalat, non incurrere caſu pænas contra admittentes, quia Eccleſia non iudicat de occulto, nec ei fit iniuria, quod ſi aliquo ſigno exteriori hanc intentionem propalet, quia videtur facere contra intentionem Eccleſiæ, eique videtur quamdam iniuriam afferre, dum ob ſolam curioſitatem inſtituere intendit res ſacras, tum quia videtur abuti priuilegio conceſſo ad finem exercendi opera pia intra clauſtra, videtur dicendum probabilius incurrere in pęnas contra admittentes; attamen non improbabilem puto etiam opinionem nec incurrere etiam in tali caſu, ex eo, quod in pęnis non eſt facienda extenſio, nam Pontifex dum non diſtinguit, & declarat in proceſſionibus extraordinarijs ad finem videndi Clauſtra nolle priuilegiare fęminas, nec nos diſtinguere debemus, ſufficere .n. videtur, quod mens principalis Pontificis exequatur ſic, vt proceſſiones fiant, & diuina officia celebrentur in clauſtris, vt fœminę licitè ingrediantur, per accidens eſt, vt Regularis habeat aliũ finem, modo verè ipſum opus pium ſit materialiter. Ita etiam videtur docere noſter *Coriolan. de caſibus reſeruat. parte 2. caſ. 3. num. 4.*

Quare dicendum eſt etiam fœminas licitè ingredi abſque timore excommunicationis, quando huiuſmodi proceſſiones extraordinariæ ordinantur à Regularibus, etiam ſi ſcirent ad hunc finem inſtitutum, vt poſſint ingredi, licet poſſet fieri, vt ratione finis praui, vel alterius circumſtantiæ peccent intrando, etenim dum Papa non diſtinguit ſe priuilegiare ſolum fęminas in proceſſionibus ordinarijs, ſed abſolutè loquitur de diuinis officijs, & proceſſionibus, dicendum eſt, quocumque modo, & fine inſtituatur proceſſio, poſſe fęminas gaudere licitè tali priuilegio, fauores enim amplіandi ſunt, & pęnę reſtringendæ.

Moneo tamen cum *Bonac. loc. citat.* corripiendos eſſe Regulares, qui ex ſola hac curioſitate ita leues ſe oſtendunt ad faciendas extra ordinarias proceſſiones intra eorũ clauſtra.

Vtrum fœminę licitè ingredientes Clauſtra Religioſorum, ſi poſtea per alia interiora loca Monaſterij diuagentur abſque occaſione diuinorum officiorum ex ſola curioſitate incidant in excommunicationem latam contra ingredientes à Pio V.

DIFFIC. XI.

AFfirmant noſter *Rodr. in expoſ. Bullæ præfatæ Pij V. & Sanch. l. 6. c. 17.* quia à Papa datur ſolum facultas progrediẽdi ad ea loca in quibus diuina officia celebrantur, ergo cõtra intentionem Pontificis ſine facultate ad interiora alia loca progrediuntur, quare excommunicationem incurrunt fœminæ ita progredientes, & Religioſi admittentes.

Negant tamen alij fœminas ad vlteriora progredientes ingreſſæ occaſione licita diuinorum officiorum incidere in excommunicationẽ, quia Papa excommunicat ingredientes abſque legitima, & licita cauſa conceſſa ab ipſo, non autem licitè ingreſſus iam ad vlteriora circumcurſantes, & cum ſimus in odioſis non eſt extendenda pœna vltra proprietatem verborum. Ita *Bonac. de clauſ. q. 5. punct. 9.*

Sanè prior ſententia tutior, & probabilis admodum, ſecunda vero tuta, & probabilis eſt, quia ſolido, & probabili fundamento innititur, vere .n. Pontifex in ſua bulla, & motu proprio ingreſſus prohibet, & mulieres ingredientes illicitè, & ſine cauſa conceſſa excommunicat, de circumcurſitantibus autem interiora Monaſterij, poſtquam fuerint ingreſſæ mulieres nulla fit mentio in Bulla, quare cum non ſit extendenda lex in pœnalibus, tuta videtur ſecunda opinio, donec declarata fuerit mens Summi Pontificis.

Cæterum hæc ſecunda opinio non eſt conſulenda ante factum, ne habenæ nimium laxentur curioſitati fœminæ, poſt factum vero ad tollendos ſcrupulos, tuta conſcientia mihi videtur poſſe ſequi.

Idem dicendum putant aliqui de Regularibus ad interiora loca admittentibus, & introducentibus fœminas licitè ingreſſas, eadem enim vtrobique militat ratio, nam licitè ingreſſas comitari, & aſſociare, vel introducere in alia loca non videtur expreſſum in decreto Pij V. licet *Sanchez. Rodriq. & Bonacin.* contrarium omnino opinentur, mihi tamen eadem limitatione reſpondendum videtur, quod ante factum ſit conſulenda iſtorum Doctorum probabilior opinio, poſt factum vero ad ſcrupulos tollendos probabiliter poteſt opinio contraria amplexari donec intentio Summi Pontificis etiam in hoc explicetur.

Vtrum

Vtrum Religioſus ingreſſam mulierum illicitè, & contra Bullam Pij V. alloquens, & aſſocians incidat in pœnas latas contra Religioſos admittentes fœminas in loca regularium.

DIFFIC. XII.

DIſtinguendum puto, nam vel Religioſus ex officio tenetur prohibere ingreſſum mulierum vtpotè Prælatus, vel Oſtiarius, & talem Religioſum incurrere pœnas cōtra admittentes cenſeo, quia admittere in rigore etiam iuris dicitur, qui non prohibet ingreſſum dum tenetur prohibere ex officio, tenetur .n. ingreſſum repellere ſtatim atque cognouit ingreſſũ illicitum, quod ſi non prohibeat, approbat ingreſſum illicitũ, qui vero ex officio tenetur repellere ingreſſum illicitum & tamen illum approbat, videtur admittere ingredientes illicitè in Clauſtra Monaſterij, per eiuſque loca, quare Religioſus, qui tenetur ex officio illicitè ingreſſas fœminas repellere, ſi aſſociet, & concomitetur per loca, vtpotè verè admittens pœnas latas à Pio V. contra admittentes in tali caſu incurrere dicendus eſt. Ita etiam ex Portel & Suar. citandis.

Quod ſi Religioſus illicitè ingreſſas fœminas in Clauſtra Regularium alloquatur, aſſociet, & ad potũ inuitet, ſi non tenebatur ex officio prohibere ingreſſum, non dicitur verè admittere, & Introducere ad Monaſterium, niſi alio poſitiuo modo incitauerit directè, vel indirectè ad ingreſſum, quia ſic diceretur admittere, vel introducere, quod autem ſimpliciter alloquens, aſſocians illicitè ingreſſas, dum ei ex officio non competebat repellere ingreſſum, non dicatur admittere patet ex eo, quia qui non tenetur prohibere ingreſſum, nec dicitur approbare ingreſſum, ergo nō dicitur admittere, nam approbare ingreſſum propriè pertinet ad habētem officium prohibendi ingreſſum, & cum ſimus in pœnalibus ſtricta eſt facienda interpretatio verborum. Ita ex noſtro *Portel v. clauſura nu. 3. & Suar. de cenſ. diſp. 22. ſect* 6. vide infra v. Clauſura Monialium diffic. 15. differentiam inter admittere & introducere, etenim admittere eſt aliquo modo cooperari directè, vel indirectè ad ingreſſum faciendum, puto vocando, inuitãdo, conſulendo, approbando, vt aliquis ingrediatur, & poſt ingreſſum factum illicitè ex officio approbare ingreſſum, dum non expellit ingreſſum, vt tenetur ex officio expellere, ſi iam ingreſſum illicitè abſque ſua cooperatione alloquitur, aſſociat, non dicitur admittere iam ingreſſum.

Quæ doctrina confirmari poteſt ex eo, quod Papa quando vult pœnis ſubiacere comitantes exprimere ſolet, hinc volens ſubdere excommunicationi aſſociantes, vel recipientes Moniales illicitè egreſſas à ſuis Monaſterijs eos exprimit, itaque cum in hac Bulla contra admittentes non expreſſerit concomitantes, & inuitantes ad potum, non debemus ad ipſos pœnas extendere.

Ex quibus clarè patet, quod Regularis, cui ex officio non competit prohibere ingreſſum, ſi cum poſſit prohibere, & non prohibeat non incurrat pœnas contra admittentes, modo alia ratione non fuerit directè, vel indirectè cooperatus ad illicitum ingreſſum.

Vtrum Religioſus admittens, & introducens illicitè fœminas in Clauſtra teneatur officia, quibus de facto à Papa priuatur deponere, & alias pœnas ſubire in publico, & an à dictis pœnis poſſit abſolui à Prælatis ſui Ordinis.

DIFFIC. XIII.

PAenæ in quas incidunt Regulares admittentes, & introducentes fœminas illicitè in Clauſtra, vt ſupra viſum eſt ſunt tres præcipuè, prima eſt ſuſpenſio à diuinis, ſecunda priuatio officiorum præſentium, ſi quæ habent, tertia in habilitas ad officia, & dignitates in poſterum, an vero incurratur excommunicatio, viſum eſt ſupra.

Quia vero Pontifex has pœnas incurri mandat ipſo facto abſque alia declaratione, quæritur vtrum qui eas incurrit debeat immediatè ſe à diuinis ſuſpēſum habere, & officia deponere ſi quæ habet.

Negat noſter Rodr quem citat, & ſequitur Portel. v. Clauſura Monachorum in fine, modo crimen ſit omnino ſecretũ, quia nemo tenetur ſe ipſum infamare, & nemo tenetur exequi contra ſeipſum impoſitam pœnam, vt fuſius declarabitur V. lex benè verum eſt, quod quamuis non teneatur deponere officia, quæ habet, tenetur tamen renunciare officia in futurum, quia non indigent officia in futuro alio executore extrinſeco, cum poſſit ipſe æquè benè non acceptare.

Quare ſi æquè benè non poſſit ea renunciare abſque eo, quod ſe infamet, poſt adhibitas cæremonias ex humilitate, vel alia cauſa inhabilem ſe profitendo, poteſt, ne ſe infamet, acceptare, & data opportunitate, quam primum petere debet diſpenſationem. Ita Portel. V. officia ordinis n. 5. qui citat Suar. de hoc tamen fuſius ſuo loco V. Papa, & lex, vbi alia opinio mitior aſſeretur.

Abſoluere autem poſſe Prouincialem, & in hiſce pœnis diſpenſare docet. *Portell. verbo clauſura. Hieron. Rodriqu. Verbo clauſura Monach. n. 6. Villalob. 2. p. tract. 35. diffic. 35. Sanch. l. 5. Decal. c. 17.* vt alibi etiam dictum eſt à nobis, & ſi priuilegium Eugenij IV. eſt inuitidi obſeruantia, poteſt ſemel in vita Religioſus ex noſtris à quolibet Confeſſario abſolui, & diſpenſari in ſimilibus inhabilitatibus ad officia Ordinis. Vide *Henriqu. de Euchar. cap. 30. & l. 7. de indulg. cap. 13. Couarr. in c. alma mater 1. p. §. 11. & Sanch. loc. cit.*

Clauſura Monialium.

Quo iure introducta fuerit Clauſura monialium.

DIFFIC. I.

CLauſuram Monialium præcipuè iure naturali traditam contenderunt aliqui ex eo, quod ius naturale præcipit ſcandala, & occaſiones, & pericula ad malum inducentia eſſe vitanda, clauſura autem admodum fauet huic naturali axiomati circa Moniales præcipuè, ergo de iure naturæ eſt illis præcepta.

Verum, quia præceptum naturale de vitando ſcandalo, & periculo peccandi poſſent Moniales alio medio etiam naturalis luminis, & dictaminis præcauere, quam per Clauſuram, & de facto alio medio vſæ fuerint, quam per Clauſuram per longum tempus, ſequitur, quod Clauſura non ſit eis præcepta ex iure naturæ, nam ius naturæ ſemper eſt idem in omni tempore, vnde ſemper debuiſſent vti clauſura, quod ſanè falſum eſt. Quare

Dicendum, quod Clauſura Monialium introducta ſit non iure naturali, vt modo dictum eſt, nec diuino, cum nullibi appareat ore diuino immediatè, vel mediatè Monialibus mandata clauſura, ſed ſolum ex iure poſitiuo inuenta, & iuſſa Monialibus Clauſura ad melius, & tutius præcauenda pericula, & occaſiones malorum, & præcipuè ad perturbationes tollendes, quas facile poſſunt Moniales incurrere ex frequenti virorum, & fœminarum ingreſſio in earum Monaſteria, & earum egreſſus ex Monaſterijs.

Quare primo fuit Ordinata Clauſura à Conc. Carthaginēſi I. ſub Syluestro, & Marco anno Domini 330. & poſt modum in Concilio Carthaginenſi III. ſub Syricio Papa renouatum præceptum Clauſuræ fuit, deinde à *Bonifacio Octauo in c. Periculoſo de ſtatu regul. l. 6. anno Domini* 1299. licet eius conſtitutio recepta non fuerit, tandem in Concilio Trid. ſeſſ. 25 de Regul. c. 4. & 5. & à Pio V. & Greg. XIII. ſtrictius fuit Clauſura præcepta, confirmata, & ampliata.

Quod autē Eccleſia potuerit, eo poſſit imponere Clauſurã omnibus Monialibus cuiuſcunq; Regulæ, & inſtituti, etiamſi earum Regula, & inſtitutum clauſuram ipſis non imponat, patet ex eo, quod ea media, quæ ſunt commodiora, & vtiliora ad caſtitatem præcipuè ſeruandam, quæ omnigenis Monialibus colenda eſt, poteſt Eccleſia imponere, & præcipere, nullum autem commodius, & vtilius medium ad caſtitatem ſeruandam potuit inueniri, & mandari, quã Clauſuræ vſus, vt patet practicè ſine animi peruerſione ratiocinanti. Ita etiã noſter Rodriq. *T. 1. qq. reg. q. 44. ar. 1. Hier. Rodr V. Clauſ. monial. n. 1. & Sanch. l. 6. decal. c. 25. nu. 2.*

Hodie ergo ex præcepto Concilij Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 5. & ex Conſtitutionibus Pij V. & Greg XIII. omnibus, & cuiuſcumque inſtituti Monialibus etiam ordinis S. Io Hieroſolymitani, & Tertiarijs in cōmuni cũ ſolemni voto expreſſo caſtitatis viuentibus, etiãſi clauſuram non vouerint, etiãſi haberēt priuilegia ad clauſuram non ſeruandam non obſtante, quacũque contraria etiã immemorabili cōſuetudine ſub quocumque

Digitized by Google

cumque gubernio ſteterunt, mandatur ſeruanda Clauſura. Ita communiter noſter *Rodriq. vterq. loc. cit. Portel. v. clauſ. monial. Nauar. comment. 4. n. 45. de regular. l. 1. Sanch. loc. cit.*

Quod ſi aliquæ fęminæ inueniantur in congregatione viuentes ſolummodo votum ſimplex caſtitatis emittentes, non tenentur quidem ad Clauſuram, ſed hortandæ, vt ſolemniter profiteantur, & clauſuram ſeruent, alioquin non poſſunt amplius alias in ſua congregatione coaptare ex conſtitut. Pij V. Ita noſt. *Rodr. vterque & Portel.* quibus adde docentē *Mirandam de Monial. q. 1. art. 3. qui addit art. 4.* quod illæ, quæ profeſſæ ſunt ſub conditione de non ſeruanda clauſura, non eſſe verè profeſſas, & conſequenter non teneri ad clauſuram. Ita etiam *Portel. loc. cit. & Bonac. de clauſ. q. 1. p. 2.*

Cæterum ſi aliqua mulier profeſſionem ſolemnem emitteret trium votorum, cum conditione, vt in domo remaneret propria, vt factum fuiſſe olim refertur in cap. inſinuante, qui Clerici, ſanè, non teneretur ad clauſuram, quia mandatum de clauſura ſeruanda datur fęminis in congregatione viuentibus, vt patet apertè ex verbis motus Pij V. vnde etiam ſi Moniales in congregatione viuentes cum voto, & profeſſione ſolemni non haberent animum ſeruandi clauſuram, dũ profeſſionem emittunt, adhuc tenentur ad clauſuram, quia obligatio clauſuræ non oritur ex voluntate profitentium, ſed ex præcepto Papæ obligantis profeſſas ad clauſuram. Ita noſter Miranda, & Bonac. loc. cit.

At vero Mulieres illæ, quæ in congregatione viuunt emittentes ſolum paupertatem obedientiam, & caſtitatem cõiugalem iuxta Regulam approbatam à Sede Apoſtolica, tam non ſint verè, & propriè Religioſæ, nam ſolemne votum caſtitatis non emittant, non tenentur ad clauſuram, quia earum Domus non ſubiacent Clauſuræ ordinatæ à Concilio, & Sũmis Pontificibus. Ita vterque noſter *Rodr. loc. cit. & Sanch. in decal. l. 6. c. 15. n. 14. & 15. & ita practicari docet Hier. Rodriq. vbi ſup. n. 34.* in quodam Monaſterio Commend. S. Iacobi, quod vocant Sancti Spiritus, quicquid Portel. in contrarium videatur velle.

Quibus pœnis ſubiaceant moniales ob egreſſum à Monaſterio, vel introductionem, aut admiſſionem in Monaſterium in caſibus non permiſſis illicitè violantes clauſuram, & ſuperiores indebitè ingrediendi concedentes facultatem.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod in motu proprio Pij V. quod incipit decori, & honeſtati incurritur primo excommunicatio ipſo facto contra Moniales extra caſus à iure permiſſos egredientes a Monaſterijs & contra Superiores licentiam indebitam dantes egrediendi, & contra comitantes, & Receptantes eaſdem Moniales indebitè egreſſas, ſecundo incurritur pœna priuationis dignitatum, officiorum adminiſtrationum, inhabilitatis ad illa etiam in futurum obtinenda contra eaſdem Moniales indebitè egredientes, & Superiores illicitam facultatem egrediendi concedentes, quæ pœnæ, & cenſuræ reſeruatæ ſunt Pontifici Summo.

Aduerte autem has pęnas incurri, quando adeſt magna temeritas, & preſumptio in egrediendo, vel danda licentia, cum enim pęnæ ſint grauiſſimæ ſupponunt grauiſſimam culpam, vt docet etiam noſter *Rodr. T. 1. q. 46. art. 2. Portel. v. clauſura mon. n. 7. & Bonac. q. 1. p. 3.* itaque putãs ſe habere iuſtam cauſam, licet à parte rei non ſit iuſta, nõ incurrit has pęnas, quia verè non præſumit, nec temerariè audet, qui iuſtam cauſam ſe habere putat, ita præfati Doctores.

Dico ſecundo, quod Superiores cuiuſcunque dignitatis ſint etiam ſi Epiſcopi ſint, & Regulares dantes licentiam Monialibus egrediendi à Monaſterio abſque legitima, & iuſta cauſa incurrunt in prædictas pęnas, quia ſpecialiter nominantur Epiſcopi, & Prælati Regulares in dicta conſtitut. An vero Cardinales comprehendantur in ipſa, & ſi forent Epiſcopi, & indebitam traderent licentiam Monialibus exeundi incurrerent in eaſdem pęnas cum ibi non exprimantur, vide quæ dicta ſunt v. Cardinalis Epiſcopos autem eas incurrere certum eſt, quia ſpecialiter nominantur. Ita etiam *Bonac. de clauſ. q. 1. p. 4.*

Nota autem etiam hic Superiores præfatos mandantes, & conſulentes ingreſſum pro ſuo libito non incurrere præfatas pęnas, quia mandantes, & conſulentes non exprimuntur in conſtitutione prædicta, licet indebitè ex tali mandato, & conſilio ſe ingredi, ſciens eas incurrat, ſecus ſi bona fide, vel ignorantia etiam craſſa ingrediatur ita mandatus, & conſultus à Superiore, pęnæ enim ſunt reſtringendę, peccat tamen Superior indebitè mandans, & conſulens talem ingreſſum, quia in re graui facit contra legem, Ita ex Nauarro Portell. V. clauſ. Monaſt. art 7.

Vtrum comitantes, & receptantes moniales egreſſas indebitè à Monaſterio ſolum vrbanitatis, amicitiæ, vel honoris cauſa præfatis pœnis ſubiaceant.

DIFFIC. III.

VIdetur noſter *Miranda affirmare de monial. q. 1. ar. 7.* & probabiliter, quia Pius V. in dicta ſua conſtitutione prohibet etiam conſanguineos ſub eiſdem pœnis, ne Moniales egreſſas à Monaſterijs indebitè comitentur, & receptent, ergo multò magis prohibet amicos, & alios vrbanitatis cauſa eas aſſociantes, vel receptantes certum eſt n. quod inimici, & inurbani eas non aſſociarent, nec receptarent, ergo dum prohibet Pontifex ſub hiſce formalibus verbis (necnon comitantes ac illarum Receptatrices perſonas ſiue laicas, ſiuè ſæculares, vel Eccleſiaſticas conſanguineas, vel non) intelligi debet omnes eas comitantes ratione amicitię, & vrbanitatis. Idem videtur ſentire *Nauar. in c. ſtatuimus n. 51. de regul.*

Attamen ſolum de comitantibus, & receptantibus formaliter Moniales egreſſas indebitè à Monaſterijs, non de comitantibus, & receptantibus ſolum materialiter loqui in dicta conſtitutione Pontificem probabile admodum eſt, comitãtes autem, ſeu receptantes formaliter dicuntur illi, qui tali egreſſui aliquo modo cooperati ſunt, conſenſu conſilio, fauore, vel auxilio, & ideo eas comitantur, & receptant, vt tanto facinori patrocinentur, & faueant, illi autem ſolum materialiter dicuntur comitari, & receptare, qui ſolum vel cauſa amicitiæ, vel vrbanitatis, vel honoris cauſa ſeruandi potius, vt regreſſum ſuadeant, quam vt in malo proſequendo foueant Moniales egreſſas iſtas autem non ſubiacere præfatis pęnis patet ex eo, quod receptantes, & fauentes formaliter Hæreticos .i. in cauſa, & propter cauſam Hæreſis non autem receptantes, & fauentes hæreſi materialiter .i. ſolum cauſa amicitiæ, & Vrbanitatis, vel conſanguinitatis, excommunicantur in B. C. quando receptatores, & fautores Hæreticorum in ipſa excõmunicatione feriuntur, ergo etiam dum hic excommunicentur comitantes, & receptantes Moniales egreſſas, debet interpretari mens Pontificis ſolum intelligere de receptantibus, & comitantibus formaliter .i. de ijs, qui aliquo modo cooperantur tanto ſceleri, nõ autem de materialiter ſolum ratione vrbanitatis, amicitiæ, honoris, vel conſanguinitatis cauſa comitantibus, & receptantibus, modo nulla ratione delictũ foueãt tali comitatu, & receptatione. Ita noſt. *Rodriq. qq. reg. T. 1 qu. 49. ar. vlt. Miranda loc. cit. Portel. n. 26. Nauar. c. 27. nu. 561. & Hier. Rodr. reſol. 26. n. 42 Llamas in methodo curationis in Append. §. 11. Sanc. in op. mor. l. 8. c. 15. & Bonac. q. 1. punc. 4. de clauſ.*

Quænam ſint ea officia, quibus priuantur clauſuram violantes, & an abſque alia declaratione ea deponere debeant.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod officia, quibus priuare, vel ad ea inhabilitare in præfata conſtit. Papa prætendit non ſunt ea, quę iuriſdictionē non habent ſibi coniunctum, vt ſunt officia concionatoris, lectoris Theologię, vel Canonũ, vel Artium cæterarũ, Pharmacopolæ, Sacriſtę, Canaparij, Procuratoris, & ſimilium, quia nimis largè interpretaretur nomen officij in re pęnali, quorecum ſimus in materia odioſa, reſtringendum eſt nomen officij ad officium coniunctum cum iuriſdictione, vt ſunt Generalatus, Prouincialatus, Viſitatoris, & Commiſſarij officium, Prioris, Guardiani, Rectoris, vel Vicarij Monachorum, ſeu Monialium, Officium etiam Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, & ſimilia habentia iuriſdictionem annexam quocumque nomine vocentur. Ita communiter.

An vero Diffinitoratus ſit officium hiſce pœnis ſubiectum negant *Sorbus V. ingreſſus monaſt. Sanch. & Bonac. loc. cit. ſed de hoc nos alibi.*

Dico ſecundo, vt dictum eſt ſupra V. Clauſura Religioſorum iſtę pęnæ priuationis, & inhabilitatis licet incurri

curri

curri in prefata conſtitutione de facto abſque alia declaratione, tamen non tenetur quis officia præfata deponere, ſi crimẽ ſit occultum, quia pęnę, quæ ad ſui executionẽ hominis actionem requirunt, non debet eas quis contra ſe exequi, ſed expectare debet hominis actionẽ, qua de facto tali officio, & poſſeſſione priuetur, imò *Nauar. in expoſ Bullæ de datis, & permiſſis n. 44. Molin. T. 1. de iuſt. diſp. 96. & Sanch. l. 8. c. 16. num. 65.* putant in tali caſu, & ſimilibus requiri ſententiam declaratoriam criminis incurſi nõ ſolum quoad pęnas, quæ ad ſui executionem hominis actionem acquirunt, verumetiam ad pœnas priuatiuas, quæ nulla actione ad ſui executionẽ indigent, exceptis cenſuris, quæ ſecum afferunt præſentaneum effectũ. Verum tu vide fuſius, & clarius, quæ in hac materia dicturi Sumus V. Pęna, & V. lex, in reliquo quoad hunc caſum interea dic conſequenter ad ea, quæ dicta ſunt ſupra V. Clauſura Religio. diffic. 14.

Vtrum paruitas materiæ excuſet violantem Clauſuram à pœnis in præfata conſtitutione latis.

DIFFIC. V.

PAruitatem materiæ excuſare in Clauſura, (modo ſit talis, vt clauſurę rationem perfectè, & omninò non frãgat) à pęnis latis contra ingredientes, & egredientes è Monaſteriis certum videtur, quia paruitas materiæ excuſat à peccata, ergo etiam à cenſuris, & a pęnis, verum in iudicando, quanta debeat eſſe iſta paruitas materiæ, quæ in Clauſuræ violatione excuſet, variant Doctores. Quare

Dico primo, quod Monialis, quæ ſub fornice interiori Ianuæ clauſuræ exiſtens, vnum pedem extra Ianuam extendat altero retẽto intra Ianuam non incideret in pęnas præfatas, quia paruitas materiæ eam excuſat, non .n. perfectè, & omnino egreſſa eſt, quare in hoc caſu poteſt conſiderari paruitas materiæ excuſans à peccato in materia violationis clauſuræ.

Dico ſecũdo, quod idem Iudicium probabiliter fieri poteſt de moniali, quę intra Rotam exiſtens ſe videndam extra manentibus extendit, quia dum intra Rotam exiſtit verſus partem extra clauſuram non dicitur vere totaliter, & perfectè clauſuram violaſſe, quia adhuc fines clauſuræ non dereliquit. Ita etiam Bonac. puncto 8. n. 6. probabilius tamen videtur loqui noſter Coriolan. de caſ. reſer. 2. p. qui clauſurám violare probat monialem ſe in Rota ponentem, & voluentem ſe ad partem extra clauſuram, quia eodem modo poſſet ſe homo in eadem accommodare, & ſe voluere ad partem clauſuræ, cum magno periculo honeſtatis, prætérquam quod illa pars rotæ, quæ ſtat verſus ad partem extra clauſuram, pro tunc dicitur extra clauſuram, quia ibi ſæculares, & alii extranei negotiantur, & loquuntur, ergo monialis ſe voluens in Rota ad illam partem probabilius videtur eſſe extra clauſuram, fortę paruitas materiæ excuſaret, dum adhuc perfectè extra Clauſuram non eſt egreſſa toto corpore.

Dico tertio, quod ſi Monialis toto corpore egrediatur à porta clauſuræ extra, vbi omnes conueniunt etiamſi per vnũ, aut duos pedes fuerit egreſſa, licet *Nald. v. clauſura num. 3. & Graff. de caſib. reſeru. c. 5.* velint excuſari in hoc caſu ex paruitate materiæ huiuſmodi Monialem ſic egreſſam à pęnis, attamen probabilius negandum puto, quia clauſura certis terminis præfinitur, vltra quos egrediens Moniales perfectè, vel in parua, vel in longa quantitate diciturverè egreſſa, & trãsgreſſa rationem clauſuræ. Ita ex noſtro *Rodr. T. 1. qq. reg. q. 49. a n. 5. Sanch. in oper. mor. l. 8. c. 16. & l 6. c. 15. & Bonac. p. 4 & 8. de clauſ.* quod inquam probabilius puto, quia legis intentum debet ſtrictius interpretari in materia de clauſura, dum per eam intendit prohibere pericula, & occaſiones præcipuè ad caſtitatem ſeruandam, ſi ergo Monialis impunè poſſet per vnũ, & alterum pedem à clauſura toto corpore egredi, non ita faciliter conſuleretur occaſioni peccandi, itaque non dari paruitatem materiæ extra portam clauſuræ, nec per vnum digitum ſi toto corpore egrediatur, ab ea dicendum probabilius putarem, imò omnino ſuadendum, quia non ſunt laxandæ habenæ in hac materia, ex quibus

Collige, quod ſi Monialis toto corpore ambobus pedibus in ſolio ſub fornicè exteriori extra portam ligneam, licet in planum non deſcendat, incurrit in pęnas, quia illud ſpatium extra portam ligneam, licet videatur ſpectare ad portam, tamen reuera eſt extra clauſuram, quia ſæculares ibi non violãt clauſuram ſi ſedeant, & clauſura à porta lignea introrſum deſignatur, extrorſum, ergo extra Clauſuram dicitur eſſe quodcumque ſpatium.

Vtrum ſuperiores poſſint implorare auxilium à Magiſtratu ſæculari ad cogendas ſuas Moniales ad Clauſuram, & ille teneatur eis parere.

DIFFIC. VI.

DIco primo, quod certum eſt teneri Epiſcopos quoad ſua Monaſteria, & ſubiecta etiam immediatè Sedi Apoſtolicæ tãquam delegatos, & ſuperiores cæteros tam Regulares, quam non Regulares quoad ſibi ſubiecta Monaſteria ad cogendum Moniales, vt ſeruent Clauſuram ex Conc. Trid. ſeſs. 25 c. 9. & ex motu Pij V. *qui incipit circa paſtoralis*.

Dico ſecundo, quod Epiſcopus, & præfati Superiores poſſunt vti brachio Principum, & Magiſtratus ſæcularis, quando Moniales alio modo ad clauſuram inducere nõ poſſunt, quia Concil. Trid. loc. cit. c. 5. ſub hiſce verbis hortatur Principes, & præcipit Magiſtratibus ſæcularibus *(quod auxilium, vt præbeatur omnes Chriſtianos Principes hortatur S. Synodus, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrendæ, omnibus magiſtratibus ſæcularibus iniungit)* quare

Dico tertio, quod Principes nõ tenentur obedire ſub mortali, nec ſub pęna excommunicationis Epiſcopis, & Superioribus petentibus auxilium ad cogendas Moniales pro ſeruanda Clauſura, quia ſolum hortantur adhoc faciendum, Magiſtratus autem omnino tenentur in re tam graui ſub peccato mortali, & pęna excommunicationis auxilium præſtare, nam in re ſpectante ad bonum publicum ſpirituale tenentur obedire Pontifici, ſeruare autem Clauſuram ſpectat ad bonum publicum ſpirituale Monialium.

Sub nomine autem Magiſtratuum veniũt omnes perſonæ publicæ, quæ iuriſdictionem ſæcularem exercent, quocumq; nomine vocentur puta Gubernatores, Prætores, Iudices, Rectores ciuitatum, & Populorum, Præſides Prouinciarum, eorumque conſiliarij, & ſimiles, vide *Bart. l. 1. ff. de officijs, Alter. in B. C. l. 5. diſp. 2. c. 1. Duard. in B. C. can. 19. diſp. 1. qu. 10. & Bonac. de clauſ. q. 1. p. 6.*

Adde, quod etiam Magiſtratus, Prætores, & Iudices Eccleſiaſtici exercentes iuriſdictionem ſæcularem in terris Papæ ſubiectis ſub eadem pęna tenentur præſtare huiuſmodi auxilium in præfato caſu, quia eadem ratio militat. Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Vtrum ad Epiſcopum ſolum in caſibus à iure permiſſis pertineat dare licentiam monialibus exemptis, alteri Ordinario vel etiam Regulari ſubiectis exeundi à Monaſterio.

DIFFIC. VII.

NOn eſt eadem Doctorũ ſentẽtia in hoc caſu, etenim negant noſtri *Rodr. q. 49. ar. 6. & Hier. Rodr. reſol. 26. n. 41. & Sanch. l. 6. Decal. c. 15. n. 28.* putantes priuatiuè quoad Epiſcopum conceſſam eſſe facultatem à Concilio Superioribus quoad Monaſteria ſibi immediatè ſubiecta dandi licentiam Monialibus exeundi à Monaſterijs in caſibus à iure permiſſis, vt patet in c. 5 ſeſſ. 25. de regul. quia vero in conſtit. Pij V. quæ incipit Decori, & honeſtati datur facultas dandi licentiã quoad Moniales exemptas ipſarum Superioribus, & Epiſcopo cumulatiuè, aiunt hanc conſtitutionem per nõ vſum abolitam eſſe, & non ſeruari, ſolique earum Ordinarios ſuperiores abſque Epiſcopo concedere in praxi talem licentiam. Ita *Hier. Rodr. loc. cit.* Alij vero talem conſtitutionem inuitidi obſeruantia eſſe. & Epiſcopũ neceſſario requirendum ad dãdam talem facultatem ſimul cum ſuo Ordinario, quia verè cumulatiuè datur alijs Superioribus cum Epiſcopo talis poteſtas licentiam præbendi Monialibus exemptis exeundi à Monaſt. in caſib. à iure permiſſis. In quo caſu attendenda eſt praxis, & conſuetudo, ſi .n. hæc conſtitutio fuit vſu recepta omnino ſeruanda, ſi per contrarium vſum non fuit recepta, poteſt prima opinio teneri, vt docere videtur noſter Mirãda *de monial. q. 3. Suar. T. 4. de relig. lib. 1. c. 9. Azor. p. 1. l. 19. c. 8. q. 2. Lamas in meth. curat. §. 5. & Bonac. de clauſ. q. 1. p. 8.*

Aduerte tamen cum noſtro *Rodr. loc. cit.* quod per Superiores Ordinis non venit Abbatiſſa in dicta conſtitutione, vnde eius licentia non requiritur ad hoc, vt licitè Moniales exeant à Clauſura in caſibus à iure permiſſis, per ſuperiores enim

Ordinum intelliguntur Generalis, Prouincialis & alij habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem.

Quare Superiores locales hanc licentiam dare nequeunt regulariter, quia non habent iuriſdictionem Epiſcopalem ſaltem quoad Mendicantes, quoad vero Monachos poſſent forte Abbates vtentes inſignibus Epiſcopalibus habere talem poteſtatem, videantur tamen eorum priuilegia, & legitimæ conſuetudines, ita noſter vterque Rodriquez loc.cit. contrarium tamen videtur velle Sanch. ſ. hanc poteſtatem pertinere etiam ad ſuperiores locales l.6.cap.15.nu.28.in oper. mor. ſed re vera parum probabiliter, hoc enim negotium grauiſſimum eſt, nec debet præſumi à Papa concedi talem facultatem Prælatis localibus, quam Epiſcopis reſeruauit, & Superioribus cum Epiſcopo cumulatiuè conceſſit, grauiora enim negotia grauioribus Prælatis ſedes Apoſtolica reſeruat.

Vtrum Vicarius Generalis Epiſcopi, vel Ordinarii alterius poſſit hanc licentiam monialibus à Monaſterio exeundi in caſibus à iure permiſſis concedere.

DIFFIC. VIII.

AFfirmatiuè reſpondendum videtur, quicquid in contrarium aliqui voluerint putantes hanc facultatem datam ſoli Epiſcopo priuatiuè, & non cumulatiuè quoad ſuum Vicarium, attamen parum probabiliter videntur ratiocinari, quia videtur eſſe regula Generalis apud Doctores, quod facultas data à Sacris Canonibus, & Cōcilijs Epiſcopis niſi ſpecificè prohibeatur ſuis Vicarijs generalibus, nec ſit aliena à munere Vicariatus, vt potè perſonaliter competens ſoli Epiſcopo, intelligitur etiam collata Vicario generali, qui eamdem cum Epiſcopo iuriſdictionem exercet, & vnum idem tribunal cum Epiſcopo conſtituit, quæ doctrina colligi poteſt ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6* & probant gloſa, Felinus & alij, quos citat, & ſequitur *Sanch. l. 3. de matrim. diſput. 29* & *Bonac. de clauſ. quæſt. 1. p. 8.*

Præterquam, quod Pius V. in ſua Conſtitution. præfata dat facultatem Epiſcopo, ſeu alio loci Ordinario licentiam dandi monialibus in caſibus à iure permiſſis exeundi à Monaſterio, at vero ſub nomine loci Ordinarij veniunt Vicarij generales Epiſcoporum, & cæterorum Superiorum habētium authoritatem Epiſcopalem, vt probat *Iacobus Sbrotius de Vic. Epiſcop. lib. 2. quæſt. 55. licet quæſt. 201. videatur aliud ſentire*, hanc etiam facultatem dari Vicario generali *Llamas in meth. curat. in fine* § 5. docet.

Et licet quoad Monaſteria Exempta autumet Sanchez in oper. mor. l.6.cap.30. non dari Vicario generali hanc facultatem, quia quoad iſta Epiſcopo conceditur talis poteſtas quatenus eſt Delegatus, & non quatenus Ordinarius, attamen probabilius dicēdum etiam quoad exemptas poſſe Vicarium Generalem dare talem licentiam, quia licet Concilium quoad inducendam Clauſuram, det authoritatem Epiſcopo tanquam Delegato quoad Monaſteria exempta, verum dum eſt ſermo de danda licentia pro egrediendo è Monaſterio pro exemptis dat authoritatem ſimpliciter Epiſcopo, & non ſpecificat tanquam delegato, itaque in hoc eſt Ordinarius Epiſcopus, ergo tranſit ad ſuum Vicarium generalem hæc poteſtas. Item dicendum de Vicario generali Capitulari Sede vacante. Ita *Barboſ. 3. p. alleg. 102. n. 28. & Bonac. loc. cit.*

Quinam ſint caſus à iure permiſſi, in quibus licet Epiſcopo, vel Superiori dare licentiam monialibus à Clauſura egrediendi.

DIFFIC. IX.

DIco primo, quod à Concilio Trident. in genere traditur Epiſcopo facultas arbitrandi, quænam ſit legitima cauſa dandi talem licentiam egrediendi à Monaſterio, vt videri poteſt ſeſſ. 25. cap. 5. iure autem antiquo vt habetur in c. periculoſo de ſtatu Regul. in 6. ſufficiens, & iuſta cauſa dandi talem licentiam egrediendi è Monaſterio ponitur infirmitas ob quam Monialis nequeat cum alijs abſque graui periculo, vel ſcandalo commorari.

Dico ſecundo, quod pro Monialibus Sanctæ Claræ Vrbanus Quartus ponit ſex caſus, in quibus Moniales licitè poſsūt à Superiore licentiari pro egreſſu à Monaſterio. Primus eſt ineuitabilis, & periculoſa neceſſitas puta incendij, incurſus hoſtilis, & hiſce ſimiles caſus 2. eſt quando Moniales mittuntur à Superioribus cauſa plantandi, vel ædificandi, vel reformandi aliquod Monaſterium; tertius eſt, quando alterum Monaſterium indiget Abbatiſſa, poteſt Superior Monialem aptam vnius Monaſterij ad aliud indigens mittere, quartus eſt cauſa correctionis, quando ſ.c. Monialis non poteſt corrigi in ſuo Monaſterio propter timorem conſanguineorū, vel ob aliam cauſam moraliter vrgentem. Quintus; cauſa alicuius valde euidentis diſpendij vitandi, puta in caſu infirmitatis cōtagioſæ alicuius Monialis, vnde timeatur magnum periculum, & ſcandalum totius communitatis. Sextus; quando de mandato Superioris totus conuentus alio eſt transferendus.

Aduerte tamen, quod in caſibus præfatis, quando periculum eſt in moras vnde non poteſt expectari licentia Superioris, debent primo ſe transferre ad locum honeſtum, & clauſæ manere quantum fieri poteſt, ſecundo debent ſtatim monere ſuperiorem de egreſſu, vt meliori modo eis conſulatur. Ita noſt. *Rodr. T. 1. q. 49. ar. 1. & 2. & Sanch. loc. cit. c. 15. à n. 38. vſque ad 54.*

Dico tamen tertio, quod Pius V. tres expreſſit cauſas legitimas dandi licentiā egrediendi à Monaſterio in motu proprio, qui incipit Decori, & honeſtati, Prima eſt magnum incendium, quæ cauſa non erat expreſſa in c. periculoſa, ſecunda eſt infirmitas lepræ tertia eſt infirmitas Epidimiæ, Epidimia autem eſt morbus quicumque contagioſus, qui alios inficere conſueuit, vt eſt Peſtis, morbus gallicus, morbus D. Lazari, ignis S. Antonij, & ſimiles, pro quibus caſibus

Nota, quod incendium, & infirmitates debent eſſe talia, vt nullo modo poſſint vitari pericula, niſi exeundo, nam ſi poteſt in alia parte Monaſterij curari infirmitas contagioſa monialis, itaut periculū non poſſit timeri inficiendi, alias monia les non poteſt licitè dari facultas egrediendi. Ita cōmuniter.

An vero per conſtitutionem præfatam Pij V. ſint reuocati caſus ab Vrbano IV. pro Monialibus S. Claræ appoſiti negat Hier. Rodr. reſol. 26. n. 57. quod verum puto, quādo caſum incurſionis hoſtilis, quia videtur exceptus ſaltem per Epichæiā à Pio V. attamen quoad egreſſum ad fundandum, corrigendum, & alios caſus puto requiri licentiam hodie à Summo Pontifice ex declaratione Sacr. Congregationis quam affert. *Marzilla ſuper Conc. Trid. l. 1. c. 25. Tit. 2. §. ex alio pag. 41.* ſed de hoc fuſius infra v. Monialis.

Certum tamen putāt multi Doctores non requiri nouam licentiam à Papa, vel Nuncio, vt poſſint licentiatæ Moniales pro alio Monaſterio fundando, corrigendo, vel gubernando redire ad proprium quia talis regreſſus conſequens eſt ad primam licentiam. Ita noſt. *Hier. Rodr. loc. cit. miranda de Monial. q. 3. ar. 2. & 3 & Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 15. n. 45. 46. & 47.*

Denique aduerte, quod infirmitas contagioſa, ob quam Monialis iuſtè licentiari poteſt ad egrediendum à Monaſterio debet eſſe contagioſa de perſona ad perſonam non autem de membro ad membrum, quia huic contagio de membro ad membrum poteſt facilius ſuccurri abſque egreſſu, quare Superiores cum iuramento extorqueant à Medicis, quonam contagio Monialis vexatur, antequam licentiam impertiantur egrediendi, faciles .n. ſunt aliqui Medici ad palliandas infirmitates, vt earum occaſione Prælati diſpenſent. Ita noſt. *Rodr. q. 9. reg. T. 3. 4. 6. ar. 3. ad finem, & Sanch. vbi ſupr. n. 34. & 38. vſque ad 43.*

Vtrum vltra præfatos tres caſus Pio V. expreſſos poſſit etiam in aliis caſibus ab Vrbano IV. pro monialibus S. Claræ poſitis, et conſimilibus etiam dari licentia à ſuperiore monialium, vt è proprio Monaſterio egrediantur.

DIFFIC. X.

AFfirmatiuè reſpondendum puto, quia licet Clauſuræ relaxatio videatur odioſa, & per conſequens non extendenda de caſu ad caſum, attamen in caſibus in quibus agitur de communi bono ſpirituali aliorum relaxatio clauſuræ debet permitti, quia commune bonum ſpirituale aliorum præponderat, & Deo magis gratum, quam relaxatio Clauſuræ aliquarum particularium, immò quandocumque relaxatio Clauſuræ fit ſecundum ius naturale, & eo dictante ſemper licita eſt, & poteſt ita dictante iure naturæ ad conſimiles extendi, Epichæia enim videtur omnino etiam in relaxatione Clauſuræ practicanda; Præterquam, quod ex motu Pij V. non ita ſtrictè illi tres caſus ad licitè permittendum

tendum egreſſum monialibus ponuntur, vt alios omnino contra bonum commune,& dictamen excludat, nam licet dictio taxatiua (niſi) in præfata ſua conſtitutione poſita videatur alios caſus excludere, attamen cum aliter ex rationabilis eadem, vel alia vrgentior cauſa conſimilis militat in alio caſu debet præſumi, & colligi voluntas ſuperioris rationabiliter voluiſſe extendere eamdem facultatem ad alium caſum huiuſmodi, vt probat *Euerardus loco à natura dictionum taxatiuarum num.4. & Gomez 1.var.cap.11.num.12. Ita etiam ex parte noſt. Rodr. T.1.q.49. art. 1. Sorbus V. Ingredi Llamas in meth. curat.§.10. Sanch.l.6.cap.15. Suar. T.4.de Relig.l.1.cap.9. Nauar.& Azor. quos citat, & ſequitur Bonac. de leg. diſp.1. queſt.1. p.3. & de clauſ. quæſt.1. part.9.*

Itaque cum caſus poſiti ab Vrbano IV. pro monialibus S. Claræ aliqui ſint iuxta dictamen naturale, & alij ad bonum commune ſpirituale aliorum dirigantur, poſſunt extendi ad omnes alias moniales, quibus licitè poteſt impartiri facultas exeundi in talibus caſibus ab Vrbano IV. poſitis, & etiam in conſimilibus vbi eadem, vel vrgentior cauſa inuenitur, vnde in ſuperiori difficultate etiam dictum eſt non eſſe reuocatos caſus Vrbani IV. per Conſtitut. Pij V.

Ad maiorem autem legentium vtilitatem, & ſuperiorum commoditatem in ſequenti difficultate viſum eſt enumerare ſingulos caſus, qui in praxi à Doctoribus legitimi viſi ſunt, in quibus ſuperiores licitè, & tuta conſcientia poſſunt moniales licentiare ad egrediendum è proprijs monaſterijs. Quare

Quinam ſint caſus, in quibus in praxi poteſt ſuperior tuta conſcientia licentiare ſuas moniales ad egrediendum à proprijs Monaſterijs, & ipſæ licitè egredi valent.

DIFFIC. XI.

MVlti ſunt caſus in quibus in praxi à conſimili, vel eadem, vel vrgentiori ratione præter enumeratos à Pio V. poteſt ſuperior tuta conſcientia licentiam concedere monialibus ſuis exeundi à Monaſterio, & ipſæ licitè egredi valent.

Primus eſt monialium vitæ defenſio, quæ cum ſit de iure naturæ præponderat clauſuræ obſeruantiæ, quare ſi monialis inuaderetur ad necem, nec poſſit alio modo ſuam vitam tueri, quam egrediendo, ex præſumpta rationabili voluntate ſuperioris dandi licentiam in tali caſu iuxta dictamen legis naturæ licitè abſque timore incurſionis cenſurarum egredi poteſt. Ita *Rodr. T.1. q.49. art.5. Sorbus V. ingredi, Lamas in method. curat. §.10. Barboſa de poteſt. & off. Epiſc.3. part. Alleg.u. 102. Suar. T.1. de relig. l.1. cap.9. Sanch. l.6. cap.15. in oper. mor. Nauarr. & Azor. quos citat, & ſequitur Bonac. de leg. diſp. 1. quaſt.1. part.3. & de clauſ. q.1. part.9. & alij*, quicquid in contrarium videantur docere noſter *Miranda de monial. quæſt.3. art.4. Riccius in prax. deciſ.545. Guttier. q. vnic. cap.14 & alij* parum probabiliter contradictamen legis naturæ, quæ eſt ſupra ius poſitiuum.

Multo æquius iuxta præfatum dictamen legis naturæ poſſunt licitè moniales egredi ſi periculum ſit in mora expectandi licentiam à ſuperiore, tēpore incurſionis hoſtilis, vt poſſint ſe in locum tutiorē recipere, maximè quādo incurſus eſt hoſtium infidelium, & hæreticorum, à quibus moniales inhoneſtate, & vita periculum certius paterentur, nam agitur de communi bono monialium ſingularum.

Quod ſi incurſio non ſit imminens, & bellum iam ſit indictum, poteſt ſuperior, ſi timeatur monialibus periculum in monaſterio, in quo ſunt, ab hoſtibus facilius inferendum eas licentiare ad alium locum tutiorem quærendum, quia eadem militat ratio Ita ex noſt. *Rodr. Sanch. Bonac. & Barboſa loc. cit. Nauar. in comment.4. de Regul. n.48. & Azor. p.1. l.13. c.8. q.1. & alij*, quicquid in contrarium reclamet *Zerola in prax. Epiſc. V. Monialem ad 16. quæſitum dub.2.*

Secundus caſus iuxta dictamen iuris naturalis eſt Parentū monialis extrema neceſſitas, cui filia monialis per egreſſum à monaſterio ſubuenire poteſt, licitè enim in hoc caſu puto poſſe dari licentiā egrediendi, etenim ſi Regulari profeſſo ad ſubueniendum extremæ neceſſitati Parentum licet e Religione exire ad ſubueniendum etiam inuito Prælato, vt docēt noſter *Corduba & Valentia*, quos citat, & ſequitur *Sanch. in ſum. l.4. c.20. Sayrius C.R. l.7.c.6. & Bonac. de legib. diſp.6. quæſt. vn. p. 4.* & alij, ergo etiam licebit moniali ita dictante lege naturali exire de monaſterio, vbique enim par ratio, modo vera ſit neceſſitas extrema, & non grauis ſolum, & modo non ſit alia via Parentum extremæ neceſſitati, quam per egreſſum filiæ monialis à monaſterio conſulendi.

Aduertendum tamen, quod propter nepotes etiam carnales quantumcunque extremè indigentes non poteſt monialis exeundi à Monaſterio dari licentia ad eos gubernandos, vel alendos, Ita à Sacr. Congreg. Cardin. fuiſſe decretum refert *Marzilla ſeſſ.25. c.5. Ita etiam Bonac. V. clauſ. q.1. p.9.*

Tertius caſus eſt pro Abbatiſſis, & Prioriſſis, quæ propter feudum, quod monaſterium habet, tenentur præſtare iuramentum fidelitatis alicui Domino ſæculari, ſi per procuratorem illud præſtare non valent, poſſunt licentiari ad egrediendum honeſta ſocietate comitatę quia in hoc caſu agitur de bono communi monialium, ne amittant feudum pro earum alimonia neceſſarium; præterquam quod id expreſsè conceditur Abbatiſſis, & Prioriſſis à *Bonifacio 8. in capit. periculoſo §. Verum de ſtat. Regular. in 6.* neque hęc conceſſio reperitur reuocata alibi.

Adde, quod ſi iniuſtè hæc licentia Abbatiſſæ denegetur à ſuperiore, poterit nihilominus Abbatiſſa egredi ad pręſtandum iuramentum, ceterum ſi Abbatiſſa ſolum dubitet, & certo non ſciat licentiam hanc iniuſtè negari ſibi à ſuperiore, debet acquieſcere ſui ſuperioris iudicio, & non debet exire, nam in facto ſuperioris non præſumitur delictum. Ita ex *Sylu. V. Religio 7. q.16. dict.2. Sanch. & Bonacc. loc. cit.*

Quartus caſus eſt fundatio, & Reformatio, & gubernatio alterius monaſterij, in quo licitè ſuperior poteſt licentiare moniales aptiores ad egrediendum e proprijs Monaſterijs. Ita noſtri *Rodr. Sorbus, Miranda, Sanch. Nauar. & Bonacc. loc. cit.* Tutius tamen in hiſce caſibus, vt dixi ſupra, moneo ad Sacram Congregationem, & ad Sedem Apoſtolicam faciendum recurſum propter declarationem Sacr. Congregationis, cui potius ſtandum, quam Theologorum opinioni licet probabili. Ita etiam Bonac. loc. cit. immo abſolutè, & omnino negat talem licentiam poſſe impartiri in hiſce caſibus fundationis. Reformationis, & gubernationis alterius monaſterij, niſi conſulta ſede Apoſtolica tenet *Zerola V. Moniales p.2. dub.8.*

Quintus caſus eſt cauſa correctionis, quando ſcilicet Monialis ex aliqua cauſa, vt ſupra dictum eſt non poteſt corrigi in vno monaſterio, poteſt eam ſuperior in aliud eiuſdem ordinis inſtituti monaſterium trāsferre omni qua decet ſeruata honeſtatis cautela, ibiq; eam vt decet corrigere & punire, expedit enim communi bono Religionis, & monialium vt iuſtitia ſeruetur, & ad emendationem monialis delinquentis, & ad aliarū terrorem, vt dum Rea non poteſt in proprio monaſterio, in alio corrigatur, & debita mulcta afficiatur ſine ſtrepitu cognatorum, & aliorum fauentium moniali delinquenti. Ita *noſt. Miranda de monial. q.3. ar.2. & 3. Rodr. q.49. art.5. Sorbus Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Sextus caſus eſt tranſitus adſtrictiorem viuendi vitam in aliud eiuſdem, vel alterius inſtituti monaſterium, quia ſi licet monacho adſtrictiorem Religionem tranſire, non debet denegari moniali, vt habeat occaſionem potiorem perfectionē acquirendi, ſecus Sacræ Pontificum conſtitutione viderentur repugnare Spiritui Sancto perfectiorem ſtatum moniali huiuſmodi inſpiranti, & excitanti ad ſecuriorem modum perueniendi ad ſalutem ęternam, nec obſtat c. vnicum §. Confirmatos de Religioſis Domibus in 6., quia ibi non eſt ſermo de tranſitu perſonali ad aliud inſtitutum ad finem ſtrictioris vitæ peragendæ, ſed ſolum de tranſitu, & incorporatione loci vnius in alium, & bonorum applicatione in vnum facienda, quæ abſque Sedis Apoſtolicę authoritate fieri prohibentur. Ita *noſtr. Rodr. T.3. quæſt.52. art.6. Zerola V. moniales ad fin. in prax. Epiſc.1. part. & Bonac. loc. citat. quicquid in contrarium videantur velle Azor. p.1. l.11. quæſt.1. & alij, vide Barboſ. in collect. in Conc. Trid. ſeſſ.25. cap.5. num.32.* vbi hunc tranſitum non prohibuiſſe Concilium Tridentinum, nec conſtitutionem Pij V. docet.

Vtrum monialibus conuerſis licitè detur licentia egredi monaſterio vt eleemoſinas colligant.

DIFFIC. XII.

SVpponi tanquam certum, vtpotè legitima conſuetudine iam in praxi deductum poſſe licitè recipi fœminas inter Monia-

Moniales,quæ conuerſæ dicuntur, quia nec velo nigro vtuntur,nec choro inſeruiunt, ſed ad alia ſeruitia temporalia Monaſterij deputantur, quod rationabile eſt ex eo, quod à ſtatu Religioſo non debent excludi illæ,quę vel ſufficientem dotem non habent, vel omnino ineptæ ſunt ad chori ſeruitium. atque adeo benignæ Summorum Põtificum mẽti conſentaneũ videtur, quod Religioſis viris permittitur, vt pro temporalibus conuentus negotijs laicos, & conuerſos ad profeſſionem valeant admittere,etiam monialibus concedatur.

Nec obſtat conſtitutio Pij, V. Gregorij XIII. in qua conuerſas admitti inter moniales prohibetur, etiam ſi clauſuram profiteri velint, nam in illa, & alijs iuribus eſt ſermo de conuerſis, quæ veræ Religioſæ eſſe volunt,vt videtur innuere *Bonac.de clauſ. queſt.1.punct.9. num.16.* ſed quicquid ſit de hoc, hodie tales conſtitutiones non ſunt in vſu, & ex conſuetudine contraria abrogatæ ſunt, vnde tuta conſcientia recipi poſſunt fæminæ non aptæ ſeruitio chori ad ſtatum conuerſarum recepta minori dote ad hoc, vt temporalibus monaſterij negotijs incumbant. Ita etiam noſter *Rodr, T.1. queſt.44. art.2. Sanch.& Suar. & Bonac. loc. citatis*, quamuis *Nauarr. in comment.4. de regular.* contrarium ſentire videatur,ſed re vera hodie contrarium tute practicatur, quod mihi illud perſuadet,quia in citata conſtitutione Gregorij XIII, in qua prohibet admitti huiuſmodi conuerſas ad petendas eleemoſinas,præcipitur in huiuſmodi prohibitionis ſubſidiũ, vt dimidia pars eleemoſynarum inuentarum ſcilicet,quæ certis pauperibus non aſſignantur, ſi relinquantur diſpenſandæ pauperibus, tribuatur monaſterijs monialium in quacumque mundi parte ſub quacumque legis diſpoſitione, vel obligatione pauperibus incertis legentur, quę tamen Gregoriana conſtitutio in hac parte non ſeruatur pro pauperibus monialibus ergo, nec in hac parte ſeruatur prohibitione admittantur conuerſę quare à ſuppoſito.

Ad principalem difficultatem affirmatiuè reſpondendũ poſſe hodie aliquas conuerſas licentiari,hoc vt eleemoſinas extra monaſterium egreſſæ colligant à deuotis fidelibus, ſed ad hoc vt licite, & ſine ſcrupulo iſtæ moniales ad talem egreſſum dimittantur neceſſariò ſeruandæ ſunt infraſcriptę conditiones,quæ habentur in conſtitutione Pij, V. quæ incipit, circa paſtoralis. & in alia conſtitutione Gregorij XIII. quæ incipit Sacris Virginibus,& in decret. *Sacr.Congregat. edito 1573. vt videre eſt apud Zechium c.4.n.15.Tit. de regul. iur.*

Prima eſt,vt monaſterium ſit ita redditibus neceſſarijs carens, vt ſine eleemoſinarum collectione viuere nequeant moniales; ſecus non poſſent haberi conuerſæ ad colligendas eleemoſinas ſi poſſent viuere de reditibus.

Secunda eſt, vt tales eleemoſinę per alias æquè benè colligi nequeant,niſi per Moniales conuerſas, quod ſi æquè bene per alios poſſent colligi,non poſſunt licitè conuerſæ dimitti, quia in neutro caſu adeſſet neceſſitas diſpenſandi clauſuram.

Tertia,vt conuerſæ,quæ à monaſterijs licentiantur ad colligendas eleemoſinas excedant annum trigeſimum nonum, vt ſic honeſtati prouideatur.

Quarta,vt non amplius, quàm octo licentientur ad petendas eleemoſinas,illę quæ ſolum quæ probatę ſunt vitæ.

Quinta, vt ſemper binæ incedant, & nunquam diſiungantur.

Sexta, vt in locis, vbi habent proprium monaſterium extra ipſum nequeant pernoctare.

Vtrum ſi monialis correctio in nullo monaſterio ſperetur, poſſit licite è monaſterio eijci à ſuperiore.

DIFFIC. XIII.

AFfirmãt *noſter Miranda de ſacr.monial.q.3 ar.2.*& *Sanch. in oper. mor. l.6. cap 9. num 6.* ex eo quod ſicut Religioſi profeſſi facti incorrigibiles in ordine eijci poſſunt licitè ad finem,ne ouis infecta, & morbida iam facta alias inficiat, ita propter eamdem rationem finalem poteſt,& debet eijci monialis,quæ iam facta eſt incorrigibilis,maximè ſi in nullo alio monaſterio corrigenda ſperetur.

Negant tamen alij communius, quia talis eiectio non eſt hucuſque practicata tanquam non neceſſaria, & enim ad incorrigibilitatem monialium tollendam poteſt inſeruire carcer perpetuus intra ſepta monaſterij abſque eo quo detur licentia exeundi, Addunt quod moniales aliæ, ſi aperiretur hęc via, facile ſe incorrigibiles data opera redderent, vt poſſint exire e clauſtro, & ita de proprio delicto reportarent commodum. Ita ſentiunt *Bonac.de clauſ. q.1. p.9. & habetur etiam ita decisum in vna Vlisbonenſ. monaſt. 19. Nou. 1625. coram Illuſtriſſimo Coccino.*

Sanè ratio Mirãdæ,& Sanchez maximam probabilitatem affert ſuæ ſententiæ,& eadem ratio militare videtur,maximè cũ carceratio monialis incorrigibilis maximã perturbationẽ afferre poſſit toti monaſterio,cum vt plurimum quęlibet monialis ſemper habere ſoleat vnam, vel alteram, & plures ſocias,quæ ſe ſe inuicem adiuuant, quam quod poſſit tuta conſcientia verè incorrigibilis facta monialis,& perturbationem afferat monaſterio toti, nec ſperetur corrigenda in alio monaſterio à ſuperiore eijci, & ita deciſum fuiſſe à Sacr. *Congregatione Epiſc.27. Maij 1603.refert Barboſa in collect.in Conc.Trid.ſeſſ.25. de regul.c.5.num.12.*

Vtrum monialis, debita cum licentia in caſibus ſuperius adductis a monaſterio proprio egreſſa teneatur ſtatim ceſſante cauſa egreſſus redire, & an peccet ſi tantiſper moretur, vel diuertat a directo itinere.

DIFFIC. XIV.

DIco primo, quod moniales tenentur ſtatim ac moraliter poſſunt .ſ. quando adſunt omnes & ſingulæ cõmoditates, & occaſiones præſentaneæ regrediendi poſt cauſæ ceſſationem,propter quam egreſſæ ſunt, non autem tenentur ſtatim metaphyſicè,cum ad regreſſum monialium multa poſſint eſſe neceſſaria, quæ ſubito, & ſtatim metaphyſicè haberi nequeunt, quare Doctores præcepta Eccleſiæ moraliter explicanda,non autem metaphyſicè docent,vide Bonacc. de Hor. Can. & Beneficiatio non reſidente.

Dico ſecundo, quod, ſi ſtatim moniales egreſsæ,modo explicato non redeant ceſſante cauſa mortaliter peccant,quod patet ex eo, quod tranſgrediuntur præceptum de redeundo impoſitum in cap. periculoſo §. verum de ſtat. Regul.in 6.& in conſtitut. Pij,V. quæ incipit decori,& honeſtati, adde quod ceſſante diſpoſitionis cauſa, ceſſat legis etiam diſpoſitio.Ita etiam noſter *Rodr.q.49. art.9. T.1. qq. reg. Mirand.de monial. q.1. art.5. Aug. Barboſ.de Off. & poteſt. Epiſc. allegat.102. part.3.& Bonac. de clauſ. q.1. part.9.*

Dico tertio, quod ceſſante cauſa egreſſus puta infirmitate contagioſa iam facta immunis monialis extra monaſterium ſi per vnum, vel alterum diem etiam habita commoditate, & occaſione ſtatim redeundi, commoretur non peccat, quia vnus, vel alter dies includitur ſub ſtatim morali, vt putat, *Sanch.l.6.in oper.mor. cap.15.& Bonac.loc.cit.* quod etiam probabile puto maximè, quia vnus vel alter dies ratione paruitatis materię videtur excuſare monialem huiuſmodi à peccato.

Dico quarto, quod monialis ad ſuum monaſterium regrediens, vel accedens ad aliud fundandum,vel reformandum non peccat,ſi à recto itinere occaſione colendæ alicuius ſacrę imaginis,vel cognatos viſendi,quia hæc diuerſio, & mora non fit in præiudicium clauſuræ,cum ſit rationabili cauſa facta,modo breuitati,& paruitati conſulatur.

Quantum autem ſpatium breue habeatur, vnde ſit licita talis diuerſio à recto itinere,*Sanch.& Bonac.loc.cit.& Gutier.l.1. qq.Canon. cap.14.* ad finem, videntur aſſerere ſpatium viginti milliariorum,& viginti quinque etiam poſſe dici breue, quod etiam puto poſſe ampliari ad tot milliaria, quæ perfici poſſunt equeſter ſpatio vnius diei, quando tamen via eſt ſatis longa, ita vt terminus eius per octo, vel decem dies haberi nequeat.

Quare in hac materia dicendum puto diuerſionem à recto itinere eſſe dicendam breuem, & paruam iuxta proportionem vię neceſſariæ ad terminum ad quem monialis egreſſa debet peruenire, quandoquidem ſi locus, ad quem debet accedere diſtet à ſuo monaſterio per viginti milliaria, ſiue per vnum diem viæ, non eſſet parua diuerſio, ſi per viginti alia milliaria diuerteret à loco, vt imaginem veneretur, vel cognatos viſitet, & conſequenter peccaret.

Vtrum infirmitas non contagioſa, ſed talis vt ea vexata monialis nullo modo poſſit liberari niſi egrediatur, ſecus infallibiliter moritura, ſit cauſa ſufficiens ad concedendum ei egreſſum à monaſterio.

DIFFIC. XV.

AFfirmant *Nauarr. comment. 4. num. 49. & ſeq. de Regular. Graff. p. 1. l. 4. cap. 23. num. 17. Azor. p. 1. l. 13. c. 8. q. 1. & Suar. T. 4. de relig. l. 1. c. 9. n. 9.* ex eo quod leges humanæ non obligant cum periculo vitæ, ergo non tenentur moniales ad clauſuram in caſu, quo vitam poſſunt faciliter acquirere extra clauſtra, quam certo intra ipſam amitterent; vitæ enim ſeruatio eſt de lege naturæ, quare ſupra etiam dictum eſt monialis ad necem ſi innadatur in monaſterio, quam poteſt ſolum euadere per egreſſum à clauſura licitè egreditur, at par vtrobique ratio, hinc Gregorius XIII de facto, vt teſtatur Nauarr. conceſſit licentiam quibuſdam monialibus, quæ iudicio medicorum vitam ſolam potuiſſent reparare per egreſſum à clauſura, aliter certo morituræ, vt extra monaſterium de infirmitate curarentur.

Negant tamen alij, quia talis licentia præiudicat bono communi, & clauſuræ notabile damnum pateretur, moniales enim vt plurimum ardentiores ſunt exeundi, & Medici facillimi ad iudicia mortalia facienda, vnde ſæpè ſæpius ſi hæc via aperiretur, egrederentur moniales à clauſura cum magno detrimento clauſuræ, & deuotionis ipſarum. Addunt, quod aliqui Religioſi, vt Cartuſiani ob bonum commune ſpirituale Religioni etiam cum diſpendio certo vitæ profitentur abſtinentiam à carnibus, etiamſi medici ad vitam ſeruandam, mortemque præſentem vitandam neceſſarium duxerint eſum carnium, ergo etiam præcipi poteſt monialibus inuiolabilis clauſuræ obſeruantia propter bonum commune ſpirituale ſeruandum, etiamſi eius obſeruantia neceſſariò introduceret mortem. Ita communius noſter *Rodriq. T. 1. quaſt. 49. artic. 3. Sorbus V. Clauſura caſ. 5. Miranda de monial. q. 4. cap. 4. Cordub. in Addit. ad comp. ſub finem notab. 1a idem Cenedo collect. 31. ad 6. Decret. art. 2. Gutt. qq. Can. cap. 14. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. 3. p. allegat. 102. num. 20. Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 13. Zerola in prax. Epiſc. p. 2. V. moniales, & alij.*

Vtraque ſanè opinio ſolidis reſpectiuè nititur fundamentis, & prima quidem rationi æquiori iuxta iuris naturalis dictamen, ſecunda vero æquiori iuxta iuris politici Religioſi, itaque abſque ſcrupulo conſcientiæ poſſet ſuperior prima vti attentis circumſtantijs iuxta monialis dignitatem, & vtilitatem vergentem ad bonum publicum monaſterij, etenim poſſet eſſe aliqua monialis, quæ nobilitate pollens multum decorem afferret monaſterio ſi viuat, vel ita neceſſaria pro vtilitate eiuſdem monaſterij, vt notabile damnum eius mors inferret monaſterio, in hiſce ergo caſibus puto ſuperiorem poſſe licentiare monialem huiuſmodi, quia bonum commune monaſterij cum æquitate naturali adducta à prima opinione in tali caſu præponderat ad bonum clauſuræ.

Ceterum paſſim pro qualibet moniali ordinaria ſentirem cum ſecunda opinione probabilius, quod ſi aliquando ſuperior prima vteretur ſententia cum etiam noſter Rodriq. Sanch. & Bonacc. non eſſe puniendum, ſi daret licentiam egrediendi in propoſito caſu, quia non eſt pæna dignus qui probabili vtitur opinione claſſicorum Doctorum authoritate fulcita vt eſt prima ſententia, hodie tamen tutius Sedes Apoſtolica conſulitur in hiſce, & ſimilibus euentibus.

Denique ſi monaſterium foret in loco deſerto, & longinquo, ad quod medici non poſſet ita frequenter accedere ſicut petit qualitas morbi, & ſine acceſſu medicorum ineuitabilis eſſet mors, probabile in monialibus obligatis ſolum ex præcepto, non autem ex voto ad clauſuram putant poſſe ob talem cauſam diſpenſari egreſſum a clauſura *Hyer. Rodr. reſol. 27. num. 51. in fine & citat. Vilal. & Portel. num. 38.* ex eo quod præceptum iuris naturalis præponderat rigori iuris poſitiui. Addo ego, quod ſi hoc probabile eſt ratione iuris naturalis, etiam probabile dicendum in monialibus vouentibus clauſuram, nam ius naturale præponderat etiam ad ius diuinum.

Quibus pœnis ſubiaceant ingredientes monialium monaſteria extra caſum neceſſitatis abſque debita facultate prius à ſuperiore obtenta.

DIFFIC. XVI.

QVia ingredientes extra caſum neceſſitatis abſque licentia monaſteria monialium in triplici differentia conſiderari ſolent in conſtitutionibus Pontificijs, & decretis canonicis, & ingreſſus huiuſmodi pariter non punitur à Summis Pontificibus pro omnibus monaſterijs, ideo per diſtinctas concluſiones præſenti difficultati viſum fuit reſpondere iuxta quod ingredientes alij ſub prætextu licentiarum, alij ad libitum ex ſimplici curioſitate, & alij ad malum finem dicuntur ingredi. Quare

Dico primo, quod ingreſſus abſque neceſſitate, & licentia in monaſteria quarumcumque monialium prohibetur ſingulis cuiuſcumque ætatis, conditionis, & ſexus fuerint non ſolum in cap. periculoſo de ſtat. Regul. in 6. verum etiam in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 5.* ſub hiſce verbis (ingredi intra ſepta monaſterii nemini liceat cuiuſcumque generis, aut conditionis ſexus, vel ætatis fuerit) & excommunicatio profertur ibi à Concilio ipſo facto contra ingredientes abſque iuſta cauſa, & licentia ſuperioris.

Dico ſecundo, quod contra ingredientes monaſteria S. Claræ abſque iuſta cauſa, & licentia incurrunt excommunicationem Papæ reſeruatam latam à Gregorio nono, & ingredientes monaſteria S. Dominici incurrunt reſeruatam Papæ latam a Bonifacio nono, & ingredientes monaſteria Sanctiſſimæ Conceptionis incurrunt reſeruatam Papæ latam à Iulio II. etiamſi ob nullum prauum finem, ſed ſolum cauſa curioſitatis ingrederentur. Ita etiam *Bonac. V. clauſ. 92. p. 5.*

Dico tertiò, quod ingredientes monaſteria monialium quarumcumque ob prauum finem feriuntur excommunicatione Papæ reſeruata, à qua hodie nemo poteſt abſoluere virtute cuiuſcumque Priuilegij, vt patet ex decret. Sacræ Congregationis, de quo ſupra meminimus, quod incipit Sacra Congregatio, & habetur apud Quarãtam V. caſus reſeruatus § I.

Dico quarto, quod ingredientes monaſteria monialium ſub prætextu licentiarum, & facultatum habitarum à Papa legato, & Epiſcopo ante conſtitutionem Gregorii XIII. qui omnes dictas facultates reuocauit, & poſt conſtitutionem Pauli, V. qui etiam omnes huiuſmodi facultates à ſe, vel à prædeceſſoribus, & alijs ſuperioribus habitas reuocauit, in excommunicationem incurrunt Papæ reſeruatam latam ab vtroque Pontifice, etiam ſi ſint Comitiſſæ, Marchioniſſæ, & Duciſſæ.

An vero Paulus V., qui in ſua conſtitutione ſic loquitur, reuocando huiuſmodi facultates (omnes, & ſingulas licentias ingrediendi monaſteria monialium vbique locorum exiſtentium, ac cum monialibus conuerſandi, & refectionem ſumendi corporalem ſæcularibus cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis) reuocauerit licentias illas, quæ copulatiuè erant datæ cum facultate conuerſandi, & refectionem ſumendi cum monialibus, aut diſiunctiuè ſcilicet & licentias ingrediendi ſimpliciter & etiam licentias ingrediendi cum dicta facultate conuerſandi, & refectionem ſumendi, variant Doctores *Cherubinus enim in ſuo Bullario* ſentire videtur, quod omnes licentias ingrediendi ſiuè diſiunctiuè, & ſimpliciter, ſiue copulatiuè cum facultate conuerſandi, *Bonacc. tamen de clauſ. quaeſt. 4. part. 5.* videtur oppoſitum probabiliter docere, quia Papa vtitur particula coniunctiua (ac) non autem diſiunctiua (aut) quare ſolum licentias ingrediendi copulatiuè cum facultate conuerſandi, & refectionem ſumendi putat à Paulo, V. reuocatas & ingredientes ſub prætextu huiuſmodi licentiæ copulatiuè cum facultate conuerſandi &c ſolum excommunicationem reſeruatam Papæ incurrere cenſet.

Vtraque mihi probabilis videtur opinio, ſecunda autem hæc Bonaccinæ magis in iure fundata, prima tamen aliquibus videtur probabilis putantibus Paulum, V. in ſua bulla locutum fuiſſe per particulam (Aut) diſiunctiuam, & non per particulam, ac, copulatiuam, ſed quicquid ſit de hoc, cum originalem Bullam mihi non contigerit videre, probabilis tamen videtur, quia in conſimilibus caſibus, & occurrentijs Pontifices ſoliti ſicut particulis (Et ac, atque) diſiunctiuè vti, vt alibi diximus, & dicemus V. Dictio (itaque probabile eſt omnes, &

ſingulas

ſingulas liceotias ſiuè cum facultate, ſiue ſine facultate conuerſandi) maximè quandò io §. ſubſequenti imponit excommunicationem, ſimpliciter excommunicat omnes ingredientes abſque tali ſpecificatione prętextus licentiarum conuerſandi, & refectionem ſumendi. Verum pro hac materia.

Dico tertio, quod habens facultatem ingrediendi, attamen non ingreditur ſub prætextu facultatis, ſed pro ſuo libito, ac ſi facultatem non haberet, non incurrit excommunicationem prçfatam Greg. & Pauli, quia non ingreditur ſub prætextu. Ita *Nauarr. in comm. 4. notab. 4. de Regul. & Bonacc. loc. citat.* ſimiliter dicendum non incurrere dictam excommunicationem, qui ingreditur prætextu facultatis, quam nouit eſſe nullam, vel ratione ſubreptionis, vel alterius cauſæ, quia præfati Pontifices inueliunt contra ingredientes ſub prætextu licentiarum habitarum ſupponentes eſſe validas, vt patet ex vi vocabuli reuocandi licentias, quę ſi ſiot ioualidę, non reuocantur, ſolum enim validæ reuocantur.

Dico ſeſto, quod ingredieos ſub prætextu dictarum facultatum, putans ſibi licitum ingreſſum cum tali facultate neſciens reuocationem, & inhibitionem dictorum Pontificum non incurrit excommunicationem, quia ignorans noo dicitur prçſumere, at vero in prçfatis conſtitutionibus ponitur excommunicatio contra prçſumentes ingredi ſub prætextu facultatum habitarum.

Denique aduertendum ingredientes ſub prætextu facultatum habitarum poſt dictas vtriuſque Pontificis conſtitutiones non incidere, quia dictę conſtitutiones locuntur de facultatibus habitis, non autem habeodis.

Vtrum habens licentiam in caſibus neceſſarijs intrandi in monaſteria monialium incidat in excommunicationem reſeruatam Papæ, ſi extra caſum neceſſitatis audeat ea ingredi.

DIFFIC. XVII.

NOn ſolum excommunicationem Papæ reſeruatam, ſed etiam pænas alias priuationis beneficiorum, & inhabilitatis ad illa incorrere, qui prætextu licentiæ habitę intrandi caſibus neceſſarijs, intrat pro libito extra dictum caſum in monaſteria monialium habetur clare ex verb s ipſius conſtitutionis Gregorij XIII. quæ incipit. Vbi gratiæ ſub his verbis (*quin etiam ſub ijſdem pænis ipſo facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuſcumque perſonis Ecclefiaſticis, & ſæcularibus ac etiam ordinum quorumcumque etiam mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopo, vel ſuperioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſarijs tantum ex decreto Conc. Trid. facultas tribuitur, monaſteria ipſa monialium pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi, neue moniales ſub ijſdem pænis illos aliter admittere præſumant.*)

Aduertant ergo confeſſarij monialium pręcipuè, quod non ſufficit habere licentiam intrandi, ſed neceſſe eſt, quod quando actu habens licentiam ingreditur, adſit caſus neceſſarius pro quo ſolo poteſt ingredi, & moneant ſuas moniales, ne pro quolibet habentes licentias in caſibus neceſſarijs ingrediendi, rè æquè bene per ſe ipſas facere poſſunt in monaſterijs, quam famulos, medicos, chirurgos. & artifices puta vocent ad ea intranda, nam, & ipſæ admittentes excommunicationem incurrunt, niſi bona fides aliquando eas excuſet.

Vtrum mulieres habentes licentiam ingrediendi monaſteria cum conſenſu expreſſo monialium incidant in excommunicationem intrantes cum conſenſu ſeorſim à ſingulis obtento.

DIFFIC. XVIII.

DIcendum eſt incidere, quia non ingreditur cum licentia debita, nam conſenſus expreſſus monialium debet capitulariter obtineri per ſuffragia ſecreta, aliter conſenſus nullus, ſi à ſingulis ſeorſim accipiatur, ita expreſsè decernitur ab Vrbano VIII. in conſtitut. quę incipit Sacroſanctum Apoſtolatus miniſterium editum 27. Octobris 1624. ſub his verbis (*motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia harum ſerie decernimus, atque declaramus conſenſum dictarum monialium de cetero per eaſdem moniales capitulariter, & per ſecreta ſuffragia præſtandum eſſe, & præſtari debere, alias licentiæ huiuſmodi mulieribus, quibus conceſſa fuerint, nullatenus ſuffragentur, & quæ ſanctimonialium monaſteria vigore licentiarum prædictarum abſque conſenſu capitulariter, vt præfertur. præſtito ingredi præſumpſerint, ſententias, cenſuras, & pænas contra clauſuras monaſteriorum monialium violantes inflictas ſe nouerint incurſuras*) hæc Vrbanus VIII.

An vero de facto incurrantur cum vtatur Pontifex verbo futuro incurſuras ſe monerint, vide quæ dicta ſunt V. cenſura Diffic.

Vtrum Epiſcopi, & alij ſuperiores tam Regulares, quam non Regulares intrantes ſua monaſteria extra caſum neceſſitatis excommunicationem, & alias pænas incurrant.

DIFFIC. XIX.

EXtat contra Epiſcopos, & alios Prælatos tam regulares, quam ſæculares extra caſum neceſſitatis decretum Gregorij XIII. editum anno Domini 1581. 23. Decembris ſub hiſce verbis. (*Harum ſerie authoritate Apoſtolica declaramus Prælatos omnes tam ſæculares, quam Regulares, quibus cura, & Regimen monaſteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi monaſteria prædicta, ita demum vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſarijs, & à paucis, iiſque ſenioribus Religioſis perſonis comitati quoniam vniuerſos, & ſingulos Epiſcopos ſeu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, ac quorumuis ordinum Abbates, Priores, miniſtros, & alios quoſcumque ſuperiores Regulares ſerio monemus, vt facultate huiuſmodi, qui eam habent, præterquam in caſibus vt præfertur neceſſarij neutiquam vtantur, quod ſi contra fecerint eadem authoritate Apoſtolica ſtatuimus, atque decernimus, qui pontificalis dignitatis fuerint eos pro prima vice, qua contrafecerint Eccleſiæ ingreſſu interdictos, pro ſecunda, vice a munere pontificali, & a diuinis ſuſpenſos, & deinceps ipſo facto abſque alia declaratione excommunicatos exiſtere, Regulares vero omni Officio, & miniſterio priuatos excommunicationi ſimiliter ſubiacere, non obſtantibus &c.*)

Ex quo decreto clarè habetur, quod Epiſcopi etiam Cardinales pro prima, vicè iotrantes monaſterium monialium ſibi ſubiectarum extra caſum oeceſſitatis incurrere ioterdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, pro ſecunda vice ſuſpenſionem à diuinis, & ab vſu Pontificalium, & deinceps excommunicationem, Regulares vero Prælatos excommunicationem, & priuationem.

An vero pro prima vice haſce pęnas incurrant Pręlati Regulares, an vero pro tertia ſolum, & pro prima, & ſecuoda, vice ſolum ſicut incurrunt Epiſcopi, licet Llamas in meth. curat. in Append. §. 7. affirmet quia in pænis mitior pars accipienda eſt, & hoc probabile etiam putet Bonacc. attamen pro prima vice immediatè excommunicationem, & priuationem officiorum incurrere Prælatos Regulares videtur probabilius elici ex verbis præfatæ conſtitutionis, quæ non nominat in prima, nec in ſecunda vice Regulares, ſed ſolum reſpectu digoitatis Pontificalis pænas gradatim maiores in ſecunda, & tertia, vice aggrauat contra tranſgreſſores Epiſcopos, quo reſpectu non vtitur, ſed abſolutè pro quacumque vice fulminat pænas contra tranſgreſſores Regulares.

Dico demum præcipuè in hac difficultate aduertenda. Primum eſt, quod Prælati tam ſæculares quam Regulares ſi ſoli, ſi ſine perſonis Religioſis, & nō ſenioribus, ſed cum iuuenibus non religioſis, non incidunt in prçfatas pęnas, modo intrent io caſu neceſſitatis, quia excommunicatio fertur contra ingredientes extra caſum neceſſitatis, nulla facta mentione de modo in pænis, vt patet ex verbis cooſtitutionis præfatæ; ſecundum eſt, quod hæc excommunicatio tam contra Epiſcopos, quam contra Regulares nulli in dicta conſtitutione reſeruatur.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum Imperatores, Reges, vxores, & filij eorum, & filiæ per præfatas Pontificias conſtitutiones, & Concilij decreta prohibeantur ingredi monaſteria monialium cuiuſcumque ordinis.

DIFFIC. XX.

NEgant in generali prohibitione ingreſſus monaſteria monialium, Pontifices, & Concilium habuiſſe animum includendi Imperatores. Reges, Imperatrices, Reginas, ipſorumque filios, & filias noſter *Rodriq. T. 1. quæſt. 48. art. 1. Sanch. in oper. mor. l. 6. cap. 16.* quod probant ex eo, quod Gregor. XIII. prohibens ingreſſum ſub prætextu licenciarum, quæ datæ fuerant à ſe, vel prædeceſſoribus vel ab Epiſcopis, & alijs ſuperioribus ſpecificat etiam ſe velle comprehẽdere Comitiſſas, Duciſſas, & ſimiles, nulla facta mentione de Reginis, ergo Reginæ vtpotè altioris ordinis non prohibentur iuxta Gregorij XIII. mentem intrare monaſteria; quia ipſarum non meminit in prohibitione, prætérquam quod ſub generali diſpoſitione pænali non veniunt perſonæ altioris ordinis, vt ſunt Cardinales Reges, & Imperatores, vxores, & filii, & hęc ratio potius mihi hanc ſuadet probabilem opinionem, quia re vera in multis diſpoſitionibus pęnalibus ſpecificare ſolent Pontifices Imperatores, Reges, & filios, & vxores, ac etiam Cardinales, quando eos intendit comprehendere in ipſis, & pænis latis ſubiicere.

Attamen non improbabiliter alii putant prohiberi etiam prefatas perſonas quia in cap. periculoſo de ſtatut. Reg in 6. & Tridentinum ſeſſ. 35. cap. 5. prohibentur intrare monaſteria monialium cuiuſcumque generis, aut conditionis, in qua generalitate videntur omnes etiam pro eorum conditione exprimi digni prohiberi ingredi monaſteria monialium, & forte probabilius, & in praxi conſulendum tanquam tutius.

Vtrum ingredientes monaſteria monialium præciſo omni pretextu facultatum, ſed ſolum pro ſuo libito incurrant excommunicationem Papæ reſeruatam.

DIFFIC. XXI.

AFfirmãt *noſter Coriolan. de caſ. reſeru. 2. part. caſ. 3. Nauar. cap. 27. num. 105. Beia p. 1. caſ. 3. Quaranta V. monial. monaſt. Azor. 1. p. l. 13. cap. 8. quæſt. vltim. Filiuc. tract. 29. cap. 8. n. 170.* ex eo, quod, vt Nauarrus refert Gregorius XIII. & Pius V. viuæ vocis oraculo declarauerint ſuam intentionem fuiſſe prohibendi quocunque modo ingredientes in monaſteria monialium etiam ſine pretextu licentiarum ſub excommunicatione Sedi Apoſtolicę reſeruata, & ita ſeruari in ſacra Pænitentiaria, vt ab ipſa abſoluantur ingredientes huiuſmodi, vt teſtatur nouiſſimè etiam Filiuc. ſtylum autem Pęnitentiarię Romanæ facere ius habetur in cap. ex litteris de conſtitut. & in cap. quam graui de crimine falſi habetur: ſtylum curię facere ius, ergo dum Pęnitentiaria, & curia Romana abſoluit à tali excommunicatione dicendum eſt tranſiiſſe in ius talem excommunicationem eſſe reſeruatam ſedi Apoſtolicæ.

Alii tamen Doctores etiam grauiſſimi negant hanc excommunicationem contractam ab ingredientibus in monaſteria monialium abſque pretextu licentiarum, & abſque malo fine eſſe Papę reſeruatam (excipe tamen monaſteria Sanctę Clarę, Sancti Dominici, & Immaculatę Conceptionis, quorum ingreſsus vt dictum eſt ſpecialibus conſtitutionibus ſub excommunicatione reſeruata prohibetur) ſed ſolum putant contrahere excommunicationem latam à Concil. Trid. quæ nulli eſt reſeruata, & nullibi reperitur authenticè excommunicari huiuſmodi ingredientes abſque pretextu, & malo fine excommunicatione Papæ reſeruata, pęnę autem non ſunt extendendę vltra caſus poſitos in decretis Pontificiis, quod autem ſit declaratam à Gregorio XIII. & Pio, V. huiuſmodi excommunicationem eſſe reſeruatam non conſtat authenticè; nec obſtare aiunt ſtylum Pęnitentiariæ, quia Pęnitentiaria abſoluit recurrentes putans velle vti opinione probabili contraria, & etiam ad tollendos ſcrupulos pro maiori cautela, Ita ſenſerunt noſtri *Rodriq. T. 1. q. 47. art. 1. & q. 48. a. 2. Miranda man. Prælat. de monial. q. 2. art. 10. & Zerola in prax. Epiſc. 1. p. V. moniales q. 8. Sanch. in oper. mor. T. 1. l. 6. c. 6. Barb. 3. p. allegat 102. n. 27. & Diana p. 2. tract. 16. reſol. 32. & alii.*

Sanè prima opinio tutior eſt, vt etiam teſtatur *Romeo. de clauſ. q. 4. p. 5.* attamen ſecunda, & ratione, & tot Doctorum authoritate fulta probabilis eſt, & tuta conſcientia ſequenda, donec à ſede Apoſtolica aliud ſpecialius declaretur, quod alii perſuadent etiam, quod ingreſſus monaſteria monialium ad malum finem ſpecialiter prohibetur in decreto Clem. 8. cum excommunicatione reſeruata, ſi ergo eſset prohibitus ſub excommunicatione reſeruata quilibet ingreſsus etiam abſque malo fine, fruſtra reſeruatus fuiſset ingreſsus ob malum finem.

Verum hęc ratio non videtur omnino conuincens, quia poſset dici, quod in decreto Clem 8. reſeruatur hęc excommunicatio contra habentes priuilegium abſoluendi à caſibus ſedi Apoſtolicę reſeruatis, vt ſcilicet à ceteris reſeruatis valeant abſoluere priuilegiati, non autem ab aliquibus, inter quæ ponit ingreſſum in monaſteria monialium ob malum finem, itaque poſset ſupponi ingreſsum ob malum finem ſpecialius non autem quomodocunque reſeruari tanquam peccatum grauius, à quo ſolus Papa, non autem ab ipſo priuilegiati circa abſolutionem reſeruatorum abſoluat, ab excommunicatione vero non ob malum finem reſeruata quidem priuilegiati valeant abſoluere, relinquendo illam in ſuo ſtatu.

Ceterum rationes allatæ pro ſecunda opinione probabiles videntur mihi, quia verè authenticè non apparet vbi fuerit, vel ſit reſeruata talis excommunicatio, & cum ſimus in pænalibus odia ſunt reſtringenda, fauores ampliandi.

Confirmari tamen poſset hæc ſecunda opinio ex eo, quod Pius, V. motu proprio declarauit ingredientes fæminas in monaſteria virorum excommunicationem reſeruatam incurrere etiam ſine prætextu licentiarum, quia nullibi erant excommunicatæ propter talem ingreſsum fæminæ, at vero non declarauit per motum proprium ingredientes ſine prætextu facultatum monaſteria monialium incurrere excommunicationem reſeruatam: forte, quia ſciebat hunc ingreſſum excommunicatione prohibitum à Concil. Trid. & hanc ſufficere præſtaſse Pontificem iure præſumi poteſt, dum aliũ motum proprium ſuper hoc non edidit, ſicut edidit contra ingredientes fæminas in monaſteria virorum.

Ad quos ſpectat licentiam dare ingrediendi monaſteria monialium in caſibus neceſſarijs, & pro ſubiectis regularibus an ad Epiſcopos, vel prouinciales proprios, & an ad Prælatos locales.

DIFFIC. XXII.

CErtum eſt licentiam talem dandi munus ſpectare ad Epiſcopum quoad monaſteria ſibi ſubiecta, & tanquam delegatum quoad monaſteria immediatè ſubiecta ſedi Apoſtolicæ, quoad vero reliqua ad ſuos proprios ordinarios ſiue Regulares, ſiue ſæculares nam ita in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 5.* habetur, niſi aliter à Summo Pontifice decernatur; ſicut ſolet eſſe in alma Vrbe, in qua Papa conſtituit particularem Prælatum, qui curam habeat dando tales licentias, vnde Prælati Regulares ibi abſtinent à tali munere.

Ceterum an cumulatiuè quoad Epiſcopos debeant Prælati regulares dare licentiam ingrediendi monaſteria monialium ſibi ſubiectarum, an vero eorum ſufficiat ſola licentia variant Doctores.

Poſſe Epiſcopum dare licentiam in caſibus neceſſarijs ingrediendi monaſteria monialium Regularibus ſubiectarum probant *Zerola p. 1. moniales ad 8. quæſitum, & Zecchus tit. de Regul. cap. 3. num. 15.* quia Concilium loc. cit. volunt diſiunctiuè loqui dum ait ſufficere Epiſcopi, vel ſuperioris licẽtiam, ergo vterque poteſt æquè dare licentiam ingrediendi in caſibus neceſſarijs.

Attamen communius, & probabilius volunt ad ſolos Prælatos Regulares puta Generales, & Prouinciales, & alios ordinarios, ſæculares ſpectare munus dandi licentiam ingrediendi in caſibus neceſſarijs monaſteria monialium ſibi reſpectiuè ſubiecta, quia ad illos pertinet dare hanc licentiam clauſuram intrandi, ad quos ſpectat indicere clauſuram ipſam, per eas enim cauſas res diſſoluitur, per quas efficitur, ſed ad Prælatos Regulares præfatos, & alios Prælatos ordinarios ſæculares, & non ad Epiſcopum pertinet indicere clauſuram in monaſterijs ſibi ſubiectis, ergo ad ſolos ipſos, & non ad Epiſcopum pertinet licentiam dare ingrediendi monaſteria

ſibi

ſibi ſubiecta. Ita noſter *Rodr. T. 1. q. 46. ar. 1. Miranda in tract. de mon. q. 2. art. 2. Nauarr. in comm. 4. de Regul. Sanch. l. 6. c. 16. Graff. p. 1. l. 4. c. 23. Barboſa 3. p. alleg. 102. & alij communius.*

Nec obſtare volunt Tridentinum, vt putant aduerſarij, nam clare patet Tridentinum ibi loqui reſpectiuè ad ſibi monaſteria ſubiecta, ita vt ſufficere velit pro ſibi ſubiectis Epiſcopi licentia, vel pro ſibi ſubiectis aliorum licentia prælatorum, vt optimè notant noſt. *Rodr. Sanch. loc. cit. & Nauarr. in cap. ſtatutum diſt. 19. q. 3. & Bonac. de clauſ. q. 2. p. 2.*

Porrò ingrediendi licentiam in monaſteria Sanctæ Claræ, & immaculatæ Conceptionis non poſſunt indifferenter concedere ſuperiores propter ſtrictiorem clauſuræ obligationem, quam profitentur moniales earum, quare ſolum in caſibus in earum Regula contentis, vel ſpecialiter à ſede Apoſtolica conceſſis poſſunt ſuperiores dare licentiam intrandi in dicta monaſteria. Ita communiter *Rodriq. Portel. & Bonacc. loc. cit. vide Hyer. Rodr. reſol. 26. n. 9.* quod tamen limitat Bonacc. modo non adſint recentiora priuilegia, vel legitima conſuetudo in contrarium, quæ pro lege ſeruari ſolet.

Quod autem aſſerunt aliqui Prælatum localem conuentus poſſe dare hanc licentiam ingrediendi monaſteria monialium in caſibus neceſſarijs, vt videtur innuere *Bonac. loc. cit.* non videtur probabile, vt optimè notat *Suar. T. 4. de relig. l. 1. c. 10.* cum ad ipſum non pertineat indicere clauſuram, ergo nec licentiam dare.

Poterunt tamen ex conceſſione, & delegatione ſuperioris Prouincialis ſaltem tacita in aliquo caſu vrgente potius per modum prouiſionis ex interpretata mente ſuperioris, quam ex ordinaria iuriſdictione, ſicut etiam dicendum eſt, quod.

Abbatiſſæ carent hac facultate ordinaria dandi licentiam ingrediendi in caſibus neceſſarijs, quia ipſæ non ſunt ſuperiores, de quibus loquitur Concilium, poterint tamen ex delegatione Epiſcopi, vel proprij ſuperioris, cū enim moniales poſſint faciliter indigere aliquo miniſterio, & aliquando nō poſſit eſſe facilis, & breuis aditus ad Epiſcopum, vel ſuperiorem, poterunt Epiſcopi, & ſuperiores ipſis, vel earum confeſſarijs delegare hanc authoritatem dandi licentiam ingrediendi in caſibus neceſſarijs, ſi ita in Domino expedire iudicauerint. Ita noſter *Rodriq. q. 46. art. 2. Nauarr. comment. 4. n. 60. Sanch. in oper. mor. l. 6. cap. 16. Graff. Suar. & Bonac. loc. cit.*

Denique cum Fratribus Minoribus interdicatur ex regula ingreſſus in monaſteria, non poterunt ſuperiores dare licentiam ipſis intrandi in caſibus neceſſarijs, ſed à Sede Apoſtolica neceſſariò impetranda, vt patet ex declarationibus Gregorij noni, & Nicolai 4.

Vnde habentes Prælati etiam Cardinales licentiā intrandi monaſteria monialium, non poſſunt ducere ſecum in ſuos ſocios fratres Minores, niſi ſpecificè eis concedatur in priuilegio poſſe fratres etiam Minores ſecum ducere. Ita *Rodr. Miranda, & Bonacc. loc. cit.*

Vnum eſt tamen, quod Epiſcopi viſitantes clauſuram ſuarum monialium, vel quoquo modo ſua monaſteria intra, vel extra clauſuram viſitantes poſſunt ex ſpeciali priuilegio Leonis X. ſecum ferre fratres Minores non obſtante Regulæ præcepto, & alijs declarationibus Summorum Pontificum, vide *Rodriq. 2. T. q. 47. ar. 8.* & à compendi at V. Ingredi affertur ad litteram, ſed aduertet, quod ſi ſunt ſubditi fratres requiſiti ad intrandum debent iuxta mentem Leonis X. in dict. priuilegio licentiam obtinere à ſuis ſuperioribus, vnde infert *Rodriq.* quod Guardiani cum nō ſint ſubditi, poſſunt ſine alia licentia rogati intrare. Ita etiam *Sanch. & Bonacc. loc. cit.*

Vtrum licentia ingrediendi monaſteria monialium ſit neceſſariò danda in ſcriptis, itaut oretenus obtenta non excuſet ab excommunicatione contra ingredientes indebite.

DIFFIC. XXIII.

CErtum eſt ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 2.* requiri in ſcriptis licentiam pro ingrediendo monaſteria monialium ſub his verbis (*nemini autem liceat ingredi ſepta monaſterij ſine Epiſcopi, vel ſuperioris licentia in ſcriptis obtenta ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda*) quæritur ergo an ſufficiat oretenus obtenta ad euadendam excommunicationem.

Duriuſcule præter ſolitum *Bonacina de clauſ. p. 4. q. 2.* abſolutè arbitratur eſſe neceſſariam licentiam, in ſcriptis, quando aliud neceſſitas imminens non ſuadet, itaut quando poteſt haberi ſcripta licentia, & ſolum licentia oretenus quis vtitur, peccet mortaliter, & in excommunicationem incidat, ſi cum tali ſola licentia oretenus, & non ſcripta ingreditur in Monaſteria Monialium, & probat, quia quando ſuperior preſcribit ſcripturam tanquam de ſubſtantia priuilegij, vel contractus, nullum eſt priuilegium, inualidus contractus ſine ſcriptura, at vero Concilium concedit cum hac ſolemnitate priuilegium ſuperioribus dandi talem licentiam in ſcriptis, ergo eſt de ſubſtantia licentiæ, nulla eſt ergo licentia oretenus ſolum habita, quare incidit in excommunicationem, qui cum ſola oretenus obtenta, quia cum ſit nulla, & inualida perinde eſt, ac ſi ingrederetur ſine licentia, huic ſententiæ ſaltem in parte videntur adſtipulari. *Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 16. & Llamas in method. curat. in append. in fin. §. 6.*

Noſtri tamen *Miranda de monial. q. 2. ar. 2. Portel. v. clauſura ar. 3. & Nauar. in cap. ſtatuimus* benignius volunt in caſibus extraordinarijs ſolum eſſe neceſſariam licentiam in ſcriptis, non autem in caſibus ordinarijs, in quibus clara eſt neceſſitas, & cauſa, & ſatis quidem probabiliter, quia licentia requiritur in ſcriptis à Concilio ad vitandas cauſas palliatas pro ingrediendo, quæ ſolum poſſunt oriri in caſibus extraordinarijs, & non in caſibus ordinariæ, & claræ neceſſitatis, etenim intolerabile eſſet onus pro quolibet ſeruitio nūc Chyrurgorum, nunc medicorum, mox cæmentariorum, cæterorumque Artificum, quorum cauſa ingrediendi ordinaria eſt, & clara, ſingulis exhibere licentiam ſcriptam, quia vero in caſibus extraordinarijs poteſt ſuboriri aliqua ſuſpicio circa neceſſitatem, debet examinari à Prælato, an ſit vera, an ficta neceſſitas, atque adeo in ſcriptis licentiam debet dare cum examinata, & inuenta iuſta cauſa ingrediendi, & ita practicari hodie cernitur, quare in caſibus extraordinarijs ſi quis ſola licentia oretenus obtenta ingrederetur faceret contra mētem Concilij, non autem qui ingrediuntur in caſibus Ordinarijs claris.

Verum eſt tamen, quod Superiores non tenentur in ſcriptis delegare facultatem dandi licentias ad ingrediendū præfata Monaſteria, quia Concilium requirit ſcripturam pro ingrediendi licentia, non autem pro deleganda facultate alteri, vt poſſit licentiare ad ingrediendum in caſibus neceſſarijs.

Porrò in caſibus repentinis quando etiam in extraordinarijs requireretur in ſcriptis licentia, in quibus periculum eſt in mora, vel obtinendi licentias oretenus, vel in ſcriptis à Superiore, putant aliqui probabiliter ſufficere licentiam Abbatiſſæ ex interpretata benigne mente Superioris. Ita Rodriq. *infra citandus, & Barboſa alleg. 102. p. 3. de off. & poteſt. epiſcop.* Immò ſi ita ſit præſentanea neceſſitas, vt nec Abbatiſſæ licentiam habere adſit tempus abſque timore excommunicationis quis poteſt ingredi, intelligitur enim per Epichæiam exceptus caſus repentinus neceſſarius. Ita *Rodriq. T. 1. q. 46. ar. 2. Sanch. loc. cit. & Nauar. in comment. 4. de ſtat. regul.*

Qualis eſſe debet cauſa ſufficientis neceſſitatis ad dandam licentiam ingrediendi Monaſteria monialium.

DIFFIC. XXIV.

OMnes conclamant vnanimiter Doctores cauſam neceſſariam requiſitam ad dandā licentiam ingrediendi Monaſteria monialium non debere eſſe neceſſariam logicè, vel metaphyſicè, ſed neceſſariam moraliter. Ita *Hier. Rodr. reſol. 26. n. 8. Portel. v. clauſura, Miranda de monial. q. 2. ar. 4. Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 16. Llamas in met. curat. in app. §. 6. Barb. de off. & poteſt. Epiſc. 3. p. alleg. 102. & Bonac. de clauſ. q. 4. part. 4.* ſicut etiam omnes conclamant ex c. periculoſo debere eſſe manifeſtam, ſed non neceſſario publicam, ſufficere .n. volunt, quod ſit manifeſta Prelato, quomodo autē debet eſſe moraliter neceſſaria, vel manifeſta accipe ex ſequentibus dictis. Quare

Dico primo quod neceſſitas acquiſita ad cauſam dandæ licentiæ pro ingreſſum in Monaſteria monialium ideo non debet eſſe ſtrictiſſima more phyſico, vel metaphyſico, quia præcepta Eccleſiæ benignè interpretanda ſunt, quando præcipuè ex modo præcipiendi potius neceſſitas moralis largè ſumpta, quam neceſſitas phyſica, ſeu metaphyſica colligi poteſt, vt eſt in præſenti difficultate, etenim *in c. periculoſo de ſtat. regul. in 6.* ponitur, quod in danda licentia pro ingreſſu, neceſſitas debet eſſe rationabilis, ergo de neceſſitate morali, nō autē phyſica, & meta-

Digitized by Google

& metaphyſica, eſt ſermo quando in pontificijs cōſtitutionibus ſiue Concilij decretis imponitur danda licentia in caſu neceſſario.

Neceſſitas ergo rationabilis prudentis Prælati iudicio examinanda præponitur, qui moraliter diſcuſſis circūſtantijs indigentiæ Monialium, omne illud poteſt iudicare rationabiliter neceſſarium, quod cōmode à Monialibus per ſe ipſas fieri nequit abſq; auxilio extranei à Monaſterio, quod n. æquè benè, & cum Monialiū commoditate fieri nequit ab exiſtentib. intra Clauſuram, dicitur moraliter neceſſariū, vt ab alio extra ſepta Monaſterij exiſtēte fiat, vnde licentia licitè ei in tali caſu a ſuperiore datur, vt infra practicè patebit. Quare ſi difficulter, & incōmodè a Monialibus aliquid fieri poſſet phyſicè, dicitur tamen in tali caſu moraliter non poſſe fieri à Monialibus, quia ægrè cū difficultate, & incōmodè facere aliquid non tenetur quis moraliter, & præceptū poſitiuum non obligat cum tanto incommodo, itaque in tali caſu adeſt cauſa rationabilis, & neceſſitas moralis. Ita communiter DD. citati, & licet *Miranda, Rodr. & Sanc.* velint maiorem cauſam requiri pro viris licētiandis, quā fœminis maiorem pro loco magis intrinseco, & minorem pro minus intrinseco, maiorē pro extraneis, quam pro propinquis, hoc puto ſolum de congruo faciēdum, non autē abſolutè, & neceſſario, nā data cauſa rationabili intra limites neceſſitatis moralis, tuta conſcientia poteſt dari licentia pro ingreſſu, magis .n. & minus non variant in ſubſtantia neceſſariam cauſam dandæ licentiæ. Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Dico 2. quod in c. periculoſo prefato cum ponatur requiri rationabilis, & manifeſta cauſa, aduertendū eſt ſufficere, quod cauſa ſit manifeſta Prelato, non autem populo, non .n. dicit, quod cauſa debeat eſſe publica, vel notoria, quia tunc à pleraq; parte deberet cognoſci talis cauſa neceſſaria, ſed dicitur, quod ſit manifeſta .i. illi ad quem ſpectat dare licentiam, ita cōmuniter vide *Bonac. loc. cit.*

Nec tamē putes cauſam ita debere eſſe manifeſtam, vt euidenter Prælato appareat cauſa moraliter neceſſaria, ſed ſufficit, vt illi ſit manifeſta probabiliter opinando cauſam eſſe neceſſariam moraliter ad dandam licentiam, qui .n. cum opinione probabili operatur rationabiliter, & prudēter, & iuſtè operatur, quod certum puto ex benigna mente Pontificū, ne ſuperiores infinitis in hac materia ſcrupulis agerentur, ſi foret neceſſaria euidens cauſa, & grauarentur conſtituere proceſſum pro indaganda euidenti cauſa neceſſitatis ad dandam licentiā pro ingreſſu: ſufficit ergo, quod probabiliter opinetur adeſſe iuſtam, & neceſſariam cauſam moraliter ad dandam licentiam pro ingreſſu.

Quod ſi cauſa ſit ſibi dubia; vtrum .ſ. adſit neceſſitas ſufficiens, nec ne non debeat dare licētiam, donec deponat dubiū, peccat .n. & irrationabiliter operatur, qui cum conſcientia dubia operatur, vt fuſius explicabitur v. Dubium, & fortè V. Conſcientia. Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

An, quomodo, & quando liceat confeſſarijs Monialium, medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, Artificibus, & Baiulis Hortulanis, & an cognatis ad viſitandam monialem infirmam, vel eius morti aſſiſtendum monaſteria monialium intrare.

DIFFIC. XXV.

Dico 1. quod Confeſſarij dicuntur habere iuſtam, & rationabilem cauſam ingrediendi, quandocunq; monialis cōmodè non poteſt accedere ad feneſtellam, vt confiteatur, vel Euchariſtię Sacramentum excipiat, puta ſi infirma ſit, vel ſurda, itaut non poſſit audiri à feneſtella.

Nota, quod non ſolum pro confeſſione, & Euchariſtia dāda in articulo mortis poteſt ingredi ad confitendū impotentes moniales aduenienđum ad feneſtellam, verum etiam quādocunque confeſſionem eſt factura Monialis ſiuè de præcepto, ſiuè etiam ex deuotione, quia frequentatio Sacramentorū Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ magnum iuuamen confert ſuſcipientibus, quo auxilio non debent moniales impotentes priuari, adeſt ergo in hoc c. neceſſitas moralis ingrediendi, & licitè Confeſſarius poteſt intrare quandocunque ab impotenti moniali requiritur, vt ingrediatur ad miniſtranda Sacramenta Euchariſtiæ & pœnitentiæ.

Item poteſt Confeſſarius ingredi quandocumque adminiſtrandū eſt, Sacramentū extremę vnctionis. & anima cōmendanda eſt in articulo mortis exiſtenti, vel etiam hortationis faciendæ moniali iam morti proximæ, imò ad faciendum ſepulturæ officium, & ad aperiendam ſepulturam, vel ſepeliendam mortuum etiam cum Socio, ſi indigeat ad ſepelliendum, quia omnia iſta redolent neceſſitatem moralem, & rationalē cauſam. Ita *Rodr. et Miranda loc. cit. ex parte ſaltem*, *vide Bonac. de clauſ. q. 4. p. 4. et Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 16.* qui tamen DD. non concedunt poſſe Confeſſarium, vel Capellanum ingredi pro renouando ſantiſſ. Euchar. Sacramento exiſtente in Choro monialium interiori, quia adeſt facilis via quam per ingreſſum illud renouandi .ſ. per feneſtellam exteriorem, vt notant noſter *Miranda, et Bonac. loc. cit.*

Aduertant tamen Confeſſarij monialium etiam Regulariū quod in eadem infirmitate, ſeu in eadem angonia mortis, non poſſunt pluties ingredi pro animæ commendatione, ſed ſolū vna vice, quia ad moniales poſtea pertinet eas ad bene moriēdum hortari moribundam, quare ſtatim atque extremam vnctionem & animam de more ritualis Romani commēdauerint, debēt ſtatim exire, ex monaſterio: ita declarauit *Sac. Congreg. die 13. Decemb. 1583. vide Barboſ. in collect. Doct. in Conc. Trid. ſeſſ. 25 de regul. c. 10. n. 23.*

An vero capellanus vocatus ad faciendum ſacrū in aliquo die feſto in Capella infirmariæ monialium pro infirmis, quæ non valent deſcendere, intelligatur etiam dari ſibi licentia pro ſocio, ſi non exprimatur in ipſa; affirmant communiter *Miranda, Barboſa, et Bonac. lo. cit.* quia non decet fœminam aſſiſtere ſeruitio miſſę, & ſacrificium ſine ſocio celebrari nequit, abſque alia ergo licentia ſocium ducere poteſt.

Confeſſarius autem monialium ſæcularis an poſſit portare ſocium ingrediens ad Monialem infirmam Confitendam intra Monaſterium, negat *Bonacina* etiam de Confeſſario Religioſo ſolito ſemper incedere cum ſocio, quia ait poſſe expectare Confeſſarium ad Ianuam Monaſterij, ſicut ſolent tales ſocij expectare ad portam cubiculi, quando ſæculares cōfitentur, cum nulla ſit neceſſitas portandi ſocium intra Clauſuram, addit tamen, quod ſi Confeſſarius indiget ſocio pro aliquo faciendo intra, quod ex ſe ſolo non poſſet, licitum ſit ei ducere. Verum cuicumque Regularis ſolito incedere cum ſocio indulgetur etiam vt Socium ſecum ducat intra clauſtra ibi excepturas Confeſſiones Monialium ſic decentia, & conſuetudine poſtulante. Ita *Miranda, et Sanch. loc. cit.* Pro alijs autem non ſolitis procedere cum Socio, poteſt habere locum opinio *Bonacinæ*, conſuetudo tamen ſequenda, quæ eſt optima legum interpres.

Dico 2. quod, ex cauſa rationabili datur licentia Medicis, Chirurgis, Barbitonſoribus, alijſque ad medendum neceſſarijs pro quibus vocandis nota, quod licet monialis poſſet venire ad Ianuam, vt Medicus pulſum eius obſeruet, tamen ſi ob erubeſcentiam, vel ne incommodum licet leue patiatur ad lectum medium vocat, non ideo violatur Clauſura, quia neceſſitatis moralis fines tali cauſa licet leui non egreditur. Ita etiam *Bonac. loc. cit.*

Immò Pharmacopolæ poteſt dari licentia in caſu quo moniales indigerent edoceri, & inſtrui ad pharmaca componenda; quia in hoc eſt neceſſitas tangens bonum commune, at vero non poſſe iuſtè dari Parmacopolæ licentiā intrandi, vt præbeat Medicinam Moniali indigenti, nam æquè bene poteſt per alias Moniales id fieri, vt optimè notant etiam *Sanc. et Bonac. loc. cit.*

Dico tertio, quod Baiulis etiam licentia ingrediendi in Monaſteria dari poteſt, quandocunque onus eſt tale transferendum, vt moniales commodè transferre nequeant in partes intrinsecas Monaſterij, quia in hoc adeſt neceſſitas moralis, cum moniales vtplurimum ad talia onera ferenda inhabiles, & aſſuetæ non ſint. Ita noſter *Miranda de monial. q. 2. ar. 17. et Llamas in meth. in app. §. 6.*

In hoc tamen caſu de Baiulo nota, quod ſi aſportanda intra Monaſterium non fuerit res Monaſterii, ſed alterius extranei, qui ſuas res vellet deponere in Monaſterio non poſſet dari licentia Baiulo ad tranſportandas dictas res alienas in partes intrinsecas Monaſterii, in qua non eſt neceſſitas pro rebus Monaſterii quod.

Limita primo, niſi ius naturæ aliud ſuadeat defendendi res alienas à Raptoribus, & Tyrannis, quando alio modo defendi nequirent, niſi in Monaſteria aſportarentur, charitas enim præualet in hoc ad iuris poſitiui relaxationem, vt bene innuit etiam *Bonac. loc. cit.*

Limita ſecundo, niſi res aſportandæ intra ſepta monaſterij

Digitized by Google

forent alicuius optimè meriti de monaſterio, cui denegari nō poſſet abſque monaſterij dāno etiam moraliter ſeqnēdo quia ſaltem indirectè talis aſportatio, eſt in vtilitatem monaſterij.

Dico quarto, poſſe dari licentiam Hortulanis, & ſimilibus ad irrigandos hortos introneos monialium, & etiam ad eos excolendos, ſi tanti ſint, aut grandi irrigatione, & cultura laborioſa indigeant, vt commode à monialibus tales labores ſufferri nequirent, nam eadem ratio neceſſitatis moralis in beneficium monaſterij militat in hoc caſu.

Dico quinto, quod Artifices illi, qui ęquè benę poſſunt monialibus inſeruire extra clauſuram, non poſſunt licentiari ad ingrediendqm ſicut ſunt ſutores, qui extra ianuam menſuram pedis ſumere poſſunt, vel honeſtius eis tradi lignum ſectum ad menſuram pedis, ſimiliter ſartoribus etiam deneganda talis licentia, qui ex alijs veſtibus poteſt ſapere menſuram pro nouis faciendis, aut ex ipſa moniali prope ianuam apertā monaſterij, non enim neceſſitas moralis adeſt pro iſtis, & ſimilibus artificibus, qui commodè extra ianuam aperiam poſſunt monialibus inſeruire. Ita *noſtr. Miranda, & Bonac. loc. cit.* quicquid in contrarium videatur ex parte ſentire Sanch.

Dico ſeſto, non poſſe dari licentiam matri, ſorori, nepti, ceteriſque cognatis intrandi in monaſterium, vt monialem viſitent, in infirmitate gubernent, vel vt eius morti aſſiſtant, quia viſitatio non eſt neceſſaria ad commune bonum monaſterij, immò admodum damnoſa clauſuræ, & magnā monialibus afferret perturbationem, quotidie enim ſe fingerent egras moniales, vt à cognatis viſitarentur, præterquam quod iſta viſitatio non eſt neceſſaria de iure naturæ ipſi moniali, gubernatio autem in infirmitate nec eſt cauſa legitima, & moraliter neceſſaria, quia per moniales ad hoc officium deputatas ſufficienter gubernatur, & adiuuatur infirma, pro aſſiſtētia autem morti habent confeſſarium, ad quem ſpectat moribundæ ſalus ſpiritualis. Ita etiam *noſtri Miranda, & Rodriq. Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Quod multo minus eſt concedendum tempore quo profeſſionem emittunt moniales, vel habitum ſuſcipiunt, quia nulla adeſt moralis neceſſitas ingrediendi, vt etiam declarauit Sacra Congregatio ad reprimendas parentum, & cognatorum in hiſce caſibus importunitates.

Vtrum pro faciendo officio funeris, aperienda, & aptanda ſepultura, & pro quocumque opere, quod commode extra monaſterium fieri nequeat poſſint fratres Minores monialium obſequijs deputati ingredi monaſteria Sanctæ Claræ ordini immediatè ſubiecta.

DIFFIC. XXVI.

Dico primo, quod extat priuilegium Pauli III. apud Bullatium in bulla ſecunda Pauli III. quod ad faciendum officium funeris poſsūt in monaſteria intrare ſex fratres, quod etiam videtur ad faciendas exequias conceſſum fratribus ab Vrbano IV. in Regula S. Claræ. Ita *Hier. Rodr. reſol. 26. n. 22.*

Pro ſepelienda vero defuncta ſepultura aperienda, & aptāda poſſunt cum confeſſore monialium intrare fratres ſufficientes ad ſeruitium. Ita idem *Rodriq. loc. cit. & Portel. n. 9. V. clauſura, & Villal. diffic. 47. 2 p. ſumma.*

Idem dicendum ſi ſæcularis nobilis ſe ſepeliendum in clauſtro introneo, vel monialium choro iuberet, nam fratres intromittere ſuis humeris tale corpus deberent, & non ſæculares, cum ad fratres in ſuis Eccleſijs, & locis pertineat dare ſepulturæ corpora defunctorum. Ita *Portel.* Rodriq. *& Villalob.*

Verum eſt tamen, quod hodie adeſt declaratio Sacr. Congregationis teſte Marzilla, & Farinac. in qua huiuſmodi corpora intra ſepta monaſterij prohibet ſepeliri, ſed ſolum concedit, vt in Eccleſia exteriori ſepeliantur.

Dico ſecundo, quod indulgetur, & conceditur fratribus Minoribus deputatis obſequijs monialium Sanctæ Claræ à Gregorio nono, vt libere poſſint ingredi earum monaſteria pro opere, quod commode extra monaſteria fieri nequit, & cum non ſpecificetur opus particulare habet locum priuilegium in quocumque opere edificii, & reſarcimenti, plantationis arborum, culturæ hortorum, aut cuiuſcumque alterius operis, quod extra clauſuram fieri nequit, & poſſent fratres facere intra clauſuram æque benè ſicut artifices ſæculares. Ita *Miranda q. 2. art. 17. de monial. Portel. num. 13. V. clauſura, Villalob. & Hier. Rodriq. loc. cit.*

Nomine autem deputatorum obſequiis monialium veniūt Confeſſor, vel Capellanus, & ſocius, non autem alii fratres, qui loco Cappellanorum ſæcularium inſeruiunt monaſterio.

An vero ſuperior Prælatus, vel etiam Guardianus de eius licentia ſaltem virtuali poſſit deputare alium fratrem aptum alicui operi faciendo intra clauſuram, aff. nant noſtri *Hier. Rodr. Portel. & Villalob. loc. cit.* & probabiliter, quia à Pontifice datur licentia ingrediendi fratribus deputatis obſequiis monialium in genere, & pro opere faciendo in genere, ergo ad Prelatos pertinet aſſignare fratres particulares neceſſarios ad tale opus faciendum intra clauſuram. Ita etiam *noſt. Corduba apud Sorbum 2. p. comp. priuil. fol. 124.*

Vtrum liceat iudici monaſterium intrandi facultatem facere ad expellendum malefactorem, vel eum examinandum, & in carcerem conijciendum.

DIFFIC. XXVII.

Dico primo, licentiam dari poſſe iudici ad extrahendum malfactorem ad ſe ſaluandum in monaſterium ingreſſum quandocumq; renuit exire, & moniales nequeunt eū expellere, modo ceſſet periculum vitæ, nam ſtante periculo vitæ, ad quod fugiendum licitè ingreſſus eſt, poteſt etiam commorari licitè, donec periculum ceſſet, & ſuperior debet eſſe cautus in danda hac licentia, & moniales in expellendo, quia debeat talē expellere cum aſſecuratione vitæ, vel alterius grauis dāni, quod timetur vel à iudice, vel à parte hoſtili, atq; adeo ſuperior cum tali aſſecuratione debet dare licentiam ad expellendum licet renuentem, qui ceſſante periculo non eſt honeſtum virū commorari intra clauſtra fæminarum. Ita *noſter Rodr. T. 1. qu. 47. ar. 4. Sanch. in opere mor. l. 6. c. 16. & Banac. de clauſ. q. 4. p. 4.*

Dico ſecundo, quod ſi malefactor ingreſſus monaſterium gaudet immunitate, debet e monaſterio educi in locum tutum, & ibi examinari cum licentia Epiſcopi, & cautela ſupradicta, quod ſi conſtet non gaudere immunitate poteſt dari iudici, & ſatellitibus neceſſariis ſolum cum extrahendi ſeruata Gregorii XIV. bulla.

An vero ſi periculum ſit in mora, vt malefactor per aliam viam euadat e monaſterio, cui non poteſt occurri extra monaſterium, ait Sanch. quod non expectata licentia ſuperioris poſſet ingredi ad malefactorem capiendum, quod tamen Bonacina non admittit nec mihi arridet, niſi malefactor eſſet in crimine notorio contra bonum commune, & Rempublicam, vel Principis perſonam, propter bonum enim commune in tali caſu probabile eſt poſſe ingredi iudicem, ſi ſuperioris opportuna licentia non poſſit haberi, abſque timore excommunicationis, quia boni communis conſeruatio, & defenſio pręponderat ad legem poſitiuam.

Adde etiam, quod, ſi ad extrahendum malefactorem e monaſterio moniali ū quem notoriè conſtat non gaudere, denegetur iniuſtè licentia ingrediendi monaſterium, iudex cum neceſſariis ſatellitibus licitè ingreditur ad eum expellendum, & carcerandum, quia iniuſtè ſuo iure priuatur iudex. Ita etiā *Sanch. & Bonac. loco cit.* verum quid tutiùs ſit reſpondendum vide V. immunitas, & V. Iudex.

Vtrum liceat ſuperiori cum honeſto comitatu ingredi monaſteria ſibi ſubiecta quacumque de cauſa, & an Epiſcopo in monaſteria exempta ad ſuum libitum pro viſitanda clauſura.

DIFFIC. XXVIII.

Dico primo, quod iuxta motum proprium Greg. XIII. qui incipit Vbi gratię, licet ſuperiori cū honeſto comitatu ibi præſcripto ingredi monaſteria monialium ſibi ſubiecta, vt tactū eſt in præcedentibus difficultate 19., non pro quacumque cauſa, ſed pro cauſa neceſſaria, itaut extra clauſuram non poſſit tali neceſſitati cōmodè, & ęquè benè prouideri. Quare licitus eſt illi ingreſſus ex cauſa viſitādi officinas monaſterii, cellas monialium. Dormitorium ſupellectilem, ædificium faciēdum, ſeu conſtruendum aut quod minatur ruinas, item licitus eſt illi ingreſſus pro tractando aliquo negotio capitulariter pro bono communi monaſterii, quia nullus eſt alius locus cōuenientior, quam locus ipſe capituli introneus monialium. Ita *noſt. Miranda de monial q. 2. a. 14. Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 16. Barb. 3. p. alleg. 102. de off. & poteſt. Epiſc. & Bonac. de clauſ. q. 4. p. 4.*

Adde, quod, ſi in electione Abbatiſſę ſuboriretur probabilis ſubornatio votorum, & alia cauſa legitima conſimilis, vnde electio canonicè difficulter celebrari poſſet, ingredi clauſurā ſuperior valet, nō obſtāte decreto *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 7.* quod electio Abbatiſſæ fiat ante feneſtellam, & pro eā facienda nō ingrediatur clauſuram, quia Concilium loquitur regulariter,

quando

quando nulla adeſt neceſſitas intrandi, & æquè bene poteſt Canonicè fieri electione accipiendo vota ſingularum ante feneſtellam apertam, quando vero adeſt neceſſitas moralis non intendit Concilium bono communi, & modo faciẽdi electionem canonicè ſuo tali decreto obuiare, quare ſi nulla adſit neceſſitas, nõ poſſet ſuperior pro electione Abbatiſſę facienda intrare iuxta decretum Concilij, bene tamen pro ſubornatione vitanda, ſedando vehementi tumultu, contumaceſq; ſi opus fuerit carceribus mancipando, quando alio modo electioni Canonicæ, & monialium quieti conſuli non poſſe probabiliter iudicat Prælatus omni præciſo dolo. ita in parte ex *Rodriq. q. 46. T. 1. queſt. 9.* Rig. *Nauarr. in comm. 4. de ſtat. reg. & Bonac. & Sanch. loc. citatis.*

Dico ſecundo, quod licet Generali fratrum Minorum ingredi clauſuram monialium S. Claræ cum quatuor, aut quinque fratribus, quandocumque intus celebrare, vel proponere verbum Dei voluerit, alijs autem Prælatis, & viſitatoribus cũ duobus, vel tribus ſocijs ad viſitandas officinas interiores clauſuram, & ad alia facienda intus ad ſua officia pertinentia, quæ commodè non poſſunt fieri extra ſepta monaſterij. Socij tamen ingredientes cum Prælato nullo modo ab inuicem ſeparari poſſunt. ita Vrbanus IV. conceſſit in Regula Sanct. Clarę immo ſecloſo priuilegio id etiam poſſe fieri docet Sanch. relatus à noſtro *Hyer. Rodr. reſol. 26 num. 26.*

Addo, quod Commiſſario particulari deſtinato à Prouinciali ad viſitandam clauſuram monialium ſibi ſubiectarum, licet duos, vel tres ſocios ſecum ducere intra clauſuram. Ita *Rodriq. qq. reg. q. 47. ar. 7. T. 1. & Portell. V. Clauſ. mon. in Add. n. 6.* & ratio eſt, quia vtitur iure. vel priuilegio ſui delegantis.

Dico quinto, quod non licet Epiſcopis pro ſuo libito monaſteria Regularibus ſubiecta ingredi ex decreto *Sacr. Congreg. Epiſc. & reg. die 10. Ian. 1631. apud Lezan. T. 3. V. clauſura n. 33. & Pij V. Bull. 7. in Bullario*, & quamuis aliquando fuiſſet probabile nec licere eis pro viſitanda clauſura in eadem ingredi, niſi quando publicè clauſura violata eſſet, nec à ſuo Prælatò Regulari admonito reſtituto, attamen hodie ex decreto *Sac. Congreg. ſub die 10. Maij 1640. relato à Barboſ. in collectan. Conc. Trid. ſeſſ. 25 c. 5. n. 13.* videtur haberi, quod poſſint Epiſcopi viſitare clauſuram monialium etiam Regularibus ſubiectarum, & eas examinare de rebus ſolum ad clauſuram pertinentibus toties, quoties expedire eis videbitur nulla exiſtente negligentia prælatorum Regularium, iiſque omnino irrequiſitis cuius verba ſunt hæc. *Sacr. Congreg. Conc. cenſuit Epiſcopũ Colimbricenſem vti Sedis Apoſtolicæ delegatum potuiſſe quoad clauſuram monaſteriorum monialium conuentus de cellas ordinis Ciſtercienſis regularibus eiuſdem ordinis ſubiectarum viſitare etiam aſſumpto ſecum Vicario Generali & Confeſſario earumdem monialium, monialeſque ipſas in ijs, quæ ad clauſuram pertinent examini ſubijcere ſe motis etiam ſuſpicione violatæ clauſuræ, & quacumque ſuperiorum regularium negligentia, ipſiſque in conſultis, & irrequiſitis, ac inſuper eidem Epiſcopo licuiſſe rectorẽ collegij dicti ordinis ex ſupradicta cauſa inobedientem declarare in pœnam excommunicationis, & alias cõminatas incidiſſe. S. Card. Panfilius.* Quare cautè ſunt legendi aliqui ex noſtris probabiliter id negantes ante hanc declarationẽ cui hodie omnino ſtandũ vide *Ioann. Mar. Nauarr. in Luc. reg. V. clauſura n. 4. Zerol. in Tr. Epiſc. p. 1. V. moniales, & Tambur. de iur. Abbatiſſ. diſp. 24. q. 9* Immo poteſt hodie Epiſc. conſtit. Greg. XV. *de priuil. exemp.* Ferre excommunicationem latæ ſent. ſibi reſeruatam circa aperitionem portæ monialium etiam regularibus ſubiectarum extra caſus neceſſarios, & circa acceſſus, & colloquia cum monialibus etiam contra Regulares exemptos, & moniales etiam exemptas, ſi de ipſis ſpecialem mentionem fecerint, adeo vt ſuperior regularis ab eadem excommunicatione ab Epiſcopo reſeruata abſoluere nequeat. Ita *Sac. Congreg. Concilij in vna Viterbienſi 26. Iulij 1627. Vide Ioann. Mar. Nauarr. loc. citat. Lezan. T. 3. V. clauſura & Peyrin. T. 3. in fine pag. 565. & Barboſa in collect. Apoſt. collect. 2. q. 8.*

Vtrum liceat monialibus concedere ancillas ſæculares, quæ intra ſepta monaſterij eis inſeruiant.

DIFFIC. XXIX.

Dico primo, quod licitum eſt etiam in monaſterijs S. Claræ monialibus concedere ancillas ſæculares, quæ infirmis in coquina, & in alijs miniſterijs inſeruiant ex conceſſione Pauli III. pro monaſterijs Prouinciæ Caſtellæ fratrum Minorum & Pium V. induliſſe, poſſe in quolibet monaſterio haberi tres, vel quatuor ancillas pro communi ſeruitio monialium, dummodo ſint honeſtę vitæ, & à monaſterio non egrediantur, quod ſi ſemel egreſſæ fuerint, deinceps non recipiantur, docet *Hier. Rodriq. reſolut. 26. n. 12.*

At vero Gregorius XIII. benignius conceſſit Generali fratrum Minorum, vt in quolibet monaſterio poſſit deputare vnã ancillam pro ſingulis decem monialibus, ea tamen lege, vt clauſuram ſeruent, & ſemel egreſſæ non recipiantur amplius. Ita *Hier. Rod. loc. cit. Miranda q. 2. ar. 5. Portell. n. 5. V. clauſura, & Sanch. in oper. mor. l. 6. q. 16. num. 65.* qui hoc priuilegium aſſerit à Sixto V factum.

Dico ſecundo, quod regulariter non debet dari licentia vt vna monialis particularis habeat ſuam ancillam ſuo particulari obſequio deſtinatam in monaſterio S. Claræ, in quibus ſtrictius clauſura vouetur, & ſeruari debet, benè tamen monialibus in alijs monaſterijs, in quibus non ita ſtrictè clauſura vouetur, vt ſunt monaſteria Tertij Ordinis, vel Militiarũ, ſeu cõmendatariũ attamen pręciſa malitia monialium nolentiũ ſeruire alicui moniali infirmæ, vel impotenti, vel ſeniori, ſi verè, & realiter indigeat ſeruitio, quod non poſſunt æquè bene, & commode moniales ei pręſtare adeſt neceſſitas moralis, iuxta quam poteſt ei concedi vna Ancilla ſæcularis, quæ ei ſeruiat particulariter. Ita ex *Hier. Rod. reſol. 26. n. 13. Villalob. 2. p. ſum. tract. 35. Diffic. 46. & Sanch in oper. mor. l. 6. c. 16. n. 65.*

Vtrum puellis poſſit à ſuperiore concedi licentia ingrediendi monaſteria ſibi ſubiecta educationis cauſa, & quænam conditiones requirantur?

DIFFIC. XXX.

Poterant ſuperiores ex propria, & abſoluta poteſtate dare licentiam puellis ingrediendi monaſteria monialium, ibique educationis gratia permanendi, vt à monialibus virtutibus, boniſq; moribus inſtruerentur cum infraſcriptis cõditionibus, quia ad bonum commune pertinet monaſterij huiuſmodi educatio puellarũ, quia motæ habitum Religionis libẽtius ſuſcipiunt ædificatæ bono exemplo monialium, & ita declaraſſe Sac. Congreg. teſtatur Quaranta V. monaſteria monialium. Ita etiam *noſt. Miranda tract. de monial. q. 2. art. 6. Rodriq. T. 1. q. 46. art 10. Sorbl. V. ingredi pag. mihi 359. ſub finem, Barboſa de off. & poteſt. Epiſc. allegat.* 102 *p. 3.*

Hodie tamen ſuperiores non concedunt per ſe ſoli hanc licentiam recipiendi puellas educationis gratia in monaſteria, ſed neceſſarium eſſe licentiam petere à Sacr. Congregatione docet *Bonac. de clauſ. q. 4. p. 4. n. 15.*

Octo autem conditiones requiri ad recipiendas huiuſmodi puellas cauſa educationis poſt habitum licentiam à Sacr. Congreg. eas admittendi pro educatione intra monaſteria ex ipſius Sacr. Congreg. declaratione habetur lata ad Epiſcopum Hyeracenſem, vt referunt *Barboſa loc. cit. Campanil. rubr. 12. c. 16. & Bonacc. loc. cit.* quas etiam conditiones referunt *noſtri Hier. Rodr. reſol. 26. n. 14. & Portel V. Clauſ. in Add. ſaltẽ ex p.*

Prima eſt, vt monaſterium in quod intrare habita eſt licentia cõſueuerit recipere puellas educationis gratia, & talis monaſterij Regula inſtitutum, vel conſtitutio non prohibeat. Secunda, vt non ſint ſupra numerum præfixum. Tertia, vt adſit conſenſus Abbatiſſæ, & moniali ũ, & ſuperioris licentia. Quarta, vt vtantur veſtibus decori, & honeſtati Virginali conuenientibus. Quinta vt ancillas ſecũ non deferant. Seſta, vt ſeptẽ annos expleuerint, nec vltra vigeſimumquintum annum retineantur, ſed conſtituatur ei terminus ad exeundum, vel habitum ſuſcipiendum, vltra quem ſi remaneat, poterit cogi ad exeundum, non tamẽ incurrit excommunicationem interim ſi nõ exeat, quia licitè eſt ingreſſa. Sept. vt exiſtãt in loco ſeparato à Dormitorio, & à loco, in quo moniales conſueuerunt cõmuniter laborare Oct. ne egrediãtur à clauſura, ſemel autẽ egreſſæ non recipiantur, poterunt tamen cum licentia Abbatiſſæ, & ſuperioris ex cauſa legitima, qua ex pleta recto tramite reuerſæ recipiantur. Ita ex Sacr. Congreg. citati Doctores.

Aliam addit *noſt. Rodriq. reſol. 26. n. 14.* vt ſcilicet quolibet ſemeſtro ſolutio anticipata tradatur pro victu. Ita *ex Barboſa in remiſſos ad Conc. Trid. c. 5. ſeſſ.* 25.

Quam tamen recipiendi puellas educationis gratia non eſſe in vſu apud Clariſſas, quæ primam Regulam Sanct. Clarę

 profiten-

Digitized by Google

profitentur propter arctiorem obligationem ſeruandi clauſuram aſſerunt Rodriq. & *Portel. loc. citatis*, *Miranda q. 2. art. 6. & Nauar. comm. m. 4. de Regularibus* procedit tamen pro alijs monaſterijs, quæ non profitentur ita ſtrictam clauſuram præfata declaratio S. Congregationis pro recipiendis puellis cauſa educationis.

Vtrum puellæ minores duodecim annis poſſint ſuperiores ad habitum ordinis admittere intra clauſuram, & an etiam in ætate infantili.

DIFFIC. XXXI.

NEgat *Azor. t. 1. l. 12. c. 17. quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Regul. cap. 17.* ſtatuit puellas non poſſe recipi ad habitum regularem ſi ſit minor annis duodecim, ergo non poſſunt ſuperiores contra tale decretum puellas minores duodecim annis admittere in monaſteria ad habitum monialium ſuſcipiendum, & ita ſenſiſſe multos viros Doctos, multoſque etiam Epiſcopos in Concilio Prouinciali Toletano anno Domini 1586. refert noſt. *Rodr. T. 3. qq. regul. q. 12. art. 2.*

Ipſe tamen *Rodr. loc. cit. & Sanch. in oper. mor. lib. 4. cap. 18.* quibus videtur adſtipulari *noſt. Miranda tract. de monial. q. 8. ar. 2. & medina l. 4. de ſacrorum hominem continentia controuerſia q. Soto c. 4.* putant Concilium Tridentinum non prohibuiſſe abſolutè, ne minor duodecim annis ad habitum regularem admittatur intra clauſtra, ſed ſolum in ordine ad examen voluntaris erga ſuſceptionem habitus faciendum ab Epiſcopo in ordine ad profeſſionem, itaut Medina, qui interſuit Concilio Tridentino, eiuſque mentem præſens potuit accipere, dicat, quod Concilium hæc duo intendiſſe in illo capite, primo vt ſi puellas ingrediens ſit maior duodecim annis quantæcunque ætatis ſit bis ab Epiſcopo examinetur, primo ante ſuſceptionē habitus, ſecundo per menſem ante profeſſionem, vtrumque examen rationabiliter ponitur à Conc. quia multoties puellæ habitum Religionis ſumant inuitæ, & præ verecundia non audent exire infra annum Nouitiatus, pro puellis ergo ante duodecim annum ſuſcepturis habitum non petit Concilium primum examen fieri propter tenerum tunc, & debilem puellæ rationis vſum, quare volunt in ordine ad dictum examen primū puellas ſuſcepturas habitum debere eſſe maiores duodecim annis. Immo Sanch. etiam in ætate infantili quinque annnorum poſſe recipi puellas ad habitum monialium probat ex duobus textibus Canonicis, in quibus habetur poſſe parentes ipſas puellas in ætate infantili offerre Deo in monaſterijs pro vita futura monaſtica, nec reuocatos eſſe hos Canones à *Conc. loc. cit.* autumat *Sanch. loc. cit.*

Certum eſt tamen monialibus Sanctæ Claræ conceſſiſſe Pium V. vt puellæ deſtinatæ à parentibus ad Religionem poſſint recipi in habitu ſæculari anno ſeptimo, vel octauo ætatis ipſarum, & in monaſterio manere vſque ad 12. vel quartum decimum annum, quo tempore expleto remittantur liberæ ad domum paternam, ſi poſtea velint ſuſcipere habitum, redeant, & recipiantur.

Verum noto talem conceſſionem eſſe viuæ vocis oraculo datam à Pio V. vide *Hier. Rodr. reſol. 26. num. 16.*

Sanè opinio *Rodriq. & Sanch.* potius videtur ſpeculatiua nimis ratione probabilis, quam practica, quare tutius eſt à tali opinione abſtinere, ſicut videtur concludere *Portell. V. clauſ. in add.* quia vix poteſt eius explicatio Cōcilij intentioni applicari, vt patet grauiori iudicio verba Concilij ponderanti, atqi adeo reuocata eſſe iura antiqua adducta à Sanchez dicendum eſt probabilius.

Vtrum Epiſcopi, & ſuperiores regulares poſſint dare licentiam intrandi, & commorandi intra monaſteria monialium fæminæ in caſu quo eius honor & vita periclitatur infallibiliter, ſi intra monaſterium non admittatur.

DIFFIC. XXXII.

NEgant noſtri *Rodriq. in B. Cruc. 1200.* qui refert declarationem Sacr. Congregationis ad Epiſcopum Salamanticenſem, *Miranda T. 1. q. 2. de monial. art. 7. Portell. V. clauſura in Add. n. 2 & Rodriq.* affert formalia verba Sacr. Congregationis quibus apertè in tali caſu negare putat poſſe ſuperiores licentiam concedere fæminæ intrare in monaſteria ad ſaluandam ſalutem, & honorem eius.

Attamen *Azorius T. 1. l. 13. c. 8. q. 4.* affert aliam Sacræ Congregationis declarationem, in qua declaratur poſſe Epiſcopū impartiri facultatem fæminæ etiam vxoratæ ſi ex cauſa adulterij ſuſpecta ſit viro ſuo, obidque timeat periculum vitæ, & alio modo nequeat ſaluari, niſi per ingreſſum in monaſteriū.

Et licet noſter Portell. hasce declarationes pugnare inter ſe, & contradictoriè opponi aſſerat, puto tamen pace tanti viri vtramque in ſuo ſenſu practicandam, & diuerſum habere ſenſum declarandi quid liceat circa licentiam dandam fæminæ intrandi in monaſteria monialium, etenim in illa, quæ data fuit ad Epiſcopum Salmaticenſem declaratur non poſſe Epiſcopum dare licentiam fæminæ ingrediendi monaſteria quando adſunt lites, & diſſenſiones inter vxoratos ratione matrimonij, vel Adulterij, quando non timetur præſens, & ineuitabile periculum euidens mortis, quia cum non adſit cauſa præſentaneæ neceſſitatis tuendæ vitæ, pro hac in poſterum aſſeueranda poteſt licentia huiuſmodi à ſede Apoſtolica, vel eius Nuncio peti.

Quando vero adeſt euidens ſaltem moraliter, & imminens periculum vitæ, nec patet aditus de facili, & de breui ad Papā, vel Nuncium, quia periculum in mora, nec poteſt alia via, & modo ſecuritas vitæ haberi à dicta fæmina, quam ingrediendo in monaſterium in hoc caſu, poſſe Epiſcopum dare licentiam intrandi in monaſteriū monialium, at vero quænā major neceſſitas, quā ſaluandi vitam rationalis creaturæ, eoque modo eius etiam conſcientiæ facili negotio conſulerem.

Vnde quando tempore incurſionis hoſtilis timetur periculum vitæ fæminæ, quam fugiendo, ſicut homines, non poſſet tueri conſimiliter puto poſſe Epiſcopum, quando alia via ſaluari nequit, quam intrando in monaſterium, dare licentiam ingrediendi, & commorandi durāte, vel imminente tali periculo cuilibet fæminæ etiam vxoratæ, quod ſi imminentia periculi ſit diuturna, optimum eſt conſilium recurrere pro licentia ad Papam, vel Nuncium.

Quod autem hæc doctrina poſſit practicari tuto ab Epiſcopo non ſolum quando imminet periculum euidens præſentaneum vitæ ſed etiam honoris tuendi quando de facili non patet aditus ad Papam, vel ad Nuncium: colligitur, etiam ex doctrina eorum, qui volunt Epiſcopum in caſibus huiuſmodi Papæ reſeruatis, quando non patet aditus ad Papam, & Nuncium poſſe diſpenſare, quod fuſius Deo dante dicetur infra V. Epiſcopus.

Immò *Nauarr. l. 4. conſil. 5. de diuortijs n. 2. Zerola loc. cit. q. 21. Campanil. rubr. 12. c. 16. & Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. 3. p. allegat.* 102. probabiliter autumant poſſe recipi in monaſteria fæminas coniugatas ad ſæuitiam euidentem mariti, & in caſu licitum, & diſſēſionum donec ceſſet ratio diſſenſionum, & licitum, & periculum ſæuitiæ, modo ſeruentur conditiones allatas pro puellis cauſa educationis, quod tamen putat verum in alijs omnibus monaſterijs, præterquam in monaſterijs Sanctæ Claræ, & Conceptionis *noſter Miranda q. 2. art. 7. de monial.*

Adde quod *noſter* Rodriq. *T. 1. q. 44. a 6.* putat etiam probabile, quod matronæ, quæ nobiliſſima ſit, nec poteſt manere in ſæculo ſine magno diſpendio honoris, poſſit dari licentia, vt ingrediatur monaſt. monialium, quia adeſt ſufficiens neceſſitas moralis, quod tamen meritò negant *mir ind. t T. 1. q. 2. de monial. a. 7. & Portell. V. clauſura num. 4.* præcipuè hoc tempore propter multa decreta ſimiles ingreſſus prohibentia.

Vtrum ingreſſus cum debita ſuperioris licentia in monaſterium monialium, ſi finito miniſterio, propter quod licitè intrare permiſſus eſt incurrat cenſuras, ſi aliquantulum immoretur, nec ſtatim egrediatur.

DIFFIC. XXXIII.

DIſtinguendum puto, nam vel immoratio finito miniſterio propter quod licitè ingreſſus eſt fit ab eo ex animo aliquo prauo, & ad malum finem, puta turpiter loquendi cum aliqua moniali, furandi, & ſimilia mala agendi, probabile eſt non ſolū peccare mortaliter ratione praui finis ſed ſi ſequatur effectus prauus intentus, incidere in excommunicationem Papæ reſeruatam contra violantes clauſuram ad malum finē, quia verè hic licitè quamuis ſit ingreſſus, attamen verè poſt finem liciti ingreſſus dicitur violare clauſuram pro malo ibi perpetrato. Ita *Bonacc. de clauſ. q. 4. p. 4.*

At vero

At verò ſi ſolà cauſa curioſitatis videndi officinas, vel moniale viſitandi, vel alloquendi vrbanitatis, vel alia iuſta, & decenti cauſa aliquantulum immoretur non incidit in pænas contra ingredientes, nec contra violantes, quia verè hic eſt licitè ingreſſus, nec aliquo turpi actu violat clauſuram. Peccat tamen ſi longo tempore immoretur mortaliter contra obligationem clauſuræ, quia licentia non extenditur ad commorandum longo tempore finito miniſterio, quod ſi hoc vi temporeetiam à veniali excuſatur, quia hoc præceptum clauſurę cum ſit morale, morali modo interpretandum, non autem ſtrictiori metaphyſica ratione, maximè, quia hæc breuis immoratio etiam à viris timoratæ conſcientię, vt teſtatur *Molfeſius in ſum. tract.47. ar.11.* practicari ſolet in monaſterijs monialium ingreſſis pro licito miniſterio abſque aliquo ſcrupulo. Ita etiam noſter *Rodriq. T. 1. q. 47. art. c. 11. compendiator Priuil. V. ingredi monaſt. §. 34 & Miranda q. 2. a. 20. de monial.*

Quantum vero temporis dicatur breue in hac materia pro ordinis noſtri fratribus Illuſtriſſimum fratrem Antonium de Treſci Epiſcopum Caragenum, dum Vicarij Generalis totius Ordinis fungebatur officio declaraſſe vnius quadrantis ſpatium poſſe dici breue tempus circa commorationem in monaſterijs monialium finito miniſterio, ad quod quis licitè ingreſſus eſt, teſtatur noſter *Villal. in ſum. T. 2. tra. 33. diffic. 49.*

Vtrum ingrediens monaſterium cum licentia vtilis operis ibi exercendi animo tamen inuiſendi monaſterium, vel aliquam monialem viſitandam, vel etiam ad aliquem alium prauum finem incurrat in excommunicationem.

DIFFIC. XXXIV.

Diſtinctione vtendum, etenim vel ingreditur cum licentia vtilis operis exercendi, quod re ipſa non intendit præſtare, ſed vtitur licentia tanquam pallio ad licitè intrandum ob finem alium à ſe intentum, quia hic in fraudem vtitur licētia extra caſum neceſſarium, incurrit ſine dubio in excommunicationem, etſi animus ſit prauus, & malus afficitur excommunicatione reſeruata Papæ contra violantes clauſuram ad malum finem, quod ſi re vera ſit præſtaturus exercitium vtilis operis in monaſterio, liceat habeat alium finem curioſitatis viſendi monaſterium, vel viſitandę monialis, vel alium finem non prauum non incidit in excommunicationem, quia hæc intentio non tollit legitimam cauſam ingreſſus, ergo nec tollit validitatem licentiæ, eiuſdem enim actionis poteſt duplex finis ſaltem partialis, & vtriuſque effectus haberi ſimul, vt patet de eunte Romam cauſa viſitandi limina Apoſtolorum, & amicum, qui ſatisfacit voto viſitationis, licet habeat etiam animum illa occaſione etiam viſitandi amicum.

An vero ingrediens cum licentia præſtandi verè miniſterium vtile, attamen cum malo fine etiam turpiter alloquendi cum moniali, vel furandi, & ſimilia mala perpetrandi incidat in excommunicationem, negant noſter *Rodr. T. 1. q. 46. art. 3. Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 16. Zerola V. moniales ad 8. q. T. 1. in ſua praxi, & Bonac. de clauſ. q. 4. n. 4.* quia praua intentio non tollit validitatem licentiæ, at vero alij putant intrantem cum hoc prauo fine eſſe Reum violatæ clauſuræ, quia licet ingreſſus foret licitus ob vtile miniſterium de facto, & realiter pręſtandum, non tamen ob ſecundum prauum finem, ob quem ſuperior nec licentiam concedere potuiſſet. *Ita Barboſa re offic. alegat. 192. num. 58. & probabile putat Bonac. loc. cit.*

Dicerem tamen, quod ingrediens cum licentia cum malo tamen fine, licitè ingrediatur abſque incurſu excommunicationis donec ingreſſus malum finem non exequatur, non propter mentale peccatum regulariter nō incurritur excommunicatio, ſtatim vero atque finem prauum exequitur intra ſepta monaſterij, incurrit excommunicationem Papæ reſeruatam ſic dictum eſt in præcedenti difficultate.

Demum aduertè, quod ſi vir nobilis habeat licentiam intrandi in monaſterium ob aliquod vtile opus præſtandum, non poteſt ſecum ducere famulatum, quia vt artifex ingreditur, non tanquam vir nobilis, limita niſi famulus ſit aptus, & neceſſarius ad idem opus exequendum intra monaſterium. *Ita etiam ex parte Bonac. loc. cit.*

Vtrum obtinens ex falſa cauſa licentiam intrandi monaſteria monialium, tempore vero ingreſſus adſit vera cauſa, & an ingrediens cum falſa cauſa cognita à ſuperiore nihilominus eum ipſam concedente licentiam incurrat in excommunicationem.

DIFFIC. XXXV.

Dico primo, quod ingrediens cum licentia obtenta ex falſa cauſa non cognita ab Epiſcopo incurrit in excommunicationem, etiam ſi tempore ingreſſus cauſa adeſſet vera ingrediendi, quod ex eo patet, quia licentia obtenta ex falſa cauſa eſt irrita, & nulla cum ratione falſitatis expoſitæ ſit inuoluntaria, vera autem cauſa ſuccedens non dat iuriſdictionem, nec ratificationem Prælati, eſt ergo neceſſaria noua licentia. Ita *Sanch. in oper. mor. l. 6. c. 16. & Bonac. loc. cit. Menoch. l. 1. de arbitr. quæſt. 8.*

Similiter etiam ſi tempore habitæ licentiæ erat cauſa neceſſaria intrandi, tempore vero ingreſſus ſi cauſa neceſſaria ceſſauit, non poteſt licitè ingredi, quia Prælatus non poteſt dare licentiā ſine iuſta cauſa, ergo intrans ſine iuſta cauſa intrat ſine licentia, vnde excommunicationem incurrit latam à *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* quare.

Dico ſecundo, quod ſi quis ſcienter cum licentia Epiſcopi cognoſcentis falſam cauſam, & tamen concedentis ingrederetur adhuc excommunicationem incurreret, quia licet Epiſcopo concedatur à *Conc. Trid.* facultas impertiendi licentiam talem in caſibus neceſſarijs, non autem ad ſuum libitum & in motu proprio Gregor. XIII. excommunicantur illi, qui prætextu facultatum habitarum ab Epiſcopis, & ſuperioribus ingrediuntur monaſteria abſque vrgenti neceſſitate, & etiam admittentes vt infra dicetur.

Bene tamen verum qui licentiam obtinuit cum bona fide putans habere iuſtam cauſam, vel neſciat ſuperiorem non poſſe cum tali cauſa narrata dare licentiam, excuſatur à cenſuris, & pœnis, vt in materia de cenſuris dict. certum.

Vtrum admittentes, & permittentes vel facientes ingredi monaſteria monialium extra caſus neceſſitatis vrgentis ſiue ſuperiores, ſiue Abbatiſſæ, ſiue moniales ipſæ ſub prætextu facultatum à Papa, vel alio ſuperiore inferiori habitarum incidant in excommunicationem.

DIFFIC. XXXVI.

In hac difficultate quia poteſt eſſe ſermo de admittentibus, vel permittentibus ingredi monaſteria ſub prætextu licentiarum, & diuerſo modo perſonæ præfatæ in vtroque caſu, ideo diſtinctius reſpondendum videtur per diuerſas concluſiones, pro quarum maiori intelligentia.

Nota, quod aliud eſt admittere, aliud facere ingredi, aliud permittere. Ille ergo dicitur admittere, qui aliquo modo cooperatur directè, & poſitiuè, puta vocando, inuitando, approbando, conſulendo ingreſſionem, vel poſt ingreſſionem ex officio non prohibere, ſed approbare ingreſſionem, ille autem dicitur permittere, qui cum poſſit, poteſt impedire, ſed non impedit etiam ſi ex officio ſibi non competat impedire facere autem ingredi eſt poſitiuè ad actualem ingreſſum iubere, & introducere in monaſterium. Quare

Dico primo, quod ex Gregorio XIII. motu proprio qui incipit: Vbi gratię; excōmunicat officiis priuat, & ad futura obtinenda inhabilitat Abbatiſſas Abbates, conuentus, & alios ſuperiores vtriuſque ſexus prætextu licentiarum extra caſus neceſſarios ingredi facientes, vel permittentes quoſcumque in monaſterijs ſibi ſubiectis ſub hiſce verbis (*Abbatiſſis vero, nec non Abbatibus, conuentibus, & alijs vtriuſque ſexus ſuperioribus; & perſonis quocumq; nomine vocentur diſtrictim præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum, inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, ne in monaſteria, domus, & loca ſua quemquam prætextu harum licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant*) nota hic, quod particulam (quemquam) intelligit Papa tam viros, quam mulieres, quia ſub vulgari ſermone dicendo (niuno entri) intelligitur tam mulier, quam vir, & in pęnalibus ſub genere maſculino includi fœmininum etiam in materia accommoda docent *Menoch. de adipiſc. poſſ. Remedio 4. Sanch. & Bonac. loc. infra citandis.*

A Paulo vero V. in ſua bulla in ſuperioribus citata magis ampliatiuè loquitur extendendo dictas pænas ad intro-

troducentes, admittentes, & quoquomodo admiſſas retinere præſumentes ſub hiſce verbis (ipſorum vero, monaſteriorum Abbatiſſis, ſiue prioriſſis, ac ſuperioribus ſub eadem, ac priuationis ſuorum officiorum, quæ obtinent, & ad inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere, ſeu admittere, vel admiſſas quoquomodo retinere audeant, vel præſumant) loquitur etiam hic Paulus V. de admittentibus ſub prætextu facultatum, & licentiarum Apoſtolicarum, quas in dicta Bulla reuocat, vt in ſuperioribus viſum eſt.

Quare licet *Bonac. de clauſura quæſt. 4. p. 6.* velit in præfato motu Gregoriano excommunicari quaſcumque etiam moniales, quia prohibetur etiam perſonis, cui videtur adhærere *Lamas in meth. curat.* §. 12. attamen ſatis rigide loquuntur, quia ibi ly perſonis Pontifex refert ad habentes perſonatus, vel officia in monaſterijs ideo ait copulatiuè (ſuperioribus, & perſonis quocumque nomine vocentur) itaque ly perſonis non debet extendi ad ſingulas moniales non habentes perſonatus, & officia, quæ Paulus V. in ſua bulla apertius loquitur prohibendo ſolum ſuperioribus. Ita etiam noſter *Rodr. T. 1. q. 47. a. 2. Miranda de mon. q. 2. a. 12. Sanch. in oper. mor. li. 6. c. 16.*

Quid vero nomine conuentus in præfato motu Gregoriano intelligatur docet *noſt. Rodr. art. 3. loc. cit.* quod intelligitur ſuperior cum conſultoribus, quibus vtitur ad negotia reſoluenda, nō autem omnes Religioſos, vel Religioſas ſimul collegialiter congregatos, *Sanch.* autem *loc. cit.* intelligit conuentum in hac conſtitutione quando Religioſi, & Religioſæ ſimul in eodem capitulo congregati ſunt, & omnes, qui conſenſum dederunt tali ingreſſui vult ſubijci excommunicationi, & pœnis: vtraque opinio probabilis, licet fortè parum inter ſe diſtent, ſaltem moniales, quæ in dicto capitulo non interfuerant, cum non includantur in verbo conuentus in neutra opinione, non afficiuntur huiuſmodi pœnis, vt modo dictum eſt contra *Bonacinam, & Llamas.* Attamen.

Dico ſecundo, quod licet moniales particulares, quæ non faciunt ingredi, nec permittunt ingredi ſub prætextu facultatum, extra caſus neceſſarios non afficiantur dictis pœnis, attamen ſi admittant ſub prętextu licentiarum id eſt ſi aliquo modo inuitando, vocando cooperentur ad ingreſſum, incidunt in excommunicationem a Gregório X I I I. poſitam in eodem motu proprio citato ſub his verbis §. quin etiam ſub iiſdem pœnis &c. & concludit Papa (neue moniales ſub iiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant) ſub nomine autem monialium venire etiam Abbatiſſas non eſt cur quæratur, quia iam contra Abbatiſſas locutus eſt idem Papa in §. ſuperius poſito in 1. dicto vt patet, quod ſi non forent nominatæ Abbatiſſæ intelligerentur ſane ſub nomine monialium, quia ſcilicet in materia odioſa Abbas, & Abbatiſſa non veniant ſub nomine monachorum, & monialium, bene tamen in materia accomodata, & proportionata, & vbi adeſt maioritas rationis ad ſalutem, & bonum commune ſpectans. Ita *Mandoſius de Priuileg. ad inſtar gloſ. 7.*

Quare monialis quę ingredienti ſub prætextu facultatum extra caſus neceſſarios ianuam aperit conſulto, manu trahit, conſulit, mandat, vocat inuitat ore ſigno efficaci, vel approbat, vt ingrediatur incidit in pręfatas pęnas in Gregorij XIII. decreto poſitis.

Abbatiſſę vero, ſuperioreſque aliæ, ianuæ præfectæ ſi commodè poſſint, non impediant, etiam incurrunt præfatas pœnas, quia permittunt intrare eos, quos ex officio tenentur impedire, nō tamen reliquæ moniales, quia ad eas non ſpectat impedire ex officio: ſufficit enim, quod non admittant poſitiuè cooperando, ne incidant, quod ſi non prohibeant, dum poſſunt non incidunt, quia ex officio non tenentur, Papa autem ſolas ſuperiores, & perſonas cum officio permittentes intrare pœnis ſubijcit, licet Bonacc. videatur velle etiam moniales priuatas non prohibentes ſi poſſint prohibere ingredientes ſub prætextu facultatum incidere in pęnas, quia vult in bulla Gregoriana in 1. dicto citato comprehēdi etiam moniales priuatas.

Dico tertio quod monialis priuata, quę alteri moniali conſulit, vel mandat, vt aliquem admittat ſub prætextu licentiarum extra caſus neceſſarios in monaſterium non incidit in pœnas præfatas poſitas a Gregor. XIII. quia pœnæ, & cenſuræ latæ contra facientes, non comprehendunt mandantes, & conſulentes niſi exprimantur, vt dictum eſt V. cenſura ſecus tamen ſi conſulat, vel mandet, ipſa immediatè perſonam volentem ingredi, quia vt dictum eſt ſupra, ſic diceretur admittere, quod ſub pœnis poſitis prohibetur, ſimiliter ſi ſit prælata, vel ianuæ præfecta conſulat, vel mandat moniali priuatæ vt admittat ſub prætextu licentiarum volentem ingredi incurrit præfatas pœnas, quia tenetur ex officio impedire volentem ingredi, ſi ergo conſulat, vel mandet priuatæ moniali, vt admittat non impedit, quem impedire tenetur, cooperatur ergo permiſſiuè ad talem ingreſſum, quod prohibetur ſuperioribus, & ſuperioriſſis facere ſub appoſitis pœnis. Ita noſt. *Coriolan. de caſ. reſeru. p. 2. caſ. 3. Rodriq. Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum admittens in monaſterium, vel iubens, conſulens ingredi aliquem pro ſuo libito abſque prætextu licentiarum extra caſus neceſſarios ſine vera licentia, vel etiam pueros, & puellas intra ſepta monaſterij incidat in excommunicationem.

DIFFIC. XXXVII.

NEgandum videtur, quia nullibi reperitur prohibitum ſub excommunicatione, vel alijs pœnis admittens, vel iubens, vel conſulens ingredi in monaſterium, etiam ſi ſit Epiſcopus, vel alius ſuperior qui mandaret, vel conſuleret, vt notat noſter *Portel. V. clauſura mon. n. 8. & Hyer. Rodriq. reſol. 26. n. 18.* textus autem tam Bullæ Greg. XIII. quam Pauli V. loquitur de admittentibus, introducentibus, & permittentibus ſub prætextu licentiarum extra caſus neceſſarios, pœnę autem non debent extendi, vt multoties dictum eſt. Ita *Bonac. de clauſ. q. 4. p. 6. & Nauar. lib. 3. tit. de clericis non reſidentibus conſilio 10. num. 6.*

Nec obſtat, quod admittens aliquem etiam ſine prætextu licentiarum, abſque tamen licentia in caſu neceſſariò, vtpotè ingrediens abſque licentia extra caſum neceſſarium, quia incidit in excommunicationem Concilij Tridentini, cooperatur in crimine criminoſo cum tali ingrediente, ergo ſaltem ex hoc incidi in excommunicationem, quia falſum eſt admittentem huiuſmodi incidere in excommunicationem ex participatione cum tali excommunicato ingrediente ſine licentia, quia ſolum ex participatione cum excommunicato denunciato in crimine criminoſo incurritur excommunicatio non autem cum excommunicato non denunciato, vt ſupponitur iſte ingrediens ſine licentia, & dicetur V. excommunicatio. Ita etiam *Bonacc. loc. cit.*

Verum eſt tamen admittentem peccare contra obligationē clauſuræ, quam tenetur ſeruare quocumque modo. Quare

Dicendum etiam videtur, quod admittens aliquem habentem perfectas facultates ingrediendi extra caſum neceſſitatis, quibus tamen non intendit vti ad ingrediendum, ſed pro ſuo libito, nec incurrit quia non admittit ingredientem ſub prætextu facultatum.

Econtra vero ſi quis velit intrare ſub prętextu, & intendat intrare ſub prætextu facultatis extra caſum neceſſarium, & moniales intendant eum recipere, & admittere præciſo tali prætextu, ſed ſolum ex ſuo libito, adhuc incurrunt præfatas pœnas Gregor. XIII. quia vere admittunt ingredientem ſub tali prætextu contra Bullam Gregor. XIII. voluntas enim pręciſiua monialium non deſtruit voluntatem ingredientis ſub prætextu, quia verè deberent non admittere contendentem ingredi cum tali prætextu, & verè permittunt contra tenorē, & intentionem præfati motus proprij Greg. XIII. Ita *Nauar. comment. 4. num. 46. de reg. uar. Sanch. in oper. mor. l. 6. cap. 16. & Bonac. loc. cit.* Ex quibus.

Collige moniales admittentes eos, qui intra ſepta monaſterij confugiunt propter aliquem bonum finem puta vitæ, vel honoris ſeruandi nec incurrere excommunicationem, quia non admittit ſub prætextu licentiarum caſus neceſſitatis, ſed in neceſſitate licet ſine debita licentia.

Collige ſecundo, admittentes moniales intra ſepta clauſuræ monaſterij pueros, & puellas minoris ætatis tanto minus incurrere excommunicationem, quia non admittunt ſub prętextu licentiarum.

Ipſi autem pueri, & puellæ, ſi non ſint doli capaces ſcilicet vltra ſeptennium nec incurrunt excommunicationem latam à Concilio contra ingredientes abſque licentia, & neceſſitate in monaſteria monialium, quia licet Concilium prohibeat ingreſſum cuiuſcumque ætatis, & conditionis debet tamen intelligi de perſonis ætatis doli capacis.

Quod patet ex eo, quod infantes doli nō capaces cū peccare nequeant

Digitized by Google

nequeant mortaliter, non ſunt capaces cenſuræ, ergo ſi Cōcilium nominat ætatem, intelligit de ætate, in qua committitur peccatum mortale, propter quod ſolum concurritur excommunicatio. Ita *Hier. Rodr. reſolut. 76. in comp. reg. qq. Suar. de relig. T. 2. l. 6. c. 16. Io. de la Cruz de ſtat. relig. l. 1. c. 5. & alii.*

Vtrum moniales illicitè ingreſſos clauſuram alloquentes, comitantes, detinentes incurrant excommunicationem.

DIFFIC. XXXVIII.

HVic difficultati iam ſatisfactum eſt ex dictis, nam vel illicitè ingreſſus eſt ſine licentia, & caſu neceſſario, & hunc alloquens concomitans monialis, vel retinens diutius non incidit in excommunicationem, quia nullibi hæc reperitur in terminis lata contra admittentes illicitè ſimpliciter, quod ſi ingreſſus illicitè dicatur, quia ſub prætextu licētiarum extra caſus neceſſarios intrauit in Monaſterium, hunc alloquens, & concomitans Monialis priuata ſi nullo modo ſit cooperata ad ingreſſum ſub prætextu licentiarum non incurrit, quia ingreſſum illicitè non tenetur ex officio expellere, ergo non dicitur permittere ingreſſum talem, peccat tamen contra obligationem clauſuræ, quod ſi ſit Abbatiſſa, vel Superior, cui ex officio contingit illicitè ingreſſum expellere, videtur incidere in pœnas Greg XIII. latas, ſi illum alloquatur, & comitetur, quia permittit ingreſſum in facto eſſe.

Adde, quod monialem etiam priuatam ſi in cauſa ſit, vt diutius commoretur incidit in præfatas pęnas, quia approbat ingreſſum ſub prætextu licētiarum, approbare autem ingreſſum eſt etiam admittere in Monaſterio, quod etiam prohibetur priuatis monialibus probant noſtri Rodriq. & Sorbus ex eo, quod detinens bannitum in domo ingreſſum inſcio Domino punitur de receptatione Banniti, quia detinendo in domo dicitur admittere in domo ſua Bannitum, & illi fauere, ita putant in ſimili dicendum de moniali ſolum detinente diutius ingreſſum ſub prætextu, licet ad eius ingreſſum non fuerit cooperata.

Attamen benignius negant *Sanc. quem citat & ſequitur Bonac. de clauſ. q. 5. 94. p. 6* quia approbans ingreſſum iam factum non propriè dicitur admittere, Pontifex enim videtur prohibere admiſſionem ante factum, non poſt factum, quare ratio adducta non videtur ſatis probabiliter concludere maximè cum ſimus in odioſis, in quibus non debet fieri extenſio verborum ex quibus in praxi.

Vtrum medicum, Chirurgum, famulos, Baulos, & Artifices ſub prætextu licentiarum in caſu neceſſario tantum habitarum à Superiori admittentes moniales intra Monaſterium extra caſum neceſſitatis incurrant excommunicationem & pœnas Papæ reſeruatas.

DIFFIC. XXXIX.

AFfirmatiuè reſpondendum, nam ſic expreſsè ſtatuitur à Greg. XIII. in ſuo motu proprio, qui incipit vbi Gratiæ cuius verba formalia retulimus ſupra diffic. 17. in quibus concluditur, ne moniales ſub eiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant. Itaque non ſolum excommunicationē Papę reſeruatam, quando præfatos habentes licentiam à Superioribus intrandi tantum in caſu neceſſario admittunt, & vocant Moniales pro ſuo libito extra caſum neceſſitatis, verum etiā omnes alias pœnas priuationem ſcil officiorum, & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda incurrant.

Aduertant ergo quæſo Moniales, vt pro rebus non neceſſarijs, quas ſcil. ipſæ commodè, & æquè bene poſſunt ipſę facere, & indifferenter pro qualibet re leui, vel non neceſſaria famulos, Artifices, Baiulos, Chirurgos, & Medicos habentes licentias ſolum in caſu neceſſario vocare præſumant, ne excommunicationem Papæ reſeruatam, & pœnas ita graues incurrant ſolum pro aliquo fine, & ſi non formaliter in honeſto, attamen vix decenti.

Verum eſt tamen, quod ad incurrendas has pęnas requiritur ingens temeritas. i. ſcientia adeſſe tot pęnas contra admittentes, quare poſſunt excuſari ab incurrendis præfatis pœnis, bona fide, obliuio, aut inaduertentia, aut etiam ignorantia craſſa, ſupina, & vincibilis, vt dictum eſt v. Cenſura de cauſis excuſantibus à cenſuris incurrendis. At vero

Vtrum monialis fortiter audeat habentem licentiam intrandi in Monaſterium in caſu neceſſario tantum admittere propter aliquem alium bonum finem, puta ne capiatur à famulis, vel ne cum ab alio percutiatur incidat in præfatas pœnas latas à Gregorio Decimotertio.

DIFFIC. XL.

NEgant noſtri *Rodriq. & Sorbus, quos citat & ſequitur Sanc. in op. mor. l. 6. c. 16. n. 93. & Coriolan. de caſ. reſeru. 2. p. c. 3. n. 13.* quia bona fides, & bonus finis videntur excuſare hanc monialem admittentem pręfatum illicitè alias ingredientem, nam bona fides, & bonus finis tollit præſumptionem, quæ requiritur à Gregorio in admittente extra caſū neceſſitatis habentem licentiam ad intrandum tantum in caſu neceſſitatis.

Attamen licet non ſit omnino improbabilis hæc opinio, dū ceſſat ratione bonæ fidei, vel boni finis, quem habet admittens in hoc caſu legis contemptus, qui requiritur in præſumptione magna, & ingenti temeritate requiſita ad incurrendas tales pęnas, attamen probabile etiam dicerem cum *Bonac. de clauſ. q. 4. p. 6.* quod poſita ſcientia Greg XIII in moniali admittente in tali caſu. .ſ. non poſſe talem admittere ſi vere ſciat Monialis, & tamen ob finem bonum introducat, incidat in pęnas præfatas, quia bonus finis non tollit præſumptionem contra præceptum, vndę virtualiter ſaltem contemnere videtur pręceptum.

Cæterum, quia ad ingentem temeritatem, quæ requiritur ad præſumptionem contra pręceptum, poſſet monialis, poſt factum excuſari à pęnis in tali caſu; verum ante factum non eſt conſulenda, ne, præterquam fas eſt, habenæ in tali materia laxentur.

Vtrum intra clauſuram monaſterij liceat monialibus habere claues Tabernaculi in quo aſſeruatur ſanctiſſimum Sacramentum & an liceret intra eadem clauſtra aſſeruare reliquias ſanctorum.

DIFFIC. XLI.

NEgatiuè reſpondendum quoad vtramque partem, & quidem habetur deciſum à *Sac. Congregatione in Valliſoletana die 12. Ianuar. 1624.* claues tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti nullo modo cuſtodiendas intra clauſuram à monialibus, ſed à Sacerdote, ad quem ſpectat illud eis adminiſtrare omnino eſſe ſeruandas, indecens enim eſt, vt fęminæ, quibus miniſterium tanti Sacramenti tanquam incapacibus prohibetur, eiuſdem tabernaculi apud ſe teneant claue.

Et quoad ſecundam partem habetur etiam deciſum à *Sacr. Congregatione in Fauentina 2. Martij 1617.* Reliquias ſanctorum non eſſe ſeruandas à monialibus in clauſuram ſed in loco honeſto ex Eccleſia exteriori omnino collocandas, Vide *Barboſ. in collect. Doct. in conc. ind. ſeſ. 13. de regul. c. 9.*

Clericus.

Vtrum Clericus iure humano, an diuino ſit à iuriſdictione, & legibus Principum ſecularium exemptus.

DIFFIC. I.

CLericus à voce græca Κλῆρος, quæ latinè ſors dicitur, iuxta ſui nominis ęthimologiā, quaſi ſortitus ideo dicitur, quia vt Hieronymus Scribens ad Nepotianum ait, propterea vocantur clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Dominus ipſe eſt ſors, & pars clericorum, vel quia ipſe pars Domini eſt vel Dominū partē habet, talē ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur à Domino, hęc Hieron. alij vero ab eadem voce κλῆρος, quæ apud grecos hæreditatē dicit, vnde Cleronomia hęreditas dicitur, & Cleronomus hęres appellatur, quaſi clericus de hæreditate Domini ſit, hinc Epiſcopus ad miniſteriū diuinorum aliquem aſſumens, prima tonſura cum initians ait capillos tondens Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi; quare Clericus de Domini hæreditate, vel ſorte cum dicatur iuxta ſui nominis ęthimologiā iure à ſęculi poteſtate ſegregatus ad Eccleſiaſtici Miniſterium, & diuinum ſeruitium dicitur per diuerſos ordinū gradus aſſumptus; iure ergo in hoc titulo prima difficultas occurrit diſcutienda.

Variant in hac difficultate Doctores, putant cum alij eſſe ſolum de iure humano introductum Clericorum exemptionem

ptionem à poteſtate ſæculari, nam putant de iure diuino quęcunque generaliter loquendo ſubiectum eſſe poteſtati ſæculari, & probant ex *D. Paulo ad Rom.* 13. omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & hoc propter Dei ordinationē, & ipſe *Paulus Act.* 25. ait, ad Tribunal Cęſaris ſto, ibi me oportet iudicari, practicè docuit etiam clericos ſubditos eſſe de iure poteſtati ſæculari, quod etiam practicè docuiſſe Chriſtum aſſerunt apud Io. 19. dum dixit Pilato, non haberes poteſtatē in me vllam, niſi tibi data eſſet deſuper) addunt, quod ſi eſſet de iure diuino exemptio Clericorum nō poſſet à Sūmo Pontifice reſtringi, & minui, & laico committi, cum non poſſit in iure diuino diſpenſari, volunt ergo de iure diuino non eſſe exemptionem clericorum à poteſtate laica, ſed iure humano, vt habetur Auth. vt Clerici proprios Iudices conueniant ex *l. placet C. de ſacroſanct. Eccl. & l. 2. C. de Epiſc. et cler.* patet etiam ex facto Conſtantini Magni, qui Clericos exemit à poteſtate laica dicens: ite, & vos veſtras cauſas iudicate, quod autem exemptio Clericorū ſit de iure Canonico colligitur ex *Concilio Conſtamienſi ſeſſ. 8. et Chalcedonēſi can 9. Carthaginenſi III. can. 9. et Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap.* 20. & ex multis alijs ſacris textibus habetur immunitas Clericorum à poteſtate laica. Ita *Medina C. de reſtit. q. 15. Salonius 2. 2. q. 67. ar. 1. concluſ. 4. Bannes ibid. Sotus in 4. diſt. 15. Couar. var. qq. c. 11. Molina tr. 3. diſp. 49. Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 3. Sayr. l. 3. c. 22. Menoch. de arb. caſ.* 430. *et alii inter quos*

Paulus Comitolus in reſponſ. moral. l. 1. q. 93. enumerat idem ſenſiſſe *noſtrum ſubtilliſſimū Doctorem in 4. diſt. 13. q. 2.* & tantum virum Theologorum principē carpere non puduit, quod ita ſentiendo cum tot, tantiſque viris grauiter errauerit, ſed quid ſenſerit *Scotus* in hac re infra forte docebo, etenim in illo loco noſter Doctor poſſet dici, quod loqui ad mentem aliorum, dum per verbum videtur loqui, & non per verbū dico, ait enim de hac materia loquens (illud priuilegium videtur conceſſum ab Imperatore Conſtantino), & forte locutus eſt in opinione *D. Thomæ, qui lectione 1. ad Romanos, c. 13.* citari ſolet, ſenſiſſe iure humano habitam fuiſſe Clericorum exemptionem, ergo non puderet Comitolum erroris redarguere D. Thomam, cuius ipſe ſe cum ſuis profitetur. Non miror ergo, quod non puduerit tantum Doctorem erroris arguere, cuius doctrinam tanquam cæcutiens noctua non eſt aſſecutus; parcat quæſo benignus lector, pro meo Doctore loquor.

Alij autem de iure ciuili, & Canonico habitam eſſe exemptionem, quæ iuri diuino admodum conſona eſt. Ita *Salon. Molina, ſeſſ. loc. cit.*

Abſoluere tamen volunt alij exemptionem Clericorum eſſe de iure diuino, & probant ex *Pſal.* 114. vbi habetur (nolite tangere Chriſtos meos) & à Chriſto fuit dictum Petro, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos in quibus verbis ipſi, & ſucceſſoribus ſuis datam fuiſſe poteſtatem in vtroque foro tradunt multi ex Doctoribus citādis, præterquam, quod ex Concilijs ſacris videtur eſſe definitum vt patet ex Conc. Lateranenſ. ſub Leone X. vbi habentur hæc formalia verba (cum iure diuino, & non humano laica poteſtas nulla ſit in perſonas Eccleſiaſticas) & in *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 20. de refor.* ita decernitur, (Dei ordinationibus, & Canonicis ſanctionibus perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatē conſtitutam.)

Vnde aiunt Conſtantinum Imperatorem ſolum legem declaratoriam talis exemptionis perſonarum Eccleſiaſticarum tuliſſe, non autem poteſtatiuè ex emiſſe, nam vt notat etiam *Bellarm. in reſponſ. ad duos libell.* ante tempus Conſtantini cētum ferè triginta annis tempore ſ. Sacr. Congregationis Cartagin. fuerunt Clerici à laica poteſtate exempti, quare Iuſtinianus Imperator, qui multa contra libertatem Eccleſiæ ſanciuit, vniuerſum peſſundedit Imperium, vt teſtatur *Baron. in anno Chriſti* 528. *et* 529. Quare probabiliter de iure diuino eſſe exemptionem Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum aſſerunt noſter *Ang. v. immunitas* §. 31. *Sylu. ibid.* 1. *q.* 4. *Azor. p. 1. l. 5. c. 12. q. 1. Ambroſin. de immunit. c. 16. Filiuc. trac. 8. c. 11. q. 10. Martha de iuriſd. 2. p. c. 6. Alter. de cenſ. diſp. 16. c. 2. Duard. can. 15. q. 18. Carol. de Graff. de effect. cleric. eff. 1. Bonac. in 8. Decal. præc. diſput. 80. q. 2 p 1. §. 1. Ceuallos*, qui multos citat contra communes *quæſt.* 550.

Alij vero diſtinguunt, quod Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ quoad perſonas exemptæ ſunt iure diuino à poteſtate laica, vt optimè probat tertia opinio, quoad vero bona temporalia pertinentia ad perſonas eaſdem Eccleſiaſticas, & Eccleſias, & loca pia iure tantum humano, & Eccleſiaſtico fuiſſe exempta, à poteſtate laica, cui ſuapte natura ſubijciebantur, vt ex *c. Sanctæ Mariæ de conſtit. & c. nullus 2. & c. Syluester 11. q. 1. & c. bene quidem 1. diſt. 96. Ita noſt. Hier. Rodr. reſolut. 63. n. 2. Turrecremata in c. cum ad veram diſt. 96. Nauarr. in c. nouit notab 6. n. 6. de iudic. Couarr. p practic. c. 31. n. 1. Abbas in c. qualiter n. 7. de iudic. ad quod videndus Suar. l. 3. de legib. c. 34. à n. 2, & 11. & ſequ.*

Singulas opiniones recitatas probabiles puto, at probabilius videtur ſentiendum tertia, quæ de iure diuino aſſerit eſſe Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum exemptionem, quā opinionem potius amplexam fuiſſe à noſtro *ſubtiliſſimo Doctore loc. cit.* ex eius verbis, quæ formaliter afferenda duxi, colliget, qui craſſioris non eſt intellectus, nec ad Scoticę doctrinę Illuſtriſſimum fulgorem tanquam noctua non cæcutit, ipſe enim dum reſpondet ad argumentum, quod degradatus Sacerdos non maneat Sacerdos, quia priuatur priuilegio Clericali, & traditur ſæculari, reſpondet, & quidem ordinaria reſponſione, quod non eſt eſſentiale tale priuilegium Sacerdoti, ſicut ordo, quod ait Scotus (ſatis perſuadetur, quia illud priuilegium videtur conceſſum à Conſtantino, ordo nō) in quibus verbis Scotum loqui iuxta aliorum opinionem patet ex eo, quod non loquitur in prima perſona dico, puta, vt ſolet quando ſuam ponit propriam opinionem, ſed per verbū videtur, quomodo ſolet aliorum opinionē præponere, quare eius Scholiaſtes, ſeu margin iſta, vt monſtret Scotum eſſe locutum in dictis verbis ad aliorum aures ponit in margine hæc verba. (Alij dicunt, quod ante habebant, ſed alij Imperatores abſtulerunt, & Conſtantinus reſtituit) itaque Scholiaſtes Scoti eius mentem de priuilegio non poteſtatiuè cōceſſo, ſed de priuilegio reſtituto, vnde declarauit Conſtantinus Imperator, vt dicebant tertiæ opinionis Doctores, quod Clerici ſunt exempti à poteſtate laica, quod clarè indicant verba Cōſtantini relata *in c. continuo* 11. *q. 1. & c. futuram* 12. *q. 1.* (vos enim ait Conſtantinus Spiritu Sancto afflatus) vos enim à nemine iudicari poteſtis, ſed ad ſolius Dei iudicium reſeruamini, quid clarius pro exemptione clericali iure diuino à Conſtantino poterat proclamari?

Cæterum ſequentia verba Scoti pro hac veritate comprobanda ad eius mentem placet apponere, quibus cardice de propria mente ad illud argumentū reſpondens ait, (quia illud priuilegium conſiſtit in hoc, quod non poſſit iudicari in cauſa ſanguinis, niſi à Iudice Eccleſiaſtico, vel quaſi in cauſa ſanguinis, ſed ſi Papa exuit aliquem priuilegio Eccleſiaſtico cōmendans eum Curiæ ſæculari, Iudex ſæcularis eſt miniſter, vel executor Iudicis Eccleſiaſtici, nullus autem à Iudice Eccleſiaſtico poteſt eum committere Iudici ſæculari, ergo non eſt poſſibile, quod committat ſibi, niſi ſicut miniſtro Iudicis Eccleſiaſtici, & per conſequens non ſpoliatur priuilegio, quia dum manet priuilegium poteſt aliquis ſæcularis in eum eſſe Miniſter Iudicis Eccleſiaſtici) hæc Scotus, vnde clarè patet Scotum, dum ait Papam non ſpoliare Clericū priuilegio clericali, nec ſubdere eum Iudici ſæculari in degradatione, ſed ſolum conſtituere miniſtrum & ſuę executorem iuſtitiæ Iudicem ſęcularem, conſequenter dicere velle priuilegium Clericalis exemptionis eſſe de iure diuino, quia non poteſt illud à Clerico tollere, ſed ſolum poteſt ſuam iuriſdictionem alteri delegare tanquam miniſtro ſuæ iuſtitiæ.

Quare ſi tanti Doctoris doctrinam Aquilæ oculis Paulus Comitolus fuiſſet contemplatus, tanquam Noctua ad tanti luminis claritatem cęcutiens erroris Principem Theologorum arguiſſet ſicut ipſe falſitatis eſt merito in tali Scoticę doctrinæ relatione damnandus.

Qui ergo probabiliorem opinionem, quod perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ ſint iure diuino à laica poteſtate, velle ſequi poſſet reſpondere ad authoritates, & rationes primæ opinionis, quod aliud eſt priuilegium habituale, aliud actuale, & poteſtas alia eſt facti, alia iuris; perſonæ ergo Eccleſiaſticæ ſemper habuerunt priuilegium habituale exemptionis à laica iuriſdictione, & laici Iudices nunquam habuerunt poteſtatē iuris ſuper perſonas Eccleſiaſticas, & perſonæ Eccleſiaſticæ ab initio tempore etiam D. Petri vt alibi monſtrabo fuſius Deo dante fuerunt, quatenus ab iniuria temporum permittebatur, iudicata à Prælatis Eccleſiaſticis, attamen propter malignitatem temporū, & infidelium regimen laici iudices vtebantur

bantur poteſtate facti, non iuris in perſonas Eccleſiaſticas,& ita fuit iudicatus Chriſtus à Pilato, & Paulus à Proconſule, & Imperatore, & cogebantur tunc carere priuilegio actuali talis exemptionis, quia Eccleſia adhuc actuale priuilegium non poterat exequi propter violentiam infidelium Principũ, & cogebantur eorum Tribunalibus reſpondere, & ab ipſis iudicari perſonæ Eccleſiaſticæ, ſic Deo permittente, nec peccabant, quia adhuc priuilegium actuale immunitatis non erat publicatum ad executionem ex qua doctrina patet reſponſio ad authoritates, ad rationes vero ex difficultatibus infra ponendis.

Vtrum Clerici, poſſint dici vaſſalli Principum ſæcularium.

DIFFIC. X.

AFfirmant noſter *Rodriq. in ſum. p. 4. c. 168. Souſa in B. C. c. 16. diſp. 84. & Valaſcus T. 1. conſultat. 100.* & alij, quia ſicut Chriſtiani nomen quodad Religionem pertinet, eſt cõmune Clericis,& ſæcularibus,& ex æquo dicũtur ambo Chriſtiani, ita etiam nomen Vaſſalli, quoad politiam æquè commune eſt clericis,& laicis, cum vere nullus naſcatur Clericus, & perſona Eccleſiaſtica, ergo naſcantur Vaſſalli eius Principis in cuius Territorio naſcuntur, & patriæ mores, & politicam vitam ducunt iuxta politiam loci etiam poſtquam facti ſunt Clerici, & ciues ſunt veri ſuorum locorum, ergo verè poſſunt nominari Vaſſalli.

Attamen contrarium puto dicẽdum, nam Vaſſallus vt fortè ſuo loco dicemus à voce vas, quæ ſponſionem,& ſubiectionem ſonat, ſuã capit ethimologiam, cum ergo Clerici,& perſonę Eccleſiaſticæ, non poſſunt ſe ſubijcere Principi ſæculari, non debent vocari Vaſsalli, & Vaſſallagium eas profiteri.

Adde, quod quatenus ſunt perſonæ Deo ſacratæ vocantur apud ſacros Canones Magiſtri,& Patres laicorum, Principibus quibuſcumque ſęcularibus digniores, vt patet ex *c. quis dubitet diſt. 99. et ex c. ſolita de maiorit. et obed. et c. 31. Imperator diſt. 96.* ergo indecorum eſt clericos, & perſonas Eccleſiaſticas vocari Principum ſæcularium Vaſſallos, ciues ergo vocari poterunt, non Vaſſalli, cum Vaſsalli rationem perdant ſtatim atque per clericatum ab eorum iuriſdictione eximuntur. Ita etiam *Martha de iuriſdict. p. 4. centur. 1. caſu 188. & Baldel. T. 1. l. 5. diſput. 35.*

Immò addit Martha, quod & ſi habeant feuda à Rege, indecorum eſt eius Vaſſallos vocari, ſicut nec Papa dicitur vaſſallus, ſi à Rege, vel Imperatore haberet feudum, ſunt enim perſonæ Eccleſiaſticæ omnino digniores Regibus quatenus Deo ſunt ſacratæ; Verum largo modo dici poſse Vaſsallos arbitror. ſ. habitualiter, ſeu originaliter. Vide *Salas de emp. dub. 9. numero 3.*

Vtrum Clericus exemptionem à foro ſæculari, ſiuè in ciuilibus, ſiue in criminalibus valeat renunciare ſaltem de conſenſu ſui Epiſcopi, vel Superioris, vel ſaltem ex conſuetudine talis renunciatio toleretur.

DIFFIC. III.

A*Vfrerius de poteſt. iudic. ſæcul. reg. 2. n. 20* affirmare videtur, cum vnuſquiſque poſſit ſuo renunciare priuilegio, & vnicuique licet renunciare ijs, quæ ſunt in ſui fauorem,& cõmodum exemptio autem data eſt in fauorem Clerici, ergo ei renunciare poteſt.

Attamen communiter improbabiliter locutum fuiſſe hunc Authorem merito conclamant, quia licet vnuſquiſque priuilegio, quod in fauorem ſui particulariter ſolum valeat renũciare, non tamen quod habet non ratione ſui ſpecialiter, ſed ratione communitatis totius, cuius ipſe vnus eſt, vt dicetur v. Priuilegium, exemptio autem eſt priuilegium communitati clericali, & Religioſo, vt patet ex *c. diligenti de for. comp.* non autem Clerico particulari, ergo ei renunciare non poteſt.

Pręterquam quod interdictum eſt ſpecialiter clericis renũciari poſſe exemptionis priuilegium tam ciuilibus, quam in criminalibus, *can. inſolita 11. q. 1. et can. placuit extra de for. cõp. ita Ang. verbo v. immunitas, Panorm. n. 7. Butrignan. n. 8. Anch. n. 5. Imola n. 3. in c. qualiter, et quando de iudice, Sayr in C. R. l. 2. c. 7. Surd. T. 1. conſ. 2. et T. 3. conſ. 307. conſ. 15. Gratian. T. 1. conſ. 87 Gramm. in deciſ. 61. et Theologi* communiter. Vide *Bonac. de cenſ. diſp. 2. q. 4. p. 2. qui citat Suar. Alterium, et alios, vide Fernandez in exam. Theol. mor p. 2. c. 6. et Salon. 2. 2. q. 67. ar. 1. contr. 2.* ex quibus

Dicendum 1., quod non ſolum Clericus non poteſt renunciare ex ſuo libito tali priuilegio, verum nec de conſenſu Epiſcopi, & ratio eſt, quia Epiſcopus nõ poteſt diſpenſare in iure communi, quod vt viſum eſt prohibet Clerico poſſe renũciare tali exemptioni. Ita etiam *Martha p. 4. cent. 2. caſ. 152. Corol. de Graſſ. de eff. cleric. effectu 1. n. 652. & Farinac. de inquiſ. q. 8. n. 13. & alij apud Martha* quicquid *Sayr. Farinac. & Decianus*, quos refert, ſed non ſequitur *Bonac. 8. prac. Decal. diſp. 10. q. 2. p. 1. §. 3.*

Dicendum ſecundo, quod nec per immemorabilem cõſuetudinem potuit introduci huiuſmodi renunciatio, & per talẽ conſuetudinem ſi ad foret alicubi, nihil vnquam iuriſdictionis acquiri potuit Iudici ſæculari contra iuriſdictionem Eccleſiaſticam quia laici Iudices ſunt incapaces talis iuriſdictionis contra immunitatem Eccleſiæ de iure diuino, numquam poſſunt pręſcribere licitè contra ipſam, Vnde reprobatur omnis talis conſuetudo *in c. nouerint de ſent. excommu.* & ſingulis annis in B C. vide *Colleg. Bononienſe in reſponſ. contra Venetos, Bellarm. in reſponſ. Epiſt. in fauorem Venet. & Bonac. de cenſ. diſp. 2. q. 4 p. 2.* Vnde meritò reijcitur communiter. *Couarr.* contrarium ſentiens.

Vtrum contra exemptionem clericorum à foro ſæculari renunciatam, vel non ſeruatam per aliquod tempus etiam immemorabile ex tolerantia Summorum Pontificum ſit acquiſitum ius Principibus ſæcularibus.

DIFFIC. IV.

DIſtinguendum cenſeo, nam ſi ſit ſolummodo tolerata dicta inobſeruantia exemptionis à foro laicali abſque tacito conſenſu ſaltem Summorum Põtificum ſanè nullum ius acquiritur contra clericos,& perſonas Eccleſiaſticas, quia tolerantia ſine conſenſu non dat iuriſdictionem, ſed ſolum patientiam in non puniendo propter bonum aliquem finem in ſuperiore demonſtrat, vt alibi ſuſius dicetur. Ita *Azor. 1. p. l. 5. c. 12. Filiuc. T. 1. tract. 16. c. 10.*

Quod ſi cum tolerantia adſit tacitus cõſenſus, vel adfuerit in præteritis Summis Pontificibus circa inobſeruantiam talis exemptionis, quia licet Põtifices eam cognouerint, & potuiſſent commode,& æquè benè prohibere, & tollere talẽ inobſeruantiam, nec voluerunt, ergo tacitè conſenſerunt, & conſequenter Iudices ſæculares habentes iuriſdictionem contra Clericos cognitam a Pontificibus,& non prohibitam licitè ea vtuntur donec de facto reuocetur, poſſe. n. delegare ſuam iuriſdictionem ſæculari Iudici ad puniendum Clericum Summum Pontificem alibi demonſtrabo. Ita etiam communiter docent poſſe in tali caſu Iudicem ſæcularem licitè vti tali iuriſdictione in clericos contra exemptionem vniuerſalem, & Eccleſiæ libertatem. *Molin. T. 3. de iuſt. tract. 2. diſp. 470. Malder. in p. 7. quæſt. 9. ar. 4. Vaſq. opuſc. de reſtitut. c. 6. & Salzedo de poteſt. regia T. 1. p. 1. c. 1.*

Vtrum tacitus conſenſus Summi Pontificis ſi adſit tolerans inobſeruantiam contra exemptionem clericorum tollatur per reuocationem factam quotannis in Bulla Cæna.

DIFFIC. V.

DIſtinguendum puto, quod ſi verè adſit conſenſus tacitus, vel expreſſus Summi Pontificis, quo alicui Principi propter remunerationem ob beneficia in Eccleſiam facta ſit cõceſſa iuriſdictio aliqua in Clericos,& perſonas Eccleſiaſticas, non reuocari per Bullam Cęnæ probabiliter,& piè ſentiendũ ratio eſt, quia non debemus præſumere Summum Pontificẽ, qui pius eſt Pater, velle eos, qui bona fide vtuntur hoc priuilegio, manere ſub damnatione tanta abſque monendo eos de tanto ſcelere, ergo dum eas non mouet,& ſcit, & poteſt prohibere commodè, & æquè benè abſque periculo, & ſcandalo præſumptio pia, & probabilis eſt Summum Pontificem nolle eos ſub tali reuocatione comprehendere.

Attamen contra *Zipeium in annal. iuris can l. 2.* dicendũ abſolutè cenſeo etiam datam iuriſdictionem ex remuneratione in clericos à Põtificibus Summis poſſe, & debere tolli ſtante legitima cauſa, & videtur temerè quaſi dictum, nõ poſſe Papã

reuoca-

Digitized by Google

reuocare ea, quæ cōceſſit remunerationis gratia Principibus, vtpotè incorporata in ipſorū iuribus, nam iuriſdictio Eccleſiaſtica nō poteſt tradi abſolutè in perſonas Eccleſiaſticas, ſed ſolum poteſt delegari, atque adeo delegatio tolli ad libitum ex data occaſione, vt alibi fortè probabo, Vide *Souſam in B.C.c. 46.diſp.102.*

Quare priuilegium conceſſum Regi Hiſpaniç circa Tribunal, quod vocant della fuerza, & priuileginm conferendi Canonicatus, & dignitates in ſuo Regno, & Reipublicæ Venetæ procedendi contra Clericos in certis caſibus non tolli per reuocationem priuilegiorum contra libertatem, & Immunitatē Eccleſiaſticam in bulla C. factam quotannis piè, & probabiliter dicendum, vſquequo ſpecialiter inhibeantur vti talibus priuilegijs. Ita ex *Maldero p.2.q.9.art.4. & 22. tract.5.c.7.dub.7. Henriq.l.10.n.71.in fine, Filiuc.T.1.tr.18.c.10. & Suar.contra regem Ang.l.4.c.31.nu.29. cum Bellarm.* non audet damnare vſum talium priuilegiorum *idem Nauar. in man.c.27.nu.11. videtur ſentire.*

An vero contrarium ſentientes Summum .ſ. Pontificem quotannis reuocare præfata priuilegia conceſſa tacitè, vel expreſsè Principibus, vt ſunt *Sayr.de cenſ.l.3.c.25.Duard.in Bul. Cana l.3.§.q.1.n.1.Marth.de iuriſd.p.1.caſ.7.* & alij probabili innitantur fundamento iudicium Apoſtolicum expecto, interea piè opinandum autumo cum prima.

Attamen ſi tacitus conſenſus Summi Pontificis de inobſeruantia exemptionis Eccleſiaſticæ ſolum dicat quamdam tolerantiā, vtpote, quia talis authoritas, & iuriſdictio in Clericos, & Eccleſiaſticos potius fuerit vſurpata, quam remunerationis cauſa expreſsè, vel tacitè conceſſa Principibus, ſanè dicendū, eſt cum præfatis Doctoribus, quot annis talia priuilegia potius præſumpta, quam cōceſſa reuocari, nec indigent alia monitione, cum in Fer. v. C. Do. quando legitur Bulla adſint Principū Nuntij, legati, & agentes, quibus talis B. intimatur.

Vtrum Clerici teneantur leges ciuiles, quæ non ſunt contraria immunitati Eccleſiaſticæ, & quomodo.

DIFFIC. VI.

OMnino exemptos à legum ciuilium ſeruādarū obligatione putarūt Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas *Genuenſ. in B.Arch.Neap.c.74.* & alij, quia ſpecialiter exēpti à iuriſdictione laica accipiunt ſeruanda ſpecialia iura canonica, ad quorū tenentur obſeruantiā, aliter ſi tenerentur ſeruare leges ciuiles, poſſent à Iudice ſæculari etiā puniri, quod falſum eſt.

At vero communins docent Canoniſtę, & Theologi teneri Clericos, & Eccleſiaſticos ad obſeruātiam legum ciuilium in quibus non ſunt contrariæ libertati Eccleſiaſticæ, & iuri Canonico, & probant quia leges ciuiles fundātur in lege naturæ, & diuina iuxta illud per me Reges regnant, & potentes iuſta decernunt, Vide *Ang.noſtrum hanc doctrinam luculenter explicantem v.lex §.5.Portel.v.lex n.2.Sylu.v.lex q.15.Salon.T.2. 2.2.q.77.Molin.T.3.tract.2.diſp.31. & alii.*

Verum eſt tamen quod non vi coactiua, ſeu coercitiua tenentur ad earum obſeruantiam, ſed ſolum directiua, & rationem reddit noſt. *Arg.* quia non quatenus lex ab Imperatore lata, ſed quatenus iuri vel naturali æquitati conſona ſecundū quam tenentur dirigere actiones ſuas etiam Clerici, eos obligat. Ita etiam *Portel.vbi ſup.Bellarm.in reſp.ad epiſt.pro defenſ. Venet.* & alij, quicquid in contrarium reclamant *Medina, Sotus, & Salas, ſed de hoc fuſius v.lex.*

Quare cum non teneantur vi coactiua ad legum ciuilium obſeruantiam, negandū eſt poſſe puniri à Iudice ſæculari clericos ipſas non ſeruantes. Vnde iure venit pertractanda difficultas illa.

Vtrum Clerici teneantur vendere frumentum, vinum, & cætera etiam collecta expredijs Eccleſiaſticis iuxta pretium ſtatutum à lege, vel foro ſæculari, & an cogi valeant.

DIFFIC. VII.

NOn ſolum teneri clericos, & perſonas Eccleſiaſticas iuxta pretium taxatum a lege, vel foro ſęculari vendere frumēta, vina, olea, blada, & cætera ad victum neceſſaria, ſed à poteſtate laica poſſe propria authoritate cogi ad ea vendēda tempore penuriæ, & neceſſitatis iuxta pretium legale, & forenſe aſſerere auſi ſunt *Ortix noſter in ſumm.cap.4.num.4.Vincentius de Franchis p.2.deciſ.9. & Salas de empti. & vend. cap. 9. Io.de Neuia in cur.Philip.p.3.§.3. Bobadil. in polit. T.2.l.3.c.3.*

Attamen immediatè loqui hoſce DD. puto contra libertatem Eccleſiaſticam, nam cū Clerici non teneantur vi coactiua ad ſeruādas leges ſęculares nullo modo poſſunt cogi à Iudice ſęculari etiam tempore neceſſitatis, quia neceſſitas non poteſt dare ſæculari iuriſdictionem in Clericos contra libertatem Eccleſiaſticam.

Quia vero clerici tenentur vi directiua ad obſeruātia legū ciuilium, tenentur etiā ſub mortali vendere ſuas res pręfatas pretio legali, & forenſe, quia hoc non eſt contra ius canonicū nec libertatem Eccleſiaſticam, ſed conſonū æquitati morali, vel naturali, poſſunt copia Iudice Eccleſiaſtico ad vendendum pretio legali tempore neceſſitatis, & tenentur Iudices Eccleſiaſtici eos cogere ad huiuſmodi venditionē maximè ſi penuria adſit, ſeruata pro eis parte neceſſaria ad ſui ſuorumq; ſubſtētationem. Ita DD. citati in ſuperiore difficultate, & colligitur ex *c.non minus, & c.aduerſus de immun. eccleſ. & c.quamquā de cenſ. in 6.vide Duard.in B.C.l.2.can.15.q.17. Bellet.in diſq. cler.p.1.Tit.52.Molfeſ.T.2.tract.12,c.4. & alii.*

Quod ſi neceſſitas vrgeat, nec poſſit haberi ſuperior Eccleſiaſticus, qui cogat, vel iniuſtè deneget cogere ſuos clericos, & Eccleſiaſticos ad tradenda frumenta, & reliqua victui neceſſaria pro communitate, omni qua decet modeſtia non pręſumendo authoritatiuè, ſed ſolum ea ratione, quia tempore neceſſitatis omnia ſunt communia pium eſt, & probabile poſſe de facto tollere à Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, tenentur tamen eis pretium legale ſoluere, aliter tenerentur ad reſtitutionem, modo ad ſit poſſibilitas ſoluendi, quare adeſt difficultas in promptu iure diſcutienda.

Vtrum Clerici molientes contra ſæcularis Reipublicæ perniciem poſſint per Principes laicos puniri.

DIFFIC. VIII.

PVtant *Nauar.in c.cum contingat de reſcrip. remed.1.Guliel. Bened.in c.Baynutius V. vxorem. Aufrer.de poteſt.ſæcul. ſuper eccleſ.reg.2.Mol.de iuſt.T.1.tr.2.diſp.31. & alii* Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas, quando manifeſtè moliuntur contra Rėpublicam, poſtquam à Principibus moniti ſunt Superiores Eccleſiaſtici, vt eos à tali facinore cōpeſcant, & ipſi renuerint apertè hoc facere, pone in tali caſu à Principibus ſolum, nō autē à ſuis Iudicibus capere, & ab eis ſe defendere eo modo, quo ſe poſſent defendere ab alijs ſuū Dominium infeſtantibus, & perturbantibus, vim .n. vi repellere cū moderamine tamen inculpatæ tutelę docet æquitas, ſeu ius naturę, quod iuri diuino præponderat; non debent tamen excedere moderamen inculpatæ tutelæ, quia inciderent in excommunicationem; poſſent ergo ſolum contra clericos ſe defendere in eo, in quo damnificantur, & damnificari timentur, non autē in cæteris, in quibus non timentur damnificari, & ſi ſit ſufficiens vnus modus ad ſe defendendum contra perſonas Eccleſiaſticas, puta eijciendo à ſuis Terris, non debet eos carceri mancipare, ſi ſufficiat eos carcere detinere, non poſſunt eorū bona diripere, & ſi ſufficiat eorum bona diripere, non poſſunt percutere, & ſi percuſſio ſufficiat, non debent occidere, in defenſione enim requiritur iſtud moderamē, quare ratione defenſionis inuehentes contra clericos, quos Iudex Eccleſiaſticus renuit punire, tale moderamen tenentur ſeruare.

Imò ſi periculū ſit in mora, & ſeditio, vel aliud damnū euidenter oriatur à perſonis Eccleſiaſticis in damnū Reipublicę, Regnis Prouincię, & ciuitatis, & non pateat recurſus ad Iudicem, & Superiorem Eccleſiaſticum, poſſunt expelli à præfatis locis abſque periculo incurrendæ excōmunicationis vndecimę in B.C. in quo titulo vide, quæ diximus in difficul. 11. vbi conditiones fuſius expenduntur circa hanc materiam.

Vtrum clerici portantes arma prohibita à lege ſæculari de nocte inuenti ſine habitu, vel in flagranti aliquo crimine, capi poſſint armiſque ſpoliari à Iudice ſæculari, & an gaudeant poſt patratum delictum Eccleſiaſtica immunitate ita vt ad eccleſiam confugientes non poſſint extrahi.

DIFFIC. IX.

DIco 1. quod ſi Epiſcopus, vel ſuperior legem tulerit ne clerici, & perſonæ Eccleſiaſticę portātes arma prohibita de noctu nō debeant à Iudice ſæculari capi, non poſſunt ſeſe neq

ipſe,

ipſe, nec eius ſatellites intromittere in tali captura, quia tacitus conſenſus Epiſcopi, vel ſuperioris, vt poſſint capi iam per talem legem non adeſt, ergo debent ſeſe abſtinere, cum in eos ius nullum habeant, vt vero ſi non adeſt talis lex, & reperiatur ſine habitu de nocte cum armis prohibitis poſſe capi à Iudice ſæculari, & eius ſatellitibus cum animo quamprimũ præſentandi eos ſuo Iudici Eccleſiaſtico ordinariò maximè in flagranti aliquo crimine, vel de eo vehementer ſuſpecti inueniãtur, aſſerunt probabiliter noſtri *Rodr. in ſum. T. 2. c. 137. Ortiz in ſum. c. 4. Beltes. in diſquiſ. cler. p. 1. tit. 3. §. 11.* qui citat pro hac ſententia *Fel. Io. And. Bald. & clar. viros Graſ. in dec. p. 1. l. 4. et Nauar. c. 17. n. 33. & Genuenſ. in prax. c. 27.* licet poſtea infra probabilem etiam Superiorem ſententiam putet, modo ſpatio 20. horarum clericos coram ſuo Iudice ordinario præſentet, *Campan.* tamen *in diuerſ. iur. rubr. 4. n. 27.* recto tramite ducendũ eſſe clericum in flagranti crimine comprehenſum ad ſuum Iudicem, itaut *Barboſa in ſuis collect. T. 1. l. 3. Tit. 1. c. 2. nu. 7.* velit Iudicem ſæcularẽ in excommunicationem incidere, ſi recto tramitè perſonã Eccleſiaſticam inuentã in flagranti crimine non ducat ad ſuum ſuperiorem ordinarium.

Attamen in hac materia puto conſiderandas eſſe circumſtantias, quę moraliter indicent præciſo omni dolo an ſtatim, & recto tramite, an vero expectata temporis opportunitate, præcepta enim Eccleſiaſtica moraliter, & benignè ſunt interpretanda.

Aduertant tamen quod in quantocunq; crimine in flagrãti inueniantur perſonæ Eccleſiaſticę non debent percuti, & iniuria affici à Iudice, vel milite ſæculari, aliter incidũt in excõmunicationem Et ſi velint dare cautionem, ſeſe præſentandi Iudici Eccleſiaſtico, debẽt eum admittere, nec poſſunt eos Iudex, & milites ſæculares carcerare, niſi facti immanitas, vel alia circumſtantia aliud ſuaderet.

Cęterum mihi arridet, quod in hac materia monent Diana *p. 5. tr. de immun. reſol. 22. & Caſtr. Palaus T. 2. tr. 12. diſp. vlt. p. 6. n. 14.* tres conditiones requiri, vt Clericus in flagranti crimine comprehenſus poſſit à Iudice ſæculari licitè capi, prima, vt nõ potuerit impetrari mandatum à Prælato cui præſentandũ intendant, 2. quia timetur fuga, 3. vt ſtatim Iudici proprio præſentetur ſaltem ſpatio horarũ viginti ſecundũ opinionẽ probabilem, vt ſupr. & tanto tempore etiam, quantum penſatis circunſtantijs loci, temporis, abſentia Prælati perſonæ moraliter putatur eſſe neceſſariam pro debita præſentatione ad ſuum Prælatum præciſo omni dolo.

Quod autem *Megala in 5. p. l. 3. c. 11. & Mariba l. cit.* id licere negent Iudici ſæculari capere Clericos abſq; expreſſa licẽtia ſui Ordinarij in talibus caſibus reuera parum probabiliter loquuntur, quia Prælati Eccleſiaſtici debent præſumi velle tales clericos, & perſonas Eccleſiaſticas capi, dum ſine habitu de nocte inueniuntur cum armis prohibitis, quia ad malum aliquod perpetrandũ ſic incedere vehemens eſt in ipſis ſuſpicio, tenentur. n. velle, vt ſui ſubditi à malis, & vitijs compeſcantur.

Dico 2. quod licet Clericos inuentos ſine habitu de nocte cum armis prohibitis poſſe ſpoliari dictis armis à Iudice ſæculari affirment inter Theologos noſtri *Rodr. & Ortiz. lo. cit.* idem volunt *Graſ. lo. cit. Cariol. in B. C. f. verbi 956. Vaſq. T. 2. p. 2. diſp. 163. c. 4. Lorca p. 2. tr. de leg. diſp. 25. et inter iuriſtas Coua. pr. qq. 33. Azuedus T. 1. l. 1. n. 3. l. 9. Gomez. in l. 45. Cenedo in collec. iur. can. p. 1. coll. 37. & Bobad. Polit. T. 1. l. 2.* & alij putantes Iudices ſæculares expoliando Clericos, & Eccleſiaſticos armis prohibitis incedentes ſine habitu de nocte bonum efficere .ſ. vt lex timeantur, & vitia arceãtur, & ciuiũ, & aliorum in loco ſuo exiſtentium tenetur Iudex damnum maximè de nocte omni meliori modo propellere, & cauere ne fiant mala, Clerici autem, & perſonæ religioſæ ſi inueniantur ſine habitu, & cum armis prohibitis de nocte, præſumi debent ad aliquod malum committẽdum incedere, ergo poteſt ſaltem eos armis ſpoliare, ne habeant occaſionem faciendi damna.

Verum hæc opinio licet non omnino ſit improbabilis, modo adſit euidens periculum, & nullo alio modo præcauendũ, quam armorũ ſpoliatione, attamen ſi coniunctiuè hoc faciãt Iudices ſæculares .i. armis ſpolient, & ad ſuum Superiorẽ Eccleſiaſticum deuinctos portent tanquam inuentos de nocte cum armis prohibitis, vnde aliquod damnum inferre poſſunt præſumere illaturos attenta circunſtantia perſonæ ſuſpectę, vel non ſuſpectæ, probabilem putarem præfatam opinionẽ, quia ita conſuleretur communitati, quam ſolum eos armis ſpoliando, quare ſi ſolum armis ſpoliarent dicẽdum omnino, incidere in excommunicationem, quia vterentur actu iuriſdictionis in Clericũ abſq; euidenti neceſſitate, & periculo, in quo caſu non adeſſet voluntas Superioris Eccleſiaſtico. Ita &. *Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1. §. 1. n. 2. Genuenſ. in pr. c. 74. Bortoſo in collect. loc. cit. Duard. in B. C. l. 2. c. 12. q. 15. & Riccius p. 3. dec. 199.* vbi etiam reſoluit Clericum ferentem arma poſſe reſiſtere Iudici, & ſatelliti ſęculari volentibus, eum capere, & alij communius. Quare

Nullo modo conſulendam puto opinionem eorum, qui nõ ſolum ſpoliare docent poſſe perſonas Eccleſiaſticas armis prohibitis à Iudice ſæculari, verum etiam non teneri ea reſtituere, quia nimis euidenter eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, vt optimè notant DD. citati. Vide *Auguſtinum tr. de leg. l. 2. controu. 15. Dianam 1. p. tr. de immun. reſol. 9.*

Dico 3. quod Clerici poſt patratum delictum aliquod modo non ſit exceptuatum in Bulla Gregorij XIV. gaudent Immunitate eccleſiaſtica ſi ad Eccleſiam confugiant, nec poſſunt inde extrahi, quia Clerici non ſunt peioris conditionis ipſis laicis. Ita *Sacr. Congreg. epiſc. in propienſi 24. Iuny 1617. & ita etiam reſcriptum fuiſſe Epiſcopo Auerſanno anno 1633. teſtatur manente T. 2. reſponſ. 50. n. 3.*

Vtrum clericus exercens prohibitum venationem, vel piſcationem poſſit à iudice ſæculari ſpoliari, armis, canibus, & cæteris inſtrumentis.

DIFFIC. X.

Diſtinguendum exiſtimarem, nam vel Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ inueniuntur dare operam venationibus, & piſcationibus ſolũ iure canonico ſibi prohibitis in locis tamẽ cõmunibus non reſeruatis, & in hoc caſu nullo modo dicendũ Clericos canibus, auibus, armis, & alijs inſtrumentis ſpoliari poſſe à Iudice ſæculari, quia licet prohibeantur huiuſmodi venationes Clericis, & perſonis Religioſis, non tamẽ prohibentur ſub mortali ſaltem grauiſſimo, nec ſub pęnis, ſed ſolũ, quia eſt contra honeſtatem, & decentiam Clericorum, præterquã quod Clerici venationibus huiuſmodi incumbẽtes, nec communitati, nec alteri damnũ imminens, & præſens inferũt, vnde ex interpretata rationabiliter mente Iudicis Eccleſiaſtici poſſet Iudex ſæcularis eos armis auibus, & canibus ſpoliare, quare nullo modo ei licet in talibus caſibus moleſtare Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas.

Quod ſi venatio, & piſcatio ſit prohibita etiam ratione loci reſeruati, puta quia Princeps aliqua loca vel in terris, vel in aquis ſibi ſubiectis reſeruatam poſuit venationẽ, & piſcationẽ, in quibus locis ſi actu venantes, & piſcãtes inueniat clericos, probabile eſt, quod Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi poſt monitionem non deſiſtant, poſſint à Dominis locorũ ſolummodo, non autem à Iudice ſæculari immediatè ex ſuo officio eos armis, auibus, canibus, & cęteris inſtrumẽtis ſpoliare, quia Domini tanquam ſuarum rerum Clericos inuaſores actuales poteſt iure repellere, & contra eos defendere res ſuas ſpoliando armis, auibus & canibus, & inſtrumentis, quibus cum ſua animalia moleſtare, occidere, & capere contendunt, Iudex vero ſęcularis non poteſt, quia iuriſdictionaliter id ſibi facere prohibetur immediatè, Domini autem, quia non iuriſdictionaliter, ſed ſolũ ex defenſione ſui iuris, & rerum ſuarum non prohibentur hoc facere, cum defenſio ſit de iure naturæ, quæ præponderat cuicumq; iuri poſitiuo, vim .n. vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, quare omni modeſtia in Clericos poſt monitionẽ Venationes, & piſcationes in reſeruatis locis contumaciter exercentes ijs tantum ſpoliare poteſt Dominus temporalis, quibus violentiam ſufficit repellere, cui vocatus poteſt ſuum afferre auxilium Iudex ſæcularis.

Sanè ſi in hoc ſenſu, & cum hiſce limitationibus loquantur noſt. *Villalob. T. 2. tr. 10. diffic. 16. Ledeſ. T. 2. tr. 4. 8. c. 9. concl. 33. Salſed. in add. ad Diaz. c. 63. Moria in empor. iur. p. 1. tit. 1. qu. 8. & Cenedo in collect. iur. p. 1. collect. 37.* dum docent poſſe à Iudice ſæculari Clericos piſcationem, & venationem prohibitã exercentes ſpoliari armis, auibus, & canibus. & cęteris inſtrumentis ratiocinantur probabiliter, quod ſi abſolutè ſine huiuſmodi diſtinctione; & limitationibus id aſſerunt, nullo modo ſunt audiendi.

Dicent forte, quod venatio eſt Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis interdicta de iure canonico, ergo peccant actu venã-

tes,

tes in flagranti crimine inueniuntur clerici reperti actu venantes, in flagranti verò crimine inuenti poſſunt ſpoliari armis, canibus; Verum nihil concludunt, quia non pro quolibet crimine, in quo inueniantur inflagranti poſſunt Clerici ſpoliari armis à Iudice ſeculari, vt dictum eſt in ſuperiori difficultate, ſpoliare .o. dicit actum iuriſdictionis, quam in Clericos nequit exercere ſæcularis, per modum autẽ licitæ defenſionis in caſu aliquo atroci imminenti id ſolum licere dictum eſt.

Vtrum clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum cauſas per viam violentiæ poſſint cognoſcere iudices ſeculares.

DIFFIC. XI.

Clericorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum cauſas per viam violentiæ .ſ. alicui ſeculari, quando à Clerico infertur violentia, nec patet aditus ad Iudicem Eccleſiaſticum, vel patet, negligit violentiã Clerici reprimere monitus ab oppreſſo, vel quando Clericus, aut Religioſus à proprio Iudice Eccleſiaſtico violẽtiam reciperet, nec pateret aditus ad Superiorem Eccleſiaſticũ, ad quem appellet pro grauamine, vt à violentia defendatur, modo abſit fictio, & dolus, & arbitrio boni niſi cognoſcatur realis, & vera violentia, & periculum ſit in mora cum damno notabili, & irreparabili poſſe Iudices ſæculares requiſitos cognoſcere, & in illis ſe intromittere non per modum iuriſdictionis, ſed per modum inſtæ innocentis defenſionis, & à vexationis illicitæ redemptione abſque timure incurrendæ excommunicationis probabiliter putant ex eo, quod defenſio eſt de iure naturæ, quod omne aliud ius ſuperat, & dirimit, ex noſtris *Rodr. T. 1. c. 155. nu. 8. & Portel. V. appellare in addit. ex alijs vero Malderus Antuerpienſis Antiſtes in p. 2. q. 96. a. 4. Henriq. l. 14. c. 11. n. 6. & li. 3. c. 16. & Souſa in B. C. c. 15. diſp. 78. Io. Valer. in diff. vtriuſq. fori v. peccatum diff. 3. Io. de la Cruz in direc. p. 1. prac. 8. q. 3. a. 1. dub. 3. concl. 3. Hier. Lamas in inſtruct. confeſ. p. 1. c. 7. & Anguian. T. 1. de legib. l. 2. cõtr. 13. et pro* confirmanda hac ſententia adducunt caput Regum *23. q. 5. et c. filius vel Nepot.* 17. q. 7. qui canones licet correcti fuerint *ab Innoc. 3. in c. qualiter, & quando de iudic.* vt notant *Coreol. in B. C. excom. 14. & Filiuc. T. 1. tr. 16. c. 10. et Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1. §. 1.* attamen hanc correctionem intelligẽdam volunt, quando iudicialiter, & authoritatiuẽ procederẽt in tali caſu, non autem ſi ſolum procedunt in præfato caſu per modum licitæ defenſionis, & à vexationis indebitæ redẽptionis, vel monendo, & hortando Prælatos renuẽtes Clericorum vim repellere, vel iniuſtè ſuos Eccleſiaſticos vexãtes, vel quãdo Prelati tales monitiones reſpuunt, ſolum eos defendendo, & à vexatione liberando omni meliori modo non tanquam Iudices competentes, ſed tanquam perſonæ publicæ, ad quos ſpectat ſimiles violentias, & grauamina ex iure naturæ cõpeſcere, & prohibere vtpotè facta contra ius naturæ, æquum .n. non eſt foueri iniuſtitias, & violentias ſuperiorum Eccleſiaſticorum ſub pallio immunitatis contra ius naturæ in præiudicium pauperum, & oppreſſorum.

Cæterũ licet mihi non videatur improbabilis hæc ſentẽtia tot vallata circumſtantijs, attamen, quia vt habetur ex *gloſa in l. vt vim ff. de rei vendic.* probabile videtur etiã quod licet ſolũ vim vi repellere dum infertur ab aliquo priuato, non autẽ ab eo, cui ſubditi ſumus videtur probabilius cum alijs cõmunius ſentire quos abundè citat, & ſequitur *Diana p. 1. de immun. reſol. 13.* conſulendum Iudicibus ſæcularibus, ne in meſſem alienã manum mittant, dum probabile eſt in hoc caſu non adeſſe licitam veræ defenſionis rationem; & pium eſt ſuadere vexatis, quod ſicut laici grauati à Iudice ſupremo patientia vtuntur grauamẽ ad Dei Tribunal afferentes, ita etiam ſi opprimãtur à Iudice Eccleſiaſtico, nec pateat aditus ad ſuperiores, etiam patientia vtantur, quia probabile eſt vim ſuperioris nõ poſſe à ſubdito vi repellere, non .n. ſeruari modũ inculpatæ tutelæ, multi putant, vt ſuo loco dicetur, ſi ſubditus vim ſibi factã à ſuperiore vi alia repellat, ſi tamẽ caſus adſit ita enormis, vt ſup. opinione cogatur quis vti, nec recurrẽtes, nec Iudices amplexantes eorũ defenſionem cum dictis limitationibus in excõmunicationem dicerem incidere, etiamſi Iudex ſecularis cogeretur in tali caſu inſpicere acta ad eum finem vt cognoſcat de veritate grauaminis, cũ inſpectio actuũ non ſit quid pertinens ad iuriſdictionem, cum etiam Arbitri, & conſultores inſpiciant acta abſque iuriſdictione, ita etiam *Malder. & Diana loc. cit.* quia cum poſitis circumſtantijs iuri naturali videtur prima opinio admodum conſona.

Vtrum Clerici aſportantes extra Regnum, vel ciuitatem victualia, & alia neceſſaria à Principe ſæculari ſub ipſorum amiſſione aſportari prohibita, poſſint ab eius miniſtris licitè ſpoliari rebus inflagranti aſportatis.

DIFFIC. XII.

Diſtinguẽdum puto, nam vel pragmatica ſiue lex talis fuit facta etiam contra perſonas Eccleſiaſticas cum aſſenſu Papæ, vel ſaltem fuit requiſitus propter bonum commune ſui Regni, vel caritatis noluerit aſſenſum præbere, quia eſſet irrationabiliter inuitus, probabile eſt quod dum talis lex eſt lata, ſimpliciter propter bonum publicũ .ſ. ad conſulendũ annonæ ſui Regni, & ciuitatis ne ſcilicet neceſſaria ad victum in ſuo Regno, & ciuitate deſint, poſſunt clerici abſtrahentes huiuſmodi victualia extra Regnum, vel ciuitatem omni qua decet modeſtia aſportatis in flagranti ſpoliari, & eis ſoluere pretiũ legale, & forenſe, vel ad Cameram Apoſtolicã inuenta tranſmittere, ſi ita Regnũ, & ciuitas nõ indigeant, nam nequeunt Clericorum bona imburſare ſibi ſæculares Iudices, tãquam in pœnam legis tranſgreſſæ, quia talibus pœnis Clerici affici nequeũt, alias inciderent in pęnas pro tali facinore latas. At verò ſi ferant legem, & pragmaticam, ne aſportẽtur bona extra ſuum Territoriũ irrequiſito Summo Pontifice, nullo modo poſſe Clericos ſpoliari dictis bonis aſportatis dicendum eſt, quia in materia iuriſdictionis alienæ equũ eſt in aliena meſſe manũ non ponere, niſi prærequiſito Superiore proprio, aliter ſpernaretur, quare Papæ iuriſdictio cõtemneretur ſi ipſo irrequiſito contra Clericos tales pragmatica, & lex ſeruaretur, requiſitus autem non ſpernitur ſi nolit aſſentiri iuſtæ petitioni propter bonum commune, quia eſſet irrationabiliter inuitus ſecundum ius naturale poſſet procedere contra Clericos eos ſpoliando aſportatis propter bonum commune ſui regni.

Addo probabiliter, quod ſi Papa non fuiſſet requiſitus attamen ſcienter ſi toleraret talem legis obſeruantiam nec Miniſtri Clericos ſpoliãtes aſportãtis pęnis afficerentur impoſitis, quia videretur tacitè conſenſum præbere.

Quare non videntur vllo modo audiendi *Ioann. de Neuiæ in cur. Philip. p. 3. §. 3. nu. 11. & Bobadell. polit. T. 1. l. 2. cap. 18.* abſolutè putantes poſſe Miniſtros Regios dictis aſportatis à Clericis ſpoliare, eſſet enim immediatè contra libertatem, & Immunitatem Eccleſiaſticam.

Vtrum clericus ratione officij ſæcularis exerciti puta Tutoris, Conſiliarij Aduocati, etc. vel ratione falſæ menſuræ, quas ſuas res vendidit poſſit à Iudice laico cognoſci, & puniri.

DIFFIC. XIII.

Affirmare videntur *Suar. contra Reg. Ang. l. 4. c. 4. Bonel. de præſt. reg. cath. c. 71. Layman Theol. mor. l. 3. tr. 9. c. 4. Cenedo in collect. iuris can. p. 1. collect. 37. vbi alios citat Doctores, Bobadel. T. 1. polit. l. 2. c. 18. Ceuallos tr. de cognit. per viam violent. p. 2. q. 6.* ſpectantes Clericos in dictis caſibus à Iudice ſæculari pęna pecuniaria, & pro pęna perſonali remittendos ad ſuos Iudices Eccleſiaſticos.

Verum niſi adſit conſenſus Sum. Pont. ſpecialiter habitus à Principibus in caſibus præfatis, & conſimilibus, nõ videtur probabiliter dictum poſſe clericos, & perſonas Eccleſiaſticas delinquentes ratione officij ſæcularis, quod exercent, vel ratione falſæ menſuræ, vel venditionis vltra pretium legale, & forenſe puniri nec realiter, nec perſonaliter .i. nec in pecunia, nec in perſona à Iudice Eccleſiaſtico, ſed pro vtraque pęna accuſandos apud Iudicem Eccleſiaſticum, quia perſonæ Eccleſiaſticæ tam quoad perſonam, quam quoad bona gaudent immunitate, ſequi enim acceſſorium naturam ſui principalis eſt etiam axioma commune Iuriſtarum, ſi ergo gaudent exemptione in perſona, & ergo etiam in bonis. Ita communius Doctores vide *Duard. in B. C. l. 2. can. 15. q. 21. Zanard. in direct. T. 3. c. 50. Carol. de Graſſis*, qui ita practicatum fuiſſe in caſu cuiuſdam Equitis Hieroſolymitani, qui exercuit officium Capitaneatus in ciuitate Calateragenenſi in Sicilia. *Diana part. 1. de immunit. reſol. 18. Bonac. de leg. diſput. 10. qu. 2. p. 1. §. 1. Megala in 3. p. c. 11. l. 3. & Ric. in prax. T. 2. reſol. 413. & Barboſ. in collectan. T. 1. l. 3. Tit. 50. et alij.*

Vtrum

Vtrum Clericus delinquens ratione officij ſæcularis, vel contra legem ſæcularem, quam vi directiua tenetur ſeruare ſit puniendus à iudice ſæculari pœna in ipſa ſtatuta.

DIFFIC. XIV.

NOn defuerunt affirmantes ex eo, quod crimen debet puniri ſecundum legem, ergo ſi Clericus tenetur ſeruare legem ſæcularem, tenebitur etiam pœnam ſubire pœnam ſtatutam à lege ſæculari, & Iudex Eccleſiaſticus eam infligere.

Verum non videtur probabiliter dictum, quia Eccleſiaſtici ſolum tenentur ſeruare legem ſæcularem non pugnantem iuri Canonico vi directiua, non autem coactiua, quia lex ſæcularis non habet iuriſdictionem coercitiuam, & punitiuam in Eccleſiaſticos, cum eius legiſlatori ſubditi non ſint, quare eius pœnis non poſſunt vindicari Eccleſiaſtici. Iudex ergo Eccleſiaſticus eos poteſt punire pœna arbitraria, & extraordinaria ſecundum eorum arbitrium. Ita *Vaſq.p.2.T.2. diſp.167. c.4. Salas de leg.diſp.14.ſect.10.& alij.*

Vtrum clericus crimen læſæ maieſtatis admittens poſſit à Iudice ſæculari puniri.

DIFFIC. XV.

EX quadam Conſtitutione Regni Neapolitani de perſonis in qua habetur, quod Eccleſiaſtici pro quocumque delicto debent à ſuo Iudice Eccleſiaſtico iudicari, & puniri excepto pro delicto proditionis contra Regē, & ibi gloſa extendit ad quodcunque crimen læſæ Maieſtatis, pro quibus à miniſtris Regijs debent puniri, volunt multi hunc conſuetudinem legitimam eſſe, & practicari poſſe in huiuſmodi caſibus Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas puniri debere à Miniſtris Regijs immediatè, quam ſententiam multis citatis Doctoribus ſuſtinet *Ramirez in tract. de lege Regia §.17.n.11.in gloſa lit.B.*

Ceterum hanc ſententiam improbabilē & omnino erroneā ex declaratione quadam Clementis VIII. refert à *Genuenſis in prax. Arch.Neap. in c.27.* qui in caſu quodam atrociſſimo rebellionis motæ à quodam Religioſo, vt daret aliquas Terras Regni Neapolitani in manibus Turcarum, declarauit talem Religioſum puniendum à Iudice Eccleſiaſtico, & cum ad inſtantiam fiſci apponeretur, quod quidam Clericus in virtute dictæ Conſtitutionis Regni fuiſſet decapitatus, reſpondit Pōtifex, quod male iudicatum fuerit, atque adeo talem cauſam iſtius Religioſi commiſſa fuit Nuncio ab ipſo Pontifice adiūcto ſibi alio Conſiliario, vt interueniret tanquam delegatus Sedi Apoſtolicæ in tali iudicio, ex quo facto Clem. VIII. habetur expreſsè Iudicē ſæcularē nullam iuriſdictionem habere in clericos et in atrociſſimis rebellionis, & criminis læſæ Maieſtatis facinoribus, dū in tali cā dedit Nuncio cōſiliariū tanquā delegatum Sedis Apoſtolicæ. Quare ſi in aliquo vigeret cōſuetudo hæc puniendi Eccleſiaſticas perſonas pro huiuſmodi delictis potius impia corruptela, & vituperabilis Tyrannijs, quā pia, & catholica iuſtitiæ executio; nulla enim vis conſuetudinis, & legalis præſcriptionis poteſt contra exemptionem Eccleſiaſticorum legitimè etiam temporis immemorabilis, quia eſt de iure diuino, quod conſuetudo, & præſcriptio nō tollit, nec tollere poteſt vt ſuo loco dicetur. Ita communiter Theologi, vide *Bellett. in diſquiſ.cler. p.1. Tit.3.§.1. & Valenzuela in defenſ.conſ.Pauli V.p.4. n.70. & Zanardum in direct. confeſſ. T.3.cap.50.*

An vero degradandus propter crimen læſæ Maieſtatis ſit, Clericus, affirmant aliqui propter criminis immunitatem. Ita *Albertin.c.1.hæreſ.l.6.& alij.* negant tamen alij, quia nō eſt in iure expreſſum talis criminis cauſa clericum degradandum, non debent autem pœnæ extendi te caſu ad caſum Ita Barboſa *in collect.T.4.p.2.in cau.2.q.5.cap.ſi quis laicus, Curtius conſil. 154.& Diaz. in prax.crim.c.119.& nouiſſ. Diana p.parte tra.de immunit.reſol.129. & p.3. de immun.reſol.18.*

Vtrum clericus citari valeat a Iudice ſæculari cum hac conditione (ſi putauerit ſua intereſſe) & an cogi poſſit ad reſtituendum depoſitum, quod obligauit ſe reſtituire coram iudice ſæculari.

DIFFIC. XVI.

AFfirmant præcipuè in caſu, quo hæres vult adire hæreditem cum beneficio legis, & inuentarij, quia citandi ſunt omnes creditores Defuncti Teſtatoris, inter quos, ſi ſit clericus, vel perſona Eccleſiaſtica poſſe citari cum hac clauſura ſi putauerit ſua intereſſe, exiſtimant ex eo, quod iſta clauſula faciat non cogi iuriſdictionaliter clericos ad comparendū, ſed ſolum monent, ſi velint, & putent ſua intereſſe. Ita Iuriſtæ, apud *Ceuall.tr.de cognit. per viam viol.p.2.q.78.vbi alios citat, & ſequitur, & Gironda tr. de Gabb.p.4.§.1.*

Attamen clericum nullo modo debere comparere iuxta hanc citationem, ſed omnino apud Iudicem Eccleſiaſticum citari debere etiam pro cōfectione Inuentarij, quia nullo modo nec per monitionem trahi poſſunt ad forum ſæculares Clerici, cum ſemper hæc citatio monitoria redoleat iuriſdictionem aliquam, quia per hunc citationem ſubderet ſe clericus neceſſario iuriſdictioni Iudicis ſæcularis in recipienda ſententia ſi ne verus, & legitimus creditor nec, ne, habet Clerici ſuos Iudices, ibi oportet eos iudicari, & citari. Ita cōmuniter Theologi apud *Duardum in B.C.l.2.c.13.q.11. Bonac. de leg.diſp.10. q.2.p.13. Ambroſin. de immunit.c.22.n.73. Diana 1. p. trac. de immun.reſol. 20. ex qua doctrina.*

Collige, quod licet multi Iuriſtæ teneant, quos citat, & ſequitur *Carol. de Graff. de eff. cler. eff.1.* poſſe Iudicem ſæcularē cogere Eccleſiaſticos ad reddendum depoſitum, quod ſe obligauit reſtituere coram Iudice ſæculari, quia ſponte ſe ei in tali caſu ſubdidit, attamen quia falſum eſt clericum poſſe renunciare exeptioni, & ſubdere ſe iuriſdictioni ſæculari, vt viſum eſt ſupra, falſum eſt etiam poſſe cogi ad reſtituendum depoſitum a Iudice ſæculari, à Iudice ergo Eccleſiaſtico omnino cogendus. Ita communiter Theologi, & Canoniſtæ ſupra citati, & *Bellet.in diſquiſ.cler.p.1.T it.3.Surdus l.3.conſ.396.*

Poſſe aut clericum in tali caſu declarari à Iudice laico eſſe obligatū ad reddendum depoſitū adhoc, vt poſſit cogi à Iudice Eccleſiaſtico docet *Marth. de iuriſd.p.4.centur.1 caſu 38.*

Vtrum clericus in cauſa reconuentionis in ciuilibus, & in cauſa ceſſionis bonorum ſui creditoris ad monſtrandum ſua iura poſſit à ſæculari iudice citari, & an ob litem inceptam a Defuncto, cuius hæres eſt clericus.

DIFFIC. XVII.

CLericum, & perſonas Eccleſiaſticas in cauſa reconuētionis in ciuilibus poſſe à Iudice ſæculari ad inſtantiam parte citari, licet aliqui rigide nimis negauerint, attamen hodie communis eſt opinio apud *Farinac. de inquiſit.q.8.* & ſanè rationi congruum eſt, & à ſacris Canonibus approbatum, vt videre eſt *in c.1.& 2.de mutuis petit. & in c.accuſatores verſ.cuius in agendo 3.q.8.* etenim ſi clericus in ciuilibus laicum conuenit coram Iudice laico, ſi poſtea laicus habeat in tali caſu actionē aliquem contra clericum, æquum eſt vt ab eodē Iudice laico pro ſe cōtra clericum dicat ſuum, & laico conſequenter debet concedi, vt pro opponendo pro ſe contra clericum reconueniat Clericum coram eodem Iudice, vt commodius ius ſuum dicere valeat, & iure optimo hoc fieri debet, ne multiplicentur lites, & diſpendia. Ita *Sayr.l.12.c.8.Reginal.l.9.n.309.Bonac.in Bull.C.diſp.1.q. 16.ſec.1.punct. 6.Decian. in tract.crim.l.4. c. 9. Graff. Ambroſ. Duard.Surdus*, & alij apud præcitatos Auctor.

Aduertendum tamen, quod duo præcipuè in reconuentione, ad hoc, vt ſit legitima, requiruntur, Primo vt fiat reconuentio in principio litis, vel ſtatim poſt conteſtationem litis, Secundo, quod licet clericus teneatur ſtare ſententiæ Iudicis laici, eius tamen executio non pertinet ad eum contra Clericum, ſed ad Iudicem Eccleſiaſticum, iudex enim laicus data ſententia in vim reconuentionis à ſacris canonibus approbatæ contra clericum, perdit omne ius contra eum, & executio deuoluitur ad ſuum ſuperiorem. Ita etiam notant Bonacin. & *Reginald.loc.cit.& Carol.de Graſſis eff.1. limit.3.* & iure merito, quia Iudex laicus eſt incapax ex ſe habendi vim coactiuam contra Eccleſiaſticos, ex qua doctrina etiam, & in Superioribus allata.

Dicendum quod clericus creditor laici petentis dilationem à Iudice ſæculari parte creditorum conſentiente, vel petentis beneficium ceſſionis bonorū poteſt à iudice ſæculari in cauſa reconuentionis citari, puta ſi debitor à clerico teneatur carceratus apud Iudicē ſæcularē, at vero ſi non adſit cauſa reconuētionis non poteſt in ſimili caſu à iudice ſæculari perſona Eccleſiaſtica, ſed pro tali beneficio ceſſionis præciſo caſu reconuentionis debet à iudice, Eccleſiaſtico citari. Ita communiter Theologi, & Canoniſtæ. vide *Ambroſin. de immun.l.20.Graf. deciſ.l.4.c.18.*

An vero Clericus hæres defuncti, qui litem incæpit coram ſæculari, Iudice, poſſit ad proſequendum huiuſmodi litem incæptam à Iudice præfato citari, vt dicat ſuum ius ex parte defuncti, cuius eſt hæres, affirmant ooſter *Rodrequez. T.1.ca. 216. & Graff lib.4. cap.18. par.1. deciſ. Megala in 3.p. libr.3.,c. 10. Reginald. T.1. lib. 9. cap. 23.* quia ſuſtinere debet perſonam Teſtatoris, & videtur eſſe quædam reconuentionis ſpecies. Attamen probabilius videatur dicere *Bonacin. de leg. diſput. 10. quæſt. 2. par. 2. & Ambroſin. de immunit. lib. 20.* & alij putantes conueniendum io tali caſu coram Iudice Eccleſiaſtico, quia non poteſt ſuſtinere perſooam Teſtatoris realiter .ſ. quoad perſonam, quæ immunitate gaudet Eccleſiaſtica.

E contra vero inſtantiæ factæ à laico contra Clericum coram Iudice Eccleſiaſtico debet continuari contra laicum hæredem Clerici coram *Iudice Eccleſ vt docet Riccius par. 4. deci. 718. per totam, & Carol. de Graſſ. de eff. cleric. eff. 1. n. 290.*

Quot ſint caſus, in quibus regulariter clerici amittunt priuilegium fori, & ſæculari iudici ſubijciuntur.

DIFFIC. XVIII.

PAſſim Doctores ſeptem caſus poſſunt, io quibus clerici amittunt priuilegium fori, & ſubduntur ſæculari Iudici. Primus eſt degradatio, ſeu realis depoſitio vt dicetur ſuo loco.

2. Eſt bigamia, nam ſi probetor Clericus eſſe bigamus bigamia vera, & interpretatiua immediatè perdit priuilegium Clericale ex *cap. vnico de Bigamis*, in dubio autem an Vxor fuerit Virgo, debet præſumi Virgo, vt bene notant Angel. noſter *V. Clericus quæſt. 3. Gomez. 3. variar. cap. 3. Farinac. de inquiſ. quæſt. 8. n. 71. Martha de iuriſd. p. 4. c. 36. Bonac. in Bulla Cæn. diſputat. 1. quæſt. 15. ſect. 1. punct. 6. & Duard. in Bul. Cæn. num. 15. quæſt. 11.*

3. Suſceptio habitus Clericalis in fraudem vt s. c. ſæculari iudicium effugiat, Vide V. B. C. excommu. 15. quomodo hic caſus ſit practicabilis diff. 4.

4. Eſt cauſa feudi, nam Clericus habens feudum ſubijcitur in iis, quæ pertinent ad feudum Domino feudi quamuis ſæculari ex *c. verum de for. comp. & ceterum de iudiciis*, vnde tenetur ſtare Clericus iuramento fidelitatis præſtito Domino feudi.

5. Eſt quando Clericus in ſacris vel beneficiatus enormitatibus ſe immiſcet notoriè ſine habitu, & tonſura, & monitus non deſiſtit de quo vide 5. V. Bull C. excomm 15. diffic. 5.

6. Clericus io minoribus ordinatus non beneficiatus ſi clericalem habitam, & Tonſuram non deferat, aut Eccleſiæ oon inſeruiat, aut in aliquo ſeminario, vel ſchola de licẽtia Epiſcopi non inueniatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 6.*

7. Eſt incorrigibilitas, quæ vt ſit cauſa amittendi forum videbitur, quas conditiones debet habere in Difficultate ſequẽti.

Quanam conditiones requiruntur, vt clericus in ſacris, vel Beneficiatus, vel religioſus profeſſus facinoroſis ſe immiſcens priuilegium clericale amittat, & Iudici ſeculari ſubijciatur.

DIFFIC. XIX.

PAſſim à Doctoribus ſex conditiones ponuntur à Sacris Canonibus exceptæ, quæ copulatiuè requiruntur ad hoc, vt Clericus amittat priuilegium fori, & canonis. Prima eſt, vt ſine habitu incedat; Secunda, quod ſe immiſceat enormibus. Tertia, quod in alijs frequentauerit. Quarto, quod in aliis ſit deprehenſus. Quinto, quod ſit monitus. Sexto, quod poſt monitionem fuerit iocorrigibilis. Ita ex noſtro *Angelo V. clericus 10. §. 1. Rodr. T. 2. q. 2. a. 5. Bonac. de leg. diſp. 10. q. 1. p. 1. §. 1. Megala in 3. p. l. 3. c. 11. Filiuc. T. 1. tract. 17. cap. 11.* vide præcipuè. *Franciſcum à Ponte conſ. 24. n. 4. Barboſ. in collect. T. 2. l. 5. tit. 39. c. 25.* videantur ſacri can. *in c. ad audientiam, & in c. contingit de ſent. excomm. & decretalem Bonifacij VIII. ſi iudex laicus de ſent. excomm. in 6. verum 1. in hac diffic.*

Aduertendum puto, quod ſi per loogum tempus Clericus facinoroſis ſeſe immiſcuerit ooo ſufficit ad amiſſionẽ clericalis priuilegii, niſi verè ter monitus fuerit, nam diuturnitas temporis oon operatur idem, quod trina monitio, trina enim monitio datur adhoc, vt habeat occaſionem reſipiſcendi à facinoroſis, quare non debet audiri *Vincentius de Franch. deciſ. 463.* putans ſufficere, quod per longum tempus ſe clericus immiſcuerit facinoroſis adhoc, vt perdat priuilegiũ clericale.

Aduertendum 2. quod in hac difficultate eſt ſermo præcipuè de clerico in ſacris, vel Beneficiato, nam Clericus in minoribus abſque alia monitione præcedenti, ſi inueniatur ſine habitu, & Tonſura per multum tempus inceſſiſſe, itaut reputetur iam laicus, iam perdidiſſe cenſendus eſt priuilegium clericale, quod ſi per paruum tempus, puta vt facilius crimen cõmittat ſine habitu inuentus fuerit a Iudice ſæculari non perdit priuilegium, modo Eccleſiæ inſeruiat de mandato Epiſcopi, aut ſcholam frequentet de eiuſdem licentia, & ſic ſacram congregationem declaraſſe refert *Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1.*

Adoertendum tertio, quod Religioſus profeſſus in hac materia æquiparatur Clerico in Sacris, quare gaudet priuilegio fori ſicut Clericus in ſacri, cum ſit perpetuo mancipatus ſeruitio Dei io religione. Ita *Rodrequez T. 2. q. 2. ar. 3. Nauar. de priuil. conſ. 25.*

Vtrum Clericus prima Tonſura, vel minoribus inſignitus vt gaudeat priuilegio clericali, & cap. Odoardus debeat neceſſario ab Epiſcopo inſcriptis demandari ſeruitio Eccleſiæ particularis, an vero ſufficiat, ſi cuilibet Eccleſiæ ex ſe per aliquod Tempus etiam interpellatum deſeruiat.

DIFFIC. XX.

DIco primo, quod licet quondam practicatum fuerit Clericum, vt gaudeat iuxta Concilij Triden. mentem ſub hiſce verbis loquentis *ſeſſ. 23. c. 6.* (nullus prima tonſura initiatus, aut etiam io minoribus ordinibus conſtitutus ante decimũ quartũ annum beneficiũ poſſit obtinere, is etiã fori priuilegio nõ gaudeat niſi beneficiũ eccleſiaſticũ habeat, aut clericalẽ habitum, & tonſuram deferẽs alicui Eccleſiæ ex mãdato Epiſcopi inſeruiat, vel in ſeminario clericorũ, aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licẽtia Epiſcopi quaſi in via ad maiores Ordines ſuſcipiendos verſetur) fuiſſe neceſſarium, vt taliter oretenus alicui determinatæ Eccleſiæ inſeruiret de mandato Epiſcopi, etiam ſi foret Cappella particularis conceſſa ab Epiſcopo alicui confraternitati pro Oratorio, & nullo modo ſufficere, ſi Eccleſiæ alicui ex ſuo libito inſeruiret, & ita declaratum etiam fuiſſe à Sacr. Congregat. docuerunt *Riccius p. 4. deciſ. 154. & proſper ab Auguſto add. ad Quaranta V. habitus Clericorum contra Peteiram de manu Regia p. 2. lib. 26.* qui contendebat non ſolum requiri mandatum Epiſcopi oretenus, ſed etiam affixationem ad vuluas Eccleſiæ, cui ſpecialiter clericus erat addictus ad hoc, vt priuilegio fori gauderet ad mentem Concilij.

Hodie tamen benigoius intentionem Concilii in præfato loco interpretati ſunt Eminentiſſimi Domini in fauorem Clericorum, dum Sacra Congregatio in Nullius die 28. Martij 1628. declarauit, quod Clericus incedens in habitu, & Tonſura deſcriptus in Catalogo Clericorum, qui in Synodo Diœceſana obedientiam præſtitit Ordinario, & per paruas vices in Choro, & proceſſionibus interfuit, quamuis alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi non inſeruiat, vel beneficium Eccleſiaſticum non habeat, gaudet priuilegio fori.) Ita de hac declaratione Eminentiſſimorum ad litteram teſtatur *Diana 4. p. tract. 1. de immunit. reſol. 18. §. Nota 2.*

Quare noo eſt neceſſum hodie, vt Clericus inſeruiat de mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ particulari, ſed ſufficere, quod ſeruitium præſtet in aliqua Eccleſia, etiam ſi foret altera ab illa, quam pro ſeruitio ei determinauerit Epiſcopus, vt obſeruat. *Nouarius in iure pontificio Tit. de for. compet. concl. 6.* vbi fuiſſe ita deciſum à Sacra Congregatione teſtatur, & deciſum refert. *Riccius par. 4. deciſ. 111. in cur. Archiep. Neap.* quare non ſicut audiendi *Bonac. in Bul. Cæn. diſp. 1. q. 16. ſect. 1. p. 6.* & alii contrarium opinantes inter quos *Barboſa licet de poteſt. Epiſcop p. 2. alleg. 12. nu. 14.* qui poſtea de iure Pontificio *l. 1 c. 39 § 2.* citans *Dianam loc. cit.* mutauit ſententiam.

Dico ſecundo, qood adhoc ne Clericus dicatur amiſiſſe priuilegium fori ſufficit, vt per menſem poſt patratum delictum inſeruiuerit Eccleſiæ. Ita *Riccius loc. cit. & Capibl. de off. Bar. pragm. 8.*

Dico tertio, quo ad hoc, vt Clericus, gaudeat priuilegio fori, neceſſe eſt vt præſtet Eccleſiæ ſeruitium ſpirituale, non autem temporale, & ita declaratum teſtatur *Riccius à Sacr. Congregatione.*

Dico

Digitized by Google

Dico quarto, quod licet Clericus ex dimiſſione habitus, & Tonſuræ, vel Eccleſiæ non ſeruiens perdat priuilegium fori, non tamẽ capitis Odoardi de ſolutione, quare ſi non poteſt ſoluere debita, debet iurare de ſoluendo cum ad pinguiorem fortunam deuenerit. Ita *Naldus ex Sacr. Congregat. declaratione V. clericus n. 1.* contrarium licet doceat *Genuenſ. in prax. Archiep. Neap. cap. 3. n. 3, ſed de C. Odoardus infra.* vide difficultates aliquas.

Vtrum Clericus incedens cum habitu ſine Tonſura, vel ſine habitu inuentus à Iudice ſæculari poſt patratum delictum cum habitu, quod ſi propria authoritate eum reaſſumpſiſſet gaudeat priuilegio fori.

DIFFIC. XXI.

Dico 1. quod Clericus incedens cum habitu ſine Tonſura modo Eccleſiæ inſeruiat probabile admodum eſt, quod gaudeat priuilegio fori, quia Tonſura non eſt tantæ ſolemnitatis, & neceſſitatis. Ita docet *Capiblanc. de off. Bar. pragmat.* 8. qui citat etiam Barboſam, & iure, poteſt enim fieri, vt Capilli recreuerint, & Tonſoris non ad fuerit occaſio, ergo propter hoc priuabitur Clericus priuilegio fori, præſumendum enim eſt quod amittere tantum priuilegium, nolit pia mater Eccleſia dependere à Capillorum non habita occaſione opportuna tonſionis, vel ſaltem à negligentia Tonſionis curandæ, licet probabilius ſit non gaudere, quia verè conciliũ loquitur copulatiuè dum ait clericalem habitum, & Tonſuram deferẽs, itaque vnum ſine alio geſtare non videtur ſufficiens ad mentem Concilij pro gaudendo priuilegio, atque ita declaraſſe Sacr. Congreg notat *Riccius p. 4. deciſ. 154. & Ballot. in diſquiſ. cler. p. 1. Tit. 3. §. 8.*

Dico 2. quod Clericus, qui geſtauit habitum tẽpore delicti, ſi poſtea deprehendatur ſine ipſo à Iudice ſæculari, remittendus eſt ad Iudicem Eccleſiaſticum, quia vere erat Clericus, & ſub iuriſdictione Eccleſiaſtici, quando patrauit delictũ modo Eccleſiæ inſeruiuerit, ergo à Iudice Eccleſiaſtico puniendus, & ita declaratum fuiſſe à Sacr. Congreg teſtatur *Marius Antonius in ſuis reſol. l. 3. reſol.* 48. & iure quia debet attendi tempus delicti.

Quare optimè declarauit Sac. Congregatio Teſte *Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1.* Clericum qui longo tempore habitum dimiſit, ita vt amplius non reputetur Clericus, ſed laicus ex tali diuturnitate dimiſſionis habitus, non gaudere priuilegio fori, at vero ſi ſolum per aliquod paruum tempus dimiſerit habitũ, vt facilius crimen perpetraret, & ita ſine habitu inuentus fuerit à Iudice ſæculari, omnino remittendum ad Iudicem Eccleſiaſticum, quia, gaudet priuilegio fori.

Dico 3. quod Clericus reaſſumens habitum propria authoritate ſine licẽtia ordinarij poſt perpetratum delictum, etiam ſi in ſynodo id fieri prohiberetur ſine authoritate Epiſcopi, adhuc gauderet priuilegio fori, quia vere eſt Clericus, quando deprehenditur à Iudice ſæculari, modo interea in ſeruiuerit Eccleſiæ poſt habitus reaſſumptionem, Ita *Squillant. de priuil. cler. 6. Ric. p. 2. deciſ. 167. & Diana p. 4. tract. de immun. reſol.* 18. ſufficit autem vt dictum eſt ſupra, quod ante menſem poſt patratum delictum inſeruiuerit Eccleſiæ.

Vtrum Clericus in minoribus conſtitutus gaudeat priuilegio canonis ſi Eccleſia non inſeruiat, & aliquando inueniatur ſine habitu.

DIFFIC. XXII.

Non defuerunt, qui Clericum talem Eccleſiæ non inſeruientem iuxta dicta in ſuperiori quæſtione, non gaudere priuilegio Canonis, & conſequenter percutientem eũ inuentum ſine habitu non incidere in excommunicationem. Ita in terminis docent. *Auendagnus de execut. mund. p. 1. c. 22. n. 12. & Menoch. l. 6. præſump 76. n. 12.*

Attamẽ hæc opinio nullo modo probabilis, nec tuta in praxi, quia immediatè eſt contra mentem Concilij loc. cit. ſeſſ. videlicet 23. c. 6. vbi ſolum de priuilegio fori expreſsè loquitur Concilium contra clericum incedentem ſine habitu, & Tonſura vel Eccleſiæ non inſeruientem, nulla autem ibi fit mẽtio contra eum de priuatione priuilegij canonis. Quare omnino dicendum eſt gaudere priuilegio Canonis clericum geſtãtem habitum, & Tonſuram licet Eccleſiæ non inſeruiat, & ita declaraſſe Sacr. Congreg. teſtatur *Gonzal. in reg. 8. Lancellot. Gl. 5. §. 5. n. 7. & docent Bellet. in diſquiſ. cler. p. 1. Tit. 38. n. 59. & Diana p. 1. de immun. reſolut. 34. §. ſed hæc dicta ſufficiant.*

An vero inuentum huiuſmodi Clericum ſine habitu percutiens incurrat, diſtinguendum puto, nam vel cognoſcitur à percutiente eſſe Clericum, & ſanè incidit, quia de relinquere habitum pro paruo tempore, vel ad melius faciendum aliquod opus ſiue bonum, ſiue malum non aufert priuilegium clericale, quod ſi non fuerit cognitus eſſe Clericus, non incidit, quia ignorantia facti excuſat, vt alibi dictum eſt.

Vtrum Clericus beneficiatus ſi non inſeruiat Eccleſiæ, vel ſi ſolum habeat titulum beneficij, vel ſolam penſionem gaudeat priuilegio fori.

DIFFIC. XXIII.

Dico primo, quod parum probabiliter ad mentem Concilij videntur locuti fuiſſe *Suar. de cenſ. diſp. 22. ſect. 1. Ambroſin. de immunit. c. 13.* aſſerẽtes clericum beneficiatum non gaudere priuilegio fori, niſi inſeruiat Eccleſiæ, nam ibi Cõcilium per particulas diſiunctiuas loquitur, vt legenti attentè cõſtat.

Quare, vt priuilegio fori gaudeat Clericus minor, aut debet eſſe beneficiatus aut Eccleſiæ inſeruire. Ita noſter *Rodriq. in ſum. T. 1. n. 155. concl. 2. Bonac. de leg. diſp. 20. q. 2. Riccius p. 4. deciſ.* 357. Beneficiatus ergo gaudebit abſque eo, quod Eccleſiæ inſeruiat.

Dico ſecundo, quod adhoc, vt beneficiatus gaudeat priuilegio fori ſufficit, vt habeat titulum beneficii, & vere ſit ei collatum beneficium ſaltem in Titulum, licet eius poſſeſſionem non habeat, immò licet nullus ei redditus ex titulo beneficii proueniat. Nam & Epiſcopus Titularis, gaudet priuilegiis Epiſcoporum Iuriſdictionalium ex *Bonac. loc. cit. diſp. 16. & Carol. de Graſſ. effectu 1.* & Sacram Congregationem declaraſſe ter Clericum habentem ſolum Titulum beneficii per veram collationem gaudere priuilegio fori, licet Eccleſiæ, non inſeruiat teſtatur. *Parifius de relig. benefic. l. 7. q. 1.* quæ doctrina etiam procedit in habente Capellaniam perpetuam à Papa, vel Epiſcopo, quia reputatur pro beneficio. Ita Nauar. de hnt. canon. c. 20. ſecus ſi Capellania ſit amouibilis, quia hæc non datur in Titulum, idem dicendum de præſtimonio ſi ſit perpetuum, quod reputatur pro beneficio. Vide *Bonac. de leg. diſput. 10. q. 2. p. 1. § 4. Gonzal. ad reg. 5. Lancel. gl. 5. §. 2. & Menoch. conſ.* 201.

Dico quarto, quod habens ſolum penſionem ſuper aliquo beneficio non gaudeat priuilegio fori, docent *Bonac. de leg. Carol. de Graſſ. loc. cit. & Gonzal. in reg. 8. Lancel.* ita declaraſſe Sacr. Congregat. 19. Iunii 1606. attamen contrarium docent noſter *Rodriq. in ſumm. T. 1. c. 155. Salzed. in prac. crim. Suar. contra regem Angliæ l. 4. c. 26. & Nauar. l. 1. tract. 19. de for. compet.* & teſtatur ita declaraſſe Sacr. Congregat.

Verum vt hæ duæ opiniones concordentur notandum eſt, quod penſio, quæ non excedit valorem ſexaginta aureorum non datur loco beneficii, Vide Conſtitutionẽ Sixti Quinti, quæ incipit Paſtoralis ſub anno 1589. & habens iſtam penſionem non gaudet, niſi inſeruiat Eccleſiæ, quod ſi penſio excedat valorem ſexaginta aureorum, quia datur loco beneficii gaudet eam habens, etiam ſi Eccleſiæ non inſeruiat.

Vtrum ille, qui poſt patratum delictum, aſſumpſit habitum clericalem in fraudem curiæ ſæcularis, poſſit puniri in iudice ſæculari.

DIFFIC. XXIV.

Dico primo, quod probabiliter videntur aſſerere aliqui Doctores etiam grauiſſimi huiuſmodi hominem poſt patratum delictum aſſumentem habitum clericalem in fraudem; vt, s.c. ſe à Iudicis ſæcularis tribunali ſubtrahat, poſſe à Iudice ſæculari pęna ſolum pecuniaria, non autem corporali propter honorem deferendum habitui, quem aſſumpſit, atque adeo eius bona poſſe confiſcari à Iudice laico, ſi eius crimen confiſcationem mereatur, & ſic prouiſum eſſe Religioni, & etiam iuſtitiæ volunt, rationem autem afferunt, quia ſi impu-

Digitized by Google

nę laicus poſſet aſſumere habitum clericalem, vniuerſa legis ciuilis, & iuriſdictionis ſæcularis authoritas, & iuſtitia verteretur in graue damnum Reipublicæ, quod vt vitetur, ſtatuit, Conc. Trid. c. 4. ſeſſ. 23. de reformat. vt Epiſcopi tales facinoroſos ne ordinent. Ita *Bellet. in diſquiſ. cler. p. 1. Tit. 3. §. 4.* qui citat pro hac ſententia multos Doctores, *Molin. de iuſt. T. 4. tr. 3. diſp. 49. Cenedo in collect. iur. can. 1. p. collect. 3. n. 13. & alij*, penes ipſum; Attamen contrarium probabiliter loquuntur etiam *Genuenſis in prax. Arch. Neap. c. 8. & Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1.* quod non poſſit laicus poſt patratum delictum factus clericus in fraudem fori ſæcularis, amplius à Iudice ſęculari puniri, quia, ſi fugiens ad Eccleſiam poſt patratum delictũ fruitur immunitate, ergo multo magis ordinatus poſt patratũ delictum gaudebit immunitate clericali, & fundatur in iure, nam *in l. qui cum vno §. Reus ff. de re militari*, ſi Reus, accuſatus criminis capitalis efficiatur miles, non remittitur, ſed à Iudice militię iudicatur, ergo multo magis hoc dicendum de eo, qui poſt patratum delictum efficitur miles, Chriſti. Verum

Dico ſecundo, quod inter duas iſtas opiniones mediando cẽſerem, quod ſi poſt patratum delictum quantumuis in fraudem ſęcularis fori clericalem habitum cum ordine ſacro aſſumeret, vel ex circumſtantijs colligeretur velle omnimodo ſequi poſt hac militiam clericalem, veriorem putarem ſecundã opinionẽ, nec propter hoc euerteretur iuſtitia ſęcularis, quia non eſt parua pęna cælibatum ſeruare perpetuum, & eccleſiæ inſeruire, vnde non omnes paſſim ſequerentur ob id clericatum, vt effugiant forum ſæculare, adde quod licet à parte ante ſuſciperetur habitus clericalis, vt declinetur iuſtitia fori ſęcularis, attamen à parte poſt ſolum Religionis cultus, & Eccleſiæ ſeruitium in tali caſu prætenderetur, quod ſi ſolum ſuſcipiat primam Tonſuram, vel minores ordines, quia etiam à parte poſt poſſet fraudare forum Eccleſiaſticum ſicut ſæculare, & poteſt colligi, quod nec à parte poſt habeat intentionem veram clericandi, probabiliter puto, quod poſſet puniri ſaltem pœna pecuniaria à Iudice laico.

An, ſi Reus deprehenſus à Iudice ſæculari dicat ſe eſſe clericum, vel à iudice ſæculari dubitetur an ſit Clericus necne, & an verum habitum portauerit, pertineat cognitio clericatus, & habitus ad Eccleſiaſticum iudicem, an vero ad ſæcularem.

DIFFIC. XXV.

AFfirmant Iuriſtæ ad Iudicem ſæcularem pertinere, quia cognitio clericatus, & habitus eius non eſt, quid ſpirituale, ſed omnino corporale, & ita obſeruari in Luſitania docet. *Velaſco T. 1. allegat. 44.* & ita etiam ſeruari teſtatur in Regno Neapolitano *Borrellus in ſum. omn. deciſ. Tit. 54.* ita etiam practicari in Hiſpania aſſerit *Couar. pract. 99. c. 33.*

Attamen contrarium iure docent Canoniſtæ, & Theologi, quia definitum fuit *à Bonifacio octauo in c. Iudex de ſent. excom. in 6.* talem cognitionem faciendam à Iudice Eccleſiaſtico, ex quo ſequitur, quod etiam cognitio habitus ſpectat ad Iudicem eccleſiaſticum, quia ad ipſum pertinet declarare qualis ſit habitus clericalis, ad hoc vt fruatur priuilegio clericali incedens cũ habitu, itaq; cum habitus clericalis ſpectet ad iuriſdictionẽ ſpiritualem, ad eius Iudicem ſpectet cognitio ipſius; vide Nauar. *in c. nouit de iudic. notab. 66. Molin de iuſt. tract. 3. diſp. 49. Menoch. de præſump. l. 6. q. 76. Bonac. in B. C. diſp. 1. q. 16. ſec. 1. p. 6. & Dianam p. 1. tr. 1. reſol. 27. & p. 3. tr. 1. reſol. 15. & p. 4. tr. 1. reſol. 5.* in qua denique hanc opinionem *à Rota Romana deciſ. 302. de ſent. excomm.* in nouiſs. approbatam, & demum à *Sacr. congreg. die 11. Iunij 1595. definitam teſtatur.*

Quod autem in præfatis Regnis contrarium ſeruetur, poteſt dici cum *Barboſa in collect. T. 3. l. 5. Tit. 11. c. 12. n. 3.* id tribuendum ſpeciali Sum. Pontif. priuilegio, quod an ſit verum, Iudices videant, aliter contra hanc doctrinam cognoſcentes de clericatu, vel habitu Clericali in excommun. incurrunt.

Verum eſt tamen, quod quando diſcuſſio eſt faciẽda de clericatu, vel habitu à Iudice Eccleſiaſtico debent citari Iudex, & fiſcus curię ſęcularis, & cognito, quod ſit clericus, & gaudeat, debet ſtatim remittere ſpatio ſaltem 20. horarũ abſque dedecore ad Eccleſiaſticum Iudicem, aliàs incurrit in excommunicationem, vt habetur *in c. ſi iudex de ſent. excomm. in 6.*

Quod ſi notoriè conſtat deprehenſum eſſe clericũ, deberẽt ſtatim remitti, etiam ſi inuentus fuerit cũ habitu clericali, non enim facienda eſt cognitio de clericatu, vel habitu, ſi notoriè conſtat eſſe clericũ, maximè ſi foret in ſacris, aut beneficiatus.

Qualis eſſe debeat habitus clericalis adhoc, vt cum eo incedens fruatur priuilegio fori.

DIFFIC. XXVI.

V*Enetus in exam. epiſt. l. 5. c. 5. Moſconius de maieſt. milit. eccl. l. 1. p. 2. c. 2. & Cepolla conſ. 11.* putant veſtem clericalem debere eſſe longam vſque ad talos, & nigrã, vt ſatisfiat præcepto Concilij Trid. ad finem per fruendi priuilegio clericali.

Alij vero putant alterã veſtẽ debere eſſe talarem, vel pallium vel togam, quare ſi breuis toga feratur, & pallium ſit talare, aiunt ſufficere ad ſatisfaciendã menti Conc. Trid. ad præfatũ finem. Ita *Io. Maria Nouar. in nouo iure Pontificio concl. 117. Garzias de benef. T. 2. p. 7. l. c. & Antonius de bellis tr. var. lib. 3. prag. 1. Tit. 10.*

Sanè congruè loquuntur, verum non ita rigide ſeruandum puto in praxi, ſed conſuetudini locorum ſtandum, quiſnã dicatur habitus clericalis, vel ab Epiſcopo approbatus, vel à communi hominũ opinione clericalis exiſtimatus, atq; adeo intra varios locorum mores habitus Clericalis iuxta longitudinem tam quoad Togam, quam quoad pallium eſt ille dicendus, qui in tali loco communiter clericalis habetur. Ita etiã *Bonac. in 8. Decal. prac. diſp. 10. q. 2. p. 1. §. 4. Iul. Clar. l. 5. c. 6. n. 13. Farinac. de inſign. q. 8. n. 68.* & alij.

Quare deferens habitum, qui communi exiſtimatione in tali loco habetur clericalis, gaudet priuilegio fori.

Vtrum Clericus teneatur ſub mortali incedere in habitu, & Tonſura, & qua de cauſa Tonſuram iubetur deferre & an ab Epiſcopo poſſit cogi ad eijciendam famulam etiam ſenem.

DIFFIC. XXVII.

DIco 1. quod nimis rigidè opinatur *Ledeſma* aſſerens clericũ ſacris ordinibus inſignitum peccare mortaliter etiam cauſa recreationis dimittentẽ habitum. Ita docet *in ſum. T. 1. de ſacr. ordin. c. 11.* mitius tamen dicunt alij, quod Clerici maioribus ordinibus inſigniti aut beneficiati peccant mortaliter dimittentes habitum, & tonſurã non ferentes abſq; iuſta cauſa ad longum tempus, quia violant legem Pontificiam in re graui, iubetur n. geſtare habitum, & Tonſuram *in c. penult. de vit. et honeſt. cler. et c. quoniam eodem tit. et c. Ioã. de cler. coniug. Ita Nauar. comm. 4. de reg. Riccius deciſ. 368. Vaſq. diſp. 250. c. 3. Henriq. l. 13. c. 39. et Bonac. de ſacr. ord. diſp. 8 qu. 1. p. vlt.* & ſanè admodum probabiliter, quia dimiſſio habitus clericalis poteſt puniri ſuſpenſione ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.* ergo mortalis eſt, aliter non poſſet eſſe materia cenſuræ.

Cęterum benignius, & probabilius etiam puto cum noſtro *Villal. in ſum. T. 1. tr. 11. diffic. 16. et Caiet. in ſum. V.* Clerici, quod ſolum Clerici peccant mortaliter non deferentes coronam, & habitũ ex contemptu, & temeritate, & contumacia, ſecus ſi ſolum ex cauſa recreationis, vel alia legitima ratione per dies ſingulos portent habitum, & dimittant per maiorem etiam partem diei, modo abſit ſcandalum, intra propriam domum præciſo contemptu, & temeritate, non peccant mortaliter, limita etiam modo non adſit contumacia contra pręceptum ſuperioris iubentis, ne habitus dimittatur.

Dico ſecundo, quod Clerici in minoribus non beneficiati, quia poſſunt reſilire à clericatu, nec cogũtur ſub præcepto habitũ, & tonſuram portare, verum ſi velint gaudere priuilegio fori coguntur incedere in habitu, & Tonſura, & decentem clericali ordini ferre Tunicam iuxta morem loci, vel Superioris edictum. Vide Riccium, & Bonac. loc. cit.

Dico tertio, quod Tonſuram in modum coronę geſtare iubentur Clerici 1. ad ſignificandam vitam puram, & a mundanis affectibus ſegregatam, quam debent Clerici ducere 2. hæc Tonſura ſit in modum coronæ, vt intelligãt Clerici ſe ad gradum digniorem quocumque laico perueniſſe, & conſequenter grauitatem, & modeſtiam maiorem ſeruare tenentur 3. in memoriam ſpineę coronæ quã Dominus portauit, cuius pręcipuè debent meminiſſe Clerici, 4. in memoriam D. Petri Principis Apoſtolorum, quem narrant ab infidelibus ob ludibrium tonſum fuiſſe, ad hoc vt moneantur Clerici per illã tonſuram paratos ſemper eſſe pro amore Dei ludibria perferre cum Principe Apoſtolorum.

Dico

Digitized by Google

Dico 4. quod Clericus quamuis ſenex poteſt ab Epiſcopo compelli ad eijciendam à domo famulam quantum vis ſenem ex *Sacr. Congreg. epiſc. in ſenogall. die* 18. *Febr.*1619 qua iubetur Clericus ſexagenarius eijcere famulam qua *dragenariam*, *& in Ferrarienſi eodem anno* 1619. 7. *Iunii iubetur* Clericus annorum ſexaginta quatuor eiicere famulam annorum ſexaginta ſex apud *Barboſam deiure Eccleſ. vniu. l.* 1. *c.*40.

Vtrum Clerici geſtantes arma peccent mortaliter, eiſque an Epiſcopus valeat ipſa portandi dare licentiam.

DIFFIC. XXVIII.

PEccare mortaliter Clericos portantes arma, niſi iuſta, & vera cauſa propriæ defenſionis vitæ, vel rerum ſuarum, non autem præſumpta excuſet docent communiter Canoniſtæ, quia arma deferre Clericis prohibetur *c. clerici*, *& clement.* 1. *de vita, et honeſtate cleric.* quia arma dedecent ſtatum Clericalem.

Vnde cũ faciat in re graui contra ius Canonicum Clericus geſtando arma peccat mortalier, quod etiam ſuadetur ab eo, quod Epiſcopi ſolent ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibere delationem armorum. Ita etiam *Riccius in pr. deciſ.*371. *& Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundo non poſſe Epiſcopum dare licentiam Clerico arma ferendi, quia non poteſt diſpenſare in iure communi, quod prohibet Clericis vſum armorum, poterit tamen remittere pęnas & cenſuras latas ab ipſo, vel Prædeceſſore contra portantes arma, poteſt etiam declarare in aliquo caſu particulari Clericum habere iuſtã cauſam ferendi arma, poſtquam neceſſitatem diligenter examinauerit. Ita *Riccius loc. cit.*

Vtrum Clericus Beneficiatus ſi non incedat in habitu, & Tonſura perdat priuilegium fori.

DIFFIC. XXIX.

AFfirmare videntur aliqui putantes *Concilium ſeſſione* 23. *cap.*6. loquens vt ſupra monſtratum eſt, quales debeant eſſe Clerici, vt priuilegio fori gaudeant, loqui coniunctiuè .ſ. vt habeant beneficium, & in Tonſura, & habitu incedant, & Eccleſiæ deſeruiant. Ita *Suar. de cenſura diſput.*22. *ſect.* 1. *nu.* 11. *& Ambroſin. de immunit. c.*17.

Attamen communius volunt, & probabilius Doctores ibi Conſilium loqui diſiunctiuè per particulam, aut, dicens; (is etiam priuilegio fori non gaudeat, niſi Eccleſiaſticum beneficium habeat, aut Clericalem habitum, & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ inſeruiat) ex quibus innuitur differentia inter Clericum minoribus inſignitum ſimpliciter, & Clericum beneficiatum, quod ille neceſſe eſt, vt habitum, & Tonſuram deferens in ſeruiat Eccleſiæ, itaut ſi habitum, & Tonſuram deferens non inſeruiat, aut in Schola, vel ſeminario verſetur nõ perdat priuilegiũ fori, at vero Beneficiatus habet priuilegium cum his conditionibus, ſed abſolutè ſufficit, vt habeat beneficium, vt monſtrat particula diſiunctiua. Aut, poſita à Concilio in præfatis verbis. Ita noſter *Rodriq. p.* 1. *c.* 155. *Iul. Clar. l.* 5. *ſentent. q.* 36. *Riccius in ſua prax. deciſ.* 66. *Auguſt. Barboſ. in Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *& Bonac. de legib. diſp.* 10. *q.*2.

Imnò licet Clericus habeat beneficium valde tenue, adhuc licet ſit duorum ducatorum, gaudet priuilegio, ſicut qui habet pingue ex declarat. *Sac. Congreg. in vna Ianuenſi die* 18. *Martii* 1628. quam refert *Barboſa de iure pontif. l.* 1. *c.*23. *n.*38.

Adde, quod licet Clericus non deferens habitum, & Tonſuram priuetur per conſtitutionum Sixti beneficio, adhuc tamen vſquequo ſit declaratus à Iudice beneficio priuatus, verè retinet beneficium, & conſequenter gaudet priuilegio fori. Ita *Garzias de benef. p.* 2. *c.* 2. *nu.* 1. *et Bonac. loc. cit.*

Vtrum clericus incorrigibilis ipſo facto amittat priuilegium fori, & quid dicendum præcipuè in exercentibus in corrigibiliter artem Ioculatoris, Hiſtrionis, & Surræ, Caupona, aut lanionis, aut ſæcularia negotia.

DIFFIC. XXX.

DIco primo, quod probabiliter affirmari poteſt cum *Panormitano, ex Seac. et Boſſio*, quos citat, & ſequitur *Farinac. de inquiſ. q.*8. *n.* 11. *& Carol. de Graſſis effectu* 1. *n.*809. putantes clericum poſtquam eſt depoſitus propter aliquod crimen, & eſt reciduus excommunicatus propter idem, & creſcente contumacia ſit anathematizatus cum cæremonijs ſolemnibus ſolitis fieri in anathematizando propter idem crimen eſſe, iam dicẽdum incorrigibilem, & priuatum de facto priuilegio Clericali, ſi in crimine adhuc contumax perſiſtat, vt iubetur ex c. cũ ab homine de Iudici, quia poſtquam Eccleſia hæc omnia remedia adhibuit, non habet amplius quo ipſum corrigat, ergo de facto intelligitur traditus curiæ ſæculari.

Attamen benignius, & forte probabilius dicendum, quod requiratur adhuc poſtquam fuit depoſitus, excommunicatus, & anathemitizatus ſoléniter, quod à Iudice Eccleſiaſ. ſi adhuc ſi contumax, declaretur incorrigibilis, & ſæculari Iudici tradatur, ſic enim videtur colligi ex præfato c. cum non ab homine, vbi dicitur, quod poſt omnia dicta debet Eccleſiaſticus Iudex eum comprimere per Iudicem ſæcularem, ergo Iudex Eccleſiaſticus debet tradere incorrigibilem Iudici ſæculari, & tunc declaratur ſpoliatus priuilegio fori, itaque Iudex ſæcularis ante hanc declaratione nullam habet iuriſdictionem in Clericum quantumcumque incorrigibilem. Ita etiam Suarez *de cenſ. diſputat.* 22. *ſect.* 1. *Coninch. diſp.* 14. *dub.* 15, *Duard. in Bull. Cæn. cur.* 15. *quæſt.* 21. *& Bonac. de leg. diſput.* 10. *quæſt.* 2. *p.* 1. *§.* 4. *& alii.*

Dico ſecundo, quod hæc doctrina non eſt accommodanda in clericis Iaculatorum, Scurrarum, & hiſtrionum artẽ exercentibus, nam iſti ſi per annum artes illas ignominioſas exercuerint, aut etiam breuiori tempore, & tertio moniti non reſipuerint, ipſo iure priuati ſunt priuilegio Clericali, vt habetur expreſsè in c. vnico *de vita, & honeſt. cler.* nec requiritur alia declaratio. Ita *Farinac. Suarez, Bonac. loc. cit. & Decianus, l.* 4. *c.*9. & alij communiter.

An vero in præfato capite vnic. ſit etiam ſermo de Clerico etiam in ſacris, & beneficiato negant *Ambroſ. c.*18. *& Farinac. loc. cit.* quia per ſe loquendo, adhoc, vt Clericus in ſacris perdat priuilegium clericale, neceſſe eſt vt propter atrociſſimum crimen degradetur prius, at vero probabiliter etiam Decian. & Bonac. loc. cit. affirmant eſſe etiam ſermonem de clerico in ſacris, quia vbi ius non diſtinuigit, nec nos diſtinguere debemus.

Dico tertio, quod Clericus exercens Cauponæ, aut lanionis artem publicè ſi ſit coniugatus, certum eſt, quod ſi ter monitus non deſiſtit, vel ſi deſiſtit, & iterum eamdem artem aſſumit, priuatur omni priuilegio Clericali, vt habetur *in clem.* 1. *de vit. & honeſt. cleric.* quod ſi ſermo ſit de Clerico non coniugato incedente cum habitu, & Tonſura perdit ſolum priuilegium Clericale quoad bona, non quoad perſonã, vt ex præfata Clementina colligitur, quamuis Molina videatur aliud ſentire *tract.* 3. *diſp.* 94. tu vide *Ambroſinum, & Farinac. loc. cit.*

Dico quarto, quod idem dicendum eſt de clerico exercente negotia ſæcularia, ſi ter monitus non deſiſtat, quod ſolum perdit priuilegium quoad bona, non quoad perſonam vt colligi aiunt ex dicta *clem.* 1 *Ita Suar. & Coninch. loc. cit. licet Farinac. Ambroſi. & Carolus de Graſſ.* amittere talẽ clericũ abſolutè priuilegium clericale putent poſt monitionem trinã, ſi non deſtiterit, quia clementina pręfata videtur loqui abſolutè.

Vtrum clericus feudum poſſidens in cauſa feudi litigans, aut delinquens ſubiaceat iudicio Domini feudi, & an priuari valeat feudo ab ipſo Domino propter delictum.

DIFFIC. XXXI.

DIco 1. quod in cauſa feudi orta iam lite inter clericũ feudatarium, & laicum, ſiue agatur de petitorio, ſiue de poſſeſſorio, clericus ſubiacere debet iudicio Domini directi ipſius feudi, & ab eo re cognoſcitur, in quo caſu Dominus feudi nõ dicitur habere iuriſdictionem per ſe in clerico tanquã clerico ſed tanquam feudatario .ſ. quatenus Dux, Comes, Marchio, vel Baro talis feudi eſt conſtitutus Clericus à Domino, quam iuriſdictionem dant tali Domino ſæculari in tali caſu litigij in clericum, vt feudatarium ipſi Sacri Canones, vt habetur expreſsè *in 6. verum de for. comp. in c. vterum de iudic.* Ita communius Canoniſtæ, & Theologi. Attamen

Dico 2. quod ſi delinquat criminaliter clericus feudatarius, licet aliqui diſtinguant de delicto criminali in vaſſallos, feudi, puta, quia in eos Tyrannidem exercet, vel grauat, & opprimit quoquo modo, percutiendo, occidendo, deprædando,

dando, & in hoc caſu velint recognoſcendum à Domino feudi, in cæteris autem criminibus à ſuo Eccleſiaſtico Superiore, ſi non foret Eccleſiaſticæ Immunitati contraria diſtinctio, videretur æqua admodum, attamen, quia præfata intra ſolum Domino temporali dat iuriſdictionem in Clericum feudatarium in cauſis ciuilibus feudalibus, non autem in criminalibus & quia ſumus in odioſis non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum, omnino negandum videtur ſubijci in præfatis criminalibus Domino feudi Clericum feudatarium. Ita *Abbas in c. nimis de iureiur. & Bonac. de leg. diſp. 10. q. 2. p. 1. §. 4. Martha p. 2. caſu 23. Ambroſin. de immun. c. 20. & alij.*

Dico tertio, quod Clericus feudatarius criminaliter delinquens, nec poteſt à Domino feudi priuari feudo per ſententiam. Vide *Azor. 3. p. l. 10. c. 19. & Bonac. loc. cit.*

Immò ſi ab Eccleſiaſtico Iudice non puniatur ſufficienter Clericus feudatarius, vel cui alia bona conceſſerit Principes, & Reges, non poteſt priuari feudo, vel bonis propter tale crimen nō ſufficienter punitum, quia bona Clericis donata gaudent Immunit. Eccleſiaſtica ex c. S. Mariæ de conſtit. quod tamen limita niſi Principes, & Reges haberent expreſſam, vel tacitam ex conſuetudine legitimè introducta facultatem à Summo Pontifice contra dictos Clericos eos priuandi feudis, & bonis in caſu delictorum ab ipſis commiſſorum. vide *Dianam p. 4. tr. 1. reſol. 4. & Cochier. de libert. Eccleſ. p. 1. c. 31.*

Vnde ratio *Pereyræ de man. reg. 2. c. 48.* contrarium ſentientis ex eo, quod abſolutè poſſunt Principes, & Reges Clericos bonis ab ipſo datis priuare non per modū iuriſdictionis, ſed œconomicę gubernationis, qua ſolum conditionatè dicūtur dari talia bona Clericis, ſi boni ſint, hæc conditio contra libertatem Eccleſiaſticam ſpecificanda fuiſſet, contra ergo Reges, & Principes debet retorqueri, quod legem in priuilegio clarè dicere debuerunt, & non dixerunt.

Vtrum Clericus irreuerentiæ ſigna faciens coram Iudice laico, aut falſum teſtimonium dicens coram eo valeat ab ipſo puniri.

DIFFIC. XXXII.

Dico 1. quod licet *Bobadilla in Polit. T. 1. l. 2. c. 18.* contēdat puniendum eſſe à Iudice ſæculari Clericum, qui coram ipſo irreuerentiæ ſigna facit, ſed verè nullo ductus ſolido fundamento, poſſet tamen à Iudice capi, vt ad ſuum Superiorē remittatur mulctandus iuxta delicti menſuram, nec etiam pęna pecuniaria poteſt ab eo puniri Clericus in tali caſu, quia bona eius gaudent priuilegio immunitatis, nec poſſunt à Iudice ſæculari adiudicari, vide *Genuenſ. in prax. c. 8. & Carol. de Graſſis, eff. 1. quare*

Dico 2. quod licet *ex Federic. de ſen. Cancel. de Auentat. p. 2. l. 15. & alijs apud Clarum in pract. crimin. q. 97.* affirment Clericū dicentem falſum Teſtimonium coram Iudice laico poſſe ab eo puniri, attamen communius Canoniſtæ, & Theologi negant, Ita *Guttier. prac. q. 9. l. 1. q. 24. Affilc. deciſ. 230. Duard. in B. C. l. 2. can. 15. & alij ex c. ſi diligenti de for. compet. & l. 1. de cler. coniug. & ex Author. Statuimus C. de epiſc. et cler.* vbi ſtatuitur quod nullo modo Clericus poſſit cognoſci à Iudice laico.

Vtrum Clerici prima Tonſura, vel minoribus initiati non ſeruantes, quæ præcipiuntur à Conc. Trid. ad hoc vt gaudeant priuilegio fori, debeant fieri exempti à ſolutione impoſitionum, Collectarum, & Gabellarum ſæcularium.

DIFFIC. XXXIII.

Dico 1. Clericos prima Tonſura, vel etiam minoribus decoratos de iure communi eſſe exemptos ab onere gabellarū, collectarum, & impoſitionum ſæcularium ſupponitur certum *ex c. fin. de vit. & honeſt. cleric. c. quem gaudeo cnſ. et ex l. presbyteros C. de epiſc. & cler.* & ita communiter Theologi, & Canoniſtæ contra *Guttier. pract. qq. l. 1. q. 8. Ledeſmam T. 2. tract. 17. c. 7.* & ita habetur ex B. C. excommun. 18.

Obſeruat tamen noſter *Rodriq. in ſum. T. 1. c. 79. Vaſq. opuſc. de reſtit. c. 6. §. 1. Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 5.* quod ex conſuetudine ſcita, & tolerata à Summo Pontifice in aliquo Regno nō eximi Clericos minoribus ſolum inſignitos à pręfatis impoſitionibus. Cæterum huiuſmodi conſuetudinem iniquam eſſe probiliter etiam eſſe docent *Garzias de benef. T. 1. p. 2. c. 3. et Megala q. 2. l. 2. c. 17. q. 6.* quia Bulla Cœnæ loc. cit. reuocat, & tollit conſuetudines exigendi, & imponendi gabellas à Clericis etiā immemorabiles, & ita declaratū fuiſſe à *Rota Romana die 10. Decembris 1598. teſtatur Megala.* Verum

Dico ſecundo, quod licet aliqui graues Doctores putent, quod Clerici Tonſuræ, & minoribus initiati non ſeruantes, quæ præcipiuntur à *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 6.* circa priuilegium fori, vt in ſuperioribus eſt monſtratum ſc. ſi habitum, & Tonſuram deferentes Eccleſiæ non inſeruiant, vel in Schola, aut Seminario non commorentur, aut niſi beneficiati fuerint, quia non gaudent priuilegio fori, non gaudere Immunitate à gabellis, & cæteris impoſitionibus ſæcularibus, aiunt enim quod hæc Immunitas gabellarum, & impoſitionum dependet ab Immunitate fori ſæcularis, ſi ergo non gaudent principali immunitate, quia ex quo non ſeruant, quæ à Concilio præcipiuntur, ſubijciuntur Clerici foro ſæculari, etiam ęquum eſt eiuſdem fori ſæcularis impoſitionibus grauentur. Ita noſter *Coriolanus expoſ. B. Cœnæ, Suarez c. Regem Angliæ l. 4. l. 27. Azor. p. 3. l. 5. c. 19. queſt 6. Reginald. T. 1. l. 9. c. 25. Altar. de cenſ. T. 1. diſp. 11. l. 5. cap. 6. et Barboſa in collect. T. 1. l. 3. Tit. 99. c. 7. & alij.*

Alij tamen abſolutè putant exemptionem gabellarum, & impoſitionum ſæcularium non dependere ſimpliciter à fori Immunitate, ſed à priuilegio Clericali abſolutè, in pœnis autem non eſt facienda extenſio maximè in præiudicium immunitatis Eccleſiaſticæ, vnde cum gaudeant Clerici tonſura prima initiati priuilegio Canonis etiam ſi præſcripta à Concilio non ſeruent in præfato loco, probabilius etiam dicendū gaudere priuilegio Immunitatis ab impoſitionibus pręfatis, dum tali immunitate eos Concilium non priuet expreſsè; & ita declaratum fuiſſe à Sacro Congregat. teſtatur *Commolus reſponſ moral. l. 6. q. 20.* cuius declarationis verba formalia affert etiam *Diana p. 1. tract. 1. de immunit. reſolut. 28.* ex Epiſtola nomine Sacr. Congreg. ab *Antonio Cardin. Carrafa ſub die 22. Auguſti 1581.*

Sanè ſtante dicta declaratione, & ſi bene ponderentur verba Bull. Cœn. excommun. 18. vbi excommunicantur (imponentes decimas gabellas, &c. perſonis Eccleſiaſticis, & eorum bonis) habetur apertè, quod Clerici in minoribus conſtituti licet, non ſeruent præſcripta à concilio, cum gaudeant priuilegio Canonis, ſunt perſonæ verè Eccleſiaſticę, ſequitur omnino non poſſe ipſis in poni gabellas, atque adeo primam opinionem nullo modo amplectendam cenſeo.

Vtrum Clerici teneantur impoſitiones eas ſoluere, quæ pro communis vtilitate puta murorum, pontium, viarum, vel pro aliqua communi neceſſitate, vt eſt peſtis, ingruens Bellum.

DIFFIC. XXXIV.

Vide, quæ pro hac difficultate ſoluenda dicta ſunt V. *B. C. excommu. 18. diffic. 26. et 28.* & in ſolo illo Titulo habes, quæ in materia gabellarum impoſitionis poſſunt, vel non poſſunt imponi vel exigi.

An clerico liceat abſque peccato negotiari per ſe, vel per alium, & quomodo dicatur quis Negotiator.

DIFFIC. XXXV.

Dico primo, quod negotiatio interdicitur Clerico *in cap. conſequenter diſt. 88.* an vero peccet mortaliter negotiando, probabiliter noſter *Rodriquez.* negat modo negotietur abſque ſcandalo .ſ. ſine periurijs, & medijs illicitis, & indignis, quia in dicto c. ſolum prohibetur negotiatio fundata in quæſtibus illicitis, & in medijs, & occaſionibus ſcandaloſis; contrarium licet ſentiant. *Sylu. v. clericus Tolet. l. 8. c. 53. et Sot. de iuſt. l. 6. q. 2.* Attamen certius puto ſaltem, quod non peccet mortaliter ſi ſemel atque iterum ſine ſcandalo negotietur. Ita etiam *Salas de contract. de emptio. et vendit. dub. 2.* qui citat *Vegam, Leſſium, et Malderum,* & ratio eſt, quia non dicitur exercere actum, qui ſemel, vel bis operatur.

Clericum tamen in ſacris, vel beneficiatum peccare mortaliter ſi per ſe negotietur probabile eſt admodum. Vide *Salas loc. cit.*

Dico ſecundo, quod quilibet Clericus negotians etiam per alium peccet mortaliter docent nimis rigide *Genuenſ. in prax. c. 62. Riccius in prax. p. 3. reſol. 205. et Vgolin. de poteſt. epiſ. cap. 13.* itaque probabilius negant prohiberi Clericis per alios negotiati

tiari in prædicato Canone *Medina de reſtit. q. 30 ar. 7. Molin. de iuſt. T. 2. diſ. 342. Tabiena v. empt. q. 26. Arag. 2. 2. q. 77. a. 4. et Diana de contract. reſolut. 32.*, qui nec peccare venialiter putat Clericum per alios negotiantem contra *Bartol. à Sancto Fauſto in ſpec. confeſſ. diſp. 6. quæſt. 203.*, quod tu verum puta nullo modo peccare, ſi intra ſcandalum ſæcularium negotietur per alios occultè ſcilicet, & ſecretè, alias ratione ſcandali peccaret iuxta qualitatem ſcandali.

Dico tertio, quod ſi clericus aliquid emat principaliter ad ſui, ſuæque familiæ ſubſtentationem, & deinde per accidens data occaſione lucri illud reuendat cum lucro, vel permutet cum lucro, nõ dicitur propriè negotiari, quia finis primarius, & per ſe non fuit reuendere, vel permutare cum lucro ratione ſolius temporis beneficij, negotiatio autem ſpecificatur à fine, qui primarius eſt emere, permutare vili pretio, vt maiori pretio vendat vel cum maiori lucro permutet, vel locet, quod autem hæc reuenditio pluris, vel maiori lucro permutetur, quod eſt emptum ad vitæ ſubſtentationem ſimpliciter non meretur nomen negotiationis, verba enim in odioſis ſunt accipienda in ſua potiori ſignificatione. Ita etiam *Nauarr. cap. 25. num. 11. Quaranta V. Veſtigal. 2. Suar. diſput. 23. ſect. 4. Molyn. de iuſt. diſp. 339. Duard. in B. C. q. 8. Reginald. l. 9. num. 379. Bonacc. in B. C. diſp. 1. quæst. 19. p. 3. Belleu. de exemp. Cler. §. 4. & alij.*

Dico quarto, quod clericus dicitur verus negotiator, ſi res vilius emat ab alijs, vt eas expectato tempore ibi, vel alibi quandocumque reuendat carius, quia hoc facit ſolum ratione lucri principaliter, at vero ratione lucri principaliter eſt quid cupiditatẽ, & auaritiam redolens, à qua clericus debet abſtinere tanquam Deo perſona dicata, quare ſi ex ſuis bonis redacta pecunia negotietur, vel res ſuas etiam ex proprijs beneficijs habitas vendat, vel commutet in alias, vt pluris reuendat negotiator eſt dicendus.

Quod ſi res ſuas vinum, oleum, triticum ex redditibus etiã Eccleſiaſticis ſiue patrimonialibus reſeruant Clerici, vt carius vendant tali tempore, vel in alium locum transferant vbi pluris valent, vel venduntur, vt meliorata nouiter empta conſeruentur, non dicuntur clerici negotiatores, ſed res ſuas prudenter agere. Ita *Molyn. T. 1. diſp. 147. Leſſius 2. cap. 21. Martha de iuriſd. p. 4. cent. 1. cap. 5. fauſt. de contr. diſp. 33. q. 13. Ioan. Bap. Carlinus in contr. forenſ. cap. 31. & Diana p. 1. tract. 2. de Immu. reſol. 39. & p. 5. tract. 2. reſol. 26.* At vero vt prædicta melius intelligantur, & à pœnis ſpoliorum habeatur quando Clerici ſunt exẽpti exercẽtes negotiationẽ nõ ſit hæc difficultas.

In quot caſibus Clericus non dicatur negotiator illicitus ita vt pœnis ſpoliorum non ſubdatur.

DIFFIC. XXXVI.

Dico primo, quod Clerici abſq; metu negotiationis illicitè poſſũt agros beneficiorũ, & bonorum ſuorum patrimonialium laicorum opem colere, & pro culturæ vſu boues, & alia animalia emere illorumque fætus iuſto pretio, & honeſto modo vendere. Item abſque metu negotiationis illicitæ ſi habuerint in præfatis bonis quercus, & caſtaneas poſſunt emere ſues, & oues, & alia animalia, eaque alere pro ſua, ſuæque familiæ ſubſtentatione, modo in emendis, alẽdis & vẽdendis nihil ſordidũ, indecenſq; cõmittant circa decus clericalis ordinis. Adde quod abſque præfato metu licet eis folia arborum in proprijs bonis exiſtentium alicui laico concedere eo pacto adiecto, vt lucrum in bombycibus inter vtrumque diuidatur, & pariter eiſdem Clericis licet per ſeipſos abſq; ſui officij detrimento earundem arborum folijs arti ſericæ operam nauare pro ſua, ſuæque familiæ ſubſtentatione, modo in huiuſmodi exercitio perſonas ſuſpectas non adhibeant, & licentiam obtineant ab Epiſcopo gratis cõcedendam. Ita *Sacr. Congregatio concil. declarauit in Capuaquenſi cuius declarationem ſubſcriptam ab Eminentiſſimo Vbaldino, & ab eius ſecretario Franciſco Paulutio vidiſſe, & legiſſe teſtatur Barboſ. in Apoſtolic. dec. collect. 159 & in tract. de iure Eccleſ. vniu. l. 1. c. 40. num. 127.*

Dico ſecundo, quod clerici pauperes abſque reatu illicitæ negotiationis poſſunt Eccleſiæ territoria conducere ad ſuam, ſuæque familiæ ſubſtentationem, non autem bona laicorum, item poſſunt retinere, & locare boues, & oues, & alia animalia, quæ habent ex ſucceſſione, vel ex decimis, & fructus illorum vẽdere, vt granum, ordeũ, & legumina, & omnia frumẽtorum genera collecta ex bonis patrimonialibus, vel Eccleſiæ pro ſuo, & ſuæ familiæ ſubſtentatione vendere. Ita ſtatuit, & declarauit eadem *Sacr. Congregatio in dict. Capuaquenſi apud eundem Barboſa.*

Dico tertio, quod Clerici beneficiati, & ſacerdotes poſſunt opera ſuorum boum, quos pro alendis ſuis bonis patrimonialibus, ſeu Eccleſiaſticis retinent, dum ſibi vacant alijs locare pro certa mercede abſque periculo ſpolij, & pœnarum clericis negotiatoribus impoſitarum, modo tot iuga boum verè retineantur, quot ad ſuorum prædiorum cultu ſunt neceſſaria, quod ſi vltra neceſſitatem retineantur ſimpliciter ad locationem, non licet eis, limita modo ſuperflui non ſint nati ex vaccis, quæ pro neceſſitate prædiorum, vel paſcuorum propriorum bonorum habentur, nam illi vtpote non empti ad locandos præcisè licitè locantur. Ita habetur *ex Sacr. Congregat. Concil. in Alexandrina, & Vgentina apud Barboſam de iure Eccleſ. vniu. l. 1. cap. 40. num. 128. Vnde eadem Sacr. Congregatio declarauit*, poſſe Clericos beneficiatos, & ſacerdotes boues in ſuis prædijs natos, & inſtructos concedere pro certa tritici quantitate quolibet anno perſoluenda, ſecus quoad boues emptos, quia emere ad hoc boues eſſet negociatio vera, & illicita.

Dico quarto quod clerici beneficiati, & ſacerdotes poſſunt oues proprias centum, vel ſaltim quinquaginta concedere pro certa caſæorum quantitate ad ſuum ſuæque familiæ ſubſtentationem, ſecus ſi fuerint emptæ ad hunc effectum vt habeantur caſeus, & fætus ad vendendum, bene tamen verum eſt, quod ſi emantur ſolum, vt habeantur caſeus, & fætus ad ſui, ſuæque familiæ neceſſitatem non dicerentur negotiatores illiciti. *Eadem Sac. Congreg. in d. Alexand. & Vgentina apud eundem Barboſam.*

Dico quinto, quod Clerici beneficiati, & ſacerdotes in ſuis molendinis pro tritico, & piſtrinis pro oleo poſtquam ſuum triticum, & oliuas moli verè, poſſunt etiam alienũ triticũ, & alienas oliuas molere iuſta taxata mercede infraſcriptis tamẽ ſub conditionibus, primo, quod id ab immemorabili tempore fuerit factum, & obſeruatum, ſecundo, quod ſingulis annis nõ expendantur pro ſolo ſeruitio triginta, vel quadraginta ducati in reficiendis inſtrumentis, quæ fiunt ex iuncis, infra ſex, vel quinque menſes corrumpuntur, & in vno equo, & quatuor perſonis inſeruientibus ipſis, & piſtrinis, tertio, quod moliticia duret per quatuor vel ſex menſes iuxta annorum fertilitatem, quarto, quod propter hanc cauſam non ſe ſubtrahat ab ijs, quæ pertinent ad officium clericale, quinto, quod non ad lucrum, ſed ad ſuam, ſuæque familiæ, ſubſtentationem exerceatur tale opus per alios, & non per ſe immediatè. Ita eadem *Sac. Congreg. apud eundem Barb.* Quæ etiam Sacr. Congregatio declarauit poſſe Clericos beneficiatos, & ſacerdotes ſtante immemorabili conſuetudine aſſumere onus colligendi, & faciendi à ſua familia colligere oliuas pro certa portione à Domino olivieti ſibi reddenda, modo præfatis Clericis pro ſua, & ſuæ familiæ ſubſtentatione non adſint redditus ſufficientes, quo caſu aliena prædia etiam ſæcularia conducere licere declarauit apud *eundem Barboſa loco cit.*

Adde quod ibidem declarauit quod Clerici beneficiati, & ſacerdotes poſſunt in bonis amicorum, & conſanguineorum operas non ſordidas, & inhoneſtas præſtare, vt illi eaſdem in prædijs proprijs reſtituant.

Dico ſeſto, quod Clerici beneficiati, & ſacerdotes cultores agrorum propriorum, ſeu Eccleſiaſticorum non debent moleſtari titulo negotiationis illicitæ. Ita *Sac. Congreg. Epiſc. & reg. 19. Ianuar. 1603. apud Leſſium in ſelect. Canon. capitul. 13. num. 84.*

Adde quod *eadem Sacr. Congreg. in Barenn. 15. Nou. 1616. penes Leſſium cap. 80. num. 3.* declarauit etiam non debere moleſtari titulo negotiationis illicitæ Clericos, qui ſua bona beneficiorum, aut patrimonialia, quæ obtinent excoli faciunt, animaliaque ad hunc effectum neceſſaria emunt, & vendunt.

Vtrum Clericus dicatur negotiator ſi res emptas ſua induſtria & labore poſtea melioratas, vel mutatas carius vendat.

DIFFIC. XXXVII.

Dico primo, quod certum eſt dici verum negotiatorem, ſi res emat, vt eas non mutatas carius vendat, nam & ſuperio-

periori diffic. vera negotiatio conſiſtit in fine principali emendi minoris, vt pluris reuendatur, permutetur, vel locetur ratione lucri, at vero ſi reſeruat, vt ſua induſtria mutatas, & melioratas carius vendat, licet aliqui putent eſſe veram negotiationem rem emptam poſtea proprio labore, & induſtria melioratam reuendere pluris, & negotiationem putant exercere Clericum, ſi gregē emat, vt ex illo lac, & caſeum vendat, vel ſi agrum conducat, vt fructus inde perceptos vendat cum lucro. Ita videntur ſentire *Nauarr. cap. 25. num. 13. Duard. in B. C. quæſt. 8.*

Attamen mitius, & benignius dicendum, & forte probabilius cum *Panormitano*, quem ſequitur, & citat *Reginald. l. 9. num. 479. & Bellett. de exemp. Cler. §. 4.* quod res emptas viliori pretio, & labore, & induſtria melioratas, & mutatas vendere pluris non ſit vera negotiatio, quia quod pluris vendatur res non prouenit ſimpliciter ex emptione viliori, & venditione, vel per mutatione cariori pretio ratione ſolius temporis beneficij, ſed ex vero labore, & induſtria, quæ autem lucrari ſolent ex induſtria, & labore licitè exerceri poſſunt a Clericis abſque negotiationis ſuſpicione, hinc ſi clericus ſodinam ferri emat, vt ex eo ferrum conficiat, & vendat, dicitur potius laborare, quam negotiari, quicquid in contrarium ſentiunt *Nauar. & Duard.* Quare

Dico ſecundo, quod non dicitur negotiator clericus ſi animalia emat, vt in ſuis prædijs paſcat, & nutriat, licet vendat eorum fructus, vel impinguata reuendat, quia ſua induſtria, ne prædiorum ſuorum herbæ, & glandes perdantur, eſt dicenda, quod animalia ibi alat, vt ſic ex ſuis prædijs redditus habeat ad ſui ſuæque familiæ ſubſtentationem, ſecus ſi in alijs prædijs pinguefacienda animalia emat, quia tunc excedit induſtriam, quam pro fructificandis rebus ſuis debet adhibere, vt multi volunt.

Item ſi quis pullum equinum emat, vt ſua induſtria factum grandiorem, & melioratum vendat, quia hoc ad induſtriam pertinet, vt ex ſua diligentia melioretur non, dicitur negociator, vide *Bonacc. in B.C. quæſt. 19 p. 3.* ſecus ſi emat equum, vt vt illum locet, quia hoc ad negotiationem ſpectat, vt habent *Bonac. & Suarez.*

Vtrum clericis collecta imponi poſſint propter publicam, & communem vtilitatem deficientibus communibus redditibus, dato quod ſufficerent redditus particularium ciuium.

DIFFIC. XXXVIII.

Dico primo, quod vt Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ poſſint collectari pro communibus vtilitatibus, & neceſſitatibus populi tria requiruntur. Primo vt vtilitates, & neceſſitates publicæ ſint veræ, & reales examinatæ, & cognitæ per Iudicem Eccleſiaſticum. Secundo vt non ſufficiant redditus ſæcularium, & id etiam examinetur, & cognoſcatur à Iudice Eccleſiaſtico. Tertio vt adſit conſenſus Epiſcopi, & Cleri (nomine autem cleri veniunt capitulum cathedralis, & collegiatarum in ciuitate, & in Diœceſi ſaltem Vicarij foranei ſinguli pro ſuis Parætijs, vt reſolutum fuit in *Rota Roman. apud Farinacc. deciſ. 42. apud Poſthumo*, & ita practicatum fuit Mediolani, & Nauarriæ anno 1624.) Quarto reperitur vt præcedat Summi Pontificis conſenſus.

Et licet *Suar. l. 4. de immun. cap. 25. Bonacc. in B. C. diſp. 1. quæſt. 19. & Azor. T. 1. l. 5. cap. 13. quæſt.* 8. velint probabiliter ſufficere ad validitatem conſenſum Epiſcopi, & cleri ſine licentia Papæ, quamquam peccare velint permittentes collectari clericos in tali caſu, & puniri poſſe, tamen quia talia collectatio *in cap. Aduerſus* non irritat impoſitionem putant validam.

Verumtamen, quando periculum non eſt in mora, & de facili poteſt expectari Papę authoritas, tutius dicendum, quod requiratur adhoc, vt licitè collectari valeant. Ita *Marchinus de Peſte par. 4. cap. 4. & Farinacc.* Ita deciſum fuiſſe docet à *Rota Romana in deciſ. nouiſſ. T. 2. deciſ. 72.* quę ſententia tanquam tutior paſſim practicatur.

Quare Florentini acceperunt bullam à Clem. VIII. pro collectandis clericis ad reparationem Armi, ab Vrbano VIII. Panormitani pro expenſis factis tempore peſtis 26. Maij 1624. & Mediolanenſes ab eodem die 10. Maij 1624.

Igitur, ſi in aliqua præſentanea neceſſitate, quando periculum eſſet in mora, collectarentur clerici inconſulto Papa, non debet continuari collectatio ſine ipſius authoritate ſecundum hanc opinionem probabiliorem, & tutiorem.

Dico ſecundo, quod quamuis aliqui putarint poſſe collectari Clericos, quando deſunt facultates, & redditus communitatis, licet ſufficerent redditus ciuium particularium, vt docuit inter alios *Caſtr. Paulus T. 2. tract. 2. diſp. vn.* Attamen praxis eſt in contrarium, nam vt patet in bulla data ab Vrbano Octauo Ducatui Mediolanenſi pro collectandis Clericis, in qua propter inopiam non ſolum communitatum, ſeu vniuerſitatum in dicto ſtatu, verum etiam propter inopiam ciuium fuit data facultas collectandi Clericos. Immo diſcuſſio quod non ſufficerent redditus ciuium commiſſa fuit tam in Bulla Clem. VIII. quam in bulla Vrbani VIII. ad Panormitanos, Iudici Eccleſiaſtico.

Aduerte etiam quod in talibus caſibus collectæ impoſitæ Clericis exactio facienda eſt ex commiſſione Epiſcopi, vt cauetur in Bulla Vrbani VIII. data Mediolanenſi Ducatui.

Vtrum Clerici grauari dicantur ab impoſitione gabellæ, quando eius onus adijcitur actui ſeparato, vel non ſeparato ab ipſo contractu emptionis, vel venditionis.

DIFFIC. XXXIX.

Dico primo, quod certum videtur non grauari Clericos, quando onus gabellæ imponitur actui ſeparato ab ipſo contractu emptionis, & venditionis, puta ſi imponatur gabella ſuper quolibet dolio vini, vel ſarcina qualibet frumenti introducenda in ciuitate, quia onus gabellæ non eſt impoſitum vendenti, & ementi, dicitur onus gabellæ adiectum actui ſeparato ab ipſo contractu emptionis, & venditionis, ſed ſolum per introductionem, à qua gabella Clericus immunis eſt, nec vlla eis fit iniuria, nec libertati Eccleſiaſticæ. At vero.

Dico ſecundo, quod ſi onus gabellæ imponatur actui contractus venditionis, puta ſi dicatur, qui vult emere, vel vendere dolium vini vel ſarcinam frumenti ſoluat duos carolenos, negant *noſt. Rodriq. Henriq. & Molyn.* lædi immunitatem Eccleſiaſticam, quia licet gabella apponatur actui contractus venditionis, & emptionis, non eſt tamen alterarum pretium; itaq non propter hoc Clericus vendit vilius, aut emit carius, & ſeparabilis eſt gabella ab actu, vnde poteſt non exigi à Clerico.

Attamen quia hæc gabella paſſim efficit, vt carius ematur, & vilius vendatur à Clericis, eorum lædere immunitatem dicendum videtur probabilius, etenim ſi Clericus vendat laico, quia Clericus non ſoluit gabellam, vilius emit, laicus vt poſſit ſoluere gabellã, quam non ſoluit Clericus, ſi vero emat, carius emit, quia vendens rem Clerico debens ſoluere gabellam, carius vendit Clerico, vt in praxi in multis locis fieri, conſueuit in graue præiudicium Eccleſiaſticorum; vnde tales imponentes, & exigentes gabellas, quia indirectè ſaltem contra immunitatem Eccleſiaſticam faciunt, non excuſari ab excommunicatione B. Cænæ docent *Bellett. in diſquiſit. Cleric. p. 1. de exemp. § 8. & Surdus in conſ. 127.*

Vtrum Clerici de bonis ſibi donatis a laicis, & de bonis, ſuper quæ erat poſita certa, & inuariabilis collecta, antequam ad ipſos peruenirent quomodocumque, quæ ſolet dici, debiti contracti, poſſint licitè collectari.

DIFFIC. XXXX.

Dico primo, quod patrimonia clericorum ſunt exempta ab oneribus impoſitionum ſæcularium certum eſſe dictum eſt V. B. C. excommunicatione 18., vbi habentur hæc formalia verba contra (imponentes decimas gabellas, &c. perſonis Eccleſiaſticis ac eorum, & Eccleſiarum boni,) ex quibus habetur, quod non ſolum Eccleſiarum bona, & perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam bona Eccleſiaſticorum quatenus propria ſunt defenduntur per excommunicationem à talibus oneribus, & habetur in iure communi etiam in *cap. 1. de immunit. Eccleſ. & c. quamquam de cenſib. in 6.* ita communiter.

Dico ſecundo, quod conſequenter perſonæ Eccleſiaſticæ nec tenentur ſoluere gabellas de rebus ſibi donatis, quia per donationem

donationem iam facta ſunt eorum bona; quæ & per bullam C. & de iure communi ſunt exempta.

Quod autem in Regno Neapolitano dicat *Riccius* non gaudere Clericos immunitate gabellarum, & collectarum ex quodam iure municipali ipſius Regni quoad bona ipſis donata, & talem conſuetudinem doceat *part. 4. deciſ.....* poſſe ſubſtineri, ſi verè hæc conſuetudo ſit à Summo Pontifice cognita, & tolerata non egreditur omnino fines probabilitatis.

Ceterum probabilius dicendum talem conſuetudinem, vt ſupra etiam dictum eſt damnandam, & extirpandam, quia quotannis in B. C. reuocatur, damnatur, & reprobatur conſuetudo etiam immemorabilis contra immunitatem Eccleſiaſticam.

Dico tertio, quod probabile eſt clericos teneri ad ſoluendam collectam certam, & inuariabilem poſitam ſuper bonis, antequam peruenirent ad ipſorum manus, quia res tranſit cum onere ſuo, & Ita docent *noſtr. Coriolan. in B. C. excommunic. 18. Proſper ab Auguſto in add. ad Quarantam V. Vectig.* in fauorem præcipuè Regni Neapolitani, & *Diana 1. part. tract. 1. de Immunit. reſolut. 42.* At vero non improbabiliter mutans ſententiam idem *Doctor. in 3. part. tract. de immunit. Eccleſ. reſolut. 17. cum Carolo de Graſſis, & Peſantio tractat. de Immunit. Eccleſ. diſp. 2.* negat à Clericis ſoluendam eſſe huiuſmodi gabellam certam, & inuariabilem dictam vulgo, debiti contracti, licet impoſita bonis fuiſſet antequam peruenirent ad ipſorum manum, etenim hæc collecta inuariabilis, & certa dicit onus perſonale quoad obligationem ſoluendi, licet quoad quantitatem ſoluendam ſit onus reale, onus autem perſonale ſoluendi impoſitiones ſæculares non poteſt transfire ad Clericos. Ita etiam *Cardin. Alban. de immunit. Eccleſiæ T. 3. tract. part. 2.*

Verum hæc ratio videtur concludere ſolum in oneribus, quę per ſtatutum aliquod particulare ponuntur in fraudem Clericantium, non autem quando propter neceſſitates veras, & reales obligata fuerunt bona, vel omnia, quæ ſunt in Territorio talis communitatis, vel particularium ciuium ad ſoluendam quot annis tantam penſionem pro debitis contractis in tali vera neceſſitate, quia re vera æquum eſt, vt ſoluantur, quia donans, vendens, vel quomodocumque tradens Clerico dicta bona non poteſt alio modo donare, vendere, & tradere, quam ſuppoſita dicto oneri, nec Eccleſia pia mater intendere poteſt damnum aliorum ciuium, & vt plurimum miſerabilium perſonarum, vt faueant vtilitati clericorum in particulari, vide etiam quæ dicta ſunt in bulla C. excomm. 18. diffic. 15.

Vtrum clericus ſit conueniendus in curia ſæculari pro cenſu debito Regi non ſoluto ab ipſo clerico Debitore.

DIFFIC. XLI.

Dicendum, quod ſi bona data clerico à Rege, ſuper quibus fundatur cenſus ſoluendus, fuerint cum hac conditione tradita, vt poſſit conueniri coram iudice ſæculari, licet *Suar. contra Regem Angl. l. 4. cap. 14. Antonius Ripol. de Iuriſdict. omnium Iudic. cap. 1.* velint talem conditionem non eſſe malam, & conſequenter ſeruandam; quod colligi aiunt *ex cap. verum de for. comp. & ex capit. verum de condit. appoſ.* quod non improbabile puto, ſi accedat conſenſus Summi Pontificis ſaltem tacitus, ſcilicet quod Papa verè cognoſcat, & ſciat talem conditionem, & eam nolit reprobare, ſed permittat practicari non ſolum ex quadam tolerantia, & patientia ad bonum finem, ſed quia videtur æqua, dum appoſita eſt talis conditio in contractu donationis factæ Clericis, vt facilius Reges moueantur ad donandum clericis.

Attamen tutius negatiua ſententia practicanda, ſcilicet hanc conditionem non debere apponi in conſulto Summo Pontifice, cum ſit contra Immunitatem, & appoſita ſine expreſſo conſenſu Papæ potius tollenda, quam practicanda, nam *ex cap. verum, & cap. tranſmiſſa* vbi numerantur caſus, in quibus poſſunt clerici in ciuilibus, non ponitur hic caſus, *& in Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 20. de Reformat.* habetur omnes cauſas Eccleſiaſticorum diſcutiendas dumtaxat coram ordinarijs locorum. Vide *Dianam p. 4. tract. 1. reſol. 66.*

Vtrum clerici poſſint trahere laicos in omni caſu vertente inter ipſos, an vero ſolum pro rebus Eccleſiæ, & earum fructibus ad iudicem Eccleſiaſticum.

DIFFIC. XLII.

Dico primo, quod Papa poſſet ſtatuere quod clerici traherent laicos in omni caſu vertente inter ipſos ad iudicem Eccleſiaſticum, quia habet ſaltem iuriſdictionem indirectam ſuper omnes laicos, etiamſi ſint Reges, & Imperatores, quando id exigit finis ſpiritualis, qualis eſt clericos à Iudicis ſæcularis poteſtate omnimodo auocare actiuè, & paſſiuè, nec in dicto caſu iuriſdictionem laicam vſurparet Pontifex, quia omnium Imperatorum, & Regum Pater eſt, & Chriſti Domini vniuerſorum, à quo omnes Reges, & Principes poteſtatem accipiunt, vicarius eſt cum duplici iuriſdictione ex ſe ſpirituali ſcilicet, & temporali, ſi ergo tale ſtatutum faceret Papa ſua abſoluta potentia licitè, iuſtè & valide ſeruaretur. Vide *infr. V. Papa, & Dianam in 5. p. tra. 1. reſol. 7.* non autem inuenitur apud Sacros Canones, nec alibi tale ſtatutum à Pontifice Summo promanaſſe. Quare

Dico ſecundo, quod Clerici poſſunt de facto conuenire laicos coram Iudice Eccleſiaſtico pro rebus Eccleſiæ, & earum fructibus defendendis, ita tradunt *Innoc. & Abb. in cap. ſi clericus laico de for. comp.* quod ſeruari in Regno Caſtellæ per ſpeciale ſtatutum docet *Molyn. de iuſt. tract. 2. diſp. 149. T. 1.* & ex reſcripto Regis Alphonſi dato Caietæ die 24. Auguſti 1436. etiam practicari in Regno Neapolitano debet, & nouiſſime deciſum fuit in *Rota Romana die 28. Maij 1631. coram Merlino.*

Vnde illa regula, quod actor debet ſequi forum Rei patitur exceptionem in fauorem bonorum Eccleſiæ, & ſuorum fructuum, quia cum ex ſpiritualibus dependeant, & ad ſpiritualia dirigantur, debent etiam prærogatiua fori ſæcularis gaudere in ſui defenſionem, vel vt alij explicant, quod tunc Actor laicus debet ſequi forum Rei inter perſonas Eccleſiaſticas, quando laicus probabiliter negare poteſt res eſſe Eccleſię, quia hęc cognitio, an ita ſit, poſſet pertinere ad forum laicum, vide *Ant. Ripol. de Iuriſd. omn. Iudic. cap. 1.* quæ tamen explicatio parum mihi arridet.

Vtrum clerico liceat aperire tabernam pro carne, vino, pane, & ceteris commeſtibilibus collectis ex ſuis bonis, quando Dominus loci vnam ſolam tabernam pro dictis rebus iuſſit aperiendum in ſua ciuitate, vel caſtro.

DIFFIC. XLIII.

Affirmant communiter, cum nullibi ſit eis interdictum, nec poteſt clericis Dominus loci hoc denegare, quia clerici non ſunt eius Vaſſalli, & fructus ſitorum prædiorum poſſunt cuicumque vendere, alioquin incurrerent hoc prohibentes Domini in excommunicationem in B. C. in quinto Canone latam. Ita *Geminianus, & Francus*, quos citat, & ſequitur *Diana part. 4. tract. 1. reſol. 12. & p. 5. tract. 1. cap. 18. & Aponte in Reſcrip. ſuper cenſ. Venet.*

Inmo ex *Nouario de grauam. Vaſſall. T. 4. & Maſtrill. de magiſtr. l. 4. cap. 18.* non poſſunt licitè Barones iubere, vt in vna ſola taberna vendantur panis vinum, & cetera comeſtibilia, & poſſunt Vaſſalli reclamare de grauamine, ſi vero taceant, acquiſitum ius iſtud Baroni in foro ſaltem fori, non in foro conſcientiæ.

Dubitant Doctores, an Baro iubens, vt vna ſola taberna aperiatur incidat in quintum Canonem B. C. & affirmant admodum probabiliter *noſt. Coriolan. in explicatione B. C. excomm. 5. Gambacurta de caſ. reſeru. in B. C. cap. 5. Graſſ. in deciſ. T. 1. l. 4. et Duard. in B. C. l. 2. cap. 15. quæſt. 4. et Butrio in cap. ſuper quibus de verb. ſignific.* putantes tale præceptum eſſe ſpeciem Vectigalis.

Non improbabiliter tamen poteſt defendi non eſſe ſpeciem Vectigalis tale præceptū, ſi ſolum ſit, nec alijs oneribus mixtū, apertio enim vnius tabernæ ſolummodo non eſt impoſitio vectigalis, cum nihil imponatur plus ſoluendum pro pane, & vino, quam ſoleat vendi, ſi in pluribus tabernis venderentur. Ita etiam *Filiuc. T. 1. tract. 16. cap. 5.* quare non prohibetur in excommunicatione B. C. talis apertio vnius tabernæ, licet ex ſe ſit damnabilis, & tyrannidem ſapiat, niſi fiat aliquando

propter

propter bonum commune Reipublicæ, vel propter aliquam legitimam cauſam vitandi fraudes, & inconuenientia.

Vtrum ſi clerici negligant cum beneficio legis, & inuentarij hæreditatem ſuſcipere teneantur vltra vires hæreditatis.

DIFFIC. XLIV.

NEgant paſſim Doctores teneri clericos vltra vires hæreditatis ſi non ſuſcipiunt hæreditatem cum beneficio legis,& inuentarij, quia vi coactiua non tenentur ad leges ciuiles ſeruandas, eſt autem de iure ciuili, quod negligens accipere hęreditatem cum beneficio legis, & inuentarij teneatur debitoribus vltra vires hæreditatis, vt iuriſtæ communiter affirmant, & licet *Molin. in emptor. iur. & Carol. de Graſſ.* contendant teneri clericos vltra vires hæreditatis, ſi non ſuſcipiant eam cum præfato beneficio legis, & inuentarij, quia dum non proteſtantur, ſecundum iura conſentiunt ſingulis oneribus defuncti hæreditatem relinquentis; at vero hoc falſum eſt, quia ſolum eſt de iure ciuili, quod obligetur hæres vltra vires hæreditatis, ſi non ſuſcipiat eam cum beneficio, nam de æquitate eſt naturali, vt vltra vires nemo teneatur, quare clerici cum non ſubdantur iuri ciuili vi coactiua non poſſunt adhoc cogi: quod ſi ſuſceperint hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, gaudere poſſunt tali priuilegio, quia in fauorabilibus non contrarijs immunitati Eccleſiaſticæ, clerici vtuntur legibus ciuilibus. Ita *Marth. de iuriſdict. num.4.centur.1. conſ.75. in textu in l.ſi te bonis,& l. fin.15. cum igitur C.de iure delib. Felin.in cap.Sancta Maria de conſtitut. in 6.& Abbas ibid.num.13.*

Vtrum clerici poſſint vendere non ſolum ingroſſo, ſed etiam ad minutum vinum, oleum, & ſimilia, & ſi vltra pretium forenſe, & cum falſa menſura contra præceptum ſub amiſſionis bonorum vendibilium à iudice laico latum vendant, incurrant huiuſmodi pœnam.

DIFFIC. XLV.

DIco primo, quod clerici poſſint vinum, & oleum, & ſimilia prouenientia non ſolum à bonis Eccleſiaſticis, verum etiam à patrimonialibus vendere tam in groſſo, quam adminutum ſiue per ſe, ſiue per alios licitè, nec propterea dici negotiatores, docet *Gloſa in c.negotiatorem diſt.88. Abb.in c.2.de cler.vel monac.Genuenſ.in 1.Archiep. Neap. c.62. Barboſa p.2. alleg.21. Marthapart.4. cent.3. & Diana 4.p.tract.1.reſol. 52.* & patet ex ratione quam attulimus in ſuperiori difficultate 32. & 33.

Quare Iudices ſæculares non poſſunt præcipere venditoribus rerum clericorum, etiam ſi ſint laici, vt non vendant niſi in quarta Domo diſtante ab Eccleſia, quia inciderent in excommunicationem, vt infra V.libertas Eccleſiaſtica.

Dico ſecundo, quod clericus vendens vinum oleum, frumentum, & cetera huiuſmodi vltra pretium taxatum à foro ſæculari imponente pœnam amiſſionis rerum vendibilium contra vendentes maiori pretio, non poteſt à Iudice ſæculari tali pœna puniri, quia eius ſtatuto non ſubditur vi coactiua, at vero tenetur clericus vi directiua ad tale ſtatutũ ſeruandum, & peccat mortaliter, quia in re graui vltra iuſtum determinatum pretium committit contra legem, & debet puniri à Iudice Eccleſiaſtico pœna tamen minori, quia non ſubditur pœnæ ciuili iure impoſitę clericus. Ita *Nauar.cap.23.num.*887. quod etiam dicendum ſi falſa menſura venderet vide *Barboſ. in collect.T.1. l.3. Decretal. l.13. Dianamp.4. tract.1. de immunit. reſolut.* 8.

Quare non eſt audiendus *Bobadill.in Polit.T.1.l.2.cap.*18. putans cum Cenedo, & alijs in iſtis, & ſimilibus peccantem Eccleſiaſticam perſonam contra leges ciuiles, & ſtatutum circa politicum conuictum iiſdem pœnis poſſe à Iudice ſæculari puniri; hoc enim eſt immediatè contra Immunitatem Eccleſiaſticam, cum clerici habeant ſuos iudices, à quibus ordinaria, vel extraordinaria iuxta delictorum menſuras puniuntur.

Vtrum clericorum pecora inuenta in paſcuis alienis contra ſtatutum puniens talia pecora repreſalianda eſſe, poſſint à miniſtris curiæ ſæcularis abſque periculo excommunicationis repreſaliari.

DIFFIC. XLVI.

AFfirmant *Guttier.pract. qq. l.1. q.4. Ceuallos in tract.de cognit.per viam viol. part.2.queſt.*11. teſtantes ita practicari de ſtilo curiarum ſæcularium, & ita deciſum fuiſſe in Regali Cancellaria Pariſienſi, quia in hoc non tangitur perſona clerici.

Attamen negandum cum alijs, quos citat, & ſequitur *Barboſa in collect.T.1.l.1.tit.2.cap.*10. quia non poſſunt iudicari pecora clerici niſi iudicetur clericus, pecora enim ſunt incapacia damnationis, & abſolutionis vt habetur *in l.1. poſt principium ſi quadrup.pauperiem feciſſe dicatur,& Argum.cap.2.* Rem, quæ culpa caret in damnum vocari non conuenit, vide etiam *cap.multum* 15.*q.*5. quare cum Clericus ſit exemptus, etiam ſua bona ſunt exempta, vt ſupra etiam firmatum eſt ex B. C. difficul.36. ergo in excommunicationem incidit repræſalians pecora, quæ reſpectu perſonæ clerici gaudent immunitate.

Quod ſi aliquibus in locis, vt dicunt aduerſarij practicetur talis repræſaliatio vel omnino illicita eſt, vel ſtatutum factum eſt de conſenſu Eccleſiaſticorum ad retundendam clericorum petulantiam.

Quare ſi non adſit Eccleſiaſtici iudicis conſenſus committentis in tali caſu repræſaliationem pecorum clericorum, debent cuſtodes, & miniſtri ſæculares inuenta huiuſmodi pecora in locis à ſtatuto prohibitis adducere ad iudicem Eccleſiaſticum, vt clerico pro damno dato ſaltem pœnam imponat.

Vtrum clericus minoribus inſignitus frangens relegationem ſibi impoſitam, vel aliquod aliud crimen in clericatu committens, ſi deponat deinde clericatum, an poſſit cognoſci à Iudice Eccleſiaſtico iam factus laicus.

DIFFIC. XLVII.

QVamquam aliqui voluerint pro debito commiſſo à clerico tempore clericatus, ſi poſtea relinquat clericatum, & fiat laicus, non poſſe puniri à Iudice Eccleſiaſtico, quia iam eſt factus extra eius iuriſdictionem, eo modo, quo laicus ſi fiat Clericus de crimine ab eo commiſſo tempore, quo erat clericus, cognoſcit iudex Eccleſiaſticus, & non laicus. Ita etiam *Pereira de man.Reg.part.2.cap.*42. licet aliquam ipſe rationem adducat deſumptam à ratione perſonæ, quæ attenditur in iudicio, non autem à tempore, quo incipitur iudicium, ſed ad idem redit.

At vero hodie contrarium omnino ſentiendum, quia ita definitum, & declaratum fuit à Sacra Congregatione die 9. Septembris 1631. clericum ſcilicet gaudere priuilegio fori pro delicto commiſſo tempore clericatus, ſi deinde nubat, itaque non poterit puniri à iudice laico, ſed ab Eccleſiaſtico de crimine patrato in clericatu, vide *Dianam nouiſſimè part.4.de imm.tract.1. reſol.*6. immò ita iudicatum fuiſſe à Sacro Concilio Neapolitano docet *Baiardus in Addit. ad iul. Clar.queſt. 63.v.Francus in deciſ.417.Paul.Squillant.de priuil. cleric.capit. 27. Bonac.in B.C. diſp.1. queſt.16. part.3.* & alij, quia tempus comiſſi delicti de iure attendendum cuius ſcilicet ſtatus erat delinquens, quando commiſit delictum vt docet *Bald. in l. affinitatis C.comm.de ſucceſſ.*

Quare ſi clericus relegationem frangat relicto clericatu iam factus laicus iudicabitur etiam à Iudice Eccleſiaſtico, atque ita ſeruatum in *Cur. Archiep. Neap.* docet *Genuenſis cap.8. in ſua pr. Archiep. Neap.*

Nec obſtat ratio contrariæ opinionis, quia factus clericus laicus delinquens de iure diuino gaudet immunitate, ius autem diuinum abrogat ius ciuile, quod ſtatuit ſtatum perſonæ tempore quo commiſſum eſt delictum aſpiciendum in iudicio, qua tamen lege in fauorabilibus immunitati Eccleſiaſticæ poteſt vti iudex Eccleſiaſticus, & laicus factus clericus, & hæc eſt diſparitatis ratio contra prima opinionem.

Vtrum

Vtrum clericus, & laicus in eodem crimine ſocij iudicandi ſint a iudice laico, ſi ab ipſo deprehenduntur, an vero remittendi ſimul ad iudicem Eccleſiaſticum.

DIFFIC. XLVIII.

NOn defuerunt viri doctiſſimi tam iuriſtę, quam Theologi volentes laicum a laico iudice, non autem ab Eccleſiaſtico puniendum ex *l. ſi quis vxorat. ff. de furtis* vbi habetur, quod in delictis ſocius criminis nō gaudet priuilegio ſocij. Ita *Sanch. in opuſc. T. 1. l. 3. capit. vnico dub. 30. Caſtr. Paulus T. 2. diſp. vnic. part. 6. Molyna de iuſt. T. 4. tract. 3. diſp. 49. Bonacc. in B.C. diſp. 1. quæſt. 16. p. 5. & alij.*

Attamen probabilius videtur dicendum poſſe, & debere laicum ſocium criminis cum Clerico inuentum à iudice laico remitti ad iudicem Eccleſiaſticum, & ab eo puniri. Ita ſacram Congregationem 1591. die 10. Decembris declaraſſe, & mandaſſe commiſſario ciuitatis Toſculanæ, vt tam laicos, quam clericos ſocios ex violentia illata cuidam mulieri remitteret puniendos ad iudicem Eccleſiaſticum teſtatur *Scaccia lib. 1. de iudic. cauſar. cap. 11. num. 24.* & iure quia magis dignum trahit ad ſe minus dignum *ex cap. per tuas de Arbitr. & cap. quanto de iudic.* & notat *Scaccia*, quod licet aduerſus hanc ſententiam videatur bulla Pij V. 26. Maij 1567. tamen dicta bulla fuit correcta, & reducta ad terminos iuris communis, & Sacr. Conc. Trid. per aliam bullam ipſius Pij V. die 20. Iunij 1566. vide *Dianam 4. part. tract. de immun. reſol. 7. & 3. part. tract. de Imm. reſol. 2.*

Vtrum clericorum parentes, filij, fratres, & eorum familia tota, & an vxores ſacerdotum Græcorum gaudeant priuilegio immunitatis fori.

DIFFIC. XLIX.

DIco primo, quod filij legitimi eorum, qui poſt mortem vxoris Clerici facti ſunt probabile eſt gaudere priuilegio fori dum manent ſubditione paterna, quia *ex l. fin. C. de Impub.* Pater, & filius reputentur vna perſona *& l. cum ſeruus §. fin. ff. de Agric. & cenſ.* filios dicitur perſona Patris. Ita *Decian. tract. crimin. l. 4. cap. 4. Carol. de Graſſis de eff. cler. eff. 1. Squillant. de priuil. cler. cap. 7. dub. 2.* qui etiam *l. 8. dub. 1.* probat filium clerici gaudere exemptione gabellarum viuente Patre clerico, quod etiam declarauit *Sacra Congregatio immunit. in Callenſi* 18. *Martij* 1632. ſcilicet Filium legitimum clerici, quem habuit ex legitima vxore ante clericatum durante vita Patris gaudere priuilegio fori vide *Sellum in ſel. canon. cap. 13. num. 74.*

Dico ſecundo, quod Doctores diſtinguere ſolent circa exēptionem familiæ clericorum, volunt enim aliqui ſeruos perpetuos clericorum gaudere Eccleſiaſtica Immunitate, quia reputantur inter eorum bona, non autem ſerui, & famuli temporales. Ita *Clarus Gutierez, & Couarr. apud Dianam part. 3. de immunit. reſol. 47.* attamen nec improbabiliter alij abſolutè volunt totam familiam Clericorum, ſiue temporalem, ſiue perpetuam gaudere immunitate Eccleſiaſtica. Ita Menoch. *de Arbitr. cent. vltim. caſ. 56. Narbona 3. part. Recep. l. 4. Tit. 1. l. 20. Squill. de Priuil. cler. cap. 1. & Diana loc. cit.* & iure optimo iuxta illum commune proloquium, Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, quod tu intellige ſi deloquamur in ijs rebus, quę ad Clericorum perſonam, & bona pertinent directè, vel indirectè; verum vt notat *Bonac. de cenſ.* iſta hodie ſeruari non ſolent apud iudices Eccleſiaſticos.

Dico tertio, quod parentes, & fratres habitantes in eadem domo, & conuiuentes cum clerico gaudent priuilegio non hoſpitandi milites, quia priuilegium alicui conceſſum extenditur ad ſocios, & in ſpecie de immunitate ab oneribus docet gloſa in l. fin. *C. de muner. & Surdus ſuſius in conſ.* 301. vbi etiam docet priuilegium conceſſum Doctoribus circa immunitatem ab oneribus, extendi etiam ad parentes, & fratres ſi ſimul conuiuant in eadem domo communi. Et licet *Amon. de martinis* hoc ſolum extendat ad clericos in ſacris, & velit non currere pro clericis minoribus, attamen non eſſe reſtringendum hoc priuilegium ad ſolos in ſacris conſtitutos docet *Diana* infra citandus.

Et licet *Riccius p. 3. reſol. 18. Carol. de Graſſ. effectu 3. & Diana p. 4. tract. 1. reſol. 32.* velint non debere hoc priuilegium hoſpitandi reſtringi, vt ſcilicet præfati parentes, & fratres ſaltem debeant contribuere aliquod in pecunia, licet non obligantur hoſpitio milites accipere, & probabiliter, quia priuilegium abſolute conceditur clerico, & per clericum diffunditur etiam abſolutè in ipſos, attamen de æquitate ſaltem videtur admodum congruum pietati maximè tot pauperum, vt contribuant aliquod, ita etiam docere videntur *Squillant. de priuil. Cleric. cap. 9. Molfeſ. tract. 12. cap. 72. & Antonius de martinis apud Dianam loc. cit.*

Notandum eſt etiam in hac materia quod extat declaratio Sacræ Congregationis in vna Nouarienſis die 9. Iunij 1617. quod magiſtratus ſæcularis non poteſt, nec debet facere hoſpitari milites in domibus perſonarum Eccleſiaſticarum, quamuis laicis ſint locatæ, quia nec indirectè debet præiudicium afferri bonis Eccleſiaſticorum. Ita *Diana 4. p. tract. 1. de imm. reſolut. 32.* Clericos autem non poſſe cogi ad hoſpitandum milites etiam ex iure ciuili habetur *ex l. 1. C. de Epiſc. & cler.*

Dico quarto; quod ſacerdotum Græcorum vxores gaudent priuilegio fori, quia vna caro ſunt, docent *Squill. c. 7. dub. 2. Carol. de Graſſ. eff. 1. Bellett. in diſquiſ. cleric. p. 1. T. 1. imo Perez l. 1. Tit. 1. lib. 1.* hoc priuilegium extendit etiam ad eorum viduas, donec tranſeant ad ſecundas Nuptias, ſed quid dicendum de vxoribus clericorum coniugatorum vide infra.

Vtrum clericus græcus poſtquam minoribus eſt initiatus ſi contrahat matrimonium cum Virgine gaudeat priuilegio fori.

DIFFIC. L.

AFfirmatiuè reſpondendum, quia poſt ſeparationem Eccleſiæ orientalis ab occidentali poſt tranſlatum Imperium à Græcis ad Germanos ſub Leone III non tenentur Clerici orientalis Eccleſiæ ſicut ſunt Græci ad leges pontificias dimanatas poſt ſeparationem, quia intentio Papæ non dirigitur ad eos obligandos, vnde poteſt clericus Græcus etiam coniugatus ad ſacros aſcendere ordines, quod interdictum eſt Clerico latino coniugato.

An vero poſtquam ſacros ordines Græcus clericus accepit poſſit vxorem ducere negant communiter, ſed ſolum poſſunt vti matrimonio contracto dum in minoribus erat conſtitutus. Ita *Baldell. in Theol. mor. l. 5. diſp. 51. Squill. cap. 6. & Diana 5. par. t. 1. reſol. 2.* An vero laicus Græcus coniugatus valeat ordines minores ſuſcipere alij aiunt, alij negant. Vide *Dianam loco cit.*

Vtrum clerici procuratores eſſe valeant in cauſis laicorum, eorumque bona licitè conducere, & an artes honeſtas exercere.

DIFFIC. LI.

DIco primo, quod Clerici in ſacris, & beneficiati non poſſunt eſſe Procuratores in cauſis laicorum *ex cap. ſacerdotibus ne cler. vel mon.* quod tamen de procuratore generali intelligendum eſt, poſſunt enim pro vno, vel altero negotio eſſe procuratores laicorum niſi forte negotium eſſe inconueniens ſtatui clericali, ceterum in cauſa ſuæ Eccleſiæ, & ſui Prælati, Principum, Regum, miſerabilium perſonarum, coniunctorum, & Amicorum etiam ſuæ Eccleſiæ, vel monaſterij, & demum in quacumque cauſa veræ neceſſitatis, & charitatis cōceditur. Vide *Addit. ad pract. crimin. Diaz. c. 60. verſic. prohibetur.* Clericis autem minoribus ſolum initiatis non prohibetur procurationem exercere indifferenter pro omnibus.

Dico ſecundo, quod clericis prohibetur conducere bona laicorum regulariter loquendo, quia conducere præſefert aliquam ſpeciem negotiationis, poteſt tamen in cauſa neceſſitatis, & præcipuè quando ſuccedit conductori, in qua conductione poteſt perſiſtere vſque ad pactum tempus; verum conducere bona Eccleſiæ non interdici clericis declarauit Sacra Congregatio in Epiſtola ad Epiſcopum Spoletanum, vt refert *Naldus V. Clericus.*

Dico tertio, quod clericis non eſt prohibitum exercere illam artem, ſeu artificium, in quo vna res in aliam formam propria operatione, & induſtria honeſtè reducitur, vt ex carta liber, ex iuncis Caniſtrum, ex lana pannus, & ſimilia ſi fiant non dicitur exercitium regulariter indecens, & illicitum, quia ex operatione, & induſtria licita procedunt.

Attamen

Attamen ſi ea, quæ in aliam formam reducuntur operatione, & induſtria vilius conſultò emantur, vt carius ex data operatione, & induſtria vendantur, cum ſapiat hoc artificium negotiationem illicitam non poteſt à Clericis exerceri, quia non propter honeſtum exercitium, & vitandum otiū, vel etiā, vt honeſtè viuant labore licito manuum ſuarum vtūtur, vt faciebat D. Paulus, ſed immediatè vt diteſcāt; hinc diſt. 88. cap. negotiatorem habentur hæc verba D. Hieronymi (negotiatorem clericum ex inope diuitem, atque ex ignobili glorioſum, quaſi quamdam peſtem de vita, & effuge.)

Quare clericus labore manuum ſuarum abſq; negotiatione emendi vilius, vt carius vendat poteſt artificium honeſtū exercere, & confecta ex ipſo vendere, puta ſi habeat proprias lanas ex ſuis pecoribus, linum ex proprijs prædiis, & ſimilia poterit conficere ex ipſis pannum, vt vendat, quia non negotiatur emendo vilius, vt carius vendat ita faciens.

Vtrum clericis prohibeantur venatio, & ludere ludis fortunæ immediatè ſubiectis.

DIFFIC. LII.

Dico primo, clericis interdictum eſſe apud Sacros Canones venationem illam, quæ fit cum nimio ſtrepitu, & ſcandalo, & contemptu clericalis habitus, vt eſt venatio aprorum, ceruorum, caprearum, & ſimilium, vt colligitur *ex c. 1. de cler. venat. & cap. 1. ne cler. vel monac.* quæ autem ſine ſtrepitu exerceri poteſt, vt eſt cuniculorum, leporum cum retibus, & laqueis etiam cum aliquot paucis canibus nō videtur prohibita ſi abſq; nimia, vagatione, & clamoroſo ſtrepitu fiat, vt colligitur ex c. 2. eod. tit. in quo venationes, & ſyluaticæ vagationes cum canibus prohibentur, prohibitio coniunctiuè videtur facta ideſt venatio cum vagatione ſyluatica, ergo ſi foret venatio ſimplex abſque vagatione ſyluatica non intelligitur prohibita.

Quare Prælatos ipſos cauſa recreationis aliquot in anno paucis vicibus tali modo venari non dicerem eſſe incontinentes, nec peccaminoſum, immò ſi eſſet omnino clamoroſa venatio, & raro fieret ſolum cauſa recreationis nec mortali culpæ adſcribenda, vt notant etiam *Rebellus l. 1. q. 14. num. 10. Valer. in diff. vtr. foro V. peccatum differ. 20. Diana p. 3. tract. 6. Miſcell. reſol. 19. & Ioann. Franc. Suar in Enchirid. caſ. conſc. l. 1. §. cler. & alij*, quod puta verum ſi abſque ſcandalo puſillorū omnino fieret, cum dictum ſit præcipuè Prelatis & ſacerdotibus, nolite ſcandalizare puſillos iſtos, precîſo enim ſcandalo propter ſolum ſacrorum canonum prohibitionem non credo fore peccaminoſum, cum non omnia, quæ apud ipſos habentur, obligent ad culpam mortalem, vt rectè notat *noſt. Rodriq. T. 1. q. 6. ar. 1.*

Dico tamen 2. non eſſe licitum ſacerdotibus beneficiatis, & maximè Prælatis alere canes, & accipitres, immò peccare mortaliter putant aliqui præfatos ſi alant canes, & accipitres ad venandum, quia *in c. 1. de cler. venat.* prohibetur Epiſcopis, Presbiteris, & Diaconibus ſub pæna ſuſpenſionis, ne canes, aut accipitres ad venandum habeant, quod verum cenſeo, ſi alant multos canes, & accipitres, quorum cum multitudine clamoroſa, & indecens ſtatui clericali venatio fiat, paucos autem canes, & accipitres ad honeſtam, & modeſtam venationem exercendam ſine peccato, & ſcandalo alere non videtur à ſacris canonibus prohibitum, ſi enim modeſta venatio ſine ſtrepitu, & ſcandalo permittitur, ergo etiam paucos canes alere ad illam faciendam non videtur interdictum.

Quare væ vę beneficiatis multis, qui multitudinem canum alunt, & panem illum ex ſanguinis Chriſti meritis ſibi prouenientem pauperibus, & Eccleſijs vndequaque debitum canibus porrigunt in manifeſtam ſuimet damnationem, & ſanè execrabile, eſt, & diuinam indignationem irritans pauperes fame pereuntes, puellas ex paupertate proſtitutas, Eccleſias diruta, vaſa, & indumenta ſacra cariè, & antiquitate cultui Sacro inepta relinqui, & flocci fieri à beneficiatis, canes autem maxima ſollicitudine Eccleſiaſtico pane delicatè nutriri, & impinguari.

Dico tertio, quod clericis præſertim in ſacris, & beneficiatis prohibetur taxillis, ſeu carticellis, & aleis, ſeu dadis publicè ludere ratione ſcandali, & inhoneſtatis clericalis, vt colligitur *ex c. 2. cler. de vit. & honeſt. cler.* vbi *Cardinalis* licet dicat non peccare mortaliter clericos talibus ludis incumbentes, niſi faciant in contemptū, attamen *noſt. Vngarell. apud Ang. V. ludus Sch. 1.* ſatis contemnere legem clericum ait dum cauſas, ob quas prohibentur huiuſmodi ludi, non æſtimat, & *Lopez p. 1. Inſtit. conſc. c. 31.* clare docet non ſolum peccare mortaliter clericos ludentes præfatis ludis, verum etiam ſpectantes, quia videntur approbare tales ludos. Ita etiam *Nauar. c. 20. n. 14.* verum rigidiuſculi quoad ſpectantes ex ſola curioſitate præciſo ſcandalo, vt docent noſt. *Ang. & Silu. Sanch. & Villal. loc. cit.* verum cauſa recreationis in aliquo cubiculo cū familiaribus præfatis ludere aliquoties citra conſuetudinem non eſt peccatum mortale, quia ludus ex ſe ſimpliciter non eſt intrinſecè malus, niſi quatenus ob legitimas cauſas à iure prohibetur.

Conſuetudo autem ludendi ſola à canonibus ſacris prohibetur clericis, vt fatentur *noſt. Villal. in ſum. T. 2. tra. 28. diffic. 1. & Sanch. in opuſc. T. 1. l. 1. c. 8. dub. 28. Rebell. p. 2. l. 12. q. 7. & Salas tract. de ludo dub. 24.* & iure optimo, quia conſuetudo ludēdi retrahit clericum à diuinis officijs, ludere autem aliquoties cauſa recreationis non retrahit à diuinis officiis, quare conſuetudo ludendi eſt contra honeſtatem clericorum, qui potius ad vitium, quam ad animi cauſam vtuntur conſuetudine ludi, quare etiam recreationis cauſa ludus continuatus videtur prohibitus ſub mortali, ait Salas, eadem enim militat ratio, quod ſi temperata ſit conſuetudo ludendi cauſa recreationis, ita vt ſeruitium Eccleſiaſticum nullo modo patiatur damnum, & non retrahantur à diuinis per talem ludum, nec credo clericos peccare mortaliter præciſo ſcandalo vt videtur innuere *D. Antonin. 2. p. T. 1. c. 23. & Sylu. V. ludus q. 4.* qui etiam docent non peccare etiamſi notabilem quātitatē ludat.

An vero etiam clericis in minoribus conſtitutis prohibeatur ludus, affirmat *Allocer. tract. de ludo c. 51.* quia canones indiſtinctè locuntur de clericis, attamen *Nauar. Lop. & Sanch. loc. cit.* ſolum de clericis in ſacris fieri prohibitionem apud ſacros canones.

Vtrum clerico inferens laicus iniuriam, vel damnum, vel percuſſionem à iudice laico, vel Eccleſiaſtico ſit puniendus.

DIFFIC. LIII.

Aſſerunt multi dandum locum præuentioni, quia putant eſſe crimen mixti fori, alii vero à ſolo iudice Eccleſiaſtico, vt videtur velle *Gloſa apud Iul. Clar. q. 36. n. 42. & Ioann. de Heuia in Cur. Philipp. p. 3. §. 2.* quia pertinere videtur ad ſacrilegium. Alii vero ſolum à iudice laico, vt cenſet *Cenall. in tract. per viam viol. p. 2. q. 59. & alij* apud ipſum.

Attamen communius videntur aſſerere ab vtroque iudice puniri poſſe in proprio foro, itaut etiam ſi alter iudex puniuerit, adhuc ab alio poſſit etiam puniri pro eodem delicto à laico illato contra clericum, quia iniuria facta fuit vtrique foro, ergo debet puniri ab vtroque foro, maximè quia fieri poteſt, vt aliquod delictum ſecundum vnam rationem ſubiaceat vni foro, & ſecundum aliam alteri foro, vnde ſecundum aliam alteri foro, vnde ſecundum diuerſas rationes non inconuenit, vt ab vtroque foro idem delictum puniatur, quare nec dicetur punitus bis in idipſum, quod prohibetur à Deo, vt habetur 2. 4. q. 1 etenim percuſſio clerici ſeu vulneratio alio modo, & via punienda ſtatuitur in iure ciuili, & alia ratione in iure Canonico, quare vnuſquiſque Iudex poterit Reum laicum punire iuxta ſua iura.

Verum eſt tamen, quod ſi iudex poſterior videat pænam à priori impoſitam grauem fuiſſe poteſt, & debet agere mitius, & mitigare benignius pænam ſui fori, ne Reus nimium grauetur, iudex enim debeat cauere, ne pæna grauior ſupponatur, quam delicti exigit menſura. Ita *Rodr. T. 2. qq. Reg. q. 60. Molyn. T. 4. tract. 4. diſp. 49. Martha de iuriſd. p. 4. cap. 119. ad fin. Bonac. de leg. 6. diſp. 10. p. 1. n. 31. Couar. 2. var. c. 10. Duard. in B. C. q. 5. n. 16. Graff. 1. p. l. 4. c. 16. & præcipue iur. clar. loc. cit. & quæſt. 57. num. 14. & Gomel. 3. var. l. 1.*

Nota etiam in hac materia multos Doctores aſſerere etiam in crimine mixti fori iudicem Eccleſiaſticum ſolum poſſe procedere per viam cenſurarum contra Reum laicum, atque adeo non poſſe ab ipſo carcerari, & puniri, nec realiter, nec perſonaliter. Ita *Salgedo de Protect. Reg. T. 2. p. 2. c. 4. Anguian. tract. de leg. 13. contr. 3. Bobadilla in polit. T. 1. l. 2. cap. 17. iul. clar. pract. crimin. q. 49. num. 8. & alij.*

Contrarium tamen putant alii, vide *Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 107. Azor p. 2. l. 3. c. 5. q. 3. & Dianam p. 5. de immun. tract. 1.*

Digitized by Google

*tract.*1. *reſolut.*88. *Immo Segura probat in direct. Iudic. p.* 2. *l.* 13. *n.* 33. criminoſos iudicandos, & puniendos à Iudice Eccleſiaſtico, & reponendos in carceribus Eccleſiaſticorum, non autem in carceribus ſæcularium. Vide infra V. Iudex.

Vtrum clerici coniugati gaudeant priuilegio fori, & Canonis & gabellarum ſolutione, & an etiam eorum vxores.

DIFFIC. LIV.

DIco primo, quod clerici qui contraxerunt poſt primam tonſuram, vel quatuor ordines ſuſceptos cum Virgine & vnica vxore, ſi habitum, & tonſuram deferant, & Eccleſiæ iuxta preſcriptum à *Conc. Trid ſeſſ.* 23. *c.* 6. actu inſeruiant, licet in criminalibus ſolum gaudere priuilegio canonis voluerint aliqui Iuriſtæ, & Theologi etiam, in ciuilibus vero ſubdi Iudici ſæculari, putantes quod *ex c. vnico de coniug in* 6. ſolum eximantur à Iudice laico propter cauſas criminales ciuiliter motas, & ita explicant illam particulam in præfato Text. (aut ciuiliter,) & non quoad omnes cauſas ciuiles. Ita in terminis declarat *Ludou. Corra relat. de Immunit. Eccleſ. p.* 2. *Pereira de manu regia p.* 2. *c.* 26. *Ant. de bellis tract. var. l.* 5. *tit.* 10. *Danza in pugna doct. cap. vnic. de cler. coniug. & Capibl. de off. Bar. T.* 1. *pragm.* 8. *p.* 3. *num.* 19.

At vero hodie ſequenda eſt declaratio Sacræ Congreg. 27. *Feb.* 1630. quam refert *Gauant. in Enchir. Epiſc. V. Clericus n.* 8. in qua clericus coniugatus, cum vnica, & Virgine incedens in habitu, & tonſura, & Eccleſiæ inſeruiens declaratur gaudere priuilegio fori in ciuilibus, & criminalibus, vide etiam *Squillant. de priu. cler. c.* 7. *Ricc. p.* 4. *deciſ.* 320. *Marth. de iuriſd. p.* 1. *cent.* 2. *caſ.* 159. *Franc. in c. vnico de coniug. in* 6. *Mandoſ. in add. ad Lupum, Duard. in b. C. l. ſi q.* 4. *concl.* 3. *Cenall. in tractat. per viam mol. p.* 2. *q.* 73. *Cepoll. conſil. crim.* 10. *& Borrel. in ſpec. rub.* 11. *qui omnes huic* ſentẽtiæ pro clerico cõiugato ſubſcribũt.

Immo cenſuiſſe Sacr. Congreg. teſtatur *Diana* 4. *p. tract. de Imm. reſol.* 78., quod ſi clericus coniugatus poſt dimiſſum habitum, & tonſuram clericalem pro debito aliquo in curia ſæculari eſt citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit, ſi deinde reaſſumpto habitu, & tonſura modo non in fraudem id faciat, non poteſt amplius à iudice laico in carcerem conijci, aut perſonaliter aſtringi, & ad hæc videtur facere cap. ſi Iudex *laicus de ſent. excom. in* 6.

An vero ſi clericus coniugatus dimiſſo habitu pro crimine carceratus à Iudice laico, & carcere fugiens reaſſumat habitũ, & denuò in habitu, & tonſura incedens capiatur pro fuga carceris tempore quo non gaudebat, ſit reddendus Iudici Eccleſiaſtico, negat *Cabedo p.* 1. *deciſ.* 58. *n.* 8. & colligi ait *ex c. ex par. de priuil.* attamen *Barboſa* affirmat de *poteſt. Epiſcopi p.* 7. *alleg.* 12. *n.* 29. quod puto verum, ſi poſſit probari reaſſumptionem habitus non fuiſſe factam in fraudem.

Dico ſecundo, quod clericus coniugatus etiamſi dimiſerit habitum ratione nuptiarum, ſi poſtea reaſſumat habitum modo, cum vna, & Virgine contraxerit, & incedens in habitu, & tonſura inſeruiat Eccleſiæ, gaudet priuilegio canonis, pænitentia enim illi prodeſſe debet. Ita *Nauar. c.* 27. *n.* 79. *Suar. Filiucc. & Coninch. & Syluester, quos citat, & ſequitur Diana in B. C. diſp.* 2. *q.* 3. *punct.* 6.

Dico tertio, clerici coniugati vxorem legitimam gaudere eodem priuilegio fori, quo clericus eius vir, certum putant cõmuniter Doctores, nec à Iudice laico conueniri poſſe, ſed tãtum à Iudice Eccleſiaſtic. Ita *Squillant. tract. de priuil. cler. cap.* 7. *dub.* 2. *Bellett. in diſquiſ. cler. p.* 1. *T.* 1. *Carol. de Graſſ. de eff. cler. eff.* 1. Immo Perez. eodem priuilegio videtur aſſerere, quod gaudeant viduæ præfatorum clericorum, donec tranſeant ad ſecundas nuptias, quod fortè in caſu non eſt poſitum ait *Bonac. in B. C. diſp.* 1. *q.* 16. *p.* 3.

Nota tamen, quod ſi clericus coniugatus reconciliet vxorẽ publicè adulteram, licet dicatur bigamus quoad legem promotionis, non tamen quoad amiſſionem priuilegij clericalis, quia pænæ non ſunt extendendæ. Ita Nald. V. cler. ex c. vnic. de cler. coniug. in 6.

Dico quarto, quod non eſt vetitum clericis coniugatis, etiã ſi gaudeant priuilegio fori, & Canonis imponere gabellas, & impoſitiones ceteras ſæculares, quia ipſi non includuntur in hoc priuilegio immunitatis à gabellis, cum ſæcularia etiam pertractent, nec omnino Deo ſacrati ſint, immo pro ſoluẽdo Datio pecuniario non gaudere priuilegio cap. Odoardi affirmant *Sanch. de matr. diſput.* 47. *& Pinius opin. qq.* 20. ſed de hoc etiam forte infra.

Vtrum clerici, quos vocant Diaconos, ſyluaticos gaudeant priuilegio clericali, & an in determinato numero pro qualibet Eccleſia ſint aſſumendi.

DIFFIC. LV.

CLerici ſyluatici quo priuilegio gaudeant, & quot pro vnaquaque Eccleſia ſint aſſignandi declarauit Sacra Congregationi X. Kalendas Iunij 1623. cuius verba formaliter apponenda cenſui pro reſolutione difficultatis præſentis ſubteneri ſequenti.

(Sacra Cardinalium congregatio negotijs Regni Neapolitani præpoſitorum certior reddita in nonnullis eiuſdem Regni Diæceſibus, Diaconos, quos vocant, ſyluaticos in maximum numerum citra Eccleſiarum neceſſitatem, & vtilitatem excreuiſſe, volens eorum exemptionis cauſam declarare, & fraudibus quibuſcumque occurrere de S.D.N. Greg. XV. mãdato viuæ vocis oraculo deſuper habito, Diaconis ſyluaticis huiuſmodi pro Eccleſiarum, & Epiſcoporum ſeruitio retineri, vel in loco quoquomodo deficientium aſſumi poſſe cathedralibus, ſiue ſuperioribus Eccleſijs ad ſummum quatuor, in collegiatis, vel Parochialibus duos, in alijs vero Eccleſijs in quibus diuina celebrantur, ſi Epiſcopis videbitur vnum, quos quidem Epiſcopi prorſus gratis, & tales, qui omnino per ſe ipſos, non autem per interpoſitam perſonam ſeruitium debitum præſtent, nec vllo modo criminoſos, aut malæ conditionis, & famæ eligere debeant, alias & hi nullo priuilegio gaudeant, & eligentes ſeuerum ſedis Apoſtolicæ iudicium experientur. Eos vero priuilegio Canonis non gaudere, fori autem priuilegio in criminalibus omnino, in ciuilibus quoad corporis diſtrictionem tantum, & immunitatem ab oneribus perſonalibus, non autem ab alijs durante ſeruitio frui debere, ſed ſi alicubi maioribus vtantur priuilegijs, & immunitatibus ex legitima conſuetudine, cuius cognitionem, & declarationem in caſu controuerſiæ eadem Sacra Congregatio reſeruat, illam debere attendi, cognitionem vero aliorum ad ordinarios pertinere hoc præſenti decreto declarat, & ſtatuir. Rom. 10. *Kal. Iul.* 1623. *Octauius Card. Bandinus, Laurentius Canceg. Secretar.*

Vtrum clerici poſſunt de fructibus beneficiorum teſtari, & ſuis heredibus relinquere, & an teneantur ſub mortali pauperibus erogare ſuperfluentes ſua honeſtæ ſubſtentationibus redditus.

DIFFIC. LVI.

PRo res poſitione ad primam parte vide quæ diximus ſupr. V. Beneficium, & infra V. fabrica S. Petri, & pro ſecunda quæ dicenda ſunt V. Elemoſina.

Vtrum clericum cogens ad dandum ſibi quod in manu geſtat, vel repercutiens aliquantulum recomprimendo, & repellendo, & an clerici impuberes ſe ipſos percutientes dicantur incidere in excommunicationem ſi quis ſuad. Diab.

DIFFIC. LVII.

DIco primo, quod cogens clericum ad dandum arma, vel alia, quæ in manu geſtat, non incidit in excommunicationem præfati canonis, ſi eius corpori nullam vim faciat, quia violentas manus prohibet inijciendas ſub excommunicatione, non autem prohibet violentas voces; E contra vero ſi quis dormienti clerico ſurripiat veſtes, vel cingulum ad finem eũ iniuria afficiendi, vel ad finem, vt non poſſit ad ſuum libitum exire de Domo ad ſua peragenda negotia iuxta probabilem *Suarij T.* 5. *diſp.* 22. *ſect.* 1. *& Nauarr. conſ.* 28. *num.* 2. *de ſent. excomm.* incidit in excommunicationem præfati canonis, quia verè violentas manus in clericum inijcit, quamuis *Angaranus* probabiliter etiam putet ſuffurantem cingulum clerico dormienti non incidere in dictam excommunicationem, & probabiliter ratione paruitatis materiæ.

Dico ſecundo, quod clericum repercutiens aliquantulum recomprimendo, & reimpellendo, vt ſæpe accidit in luſu manuũ, & cõcurſu gentiũ ab ipſo Clerico prius concuſſus, & cõpreſſus, etiã ſi id ageret ad vindictã nõ habẽs tamẽ intentionẽ

iniuriam inferendi, & de facto notabile damnum non inferret, non peccaret mortaliter, & per conſequens non incurreret in excommunicationem. Ita *Nauarr. in cap. inter verba n.1. q.3. concluſ.6. n.479.* quod credo verum pro prima re percuſſione ratione primi motus, quod ſi tertio, & quarto repercuteret cum plena aduertentia, ſanè incurreret, niſi defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ excuſaret, vide infra V. excommunicatio.

Dico tertio, quod clerici impuberes ſeipſos percutientes dum inter ſeſe puerili modo rixantur, non incurrunt excommunicationem regulariter loquendo, quia iracũdia puerilis nõ videtur adeo grauis, vt ſit mortalis, quod ſi ex qualitate perſonarum, quia ſcilicet in aliquibus malitia ſupplet ætatem, & attenta qualitate percuſſionis, quæ poteſt eſſe ita grauis, & iniurioſa, vt mortali iudicari poſſit, ſanè incidunt etiam impuberes. *Vide Bonac. de cenſ. diſp.2. q.2.*

Vtrum clericus ſeipſum percutiens incidat in excommunicatum præfati canonis ſi quis ſuad. Diab.

DIFFIC. LVIII.

VAriant Doctores, negant aliqui probabiliter, quia verba canonis videntur expreſsè loqui contra perſonam diſtinctam à clerico, dum dicitur ſi quis Suad. Diab. violentas manus in clericũ iniecerit, vnde nullo alio iure poteſt probari ſeipſum percutientem clericum incidere in excommunicationem, & cum ſimus in pænalibus, non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum. Ita *Bald. in preom. decretal. n.44. Archidiac. in c. ſi non licet. 23. q.6. Tolet. l. 5. c.8. Nald. in clericus num.19. Turrian. de cenſ. l.3. diſp.20. Barboſa in collect. T.4. p.2. Decret. 17. q.4. & Diana p.1. tract. V. Miſcell. reſol.82.*

Ceterum licet rigidiuſcule, attamen non improbabiliter ſentiunt alij incidere in præfatam excommunicationem clericum ſeipſum, ſuadente diabolo puta ex mortali contra ſemet indignatione, vel deſperatione percutientem grauiter putantes canonem ſi quis ſuad. Diab. latum eſſe non tam in fauorem perſonæ, quam ſtatus clericalis, cui non poteſt renunciare clericus, ergo cum offendat ſtatum clericalem clericus ſeipſum percutiens incidit in canonem; confirmant ſuam opinionem *ex c. non licet 7. q.5.* vbi habetur, quod plus homicida eſt, qui ſeipſum, quam qui alium occidit. Ita *ex noſtris Villalobos in ſumm. T.1. tract.17. diff.27. Suar. de cenſ. diſput. 22. ſect.1. Molyn. T.4. tract.3. diſp.51. Sayr. de cenſ. l.3. c.26. Filiucc. T. 2. tract.15. c.1. Auila de cenſ. p. 2. cap.5. diſp.3. dub.12. & alij.* Verum hęc conſequentia non videtur admodũ probabilis, hoc eſt maius peccatum, ergo debet ſubdi excommunicationi, cui ſubditur minus peccatum eiuſdem rationis, quia pænæ non ſunt extendendæ de caſu ad caſum quantumcumque maior militet ratio, cum dependeant à voluntate ſtatuentis, quæ ſtrictè interpretanda in fauorem Rei; præterquam quod non videtur facere iniuriam ſtatui clericali clericus qui ſe percutit, qui potius naturæ ſuæ materialiter infert vim, quam formaliter perſonæ quatenus eſt clericus; quare hac ſecunda in ſua probabilitate relicta, probabilior mihi videtur prima.

Vtrum clerico propinans mortiferum venenum, ex quo ſequitur eius mors, vel damnum notabile incidat in excommunicationem ſi quis ſuad. Diab.

DIFFIC. LXIX.

CLerico, vel alteri perſonæ Eccleſiaſticæ propinantem venenum cum aliqua violentia cogentem, vt manducet, vel bibat venenatũ cibum, vel potionẽ incidere nemo eſt qui dubitet, quia violentiam extrinſecã etiã facit perſonæ Eccleſiaſticæ, eiq; ſuad. Diab. violẽtam iniuriam infert; quod ergo in hac difficultate faceſſit negotium eſt an porrigens ſine vi, & amicabili, & ſecreto modo venenum clerico, abſque eo, quod ipſe cognoſcat eſſe venenum, vel ponat occultè in vino, vel in brodio à Clerico ſumendo, vtrum incidat in excommunicationem.

Sane tutius, & probabilius affirmandum, quia ad incurrendam pænam huius canonis non eſt neceſſaria violenta manuum iniectio, ſed ſufficit, quod adſit actio iniurioſa, tangẽs corpus clerici, vt notat *Archidiaconus ibi, & ex c. vniuerſitatis & ex c. nuper de ſent. excom.* quare cum ex veneni porrectione, quantumuis abſque violentia fuerit modis præfatis, fiat lęſio corpori iniurioſa, porrigens in excommu. ſi quis ſuad. Diab. incidit. Ita etiam *Suar. diſp.5. ſect.1. Bonac. de cenſ. diſp. 2. q.4. p.1.* vbi dicit eſſe communem.

Verum non omnino improbabilis eſt contraria opinio, ſcilicet porrigentem venenum abſque violentia modis explicatis clerico non incurrere excommunicationẽ c. ſi quis ſuad. quod probant, quia canoniſte vult prohibere violentiam perſonę clerici, quatenus clericus eſt, non autem violentiam factam naturæ clerici materialiter, porrigens autem venenum ſine violentia non offendit perſonam clerici, vt clericus eſt, ſed naturam clerici materialiter, quæ doctrina confirmatur ex Caiet. in ſumma putante, quod propinans moniali pocuium, vt abortum faciat, non incurrit in excommunicationem, quia ex tali potione non fit iniuria perſonæ Eccleſiaſticæ formaliter, ſed ſolum naturæ, quæ patitur materialiter. Ita *Ludouicus Molyna de iuſt. T.4 tract.3. diſput. 51. n.4. qui citat Caiet. Auila 2.p. cap.5. diſp.3. dub.12.* vbi pro hac ſententia citat *Emanuelem Sà, & alios.*

Vtrum qui clericalem habitum cum prima tonſura ſuſcipit animo non ſemper clericandi, vel non adſcendendi ad ordines ſacros, ſed ſolum vt gaudeat priuilegio clericali, & exemptione ab oneribus ſeculi, peccet mortaliter.

DIFFIC. LX.

COncilium Trid. *Seſſ.23. c.4.* videtur reſpondere ad hanc difficultatem, dum ait prima tonſura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta ed octi non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciãt, & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſæcularis iudicij fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent hoc vitę genus elegiſſe) quare Nauarr. quem citat, & ſequitur *Ledeſma in ſum. T.1. tract.1. de ſacr. ord. cap.7. concl.3. Barboſ. de poteſt. Epiſc. par.2. alleg.11. & Bannes 2.2. q.12. artic.1. in 7. diffic.* probabiliter volunt peccare mortaliter, quia contra mentem Concilij faceret in re graui, & ſola cupiditate rerum temporalium famulatum Dei ſubiret.

Attamen benignius alij negant peccare mortaliter clericalem habitum cum prima tonſura aſſumentem cum animo nõ clericandi, vel non aſcendẽdi ad ſuperiores, ſed ſolum vt gaudeat priuilegio clericali, & immunitate ab oneribus, quia putant Concilium in illo loco non loqui præceptiuè, ſed ſolum hortatiuè proponens quod decens ſit, & quid reuerentia clericalis ſtatus poſtulet, vnde nullis vtitur verbis præceptiuis ad peccatum mortale obligare ſignificantibus. Ita noſter Villalob. *in ſum. tract.11. diffic.14. Sanch. de matrim. T.2. l.7. diſp. 31. Coninch. de ſacram. T.2. diſp.20. & Diana 2. part. tract.16. & 2. Miſcell. reſol.22.*

Ceterum mediando dicerem, quod ſi cauſa motiua principalis finalis clericandi, ſit obſolam cupiditatem ſe eximẽdi ab oneribus, ita vt ſi habitus clericalis non eximeret à dictis oneribus, hic, & nunc eum non ſuſciperet ad Deo famulandum in dicto habitu, ſanè cum prima opinione peccaret mortaliter, quia ab vteretur clericatu, à quo debet omnis cupiditas mundana eſſe aliena, & in re graui ſit contra mentem concilij. At vero ſi cupiditas fuit ſolũ cauſa impulſiua, vel ſecundaria, ita vt hic, & nunc ſuſciperet habitum clericalem ad famulandum Deo in ſtatu clericali etiamſi non haberet priuilegium immunitatis, verum multo magis impellitur ad clericandum vt à dictis oneribus eximatur, puto cum ſecunda opinione quod non peccaret, cum cupiditas ſit cauſa ſecundaria, & non principaliter motiua, cupiditas enim immunitatis naturalis eſt, & facile impellit ad bonos fines.

Vtrum clericus ordinatus ante legitimam ætatem, aut extra tempora, vel ſine dimiſſorijs ab alieno Epiſc. gaudeat priuilegio fori.

DIFFIC. LXI.

SAnè clericos ordinatos ante legitimam ætatem, aut extra tempora à ſuo Epiſcopo gaudere priuilegio fori, & canonis videtur eſſe certum, cum nullibi reperiatur prohibita ordinatio huiuſmodi ſub pæna amiſſionis priuilegij fori, cum ergo verè acceperint indelebilẽ ordinis characterẽ ſunt verè clerici, atq; adeo ſi exequantur, quæ ſtatuit Sacr. Conc. Trid. ad finem gaudendi priuilegio, verè gaudere dicendi ſunt, dum alia non adeſt prohibitio contraria. Ita etiã *Diana p.3. tract.1. de Imm.*

de Imm. reſol.26. & Paul. Squillant. de priuil. cler. capitul. 7. dub.7. quicquid in contrarium parum probabiliter velint *Pereira de manu* Regia *p.7. c.26. n.18.* qui pro ſua ſententia citat *Dian. Rolandum, & Claſſanum*.

Vtrum clerici poſſint exercere medicinam, & militiam abſque alia Summi Pontificis licentia.

DIFFIC. LXII.

Dico primo, quod clericis in minoribus conſtitutis licet exercere medicinam abſque alia Papæ licentia, quia nullibi eis reperitur interdictum, prohibetur tamen eis *in c. ſententiam ne cler. vel monac.* exercere autem chirurgi, quæ aduſtione, inciſione, & mutilatione ſæpè vtitur, non autem phyſicam, quæ ad hanc praxim non deſcendit, clericis autem in ſacris, & beneficiatis prohiberi artem medicam, nec ab eis poſſe exerceri abſque Papæ licentia docent communiter Doctores *Nauarr. conſ.3. ne cler. vel mon. Graff. deciſ. 1. lib.7. c.66. Palaus Squillant. de obligat. Chyr. p.2. dub.17.* attamen gratis ab iſtis etiam poſſe exerceri pro perſonis miſerabilibus, & conſanguineis probabile eſſe abſque alia Papæ licentia putant idem *Squillant. Diana p.6. tract.50. & Nauarr. de priuil. miſerab. per 5. priuil.83.*

Dico ſecundo, quod propria manu pugnare nõ interdicitur clericis in minoribus, vnde nec peccare mortaliter communius volunt *Bonacc. T.2. diſp.2. q. vltim. p. vltim. Laym. n.l.2. tract.3. cap.12.* prohiberi autem ſub mortali Clericis in ſacris, & beneficiatis affirmat *Molyna de iuſt. tract.2. diſp.108.* negat *Diana p.6. de Bello reſol.34.*

Vtrum clericus traditus curiæ ſæculari dicatur ita ſpoliatus priuilegio clericalis immunitatis, vt propria authoritate dicatur Iudex ſæcularis eum punire.

DIFFIC. LXIII.

Negant multi Doctores, ex eo quia cum priuilegium immunitatis præſupponatur eſſe de iure diuino, non poteſt illud Papa tollere à clerico cum ex ſententia communiori Theologorũ non poſſit Papa in eo diſpẽſare, vt dicetur V. Papa, & probat nouiſſimè Diana *p.8. tra.3. reſol.2.* ergo iudex Eccleſiaſticus etiam ſupremus nullo modo poteſt ita priuare clericum priuilegio fori, vt eum propria authoritate poſſit iudex ſæcularis punire.

Affirmant tamen alij & probant ex ſacris Canonibus primo in caſu homicidij procurati à Clerico per Aſſaſſinos, in quo eſt textus celebris in *c.1. de homicidio in 6.* vbi ex approbatione Conc. generalis Lugdunenſis conſtituitur ab Innocentio, vt quicumq; Princeps, Prælatus, ſeu quælibet alia perſona Eccleſiaſtica ſæcularisve quempiam Chriſtianum per Aſſaſſinos occidi fecerit, vel etiam mandauerit (quamquã mors ſecuta non fuerit) excommunicationis, & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententiam ipſo facto, ita vt poſtquam conſtiterit probabilibus argumentis aliquem tale ſcelus comiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis ſeu diffidationis aduerſus eum ſententia requiratur, ex quo decreto Pontificio *Panormit. Boerius*, & alij Doctores colligunt ipſo facto clericos eſſe ſpoliatos foro Eccleſiaſtico, & per Iudices ſæculares puniri poſſe, & hanc ſententiam eſſe vſu receptam notat *Maſcard. de probat. T.1. concluſ.137.* caſus eſt, quando clericus eſt incorrigibilis nulla degradatione, & depoſitione præcedenti puniri poterit per Iudicem ſæcularem vt habetur *in c. cum non ab homine de Iudicijs* 13. caſus eſt quandocunque per Iudicem Eccleſiaſticum clericus eſt ſolemniter degradatus propter atrociſſima expreſſa in ſacris canonibus traditur immediatè puniendus iudici ſæculari omni priuilegio clericali ſpoliatus, ex hiſce ergo patet de facto Pontificem priuare clericos priuilegio, ergo authoritate propria Iudices ſæculares clericum degradatum, & ſuæ curiæ traditum punit, & damnat.

At vero quid pro vtriuſque ſententiæ conciliatione, & ad propoſitam difficultatem ſit reſpõdendum accipe doctrinam mei *ſubtiliſſimi Doctoris in præfato loco 4. ſent. diſt. 13. q.2.* vbi ſic habet (ſed ſi Papa exuit aliquem priuilegio Eccleſiaſtico, commendans eum curiæ ſæculari, Iudex ſæcularis eſt miniſter, vel executor iudicis Eccleſiaſtici, nullus enim à Iudice Eccleſiaſtico poteſt eum comittere Iudici ſæculari, ergo non eſt poſſibile quod committatur ſibi niſi ſicut miniſtro iudicis Eccleſiaſtici, & per conſequens non ſpoliatur priuilegio, quia dum manet priuilegium (poteſt aliquis ſæcularis in eum eſſe miniſter iudicis Eccleſiaſtici,) hæc Scotus, vnde patet, quod iudex ſæcularis non propria authoritate, ſed authoritate iudicis Eccleſiaſtici punit clericum ſuæ curiæ traditum.

Quæ doctrina, vt facilius, & clarius intelligatur, notandum eſt priuilegium quadrupliciter in aliquo eſſe poſſe, ſcilicet primo, quoad habitum, ſecundo, quoad vſum, tertio, quoad vſum, & habitũ, quarto, quoad habitum, & non quoad vſum.

Priuilegium quoad habitum dicitur in eo in quo ratione alicuius fundamenti indelebilis, non autem ratione ſuæ perſonæ præcipua inſurgit tale priuilegium; vt ſi Princeps det priuilegium, vt quicumque naſcitur ex legitimo matrimonio ex tali proſapia vocetur marchio, tunc quicumque legitimè natus in tali proſapia habet priuilegium hoc ex fundamento indelebili, quia indelebiliter eſt de tali proſapia, cui cõceſſum eſt tale priuilegium: hic ergo dicetur habitualiter hoc eſt in habitu habere tale priuilegium, ſecundo, dicitur quia habere priuilegium, quoad vſum, quando alicui ratione alicuius officij datur vſus alicuius priuilegij, quo tranſeunte priuilegium euaneſcit, vt ſi Princeps ſtatuat, vt quicumque exercens officium camerarij in tali vniuerſitate vocetur Marchio, hic factus camerarius dicetur habere priuilegium hoc ſolum quoad vſum non quoad habitum, tertio autem dicitur quis habere priuilegium quoad vſum, & habitum, quando priuilegium, quod quis ratione indelebilis fundamenti habet nõ eſt ſibi interdictus eius vſus à Principe ex aliqua rationabili cauſa, vnde legitimè tali priuilegio habituali vtitur, quare quarto, quis dicetur ſolum habere priuilegium in habitu, & non in vſu, ſi propter aliquod crimen ſibi interdicatur talis vſus, quia quandocumque ſuſpenſio vſus reuocetur iam ſtatim ratione priuilegij habitualis abſque noua conceſſione priuilegij noui poteſt talis priuilegij vſum habere. Clericus ergo in ſacris habet iure diuino priuilegium fori indelebiliter ratione ſtatus clericalis ſibi indelebiliter inhærentis, eſt enim ratione ordinis clericus in ſacris ita indelebiliter clericus vt non poſſit non eſſe clericus quoad habitum, clericus autem primæ tonſuræ, & fortè etiam ordinum minorum ſecundum eos qui volunt ordines minores non eſſe vere ordines characterem imprimentes habet priuilegium fori quoad vſum non quoad habitum, ideſt pro quanto inſeruit in ſtatu clericali vtitur tali priuilegio, quia æſtimatur perſona Eccleſiaſtica, & de tali genere clericorum ſi deponantur, & clericali tonſura priuentur, nullum eſt mihi dubium, quod poteſtati ſæculari auctoritatiuè deinde ſubiacent, & Iudex ſæcularia poteſt eos propria auctoritate punire, quia reuera tali vſu clericalis priuilegij priuati verè laici efficiuntur, & vxorem poſſunt ducere, & pro laicis verè reputantur, & nullo modo in habitu retinent priuilegium clericale, licet quoad ordinatos Minoribus ordinibus ſecundum eos qui volunt eſſe veros ordines poſſet etiam dici, quod ratione characteris indelebilis, quã ex ordinatione receperunt, etiam habitualiter retineant priuilegium, certè ſaltem magis remote quam clerici in ſacris, de initiatis autem prima tonſura præfata doctrina abſolutè vera eſt, cum communiter prima tonſura non ſit ordo imprimens characterem, quare in habitu hoc priuilegium nullo modo retinent, quod ergo dubium faceſſit eſt de clerico in ſacris ordinato, qui priuilegium fori habet in habitu indelebiliter, ita vt ſi ſuſpendatur eius vſus, ſtatim atque auferretur ſuſpenſio, reuiuiſceret vſus, an ſtante priuilegio habituali ſuſpendatur vſus per traditionem ipſius curiæ ſæculari dicatur verè authoritatiuè à Iudice ſæculari puniri, negat iure Scotus in præfato loco clericum priuilegio habituali fruentem traditum curiæ ſæculari propria auctoritate puniri à Iudice ſæculari, ſed vult Iudicem ſæcularem eſſe miniſtrum ſolummodo Iudicis Eccleſiaſtici conſtituendo eum ſecum delegatum in tali facto, vt ſine ſcrupulo, priuilegio Canonis poſſit eum punire iuxta leges ſeculares, vel canonicas; ex quibus apparet Scotum verè, ſenſiſſe priuilegium clericale eſſe de iure diuino, quia indelebiliter ita eſt affixum clerico ordinato, vt ſolum vſus poſſit ab eo auferri, non autem priuilegium, quod ſi voluiſſet Scotus tale priuilegium eſſe ſolum de iure Canonico nullam habuiſſet difficultatem concedendi poſſe Papam tradere Clericum puniendum Iudici ſæculari ex propria authoritate; quod autem dixerit ibidem a

Digitized by Google

Coſtantino factam fuiſſe talis priuilegij conceſſionem, iã dixi, quod, ly, verbũ, videtur, poteſt dici, quod loquatur ſecundũ opinionem aliquorũ canoniſtarum, & Theologorum, verum etiã poteſt dici quod loquatur de cõceſſinne reſtitutoria, nam Imperat. ſui prædeceſſores occupauerant vſum huius priuilegij, & ipſi iudicabant Clericos in qualibet cauſa putantes ſe veros Dominos ipſorum, Conſtantinus autem edoctus à Spiritu Sancto cognoſcens hanc exemptionem diuinitus Clericis deberi, reſtituit ablatum hoc ius à ſuis prædeceſſoribus, hæc ergo reſtitutio vſus priuilegij exemptionis non eſt mirũ quod à Theologo conceſſio in lata ſignificatione conceſſionis vocetur, vnde patet quantum moderniores aliqui ſæpè ſæpius in Doctorem ſubtilem inuehant immerito.

Pars ergo negatiua propoſita in reſolutione dubij intelligẽda eſt de priuilegio in habitu, quod cum ſit de iure diuino non poteſt eo vtiq; ſpoliari Clericus, pars autem affirmatiua intelligenda de vſu priuilegii, quo eatenus dicitur ſpoliari Clericus, quatenus committitur Iudici ſæculari authoritas iudicandi.

Quinam Clerici, an etiam minoribus, & prima tonſura inſigniti gaudeant priuilegio cap. Odoardus de ſolut.

DIFFIC. LXIV.

Dico 1. quod in dicto *c. Odoardus de ſolut.* indulget Põtifex Clericis non habentibus vnde ſuis creditoribus ſatisfaciant, vt non poſſint conueniri pro debito ciuili niſi in quantum facere poſſunt, ne vexentur à creditoribus, & deſerant diuinum officium, & ita cogantur deinde in opprobrium ſtatus Eccleſiaſtici mendicare, immò vt præciſa omni ceſſione bonorum à creditoribus vt dimittantur ſtatuitur aſſignatis tamẽ bonorum etiam clericalium redditibus ipſis creditoribus, ita tamen, vt deducatur, ne ipſi clerici egeant iuxta communem vſum curiarum Eccleſiaſticarum, vel cautionem præſtent per ſoluendi debita, quoties ad pinguiorem fortunam peruenire eos contingerit Ita ex dicto c. Odoardus.

Nota tamen quod tunc dicitur Clericus non eſſe ſoluendo, quando non habet tantum, quod ſufficiat ad eius alimenta. Ita ex *Couar. l. 2. var. reſol. c. 1. n. 9. Afflict. ad conſt. v. Regni. l. 1. rubr. 66. Campanil. in diuerſ. rubr. 11. c. 10. n. 5. & Vin.* [illegible] *deciſ.* 529.

Dico 2. hoc priuilegio c. Odoardus gaudere omnes clericos ſiue in ſacris, ſiue in minoribus, etiã prima tonſura initiatos, quia c. prędictũ generaliter loquitur, & appellatione clericorũ in fauorabilibus veniunt omnes Clerici etiam in minoribus ex *c. Clericos diſtin. 21. abb. rubr. de vit. & honeſt. cler. Carol. de Graſ. de eff. cler. in prælud. n. 152. & Ricc. p. 2. deciſ. 20. & p. 4. deciſ. 173. & 308.*

Dico 3. *quod l. Carol. de Graſ. eff. 7. & alij apud Campan. rubr. 11. c. 10.* velint prima tonſura, & minoribus initiatos nõ gaudere hoc priuilegio in caſu quo priuilegio fori non gauderẽt, quia tale priuilegium ad fori exemptionem ſpectat, attamen fortè probabilius affirmãt *Galler. in Margar. caſ. conſ. v. clericus f. 40. Barboſ. p. 2. alleg. 2. n. 33. & Paul. Squillan. de priu. cler. c. 10. n* 6. quia licet pertineat ad exẽptionẽ fori executiuẽ, tamen hoc priuilegium datur principaliter ad decorem ſtatus clericalis ne mendicare cogatur, qui debet etiam ſeruari in Clerico non gaudente fori exemptione propter dictam cauſam.

Dico 4. quod Clericus coniugatus non gaudet hoc priuilegio quoad bona, quæ poſſidet ex gloſa communiter recepta in *c. unico de cler. coniug. in 6. Couar. prac. q. 9. c. 31. n. 9. Farin. de inquiſ. q. 8. n. 3. Ricc. in prax. eccl. reſol. n. 253. Carol. de Graſ. eff. 7. n. 52. Squill. & Campan. loc. cit.* bene tamen verum eſt, quod gaudet Clericus coniugatus dict. priuil. c. Odoard. circa carcerationem, & perſonalem diſtrictionem vt non ſit à Iudice laico cognoſcendas. modo conditiones habeat requiſitas vt ſupr. ad fori exemptione gaudendum. Ita *Lup. alleg. 118. & Ricc. p. 3. decl. 70. n. 4.*

Nec tamen improbabile puto, quod ait Riccius loco nunc citato, quod in totum gaudeat hoc priuilegio cap. Odoardus Clericus coniugatus, cum fauores ſint ampliandi.

Dico vlt. quod licet *Carol. de Graſſ. eff. 7. n. 54.* videatur ſentire Clericũ excommunicatum non gaudere hoc benef. c. Odoardus, attamen probabilius dicendũ gaudere, quia per excõmunicationem non priuatur priuilegio canonis, & fori, ergo neque iſto, adde quod iſtud priuilegium non dat actionem aliquam, ob quã deberet vitari excommunicatus, ſed ſolum exceptionem, quia ſolet opponi contra petentẽ quod ſibi debetur, excommunicatus autem poteſt eſſe Reus in iudicio ex text in *c. intelleximus de iud. & communiter ubi Doctores & de Ricc. in prax. for. eccleſ. reſ. 250. & Squillan. loc. cit. n. 6.*

Quænam requiruntur vt clerici hoc beneficio cap. Odoardus frui legitimè valeant.

DIFFIC. LXV.

Dico primo, quod requiritur primo, confeſſio debiti, alias eo non gaudebit, vt expreſsè habetur in d. c. & talis recognitio debiti, etiam poteſt fieri poſt ſententiam vt traditur. *Molyn. de contr. diſput. 571. Carol. de Graſ. eff. 7. num. 43. & Afflict. deciſ. 373.*

Dico ſecundo, quod ſecundo in conceſſione beneficii cap. Odoard. ſunt citandi omnes creditores clerici debitoris, vt optimè aduertit etiam *Theſ. in dec. pedem. 15. et Valaſ. deciſ. lu. ſit. 50* & ita eſt neceſſaria iſta conditio, vt non obſtaret exceptio talis beneficii creditori non citato, ſed poſſet legitimè contra clericum procedere. Ita etiam *Brunus in tractat. de ceſſ. bon. q. 13. p. 2.* & ita fuiſſe reſolutum in praxi *in Cur. Archiepiſ. Neap teſtatur Ricc. deciſ. 289. p. 4.*

Quare notat etiam ibi, & bene Riccius deciſ. 270. quod ſi creditor fuerit citatus tempore quo data fuit clerico declaratio dicti beneficij, non poterit liquidare inſtrumentum contra clericum, ſi autem non fuerit citatus, quando clerico fuit conceſſum tale beneficium, poteſt vtique creditor liquidare inſtrumentum circa clericum.

Dico tertio, quod requiritur tertio, vt ſine dolo, & cum veritate iudicet, & manifeſtet Clericus admittendus ad tale beneficium omnia, & ſingula ſua bona ad inſtantiam creditorũ. Ita communiter Doctores citati, & Genuenſ. in pr. Arch. Neap. c. 4. n. 5. & ita ſeruari teſtatur in Curia præfata, & rationabile eſt, vt ſciatur, quid, & quantum poſſit relinqui pro clerici ſubſtentatione, & quid debitoribus tradendum pro ſatiſfactione.

Dico quarto, quod requiritur etiam quarto, probatio paupertatis, & miſerabilitatis ipſius clerici admittendi ad tale beneficium, nam cum fundamentum ſit paupertas, & miſerabilitas debet probari ab eo, qui in ea ſe exiſtere affirmat l. ſi vero *§. qui pro rei qualitate ff. qui ſatiſdar. cog. & ibi gloſ. & Bartol. Afflict. deciſ. 377. Menoch. de Arb. caſ. 69. num. 7. & Couarr. lib. var. reſ. cap. 2. num. 8.*

Nota autem hic probari paupertatem per communem exiſtimationem ſeu reputationem vt docent *Seraph. dec. 51. & 58. Ricc. pr. for. Eccl. reſol. 245.* vel quod bona clerici debitoris non excedunt redditum ſcutorum viginsiquinque, vt docent Seraph. deciſ. 173. & Ricc. p. 5. collect. deciſ. 1750. vel etiam alio modo arbitrio iudicis *ex gloſ. in auth. præterea c. vnde vir, & vx. v. Con. & Genuenſ. loc. cit.*

Nota etiam quod ſufficit, vt ſummariè conſtet de paupertate clerici admittendi ab hoc beneficium cap. Odoardus, vt notat *Riccius part. 1. deciſ. 81.* vbi tradit in hac materia non eſſe ſcrupuloſè nimis ſed mitius, & vrbanius procedendum. Ita etiam *Squillant. loc. cit. num. 10.*

Dico vltimo, quod requiritur quinto, ſaltem probabiliter loquendo vt Clerici admittendi ad hoc beneficium ſi ſint in minoribus ſolis conſtituti, & non beneficiati, vt alicui Eccleſiæ de mandato ordinarii inſeruiant, non enim conuenit, vt hoc priuilegio Eccleſiaſtico vtatur qui criminibus, vel otio vacans Eccleſiæ non inſeruit. Ita docent probabiliter *Gutier. de contr. iuram. p. 1. c. 17. Couarr. l. 2. var. reſol. l. 10. Genuenſ. loc. cit. Menoch. de Arb. Iud. conſ. 183. & Squillantes loc. cit.*

Nota tamen quod etiam probabiliter exiſtimo cum Nauar. *in l. 2. forenſ. quæſt. & Sanch. in ſum. T. 2. l. 7. cap. 14. num. 45.* non requiri in admittendo ad hoc beneficium cap. Odoardus. quod habeat requiſita à Conc. Trid. & quod gaudeat immunitate fori, quia hoc priuilegium ſolum datum eſt ad ſeruandum decorem ſtatus clericalis, ne ſcilicet clerici mendicare cogantur.

In quibus caſibus clerici non gaudeant hoc beneficio c. Odoardus. Quæſtio.

DIFFIC. LXVI.

Dico primo, quod quandocunq; ex parte clericorum adeſt dolus, vel malitia fraudandi creditores, & ex eorũ malignitate

Digitized by Google

gnitate creditores non poſſunt ab eis ſatisfieri, non debent Clerici admitti ad tale beneficium, & priuilegium capit. Odoardus, patet quia dolus nemini debet patrocinari, & priuilegium conceditur ad ſubleuandam miſeriam caſualem, non autem ad fraudandum, & dandam occaſionem mali, ex *tex. in l. penult. ff. de reg. iur Verall. decif. 278. l. 1. Puteus dec. 56. l. 1. caputaq. decif. 130. & Carol. de Graſſ. eff. 7. num. 27.* Ex qua doctrina io praxi.

Collige primo, clericum qui tempore contractus ſciebat ſe non eſſe ſoluendo, & falſo aſſeruit ſe habere idoneas facultates, non gaudere hoc priuilegio ratione doli, vt notant præcitati Doctores, & Riccius in prax. for. Eccleſ. 247. & part. 5. collect. decif. 1730.

Quod ſi non aſſeruiſſet ſe habere idoneas facultates, gauderet tali priuilegio, quia nullum dolum in actu admiſiſſet, vt notat *Gennenſ. in prax. Arch. c. 3. num. 6. ex Reg. text. in leg. qui cum alio ff. de reg. iur.*

Secundo, quando clericus in fraudem creditorũ conſumpſit bona, aut ea occultauit, vel contraxit debita ſub ſpe gaudendi hoc beneficio non gaudet tali priuilegio ratione doli, ex l. *ſi quis dolo ff. de re iudic. vide Riccium num. 3. & Gennenſ. num. 6. Carol. de Graſſ. num. 14. & 36. locis citat. & Brun de ceſſ. bonor. quæſt. 28.*

Tertio, quando clericus ſua bona conſumpſit in ludo, vel luxurioſè viuendo non gaudet ratione malitiæ. Ita etiam *Riccius d. reſol. 247. & Gennenſ. in d. c. 3.*

Quarto, quod clericus, qui tempore contractus finxit ſe non eſſe clericum, altero contrahente id ignorante, nõ gaudet hoc priuilegio, quia contrahentem doloſè induxit ad ſecum contrahendum. Ita etiam *Guttier. de contr. p. 1. cap. 17. Molyn. diſp. 521. n. 24. & Carol. de Graſſ. eff. 7. num. 23.*

Quinto, quod clericus effectus poſt contracta debita in fraudem creditorum, vel fuit factus clericus poſtquam fuit damnatus ad ſolutionem debiti non gaudet beneficio præfati c. Odoardus, eadem ratione doli. Ita etiam *Gennenſ. num. 11. & Carol. de Graſſ. num. 60. loc. cit. & Couar. pract. q. 9. cap. 32. num. 4. & Reus decif. 364. p. 1.*

Nota tamen, quod in dubio non præſumitur, clericatus in fraudem aſſumptus vide *Gennenſ. loc. citat. & Farinacc. de Inquiſ. quæſt. 8. num. 3.*

Sexto, quod clericus non gaudet hoc beneficio quando negat debitum ſoluere, quod cum iuramento ſe obligauit ſoluere, quia ratione periurij, quod eſt graue peccatum, poteſt carcerari *ex c. hoc videtur 2. 2. quæſt. 5. & gloſa in d. cap. Odoard. Gennenſ. num. 16. l. cit. Ricc. p. 4. decif. 173. & Paul. Layman l. 3. tract. 2. cap. 12.* ſecus pro debito ſimpliciter iurato. Vide *Gennenſem d. cap. 3. num. 13. Squillant. num. 23. loc. cit.*

Septimo, quod clericus ſuſpectus de fuga non gaudet hoc priuilegio, dicitur autem ſuſpectus de fuga, quando nil poſſideret in loco, vel eſſet alienigena, aut alio modo ſuſpectus arg. *text. in Lac. Prator. §. ſi debitorem ff. de his quæ in fraud. cred. vide Ioann. Ant. de Nigr. in cetr. de vita, & honeſt. cleric. nu. 142. & Paulum Layman loc. cit.*

Octauo, quod clericus non confecto inuentario fuit heres, vel tutor, non gaudet iſto priuilegio, quia in dolo ſe conſtituit inuentarium non conficiendo. Ita *Ricc. in pr. Eccl. reſol. 255. & Triuiſanus decif. 8. p. 1.* An Tutor, & Procurator clericus qui de re aliena adminiſtrata malam reddiſſet rationem, gaudeat hoc *priuil. affirmant Car. de Graſſ. eff. 7. num. 53. Ancaran. in cap. 1. num. 6. de depoſ. & ferrett. conſ. 144. dub. 1.* Negant tamen & probabiliter etiam *Ceuallon tract. de Tut. & curat. n. 321.*

Nono, quod clericus exercens illicitam negotiationem, & propter hoc debitis adſtrictus non gaudet hoc priuilegio c. Odoardus ratione malitiæ, & delicti, quia fecit contra illud, quod canones prohibent *ex c. p. fin. de vita, & honeſt. cler. vide Brun. de ceſſ. bonor. q. 3. nu. 15. Ricc. num. 4. & Gennenſ. nu. 12. & Car. de Graſſ. num. 63. loc. cit.* quod ſi alia ratione eſſet debitor, non autem ratione illicitæ negotiationis debet gaudere tali priuilegio, quia ſanè ceſſat ratio, vt notant citati Doctores.

Decimo, quod clericus qui iuramento renunciaſſet tali priuilegio debet eo gaudere, niſi fortè ante diem deſtinatam ſolutioni petijſſet abſolutionem à iuramento, quia habita abſolutione poteſt admitti. Ita *Guttier. de iuram. confirm. part. 1. cap. 18. Mar. Anton. var. reſol. l. 1. reſol. 41. Campan. in diuerſ. Rubr. 11. c. 10. n. 15. Gennenſ. in d. c. 3. & Ricc. p. 4. decif. 173.*

12. Quod clericus factus debitor ratione depoſiti pænes ſe facti non debet gaudere beneficio talis c. Odoardus ratione delicti, fidei ſcilicet non ſeruatæ. Ita *Foller. in Tr. de Epiſc. & cler. c. ſi quis clericus n. 13. & Carol. de Graſſ. eff. 7. n. 58.*

13. Quod clericus damnatus ad ſoluendum potens ſatisfacere, & recuſat, non gaudet præfato priuilegio, ſed poteſt carcerari, quia in dolo eſt. Ita *Abbas in cap. 1. de depoſ. & alij apud Layman l. 3. tract. 2. c. 12. n. 5. Squillantes c. 10 n. 39. & Ricc. p. 2. decif. 59* ait ita in praxi obſeruari in *Cur. Arch. Neap.*

14. Quod clericus in omni debito ex delicto proueniente non gaudet hoc priuilegio c. Odoardus, ſed habebit locum in ipſo quod habetur in l. 1. ff. de pœnit., qui non habet in ære, luat in corpore.

Quam doctrinam explicat diſtinguendo, & optimè vt ſolet ſemper *Gennenſ. in d. c. 3. n. 7.* quod quando pœna pecuniaria debita à clerico pro delicto eſt applicanda fiſco, tunc currit præfata doctrina, quod luat in corpore, ſi non habet in ære, quod ſi parti ſit ſoluenda ratione intereſſe, gaudet priuilegio c. Odoard. Ita *Andr. et Abb. in d. cap. Odoard. Menoch. de arbitr. cap. 447. n. 4. et 8. Ricc. in prax. for. Eccl. reſol. 251. & Couarr. l. 2. var. c. 1.* quamuis Paul. Layman. cum alijs contrarium quoque ſentiant l. 3. tract. 2. c. 12. verum eſt tamen quod probabilius eſt, quod ſi pœna ſoluenda ſit propter expenſas, quas indebitè, & iniuſtè fecit litigando cum clerico eius creditor, vel alio modo pars eius contraria, non gaudebit in hoc caſu priuilegio c. Odoardus clericus, ſed luet in corpore, ſi non habet in ære, quia verè fuit in malitia. Ita *Abb. in d. c. ſinem litibus. Puteus decif. 56. l. 1. Gennenſ. loc. cit. n. 3. Borr. decif. 329. clar. in pract. crimin. q. 95. num. 6.*

Porrò prædicta pœna corporalis luenda à Clerico, quando non habet in ære, ſolet commutari à Iudice Eccleſ. in pœnam exilij, vel in aliam ad arbitrium conſideratis circumſtantijs debitis, vel etiam in operibus ſpiritualibus, orationibus ſcilicet & ieiunijs, & conſimilibus teſte *Gennenſ. in d. c. 3. n. 15. & Car. de Graſſ. n. 42.* vel etiam aliquando detinetur longiori tempore in vinculis, quia carcer quandoque etiam datur in pœnam, & tradit *Gennenſ. loc. cit. qui cum Boerio dec. 342.* aduertit quod quando pœna eſt minima, non debet fieri commutatio in pœnam corporalem.

15. Quod clericus in multis debitis fiſco ratione contumaciæ, vel liquidationis inſtrumentorum, vel obligationum pænes acta incuſatarum, vel alijs multis gaudet priuil. c. Odoardus, nam propter paupertatem mulctæ huiuſmodi remittũtur *ex l. illicitas ff. de off. Prator. Ita etiam clarus §. fin. q. 95. qui teſtatur de communi, vide Gennenſ. in d. cap. 3. num. 7. & Farinacc. de delict. quæſt. 18. num. 57.*

16. Quod clericus damnatus per tres ſententias conformes poteſt vti beneficio c. Odoardus, quia nulla ratio eum excludit ab hoc priuilegio inducto in fauorem ſtatus clericalis, nec adeſt ius in contrarium excipiens hunc caſum. Ita *Gennenſ. dict. cap. 3. 13. Carol. de Graſſ. eff. 7. Miſc. reſol. 254. et Couarr. l. 1. var. cap. 1. num. 9.*

Dico ſecundo, quod clericus obligatus in forma cameræ licet negent aliqui quod gaudeat priuil. c. Odoard. vt defendunt *Gomez. in comp. vtriuſque ſignat. Ant. Maff. in tract. de obligat. in forma Cam. p. 1. q. 2. & Farinacc. in tract. crim. q. 27. num. 70.* attamen probabilius volunt alij, quod gaudeat tali priuilegio etiam ſi clericus ſit obligatus in forma cameræ, quia nullum adeſt ius, nec ratio hunc caſum excipiẽs, ergo gratis tali clerico iſtud priuilegium denegatur, quod traditum eſt ad decorem totius ſtatus clericalis. Ita *Galleſ. de obligat. in for. Cam. part. 6. quæſt. 7. Couarr. & Gennenſ. loc. cit. & Carol. de Graſſis num. 1 in eff. 7.* teſtatur hanc opinionem eſſe veriorem, & in praxi magis receptam.

Dico tertio, quod clericus obligatus ad penſionem ſoluendam non poteſt vti tali priuilegio cap. Odoardus quia non eſt æquum vt tali beneficio, & exceptione vtatur qui beneficium poſſidet, ex quo penſio ſoluenda. Ita *Gigas de penſ. q. 24. Menoch. de Arb. capitul. 185. Gennenſ. num. 10. Riccius part. 4. decif. 173. & Carol. de Graſſ. eff. 7. n. 50.*

Dico quarto, quod clericus conuentus actione reali non gaudet hoc priuilegio, quia dum non prætenditur aliquid contra perſonam, non poteſt adducere exceptionem huius priuilegij. Ita *Riccius poſt reſolut. 255. n. 2. Carol. de Graſſ. nu. 62. & Gennenſ. num. 9*

Dico quinto, quod licet abſolutè aliqui Doctores voluerint,

Digitized by Google

quod pendente diſcuſſione an debeat clericus admitti ad benefic. cap. Odoardus non poſſit carcerari, vt docent Abb. in d. c, Odoardus num. 8. Brun. de ceſſ. bonor. d. q. 3. & Carol. de Graſſ. eſt. 7. num. 8., attamen probabilius puto cum *Genuenſi d. c. 3. n. 17.* diſtinguendum, quod ſi non eſt ſuſpectus de fuga, nec adeſt periurium, nec adeſt executio parata vigore inſtrumentorum pænes acta non eſt carcerãdus ante diſcuſſionem, at vero ſi adeſt fugæ ſuſpicio, vel periurium, vel executio parata poteſt carcerari aliter fieret parti graue præiudicium, poſt carcerationem tamen poteſt admitti ad diſcuſſionem an gaudere debeat præfato priuilegio C. Odoardus, interim tamen maneat carceratus.

Dico ſeſto, quod quando clericus creditor eſt pauperior clerico debitore, non gaudet debitor minus pauper tali priuilegio c. Odoard. quia præferendus eſt magis egens, vt ſuum recuperet, vt videtur legi naturæ conſentaneum. Ita *Genuenſ. in d. cap. 3. num. 14. Car. de Graſſ. eff. 7. num. 57. & Matth. Brun. de ceſſione loc. mor. queſt. 13.* qui tamen videtur hoc verum eſſe in debito ex cauſa lucratiua, non oneroſa,

Dico ſeptimo quod clerici fideiuſſor laicus non gaudet hoc priuilegio cap. Odoardus, nam eſt priuilegium perſonale Clericorum, & vltra perſonam clerici non habet vires *arg. ex tex. in cap. priuilegium de reg. iur. in 6. Guttier. de Iuram. confirm. p. 3. c. 15. n. 15. & Ricc. in prax. for. Eccleſ. reſol.* 248.

Bene tamen verum eſt quod clericus fidei iuſſor laici gauderet hoc priuilegio ex generali diſpoſitione c. Odoard. Ita etiam *Nouarius de elect. for. queſt. 3. num. 4. ſect. 2. Paulus Layman. l. 3. tract. 4. cap. 29. num. 7. & ita in facti contingentia ſeruatum fuiſſe in Curia Archiep. Neap. refert. Ricc. p. 3. deciſ.* 20.

Dico Octauo, quod clericus ſemel admiſſus ad beneficium c. Odoardus, poteſt etiam, & iterum admitti, patet ex eo, quia ſicut ceſſio bonorum poteſt reiterarij, ita & admiſſio ad hoc beneficium: *ex Paulo de Caſtro in l. ex contract. c. de bon. aut. iud. poſſid. vide Genuenſ. in d. c. 3. n. 19. & Squillant. c. 10. n. 48.*

Licet autem in hoc paritas rationis admittatur inter ceſſionem bonorum, & admiſſionem ad priuilegium c. Odoardus, attamen in omni caſu non admittitur, nam differentia magna eſt inter ceſſionem bonorum, & hoc priuilegium, ceſſio enim bonorum admiſſa extinguit omnes obligationes, non ita priuilegium c. Odoardus vt patet ex dictis. Vide *Ricc. p. 4. deciſ. 173. & Squillant. de priuil. cler. cap. 10. num. 2.*

Cæcitas mentis.

Quid ſit cæcitas mentis, & an ſit peccatum ſemper mortale.

DIFFIC. Vnica.

Dico primo, quod cæcitas mentis ex *noſt. Vngarello apud Ang. V. cæcitas Sch. A.* eſt priuatio eius, quod eſt principium intellectualis viſionis. Hoc autem prouenire dupliciter docet *D. Th. 2. 2. q. 15. a. 1.* primo, ex eo quodquis ſe auertit ſpontaneè à conſideratione primi principij intelligibilis ſecũdum illud pſalmiſtæ, noluit intelligere vt bene ageret, alio modo per occupationem mentis circa alias res, quas magis diligit, quam dictum primum principium ſecundum illud pſalmi, ſupercecidit ignis ſcilicet concupiſcentiæ, & non viderunt ſolem.

Triplex eſt autem principium intellectualis viſionis, vnum eſt lumen naturalis rationis in ſuperiori animæ parti impreſſum, de quo dicitur, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, ideſt vultus naturalis rationis, ſicut enim alter alteri per vultum ſimilis eſt, ita per hoc lumen rationis, ſumus ſimiles Deo, & per hoc à brutis, & beſtijs, animalibuſque ſenſitiuis diſtinguimur ſpecie, & capaces reddimur donorum ſupernaturalium, & æternæ beatitudinis, & cui per partem intellectiuam aſſimilamur naturali lumine ad bona opera meritoria dirigente, cum per tale lumẽ cognoſcamus quid agere debeamus eidem tanquam vltimo fini vnimur in voluntate perfruitionem in cælis. Hoc ergo lumine naturalis rationis non priuatur paſſim homo, ſed impeditur ab actu eius aliquãdo propter defectum in potentijs inferioribus imaginatiua ſcilicet, & phantaſia ſicut eſt in amentibus, & aliquando propter incantationem Magorum, qui Dæmonum ope poſſunt huiuſmodi potentias illudere, & peruertere, & ita quis dicitur aliquando habere mentis cæcitatem non vtendo lumine rationis naturalis propter huiuſmodi impedimenta.

Secundum lumen dicitur habituale ſuperadditum à Deo lumini rationis naturalis de quo dicitur in lumine tuo (ſcilicet gratiæ in præſenti) videbimus lumen ſcilicet gloriæ in futuro; hoc autem lumen habituale ſupernaturale eſt verum principium actionis meritoriæ, quo caret quilibet peccator ſecundũ illud ſap. 2. malitia eorum excæcauit eos, & ita ſecundo modo quis dicitur habere cæcitatem mentis.

Tertio lumen eſt aliquod primum intelligi tale, vt ſummũ bonum amandum, ſummum verum ſequendum, ex quo operationes in praxi debent dirigi fugiendo malum, & amplectẽdo bonum iuxta illud declina à malo, & fac bonum, huic autem lumini poteſt anima intendere, & non intendere, quod autem non intendat, eſt quia voluntariè ſe auertit homo à conſideratione Summi boni, & ſummi veri, & occupat ſeſe in diligendo hæc creata fodiendo ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, & ita tertio, modo dicitur quis habere mentis cæcitatem. Quare

Dico ſecundo, quod cæcitas mentis primo, modo non eſt peccatum ex ſe, ſi per amentiam, vel incantationem occurrat, quod non vtatur lumine rationis, ſecus ſi per profundam malitiam recedat à lumine rectæ rationis, quia maximum eſſet peccatum. Secundo autem modo quatenus cæcitas eſt priuatio gratiæ non eſt peccatum vt patet, ſed pæna peccat, tertio autem modo paſſim dicitur vera cæcitas mentis quatenus eſt voluntaria diſtractio à ſummo bono, & ſummo vero, vt creaturas diligat, & à S. Greg. ponitur filia luxuriæ, dicitur ergo peccatum mortale iſta cæcitas mentis, vt docet noſter *Riccardus in 3. diſt. 23. ar. 3. q. 4.*, quando ita homo occupatur in dilectione creaturarum, vt omittat neceſſaria ad ſalutem, & præcipuè ad cultum Deo in diebus feſtiuis debitum, ſecus ſi relinquit ſolum vtilia ad ſalutem, ſed non abſolutè neceſſaria.

Cælare.

Vtrum celare propter pecuniam, vel gratiam peccatum alicuius, vel ſeruum, vel latronem fugientem apud Iudicem vel Dominum reſpectiuè ſit peccatum mortale.

DIFFIC. Vnica.

Dico primo, quod cælare peccatum alicuius propter pecuniam, vel gratiam, aut conſanguinitatem apud ſuperiorem volentem corrigere tam peccatum publicum, tam priuatum vel ſecretum ſpecies ſymoniæ dicitur ab Innocentio, & gloſa in c. *Homo de ſym.* & addit rationem, quia quilibet tenetur alterius peccatum ad pænitentiam indicere ex 24. q. 3.

Limitat tamen hanc doctrinam noſter Vngarell. apud *Ang. V. Cælare Sch. A.* modo delinquens nõ ſit paratus ſe corrigere, & emendare, quia tunc licebit cælare peccatum apud iudicem vt *in c. nouit.* de iudicijs, ſed de hoc vide fuſius, quæ dicenda ſunt infra V. denunciatio.

Dico ſecundo, quod celare furem, vel ſeruum fugitiuum ne capiatur, modo quis non teneatur ex officio prodere, & accuſare, propter pecuniam gratiam, vel conſanguinitatem, non videtur peccatum, quia pro indicando fure, vel fugitiuo licitè poteſt accipi merces ex *l. ſolent ff. de offic. Proconſ.* ergo nõ tenetur gratis indicare, qui non tenetur ex officio, vnde notat *noſt. Vng. Sch. B.* quod quis non tenetur teſtificari contra furẽ iã accuſatũ, & ideo pro teſtificãdo licitè accipitur aliquid, quia facere, quod nõ debeo, eſt prætio æſtimabile, ſed vide infra de hoc, quid ſit probabilius dicendum *V. Teſtis.* Verum eſt tamen quod pro reuelatione furis maximè à Iudice ſi petatur, qui vellet purgare Prouinciã, & loca ſuſpecta malis hominibus turpe eſſet aliquid accipere, quia facere cõtra publicam vtilitatem.

Colonus.

Vtrum Coloni, Affictuarij, & partiarij regularium ſint immunes ab impoſitionibus ſæcularium, & an Coloni, & Affictuarij Epiſcoporum gaudeant priuilegio fori.

DIFFIC. Vnica.

Dico primo, quod coloni, affictuarij, partiarij, & negotiorum geſtores ordinum mendicantium, præcipuè ſunt

immunes

Immunes à cunctis exactionibus, tam ruſticis, quam Vrbanis impoſitis, & imponendis ab vniuerſitaribus, & Principibus. Ita ſtatuit Pius V. conſtitutione quæ incipit Indefeſſa data 18. kalend. Septembr. 1566. apud Cherubin. Bullar. T. 2. pag. 144. in Nouiſſ.

Immò hodie coloni, & affictuarij quorumcunque Eccleſiaſticorum gaudent exemptione collectarum & impoſitionum tam ordinariarum, quam extraordinariarum pro portione colonica ſolum. Ita declarauit Sac. Congreg. epiſc & regul. in oppidenſi 18. Septembr. 1618. vide Lezana T. 3. V. Gabelle.

Dico ſecundo, quod Coloni, Affictuarij, & Partiarij Epiſcoporum gaudent priuilegio fori donec durat colonia, & Affictus cum ipſis. Ita Sac. Congreg. immunitatis declarauit die 6. Decembr. 1627. quam refert etiam Tambur. de iure Abb. T. 1. diſp. 20. n. 4. & idem declarauit eadem Sac. Congre. in Neocaſtr. 13. Auguſti 1639. quam habes apud Sperellum in deciſ. 98. for. eccleſ. deciſ. 98. n. 8.

Cognatio, conſanguinitas.

Quod, quotuplex cognatio, & quomodo diſtinguatur per lineas, & gradus.

DIFFIC. I.

Dico primo, quod cognatio à voce cognatus quod ſonat quaſi ſimul, vna, coniunctim natum, quandam propinquitatem inter homines, & fœminas peculiarem indicat, quæ propinquitas tripliciter accidere poteſt, vel à natura ipſa, vel a iure Canonico ſpirituali, vel à lege ciuili temporali, vnde triplex dicitur cognatio Naturalis, ſpiritualis, & legalis.

Dico ſecundo, quod Cognatio naturalis, quæ propriè dicitur conſanguinitas, quę eſt quaſi ſanguinis vnitas definiri poteſt, quod ſit propinquitas ſeu vinculum perſonarum ab eadē perſona quaſi ex ſtipite carnali propagatione deſcendentium. Ita ex *Scoto noſtro in 4. diſ. 40. ar. 1.* & ceteris Theologis, & canoniſtis communiter, vide *Valent. T. 4 diſp. 10. q. 5. p. 3. Sanch. l. 7. de matr. diſ. 50. Bonac. de matrim. Impeſ. q. 3. p. 5.* & alios, quare licet valdè remotè omnes Adæ ſimus conſanguinei, non tamen Angeli, & Adam dicuntur conſanguinei Deo eorum creatori, quia non per carnalem propagationem, ſicut nos ab Adamo, deſcendunt, bene tamen Chriſtus dicitur Virgini matri Marię conſanguineus, quia de eius puriſſimis ſanguinibus conceptus ab ipſis deſcendit per actiuum concurſum in eius conceptione præſtatum virtute Spiritus Sancti, vt notat *Scotus* noſter *in 3. diſt. 4.* nō ſic tamen Æua ab Adamo, vnde eius conſanguinea per naturalem propagationem non dicitur.

Dico 3. quod conſanguinitas diſtinguitur per lineas. & gradus à communi ſtipite ex communi canoniſtarū, & Theologorum loquendi modo, vt ſciatur quinam inter ſeſe licitè matrimonium contrahere valeant. vide Scotum loc. cit. quare ſtipes vocatur illa perſona, à qua plures carnali propagatione deſcendunt.

Linea autem eſt ſeries, & ordo perſonarum in perſonarum propagatione carnali tam aſcendentium, quam deſcendentium, vt Atauus, Auus, Pater Filius, Nepos.

Gradus vero eſt menſura illa qua cognoſcitur quanta diſtātia conſanguinitatis ſit inter ipſas perſonas in eadem linea repertas, vnde dicuntur conſanguinei in 1. 2. 3. vel 4. gradu, & propriè reperitur in linea à aſcēdentium, & deſcendentium, impropriè vero in tranſuerſali. Ita Scotus loc. cit.

Linea porrò alia eſt recta, alia tranſuerſalis, ſeu collateralis. Linea recta eſt illa, ſecundum quam multæ perſonę aſcendunt, vel deſcendunt ab vno ſtipite, ita ut linea aſcendentium recta ſit à Genitis ad Genitores, deſcendentium vero à Genitoribus ad Genitos, quare in linea recta aſcendentiū reperiuntur ſolum propagantes, & propagari ad inuicem.

Linea vero tranſuerſalis, ſeu collateralis eſt illa, in qua reperiuntur multæ perſonæ ab eodem ſtipite immediatè, vel mediatè procedentes, tamen à ſe inuicem non deſcendunt, vt filij Titij ſunt fratres inter ſeſe in primo gradu lineæ tranſuerſalis, quia procedunt immediatè ab eodem ſtipite eorū Patre videlicet, ſed vnus ab alio non deſcendit, filij autem Caij Germani Titij ſunt fratres in linea collaterali mediate, ideſt quia eorum parentes ab vno, & eodem ſtipite procedunt, non autem alter ab altero, quod patebit clarius in arbore cōſanguinitatis, quam in V. Matrimonium fortè apponemus.

Quomodo Gradus conſanguinitatis cognoſcantur ab Aſcendentibus, & deſcendentibus tam in linea recta, quam in linea collaterali, & in quote gradu matrimonium dirimat.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod Conſanguinitatis gradus poteſt cognoſci in aſcendentibus, & deſcendentibus in linea recta per hanc regulam (tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ in linea, dēpta vna, quæ vocatur ſtipes) hinc ſi quęras in quo gradu Pater cum filia, de me Patrem, qui eſt ſtipes, & erit vnus gradus diſtans filia à Patre, itaque dicitur conſanguinea Patri filia in 1. gradu, filia autem præfatæ filiæ erit in 2. gradu conſanguinea præfato ſtipiti, quia duobus gradibus diſtat ab Auo ſuo, ratio autem huius, quia debet præſupponi toti collectioni aliqua perſona ibi non propagata, a quo incipiat fieri deſcenſus, ergo ipſa non debet numerari in gradu, quia non poteſt diſtare à ſe ipſo, cæteri ergo gradus iuxta diſtantiam, qua ab ipſo deſcendunt perſonæ ſumunt primi, ſecundi, & tertij denominationem. Ita Scotus loc. ſupra cit.

Dico ſecundo, quod in linea collaterali, ſeu tranſuerſali hæc datur Regula ad cognoſcendos in ipſa gradus (Perſonæ in eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu diſtant à communi ſtipite) hinc duo fratres Germani vno tantum gradu inter ſe diſtant, quia vno tantum gradu diſtant à communi Patre, itaque dicuntur in 1 gradu conſanguinei in linea tranſuerſali Germani fratres, filij autem iſtorum inter ſeſe duobus gradibus diſtāt à communi ſtipite .i. à parente horum Patrum, ergo in ſecundo gradu ſunt inter ſe conſanguinei.

Alia Regula pro tranſuerſali vel collaterali (conſanguinei in linea collaterali, eo gradu diſtent inter ſe, quo gradu alter magis remotè diſtat a communi ſtipite) hinc Caius, qui habet duos filios .ſ. Petrum, & Franciſcum, Petrus autem habet filium puta Antonium, qui genuit Seium, qui eſt Nepos Petri in linea recta, quæritur modo in quo gradus Seius ſit conſanguineus cum Franciſco Germano Petri, qui eſt Seij Auus, ſanè in tertio gradu eſt nepos conſanguineus Franciſci, quia in eo gradu ſunt in linea tranſuerſali inter ſe, quo gradu remotus magis eſt à communi ſtipite puta à Caio, at vero tertio gradu diſtat Seius à Caio, ergo eodem gradu diſtat à Franciſco, in linea autem iſta dempto Caio inuenitur Seius eſſe tertia perſona .ſ. Petrus, Antonius, & Seius.

Quod ſi dicas, quod Franciſcus vno tantum gradu diſtat à Caio ſtipite, ergo vno gradu debet diſtare a Seio nō valet, nā gradus nō ſumitur à gradu propinquiori ſtipiti, ſed à remotiori, & remotior à ſtipite trahit ſecum rationem gradus ad propinquiorem ſtipiti in linea tranſuerſali, quare minus remotus, ſeu magis propinquus dicitur eſſe in eo gradu cum remotiori in quo remotior diſtat à ſtipite. Ita communiter Doctores, vide Scotum ſpeculatiuè hoc probantem.

Aduertendum tamen, quod graduum præfata numeratio eſt ſolum de iure canonico ita ſtatuta, & ſic ſeruari debet in cognoſcendo gradus ad finem contrahendi licitè matrimonij quia in lege ciuili apud Iuriſtas alio modo ſumitur, nam in linea tranſuerſali ius ciuile numerat gradus iuxta numerū perſonarum inuentarum in linea dempto ſtipite, vnde ius ciuile duos fratres germanos in ſecundo gradu conſanguinitatis cōſtituit. Vide *Bonac. de imped. matr. q. 7. p. 5. §. 1.*

Dico 3. quod conſanguinitas tam in linea recta, quā tranſuerſali vel collaterali dirimit, & inualidat matrimonium inter perſonas conſanguineas vſque ad quartum gradum incluſiuè, ita habetur ex *c. non debet de conſanguinitate, & in Sacr. Conc. Triden. ſeſſ. 24. de ſacram. matrim. can.* 3. Verum.

Vtrum inter aſcendentes, & deſcendentes in quolibet gradu de iure natura ſit prohibitum matrimonium.

DIFFIC. III.

Affirmant multi, ijdemque grauiſſimi Doctores, Matrimonium in quolibet gradu aſcendentium, & deſcendentium in linea recta prohibitum eſſe de iure naturæ, & ratio eſt, quia cum omnes aſcendentes habeant rationem principij, & conſequenter rationem, Superioris, cui naturalis debetur reuerentia, & naturalis etiam pudor aduerſetur ratione copulæ, vnde de iure naturæ inter ipſos copula prohibetur

cum

cum ſuis deſcendentibus, ita Scotus in 4. diſt. 40. ar. 2. vbi ait, quod ſi Adam viueret, nullam prorſus poſſet hodie vxorem ducere. Ita etiam *Sylueſt. V. matrim. 8. q. 6. Nauar. c. 22. nu. 84. Couarr. 4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. Reginald. l. 31. n. 119. Coninch. de ſacr. diſp. 32. dub. 1. n. 16. Rebell. l. 3. q. 5. n. 12.*

Negant tamen in omni gradu lineæ rectæ aſcendentium, & deſcendentium de iure naturæ Matrimonium prohiberi, ſed ſolum in primo gradu iuxta illud *Leuitici* 18. Turpitudinē patris tui vel matris ne diſcooperias, mater enim tua eſt, & probant ex eo, quod in tali linea aſcendentes non habent rationem principii immediatè, & per ſe reſpectu omnium deſcendentium, ſed ſolum in primo gradu, in reliquis autem gradibus ſolum habent rationem principii mediati, & per accidens, principium autem mediatum, & per accidens non videtur eſſe ſufficiens de iure naturæ ad impediendum Matrimonium, quia propinquitas debilior redditur, & ſanguinis communicatio imperfectior. Ita *Caiet.* quem citat, & ſequitur *Perez. v. conſanguinitas* §. 40. *fol.* 150. *& Sanch. l. 7. diſp. 51. nu. 19. Filiuc. tract. 10. p. 2. cap. 1. q. 4. n. 180. & Bonac. de matrim. q. 3. p. 5. §* 1. hanc putat probabiliorem, quia etiam Belluę in primo gradu conſueuerunt horrere coniunctionem carnalem, vt refert *Scotus loc. cit.* ex Ariſtot. de equo, qui velatus cognouerat matrem ſuam, qui poſtea diſcoopertis oculis hoc videns ſe præcipitauit, & alibi legi refert etiam Scotus de Elephante, qui ingeniatus, vt matrem ſuam cognoſceret, poſt Ingeniatorem occidit, quod in cæteris gradibus non inuenitur à brutis inſtinctu naturali caſtigatum.

Verum quod in communi gradu lineæ deſcendentium, & aſcendentium iure naturæ prohibeatur Matrimoniū ſit probabilius ſuadetur 1. ex hoc, quod eatenus ratione principii in primo gradu iure naturæ impeditur matrimonium, quatenus habet rationem ſuperioris, vnde iure naturæ debetur reuerētia, & quidam naturalis pudor oritur reſpectu copulæ inter ſuperiorem, & inferiorem, nam actus copulæ quandam habet naturaliter adiunctam turpitudinem, & irreuerentiam alterius ad alterum oppoſitam reuerentiæ ſuperiori debitam, at vero omnes aſcendentes ſunt ſuperiores, & forte maior reuerentia naturali quadam pro pentione ad Auos, Atauos, & proauos habetur à nepotibus quam ad ipſum Patrem habent filii, vnde leges ciuiles volunt, quod ſi Dux aliquis *capta ciuitatis omnes ciues* faceret mancipia, non poſſet ſuum Auum facere mancipium ratione ſuperioritatis, & reuerentiæ naturalis illi debitæ; itaque licet non ſint immediata Principia aſcendentes in reliquis gradibus à primo, ſed ſolum mediata, in ratione tamen ſuperioritatis, & reuerentiæ naturalis ſemper influunt per ſe in prohibitione copulæ matrimonialis.

Quare optimè, vt ſolet Doctor ſubtilis loc. cit. ad ſecundum ait, (quod alia eſt amicitia conſanguineorum, alia cōiugum, illa conſanguineorum maximè in linea recta eſt reuerentiæ quantum ad deſcendentes reſpectu Superiorum, & cuiuſdam regiminis, ſeu præſidentię, & è conuerſo amicitia coniugum eſt ſine tali reuerentia, imo eſt cum reuerentia in tantum vt diligens conſanguineam magis odia in ea illam reuerentiam non ſolum à ſe, ſed à quocumque alio exhiberi, & ideo concedo, quod amicitia diſponit ad coniugium, ſed alterius rationis omnino ab illa, quæ eſt inter conſanguineos.) hæc Scotus.

Quod verum confirmatum ſatis puto, quod Adam in tanta neceſſitate multiplicationis faciendæ hominum tempore illo non legitur aliā vxorem duxiſſe, quia inter aſcendentes, & deſcendentes ex lege naturæ oritur maximum, & indiſpenſabile impedimentum. Vnde nec aliud exemplum inter illos antiquos Patres legis naturæ habetur, quod matrimoniū contraxerint in linea deſcendentium, & aſcendentium, bene tamen in linea tranſuerſali.

An vero quod addunt in caſu extremæ neceſſitatis ad conſeruandam ſpeciem humanam etiam diſpenſari poſſit in linea recta ſc. vt Pater cum filia, vel mater cum filio contraheret Matrimonium, affirmant *Valentia, Gutierez, & Sanch. diſput. 51. & Bonac. locis cit.* quia magis eſt de iure naturæ conſeruatio ſpeciei humanę, quam copula inter aſcendentes, & deſcendentes, quare quod ex ſe eſt illicitum de iure naturæ, adueniente præcepto maiori legis naturæ fit licitum, quod ſanè probabile puta, quia malum inferioris ordinis cohoneſtari poteſt ratione maioris boni in eodem genere, quare ſi Adam mortuus eſſet viuente Æua, & Cain, vtique potuiſſet, & debuiſſet contrahere cum propria matre, quod licet natura per ſe abhorreret, attamen ratione maioris boni .ſ. conſeruandæ ſpeciei ipſa natura id ſuaderet. Vnde Sancti Chriſoſtomus, & Ambroſius apud Valentiam loc. cit. excuſare videntur à culpa filias Loth, quæ cum ipſo Loth Patre concubuerunt, quia nullum alium ſuperſtitem fratrem habebant à ſuo Patre deſcendentem. Contrarium tamen putant *Reginaldus l. 31. art. 116. & Ledeſma loc. cit.*

Vtrum in linea tranſuerſali ſit matrimonium prohibitum de iure naturæ inter conſanguineos in primo gradu.

DIFFIC. IV.

De iure naturæ prohiberi Matrimonium inter conſanguineos in primo gradu lineæ tranſuerſalis docent communius, & videtur hoc à *Scoto* etiam doceri *in 4. diſt.* 41. dum ait (magis eſt contra legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quam in tranſuerſali) ita etiam *Valentia T. 4. diſput. 10. qu. 5. p. 3. verſ. ſed tamen, Gutier. c. 98. Henriq. l. 12. c. 9. Ledeſma q. 54. verſus finem Perez. V. conſanguin. fol. 153. Rebell. l. 3. q. 5. n. 13. Sanch. l. 7. diſp. 52. Filiuc. tract. 10. p. 2. c. 5. q. 4. & Bonac. de matr. Imp. q. 3. p. 5. §. 1.* & alij, quia inter fratrē, & ſororem in primo gradu eſt maximus pudor naturalis, cui maximè aduerſatur coniugalis amicitia, nec obſtare aiunt, quod in principio mundi inter germanos, & germanas fuiſſe validum matrimonium, nec conſtare diſpenſatum fuiſſe à Deo, nam non omnia, quæ facta, ſcripta ſunt, & rationabiliter poteſt credi Adamo fuiſſe à Deo reuelatam hanc diſpēſationem quo ad lineam tranſuerſalem ob neceſſitatem maximam prolis multiplicandæ, quando fuit dictum creſcite, & multiplicamini, & replete Terram.

Attamen alij volunt non eſſe prohibitum de lege naturæ matrimonium inter conſanguineos in primo gradu lineæ tranſuerſalis, quia non adeſt ratio irreuerentiæ ſicut adeſt inter aſcendentes, & deſcendentes, ergo iure naturæ non prohibetur, ſed ſolum Eccleſiaſtico. Ita nouiſſimè *Hurtado tract. de matr. diſp. 17. difficul. 5. n. 12.* vbi citat *Caietanum*, qui huius opinionis Dux eſt, citat etiam *Scotum*, & alios, ita etiam *Baſili Pontius de matrim. l. 7. c. 32. vbi citat D. Thom. Ricardum, Durandum, Carthuſianum, Abulenſem, Armillum, Oleaſtrum, Heruetum, & Veracruz.*

Sanè, quod ſit contra legem naturæ coniunctio inter germanos, & Germanas ex verbis allatis noſtri Doctoris Scotiſtæ coguntur dicere, at vero, quod ita ſtrictè non prohibeatur, ſicut in primo gradu lineæ rectæ, certum etiam eſt apud noſtrum Doctorem, dum ait, quod magis contra legem naturæ eſt coniunctio inter deſcendentes, & aſcendentes, quam in primo gradu lineæ tranſuerſalis. Quare dicendum puto, quod probabile admodum ſit prohibitionem copulæ in primo gradu lineæ rectę eſſe de iure naturæ per ſe primo ratione ſuperioritatis, & præſidentiæ, cui per ſe primo aduerſatur amicitia coniugalis, vt ait Scotus, prohibitionem vero copulæ in primo gradu lineæ tranſuerſalis ſolum eſſe de iure naturę non per ſe primo, & immediatè, cum nulla ſit inter ipſos cauſa reuerentiæ naturalis ex ſuperioritate, ſed ſolum de iure naturæ per ſe ſecundò, & mediatè quatenus quidam pudor naturalis prohibet hanc copulam, ſequitur, quod probabile eſt per ſe primò, & immediatè non prohiberi de iure naturæ inter ipſos matrimonium, ſed ſolum per ſe ſecundò .ſ. ſolum per quamdam decentiam naturalem, quæ abſolutè non impedit matrimonium de iure naturæ, ſed ſolum ex quadam recta conuenientia, quam neceſſitas ſanè tollere poteſt, atque adeo ex graui neceſſitate in hac conuenienti, & non abſoluta iuris naturæ prohibitione matrimonij in primo gradu lineæ tranſuerſalis puto probabiliter, & tuta conſcientia poſſe Papā diſpenſare, verum cauſa magna debet eſſe puta inter Reges, & Imperatores, ſi abſque probabili fidei Catholicæ periculo alteri nubere non poſſent ſecundum ipſorum Regiam Maieſtatem, bonum enim commune ſpirituale, ſicut eſſet infectio hæretica ſequenda ex introductione hereticæ Reginæ in Regnum præponderat ad tollendam naturalem conuenientiam de non nubendo in primo gradu lineæ tranſuerſalis conſanguinitatis, ſicut propter magnam neceſſitatem prolis licuit in tali gradu nubere in principio mundi. hæc dicta volo ſolum probabiliter ex motiuo doctrinæ Scoticæ ſubmittendo eam

Sedis

Digitized by Google

Sedis Apoſtolicę iudicio. ſaltem in propoſito principali, quod in magna neceſſitate ſit diſpenſabile tradit etiam Pontius loc. cit., videtur adhærere etiam *Diana 4.p.tr.4. miſcel.reſolut.43.*

Quid ſit cognatio ſpiritualis, & inter quos, & quomodo contrahatur.

DIFFIC. V.

Dico primo, quod cognatio ſpiritualis eſt propinquitas ſeu attinentia quarumdam perſonarum conſurgens ex ſtatuto Eccleſiæ ratione collationis, vel ſuſceptionis baptiſmi, vel confirmationis, & propter tenentiam recipientis actu dicta Sacramenta. Ita communiter. Quare nec à iure diuino, nec à iure naturæ fuit vnquam hæc cognatio appoſita, ſed ſolum ab Eccleſia per congruitatem deſumptam à naturali generatione, quam habet cum ſpirituali generatione, quia verò ſpiritualis generatio fit præcipuè in Baptiſmo, & confirmatione etiam, hinc influentes ad hanc ſpiritualem generationem dicuntur contrahere inter ſe ſe quamdam reuerentiam, & ſuperioritatem paternitatis, & maternitatis ſpiritualis, & ſuſcipientes quandam rationem filialis ſubmiſſionis, quare ſicut copula de iure naturæ prohibetur in recta linea inter propagantes, & propagatos naturaliter ratione cognationis naturalis, ita iure Eccleſiaſtico prohibetur inter propagantes, & propagatos ſpiritualiter ratione cognationis ſpiritualis, & ſicut matrimonium inter illos eſt nullum iure naturæ, ita inter iſtos eſt nullum iure Eccleſiaſtico, vt conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ.24.c.2.de reform. Ita communiter.

Dico 2. quod cognatio ſpiritualis ex baptiſmo iuxta Concilium loc.cit. contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, inter ſuſceptores, ſeu tenentes, & baptizatum, & inter baptizantem, & Matrem, & Patrem baptizati, & inter ſuſceptores, ſeu tenentes, & Matrem, & Patrem baptizati. Vnde per hoc ius nouum Sacri Concilij Trid. ceſſauit illud ius antiquum ponens etiam confraternitatem, quæ erat inter filios baptizãtis, & baptizati, confirmantis, & confirmati, & inter filios tenẽtis, vel ſuſceptoris cum baptizato, vel confirmato; ſicut etiam ablata eſt cognatio inter ſuſceptores, vnde de iure nouo poſſunt maritus, & vxor eſſe ſuſceptores, & tenere puerum ad baptiſmum abſque periculo cognationis ſpiritualis inter ſe ſe ex Bulla Pij V. cum illius vicem. Ita noſter *Rodriq. in ſum.cap.229.p.2. Sanch. l.3.diſp.54.& Bonac.de matr.q.3.p.5.§.2.*

Vtrum cognatio ſpiritualis à non tangente verè ſuſcipientem baptiſmum, vel confirmationem, & an ab eo, qui ſolum iam in neceſſitate baptizatum domi quando, ſolemnitas ſuppletur in Eccleſia ſolum modo tenet, & tangit.

DIFFIC. VI.

Dico primo, quod ſuſcipientes baptizatum non contrahũt cognationem ſpiritualem ſi proprijs manibus verè, & realiter non ſuſcipiant ſtatim à Sacerdote leuante baptiſmali de fonte ipſum baptizatum, quia aliter non dicerentur leuare puerum de ſacro fonte, vt habetur *in c.ſuſceptum 30.q.3. & c. omnis 30.q.1. & c.ſiquidem 30.q.4.* vnde alter ſiue vir ſiue fœmina accipiat ab altero, ſiue viro, ſiue fœmina non contrahit cognationem, debet.n. vterque proprijs manibus vere ſuſcipere de manu ſacerdotis puerum baptizantis.

Immò qui aſſiſteret ſolo digito tangendo baptizatum non cõtrahere cognationem ſpiritualem declarauit *Sacra Congregatio*, quam refert *Bonac. de matr.Imp. q.3.p.5.§.2.n.14.* quia verè ſolo digito tangens non dicitur tenere, leuare, vel ſuſcipere. Ita etiam *Henriquez l.12.c.11.* & alii contra *Emanuelem Sà V.impediment. matr.n.5.* & alios aliter ſentientes.

Nota etiam, quod non eſt neceſſum, vt ſuſceptores huiuſmodi reſpondeant in Cathechiſmo, vt contrahant cognationem, cum Concilium Tridentinum ſolum de ſuſceptione faciat expreſſum mandatum ad finem contrahendi cognationẽ ſpiritualem, nullum de reſpondendo ſacerdoti baptizanti. Ita etiam *Bonac. loc.cit.*

Dico ſecundo, quod qui puerum iam in neceſſitate domi verè baptizatum ſuſciperet poſtea in Eccleſia, dum illuc portatur ad ſupplendas ſolemnitates, etiamſi forte iterum per errorem rebaptizeretur, non contrahit cognationẽ ſpiritualẽ & ratio eſt, quia ſolum ſuſceptores cõtrahũt in baptiſmo, hic autem nullus eſt baptiſmus, ergo nulla cognatio, quare tenentes, quando ſolum ſupplentur ſolemnitates non debent à Parocho ſcribi in libro, in quo nomina puerorum deſcribuntur, quia inter eos nulla eſt cognatio ſpiritualis dirimens, an vero oriatur impedimentum Cathechiſmi in tali caſu, dicetur V. Imped. matrimo.

Vtrum baptizantes priuatim ſine ſolemnitate, tenentes, vel ſuſcipientes baptizatum in dicto baptiſmo priuato, & non ſolemni contrahant cognationem ſpiritualem.

DIFFIC. VII.

Dico primo, quod baptizans ſiue vir ſiue fœmina ſiue laicus, ſiue ſacerdos in extrema neceſſitate priuatim ſiue ſolemnitate contrahunt veram cognationem ſpiritualem, quia verum conferunt baptiſmum, ex quo oritur cognatio ſpiritualis impediens, & dirimens, cum vere baptizans ſiue vir, ſiue fœmina ſpiritualiter regeneret baptizatum, & baptizatus dicitur verè regeneratus aqua Sancti baptiſmi etiam priuatim, & ſine ſolemnitate collati, & ſuſcepti. Ita communiter. *Nauar. l.22.n.40. Sanch.l.7. diſp.10. & Bonac.de matr. imped. q.3.p.5.*

Dico ſecundo, quod tenentes, & ſuſcipientes in baptiſmo priuato non contrahere cognationem probabilius eſt, quia Concilium videtur loqui de baptiſmo ſolemni in dicto *c.2. ſeſſ.24.* dum Parochi facit mentionem, vt diligenter imparet ab eis ad quos pertinet, quem, vel quos elegerint ad ſuſcipiendum de fonte. Ita noſter *Rodr.p.2. c.226. Sanch.l.7. diſp.62.& Bonac. loc. cit.* nec tamen omnino improbabilis eſt contraria opinio affirmans, quam tenet *Nauar. c.22. & Gutier.c.109. n.9.* nam in præfato cap. Concilium inter baptizantem, & baptizatum ait oriri cognationem non ſpecificando ſacerdotẽ, aut alium baptizantem ſolemniter, vel priuatim, ſed generaliter loquitur de quocumque baptizante, ergo etiam dum ſimul loquitur de tenente, vel ſuſcipiente generice loquitur, quod contrahatur cognatio à tenente, vel ſuſcipiente in quolibet baptiſmo ſeu ſolemni ſeu priuato, quod autem illo cap. moneat Parochum ideo eſt, quia paſſim ſolemniter miniſtratur in Eccleſia.

Vtrum non habens intentionem munus ſuſcipiendi in baptiſmo, vel habens intentionem ſuſcipiendi filium Petri, & tamen ſuſcipit filium Martini contrahat cognationem ſpiritualem.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod cognationem ſpiritualem non contrahit, qui non habet expreſſum actualem, vel ſaltem tacitam, aut virtualem intentionem exercendi munus Patrini, ſeu ſuſceptoris iuxta mentem Concilij, puta ſi ſuſcipiat baptizatũ extrinſecè ſolum ſimulans facere illam cæremoniam, vt faciat rem gratam parentibus baptizati, vel aliis, ſecus eſt ſi noſciat contrahere, & non intendens contrahere cognationem ſpiritualem, intendat facere tamen illam cæremoniam ſuſcipiendi puerum de fonte ſicut eſt inſtituta ab Eccleſia, quia contraheret etiam nolens, nam contrahere cognationem non dependet à voluntate ſuſcipientis iuxta ritum Eccleſię, ſed ab exercitio illius cæremoniæ iuxta intentionem Eccleſiæ, quare ſi vult exercere illam actionem prout inſtitutam ab Eccleſia ſequitur neceſſario cognatio, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale, & volens principale, neceſſario tenet acceſſorium volens, *nolens ex l.is, qui ff.commodati.* Ita etiam *Conninch. de ſacr.diſp.32.dub.2. Reginald.l.30.n.155. Sanch. diſp.58. l.3. Bonac.de matr. imped.q.3.p.5.*

Dico ſecundo, quod credens ſuſcipere de baptiſmo filium Petri, qui tamen eſt filius Martini non contrahit cognationem cum filio Petri, quia ille non baptizatur, nec cum filio Martini, quia cum illo non intendit exercere munus Patrini, & ſuſceptoris. Ita noſter *Villal. in ſum. T.1.tract.14. diff.19. Reginald. Sanch. & Bonac.loc.cit.* contrarium tamen neſcio an probabiliter videtur docere *Baſil. Pontius de matrim.l.8. Conninch. loc.cit.* & alij.

Conſilium tamen optimũ eſt ſuadere ſuſceptoribus vt præſentem puerum leuandi, vel ſuſcipiendi de fonte intentionem habeant Patrini præſcindendo ab eo cuiuſnam ſit filius, ad hoc ne puer ſuo Patrino careat.

Vtrum

Vtrum non confirmatus, & non baptizatus ſuſcipiens, & tenens confirmatum, vel baptizatum reſpectiuè contrahat cognationem.

DIFFIC. IX.

DIco primo Infidelem non baptizatum ſuſcipientem in baptiſmo non contrahere cognationem ſpiritualem, quia cum hæc cognatio dependeat à lege Eccleſiæ, extra quam eſt non baptizatus, non ſubditur eius ſtatutis, quare nec baptizatus, nec eius parentes cum eo contrahunt cognationem ſpiritualem, quia cognatio eſt quædã relatio, & habitudo inter influentes quoquo modo ad baptiſmum, relatio autem ſine termino, vel fundamento non ſubſiſtit, itaque vnus, qui ſit incapax talis cognationis, nec alii poterunt habere cognationis relationem ad ipſum. Ita communiter DD. contra *Archidiaconum de cognat. c. 1. in 6. Vide Henriq. l. 72. c. 3. Coninch. diſp. 32. dub. 2. Rebell. q. 61. Sanch. diſp. 6. Bonac. de matr. Imp. q. 3. p. 5. §. 2.*

Dico ſecundo, quod non confirmatus cognationem contrahat ſi teneat, vel ſuſcipiat baptizatum vel confirmatũ probabiliter videntur velle *Roſella* noſter quem citat, & ſequitur *Molfeſ. in ſum. T. 1. tract. 4. c. 2. Rodriq. p. 1. c. 27. Sot. diſt. 42. art. 1.* & alii, quia licet prohibeatur in c. in baptiſmate non confirmatus ſuſcipere vel tenere, non tamen annullat actum, Vide *Toletum c. 24. & Perez §. 44. fol. 169.* pro hac etiam opinione.

At vero puto probabilius dicendum non confirmatum non contrahere cognationem ſi ſuſcipiat, & teneat in confirmatione, vel baptiſmo confirmatum, vel baptizatum reſpectiuè, quia in præfato *c. in baptiſmate de conſecrat. diſt. 5.* habetur (in baptiſmate, vel criſmate non poteſt alium ſuſcipere in filium ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus) ſed non baptizãs ſuſcipiens non contrahit ex dicto Canone, & communiori Theologorum opinione ergo nec confirmatus. Ita etiam docent noſter *Ang. v. confirmatio §. 11. Coninch. de ſacr. q. 32. art. 7. Henriq. l. 3. c. 3. Rebell. Valentia, Reginald. Filiuc* quos citat, & ſequitur *Bonac. de matr. Imp. q. 3. p. 5. §. 2 qui male ex Syluest.* citat noſtrum *Angelum* pro opinione contraria, vt videre eſt apud ipſum *Angelum §. 11. citato.*

Probabilior ergo videtur iſta opinio quia in c. præfato Põtifex vtitur verbo nõ poteſt ſuſcipere, quod probabilius negare videtur potẽtiam ad actum, atque adeo actus ſi fiat, nullus.

Vtrum ſi in Sacramento baptiſmi, vel confirmationis plures ſimul teneant, vel ſuſcipiant, ſinguli cognationem ſpiritualem contrahant.

DIFFIC. X.

QVia *Conci. Tridentinum ſeſſ. 24. c. 2.* loquitur deſignatos à Parentibus, vel alijs curam habentibus, & à Parocho admiſſos ad ſuſcipiendum contrahere cognationem ſpiritualem quæſtio poteſt fieri, an forte multi non deſignati à Parentibus, vel non admiſſi a Parocho ſi teneant, contrahant, vel ſi multi deſignati à parentibus, & admiſſi à Parocho vt teneant etiam contrahant, quare per diſtinctas concluſiones reſpondendum.

Dico ergo primo, quod aſſerunt aliqui plures non deſignatos, nec admiſſos à Parentibus, & Parocho reſpectiuè, ſi ſimul ſuſcipiunt in ſacramento Baptiſmi contrahere cognationem ſpiritualem, ex eo quod Concilium in præfato loco prohibet ne alij præter deſignatos ſuſcipiant, non autem prohibet, quod non deſignati multi nõ poſſint ſuſcipere, quod probant, quia de iure antiquo multi non deſignati ſuſcipientes ſimul contrahebant cognationem, vt videre eſt *in cap. fin. de cognat. ſpirit. in ſexto.* & iure nouo hoc non prohibetur in *Conc. Trid.* ergo ſtandum eſt iuri antiquo, quando nouo iure aliquod expreſsè non innouatur ex *l. præcipimus c. de appel. lat.* Ita videntur velle *Nauar. c. 22. nu. 39. Reginald. l. 31. n. 152. Henriq. l. 11. nu. 3. Bonac. de matr. imp. q. 3. p. 5. §. 2.*

Attamen *Suarez 3. p. q. 57. ar. 8. Gutier. c. 100. n. 7. Sanchez diſp. 57. l. 7. de matr. Filiuc. tract. 10 p. 2. c. 5. q. 7.* & alij abſolutè negant, & iure optimo, quia expreſſa mens Concilij videtur eſſe vt duo ad ſummum teneant, vel ſuſcipiant ſc. vnus, & vna, & iſti debent eligi à Parentibus, & admitti à Parocho, poſt hanc diſpoſitionem factam, declarat Concilium alios, vltra deſignatos non contrahere cognationem ſi ſuſcipiant, per hæc verba formalia, (quod ſi alij, præter deſignatos baptizantem tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant) ergo non deſignati, vel plures ſint, vel vnus, & vna non contrahunt cognationem ſi ſuſceperint ſimul, & non obſtantiam ponit aliarum conſtitutionum in contrarium facientium. Quare

Dico ſecundo, probabile eſt quod plures deſignati à Parentibus, quam duo non contrahere cognationem dicendi ſunt, quia vere Concilium ex verbis modo relatis ſtatuit cognationem non contrahi ab alijs non deſignatis, ſed deſignati ſunt ſolum ad ſummum duo per Concilium, ergo per Concilium ſolum duo contrahunt cognationem. Ita Suarez, & alij, vnde falſum eſt, quod ait Bonacina Concilium non irritare cognationem, ſi plures deſignati tangant ſimul, ſed ſolum puniendũ Parochum ab Ordinario, nam poſtquam declarauit nullam cognationem, ſi alij, à deſignatis tangant cum non obſtantijs conſtitutionum ponit etiam pœnam infligendam Parocho, ſi aliud permittat fieri, neque enim rationabiliter poteſt intelligi, quod Concilium aliorum qui non ſunt deſignati annullet cognationem, ſi ſuſcipiant, & non plurium, quam duorum vltra deſignatos non annullet cognationem, ſi ſuſcipiant, cum æquè à Concilio præcipiatur ſc. ne plures, quam vnus, & vna, & iſti à Parentibus deſignentur, & à Parocho admittantur, ergo ſicut alij à non deſignatis non contrahunt, ita nec ſi plures, quam vnus, & vna ſuſcipiant contrahunt cognationem.

Dico tertio, quod idem dicendum eſt pariformiter de ſuſcipientibus in Sacramento confirmationis, in quo Cõcilium ſtatuit, quod vnus ſolum teneat, quod ſi plures, cognationem non contrahere dicendum eſt, loquitur enim per verbum negatiuum,)non egrediatur, quod actus nullitatem extra vnum tenentem denotat; & Concilium Tridentinum ſicut reſtrinxit cognationem in baptiſmo, ita & in confirmatione.

Ex qua doctrina ceſſant dubia multa à modernioribus poſita an ſc. quando à Parentibus multi deſignantur, & vnus & vna admittantur à Parocho, quod certum eſt admiſſos à Parocho ſolum contrahere, ita etiam econtra ſi Parentes duos deſignauerint, & Parocho plures admiſerit, quia ſolum deſignati à Parentibus, modo ex iuſta cauſa Parochus eos non reiecerit, contrahunt, quia ad Parentes, non ad Parochum ſpectat eligere, bene tamen admittere electos ſpectat ad Parochum ſi idonei ſint, & repellere, ſi idonei non videantur, & ideo ex multis deſignatis à Parentibus ſolum vnus, & vna admiſſi à Parocho contrahunt, & ſi vnus, & vna deſignentur à Parentibus, & multi à Parocho admittantur, ſolum vnus, & vna contrahunt.

Ex quibus etiam patet non contrahere cognationem duos diuerſi ſexus deſignatos à Parentibus ſi ſuſcipiant, vel admiſſi, vel non admiſſi fuerint à Parocho, quia vnus, & vna à Cõcilio deſignari iubentur, & non plures, quicquid Bonac. & alij contra proclament, quia Concilium intendit in illo ca. remouere pluralitatem cognationum.

Attamen hodie videtur à Sacr. Congregatione in Aquenſi 10. Martij 1631. apud Gellium admittere quod plures quam duos, ſi fuerint deſignati à parentibus, & admiſſi à Parocho ſi tangant ſinguli contra heres iuere cognationem ſpiritualem, vide Gellium de canon. ſelec. c. 22. n. 50. quod ſi hęc ſit authenticum declaratio priori opinioni omnino adhærenda, & Bonacina ſequendus.

Vtrum ſit peccatum mortale deſignare, vel admittere plures Patrinos, vel ſuſceptores contra Concilij præceptum, & an Epiſcopus poſſit in tali pluralitate diſpenſare.

DIFFIC. XI.

DIco primo, quod videtur negare *Sanch. l. 7. diſp. 57.* peccare mortaliter adhibentem plures Patrinos, vel ſuſceptores in Sacramento Baptiſmi, & confirmationis, attamen probabilius eſt dicendum peccare mortaliter, quia faciunt in re graui contra præceptum Concilii, quod ita diſtrictè mandat in Baptiſmo, vt vnus, & vna teneant, & vnus ſolum in cõfirmatione. Ita noſt. *Rodriq. p. 1. c. 216. & Vegha p. 1. c. 33. caſ. 39. & Bonac. de matr. imp. q. 3. p. 5. §. 2.*

Dico ſecundo, quod Epiſcopus non poteſt diſpenſare contra dictum decretum Concilii, quia Epiſcopus non poteſt in iure poſitiuo à Superiore lato, Concilium autem eſt ſuperius Epiſcopis, quare non poteſt diſpenſare Epiſcopus, vt in Baptiſmo duo maſculi, vel duæ fœminæ, nec plures, quam duo

vnus

Digitized by Google

vnus ſcilicet vna, & in confirmatione duo ſuſcipiunt, & ita declaratum etiam fuiſſe à Sacr. Congregatione Eminentiſſimorum teſtatur *Rebell. in declarat. Cardin. n. 82.*

Quid ſit cognatio legalis, & in quoto gradu impediat Matrimonium.

DIFFIC. XII.

Dico primo, quod cognatio legalis eſt propinquitas qnarũdam perſonatum ex adoptione vel arrogatione ex Scoto in 4. diſt. 42. quid autem ſit adoptio, & arrogatio, & quænam conditiones requirantur vide ſupra V. Adoptio; hodie tamen adoptio, & arrogatio confunduntur, verum eſt tamen, quod Adoptio alia dicitur perfecta, & eſt propriè arrogatio, quæ fit per ſolum Principem, & Adoptatus tranſit in poteſtatem Adoptantis, Adoptio vero Imperfecta fit per quemlibet Magiſtratum, nec Adoptatus tranſit in perfectam poteſtatem adoptantis.

Dico ſecundo, quod cognatio legalis contrahitur primo inter Adoptantem, & Adoptatum, & Adoptati deſcendentes vſque ad quartum gradum 2. inter Adoptatum, & Vxorem Adoptantis, econuerſo inter vxorem adoptati, & Adoptantẽ. 3. inter filios Adoptantis, & Adoptatum.

Itaque in cognatione legali triplex inſtitui poteſt linea. 1. eſt recta inter Adoptantem, Adoptatum, & filios Adoptati, 2. tranſuerſalis inter Adoptatum, & filios carnales Adoptantis. 3. per modum cuiuſdam affinitatis inter Adoptantem, & vxorem Adoptantis. Ita communiter.

Dico 3. quod in linea recta cognatio legalis impedit, & dirimit inter adoptantem, & ad optatum, & filios adoptati vſq; ad quartum gradum, quæ cognatio ſemper dirimit, licet Adoptio ſoluatur, vt habetur ex c. diligere 30. q. 3.

2. Impedit, & dirimit Matrimonium inter Vxorem Adoptantis, & Adoptatũ, & inter vxorem Adoptati, & Adoptantẽ quæ etiam perpetuo dirimit, licet Adoptio ſublata fuerit, vide *Sanch. Bonac. & Coninch.* locis in ſuperioribus diffic. cit.

3. Impedit inter filios, & filias Adoptantis, & Adoptati ſiue Adoptatæ, quæ cognatio durat ſolum quandiu filii, vel filiæ Adoptantis exiſtunt ſub poteſtate Adoptati *ex c. 1. extra de cognat.* Vnde ſi filii Adoptantis emancipentur, & Adoptãs moriatur, poterunt contrahere cum adoptata, ex *c. l. fin. de Adoptionibus*, ita *Riccardus, & D. Bonac. n. 4. diſt. 42.* & Doctores citati. Quare.

Dico quarto, quod cognatio legalis nulla eſt inter filium Adoptantis, & filium Adoptati, quia nulla cognatio eſt inter eas. Ita *Ang. noſter V. matr. imped. 3. Sanch. diſp. 63. et Bonac. loc. cit.*

An vero ſi fuerint plures adoptati ab eodem inter ſeſe cõtrahere valeant affirmant noſter *Ang. loc. cit. & Rebell. p. 2. l. 3. n. 7. Sanch. de matr. diſp. 41. & Diana 4. p. tract. 4. reſol. 121.* & *Bonac. de matr. imp. qu. 3. p. 5. §. 3.* quia nulla naſcitur inter eos cognatio legalis.

Contrarium tamen putant *Petr. Ouocogauia de ſacr. tract. 3. q. 58. et Ledeſm. de matrim. q. 57. ar. 5.* volentes inter eos adeſſe cognationem adoptionis.

Fortè conciliari poſſent hæ duæ opiniones, quod 1. ſit vera de Adoptatis largo modo, non de Adoptatis ſtricto modo, qui propriè arrogati dicuntur in iure, inter quos Hoſtienſis docet adeſſe impedimentum, quandiù ſint in poteſtate Arrogantis.

Dico 6. quod Cognatio legalis inter filiam illegitimam Adoptantis, & Adoptatum nulla ſit, & conſequenter Adoptatus poſſit contrahere licitè cum illegitima adoptantis tradunt noſter *Vuorrilin in 4. diſt. 42. & Vngar. apud Angel. loc. cit. ſch. 6. in fin.* quod vidētur etiam ſentire *Nauarr. c. 32. n. 45. Sanch. diſp. 63. Henriq. l. 12. & Bonac. loc. cit.* & ratio, eſt, quia illegitimi non dicuntur eſſe ſub patria poteſtate, vt notant *Innoc. & Hoſtienſ. in c. vn. de cognat. leg.* & habetur *inſtit. de nup. §. vlt.* contrarium tamen ſentiunt noſter *Ang.* & alij, ſed probabilior prima opinio videtur, quia ſolũ filij legitimi, vtpotè ſub patria poteſtate cognationem legalem contrahunt ratione adoptionis factæ à Patre.

Quare ſi filii adoptantis non ſint in patria poteſtate non contrahunt cognationis impedimentum cum Adoptato, vt dictum eſt ſupra, & quia mulier non dicitur filios habere ſub patria poteſtate, & per conſequens filia non poteſt tranſire in patriam poteſtatem adoptantis matrem ſuam, & ipſa filia poterit contrahere cum adoptante matrem, quia nullam in ea patriam poteſtatem habet ratione matris adoptatæ, vnde nulla inter eos cognatio, ex l. ſi Pater ff. de adopt. ſecus eſſe dicendum de filia filii Adoptati, quæ erat in poteſtate Adoptati, quando tranſiuit in poteſtatem Adoptantis, quia etiam eius filia tranſiret cum Patre in poteſtatem Adoptantis, & conſequenter non poſſet adoptans cum ea contrahere, quia verè inter eos adeſt cognatio legalis. Ita *Angel. Sanch. Nauar. et Reginald. locis ſupra cit.*

Dico ſeptimo, quod cognatio legalis ſuperueniens Matrimonio iam contracto non impedit petitionem Matrimonii, cum nullo iure impediri reperiatur, & in pęnalibus nõ eſt facienda, extenſio. Ita *Sanch. diſp. 63. num. 20. & Bonac.* licet hic contrarium etiam ſuſtineri probabiliter doceat *loc. cit.*

Attamen ſponſalia diſſolui ſuperueniente cognatione legali affirmandum eſt, quia impedit, ne matrimonium contrahi poſſit de facto. Ita etiam *Sanch. et Bonac. loc. cit.*

Dico octauo, quod cognatio legalis adoptionis nulla eſt inter infideles dirimens, vel impediens matrimonium, quia hoc impedimentum ſolum oritur ex ſtatuto Eccleſiæ, non autem ex natura rei, ſtatuto autem Eccleſiæ non ſubduntur infideles, quare ſi poſt contractum Matrimonium cum præfato vinculo adoptionis conuertantur, non ſunt ſeparandi, quia Matrimonium eorum validum fuit. Ita *Couar. 3. p. c. 6. §. 5. Bebell. l. 3. q. 7. Henriq. Sanch. et Bonac. loc. cit.*

Vtrum intentio Patris baptizandi quod tenens ſuum filium in baptiſmo non contrahat ſecum cognationem ſpiritualem impedire valeat effectum talis cognationis.

DIFFIC. XIII.

Negatiuè reſpondendum, modo tenens ſit deſignatus à parentibus, & à Parocho admiſſus, & vere teneat filium in baptiſmo, quia voluntas mala extrinſeca non poteſt impedire effectum dependentem à cęremonia Eccleſiaſtica Hinc ſi Pater deſignauit Roſam cum qua Petrus deſignatus etiam ad tale munus nollet accedere ad tenendum, ſi Pater diceret ei, ne cures, quia ne illi præiudicium faciam, volo deſignare etiam Laurum cum Roſa, ſed curabo cum Parocho ne Roſa teneat ad baptiſmum, ſi poſtea ex inaduertentia Roſa tangat, & teneat contra voluntatem Patris, declarat. *Sacr. Congreg. in Aquenſi. 10. Martij 1621. apud Sellum loco cit. cap. 22. n. 50. quod Roſa contraxerit cognationem.*

Collegium.

Quid ſit, & quot faciant Collegium, & eo deſtructo ad quem eius bona, & priuilegia deuoluantur.

DIFFIC. Vnica.

Dico primo, quod Collegium dicitur ex eo, quod multi ſimul colligũtur, & regulariter non poteſt fieri collegium propria authoritate, nam ex Barth. in l. fin. ff. de collegio omnia collegia dicuntur illicita, niſi inueniantur conceſſa, hinc quæ fiunt cauſa Religionis, vel ratione alicuius Artis honeſtę facilè permittuntur, & conceduntur, in quibus iam conceſſis, poſſunt collegiati facere ſibi vnum Rectorem cui obediant, & Syndicum, & Adminiſtratorem Rerum, niſi aliud in priuilegio conceſſionis caueatur.

Aduertendum ſpecialiter, quod hodie maximè in Regno Neapolitano non poſſunt huiuſmodi Collegia, ſeu conuentus ſæcularium fieri ſine aſſenſu Regio. Vide Nald. V. collegium.

Dico ſecundo, quod duo, vel tres faciunt collegium ex c. 1. de elect. Tres autem requiruntur neceſſario de iure ciuili ex l. Neratius ff. de verb. ſignific. & nil mirum ſi ſolum duo, vel tres faciunt collegium, quia in ſtricto rigore decem homines faciunt plebem, ex c. vn. 10. q. 3. & decem oues faciunt gregem l. oues, & quinque equi faciunt armentum, ex l. omnes ff. de Abige.

Nota etiam hic, quod collegium differt à Societate, quia ſocietas morte vnius Socii ſoluitur, ex l adeo ff de ſolut. at vero Collegium vt dictum eſt verbo Cardinalis in vno poteſt remanere, ex l. ſicut in fin. ff. quod cuiuſque iuri.

Dico 3. quod ſi Collegium deſtruatur, de bonis, quæ in ipſo ſunt, vnuſquiſque debet ſuam patrem accipere, ex l. 1. §. fin. ff. de

de collegio, & ex c. de lapſis 16. q. 6. de iis autem, modo ea bona contulerint ipſi de colleg. nam de bonis, quæ donantur, vel legantur vniuerſitati, non poſſunt accipere, faciti l. ſicut §. ſi quid ff. quod cuiuſcunque vniuer.

Priuilegia vero deſtructo collegio authoritate ſuperioris annullantur, ſi vero Collegium deſtruantur, quia collegiati expulſi violenter, vel mortui ſunt, priuilegia remanent eccleſiæ, vel loco collegii quod intellige ex noſtro Vngar. v. Collegium ſch. Lex Panor. ſi ius collegii ſit collatum loco, vnde ſi collegiati deſint propter peſtem, bellũ, vel aliam cauſam priuilegia remanent apud locum, etſi Collegium ſit ſæculare, remanent priuilegia apud ciuitatem.

Nota hic etiam obiter, quod Collegiati inſignis præcedat aliis non inſignibus etiamſi prius fuerint erectę ex Sac. Cõgreg. Rit. inform. 24. Maii 1612. Adde quamuis ſine præiudicio alterius erecta fuerit, Ita eadem *Sac. Congr. in Nolan. 20. April. 1602. et in Nullius ſiue firman. 23. Martij 1602. Apud Sellium in canon. ſelect. c. 24. n. 33.*

Columba.

Nota hic Columbę formã ſicut nec Agni, nec oiculæ nũquã apprehendiſſe Diabolũ, teſtatur Mart. Delrius diſq. Mag. l. 2. q. 26. & q. 28. ſect. 3. quod intellige, poſt Chriſti aduentum ob reuerentiam Chriſti, & Spiritus ſancti, &c.

Commodatum.

Quid, & quotuplex ſit Commodatum, & an res vſu conſumptibiles commodato ſubiaceant.

DIFFIC. I.

COmmodatum iuxta ſui nominis ęthimologiam ex noſtro Vngarello verbo commodatum ſch. A. dicitur quaſi vtentis cõmodo datũ, quare pro ſua diffinitione quid ditatiua.

Dico primo, quod commodatum eſt alicuius rei ad aliquem ſpecialem vſum gratuita facta Conceſſio. Ita noſt. Angel. loc. citat. ex gloſ. in cap. vnic. de commod. dicitur ergo Commodatum gratuita facta conceſſio ad differentiam mutui, quod non conceditur ſolum, ſed verè transfertur dominium, in commodato autem dominium remanet in Commodante, dicitur autem gratuita ad differentiam locati, quod non datur gratis; dicitur ad ſpecialem vſum ad differentiam Depoſiti, quod non conceditur ad vſum, & ad differentiam precarii, quia precarium non datur ad vſum ſpecialem, nec ad tempus ſpeciale, cum precario quis poſſit vti ad omnem vſum, & quocumque tempore poteſt repeti à dante, commodato autem non poteſt commodatarius vti niſi pro eo, pro quo ſpecialiter conceditur, non tamen poteſt repeti ad voluntatem concedentis, niſi ipſe æquè indigeat, de quo forte infra, ſed tempore ſolum determinato, quando traditur. Ita communiter Doctores, *Ang. vbi ſupra Rodriq. p. 1. c. 111. Gomez 2. var. c. 7. Molin. de contr. diſp. 294.* Rebel. *lib. 16. quæſt. vn. Azor. 3. p. l. 3. c. 5. de commodato, Filiuc. tract. 34. c. 8. qu. 7. & Bonac. de contract. diſp. 3. q. 16. punct. vn.* & alii. Quod ſi commodatum pro mercede detur, tranſit in rationem locati, vel conducti, vel in cõtractum innominatũ, do, vt des, facio vt facias.

Dico ſecundo, quod commodatum triplex ſolet aſſignari; primo enim fit gratia commodantis tantum, vt ſi Maritus commodet Vxori veſtes, & torques aureas, & cætera pretioſa, quorum dominium non vult transferre, ſed tantum vſum ſpecialem pro aliquo tempore puta Nuptiarum, vel feſtiuitatum, ad hoc vt ornatior ad ſuimet commodantis gloriam, & pompam procedat. Secundo, fit commodatum gratia ſolius commodatarii, puta quando commodatur Equus, vt commodatarius pro ſuis negotiis ad aliquem locum equeſter accedat. Tertio, fit commodatum gratia vtriuſque ſcil. tam commodantis, quam Commodatarii, puta ſi commodetur Equus alicui, qui propter ſua, & commodantis etiam negotia peragenda ad aliquem locum equeſter accedat.

Dico 3. quod regulariter commodatum conſiſtit in rebus mobilibus, & immobilibus; an vero mobilia, quæ vſu conſumuntur, & expenduntur, vnde in dominium neceſſariò tranſeunt, cadant ſub commodato, puta vinum, oleum, frumentum, pecuniæ, & conſimilia, diſtinguendum videtur. nam ſi ſolum ad vſum dentur, non poſſunt cadere ſub commodato, neque commodari aliquo modo dicuntur, cum hæc tranſeant in dominium recipientis, at vero ſi ſolum conceduntur ad aliquem vſum ſpecialem puta ad pompam, & oſtentationẽ, quia non tranſeunt in dominium accipientis, cadere poſſunt ſub commodato, ſicut narrat noſt. Vngar. vbi ſupra ſch. A. de quodam Iuuene qui matrimonium cupiebat inire cum puella diuites multam pecuniam commodato accepit, & repoſitam eã in arca ſua monſtrauit amicis ſuis, & amicis, & conſanguineis puellę, vt eam habere facilius potuiſſet in vxorem, quod autem ad pompam, & oſtentationem cadere poſſunt ſub commodato præfata vſu conſumptibilia, vel expendibilia, habetur ex *l. ſed mihi §. vlt. ff. de commod. Ita etiam Ang. loc. cit. §. 6.*

Vtrum Commodatarius poſſit vltra præfixum tempus vti re commodata, & an commodans poſſit ante præfixum tempus reuocare commodatum.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod licet noſt. *Vngar. ſchol. I.* velit, quod cõmodatarius etiam inuito Domino poſſit vti re commodata poſt præfinitum tempus, quando intra præfinitum idem tempus vti abſque ſua culpa non potuit; & non improbabiliter ex eo, quod Commodatum datur ad vſum, non ergo finitur tempus, ſi vſum eius non habuerit commodatarius, non ergo intelligitur commodatum reuocari, niſi vſus expleatur, quia tempus præfinitur ratione vſus, ergo tempus tunc finitur, quando finitur vſus, attamen probabilius forte alij volunt, quod ſi conſenſus Domini tacitus ſaltem interuenerit, puta, quia commodatarij eſt amicus familiaris commodãs certum eſt poſſe vltra præfinitum tempus commodatarium vti re Commodata, dunec eius neceſſitas, vel indigentia adſit, actu nõ reuocetur, quod ſi inuitum dominum cognoſcat commodatarius non poſſe ea vti vltra præfinitam tempus, licet ea intra præfinitum tempus non ſit vſus docent *Angelus §. 5. Sylu. V. commodatum n. 4. Tabiena 16. n. 3. Lopez l. 2. de contr. cap. 35. Sanch. de commod. diſp. 12. q. 14. & alij.*

Dico ſecundo, quod certum eſt, quod ſi Commodans pro tali tempore præfixo præuidit, vel ſaltem probabiliter dubitauit, quod intra præfinitum indigeret ſua re, & tamen voluit commodare, non obſtante præ viſione ſuæ indigentiæ intra præfinitum tempus, non poteſt inuito commodatario intra præfinitum tempus rem commodatam, ſi indigeat reuocare, quia cum tali præ viſione dum commodatur, liberaliter iam cenſetur velle gratis etiam pati tale incommodum in gratiam commodatarii. Secundo certum eſt, quod ſi intra præfinitum non poteſt rem ſuam commodatam Dominus reuocare contra voluntatem Commodatarii ſine onere ſatisfaciẽdi damno, quod paſſus eſſet commodatarius pro tali reuocatione, Commodans enim cõcedit vſum rei ſuæ vſque ad prę finitum tempus, intra quod tali vſu ſpoliatur, & commodatarius legitimè fit Dominus talis vſus, contra iuſtitiam ergo Commodans ſi ſpoliat vſu tali commodatarium peccat, tenetur ergo ſatisfacere damno, quod commodatarius paſſus eſt. Ita ex noſtro *Angelo loc. cit. & Molin. diſp. 244. Bonac. in parte de contr. diſp. 3. qu. 16. punc. vn. & Fauit. loc. cit.*

Quod ſi res commodata fuit indifferenter ad placitum cõmodantis, tunc ſanè reuocari poteſt, ſed tunc propriè non dicitur commodatum, ſed præcarium; an vero irrationabiliter in hoc repetens, & cum damno poſſidentis rem ſub precario datam, teneatur ad damnum videbimus ſuo loco; quod ergo in præſenti difficultatur magis eſt, an quando Commodans non præuidit ſibi malum, vel damnum nullum ſubſecuturum ex tali Conceſſione rei ſuæ intra præfinitum aliquod tempus, ſi poſtea ex inopinato indigeat, poſſit cum damno æquali, vel maiori commodatarij rem ſuam reuocare. pro quo

Dico tertio, quod licet Nauar. c. 17. nu. 182. abſolutè neget poſſe Commodantem repetere rem ſuam commodatam, qua indiget intra præfinitum tempus Conceſſionis, quia quilibet cum proprio damno tenetur ſtare promiſſis, nec ſibi ait eum magis debere, quando gratis ſe ſuę rei vſu ſpoliauit; Ita etiam videtur velle Reginald. lib. 15. n. 472.

Attamen rigidiuſculè videtur loqui Doctor iſte ſenex contra commodantem, benignius ergo alij, vt notat Angel. §. 4. in vtroque foro poſſe repetere rem ſuam ex inopinato egentem commodantem, licet Commodatarius æquale damnum patiatur, alii vero quod ſolum in foro conſcientiæ in tali caſu

inopi-

inopinatæ indigentiæ poſſit repetere rem ſuam commodans, non autem in foro fori. Ita Sylu.n.4. Molin.loc.cit & Leſſ.l.2. c.27.dub.5., ſed quicquid ſit de foro fori; concordant iſti cum noſtro Angelo in foro conſcientiæ poſſe commodantem in tali caſu rem ſuam repetere etiam cum æquali damno Commodatarii, quam opinionem etiam docent Bonac. & Fauſtus loc.cit. quia Commodatio intelligitur facta citra præiudicium commodantis, & cum conditione, modo infra præfinitum tempus non indigeat ipſe commodans, nemo enim præſumitur re ſua ſe velle priuare, dum ea indiget, niſi exprimatur ſe hoc velle pati damnum in gratiam commodantis.

Itaque ex hac ratione parum probabiliter videtur fuiſſe locuti noſter *Rodriq.p.1.c.111. Lopez.c.33 & Garzias lib.1. de contr.c.106. qui volunt opinionem Nauarri*, poſſe amplecti in caſu, quo tempore conceſſionis rei cōmodatæ ad fuiſſet alius, qui commodatario rem eamdem commodaret, vel ſi ſciuiſſet Commodatarius rem repetendam intra præfinitum tempus noluiſſet acceptare à commodante rem talem, nam hæ conditiones admodum extrinſecæ ſunt ad rationem poſitam pro ſecunda opinione, nec euacuant præiudicium commodantis, qui ſub conditione ſolum rem ſuam tradit, modo ipſe non indigeat, & conditiones iſtæ poſitæ à præfatis Doctoribus non probant intentionem commodantis eſſe velle ſe ſua re priuare tempore indigentiæ, maximè cum præſupponatur facta commodatio in gratiam ſolius commodatarii, nec valet ſi dicatur, quod ſtantibus hiſce conditionibus potior eſt conditio poſſidentis vſum rei commodatæ, nam nulla eſt poſſeſſio contra voluntatem, & præiudicium cōcedentis ſub conditione, & citra ſuum præiudicium.

Quod ſi in gratiam vtriuſque commodantis, & commodatarii ſit facta conceſſio rei, in hoc caſu præfati Doctores verum dicunt, quia aliundè commodatarius ſuis negotiis conſuluiſſet, & rem commodatam ab eo non ſumpſiſſet.

Quare ad rationem Nauarri dicendum eſt, tunc ſtandum promiſſis etiam cum proprio damno, quando exprimitur in pacto, quod etiam cum damno non ſit repetiturus, promiſſio .n. abſolutè facta intelligenda cum conditione, modo res, & perſona in eodem ſtatu permaneat, hinc promittens alimēta vſque ad decem annos, ſi ipſe promittens indigeat infra hoc tempus, non tenetur, quia perſona in eodem ſtatu non permanet.

Nec valet ſi dicatur, quod quis non poteſt mutare Conſilium in alterius detrimentum, Reg. iur.33. in 6 nec donatio facta poteſt reuocari, licet indigeat donatarius, quia transfertur abſolutè dominium, & vſus rei, non ſic in commodato, in quo vſus rei ſolum conditionatè traditur implicitè ſaltem, dominium autem remanet apud commodantem.

Vtrum commodatarius vtens re commodata ad alium vſum, quam ab eo fuerit res poſtulata, & à commodante conceſſa, peccet, & ad reſtitutionem teneatur.

DIFFIC. III.

Diſtinguunt Doctores, nam vel vtitur in dicto caſu re cōmodata cum beneplacito ſaltem virtuali, & implicito domini, puta quia probabiliter commodatarius ſciebat non diſpliciturum Domino, ſi re ſua ad alium vſum adhiberet, & in hoc caſu non peccat, nec ad vllam tenetur reſtitutionem, quia non vtitur re contra Domini voluntatem, nec inuito, vt aiunt Domino.

Quod ſi cognoſcat Domino diſpliciturum, ſi rē ſuā ad aliū vſum conuertat, ſanè peccat, & ad reſtitutionē tenetur, quia rem alienam attrectat inuito Domino. Ita communiter.

Ita ſi dubitet probabiliter Domino diſpliciturū, adhuc peccat, & tenetur ad reſtitutionem rem commodatam conuertēs ad aliū vſum, quia in dubio dominus præſumitur inuitus, & in dubio ſtandum eſt pro domino. Ita etiam Ang. noſt. Lop.l. *2. de contr.c.47. Molin.diſp.296. & Fauſt.q.13.diſ.12. de contr.*

Vtrum commodans rem vitioſam abſque præmonitione vitij, teneatur commodatario ſatisfacere, ſi quod damnum ex ea ſit paſſus, & an in infinitum, vel ſolum pro prima vice.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod ſi ſcienter rem vitioſam abſque præmonitione aduertenter commodauit, puta equum rebellē, vel vaſa malo odore, vel mala qualitate imbuta, vnde damnum ſequatur commodatario, ſanè cum cauſa ſit damni, peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ſecus ſi ignorabat vitium, vel nō aduertit, vel oblitus eſt citra omnem dolū monere de tali vitio, quia excuſaretur ab inaduertentia, & obliuione, & Commodatarius potius de ſe ipſo conqueratur, quia debebat eum interrogare, an res commodata alicui ſubiaceret vitio, hoc enim exquirere ſolent diligentes commodatarij, itaque Commodans in caſu inaduertentiæ, obliuionis, & ignorantiæ non peccat, nec ad aliquid tenetur; ex *l. ſi rebus poſſunt, & §. item, ſciens ff. de commod.*

Nec obſtat, quod aliqui volunt, non teneri Commodantem, etiam ſi ſciat, aperire vitium rei ſuæ commodatario, quia non tenetur rem ſuam vituperare, & ipſi imputandum, quod non faciat diligentiam inquirendi vitium, nam vt optimè notat noſter Vngarell., Commodatio eſt beneficium, quod fit commodatario liberaliter, beneficium autem eſt actio beneuola gaudium tribuens capienti; ergo ex vi actionis dandi beneficium talis commodationis tenetur gaudium, non damnum inferre commodans, alias non commodaret, ſed damnum daret.

Dico ſecundo, quod in præfato caſu commodans ſcienter rem vitioſam non tenetur in infinitum ad damnum, quod paſſus eſt commodatarius ex vſu rei vitioſæ commodatæ, puta ſi lignum, quod cognoſcit intrinſeca carie violatum commodet ad reparandam, vel ſubſtentandam domum ruinam minantem, tenetur pro prima vice ſolum ad ruinam domus, ſi lignum, quo ſubſtentabatur, frangatur ex tali vitio; non autem tenetur ad damnum penſionum ſoluendarum, quas Dominus, quot annis habiturus eſſet ex locatione talis domus in infinitum. Ita noſt. *Rodriguez part. 1. cap. 111. & Lopez l.2. de contract. cap.35. & Fauſt. quæſt.15. diſput. 12. de contract.* Sed de hoc vide verb Reſtitutio, quando etiam damnum extrinſecum eſt reſtituendum.

Vtrum ſi res citra culpam deterioretur, aut pereat caſu fortuito, domino pereat, an commodatario.

DIFFIC. V.

Dico primo, quod in tribus caſibus ſolam Commodatarius tenetur ſi caſu fortuitò præciſa omni culpa ad damnum reſarciendum Commodanti ſi res ſua pereat, vel deterioretur, Primo ſi id in pactum fuerit deductum ab initio; Secundo ſi mora præceſſiſſet caſum fortuitum ideſt, ſi poſt præfinitum tempus non fuerit reddita, & aduenerit deteriorario, vel amiſſio rei, exacto enim tempore tacitó, vt ſi ad deſcribendum commodetur liber, tempus tacitum, ſeu terminus tacitus eſt, vt reddatur ſtatim atque liber eſt deſcriptus, vel exacto tempore expreſſo decem dierum, ſi non reddatur dicitur eſſe in mora reddendi. hinc ſi poſt hoc tempus tacitum, vel expreſſum res non reddita deterioretur, vel pereat, commodatarius ad damnum tenetur.

Aduerte autem ad hoc, vt commodatarius dicatur eſſe in mora reddendi, non requiritur vt commodans rem ſuam requirat, ſed ſtatim ac tempus expreſsè, vel tacitè præfinitum elapſum eſt, ſtatim tenetur commodatarius reddere, & dies illa, in qua elapſum eſt tempus interpellat pro Commodante iuxta illud proloquium, dies interpellat pro homine.

Demum tertio tenetur commodatarius etiam ad damnum, ſi res commodata vel pereat, vel deterioretur culpa commodatarij, puta ſi ad aliud re commodata vteretur, puta ſi equus commodatus fuiſſet pro eundo ad Villam, & tamen ad Ciuitatem aliam longinquam ductus fuit, vel quia Equum nō bene cuſtodiuit, vel maiori pondere lōgiori itinere onerauit, in hiſce, & ſimilibus caſibus Equus Cōmodatus ſi pereat, vel deterioretur, Commodatarius tenetur ad damna. Quare,

Dico ſecundo, quod ſi abſque culpa, abſque mora, & abſque pacto res commodata pereat, vel deterioretur in manu commodatarii non tenetur de damno commodatarius, quia res commodata non tranſit in dominium commodatarii, ſicut res mutuata tranſit in dominium mutuatarii, ſed rei commodatæ dominium remanet penes cōmodantem ergo ſi periit, vel deterioretur ſine culpa, & mora commodatarii, vel pacto, vt explicatum eſt, Domino commodanti periit. Ita cōmuniter Doctores in ſuperioribus difficultatibus citati.

Digitized by Google

Quare ſi abſque culpa commodatarii Equiis puta commodatus ad agitationem Taurorum, vel ad bellum cornu, vel lancea periret, ad nihil teneretur commodatarius, quia cum fortuito perit in eo caſu, ad quem accommodatus fuit, vel etiam fulmine, hoſtium incurſione, & ſimilibus caſibus fortuitis periret, vel deterioretur, dum intra tempus præfinitum ad vſum illum rem adhibet, ad quem fuit commodata ad nihil tenetur præciſa omni culpa.

Vtrum ſi eodem caſu fortuito res peritura fuiſſet apud Dominum, quid ſi res commodata tradatur æſtimata, teneatur commodatarius de caſu fortuito.

DIFFIC. VI.

Dico 1. quod non tenetur ad aliud commodatarius, quãdo vltra tempus præfixum abſque voluntate domini vſus eſt re commodata, & caſu fortuito periit, vel deterioratur, ſi eodem modo apud ipſum peritura fuiſſet, niſi ad aliquid intereſſe, quod propter moram, & propter vſum vltra tempus, vel modum præfixum exiſtimari debet, quia in hoc euentu commodatarius non contrahit maiorem obligationem Domino ſatisfaciendi, quam pro intereſſe, quod paſſus eſt ratione moræ, aut vſus eius vltra tempus, vel vtendi modum conceſſum, nam quoad damnum rei perditæ, vel deterioratæ, ſi eodem modo fuiſſet apud Dominum peritura, nõ influit commodatarius, nec eius damni cauſa poteſt dici, ergo non tenetur ad aliud intereſſe. Ita communiter *Ang. noſt. vbi ſupr. Nauarr. c. 17. c. 179. & 183. Couar. in reg. peccatum p. 2. § 6. nu. 1. et 2. Molin. diſp. 295. & alii.*

Quare ſi res commodata periit ex caſu fortuito communi puta hoſtium incurſione, fluminum inundatione, vnde propter eamdem rationem, & cauſam periiſſet, ſi apud commodantem fuiſſet res ſua, ad nihil tenetur commodatarius niſi ad intereſſe ratione moræ, vel vſus alterius contra voluntatem Domini.

Dico ſecundo, quod licet *Gomez T. 2. var. reſol. c. 7. n. 12.* velit rem commodatam, ſi tradatur æſtimata, perire, & deteriorari in quocumque caſu fortuito in damnum commodatarii, & conſequenter teneri ſatisfacere Domino, & non improbabiliter, ſi æſtimatio implicet virtualiter pactum, vt reddatur ſecundum eam æſtimationem etiam quocumque caſu adueniente, attamen, quia ex ratione æſtimationis verè non implicatur illud pactum virtualiter, quod reddatur non obſtãte quocumque caſu fortuito res quo ad æſtimationem, niſi exprimatur, cum .n. ſit pactum valde onerosum debet exprimi, quando actu traditur res æſtimata, de ratione huius contractus eſt, vt ſi pereat culpa commodatarii res ſit reſtituenda iuxta æſtimationem abſque alia lite. Ita *Molin. diſp. 295. & li. 1. p. l. 2. de contr. c. 33. Fauſt. de contr. diſp. 12. q. 11. & Sylu. verb. commodatum q. 7.*

In dubio autem an res peritura fuiſſet eodem caſu fortuito apud Dominum contra commodatarium pro Domino eſt judicandum, vt dictum etiam eſt ſupra in caſi conſimili.

Vtrum de omni culpa teneatur commodatarius, ſi res pereat, vel deterioretur.

DIFFIC. VII.

Diſtinguunt Doctores, nam vel res commodata fuit in gratiam ſolius commodantis, & in hoc caſu ſi res pereat, tenetur ſolum commodatarius de lata culpa, vel dolo, vt habetur *in l. ſit certum §. interdum ff. commodati*. ſi vero ſit tam in gratiam commodantis, quam commodatarii, tunc commodatarius tenetur non ſolum de dolo, & lata culpa, ſed etiam de leui, quia maiorem habet obligationem rei cuſtodiendæ commodatarius, quando res eſt commodata in gratiam etiam ſui, quam quando commodata eſt in gratiam ſolius commodantis, ergo de leui culpa etiam tenetur; vt habetur *l. rebus ff. cõmo.*

Quod ſi in ſolius commodatarii gratiam data ſit res, licet; Sotus l. 4. q. 7. ar. 2. & Ledeſma p. 4. l. 1. c. 8. ar. 6. velit non teneri de damno, ſi pereat res ex leuiſſima culpa commodatarii, nec etiam ex leui, ſi culpa ſit venialis, & non mortalis; nã teneri de leuiſſima culpa commodatarium, quando res eſt commodata ſolum in gratiam ſui determinauit; *Gregor. IX. in cap. 1. de commod. vbi ait (eum qui tantum gratia ſui commodatum accepit, de leuiſſima etiam culpa tenetur.)* nec eorum explicatio poteſt huic ſenſui legitimè applicari, dum dicũt, quod Papa ibi intelligit de culpa leuiſſima non ſecundum rigorem Theologicũ, ſed ſolũ moraliter de culpa, quã quilibet ſcit prudens deuitare, quia Pontifex optimè callebat differentiam inter culpam leuem, & leuiſſimam; temeritas .n. magna eſt clara verba legis in alium ſenſum extorquere. quare communiter de leuiſſima culpa teneri commodatariũ, ſi res pereat, quando in gratiã ſui ſolummodo res conceſſa fuit, aſſerũt nam non ſolũ obligationẽ ordinariam contrahit, vt eſt in re commodata in ſolius commodantis gratiam diligenter cuſtodienda, vnde ſi ſolum pereat ex lata culpa tenetur commodatarius, nec cõtrahit ſolum magnam obligationem cuſtodiendi rem cõmodatam magna diligentia, quando res commodata traditur à commodante in gratiam vtriuſque, vnde tenetur de leui etiã culpa ſi pereat, verum quia in gratiam ſolum ipſius datur res commodata, contrahit commodatarius non ſolum ordinariã non ſolum magnam, ſed maximam obligationem cuſtodiẽdi rem commodatam diligentiſſimè, ergo ſi ex leuiſſima culpa pereat, ad reſarciendum damnum tenetur. Ita cõmunius noſt. *Ang. v. commod. Nauar. c. 17. n. 184. Lopez c. 46. de contract. l. 2. q. 8. Nald. v. commodatum, Molin. diſp. 297. Bonac. de contract. diſp. 7. q. 16. punc. vnic. & alij.*

Quod etiam ex eo confirmari poteſt, quia non inueniretur, qui commodaret rem ſuam, ſi commodatarius de maxima diligentia in ea cuſtodienda, & conſequenter de leuiſſima culpa non teneretur.

Cæterum ſi dubitetur an in gratiam ſolius commodatarij res fuerit conceſſa, in fauorem commodantis iudicandũ docet noſter *Vngarell. ſchol. P. apud Ang. loc. cit.* & commodatario incumbit onus probandi, quod in gratiam vtriuſque, vel ſolius commodantis res ſibi fuerit commodata.

An vero licitè apponi poſſit pactum, vt commodatarius de nulla culpa teneatur, alij negant, quia turpe eſt tale pactũ, alij aſſerunt probabilius, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria. At vero pactum, quod nec teneatur de dolo commodatarius, valeat, negandum, quia daretur commodatario occaſio peccandi, *ex l. in commodato ff. commod.*

Vtrum commodatarius ex aliqua impotentia non reſtituens rem commodatam tempore præfixo excuſetur à reſtitutione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, quod Dominus pateretur ex tali mora.

DIFFIC. VIII.

Dico primo, quod quando commodatarius incidit in impotentiam reddendi rem commodatam ſine ſua culpa, puta, quia legitimo, & rationabili impedimento adſtrictus non poſſit reſtituere non tenetur ad aliquod intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ſed ad mercedem eam, quę deberetur ſi locata fuiſſet pro toto illo tempore, ſi ea re commodata vſus fuiſſet commodatarius, puta equo equitando ad alia itinera; limita modo non ad fuiſſet pactum, quando commodata fuit, vt in omni euentu teneretur ad reſtitutionem damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ſi præfixu tẽpore non reſtitueretur, non obſtante quocumque impedimẽto; & ratio eſt, quia præter hoc pactum non eſt in culpa reſtituendi rem præfixo tempore ratione legitimi impedimenti, ergo præciſo ſpeciali pacto non tenetur ad aliud intereſſe, niſi pro eius vſus mercede, quem habuit de re ſine voluntate Domini. Ita noſt. *Rodriq. p. 1. c. 111. Mercatus l. 1. de contr. ca. 12. et Sylu. v. mora q. 4.*

Dico ſecundo, quod quando ob culpam præcedentem, vel ſubſequentem ad tempus præfixum reſtitutioni commodatarius factus eſt impotens ad reſtituendam rem commodatam in propria ſpecie, ſuo Domino, tenetur non ſolum, reſtituere rem, ſi pereat, aut deterioretur, verum etiam intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod paſſus eſt ex tali mora Dominus, quia vbi culpa, ibi peccatum, ibi onus reſtituendi, & ita habetur *in c. vnico de commod.* & ita etiam docet noſter *Rodriquez cap. 111. loc. citat.* impotentia enim culpabilis facta voluntariè non excuſat in hoc facto a tali reſtitutione.

Vtrum

Vtrum Commodatarius in æquali periculo rerum ſuarum, & rei commodatæ, vel etiam in æquali periculo rerum commodatarum duorum dominorum potius ſuas, vel domini, & cui ut Domini res commodatus teneatur ſaluare?

DIFFIC. IX.

IN hac difficultate alij aiunt, alij negant, ſed mihi potius cũ communi ſententia diſtinguendum videtur, nam ſi commodatum fuit factum in gratiam ſolius commodantis, tunc res ſuas etiam viliores poteſt potius ſaluare in æquali periculo, quia tenetur ſolum de lata culpa, & cum ordinaria diligentia cuſtodire res tales; quod ſi in gratiam vtriuſque, poteſt præferre ſolum res ſuas æqualis, aut maioris valoris, quia cæteris paribus magis ſibi debet, quam Domino, res autem pretioſiores Domini debet ſuis vilioribus anteponere, quia de tali re ſenſit etiam commodum, & cæteris paribus pretioſiores debent potius anteponi, dum de illis commodum reportauit.

At vero ſi in gratiam ſolius Commodatarij res commodata fuerit, res ſuas æquè pretioſas debet poſtponere rei commodatæ, itaut inæquali periculo potius res ſuas æquè pretioſas perdat, quam commodatas; quia tenetur de culpa leuiſſima, & de maxima diligentia cuſtodire res commodatas in gratiam ſui. Ita Angel. noſt. *V. commod. Rodriq. p. 1. cap. 211. Fauſt. de contr. diſp. 12. qu. 18. & alij*, res tamen ſuas pretioſiores commodatarius in æquali periculo poteſt ſaluare, etiam ſi ſit res commodata in gratiam ſui ſolum. Ita *Angel. noſt. V. commod. §. 16.* res enim pretioſiores habent ex ipſo naturæ dictamine, quod magis diligantur, & ſeruentur.

Porrò res duorum Dominorum æqualis valoris ſi æquali periculo ſubijciantur, poteſt commodatarius ſaluare, quam mavult, quia datur locus gratificationi in æquali periculo ſaluare illam, vel illam rem, æquè pretioſam. Ita noſt. *Vngar. ſch. A. & B. in l. ſicut certo ff. de commod.*

Vtrum commodatarius poſſit retinere rem ſibi commodatam in compenſationem eius, quod ſibi debet ſolus à Domino rei commodatæ.

DIFFIC. X.

NEgant *Garzias l. 1. de contract. c. 100. Armilla v. commod. & Molin. diſp. 1. q. 7.* quia commodatum eſt priuilegiatum, ſicut depoſitum, & debet reddi in forma ſpecifica *ex l. vlt. c. de commod.* & probabiliter quidem, quia contra æquitatem naturalem fit, quando pro beneficio redditur maleficium, & bona fides commodantis gratis credentis rem ſuam impiũ quid ni inurbanum ex ipſo dictamine naturæ videtur, ſi ſub ſpecie accipiendi beneficium, prodatur.

Affirmant tamen alij poſſe retinere rem commodatam à commodatario ſub ratione compenſationis, ſi debitum cum Domino ſit liquidum, & ita volunt haberi *in l. vlt. l. de commod. Nau. c. 17. n. 88. Lopez l. 2. de contr. et Sylu. v. commod. n. 12.*

Diſtinguendum tamen videtur probabilius, quod, quando debitum eſt liquidum, & poteſt alio modo, quam retentione commodati, accipere ſatisfactionem à Domino, nullo modo licet ei compenſationem facere, & ita optimè concludũt primæ opinionis rationes; at vero ſi nequeant alio modo liquidum debitum à Domino recipere, puta, quia cauſſioſus, & difficilis ad ſoluendum, tunc in foro conſcientiæ, certum videtur, quod poſſit compenſationem facere, quia iure gentium, & iure naturæ poteſt ſibi ita conſulere, & frangenti fidem fides frangenda, ſi .n. Debitor frãgit fidem, non ſoluendo, quod liquidè debet, nõ debet conqueri, ſi res cõmodata ſibi fideliter non reſtituatur, retinẽda ergo donec ſatisfiat commodatario, & ſic procedunt fortè rationes ſecundæ opinionis in foro cõſcientiæ ſaltem. Ita etiam *Bonac. de contract. diſp. 3. q. 16.*

Vtrum commodans teneatur ad expenſas factas à commodatario pro re commodata, & an ſi per nuncium remiſſa, pereat commodanti, vel commodatario.

DIFFIC. XI.

DIco primo, quod ſi expenſæ fuerint extraordinariæ pro aliquo euentu circa rem commodatam abſque culpa cõmodatarij puta, quia animal commodatum ægrotauit, vel fugit abſque omni culpa commodatarii, expenſæ iſtæ magnæ ſi forent, & extraordinariæ pro ſanando, vel recipiendo animali, a commodante reſtituendæ ſunt commodatario, quia pro re commodantis ſactæ ſunt, ſi vero ſint parui valoris, & ordinariæ, puta pro cibo, & potu, & Medicinis exigui valoris, quia ad Vſuarium rei pertinet facere expenſas pro cibo, & potu, & alijs medicinis ordinariis exigui momenti, non ſunt reſtituendæ. Ita noſter *Angel. verbo commod. & Vngar. 165. Molin. diſputat. 297. Lopez lib. 2. de contract. cap. 46. & alij communiter.*

Dico 2. quod ſi commodatarius per nuncium fidelem, quẽ ſc. expertus erat aliis vicibus fidelem, & habebatur communiter bonæ famæ remiſit rem commodatam ad Dominum, ſi pereat vel malitia Nuntii, vel ob caſum aliquem fortuitum, Domino perit, quia debitam diligentiam adhibuit in remittẽdo, vnde ſine culpa commodatarii perit, quod ſi Nuncius per quem remiſit rem Domino ſuo, non fuit idoneus, & erat ſuſpectus, vel homo dementatus, & non ſagax, commodatario perit, quia eſt in culpa, eam .n. curam debet habere commodatarius in remittendo, quam habet in cuſtodiendo. Ita noſter. *Ang. v. commod. loc. cit. Nauar. c. 17. n. 183. Rebell. p. 2. de oblig. l. 16. q. vn. & Fauſt. de contr. diſp. 12. q. 23.*

Dico 3. quod ſi commodans per aliquem moneret, vt rem ſuam commodatam remitteret, ſi per hunc nuncium cõmodatarius remitteret, & periret ex culpa Nuncii, tenetur commodatarius ad damnum, quia ſolummodo commodans monuit, vt remitteret, ſed non monuit, vt per eumdẽ remitteret, & ratio eſt, quia non adhibuit diligentiam circa Nuncium an fuerit fidelis, ſecus ſi monuit, vt per eumdem Nũcium remitteret; quia commodanti perit, qui non miſit Nuncium fidelem, & idoneum.

Dico 4. quod reportans rem commodatam Domino puta Equum, nec inueniens eum Domi, nec eius ſtabulum apertum ſi eum relinquat in loco communis paſcui illius Terræ, & amittatur quocunque modo, vel ablatus à latrone, vel à lupo occiſus, ad nihil teneri commodatarium docet *Nal. v. conſuetudo n. 18. ex Bald. l. 3. c. de epiſc. ſtudio*, quia diligentiam, quam debuit, adhibuit.

Commune.

Quænam ſint regulariter rei communis proprietatis.

DIFFIC. I.

DIco 1. quod proprietas vna communis rei eſt, quod non poteſt dici meum, quod mihi, & tibi commune eſt, niſi admodum impropriè, hinc reſcriptũ reſeruans beneficia Epiſcopo non comprehendit beneficia communia Epiſcopo, & Capitulo, quia quod eſt commune, nõ dicitur eſſe alterius particularis, & verba generalia propriè ſumenda ſunt in ſua generalitate, & non extendenda in præiudicium. *ex c. cum illis de presbyt. in 6.*

In fauorabilibus in quibus nulli præiudicatur tamen commune mihi, & pluribus paſſim vocare meum, hinc Eccleſiam, communem mihi, & alijs Canonicis, & Clericis poſſum vocare meam, quia ipſius ſum pars, & nulli infertur præiudicium ſi meam voco. Vide *Annotat. in margine ex c. cum non deceat de elect. n. 6.* Hinc etiam ſi quis vel milleſſimam partem in aliqua domo haberet. Domus diceretur communis, & domum ſuam vocare poſſet. ex *Tiraquar. de iud. in reb. exig. n. 116.*

Dico ſecundo, quod alia communis proprietas eſt, vt commune digno, & minus digno trahat ad ſuum priuilegium minus dignum. hinc ſi ius patronatus ſit commune ratione Eccleſiæ laico, & Clerico, habebit etiam laicus præſentandi tempus ſex menſium ſicut habet Clericus, niſi expreſsè fuerit à Papa prohibitum, quia commune digno, & minus digno recipet priuilegium magis digni, magis enim dignum trahit ad ſe minus dignum, ſecus ſi eſſet Patronus ſolum ratione patrimonii. vide noſt. *Ang. v. iuſpatr. §. 27. et Nald. v. commu. n. 1.*

Hinc etiam ſi Iudicium faciendum erit commune Clerico, & laicis, etiam ſi multi fuerint, coram Iudice Eccleſiaſtico faciendum, etiamſi agatur de Patrimonio multorum fratrum, quorum vnus ſit Clericus, quia magis dignus, qui eſt clericus trahit ad ſe minus dignos, qui ſunt laici ad Tribunal Eccleſiaſticum ſibi competens. Ita ex *Rota deciſ. 957. n. 2. et 30. Seraph.* & nos ſupra probauimus v. Clericus.

Dico tertio, quod alia proprietas communis eſt, quod habens rem communem cum habente priuilegium, trahit ad fruendum eodem priuilegio in tali re communi. hinc habens rem communem cum pupillo fruitur priuilegio pupilli ſc. ne res ſuæ præſcribantur, & ſi dentur plures executores Teſtamenti vno mortuo, vel in remotis agente, vel nolente exequi, alter ex priuilegio communi executoribus exequi poteſt. ex c.1.§.1.de Teſtam. in 6.

Dico quarto, quod alia communis proprietas eſt, vt res communis Antonio, & Franciſco ſi deſtruenda damnaretur ob delictum rei Antonij, nō poteſt res communis deſtrui, ſed ratione communitatis cum re Franciſci affrancatur, & libera manet res etiam Antonij cum Franciſco communis, hinc ſi haberet domum communem cuius pars inferior eſſet Antonij, & ſuperior Franciſci remaneret libera à pœna pars domus Antonij, nec deſtruenda eſſet in præiudicium alterius. Ita etiam *Rota Romana deciſ.* 117.*n.*4.*p.*1. *in nouiſſ. vide Nald. verb.commune.*

Dico quinto, quod alia proprietas communis eſt, vt in diuiſione cōmuni ſubueniatur decepto vltra dimidium iuſti pretij, diuiſio enim communis ſortitur priuilegium venditionis. *ex l.*1.*& 3. com.vtr. ind.* intellige in foro fori.quod

Immò ſi communis res non caperet commodam diuiſionem, ſubijcienda eſſet licitationi, in qua obtineret, qui maiorem partem haberet in re communi offerendo æquale pretiū, & ille, qui poſſideret propè talem rem communem diuiſioni incommodam eſſet præ cæteris præferendus, quādo qui partem in ea habet, non offert æquale pretium. Ita *Nald. v.commune nu.*4.

Compenſatio.

Quid ſit compenſatio, & quæ requirantur ad hoc, vt ſit licita.

DIFFIC. I.

Dico primo, quod compenſatio eſt debiti, & crediti inter ſe contributio. Ita Angel. noſt. verb compenſatio ex l. 1.ff. de compenſat. quare compenſatio reſpicit quamdam ſatisfactionem, quam creditor accipit retinendo tantum de bonis ſui debitoris, quantum ſufficit ad euacuandum debitum, quod ſecum contraxit, compenſare enim dicit æqualem rei pro re contributionem, & ideo à lege iure diffinitur, quod ſit debiti, & crediti inter ſe contributio.

Dico ſecundo, quod ad veram compenſationem, vt licitè poſſit fieri, ſeptem conditiones paſſim requiruntur.

1. Eſt, vt debitum ſit liquidum, & certum, quia ſecundum illud commune axioma liquidi ad illiquidum non datur compenſatio, præterquam, quod in dubio potior eſt conditio poſſidentis.

2. Conditio eſt, vt compenſatio fiat à creditore in re ſibi debita ex iuſtitia. Ita *Nauarr.c.*17.*n.*112. *Sayr.in C.R. l.g. c.* 14. *Bonac. de contr. diſp.* 1. *q. vlt.p.*2. *Leſſ.l.* 2. *c.*8.; *licet Petrus Nauar.l.*3.*cap.*1.*nu.*376 *&* 3.*q.*3. teneat, quod poſſit fieri etiā propter aliam obligationem, tamen negat poſſe fieri ob debitum ex gratitudine ſola; attamen probabilior eſt prima opinio, quia compenſatio fit ob debitum, quod reſtituendum foret, at ſolum, quod debetur ex iuſtitia eſt reſtituendum, quod vero ex alio capite debetur, eſt potius dandum, quam reſtituendum.

3. Conditio eſt, ne plus accipiatur, quam debeatur, aliter furtum, committeretur, quia inuito rationabiliter Domino illud plus retineretur.

4. Conditio eſt, vt non fiat compenſatio in re alterius, ſed in reuerè realiter Debitoris, nec in re depoſita, vel commodata ipſius Debitoris exiſtente apud Creditorem, vel alium habentem rem Debitoris in depoſito vel commodato, quia fieret iniuria ipſi tenenti rem ſui debitoris, tenens enim rem debitoris habet ius ſaltem eam poſſidendi, quo non licet eum priuare per compenſationem, cum ille teneretur reſtituere rem illi, à quo acceperat, ſed de re commodata ſufficienter dictum eſt ſupra.

5. Conditio eſt, vt creditor nequeat à Debitore rem ſuam habere alio modo nec per Iudicem, nec per petitionem amicabilem ei factam. Item ſi eam non poſſe recipere niſi cum magna moleſtia, expenſa, iactura honoris, vel periculo inimicitiæ, poteſt ſibi per compenſationem conſulere, ſecus ſi commodè poteſt eam recipere, quia non licet compenſatio, cum nullus ſibi ipſi ius dicere queat, & occultæ compenſationes ſolent aliquando à Iudice furti pœna puniri.

6. Conditio eſt, vt abſit periculum, ne compenſatio facta alteri imputetur tanquam furtum, quia ex charitate vnuſquiſque tenetur cauere periculum proximi ſui.

7. Conditio eſt, vt fiat compenſatio in rebus eiuſdem ſpeciei debitis. vt ſi triticum in tritico, ſi pecunia in pecunia, nā in rebus diuerſæ ſpeciei difficiliter ſeruatur æqualitas, aut ratione, gratis aut ratione commodi, quam alia, vnde debitor rem talem ſublatā rationabiliter dicatur inuitus concedere.

Hiſce ergo conditionibus exiſtentibus licitam eſſe compenſationem aſſerunt communiter Doctores, itaut excuſetur a reſtitutione, & à peccato compenſationem faciens, quia in compenſatione agitur de retinendo tuo, non de acquirendo alieno nouiter, nec grauatur Iudicis Officium, vt dicebat Petr. Nauarr. loc. cit., quia Iudicis Officium dirigitur ad publicam iuriſdictionem exercendam, & ad dicendum ius publicè pro pace, iuſtitiaque ſeruanda, compenſatio autem eſt quoddam iuris priuati remedium de iure naturæ datum, quo vnuſquiſque omni meliori modo ſuum recuperare debet, quare quicquid ſit de foro fori, certum putant Communius Doctores in foro conſcientiæ licitam eſſe concurrentibus præfatis conditionibus. Ita Angel. noſt. *vbi ſupra* §. 2. *Villalob. in ſum. T.*2. *tract.*11. *dub.*23. *Clau. Reg.c.*7.*lib.*10. *Leſſ.l.*2.*cap.*16. *Bonac. de reſtit. q. vlt. diſp.*1. *p.*7. *Reginald.l.*10.*num.*251. *Filluc. tract.* 32.*cap.*5. *quæſt.*6. *Azor.*3 *p. li.*8. *cap.*39. *Malder. in* 2.2. *tract.*4 *c.*1. *dub.* 6. *Valer. in differ. vtriuſque fori, & Diana in p. tract.*16. *miſcell. reſol.*46.

Vtrum compenſatio fieri valeat in actionibus prouenientibus ex delictis.

DIFFIC. II.

Negant in actionibus prouenientibus ex delicto poſſe fieri compenſationem, puta ſi Titius, & Caius ſe mutuo iniurijs affecerunt, itavt Titius Caium, & Caius Titium æqualiter infamauerit, nolente Caio Titio famam reſtituere, non poſſe, per viam compenſationis Titium excuſari à reſtituenda fama ipſi Caio nolenti ſibi famam reſtituere, aſſerunt *Petr. Nauarr. lib.*2. *de reſtitut. cap.*4. *num.*3. vbi etiam per ſe adducit *Nauarrum ſeniorem*, & alij, ex eo, quod ſi liceret huiuſmodi compenſatio, liceret etiam inferre infamiam nolenti famam reſtituere, ſicut licet à nolente pecuniam accipere, pecuniam clam auferre ratione compenſationis, aut liceret alterum repercutere in compenſationem percuſſionis, quæ non licent, quia non datur compenſatio in actionibus prouenientibus ex delicto, aperiretur enim via ad alia delicta.

Attamen probabiliter etiam aiunt alij, quod compenſatio in actionibus prouenientibus ex delictis poſtquam ex vtraque parte commiſſa ſunt, liceat ſeruata æqualitate ex vtraque parte, quia rationi rectæ, videtur conſentaneum, quod paria delicta iam commiſſe mutua compenſatione tollantur.

Quare quamquam mihi non licet te infamare de furto, quia tu me infamaſti prius de furto, licet tamen ſi mutuo iam noſmet infamauimus de furto, te nolente mihi famam reſtituere, licet mihi per viam compenſationis non reſtituere tibi famam, & coniux vterque adulter ratione compenſationis neuter priuatur iure petendi debitum, ſed vterque poterit. Ita noſt. *Corduba, & Adrian. apud Petr. Nauarr. loc. cit.* *Rebell. lib.*1. *cap.*16. *quæſt.* 18. *num.*8. *Bonacin. de contract. diſputat.*1.*q. vlt. punct. vnic. & alij*, ex qua ratione diſtinctè patet reſponſio ad rationes primæ opinionis, quod ſc. ante factum, & patrata delicta currunt ſolum, non autem de delictis iam contra ſe ſe mutuo commiſſis.

Immò addunt præfati Doctores compenſationem poſſe fieri etiam de delictis commiſſis diuerſæ rationis, puta ſi Titius occidit Vxorem Caij, & Caius adulterium commiſit cum vxore Titij poſſunt ſeruata æqualitate hæc delicta mutua compenſatione remitti; an vero infamia poſſit compenſari pecunia, ſi nolit infamator reddere famam; Vide infra vel fama, vel V.detractio.

Vtrum

Vtrum compenſatio admittenda in debitis ex pœnis, decimis, Tributis, furto, Rapina, Depoſito, vel in debito impotentia, vel debito, ex mutuo, vel reciproco.

DIFFIC. III.

Dico primo, quod compenſatio fit ipſo iure in pœnalibus ad euitandam pœnam, quæ incurritur ipſo facto non expectata Iudicis ſententia, ſecus quando requiritur Iudicis ſententia, quia tunc pœna liquidè, & actu non debetur, quare non ſoluentem Emphyteutam Canonem Domino directo, qui tantum ſibi debet, quantum pro Canone ei deberet ſoluere, non incidere in commiſſum propter compenſationem. aſſerit *Nald. v. compenſatio.*

Dico ſecundo, quod compenſatio poſſit admitti in decimis, & Tributis, quando adeſt debitum ex vera iuſtitia liquidum, licet *Abbas in c. sua de nobis de Decimis* neget, quia non ſeruaretur æqualitas reſpectu Principum, qui egent Tributis propter communitatem, & reſpectu Eccleſiaſticorum, qui decimis indigent propter Eccleſiarum neceſſitates. Attamē *Nald. loc. cit. et Bonac. de contract. diſp. 2. q. 9.* aſſerunt poſſe fieri ſi liquidum ſit debitum, & nulla alia ratione creditor ſuum Debitum poſſit à Principibus, & Eccleſiaſticis extorquere, quod puto probabile ſi fiat citra præiudicium communitatis, & Eccleſiarum neceſſitatum, & creditor verè indigeat.

Dico tertio, quod non admittitur compenſatio in debito ex furto, & rapina in odium ipſius Prædonis *l. fin. c. de compenſat.* Vnde depoſitum illi reſtituendum, *et gloſ. in c. 2. in fin. de Depoſ.* modo non ſit talis predo, cuius vita nemo parcere debeat, vt notatur in ca. litteris de reſtitut. ſpol quare intelligendum eſt de prædone notorio, de quo dubium eſt, an iuſtè poſſideat.

Dico quarto, quod compenſatio non admittitur in Depoſito propter exuberantiam fidei, quæ in hoc contractu exigitur. Attamen in foro conſcientiæ, quando alio modo res à Debitore recuperari nequit, licitam puto compenſationem fieri a creditore habente in depoſito rem ſui Debitoris ſeruata æqualitate. Ita etiam *Nauar. c. 15. et Tannerus*, quos citat, & ſequitur *Diana p. 1. tract. 16. miſcell. reſol. 48. Leſſ. l. 2. de iuſt. c. 12. Petr. Nauar. l. 3. de reſtitut.* & alij, nec caput bona fides de depoſito vbi habetur. (contra Depoſitum compenſationi locus non eſt) huic opinioni aduerſatur, quia loquitur, vel ſolum in foro fori, vel quando res aliter poteſt recuperari à Debitore, non autem in foro conſcientiæ, & quando aliter recuperari non poteſt, nam in hoc caſu eſt de lege naturæ, quod vnuſquiſque ſibi conſulat omni meliori modo, ergo in tali caſu non poteſt à iure prohiberi compenſatio, quæ etiam doctrina currit de commodato.

Limitanda attamen hæc doctrina, modo Depoſitum, & commodatum non ſit pœnes tertium, nam non poteſt, quis ſibi conſulere cum damno tertij, teneretur enim innocens, depoſitarius, & commodatarius reſtituere, quod tu per compenſationem abſtuliſti, & multa iudicia temeraria faciendi daretur occaſio, ſi occultè fieret de tali re compenſatio. Vide S. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 3.

Dico quinto, quod compenſatio pro debito in potentia nō poteſt regulariter fieri, quia fieret iniuria Debitori ante tempus cogere eum ad ſoluendum, quod ſi præuideatur probabiliter expectato tempore ſolutionis realis non poſſe vlla ratione ab eo exigi poſſe ante tempus maturæ ſolutionis fieri compenſationem docent *Diana loc. cit. & Tannerus 2. 2. diſputat. 4. quaeſt. 6. dub. 14.*, verum, ſi probabiliter, rigidiuſcule tamen contra Debitorem, & largiuſcule in fauorem creditoris contra veram, & ſtrictam rationem compenſationis, quæ de debito reali, quod alia via haberi non poteſt fieri permittitur, at vero in hoc caſu debitum adhuc non eſt reale moraliter, licet ſit phyſicè reale, in materia autem morali attenditur moraliter reale, non phyſicè, præterquam, quod ſatisfactio de debito in potentia facilius per aliàs vias haberi poteſt, quam per compenſationē rei præſentis, quæ pro debito futuro ſemper inuito rationabiliter Domino retineretur, cum nullus antecipatè velit ſua debita ſoluere poſſent autem eſſe tales circumſtantiæ, vt in aliquo caſu præfata opinio practicari probabiliter poſſet.

Dico ſexto, quod ratione mutui dati non volente mutuatario remutuare non poteſt cōpenſatio fieri occultè rem mutuam ab ipſo accipiendo, quia non tenetur mutuatarius ex iuſtitia remutuare, cum mutum gratis eſſe debeat, nullum ergo ius reſtitutionis habet, qui mutuauit, in re ſui mutuatarij, niſi alicuius gratitudinis, quod regulariter compenſationem non admittit, de quo forte infra.

Dico ſeptimo, quod in debito reciproco, ideſt tantum ego tibi debeo, quantum tu mihi, licita fieri poteſt compenſatio cæteris paribus, & ſeruata æqualitate, & identitate materiæ dictæ.

Vtrum quando debitum eſt iuratum, & quando ſunt anteriores creditores poſſit licita fieri compenſatio.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod licet quando debitum iurauit ſoluere Debitor, non poſſe fieri compenſationem doceat *Matth de Afflict. deciſ. neap.* 38. & communiter Canoniſtas ita ſentire teſtatur *Couarr.* quamuis ipſe contrarium ſentiat in cap. quamuis de pactis, attamen probabiliter dici poteſt in foro fori non admitti huiuſmodi compenſationem, nam iniuria fit Tribunali, qui iuramento medio aſſecurauit creditorem de ſolutione, in foro tamen conſcientiæ poteſt vtique compenſatione vti, frangenti .n. fidem, fides frangatur eidem.

Dico ſecundo, quod debitor ſi habeat creditores Anteriores, nec creditor poſterior poſſet rem ſuam accipere niſi per compenſationem, poſſet vti tali compenſatione, non obſtante anterioritate Creditorum aliorum docet *Comitolus in reſponſ. moral. lib. 3. queſt. 93. Homobon. de examin. eccl. part. 7. præludio* 101. 3. *Ferdinand. p. 4. cap. 5. Theol. mor. & Diana p. 1. tract. 15. Miſcell. reſol.* 10. ex eo, quod quis non tenetur ita alienum curare, vt ſuarum rerum iacturam faciat, vide *Dianam* eumdem *tract. 13. reſol. 79.* vbi citat, *Raymundum, & Merantium, & Cabrielem in 4. diſt. 11. q 2.*

Cæterum hæc doctrina ſic abſolutè non placet, quare diſtinguendum puto, nam vel creditor poſterior, quando dedit rem ſuam Petro, ſciebat creditores anteriores, & tamen voluit dare, videtur ius exigendi anterius conceſſiſſe anterioribus, vt de iure eſt, in tali ergo caſu non poſſet vti compenſatione, quia ius non habet contra anteriores vllo modo, at vero, ſi neſciebat anteriores creditores, poteſt vtique compenſationem facere, quia non ceſſit ſuum ius anterioribus exigendi quocumque modo à ſuo debitore, cum quis potius ſibi, quā alteri debeat conſulere, niſi obſtet talis iuris renunciatio implicita, vel debitum anterius fundatum in tali re, quia fieret iniuria anterioribus manifeſtè, quod ſi explicitè noluiſſet anterioribus hoc ſuum ius exigendi quocumque modo renunciare cum opinione probabili, practicabilis eſt præfata opinio, maximè ſi res compenſatione ablata non eſſet in anteriorum creditorum commodum, & vtilitatem pro ſolutione conferenda, nam in iſto caſu maximè liceret, cum ſibi conſuleret, alteri non præiudicaret, vel non eſſet in ea re debitum anterius ſpecialiter fundatum, nam in ipſa poſterior creditor nullum habet ius, quare ſi monitorium daretur contra detinentes bona talis Debitoris iuxta datam doctrinam, cognoſcetur, an retinens ratione compenſationis debeat reuelare nec ne.

Vtrum aliquando liceat compenſatio in rebus diuerſæ rationis.

DIFFIC. V.

Compenſationem poſſe fieri etiam in rebus diuerſæ rationis, puta ſi pecuniam dedit, poſſe fieri in frumento, & ſi debitum fuerit in oleo poſſe fieri compenſationem in pecunia, & ita in conſimilibus docēt *Petrus Nauar. Rebell. & Ferdinandus*, quos citat, & ſequitur *Diana 1. par. tract. 16. reſol.* 48. quia modo ſeruetur æqualitas, nihil refert in qua materia fiat compenſatio.

Attamen noſt. *Ang. v. compenſ. 1. q. 62. ar. 8.* & alij ex ratione deſumpta à maiori affectione, & commoditate, quam habet dominus in re alterius ſpeciei, hinc volunt probabiliter non poſſe fieri à creditore, cui debentur pecuniæ, vel frumentum, compenſationem in Equo valde dilecto, vel valde vtili ipſi debitori, quia pluris valet debitori res ma-

gis ſibi dilecta, & vtilis, & commoda, quam alia res, vel quam pretium correſpondens pecuniæ, vel frumento debito, ergo iniuſtè facit Compenſationem, cum non ſeruetur æqualitas.

Verum ſi nullam aliam habeat rem debitor, qua cum poſſit eius creditor compenſationem ſibi facere niſi illam alterius generis ita illi commodam, & dilectam, poteſt vtique eam cum prima opinione ſub titulo compenſationis tollere, ſeruata quantum fieri poteſt æqualitate pro tali commodo, ſaltem ex charitate; Si vero aliam rem haberet Debitor, qua cum poſſet facere compenſationem, dicendum puto cum ſecunda opinione.

Certum eſt tamen in foro fori non admitti compenſationem in rebus alterius generis, vt notat *Bonac. de reſtitut. diſp. 1. q. vlt. & Filiuc. tract. 33. c. 5. q. 6.*

Vtrum Compenſatio liceat pro eo, quod vbi debetur ex charitate Religione vel ratione gratitudinis, ſeruitutis, aut alterius virtutis ſicut fieri poteſt, pro debito ex iuſtitia.

DIFFIC. VI.

AFfirmant inter alios *Petr. Nauar. l. 3. de reſt. n. 393.* modo debens ex charitate, vel Religione teneatur ſub mortali rem tradere, vnde infert, quod exiſtens in extrema neceſſitate poſſet à negante ſibi eleemoſynam clam ſurripere, licet ſolum ex charitate teneatur, quia, quod alter tenetur mihi dare, & iuſtè licet quocūque modo accipere, Secundo infert, quod ſi quis ex voto promiſerit dare centum nummos pauperibus, ſi quis pauper hoc ſciret, & cognoſceret voto nolle ſatisfacere, poſſet occultè ſurripere tales nummos, quia iuſtè ſibi tanquam pauperi debentur.

Cæterum opinio ſatis periculoſa, nam eſto, quoad primam illationem ſit omnino vera, non titulo compenſationis, ſed alia ratione neceſſitatis ſcilicet, ſed pro ſecunda illatione, & ſic de cęteris cōſimilibus periculoſa eſt pro accipientibus, quia deberent eum admonere, ne, quod ipſi pauperes acceperunt occultè, iterum aliis pauperibus elargiatur, ſi quando ſui voti fuerit memor; quare

Negant abſolutè noſt. *Corduba in ſumm. q. 3. & Nauar. c. 17. n.* 113. & alii communius, quod ſc. ſolum propter debitum ex iuſtitia nullo autem propter debitum ex actibus aliarum virtutum poſſit fieri compenſatio; quia compenſatio permittitur, vt tuum, quod fuit, & alteri conceſſiſti, recuperare valeas, non autem, vt quod tuum non fuit, licet modo debeatur ſub alio titulo accipias; præterquam quod dum dicitur a lege, quod compenſatio ſit debiti, & crediti contributio, accipitur debitum in relatione ad creditum, ideſt, quod ideo debeatur, quia res credita fuerit ſibi à creditore, itaque accipitur debitum in compenſatione ab ipſo iure pro debito ex iuſtitia. Ita etiam noſt. *Rodriq. par. 2. c. 47. Sayr. in C. R. l. 9. cap. 14. Lopez l. 2. de contr. c. vlt. Sanch. in ſum. l. 1. c. 13. Salas de leg. diſp. 9. ſect. 2. & alij.*

Quare qui in gratiam alterius hæreditatem, beneficium renunciauit, vel donationem facit cum ſpe vt ſibi, & conſanguineis in occurrentibus indigentiis ſubueniatur, non poteſt quicquam à beneficiario, Donatario, vel legatario aliquid tollere ratione compenſationis, quia ex iuſtitia non debet aliquid dare, ſed ſolum ex gratitudine.

Item, qui amico, vel conſanguineo aliquid donat ob amicitiam, paupertatem, vel cognationem, ſi poſtea ipſe efficiatur indigens, & ille locupletior aliquid in compenſationem accipere non poteſt, niſi adſit extrema, vel granis neceſſitas, quia ille nihil ſibi debet ex iuſtitia.

Adde, quod ſi ſerui, aut famuli gratis, & omnino liberaliter ſeruitium præſtarunt Domino, licet Dominus ex liberalitate, & gratitudine debeat ſeruo retribuere, non tamen ex iuſtitia, ideo non poſſunt aliquid ab eo tollere cauſa gratitudinis, ſeu remunerationis pro ſuo ſeruitio. Ita Doctores citati, Vide *Bonac. de reſtitut. diſp. 1. q. vlt. & fruſtr. de reſtit. diſput. 2. q. 23.*

Verum ſi famulus conuentum pretium tacitè, vel expreſsè cum Domino pro ſua mercede conſequi non poterit, compenſatio illi licebit, quia pretium non ex liberalitate, ſed ex iuſtitia ſibi debetur à Domino. Ita etiam ſi exiguo pretio, animo tamen, vt pro ſeruitio fideliter præſtito ſuppleatur, poterit etiam pro ſupplemento vti compenſationē, quia ſupplementum ex iuſtitia debetur.

Præterea ſi exiguo conuenerit pretio ſeruire famulus, eo quod Dominus noluerit iuſto pretio conducere, cum verè famuli opera pluris valent, quia cum in voluntariè, & citra cōdonationem iuſti pretij neceſſitate compulſus minori pretio præſtat operas ſuas, poterit pro ſupplemento vti compenſatione, quia iniuſtè denegat Dominus iuſtum pretium, nec ſeruus intendit condonare, nec gratis exhibere; ergo ei debetur à Domino ex iuſtitia, & ſubditur compenſationi. Ita Doctores proximè citati. *Claud. reg. l. 9. c. 14. Leſſ. l. 2. c. 16. & Filiuc. tract. 36. c. 6. n. 105. & 113.*

Vtrum qui facili via poſſet Iudicis authoritate implorata rem ſuam à Debitore recipere, poſſit adhuc compenſationis beneficio vti, & an teneatur compenſationis facta monere hæredes, vel debitorem.

DIFFIC. VII.

DIco primo, quod negant communius, cum compenſatio ſit potius tanquam remedium, quando alio modo res haberi nequit à iure permiſſa, & rationi conſentanea. Ita Petrus *Nauar. l. 3. c. 1. Naldus v. compenſatio, & alij.*

Attamen non improbabiliter noſt. *Villalob. in ſum. T. 1. tr. 11. dub. 23. Malder. in 2. 2. tract. 2. ca 1. dub. 6. Valer. in diff. vtriuſque for. & Diana p. 1. tract. 16. miſcell. reſol. 48.* aſſerunt poſſe creditorem compenſatione vti, quando etiam eſſet facilis via ad recipiendam rem ſuam per Iudicis authoritatem, quia agitur hic de retinendo ſuo, non autem de acquirendo aliquid de nouo, nec grauari aiunt Iudicis officium, cum illud extendatur ad res publicas, non autem ad res priuatas; Sanè in foro conſcientiæ probabilis eſt, vt notat etiam noſter *Angelus*, ſed non in foro fori.

Dico 2. quod compenſatione vtens tenetur admonere hæredes, vel ipſum debitorem, modo id poſſit facere abſque ſuo notabili damno, & honoris præiudicio ſaltem ex charitate debitum eſſe ſolutum, & ſe nihil amplius prætendere circa debitum, ſi veriſimile ſit Debitorem, vel hæredes exiſtimare ſe tali debito adſtrictos, & periculum ſit, vt bis fiat reſtitutio eiuſdem debiti, quilibet .n. tenetur vitare peccatum, & periculum ſpirituale, & temporale proximi. Ita *Nauar. c. 17. nu. 113. Molin. diſp. 191. Filliuc. tract 40. n. 252. et Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. vlt. punc. vnico.*

Verum eſt tamen, quod ſi per accidens proueniat aliquod damnum debitori ex iuſta compenſatione facta ex eo, quod non eſt admonitus, non tenetur debitori aliquid reſtituere, quia ſolum ex charitate tenetur admonere, non autem ex iuſtitia, vt etiam annuere videtur *Fauſtus de contra. diſp. 2. q. 29.*

Vtrum debitor commodum aliquod, vel beneficium pretio æſtimabile conferens ſuo creditori æquiualens ei, quod debet, vt ſe à ſolutione reddat immunem excuſetur per hanc compenſationem à reſtitutione, quid ſi ignorans ſe debitorem gratis contulerit daturus per compenſationem, ſi ſciuiſſet ſe debitorem.

DIFFIC. VIII.

DIco primo, quod certum videtur procurare ſuo creditori beneficium Eccleſiaſticum in compenſationē debiti non licere, quia ſaperet ſimoniam pro temporali retribuere aliquid ſpirituale, quare

Dico 2. quod procurare aliquod commodum, penſionem, beneficium temporale, puta capitaneatum, Notariatum, Comitatum, Ducatum, vel quid ſimile pro ſuo creditore, vt compenſationē faciat cum debito, ſi tanti æſtimatur commodum, penſio, vel beneficium, quantum eſt debitum, licet, quia huiuſmodi pēſiones, & beneficia, & cōmoda procurare ſolet pretio eſſe ęſtimabilia; ergo in compenſationē debiti poſſunt procurari ſeruata æqualitate. Ita etiam R*odriq. noſt. p. 7. c. 47. Nauar. c. 17. n. 81 Valent. T. 3. diſp. 5. q. 6. p. 7. Tolet. l. 5. c. 26. & alii.*

Dico 3. quod gratis dans beneficium ęquale ſuo creditori, quem ſi ſciuiſſet, vel recordatus eſſet ſuum creditorem, dediſſet ei in compenſationem debiti, & non gratis, quia ex voluntate interpretatiua ſoluendi debitum iam res non fuit data gratis, ſed in compenſationem, non tenetur reſtituere. Ita *Fauſt. de contr. p. 9. 299.*

Compoſitio.

Vtrum compoſitio facta cum creditoribus pro minori ſumma excuſet etiam in pinguiorem fortunam aduenientem, & an ipſi facta à maiori parte creditorum debeat ſtare minor pars.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod cum compoſitio ſit remiſſio liberalis maioris ſummæ debiti pro minori, modo non procuretur à debitore per vim, dolum, metũ, aut alio illicito medio, ſed omnino ſit liberalis ex parte creditorum excuſat etiam debitorẽ cum ad pinguiorem fortunam venerit, ne teneatur remiſſam maiorem ſummam ſoluere, quia iam condonata fuit abſolutè, & liberaliter per viam compoſitionis illa maior ſumma, ergo extincta fuit per compoſitionem obligatio ſoluẽdi eam, quod ſi fuerit compoſitio doloſa, puta quia in Eccleſiam, vel tutum alium locum, ne cogatur ſoluere, & hac occaſione compoſitionem quærat, & remiſſionem obtineat, in hoc caſu creditores voluntariè non aſſentirent compoſitioni, ſed potius coacti, vt ſaltem minorem debiti partem habeant, dum maiorem omnino nequeunt. Ita *Nauarr. c. 17. n. 75. Sylu. V. reſtitut. 7. n. 2. Emm. Sa V. debitum n. 22. Petr. Nauar. l. 4. c. 4. & Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. vlt. punct. vnic.*

Dico ſecundo, quod non videtur improbabile, quod aſſerũt Emm. Sà, & Bonac. loc. cit. minorem partem creditorum ſtare debere compoſitioni factæ à maiori parte ſuper debito cõmuni, atque adeo ſi mille debeat Petrus decem viris, & octo compoſitioni conſenſerint, quod ſcilicet ſoluat ſexcentum, illi duo debent ſtare compoſitioni factæ a maiori parte, nec Petrũ debere illis duobus ſoluere niũ pro ratione cõpoſitionis.

Quod verum puto, modo copulatiuè debeatur pluribus, & potius eorum beneficio ſit applicanda ſolutio debiti, quod ſi pro ſingulis ſit repartiendum debitum pro rata, non omnino certum, ex eo, quod maior pars non poteſt, nec debet inferre damnum alijs, attamen ſtante legitima cauſa compoſitionis, quia eſſent alij irrationabiliter inuiti, poteſt præfata opinio tutè amplecti, quod facta compoſitione ex legitima cauſa à maiori parte, eidem debeat ſtare minor pars, nec ei vltra compoſitionem ſoluere tenetur debitor.

Vtrum compoſitio de bonis incertis dubijs, an inter Petrum v. g. & Paulum ſit diuidenda, & de fructibus litigioſis beneficiorum ſit licita, & an ſuffragetur, quando creditor non facit fructus ſuos, & an ſi maiores ſint fructus beneficij, quam valor taxatus compoſitio ſit valida.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod compoſitio, ſeu tranſactio bonorum incertorum etiamſi dubium eſſet, an inter aliquos determinatè puta Petrum, & Paulum ſit diuidenda, non poteſt fieri in beneficium ipſorum, quia incertorum bonorum hæredes ſunt pauperes, & Eccleſia, poteſt tamen ex legitima cauſa à Papa diſpenſari puta ex fragilitate hominum, quia non ita faciliter hac obligatione deuincti ſoluũt, maximè ſi compoſitio cederet reſpectu alicuius cauſæ publicæ compenſandæ. Ita *Molyn. T. 3. p. 2. diſp. 748. & Nald. V. compoſitio.*

Dico ſecundo, quod compoſitio, ſeu tranſactio in litibus beneficiorum non licet de iure communi, ſicut etiam nec in decimis, cum pactum in rebus ſpiritualibus Symoniam ſapiat: vide *Ang. noſt. V. compoſ.*, quod ſi amicabiliter abſque intereſſe fiat, licita eſt compoſitio ex gloſa in c. ſtatuimus de tranſact. & tunc non poteſt vocari tranſactio, quia hæc fit omnino cũ reſpectu ad intereſſe, ſed vocaretur amicabilis compoſitio, quę non reſpicit intereſſe, ſed gratuitum finem; attamen ſi amicabiliter ſeſe tranſigerent partes in lite beneficiorum, vel etiam per arbitros cum aliquo intereſſe mediante, cum hac tamen conditione, ſi Papæ placuerit, à quo omnino petenda eſt licentia, licita eſſet tranſactio Ita *Petr. Greg. c. 41. de reb. benef. & Nald. loc. cit. num. 1.*

Dico tertio, quod compoſitio nõ ſuffragatur debitori, quando creditor non facit fructus ſuos, vt patet in Parocho, & Epiſcopo non reſidente, quia non faciunt fructus ſuos, ſed dum ſunt extra reſidentiam ſine licentia debentur Eccleſiæ, vel pauperibus, vnde debitor ſuper huiuſmodi fructus, & redditus non poteſt ſeſe componere cum tali Parocho, vel Epiſcopo, idem dicendum de accipiente mala ratione publici officij, vt eſt in Epiſcopo accipiente pecunias ratione viſitationis, quas tenetur reſtituere, ſimiliter dicendum in contractu ſponſionum ſuper creatione Cardinalium, vel Summi Pontificis per extrauag. Greg. XIV. in quibus caſibus compoſitio non liberat debitorem à ſolutione debiti.

Dico quarto, quod compoſitio ſuper fructibus beneficij facta non teneret, ſi illi verè eſſent maiores, quam valor taxatus in cancellaria, valeret tamen prouiſio beneficij ſi valor fuiſſet expreſſus iuxta valorem taxatum in Cancellaria, quia hic non præſumitur dolus ſicut ibi. Ita *Nauar. conſ. 73. de ſym.*

Vtrum Papa licitè, & validè bullam compoſitionis concedere valeat tam pro bonis certis, quam incertis pro minori ſumma reſtituendis, & an hoc poſſit etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi.

DIFFIC. III.

CErtum eſt apud omnes Pontificem ſummum Bullam compoſitionis concedere pro bonis incertis reſtituendis ſiue ſint ex rapina, & furto, ſiue ex contractu, vel alia quacũque iniuſta acceptione, & retentione, quia quando bona incerta ſunt reſtituenda, nec poſſunt Domini veri vllo modo ſciri, illa pertinent ad capſam incertorum, quæ pauperibus, vel Eccleſiarum neceſſitatibus ſunt eroganda iure poſitiuo ſic diſponente, atque adeo ſtante cauſa poteſt diſpenſare licitè, cauſa autem, vt dixi ſupra eſt difficultas hominum, qui debent reſtituere, & humana fragilitas, quæ ad poſſeſſa retinenda inclinat, quin etiam ſine cauſa validè diſpenſat in iure poſitiuo, cum ſit ſupra illud, poteſt ergo de bonis incertis diſponere, quæ ſolum iure poſitiuo pauperibus, & Eccleſijs debentur, & conſequenter licitè, & validè compoſitionis bullam concedere, qua minor ſumma ſoluenda ſit a debente ſoluere maiorem & tali bulla vtens ab alia maiori ſumma omnino eſt immunis Ita communiter, vide noſtrum *Rodriq. in bulla compoſ.* & Doctores infra citandos.

Quoad vero bona certa, quorum ſciuntur Domini non poteſt Papa regulariter loquendo concedere bullam compoſitionis, quia non eſt Dominus immediatus bonorum omnium fidelium, & conſequenter non poteſt regulariter de illis diſponere, nec compoſitionem facere; præterquam quod de iure naturæ videtur eſſe res alienas reddendas proprijs Dominis, ergo hæc obligatio non poteſt tolli a Papa, qui non eſt ſuper ius naturæ, attamen ſi adeſſet grauiſſima, & vrgentiſſima cauſa fundata in aliqua ratione iuſtitiæ, quæ dictat faciendam iſtam compoſitionem de rebus certis reſtituendis, quatenus dirigit ad regimen ſpirituale ratione cuius Papa eſt Dominus perſonarum, & rerum, poſſet etiam de præfatis bonis certis bullam compoſitionis licitè, & validè concedere. Ita *Leſſ. l. 2. cap. 16. dub. 11. clauſ. Reg. l. 10. tract. 5. cap. 8. Bannes 2. 2. q. 72. ar. 5. Filiuc. tract. 32. cap. 5. q. 12. Molyn. & Valer. quos citat, & ſequitur Bonacc. de reſtitut. diſput. 1. quæſt. vltim. & quæſt. 3. punct. 4.*

An vero Epiſcopus hanc etiam compoſitionis bullam concedere valeat in ſua Diœceſi, negant *noſtri Rodriq. loc. cit. Cordub. & Syluest.* apud ipſum, quia cum incerta reſeruentur à iure poſitiuo pauperibus, & Eccleſijs, & Epiſcopus non poſſit in iure poſitiuo diſpenſare, ſequitur non poſſe facere hanc compoſitionem rerum incertarum. Attamen *noster Villalob. in ſum. T. 1. tract. 19. num. 11. Trullench. in expoſit. Bullæ l. 3. dub. 1. num. 3. Henriq. l. 7. cap. 33. num. 4.* aſſerunt, quia nec humano, nec naturali iure habetur hanc compoſitionem Papæ reſeruatam; pręterquam quod iuſtè præſumi poteſt voluntatem creditorum eſſe, vt Epiſcopus conſulat conſcientijs ſuorum ſubditorum incerta debentium, & adducunt non obſtare, quod non ſit poſitum in conſuetudine, quia fortè fuſius, & magis ſufficienter putant homines a Papa, qui maiori fulgeat authoritate, & dominio circa fidelium conſcientias dirigendas ad viam ſalutis hanc compoſitionem incertorum poſſe fieri, quæ probabilitas non tollit, quod Epiſcopus non poſſit vti ſua authoritate, ſi ad ipſum pro tali compoſitione fieret recurſus, huic etiam ſubſcribere videtur *Diana p. 3. tract. 4. miſcell. reſol. 112.* Verum omnino primam ſequendam reor, cum ſit de iure poſitiuo talis compoſitio ex voluntate tamen interpretata creditorum poſſet æqualiter ſuſtineri probabiliter.

Vtrum

Vtrum ex præfata bulla compoſitionis ita ſit immunis à reſtitutione debitor, vt comparentibus, & cognitis poſtea veris Dominus non ſit obligatus eis maiorem ſummam reſtituere.

DIFFIC. IV.

AFfirmant teneri ad reſtitutionem cognitis, & comparentibus veris, & certis Dominis bonorum, de quibus fuit accepta bulla compoſitionis à Papa, modo adſint in propria ſpecie, quod ſi conſumpta ſint ſolum id, in quo per ipſa factus eſt locupletior poſt compoſitionem ſtante bona fide, nã Pontifex non poteſt abſolutè talem compoſitionem facere, cum non ſit Dominus abſolutus rerum fidelium, quando autem dat bullam compoſitionis virtualiter intelligit eam facere abſque præiudicio dominorum certorum, ſi quando cognoſcantur, vel compareant. Ita *noſt. Rodriq. in Bull. compoſ. dub. 6. & Villal. T. 1. tract. 19. num. 9.* qui citat etiam pro hac ſententia *Caiet. Sot. & Lopez.* Negant tamen teneri ad reſtitutionem in caſu quo poſt bullam compoſitionis acceptam cognoſcuntur certi, & veri Domini *Bann. 2. 2. q. 26. art. 5. dub. 8. Henriq. l. 7. cap. 34. Trullench. in expoſ. bul. l. 3. dub. 4. Acoſta in bul. Cruc. q. 43. & Diana 3. p. tract. 4. reſol. 112.* ex eo, quod bona aliena, quæ ex legitima præſcriptione retinentur, comparentibus Dominis non ſunt reſtituenda, quia per legem eorum dominia verè translata ſunt in poſſidentes ex legitima præſcriptione, ergo etiam quæ poſſidentur per viam compoſitionis non sũt reſtituenda comparentibus, vel cognitis certis dominis, quia per Bullam habentem authoritatem transferendi dominia rerum incertarum, quæ pauperibus deberentur, ſunt in legitima eorum poſſeſſione qui bullam compoſitionis acceperunt, ergo cum ſint facti veri Domini eorum per bullam non tenentur ea reſtituere.

Sanè hæc opinio in caſu, quo non adſit dolus, & fraus, ſed omnino adſit bona fides à reſtitutione ſe immunem faciendi eo faciliori modo, quo licitè fieri poteſt probabilis eſt, at vero ſi ob timorem, vel ſuſpicionem quam fortè quis haberet probabilem, ne verus, & certus Dominus compareret, & ſic cogeretur totam ſummam reſtituere, approperat compoſitionis bullam accipere, cum fraus, & dolus nemini debet patrocinari, puto non ſuffragari ei bullam compoſitionis, & forte ratione huius ſubreptionis, & doli prima opinio eſt probabilior, quia ſi abſolutè Papa per viam compoſitionis intenderet dominium incertorum debitori concedere, aperiretur via facilior ad aliena indiſcriminatim rapienda, dum parua ſumma etiam in præiudicium certorum Dominorum, qui poſſet aliquando cognoſci maior ſumma remittitur abſque obligatione reſtitutionis, benignius ergo, & tutius voluntas ſummi Pontificis interpretatur cum prima opinione.

Poſſet tamen Papa abſolutè hanc condere legem, vt facta compoſitione incertorum à Sede Apoſtolica amplius non tenerentur debitores pro maiori ſumma condonata abſoluiè eorum dominium transferendo per bullam compoſitionis in ipſos, quia ita bono communi ſpirituali ad conſulendum ſcilicet omnium fidelium conſcientijs, ſcrupuliſque tollendis videtur eſſe apprimè conſentaneum, ſicut à lege ciuili factum eſt in præſcriptione, attamen dum Pontifex hoc non declarat, probabilior manet prima opinio quaſi iuri naturæ magis ſaltem congrua, quare quærendum occurrit.

Vtrum de maiori ſumma incertorum legitimè retenta per bullam, teneatur debitor alijs ſuis certis creditoribus ſatisfacere, ſi alia non habeat.

DIFFIC. V.

IVxta ſecundam opinionem in ſuperiori difficultate poſitam nullum eſt dubium, quia abſoluiè ſecundum ipſam debitor incertorum poſt habitam, & acceptam bullam compoſitionis, fit Dominus, ergo ſicut teneretur de proprijs alijs ſoluere certis ſuis creditoribus, quod debet, ita etiam de iſtis incertis, quia iam facta ſunt æquè propria, vt cetera ſua.

Et licèt iuxta primam opinionem videretur hæc doctrina non currere, attamen etiam iuxta ipſam rationabilis eſt, nam per bullam compoſitionis hic, & nunc dum veri Domini nõ ſciuntur, debitor incertorum eſt legitimus poſſeſſor, & Dominus, & ijs vti valet tanquam Dominus in omnibus ſuis neceſſitatibus, & occurrentijs abſque ſcrupulo, alias ad nihil valeret bulla compoſitionis, tanto ergo magis poteſt eis vti, imò debet ad exonerandam ſuam conſcientiam ſoluendo quod debet ceteris ſuis creditoribus certis. Ita etiam Bonacc. de *reſtitut. diſp. 1. quaſt. vltim.*

Vtrum caupones, tabernarij, Macellarij, Piſtores, & conſimiles falſis ponderibus, & menſuris, vel etiam res falſificatas, vel maiori pretio vendentes indiſtinctim etiam ſibi non notis poſſint accipere bullam compoſitionis tuta conſcientia.

DIFFIC. VI.

AFfirmant, & probabiliter quidem *Trullench. in expoſ. Bull. Cruc. l. 3. caſu 18. n. 2.* quia talia incerta, quæ tabernarij, Caupones, Macellarij, Piſtores, & conſimiles vel ex falſa menſura, & pondere, vel ex falſificatione rei venditæ, vel etiam ratione maioris pretij accepti iniuſtè ſunt lucrati, cum certi Domini haberi nequaquam valeant, quibus reſtituantur pauperibus, vel Eccleſijs reſtituenda, & præſumpta certorum Dominorum voluntate, quorum ſinguli pro ſua anima dari malunt, quod a talibus iniuſtè ſibi ſunt ablata, cum ergo Papa ſit Dominus incertorum, quæ pauperibus ſunt diſtribuenda poterit bullam compoſitionis ſimilibus perſonis etiam concedere, & iſti licitè ea vti poſſunt, & tuta conſcientia maiorem ſummam retinere, modo non commiſerint dictas fraudes in confidentia talis compoſitionis, quia fraus nulli debet patrocinari.

Attamen *noſter Villalob. in ſum. T. 1. tract. 29. num. 30.* negat, & fortè probabilius præfatos Caupones, tabernarios, Macellarios, Piſtores, & conſimiles poſſe accipere bullam compoſitionis, quia probabile admodum eſt ea, quæ fraudibus prefatis lucrati ſunt communitati ciuium reſtituenda, vt ſic reſtitutioni fiat ſatis, nam huiuſmodi lucra non ſunt omnino incerta, cum certa ſint reſpectu loci in quo exercent artem ciuibus vt plurimum deberi, licet non ſciantur particulares, ſi ergo communitati reſtituantur, videtur quodammodo quãtum fieri poteſt particularibus ſingulis facta reſtitutio, vel ſaltem per tantum aliud tempus minori pretio, vel maiori menſura vendere eſſet etiam optima via ad reſtituendum omni meliori modo, quo poteſt, quare cum huiuſmodi iniuſta lucra non ſint omnino incerta quibus ſint reſtituenda ſaltem in communi non videntur poſſe ſubijci licitè, & validè bullæ compoſitionis, & cum ſimus in odioſis voluntas Papæ interpretanda eſt de bonis incertis omnino, quorum Domini nec in communi ſciuntur, nec poteſt fieri eis ſaltem in communi, vel alia via reſtitutio.

Prima tamen opinio de ijs qui vendunt non in locis determinatis, ſed vagi ſunt in ſuis mercibus deferendis, vel tabernarij, cauponis, Piſtoris, & ſimilium artes exercent in locis, in quibus ferè ſoli itinerantes, & aduenæ ipſorum opera, & rebus vtuntur, omnino probabilior, & tuta videtur, cum ceſſet ratio ſecundæ opinionis in ipſis &c.

Conceſſum.

Quomodo intelligendum, interpratandum, & extendendum ſit conceſſum.

DIFFIC. Vnica.

DIco primo, quod conceſſum intelligitur de iure communi quod non eſt prohibitum; *arg. qui ſpiritualem 30. q. 4. & ſunt non miſſi 16. q. 2. & l. mutuis ff. de teſt. & l. nec non §. quod eis ff. de Procurat.* quod axioma docet *Ang. noſt. V.* conceſſum intelligendum eſſe in conſtitutionibus affirmatiuis, non autem negatiuis; hinc quia conceditur matrimonium omnibus, & ſingulis, & toties, quoties conceditur, niſi expreſsè vel aliquibus, vel determinatè prohibeatur, in negatiuis vero non ita, vt ſi prohibeatur homicidium ſemper, & cuilibet prohibitum, & nulli conceſsũ, niſi cõceſſio exprimatur in caſu determinato.

Adde ex *noſtro Vngarell. Schol. A.* quod in contractibus ſtricti iuris omnia intelliguntur prohibita, niſi inueniantur expreſsè conceſſa, ex *l. quicquid aſtringenda de verb. obligat. ſimile in arbitro c. cum dilectus de arbitr. ff. de Arbitr. l. ſi cum dies §. plenum, & l. quod tamen; Idem in priuilegijs ad audientiam de Decim. c. de terra de priuil.* E contra vero in contractibus bonæ fidei omnia dicuntur venire in iudicium, niſi expreſsè prohibeantur.

beantur *l. cum Eccl. de cauſa poſſ. & proprie ff. de Iudic. l. ſolemus ff. de 1 d. huius*. In beneficijs autem omnia latè interprætanda *c. olim de verb. ſignif. & cum dilecti de donat.* Idem dicendum in abſolutionibus *c. nuper de ſent. excomm.* quare concludendum eſt præcipuè, quod dicitur omne conceſſum in materia permiſſiua, & affirmatiua, quod non eſt expreſsè prohibitum; vide pro hac etiam propoſitione, *cap. conſuluiſti cum ibi not. 2. quæſt. 5.*

Dico ſecundo, quod conceſſum ſemper intelligitur conceſſum ſecundum formam iuris communis. Ita *habetur l. ſi quando C. de in offic. teſtam.* quare conceſſa facultas confitendi cuilibet ſacerdoti intelligitur ſeruata forma iuris confitendi ſcilicet approbato ab Ordinario. Ita *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2.*

Dico tertio, quod conceſſum propter neceſſitatem non extenditur vltra neceſſitatem, niſi quantum neceſſitas ex poſtulat, quia cauſa limitata limitatum producit effectum, vnde ceſſante cauſa finali conceſſionis ceſſat effectus. Ita Angel. §. 2. *ex Panormit. in cap. Deus qui de vit. & honeſt. cleric. hinc in c. præfato, Deus*, vbi conceditur Religioſis miſſis ad prædicandū inter infideles, vt ſi adſit ſcandalum, valeant ſe in habitu, & moribus conformare, itaque ſi ceſſet ſcandalum vnuſquiſque debet ſuo habitu vti, quia ceſſat cauſa finalis conceſſionis.

Dico quarto, quod quando conceſſio non exorbitat à iure communi extenditur etiam ad futurum, vnde conceſſio decimarum intelligitur etiam de futuris prædijs acquirendis, quādo conceditur clericis, & Eccleſiæ *ex cap. quia circa de priuil.* quia fauores ſunt ampliandi, quando non exorbitant à iure communi, concedere autem decimas Eccleſiæ, & clericis eſt conforme iuri communi.

At vero ſi cōceſſio vertitur in odium tanquam exorbitans à iure communi ſolum ad præſentia extenditur, non autem ad futura, hinc ſi concedatur priuilegium decimarum laico, intelligitur ſolum de præſentibus prædijs, non de futuris acquirendis ex cap. de tua .i. de decimis, quia exorbitat à iure communi laicis concedere decimas tanquam odioſum non extenditur ad futura, cum odia ſint reſtringenda.

Dico quinto, quod conceſſio contra ius commune non extenditur de caſu ad caſum, etiam ſi in iſto eſſet maior ratio; *argum. deſumpto ex cap. in argum. de reg. iur. in 6. & l. quod vero contra ff. de legib.* hinc legatus abſoluit à percuſſione clerici Papæ reſeruato, non tamen incendiarios denunciatos. Ita *Vgolin. de cenſ. Tab. 1. l. 10. §. 3. & Nalduſ V. conceſſum num. 4.*

Dico ſeſto, quod conceſſo principali, conceditur acceſſoriū, ſine quo non poteſt ſtare principale, ſecus ſi poſſet ſtare ſine tali acceſſorio, hinc cōmiſſa cauſa principali committūtur ea omnia; quæ ad cauſæ ſpectant executionem, ex c. preterea de off. delegati, quia concedens concedit neceſſariò omnia quæ ſecuntur ex conceſſo *dict. 8. quo iure, & de off. deleg. cum ſuper, & de dolo, & contum. cum dilecti, & ibi Panormit. Ita Angel. noſt. V. conceſſ. §. 3. & 4. & Nauar. conſ. 28 n. 3. de temp. ordinād.*

Dico ſeptimo, quod conceſſum ad beneplacitum, dupliciter intelligi poteſt, vel conceditur ad beneplacitum ideſt donec reuocetur conceſſio, & hæc non expirat morte concedentis, ſi ante mortem eam nō reuocauerit poſitiuè, ſecūdo intelligitur conceſſum ad beneplacitum ideſt donec voluerit concedens, & ſic ceſſat morte concedentis, quia perit voluntas, ex cap. ſi gratioſè de reſcript. in 6.

Nota etiam hic obiter, quod conceſſio obtenta præiudicialis alteri, pendente iudicio, vel lite nihil valet, niſi in conceſſio. ne fiat mentio pendentiæ litis. Ita *Abb. num. 8. de re iudic. cap. Inter monaſter. &c.*

Concubinatus.

Quid ſit concubinatus, & an ſit crimen mixti fori, & qua pena puniatur.

DIFFIC. I.

Dico primo, quod concubinatus eſt frequens, & conſueta fornicatio cum eadem fæmina ſiue ſoluta, ſiue coniugata alendo eam ad venerem, ac ſi eſſet vxor, & licet de iure ciuili, vt notat *noſter Vngar. hic Schol. A. ex gloſa*, quam ſequitur *Bartol. l. 1. fin. ff. de concub.* requiratur vt ſimul concubinarius cum concubina in eadem domo cohabitent, in foro tamen conſcientiæ ſufficit etiam, vt in alia domo ad ſuum nutum ſuis impenſis concubinam alat concubinarius forte tamen non poſſet puniri nec iuxta Sacra Canones, ſi ſimul non cohabitent in eadem domo, in foro autem conſcientiæ omnino vt concubinarius eſt habendus. Ita etiam *Bonacc. de matrimon. quæſt. 4. punct. 10.*

Dico 2. quod concubinæ, quæ in ſacra ſcriptura veteris teſtamenti permiſſæ leguntur etiam viris Sanctis erant veræ vxores, ſed dicebantur concubinæ, quia ſine publica ſolemnitate, & conſueto ritu ducebantur in vxores, & non admittebantur ad domeſticam familiæ gubernationem. Ita ex noſtro *Lyrano Azor. 2. p. lib. 3. c. 5. Henriq. l. 12. c. 6. n. 2. Filiuc. tra. 30. l. 2. n. 32. hinc Bonac. loc. cit.* aſſerit hebræis permiſſum fuiſſe vnam ducere ritu ſolemni, alias vero priuatim abſque ſolemnitate, quare nunquam concubinæ tales in iure canonico permittuntur ſed ad conſuetam, & quaſi coniugalem fornicationem prohibentur.

Dico tertio, quod licet multi Doctores velint concubinatū eſſe crimen mixti fori, vt probant *Azor. T. 2. l. 3. c. 53. Vener. in exam. Epiſc. l. 3. cap. 27. Bobadell. in Polit. T. 1. l. 2. c. 17. & alij*, ex eo quia prohibentur tam in iure canonico, quam ciuili, attamen alij ſentiunt probabilius contrarium Abb. in c. cum ſit de *for. compet. ex Goffredo antiquiſſimo Doctore clar. in pract. crimin. l. 4. §. fornicatio, Barboſ. in collectan. Doct. ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 8. de matrim. Velaſq. in allegat. T. 1. allegat. 34. teſtatur ita fuiſſe*, deciſum in ſupremo Regis Palatij Senatu in Portugallia, cum de hoc controuerteretur inter officiales Epiſcopi, & Iudicem Regiæ Coronæ, immò ita deciſum fuiſſe à Sacr. Congreg. apud obſeruationes doctrinales Concil. Trid. inuentas in Bibliotheca *Card. Bellarm. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 8. litt. A.* ex qua doctrina.

Collige, quod Epiſcopus non ſolum excommunicare poteſt concubinarium laicum, ſed etiam contra eum poteſt procedere cum alijs penis etiam pecuniarijs. Illud tamen obſeruandum eſt, quod quando Epiſcopus vult cōcubinarium excommunicare, debet prius trina monitione præcipere ei, vt concubinam dimittat, quando autem alijs pænis etiam pecuniarijs vult eum punire non requiritur trina monitio. Ita *Sacr. Congreg. in præcit. loc. Card. Bellarm.* & ratio eſt, quia ad ferendas cenſuras requiritur contumacia, quia feruntur paſſim ob emendationem curandam, & ideo requiritur, vt prius canonicè ter moneatur, vt tempus reſipiſcendi, & peccatum relinquendi habeat concubinarius; pænæ autem ad punitionem ordinantur, & contra legitimè inuentos delinquere pro qualitate delicti ſtatim feruntur.

Nec obſtat, quod *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de reform. matrim.* non punit concubinarios pænis pecuniarijs, vel alijs abitrarijs ante annum, ergo ſola excommunicatione trina monitione præmiſſa ſolum puniri poterunt, quia per tale decretum non tollit Conc. Trid. alias vias congruas ad tantum ſcelus exterminandum, & ita declaraſſe Sacram Congregationem teſtatur ſcipio de Rubeis in Aphor. Epiſc. V. concubinarij n. 4.

Verum eſt tamen, quod ſi Iudex laicus præueniret in puniendo concubinarium ſequens primam opinionem, quæ probabilis etiam eſt, non peccaret.

Dico quarto, quod licet de iure antiquo Presbiteri, & clerici cōcubinarij notorii fuerint ipſo facto ſuſpenſi, hodie tamē per Conc. Trid. ſeſſ. 75 ſolum ſunt ſuſpendendi, & poſt monitionē primam priuandi tertia parte fructuum, & penſionum ſi ſunt beneficiati Eccleſiæ, aut alteri pio loco applicanda arbitrio Epiſcopi, poſt ſecundam omnibus fructibus, ſi non paruerint poſt tertiam omnino, & perpetuo priuandi ſunt dignitatibus, officijs, & beneficiis, vnde per hoc ius nouum videtur concilium abrogaſſe iura antiqua contra concubinarios. Ita etiam *Aula de cenſ. 3. p. diſp. 5. Henriquez l. 13. c. 36. Tolet. lib. 1. c. 47. Bonacc. de matrim. q. 4. punct. 15. & alij.*

Dico quinto, quod concubinarij laici ſi poſt trinam monitionem, non dimiſerint ſunt excommunicandi ex decr. Cōc. Trid. ſeſſ. 24. ſup. relato, quod ſi per annum cēſuris neglectis in concubinatu perſeuerauerint, arbitrio Epiſcopi ſunt puniendi, concubinæ vero ex eod. c. 8. Conc. Trid. poſt trinam monitionem ſi non paruerint, ſiue coniugatæ ſint, ſiue ſolutæ poſſunt ab ordinarijs extra oppidum, & Diœceſim eijci, etiam inuocato brachio ſæculari, ſi opus fuerit aliis pænis contra concubinarios, & adulteros in ſuo robore permanentibus.

Vtrum

Vtrum concubinarius ſit abſoluendus prima vice, etiamſi concubinam de facto non eijecerit.

DIFFIC. II.

NVllo modo abſoluendum concubinarium etiam prima vice, niſi prius eiecerit concubinã abſolutè putant *Sylu. V. concub. q. 2. Nauar. cap. 16. num. 20. Capeuilla de reſeru. in fine*, quia non poteſt abſolui ille, qui occaſionem proximam peccandi non dereliquit. Concubina autem occaſio proxima peccandi eſt.

At verò alij benignius aliquibus ſeruatis conditionibus aſſerunt ſcilicet, quod ſi confeſſarius cognoſcat non adeſſe periculum recidiuandi, puta quia concubina facta eſt deformis, & infirma, aut quia cognatio inter eos, quæ creditur non ſpernenda ab eis, vel alia adſint obſtacula, quæ iudicio confeſſarij impediant recidiuationem ſecundo, vt verè appareat cõtritus, tertio, ne ſit ſcandalum populo retentio concubinæ. Ita *noſter Ang. V. concubinatus §. 2. Graff p. 1. cap. 2. num. 26. Lop. p. 1. cap. 22. Caſtr. Paulaus T. 1. tract. 2 diſp. 2. punct. 9. & nouiſſime Diana p. 5. tract. 4. Miſcell. reſol.* 107. Notat tamen *noſter Ang.* quod ſi non appareret verè contritus, nõ debeat abſolui, quia facilè timeretur recidiuatio, quare *Diana* optime conſulit nõ eſſe abſoluendum paſſim concubinarium, qui ſemel in anno ſolet confiteri, qui per aliquot dies ſolet eijcere, vt eam poſt paſcha reaſſumat, niſi verè conſtet eiiciſſe cum vero propoſito non reuocandi eam in futuro.

Vtrum poſſint dari aliquæ cauſæ legitimæ, ob quas excuſetur concubinarius ab eijcienda ſtatim concubinam, vnde interea poſſit abſolui licitè, antequam eam de facto eijciat.

DIFFIC. III.

TRes præcipuè cauſas ponit *Sancius in ſelect.* diſput. 10. ob quas excuſari poteſt concubinarius niſi de facto concubinam eijciat. Primo, quia ſubita eiectio eſſet caauſa damni notabilis, puta quia debet à concubina exigere centum aureos, quos ſi ſtatim eijceret eam, amitteret omnino, nec haberet vltra ſpem recuperandi, idem dicendum, quod concubina non tenetur ſtatim exire, ſi à concubinario non exigat prius centum ſibi debitos, quos non eſſet exactura poſt egreſſum; ſecũdo ſi concubina ſit nimis vtilis ad lucrandum pro ſua honeſta ſubſtentatione, vel familiæ, poſſet excuſari, niſi de facto eam eiiciat. Tertio ſi ita ſit concubinario neceſſarius concubinæ talis famulatus vt ipſa eiecta nulla alia ita apta inueniri valeat, quæ ſuis infirmitatibus, & neceſſitatibus valeat idoneè inſeruire, poſſet etiam excuſari à ſtatim eam eiicienda.

Ceterum hæc opinio Sancij ita ſimpliciter intellecta nullo modo amplectenda, cauendum enim eſt, ne dum vtilitati, cõmodo, & ſaluti corporali nimis indulgetur, ſalus ſpiritualis cõcubinarii, & concubinæ periclitetur omnino, nam præfatæ cauſæ de non eiicienda concubina poſſunt potius eſſe incentiua maioris amoris, & conſequenter titillationes proximiores ad peccandũ, quare optimè impugnatur prima præcipuè cauſa à *Caſtro Palao T. 1. tract. 2. diſp. 2. p. 9.*

Attamen, ſi aliquę adſint conditiones poteſt concubinarius adhuc abſolui, etiam ſi de facto concubinam non eiiecerit in caſibus præfatis adductis à Sancio, & conſimilibus ſicut infamia ſequenda, ſi ab ea ſeparetur. Prima eſt verus dolor de peccatis præteritis. Secunda firmum propoſitum non peccandi in futurum. Tertia firma credulitas ſe non peccaturum amplius cum ea cum Dei auxilio etiam ſi cum ea in occaſione proxima reperiretur. Quarta, vt promittat ſe vitaturum omnia, & ſingula adminicula, incentiua, & occaſiones proximiores ad peccandum, puta non conueniendo ſolitariè cum concubina. Stantibus enim hiſce cõditionibus in præfatis cauſis legitimis non eſſet dicendus concubinarius eſſe in proxima occaſione peccandi formaliter culpabilis, ſed ſolum in occaſione proxima materialiter, quæ non ſemper eſt omnino culpabilis, ſed ſolum quando eſt omnino voluntaria nulla legitima cauſa excuſabilis, quando ergo hæc eſt à legitima cauſa excuſabilis non eſt peccaminoſa, quia non eſt à praua voluntate deſcendens, ſi ergo occaſionem proximam formaliter fugiat cum propoſito firmo non peccando cum Dei adiutorio, & gratia ſimultaneam conuentionem ſolitariam, & cetera adminicula, & incentiua proximus ad peccandum irritantia, iam non dicitur concubinarius eſſe in proxima occaſione peccãdi formaliter, vnde occaſio proxima materialiter ſcilicet cohabitatio fieret in hoc caſu ſolum occaſio remota, peccator autem perſiſtens in occaſione remota cum propoſito de cetero non peccandi poteſt abſolui. Ita etiam noſter *Rodriq. in ſumm. T. 1. c. 49. Graff. p. 1. n. 2. c. 26. Henriq. l. 12. c. 26. Nauar. cap. 3. num. 15. Lop. par. 1. num. 22. Bonacc. de matrim. q. 4. p. 14. & Suar. de pænit. diſp. 32. ſect. 2. & alij.*

Aduerte tamen primo, quod hęc doctrina practicari poteſt quando non adeſt ſcandalum publicum, quando. ſ. concubinarius notorius abſoluitur cum retentione concubinæ, non. n. puſilli haſce cauſas legitimas intelligunt, & tamen ſcriptũ eſt nolite ſcandalizare puſillos, itaque ſolum de concubinarijs occultis, & non notoriis hæc doctrina practicanda videtur iuxta noſtri Angeli doctrinam in ſuperiori difficultate poſitam.

Aduertè ſecundo, hanc præfatam doctrinam tutius practicari, ſi non abſoluatur immediatè concubinarius, verum ei cõfeſſio prorogetur per quindecim ſaltem dies, intra quos ſi cũ concubina cohabitãs abſtineat à peccato, poterit eſſe ſpes probabilis cum adiutorio Dei de non recidiuando in poſterum in tale peccatum etiam ſtante cohabitatione cum concubina, atque adeo poterit magis tute ei abſolutio impartiri impoſita ei aliqua pænitentia ſatisfactiua grauiori, & præſeruatiua etiam, qua occaſiones, quas cognoſcet confeſſarius poſſe eſſe magis irritantes ad peccandum, magis caueri valeant.

Vtrum concubinarius qui iam verè deſtitit a peccando cum ſua concubina cum propoſito efficaci de non recidiuando poſſit permitti, vt aliquoties eam inuiſat cauſa alendi, vel viſendi filios ex ea ſuſceptos, vel etiam ne cum alio habeat occaſionem peccandi, ſi de hoc populus ſcandalizetur, quid ſi propter eamdem cauſam alendi filios ſuſceptos eam adiens incurrat periculum reincidentiæ poſſit abſolui.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod concubinarium iam non amplius, cum concubina peccantem per aliquod tempus cum propoſito efficaci non recidiuandi in poſterum poſſe permitti, vt domum concubinæ adeat cauſa inuiſendi, vel alendi filios cum ea ſuſceptos, vel etiam propter cauſam ne cum alio ſe ſe commiſceat, etiam ſi ſcandalum foret populo talis viſitatio, docet probabiliter *Sancius in ſelect. diſp.* 10., quia in hoc caſu, dũ verè cum ea non peccat, & habet cauſam legitimam eam adeũdo non dat rationem veram ſcandali actiui, ſed potius ſcandalum mutatur in paſſiuum, quia abſque rationabili fundamento, & ſolum ex prauo iudicio ſcandalizaretur de tali concubinario populus, qui ex eius eiectione pro tanto tempore debet malum amplius non iudicare, ſed potius legitimam cauſam eundo reputare.

An vero idem dicendum ſit de clerico concubinario, ſanè non conſulerem, maximè ſi foret curatus quia peculiari præcepto tenetur omnem etiam ſuſpicionem ſcandali remouere in hac materia *ex c. 14. ſeſſ. 25. de reform. Conc. Trid.*

Dico ſecundo, quod licet doceant aliqui concubinariũ obligatum ad alendos filios ex concubinariam eiecta, à qua tamẽ filios vtpotè minores non poteſt ſeparare, poſſe eam inuiſere, etiamſi adſit periculum recidiuationis, ex eo, quod non ſunt relinquenda opera pietatis ex iure naturæ debita propter periculum incontinentiæ inter quos eſt *Caſtr. Palaus T. 1. 1. trac. 2. diſp. 2. punct. 9.*, attamen ſic abſolutè intellecta opinio mihi nimis videtur periculoſa, cum non ſint facienda voluntaria bona, vt veniant mala, quando bona per ſe primò ordinantur ad mala, nec ad ea facienda ſpeciale præceptum habemus, quare ſic limitandam puto præfatam opinionem, in tantum licere ad iuris naturæ præcepto ſatisfaciendum, quando omnino nullo aliò medio poteſt miniſtrare alimenta neceſſaria filiis à concubina ſuſceptis niſi adeundo domum etiam cum periculo incontinentiæ, & in hoc caſu debet ea omnia adhibere media ad vitandum periculum ſcilicet non conuenire ſolitariè cum illa, & alia incentiua proximiora vitare ad peccandum, & cum hoc propoſito efficaci de non conueniendo ſolitariè cum illa, & de vitandis dictis incẽtiuis poſſet permitti in caſu, quò nullus alius adeſſet, per quem alimenta poſſet eis miniſtrare, vt adeat domum concubinæ adminiſtranda alimenta filiis, quia cum hac limitatione iam cauſam proximam peccandi videtur auferre.

Ceterum in iſtis caſibus aduertat prudens confeſſarius, quod

quod concubinarii ſolent hoc potius pallio ſe cælare apud homines, & confeſſarios, vt licitè permittãtur adire concubinas, cum vix poſſit dari caſus, in quo per alium alimenta mitti nequeant ad concubinam pro alendis filijs, quod ſi daretur, prędictis limitationibus vtendum.

Vtrum concubinæ ſuæ occultæ concubinarius confeſſor poſſit validè excipere confeſſionem, & an concubinarij ſacerdotis miſſa licitè audiatur.

DIFFIC. V.

Dico primo, quod validè à concubinario confeſſario ſua concubina abſoluitur, modo in vtroque ſit efficax propoſitum non recidiuandi, nec adſit in confeſſione periculum alicuius incontinentię maximè ſi excipiatur eius cõfeſſio, ne vterque diffametur probabilius aſſerunt *Sanctius in ſelect. diſpu. 11. & Diana p. 5. tract. 14. reſol. 109.* nec decretum *Calaſtum* obſtare, quia ibi prohibetur ne confeſſarius commiſceatur cũ femina, cuius confeſſionem excepit, non autem prohibet eius confeſſionem excipere, præterquam quod tale decretum fuiſſe reuocatum à Bonifacio Octauo contendunt præfati Doct.

Dico ſecundo, quod ſacerdotis publici concubinarij parati ad celebrandum ſine peccato poteſt miſſa audiri, maximè ſi non adſit alius, à quo commodius audiatur, nec nimia in hoc ſcrupolizandum docet noſter Ang V. cleric. 8. §. 2. quia debet præſumi in illo actu ſaltem propoſitum efficax dimittendi, & ſe corrigendi. Verum eſt tamen, quod ſi poſſit haberi alius ſacerdos, non debet induci, & vocari ad celebrandum concubinarius.

Vtrum clericus notorius concubinarius ſit ipſo iure abſque admonitione ſuperioris ab officio, & beneficio, ſuſpenſus ita vt celebrans incurrat irregularitatem.

DIFFIC. VI.

Affirmatiuè reſpondendum, quod hodie, ſicut in veteri iure clericus concubinarius monitus ſi notorius remaneat in concubinatu eſt ipſo iure ſuſpenſus ab officio, & beneficio abſque alia monitione ſuperioris, ita vt ſi celebret incurrat irregularitatem. Ita declarauit Sacr. Congreg. apud Armendar. *in Addit. ad Recopilat. leg. Nauar. l. 4. Tit. 5. de ſtupro l. vn. n. 6. Garz. de benef. p. 7. ca. 4. n. 11. Belleit. diſquiſit. cler. p. 1. Tit. de diſciplin. cleric. §. 5. num. 45.*

Concubinarijs tamen clericis facienda monitio non ſufficit generaliter fieri ad præfatam pœnam incurrendam, ſed eſt neceſſaria ſpecialis ipſi ſpecialiter intimata *ex Garzia de benef. p. 11. c. 10. n. 186. declarat. 4 Armendar. loc. cit. & Barboſ. in deciſ. Apoſtol. collect. 202.*

Concuſſionis crimen.

Quid ſit concuſſionis crimen, & à quibus incurratur.

DIFFIC. I.

Concuſſio à verbo concutio, quod pro terrificare, & ad terrorem mouere, ſolet accipi, ſuam habet deriuationẽ, vnde à Iuriſtis pro quadam iniuſta comminatione, & metus incuſſione accipitur concuſſionis crimẽ ſic ergo definitur. Concuſſionis crimen eſt, cum quis in officio conſtitutus per metũ aliquid à ſubditis extorquet ob iudicandum, vel decernendũ, vel quo magis, vel minus faciat eo, quod ex officio deberet, vel per minas cogit aliquem ad faciendum, vel non faciendum indebitè; vt colligitur l. 1. 3 4. 5. *& 6. ff. ad legem Iuliam rep.* Talis autem concuſſor efficitur infamis, ſi de hoc crimine condemnatur, & ſecundum canones punitur pœna quatruplici ex 18. diſt. c. quoniam, vide Angel. noſtr. V. concuſſio, &c. Immò noſt. Vngar. ibi Schol 6. notat quod comites, & familiares cõcuſſoris accipientes aliquid à concuſſo in tali caſu non ſolum conueniri poſſunt ad reſtituendum, verum etiam ipſe principalis concuſſor pro acceptis à ſuis miniſtris, & familiaribus, vt habetur in l. 1. ff. ad leg. Iul. quod ſi accipientes ipſi reſtituant, liberatur principalis. Quare

Concuſſionis crimen certum eſt, quod miniſtri præſidis incurrunt, ſi ſub ipſius iuſſus palàm adirent ad capiendum Petrũ, ſtante quod tale mandatum verè à Principe non habuiſſent; ſed ſolum ad incutiendum timorem carcerationis, vt ab ipſo aliquid extorqueant, quia verè incutiunt timorem, ob quem Petrus vt ſe liberet à carceratione comminata eis aliquid tradit, ita noſter Vngarell. Sch. A. At vero concuſſionis crimen non dicuntur incurrere adminiſtrantes ſtipendia publica, ſi aliquid recipiant, puta ſportulas, vt facilius adminiſtrẽt executionem ſuorum officiorum, & dantes citius expediantur, modo omnino gratia eas tradant nullo modo comminati. *Vide Ang. §. vltim. &c.*

Vtrum concuſſionis crimen ſit mortale, & ad reſtitutionem neceſſario teneatur concuſſor.

DIFFIC. II.

Dico primo, quod concuſſionis crimen omnino mortale eſt, quia ex ſuo genere contra iuſtitiam eſt, & contra charitatem, dum proximus lęditur, & eius bona contra ordinẽ iuſtitiæ rapiuntur; quare iure ſub illis verbis prohibetur Lucę 3. à Ioanne militibus adhoc, vt ſaluarentur, nemine concutietis, neque calumniam facietis, & prohibetur etiam 23. q. 1. militare. Ita *noſt. Ang V. concuſſionis* crimen; poſſet tamen paruitas materiæ excuſare à mortale, quando læſio venialis eſt, & acceptio rei non peruenientis ad quantitatem peccati mortalis.

Dico ſecundo, quod concuſſionis crimine acceptum, vtpotè contra iuſtitiã, quãdo vera lis in dicto crimine præſupponitur neceſſariò reſtituendum, ſed nota quod ſi acceptum ſit datum ob malum faciendũ, puta, vt notat noſter *Vngarell. ibid. Schol. E.* ſi Iudex laturus ſit ſententiam iuſtam contra Petrum, quia ne contra ſe iudicet iuſtè, ſed ferat iniuſtam contra partem, pecuniæ ſummam aliquam, vel aliud munus tradit, & ille accipiat, & ſententiam iniuſtam proferat, ſanè tenetur reſtituere pecuniam acceptam pauperibus ex conſilio ſaltẽ, cum hoc ius nõ præcipiat expreſsè, vt notat noſt. *Ang. ibid. §. 2.* at nõ ei, qui dedit, quia propter turpitudinem facti, non eſt decens, vt ad eum redeant pecuniæ, & munus voluntariè data ad malum finem, & à Iudice non retinentur iuſto dominio, probabile admodum eſt, vt pauperibus diſtribuantur huiuſmodi male accepta, vt dicetur infra V. Iudex, & V. Reſtitutio.

Datum vero per concuſſionem, vt faciat, vel nõ faciat, quod tenebatur ex officio puta cuſtodiendi, carcerandi, diſtribuẽdi, vel non carcerandi, non cuſtodiendi, vel non adminiſtrandi, vt fieri poteſt ab adminiſtratoribus publicorum officiorum, & eorum miniſtris neceſſariò reſtituẽdum pauperibus, tum quia inuitis Dominis vt plurimum dantur, tum quia iſti officiales ſolent habere ſtipendia pro ſuis adminiſtrationibus, atq; adeo quicquid accipiunt, pręter paruas ſportulas gratis datas, tenentur pauperibus erogare, ſi proprij Domini ignorantur.

Immo, nec ſub ratione doni talia poſſunt retineri ab habẽtibus ſtipendia publica *arg. l. 1. §. quæ honorandæ ff. quæ me ca. Ita Ang. noſt. loc. cit.*

Condemnare.

Vtrum Princeps ſupremus, vel eius miniſtri licitè valeant aliquando non adhibitis iuris ſolemnitatibus ſine citatione, & defenſionis exhibitione, & proceſſus formatione delinquentem hominem morte damnare.

DIFFIC. I.

Negãt abſolutè id iuſtè, & licitè poſſe fieri à ſupremo quãtumcumq; Principe, nec ab eius miniſtris multi Doctores Theologi, & Iuriſtę, quia defenſio eſt de iure naturę, quod nullus Princeps, nec Imperator, nec Papa poteſt diſpẽſare, nec tollere, & videtur haberi *ex Clem. Paſtoralis §. ceterum de ſent. & re iudicata, & ex gloſ. in extrauag. 1. de dolo, & contum.* vnde aliqui Iuriſtæ per hyperbolem, & exaggerationem quamdam ſolent dicere, quod Iudex etiamſi foret condemnaturus Diabolum, deberet ei defenſionem præbere, vt demonſtrent, quãtæ ſit neceſſitatis ius defenſionis præbendæ in cauſis criminalibus, & ciuilibus; Quare non licere Principi ſupremo abſque defenſione exhibita delinquenti ipſum morte damnare probabiliter abſolutè negare videntur *D. Thom. in 2. 2. quæſt. 67. art. 1. Caiet. in ſumm. V. homicidium, Azor. part 2. l. 11. & alij, & inter iuriſtas. capiblancus de offic. Bartol. T. 2. prag. 1. cap. 2. & alij.*

Attamen

Attamen in aliquo caſu quibuſdam conditionibus poſitis poſſe Principem ſupremum, vel eius miniſtros ex ſpeciali cõmiſſione immediatè abſque formatione proceſſus, citatione, & defenſione præmiſſa delinquentem morte damnare docẽt aliqui Theologi, & canoniſtæ primo, requiri volunt, vt crimẽ ſit ita notorium, vt nulla tergiuerſatione celari valeat, vel ſaltẽ coram aliquot idoneis teſtibus ſit omnino certum, vel ſaltem in flagranti crimine à Principe, vel miniſtris inuentus; ſecundo, vt ex ipſius publica, vel dilata condemnatione timeatur aliquod magnum inconueniens futurum Reipublicę, & Principi exitioſum. Tertio, vt prius ſummariè ſaltem priuatim diſcutiatur nullam à Reo poſſe adduci iuſtam defenſionem; quibus conditionibus ſeruatis probabiliter licere delinquentem priuatim, occultè abſque proceſſus formatione, & defenſionis exhibitione morte punire. *Ita noſt. Villalan ſum. T. 2. tra. 4. diffic. 4. Leſſius l. 2. de iuſt. c. 29. Nauarr. c. 25. n. 10. & Petr. Nauarr. de reſti. l. 1. c. 3.* Quare ſi Reus poſſet liberè iuſtam cauſam defenſionis habere, omnino eſt ei exhibenda, data temporis dilatione iuxta exigentiam cauſæ, & periculi imminentis etiam conſiderata ratione.

Immo addunt alij, quod ſi ſoli Principi certo conſtaret aliquem eſſe machinatorem proditionis, ita vt ex certa ſcientia haberet, quod nullam poſſet iuſtæ defenſionis cauſam afferre, & periculum eſſet in mora, nec alio modo periculum poſſet euadi niſi per eius priuatam occiſionem, poſſit priuatè, & occultè morte punire talem delinquentem abſque alio proceſſu, citatione, & defenſionis exhibitione, quia in hoc caſu non procederet tanquam Iudex, ſed tanquam bonus Princeps ad vitandum commune malum inuigilans. Ita *Merola in emptor. iuris p. 1. tit. 2. q. 2. & Diana tract. 5. Miſcell. reſol. q. 68. in 3. p.*

Quod tu tamen numquam hoc conſule, nec conſilium ſequere, niſi in caſu, in quo repertus fuerit delinquens in flagrãte crimine à Principe, vel conuictus manifeſtè appareat ex aliquo euidenti indicio, quod nulla tergiuerſatione negare poſſet Reus, & periculum ſit in mora, niſi occidatur, vel ſi ſolemnitates iuris adhibeantur. Multa enim aliquando fiũt, & loqui ſolent abſque dolo, & ex inaduertẽtia culpabili, & ſubito iræ motu, vel nimio affectu, & multa ſolent iudicari vera, quæ tamen falſa ſunt ex cęco mentis affectu, odio, inuidia, & ira, ideo omnia iſta perpendat prudens Chriſtianus Princeps, vel Iudex, antequam ſine defenſione hominem occidi iubeat in præfatis caſibus.

Vtrum in condemnationis pena mitior pars ſit ſequenda.

DIFFIC. II.

AFfirmatiuè reſpondent communiter iuriſtæ, quia ſecundum commune canoniſtarum, & iuriſtarum proloquiũ pœnæ ſunt reſtringendæ, & fauores ſunt ampliandi, & iura magis ſunt prona ad abſoluendum, quam ad condemnandum. Hinc

Condemnatio facienda per ſtatutum, vt pro tali crimine amittatur farina, frumentum, oleum, & conſimilia non extẽditur ad ſaccum, vas, vel inſtrumentum in quo eſt, quia pœnæ reſtringendæ ex *Baldo in l. cum pæn. c. de num pæn. & Bartol. in l. 1. de verb. ſignific.*

Item condemnantibus tribus arbitris aliquem diuerſo modo, vno ſcilicet in triginta, altero in viginti, & alio in decem debet ſequi iudicium huius tertij, qui in minori ſumma iudicauit, in quo alij duo conuenire debent præſumi ex l. de *Arbitr. in 6. vide infra V. damnatus.*

Conditio.

Quid ſit conditio, & quomodo diſtinguatur à cauſa demonſtratione, & modo.

DIFFIC. I.

COnditio diuerſam nominis æthimologiam ſortitur apud iuriſtas, etenim, vt optimè notat *noſt. Vngar. V. conditio Schol. A.* ſi ſcribatur eius media ſyllaba cum c. ante T. & I. condictio à verbo condico deriuatur, & apud eos vocatur quædam actio perſonalis, qua perſonaliter denunciabatur iure antiquo obligatus ad ſoluendum, an vellet ſoluere, antequam in iudicio conueniretur, quæ denunciatio non requirebatur in actionibus realibus, in quibus perſona non erat obligata, §. 1. Inſtit. de act. an vero hodie requiratur conſule c. *Heli 2. de Syon. gloſ. & Bart. in l. debitores l. de dign. &c.* & de hac non eſt nobis ſermo in præſenti.

Porrò conditio à verbo condio, quo qualitatem epularũ, & aromatum odores ſapimus, iuxta aliquorum ſententiam deriuare etiam poteſt, & tunc ſtatum perſonarum, temporũ, & negotiorum indicat, quaſi denotat, quomodo ſapere poſſimus, an ſit dies, pauper, doctus, ignarus, tempus felix, miſerũ, negotia grauia, vel leuia, & de hac conditione neque hic ſermo eſt.

Conditio denique à verbo condo, quatenus abſcondere, & cælare denotat etiam deriuare intenditur communius à Doctoribus, ex eo, quod appoſita actui non demonſtrat effectum præſentem abſolutè, ſed eum quaſi condit, ſeu cælat, & abſcõdit iuxta futurum pręſentem, vel præteritum caſum, & ferè per particulam ſi, & niſi conditio ſignificatur, & de hac in præſenti titulo & difficultate eſt nobis loquendum. Quare

Dico primo, quod conditio ſumpta in communiori ſignificato eſt illa per quam ſuſpenditur actus, vnde conditio differt à demonſtratione, quia demonſtratio eſt liquidatio, & certificatio præſentis vel præteritæ actionis, & nullo modo extenditur ad futurum euentum, quæ immediatè opponitur conditioni, vt patet, explicatur paſſim per relatiuum qui, quæ, quod, vt ſi dicatur, ego te duco in vxorem, quæ es pulchra.

Differt autẽ conditio à modo, quia modus clarificat actionem, vel perſonam, vt explicatur per particulam, vt, e. g. lego tibi centum aureos, vt ædifices mihi monumentum, conditio autem ſuſpendit actum iuxta euentum, qui neſcitur, vt lego tibi centum aureos, ſi Nauis ſalua venerit ab Hiſpania. Differt autem modus à cauſa, quia hæc etiam ponit de præſenti, & nõ ſuſpendit effectum, vt conditio, & per quia indicatur, puta ſi dicatur lego tibi centum, quia negotia mea geſſiſti. Ita noſter *Ang. V. conditio, & Vngarell. ibid. Schol. G. H. K. l. 1.*

Quotuplex ſit, & quænam vera conditio.

DIFFIC. II.

DIco primo, quod conditio in lata ſui ſignificatione alia dicitur de præterito, alia de præſenti, alia de futuro; conditio de præterito ſuſpendit actũ, donec ſciatur effectus præteritus, an ita ſe habuerit, vt lego tibi centũ, ſi tali anno Neapolim iuiſti; conditio de præſenti ſuſpendit actum, donec clarificetur ignotus præſens actus, vt lego tibi centum, ſi tu es virgo, neceſſe eſt, vt clarificetur præſens virginitas, vt effectus habeatur, vtraque autem hæc conditio non induit veram rationem conditionis, cum certi ſint effectus, licet ignorentur; largè tamen poſſunt dici conditiones, quatenus ſuſpendunt actum aliquo modo. Quare

Dico ſecundo, quod conditio de futuro eſt vera, & perfecta conditio, & à iuriſtis definitur, quod conditio eſt futurus euẽtus, vel futura diſpoſitio, per quem, vel quam ſuſpẽditur actus Ita *Bartol. l. 1. tab. 1. ff. de cond. & demonſtrat. & Cardin. in cap. verum de condit. in ſer. & l. cedere diem ff. de verb. ſignif. Vide Ang. & Vngar. loc. cit.* dicitur autem conditio futurus euentus, vel diſpoſitio ad differentiã conditionis de præterito, vel præſenti, quæ conditiones potius modum rei ſignificant, quã futurum euentum; ſimiliter ad differentiam cõditionis neceſſariæ, vt ſi ego ſum homo, tibi lego centum, quę cum ponat certum effectum non dicitur propriè conditio ponitur autem futurus euentus ad differentiam conditionis impoſſibilis, quæ non ſuſpendit actum, cum nullum euentum futurũ poſſit ponere, & ideo non eſt conditio dicenda, *ex l. 3. ff. de cond. & demonſtr. vide Vngar. loc. cit.* dicitur denique conditio de futuro ſuſpendere actum, quia nec cauſa, nec modus, nec demonſtratio habent vim propriè actum ſuſpendendi, vt viſum eſt ſupra.

Dico tertio, quod conditio adhuc alia facti, alia iuris; conditio facti eſt illa, quę ponitur ſpecialiter in contractu à contrahentibus, vel teſtatore, vt ſi equus ſanabitur intra decem dies habeatur pro vendito, ſecus pretium reddatur; vel lego tibi cẽtum aureos, ſi euades Doctor intra tres annos. Conditio autẽ iuris eſt quoddam à iure ſtatutum tacitè intellectum, quo nõ exiſtente, actus ſuſpenditur, exiſtente autem, licet ignoretur exiſtere, non ſuſpenditur effectus, hinc ſi Iudex ſciat ſuam iuriſdictionem finitam, & tamen iudicet, ſuſpenditur actus, quia

Digitized by Google

quia conditio iuris ſtatuentis, quod Iudex ſine iuriſdictione inualidè iudicat, deficit, quod ſi ſciat ſe Iudicem, ignoret tamen aliquod adminiculum ſibi neceſſarium an adſit, non ſuſpenditur actus, quia adeſt conditio iuris neceſſaria. Vide *Vngarell. Sch. E.*

Porrò conditio alia dicitur honeſta, alia turpis, alia impertinens, alia impoſſibilis, alia neceſſaria, alia tacita, alia expreſſa, alia perplexa; honeſta dicitur illa, quę contractui conuenit, vt ſi dicatur duco te in vxorem, ſi patri meo placuerit, honeſta eſt, quia conuenit, vt matrimonio contrahatur cum volũtate Patris, turpis autem conditio eſt illa, quæ eſt contra ſubſtantiam contractus, vel ſaltem ſine peccato, vel dedecore non poteſt exequi, vt ſi dicatur, ego te duco in vxorem, ſi medicinam abortiendi ſumpſeris, vel ſi adulterabis cum quibus mihi placuerit, hæc enim ſunt contra ſubſtantiam matrimonij, in quo ſubſtantialiter proles, & fides requiritur; vel etiam ſi dicatur, ego tecum contraho matrimonium, ſi fratrem tuũ occideris, nam hæc conditio dedecens, & ſine peccato exerceri nequit. Impertinens audem conditio eſt illa, quæ nec eſt turpis, nec ſimpliciter honeſta, ſed omnino impertinens ad contractum, qui celebratur, vt contraho tecum matrimoniũ, ſi coquus gallinam aſſabit pro noſtra cæna. Impoſſibilis autẽ eſt illa, quæ eſt contra vires, & potentiam hominum naturalem, vt duco te in vxorem, ſi dederis mihi montem aureum, vel cælum digito tetigeris, vtrumque enim eſt contra vires, & potentiam naturalem hominum. Neceſſaria vero eſt illa, quæ neceſſarium futurum euentum ponit, vt duco te in vxorem, ſi cras erunt ſtellæ in cælo. Conditio autem expreſſa, quæ demonſtrat conditionem in contractu, tacita vera, quæ non exprimit conditionem in contractu, ſed includitur in illo neceſſariò; vt ſi clericus, vel ſimplex ſacerdos dicat, promitto, quod te ordinabo in ſacerdotem, intelligitur tacita conditio: ſi ero Epiſcopus. Conditio denique perplexa quando conditio eſt æquiuoca, vel amphybologica, vt ſi dicatur lego franciſco, det, quod placet hæredi, æquiuocum eſt ly placet ad dare, vel accipere ideſt lego frãciſco, quod placet hæredi dare, vel quod placet hæredi accipere, vel ſi dicatur lego franciſco centum, ſi ſi Petrus venit domum, verbum enim venit eſt amphybologicum ad præteritum, & præſens.

Quanam conditio vitiet contractum, vel diſpoſitionem, & quanam vitietur, ita vt habeatur pro non appoſita.

DIFFIC. III.

DIco primo, quod certum eſt conditiones honeſtas, & poſſibiles de futuro non vitiare contractum, vel diſpoſitionem, nec vitari, ita vt non ſint habendæ, pro appoſitis, quia diſpoſitio non habet vim, niſi iuxta contrahentis, & diſponẽtis voluntatem, ergo ſi eius voluntas eſt, vt effectus pendeat à futuro euentu honeſto, & poſſibili, neceſſariò pro validitate contractus, & diſpoſitionis, expectanda eſt conditio appoſita, cum præſupponi debeat honeſta, licita, & poſſibilis conditiò non eſſe contra ſubſtantiam contractus, & diſpoſitionis, ergo cum poſſit eſſe iuxta intentionem diſponentis, non vitiatur, nec cum ſit contra ſubſtantiam contractus, non vitiat cõditio honeſta, & poſſibilis. Ita *noſter Angel. V. conditio §. 11. Rodriq. 1. p. l. 119. Nauarr. c. 22. n: 63. Sanch. de matr. l. 5. diſp. 8. & Bonac. de contract. diſp. 3. q. 1. p. 4.*

Dico ſecundo, quod ſi conditio adiecta in principio contractus, ſeu diſpoſitionis ſit contra ſubſtantiam actus, vitiat contractum, & diſpoſitionem, quia diſponens, & contrahens non poteſt facere ſua voluntate, quod deſtruit rationem contractus; hinc ſi quis velit profiteri ſolemniter in Religione approbata cum conditione ſi poſſet proprium retinere poſt profeſſionem, vel vxorem ducere, nullum eſſet votum, quia retinere profeſſionem, & ducere vxorem ſunt conditiones contra ſubſtantiam voti ſolemnis in Religione, in qua promittitur paupertas, & caſtitas.

Dico tertio, quod conditio turpis, vel impoſſibilis in matrimonio, & voto, & ceteris ſpiritualibus vitiatur, & reijcitur, & pro non appoſita habetur, & matrimonium, & votum induceret obligationem etiam non adimpleta conditione turpi, vel impoſſibili, & ratio eſt, quia nullus obligari poteſt ad id, à quo tenetur abſtinere, ergo conditio turpis pro non appoſita debet haberi, quia etiam nullus ad impoſſibile tenetur, pro nõ appoſita eſt cenſenda, & per conſequens in fauorem rerum ſpiritualium cenſendum eſt talem fuiſſe voluntatem diſponẽtium, & vtraque præfata conditio pro non appoſita haberetur, & contractus, & diſpoſitio eſt valida, niſi immediatè talis conditio ſit contra ſubſtantiam actus matrimonialis, immò ad vitandas fraudes, & controuerſias quoad matrimonium præcipuè ſtatuitur validum in *c. fin. de condit. appoſ. vide Abbatem ib. & Angelum noſtrum* § 11. & hoc in fauorem præcipuè matrimonij, & voti etiam vt videbitur ſuis locis.

Ceterum in contractibus temporalibus, an conditio turpis, & impoſſibilis vitiet, & annullet contractum, ſi ei adijciatur, diſtinguunt, quod in illis, qui tangunt vltimas voluntates, cuiuſmodi ſunt hęredis inſtitutio, legatum, fidei commiſſum, & Donatio cauſa mortis regulariter conditiò turpis, & impoſſibilis vitiatur, & pro non appoſita habetur, & diſpoſitionem, vel contractum non vitiat, nec annullat, niſi ſit contra ſubſtantiam actus immediatè, in illis autem, quę non tangunt vltimas voluntates regulariter conditio turpis, & impoſſibilis vitiat, & annullat contractum, & habetur pro adiecta ad vitiandum contractum, & diſpoſitionem, ratio autem huius diſparitatis ea eſt, quia iura ideo ſtatuunt in præfatis tangentibus vltimas voluntates conditiones turpes, & impoſſibiles nõ annullare, vel vitiare contractus, ſed haberi pro non appoſitis, quia cum mortuo teſtatore non poſſit colligi, quænam fuerit eius voluntas, iocò ne. an ſerio eas appoſuerit ad dirimendas lites ſtatuit, vt pro non adiectis haberentur, vt diſpoſitio locum haberet, quia conſtat actum eſſe factum, ſed neſcitur, qua intentione, in fauorem ergo actus, ne pereat, benignius iura reſpondent, vt ſubſiſtat. In alijs vero contractibus inter viuos, quia contrahentes viuunt, poſſunt facilè iterum contrahere, atque adeo haberi liquidè finis diſpoſitionis. Ita *noſter Angel. loc. cit. Gomez. 2. var. c. 12. & 2. var. c. 4. Couar. 4. decret. c. 3.* Rebell. l. 18. q. 15. *Sanch. l. 15. de matr. diſp. 3. Guttier. de matr. c. 82. Vaſq. in opuſc. de reſtit. c. 7. dub. 10. & Bonacc. de contr. diſp. 391. p. 4. & alij.*

Verum limitatur hæc doctrina ab Angelo noſtro non eſſe veram de conditione impoſſibili, quando adijcitur contra perſonam onerati, ſiue hæredis, puta ſi dicatur à teſtatore, ſi hæres meus digito tangat cælum, & ſi non tetigerit, det centũ aureos caio, quia hæc conditio vitiat, & annullat legatum, ex §. fin. inſtit. de legat. & ibi gloſa facit hanc diſtinctionem, & *notat gloſa in l. vnica C. de his, quæ pa. no.* quod ſi conditio impoſſibilis adijcitur in perſona, & non contra perſonam hæredis, puta ſi dicatur, ſi Titius cælum digito tetigerit eſto meus hæres, vitiatur conditio, & pro non adiecta habetur, & valet inſtitutio in fauorem vltimæ voluntatis. *Inſtitut. de her. inſtit. § impoſſibiles*, & communiter Doctores *in dicto § fin. inſtit. de leg.* licet *Bartolus* hanc diſtinctionem non admittat, eam tamen *noſter Vngarell. Schol. L.* defendit, & re vera in prima parte annullat, quia verè teſtator ſuam intentionem explicat, quod conditio vitiet, & nullum ſit legatum, quod non ita exprimitur eius intentio in ſecunda parte diſtinctionis. Quare

Aduertendum etiam pro doctrina ſuperius allata, quod ſi conditio turpis, vel impoſſibilis habeatur à teſtatore tanquam poſſibilis, & honeſta, & ita præſumatur legitimè à teſtatore credita fuiſſe, alioquin non appoſuiſſet, vitiat contractum, & diſpoſitionem ex l. ſeruo de manumiſſo ff. de condit. indeb. Ita etiam *Leſſius loc. cit. Gomez 1. var. cap. 12. Couarr. 14. decret. 2. part. cap. 3. Bartolus & alij apud Sanchez l. 5. diſp. 3. de man. & Bonac. loc. cit.* quia diſponens verè non intendit diſponere niſi ſub tali conditione, per accidens eſt, quod nunquam ſit ſortitura effectum.

Ex quibus demum collige, quod conditio æquiuoca, & amphybologica, ſeu perplexa habetur etiam pro impoſſibili, & illi æquiparatur, & de ea eodem modo dicendum, quo modo dictum eſt de impoſſibili, vide *noſtrum Vngarell. Schol. L.* loquentem in terminis de perplexa conditione.

Vtrum conditiones appoſitæ in legatis de nubendo, vel non nubendo annullent aliquando diſpoſitionem.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod conditio poſita in legato, puta ſi non duxeris vxorem lego tibi centum, de iure antiquo abſolutè habebatur tanquam non adiecta, & legatum erat validum, quia contra bonum matrimonij ligat voluntatem, &

pro turpi habebatur; hodie tamen in primis nuptijs, & quando generaliter inhibetur matrimonium, habetur pro non adiecta, ſed pro inhibendis ſecundis nuptijs, ſi apponatur, non habetur pro non adiecta, ſed habet vim conditio adiecta præfata. Ita *Gomez 1. var. c. 12.* vbi hanc dicit communem Doctorum ſententiam, *& habetur in auth. vti relictum c. de indicta viduitate toll* hinc.

Collige primo, ſi viduæ relinquatur ager, ſi ad ſecundas nuptias non tranſeat, ſi ſecundò nupſerit, amittit legatum, *ſic de tur. non. in præd. Auth* licet iure antiquo *l. ſed ſi hoc, & l. Titio ff. de condit.* huiuſmodi conditio reijciebatur, & pro non adiecta habebatur. Vide *Molyn. T. 1. tract. 2. diſp.* 207. E contra vero.

Collige ſecundo, quod ſi dicatur, lego centum Bertæ, ſi non nubat, quinquaginta ſi nubat, ſi Berta de facto aliquando nupſerit, debetur primum legatum, quia habetur pro non appoſita conditio contra bonum matrimonij *ex l. Titia §. de condit.* Ita etiam *Molyn. & Gomez. loc. cit. & Bonacc. de contract. diſput. 3. quæſt. 1. part. 4.*

Dico ſecundo, quod ſi legatum fiat ſub conditione, vt non nubat cum tali perſona, vel cum tali genere perſonarum, vel in tali loco, vel inconſulto Patre, vel abſque conſenſu Patris, valida eſt diſpoſitio, & non reijciuntur hæ conditiones, ex *l. ſed ſi hoc §. fin. cum l. ſequenti ff. de condit. & Demonſtr.* Item ſi dicatur lego tibi centum, ſi cum iſta contrahas, & non cum alia, ratio eſt, quia in præfatis diſpoſitionibus non inhibetur abſolutum matrimonium, ſed ſolum allicitur perſona ſub ſpe premij ad implendam teſtatoris voluntatem, quod ſanè licitũ eſt *l. Titio centum ff. de condit. & demonſtr.* Ita etiam *Gomez. Bonacc. & Molyna locis citatis, &* Rebell. *l. 18. n. 15. q. 8.*

Dico tertio, quod legatum factum fæminæ, vel homini, ſi nubat, probabiliter multi Doctores volunt etiam deberi, ſi fæmina, & homo religionem ingrediantur ex Authen. *de Sanctiſs. Epiſcop. §. ſed & hoc preſenti ea ratione*, quia teſtator non debet præſumi voluiſſe excludere tantum bonum à ſuo legato, ſi meminiſſet, cum religio ſit maioris perfectionis, quam vita matrimonialis. Ita etiam *Mantica de coniect. vltim. volunt. l. 11. tit. 18. Menoch. l. 4. præſumpt. 148. Filiuc. tract. 33. cap. 10. quæſt. 7. Molyn. & Bonac. loc. cit.*

Vnde etiam volunt, quod legatum factum Bertæ centum, ſi nupſerit, quinquaginta, ſi fiat monialis, poſſe etiam accipere centum, quia ex d. *auth. de Sanctiſs. Epiſc.* habetur expreſsè, legatum ſub conditione ſi nupſerit, deberi ingredienti religionem, licet aliqui velint hoc ſolum verum eſſe in foro externo; Vide *Bonac. loc. cit.*

Adde, ex præfata doctrina etiam colligi, quod ſi Titio relinquatur hæreditas hac conditione, quod ſi deceſſerit abſque liberis, tranſeat hæreditas ad Caium, ſi fiat Religioſus Titius, hæreditas ad monaſterium ſpectat, quia illa conditio habetur pro non adiecta, cum remouere eum poſſet à Religione. Ita *Rebell. q. 16. Couarr. 3. var. cap. 19. num. 10. & Bonacc. loc. cit.* præterquam quod monaſterium ſuccedit in loco filiorum.

Denique, ſi fiat legatum ſub conditione, ſi caſtè vixerit, relinquo centum, variant Doctores, an debeatur matrimonium contrahenti, ſicut etiam variant, an debeatur ei, qui ſolum peccat per amplexus, & oſcula, de quo vide ſuo loco V. legatum. Vtrum autem, qui ſub conditione donauit, poſſit reſilire ante conditionem impletam. Vide infra V. Donare.

Quomodo attendi debent conditiones ratione temporis.

DIFFIC. V.

Dico primo quod conditio ſufficit, vt temporis momento ſit adimpleta, etiamſi poſtea non duret, habetur effectus diſpoſitionis, *ex l. ſi quis hæred. cap. de inſtitut. & ſubſtitut.* hinc fæmina maritata excluditur, etiam ea, quæ temporis momento habuit virum, à facto; ſicut ad lucrandam dotem ex morte vxoris, ſufficit duraſſe matrimonium temporis momento. Vide *Nald. V. conditio, & V. facere.*

Dico ſecundo, quod conditionis impletę tempus attenditur in gratia obtinenda, non autem tempus datæ conditionis; hinc ſi Petrus habeat reſcriptum beneficij, ſi Doctor euadat, & Titius habeat idem reſcriptum aliquo tempore poſt ſuper idem beneficium, & Titius prius doctoretur, quam Petrus, Titius obtinebit beneficium, quia gratia reſpicit tempus conditionis impletæ, non autem datæ.

Dico tertio, conditionem poſſe retro trahi in contractibus de tempore ad tempus, aiunt iuriſtæ; hinc venditio conditionalis facta tempore Nundinarum, peractis nundinis dicitur impleta conditio, ac ſi eſſet in nundinis, & ideo non ſubditur gabellis, quia habetur, ac ſi vendita eſſet in nundinis. Ita Nald loc. cit. qui etiam docet, gabellam non ſolui in loco impletæ conditionis, ſed in loco contractus initi.

Nota etiam hic, quod conditio impoſita in legato, debet ſcienter, & à propoſito impleri, quod ſi accidentaliter, & fortuito impleatur, non conſequitur effectum legati; quia ex vi legati, & ad intentionem teſtatoris implendam non fuit ſecutus effectus; patet exemplo apud iuriſtas deſumpto de eo, qui occidit Bannitum incidenter, & fortuito, & non ex propoſito, vt præmium propoſitum vulgo, Taglione conſequeretur, quia non conſequitur tale præmium, Taglione promiſſum occiſori.

Nota etiam, quod conditiones extrinſecæ non intelliguntur, niſi exprimantur; *l. ſi ita ſtipulatus §. Chriſogonus ff. de verb. ſignif.*

Vtrum conditio appoſita poſſit cohoneſtare deſiderium, puta ſi hoc non eſſet peccatum, vellem facere illum.

DIFFIC. VI.

Diſtinguunt aliqui, quod conditio appoſita circa peccatũ iure poſitiuo prohibitum ſolum, puta ſi edere carnes in Quadrageſima non eſſet peccatum, vellem eas edere, poteſt cohoneſtari tale deſiderium, vt non ſit peccatum, at vero adiecta peccato prohibito lege diuina, vel naturali, puta: occiderem Titium, niſi eſſet peccatum, non poteſt cohoneſtari deſiderium, & ex Scotica doctrina aliqui afferunt diſparitatis rationem, quia actus ſola lege poſitiua prohibitus, non eſt intrinſecè malus, & conſequenter eius malitia poteſt euacuari per conditionem, vnde licitè poteſt deſiderari cum conditione, ſi non foret peccatum; at vero actus lege diuina, vel naturali prohibitus habet intrinſecam malitiam radicatam, quæ nullo modo euacuari poteſt à conditione, cum ſit omnino inſeparabilis malitia, vnde peccat, dicens, ſi non foret peccatum, vellem occidere Petrum, quia tale deſiderium contra jus naturæ, & diuinum cohoneſtari nequit à cõditione adiecta, ſi non foret peccatum. Ita *Sanch. in ſum. T. 1. l. 4. cap 6. q. 10. Molf. ſ. in ſum. T. 1. tract. 8. c. 8. & alij.*

Attamen diſtinguunt etiam probabiliter alij Doctores quod conditio ſuſpendens, & præſcindens omnem malitiam intrinſecam actui ſemper excuſat à peccato, puta ſi dicatur: Occiderem Petrum, niſi eſſet offenſa Dei, vel peccatum, quia verè non fertur deſiderium efficaciter in rem deſideratam ratione conditionis, nec intentio eius eſt facere peccatum, & Deum offendere, ergo nullo modo ponitur peccatum, cum hoc voluntarium omnino debeat eſſe, at vero ſi conditio non ſuſpendit, nec præſcindit omnem malitiam à peccato, non cohoneſtat deſiderium, puta ſi diceretur: Occiderem inimicum, niſi timerem ſupplicium, fornicarer, niſi extimerem infamiam, quæ conditio non euacuat malitiam, ſed ſolum extrinſecè ſe habent ad non faciendum peccatum, intrinſecè autem adeſt voluntas tales actus exequendi, quatenus ſunt formaliter peccata, ſed ſolum propter extrinſecam malitiam non ſit peccatum, quod ſanè facturus eſſet, eſt ergo malitia in actu, itaque cum hæc conditio non euacuet malitiam peccati, eius deſiderium non cohoneſtatur, & conſequenter peccat mortaliter hoc modo dicens: Fornicarer, niſi eſſet infamia, occiderem, niſi timerem ſupplicium. Ita Laym. *in C. R. l. 8. cap. 7. Vaſq. diſp. 116. de peccato, Salas part. 7. tract. 12. diſput. 16. ſect. 27. & Diana 1. part. tractat. 5. Miſcell. reſolut. 47.*

Sanè prima rationi ſpeculatiuæ magis conſentanea probabilis videtur, & ante factum conſulenda, ſecunda vero benignior poſt factum amplecti poteſt ad leuandos ſcrupulos, quia ſua probabilitate non caret, non conſulerem tamen eam Idiotis præcipuè ante factum, ne detur occaſio in ſimilia ſæpe prorumpendi.

Confeſsio ſacramentalis.

Quid ſit confeſſio ſacramentalis, & à quo iure inſtituta.

DIFFIC. I.

DIco primo, quod confeſſio iuxta ſui nominis æthimologiam, eſt quaſi ſimul, vel ex toto, vel vndique faſſio ideſt explicatio narratio, vel reuelatio eorum omnium, quæ regulariter occulta manent, vnde iure ad ſacramentalem peccatorum reuelationem ſignificandam appoſita fuit hæc vox, confeſſio. Quare

Confeſſio ſacramentalis eſt legitima ſuorum peccatorum accuſatio facta ore proprio à peccatore coram ſacerdote iuriſdictionem habente ad conſequendam illorum remiſſionẽ per abſolutionem. Ita ex varijs Doctorum definitionibus magis completa deſcriptio colligitur. Dicitur autem legitima accuſatio, quia non quælibet accuſatio peccatorum eſt confeſſio ſacramentalis, ſed illa tantum, quæ infra ſcribendis eſt munita conditionibus, dicitur accuſatio peccatorum ſuorum, quia materia confeſſionis ſacramẽtalis ſunt peccata propria, non aliena, dicitur ore proprio, quia per alienum os confiteri regulariter prohibentur peccata in ſacramento pænitentiæ, dicitur à Peccatore, quia nullum habens peccatum, nec veniale, non poteſt confiteri ſacramentaliter, dicitur coram ſacerdote iuriſdictionem habente, quia regulariter extra caſum neceſſitatis, & articuli, vel periculi mortis, ſacerdos nõ habens authoritatem, non abſoluit validè, ponitur ad obtinendam remiſſionem peccatorum, vt finis confeſſionis Sacramentalis ſignificetur, vltimo dicitur per abſolutionem, quia per eam ponitur effectus confeſſionis ſacramentalis.

Dico ſecundo, quod confeſſio Sacramentalia Gloſatore, vt refert *Doctor ſubtiliſs. in 4. diſt. 17. q. 1. a. 1.* de iure ſolo Eccleſiaſtico dicta fuit inſtituta, non autem iure diuino, quam opinionem multis impugnat noſter Doctor, & probare nititur de iure diuino, ex illis verbis Ioann. 20. Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, &c. inſtitutam confeſſionem ſacramentalem peccatorum, & de iure diuino obligare omnes adultos; fruſtra enim Dominus dediſſet authoritatem remittendi, & abſoluendi à peccatis, niſi voluiſſet obligare etiam ad confitendum peccata, ergo ibi Ieſus confeſſionem ſacramentalem dum inſtituit actiuè, inſtituit, & pręcipit etiam paſſiuè; & alias rationes adducit, poſt quas ſaltem concludit ibi ſubtilis noſter in fine articuli, quod ſi ſcripturæ, & rationes adductæ non probarent abſolutè inſtitutam à Chriſto in Euangelia, & Sacra ſcriptura, tamen omnino dicendam eſſe de iure diuino poſitiuo .i. promulgato à Chriſto oretenus Apoſtolis, & Eccleſiæ per Apoſtolos reuelato abſque omni ſcripturæ cuius fundamentum eſt illud Ioann. 20. multa quidem, & alia ſigna fecit Deus &c. & habetur expreſsè *extra de celebrat. miſſ. cum marthà à Sixto 4. contra Petrum de Oſmo, & à Concilio Conſtantienſi contra Ioann. Vuicleph. & in Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. contra calvinum, Kmnitium*, & alios nouatores confeſſionem ſacramentalem ab Eccleſia ſolum ad carnificinam conſcientiarum inuentam nullo modo faciendam eſtuantes, nam confeſſionem ſacramentalem peccatorum tanquam ſecundam tabulam poſt baptiſmum iure diuino inſtitutam, & à Sanctiſſimis Patribus etiam in primæua Eccleſia practicatum, & perſuaſam videtur iam definitum: ex *Conc. Trid. loc. cit. cap. 5.*

Quod etiam probat *Doctor ſubtilis loc. cit. in medio 1. artic.* dum confeſſionem ſacramentalem à Domino inſtitutã *Ioan. 20 quorum remiſeritis peccata &c.* eſſe certam, & faciliorem viam ad obtinendam gratiam, & peccatorum remiſſionem poſt baptiſmum.

Ex quo loco cit. noſtri Doctoris, apertè colligitur, quam falsè, vt ſolet *Bartholom. à S. Fauſto de pænit. l. 4. q. 7.* impingat ſubtiliſſimo Doctori Theologorum Principi, quod dixerit confeſſionem ſacramentalem non eſſe à Chriſto inſtitutam tanquam neceſſariam, & proinde nullo modo ab ipſo præceptam, ſed nil miror, quod ſæpe ſæpius iſte Auctor Scoto falſas tribuat opiniones: noctua enim ſolis radios audens, inſpicere, multo fortius ſe reddit cæcutientem. Quare

Dico tertio, quod ſatis impiè *Caluinus & Kmnitius* crocitauerunt poſſe Eccleſiam, eiuſque Prælatos diſpenſare ne omnino vllo prorſus tempore confiteantur ſua peccata fideles, quia Eccleſia, nec Papa, nec eius Prælati poſſunt abrogare ius diuinum, & conſequenter peccatorum confeſſionem ſacramentalem tollere non valent, nec obſtat, quod ipſi dicũt, Nectarium Patriarcham Conſtantinopolitanum confeſſionem ſacramentalem abrogaſſe, quia ſolum ille ex authorizauit pænitentiarium publicum expoſitum ad audiendas publicas peccantium publicè confeſſiones, iubens in poſterum, vt confeſſione priuata præmiſſa, non autem publica peccatores ad cõmunionem accederent. Vide *Bellarm. l. 3. de penitent.*

Dico quarto, quod præceptum confeſſionis licet indeterminatè, & abſolutè ſit de iure diuino, attamen quoad temporis determinationem, eſt de iure poſitiuo, ſcilicet, vt ſemel in anno, & quando ſacramenta ſunt conficienda, & ſumenda, vt fuſius ſuo loco.

Vtrum tam fidelis, quam infidelis teneatur ad ſacramentalem confeſſionem faciendam.

DIFFIC. II.

NOn defuerunt Theologi, & Canoniſtæ, qui etiam infideles teneri præcepto confeſsionis aſſeruerunt; Ita *Riccardus noſter* quem citat, & ſequitur *noſter Angelus V. confeſſio* §. 2. ex eo, quod cum præceptum de confeſsione ſit de iure diuino ligat omnes tam fideles, quam infideles; Infideles porrò mediatè .i. quatenus obligantur ad ſuſcipiendum baptiſmum, mediatè quo poſtea ſilabantur, tenentur ad confeſsionis præceptum, & iuxta hunc ſenſum etiam multi Theologi graues, & recentiores aſſeruerunt communionem cum ſit de iure diuino obligare etiam infideles, vt videbitur ſuo loco.

Vel explicandi ſunt, vt *noſtri Angel: ſcholiaſtes Vngarell. ibi Schol.* E. docet, quod infideles non ſunt obligati in ſententia *Angeli, & Riccardi*, facere confeſsionem ſacramentaliter extrinſecè materaliter, & formaliter, quia baptiſmo carent, quĩ eſt ianua ſacramentorum, ſed volunt teneri ad præceptum de confeſsione intrinſeca formali apud ſeipſos; poſtquam .n. infideles adulti ſunt, & in peccata inciderunt, obligantur de eis dolere, & de illis atteri ſaltem ita, vt de illis complacentiam nõ habeant; quod elici poteſt etiam à *Scoto in 4. diſt. 17. q. vn. a. 1.* vbi probat, quod confiteri peccata ſua Domino deprecando eum, vt dignetur ea dimittere, quam confeſsionem ſolum vocalem nominat, non autem ſententialem, & huiuſmodi fuiſſe omnes confeſsiones inueteri teſtamento eſt ſatis conforme iuri etiam naturæ, ſiue eius principijs, ad huiuſmodi ergo cõfeſsionem vocalem non ſententialem, & non ſacramentalem teneri infideles opinantur, qui ſolum iure diuino ſimpliciter volunt confeſsionem eſſe præceptum etiam ſacramentaliter tanquam medium magis certum ad ſalutem.

Hinc ſatis inſulsè *Bartholom. à S. Fauſto*, vt ſæpè ſolet imponit Scoto, quod voluerit infideles teneri præcepto cõfeſsionis, nam Scotus licet non improbet opinionem eorum, qui volunt confeſsionem obligare de iure diuino ſimpliciter, ad quorum aures arguendo contra Gloſatorem volentem confeſsionem ſolum præcepto Eccleſiaſtico ſic arguit (item non videretur, quod infideles tenerentur ad præceptum de confeſſioni, quia ſecundũ *Apoſt. 1. ad Corinth. 3.* quid mihi eſt de his, quæ foris ſunt iudicare?) Attamen ipſe contrariam opinionẽ .i. quod ſit de iure diuino poſitiuo probabiliorem docet, ex qua opinione ſua probabiliori non poteſt elici infideles teneri ad confeſsionem, ſi hæc obligat ſolum iure diuino poſitiuo, nam ius diuinum poſitiuum non eſt vniuerſale ad eos, qui extra gremium ſunt Eccleſiæ, vt docet *D. Paul. loc. cit.*

Quod autem in illo argumento Scotus loquatur ad aliorũ, & non propriam opinionem patet ex eo, quod vtitur verbo, videretur, Scotus ergo quando vtitur verbo, videtur, vel dicitur, paſsim ad aliorum mẽtem loquitur, quod ergo ibi arguat, quod ſi ſit de præcepto Eccleſiaſtico ſolum videretur infideles non teneri ad præceptum confeſsionis, non ſecundum ſuam loquitur opinionem, ſed ſecundum opinionem volentium, eſſe de iure diuino ſimpliciter præceptam confeſsionem.

Ceterum, quod ipſe velit confeſsionem nõ obligare de iure diuino ſimpliciter, ſed de iure diuino poſitiuo, accipe ipſum in medio ferè 1. art. loc. cit. §. breuiter videtur rationabilius dicendum tenere ſecundum membrum, quod confeſsio

cadat ſub præcepto poſitiuo diuino (& in fine primi articuli ſic concludit) dicendum eſt tertium membrum ſcilicet, quod eſt de iure diuino poſitiuo à Chriſto Apoſtolis, ſed Eccleſiæ promulgato per Apoſtolos abſque omni ſcriptura, cuius fundamentum eſt illud *Ioann. 20. Multa quidem, & alia ſigna fuit Ieſus &c.* & habetur *extra de celebrat. Miſſe cum martha*.

Adde, quod ſi apertè velis noſtri Doctoris in hac difficultate ſcilicet quod non teneantur infideles ad confeſſionem ſacramentalem, legat ipſum in ſecundo artiu quo conſiderans quis teneatur confiteri, & quæ, reſoluit, Adultum in ea etate, in qua bene inſtructus de offenſa Dei, ſciat reſpondere, ſicut ceteri ſciunt reſpondere ordinatè, quis nam ſit iſte Adultus, qui confiteri tenetur ſacramentaliter explicat dicēs, quod ille, qui per peccatum mortale eſt extra nauem Eccleſię, infidelis ergo cum non fuerit in naui Eccleſię, non eſt extra ipſam per peccatum mortale, ſed per originale, & ideo ſubdit Scotus, quod pænitentia eſt ſecunda tabula, cui innixus peccator redit ad nauem Eccleſiæ in qua ſalus.

Patet ergo contra *Fauſtum*, quod *Scotus* potius contrarium docet, ſcilicet non teneri infidelem ad confeſſionem ſacramētalem, cum ſolus ea vtatur ex ipſius, & communi doctrina Adultus, qui per peccatum mortale extra nauem Eccleſiæ reperitur.

Omnes ergo infideles baptizati adulti habentes peccata mortalia commiſſa poſt baptiſmum, aut in ipſa baptiſmi ſuſceptione per fictionem, aut alicuius peccati complacentia tenētur ad præceptū confeſſionis Sacramentalis tanquā tabulę ſecūdæ neceſſariæ, ad reditū, vt loquitur Scotus ad nauim charitatis, quæ ſolū ſaluare poteſt, & hæc per confeſſionē ſacramētalem ſolum, vel per contritionem cū voto faciendæ dictæ confeſſionis dumtaxat haberi poteſt, quia ſolum per ſacramētum pænitentiæ actu, vel in voto per contritionem ſuſceptū remiſſio peccatorum, & charitas conſequenda proponitur in Eccleſia; ita definitur in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. & cap. 5. & can. 1. 6. & 7.*

An etiam pueri fideles & in qua etate teneantur ad ſacramentalem peccatorum confeſſionem faciendam.

DIFFIC. III.

Dico primo, pueros etiam fideles vſus rationis compotes ſi fuerint, & peccatum comittere ſe norint, & vulgari ſaltē modo diſcernere ſciant hoc eſſe peccatum, illud vero nō, quia ſicut poſſunt in tali ætate conſtituti pueri, vt cognoſcant hoc eſſe peccatum, committere peccatum mortale, ita etiam teneri ea confiteri, & per confeſſionem ad gratiam Dei redire, aliter pueri peccati mortalis conſcij, ſi ſua peccata non eſſent obligati confiteri, poſſent ſaluari impænitentes, & cum peccato, quorum vtrumque falſum; ergo vt ſaluari valeant, dicendum omnino, pueros cum iam ſunt compotes rationis vſus, teneri ad præceptum confeſſionis, atque adeo ille puer erit dicendus adultus quoad præceptum confeſſionis faciendæ, qui eſt iam rationis compos, & valet diſcernere, hoc eſſe peccatum, illud vero non. Ita *Scotus in 4. diſt. 17. q. 1. Pitigianus 2. p. in 4. diſt. 17. ar. 1. & 2. Nauarr. cap. 21. n. 88. Henriq. l. 4. cap 5. Val. T. 4. diſp. 7. quæſt. 9. p. 4. Bonacc. de pæn. Sacr. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. p. 4. & alij.*

Dico ſecundo, quod licet aliqui Doctores ætatem determinauerint in pueris, in qua obligantur ad confeſſionem, nam *D. Antonin. 3. p. tit. 9. n. 2.* putat maſculos obligari ad confeſſionem completo anno decimo cum dimidio, & fæminas in anno vndecimo cum dimidio, alij vero completo ſeptennio, attamen noſter *Subtiliſſimus Doctor loc. cit. art. 2.* docet, non poſſe ętatem annorum determinatam indicare nobis, an ſit obligatus ad confeſſionem, in multis enim pueris ante conſuetā malitia ſupplet ætatem, & non tantum in malis, vt dicunt cōmunia verba, quia fortè citius pendens ad malum, vnde dicuntur doli capaces, & poſſunt peccare, ſed etiam in bonis ad merendum, iuxta illud in legenda S. Agnetis: fides non in annis computatur.

Quare ad cognoſcendum, an puer ſit obligatus ad confeſſionem ſacramentalem peragēdam hanc tradit regulam Scotus, quando ſcilicet puer aliquis inſtructus, & interrogatus ordinatè percipit diſtinctè, quod iuſtum eſt, & quod iniuſtum eſt in lege diuina, quod faciliter, ait, colligi poteſt, ſi, ad ordinatas interrogationes ordinatè reſpondeat, ſicut alius perfectè adultus reſponderet.

Vtrum fideles omnia peccata mortalia interna, & externa etiam dubia, & an venialia quoque ſacramentali confeſſioni ſubijcere teneatur.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod nulli ferè Catholico dubium fuit peccata etiam interna eſſe confitenda, ſi ſint mortalia, confitenda eſſe ſacramentaliter, nam cum confeſſio ſit de iure diuino ad actus etiam internos ſe extendit, maximè cum confeſſio integra non eſſet, ſi ſolum peccata externa deberent confiteri, & gratia non poteſt infundi in ſacramento pęnitentię, ſi peccata integrè non confiteantur, præciſa neceſſitate, & obliuione, ex *Conc. Trid. c. 6. & can. 7.* nec etiam poteſt dimitti vnum peccatum, niſi ſingula dimittantur, cum gratia non poſſit ſtare cum peccato, ſed omnia neceſſariò per eius infuſionem in anima immediatè expellantur, ergo etiam interna mortalia confeſſioni ſubijcienda, vt cum alijs externis ſimul omnia profligentur, nam alia non eſt via, & modus talia interna expiare niſi per confeſſionem iure diuino inſtitutam, aut per contritionem cum voto ea quam primum confitendi. Ita communiter Theologi. Vide noſt. *Pitigian. in 4. 2. par. diſt. 17. ar. 1. & 2. Henriq. l. 4. cap. 5. Suar. de pænit. diſp. 35. ſect. 1. Reginald. l. 1. n. 72. & 58. Valent. T. 4. diſput. 7. q. 9. p. 1. Vaſq. q. 90. art. 1. dub. 4. Bonacc. de pæn. diſput. 3. q. 5. ſect. 2. par. 4. & alij.*

Dico ſecundo, quod omnia peccata mortalia, quæ probabiliter ſe admiſiſſe quis dubitat, tenetur confiteri, ne, vt ait *Subtiliſſ. noſt. Doct.* perplexus videatur in via ſalutis, eo ergo modo quo dubitat, debet in confeſſione ſub dubio aperire, quia peccatum etiam ſub dubio materiam eſſe ſacramenti pænitentiæ aliquo modo eſſe poſſe, dicetur ſuo loco; Quare ſi aliud certū non habeat, adhuc dubium peccatum eo modo, quo dubitat, tenetur confiteri, & ſi ſit dubium facti, poteſt confeſſarius de alio aliquo dubio peccato certo alias confeſſo ſuadere ſaltem cū dubio, vt confiteatur, vt certam materiā cum dubia ſubijciat ſuæ abſolutioni. Ita ex *Nau. Henriq. Valent. & Bonac. loc. cit.*

Dico tertio, quod licet peccata venialia ſint materia ſacramenti pænitentiæ, & licitè, & validè abſolutioni ſacramentali ſupponantur, tamen, vt fuſius alibi, non ſunt materia neceſſaria huius ſacramenti pænitentiæ, itaque fideles non obligantur confiteri venialia, cum iſta per alia ſacramentalia expiari valeant, vnde à nullo iure nec diuino, nec Canonico iubentur fideles peccata venialia confiteri, cum peccata venialia gratiā non auferant, & ſit in ſtatu ſalutis, qui ſolum habet venialia, non ergo obligatur ea fidelis confeſſioni tanquam ſecundæ tabulæ ſubijcere, qui per ſola venialia extra nauem charitatis non naufragatur. Ita ex *Scoto in 4. diſt. 17. q. 1. Pitig. loc. cit. Reginald. Henriq. Suar. Vaſq. Bonac. loc. cit. & alij.*

Vtrum quoties fidelis Adultus cognoſcit ſe peccaſſe mortaliter, toties ſtatim obligetur de iure diuino peccatum mortale ſacramentaliter confiteri.

DIFFIC. V.

Antiquiores aliqui Theologi, & Canoniſtæ, *vt Gulielm. Pariſienſ. & alij, quos citat Couarr. in cap. Alma mater,* affirmarunt, & à *Suarez* tribuitur *Alenſi*, & *D. Bonau.* ſed immerito quidem, nam vterque ſolum dixit, non ſtatim, ſed quandocumque conſcientia habet quamdam ſynderēſim de commiſſo peccato ob varia inconuenientia deducta à peccato mortali in animo, confitendum eſſe tale peccatum, & quidem ſatis vtiliter, & piè dictum ad ſedandam conſcientiam, & *D. Bonau.* ait ſolū Religioſos, & fortè clericos etiam obligati ex vi ſtatus Religioſi, qui ſemper debet dirigi ad acquirendam perfectionem, ad ſtatim confitendum peccatum mortale; Verum licet admodum vtiliter, & piè ſit dictum, nimis tamen onerosa videtur opinio, & tanquam ſcrupuloſa paſſim à Doctoribus delinquitur. Quare

Scotus diſtinct. 12. quæſt. 1. artic. 2. in 4. & Riccardus 16. D. Thom. & Suar. in 3. part. diſput. 35. ſectiōn. 3. & alij communiter de iure diuino ſolum obligari fidelem adultum ad confitenda ſua peccata mortalia in periculo, & articulo mortis, vel quando veriſimiliter credit ante illum articulū, & periculū non habiturū copiā confeſſarij, vel quando cōficturus,

vel

vel ſuſcepturus eſt ſacramentum, quoties autem, teneatur ratione voti, quod emiſit de ſæpius confitendo, vel ex præcepto ſui ſuperioris, vnuſquiſque ſuas Deo factas circa hoc promiſſiones, vel ſui ſuperioris, & inſtituta ordinis conſulat, quando autem ſinguli fideles teneantur de iure Eccleſiaſtico, videbitur infra. Verum

An confeſſionem Sacramentalem quis facere teneatur ad vitandum periculum incurrendi in nouum peccatum mortale.

DIFFIC. VI.

AFfirmant *Caiet. in ſum V. confeſſio. §. 5. Sot. de iuſt. ſect. 5. de neceſſit. confeſſ. Suar. in 3. p. diſp. 35. ſeſſ. 3. Filiucc. T. 1. tract. 7. c. 2. n. 4* & alij probantes ex eo, quod medium neceſſarium ad ſalutem eſt neceſſario amplectendum, at vero frequentia confeſſionis eſt medium neceſſarium ad vitandum peccatum, cuius vitatio eſt neceſſaria ad ſalutem, ergo eſt neceſſariò amplectenda, quare ſub mortali obligatur quis confiteri, ſi ſciat confeſſionem eſſe medium ad vitandum periculum incidendi in noua peccata.

Sanè pium eſt cum hac opinione peccatores ad tãtum bonum faciendum hortari, attamen ſub præcepto peccati mortalis tantum iugum imponere, non videtur mihi probabile, etenim ſi in dicto caſu eſſet ſub mortale obligatio confeſſionem Sacramentalem ſuſcipiendi ſtatim, eſſet neceſſarium cõfeſſarios ſemper habere paratos in omni angulo, quod tamen Eccleſia non pręcipit, nec in praxim à pijs Pręlatis deducitur, vt pro omni hora ſaltem in locis magis frequentibus faciant aſſiſtere confeſſarios ad excipienda peccata eorum, qui obligati ſunt confiteri ad noua peccata vitanda, cum hæc pericula de momento in momentum, ne dicam de die in diẽ occurrant paſſim inter homines, quod ſi non haberent promptam occaſionem, facile damnaretur pleraque pars hominum, qui faſtidio inueniendi confeſſarios ita ſæpe, facile præceptum contemnerent, dum ergo Eccleſia Spiritu Sancto edocta huic neceſſitati non conſulit, nec à Predicatoribus intimatur, nec à confeſſoribus monetur, argumentum probabile eſt non adeſſe obligationem ſub mortali ſtatim poſt peccatum mortale per actum confeſſorem adire, etiam ſi confeſſio foret mediũ ad vitanda noua peccata; nam medium neceſſarium ad ſalutem tenetur fidelis accipere, quando irreparabiliter ſalus periclitatur, vt eſt in periculo, vel articulo mortis, & quandocumque pro miniſterio actiuo, vel paſſiuo Sacramentorum requiritur ſtatus gratiæ, vel alioqui extat ſpecialis obligatio ex voto, vel præcepto, in alijs autem occaſionibus non eſt extendẽda obligatio ſub mortali, ne ſcrupulis fideles obruantur; præterquam quod confeſſio non eſt medium neceſſarium ad pręcauenda futura peccata, ſed ſolum probabile, ergo non neceſſariò obligat, ſed ſolum probabiliter. Ita videntur communius ſentire, & præcipuè nouiſſimè *Eminentiſſimus de Lugo de ſacr. pœnit. diſp. 15. ſect. 4. n. 4. & ſequent.*

Verum eſt tamen, quod ſi quis cognoſceret, expertus confeſſionem Sacramentalem eſſe ſibi medium efficax ad vitanda noua peccata, quia eſſet remedium neceſſarium ſibi ad vitanda peccata teneretur ſtatim atque in vnum incidit peccatũ illud confiteri, ne in noua incidat, quia quis tenetur accipere medium neceſſarium pro vitanda offenſa Dei, ſicut tenetur vitare occaſionem proximam vitandi eamdem offenſam Dei; quia videtur eſſe æqualiter præceptum vitare occaſionem offendendi Deum, & accipere medium neceſſarium pro vitanda offenſa Dei, quia vero non eſt expertus ſibi eſſe medium neceſſarium, cum ex ſe confeſſio Sacramentalis hanc efficaciam infallibiliter non habeat, non obligãtur fideles ſub mortali ſtatim atque peccatum mortale commiſerunt, eam ſuſcipere, ne in noua incidant, eſt tamen optimum conſilium, cum ex frequentia Sacramentorum vires Diaboli reprimantur, & habitus praui, procliuitateſque titillantes ad peccatum, facilius ſupprimantur.

Vtrum fideles precepto Eccleſiaſtico teneantur ſub mortali determinato aliquo tempore confiteri.

DIFFIC. VII.

DIco primo, quod certum eſt ex ſuperioribus dictis, quod Eccleſiaſtico iure non præcipitur confeſſio Sacramentalis, nec potuit præcipi ex ſola ſua poteſtate poſitiua, quia non ſe extendit ius poſitiuum humanum ad inſtituenda Sacramenta, vt ſuo loco dicetur, Sacramenta enim gratiam conferunt, quam influere in Sacramento non poteſt virtus humana, gratia enim in probabiliori Theologorum ſententia creatur, & eſt Ordinis ſupernaturalis, eam ergo attingere non poteſt virtus creata per ſe atque adeo Eccleſia ex ſuo iure poſitiuè Sacramenta inſtituere nõ potuit, inſtituta tamẽ a Chriſto ſibique reuelata potuit promulgare, itaque confeſſionem Sacramentalem non potuit inſtituere Eccleſia, & ad eam abſolutè obligare fideles. Ita communiter Theologi.

Dico ſecũdo, quod Eccleſia ea, quæ ſunt de iure diuino inſtituta, poteſt pro tali tempore ſeruanda ſub mortali præcipere, quia opportunitas temporis in ſeruandis præceptis, & inſtitutionibus diuinis, cum à Deo non ſpecificatur immediatè, relinquitur iudicio, & arbitrio Summi Pontificis, & Eccleſiæ, vt patet in opinione volentium ieiunium eſſe de iure diuino, cuius ſeruandi tempus Eccleſia determinauit, ſicut etiam dictũ eſt ſupra ſub titulo, A, tempus executioni mandandæ præceptum primum diligendi Deum in opinione noſtri ſubtiliſſimi Eccleſia ſpecificauit, & determinauit die Dominico in attenta miſſæ auditione. Ita ergo in confeſſione Sacramentali excipienda, licet ſit de iure diuino, vt dictum eſt, eius inſtitutio, & obligatio, tamen quo ad temporis determinationem, cum nõ fuerit expreſſa à iure diuino, relicta eſt Eccleſię arbitrio, quæ *in cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* ſemel in anno præcipitur ſub pœna priuationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & priuationis ab ingreſſu Eccleſiæ, & *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 8.* Nec dicendum ante Concilium Lateranenſe, in quo *præfatum caput omnis vtriuſque ſexus*, promulgatum fuit, non fuiſſe neceſſariam confeſſionem, nam octingentis annis antea, vt docet *Scotus in 4. diſt. 17. q. 1. a. 1.* a S. Auguſtino prædicata fuit neceſſitas confeſſionis Sacramentalis, & habetur *de pœnit. diſt. 6.* fortè non erat neceſſaria priſco illo tempore naſcentis Eccleſiæ huius præcepti determinatio, quia fideles communionem Euchariſticam in via Dei feruentiores frequentabant communiter, & hac occaſione ſæpius confitebãtur, feruore ergo illo charitatis, & diuinę dilectionis extincto à communione frequentanda paulatim recedentes, etiam confeſſionem Sacramentalem dimittebant, quare Eccleſia, vt tanto damno ſpirituali occurreret, communionem Euchariſticam, & confeſſionem Sacramentalem ſemel in anno fieri iure determinauit ſub pœna peccati mortalis, dum pœnas canonicas infligit, contra contemnentes.

Vtrum ſummus Pontifex teneatur ſub mortali confeſſionem annualem ſaltem facere.

DIFFIC. VIII.

CErtum eſt, Papam teneri ad confeſſionem ſuorum mortalium, ſi quæ fortè incurreret, quia eſt de iure diuino neceſſaria tanquam ſecunda tabula poſt naufragium, cum ergo Papa ſit verè viator homo, ſi velit ſaluari, obligatur ſecũdam hanc tabulam, ſi fortè naufragatus fuerit e naui charitatis, arripere tam in articulo, & periculo mortis, tum in miniſterio actiuo, vel paſſiuo Sacramentorum, ſicut alij obligantur fideles; quod ergo controuertitur, eſt, an ſemel in anno ſicut præcipitur in præcitato capitulo teneatur ex iure poſitiuo confeſsionem facere.

Affirmant noſter *Pitigian. in 4. diſtinct. 17. quæſt. 1. art. 1. Bonacc. de ſacram. pœn. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. part. 4. Fagund. de præc. 2. Eccleſ. l. 4. cap. 3. Trullench. in decal. T. 1. l. 3. cap. 5. dub. 2 & 3. Azor. Henriq. Couarr. Suar. Vaſq. Sayrus, & alij apud Bonacc. loc. citat.* putantes Papam teneri ad annualem confeſsionem non vi coactiua, ſed vi directiua. Negant tamen alij, Papam teneri ad huiuſmodi confeſsionem annualem, cum ſit de iure poſitiuo, in quo diſpenſare poteſt, cuius tranſgreſsionem ſolum venialem putant in Papa noſter *Riccardus in 4. diſtinct. 17. quæſt. 4. artic. 2. ad 5. Nauar. de pœnit. diſtinct. 5. n. 32.* qui citat ex antiquioribus *Ioan. Andr. & Felin.*

In hanc ſententiam vocant etiam *noſtr. Doctorem ſubtilem*, inter quos *Bartol. a Sanct. Fauſto de pœnitent. quæſt. 35. refert Scotum in 4. diſtinct. 17. quæſt. 1. articul. 1.* vo-

luiſſe Papam, non teneri ad cōfeſſionem Sacramentalem, verum ibi Scotus ad hanc particularem doctrinam non deſcendit, ſed ſolum argumentando ad hominem contra Gloſatorē, qui volebat confeſſionem non eſſe de iure diuino, ſed Eccleſiaſtico, ait; Si ergo eſt de iure Eccleſiaſtico confeſſio, Papa non tenetur ad confitendum, quia par in parem non habet imperium, ſed falſum eſt, Papam non teneri ad confitendum, ergo falſum eſt confeſſionem eſſe ſolum de iure Eccleſiaſtico: itaque ſolum ex Scoto ibi colligitur, de iure diuino eſſe obligatum ad ſimpliciter aliquando confitendum, circa determinationē vero confeſſionis annualis teneatur ne vi directiua ex ſuo Marte id nō determinat, ſolū tamē poſſet elici, quod Papa vi coactiua non tenetur, quia par in parem non habet imperium, ſed quicquid ſit de Scoti doctrina, an Principes teneantur ſub mortali vi directiua ſuis legibus obedire, dicetur ſuo loco V. lex, quare licet.

Vtraque opinio habet ſuam probabilitatem, attamen dicēdum puto, quod Pontifex, ſi nolit confeſſionem annuam facere, poteſt ſecum ſaltem diſpenſare pro illo anno, vel legem abrogare pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, vel ſaltem, vt docet *Eminentiſſimus de Lugo de ſacr. pæn. diſt. 15. ſect. 7. num. 143.* poſſet prorogare pro ſe, vt hæc obligatio ſit annus cum dimidio.

Vtrum nullum habens peccatum mortale, nec veniale, vel ſaltem ſolum veniale abſque mortali teneatur annuam confeſſionem ſacramentalem facere.

DIFFIC. IX.

DIco primo, quod nullum habens peccatum, nec mortale, nec veniale, nullo modo tenetur ad confeſſionem ſacramentalem faciendam, aliter abſolutio ſuper indebita materia poneretur, quare non ſolum non tenetur ad annuam confeſſionem, qui nullum habet peccatum, nec mortale, nec veniale, verum etiam ſi attentaret confiteri, peccaret; hinc noſter ſubtiliſſimus *Doctor in 4. diſt. 17. q. vnic. ad vltim. principale*, ait, quod ſi Virgo Maria confeſſa fuiſſet cum D. Petro poſt Aſcēſionem, peccaſſet, quia immunis erat ab omni peccato etiam veniali; quod ſi adfuiſſet præceptum tunc temporis à S. Petro, vt tenerentur tali die fideles confiteri, potuiſſet ſe ſolum præſentare coram ipſo, vel alio Apoſtolo humilitatis cauſa ad implendum præceptum legis, ſicut ſe præſentauit in templo, vt legem impleret, licet purificatione non indigeret, abſolutionē tamen obtinere non potuiſſet ex præfata ratione.

Dico ſecundo, quod licet multi, graueſque Theologi voluerint habentem peccatum veniale ſolum abſque mortali teneri etiam ad annualem confeſſionem ſub mortali, quia veniale eſt vera materia Sacramenti pænitentiæ, ergo dum præcipitur confeſſio peccatorū, tam de veniali, quam de mortali intelligendum eſt præceptum. Ita *D. noſt. Bonau. in 4. diſt. 17. q. 1. art. 2. Riccardus 16. q. 4.* idem videtur ſentire *D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 1. art. 1.*

Attamen *noſter ſubtiliſs. Doctor loc. cit. art. 3.* non teneri fidelem habentem ſolum veniale ſine mortali ad faciendam confeſſionem annualem, quia Eccleſia ſolum de mortalibus præcipit confeſſionem ſacramentalem, quia ipſa ſpecialiter vtitur ſacramento pænitentiæ tanquam tabula ſecunda poſt naufragium, quod non eſt in venialibus, preterquam quod venialia poſſunt etiam *ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* alijs medijs expiari, vt eſt per feruentiorem amoris actum erga Deum, quēadmodum gutta conſumitur à flamma vehementi, ait *Scotus loc. cit.* non ergo Eccleſia obligat ad ea ſupponenda confeſſioni, cuius non eſt materia neceſſaria, licet ſit congrua, & ſufficiens, ita vt, qui velit ea confiteri, licitè valeat, & validè abſolutionis effectum recipiat. Ita etiam *Suar. T. 4. diſp. 36 ſection. 2. Coninch. de ſacr. diſp. 5. dub. 5. Vaſq. q 90. ar. 2. Tolet. l. 3. cap. 3. Bonacc. de pænit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 4.*

Quod ſi dicas, ait Scotus, quomodo ergo Parochus cognoſcet vultum pecoris ſui, ſi non tenetur ad confitendum veniale, qui non habet conſcientiam mortalis, reſpondet, ſufficere, quod ſi Parocho ſe præſentet, dicens: Domine regratior Deo, quia ex quo vltimo confeſſus fui, non habeo conſcientiam de peccato mortali, date mihi Euchariſtiam Sacratiſſimam, & in iſto actu habet ſufficienter notitiam pecoris ſui. Ita etiam monent Vaſq. & Bonac. loc. cit.

An Eccleſia poſſet determinare, vt habens ſolum veniale, debeat ſolum venialis annualem confeſſionem facere.

DIFFIC. X.

NEgant *noſt. Rodriq. qq. Reg. q. 62. ar. 1. T. 1. D. Antonin. in 3. p. tit. 9. cap. 3. §. 4. Paludan. in 4. d. 17. q. 2. ar. 4. Sot. diſt. 18. q. 1. ar. 3. Henriq. l. 4. cap. 4. num. 10. & alij*, ex eo, quod Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramenti vltra intētionem Chriſti, peccata autem venialia, licet ſint apta, & ſufficiens materia Sacramenti pænitentiæ, non tamen neceſſaria, cum per alia media expiari poſſint, ergo cum Chriſtus non inſtituerit peccata venialia neceſſariam materiam Sacramenti pænitentiæ, non poterit Eccleſia ordinare ea eſſe neceſſariā materiam, ita vt ſint neceſſariò venialia confitenda ad vitam æternam conſequendam.

Alij tamen affirmant, poſſe Eccleſiam ſtatuere, vt etiam peccata venialia confeſſioni ſubijciantur, quia licet non poſſit Eccleſia ordinare, vt materia Sacramenti, quæ non eſt ſufficiens ex inſtitutione Chriſti, fiat ſufficiens ſua authoritate vltra intentionem Chriſti, puta ſi vellet panem ex hordeo eſſe ſufficientem materiam Euchariſtiæ, non poſſet, quia ex intentione Chriſti non eſt ſufficiens materia panis hordeaceus ad Euchariſtiam conficiendam, attamen non repugnat, quod materiam ſufficientem ad Sacramentum ex inſtitutione Chriſti ordinet Eccleſiam tanquam neceſſariam propter aliquam ſpiritualem neceſſitatem, quia hoc non eſſet facere contra intentionem Chriſti, quia materiam non mutat, ſed quod Chriſtus liberum reliquit faciendum, vel non ſub præcepto faciendum, ex aliqua cauſa determinat. Ita ex D. Thom. in 4. *diſt. 17. q. 3. ar. 1. dub. 3. num. 121. Vaſq. q. 90. a. 2. dub. 3. Nauar. cap. placuit diſt. 6. de Pænit. diſp. 22. ſect. 8.* Sanè poſſe Eccleſiam peccatorum aliquorum venialium grauiorum, quę valent ducere faciliter ad mortale in tota Chriſtianitate, vel etiam in aliquo particulari ſtatu Religioſo etiam omnium venialium confeſſionem ſub mortali faciendam ordinare, mihi certum eſt ex eo, quia Eccleſia poteſt ea præcipere ſub mortali, quæ ſunt media hic, & nunc magis congrua ad ſalutem vniuerſalem animarum, vel ad maiorem perfectionem acquirendam, ſed confeſſio aliquorum grauiorum venialium ducentium faciliter ad peccatum mortale, eſt medium ad ſalutem ſpiritualem animarum, & in aliquo ſtatu Religioſo, in quo magis ad perfectionem incumbitur, confeſſio venialium ducit ad maiorem perfectionem, vt patet rationabiliter ratiocinantibus, ergo poteſt ſtatui ab Eccleſia ſub præcepto pro tota Chriſtianitate aliquorum grauiorum confeſſio, & in aliquo ſtatu etiā omnium venialium. Nec obſtat, quod Eccleſia faceret materiam neceſſariam Sacramenti pænitentiæ peccata venialia, quia Eccleſia non poſſet facere venialia eſſe materiam eſſentialiter neceſſariam Sacramenti pænitentiæ, quia ſolum ad Chriſtum inſtituentem pertinet, materiam eſſentialiter neceſſarium Sacramentis præbere, at vero, quod hæc materia, quæ à Chriſto inſtituente, eſt ſolum ſufficiens, ratione præcepti ſit neceſſaria, id quidem poteſt Eccleſia, vt practicatur in materia auguſtiſſimi Sacramenti Euchariſtici, in quo panis triticeus eſt de neceſſitate eſſentiali Sacramenti; panis autem triticeus azimus, & fermentatus vterque eſt materia ſufficiens, Eccleſia autem ordinat, vt in Eccleſia latina in azimo conficiatur, vnde panis triticeus azimus, qui ex ſe eſt materia ſufficiens, ex præcepto Eccleſiæ fit materia neceſſaria, non neceſſitate eſſentiali, quia ſic mutaret intentionem Chriſti, ſed ſolum fit materia neceſſaria neceſſitate præcepti; ita etiam peccatum veniale, quod ex inſtitutione Chriſti eſt materia ſufficiens ex ordinatione Eccleſiæ, nō poteſt ab Eccleſia fieri materia eſſentialiter neceſſaria, ſed ſolum neceſſaria neceſſitate præcepti ordinati ad maiorem ſalutem, vel profectum fidelium.

Omnium tamen venialium in tota Chriſtianitate faciendam eſſe ſub mortali confeſſionem Eccleſia non ſolum non deberet, ſed nec fortè poſſet, quia poteſtas data eſt ei ad ædificationem, non autem in deſtructionem animarum; ſi autem neceſſario ſub mortali omnia venialia eſſent confitenda, vè mundo à ſcrupulis, pleraq; pars fortè periculū ſpirituale ſubiret potius ex hac neceſſitate confitendi omnia venialia,

venialia, quam aliquid vtilitatis ad ſalutem acquireret, quod tamen dictum volo cum omni reuerentia ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, cuius cenſuræ me, meaque hæc, & quæcunque ſcripta, & ſcribenda humillimè ſubijcio.

Vtrum Confeſſio annualis quoad obligationem incipiat à prima die Ianuary, vſque ad vltimum Decembris, an vero à Paſchate ad Paſqua, & an neceſſariò in Paſchate, vel etiam ſufficienter in alia parte anni fiat.

DIFFIC. XI.

DIco primo, quod Confeſſio annualis non incipit à prima die Ianuarij vſque ad vltimum Decembris, vt eſt annus conſuetus apud homines, quicquid *Vaſquez. q. 91. art. 3. dub. 1.* voluerit, nec debet computari à prima die, quo confeſſus quis eſt, vſque ad diem eundem eiuſdem menſis redeuntis, vt docuit *Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 4.* quia cum hoc præceptum ſit Eccleſiaſticum, Eccleſiaſtico, non autem phyſico, vel humano modo computandus, Eccleſia autem non numerat annum Eccleſiaſticum phyſicè per duodecim menſes, vel per dies 365. & ferè ſex horas, & conſequenter nec a prima Ianuarii vſque ad vltimum Decembris, ſed numerat annum à Paſchate ad Paſcha ſequentis anni, quod cum ſit mobile feſtum aliquando habet tredecim menſes ferè, aliquando vndecim, & per conſequens, qui confiteretur in tertiodecimo menſe, in quo accidit Paſcha, impleret præceptum, quod ſi Eccleſiaſticus annus eſſet phyſicè cōputandus, nō ſatisfaceret præcepto, qui à Paſchate ad Paſcha menſiū tredecim anni cōfiteretur, & tamē videtur, quod plebs præcipuè à Paſchate ad Paſcha confeſſioni annuali ſolet vtplurimum ſatisfacere.

Dico ſecundo, quod Confeſſio annualis an ſit facienda neceſſario in Paſchate variant Doctores, negāt communius Theologi, quia in c. omnis vtriuſque ſex. ſolum præcipit Cōcil. Lateran. vt ſinguli annis Confeſſiones peccatorum fiāt à fidelibus, ſed tempus infra annum non determinat, nec in Paſchate, nec in Natiuitate, nec in alio feſto, vt patet legenti, non ergo reſtringendum eſt præceptum ad Paſcha ſolū, hinc volunt, quod qui Confeſſus eſt in feſto Natiuitatis Domini, & in Paſchate non habeat conſcientiam peccati mortalis, poteſt abſque Confeſſione, alia via expiatis venialibus, ſi quæ habet, communicare, quia iam intra annum ſcil. in Natiuitate ſatisfecit præcepto Confeſſionis annualis. Ita Nauarr. *c. 2. n. 9. Sotus in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4. Suar. diſp. 36. ſect. 3. Valentia T. 4. diſp. 7. q. 9. Vaſq. q. 90. art. 3. dub. 1. Coninch. de ſacr. diſput. 5. dub. 7.* & alii, quæ ſententia probabilis eſt ſtando in rigore præfati capitis, & colligi poteſt ex doctrina *Scoti in 4. diſt. 17. q. vn. art. 1. & 3.* dum ſolum conſulit bene viſum faciendam circa Paſcha ad minus, quando Eccleſia determinauit etiam faciendam communionem, nam de neceſſitate ſolum ait obligari fidelem ad quādocumque, quando vnicum in anno, ſic ipſe Scotus formaliter loquitur.

Attamen non defuere, qui ratione conſuetudinis volūt annuam Confeſſionem faciendam in Paſchate. Ita *Petrus a Soto lect. 5. de confeſſ. & Medina l. de confeſſ. tract. 2. q. 8. & D. Tho. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 4.* dicit, præceptum Confeſſionis annuæ obligare in Paſchate.

Attamen, quia *Concil. Trid* loquens de hoc præcepto annuæ Confeſſionis in *calce c. 5. ſeſſ. 14.* hanc conſuetudinē confitendi ſemel in anno cum ingenti animarum fructu in acceptabili tempore, quadrageſimæ introductam in Eccleſia probat ſolum tanquam piam merito retinendam, non autem abſolutè mandat, quia ex Concil. Lateran præmiſerat ſolum obligari fideles ſemel in anno. Itaque pium eſt tempore Quadrageſimæ, & circa paſcha hoc præceptum adimplere, quod Scotus noſter loc. cit. voluit innuere, dum ait (& iſtud ſemel videtur ad minus eſſe circa Paſcha) nō autem ſimpliciter neceſſarium, vt patet in exemplo allato in prima opinione, &c.

Vtrum qui graue periculum ſubit obliuiſcendi peccata, vel qui in fine anni ſuſpicatur non poſſe habere copiam Confeſſarij debet anticipare confeſſionem ante paſcha.

DIFFIC. XII.

DIco primo, quod qui graue periculum ſubit obliuiſcendi peccata, non obligatur ex vi præcepti annuæ confeſſionis anticipare tempus, cum iam dictum ſit, piam eſſe cōſuetudinem confitendi in Paſchate, & ſeruandam de conſilio, non de neceſſitate, quare poteſt anticipare confeſſionem ante Paſcha, ne obliuiſcatur peccatorum, quæ poſt vltimam Confeſſionem fecit, quare ſi communicaturus eſt poſtea in paſchate, ſi habet conſcientiam ſolum venialium, poteſt non confiteri, vt dictum eſt ſupra.

An vero, qui periculum ſubit obliuiſcendi peccata, teneatur ſtatim ea confiteri ſimpliciter abſque reſpectu alio ad annualem Confeſſionem, affirmarunt *Medina loc. ſupra cit.* & alij, quia obligatur fidelis ad ſumendum remedium opportunum ad faciendam integram Confeſſionem, confiteri autem ſtatim peccata mortalia, eſt remedium opportunum ad faciendam integram confeſſionem, ergo amplectendum neceſſario.

At vero noſter *Subtilis Doctor in 4. diſt. 17. q. vnica art. 3. in calce, Villalob. in ſum. T. 1. tract. 9. diffic. 27. Henriq. Coninc. Filiuc. Turrian.* & alii, quos citat *Diana* negant teneri fidelē ad ſtatim confitenda peccata, etiam ſi periculum ſubiret ea obliuiſcendi, quia non tenetur, quis facere extra ordinariam diligentiam ad Confeſſionem faciendam, ſed ordinariam, vnde non tenetur, quis ad notanda, vel ſcribenda peccata ſtatim atque ſunt facta, quia onerosum nimis hoc eſſet Chriſtianis, iugum autem Domini ſuaue eſt, & leue, atque adeo non tenetur ſtatim ea confiteri, cum ad hoc præceptum non ſit datum expreſsè, non debet extendi, nam vt optimè notat, Scotus noſter in calce 3. art. loc. cit. ſpecialiter pro hac materia, præcepta pœnalia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda, vnde ſolum ex vi præcepti, ait, obligari fidelem ad quādocumque, quando vnicum in anno. ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 5. ſic habetur (conſtat .n. nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam, vt poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit, reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem cōfeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter, cum propheta dicimus, ab occultis meis munda me Domine) hæc Concilium, vnde apparet oblita peccata poſt diligens examē præmiſſum, in Confeſſione eſſe dimiſſa, nec indigere antecedenter ad ea recordanda pro integritate Confeſſionis, quam diligens examen, non autem vt ſtatim ac peccatum eſt perpetratum, confiteatur, vel ſcribatur, vel notetur.

Dico ſecundo, quod pium, & laudabiliter conſulendum puto, vt qui probabiliter ſuſpicatur, in fine anni non poſſe habere copiam confeſſoris, quia ſuſcepturus eſt v. g. longam peregrinationem, vel nauigationem, anticipet Confeſſionis tempus, quia obligatio currens pro toto anno, in qualibet parte eius poteſt adimpleri, & prudenter adimpletur, præueniens enim ſoluere debitum, quod tenetur in fine anni, laudabiliter facit, licet de iure non teneatur, an vero etiam teneatur ſub præcepto anticipare, affirmant *Vaſquez, & Suar. locis ſuper citatis, Azor. l. 1. c. 29. Fagundez l. 1. c. 4. Henriq. l. 4. c. 3. Laym. tract. 6. de pænit. c. 5. Med. c. de confeſſ. q. 14. & alii,* quod etiam extendunt ad eos, qui præuident, ſe non poſſe communicare in paſchate, & qui habet caſum reſeruatum, à quo præuidet, non habiturum tempore Paſchatis idoneum Confeſſarium, qui eum abſoluat, quod debet præuenire communicando ante Paſcha, vt ſatisfaciat præcepto communionis, & debet anticipatè quærere abſolutionem à reſeruatis, quia nullus debet ſe exponere periculo peccandi mortaliter, ſed qui præuidet ſe non poſſe facere Confeſſionem annualem in fine anni, nec communicare in paſchate, exponit ſe periculo peccandi mortaliter, ſi obligationem talem non anticipet ſoluere, ergo tenetur anticipatè confiteri, & communicare, probabiliter quidem, & ſatis piè loquuntur iſti Doctores, attamen duriuſcule obligationem ſub mortali anticipandi Confeſſionem, & communionem ponere videntur, diligens enim debitor dicit, nec vllo modo moroſus, & culpabilis, qui debitum præfixo tempore ſoluit, quamuis præfixo tempore ſuſpicetur futurum ſe non poſſe ſoluere, poteſt .n. beneficio temporis gaudere, ita etiam poſſe temporis præfixi beneficio gaudere obligatos in Paſchate communicare, vel confiteri, licet præuideant ſe tali tempore non poſſe ſatisfacere, cōſulenda tamen ante factum præfatorum Doctorum opinio magis pia.

Vtrum

Vtrum confeſſionem annualem omittens facere in vno anno teneatur ſub mortali eam ſtatim ſupplere in anno ſequenti.

DIFFIC. XIII.

NEgant teneri in anno ſequenti facere confeſſionem annualem omiſſam anno antecedenti, ſed ex temporis lapſu extingui obligationem huiuſmodi affirmant *S. Antonin. p.2.tit.9. c.9. Sylu. v. confeſſio, n. 143. Megala l. c.13. Tabiena v.communio n.19. & alii*, & probant à ſimili, quia obligatus recitare officium, vel ieiunare, vel Miſſam audire hodie, non tenetur ſupplere talem obligationem in die ſequẽti, & ſi ſuppleat, non ſatisfacit, quia obligatio erat affixa tali diei, quo elapſo, committitur peccatum, & extinguitur obligatio, ita etiam omittens facere Confeſſionem in hoc anno, ſtatim atque non eſt Confeſſionem executus in fine anni, peccauit mortaliter, & extincta eſt obligatio; quia obligatio eſt affixa tali, illi tempori, vnde ſi per totum illud tempus non ſatisfecit, tranſgreſſus eſt præceptum, mortaliter peccauit, & conſequenter pro illo anno extincta eſt obligatio confitendi, & ſi ſuppleat, bene facit, non tamen ad id tenetur, neque obligationi præteriti anni ſatisfacit.

Affirmant tamen alij, Confeſſionem annualem omittentem hoc anno, teneri ad eam ſupplendam anno ſequenti, quia præceptum dupliciter iubetur faciendum tali tempore, vel ob cultum, & honorem Dei ratione talis temporis loci, & perſonæ, & hoc non obligare, aiunt, extra occaſionem talis temporis, loci, & perſonæ, quia lex non obligat vltra ſuum finem, vt eſt miſſam audire, ieiunare, & Officium recitare in tali die, quod in alio die ſequenti non obligat, quia finita eſt circumſtantia temporis, loci, & perſonæ, præceptum autem, quod ſimpliciter iubetur, nulla ſpectata circunſtantia temporis, loci, vel perſonæ, ſed immediatè propter cultum Dei, & ſalutem animarum, quantumcunque differatur extra aliquod tempus determinatum extrinſecè, ſemper durat obligatio eius præcepti, ſicut qui obligatur in fine anni ſoluere penſionem cenſus, non propter hoc obligatione ſoluitur non ſoluendi in anno ſequenti, ſi omiſit eam ſoluere in fine anni præteriti, ſed tenetur in anno ſequenti ſoluere, ſicut etiam illud præceptum Euangelium; Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, ſi omittat illo die, tenetur in ſequenti die adimplere, quia in iſtis præceptis non datur terminus obligationis tali tempore ſimpliciter faciendi, ſed datur terminus, ne vltra obligatio differatur abſque peccato.

Quam doctrinam alij ſub hac diſtinctione etiam explicãt, quod quando tempus determinatum eſt affixum intrinſecè præcepto, tunc elapſo termino, & tempore determinato, elabitur etiam, & per ſe cum tempore, ipſius obligatio præcepti, quia tranſgreſſio legis facta eſt, vt eſt in Miſſæ auditione, Officij recitatione, & ieiunio Vigiliæ, quibus intrinſecè affixa eſt obligatio tali tempore, puta præſenti die ea præcepta exequendi, tranſeunte autem hoc termino præſentis diei elabitur, & perit etiam obligatio, & præceptum intelligitur tranſgreſſum ſtatim elapſo termino; Secundo præcepto dicitur ſolum extrinſecè affixa obligatio temporis, quia non præciſè propter tale tempus determinatè præcipitur aliquod faciendum, ſed ſolum datur terminus, ne vltra obligatio differatur; vt eſt in præcepto: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtrum.

Quare volunt ex hac doctrina, quod præceptum Confeſſionis cadat ſub ſecundo genere præcepti ſcil. quod non intrinſecè ſit affixa obligatio confitendi huic anno, ſed ſimpliciter data obligatio propter ſalutem animæ, & terminus affixus ſolum extrinſecè huic obligationi, ne vltra differatur, & citius exequatur, vnde non perit, nec extinguitur obligatio ad temporis determinati, ſeu termini extinctionem, ſed tenetur ſtatim in anno ſequenti eam adimplere. Ita noſter Villalob. *T. 1. tract.9. difficul.28. Pitigian. in 4. diſt. in quæſt.3. art. primo vbi idem docet de communione, Nauar. cap. 21. num.45. Suar. T.4. diſputat.36. ſect. 4. Coninch. diſp.5. dub.8. Sot. in 4. diſt. 18. art.1. num.4. Tolet. lib.1. cap.18. Henriqu. lib.4. cap.4. & alij.*

An vero toties peccet, quoties habet in anno ſequenti occaſionem confitendi, & non confitetur, affirmat *Bonacin. de Sacram. diſp.5. quæſt.5. ſect.2. p.4.* attamen grauius peccare ſolum affirmant *Villalob. noſter. & Valent. T.4. diſputatio.7. quæſt.9. part.1. & Molfeſ. tra.7. cap.10. Nugnus in addit. q.6. art.3. & alii.* Verum in hac difficili, & vtili difficultate.

Vtramque opinionem probabilem puto, ſecunda tamen minus probabilis, licet magis pia, prima autem probabilior, & in facto practicata in Eccleſia videtur; minus autem probabilis ſecunda, quia non plenè probat præcepto Confeſſionis ſolum extrinſecè, & non intrinſecè eſſe affixam obligationem pro toto vno anno, probabilior autem prima, quia intrinſecè eſſe affixam obligationem determinati temporis.

Probo ego ex eo, quod quando in præcepto imponitur pœna, vt aliquid fiat intra determinatum tempus, ratione pœnæ ſoluendæ, ſi termino determinato elapſo inueniatur tranſgreſſio, tempus determinatum videtur intrinſecè poſitum in præcepto, quia pœna eſt exequenda contra tranſgreſſorem, atque adeo vltra terminum ſicut pœna poteſt puniri tranſgreſſor, ita etiam ab obligatione adimplendi præceptum ſoluitur, aliter, quis poſſet puniri dupliciter in idipſum contra ius diuinum, & æquitatem naturalem, itaque cum ſit reus pœnæ, id eſt priuationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ, vel ingreſſus Eccleſiæ, qui non communicauit ſemel in anno, vt patet in dicto cap. omnis vtriuſque, ſoluitur ab obligatione adimplendi præceptum in ſequenti anno, & ita practicari videtur in Eccleſia, quia ad pœnam infligendam contra eos Prælati procedunt, nec eis imponitur, vt pro anno præterito Confeſſionem faciant.

Item, qui decem verb.gr. annis non eſt confeſſus, nec Eccleſia, ſi publicè dicta pœna puniatur, imponit, vt decem Confeſſiones faciat, nec Confeſſarij quantumcumque docti, & timorati hoc onus ei imponunt, nimis ſanè durũ præcipuè certo gener perſonarum, vel ratione paruę deuotionis, vel non habendæ commoditatis, id præcipere, prima ergo opinio tanquam benignior, & probabilior mihi ſequenda videtur, & conſilium bonum videtur, ſi pro confeſſionibus omiſſis ſingulis pro ſingulis annis pœnitentias imponat, vt ſciat ſe deliquiſſe in ſingulis annis, vel ſaltem vnam grauiorem præcipuè pro talibus omiſſionibus.

Cæterum ante factum ſecundam opinionem, quia magis piæ, & ad profectum ſpiritualem peccatoris magis vrgens, debent ſuadere Confeſſarij, vt ad Confeſſionem promptius, & citius excitentur, qui negligentes fuerunt, attamen poſt factum ad ſedandos ſcrupulos multos, prima opinio omnino amplectenda, ex quibus

Collige, quod obligatus Confeſſionem facere in articulo, vel periculo mortis, ſi incolumis euadat, non tenetur ex vi talis præcepti iterum confeſſionem eamdem ſupplere, quicquid in contrarium voluerit rigidè nimis Henriqu. l.4. c.4. quia in illo articulo tenetur ſolum ex charitate erga ſe ipſum, vt ſc. liberetur ab imminenti periculo damnationis irreparabilis, non autem ex aliquo vinculo iuſtitiæ, vel præcepti, ergo eo tranſacto, iam finis præcepti non adeſt amplius, nec eius conſequenter obligatio.

Vtrum qui ex obliuione non culpabili prætermiſit peccatum in confeſſione annuali, vel qui eodem anno iterum poſt Confeſſionem annualem peccauit mortaliter, teneatur iterum confiteri ex vi præcepti annuæ Confeſſioni.

DIFFIC. XIV.

DIco primo, quod licet *Medina in ſua ſumma* velit, ex vi præcepti annuæ Confeſſionis teneri illud peccatum, quod ex inculpabili etiam obliuione prætermiſit in Confeſſione annuali, quam quis fecit iterum ſtatim, ac eius recordatur, confiteri, quia præcipitur *in cap. omnis vtriuſque à Concil. Lateran.* vt fideles ſemel in anno omnia ſua peccata cõfiteantur, ergo oblitum cum ſit ſuum peccatum, debet quis ſtatim ac eius recordatur, intra annum confiteri; Rigidiuſculè tamen cum loquatur bonus iſte Doctor, poteſt probabiliter negari, non teneri ſtatim, ac recordatur obliti, confiteri, quia eatenus Eccleſia iubet omnia ſua peccata fideles cõfiteri, quatenus intendit, vt peccatores Deo ſuo per Confeſſionem reconcilietur, at vero per obliuionem inculpabilem omittens peccatum, iam reconciliatus eſt Deo per gratiam, vt docet Concil. Trid. ſeſſ. 14. c.5. & communiter Theologi, ergo ex vi præcepti non tenetur illud confiteri, quia iam præceptum conſecutum fuit ſuum finem, quod ſi velit paſſiuè, vel actiuè Sacramenta tractare, vel ſit in periculo, vel articulo mortis conſti-

conſtitutus, tunc tenetur illud confiteri. Ita noſter Villalob. *T.1.tract.9.diff.28.Tolet.l.3 c.1. Nauar.c.2.n.10. Azor.1.p.li.1.c.29. q.5. Layman tract.6.c.6. Suar.ſect.4.diſp.36.Henriq.l.4 c.4.& alij.*

Dico ſecundo, quod probabiliter *Suar. & Henriq. loc. cit.* videntur aſſerere, peccantem mortaliter poſt Confeſſionem annualem teneri iterum confiteri ex vi præcepti Eccleſiaſtici eodem anno, rigidiuſculè tameniquare mitius & probabilius non teneri puto, quia iam per veram, & integram Confeſſionem ſatisfecit præcepto, nec Eccleſia ad confitendum iterum, eodem anno, ſi iterum peccaſſet, expreſsè mandauit, cum ſimus in pœnalibus non eſt extendendum præceptũ, ſed potius reſtringendum. Ita etiam *Azor. loc.cit.Ledeſma 2. T.p.4.q.6.Victorell.in ſumm. n.137. & alij.*

Vtrum irritam faciens ſua culpa Confeſſionem annualem, ſatisfaciat præcepto lato in c. omnis vtriuſque.

DIFFIC. XV.

NEgant ſatisfacere præcepto Eccleſiæ facientem Confeſſionem annualem ſua culpa irritam, quia finis præcepti, eſt, vt Deo reconcilientur per gratiam peccatores, & quia eſt de iure diuino Confeſſio in ſe, ideo poteſt ſub hoc fine etiam intrinſeco, vt ritè fiat, præcipere. Ita *Nauar.c.10. n.4. Sot.in 4.diſt.18.*

Attamen affirmãt noſt. *Alenſ.4.q.78.memb.5 art.7.Subtilis Doctor in 4.diſt 4.q.5.* immediatè ante reſponſionẽ ad primũ principale, & idem docent de Cõmunione indignè facta, noſtri *Petrigran. in 4.diſt.9.q.3.& Villal.T.1.tract.7. diffic.39.Paludan.in 4.diſt.17.q.7. Gabr.Biel. ibidem q.1. art.3. Sylu.verb. confeſſ.4. nu.3. Victorel. in ſum. n.163. Vaſq.q.192. art.2. Canus relect.de pœnit.p.5. Sà v. confeſſio n. 1.* & alij, quia Eccleſia externum vſum confeſſionis præcipere poteſt, de interno autem non iudicat, vnde pœnam iniungit extrinſecam extra forum conſcientiæ, ergo ſolum extrinſecè Confeſſionem mandat, quod ſi voluiſſet intrinſecè perfectam Confeſſionẽ omnino indicere, appoſuiſſet penitentiam in foro conſcientiæ, quare videtur potius confeſſio principaliter inſtituta ad obedientiam Eccleſiaſtico paſtori præſtandam, vt ſuo quiſque Sacerdoti confiteatur ſemel in anno, adhoc, vt Paſtores ſemel ſaltem in anno vultum ſui pecoris agnoſcat, ſecundariò vero, vt per gratiam Deo reconcilientur fideles ſaltem ſemel in anno.

Et fortè nequit Eccleſia actum internum perfectæ Confeſſionis ad gratiam recipiendam, ſub præcepto mortalis peccati mandare, quia licet ex ſe infallibiliter Sacramentum gratiam largiatur, tamen pœnitens non poteſt omnino eam infallibiliter ſuſcipere propter multas conditiones, quæ requiruntur, vnde ſemper eſſet anceps, an verè gratiam receperit, & præcepto ſatisfecerit reconciliando ſe Deo per gratiam; itaque non poteſt præſumi, quod Eccleſia principaliter præcipiat Confeſſionem, vt per eam recipiatur gratia, & Deo quis reconcilietur, ita vt ſi gratiam non accipiat, nec Deo reconlietur, præcepto non ſit factum ſatis, aliter fideles infinitis angerentur quotidie ſcrupulis, probabilior ergo manet dicenda ſecunda opinio.

Vnde *D.Thom.in 4.diſt.17.q.3.ar.1.Sot.diſt.18.q.3.Couar.in c.Alma mater p.1.§.4.& ipſe Suar.ſect.7. loc.cit.* ſentiunt facientem Confeſſionem validam, ſed tamen informem, licet non receperit gratiam, & Deo reconciliatus non fuerit, ſatiſfeciſſe præcepto annuæ Confeſſionis, quicquid *Adrian. in 4. q.5. de confeſſ.dub.5.Vaſq.T.4. q.92.ar.5. & Megala 1.p.inſtitut. Sacerd.l.4.c.5.* in contrarium ſenſerint, quia licet non aſſequatur præfatus pœnitens reconciliationem cum Deo, ſatiſfacit tamen fini Eccleſiaſtici præcepti, vt obedientia proteſtetur, & Paſtor vultum ſui pecoris ſaltem in anno ſemel agnoſcat.

Vtrum eorumdem peccatorum iterata confeſſio ſit fructuoſa ad remittendam totam pœnam debitam pro peccatis commiſſis.

DIFFIC. XVI.

SVbtiliſſimus noſter Doctor in 4. diſt. 19. q.1. in reſponſ. ad primum principale*, ad hanc quæſtionem reſpondens, ait, quod probabilius dicendum videtur, quod virtute clauium ſimpliciter non ſit fructuoſa ſecunda abſolutio ad remittendam pœnam debitam, quia iam per primam abſolutionem factum eſt iudicium de tali peccato, & pœna, & ita ratificatum in cælo, ergo per ſecundam abſolutionem nõ poteſt fieri nouum iudicium ſuper eodem peccato, & pœna, quia irreuocabilis eſt ſententia data, ratificata in cælis, nõ ergo alterari poteſt, vel minui per ſecundam abſolutionem ex vi clauiũ, ſicut patere, ait, in iudicijs humanis, in quibus condemnatus, vel abſolutus per primam ſententiam, ſi fiat noua inquiſitio, non liberatur per ſecundam pro eodem delicto, ſed per primam, quia non ligatus non abſoluitur.

Attamen probabile etiam putat, iterandas peccatorum Cõfeſſiones, & fructuoſas etiam per ſecundam abſolutionem vi clauiũ eſſe quoad pœnæ diminutionem, quia cum eiuſdem rationis ſit prima, & ſecunda abſolutio, poteſt etiam ſecunda eundem effectum impartiri minuendæ pœnæ, ſicut fecit prima, & per conſequens per aliquot abſolutiones finitas pœnam omnem remitti.

Quare Bartol. à S. Fauſto de Confeſſ. lib.4 q.66. male citat Scotum, vt ſæpè ſolet, quia nũquam eum in fonte guſtauit, vel ſaltem non intellexit, quod negauerit fructuoſam eſſe ſecundam abſolutionem pro pœna remittenda, nam hoc non dixiſſet fauſtus, ſi eius hæc verba formalia legiſſet apud Scotũ loc. cit. exclamantem (quid ergo melius, quam ſemper confiteri, quouſque poſt cẽteſimam, vel milleſimam Confeſſionem eſſet tota pœna remiſſa debita quibuſcumque peccatis commiſſis) Scotus hortatur in praxi, licet ſpeculatiuè aliud probabilius ſolum ſentiat. Ita etiam *D.Thom diſt.18.q.1.ar.2.in 4.* & alij apud *Naldum v. confeſſio, & Fauſtum loc. cit.*

Vtrum ad confeſſionem Sacramentalem legitimè faciendam requiratur neceſſariò præuium peccatorum examen, & quale debeat eſſe, & an teneatur ea ſcribere, dum facit examen, ſi memoria defectum teneat.

DIFFIC. XVII.

DIco primo, quod *ex Concil. Trid.ſeſſ.14.c.5.& can.7.* eſſe ad Confeſſionem Sacramentalem neceſſarium præuiũ peccatorum examen diligenter à Peccatore faciendum, antequam ad Confeſſionem Sacramentalem accedat, & ita communiter ſentiunt Theologi, vnde dicitur ab *Ezechia in ſuo Cantico*: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: præterquam, quod quo iure quis obligatur ad aliquod peragendum, eodem iure obligatur ad ſumenda ea media, quæ ſunt neceſſaria ad tale opus, ſed ad integrè omnia confitenda peccata de iure diuino obligãtur fideles, ergo media neceſſaria ad omnia integrè peccata confitẽda de iure diuino tenetur accipere, ſed ad confitenda omnia integrè peccata iam patrata, neceſſe eſt, vt ad memoriam redigantur, vt patet, vt autem poſſint reduci in memoriam neceſſe eſt præuium examen, quo quis conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras, vt Concil. Trid. loquitur loc. cit. c.1. exploret; ergo neceſſarium eſt tanquam medium ad Cõfeſſionem integrè peccatorum omnium faciendam præuium ipſorum examen, vnde ſi derelinquatur, nullius valoris erit Confeſſio, ſi peccata obliuiſcantur, & non integrè confiteantur. Ita ex *Scoto in 4. diſt.17.q.1.a 2.Valent.T.4.diſp.7. q.11.p.1. Suar. de pænit. diſp. 23.ſect.10.Nauar.c.9.n.13.Henriq.l.5.c.5. Filiuc.tr.7.c.4.q.10. Bonac.de ſacr.pœn. diſp.5.q.5. ſect.2.p.7. & alij.*

Dico ſecundo, quod licet aliqui voluerint ſummam diligẽtiam adhibendam eſſe in faciendo examine, attamen noſter *Subtiliſſimus Doctor loc.cit.* ait, quod deberet eſſe tanta, quantam vnuſquiſque adhiberet in negotio arduo, & quod multũ eſſet cordi, iuxta poſſibilitatem fragilitatis humanæ, quam diligentiam interpretantur Scotiſtæ eſſe debere tantam, quantam quilibet prudenter operãs adhiberet in ſuo negotio multum arduo, quia vero prudens quilibet non paruam adhibet diligentiam, quia non demonſtraret prudentiam in negotio arduo paruam diligentiam exhibere, nec paſſim maximam, & ſummam, ne nimium vexetur anxietate, ſed magnam, & exactam diligentiam, quę mediocris ab aliquibus dicitur, & ordinaria diligentia virorum prudentium; & ideo Scotus voluit eſſe hanc diligentiam in negotio multum arduo proportionatam fragilitati humanæ, quæ non debet nimium vexari, vt ſummam diligentiam adhibeat in tali examine, ne nimium faſtidita, ſcrupuliſq; vexata non valens peruenire ad ſummã hanc diligentiã, in deſperationem incidat, ideo *Conc.Trid.loc. cit.*

Digitized by Google

cit.can.7. loquens de neceſſitate huius examinis ſupponit debita diligenti præmeditatione, non autem diligentiſſima faciendum, & *in c. 5.* ait diligentius faciendum examẽ peccatorum, non autem diligentiſſimè .i. faciendam maiori diligẽtia, qua ordinaria tractantur negotia, quę mediocris dicitur ferè ab omnibus, & præcipuè iuxta intellectum noſtri Doctoris loco cit. Ita etiam *Nauar. diſt. 5. de pænit. in c. fratres nu. 73. Henriq. l. 2. de pænit. c. 1. Reginald. l. 4. n. 15. Suar. Vaſq. Valentia, & Bonacin. loc. cit.*

Non poteſt autem pro omnibus certus modus diligẽtiæ faciendæ præſcribi propter diuerſitatem perſonarum, quarum vna magis idonea, alia minus, ideo moraliter debet eſſe tãta diligentia in examinando pro quolibet genere perſonarum, vt facta ab vnoquoque diligentia aliqua in examinãdo putet probabiliter per vlteriorem diſcuſſionem nõ poſſe melius recordari, etſi adeſſet ſcrupulus, quod melius recordaretur, omnino tollendus, quia non obligatur fidelis ad ſummam diligẽtiam, ſcrupulis autem in hac materia ſemper obuiãdum, quia ſępè vnus ad alium viam facit, iugum .n. Chriſti ſuaue eſt, & leue, & pręcepta Dei cum ſuauitate explicanda non autẽ eſſet leue, & ſuaue, ſi ſummã, & ſemper vlteriorẽ diligentiam teneretur fidelis adhibere in faciendo examine. quare

Dico 3. quod præmiſſo diligenti examine peccatorum, qui haberet memoriam lubricam non tenetur peccata ſcribere, quia hęc diligẽtia eſſet maxima, nec eam omnes poſſent adhibere, pręterquã quod, vt notat noſt. Doctor multum periculoſa, quia amitti aliquo modo poſſet, quod ſi ita videretur ſibi commodius cõſultum ſcribere ſua peccata præciſo omni periculo amittendi præfatam ſcripturam, ſua peccata, vt melius eorum recordetur, poterit peccator ſcribere. Ita etiam Bonac. *punc. vlt. ſect. 2. q. 5. diſp. 5. de pæn. Syl. v. confeſſio q. 5. Caiet. ibid. condit. 11. & Filiuc. tr. 7. c. 6. q. 8.* ; *licet ad Nauar. c. 21. n. 36. & Say. in C. R. c. 13. Suar. & Vaſq. l. c.* id non videantur admittere.

Vtrum ſine præuio examine confeſſionem faciens, confiſus in diligentia periti, & prudentis confeſſarij ordinatè per interrogationes in Confeſſione ipſa ad memoriam reducentis ei peccata, validam accipiat abſolutionem.

DIFFIC. XVIII.

Dico primo, quod certum eſt, vt eſt in ſuperiori tactũ difficultate confeſſionem nullam fieri ab eo, qui abſque examine præuio eam facit, & conſequenter certũ eſt in tali caſu teneri ad iterandã talem confeſſionem, etiamſi confeſſus ſit, ſe non peregiſſe diligens examen, quia per abſolutionem non tollitur obligatio preuij examinis, & mortaliter peccauit, accedens ad obtinẽdam abſolutionem abſque medio neceſſario ad veram Confeſſionem. Ita etiam *Nauar. c. 9. nu. 6. & Bonac. de ſacr. pæn. diſp. 5. q. 1. ſect. 1. p. 5.* quicquid *Sotus diſt. 18. q. 3. ar. 1.* in contrarium cum alijs velit. quare

Dico 2. quod, qui nullam voluit facere diligentiam, confidens in diligentia confeſſarij peritè ordinatè interrogãtis pęnitentes ad reducenda peccata in memoriam eorum, ſi ſit ex ſe idoneus aliquam ſaltem facere diligentiam, & ſpreuit eam facere, nullam facit Confeſſionem, quia indignus & impræparatus omnino accedit, & præuium ſpernens facere examẽ, quod facilius valeret, peccat cõtra præceptum de examine faciendo, & hunc talem debet confeſſor remittere ad faciendũ aliqnale examen, ſi cognoſcat impræparatum venire in contemptu præuij examinis, modo non adſit in periculo, vel articulo mortis, in quo confeſſor prudenter ſe gerat iuxta tẽpus, quod ſperat vitę adeſſe, cum ad pręparationem aliqualem adducere, & opem ferre eo modo, quo noſcit, conuenire.

Quod ſi imprudenter, & inaduertenter, vt ſolent Ruſtici, & idiotæ, vadant ad Confeſſarium abſque præuio examine, & confeſſor velit patienter eos ordinatè interrogare, & prudenter curare peccata ipſis in memoriam reducere, ſi norint non feciſſe examen, & cum tali confidentia veniſſe, vt à Cõfeſſario eius ignorantia in faciẽdo examine ſuppleatur, & id petant, quia faciunt, quod poſſunt, vt ritè confiteantur, validè abſoluuntur ex adhibita diligentia Confeſſarij, quia vtplurimum rudes, & idiotæ neſciunt ſe diligenter examinare, ergo confidentes in peritia Confeſſarii, prudenter negotium animæ peragunt, & diligentiam ſufficientem adhibent.

Dico 3. quod ſi quis etiam peritus, & valens diligenter ſe examinare, tamen non ex contemptu, ſed ad leuandum faſtidium, facta aliqnali diligentia accedat ad Confeſſarium peritũ, & diligentẽ, vt per ordinatas interrogationes ſatagat ſui in memoriã peccata diligentius reducere, valide abſoluitur, quia qui aliqualem pręſtitit diligentiã in reliquo confidens ſuppleri à Confeſſario, cum animo reſpondendi ad quæſita non videtur indignè, nec impreparatus accedere. Ita etiam Suar. *diſp. 23. ſect. 10. Bonac. & Nauar. lo. c. Zerola de pænit. c. 9. qu. 2.* Reginal *l. 6. & Filiuc. tr. 7. c. 4. q.* 10. *& alij.* Verum

Vtrum Confeſſarius teneatur examinare pænitentem, & interrogatione ei ordinate facere, ſic ſupplendo defectum examinis, & imperitiæ.

DIFFIC. XIX.

Diſtinguendum puto, nam vel cognoſcit Confeſſarius nõ indigere talibus interrogationibus, puta quia nouit ipſe ordinatè dicere ſua peccata, vnde poteſt colligere perfectum examen feciſſe, & potius ſuas interrogationes futuras ipſi moleſtas, non tenetur interrogationes facere, vt ſuppleat imperfectionem examinis, at verò ſi noſcat, pęnitentem nõ eſſe ſufficienter præparatum, nec ſufficiens examen præmiſiſſe, vel dimittat, ſi aptum adhoc cognoſcat ſufficienter faciẽdum, vel interrogationes adhibeat; quod ſi cognoſcat eſſe inhabilẽ ad perfectius examen faciendum, tenetur interrogationes facere, & eum diligenter examinare iuxta ſtatum, & conditionem perſonæ, quia in c. omnis vtriuſque ſexus habetur, Confeſſarium debere diligenter inquirere, & peccatoris, & peccati circumſtantias.

Præterquam quod tenetur etiam ex officio; Iudex .n. eſt Confeſſarius in illo actu, ad Iudicem autem ex officio ſpectat diligenter inquirere cauſas, antequam abſoluat, vel damnet reum, ergo Cõfeſſarius tenetur inquirere, & interrogare pęnitentem de ſuis peccatis, ſi aduerterit, non eſſe ſufficienter examine præuio præparatum, vel omnino rudem, & idiotã. Ita *Nauar. c. 9. n. 6. Reginald. l. 2. n. 14. Sayr. de pænit. c. 15. n. 7. & 8. Zerola de pænit. diſp. 23. ſect. 10. et diſp. 23. ſect. 3. Vaſqu. q. 93. ar. 2. Henriq. l. 15. c. 3. Nugnus in addit. q. 9. ar. 2. Bonac. de pæn. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. p. 1. et alij.*

Vtrum omnia peccata neceſſariò explicanda, quo ad ſpeciem tam moralem, tam phyſicam.

DIFFIC. XX.

Dico 1. quod certum eſt omnia peccata explicanda in Cõfeſſione Sacramentali quoad ſpecies morales, iuxta quarum diuerſitatem cognoſcũtur diuerſitates peccatorum inter ſe diſtinctorum. Ita communiter Theologi cum *Concil. Trid. ſeſſ. 14. & can. 7.* dicuntur porro peccata diſtingui ſpecie morali, quando vnum peccatum induit malitiam ſeu deformitatem ab alio formaliter diſtinctam, puta quia peccatum habet deformitatem contra vnam virtutem, aliud vero cõtra aliam virtutem, vel quia contra vnum genus prohibitionis ex vno fine aliud eſt, aliud vero contra prohibitionem aliam ex alio fine diuerſo; itaque diſtinctio ſpecifica moralis eſt diuerſa à diſtinctione ſpecifica phyſica, quia hæc ad ſubſtantiam phyſicè, & entitatiuè ſpecie, & quidditatiuè diſtinctam demonſtrãdam ordinatur, at vero moralis ſolum ad qualitates actuũ in genere moris ſolum diſtinctas dirigitur, & tanta eſt inter ipſa differentia, vt multoties in vno actu phyſico reperiantur multi actus ſpecie moraliter diſtincti, puta, ſi quis Epiſcopum percutiat, vnam diſtinctam ſpecie phyſica actionem exercet, attamen in ipſa vna hac actione phyſica inueniuntur tres deformitates moraliter inter ſe diſtinctæ ſpecie, vna eſt, quatenus aduerſatur iuſtitiæ, quia quatenus homo eſt, contra iuſtitiam percutitur, alia eſt quatenus hæc percuſſio aduerſatur reuerentiæ debendę ſtatui clericali, vnde prohibetur ſub excõmunicat. *in c. ſi quis ſuadente*, tertia eſt, quatenus iſta percuſſio aduerſatur honori ferendæ ſuperiori, & Epiſcopali dignitati, & ideo ſpeciali excõmunicatione in B. C. prohibetur. Immò poſſunt eſſe aliquando plures actus phyſicè diuerſi, & tamen erunt reputãdi ſolum vnus actus moraliter ſpecie diſtinctus, hinc ſi quis ſe præparet ad occidendum proximè inimicũ, & emat gladium hac de cauſa, illumque acuat, lateri accingat, equum aſcendat, iter arripiat, gladium emittat, euagine, & inimicum tandem occidat, licet multæ ſint in hoc actu actiones phyſicæ ſpecie diſtinctæ, vt ſunt emere, & acuere gladiũ,

equum

Digitized by Google

equum aſcendere, iter arripere, & gladium è vagina emittere, tamen quia omnes induunt vnam, & eamdem deformitatem reſpectu vnius finis intenti ſc. inimici occidēdi, quod ſub peccato prohibetur, vnum tantum dicetur peccatum.

Quare cum à ſpecie morali peccata diſtinguantur, & non à ſpecie phyſica, neceſſariò quoad ſpecies morales peccata diſtincta ſunt confitenda, adhoc, vt confeſſor tanquam Iudex in illo actu cognoſcat qualitates peccatorum, & ſtatum pœnitētis, aliter non eſſet confeſſio integra omnium peccatorum. Ita communiter Theologi infra citandi.

Dico 2. quod peccata diſtincta quoad ſpeciem phyſicā non ſunt regulariter confitenda, niſi ex morali interruptione inter ipſos actus phyſicos relinquatur in eis, vel occurrat alia diſtincta malitia moralis, quæ ipſos actus phyſicos reddat formaliter diſtincta peccata, hinc qui emit gladium ad occidendum inimicum, ſi ſtatim non vtatur eo, ſed ad tempus opportunum reponit ad hunc effectum, & poſtea ad alia diſtrahatur animus, iam ratione interruptionis actus, hæc actio phyſica redditur peccaminoſa diſtinctè confitēda ab occiſione actuali inimici, quia ex deſiderio occidendi mala eſt, & cum non ſit ordinata immediatè ad actum, non dicitur vnus actus moraliter cum occiſione, ſed ſpecie diuerſus, ita etiam ſi emere gladium, acuere, equum conſcendere, iter arripere, vulnerare immediatè ordinata ad occidēdum, licet ſint vnum peccatum propter vnam malitiam, quam induunt, tamen ſi occaſione faciēdi iſtos actus diuerſos, ſegetes infra agendū iter cōculcauit, vel furtū fecit, iam actus occidēdi inimicum, nō erit vnus moraliter actus, quia includit etiam conculcationem ſegetū, & furtum, ambo actus ſpecie diſtincti, vnde licet ſufficeret dixiſſe in confeſſione, ego occidi inimicum, etſi gladiū emerit, acuerit, equum aſcenderit, iter arripuerit, enſem emiſerit, & vulnerauerit, quia licet ſint actus phyſicè diſtincti, vnam tamen malitiam moralem habent, attamen interrupti ab aliis actibus peccaminoſis diſtinctè ſunt manifeſtandi, puta, quia equitans ad occidendum inimicum, ſegetes conculcaui, & furatus ſum, & poſtea occidi inimicum. Ita etiam noſter *Pitig. in 4. p. 2. diſt. 17. q. vn. ar. 11. concl. 1. Suar. diſp. 22 ſect. 2. Conin. diſp. 7. dub. 2. Valentia diſp. 7. q. 11 p. 1. Azor. 1. p. l. 44. Vaſq. q. 91. art. 1. dub. 1. Molfeſ. tract. 7. c. 12. Filiuc. tr. 7. c. 4. q. 2. Henriq. l. 9. c. 5. & Bonac. de pœn. ſacr. diſput. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2. quare ex dictis.*

Collige, peccatorum circumſtantias mutantes ſpecies moraliter eſſe explicandas neceſſariò ſiuè ex diuerſitate prohibitionum ſub diuerſis finibus ſpecie diſtinctis, vel propter oppoſitionem ad virtutes oppoſitas, vel propter interpolationem moraliter diſtinctam inter actus phyſicos, vt explicatum eſt.

Collige etiam, quod peccati circumſtantia, qua mortale fit veniale, & econtra etiam neceſſariò explicanda, quia fortè licet actus non ſint ſpecie diſtincti, puta furari in parua quantitate, & furari in magna quantitate, attamen quatenus furari in magna quantitate eſt peccatum mortale contra ſeptimū præceptum, furari in parua quantitate eſt ſolum veniale, ratione offenſæ Dei differunt pluſquam ſpecie, & conſequenter explicanda circumſtantia, in qua fuerit quantitate furatum, in magna ne, an parua. Ita etiam *Nauar. c. 17 n. 3. Suar. Vaſq. Coninch. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum ſingula peccata publica, & ſecreta quoad determinatum numerum ſint in confeſſione neceſſariò aperienda.

DIFFIC. XXI.

Dico 1. quod certum eſt de fide omnia, & ſingula peccata tam publica, quam ſecreta, quoad determinatum numerum, quātum moraliter fieri poteſt, ita *ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. et can. 7.* & Theologi communiter contra Vuicleph, & Lutherum, & alios hæreticos moderniores obloquentes ſolum peccata publica confitenda, non autem occulta, quam etiā ſententiam falſò impingit Duardo Suarez, ſed quicquid ſit de Duardo, veritas iſta, quod fidelis teneatur, omnia peccata tam ſecreta, quam publica probatur de iure diuino eſſe, vt ex noſtro *Subtiliſſimo Doctore in 4. diſtin. 17. cap. 2.* colligi poteſt, nam iubemur amare Deum in toto corde, & conuerti ad Deum in toto corde, ſed qui ſolum peccata, vel publica, vel ſecreta, vel non ſingula numeraliter confiteretur, non diligeret Deum in toto corde, nec conuerteretur ad eum in toto corde, ſed corde dimidiato, & non perfecto; præterquā quod vnum peccatum ſine alio dimitti non poteſt, ex c. ſunt plures vbi habetur ex *Auguſtino de falſ. & ver. pœnitent.* Impium eſt à Deo dimidiam ſperare veniam, ergo nec poteſt, quis abſolui ab vno, & non ab alio, ſi quis ergo velit perfectè, & verè abſolui omnium peccatorum tam publicè, quam ſecretè commiſſorum tam ſpecie, quam numero diſtinctorum quantum moraliter fieri poteſt, debet Confeſſionem facere, aliter, qui ſcienter aliquid retinent, vt ait *Concil. Trident. loc. cit.* nihil diuinæ bonitati per ſacerdotem remittendū proponunt. Ita etiam *Subtilis Doctor loc. citato Pitigian. noſter 1. p. diſt. 17. quæſt. vn. ar. 6. S. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. Bellarm. l. 3. de pœnit. cap. 1. Suar. diſput. 22. ſect. 1. Valent. T. 4. diſp. 7. q. 11. p. 1. Vaſq. q. 91. ar. 3. dub. 2. & Bonac. de pœn. diſp. 5. q. 5. p. 2. ſect. 2. & alii.*

Dico ſecundo, quod, licet ſingula peccata teneatur pęnitens quoad numerum determinatum dicere, puto peccato odij decies peccaui, attamen non tenetur, nec debet ſingula peccata ſingillatim ſpecificare, ſed ſufficit, quod in qualibet ſpecie peccati diſtinctum numerum vno verbo propalet, puto in peccato fornicationis decies peccaui, in peccato vero furti quinquies, in peccato murmurationis vigeſies, & ſic de ſingulis, alias eſſet nimis onerosum ſacerdoti audire, & pœnitenti narrare ſingillatim ſingula peccata ſpecificatè.

Dico tertio, quod ſi facto diligenti examine, non occurrat numerus determinatus ſaltem toties in circa pro quolibet die, vel ſeptimana, vel menſe, dicendo probabiliter peccaui peccata odij octies, vel decies in circa in ſingulas ſeptimanas, ter, vel quater murmuraui in quolibet die, ſi inquam hic ſingularis numerus non occurrat, non ſit nimium ſcrupuloſus, & anſius pœnitens in perquirendo numerum, ſed ſufficit aperire Confeſſario prudenti conſuetudinem maiorem, vel minorem, vel incidentiam ſimplicem in qualibet ſpecie peccati, vel tempus in quo durauit in tali peccato, vnde prudens Confeſſarius facile colliget quantitatem peccatorum. Vide Nauar. c. 8. n. 15. Tolet. l. 3. c. 7. Coninch. T. 2. dub. 7.

Quare probabiliter non loquuntur quidam antiquiores Summiſtæ volentes, quod ſufficiat dixiſſe, ſæpè frequenter, vel multoties peccaui in hoc genere peccati, quando poſſet pœnitens per diligens examen recordari numerum ſpecialem in circa pro qualibet ſpecie peccati, nam illo modo explicare peccata ſolum poteſt, quando non occurrit numerus determinatus poſt præuium examen, Confeſſor enim eſt Iudex in illo actu, & debet imponere pœnitentiam iuxta peccatorum quantitatem, maior enim pœnitentia danda, qui vigeſies peccauit, quam ei, qui decies. Quando ergo ex inuincibili ignorantia, & obliuione non recordatur, quis numerum certum peccatorum, ſufficit in ſpecie ea confiteri ſecundum plus, vel minus, vel ſecundum maiorem, vel minorem conſuetudinem. Ita etiam noſt. *Villalob. in ſumm. T. 1. tractat. 9. diffic. 34. Coninch. & Layman apud Dianam de Sacram. tract. 4. reſol 65.*

Vtrum Confeſſionem facere apud vnum Confeſſarium de leuibus, & apud alterum de grauioribus ad bonam famam ſeruandam liceat.

DIFFIC. XXII.

Negant *Syluestr. verb. confeſſio quæſt. 6.* & *Reginald. l. 6. n. 149.* quia committitur virtualiter mendacium, & hypocriſis vitium fouetur, *Victorell. autem in ſumm. de confeſſ. num. 169.* cenſet non peccare, qui ſemel, vel bis ad ſeruandam famam hoc faciat.

Diſtinguendum tamen puto, quod ſi ob ſolam conſeruationem famæ apud aliquem Confeſſorem probatæ vitæ, vel authoritatis quis, habita integra Confeſſione mortalium, cū vno venialia reſeruet confitenda cum præfato Confeſſario ad ſuam ſeruandam famam licitè hoc facit, & non peccat, quia Sacramento nullam facit iniuriam, dum mortalia integrè cum vno confitetur, ſecus ſi aliqua mortalia leuiora reticeret cum primo, vt cum alio confiteretur, quia faceret contra integritatem Confeſſionis, & nulla eſſet vtraque abſolutio, at vero ſi omnia mortalia integrè confiteatur cum vno, & poſtea aliqua leuiora etiam mortalia iam integrè confeſſa cum aliis venialibus ad famam, & bonum nomen ſeruandum

dum apud illum probatæ vitæ, & authoritatis validè, & licitè confiteretur, quia ſeruare famam eſt aliquod bonum, ergo nouam facere materiam leuiorum mortalium, vel reſeruare venialia confitenda apud alium confeſſorem licet, maximè cum nulla iniuria Sacramento fiat, quia confiteri venialia eſt ad libitum pœnitentis, cum alio medio ea poſſit tollere, & confeſſa iam peccata iterum confiteri non eſt malum ex ſe.

At vero ſi quis ſolitus confiteri cum vno, vel obligatus cum eo confiteri ex præcepto Superioris, attamen, quia grauiores dat pœnitentias, vel actius reprehendit peccata, ideo illi leuiora confiteturi & grauiora alteri confeſſori, qui facilior in abſoluendo, & mitior in danda pœnitentia, ſanè peccat, quia finem ſaltem virtualiter habet ſe non emendandi, dum obiurgationes fugit, & ſi adſit præceptum, grauius peccat, quia in re graui faceret contra voluntatem Superioris, qui conſultò aſſignat præcipuè iuuenibus in Religione Confeſſarios rigoroſos, vt maiori freno à peccatis cohibeantur. Ita etiam noſter *Villalob. in ſum. T.1. tract.9. diffic.35. Nauar. c.21. nu.40. Henriq. l.2. de pœnit. c.16. Coninch. de ſacram. diſp.6. dub.4. et Layman l.5. tract.6. c.8.*

Vtrum admittens mendacium de veniali in Confeſſione Sacramentali peccet mortaliter.

DIFFIC. XXIII.

DIco 1. quod certum eſt, admittentem mendacium de veniali in Confeſſione, in qua ſubijciuntur etiam mortalia peccare ſolum venialiter, loquendo regulariter, puta ſi a Confeſſario interrogetur de veniali, vel circunſtantia veniali admiſſo, neget ſe admiſiſſe, quia venialia ad libitum pœnitentis ſubijciuntur Confeſſioni Sacramentali, itaque nullam facit iniuriam Sacramento, ſi ea etiam interrogatus nolit ſubijcere ei, mendacium autem de re veniali veniale eſt, modo venialem circunſtantiam, vel veniale peccatum ſcire non faciat ad perficiendum Sacramentum neceſſario, puta ad tollẽdam occaſionem proximam peccati, ſi fuerit neceſſarium ſcire, quia tunc ratione principalis debet etiam acceſſorium narrare, vt perfectè Confeſſarius conſulat pœnitenti, & pœnitens tenetur reuelare in hoc caſu peccatum veniale, & circunſtãtias veniales, & negans facit mendacium in re graui in præiudicium ſuæ ſalutis, & ſignum eſt, ſe nolle emendare.

Maius autem dubium eſt, an in Confeſſione in qua ſolum venialia ſunt confitenda, & ſolum ſuper venialibus debet cadere abſolutio, vtrum interrogatus de veniali, quod admiſit vel de circunſtantia veniali, ſi neget mortale mendacium admittat, pro quo

Dico 2. quod licet *Paludanus in 4. diſt.21. q.2. a.12. Caiet. 22. q.65. a.1. ad 3. et Armilla v. confeſſio n.5.* abſolutè velint mentientem de veniali in Confeſſione mortaliter peccare, quia putant iniuriam grauem fieri de Sacramento, & Confeſſori, qui Iudicis in illo actu partes agit.

Attamen alii mitius diſtinguunt, quod ſi confitendum ſit vnicum ſolum peccatum veniale, ex eo, quia nullum aliud habet, licet poſſit illud non confiteri, ſi tamen velit illud confiteri, non poteſt mentiri circa illud, quia iam voluntariè illud ſubiecit tanquam materiam neceſſariam, ne abſolutio fruſtra detur, ſi ergo mentiatur, facit iniuriam Sacramento, & Confeſſario tanquam Iudici, & conſequenter mentiendo circa tale veniale, peccat mortaliter, quod ſi habeat plura venialia, poteſt vtique pro ſuo libito aliqua ſupponere Confeſſioni, & alia reticere, quia dum ponit alia venialia, iam materiam pro abſolutione præſtat, ergo non facit iniuriam Sacramento, & abſolutio ſuum ſortitur effectum, nec facit iniuriam Confeſſario, quia liberum eſt ſibi ea confiteri, & non confiteri, itaque cum verè neutri faciat iniuriam, non videtur de culpa mortali arguendus, qui in Confeſſione venialium dumtaxat mentitur circa ipſa, modo, vt dictum eſt ſupra ea ſcire Confeſſario non ſit neceſſum ad conſulendum pœnitenti, vt præcidat occaſiones proximas peccandi mortaliter, quæ facile ex venialibus, & circunſtantiis venialibus ſolent ſuboriri, vt dictum in antecedenti concluſione. Ita ex noſtro *Angelo v. cõfeſſio 1. §.16. Nauarro c. 21. n.37. Coninch. de ſacr. diſp. 6. dub. 2. Sayr. de pœnit. c.13. Reginald. l.6. n.67. et 68. Bonacin. de pœnit. diſp.5. q.5. ſect. 2. p.2. et alii.*

Quam doctrinam poteris etiam applicare circa peccata mortalia alias Confeſſa, quia non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, niſi modo explicato, dato, quod ea, quis iterum velit ea confiteri, poterit enim vnum, vel plura confiteri, aliis non Confeſſis.

Quomodo facili poſſit ratione cognoſci numerus peccatorum, & quomodo in confeſſione aperiendus.

DIFFIC. XXIV.

DIco primo quod, numerus peccatorum ex multiplicatis numero actibus moraliter interruptis circa eamdem ſpeciem peccati recolligitur, & cognoſcitur, puta ſi quis plures actus decem ſc. actus odij interruptos moraliter commiſerit, decies peccaſſe in ſpecie odii eſt dicendus, & ſic ratiocinandum in ſingulis ſpeciebus, & actibus.

Pro quo tamen nota, quod actus moraliter interrupti, & vnus ab alio numero diſtinctus moraliter dicitur, quando aliquis non perſiſtit nec virtualiter, nec formaliter in eadem voluntate, & propoſito, quoties ergo mutatur propoſitum formaliter, vel virtualiter, & actus moraliter numero diſtincti numerantur, quia toties moraliter interrupti cenſentur, quod ſi eadem ſemper perſeueret formaliter, vel virtualiter circa idem voluntas, quantumcumque fiant diuerſi actus circa idem, non cenſentur moraliter interrupti, ſed vnus, & idem actus numero reputandus, & ſi ſit circa materiam peccaminoſam, vnus erit numero actus peccaminoſus, & vnum peccatum dicendum.

Dicitur autem quis perſiſtere, & manere formaliter in eodem propoſito, quando actu perſeuerat ſemper eadem voluntas nunquam actu mutata, nec interrupta circa aliquod obiectum; virtualiter vero quando licet actu non perſeueret in illa voluntate, tamen, quia non reuocauit illam, licet ab alijs negotiis diſtrahatur, adhuc aliqua facit, vel permittit ratione prioris illius voluntatis.

Hinc ſi quis proponat veneno occidere Titium, & ideo vadat ad colligendas herbas veneniferas, deinde exprimat ſuccus venenatos, & deinde eas in aliquo potu, vel cibo commiſceat, & tandem porrigat Titio, licet ſint plures actus, quia tamen in eis ſemper manet eadem voluntas virtualiter, & à virtute primi propoſiti non mutati, ſed perſeuerantis de venenando Titio, omnes alii actus ſubſequentes proceſſerunt, vnus actus moraliter non interruptus dicuntur omnes, & conſequenter vnum peccatum numero.

At vero ſi poſtquam herbas venenatas collegit, pœniteat Titium venenare, & poſt aliam horam iterum proponat eum velle venenare, & ideo ſuccus exprimit, quem ſi poſt ſuccus expreſſos iterum pœniteat, iam actus iſti dicuntur moraliter etiam interrupti, quia in ipſis non permanſit eadem voluntas, ſed bis fuit mutata, ergo duo peccata commiſſa eſſe dicendum eſt, quia actus interrupti ſunt, & numero diſtincti duo moraliter fuerunt.

Adde, quod actus interpollati inter ſe ſe etiam faciunt regulariter numerum diſtinctum peccatorum, dum non apparet adeſſe nec formaliter, nec virtualiter intentio.

Hinc ſi quis modo eliciat actum odii circa Franciſcum, & nihil faciat, in quo perſeueret voluntas odii, ſed voluntas ad alia ſe conuertit, deſiiſſe hic actus eſt dicendus, & vnum peccatum odii commiſſum reputabitur, quod ſi poſt aliquod tempus eliciat alium actum odii circa eumdem Franciſcum, erit nouus actus, & aliud peccatum, quia cum illo primus actus odii ex temporis interpollatione dicatur deſiiſſe, & non permanere, nec formaliter, nec virtualiter dicatur, hic ſecundus actus erit mortaliter diſtinctus per nouam voluntaem malam aduenientem, & conſequenter diuerſum numero peccatum à primo.

An vero parua interpolatio inter vnum, & alium actum circa idem non dicatur facere interruptos actus videbitur forte V. peccatum.

Dico ſecundo, quod quando longo tempore peccator emarcuit in peccatis ex inueterata, & peruerſa conſuetudine, vt ſunt concubinarii, meretrices, vſurarii, qui ſingulorum actuum numerum difficillimè, & fortè impoſſibiliter perquirere valent, ſufficit, vt tempus explicent, in quo in tali mala conſuetudine peccandi perſeuerarunt abſque eo, quod anxientur circa numerum peccatorum, ſufficienter enim ſe accuſat,

accuſat, qui tanto tempore ſemper in tali peccato, vel occaſione peccandi, vel paratum fuiſse ſemper in tali tempore peccare, vnde confeſſor ex temporis maiori, vel minori diuturnitate, ſtatum conſcienciȩ illius colligere poteſt. Ita *noſter Pitigian. in 4. diſt. 17. quæſt. vn. art. 6., Henriquez. l. 5., Coninch. diſp. 3. de pænit. dub. 2., Caietan. T. 1. opuſc. tract. 5. q. 3., Reginald. l. 6. n. 121. Bonac. de Sacr. pænit. diſp. 5. quæſt. 5. p. 2. ſect. 2.* & alij.

Tenentur tamen quantum poſſont iſti conſuetudinarij exprimere circumſtantias mutantes ſpecies, ſicut ſone meretrices quantum fieri poteſt, an ſæpe ſepius cum coniugatis, vel Sacerdotibus, latrones quantum fieri poteſt, diſtinguant ſacrilegia.

Aduertant tamen in hac materia Confeſſarij, ne nimis ſint ſcupuloſi ad extorquendum determinatum numerum peccatorum à pæniteotibus, ſed ſufficit, vt vel tempus conſuetudinis, aut iniuſtæ detentionis explicent, vel aliquem probabilem numerum in circa, vt ſolet dici, ne pænitentes ſcrupulis obruantur circa certum numerum.

Quomodo facili ratione poſſit numerus peccatorum ad memoriam reduci.

D I F F I C. XXI.

Dico primò, quod modus facilis ad reducenda peccata in memoriam, & faciendum diligens examen eſt, vt peccator in locum aptum, & quantum fieri poteſt ſolitarium facturus examen conſcientiæ ſe retrahat, & Angelo ſuo Cuſtodi præces deuotè porrigat, vt dignetur omnia peccata in memoriam reducere; hinc ex meditatione beneficiorum, quæ à Deo per Creationem, & redemptionem, & alias ſpeciales rationes accepit, ſatagat ſe ſe excitare ad eliciendos actus amoris erga Deum, quem tot, tantiſque modis grauiter offendit, vnde facilè dolorem ſe Deum offendiſſe, eliciet, doleat, & pœniteat cum propoſito efficaci deinceps nunquam cum diuino adiutorio Deum offendendi, & cum propoſito omnia, quæ memoriæ occurrent peccata maximè in præſenti examine ſtatim in confeſſione aperire, hæc præludia non ſunt omnino neceſſaria, ſed multum conferunt ad diuinam Clementiam implorandam, vt ad remiſſionem conſequendam peccata memoriæ reddere dignetur.

Poſt hæc ergo incipiat examen, & curet recordari cuius anni, vel menſis die vltimam peregit confeſſionem, & ſi paruum tempus, quo non eſt confeſſus, de die in diem examen faciat, ſi vero longum de ſeptimana in ſeptimanam, & ſi longiſſimum, ſaltem de menſe in menſem diligenter perſcrutetur in quibus locis, & cum quibus perſonis fuerit conuerſatus, & negotia tractauerit, facilè enim à locorum, & perſonarum, & negotiorum recordatione venient in mentem peccatorum occaſiones, & peccata peracta; quod ſi ſciat diſcurrere per præcepta decalogi, ſeptem capitalia, quinque ſenſus, Opera miſericordiæ, præcepta Eccleſiæ ſcruteror de menſe in menſem, vel de ſeptimana in ſeptimanam in quo iſtorum deliquerit in tali loco cum talibus perſonis, & occaſionibus, & notet numerum peccatorum probabilem pro quolibet præcepto, vel vitio capitali.

Dico ſecundò, quod ſi neſciat diſcurrere per præcepta, & peccata capitalia, &c. cum peccata paſſim fiant cogitatione, ore, opere, & omiſſione, incipiat ſe interrogare, an cogitationibus peccauerit in aliquo loco cum talibus perſonis, & occaſionibus ſimiliter, poſtea interroget ſe ipſum in peccatis quæ ore, deinde quæ opere, & demum quæ omiſsione patrauerit, poſtquam ergo per hæc ſecum diſcurrerit, notet numerum peccatorum probabilem in ſingulis præfatis capitibus, de inde peccatorum, quæ in mentem venerint, pœniteat, & doleat Deum offendiſſe ſuper omnia, proponat deinceps nolle Deum offendere cum ſuo adiutorio, & demum ad confeſſarium accedat, eique humiliter, quæ rite recordatus fuerit, vt fideliterque peccata aperiat, cum ſalutari pœnitentia abſolutionem accipiat.

Vtrum qui numerum certum peccatorum expreſſit, poſtea cognouit ſe maiorem, vel minorem numerum expreſſiſſe, teneatur iterum exprimere maiorem, vel minorem confiteri.

D I F F I C. XXVI.

Dico primò, quod bona fide aperiens in confeſsione maiorem numerum peccatorum, puta ſi dixerit, ſe decies perioraſſe, & poſtea recordatus fuerit extra confeſsionale, quod ſolum quinquies periurauerit, non tenetur iterum adire Confeſſorem, vt minorem numerum dicat, nam in maiori includitur minor numerus, & iam minoris etiam numeri abſolutionem obtinuit, & Confeſsio verè integra fuit materialiter, & formaliter, quod ſi propter aliquem finem puta gloriandi ſe ſe de commiſſo peccato mortali, vel alio prauo fine ad decipiendum Confeſſarium maiorem numerum mortalium conſultò expreſſerit, tenetur, iterum non ſolum maiorem numerum aperire, ſed totam Confeſsionem iterare, quia ex mala illa fide, qua expreſsionem maiorem numerum peccatorum Confeſsio fuit inualida, quia peccauit mortaliter, & poſuit obicem, & tenetur de hac deceptione etiam, quia peccaminoſa fuit, confiteri. Ita etiam *Bonacina de pænit. quæſt. 5. ſect. 2. parte 3.*

Verum eſt tamen, quod ſi deceptio fuit circa venialia, vel gloriatio, quia veniale ſolum admiſit, nec tenetur ad venialia confitenda, non obligatur iterum confiteri propter expreſſionem maioris numeri venialium. Ita etiam *Bonacinam loc. citato.*

Dico ſecundò, quod qui maiorem numerum peccatorum ſcienter, & conſulto, & malitioſè reticet in Confeſsione, & minorem ſolum numerum aperit, cum Confeſsio non ſit integra, abſque dubio tenetur confeſsionem reiterare, & ſuum peccatum, & malitiam explicare, cum peccauerit mortaliter, faciendo iniuriam Sacramento.

Ceterum ſi bona fide minorem numerum expreſsit, verè non recordatus maioris numeri in actu confitendi, ſi poſtea extra Confeſsionale in mentem veniat, puta, quod confeſſus fuerit, ſe decies fornicatum, cum verè recordetur fornicatum ſe quindecies, debet ſolum in confeſsione ſequenti aperire ſe oblitum fuiſſe quinquies fornicatum eſſe, nec tenetur iterare Confeſsionem, quia cum bona fide non expreſſerit certum numerum ex inculpabili obliuione, confeſsio fuit integra formaliter, & recepit verè gratiam, integritas autem materialis poteſt ſuppleri in ſequenti confeſsione.

Dico tamen tertiò, quod ſi confitens bona fide peccatum expreſsit cum numero determinato, puta decies in circa peccaui peccato ſuperbiȩ, ſi poſtea recordatus fuerit eſſe vndecies, vel duodecies, non tenetur in alia confeſsione illa duo aperire, quia illa particula in circa ſignificauit Confeſſario, quod potuiſſet peccare etiam duodecies, particula enim auget, vel minuit numerum peccatorum per vnum, vel duo peccata tam in mente confitentis, quam in mente confeſſarij; quod ſi penitens ſe accuſando de numero peccatorum determinato dicat: peccaui decies peccato inuidiæ vel plus, vel minus, ſi poſtea recordatus fuerit quindecies ſe tale peccatum commiſiſſe, probabiliter putarem nec eſſe obligatum illa quinque confiteri, quia voluntas eius fuit dicere omnia ea, quæ commiſit, particula enim plus, vel minus auget, & minuit numerum in mente etiam prudentis, pluſquam non auget particula in circa, atque adeo prudens Confeſſarius poterit ſtatum pœnitentis facilè intelligere; quantum vero augere vltra numerum determinatum poſſit, ly, plus probabiliter credo, quod auget ter, quater ſuper numerum determinatum, puta ſi dicas decies, vel plus, quod ly plus ſe extendat ad denotandam etiam potuiſſe terdecies, quaterdecies accidere; Ita etiam docent *Filiuccius T. primo tract. 7. cap. 4., Hurtadus de Sacrament. diſput. 9. diffic. 15.* & ſanè, quod bis, vel ter augeat ly, plus, & conſequenter non ſit numerus notabilis omiſſus, neceſſario in confeſsione aperien-

Digitized by Google

dus iterum, docent *noſter Pitigian. in 4. 2. p. diſt. 17. quæſt. 1. a. 6. concl. 2. Vaſquez de pœnit. quæſt. 91. a. 1. dub. 6., Nugnus in addit. quæſt. 9. a. 2., Suar. diſp. 22. ſect. 7. ad fin., Reginald. l. 6. num. 126., & Bonac. loc. citato punct. 2. num. 6.*, & alij, quod ſi confeſſus decies ſe peccaſſe, vel plus, vel minus, recordaretur poſtea fuiſſe vigeties, tenetur talem numerum omnino ſupplere in ſequenti Confeſſione, quia eſt numerus notabiliter maior, qui non poteſt ſub particula plus ſubintelligi, & paſſim prudentes rē factam decies plus, vel minus non extendunt ad ſubintelligendum numerum notabiliter maiorem. Ita Doctores citati. Bonum ergo conſilium eſt, vt hortentur fideles in confeſſione apponere in numero determinato peccatorum plus, vel minus, vt liberentur à ſcrupulo numerum non notabiliter maiorem, vel minorem iterum confeſſioni ſubijcere.

Vtrum teneatur pænitens ea peccata etiam confiteri, quæ certo nouit Confeſſarius à ſe admiſſa, & an ſufficiat ſaltem dixiſſe; Pater confiteor ea peccata ſingula, quæ tu noſti à me admiſſa fuiſſe tali loco, & tempore.

DIFFIC. XXVII.

DIco primò, quod certum eſt, pænitentem teneri proprio ore confiteri peccata ſua, quantumcumque cognoſcuntur à Confeſſariò à ſe certo admiſſa, nam Confeſſio ore debet fieri, & Confeſſarius in illo actu Iudicis officium exercet, qui debet iudicare ſecundum allegata, vt poſſit ritè abſoluere, quæ autem ipſe nouit, vt perſona particularis non iudicat, niſi à pænitente, vt reus eſt ſuorum criminum eius iudicio proprio ore non ſupponat, præterea Confeſſarius, vt abſoluat, debet eſſe certus, quod pænitens velit ſe de peccatis emendare, quæ autem homo non confitetur, non videtur velle corrigere, quia iudicio Sacramentalis correctionis non ſupponit, ergo quantumcumque ſciat Confeſſarius aliqua peccata à pœnitente admiſſa, ſi ea proprio ore non confiteatur, non poteſt ritè abſoluere, quia debet præſupponere ſe nolle de eis emendare. Ita communiter *noſter Pitigian. 2. p. diſt. 17. quæſt. vn. a. 11. concl. 2., Reginal. l. 6. num. 100., Sylu. V. Confeſſio 2. quæſt. 3., Henriq. l. 5. cap. 4., Zerola in prax. de pœnit. cap. 10. quæſt. 39. & Bonac. de pænitent. diſput. 5. quæſt. 5. ſect. 2. p. ſecunda.*

Nec obſtat, ſi dicatur, quod confitens voto caſtitatis ſolemni adſtrictus, peccatum fornicationis cum confeſſario, cui notum eſt ſe tali voto adſtrictum, non tenetur fateri talem circumſtantiam notam Confeſſario, ergo neque peccata alia nota Confeſſario debent à pænitente fateri; nam diſpar eſt ratio, quia voto caſtitatis adſtrictus confitens actum principalem peccaminoſum, puta fornicationem, conſequenter implicitè manifeſtat confeſſario ſe ſacrilegam fornicationem admiſiſſe, dum notum eſt ei ſe voto ſolemni caſtitatis adſtrictum, circumſtantia enim nota confeſſario non debet exprimi, dum principale peccatum ore proprio confitetur, quia implicitè continetur in confeſſione ipſius peccati principalis, & ideo abſoluitur cum ſuo principali, at vero quando reticetur peccatum principale, quantumcumque ſciatur à Confeſſario, nec explicitè, nec implicitè ore proprio non ſupponitur confeſſioni, nullo modo poteſt abſolui.

Dico tamen ſecundò, quod ſi pænitens dicat Confeſſario: Accuſo me etiam de illis peccatis, quæ tu noſti tali die, & loco me commiſiſſe, videtur ſufficienter aperuiſſe ſtatum ſuum confeſſario, & ſaltem implicitè ore proprio ſua peccata commiſiſſe, modo Confeſſarius annuat, ſe illorum memoriam habere. Ita *Reginaldus lib. 6. num. 102., Medina c. de confeſſ., Zerola de pænit. cap. 10. & Bonac. loc. citato*, quod maximè verius puto, ſi temporis breuioris neceſſitas vrgeat.

Vtrum in confeſſione neceſſario ſint aperiendi actus minus principales antecedentes, vel ſubſequentes, vel comitantes actionem principalem, puta tactus, oſcula in peccato fornicationis.

DIFFIC. XXVIII.

DIco primò, quod certum eſt, actus minus principales immediatè præcedentes, vel concomitantes ordinatos ad actum principalem non eſſe neceſſum ſingillatim explicare, cum inuoluantur in ſuo principali, ad quem ordinantur, & vnum peccatum efficiunt cum ſuo principali, quod ſi principalis effectus non ſit ſecutus propter aliquod accidens, tunc, quia remanent ex ſe peccaminoſi tales actus, vt pote ordinati ad peccatum, neceſſario ſingillatim explicandi, quia non poſſunt cum ſuo principali exprimi, hinc tactus, & oſcula ſecuto effectu, nec præcedentia immediatè, nec concomitantia ſunt explicanda, dum confitetur principalem fornicationem, in ea enim inuoluentur, quod ſi fornicatio non ſubſequatur, neceſſariò per ſe explicitè in confeſſione explicanda; ita etiam dicendum de expoſitione periculi ad peccandum, ſi immediatè ſequatur peccatum, ad quod ſe expoſuit, non eſt confitenda expoſitio periculi, quia inuoluitur cum actuali peccato facto, quod ſi non ſequitur immediatè peccatum, omnino confitenda; actus vero, qui ex ſua natura non ordinantur ad peccandum, ſed ſolum ex intentione peccantis, licet ordinentur ad peccatum, diſtinctè etiam per ſe confitendi ſunt, quia non inuoluuntur ex ſe cum actu principali, hinc ſi quis ad fornicandum vtitur ſocio ad obtinendam copulam cum fœmina, tenetur hoc particulare innuere, quia vti ſocio ad obtinendam copulam cum fœmina, non eſt actus, qui includatur ex per ſe in fornicatione, vt patet. Ita etiam *noſt. Pitigian. in 4. 2. p. diſt. 17. quæſt. vnic. a. 5., Azor. 1. p. l. 4. c. 4., Nauar. in c. conſideret de pænit. diſt. 5. n. 43., Vaſq. q. 91. a. 1. dub. 5., Suar. diſp. 22. ſect. 5., Bonac. de pænit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2.* & alij communiter.

Dico ſecundò, quod actus minus principales ordinati ad actum principalem aliquem, ſi immediatè poſt expletum actum principalem fiant, *Vaſquez, Suar., & Bonac. loc. citato* volunt eſſe neceſſum, vt confiteantur ſpecialiter, quia ſpecialem habent malitiam extra actum principalem; hinc tactus, & oſcula immediatè poſt fornicationem completam neceſſariò confitenda, quia habent nouam malitiam ordinatam ad aliam fornicationem. *Nauarr. tamen cap. 6. num. 7. Henriquez l. 5. cap. 5. & Zerola de pænit. cap. 12. quæſt. 47. & Filiucc. tract. 7. cap. 4. quæſt. 3.* nolunt neceſſario explicandos tales actus, quia adhuc ſapiunt naturam principalis, niſi fortè continuentur expreſsè ad nouam fornicationem, vtraque in ſua ratione probabili fundatum puto.

Vtrum Confeſſionem generalem faciens teneatur ſingula peccata mortalia alias, ritè confeſſa, neceſſariò in Confeſſione aperire.

DIFFIC. XXIX.

DIfficultas præſens licet ex ſuperioribus dictis maneat explicata, & reſoluta, attamen propter multos ſcrupulos, qui ſæpè ſepius confeſſiones faciunt generales, volui enim ſpecialiter pertractare. Quare

Dicendum, quod ij, qui ex mera diuotione, vel vt magis mereantur, vel, vt pœnam per iteratas eorumdem peccatorum confeſſiones ipſis debitam remittendam curant, & non reiterent propter dubium probabile, quod habeant de nullitate alicuius Confeſſionis prætetitæ, non tenentur omnia, & ſingula peccata mortalia confiteri, nam per priorem abſolutionem ritè acceptam remiſſa ſunt iam, & conſequenter non ſunt amplius materia neceſſaria confeſſionis, ſed ſolum materia voluntaria, poteſt ergo ea, quæ ſibi placent confeſſioni ſubijcere, modo propter malam hypocriſim, & vanam gloriam id non faciant, quia tunc peccarent, vt ſcilicet aliqua ratione, & propter aliquem finem malum con-

confeſſarium decipiant, vt ſolent aliqui facere apud Confeſſarios magnæ authoritatis, apud quos generalem faciunt Confeſsionem peccatorum leuiorum, & apud eos acquirant famam viri honeſti, & boni, atque hoc modo habentur idonei ad officia obtinenda, quæ ſi peccata grauiora, quæ habet, aut habuit, confiteretur, non acquireret famam idoneitatis ad officia, quæ prætendit, mediantibus iſtis deceptionibus in confeſsione factis conſequi, itaque præciſa hac fraude, ſi ſolum aliqua, vel grauiora, vel leuiora iam alias ritè confeſſa, & expiata, in confeſsione generali quis ſubmittere velit, liberum hoc eſt ei abſque vllo ſcrupulo. Ita etiam *noſt. Ang. V. confeſſ. 1. Tabiena ibidem, Filiucc. tract. 7. cap. 4. Henriquez de pænit. cap. 12. num. 2. Zerola de pænit. cap. 13. quæſt. 28., & Bonacina de pænit. diſput. 5. quæſt. 5. parte 2. sect. 2.*

Quod ſi confeſsionem generalem faciat, quia debet reiterare confeſsiones præteritas inualidas, regulariter tenetur omnia mortalia non ritè confeſſa, confiteri iterum, niſi aliqua excuſet circumſtantia, &c.

Quænam dicatur confeſſio materialiter, ſeu methamaticè, vt alij aiunt, & quænam formaliter ſolum integra, & quænam, ſimul, & ſemel formaliter, & materialiter, integra.

DIFFIC. XXX.

RESpondeo ex communis Theologorum doctrina, quod Confeſsio peccatorum, tunc dicitur materialiter, ſeu methamaticè integra duntaxat, quando ſingula peccata cum ſuis debitis circumſtantijs integrè, fideliterque aperiuntur, ſed ratione defectus iuriſdictionis Confeſſarij, vel fictionis, aut defectus doloris, aut alterius eſſentialiter requiſiti ad formatam Confeſsionem, ſeu validam abſolutionem recipiendam, confeſsio eſt inualida, & nulla.

Confeſsio autem formaliter integra, ſolummodo tunc dicitur, quando ob legitimam cauſam, vel ob inculpabilem obliuionem reticentur aliqua peccata præciſa omni fictione, & fraude; adeſt tamen propoſitum ea realiter, & verè confiteri cum præfata cauſa legitima ceſſauerit, aut in mentem venerint, quia tunc confeſsio ſi reliqua adſint requiſita, formata dicitur, & valida eſt, cum verè per abſolutionem datam, indirectè etiam non explicata in abſolutione directa peccatorum, quæ ritè aperiuntur, verè abſoluantur, & peccator recipit gratiam, & abſolutionis effectum; Confeſsio porro materialiter, & formaliter integra eſt, quando ſingula peccata ritè, & legitimè cum verò dolore, & propoſito non peccandi de cetero, aperiuntur fideliter cum ſuis circumſtantijs Confeſſario authoritatem habenti ab omnibus abſoluendi.

Confeſsio ergo materialiter ſolum integra, quia nulla eſt, & inualida paſsim à Theologis dicitur confeſsio informis, quaſi ſine forma, quia non eſt formata gratia, & charitate, quæ formatam reddit confeſsionem; quæ diſtinctiones mente retinendæ ſunt, & benè ponderandæ, vt reſolutiones Doctorum intelliguntur in hac materia.

Quęnam autem ſint cauſæ legitimæ, ob quas poſsint reticeri aliqua peccata, & tamen confeſsio dicatur integra formaliter, paſsim ſunt infamiæ, ſcandali, vitæ, vel alterius damni, periculum probabile ſi apud talem confeſſarium confiteantur, apud quem neceſſariò facienda eſt confeſsio, cum alius non adſit, quæ cauſæ, vt diſtinctius cognoſcantur, aliquæ difficultates integrè proponentur, an verò ob caſum reſeruatum, & quando poſſit fieri integrá formaliter, & non materialiter; vide ſupra V. Caſus reſeruatum.

* * *

Vtrum quando pænitens, ſi confiteatur aliqua peccata, timet probabiliter notabile animæ, vel corporis periculum, infamiam ſui, vel complicis, aut fractionem ſigilli in notabile damnum proximi, & alius non adſit Confeſſarius, poſſit ea legitimè reticere, & integra formaliter formataque per abſolutionem acceptam dicatur Confeſſio.

DIFFIC. XXXI.

DIco primò, quod quando pœnitens timet probabiliter timore ſcilicet cadente in conſtantem virum, non autem leuem periculum, vel animæ ſuæ, vel corporis ſui infamiam, fractionem ſigilli cum damno notabili ſi aliqua peccata Confeſſo ſi aperiat, & nullus alius adſit Confeſſarius, atque adeo ſine ſcandalo non valeat confeſsionem relinquere, vel tenetur omninò Confeſsionem facere, poteſt illa reticere, & modo habeat propoſitum ea confitendi data opportunitate alterius Confeſſarij, confeſsio reliquorum dicetur integra formaliter, & ſi ritè cum alijs debitis fiat circumſtantijs valida erit abſolutio, & remiſsionem peccatorum, etiam, quæ reticet, modo inquam ea habeat propoſitum confitendi data opportunitate cum altero confeſſario, etenim directè abſolutus a confeſsis, indirectè etiam abſoluitur ab ijs, quæ legitima cauſa reticet cum voto confitendi data opportunitate; etenim quando duo præcepta concurrunt, quorum vnum fortius ligat, quam alterum, debet ſequi præceptum fortius ligans, quam minus ligans, & minus ligans debet omitti omnino, ſi ſeruari nequeat ſimul cum præcepto fortius ligante, ſed conſeruatio ſalutis ſpiritualis animæ, corporis, famæ etiam proximi, eiuſque damni notabilis cum ſit de iure naturæ fortius ligat, quam integritas confeſsionis, quæ eſt de iure diuino, ergo quando concurrunt ſimul, omittenda eſt integritas confeſsionis, vt ius naturæ habeat locum in ſecunda ſalute animæ, corporis, famæ, & damni notabilis, nec enim ius Dominicum, quod ſuaue eſt, & leue in præiuditium iuris naturæ obligat; hæc doctrina colligitur ſi *ſubtiliſſimo Doctore in 4. diſt. 9. quæſt. 1. & diſt. 21. quæſt. 2.* etenim hic docet, quod etiam ſeruare vitam ciuilem, quæ conſiſtit in ſeruanda fama ſui, & proximi eſt de iure naturæ, quod elicet ex illo *Matth. 7. omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis, & vos facite illi*, ſed vnuſquiſque naturaliter vitam ſuam, corporalem, & ſpiritualem, res ſuas, & famam ſuam vellet ab alijs ſeruari, & defendi, ergo etiam tenetur quis ſeruare vitam ſpiritualem, & corporalem, famam, & bona temporalia proximi, ergo de lege naturæ eſt iſta ſeruare etiam in proximò, præterquam quod vnuſquiſque diligere debet proximum ſicut ſe ipſum, quod præceptum diuinum fundari etiam in lege naturæ alibi probabitur, itaque tenetur quis, vitam, famam, & res proximi eſtimare, & ſeruare, ſicut vitam, famam, & res proprias, ſic dictante etiam lege naturæ; quando ergo timetur timore graui, & cadente in conſtantem virum ex reuelatione peccati in confeſſione periculum probabile vitæ, famę, & damni corporalis, ſpiritualis, ſeu corporalis, tam in ſe, quam in proximò; poteſt legitimè reticere, & omittendum præceptum diuinum impoſitiuum integritatis confeſsionis propter ſeruandũ pręceptum naturale, & diuinum. Ita etiam præter doctrinam *Scot. loc. cit. Pitigian. in 4. diſt. 21. q. 2. a. 4. Fauent. in diſt. 14 diſp. 24. cap. 5. Leſſius l. 2. c. 11., Sancius in ſelectis diſp. 8. Valentia T. 4. diſp. 7. q. 11. p. 1., Armilla V. circumſt. n. 11., Lopez p. 1. c. 36., Bannes 2. 2. q. 33. dub. 8., Ioann. de la Cruz in direct. p. 2. de ſacr. pænit. q. 3. p. 5.* hanc etiam opinionem probabilem putat *Suar. T. 4. diſp. 34. vide Dianam tract. 4. de Sacr. reſ. 64. & tract. de circumſt. reſol. 49., Nauar. cap. 7. num. 3. Bonacinam loc. infra citandi.*

Attamen, quoad ſeruandam formam complicis in cõfeſsione non licere peccatum, vel circumſtantias reticere, quia non infamatur complex apud Confeſſarium, qui ſub ſecreti ſigillo tenetur peccata cælare. Ita videtur velle *noſtri Alerſis 4. p. Bonac. in 4. diſt. 21. q. 3. a. 1. D. Th. in 4. diſt. 16. q. 3. a. 2. & Caiet. 2. 2. q. 73. a. 2.* verum licet probabiliter loquantur in aliquo caſu, non tamen in vniuerſum, & in collectaneis infra ponendis videre eſt. Quare in præfata doctrina

Collige primò, quod ſi mulier ardeat amore in honeſto ſui cõfeſſarij, & alium non habeat in neceſſaria occaſione confitendi præter ipſum, puta vitandi ſcandali, quod timet ex delatione, vel omiſsione Confeſsionis, debet, & poteſt cælare tale

 pecca-

peccatum, quia probabile incurritur periculum ſalutis animæ vtriuſque; poſſet enim ex tali confeſſione peccati confeſſarius arripere occaſionem tentandi, & ſollecitandi curā. Ita in terminis *noſter Pitigian. diſt.* 17. *q. vn. a.* 5. *dub.* 9., *Henriq. l.* 5. *c.* 11., *Nugnus in Addit. q.* 9 *a.* 2., *Coninch. diſp.* 7. *dub.* 9., *& Bonac. de pæn. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *p.* 2. quare cum propoſito confitendi illud data opportunitate, validè abſoluetur, & integra dicetur formaliter confeſſio, & ſi verè pæniteat, gratiam conſequitur.

Collige ſecundò, quod ſi quis cum ſorore germana confeſſarij copulam habuerit, nec adſit alia fœmina, cum qua potuerit fornicari, nec adſit alius Confeſſarius cum quo in præfata neceſſaria occaſione confitendi poſſit, debet tacere peccatum, & cum vero dolore offenſæ Dei, & propoſito illud confitendi data apportunitate integram faciet confeſſionem, quia ſi peccatū confiteretur, probabile timeretur de periculo vitę vtriuſque. Ita ex præcitatis Doctoribus. Collige tertiò, quod occidens aliquem, vel fornicans cum aliqua, quando alius non adfuit occiſus, vel non adſit alia fœmina, cum qua potuerit fornicari, vnde neceſſariam conſequentiam facturus ſit de perpetrante peccatum, & de complice, & nullus alius ſit Sacerdos, & timeatur timore cadente in conſtantem virum, quod Confeſſarius ſit fracturus ſigillum ad reuelandum complicem, vel pænitentem cum grauiſſimo periculo probabile ſuæ, & cōplicis famę, vel vitæ, vel alterius incommodi temporalis, poteſt reticere peccatum ta e homicidij, & fornicationis, quia lex diuina poſit ua de integritate confeſsionis non obligat cum tanto incommodo, vt dictum eſt ſup. Ita etiam communiter citati Doctores.

Collige quartò, quod ſi fœmina habens peccatum carnis timeat probabiliter confeſſarium eſſe ſcandalizandum valdè de ſe ipſa, & grauiter timeat ſemper in mala opinione futuram, atque adeo, quod cum marito, vel propinquis non ſit bene de ipſa locuturus ex hac occaſione apud ipſum, nec alium habeat cui confiteantur in neceſſaria, vt ſup. occaſione confitendi, poteſt illud reticere cum animo data opportunitate illud alteri confiteri, & confeſsio cum alijs requiſitis facta valida erit. Ita præcitati Doctores.

Collige quintò, quod in hiſce omnibus, & ſimilibus caſibus ſi timor infamiæ ſit leuis apud confeſſarium non eſt cauſa legitima, qui omnia fere peccata generant leuem infamiam, præceptum autem confeſsionis non obligat ad integritatem cum graui, & notabili incommodo, obligat autem cum leui, quia aliter nullus obligaretur confiteri, quia vix poteſt accidere, quod quis cōfiteatur peccata grauia, & non incurrat apud Cōfeſſarium leuem infamiam, licet prudens, & diſcretus Confeſſarius, nec leuiter de peccatis debeat ſcandalizari vide *Henriq. Coninch. Bonac. loc. cit.*

Aduertendum tamen puto in præfatis, & conſimilibus caſibus tacēda ſunt peccata debet pænitens quærere omnia media poſsibilia, vt ea integrè apud illum confiteatur, apud quem non adſunt tali periculo expectando tempus opportunum, quod ſi vrgeat tempus neceſſarium, vt dictum eſt, & neceſſariò tali debet confiteri, apud quem periculum incurrit, vt dictum eſt ſatagat, ſi poſſet mutato habitu, & voce omnia apud ipſum confiteri, quod ſi nullum iſtorum poſsit fieri, præfata opinione de reticendis peccatis cum voto, & propoſito data opportunitate alteri ea confitendi, confiteri cetera peccata, & illa reticere, de quibus timet, & indirectè ſi cetera adſint requiſita, etiam ab ipſis non expreſsis validè abſolutionem, & remiſsionem obtinebit.

Vtrum confeſſio non integra materialiter facta à conſtituto in periculo, vel articulo mortis, vel à multis ſimul in aliquo imminenti periculo naufragij, vel hoſtium irruptione, aquarum improuiſa inundatione poſſit eſſe formaliter integra, & gratia formata per abſolutionem.

DIFFIC. XXXII.

Dico primò, quod confeſsio in articulo, vel periculo mortis licet non ſit integra materialiter, puta, quia infirmus non poteſt omnia ſua peccata confiteri, quia ſenſibus deſtituitur, modo monſtrauerit ſignum contritionis, vel attritionis, dicenda eſt integra formaliter, debetque Sacerdos eum ſtatim abſoluere, licet omnia materialiter, ſeu, vt aiunt mathematicè non ſuppoſuerit confeſsioni, in illo enim articulo ſufficit, quod vnum peccatum explicauerit, ſi poſtea ſenſibus deſtituatur, iā poteſt validā, fructuosè abſolui moribundus, qui ſigno contritionis, vel attritionis monſtrauit, quod ſi data abſolutione accideret, vt ad ſenſus rediret, & poſſet proferre alia peccata, debet audire, & ſi alius paroxiſmus, ſeu ſenſus deſtitutio accideret, debet iterum ab illis etiam abſoluere, & ſic quouſque totam cōfeſsionem explicuerit, ſi toties deſtituatur ſenſibus, & toties redeat. Ita *Suar. diſp.* 23. *ſect.* 1. *Henriq. l.* 2. *cap.* 22. *Sot. in* 4. *diſt.* 18. *q.* 2. *a.* 10., *& Bonac. de pæn. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *p.* 2. & nota, quod ſufficit, vt vnum veniale etiam confeſſus fuerit, quia iam habet materiam confeſſarius ſufficientem pro danda abſolutione.

Dico ſecundò, quod Confeſsio etiā poteſt dici bona, licet nō integra in caſu, quo Confeſſarius habet multos præſentes in aliquo periculo vitæ multis imminente, puta naufragij, Terremotus, inundationis, & hoſtium repentinæ incurſionis, & ſimiliū, quæ ex improuiſo adueniunt, & probabile adeſt præſens pericu um mortis, ſi ſingularium, vel alterius ſimul cum vera ſaltem attritione explicent, & propoſito confitendi ea integrè ſi tempus adeſſet poteſt eos ſimul abſoluere dicendo, ego vos abſoluo à peccatis veſtris, licet alta voce ſua peccata dixerint, va idè abſoluentur, quia in periculo vitæ confeſsionis integritas materialis, ſeu mathematica diſpenſatur, & remanet confeſsio formaliter integra gratia formata, modo attritionem, vel contritionem habeant. Ita *Angelus noſter v. confeſſio* §. 28., *Suar. Sot. loc. cit.*, *Vaſq. quæſt.* 92. *a.* 2., *Nauar. conſ.* 10. *de pænit. & Bonac. loc. cit.*

Ratio autem quare in hiſce, & ſuperioribus caſibus confeſſio materialiter non integra, redditur formaliter integra, formata, ſi adſit attritio, vel contritio, poteſt eſſe ea, quia habent propoſitum faciendi confeſſionem integram materialiter etiā ſi poſſent, & legitimo impedimento non impedirentur, vnde ex hoc propoſito redditur integra formaliter confeſſio, ac per accidens eſt, quod non ſit integra materialiter, hoc ergo bonum propoſitum in neceſſitatibus huiuſmodi dignatur Dominus acceptare ad influendam gratiam per abſolutionem, quia facienti, quod ex ſe eſt, cum diuino adiutorio Deus non denegat gratiam ex dictis.

Collige primò, quod ſi quis infirmum confiteatur, quem dubitat morte corripiendum, vel ſenſibus ſubitò deſtituendum, curet confeſſor, vt vnum certum peccatum mortale ſtatim extorqueat à tali infirmo, & abſolutionem impendat, poſtquam ſi poteſt cetera narrare, audiet ea, & curet quantum poteſt materialiter integram confeſſionem extorquere, debet enim confeſſarius potius ſuper vno peccato abſolutionem impendere, & ita ſecurum reddere pænitentem, quam integram in tali caſu expectando confeſſionem mortis æternæ periculo ſubijcere, benignè enim ſunt præcepta Dei interpretanda, cuius iugum ſuaue eſt, & leue. Ita etiam *Suar.*, *Nugnus*, *& Bonac. loc cit. & Reginald. l.* 8. *n.* 29.

Collige ſecundò, quod idem dicendum eſt, dum infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum, audire poteſt multa, vel aliqua, & abſolutionem impendat cum voto confitendi cetera poſt habitam requiem à morti violentia, ita etiam commodo corporali, & ſaluti ſpirituali infirmi conſulitur. Ita *Henriq. l.* 5. *c.* 12. *& Bonac. loc. cit.*

Colligitur tertiò, Confeſſarium, qui ſi inter audiendum infirmi periclitantis, cognoſcit morte corripiendum, poteſt etiā abſoluere à peccatis, quæ audiuit, licet omnia non confeſſus fuerit. Ita *Sotus, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, & Bonacina loc. cit.* quod verum puto, niſi ſit alius confeſſor, qui poſſit eum audire, & p. riculum non ſit in mora.

Vtrum reiterans confeſſiones inualidas ex culpabili omiſſione, vel numeri determinati, vel etiam circumſtantiarum ſpecie diſtinctarum, teneatur omnia etiam confeſſa recapitulare, an verò ſufficiat ſi omiſſa ſuppleat ſimul cum cauſa culpabili omiſſionis.

DIFFIC. XXXIII.

Affirmant Doctores grauiſsimi in tali caſu ſufficere, ſi ſolū omiſſa culpabilit. r confitentur, nec teneri ad peccata

cata iam materialiter confeſſa,iterum explicare confitentem, qui ex omiſſione voluntaria culpabili aliqua reticuit in confeſſione, & cetera omnia explicuit, de quibus ſit attritus ſaltem inſufficienter,nam voluit confeſſionem materialiter poſſe eſſe validam, licet formaliter ſit inualida, ita vt quando formata ſit talis confeſſio, etiam remittantur illa iam materialiter confeſſa, abſque noua expreſſione eorum, ſed ſufficiat ad reddendam formaliter integram talem confeſſionem, vt pænitens ſuam fictionem, & culpabilem omiſſionem factam in confeſsione antecedenti,& peccata non confeſſa aperiat, quæ dum abſoluuntur, etiam iam confeſſa in confeſsione inualida,modo de confeſsis habuerit attritionem ſaltem inſufficientem,remittuntur, abſque eo,quod de nouo reiteret. Ita *Sot. in 4. diſt. 18. q. 3. a. 2. & 3. Canus de Relect. pænit. p. 5. Caiet. T. 1. opuſc. tract. 5. quæſt. 5. Comitol. lib. 1. q. 19. Henriq. l. 2. de pænit. c. 11. Martin. Ledeſm. 2. p. 4. q. 8. art. 1. Couar. in c. Alma mater p. 1. cap. 4. Ioann. de la Cruz vbi ſup. q. 3. dub. 9. Diana nouiſſ. tract. 3. Miſcell. p. 1. reſolut. 31. & p. 3. tract. 4. reſol. §. 5.* quam ſententiam ſolum Thomiſtis communem licet faciat *Barth. a S. Fauſto de pænit. q. 188.*

Putant tamen multi Scotiſtæ in hanc ſententiam deſcendiſſe etiam noſtrum *ſubtiliſſimum Doctorem, qui in 4. diſt. 4. q. 5.* probabile autumat,quod fictè baptizatus,puta quia v.g. habebat ſeptem peccata mortalia ante baptiſmum, & venit baptizari de ſex ſolum attritus,& de ſeptimo actualiter complacēs, ſuſcipit baptiſmum, ſi poſt recedat fictio, Deus confert gratiam baptiſmalem,& probabile eſt, quod de illis ſex nullam habeat attritionem, vel contritionem, nec confeſsionem, nec ſatisfactionem,ſed ſolum de ſeptimo,quod fuit cauſa fictionis, quia ſecundum hanc opinionem probabilem,ait *Scotus*,Sacramentum informe eſt validum materialiter, licet formaliter inualidum ratione obicis, recedente ergo obice formatur etiam materialiter, ergo materialiter illa peccata, quæ per attritionem ſubiecta fuerunt baptiſmo, recedente fictione dimittuntur,& quo ad illa etiam dicitur baptiſmus formaliter etiam validus,ita etiam poſſet dici, quod peccata iam confeſſa, & ſuppoſita abſolutioni Sacramentali cum attritione, & dolore ipſorum ſaltem inſufficienti,recedente in tali caſu fictione, ſcilicet quando omiſſa culpabiliter peccata confitentur inculpabili omiſsione, quia materialiter valida eſt illa abſolutio ratione attritionis habitæ non ſunt denuo reconfitenda, quia illa abſolutio data ſuper peccatis confeſsis licet fuerit formaliter inualida,recedente fictione per nouam abſolutionem, illa etiam confeſsio formatur, & fit cum iſta vna confeſsio materialiter, & formaliter integra.

Quare Doctores iſtius opinionis excuſandos putant pueros, ruſticos, rudes, puellas, ſi aliquando ex pudore,culpabili obliuione, & ceteros omnes, qui alia cauſa culpabili peccata aliqua,circumſtantias neceſſarias, vel numerum peccatorum tacuerunt, & omnia alia dixerunt, itaut quando reiterare debent confeſsiones, quæ propter talia peccata culpabiliter omiſſa,fuerunt inualidæ, non tenentur peccata iam confeſſa iterum confiteri, quia iam materialiter fuerunt validæ illæ confeſsiones, ſi de illis peccatis confeſsis fuerunt attriti ſaltem inſufficienter, itaut non habuerint de illis complacentiam poſitiuam, quare ſolum obligandos putant in confeſsione aperire culpabilem omiſsionis cauſam, & peccata omiſſa, & præſentia ſi habeat, quod probant, quia ad recipiendam gratiam requiritur confeſsio omnium peccatorum, & dolor, ſed in præſenti caſu adeſt confeſsio omnium peccatorum,tum ex prima, tum ex ſecunda confeſsione; & in vtraque etiam dolor, ergo adueniente gratia per receſſum fictionis in ſecunda vtraque formatur, cum in primo caſu adfuerit dolor, & confeſsio peccatorum.

Verum contrarium ſentiunt alij grauiſsimi viri teneri pænitentes in tali caſu ſingula recapitulare peccata etiam confeſſa cum attritione in confeſsione culpabiliter inualida, ſi confeſsio fiat apud alium confeſſarium, quod ſi apud eumdem cōfeſſarium, ſi iſte recordetur ſtatus pænitentis, ſufficit ſi confiteatur etiam ea omnia peccata, quæ apud ipſum confeſſus eſt tali tempore,& culpabilem fictionem cum peccatis omiſsis, & alijs ſi habeat, quod ſi confeſſarius non recordetur ſtatus pænitentis, omnino debet ea iterum ſingillatim reconfiteri vna cum omiſsis, & fictione facta in illa confeſsione, quod probatur ex eo, quod in confeſsione confeſſor agit partem Iudicis, non poteſt autem validam ferre ſententiam Iudex, niſi cognita cauſa,ergo confeſſor non poteſt validam ferre abſolutionem niſi cognita cauſa, ergo debet cognoſcere peccata, quæ debet abſoluere, quare confeſſario alteri,qui non nouit, vel eidem,qui nouit, ſed oblitus eſt, neceſſaria aperienda ſunt peccata,adhoc, vt ab illis validè abſoluat. Ita *Vaſquez 3. parte T. 4. quæſt. 92. art. 3. Suar. 3. parte diſput. 22. ſect. 6. Valentia T. 4. diſput. 7. quæſt. 11. parte 3. Sylu. V. Confeſſio. 1. quæſt. 3. Coninch. diſput. 7. dub. 11. Bonac. diſput. 5. quæſt. 5. part. 2. ſect. 2.* & alij.

Vtraque opinio probabilis mihi videtur, & licet videatur ſecunda probabilior nixa fundamento,attamen,quia poſſent Doctores contrariæ opinionis reſpondere, quod peccata iam confeſſa iam fuerunt materialiter ſub iudicio alterius confeſſarij, atq; a Deo materialiter fuerunt iudicata, per accidens eſt, quod non fuerunt dimiſſa, nempe ex tali fictione, ergo cum iam iudicata fuerunt materialiter, recedente fictione non debent denuò iudicari, ſed indirectè remittuntur, quando rectè peccata omiſſa cum peccato fictionis remittuntur,ideo etiam opinio hæc prior tuta conſcientia mihi videtur practicari poſſe,maximè poſt factum ad tollendos ſcrupulos, & vexationes tam à penitentibus, quam à Confeſſarijs, quam etiam in parte ſaltem videtur docere *Nauar. in cap. fratres de pænit. diſt. 5. n. 81. & lib. 5. conſil. tit. de penit. & remiſſ.*

Vtrum multa peccata habens, nec vnico confeſſionis actu valens ea explicare ratione faſtidij, & vexationis ſui, vel confeſſarij, vel propter temporis indigentiam, ſi iteratis, & interpollatis diebus de conſilio etiam Confeſſarij ea in confeſſione aperiat, in vltima poſtea confeſſione omnium interpollatè etiam confeſſorum peccatorum validam obtineat abſolutionem.

D I F F I C. X X X I V.

NEgarunt aliqui validè in vltima confeſsione poſſe ab omnibus abſolui,quia partes Sacramenti debent eſſe ſaltem moraliter ſimul, at vero confeſsiones factæ pluribus diebus non poſſunt dici moraliter ſimul,cum nimia interpolatio actus moraliter diſiunctos faciat.

Attamen communius volunt talem pænitentem non valentem ſimul omnia ſua confiteri propter legitimam cauſam confeſſario probatam, poſſe pluribus ſubſequentibus diebus per plures confeſsionis actus ea aperire, partem ſcilicet in vno die, & partem in alio, quia plures iſtæ integrant vnam confeſsionem perfectam, nec enim præcipitur neceſſariò confeſsio peccatorum ſimul fieri ſimultate phyſica, ſed morali, ſimultas autem moralis in hac materia intelligitur ea, qua ſic ſe habet hic, & nunc confeſſor circa ſtatum pænitentis, ac ſi ſimul implicitè ſaltem nunc omnia peccata cognoſcat,licet actu omnium non recordetur, ſufficit enim, vt ſtatus pænitentis cognouerit, & ſciat, quæ pænitentia, & ſatisfactio ſit iniungenda ex confeſsione præteritorum, ex quo patet reſponſio ad allatam contrariæ opinionis rationem ſcilicet,quod nimia interpolatio non diſiungit actus morales, quando ad vnum ordinantur, & implicitè confeſſarius ſaltem noſcit ſtatum pænitentis; cognitio ergo ſtatus pænitentis facit, vt moraliter habeantur, vt præſentes omnes particulares factæ confeſsiones interpolatis vicibus, & diebus. Ita *Suarez de pænitent. diſput. 18. ſect. 4. Henriquez l. 4. cap. 6. Reginald. l. 8. cap. 1. Graſſius parte 1. deciſ. l. 1. cap. 32.* vbi refert etiam *D. Antoninum de confeſſ. tract. 2. cap. 4. Zerol. de pænitent. cap. 13. quæſt. 27. Bonacina de pænitent. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. p. 2.*

An vero tutius ſit in ſingulis confeſsionibus ſingulas abſolutiones adhibere, ſanè ſi periculum aliquod timetur legitimum, omnino ſe faciendum puto, citra periculum non videri id neceſſarium, licet vtilem admodum iudicem propter incidentia aliqua,tam ex parte confeſſarij, qui poſſet obliuiſci, & pænitens, qui poſset morte improuiſa, vel linguæ impedimento amentia, & ſimilibus poſſet improuiſo præueniri.

Quare, ſi confeſſarius fortè non recordaretur ſtatus pænitentis in hiſce confeſsionibus factis per plures vices, deberet ſaltem ea omnia in genere recapitulare, quæ ſtatum pænitentis in mentem reducere ſoleret neceſsaria ſaltem iam confuſo facilè enim ex recapitulatione generica peccatorum,

quę iam audiuit in confeſſionibus præcedẽtibus, poteſt ſtatum pænitentis ſufficienter ſibi facere notum ad dandam ei pænitentiam, & abſolutionem.

Vtrum Sacramentum pænitentiæ informe reſpectu attritionis, non ſufficientis ad recipiendam gratiam poſſit per ſubſequentem attrionem ſufficientem euadere formatum, abſque eo, quod apud eumdem, vel alium confeſſorem reiteretur eorumdem peccatorum Confeſſio.

D I F F I C XXXV.

DIco primò, quod licet multi Theologi opinentur non poſſe dari Sacramentum pœnitentiæ informe validum, & ſubſiſtens, quia nullam putant omnino eam confeſſionem in Sacramenti ſubſtantia, quando actu non recipitur gratia ex defectu doloris, & attritioni ſufficientis, quia .n. ad Sacramenti validitatem requiritur eſſentialiter dolor de peccatis, ſi hic abſit, non ſupponuntur peccata in ratione Sacramentalis Confeſſionis. Ita *Vaſq. de pœni. q. 2. a. 3.* videtur, qui citat *Medinam Gabrielem, & maiorem.*

At verò communius dari Sacramentum pęnitentiæ informe ex defectu attritionis non ſufficiẽtis ex bona fide, & inculpabiliter, puta quando quis confiretur integrè omnia ſua peccata, ſed abſque ſua culpa, puta per inaduertentiam, ignorantiam, vel obliuionem inculpabilem, & inuincibilem non habet dolorem ſufficientem ad recipiendum effectum Sacramenti. Ita *D. Th. in 4. diſt. 13. a. 4. Suar. de pœn. diſp 20. ſect. 5. Valentia T. 4. q. 11. pun. 2. Petrus Sot. l. 8. de Confeſſ. Henriq. l. 4. c. 24. Sayr. de pœn. c. 14. Filiucc. tract. 6. c. 6. q. 11. Caiet. Ledeſm. Durand. Caprecl. Sylu. Nauar. & Couar. & alij,* quos citat *Suar. loc. cit. & Bonac. de Sacr. diſp. 5. q. 6. ſect. 3. p. 1.* quam ſententiam etiam colligo *ex noſtro Doctore in 4. diſt. 4. q. 5.* vbi docet probabiliter poſſe dari Sacramentum baptiſmi informe, puta quando quis baptizatur habens ſeptem peccata, & de ſex dolet, de ſeptimò verò habet complacentiam, dum actu baptizatur, Sacramentum dicitur informe, ſed validum, ita etiam poteſt dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe ex defectu attritionis ſufficientis.

Dico ſecundò, quod licet præfati DD. velint ſolum dici validum informe Sacramentum pœnitentiæ, quando inculpabiliter non adeſt dolor ſufficiens, vt explicatum eſt in præcedenti quæſtione, attamen in ſententia etiam probabili eorum, qui confeſſionem materialiter, & culpabiliter non integrã volunt eſſe validam, quo ad confeſſa, nec requiri, vt denuò confiteantur, quando fictio, & omiſſio confitetur, & ſufficere volunt, vt in confeſſione aperiatur ſolum fictio, & cauſa omiſſionis, & peccata ipſa omiſſa, abſq; eo, quod iam confeſſa recapitulentur, quia illa abſolutio de narratis ſuſcipit rationem Sacramenti informis, & validi materialiter, licet formaliter ſit inualidum; vt dictum eſt in diffic. ſuperiori 33. & doctrina de baptiſmo informi ablata à Scoto facit pro hac opinione. Quare in ſententia probabili *D. Th.* & aliorum in prima concluſ.

Dico tertiò, quod Sacramentum pœnitentiæ informe ex defectu attritionis ſufficientis inculpabiliter ex parte pænitentis, poſita deinde ſufficienti attritione, ſeu dolore pecccatorum, qui ſine culpa omiſſus erat in priori confeſſione, redditur formatum, & infunditur gratia, & remiſſio, modo nullum aliud peccatum mortale fuerit ſubſecutum, nam ſi aliud mortale fuerit ſubſecutum, antequam verum, & ſufficientem dolorem habeat de iam confeſſis, eſt neceſſum, quod de nouo peccato confiteatur, vel ſaltem perfectè conteratur, & ita peccata Confeſſionis præterita, quæ ratione doloris non ſufficientis fuit informis, ſed valida, abſque eo, quod de nouo confiteantur, remittuntur, quia illa etiam prior confeſſio erat valida, licet informis, per ſequentem attritionem in confeſſione, vel contritionem fit formaliter integra, & formata gratia; quia ad validitatem prioris confeſſionis nihil aliud durat, quam attritio ſufficiens, vel contritio, ergo hac elicita à pænitente obex tollitur, per quem gratia non infundebatur, ablato autem obice Sacramentum ſuum impartitur effectum; quod tamen putant non accidere, ſi obex fuit culpabilis, quia obex culpabilis ponit peccatum in ipſa ſuſceptione Sacramenti, quare volunt omnino inualidum, & conſequenter integrè reiteranda in ſequenti confeſſione omnia peccata. Ita etiam *noſter Ponçian. T. 2. diſt. 17. qu. vn. art. 7. Suar. Valentia, Bonacina, & alij* in prima concluſione citati. Attamen.

Dico quartò, iuxta opinionem probabilem etiã allatã loc. cit. ſupra ſcilicet diff. 33. quod etiam ſi dolor ſufficiens culpabiliter defuerit, ſi omnia peccata confeſſa fuerunt integrè, poſtea recedente fictione, & ea explicata in confeſſione ſequenti, iam confeſſio prior, quæ erat ſolum materialiter integra per ſequentem abſolutionem à fictione culpabili, redditur etiam, & ipſa prior integra, & formata, quia iam fuerunt integrè iudicata per priorem abſolutionem informem ſuper ipſis datam, ergo denuò non ſunt iudicanda, ſed habita abſolut. de mortali fictione in ea habita, recipitur gratia, per quam, & illa prior formatur. Ita Doctores ibi citati, vt patet iuxta exemplum allatum de fictione mortali in Baptiſmo.

Verum eſt tamen, quod licet hæc opinio mihi videatur probabilis, tamen prior ante factum ſemper conſulenda, quia tutior, tutius enim, & vtilius reconfitentur peccata abſque ſufficienti dolore confeſſa, vt patet intuenti, ceterum ad leuandos ſcrupulos & vexationes tuta conſcientia, vt dictum eſt, poteſt practicari hæc ſecundo opinio.

Vtrum Confeſſio facta de peccato cum complacentia, & propoſito perſeuerandi in eo reddat abſolutionem validam licet informem.

D I F F I C. XXXVI.

DIcendum, quod confitens ſua peccata cum actuali complacentia, & cum propoſito perſeuerandi in peccato, quod confitetur, non facit confeſſionem informem validam, vnde ſi de confeſſis poſtea habeat ſufficientem dolorem, & attritionem in ſequenti confeſſione debet omnia confiteri neceſſariò, nam ſolum per ſequentem confeſſionem, vel attritionem debentur confeſſa prius peccata abſque onere ea reconfitendi, quando quis acceſsit ad confeſſionem cum dolore, vel attritione, quæ culpabiliter erat inſufficiens ad recipiendam abſolutionem, puta quando quis non ſatagit ante confeſſionem habere dolorem ſe offendiſſe Deum cum propoſito efficaci de non offendendo de cetero, ſed vel improuiſus, vel frigidus accedit cum paruo dolore non ſufficienti in mortali ſua negligẽtia, hic licet ponat obicem, tamen cum non habeat actualem peccati complacentiam, nec propoſitum perſeuerandi, accedit vere cum animo ſuſcipiendi Sacramentum pænitentiæ, at verò accedens cum complacentia peccandi, & propoſito perſeuerandi non accedit cum animo ſuſcipiendi gratiam, ſed potius cum actuali propoſito illudendi Sacramentum, qui autem non habet animum ſuſcipiendi Sacramentum, nullomodo, nec materialiter poteſt dici eius ſuſceptio valida, impænitentia enim formaliter opponitur Sacramento pænitentiæ.

Dices in Sacramento Baptiſmi ſi quis accedat, vt dictum eſt, cum complacentia mortalis peccati, recedente fictione tenetur ſolum peccatum de quo complacuit, non autem cetera, de quibus non complacuit aperire in confeſſione, vt gratiam baptiſmalem accipiat, ergo etiam ſi quis decem peccata habeat, ſi de vno complaceat, faciet materialiter integram confeſſionem informem, & ſufficiet fictionem iſtam in ſequenti confeſſione narrare cum ſuo peccato, de quo complacebat eadem enim vtrobique videtur ratio.

Reſpondent aliqui, quod ſi de nouem verè, & ſufficienter pæniteat, & de vno ſolum non pæniteat, quod integra materialiter ſit confeſſio, & valida abſolutio licet informis, quia habet materiam ſufficientem, at verò ſi de nullo pæniteat, licet omnia confiteatur, non eſt valida, nec materialiter abſolutio, quia abſolutio debet cadere ſuper actum pænitentis cum aliquali dolore ſua peccata exponentis, aliter non eſſet Sacramentum pœnitentiæ, niſi ad ſit dolor ſaltem imperfectus.

Alij autem volunt, nullam eſſe omninò abſolutionem etiam materialiter, ſi quis confitens decem peccata, & de nouem pœniteat ſufficienter, de vno tamen ſolo non pœniteat, ſed de eo complacentiam habet, quia impænitentia de peccato eſt formaliter oppoſita Sacramento pænitentiæ, vnde formaliter omnem eius virtutem euacuat, non ſic autem in Baptiſmo, quia ad eius validitatem materialem ſufficit, quod inten-

Digitized by Google

intendat ſuſcipere, quod Eccleſia Catholica intendit facere per illum actum impęnitentia autem peccati commiſsi non opponitur formali validitati Baptiſmi, quia peccata commiſſa non ſunt materia neceſſaria Sacramenti baptiſmi, vt patet in paruulis, & ideo nil mirum ſi validum ſit materialiter licet informe per complacentiam, ſeu impænitentiam peccati, at verò ad validitatem Sacramenti pęnitentiæ requiritur ex ipſa vi ſui nominis pœnitentia peccati ideſt dolor, & per ſe primò ad delenda peccata, quorum peccator habet pænitentiam ordinatam, & materia eius ſunt peccata, quatenus cum dolore, & pænitudine confitentur, quando ergo adeſt impęnitentia de vno, facit ita irritam abſolutionem, vt nec materialiter ſe extendat ad alia nouem de quibus pænitet, & ratio eſt, quia quis non poteſt verum dolorem habere de peccatis requiſitum ad veram confeſsionem niſi doleat in ordine ad Deum offendiſſe, qui verò complacet, & vult perſeuerare in vno peccato, non habet dolorem de offendiſſe Deum, cum actualiter ſibi complaceat eum offendere, itaq; præfata peccata nouem licet de eis doleat, non ſunt idonea materia abſolutionis Sacramentalis, quia dolor ille non eſt verus, ſed hypocritus, non verè doler aliquem offendiſſe, ſi actu eum offendit.

Vtrum habens dubium iuris ſcilicet, an hoc ſit peccatum, vel dubium facti, an ſcilicet hoc, quod eſt peccatum commiſerit nec ne, teneatur iſtud dubium neceſſario confiteri.

DIFFIC. XXXVII.

NEgarunt, quod ſtante dubio æquali pro parte affirmatiua, & negatiua, ita vt aſſenſum neutri parti poſsit probabiliter præbere, nec dubiam conſcientiæ valeat relinquere, multi Theologi taliter dubitantem obligari ad confitendum peccatum purè dubium, ex eo, quia poteſt exiſtimare in dubio eſſe meliorem conditionem poſsidentis, ſuam libertatem de non confitendo, quod ſanè conſcientia non dictat pleno iudicio eſſe peccatum, vel admiſſum, vnde dubius de Voto, de obligatione reſtituendi, vel ſoluendi, ſi poſt diligens examen remaneat dubius, non tenetur ad obſeruantiam voti, nec ad reſtitutionem, nec ad ſolutionem, ergo etiam dubius, an ſit mortale, vel an admiſerit peccatum, non tenetur ad confitendum tale dubium, præterquam, quod *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5.* loquens de obligatione peccatorum confitendorum, non meminit de peccatis dubijs, ſed ſupponere videtur ſolum certa confitenda, dum ait, conſtat enim in Eccleſia nihil amplius à peccatoribus exigi, quam, vt poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explicauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit, videtur enim Concilium velle obligare ad confitendum ea, quæ noſcit eſſe mortalia: at verò dubius non cognoſcit ſe offendiſſe Deum, cum non poſsit parti affirmatiuæ ſe peccaſſe mortaliter, vel quod ſit peccatum mortale aſſentiri, ergo non teneri ad confitendum dubium peccatum, vel iuris, vel facti docent *Henriquez l. 8. de Euchar. cap. 45. num. 3. in gloſ. lit. P. Prepoſitus in cap. 2. S. Thom. q. 19. art. 6. dub. 4. & in 3. par. queſt. 5. de Integrit. Confeſſ. dub. 3. & Author. caſ. conſc. Bononiæ diſcuſſorem caſu 3 fol. 83.*

Attamen communius nolunt habentem dubium iuris, vel facti, an ſcilicet ſit mortale, vel an, admiſerit mortale obligari ad confitendum tale dubium. Ita *Suar. diſp. 22. ſect. 9. Sanch. in ſum. T. 1. l. 1. c. 10., Valentia T. 4. diſp. 6. q. 9. p. 3. Azor. T. 1. l. 1. c. 4. q. 3., Turrian. de pænit. diſſ. 7. Felincc. T. 1. tra. 21. c. 4., Hurtad. de Sacr. diſp. 9. de pænit. diffic. 7., Meroll. T. 1. diſp. 3. c. 3. dub. 2. coroll. 24., Diana 4. p. tract. 3. reſol. 5. & 6. tract. 6. reſol. 32.* & alij ex eo quidẽ, quia dubitans, an ſit peccatum, vel an, admiſerit mortale, vere habet aliquam conſcientiam de mortali, ergo cum ſic in dubijs, ſequenda tutior pars, vt explicabimus *V. Dubium*, tenetur omninò tale dubium de mortali explicare in confeſsione, ſic enim tutior manet, prætęrea de tali peccato dubio deberet ſub dubio omninò conteri, qui timore immineret, non deberet decedere cum tali dubio, quod autem eſt neceſſarium obiectum contritionis, eſt etiam neceſſarium obiectum Confeſsionis.

Et quidem hæc ratio videtur omninò apud me concludens probabilitatem huius opinionis omninò amplectendæ, nam in articulo mortis conſtitutus, ſi decedat cum tali dubio, exponit ſe periculo damnationis æternę, ſi de eo non conteratur ſub dubio, poſſet enim fuiſſe mortale, & admiſiſſe mortale, & conſequenter practicè certum erit apud Deum, qui nouit omnia certè peccaſſe mortaliter, ſi ergo de eo non conteratur ſaltem ſub dubio, reus erit gehennæ, quia verè cũ peccato mortali, at verò contritio non poteſt eſſe perfecta niſi cum voto confeſsionis, ergo omninò tenetur illud confiteri, ſi habet opportunitatem, quia tenetur accipere medium magis certum, vt ſuæ ſaluti, quæ in articulo mortis periclitatur irreparabiliter, conſular, hoc autem eſt peccatum dubium, vt dubium eſt confiteri, quod autem eſt neceſſariò confitendum in articulo mortis, eſt neceſſariò ſemper confitendum, quia pręſupponitur materia neceſſaria confeſſionis, præterquam, quod mors ſicut eſt certiſſima, ita etiam incertiſſima, ideo ſemper vigilare, & parati eſſe debemus, ac ſi nunc adeſſet ipſius articulus.

Vtrum deponens conſcientiam dubiam, ita vt ſtante dubio æquali velit ſequi opinionem docentem, vt in tali dubio poſſit quis ſequi, quam maluerit partem, teneatur adhuc tale dubium confiteri.

DIFFIC. XXXVIII.

ABſolutè affirmat *Diana in 6 p tract. 6. reſol. 32.* teneri ad confitendum peccatum dubium ſiue ſit de ſubſtantia actionis l. an fuerit ſacta nec ne, ſiue an fuerit mortalis, ſiue an fuerit confeſſa, nec poſſe in tali caſu conſcientiam dubiam deponere, ex eo, quod ſi poſſet deponi conſcientia dubia, nullum peccatum dubium eſſe confitendum, & ait non eſſe parem rationem de eo, qui conſcientiam dubiam deponit in materia voti, & reſtitutionis, nec ipſe diſparitatem rationis non adducit, nec alias cogentes rationes, ſed tanquam ſi foret Papa e Cathedra docens contrariam opinionem reprobat dicens (hanc ſententiam tanquam improbabilem damnaui, & nunc iterum damno) ad rationes verò cõtrariæ opinionis diſſoluendas remittit ad *Eminentiſſ. de Lugo de Sacr. pænit. diſp. 16. ſect. 2. a n. 63. abſque ad 77.* vbi hic doctor eas ſoluit.

Alij tamen putant in dubio æquali poſſe aliquem deponere conſcientiam ſuam dubiam, & ſequi opinionem probabilem Doctorum, quod in dubio æquali poſsit quis deponere conſcientiam ſuam dubiam, & ſequi, quam velit partem, non ſecus, ac in materia dubia voti, reſtitutionis ſolutionis, veniæ petitionis, & ſimilium, & ita deponentem conſcientiam dubiam de peccato, docent non accedere cum periculo peccandi mortaliter ad celebrandum, vel communicandum, quia peccata dubia ſunt materia neceſſaria confeſsionis, nam verum eſt, quod peccata formaliter dubia, ſiuè actus cum formali dubio lethalis culpæ ſunt neceſſaria materia confeſsionis, at verò quando elicitur opinio probabilis, quod in dubio æquali poſsit deponi conſcientia dubia, habet probabile iudicium, quod poſſeſsio libertatis eligendi, quod non adſit peccatum ſtet pro voluntate ſua non pro Sacramento. Ita *Marchinus de Sacram. Ord. tract. 2. p. 3. c. 1. n. 17.* quem citat etiam *Diana p. 6. loc. cit. & Reginald. in praxi lib. 29. l 6. n. 99.*

Cæterum licet opinio prior mihi videatur tanquam tutior, & probabilior amplectenda, & ſuadenda ante factum, attamen tanquam improbabilem omninò audeo improbare, immò propabilem, & tutam dico cum ſequenti tamen diſtinctione.

Etenim in dubio æquali, an ſit peccatum aliquis actus, vel an actio peccaminoſa fuerit ſacta, vel an ſuerit confeſsa, ſi ſtante adhuc dubio ſpeculatiuo, relinquat dubium practicum, ſequẽdo opinionem, quam bona ſaltem fide putat probabilem, quod dubio æquali ſpeculatiuo ſtante, poſsit quis practicè deponere conſcientiam, & conſequenter probabile iudicet non adeſſe peccatum ideſt dum quis ſpeculatiua ratione ductus ex vtraque parte affirmatiua, & negatiua ita probabili ſuæ menti, vt neutri parti aſſentiri valeat, vnde etiam ſic practicandum putat cum in praxi circa tale dubium non occurrat hic, & nunc ratio, vel coniectura, vel opinio probabilis in contrarium, hic dicitur habere dubium ſpeculatiuum, & practicum, & cum hoc dubio vtroque non debet accedere inconfeſſus ad Sacramentum, quia verè habet conſcientiam aliquam peccati, & debet tutiorem partem omninò ſequi.

At verò ſi ſtante dubio ſpeculatiuo æquali pro vtraq; parte, habeat coniecturas, rationes, vel opinionem probabilem in praxi ſuadentes, quod hæc, & nunc, quod ſpeculatiuè dubitat,

tat, poſſit pro vna parte contrarium practicari ſequendo coniecturas probabiles, rationes ſeu opiniones probabiles, ſi aſſentiatur practicè tali rationi, opinioni, & coniecturæ, dicitur dubium practicum deponere, ſeu conſcientiam practicè dubiam, & ſtante bona fide, quod ratio, opinio, & coniectura ſit probabilis hic, & tunc ſuadens vnam partem contrariam dubij ſpeculatiui, dicitur prudenter operari, & non peccare, atque adeo non tenetur confiteri peccatum, quod dubitat ſpeculatiuè an ſit, an commiſſum, an confeſſum, ſi practicè non dubitat, & deponit conſcientiam practicè dubiam, licet habeat cõſcientiam ſpeculatiuè dubiam, quod autem quis poſſit licitè, & validè operari depoſito dubio practicè, vel conſcientia practicè dubia remanente dubio ſpeculatiuo æquali, & conſcientia ſpeculatiuè dubia ſuppono certum ex dicendis cum noſtro ſubtiliſſimo Doctore, & reliquis auctoribus citandis infra V. Dubium.

Cum hac ergo diſtinctione puto probabilem ſecundam opinionem, nec obſtat ratio Dianæ, quia ſi hoc eſſet verum, nunquam confiterentur peccata dubia, nam non ſemper practicè aderunt rationes, coniecturæ, aut opiniones probabiles pro vna parte, & ſi ſemper forent, ſi Dominus largus, quare ſeruus auarus?

Nota etiam, quod ſi ſtante dubio ſpeculatiuo, vel practico æquali occurrat pro vna parte ratio ſimpliciter probabilis, ideſt ſpeculatiuè iam dubium ſit opinio, & egreditur cancellos dubietatis affirmatio, vel negatio perplexa adueniente ratione ſpeculatiuè probabili pro vna, vel altera parte, atque adeo non tenetur confiteri amplius peccatum dubium, qui ſpeculatiua ratione probabili inuenit non eſſe peccatum, vel non eſſe admiſſum, vel non eſſe confeſſum, intellectus enim ſtatim aſſentitur rationi probabili, cui innixus non erat, nec peccat practicè eam ſequens voluntas. Ita etiam communiter *Scotiſtæ, & Pitig. noſt. præcipuè in 2. p. diſt. 13. qu. vn. art. 11. Suar. diſp. 22. ſect. 9.* & communiter apud *Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2. & Diana etiam 4. p. tract. 3. reſol. 5. verſ.* Nota ad leuandos tamen ſcrupolos, dubium quomodocumque probabile inde fiat non eſſe, vel non fuiſſe peccatum, vel fuiſſe admiſſum, tutius ſuadendum, vt confeſſioni ſubijciatur, ſi pœnitens ſit nimis ſcrupuloſus, ita enim tutius ſuæ conſcientiæ ſuadetur, vt peccatum, quale eſt confiteatur.

Vtrum confeſſus peccatum dubium, adueniente poſt confeſſionem certitudine, teneatur eum neceſſario confiteri.

DIFFIC. XXXIX.

NEgant viri Doctiſſimi teneri peccatum dubium iam confeſſum, vt dubium, adueniente certitudine ad confitendum, denuo tale peccatum, vt certum, & hanc ſententiam videtur, vt probabilem relinquere *Eminentiſs. de Lugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 2. §. 3. n. 77.* dum rationes probabiles adducit, & ad argumenta contrariæ opinionis reſpondet, nihil tamen certum ibi in hac difficultate ponit, hanc etiam ſententiam teſte *Diana l. 6. tract. 6. reſol. 31.* tueri videtur *Martinus Breſſerus de conſc. l. 4. c. 18. n. 197.* rationes autem, quæ pro huius ſententiæ probabilitate afferunt, deſumuntur primò ex eo, quod peccatum ſub dubio confeſſum, an factum fuerit decies, vel duodecies, puta ſi quis dicat peccaui peccato ſuperbiæ decies plus, minuſue, adueniente certitudine, quod fuerit patratum duodecies, non tenetur illa duo peccata confiteri ex communi Doctorum ſententia, vt dictum eſt in Superioribus difficultatibus, & ita in praxi ſeruatur, ergo peccatum dubium adueniente certitudine non eſt denuò confitendum, ſecundò probatur ex eo, quod Deus certè ſcit peccatum, quod fuit ſub dubio confeſſum fuiſſe patratum, vel fuiſſe peccatum, ergo dum ſub dubio exponitur in confeſſione cum dolore, ſi foret admiſſum, de offenſa Dei, & propoſito emendandi, virtute abſolutionis ſciens peccatum eſſe factum, benignè interpretandus ex ſua magna miſericordiæ dimittere, nec aliud de benignitate Dei debet præſupponi, qui facienti, quod in ſe eſt cum ſuo adiutorio, non denegat gratiam, confitens autem peccatum, vt dubium poſt diligens examen, facit quantum in ſe eſt cum diuino adiutorio abſolutionis petitæ, ergo Deus non denegat gratiam, quam quærit pro peccato, ſi foret commiſſum.

Attamen alij abſolutè affirmant peccatum confeſſum, vt dubium adueniente certitudine, fore confitendum neceſſario poſtea etiam, vt certum. Ita *Sanch. Præpoſitus, & alij,* quos citat, & ſequitur *Diana 3. p. tr. 3. reſol. 91. & 6. p. tr. 6. reſol. 35.*

Diſtinguendum tamen puto in hac difficultate, nam, vel peccatum, quod ſub dubio eſt confeſſum eſt tale, vt confeſſarius ex ipſa eius vt dubij explicatione, poſſit ſufficienter cognoſcere ſtatum pœnitentis, cum iam de eo ſi foret, ſufficienter etiam iudicauerit, vel ſaltem iudicandus præſumendus eſt, non tenetur iterum illud confiteri, quia iam directè cum alijs eſt dimiſſus, & ſic procedunt rationes primæ opinionis, quod ſi dubium ſit tale, vt ex ipſius vt dubij explicatione, confeſſor non potuerit cognoſcere ſtatũ pœnitẽtis, vel, quia circumſtantiæ non explicatæ ſufficienter, vel quia peccatum ſub dubio eſt magis compaſſionabile, ſi autem certum foret propter ſuã grauitatem, & extra ordinariam malitiam alio modo iudicaſſet, & pœnitentiam infligiſſet pœnitenti, quare ſtante grauitate peccati dubij confeſſi iam, ſi poſtea adueniret certitudo, denuo, vt certum confitendum, quia de illo confeſſo, vt dubio non potuit optimè callere ſtatum pœnitentis, & ita procedere credo ſecundam opinionem; quare ſi quis ſub dubio confiteatur peccatum factum fuiſſe decies plus, minuſue, ſi poſtea adueniat certitudo, quod fuerint duodecies commiſſum non tenetur, illa duo certè confiteri, quia ſi qui confeſſarius optimè callet ſtatum pœnitentis, etiam ſi fuiſſet duodecies commiſſum, quod ſi certum reperiatur fuiſſe vigeſies, quia excedit notabiliter numerum appoſitum ſub dubio, non potuit pro tali numero iudicare peccatorem, & ei pœnitentiam iniungere pro vigeties, quin particula plus, minuſue non auget ita notabiliter peccatorum numerum in mente confeſſarij, itaque tenetur peccatum illud ſub dubio confeſſum decies factum omnino confiteri, ſi vigeties factum inuenerit poſt confeſſionem, quia non potuit noſcere ſtatum pœnitentis, vt communius docent Theologi in ſuperioribus difficultatibus, quam doctrinam poteris practicare in alijs caſibus occurrentibus.

Quenam ſint conditiones requiſitæ ad perfectam confeſſionem ſacramentalem, & an omnes ſint eſſentialiter neceſſariæ.

DIFFIC. XXXX.

SExdecim communiter afferuntur cõditiones ad perfectam confeſſionem Sacramentalem, quæ ſub ſequentibus quatuor verſibus paſſim ab omnibus ſummiſtis includuntur.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata.
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Et quidem licet omnes requirantur iſtæ conditiones ad perfectam confeſſionem Sacramentalem, non tamen ſingulę ſunt eſſentialiter neceſſariæ ad validitatem confeſſionis, quod patebit in ſingularum breui explicatione.

Simplex debet eſſe confeſſio, ideſt inutilia impertinentia ſunt reſecanda in confeſſione, ne diutius, quam par ſit in confeſſionalibus immorentur pœnitentes, præcipuè fœminæ cum ſcandalo aliorum, qui expediri expectant, ſolum ergo ſimpliciter narrare debent, quæ faciunt ad perfectam peccatorum cognitionem; quæ tamen conditio non eſt ita eſſentialiter requiſita, vt ſi præciſa ſimplicitate narrandorum ad perfectam peccati cognitionem, alia autem immiſceantur, modo ſint honeſta, & ad confeſſionem ſaltem indirectè pertinentia, nam confeſſio ſine præfata ſimplicitate, adhuc eſt valida, licet non conuenienter ea prolixius immiſceantur. Ita *noſt. Pitigian. 2. par. diſt. 17. q. 2 n. art. 10. Nauar. in c. fratres, Sayr. de pæn. c. 12. Reginald. lib. 6. n. 62. Henriq. l. 3. c. 3. & Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2.* & alij communiter.

Humilis debet eſſe confeſſio poſitiuè, & negatiuè, poſitiuè ita ut pœnitens cum debita corporis compoſitione monſtret humilitatem ſcilicet, vt flexis genibus, vultu demiſſo, & aperto capite, niſi aliud neceſſitas poſtulet, ſua peccata confiteatur, & hæc conditio non eſt eſſentialiter neceſſaria; ſed conueniens, & ſi non ſeruetur, valida eſt confeſſio. Ita *Pitigian noſt. Nauar. Sayr. Reginald. & Bonac. loc. cit.*

Debet etiam eſſe humilis negatiuè ideſt tollendo iactantiã, & vanagloriam de peccatis, & hæc conditio eſt neceſſaria eſſentialiter, nam ſi quis confiteretur peccata ſua, de illis

ſeia-

Digitized by Google

ſe iactando, & gloriando, non haberet dolorem de ſuis peccatis, peccata enim debent deteſtari, non autem in eis gloriari, quare nouum committeret peccatum, qui negatiuè humiliter iactando, & gloriando ſe de peccatis confitetur, & nulla eſt omnino eius confeſſio, quia vero dolore caret, & ponit obicem nouo peccato, ne abſolutio ſuum ſortiatur effectum. Ita Doctores citati.

Puta debet eſſe confeſſio 1. facta cum bona intentione, itaque ſi fiat ob prauum finem mortalem confeſſio nulla eſt, atq; adeo hæc conditio eſt neceſſaria eſſentialiter, quod ſi ob finem prauum ſolum venialiter, confeſſio valida eſt, quia poteſt ſtare gratia ſacramentalis cum peccato veniali. Ita Doct. cit.

Fidelis debet eſſe confeſſio, ideo vera ſine fallacia, & deceptione, quæ conditio neceſſaria eſt eſſentialiter, nam mendaciũ committere in confeſſione circa materiam neceſſariam eius, puta circa peccatum mortale, nunquam confeſſum, mortale eſt, quia decipit confeſſarium in graui, & cum actuali mendacio circa mortale in confeſſione non poteſt ſtare gratia Sacramentalis, quia cum tali mendacio non poteſt ſtare verus dolor de peccatis, mendacio, enim excuſantur peccata, non deteſtantur. Ita Doctores citati.

Quod ſi mendacium ſit de peccato alias confeſſo, non erit mortale, niſi interrogetur à Confeſſore ad ſciendum ſtatum pœnitentis, quia mortale alias confeſſum legitimè non eſt materia neceſſaria confeſſionis, poteſt ergo illud reticere abſque timore culpæ mortalis, ita etiam dicendum de culpa ſimpliciter veniali, quia cum non ſit materia neceſſaria, poteſt non ſubijcere illud confeſſioni etiam interrogatus. Ita *Piugian. Nauar. Reginald. & Bonac. loc. cit.*

Frequens debet eſſe confeſſio propter vberes fructus, quos ex ipſa fideles conſecuntur, hæc tamen conditio non eſt eſſentialiter neceſsaria, ſed vtiliter perſuadenda, non enim obligat præceptum confeſſionis niſi ſemel in anno, in articulo, periculo mortis, & in miniſterio actiuo, & paſſiuo Sacramentorum præter hiſce caſus frequentare confeſſionem, conſilium optimum, & vtillimum eſt, non tamen neceſſarium.

Nuda debet eſſe Confeſſio ideſt non palliata, nec verborum amphybologia, ſeu æquiuocatione velata, itaut confeſſor non valeat peccati qualitatem, & circumſtantias noſcere, ſit ergo Confeſſio verbis claris, & ſignificantibus qualitatem peccati, & eius circumſtantias, ad hoc, vt rectum iudicium de illis, poſſit Confeſsor ferre, quod ſi talibus amphybologijs, & æquiuocationibus vtatur pænitens in narrandis peccatis ad finem, ne grauitatem peccatorum percipiat confeſsarius, peccat, & confeſſionem nulla facit, itaque hanc conditionem puto eſſentialiter neceſsariam, vt peccata nuda, & ſine obſcuritate recenſeantur in confeſſione.

Diſcreta debet eſse confeſſio eligendo ſcilicet confeſsarium prudentem, pium, & doctum, qui ſciat diſcernere inter lepram, & lepram, hæc conditio non eſt ſimpliciter neceſsaria, modo conſultò indoctum quærat, qui grauitatem peccatorum neſciat ponderare, & contractus fœneratitios ignoret diſcernere, ne ad reſtitutionem obligetur, quia in hoc caſu peccaret, quia non haberet propoſitum vitandi peccata, nec de eis verè dolet.

Diſcreta iterum debet eſse confeſſio ſcilicet, vt peccator ſua peccata præſertim cauſalia diſcretis verbis, & pudicis quantum fieri poteſt explicet, vt ſunt actus præcedentes immediatè, vel concomitantes actum principalem, puta oſcula, tactus, &c. ſufficit enim, vt dictum eſt, ſi actus principalis narretur.

Libens debet eſse confeſſio ideſt voluntaria, non coacta, nam cum ad Sacramenti ſuſceptionem requiratur intentio ſuſcipientis, non debet confeſſio eſſe coacta, itaut præter intentionem, & voluntatem ſuſcipiendi, ſiquis accedat coactus, Sacramentum eſt inualidum, itaque ſic explicata hæc conditio neceſsaria eſt eſsentialiter.

Libens etiam poteſt dici confeſſio quatenus debet fieri cum omni voluntates excludente inuoluntarium, & ſic non eſt eſſentialiter neceſſaria, nam licet ex ſe omnino voluntaria, & cum omni complacentia debeat eſse confeſſio, attamen ſi mixta ſit cum aliquo inuoluntario non dicente coactionem, valida eſt, puta ſi quis quia timet parentis, vel magiſtri minas, ſi nõ confiteatur, accedat cum intentione confitendi, & cum dolore ſuorum peccatorum, ſed cum aliqua triſtitia, & diſplicentia, & non omnino libens, itavt ſi non timeret minas, non confiteretur, voluntariè tamen confitetur, valida eſt confeſſio, licèt non ſit omnino libens.

Verecunda debet eſſe confeſſio, quia de turpitudine ſuæ vitæ erubeſcere debet, & fæditatem animæ ſuæ conſiderans, debet non ſolum intrinſecè verecundari, ſed etiam apud Confeſſarium cum erubeſcentia, & verecundia accedere, quod ſanè congruum eſt valdè, attamen non eſt eſſentialiter neceſſariũ.

Optimum etiam Conſilium eſt, vt confeſſarius pijs, dulcibus verbis alliciat pænitentem ad hanc verecundiam conſequendam, non tamen id debet acribus, duribus, & aſperis facere contra quiſdam indiſcretos Confeſſarios, qui ſtatim, ac aliquod graue peccatum audierunt, ſtatim ad aſpera verba, & acriores reprehenſiones procedunt, hoc enim modo faciliter pænitentes maximè mulieres, & adoleſcentulos à reliquorum confeſſione retardabit.

Confeſſor ergo in fine confeſſionis pijs vtatur verbis, & prudenti reprehenſione, vt ita in ſuorum peccatorum maiorẽ dolorem, & erubeſcentiam, quam in irritationem deueniant. Vide *Nauarr. c. 20. n. 59. Henriq. & Bonac. loc. cit.*

Integra debet eſſe confeſſio, & hæc eſſentialiter eſt neceſſaria, vt in præcedentibus dictum eſt, & dicetur etiam infra, & docet *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* & communiter Theologi.

Secreta debet eſſe confeſſio, quia publicare ſua peccata videtur eſſe contra rectum dictamen iuris naturæ, vnde *inc. omnis vtriuſq; ſexus*, præcipitur confeſſio Sacramentalis facienda ſoli Sacerdoti, an autem ſit eſſentialiter neceſſaria, videbitur in propria difficultate, vbi etiam videbitur, quomodo confeſſio publica ſit valida.

Lacrymabilis debet eſſe confeſſio, non quia ſint neceſſariæ lacrymæ materiales, & exteriores, quod tamen valdè congrueret, ſed quia neceſſarius eſt internus dolor, vt dicetur infra.

Accelerata debet eſſe confeſſio, quia optimum conſilium eſt, vt quam primum peccator per confeſſionem exeat à ſtatu damnationis æternæ, & ſe in gratiam conſtituat, ad hoc, vt eius bona opera ſint meritoria, non eſt tamen neceſſarium, vt ſtatim confiteatur, quia poteſt per contritionem ſe in ſtatu gratiæ Deo dante conſtituere.

Fortis debet eſſe confeſſio, quatenus pænitens non debet permittere ſe tentationibus obrui ad negligendam, vel omittendam confeſsionem, vel in ipſa confeſſione debet etiam eſſe fortis, ne à Diabolo ſuadeatur aliquod peccatum, vel circumſtantiam omittere ex timore, vel verecundia.

Accuſans debet eſſe confeſsio, quia ſua peccata humiliter accuſare debet pænitens in confeſsione, & nullo modo excuſet, quod ſolent præcipuè fœminæ in peccato carnis facere, dicendo ſe coactam, vel propter egeſtatem talia peccata commiſiſſe.

Parere parata demum debet eſſe confeſsio, nam pęnitens tenetur confeſſario obedire in ijs, quæ ad tollendas occaſiones peccatorum pertinent, & in ijs, quæ ad reſtitutionem famæ, & bonorum temporalium, ceteraſque ſatisfactiones pręſtandas, Iudicis enim partes agit confeſſarius in illo actu, ergo ei parendum in ijs, quæ iudicat eſſe neceſſaria ad abſolutionem peccatorum dandã, an autem ſit obligatus acceptare pænitentiam pro peccatis, ſi eam in purgatorio aſſerit ſe velle facere potius, quam in hac vita dicetur alibi.

Vtrum mendacium admiſſum in confeſſione de maiori numero mortalium, quam ſit admiſsum, vel circa peccata dubia confitenda, ea vt certa ſit mortale.

DIFFIC. XXXXI.

Dico primò, quod peccat mortaliter in confeſsione mendacium proferens maiorem ſcilicet numerum peccatorum mortalium, quam verè admiſerit confitendi, decipit enim confeſſarium in re graui, ita vt rectum Iudicium proferre nequeat in materia neceſſaria, præterquam, quod ſi conſultò maior numerus, quam verè fuerit admiſſus proferatur, vix ſine aliqua iactantia fieri poteſt, vnde obicem ponit Sacramento, cum de peccatis non ſit vere dolens, & pænitens.

Attamen poteſt fieri, quod aliquando ſtante bona fide pænitentis putantis tutius eſſe maiorem numerum peccatorum exprimere, quam minorem ſicut ſunt Rudes, & Ruſtici, qui paſsim putant tutius eſſe de maiori numero grauari, vt maiorem etiam pænitentiam accipiant, quam iuſto numero expreſſo; dum enim nullus adeſt dolus, ſed ſolum ſimplicitas, & bona

fides

fides aſpicitur in expreſſione maioris numeri mortalium, poſſunt excuſari à mortali, & confeſſio valida eſt iudicanda. Ita etiam *noſt. Rodriq. in ſum. T. 1. cap. 52. num. 5. Nauar. in c. 21. num. 37. & cap. fratres num. 27. Sanch. in ſum. loc. cit. cap. 10. Suar. T. 4. diſp. 22. ſect. 10. Reginald. lib. 6. num. 68. & Bonac. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2.*

Dico ſecundò, peccare mortaliter eum, qui dubia peccata pro certis in confeſſione explicat, quia mentitur in re graui in caſu Sacramentali docent *noſt. Pitigian. diſt. 17. q. vn. art. 7. Suar. & Bonac. loc. cit. & Henriq. l. 2. c. 4.* quod tu verum puta ſi ex aliqua temeritate hoc faciat, nam ſi bona fide quis exiſtim, peccata dubia tutius tanquam in confeſſione aperienda, non videtur de mortali damnandus.

Vtrum autem proferens mendacium circa venialia peccet, vide ſup. diff. 23.

Vtrum Confeſſio Sacramentalis neceſſario debeat eſſe ſecreta, ita vt ſit inualida, ſi non foret ſecreta.

DIFFIC. XXXXII.

VTrum confeſſio Sacramentalis ex *noſtri Doctoris ſubtiliſſimi ſententia in 4. diſt. 47. q. 1. in reſponſ. ad tertium principale* duplex eſſe colligitur, altera prout dicit ſecretum ſigilli indiſpenſabile ſolum pro foro interno ordinata, & nullo modo ad forum externum trahibilis, & hæc confeſſio dicitur ſimpliciter confeſſio Sacramentalis, quatenus nullo modo fieri poteſt extraiudicialis, quia ſimpliciter eſt pænitentialis in foro interno, altera dicitur Sacramentalis publica, quæ eſt indifferens ad iudicialem externam, & internam, vnde in tali confeſſione Sacramentali non adeſt ſigillum ſecreti, & per talem confeſſionem peccatorum poteſt quis trahi ad forum externum, & puniri, quæ confeſſio, licet aliquando valida ſit etiam pro foro interno, tamen non eſt ſimpliciter Sacramentalis pro foro interno, quia ad eam nemo tenetur, cum declinet à vera ratione confeſſionis Sacramentalis ſimpliciter, quæ etiam ſimpliciter dicitur pænitentialis, quia ſolum ordinatur pro abſolutione interna peccatorum, ita eſſentialiter ſecreta, vt nullo modo poſſit trahi talis cognitio ad forum externum.

Quando ergo præcipitur confeſſio ſub præcepto, præcipitur confeſſio primo modo, quatenus eſt ſimpliciter Sacramentalis, & pænitentialis ſolum pro foro interno, non autem confeſſio ſecundo modo, etenim in *c. omnis vtriuſque ſexus* præcipitur, vt confeſſio fiat ſoli Sacerdoti, & *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* licet non damnet confeſſionem publicam in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tum ob Eccleſiæ ædificationem, tamen hoc diuino præcepto mandatum negat, & affirmat, quod nec ſatis conſultè à lege humana id præciperetur, vnde ſub his verbis confeſſionem, quæ Sacramentalis ſecretam eſſe ſtatuit (Vnde cum à Sanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus, magno, vnanimique conſenſu ſecreta confeſſio, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modo etiam vtitur ſemper commendata, &c.)

His ergo ſuppoſitis.

Reſpondeo ad difficultatem, quod confeſſio Sacramentalis, vt Sacramentalis, & pænitentialis ſimpliciter eſt eſſentialiter ſecreta in ratione ſecreti, quia ſigillum continet ſecretum nullo modo diſpenſabile, non autem eſt eſſentialiter ſecreta, quo ad validitatem abſolutionis, ſi fiat publicè ob cauſas recenſitas *à Conc. Trid. loc. cit.* quia, vt ait *Concilium* non inuenitur à Chriſto prohibita publica confeſſio, hinc confeſſio per interpretem valida eſt, ſed non neceſſariò præcepta ob incommodum reuelationis, quæ poſſet fieri per interpretem, ita ſubtiliſſimus *noſt. Doctor loc. cit.* & quia à multis citatur, quod velit confeſſionem ita neceſſariò eſſe ſecretam, vt non ſit valida, quæ per interpretem, volui in gratiam ſcotiſtarum ponere hæc formalia verba *Scoti*, qui reſpondens ad tertium principale *loc. cit.* ſequentibus verbis ita loquitur (ad aliud dicitur, quod talis debet confiteri per interpretem, vel per aliqua alia ſigna à verbis, quæ poſſent eſſe nota Sacerdoti; ſecundum eſt bene concedendum, ſi aliqua talia ſigna ſint communia confitenti muto, vel Barbaro, & Sacerdoti, ſed primo non videtur eſſe neceſſarium, quia forus iſte ex natura ſua eſt ſecretiſſimus, ergo non tenetur aliquis ad iſtum forum, vt aliquo modo publicus, ſed licet interpres velit cælare, & teneatur cælare ſicut Sacerdos, tamen ſi velit malignari ipſe, & Sacerdos poſſunt eſſe teſtes contra accuſatum, & ita ex natura accuſationis huiuſmodi hæc accuſatio poteſt venire in publicum, & ita non eſt pænitentialis, ex hoc patet, quod pluribus Sacerdotibus, ſimul non eſt confitendum neceſſariò, vt melius iudicent, quod ſi fiat, non eſt Sacramentalis confeſſio; maximè autem videtur, quod non ſit confitendum per interpretem, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum, & ſi in tali caſu habet impoſſibilitatem confitendi homini idoneo, confiteatur Deo cum propoſito confitendi homini opportunitate oblata) hæc Scotus, ex quibus patet, quod confeſſionem per interpretem non obligare cum incommodo, quod timetur in pænitente, non autem inualidam putat; Vnde patet error multorum imponentium *Scoto* peccatorum publicam confeſſionem non eſſe validam, quia eſt eſſentialiter ſecreta, vult enim ſolummodo in ratione Sacramentalis confeſſionis ab Eccleſia ordinatæ eſſe neceſſariam eſſentialiter ſecretam in ratione ſecreti, non autem in ratione validitatis.

Quod autem confeſſio per interpretem ſit valida, non tamen neceſſariò obligatoria ex *Scoto noſtro* affirmant *Pitigian. in 4. diſt. 17. q. vn. a. 8. Nauar. c. 2. n. 5. Valentia diſp. 7. q. 11. p. 1. Reginald. l. 6. n. 80. Zerola de pænit. c. 14. q. 4. Suar. diſp. 21. ſect. 4. Filiucc. tract. 7. c. 1. & Bonac. de pænit. diſp. 5. qu. 5. ſect. 2. p. 2* ex quibus.

Collige, quod plures in periculo imminenti, puta naufragij, & ſimilium caſuum, ſi vnus ſolus adſit Sacerdos, nec poſſit ſingulos ſecretè audire poſſunt publicè ſimul confiteri ſaltem peccata minus infamatoria, & validè vnica abſolutione abſoluuntur, non tamen tenentur ex vi præcepti confeſſionis Sacramentalis, quia præcepta non obligant cum incommodo tanto, poſſet tamen fieri, vt ſi non valeant habere actum veræ contritionis, ad quod ſaltem tenentur in articulo mortis, quod teneantur ita publicè confiteri ex præcepto charitatis, quo debet ſe in ſtatu ſalutis æternæ, prout tutius poteſt ponere.

Vtrum ſolo proprio ore fieri confeſſio Sacramentalis debeat, an etiam nutu, ſignis, vel ſcriptura aliquando validè perficiatur.

DIFFIC. XXXXIII.

DIco primò, quod per ſe loquendo, & ex prima ſui inſtitutione confeſſio Sacramentalis proprio ore fieri debet; verba enim ore prolata ſunt maximè inſtituta ad explicandos noſtri internos animi conceptus, hinc *in Conc. Florent. in decreto Eugenij* aſſeritur materiam huius Sacramenti eſſe peccatorum confeſſionem ore factam, & ita regulariter obſeruatur, ſecundum illud dictum, quod ore confeſſio fit ad ſalutem Ita communiter Theologi. Attamen.

Dico ſecundò, quod cum iſte modus confitendi proprio ore non ſit eſſentialiter incluſus in confeſſione, ſed ſolum, vt modus magis decens ad explicanda peccata; & ita debet intelligi *Conc. Florent.* nam ſi totum, vel ſub confeſſione oris intellige præſentiam Sacerdotis, coram quo ægrè valida aliquomodo fiat confeſſio peccatorum, per accidens poteſt fieri, vt in aliquibus caſibus valida ſit, licet non fiat proprio ore, vt eſt in muto, qui cum per impoſſibile non poſſit confiteri proprio ore, poteſt per aliqua ſigna confiteri ſua peccata coram Sacerdote ea, vt plurimum intelligente, ne iſte abſque ſua culpa tanto remedio ad explicanda peccata ſua priuatur; nutus enim ſigna etiam ſunt inſtituta ad explicandos internos animi conceptus. Ita communiter Theologi; Immò certum eſt in caſu, quo quis voce ſit impeditus, aut nimia ſuffundatur verecundia proprio ore ſua peccata confitendo, ſi ſcribere propria manu ſciat, poſſe per ſcripturam confiteri, ipſo ſcilicet Sacerdote legente, & pænitente affirmante, vel negante ſaltem ſigno, vel nutu, non autem ſolo Sacerdote legente, quia tunc non faceret confeſſionem æquiualentem confeſſioni oris, ſi ſolum Sacerdos legeret, & pænitens non reſponderet nutu, vel ſigno.

Quod ſi Sacerdos ſit ſurdus, an liceat ſcribere peccata, & ipſis lectis à confeſſario ſurdo, an poſſit validè abſoluere, negandum puto, quia adeſt modus confitendi per ſigna, quæ faciliter ſurdus intelligeret, atque ita, dum non adeſt alius Sacerdos, poteſt coram Sacerdote ſurdo ſua peccata pandere per nutus, & ſigna, quæ æquiualet confeſſioni oris. Verum

Vtrum

Vtrum de neceſſitate præcepti teneatur voce impeditus per ſcripturam confiteri coram Sacerdote ſua peccata, ſi nutibus, & ſignis non valeat ea explicare, & an liceat per litteras, ſi pænitens ſit abſens à Sacerdote validè confiteatur.

DIFFIC. XXXXIV.

VOce impeditum nullo modo teneri ex præcepto facere confeſſionem per ſcripturam, ſi ne queat ſignis confiteri, aliqui Scotiſtæ ex Scoti intentione aſſerunt, alij vero ſolum in articulo mortis volunt obligari Sacerdote legente, & ipſo per nutum affirmante, vel negante, quia in ceteris caſibus non obligatur cum tanto incommodo confiteri, cum ſcriptura poſſit perdi, vel tolli à manu Sacerdotis, & ita in famiæ ſubiaceret pænitens, in articulo vero mortis, quia adeſt periculum irreparabile mortis æternæ, ſi decedat inconfeſſus, teneri quocumque modo poſſibili, ſi per nutus, & ſigna non poſſit, etiam per ſcripturam confiteri, Sacerdote tamen legente, & ipſo annuente, vel negante per nutus, vt de attrito fiat contritus per abſolutionem Sacramentalem, & ita ſuæ ſaluti conſulat. Ita *Nauar. c. 2. n. 36. Sot. in 4. diſt. 18. q. 2. a. 6. Sayr. de pænit. c. 17. n. 48. Zerola c. 14 q. 5. Valent. T. 4. diſp. 7. q. 11.* & alij.

Attamen quocumque tempore obligat præceptum confeſſionis, teneri pænitentem voce impeditum confiteri per ſcripturam modo explicato, quia dum adeſt modus æquiualens confeſſioni oris, tenetur, quando neceſſario eſt confeſſionem facturus ex præcepto, eum amplecti, at vero modus confitendi per ſcripturam, æquiualet modo explicato confeſſioni oris, ergo tenetur quocumque præcepto obligante ad confeſſionem, illo vti. Ita *Caiet. V. Confeſſio cond. 11. Suar. T. 4. diſp. 36. ſect. 6. Sylu. V. Confeſſio 1. q. 16. Coninch. diſp. 5. de Sacr. dub. 10. Petrus à Soto lect. 11. de Confeſſ.*

Vtramque opinionem probabilem puto, nec à ſecunda opinione fortè abhorrens *Scotus, qui in 4. diſt. 17. q. 1. in reſponſ. ad quartum* ſolum negat confeſſionem faciendam per litteras in abſentia Sacerdotis, quod autem Sacerdote præſente validè, quis per ſcripturam Sacerdote præſente *ex 30. q. 5.* affirmat, refert formalia verba ſubtiliſſimi Doctoris, qui ſæpè ſæpius à non intelligentibus eius doctrinam, falſæ doctrinæ arguitur, ita loquitur Scotus in præfato loco. (Ad aliud videtur quandocumque confeſſio facienda per ſcriptum, vt legitur de Thoma Epiſcopo Cantuarienſi, qui miſit ad Curiam pro abſolutione, ſed hoc videtur eſſe contra rationem confeſſionis, quia omnis ſcriptura ex ſui natura nata eſt eſſe publica, quantumcumque enim aliquis conſeruet ſecretè, tamen ex quo mittit illud, vel propter nuncium, vel propter illum ad quem mittitur, poteſt publicari, & ſemper ex natura ſua eſt patulum cuicumque legenti loquens, quod ibi continetur, quilibet ergo ſcribens aliquid facit in hoc, quod eſt contra ſtaturam ſigni idonei in confeſſione, & in iſta ſcriptura tollitur verecundia, quæ eſt pæna magna in confeſſione, & hoc niſi pænités ſit preſens, quando per ſcriptum confitetur, & ideo quod dicitur 30. q. 1. qualis debeat, quod, quis poteſt cõfiteri per ſcripturam *Ioannes* exponit, quando confitens eſt præſens, quia abſens non poteſt licitè, igitur abſens expectat pænitentiam cum propoſito confitendi ea habita) hæc formaliter *Scotus*, ex quibus patet *Scotum* ſolum negare confeſſionem poſſe fieri ab abſente mittendo litteras, in quibus ſua peccata confeſſori explicat, vt abſens abſoluatur, non autem negat poſſe fieri per ſcriptum coram Sacerdote præſente, imo hæc aſſerit poſſe fieri per ſcriptum coram Sacerdote præſente, ergo ex intentione Scoti poteſt elici, quod quocumque præcepto exiſtente voce impeditus teneatur confiteri per ſcriptum Sacerdote præſente, dum hoc ait licitum eſſe. Quare

Quod confeſſio non poſſit fieri per litteras ad confeſſarium abſentem, vt a peccatis in litteris ſcriptis abſoluatur pænitens abſens, non ſolum docuit *Scotus*, verum hodie extat *Decretum Clem. VIII.* in quo Pontifex iſte diſertiſſimus, decernit non poſſe fieri confeſſiones per litteras, eaſq; tanquam omnino irritas, & nullas reprobat.

Vtrum voce præpeditus, qui ſigna contritionis dedit, vel dat actualiter debeat abſolute, an ſub conditione abſolui, quid ſi nullum ſignum dederit, & ſubita infirmitate correptus, ſenſibus deſtitutus non poſſit dare ſignum contritionis, & iam ſit morti proximus debeat, & poſſit abſolui, et quomodo.

DIFFIC. XXXXV.

DIco primò, quod certum eſt monſtrantem actu ſigna contritionis, qui voce præpeditus eſt tundendo ſcilicet pectus, vel manus, vel oculos in Cælum leuando, in ſignum miſericordiæ diuinæ implorandæ poſſe, & deberi abſolui a confeſſore, multo magis ſi vocatus ab ipſo Sacerdos fuerit, vt confiteatur ſua peccata, vel teſtimonium dent eius domeſtici habuiſſe animum confitendi, ſi poſtea loquelam amittat ante aduentum Sacerdotis, poteſt, & debet abſolui, vt colligitur ex *Conc. Auricano p. 1. c. 12. & à Carthaginenſi can. 76. & habetur 26. q. 6. c. 15.* vbi dicitur, quod dubia obmuteſcens, ſi probari poteſt aliorum dictis illius bonæ voluntatis teſtimonium, vel ex ſuo nutu, poteſt baptizari, & pænitentiam recipere, & in *c. his, qui pænit. in Infir.* ſic habetur. (His, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum Sacerdos ad eum inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & pœnitentiam accipiat) in quibus textibus conſiderandum nullam eſſe mentionem de danda abſolutione, ſub conditione. Quare

Dico ſecundò, quod licet multi velint, & admodum probabiliter in præfatis caſibus abſoluendum eſſe pœnitentem cum conditione, puta ſi es capax abſolutionis, ego te abſoluo, &c. Ita *D. Dh. in 4. diſt. 22. q. 2. a. 1. ad 2. Nauar. c. 26. n. 27. & c. 27. n. 268. Palud. diſt. 21. q. 2. a. 2.* & alij, ita enim tutius conſulitur confeſſario, & pœnitenti.

Attamen alij putant, quando pœnitens dedit, vel dat ſigna contritionis, vel vocauerit Sacerdotem, vt confiteatur, at ſubito voce, & ſenſu præpeditus ſit in articulo mortis, ſi de ſignis contritionis datis, & confeſſione petita, familiares dent teſtimonium, debet abſolutè abſolui abſque alia conditione, quia iam adeſt materia confeſſionis ſufficiens. Ita etiam probabiliter *ex noſtris Ang. V. Confeſſio 4. §. 8. Corduba l. 5. de Indulg. q. 39. Rodriq. T. 1. c. 35. & ex alijs, Sylu. V. Confeſſ. 3. qu. 13. D. Antonin 3. p. tit. 10. c. 2. Tolet. l. 3. c. 8. Suar. T. 4. diſp. 23. ſect. 1. Henriq. l. 1. de pænit. c. 9. Reginald. lib. 8. n. 27. Vaſq. T. 4. qu. 91. art. 2. Sà V. Abſolutio n. 10. & Bellarm. l. 2. de pænit. c. 7.* qui Cardinalis, & Archiepiſcopus Armacanus teſtati ſunt ita ſeſe audiuiſſe reſponſum à Clem. VIII. interrogato de hoc caſu, an moribundus talis deberet abſolui. Immo

Dico tertiò, quod ſi quis repentino caſu in infirmitate obmuteſcat erat vir bonus, & facilis ad Sacramenta ſuſcipienda, etiam ſi nullum dederunt ſignum contritionis, nec confeſſorem petierit poteſt abſolui ex præſumpta eius voluntate confitendi, etenim, qui extra articulum mortis ex factis, erat frequens ad ſuſcipienda Sacramenta, multo magis debet præſumi velle Sacramenta tempore neceſſitatis ſuſcipere, ſicut eſt in articulo mortis.

Quod ſi paſſim tenebatur vir improbus, & ad Sacramenta ſuſcipienda parum, vel nihil inclinatus, vt pote aliquo habituali peccato deuictus, non debet abſolui, quia non adeſt præſumptio, quod velit confiteri. Ita *noſter Corduba*, quem etiam citat *Vuald. in vno Candel. V. abſolutio n. 22. Anton. de litteratis p. 1. c. 35. Sacerdot. Rom. pag. 625. Molfeſius T. 1. tract. 7. c. 5.* qui etiam refert pro hac ſententia Salmeronem, & litterium.

Ceterum in caſibus, in quibus nullum præfecit actum nullum ſignum contritionis, nullum confeſſionis petendæ teſtimonium, etiam ſi non ſit habitus frequens ad Sacramenta, modo actu non ſit publicus, & habituatus peccator, ſi repentino aliquo caſu obmuteſcat, & ſenſibus deſtitutus non poſſit ferre ſigna contritionis, nec vllum peccatum confiteri poteſt, & debet abſolui mente ſaltem retenta hac conditione, ſi es capax abſolutionis, ego te abſoluo, nam, dum conſtat non eſſe animum poſitiue contrarium nolendi confeſſionem, vt de publico, & habituato peccatore, maximè in excommunicatione vltra annum inſordeſcente, poteſt præſumi adeſſe actus poſitiuus volendi confeſſionem, præcipuè ſi aliqua ſigna deuotionis ſicut ſunt Corona Chriſti, Mariæ Roſarium, numiſmata benedicta, imagines Sanctorum, quæ faciunt circumſtantias, quibus credere debemus huiuſmodi ex improuiſo caſu loquela, &

la,& ſenſibus deſtitutum fuiſſe pium Chriſtianum, & conſeq. in articulo mortis poſitiue velle confiteri ſi poſſet, & ita practicaſſe Clementem VIII. virum vtique ſapientiſſimum, qui cum vidiſſet coram ſe cadentem quendam de ſabrica de S. Petri, abſoluit ipſe ſub his verbis, ſi tu es capax abſolutionis, ego te abſoluo, quæ opinio eſt magis tuta, nullo modo Sacramento iniurioſa, & optimè conſulitur animæ periclitanti in extremo vitæ periculo, vide etiam *Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 4. ſect. 2. p. 2. & nouiſſime Diana p. 3. tr. 3. reſol. 8.*

Demum illud etiam in hac periculoſa materia, quod ſi quis in tali imminenti neceſſitate articuli mortis abſoluatur ſiuè abſolutè, ſiuè conditionaliter, ſtante, quod nullum peccatum potuerit confiteri, tenetur, ſi conualuerit, vel loquelæ, & ſenſibus reſtituatur, ſingillatim ſua peccata confiteri.

Vtrum Confeſſarius teneatur abſoluere pœnitentem iuxta eius opinionem probabilem, licèt ſit contraria ſuæ probabiliori.

DIFFIC. XLVI.

Dico primò, quod certum putant communiter Theologi poſſe Confeſſarium in abſoluendo pœnitentem ab aliquo caſu difficili, & controuerſo ſequi opinionem probabilem, licèt contrariam ſuæ opinioni probabiliori, modo verè opinio pœnitentis ſit verè probabilis fundata ratione probabili, & Doctorum aliquorũ authoritate fulta, quia pœnitens ſecutus opinionem probabilem non peccauit, vt V. opinio, dicetur, ergo Confeſſarius poteſt, & debet eum abſoluere, cum nullus teneatur ſequi opinionem probabiliorem, relicta probabili, quare cum pœnitens ſecutus opinionem probabilem non peccauerit habet ius, vt ſecundum ſuam opinionem abſoluatur. Vide noſt. *Portell. V. opinio eligenda n. 8. Nauar. c. 27. n. 280. Azor T. 1. l. 2. c. 17. q. 10. Suar. T. 4. diſp. 32. ſect. 5. Coninch. de ſacr. pœnit. diſp. 8. dub. 17.* & alij communiter.

Dico ſecundò, quod inter ſe Doct. variant, an Confeſſarius teneatur ſub mortali abſoluere pœnitentem ſecutum opinionem probabilem contrariam ſuæ opinioni probabiliori, nam nullomodo peccare Confeſſorem non Parochum, ſi nolit ſe confirmari opinioni probabili ſui pœnitentis, quia ſicut non tenetur ex iuſtitia illum confiteri, ſic etiam non tenetur ex iuſtitia illum abſoluere, ſecus Parochus, qui de iuſtitia tenetur eum in confeſſione audire, & quia ſecutus opinionem probabilem non peccauit pœnitens, ita etiam tenetur ſub mortali ei abſolutionem impartiri. Ita *Adrian. q. 5. de confeſſ. dub. 7. Sylu. V. Confeſſ. q. 7. & Conrad. q. 100. de contract.*

Vaſq. tamen p. 3. T. 4. diſp. 61. c. 7. & Salas p. 2. q. 21. tr. 5. q. 7. aſſerunt Sacerdotem non Parochum nolentem abſoluere pœnitentem iuxta ſuam opinionem probabilem venialiter ſolum peccare, *Sanch. porrò in ſum. T. 1. l. 1. c. 9. n. 24. & Valent. 3. 3. diſp. 5. q. 7.* volunt peccare mortaliter tam Sacerdotem Parochum, quam non Parochum, ſi neuter velit ſe conformari opinioni probabili pœnitentis, quia vterque facit ei iniuriam grauem.

Noſter verò *Fauent. diſt. 19. diſ. 33. c. 2.* videtur ex *Scot. ſent. q. 2. Prol. in reſp.* ad vltimum argumentum putat pœnitentem eſſe obligatum ſequi opinionem tutiorem ſui Confeſſarij, & conſequenter non peccare, ſi nolit ei abſolutionem impendere, quando eius opinio tutior, quam illa pœnitentis, & aduerte quod non loquitur Scotus de opinione probabiliori, ſed de opinione tutiori, eſt enim differentia inter opinionem probabiliorem, & tutiorem, vt videbitur V. opinio, quare probabile eſt, & pium aſſerere, quod pęnitens teneatur ſequi opinioné tutiorem Confeſſarij, puta quia tutius conſulitur tollendis occaſionibus ad peccatum, & ſimilibus in vtilitatem conſcientiæ pœnitentis, & conſequenter nullo modo peccare Parochum, & tantominus nõ Parochum, ſi nolit abſoluere pœnitentem nolentem ſequi ſuam opinionem tutiorem probabiliter dicitur.

Attamen dicendum putarem cum noſt. *Ricard. in 4. diſt. 15.* quod ſolũ tẽpore cõfeſſionis annuæ ratione præcepti, ne ſit occaſio tranſgreſſionis præcepti Eccleſiaſtici, & in articulo, & periculo mortis, in quo eſt irremediabilis ſalus hominis, ſi abſq; cõfeſſione decedat, põt non ſolũ piè, imo ex charitatis munere debet ſe conformare opinioni probabili pęnitentis confeſſarius.

Immo adderem, quod ante factum, i. antequam pœnitens ſit admonitus à Confeſſario, vt ſequatur opinionem tutiorem, in quocumq; caſu, in quo neceſſario debet confiteri, debet eum abſoluere Confeſſarius, quia vſq; huc ſub bona fide opinionis probabilis non peccauit, ergo ſi eum non abſolueret, faceret ei iniuriam, poſt factum verò, ideſt vbi admonitus fuit pœnitens à Cõfeſſ. vt ſequatur tutiorẽ opinioné, ne, ſequẽdo opinionẽ probabilem, incidat in periculum peccandi mortaliter, ſi redeat contumax contra conſilium optimũ Confeſſarij, non debet eũ abſoluere, niſi promittat in futurũ velle ſequi opinionẽ tutiorẽ.

Vtrum Confeſſarius ex defectu iuriſdictionis, vel ex prætermiſſa admonitione de confitendis circumſtantijs, vel numero peccatorum, vel de reſtitutione facienda noſcat male abſoluiſſe pœnitentem, quod ſi abſque abſolutione dimiſerit pœnitentem ex obliuione, teneatur pœnitentem adire, vt abſoluat eum rite, & ad reſtitutionem eum ex obliget.

DIFFIC. XLVII.

Dico primò, quod Confeſſor qui ex defectu iuriſdictionis ſcit pęnitentem nulliter abſolutum, non poteſt habita iuriſdictione neceſſaria eum abſentem abſoluere, quia abſolutio à peccatis ſupponit diſpoſitionem in pœnitente, quam neſcit, an abſens habeat, poteſt tamen ab excommunicatione, & cenſuris, nulliter abſolutum abſentem abſoluere, quia horum abſolutio poteſt dari etiam ignoranti, & nolenti, cum ad earum abſolutionem non requiratur neceſſario diſpoſitio, vt dictum eſt V. cenſura, & dicetur forte V. excommun.

Verum ſi poteſt ſine ſcandalo, & ſui ipſius infamia, tenetur aliquo meliori modo admonere, vt de iam ſibi confeſſis tali die, iterum ſecum, vel cum alio confiteatur, ſecus ſi nequeat eum admonere, puta quia ſi admonet, ſequeretur ſcandalum, vel infamia Confeſſarij, non tenetur eum adire, ſed de datæ nulliter abſolutionis peccato doleat, & confiteatur, relinquatq; pœnitentem in ſua bona fide, quia facienti quod in ſe eſt, ex ſua miſericordia Deus non denegat gratiam, poterit enim actum contritionis ex ſua miſericordia Dominus tali pœnitenti nulliter abſoluto, ſub bona fide credenti ſe validè abſolutum concedere, & ita abſolutionis nullitas ſuppleretur à Deo.

Quod tamen tantum putant Theologi in Sacramento Baptiſmi, & Ordinis, nam nulliter ſciẽter baptizans, vel ordinans tenetur cum omni præiudicio ſui, baptizatum, & ordinatum nulliter admonere de inualiditate, aliter non baptizatus ſuſciperet, & conferret Sacramenta inualidè, & non ordinatus inualide conficeret Sacramenta, & actus ſui Ordinis. Ita noſter *Fauent. diſt. 19. diſp. 33. c. 2. in 4. Corduba in ſumm. q. 7. c. 26. n. 14. Vaſq. q. 93. ar. 3.* & alij.

Dico ſecundò, quod Confeſſor qui ex ignorantia, vel malitia non admonuit pœnitentem de circumſtantia neceſſaria, vel de numero peccatorum, vnde confeſſio non fuit integra, non tenetur pœnitentem adire, vt confeſſionem repetat, ſed ſolum de peccato commiſſo in non exercendo ritè ſuum officium doleat, & confiteatur, quia poteſt fieri, quod ex bona fide cõfitentis fuerit facta confeſſio integra formaliter, & gratia formata, dum directè abſolutus fuit à confeſſis, & de non confeſſis præciſa oĩ malitia, & culpa pœnitentis, etiã indirectè abſoluitur, & remiſſioné conſequitur omnium peccatorum. Ita noſt. *Fauent. loc. cit. Bonac. de ſacr. pœn. diſp. 5. q. 7. punct. 6. Suar. Tom. 4. diſp. 32. ſect. 6. Vaſquez Tom. 4. quæſt. 93. art. 3. dub. 8.*

Dico tamen tertiò, quod ſi Confeſſor dimiſit pœnitentem ſine abſolutione certa, vel probabili, ex obliuione, ſi poteſt ſine ſcandalo, debet eum reuocare, & petita licentia de loquendo cum ipſo de re pertinente ad confeſſionem, debet eum de errore monere, quod ſi paulo poſt in ipſa Eccleſia paululum ab ipſo fuerit remotus, poteſt ei impendere abſolutionem quia moraliter dicitur præſens, & quod paulo poſt fit, intelligitur eſſe factum in tempore opportuno, & poteſt bene credi, quod adhuc ſit bene diſpoſitus, ſi autem poſſit ſine ſcandalo, debet omnino reuocare. Ita *Reginald. T. 1. l. 8. c. 3. ſect. 2. & 3. n. 33. & Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. ar. 6.* qui addit pęnitentem malè, & inualidè abſolutum, ſi abſque ſcandalo reuocare non poteſt, nec monẽdũ, ſed committendum eſſe ſummi Sacerdotis Chriſti miſericordiæ, quod ſi obliuio fuerit mortalis, doleat, & de peccato confiteatur Confeſſarius.

Dico quartò, quod Confeſſor, qui ex ignorantia, vel malitia non admonuit pœnitentem de reſtitutione facienda alteri, ſupponens

Digitized by Google

ponens fortè id debere eſſe curam ipſius pœnitentis, vt reſtituat, quod ſi mala fide à ſe teneri, & Confeſſori conſtat pœnitentem ſcire ſuam obligationem, ad nihil tenetur, quod ſi ſciat pœnitentem ignorare ſe ad reſtitutionem teneri, & ipſe ex malitia, vel negligentia culpabili non impoſuerit onus, tunc ſi ſperet pœnitentem reſtitutionem facturum, ſi admoneretur, tenetur illum ſuadere, prius petita licentia de loquendo cum ipſo de re pertinente ad confeſſionem, quod ſi ſperat nihil ſe profuturum, ſi admoneat de reſtitutione facienda puta, quia duræ ceruicis ſit pœnitens, & difficillimus ad reſtituendum, non tenetur admonere, quare de peccato doleat, & confiteatur.

An verò ex malitia non admonens pœnitentem ad reſtitutionem, ad quam cognoſcit Confeſſarius ignorare pœnitentem ſe teneri, an ſi non poſſet pœnitentem admonere, teneatur ipſe Confeſſarius reſtituere, diſtinguendum puto, nam vel Confeſſor poſitiuè conſuluit pœnitentem non eſſe obligatum ad reſtitutionem, ad quam optimè notat eſſe obligatum, & ſic tenetur ſub pœna reſtitutionis admonere de conſilio male dato, & ſi interea factus ſit impotens, tenetur ipſe Confeſſor reſtituere; at verò ſi Confeſſor ex malitia, vel negligentia culpabili nō impoſuit reſtitutionem, quam neſciebat pœnitens à ſe faciendam, non tenetur reſtituere, ſi non valeat eum ſine ſcandalo, & ſine profectu admonere, & ratio diſparitatis eſt, quia poſitiuè dum conſulit Confeſſarius pęnitenti non eſſe obligatum, peccat contra iuſtitiam, quia facit poſitiuè eum immunem à reſtitutione in damnum tertij, ergo ſi non reſtituat pœnitens, Confeſſarius tenebitur de malo conſilio in damnum proximi, & conſequenter ad reſtitutionem ex iuſtitia, quam violauit, tenetur, quia iuſtitiæ non ſatisfit, niſi per reſtitutionem factam parti leſæ, at verò ex malitia ſolum omittens obligare ad reſtitutionem, peccat contra Charitatem, vel Religionem cui ſatisfit per dolorem de peccato commiſſo. Ita noſt. *Fauent. diſt. 19. diſp. 33. cap. 2. Suar. in 3. par. Tom. 9. diſp. 32. ſect. 69. Bonac. de ſacram. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 6. Filiuc. Choninch. Rebell. & alij, quos citat, & ſequitur Diana tract. 16. Miſcell. 2. reſol. 1.* Ex quibus

Collige, Confeſſarium, qui ex inaduertentia, vel obliuione omittit circumſtantias neceſſarias interrogare, non peccare, quia facta ex inaduertentia, vel obliuione non culpabili excuſant ratione inuoluntarij à peccato, nec tenetur amplius pœnitentem monere, quia ex bona fide pœnitentis, vt dictum eſt ſupra, confeſſio fuit valida. Ita noſter *Ortiz in ſum. cap. 24. Nauar. cap. 26. num. 14. Bonacin. de ſacram. diſput. 5. quæſt. 7. Diana tract. 15. miſc. 2. reſolut. 7. part. 1.* immo addit *Filiucius* apud *Dianam*, quod ſi dimiſerit neceſſarias circumſtantias interrogare ex notabili in aduertentia, nec tenetur monere, quia iam fuit integra formaliter, & valida confeſſio.

Vtrum Sacerdoti confeſſario notoriè in peccato mortali exiſtenti liceat ſine peccato confiteri, & an eidem nolenti abſoluere ſine pecunia ſit danda, dum alius non adeſt, qui ſine pecunia abſoluat.

DIFFIC. XLVIII.

Dico primò, quod in reſpondendo ad primam partem difficultatis Doctores variant, quare affirmare videntur *Valentia Tom. 4. diſput. 7. quæſt. 1. part.* qui aliquibus adhibitis limitationibus tandem concludit poſſe cōfiteri malo miniſtro parato ad confeſſiones excipiendas, itavt nullo modo ſit cauſa eius inductionis ad confeſſionem excipiendam, dum conſtat pœnitenti illum eſſe in actuali peccato, & modo non ſit cenſura irretitus.

Ledeſma tamen magis large loquitur in *ſumm. Tom 1. cap. 6. de ſacrament. in genere dub. 13. concluſ.* 10. volens licitum eſſe Confeſſario malo, & actuali peccatori, etiam excommunicato, modo ſit ab Eccleſia toleratus, parato ad confeſſiones excipiendas confiteri abſque vllo ſcrupulo, quia licèt etiam ab Vſurario publico parato accipere pecunias ad vſuras, & in hoc caſu ait licitum eſſe, quia nullum ſcandali committit peccatum pœnitens, qui ad paratum pro omnibus accedit, nec peccat, quia fortè induceret, nam ſi paratus eſt, non inducitur.

Noſter autem *Villalob. Tom. 1. tractat. 4. diffic. 15. num. 4.* docet verum eſſe, quod pœnitens abſque peccato poſſit cum parato ad confeſſiones incipiendas, quando eſt in neceſſitate confiteri, nec alius adeſt Confeſſarius idoneus; immo noſter *Cartagena de ſacram. in genere tract. 7.* addit, quod licèt ſit alijs Confeſſarij viris probi, attamen quia improbus eſt doctior, & poteſt ſuæ conſcientiæ rectè conſulere, ſi ſit paratus, poteſt abſque ſcrupulo ab eo petere, & accipere confeſſionem; modo eius peccatum nō ſit adeo notorium, vt ſcandalum pariatur, ſi ab eo confeſſio exciperetur; Ita etiam *Cabrera de ſacram. 3. par. quæſt. 64. art. 6. diſput. 2. §. 4.* Vide *Diana 3. part. tractat. 3. reſolut. 59.* Verum qui in hac difficultate velit guſtare Scoticæ doctrinæ claritatem, vel eius accuratiſſimum ingenium admirari, videat quæ ipſe dicat *in 4. diſtinct. 5. quæſt. 2.* & videbis diſtinctiones, quæ modernioribus tribuuntur à veteribus tam Scoto, quam D. Thomæ acceptas, & tamen ferè nulli eorum datur gloria ſed glorioſe fures ſe inuicem de veterum labore commendant.

Certum eſt tamen apud omnes, quod ſi pœnitens inducat Confeſſarium in actuali peccato exiſtentem notoriè, de quo non poſſit actu conteri propter præſentem actionem, vel contumaciam, vt eius confeſſionem excipiat, dum nullo modo eſt paratus confeſſiones audire peccat mortaliter, quia eſt cauſa motiua efficiens, vt ille peccet mortaliter Sacramentum adminiſtrando, atque adeo confeſſio nulla, quia in ipſo actu confeſſionis, peccat, & ponit obicem.

Quando autem licèt ſint alij non peccatores notoriè, tamen bona fide, vel quia cognoſcit ſufficientius conſulturum ſuæ conſcientię confiteretur cum Confeſſario notoriè malo parato, nec venialiter peccat, quia rationabiliter id facit, quod ſi nullam habeat neceſſitatem, neque vtilitatem, ſed tantum ei confitetur, quia videt paratum præciſo omni contemptu, & dolo, ſolum venialiter peccare putat, *Sanchez Tom. 1. leg. 3. capit. 8. numer. 35.* Vide *Dianam 4. part. tract. 4. reſol. 21.*

Dico ſecundò, quod licèt abſolutè aliqui voluerint licitè, & ſine peccato poſſe pecuniam ei confeſſario, qui ſine pecunia non vult abſoluere dari ab eo, qui non ſperans ſe poſſe habere actum contritionis, conſtitutus eſt in articulo mortis, vel periculo. Ita *Nald. V. Confeſſ num. 24. & Henriquez, leg. 7. de baptiſ. c. 27.* attamen ſic abſolutè intellecta hæc opinio non videtur ſuadenda, nec vt probabilis amplectenda, non enim ſunt faciende mala, vt veniant bona.

Ideò cum noſtro *Subtili in 4. diſtinct. 4. quæſt. 2.* in tanto periculo ſalutis irreuocabiliter perdendæ dicendum vt ſupra de baptiſm. Difficult. XXXVI. dictum eſt etiam in ſimili caſu de nolente baptizare in articulo mortis, abſq; pecunia, dum nullus alius adeſt idoneus ad baptizandum, & vrgeat mortis periculū, quod poteſt dari pecunia ad emendum aquam illam habendo intentionem emendi eam, non vt conſecratam, ſicut poteſt vendi Calix conſecratus quoad materiam nullo modo habendo oculum ad conſecrationem, prætèrea poteſt dare pecuniā habendo oculum ad eam illi ſoluendam non pro actu ſacramentali emendo, ſed ſolum habendo oculum ad ſoluendum ei pecuniam pro mercede ſui laboris, ſicut Sacerdoti dicenti Miſſam ſoluitur pecunia pro ſuo labore, nèc obſtat ait Scotus, quod ille accipiat cum animo vendendi Sacramentum, quia mala intentio eius non poteſt petentis bonam intentionem fœdare, ita in propoſito dicendum de Confeſſario petenti pecuniam pro confeſſione excipienda, ſi nullus alius adſit, & periculum ſit in mora, poteſt dare pecuniam, habendo ſimpliciter oculum ad ſoluendum ei pecuniam pro mero ſuo labore, & patientia in audienda. Ita etiam docet *Leſſ. l. 2. c. 35. dub. 7. & Dian. nouiſſ. 5. p. tract. 3. reſolut. 29.*

Vtrum confitens cum Confeſſario valdè ignoranti bona fide, vel cum Confeſſario ſomno abſorpto inter audiendam confeſſionem teneatur reiterare confeſſiones.

DIFFIC. XLIX.

Dico primò quod certum eſt confitentem ſcienter cũ Confeſſario ignorante diſcernere inter lepram, & lepram inter veniale, & mortale, & circũſtantias peccatorum inualidè confiteri, ex eo quia dum iſte confeſſarius malè adminiſtrãt Sacramentum pœnitentiæ, dat ei occaſionem peccandi mortaliter in ipſo actu confeſſionis, vnde eius confeſſio eſſet nulla, quia poneret obicem actu mortaliter peccans, vnde ſine verò dolore omnium peccatorum accederet abſq; propoſito vitandi in futurum. Ita noſt. *Villal. in ſum. T. 1. tract. 9. diff. 68.* vbi peccare mortaliter docet Confeſſarium neſciẽtem diſcernere inter peccatum, & peccatum; ſi confeſſiones audiat, non enim poteſt ſuum officium iudicandi in confeſſione exequi.

Quod tamen limitarem niſi fortè pœnitens eſſet ita doctus, vt non indigeret ſcientia Confeſſarij, ſed ipſemet doceret eum in confeſſione diſcernere inter lepram, & lepram; tunc enim Confeſſarius non poſſet errare circa iudicium.

Dico tamen ſecundò, quod ſi pœnitens bona fide, quia ſc. dũ eſt approbatus ab Epiſcopo, creditur communiter idoneus, accedat ad Confeſſ. ignorãtem, ita vt neſciat diſcernere inter peccatum, & peccatum, & ea neſciat, quæ cõiter ſcire tenetur cõfeſſarius quilibet; noſt. *Riccard. Sylu. Caiet. & Nauar.* quos cit. & ſeq. *Boſſ. de Iubil. ſect. 3. caſ. 2. §. 5. & Petr. Ochog. de ſac. tr. 2. dub. 2. & Vaſq. in 3. p. T. 4. diſp. 93. a. 3. du. 1.* docent probabiliter talem confeſſionem eſſe inualidam, quia non adeſt cauſæ cognitio, ſententias autem data abſq; cauſæ cognitione non valet, ignorans ergo non valens cognoſcere inter peccatum veniale, & mortale ſaltem quod paſſim cõmittitur à populo, abſoluit abſq; cauſę cognitione, ergo nulla cõfeſſio, quare huiuſmodi pœnitentem, cum reſcierit talem Confeſſarium eſſe ignorãtem dicto modo, volunt prædicti DD. obligari ad iterandã confeſſionem cum ipſo factam. Væ væ pœnitentibus ſi iſta opinio eſſet omnino certa; ita vt alia contraria nõ foret probabilis, quia pleriq; pęnitentium laborarent hoc ſcrupulo, cũ pleriq; ſint cõfeſſores, faxit Dñs, vt mentiar, ignorantes omnino, ſolum per media illicita extorquentes approbationem abſq; eo quod examinentur, vel ſi examinantur, per iocum, aut per data prius pũcta memoriæ ſolum mandata examini ſubijciuntur; ſed hoc videant Ordinarij, qui circa hoc ſeueras daturi ſunt pœnas æterno Iudici, dum approbationes indiſtinctè abſque verò examine concedunt. Quare

Alij ergo aſſerunt pœnitentẽ bona fide accedentem ad confeſſarium ignorantem neſcientem diſtinguere inter lepram, & lepram, quia approbatione præcedente tenetur cõiter idoneus, non peccare, & facere confeſſionem validam, quia adeſt miniſter cum debita intẽtione, & authoritate, forma optime vt ſupponitur probata, & materia pœnitentis non ponentis obicem, ergo valida eſt confeſſio, nec peccat pœnitens, quia bona fides eum excuſat, vnde poſtquam reſcierit eius ignorantiam, non tenetur eam confeſſionem iterare. Ita noſt. *Vallal. T. 1. tra. 9. diff. 68. n. 7. & Cord. quem cit. cum D. Th. Aled. & Adr. & eos ſeq. Ioann. Valer. in diff. vtr. for. V. Nullitas diff. 6. Henr. l. 2. c. 14. §. 5. Filiuc. T. 1. tr. 1. Suar. 3. p. T. 4. diſp. 22. ſect. 7.* & alij, quos citat, & ſeq. *Dian. p. 5. tr. 14. miſcell. 2. reſol. 22.*

Ceterum iſta opinio ſic ſimpliciter intellecta, & probata nullo modo placet. Quare in hac praxis, & vtiliſsima difficultate.

Diſtinguendum puto, nam vel ignorantia Confeſſarij eſt cauſa poſitiua, vt ſententia abſolutionis ſit nulla, puta quia poſitiuè ignorat ſtatum pœnitẽtis, nec cognoſcit ex pœnitentis ipſius confeſſione, vel eſſe diſpoſitum, vel attritum, ſed indifferenter abſoluit diſpoſitum, & non diſpoſitum, vel reliquerit, vel non reliquerit occaſionem proximam peccandi, odiũ ne eradicauerit, vel adhuc perſiſtat, vel quia ignorantia eius cauſa eſt, vt indifferenter abſoluat à caſibus, & cenſuris communiter etiam reſeruatis, vt ſoleat facere paſſim aliqui ignorantes confeſſarij, apud quos libenter confluunt tam viri, quam mulieres, vt ab eis confiteatur, quia cum neſciant iudicare, non reprehẽdunt, non imponunt debitas pœnitentias, & ideo vulgo boni Confeſſarij vocantur, quia omnibus placent, nemini diſplicent, in hiſce ergo duobus caſibus, & conſimilibus, in quibus, vel ratione poteſtatis, quam non habent, indifferenter abſoluunt ex mera ignorantia, quia tenentur ſcire ex officio, & conſequenter ex iuſtitia à quibus communiter poſſunt abſoluere, & à quibus non; errat ergo non ſolum hic clauis ſcientiæ, ſed etiam poteſtatis, vel etiam quando ex ignorantia abſoluunt à peccatis, de quibus ſcire debet an pœnitens ſit bene diſpoſitus circa abſolutionem ſacramentalem, & tamen cum pœnitens non ſit bene diſpoſitus, adhuc ex ignorantia confeſſarij abſoluitur, in hoc caſu ratione materiæ nulla eſt confeſſio facta apud ignorantem Confeſſarium, quia clauis ſcientiæ dum errat in materia, & forma debita, poteſtatis clauis nihil operatur, & ita procedere puto primam opinionem, vnde cum reſcierit pœnitens talem Confeſſarium ex ignorantia inualidè vſum fuiſſe claue poteſtatis abſoluendi à quibus non poterat, vel ex ignorantia inualidè vſum fuiſſe claui ad abſoluendum peccata, de quibus non erat ſufficienter diſpoſitus, debet reiterare omnino confeſſiones apud Confeſſorem idoneum, vt benè probant rationes primæ opinionis; hęc doctrina elicitur præcipuè à noſtro Doctore *in 4. diſt. 19. ar. 1. & 2.*

At verò ſi Confeſſarius ex ignorantia ſua non errat poſitiuè contra poteſtatis clauem, nec errat poſitiuè contra formam, vel materiam ſacramenti, ſed ſolum negatiuè. i. non exercendo iudicium rectum puta, quia vel omnia mortalia putat venialia, vel venialia mortalia, vel non dat pœnitentias ſalutares iuxta peccatorum grauitatẽ, quia eam neſcit cognoſcere, vel nõ obligat ad reſtitutionem; quia neſcit eſſe obligatum, in hiſce caſibus, & ſimilibus quia errat ſolum clauis ſcientiæ negatiuè contra poteſtatis clauem, & adeſt vera materia cum ſua debita diſpoſitione, intentio miniſtri, & poteſtas, validè abſoluit ſtante bona fide pœnitentis, cui non debet nocere Confeſſarij non cognita ignorantia, quare cum reſciuerit tali ignorantia vſum fuiſſe in abſolutione ſibi danda, non tenetur reiterare, in materia tamen reſtitutionis, ſi habet dubium, conſulat doctum, & pium virum, & eius conſilium exequatur, & hoc modo intellecta ſecunda opinio optimè ratiocinatur.

Vtrum pœnitens qui cum Confeſſario habente ſolum authoritatem abſoluendi tempore aliquo determinato puta per menſem, vel annum ſi obliuiſcatur cum eo confiteri aliquod peccatum mortale citra ſuam culpam, poſſit recordatus talis peccati cum eodem confiteri, tranſacto iam termino ſuæ poteſtatis.

DIFFIC. L.

Vide infra V. Delegatus, vbi cum Naldo, & Vgol. affirmatiuam ſententiam docebo, & non ſolum quoad oblita, ſed etiam ſi Confeſſatio fuerit nulliter facta contra Sanchez, & alios, ne idem multoties repetere cogar.

Vtrum Confeſſarius licitè imponat pœnitentiam, quam vocant præſeruatiuam, & pœnitentem valeat cum iuramento obligare ad eam, & an conſuetudinarijs ſaltem differenda abſolutio.

DIFFIC. LI.

Difficultas iſta licèt pertineat ad titulum V. Pœnitentia, tamen quia paſsim controuertitur inter ſcrupuloſos Cõfeſſarios, & pœnitentes volui hic eam apponere. Quare

In hac vtiliſsima difficultate quoad primam partem alij abſolutè affirmant, vt *Suar. de Relig. T. 2. l. 3. c. 8.* & ſui ſectatores, negant alij, vt *Sanch. in ſum. T. 1. l. 3. c. 5. n. 13.* ex eo quod non ſit ſolitum imponi tales pœnitentias, neque iure aliquo probari poteſt, cui videtur adherere *Diana p. 6. tract. 6. reſol. 30.* Verum

Diſtinguendum puto, quoad primam partem poſſit ne imponi pœnitenti conſuetudinario in pœnam reincidentiæ futurę aliqua pęnitentia, quam multi præſeruatiuam vocant, nam vel peccatum conſuetudinarium dependet ab aliqua occaſione extrinſeca inducente pœnitentem infallibiliter ad peccandum, & in hoc caſu puto poſſe, & debere Confeſſarium imponere pęnam pœnitenti in caſu reincidentiæ in talem occaſionẽ, quæ infallibiliter eũ ad peccandũ trahunt, modo talis pœna ſub cõditione reincidentiæ cognoſcatur probabiliter neceſſaria ad remouendam talem occaſionem proximã peccati, & pęnitens tenetur acceptare, & exequi, quia non eſt propriè dicta pœnitẽtia præſeruatiua propter futurũ peccatũ abſolutè, ſed pertinet

ad

ad obligationem præſentem tam Confeſſarij, quàm pœnitentis de tollenda proxima occaſione peccati, quæ nullo alio modo ſperatur poſſe tolli niſi per hanc pœnitentiam ſub conditione reincidentiæ.

Quod ſi peccatum conſuetudinarium non dependeat ab extrinſeca præfata circumſtantia, ſed ab intrinſeco malo habitu, cui non poteſt occurri remedio extrinſeco, puta quia peccator conſueuit blaſphemare ex ſolo malo habito nulla circumſtantia extrinſeca eum poſitiuè, & immediatè ad blaſphemandum mouente, vel conſuetus ex malo habitu pollutionis peccatum committere, nulla extrinſeca circũſtantia eum principaliter, & immediatè mouente ad tale peccatum, nõ tenetur Confeſſar. dare pænitentiam ſub conditione reincidentię, quia occaſio proxima horum, & ſimilium peccatorum eſt pænitẽtis intrinſeca malitia, cui hic, & nunc optimè conſulitur, ſi habeat propoſitum verum de cetero non peccandi cum adiutorio Dei nec peccator tenetur acceptare, ne præceptum Dñi ſuaue, & leue fiat nimis difficile, & oneroſũ, & probabile etiam ratione fulcitur hæc ſententia, quia Confeſſarius non eſt Iudex futurorum criminum, niſi in remouenda occaſione proxima peccati, adhoc vt dicatur pænitens hic, & nunc verè diſpoſitus, ſed occaſio proxima in hiſce caſibus, & ſimilibus non dependet ab aliquo futuro euentu extrinſeco, cui conſuli non poſſit, niſi per pænitentias huiuſmodi præſeruatiuas, ſed ſolum à voluntate mala intrinſeca, quia hic, & nunc ſufficienter tollitur per propoſitum verum non amplius reincidendi cum adiutorio Dei, nec aliud iura, & Doct. proclamant, ergo non tenetur Confeſſarius in huiuſmodi caſibus, imponere tales pænitentias, nec pænitens exequi, quia non videtur rationabilis huius pænitentiæ impoſitio in hiſce, & ſimilibus caſibus; & hac diſtinctione benè intellecta poſſent conciliari opiniones præfatę ad inuicem pugnantes.

Vtrum autem Confeſſarius poſſit iuramento, vel voto aſtringere pænitentem, quandocumq; poteſt huiuſmodi pænitẽtias ritè imponere, negandum omnino mihi videtur, quia committitur periculo pænitens non ſeruandi votũ, nec iuramentũ, ſi quando adſit feruens peccandi occaſio, vel ſenſualitas, nec debent angariari pænitentes iugis aliquando inſupportabilibus, dum Dominus iugum ſuum ſuaue, & onus leue prædicat, præterquam quod ſi pænam non æſtimant impoſitam aliquando iſti pænitentes, quæ eſt corporaliter afflictiua, ſanè non æſtimabunt vinculum voti, & iuramenti, ſenſuales enim magis ſentiunt pænam corporalem, quam ſpiritualem, hinc optimè dixerunt *Sanchez, & Diana loc. cit.* non eſſe bonum conſilium voto, & iuramento aſtringere pęnitentes ad faciendam aliquam pænitentiam in caſu reincidentiæ.

Denique pro reſponſione ad vltimam partem motæ difficultatis, an ſcilicet debeat Confeſſarius recidiuum cõſuedinarium ſtatim abſoluere, an vero teneatur ei differre abſolutionem. Affirmant *Suarez loc. cit. Sayr. in c. R. l. 5. c. 5.* quando adſunt conſuetudines proximæ, quæ omnino ſunt remouendæ, & omni diligentia curandum, vt habeantur remedia opportuna ad tales occaſiones proximas remouendas, quorum vnum vtilliimum eſt, eum non ſtatim abſoluere, ſed confeſſionem ei differre per aliquot dies, vt tali medio perterritus, vel pudens factus proponat verè abſtinere, & defacto abſtineat.

At verò *Caſtrus Palaus* negat *Tom. 3. tract. 4. diſp. punct. 9.* differendam abſolutionem, quando occaſio peccati eſt intrinſeca, quia dum proponit non amplius peccare cum adiutorio Dei, iam facit, quod debet, etiamſi in alijs confeſſionibus admonitus fuiſſet, & propoſuiſſet, quia in hoc caſu nihil poteſt facere amplius pænitens, quã proponere de non peccãdo de cetero. Tu tamen intellige eſſe admodũ vtile talibus differe abſotionem, licèt non ſit omnino neceſſarium.

Vtrum Confeſſarius leuiores pænitentias, quam peccata audita exigant, poſſit imponere, ex eo, quod poſt abſolutionem dicat: Paſſio etc. & quicquid boni feceris, aut mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, & augmentum gratiæ.

DIFFIC. LII.

HÆc etiam difficultas Verbo Pœnitentia debetur, at vero hic pertractatam volui propter aliquas indifferenter pœnitentias leues cum graui cõfeſſarij, & pænitentium detrimento ſpirituali. Quare

Dico primò, quod ſatis benignè aliqui Theologi aſſeruerunt poſſe licitè Confeſſores leues paſſim imponere pęnitentias etiã pro grauibus criminibus, ſi poſt abſolutionem vtantur iſtis verbis: Paſſio Domini noſtri, &c. quicquid boni feceris, & mali ſubſtinueris ſit tibi in remiſſionem peccatorum, & augumẽtum gratiæ, & præmium vitæ æternæ: & probant, quod homines multa bona faciunt, & multa mala ſubſtinent propter amorem DEI, ergo illa poſſunt applicari in ſatisfactionem ſuorum peccatorum. Ita *Beia in reſp. p 3. caſ. 1. in fin. Homob. in exam. Eccleſ. par. 1. tract. 1. cap. 15. qu. 94. & Diana p. 3. tract. 4. reſolut. 97. licet in 6. par.* probabiliorem putet poſtea contrariam ſententiam, relicta tamen hac opinione in ſua probabilitate.

Verum hæc opinio ſic abſolutè intellecta non placet, quia videtur eſſe contra Concilij intentionem ſeſſ. 14. cap. 8. in quo ſic ad Confeſſarios impoſituros pœnitentias loquitur, (debent autem Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pænitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur) ſi ergo per illa verba appoſita ab Eccleſia poſt abſolutionẽ, quicquid boni feceris, vel mali, &c. poſſint dari leuiores pænitentiæ pro peccatis grauioribus, non minaretur Concilium Confeſſarijs leues imponentibus pro grauiſſimis peccatis tantum ſuæ conſcientiæ periculum.

Præterquam quod rationi etiam aduerſatur, quod pro grauioribus delictis leues imponantur actu pænitentiæ, ex eo, quod applicantur pænitenti per verba præfata in ſupplementum pænitentiæ ea bona, quæ facturus eſt, & mala toleranda pro amore Dei, quia vt docet *Scotus in 4. diſt. 15. qu. 1.* pœnitentiam dare cum ſit actus iuſtitiæ commutatiuæ, debent proportionari pœnæ cum culpa, non ſolum in quantitate, ſed etiam in qualitate, vnde auaro pro auaritia imponenda eleemoſina, ſuperbo oratio cum genuflexione, luxurioſo ieiunium, vel alia carnis maceratio, quod innuit Concilium illis verbis pro qualitate criminum, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones debent iniungere Confeſſarij; itaque ſi leuiores pœnitentias pro grauiſſimis imponant cum intentione applicandi eis bona opera facienda, & mala toleranda, cum dependeant à futuro euentu, & contingens ſit admodum, an ſint facienda, & toleranda, nec ſciatur, an ſint, quoad quantitatem proportionatam, nec quod qualitatem conformia, & conuenientia peccatis factis, erraret iudicium Sacerdotis non iniungendo pœnitentias certas pro grauiſſimis culpis iuxta menſuram delicti, quam rectum ſibi dictat iudicium; caueant ergo Confeſſarij leues pœnitentias pro peccatis grauiſſimis iniungere applicanda bona faciẽda, vel mala toleranda incerta pendentia ex futuro euentu admodum contingenti, ſicut enim actualem præbent pro peccatis grauiſſimis commiſſis abſolutionem, ita etiam debent actualem pænitentiam certam, conuenientem quoad qualitatem, quantum ſibi dictat æquitas, & arbitrium iuxta menſuram delicti.

In quo iudicio meminerint Confeſſarij pœnitentias, quod pœnitentiæ iniungendæ non ſolum ſint medicinales, & antidotales pro futuris cauendis, quam ſatisfactoriæ de præteritis, vt monet *Concil. Trid. loc. cit.* quare certæ, & determinatæ, & non contingentes, & incertę iuxta qualitates, & quantitates criminum imponendæ.

Dices; ergo illa verba quicquid boni feceris, quæ ab Eccleſia mandantur dici à Sacerdotibus poſt abſolutionem immediatè nihil operabantur, & fruſtra ponentur.

Reſp. quod probabiliter docet *Eminentiſſ. de Lugo* illa verba: quicquid boni feceris &c. apponi ab Eccleſia tanquam deprecatoriam ſimpliciter, non autem poteſtatiuè applicando ea tanquam ſatisfactionem ſacramentalem, quia ſicut paſſio CHRISTI, & merita Beatæ MARIÆ Virginis, & Sanctorum deprecatur ſolum Sacerdos vt pœnitenti ad augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ proficiant, ita etiam deprecatur, vt eumdem effectum pænitenti, etiam præſtent opera bona, quæ facturus eſt, vel mala, quæ toleraturus eſt.

Digitized by Google

Attamen ſuppoſita quadam doctrina *noſt. Subtiliſſimi Doctoris in 4. diſt. 19. q. 1. ad quæſt. motam diſt. 18. §. dico ergo*, vbi ſic loquitur de pænitentia ſecundum iuſtitiam danda à Confeſſario.

(Dico ergo, quod ſicut in alijs commutationibus iuſtitia commutatiua habet aliquam latitudinem, ita quod non reſpicit in commutationibus indiuiſibile, ſed medium rectæ rationis, ita iuſtitia punitiua, quæ eſt commutatiua pœnæ pro culpa non reſpicit neceſſariò gradum indiuiſibilem pœnæ correſpondentem huic culpæ, ſed eſt ibi aliqua latitudo, infra quam pæna minor non ſufficit, & vltra quam pæna maior non eſt imponenda, & extra iſtam totam latitudinem clauis citra, vel vltra ligans, errat, & tunc non immeritò, quæ ſoluitur in terris, non ſoluitur in Cælis ideſt non ratificatur, ſed intra latitudinem non errat, & ideo arbitrium ratificatur in tantum, quod quicquid imponitur intra illam latitudinem, hic oportet implere, & ſi hic non impletur, reſiduum in Purgatorio exigetur, & ſi minus impleatur, & expleatur, nihil maius exigetur in Purgatorio.

Illud autem medium in iſta latitudine poſſibile eſt homini notum eſſe per Legem Dei cum adiutorio rationis naturalis, & ideo obligatio ad hoc medium latum, & ad poſſibile homini ſine miraculo ſpeciali, & ſine cauſa, & ſine fortuna,) hæc Scotus.

Qua poſita doctrina dicendum puto ad propoſitam difficultatem, quod imponens pœnitentiam, quantum ſuo iudicio putat correſpondentem intra latitudinem correſpondentẽ pænæ debitæ pro peccato, quia multoties fit, quod talis pænitentia non perueniat ad vltimum terminum dictæ menſuræ, quia non habet tantam intellectus perſpicaciam, vt ad eum poſſit peruenire, licèt non peccet, quia intra latitudinem præfatam iuxta ſuum iudicium peccato grauiſſimo non leuiſſimam, nec leuem, ſed mediocrem non peruenientem tamen ad terminum latitudinis, nec tamen citra latitudinem dat pęnitentiam, attamen reliquum illius pœnæ, quæ non attingit ad æqualitatem menſuræ virtute clauium iuxta opinionem probabilem, nõ remittitur, quia Sacramentum per ſe non eſt inſtitutum ad remittendam totam pænam, quæ ab æterna vi ipſius commutata eſt in temporalem, remittitur ergo per ſatisfactionem impoſitam à Confeſſario proportionatam intra latitudinem, ſi attingat ad menſuram debitam, quod ſi non attingat ad menſuram debitam, vt dictum eſt.

Cenſeo probabiliter dicendum, quod Sancta Mater Eccleſia illa verba poſt abſolutionem immediatè dicenda decreuerit: Paſſio Domini, &c. quicquid boni feceris, &c. tanquam deprecatoria diuinæ miſericordiæ, vt ſua pietate dignetur per merita Paſſionis Chriſti, Virginis Matris, & Sanctorum, & opera bona peccatoris facienda acceptare in ſatisfactionem pænæ, quæ aliquando ex defectu arbitrij Confeſſarij intra latitudinem tamen pænæ debitæ non peruenit ad vltimum terminum, quæ deprecatio multum inflammare debet fideles ad facienda opera bona in hoc mundo, dum Eccleſia ipſa, vt defectui Confeſſarij, & liberationi à non ſoluenda pæna in Purgatorio conſulat, orat Deum, vt dignetur ea acceptare in remiſſionem totius pænæ, augumentum gratiæ, & præmium vitę æternæ. Vnde patet reſponſio ad argumentum, quod non fruſtra ab Eccleſia dicenda ſtatuuntur illa verba. Paſſio Domini noſtri, &c.

An verò ſecundum propoſitam doctrinam de pænitentia data infra latitudinem, non autem intra, quia Confeſſor tunc erraret, vt dictum eſt ſupra, & daretur occaſio conniuendi peccatoribus contra mentem Concilij, ad reliquum pænitentiæ ſupplementum ſacramentaliter, & vi clauium ſi applicet quicquid pænitens boni fecerit; vel mali ſubſtinuerit ad ſupplemẽtũ pręfatum pęnã totã dimittat, iudiciũ Sedis Apoſtolicę expecto, quod ſi daretur ſuperabundans eſſet pietas, & fortè non neceſſaria, dum adſunt tot theſauri Indulgentiarum, qui vileſcerent, ſi in Sacramento Pœnitentiæ omnimodam à peccatis debita pæna abſolutionem, & remiſſionem quis poſſet accipere.

Cæterum illud etiam certum puto in hac difficultate per difficili, & vtili, quod ſi Confeſſarius poſt datam certam pænitentiam intra latitudinem tamen debitæ menſuræ dubitans, an ad terminum etiam intra latitudinem in danda pænitentia peruenerit, poterit aliqua bona, quę ſolet determinatè facere ex ſua deuotione, non autem voto applicare ſacramentaliter per ſupplementum vſque ad terminum æqualem Deo cognitum.

Vtrum confeſſio ita neceſſario ſit facienda Sacerdoti, vt etiam in neceſſitate inualida ſit, ſi facta fuerit laico, & an plectendus, ſi temerè audiat, & abſoluat laicus.

DIFFIC. LIII.

Dico primò, quod confeſſionis Sacramentalis Miniſter neceſſario eſt Sacerdos iuriſdictionem habens ab Ordinario præter mortis articulum, in quo quilibet Sacerdos poteſt abſoluere, ſicut ſtatuit *Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. & 7.* contra Huſſitas, Vuicleſſitas, Lutheranos, & Valdenſes, qui impiè, & irrationabiliter putarunt authoritatem abſoluendi, *Matth. 18. & Ioan. 20.* datã fuiſſe à Chriſto ſingulis Chriſtianis indifferenter, & promiſcue, ita vt per illa verba, quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt alligata, & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis, quiuis Chriſtianus habeat poteſtatem abſoluẽdi, & remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieuerit, ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam, quam hæreticorum impietatem damnat *Concil. Trid. loc. cit. & Concilium Conſtantienſe in Bulla Martini V.* Apoſtolis enim vt Sacerdotes erant, & conſequenter Sacerdotibus eorum ſucceſſoribus, conceſſam fuiſſe talem authoritatem Catholicorum primæuæ Eccleſiæ patrum praxis, & vniuerſalis Catholicę Eccleſiæ traditio comprobauit, & comprobat; Ita communiter Theologi. Quare

Dico ſecundò, quod confeſſio nullo modo, & nulla de cauſa fieri laico etiam in extrema neceſſitate periculi, vel articuli mortis debet, ad finem, vt ſacramentaliter ab ipſo abſoluatur, & licèt *D. Thom. in ſuppl. q. 8. ar. 1. noſtri D. Bonau. in 4. diſt. 17. q. 1. a. 1. Alenſ. 4. p. q. 19. membr. 1. n. 1. Nauar. c. 1. de pænit. dub. 6. n. 72.* aſſerant, confeſſionem factam laico prudenti non propter abſolutionem, ſed propter meritoriam verecundiam, vel conſilij accipiendi non improbandam.

Attamen Scotus nec neceſſarium, nec vtile putat, cum tam verecundiam, quam conſilium alio modo, quam ſub ſpecie confeſſionis poſſit habere pænitens, non tamen hoc abſolutè in quolibet caſu reprobat noſter Subtilis, vt falſò ſicut ſæpè ſolet ei impingit *Fauſtus l. 6. q. 29. de pænit.* nam Scotus hiſce verbis in hac materia loquitur (quid igitur de malefactoribus damnatis confitentibus laicis? Reſpondeo, ſimplicitas eos excuſat, ne in hoc peccent, & humilitas eorum eſt meritoria eis pro quanto volunt illud, quod pertinet ad Sacramentum pænitentiæ, ſupplere, ſicut poſſunt, ſed viro diſcreto, qui bene ſciret, ad quid confeſſio eſt inſtituta, nec fortè vtile foret, nec ſine fortè neceſſarium ſaltem confeſſionem facere) ex quibus patet intentio Scoti, quod ſimplicibus ſtante bona fide poſſet eſſe meritoria, viro autem diſcreto, dubitat an fortè vtilis, neceſſariam tamen eſſe abſolutè negat. Verum

Dico tertiò, quod laicus audiens ſacramentaliter confeſſiones fingendo ſe Sacerdotem, hodie punitur in Tribunali Sancti Officij, ex conſtitutionibus Gregorij XIII. Pauli IV. Sixti V. Clem. VIII. & Vrbani VIII. qui, etiam ſi minores fuerint viginti quinque annis, addit poſſe puniri eos laicos, & quoſcumque non Sacerdotes audientes, & abſoluentes ſacramentaliter. Vide *Barboſ. de poteſt. Epiſc. par. 3. allegat.* 110. *& Diana par. 4. tract. 3. reſolut.* 11. an vero ſi audiat, & non abſoluat laicus, vel Eccleſiaſticus non Sacerdos ſubdatur pænis Sancti Officij taxatis in dictis bullis negant noſter *Rodriq. & Sancius apud Dianam in p. tractat. 4. reſolut. 16. & Sanctarell. de hæreſ. cap. 42. dub.* 11. Affirmant tamen *Souſa in Aphor. inquiſ. l. 1. cap. 33. & Freirus in addit. nouiſſ. de Confeſſor. ſollicit. quæſt.* 13. verum cum pænæ ſint reſtringendæ, & verè non auſus fuerit abſoluere propter reuerentiam Sacramenti, non credo, quod ſubdatur, ſanè ſubdi cenſerem, ſi abſolutio ex aliquo alio impedimento non ſequeretur, quam daturus eſſet, ſi impedimento præoccupatus non fuiſſet.

Vtrum verò laicus confeſſiones audens ſacramentaliter ſuſcipere, teneatur ad ſigillum, præter id, quod patere poteſt ex Doctrina Scoti ſupra allata, videbitur ſuo loco. V. Sigillum.

Vtrum

Vtrum quilibet Sacerdos ſimplex non approbatus ab ordinario poſſit à venialibus, & ab excommunicatione minori validè, & licitè abſoluere.

DIFFIC. LIV.

DIco primò, quod licet probabiliter *D.Thom. in 4.diſt. 18.quæſt. 2.art.3.Nauar.cap.4.num.6.Suar.T.4. diſtin. 26.ſect.5.Vaſquez quæſt.97 art.1.Bonac.diſp.5. quæſt.7.punct. 1.* & alij Moderniores præcipuè affirment ex eo, quod æquum ſuit habentem excellentiſſimam poteſtatem abſque alia approbatione in corpus Chriſti verum, & reale, habeat quoque hanc poteſtatem abſque alia approbatione in corpus Chriſti miſticum quoad culpas veniales, immo addunt aliqui, quoad culpas mortales alias ritè confeſſas, attamen vt ipſe fatetur *Nauar. in cap.placuit de pænit.lib.6.num.*22. hæc opinio in Eccleſia Dei non practicatur, vnde putat Sacerdotem ſimplicem abſoluentem à venialibus peccare ſaltem venialiter, & nullam facere abſolutionem, & hiſce formalibus verbis loquitur hic doctor ſapiens loco nunc citato (ego nullibi legi, nec ipſi legerunt, nec video nunc in vſu hanc conſuetudinem, vt Sacerdos non admiſſus ab ordinario, abſoluat etiam à venialibus, imo puto, ſaluo ſemper meliori iudicio, quod ſi quis attentaret, nihil faceret, & peccaret ſaltem venialiter,) hæc Nauarrus, quem ſequitur *noſter Faventinus in 4. diſtinct.17. diſput.25. cap.3. num.*71. contra quoſdam Neotericos putátes hanc conſuetudinem eſſe ordinariam in Eccleſia Dei, vt Sacerdotes ſimplices abſoluant à venialibus.

Ceterum quia venialia non ſunt materia neceſſaria abſolutionis, & poſſunt alijs Sacramentalibus expiari, non requiritur ad eorum abſolutionem poteſtas iuriſdictionis, & conſequenter puto per ſimplicem poteſtatem ordinis poſſe quemlibet Sacerdotem ab illis abſoluere, ſicut à peccatis alias ritè confeſſis, & abſolutis, non conſulerem tamen, vt confeſſionali publicè ſe exponeret ad præfata abſoluendum, cum loca illa pro approbatis ponantur, & poſſent ordinarii procedere in foro fori contra Sacerdotem ſimplicem audientem confeſſionem venialium in publico loco, cum verè hæc conſuetudo non videatur practicari, & præſumptio eſt non leuis, quod etiam a mortalibus abſoluat.

Dico ſecundò, quod licet *noſter Miranda parte 1.man. Prælat.quæſt.47.art.10. Petrus à Soto lect.4. de excomm. Coninch.T.2.de excomm. diſput.14. Molfeſ. tract.7. c.15.* probabiliter negent, Sacerdotem non approbatum non poſſe abſoluere ab excommunicatione minori, quia ad huius abſolutionem volunt requiri iuriſdictionem, attamen *D.Th. vbi ſupra, Armilla V. Abſolutio, Tolet.l.1.cap.27. n.4.* & alij cum velint æquiparari excommunicationem minorem veniali, ſicut à veniali abſque iuriſdictione poteſt abſoluere ſimplex Sacerdos, ita etiam ab excommunicatione minori.

Verum ſi excommunicatio minor ſit materia neceſſaria Sacramenti, nec poſſet abſolui regulariter, niſi per iuridicã abſolutionem, ſanè conceſſa requiritur iuriſdictio. Vide infra V. Excommunic. vnde non poſſe abſolui a ſimplici Sacerdote, probabilius cum prima opinione dicendum.

Vtrum Parochus poſſit abſoluere Sacramentaliter ſuos ſubditos extra diæceſim proprij Epiſcopi, & quid dicendum de Regularibus, & alijs admiſſis ab Epiſcopo, vtrum ſubditos Epiſcopi approbantis poſſit extra ſuam diæceſim, & an Regulares non approbati ab Epiſcopo ſuis familiares Conuentus abſoluere validè valeant.

DIFFIC. LV.

DIco primò, quod cum auctoritas audiendi Sacramentaliuer confeſſiones ſit terminata immediatè ad perſonas, hinc eſt, quod Parochus ſuos ſubditos poteſt audire, & abſoluere tam in proprio, quam in alieno Territorio, immo etiam extra Territorium propriæ Diæceſis, iuriſdictio enim hæc eſt fauorabilis in ſalutem animarum data, amplianda eſt, quare cum in *c.omnis vtriuſque ſex.* vbi habetur, confeſſionem faciendam eſſe proprio Sacerdoti, non fiat mentio loci, & Territorij determinati non eſt reſtringenda.

Immo cum Regularis approbatus ab ordinario æquiparetur Parocho in hoc munere, etiam dicitur proprius pænitentis Sacerdos, quare communiter Theologi aſſerũt, quod poſſit etiam pænitentes illius diæceſis a cuius Epiſcopo fuit approbatus, audire confeſſiones in quocumque loco, & Territorio eos inuenerit, ſicut poſſet Parochus proprius, nam in *Clem.dudum* Papa confeſſarios regulares approbatos ab ordinario facit pares, & æquales Plebanis, & Parochis, vnde Regulares confeſſarios approbatos ab Epiſcopo proprios Sacerdotes pænitentium illius Diæceſis, iure contendunt *noſter Fauentinus in 4.diſt.17.diſp.25.num.80. Sanchez diſput. 25.ſect.1.in ſum.T.1.Tolet.l.3.cap.13.Victorell.n.151.& Bonac. de Sacr. pæn.diſp.5. q.7.p.2.*

Dico ſecundò, quod licet *Suarez 3.par. T.4. diſp.28.ſect. 6.& 7. Sanch. de Matrim.1. l.3. diſput.34. Megala in p.p. c. 7.& c.9. Gomez in expl.B.Cruc.clauſ.10. & Henriquez l.6. cap.6. l.7. cap.1.* velint, quod etiam quilibet Sacerdos ſæcularis approbatus ab Epiſcopo, poſſit ſubditos talis Epiſcopi in omni loco etiam extra eius Diæceſim audire, & abſoluere, ſicut Parochus proprius ex eo, quia eius iuriſdictio non ſit terminata ad locum, ſed ad perſonas, ſicut iuriſdictio voluntaria poteſt exerceri à quocumque illam habente extra proprium Territorium, vt patet *ex leg. prima ff. de offic. pro conſ.*

Attamen probabilius negant alij, quia confeſſarius ſæcularis eſt ſolum delegatus in audiendis confeſſionibus, nec eleuntur ad ſpecialem prærogatiuam, vt Parochis æquiparentur, vnde non poſſunt dici proprij Sacerdotes, & conſequenter eorum iuriſdictio delegata terminatur ad perſonas in Territorio delegantis, quare cum delegatus etiam Eccleſiæ Romanæ non poſſit ſubditum ſuum abſoluere ab excommunicatione extra prouinciam ſibi decretam, quia iuriſdictio delegata terminatur territorio, vt docetur *in c.penult.de offic.deleg.* ſequitur, quod confeſſarius ſæcularis non poſſit extra Territorium Epiſcopi approbantis abſoluere eius Diæceſanos pænitentes. Ita *noſter Sorb. in comped. priuil.V.Confeſſio, & Zerola,* quos citat etiam, & ſequitur *Garzias de benef. T.1.p.1. cap.8. num.132. & Guttier. qq. can.1. c.27.* & licet primæ opinionis Auctores non improbabiliter explicent, delegatum quoad forum contentioſum externum non poſſe extra proprium Territorium abſoluere, bene tamen quoad forum internum, tamen probabilius eſt, quod nec quoad forum internum, cum hæc ſit vna ex differentijs iuriſdictionis ordinariæ, & delegatæ, quod illa, quoad perſonas ſibi ſubiectas ſemper ordinarius vtitur in quocumque loco in foro interiori, hęc vero ſolum in Territorio delegantus eſt terminata quoad vtrumque.

Ceterum priorem opinionem poſſe etiam practicari validè puto ex ea ratione, quia in c.omnis vtriuſque, dum dicitur, quod confeſſio facienda eſt proprio Sacerdoti, ideſt non alieno, ſed ab Epiſcopo approbato, vnde cum ibi non determinatur locus, poterit dici probabiliter, quod, & ipſi ſint proprij Sacerdotes, & vtique pænitentes Epiſcopi approbantis poſſint abſoluere, probabilius tamen abſtineant, & niſi graui de cauſa prima opinione vtantur. Nota tamen, quod prædicti opiniones ſuſtineri non poſſent, ſi Epiſcopus conceſſerit auctoritatem abſoluendi à peccatis ſuos ſubditos in ſua Dięceſi tantum.

Verum hodie, ſi authenticũ ſit ſac.congregationis decretum in vna Cremonenſi 22. Maii 1610. non poſſunt Regulares audire confeſſiones ſubditorum Epiſcopi approbantis extra ſuam dięceſim, an id ſimpliciter in dicto decreto eis prohibeatur, an vero ſub inualiditatis pęna, ibi non ſit mentio, quare tutius abſtinendum.

Dico vltimo, quod cõfeſſarij Regulares a ſuis ſolum Prælatis Regularibus approbari poſſunt abſque licentia Epiſcopi in ſuis Collegijs, & Monaſterijs, in quibus inſtituta Regularia ſeruantur audire confeſſiones ſæcularium, qui ſunt verè de familia conuentuum, & monaſteriorum, eoſq; à peccatis abſoluere modo ſint actu Regularium commenſales, & familiares, non autem eorum ſęcularium qui ſolum inſeruiunt monaſteriis. Ita declarauit Sacra Congreg. apud *Armentar. in addit.leg. Nauar. l.2.tit.18. l.7. de Relig. nu.33. Nouar. luc.Reg.V.Confeſſio n.15.Lezan. T.2.l.16.n.16.& Barboſ. Apoſt. dec.Collect.* 202.

Digitized by Google

Vtrum Parochus poſſit dare licentiam audiendi confeſſiones in ſua Parochia Sacerdoti approbato ſolum ab Epiſcopo aliena Diaceſis, & e contra vtrum Parochianus abſque licentia ſui Parochi poſſit valide confiteri cum alio confeſſore extra ſuam Diœceſim.

D I F F I C. LVI.

DIco primò, Parochum in propria Parochia, in caſibus, quibus nimium à multitudine ſuorum ſubditorum volentium, puta in hebdomada ſancta, & tempore Iubilei confiteri oppreſſus, & nullus ſit approbatus ab Epiſcopo proprio, vel alio ordinario, qui opem ferat, & præſentia Epiſcopi ita diſtet, vt prius tempus faciendæ confeſſionis tranſeat, quam ad Epiſcopum valeat pro licentia tranſmitti, & haberi, poſſe dare licentiam ſimplici Sacerdoti docto tamen ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum, ſtante illa neceſſitate, docent *Mancius, & Gallus Salamantica* Academiæ Theologi, quos citat, & ſequitur *Henriquez l.6.c.6.n.2.in gloſ.litt.F.& G.& Ludouicus de la Cruz in bull.Cruc.diſp.1.c.2. dub.*10.

Ceterum licet iure communi Parochi habuerint facultatem delegandi licentiam confeſſiones ſuorum ſubditorum excipiendi cuicumque Sacerdoti non approbato, vt docent *Nauar. c.placuit de pæn.diſt.6.n.140.Reginald.l.1. num.56.* & alij, attamen de iure nouo hoc ei prohibetur, cum ſolum ad Epiſcopos Sacerdotes ad confeſſiones audiẽdas approbare pertineat. *ex Concil.Trid.ſeſſ.* 23.*cap.*15. Vnde poſt examinatas rationes pro opinione præfata non inuenit rationes cogentes, nec ſine formidine ſaltem mihi ſuadentes, poſſe in talibus caſibus, Parochum dare licentiam confitendi ſuos ſubditos Sacerdoti non approbato, cum in ijs non ſit neceſsitas tanta, vt animæ irreparabile periculum occurrat, ſi multi non confiteantur, & quidem pro Iubileo non adeſt neceſsitas talis, quia dum non adeſt copia confeſſarij in vna hebdomada poterit in alia, vel faltẽ confeſſarius poterit differre confeſsionẽ, & communionẽ nõ valẽtibus tunc cõfiteri, in tempus extra Iubileum, ſi tamen detur, vt ſolet talis facultas in Iubilei bulla ſtante neceſsitate, & inopia cõfeſſarij, ſaltem Vniuerſitas iſta videns talẽ neceſsitatẽ tempore Iubilei, vt ſolent multi populi facere in Italia, quando Parochus eſt pauper, proprijs impenſis debet aduocare tẽpore opportuno confeſſarios approbatos à proprio Epiſcopo, vel ſæculares, vel Regulares, qui multitudini Sacramentũ confeſsionis patienter adminiſtrent, quod etiam ſolent tempore hebdomadæ ſanctæ quando noſcunt, non poſſe Parochum toti multitudini per ſe ſolum ſatisfacere; prærerquam quod communionis, & confeſsionis annuæ præcepti ſatisfactionem in penuria confeſſoris poteſt etiam poſt Paſcha ſuis ſubditis differre, vel dare licentiam, vt extra Parochiam confiteantur.

Itaque ſolum potius benigna ſpeculatione ratiocinantes, quam practica ratione procedentes, videntur loqui præfatæ opinionis Doctores.

Quare communius docent Theologi, non poſſe Parochum, Sacerdotem non approbatum ab Epiſcopo exponere in ſua Parochia ad audiendas confeſsiones ſuorum ſubditorum; vt probant *noſter Fauent. in 4. diſt.17. quæſt.vn. diſp.25. Suarez 3.parte T.4.diſput.28.ſect.4.Bonacina de Sacram.pænitent. diſp.5. q.7.punct.4.*

Dices in præfatis caſibus licere Parocho dare licentiam confitendi ex ratihabitione Epiſcopi, quem certo ſcit in tali neceſsitate ratihabiturum talem licentiam.

Verum ratihabitio de futuro non dat iuriſdictionem, ſed ſolum ratihabitio de præſenti, vt dicemus infra fuſius cum Doctorum communiori.

Dices ſecundò, ſaltem per Epicheiam in tali neceſsitate Parochus poterit diſpenſare in danda hæc licentia.

Attamen Epicheia non dat iuriſdictionem, quando hæc requiritur ad faciendum actum eſſentialiter ſubſiſtentem, vt dicetur ſuo loco.

Dico tamen ſecundò, quod ſpeculatina probabilitate poteſt ſuſtineri, parochum in propria parochia poſſe dare licentiam Sacerdoti approbato ab alieno Epiſcopo pro ſua Diæceſi, vt ſuorum ſubditorum confeſsiones audiat, non ſolum vbi adeſt conſuetudo legitimè præſcripta inter vicinos diuerſæ diæceſis Parochos, vt alter ad alterum iuxta occaſiones vocetur, & alter alteri opem ferat in confeſsionibus audiendis, verum etiam præciſa omni conſuetudine cuicumque Sacerdoti approbato à quolibet ordinario, proprio iure hanc licentiam confitendi in ſua parochia, proprium Parochum impartiri, poſſe eadem ſpeculatina probabilitate aſſerendum.

Moueor, quod Concilium Tridentinum ſolum ſtatuit, ne præsbiteri confeſsiones excipiant, ſi non fuerint Parochi, vel approbati ab Epiſcopo, nec facit mentionem, quod vnuſquiſq; à proprio Epiſcopo loci ſit approbatus, ſed ſimpliciter approbationem Epiſcopi requirit, ad hoc, vt Sacerdos actiue cõfiteri valeat, ergo cum Parochus de iure communi, vt dictum eſt ſupra, habeat poteſtatem dandi licentiam Sacerdoti in ſua parochia, etiam abſque approbatione Epiſcopi, & Concilium Tridentinum ſolum corrigat hoc ius commune, quod non poſsit Sacerdos niſi ſit approbatus ab Epiſcopo actiue confiteri, vnde per hanc correctionẽ nõ poteſt Parochus approbare ad confeſsionem audiendam, non tamen correxit in hoc, vt approbatum ab Epiſcopo non poſsit Parochus exponere in ſua Parochia, & ſubdelegare ei auctoritatem ſuam ordinariam in ſuos ſubditos, poterit vtique approbatum à quocumque Epiſcopo, proprio iure parochiali exponere ad audiendas confeſsiones ſuorum ſubditorum, delegando ei ſuam auctoritatem ordinariam parochialem. Ita *Aegid.Trullench.in B.Cruc.l.1.c.7. dub.3. n.15. & Diana 5.p. tract.12. de Indulg. reſol.47.*

Verum licet hæc opinio ſit ſpeculatiuè probabilis, attamen hodie in Italia, quod viderim, in praxi non deducitur, cum probabilior ſit contraria opinio, etenim idem eſt approbatio ad audiendas confeſsiones, ac communicatio, ſeu delegatio iuriſdictionis, quare aliquando approbat ſolum pro vno loco Epiſcopus, & non pro tota Diœceſi, aliquando pro vno genere perſonarum, & non pro alio quod idem eſt, ac dicere, dat iuriſdictionem pro vno loco, & non pro alio, pro vno genere perſonarum, & non pro alio, itaque cum non poſsit dare iuriſdictionem confitendi in aliena diæceſi, neque dicetur approbare pro aliena diæceſi, ergo approbatio requiſita à Concilio intelligenda eſt de approbatione facienda ab Epiſcopo loci pro ſua Diæceſi, ergo cum non intelligatur approbatus pro aliena Diœceſi, non poterit in ipſa vocari a Parocho ad audiendas confeſsiones ſuorum ſubditorum abſque approbatione ſui Epiſcopi, aliter confunderentur iuriſdictiones Epiſcopales, ſi non approbati ab Epiſcopis loci, ſola Parochorum licentia, poſſent indifferenter ab alijs Diæceſibus vocari ad excipiendas confeſsiones in proprijs Parochijs, & vna Epiſcopi approbatio ſufficeret ad confeſsiones audiendas in toto mundo, quod tamen in praxi falſum eſt, & poſſent Parochi, & tales confeſſores ab Epiſcopis grauiter puniri, tanquam de iuriſdictione vſurpata, & nulliter exercita; non enim omnia, quæ Theologi docent ſpeculatiuè, expedit in praxim adducere.

Dico tertiò, quod antiquitus non permittebatur, vt vnuſquiſque ad ſuum libitum confiteretur extra parochiam ſuam ſine licentia Parochi, aut Epiſcopi, hoc autem tempore, ex tacita vtriuſque licentia, vnuſquiſque non ſolum extra parochiam, ſed extra Diæceſes etiam ſua peccata validè confitetur.

Et licet *Suar.diſp.25.n.7.* velit non valere confeſsionem illius, qui data opera extra Diæceſim, & parochiam peregrinatur, vt alieno confeſſori ſua peccata confiteatur, attamen ſi prohibitio ſpecialis non adſit, vt nullus confiteatur extra Parochiam, vel Diæceſim abſque expreſſa licentia Parochi, vel Epiſcopi, quod iuſta de cauſa poſſunt facere tempore annuæ confeſsionis adimplendæ, cum legitima iam conſuetudine ſit introductum, vt vnuſquiſque in quocumque loco ſibi gratius fuerit peccata approbato confeſſario confiteatur, non eſt practicanda opinio *Suarez; Ita Filiucc.tract.7.c.7.q.9. n.*195.

Ceterum probabile eſt, quod iuſta de cauſa ſtatuatur, vt nullus ſibi ſubditus confiteatur extra Diæceſim, vel parochiã, ſemel in anno aliter inualida ſit confeſsio contra talem prohibitionem facta, vt *noſt. Miranda in man.prel. T.1.q 45. a 14. Rodr.qq.reg.T.1.q.60. a.6. Fau.diſt.17.q.vn.diſp.21.c.4. n.89. & Suar. vbi ſup.Bonac.diſp.5.q.7.p.2.Vaſq.q.93. a.1.dub.4.*& alij, probãt ex c.om vtriuſq; vbi dicitur, quod cõfeſsio annualis proprio Sacerdoti ſit facienda pro adimplemento præcepti; non poſſet tamen Parochus prohibere, quod non confiteatur Regulari approbato à proprio Epiſcopo, quia habetur tanquam proprius Sacerdos; vt ſupra dictum eſt.

Aduerte demum cum *D. Thoma in 4. diſt. 17. quæſt. 5.* peccare mortaliter Epiſcopum, vel Parochum, ſi negarent licentiam ſuis ſubditis petentibus, vt poſsint cum alieno Sacerdote appobato extra Diœceſim confiteri.

Vtrum

Vtrum cum ſpe ratihabitionis approbationis ab Epiſcopo habendæ, validè Sacerdos Confeſſiones excipiat.

DIFFIC. LVII.

RAtihabitio, vt ſuo loco, etiam dicatur, duplex à Theologis, & Canoniſtis, pro vt ad præſens ſpectat propoſitum, aſſignatur, altera ſcilicet de ſuturo, altera de præſenti; ratihabitio de futuro eſt ea abſentis voluntas, vel cõſenſus, quo aliquid factũ, vel dictũ ſuo nomine poſt notitiã eius ab ipſo expreſsè declarari, & approbari ſperatur, ita vt ratihabitio de futuro ſemper perſonam abſentis, & neſcientis aliquid ſuo nomine fieri, cum ſpe tamen, quod vel factum, vel dictum cognoſcens, ratificet, ac ſi verè ipſe mandaſſet, præſupponat. Ratihabitio autem de præſenti, eſt quando aliquid nomine, & virtute alicuius præſentis actu non mandantis, ſed cum ſpe, vt aliquo ſigno ratificet ſuo nomine validè, vel licitè adimpleri dictum, vel factum, ad quod ſuus conſenſus requiritur, ita vt ratihabitio de præſenti ſupponat ſemper perſonam præſentem, cuius nomine, vel authoritate aliquid geritur cum aliquo ſigno extrinſeco comprobantem actum, vel dictum ſua authoritate adimpleri, vnde ad ratihabitionem de præſenti requiri aliquod ſignum externum, præter taciturnitatem, & ſilentium, quo interpretetur conſenſus, & voluntas ratihabentis, docent *Menoch. l. 2. præſump. 20. n. 32.*, *Sayr. de cenſ. l. 7. cap. 14.*, *& Bonac. de pænit. Sac. diſput. 5. quæſt. 7. p. 4.* & alij.

Attamen probabilius volunt *noſter Fauent. Villalob.*, *& D. Bonauentura*, *& Riccard. apud Filiucc. infra citando*, *Sanchez l. 3. diſp. 55. num. 20.*, *Salas de leg. diſp. 23. ſect. 9.* & alij putantes, Prælatum cenſendum tacitè conſentiri, & ratũ habere, qui ſcit, & videt aliquid ſuo nomine fieri, & poteſt faciliter contradicere, & commodè prohibere, & non prohibet, & non contradicit, & hoc ſanè probabilius putant, eſſe ſignum extrinſecum ſufficiens ad habendum eius interpretatiuum conſenſum.

Dico primò, quod Sacerdos ex ratihabitione de futuro, quippe qui certo ſperet, Epiſcopum ratihabiturum aucthoritatem, qua vtitur cum hac ſpe in abſoluendo ſuos ſubditos, non abſoluit validè quia abſolutio Sacramentalis à peccatis fert ſecum immediatè ſuum effectum, nec dependet à futuro euentu, ſed quando quis, abſoluit cum ſola ſpe habendæ auctoritatis, abſolutio non poteſt habere effectum ſuum, quia verè auctoritas non adeſt, ergo adueniente fortè auctoritatis ratihabitione, iam abſolutio Sacramentalis à peccatis non poteſt amplius habere effectum ſuum, poſſet enim eſſe, quod pænitens adueniente ratihabitione non ſit diſpoſitus, & ideo abſolutio à peccatis non poteſt dari ſub conditione, quia cum requirat diſpoſitionem ſubiecti, quæ tractu temporis eſt mutabilis, non poteſt dari, niſi præſentanee, nec valet ſi dicatur, quod ratihabitio æquiparetur mandato, & retrotrahatur, nam vel hoc verum eſt in caſibus à iure expreſsis, vel actibus, in quibus conſenſus, & voluntas mandantis, non dant omnimodam ſubſiſtentiam actui, at vero in quibus actus ſua ſubſiſtentia dependet à voluntate, & conſenſu immediatè non retrotrahitur, quia iam actus non ſubſiſtit, vt licitè ergo aliquid fiat, poteſt ratihabitio de futuro aliquid operari, vt actus dicatur licitè factus, adueniente conſenſu neceſſario, at vero vt aliquid validè fiat, non poteſt ratihabitio de futuro aliquid operari, cum iam actus adueniente ratihabitione ſit inualidus, & nullus. Ita *Angel. noſter V. Conſentire num. 4. §. quinto requiritur*, *Nauar. c. 9. num. 5. & c. placuit n. 105.*, *Sylu. V. Confeſſio 1. quæſt. 6.*, *Sanch. l. 6. de Matr. diſp. 35.*, *Reginald. l. 1. n. 70.*, *Henriq. l. 6. c. 13.*, *& Bonac. loc. citato*; itaque abſolutio, vt validè fiat, cum requirat in ſua eſſentialitate iuriſdictionem cum ſola ratihabitione dari non poteſt, vnde per mandatum non retrotrahitur; quicquid *Capreolus*, *& alij contrarium* ſenſerint.

Dico ſecundò, quod ratihabitio de futuro tempore ſcilicet quo cognoſcit Sacerdos, quod Epiſcopus ſcit, ſe confeſsiones audire, neſcit autem an conſenſerit, nec dat ei iuriſdictionem ad validè excipiendas confeſsiones, dum neſcit, Epiſcopus an conſenſerit, nec ne, poteſt enim eſſe, quod Epiſcopus nolit conſenſum, & iuriſdictionem præbere; Verum eſt tamen, quod ſi pro illo tempore Epiſcopus conſentiat aliquo ſigno externo, licet abſens ſit, conſenſus tamen poteſt haberi pro præſenti, & abſolutio per ratihabitionem de præſenti valida eſt, quia iam per conſenſum Epiſcopi abſentis in hoc tempore, quo abſolutio impenditur, non amplius dicitur ratihabitio de futuro, ſed de præſenti. Ita etiam *Coninch. de pænit. diſp. 8. dub. 5.*, *Suar. diſp. 26. ſect. 2.*, *Reginald. lib. 5.*, *& Bonac. loc. citato*.

Dico tertiò, quod ſatis probabile videtur, Epiſcopum videntem ſuum familiarem audientem Confeſſionem abſque ſua expreſſa licentia, nec prohibet, cum facilè poſſit, nec tamen aliquo externo ſigno ratificat, ſed tacens permittit, ratihabere de præſenti talem abſolutionem, & conſequenter eſſe validam, quia tale ſilentium dicit veram ratihabitionem de præſenti, quæ mandato æquiparatur, & in hac re præſumitur Epiſcopus liberalis cum tali Sacerdote, immo præſumitur nolle eum priuare, & facere actum nullum. Ita *noſt. Fauent. diſt. 17. diſput. 25.*, *& Villalob. in ſum. T. 1. tract. 9. diffic. 51.*, *& D. Bonauent.*, *Ricard.*, *Sylu.*, *& Medina*, quos citat, & ſequitur *Filiucc. T. 1. tract. 7. c. 9.* putantes eſſe ſatis ſignum ſufficiens conſenſus, ſi non prohibet Epiſcopus, cum poſſit, & debeat, Ita etiam *Henriquez l. 6. cap. 13.*, *Reginald. n. 173.*, *Sanch. l. 3. diſp. 35. num. 20.*, *& Salas de legibus diſput. 20. ſect. 9.* probabiliter in quam quia Superior præſens poteſt commodè, & faciliter prohibere excipientem Confeſſiones, dum expreſsè non prohibet eum abſoluere, videtur confidentia, quam habet ſecum de tali approbatione, ſuum actualem præſtare conſenſum, ad eſt enim ſufficienter eius interpretatiuus conſenſus, dum poteſt, & tenetur impedire, nec impedit, nec prohibet, nec contradicit vllo modo.

At vero alij fortè tutius, ſed non probabilius putant, requiri, vt Prælatus ſigno aliquo externo ratum habeat Confeſſiones excipientis actũ, vnde volunt non ſufficere ſilentiũ, & non prohibere etiam ſi commode poteſt, quia qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur, tum quia forte poteſt præſumi à Prælato, quod audiat Confeſſiones eius, qui non habet materiam neceſſariam, dum abſque ſua authoritate audit Confeſſionem, vel quod aliunde poteſtatem habeat, licet ſibi non manifeſtatam. Ita *Suar.*, *Coninch.*, *& Bonac.* & alij loq. citato.

Itaque ratihabitionem de præſenti aliquo ſigno etiam ſilentij, & non contradictionis, cum poſſet commodè, & faciliter contradicere, validè actum efficere abſolutionis eſt probabilius, licet tutius eſſet expectare aliquod ſignum magis externum in re tanti momenti.

Vtrum pænitens qui extra Confeſſionem commiſit peccatum aliquod graue coram Confeſſario, ſi illud poſtea etiam in Confeſſione interrogatus reticeat, & nolit confiteri, ſit repellendus; quid ſi ex Confeſſione complicis ſciat peccatum, an abſoluendus, ſi reticeat.

DIFFIC. LVIII.

LIcet in hac difficultate aliqui abſolute velint quoad primam partem difficultatis repellendum reticentem pænitentem peccatum in confeſſione, quod coram Confeſſore extra Confeſſionem commiſit; Attamen

Diſtinguendum puto, nam vel pænitens poteſt ſuſpicari cum alio idoneo illum confeſſum fuiſſe, & ſic reticens non debet repelli, quia non tenetur etiam interrogatus dicere peccatum alias ritè confeſſum, ſimiliter ſi pęnitens poſſit exiſtimari, vel ſuſpicari, quod de tali peccato habeat obliuionem inuincibilem, & aſſerat ſe vere non recordari, tale peccatum perpetraſſe, maximè ſi fortè per inaduertentiam inculpabilem, vel primum motum alicuius vehemẽtis paſſionis, aut in ebrietate fuiſſet perpetratũ, tũc attendere poteſt diligens Confeſſarius, an vere adſit dolus in negando peccatum coram ſe factum, etenim ſi obliuionem inuincibilem ex aliquo prædictorum non ſuſpicetur, & colligat, pœnitentem negare dolosè, & ex indiſpoſitione, quam habet ad non confitendum tale peccatum, debet eum repellere, quia peccatet, dando abſolutionem indigno ponenti obicem, & iniuriam Sacramento facienti; quod ſi pænitens obliuionem inuincibilem opponat, tunc interrogandus, an pœniteret, ſi commiſſum fuiſſet, & dolorem ſe habere dicat de eo, quandocumque illud commiſiſſet, eſt abſoluendus, quia verè eſt diſpoſitus, & ſicut conditionatè illud confitetur, & deteſtatur, ita etiam ſi verè recorda-

corda-

cordaretur, abſolutè confiteretur, & deteſtaretur.

Ad ſecundam vero partem diceodam puto, quod ſi pœnitens reticeat delictum, quod ex complicis confeſſione certo ſcit commiſiſſe, tunc Confeſſarius prudenter interroget in genere, num habeat conſcientiam alterius peccati, immo an tale delictum io particulati etiam ſub diuerſis finibus ita diſcretè ioterroget, vt nequeat in cognitionem venire, ſe à complice eius notitiam habuiſſe; ſemper enim Confeſſarius ſigillum confeſſionis debet reddere tutum, & inſuſpicabile, quod ſi hac diligentia præhabita, adhuc pœnitens neget, ſe tale peccatum comiſiſſe, teoetur cooſeſſarius abſolutionem dare, quia vel debet præſupponere pœnitentem habere legitimã cauſam non confitendi illud peccatum, aut complicem deceptum fuiſſe. Ita *Lazarius can. 99. tract. de monil. ſect. 2. quæſt. 17.*, *Henriq. l. 6. cap. 20.*, *& Bonac. de pœn. diſput. 5. quæſt. 6. ſect. 5. p. vlt.*

Vtrum Confeſſio facta cum Sacerdote, qui cum falſa Ordinarij licentia confeſſiones excipiebat, ſit tanquam inualida reiteranda.

DIFFIC. LIX.

TVtior ſanè affirmatiua opinio, & ante factum conſulenda, & docent eam communius Theologi ſcilicet iterandam tanquam inualidam confeſſionem factam cum excipiente confeſsiones cum falſa ordinarij approbatione, ex eo quia hic non adeſt titulus coloratus, quia à poteſtatem habente nullus traditur, nec etiã inualidè, titulus, ſed à ſemet ipſo falſam ſibi facit licentiam confitendi; errorem autem communem dare iuriſdictionẽ in foro poli ex nullo iure collig, nec in alia ratione probabili inniti poteſt; nam, vt notat *noſt. Hungarell. V. Errare ſchol. 6.*, quod licet error communis faciat ius, quo ad forum contentioſum, non tamen, quo ad forum conſcientiæ, *ex gloſ. c. ecce ego diſt. 95. in verum error*, & procedere, ait, poſſe, quod error communis aliquando det iuriſdictiooem in ceteris, at vero nullo modo in dependentibus ab ordine, & Sacramentorum confectione; in hiſce enim attenditur veritas, non opinio, vt docet *Panormit. apoſtolicam de presbit. non baptiz.* Ita etiam communiter recentiores, quos citat, & ſequitur *Homobon. p. 1. tract. 15. cap. 1. q. 20.*, *Reginald. in praxi l. 1. cap. 8.*, *Sanch. de Matrimon. T. 1. l. 3. diſput. 22. q. 2.*, *Megala p. 1. l. 5. c. 19. & alij, &c.*

Negatiuam tamen docet *Molfeſ. in ſumm. T. 1. tract. 7. cap. 15.* *Baſil. Pont. de matrimon. l. 5. cap. 20.*, *Sanchez in ſelect. diſp. 4. & Diana p. 3. tract. 4. de Sacram. reſol. 122.*, *& tract. 82. Miſcell. reſol. 45.* vbi hanc opinionem vocat nouam, ſed probabilem.

Ego tameo non audeo eius probabilitati ſubſcribere, quia nulla nec cogens, nec vt tantillum pro ea ſuaſiua ratio meo ſe ſe offert intellectui, immo ſi quæ ratio poſſet quid minimum qoietare, tamen magoum damnum, quod in Eccleſia Dei huius opioionis probabilitas ſi admittator, eſt paritura, omnino eam infirmam, & improbandam ſolida iudicij trutina ponderanti mihi demonſtrat; poſſet enim vnuſquiſque malus Sacerdos ex hac opinione impelli cum falſo reſcripto Epiſcopi, hinc inde ad quæſtum, & lucrum ſuum, ad ſe ſe exponendum Confeſsionibus in locis diſtantibus præcipuè à reſidentia Epiſcopi, parum ſuæ conſcientiæ conſulere propter auaritiam curans, certus ex hac opinione, quod animæ fidelium, quibus abſolutionem præſtat effectum eius conſecuntur, quia error communis dat iuriſdictionem; poſſet enim ex hac opinione facinoroſi Sacerdotes falſas ſibi dimiſſorias facere, & celebrare, putantes, quod error communis dat ſibi poteſtatem ſuper Corpus verum Chriſti, ſicut ſuper Corpus miſticum per veram abſolutionem, licet multa re vera ſit inter vtrumque diſparitas, quam facinoroſi, vt plurimum ignorantes, neſciunt, ſed an aliquo in caſu hæc opinio poſt factum admittenda, vide ioſra V. Error.

Nec valet, ſi dicatur, quod bona fides pœnitentis reddit validam Confeſſionem, nam bona fides non poteſt eſſentialiter requiſitum ſupplere in Sacramentis, vt patet de baptizante abſque intentione babtizandi, fides enim bona in hoc caſu ſolum operari de congruo poteſt, vt, ſi pœnitens quanta maiori potuerit diligentia, ſecutus internum Dei mouentis auxilium ad ſua peccata coofitenda ſe diſpoſuerit, & actu confiteatur, ſi reſpectu defectus Confeſſarij de attrito, non potuerit fieri contritus virtute clauium, Deus dignetur tunc, vel alia occaſione præbere ſuorum delictorum contritionem perfectam, & ſic suppleretur defectus falſi Confeſſarij, &c.

Quare omnino tutius, & probabilius cum prima praticandum, Confeſſionem ſcilicet factum cum Confeſſario falſo, poſtquam pœnitens reſcierit, reiterandam.

Vtrum confeſſarius cognoſcens pœnitentem bona fide in aliquo graui peccato ignoranter detineri, de quo admonitus, vix, aut nullo modo ſe emendare poſſet, an relinquendus ſub bona ſua fide.

DIFFIC. LX.

DIcendum, quod Confeſſarius cognoſcens pœnitentem laborare ignorantia inuincibili in aliquo peccato, in quo bona fide detinetur, quod tamen ſi ſciret peccatum, nec adhuc poſſet, vel ſaltem vix emendare, non debet eum monere, ſed ſub bona fide relinquere ad maius malum vitandum, vt poſſet eſſe caſus practicus in petitiooe debiti prohibita ſibi ratione voti ante ouptias facti de caſtitate ſeruanda, quod neſcit inuiucibiliter pœnitens prohibere petitionem debiti, & ſi ſciret, aot nullo modo, aut vix ſe poſſet à tali petitione cohibere; ita etiam caſus practicus poteſt eſſe, ſi alter coniugum commiſiſſet inceſtum, & neſciret inuincibiliter propter affinitatem ſubortam, à petitione debiti ſibi abſtinendum, à quo tamen vix, aut nullo modo ſe poſſet cohibere; ſimiliter poteſt eſſe caſus practicus in materia reſtitutionis, ſi quis enim bona fide aliena poſſideret, ignorans inuincibiliter ſe reſtitutiooi obnoxium, & ſi admoneretur, nulla ſperaretur reſtitutio facienda, ſed potius præuideret rixas, contentiones, & animi inquietudinem ſecutura abſque ſpe fructus ſpiritualis, in hiſce inquam, & conſimilibus caſibus non tenetur pœnitentem admonere, niſi generaliter, & cum diſcreta circumloeutione, in particulari autem caſu nullo modo, vt colligitur *ex D. Auguſtino homil. 41.*; ſi ſcirem tibi oon prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Ita *noſter Ang. V. Confeſſio 4. §. 10.*, *Villalob. in ſum. T. 1. tract. 9. diffic. 70.*, *Layman. l. 5. tract. 6. cap 13.*, qui citat *Adrianum*, *Sotum*, *Medinam*, *& Nauarrum pro hac opinione*; Ita etiam *Suar. 3. p. diſp. 32.*, *& Sanchez de matrim. l. 2. diſp. 38.*

Placet tameo in hac doctrina duplex limitatio, quam adducit *noſter Angelus loc. citato*, nam tuoc vera eſſe dicitur talis doctrina, modo caſus non poſſit probari, ſi enim caſus poſſet probari, debet eum admonere, quia ex alio capite aliquando ſuum peccatum eſt cogniturus, ſi vero caſus non poteſt probari, nec ſperatur emenda, nec fructus, nec aliquando aliud malum, poteſt, immo debet relinqui in bona fide. Secundo modo Confeſſarius non ſuſpicetur probabiliter pœnitentem ignorare ignorantia craſſa, & ſupina, quia poſſet, & tenetur ſcire ſuam obligationem, & non vult ſcire; quia tunc eſſet admonendus, nec in hoc caſu ei ſuffragatur bona fides, ſed ſi verè ignorantia inuincibili errat, & admonitio iuuaret, debet eum admonere, quod ſi admonitio non iuuaret, quin potius eſſet occaſio maioris mali, concludit *noſter Angelus* iſtis verbis (ego credo, quod grauiter peccaret, reuelando, quia eſſet occaſio peccati) ex quibus

Collige cum *noſtro Villalob. loc. citato*, quod ſi quis contraxiſſet matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, quod pœnitens inuincibiliter verè ignorat, & alia via, & modo non poſſet adiuuari, petendo diſpcoſationem, quia, vel eſſet hæc notitia cauſa magni damni, & dedecoris, vel quia ſi ſciret, adhuc non eſset paratus ſeparationem facere pœnitens, debet eum Sacerdos in ſua bona fide relinquere, maximè, ſi caſus, vt ait *Angel.* non poteſt probari.

Vtrum

Vtrum confeſſor poſſit cogere pœnitentem ad denunciandum complicem ſui delicti, & an ipſe confeſſarius poſſit abſoluere complicem ſui delicti, puta fœminam cum qua concubuit, aut hominem, cum quo furatus eſt.

DIFFIC. LXI.

DIco primò, quod caſus poteſt dari in quo confeſſor tenetur obligare ad denunciandum per ſe, vel per alium complicem, ſicut eſt in caſu proditionis ciuitatis, vel Regni in manu hoſtium præcipuè nominis Chriſtiani, vnde magna mala orirentur contra bonum non ſolum temporale, ſed etiam commune ſpirituale; Item in caſibus pertinentibus ad ſanctum officium, in quibus denunciatio ſub pœna præcipitur; & in ſimilibus in quibus denunciatio iure naturali ſuadetur. Immo aduertit, & optime *Eminentiſſ. de Lugo de pœnit. diſp. 16. ſect. 8. n. 432.* quod etiam ſi pœnitens promittat per ſe, vel per alium denunciaturum complicem, poſſit iure differre abſolutionem, donec impleuerit obligationem denunciandi, quod maximè primo credo verum in caſibus, in quibus periculum eſt in mora, ſi ſtatim non reuelletur complex, & ad hoc vt imminentia mala vitentur ex ſubita delicti detectione. Secundò, quando credit probabiliter confeſſarius, pœnitentem neglecturum præceptum denunciationis, ſi abſolutionem prius acceperit.

Dico ſecundò, quod confeſſarius poteſt ſuum complicē, de delicto, quod ſimul cū eo perpetrauit, abſoluere ſi cetera adſint requiſita ad veram cōfeſſionē, puta dolor propoſitum de non peccando de cetero, & de ſatisfaciendo, Deus enim eſt, qui principaliter in Sacramento abſoluit, Sacerdos vero inſtrumentum Dei miſerentis, & cum ſit verus Iudex in illo actu à Deo conſtitutus, vt talis abſoluit complicem, cum quo vt homo peccauit, & ita ſe habet in illo actu abſoluendo complicem ſuum bene diſpoſitum, ac ſi alium non complicem abſolueret;

Quare ſpecialiter in excipienda confeſſione fœminæ, qua cum peccauit fortè confeſſarius, caueat ne tali occaſione adſit periculum incontinentiæ, quod ſi ſuſpicaretur, debet omnino abſtinere, ſi vero non adſit tale periculum, & fœmina verè dolent, habeatque propoſitum de cetero non offendendi Deum, poteſt eam validè abſoluere. Ita *noſt. Angelus V. Confeſſ. 5. §. 8. Hungarell. ibi Schol. 1. ex D. Bonauentura in 4. diſt. 19. Riccard. in 4. diſt. 18. Fauent. in 4. diſt. 17. qu. vn. diſp. 25. n. 115. Sot. in 4. diſt. 18. q. 4. art. 2. Suar. diſp. 27. ſect. 4. n. 19.* & alij &c. Vide etiam ſupra V. Concubinatus.

Vtrum pœnitens propria auctoritate ſibi pœnitentiam Sacramentaliter iniunctam poſſit commutare.

DIFFIC. LXII.

LIcet abſolutè loquendo, certum ſit pœnitentem non poſſe ſibi pœnitentiam Sacramentaliter iniunctam commutare propria auctoritate, attamen, quod vertunt in dubium Theologi, eſt, an poſſit pœnitentiam Sacramentalem in aliud opus melius, & vtilius ſuæ ſaluti, vel magis ſatisfactorium propria auctoritate ſibimet commutare.

Et licet negent probabiliter multi Doctores in melius euidenter opus poſſe ſibimet pœnitentem commutare impoſitam Sacramentaliter pœnitentiam, cum in ſe ipſum iudicis actum ferre nequeat, volunt enim requiri noui iudicij actum à Confeſſario factum ad commutandam pœnitentiam etiam in melius opus. Ita *Coninch. diſp. 10. dub. 12. de Sacram. pœnitent. Henriquez l. 5. c. 20. Reginald. T. 1. l. 7. c. 8. Sanch. T. 1. in ſumm. l. 4. c. 11. Sanchez in ſelect. diſp. 14. n. 22.* & alii &c.

Attamen *noſtri Portell. V. Pænit. Sacr. in addit. n. 6. & Villalob. T. 1. tract. 9. diffic. 79.* quos citat, & ſequitur *Diana 1. p. tract. 4. de Sacram. reſol. 13. & 1. p. Miſcell. 1. reſol. 53.* ex eo quia votum quis poteſt propria auctoritate mutare in melius euidentur opus, puta vnam Coronam in vnum diem ieiunii, ergo etiam propria auctoritate poterit commutare vnam coronam pro pœnitentia impoſitā in diē ieiunii, cum eadē ratio militare valeat vtrinque; & probabiliter quidem, quia vtrobique non adeſt commutatio auctoritatiua iuriſdictionalis, ſed auctoritas æquitatis fundata in ſuperabundanti pietate, qua quis perfectius cupit adimplere, vel Deo promiſſionem factam, vel ab homine mandatum acceptum, ita vt iſta dicatur impropriè commutatio voti, & pœnitentiæ adimpletio, hinc obligatus reddere, vel dare modium vnum hordei, det ex ſua liberalitate, vel pietate tres modios frumēti, dicetur verè adimplere obligationem, quantumuis in ſpecie hordei modium non tribuat, quia ſuperabundanter tradit, quod melius eſt. Vnde ſicut debens recipere hordei modium, nollet recipere tres modios tritici, videretur eſſe irrationabiliter inuitus, ita etiam quia Deus non poteſt præſumi irrationabiliter inuitus, acceptat opus melius pro minori promiſſo, & confeſſor etiam eſſet irrationabiliter inuitus, ſi nollet pœnitentiam paruam à ſe datam commutare, vel adimplere per opus euidenter melius propria pœnitentis volūtate, vel pietate electū. Quare ex præſūpta confeſſarij voluntate, qui etiam pœnitentiā extra Sacramentum a ſe datam commutare poteſt, vt dicemus infra, poteſt pœnitentiam in opus euidenter melius commutare pœnitens.

Quod ſi dicas cum *Henr. Regin. loc. cit.* quod non eſt eadē ratio voti, & pœnitentiæ, nam votum eſt lex à ſe poſita, pœnitentia autem ab alio impoſita non obſtat, nam ſtrictius adſtringitur vouens à lege ſibi per votum impoſita, vtpotè iure diuino obligatus deinde eam ſeruare, nec niſi a Prælatis cum cauſa legitima diſpenſari poteſt, quam pœnitentia, quæ ſolum ex præcepto confeſſoris obligat, & eam ipſemet poteſt tollere, vel alter, vt dicemus infra, & tamen præſumunt ipſi, quod Deus benedictus paruum opus, quod quis vouit, incuidenter melius commutatum à vouente accepte, & non præſument hoc de confeſſore, qui ſi eſſet inuitus, irrationabiliter inuitus dicendus, quod tamen non poteſt dici de Deo, quia ſi nollet acceptare, ipſe eſt Dominus, & illud eſt bonum, quod Deus vult, non autem eſt bonum, quia ſic volendum eſt, itaque præfata opinio omnino mihi probabilis videtur, cum nulli fiat præiudicium, & pœnitendi perfectius detur occaſio.

Vtrum Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam ab alio impoſitam.

DIFFIC. LXIII.

DIco primò, quod licet aliqui Theologi negauerint, confeſſarium poſſe commutare pœnitentiam ab alio impoſitam, ex eo quia par in parem non habet imperium, *l. ille a quo Tempeſtiuum ff. ad Trebell.* nec reuocari debet ſententia vnius Iudicis, niſi per appellationem deferatur ad ſuperiorem. *ex c. dilectus 2. de reſcript. & c. vt dilectus honor de appell. Ita Vaſq. in 3. p. T. 4. q. 94. a. 2. dub. 3. n. 8. Ledeſma in ſum. T. 1. tract. de pæn. c. 23. concl. 8. dub. 1. Nugnus in 3. p. T. 2. quæſt. 13. dub. 4. Sotus in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3.* & alii, attamen rigidè nimis.

Quare alii benignius, & probabilius aſſerunt, confeſſarium in confeſſione Sacramentali poſſe penitentiam ab alio impoſitam in aliam commutare, quia ſicut pœnitenti liberum eſt, eadem peccata ſemel confeſſa, iterum iudicio ſubmittere alterius confeſſarii, ita etiam liberum eſt iſti confeſſario ſecundo pœnitentiam priorem commutare, nec obſtat, quod par in parem non habet imperium, quia ſic nullus ſucceſſor poterit ſui prædeceſſoris æqualis præcepta tollere, vel commutare, nam licet ſucceſſor non habeat imperium in perſonam ſibi parem, habet tamen imperium in ſibi ſubditos, quibus noua præcepta imponere, & antiqua tollere poteſt, itaque confeſſarius ſecundus non vtitur imperio in priorem confeſſarium, ſed in pœnitentem, qui ſe ſuo ſubdit iudicio nouo, vnde non per appellationem pœnitens abſoluitur per ſecundum à peccatis abſolutis a primo, ſed per nouum iudicium, ex eo quia liberum eſt ei ſua peccata nouis iudiciis, quoties placuerit, ſupponere, cum vtilis multum ſit pœnitenti peccatorum multoties confeſſorum reiterata confeſſio Ita *noſter Roſella V. Confeſſio Sacram. num. 11. Villalob. in ſum. p. 1. tract. 9. dub. 79. Rodriq. in ſum. T. 1. c. 56. concl. 7. Portell. loc. cit. num. 8. Sylueſter V. Confeſſio 6. art. 4. Nauar. cap. 16. num. 22. Tolet. in ſum. l. 3. c. 11. Henriquez l. 15. de pæn. cap. 22. num. 1. Ioann. Valer. in differ. vtroq. for. V. Iuriſdictio differ. 1. Anton. Fernandez in exam. Theol. mor. parte 3. cap. 6. §. 7. num. 30. Syluin addit. ad 3. p. quæſt. 18. art. 3. dub. 4. concl.*

concl. 1., *Viuald. in candel. de ſatisfact. num.* 31., *Beia p. p. cap.* 11., *Ioann. de la Cruz in direct. conſc. p.* 2. *de pænit. q.* 4. *dub.* 4. *concl.* 2., *& Diana in p.* 1., *Miſcellan.* 1. *tract.* 15. *reſol.* 55. & alij &c.

Dico tamen ſecundò, quod Confeſſarius hic ſecundus debet pœnitentiam ab alio impoſitam omnino in Confeſsione commutare, quia extra Confeſsionem non habet in eo propter peccata, ob quæ pænitentiam pænitens habuit, iuriſdictionem, ergo cum Confeſſarius vi clauium commutet pœnitentiam, debet in pœnitente habere iuriſdictionem; ergo in Confeſsione ſolum poterit ea commutare, non autem extra, Confeſſarius autem, qui pœnitentiam impoſuit, cum iam peccata iudicauerit, acquiſiuit iam ius in pænitentem pro peccatis iam Confeſsis, etiam extra Confeſsionem poteſt illi commutare pœnitentiam. Ita communiter Doctores vide *Dianam loc. citato.*

Vtrum Confeſſarius commutaturus pœnitentiam impoſitam pœnitenti ab alio priori Confeſſario, teneatur etiam iam peccata confeſſa iterum à pœnitente audire in Confeſſione.

DIFFIC. LXIV.

VAriant in hac vtili difficultate diametraliter inter ſe ſe oppoſiti doctiſsimi Authores. Quare

Negant poſſe ſecundum Confeſſarium commutare pœnitentiam in Confeſsione priori impoſitam, non auditis iterum prioribus peccatis, ob quæ fuit impoſita, nam Confeſſarius procedit per modum iudicis in commutanda pænitentia, iudicium autem non poteſt ferri, niſi cauſa cognita. Ita *Suar. T.* 4. *diſput.* 38. *ſect.* 10., *Filiucc. T.* 1. *tract.* 8. *cap.* 2., *Coninch. de Sacram. diſp.* 10. *dub.* 12. *concl.* 3., *Vaſquez in* 3. *p. T.* 4. *q.* 94. *a.* 2. *dub.* 3., *Reginald. in praxi T.* 1. *l.* 7. *cap.* 8., *Molfeſſ. in ſumm. T.* 1. *tract.* 7. *cap.* 23., *Megala p.* 1. *l.* 6. *cap.* 5. *q.* 3., *& Fagundez de prac. Eccleſ. tract.* 2. *l.* 9. *cap.* 4. *num.* 15. 17. *&* 22.

Affirmant tamen poſſe ſecundum Confeſſarium pœnitentiam commutare in Confeſſione præterita ab alio datam abſque eo, quod illa peccata iterentur in ſecunda præſenti Confeſſione. Ita *noſtri Rodriq. in ſum. T.* 1. *cap.* 56. *concl.* 7., *Villalob. in ſum. p.* 1. *tract.* 9. *dub.* 79. *num.* 5., *Portel. V. Pænit. Sacram. in addit. num.* 8., *& Nauar. c.* 26. *num.* 22., *Tolet. in ſum. l.* 3. *cap.* 11., *Victoria in ſum. l.* 11., *Emanuel Sà V. ſatisfactio, num.* 5., *Anton. Fernand. in exam. Theol. mor. p.* 3. *cap.* 6. §. 7., *Spin. in addit. ad* 3. *p. quæſt.* 18. *art.* 3. *dub.* 4., *Henriq. in ſum. l.* 15. *de pæn. c.* 22., *Beia p. p. cap.* 15., *Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p.* 1. *de pænitent. q.* 4. *dub.* 4., *Ioann. Valer. in differ. vtr. for. V. Iuriſd. diff.* 1. *& Dian. tract.* 15., *miſc.* 1. *in p. p. reſol.* 53. & alij.

Quam opinionem non ſolum benigniorem, ſed probabiliorem puto, cum hac tamen limitatione, vt in æqualé, vel quaſi ſecundum ſuum iudicium æqualem commutet, nam in minorem, & leuiorem aliquando non poſſet, ne citra debitam latitudinem pœnitentiæ datæ eam imponat, vnde peccaret, poſſet enim pęnitentiam impoſuiſſe primus Confeſſor ita mediocrem, vt vix intra latitudinem debitæ menſuræ ſit ſufficiens, quare non audita præteritorum peccatorum confeſſione non debet ſecundus Confeſſarius in minorem, & multo leuiorem pænitentiam ab alio datam commutare, ne erret in iudicando, ſed in æqualem, vel quaſi ex æqualis ſaltem videbitur ſuo iudicio, penſatis circumſtantijs rei impoſitæ, & perſonæ qualitatis debet commutare; quod autem poſſit in æqualem, vel quaſi in æqualem commutare ſecundus Confeſſarius, non audita priori confeſſione, patet ex eo, quod dum ſimile ſequitur iudicium Confeſſarij eius, qui ea audiuit, ſecundus Confeſſarius videtur virtualiter cognoſcere peccata iam confeſſa, ſupponit enim priorem non peccaſſe in danda tali pænitentia, quæ pro talibus peccatis in tanto in circa numero præſtari conſueuit; ergo in ſimilem illi pænitentiam, vel æqualem commutans, non errat Confeſſarius ſequens iudicium prioris, ergo ſi non errat, liberatur ab onere audiendi ea iterum iam confeſſa peccata, cum ex iudicio priori formet ſufficienter ſuum nouum iudicium in commutanda pœnitentia, vnde exploditur ratio prioris Opinionis.

Præterquam quod auditis peccatis in ſecunda Confeſſione, Confeſſarius facilè poteſt noſcere ſtatum pænitentis in tali confeſſione, & facile noſcere, an grauiora, & plura commiſerit in præterita, cuius pænitentiam vult ſibi commutari, interrogandum ſaltem in communi ipſum pænitentem, & hoc tutius faciendum puto, vt in genere expoſtuletur, an plura, & grauiora recordetur, & in confeſſione præterita commiſerit, ex cuius reſponſione, facile Confeſſarius prioris confeſſionis peccatorum habebit notitiam talem, quę iuncta cum præſenti, reddet eum ita ſufficienter inſtructum de ſtatu pænitentis, vt poſſit pænitentiam abſque ſcrupulo in quaſi ſaltem æqualem commutare.

Quod ſi dicas; ergo poſſet iam datam de caſibus reſeruatis pænitentiam commutare; reſpondeo, quod licet hoc multi negent, attamen probabile eſt etiam pro reſeruatis penitentiam datam, licet ſecundus non habet poteſtatem ſuper reſeruata, poſsit tamen commutare, quia facta abſolutione legitima à reſeruatis, non remanent amplius peccata reſeruata, ergo nec pænitentia, reſeruata pro eis impoſita, maximè ſi in ſimilem, & æqualem commutet.

Ceterum ſi pænitens velit ſibi in minorem, & leuiorem pęnitentiam commutari, an ſecundus poſſit, nō audita præteritorum confeſſione, dicendum puto cum ſuperiore fundamento, quod ſufficit, vt in genere interrogetur pænitens, an in præterita, grauiora, & plura, an minora, & pauciora commiſerit, an vero eodem modo, quo in Confeſsione præſenti, ſi grauiora, & plura dicat commiſiſſe, attendat, an poſsit proportionari pœnitentiæ imponendæ de præſenti, & ita nullo modo minoranda, ſi autem excedat ſatis ad pænitentiam imponendam pro præſentibus, facile poterit alleuiare eam, & minorare ad gradum talem, vt ſemper remaneat maior, quam pœnitentia imponenda in præſenti, in qua minora, & leuiora dicit ſe commiſiſſe; æquum enim videbitur ſeruatum iudicium; ſi dum minoratur pœnitentia pro peccatis pręteritis grauioribus, & pluribus, remaneat adhuc maior pœnitentia, quæ iniungenda eſt pro peccatis præſentibus minus grauibus, & paucioribus.

Si vero dicat pœnitens, quod ſunt æqualia in illa, & in iſta commiſſa, tunc pœnitentiam imponendam à ſe pro præſentibus cum iam impoſita proportionare ſtudeat, ita vt noſcat, an ipſe ſuam poſset iuſtè minorare, ita vt non ſit leuis, ne peccet dando leuem pœnitentiam, quod ſi minorando ſuam non peccaret, iam adhuc remaneret intra latitudinem iuſta; ſi vero ab alio data ſit ſuæ conſimilis poterit eam minorare, & ſi ſit longè maior, poterit etiam alleuiare, quia ipſe ſuccedit Iudex in tali iudicio, & Iudex ſequens poteſt temperare ſententiam Iudicis antecedentis, ſi tale arbitrium habeat, ſicut certum eſt, habere Sacerdotem ſuper peccatis etiam alias confeſsis, ſi vero pœnitentia impoſita ſit minor ea, quam ipſe impoſuit, aduertat, an poſsit intra latitudinem pœnitentiæ debitæ eam alleuiare, ſi poſſet intra latitudinem alleuiare, hoc ſibi licebit, alias non poterit.

Vtrum Confeſſarius ſui pœnitentis à ſe impoſitam pænam commutare extra Confeſſionale poſt longum tempus valeat, an vero ſtatim ſolum id queat facere.

DIFFIC. LXV.

MOderniores in hac difficultate circa tempus aſsignandum, in quo Confeſſor poteſt pænitentiam à ſe impoſitam commutare extra Confeſsionem, ita multi ſunt, vt ſanè queat dici, quod quot capita, tot ſententiæ, &c.

Mezala ergo 1. *p. l.* 6. *c.* 3. *n.* 3. poſſe intra tempus mediæ horæ duntaxat extra confeſsionem commutare pænitentiam à ſe datam.

Sotus in 4. *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 3., *& Valer. in differ. vtroq. for. V. Iudex diff.* 23. *art.* 5. volunt non poſſe pænitentiam à ſe datam Confeſſarium commutare extra confeſſionem, niſi intra vnum, aut alterum diem, quia intra tantum tempus, idem videtur perſeuerare iudicium.

Hen-

Henriquez autem *l.de pænitent. cap.21. §.fin. cum Ledeſmas & Vinaldo* putat etiam intra triduum, aut hebdomadam, etiam ſi redeat pœnitens, poſse confeſsarium extra confeſſionem ei pœnitentiam commutare, idem videtur velle *Celeſtinus in comp. Theolog. moral. tract. primo cap.24. num.7.*

Ceterum, quod minus, aut maius tempus requiratur, ad hoc, vt licitè confeſsor poſſit mutare pœnitentiam extra confeſſionem ad inſtantiam pœnitentis, non video neceſsarium, cum non ſit maior ratio de tanto, quam de quanto; quare dicendum arbitror, quod pro quolibet tempore licitum eſt pœnitenti, qui iam pænitentiam nón adimpleuit, & aliqua ratione impulſus, non poteſt ſaltem ita faciliter, & commode eam adimplere, petere eam ſibi ab eodem confeſsario commutari extra confeſſionem, quia adhuc dicitur perſiſtere iudicium, quouſque ſententia ſit adimpleta, ergo dum non eſt adimpleta ſententia data pro pœnitentia adimplenda, ſemper dicitur durare iudicium apud eumdem confeſsorem, eam in alteram commutandi, & cum de facto verum ſit, & practicetur, pœnitentem poſt quantumcumque tempus poſse ſibi poſtulare commutationem pœnitentiæ, ita etiam conſequenter dicendum eſt, manere facultatem eam commutandi apud eumdem confeſsarium extra confeſſionem; Reus enim in executione, vel moderatione ſententiæ habet neceſsario relationem ad Iudicem, ſi ergo poteſt pœnitens tanquam reus petere commutationem ſententiæ circa pœnitentiam habitam poſt quodcumque tempus longum, etiam poterit confeſsor tanquam Iudex poſt quodcumque tempus etiam longum eam commutare; quod etiam ex eo confirmatur, quod partes pœnitentiæ tempore inter ſe diſtantes quantocumque, moraliter poſſunt vniri in vnum, vt ſunt confeſſiones aliquæ factæ multis & multis vicibus intra menſem etiam vniuntur moraliter in vnam abſolutionem datam in fine, ita etiam pœnitentia data pro ſatisfactione, quoad vſque impleatur, ſemper dicitur pars eiuſdem Sacramenti, ergo quoaduſque impleatur, poteſt habere reſpectum vnionis ad idem Sacramentum pœnitentiæ perficiendum, cuius pars eſt, poterit ergo idem confeſsor commutare pœnitentiam extra quodcumque tempus ſcilicet quoaduſque non ſit adimpleta etiam extra confeſſionem, cum ſemper reſpectu eius manet Iudex. Ita etiam *Eminentiſſ de Lugo de Sacram. pænitent. diſp. 25. ſect.6. num.11.*

Vtrum ad Confeſſionis validitatem ſufficiat deteſtatio ſola peccati abſque actuali propoſito vitandi peccata in futurum.

DIFFIC. LXVI.

CErtiſſimum eſt ex *Concil. Trident. ſeſſ.14. cap.4.* ad attritionem neceſsariam Sacramento pœnitentiæ validè ſuſcipiendo, requiri dolorem de peccatis commiſſis, & voluntatem excludendi peccatum, de qua ſic loquitur *Concilium loco cit.* (Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem excludat peccandi cum ſpe veniæ, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſse, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ad iuſtitiam parat, & quamuis ſine Sacramento pænitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pænitentię impetrandam diſponit) ex quibus clarè patet, quod cum deteſtatione peccati in attritione neceſsaria ad confeſsionem, neceſsario requiritur ex *Concil.* voluntas excludens peccatum, in Canone porrò ſcilicet, loquens de eadem attritione, explicans, quid velit per voluntatem excludendi peccatum, ait (deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & ęternę damnationis incurſum ſine propoſito melioris vitę non eſse verum, & vtilem dolorem &c.) ex quibus locis colligitur, Concilium requirere in attritione voluntatem excludendi peccatum, & propoſitum melioris vitæ diſtinctum à deteſtatione, & dolore peccati, queritur ergo, hoc tanquam certo premiſſo, an iſtud propoſitum ſufficiat, ſi ſit virtualiter incluſum in peccati deteſtatione, an vero neceſſariò ſemper actualiter explicitum ad validitatem confeſſionis.

Negant *Cano de relect. pænitent. parte 2. Sot. in 4. diſt.15. queſt.1. art.2. & diſp.17. queſt.2. artic.1. & de nat. & gratia cap.14. Bellarm. l.2. de pænit. cap.6. & 7.* & alii putantes ex prętatis locis, *& in ſeſſ.6. cap.6. Concilium Tridentinum* requirere actu diſtinctum propoſitum vitandi de cetero peccata à deteſtatione eorum, vel actu amoris Dei elicitiuo.

Attamen *noſter Vegha leg.3. in Concil. Tridentin. cap.21. Petr. à Soto de pænitem. ſeſſ.17. Maior, & Almayn. in 4. diſt.14. queſt.1. Villalob. in ſumm. T.1. tract.9. difficult.19. Sylu. in addit. ad 3. parte quaſt.1. & Diana in 3. parte tract. 4. de Sacram. reſol.99.* volunt probabiliter ſufficere propoſitum implicitum in deteſtatione peccatorum, de cetero meliorem vitam inſtituendi, & non peccandi, non enim quis poteſt deteſtari peccatum, tanquam Dei offenſam, ſi habeat animum poſitiuum peccandi de cetero, itaque dum verè deteſtatur peccatum, tanquam Dei offenſam, virtualiter etiam proponit illum non amplius offendere aliter deteſtatio eſſe hypocrita, & ideo Concilium, vt explicet deteſtationem hypocritam peccatorum non eſſe ſufficientem, ſubiungit in deteſtatione peccatorum requiri voluntatem excludendi peccatum, vel propoſitum melioris vitæ, quod autem actu neceſſariò proferatur, vel virtualiter implicetur in deteſtatione peccati, non loquitur Concilium, itaque ſi pœnitens occupatus in ſuę conſcientiæ latebris explicandis, in peccatorum deteſtatione actu non meminerit propoſitum actualiter eliciendi, ſufficit, vt dum deteſtatur peccatum, tanquam Dei offenſam ſub aliqua ratione dictarum à Concilio ſi interrogaretur an de cetero ſit peccaturus, & offenſurus Deum, reſponderet, quod ideo dolet de peccatis præteritis, quia vero non vult ea amplius in futurum committere, hic vero dicitur in deteſtatione peccati implicare propoſitum de non peccando de cetero, quod autem hoc propoſitum actu exprimatur, vel virtualiter in ſuo dolore de offenſa Dei implicetur per accidens eſt, ad validitatem confeſſionis, quare ſi quis actu non meminerit talis propoſiti, quando accepit abſolutionem, tamen ſi interrogatus fuiſſet, ſtatim abſque alia formidine affirmaſſet, ſe habere, & habuiſſe propoſitum de non offendendo in futurum Deum Creatorem, dum doluit, et dolet Deum Creatorem, et Redemptorem ſuum grauiter offendiſſe, nec enim ſpem veniæ de offenſa præterita quis poteſt recipere cum præſenti propoſito poſitiuo peccandi de cetero; qui ergo dolet verè de peccatis cum ſpe veniæ conſequendæ, licet actu non eliciat propoſitum de non peccando de cetero, attamen in voto, et in virtute id habet, dum ſperat veniam à Deo ſuo per pænitentiæ Sacramentum.

Vtrum Confeſſarius approbatus ab Epiſcopo, eo mortuo, poſſit ſuſpendi à Capitulo, vel eius Vicario, vt iterum examinetur, & an Regularis approbatus ab Epiſcopo ad eius libitum poſſit ſuſpendi.

DIFFIC. LXVII.

CErtum eſt de confeſſoribus ſæcularibus non habentibus priuilegium, cum enim capitulum, vel eius Vicarius iuriſdictionē Sedis Epiſcopalis exerceat mortuo Epiſcopo, eorum munus eſt confeſſarios ſuſpendere, examinare, et approbare, quod autem in controuerſiam ab aliquibus adductum eſt, an etiam Regulares poſſint ſuſpendi, vt iterum examinentur, et approbentur; Quare *noſtri Hyeron. Rodriquez* ex quadam bulla *Pij V.* et declaratione Sacr. Congregationis, *& Villalobos parte prima ſum. tract. 9. difficult.53. num.7. immo noſter Myranda in prel. T.1. queſt.45.* docet etiam adeſſe aliud priuilegium *Clem. IV.* quo cauetur, ne Capitulum, vel eius Vicarius, ſede vacante, poſſit ſuſpendere confeſſarios Regulares, approbatos ab Epiſcopo mortuo. Idem etiam aſſerit *Diana parte 3. tract. 2. de dub. reg. reſol.27.*

Immo *Fagundez præc. 2. l. 7. cap. 2. num. 28.*, *& Henriq. l. 3. de pænit. cap. 6. num. 6.* addunt, quod ſi Epiſcopus ſucceſſor, cui liberum eſt, reuocare omnes licentias datas à prædeceſſoribus confeſſiones audiendi, ſi in hoc ſuo edicto generali non ſpecificat etiam Regulares, non intelliguntur eorum licentiæ reuocatæ, quia Regulares in odioſis non comprehenduntur, niſi exprimantur &c.

Porro Confeſſarius Regularis admiſſus ab Epiſcopo ad ſuum beneplacitum poteſt ſuſpendi ab ipſo quandocumque ſibi maluerit, at vero ſi Confeſſarius Regularis præuio examine approbatus fuerit, ſimpliciter, & abſolutè ſine termino, & conditione non poteſt ab Epiſcopo ſuſpendi iuxta ſuum beneplacitum, niſi forte hic Regularis approbatus non delinquat in aliquo pertinente ad rectan, & debitam adminiſtrationem Sacramenti pænitentiæ, quia tunc poteſt ſuſpendi ab Epiſcopo, nec tenetur in tali caſu ſuſpenſionis cauſam Regulari, aut eius Superiori manifeſtare ob quam eum ſuſpenderit à Confeſſionibus audiendis, ſed ſolum tenetur eam Sedi Apoſtolicæ denunciare, apud quam poteſt Regularis inſtare pro ſua defenſione. Vt cenſuit Sacr. Congreg. in Cæſaraugustana 7. Septembr. 1625. & in Giennenſi 30. Iannuar. 1629. apud Torreblanc. de iure ſpirituali *l. 14. cap. 3. num. 32. & 24.*

Hic etiam nota quod Epiſcopus non poteſt omnibus ſimul, & ſemel Confeſſarijs Regularium in eodem Conuentu tollere facultatem audiendi Confeſſiones Sacra Congregatione non conſulta. Ita Sacr. Congregat. Epiſc. & Regul. die 20. Nouembr. 1615. apud Selliumin *Cann. ſelect. c. 14. n. 84.*

Communio Euchariſtica.

Quo iure, quo tempore, & quoties Communionis Euchariſtice preceptum obliget fideles, & in qua ætate.

D I F F I C. I.

COmmunionis hoc vocabulum alij à verbo munio deriuatum volunt, ex eo quia ex Sanctiſsimæ Euchariſtiæ perceptione communiuntur fideles contra Diaboli vires, & tentationes; vnde Sacratiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſolet à Sanctis Patribus modo vocari panis fortium, modo Gladius Gedeonis; alij à verbo Vnio dictum putant, quia ex ſumptione Corporis, & Sanguinis Chriſti non ſolum Vnionem cum Chriſto ſpiritualem, & corporalem acquirunt dignè ſumentes, verum etiam Vnionis, & pacis inter Chriſtianos affert fomentum, vnde vocatur ab Eccleſia Sacramentum vnitatis, & pacis, alij demum potius à voce communis, ex eo quia hoc Sacramentum omnibus commune eſt, & ad illud accipiendum non magis docti, quam indocti, non magis diuites, quam pauperes, non magis nobiles, quam ignobiles, ideo cænæ magnæ comparatur in Euangelio, ad indifferenter omnes vocantur, dum iubetur exi per vicos, & plateas, &c. & ſapientia in plateis clamitat, &c. alij demum à verbo Communico deriuatam cenſent hanc communionis vocem, communico autem participare connotat, vnde ſumptio Euchariſtiæ Sanctiſsimæ dicitur Communio, quia participes efficimur Corporis, & Sanguinis Chriſti, vnde per communionem dicimur Chriſtiferi, & quodammodo Chriſto inuiſcerari, vnde eius gratiæ, & beneficiorum ſpiritualium cumulum digne communicantes certiſsimè accipiunt; ſingulæ acceptiones bonæ ſunt, & declarant effectum ſumptionis Euchariſticæ, magis tamen hæc vltima, vnde paſsim communionem facientes communicari dicuntur.

Dico primò, quod iure Eccleſiaſtico ſit præcepta communio, non eſt qui dubitet apud Catholicos, cum ſit determinatum in *Conc. Trident. ſeſſ. 13. can.* vbi etiam excommunicantur contrarium aſſerentes, quod autem ſit de iure diuino præcepta communio variant Doctores, negant diuino iure inſtitutum præceptum ſumendæ Euchariſtiæ. *noſt. Rodr. in ſum. cap. 64. de Comm. num. 3.*, *Caiet. V. Communio Verſ. vtrum autem*, *Graff. 1. p. l. 2. cap. 28.*, *Chamerota de Euchar. c. 10. dub. 1.*, *Victoria de Euch. nu. 86. & alij*, quia nu libi putant ſub præcepto à Domino iuſſam ſui ſacratiſſimi, & ſanguinis ſumptionem.

Attamen probabiliter etiam alij de iure diuino autumant præceptam fuiſſe hanc Sanctiſsimæ Euchariſtiæ ſumptionem præcipue ſub illis verbis *Luca 22.* quibus Dominus Ieſus, vbi inſtituit hoc eminentiſsimum Sacramentum, ſtatim ſubiungit imperans; hoc facite in meam commemorationem, & *Ioann. 6. dicitur, niſi manducaueritis carnem filium hominis &c.* ex quibus verbis neceſsitatem quam habent fideles ſumendi corpus Chriſti, apertè commonſtrat Dominus Ieſus. Ita colligitur ex *noſtro Doctore in 4. diſt. 8. quæſt. 1. & diſt. 13. quæſt. 2. ad quintum* etiam communius Doctores *Angles noſter de Euchar. quæſt. 1. artic. 9.*, *Suar. diſput. 69. ſect. 3.*, *Sot. diſtin. 12. quæſt. 1. artic. 11.*, *Valent. T. 4. diſput. 6. punct. 5.*, *Reginald. l. 29. num. 50.*, *Coninch. quæſt. 80. artic. 11. dub. 3.*, *Vaſquez 3. parte diſput. 213.*, *& Bonac. de Sacram. Euchariſt. diſput. 4. quæſt. 7. p. 1.*, *Vide infra V. Euchariſtia.*

Dico primò, quod probabile eſt fideles adultos obligari iure diuino ad communicandum in articulo, vel periculo mortis, naturalis, vel violentæ, etenim tunc maximè obligat nos Dominus Ieſus ad vitam ſpiritualem comparandam, quando maximè vrget periculum irreparabiliter eam perdendi, ergo ſi ad comparandam vitam ſpiritualem inſtituit Dominus Ieſus Euchariſt. Sacramantum *Ioann. 6. niſi manducaueritis carnem &c.* dicendum eſt, quod maximè tempore mortis, quando vrget periculum vitam æternam perdendi, tradiderit Dominus communionis Euchariſticæ præceptum, vt per ipſam vitam ſpiritualem maximè in illo puncto acquireremus, cibus enim ſpiritualis inſtitutus ad vitam ſpiritualem dandam maximè in articulo mortis eſt neceſſarius, in quo periclitatur noſtra ſalus.

Item ex *Scoto loc. citato*; Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum inter alias cauſas, etiam, vt ex præſentia reali Corporis Chriſti vnuſquiſque excitetur ad maiorem reuerentiam, & deuotionem, ſed in nullo tempore magis, quam in articulo, & periculo mortis debet homo ſe excitare ad deuotionem, ergo maximè obligauit hominem ad perceptionem huius Sacramenti, ad hoc, vt ad maiorem conatum deuotionis ſe exciret ex eius preſentia, & ſumptione. Ita etiam omnes Doctores ſignati pro ſecunda opinione, & in prima concl., à poſteriori vero probatur eſſe de iure diuino, quia in articulo mortis poteſt ſumi à non ieiuno contra præceptum Eccleſiaſticum.

Contrarium tamen tenent etiam probabiliter *noſt. D. Bonauentura in 4. diſt. artic. 3. q. 1.* *Caietan. in ſumm. V. Communio*, *Ledeſma*, *Victorrell. & alij* putantes eſſe præceptum conſultiuum, non autem neceſſarium, vnde prætermitti putant ſine mortali, niſi ad ſit contemptus.

Dico tertiò, quod ex præcepto diuino non ſolum teneri fideles in articulo, vel periculo mortis, ſed etiam aliquoties in vita probabile eſt; nam iſtud Sacramentum cum ſit inſtitutum per modum cibi ad vitam ſpiritualem in nobis ſeruandam, non ſolum obligat in morte, verum etiam quandocunque vita noſtra ſpiritualis cibo hoc ſpirituali indigere cognoſcitur, quia verò hæc indigentia non poſſet cognoſci faciliter à fidelibus, & determinatio præcepti diuini, quando generaliter latum eſt, ab Eccleſia Deo inſpirante ſolet determinari, ne ambigui remaneat fideles, ideo.

Dico quartò, quod præceptum communionis faciendæ de iure diuino extra mortis articulum, vel periculum Eccleſia determinauit exequendum ſemel in anno, & præcipue, in Paſchate, vt habetur in c. omnes vtriuſque ſexus de pœnitent., & Remiſſ. & ex *Tridentin. ſeſſ. 13. can. 9.*, quo præcepto ligantur omnes fideles adulti poſt quam ad annos diſcretionis peruenerunt, & communicando tali tempore ſatisfaciunt præcepto diuino de communicando aliquoties in vita, quia tantum tempus ſufficere ad vitam ſpiritualem ſeruandam ex huius Sacratiſſimi cibi ſumptione determinauit Eccleſia. Ita *D. Thom. quæſt. 80. artic. 11.*, *Suar.*, *Valentia*, *Sot. Reginaldus*, *Henriquez*, *Bonacina*, *& alij loc. citato.*

Dico quintò, quod ætas requiſita ad recipiendam communionem ſub præcepto non poteſt generaliter determinari, quia vſus rationis in alijs tardius, in alijs citius aduenit, quare communius docent Theologi arbitrio boni viri ideſt Confeſſarij, aut Parentum, & Magiſtrorum, quo adulti cognoſcentes ingenium, & diſcurrendi facilitatem, facilè poterunt

om-

terunt

rerunt conijcere, quando habeant vſum rationis talem, vt ſciat diſcernere inter cibum corporalem,& Sacramentalem, & inſtructus de huius Sanctiſſimi Sacramenti, qualitatibus ſciat reſpondere, & peccatorum dolorem habere maximè nouerit,qui hoc maximè requiritur ad dignè ſumendum. Ita *noſt.Ang.V.Comm.*3.§.11.*ex Aureolo in* 4.*diſt*.9.q.2. qui facilè accidere poſſe ait, quod in decimo,vel ſaltem in duodecimo anno regulariter quis habeat perfectum rationis vſũ, & in tali tempore debet inſtrui ad hoc,vt poſſit dignè,& idoneè ſumere hoc Sacramentum.

Dico tamen ſextò,quod non ita rigoroſè obligat hoc præceptum ſumendi Euchariſtiam, vt indiuiſibiliter ſtatim ac, quis vſum rationis ſe habere nouit, vel noſcitur à ſuis parentibus, ſtatim inquam ſit obligatus ſumere, quia cum ad eius ſumptionem requiratur idoneitas,& perquiſitio vtrum adultus habeat cognitionem huius Sacramenti,poteſt differri ad alterum annum ſaltem, ac etiam alterum ſequentem,ſi tantum tempus ad eum inſtruendum iudicauerint eius parentes,vel magiſtri,eſſe neceſſarium, quorum conſilio debet acquieſcere puer. Vnde collige,quod cum maior idoneitas, & inſtructio requiratur ad ſumendum Sacramentum Euchariſtiæ, quam pœnitentiæ requiratur, maior enim ætas requiritur ad illud auguſtiſſimum accipiendum,quam ad illud; Vide *Bonac.loc.cit*.

Dico ſeptimò,quod puer,qui nũquam antea communicauit in Paſcate, ſi in articulo mortis conſtitutus ſit inſtructus circa cognitionem huius Sacramenti, & ſciat diſcernere inter cibum,& cibum tenetur de iure diuino communicare,& eius curam habentes tenentur curare, vt ad eum afferatur ſacratiſſima Comm.præmiſſa prius horum peccatorum confeſſione.Ita *Suar. Regin.& Bonac.loc.cit*.contra *Nauar.c*.21. *n*.57.& alios,qui volunt ſolum ex conſilio communicãdum eſſe,ſed re vera dum habet diſcretionis, & rationis vſum, & ſufficienter inſtructus, neſcio quomodo non debeat ex præcepto diuino ſaltem obligari ad communionem, ſanè in hac materia non ſunt laxandæ habenę fidelibus,qui facilè, ne incommodum patiantur vocandi Sacerdotem ad ferendã Euchariſtiam ſuo puero, permittunt mori ſine Communione, dum nouerint non ex pręcepto,ſed ex conſilio adhoc teneri.

Vtrum infideles teneantur præcepto diuino de Euchariſtia ſumenda. DIFFIC. II.

AFfirmant *Suar.*3.*p.diſp.*69.*ſec.*2.*dub.*2.*Vaſq.diſp.*214. *c.*4.*Regin.l.*29.*n.*78.*Cominch.*3.*p.q.*80.*a.*11.*dub.*2.& alij ex eo,quod præceptum de Euchar.ſumenda eſt de iure diuino ex illa *Io.*6.niſi manducaueritis,quæ verba ſunt generalia ad oẽs directa à Domino poteſtatẽ habẽte ſuper oẽs fideles, & infideles,ergo ab illo pręcepto nõ ſũt excludẽdi infideles.

Dices,infideles cum non ſint baptizati non ſunt capaces huius præcepti,quia non ſunt capaces Sacramentorum, pręterquam,quod Sacramentũ Euchariſtiæ ſumendum eſt a dignis,infideles autem non ſunt digni nec poſſunt ſe facere dignos,cum incapaces ſint ſumere Sacramentum pœnitentiæ.

Reſpondent præfati DD. quod aliud eſt dicere infidelem eſſe obligatum de iure diuino ſumere Euchariſtiam,& aliud eſt dicere non poſſe infidelem ſumere licitè,& dignè Euchariſtiam ante ſuſceptionem baptiſmi,hæc enim admodum diuerſa aiunt eſſe,nec tollere obligationem ſumendi Euchariſtiam docent indignitatem, in qua quis reperitur ad ſumẽdã eam,quia etiam peccator in peccato exiſtens non poteſt licitè,& dignè ſumere Sacramentum Euchariſtię,& tamen obligatur ad eam ſumendam,ita etiam infidelis licet, vt infidelis licitè, & dignè non poſſit ſumere Euchariſtiam, & omnino ab ea eſſet repellendus, attamen non propter hoc obligatio eam ſumendi tollitur ab eo, quare ſicut fidelis peccator, vt dignè ſumat Euchariſtiam,quando id eam tenetur ſumendã, debet ſe pœnitentiæ Sacramento dignum reddere, alioquin peccaret non ſe præparando,& non ſumendo,ita etiam infidelis peccat nõ ſe præparãdo, & dignũ reddendo per baptiſmi ſuſceptionem ad tantũ Sacramẽtũ ſumendũ,tenẽtur ergo baptiſmũ infideles ſuſcipere,vt cõmunione Euchariſticã omnibus à Domino indifferenter præcepta dignè ſuſcipiant.

Attamen alii communius volunt de facto Dominum non obligaſſe infideles ad tantum Sacramentum percipiendum, quia videretur rigoroſius præceptum obligare aliquẽ ad id, quod extra ſtatum ſuũ non poteſt exequi, ſicut ſi quis vellet obligare aliquẽ ad ſeruãda vota caſtitatis,& paupertatis,antequam ingrediatur Religionem,iugum autem Domini dulce, et ſuaue, itaque ſolum ad fideles, qui actu poſſunt ſuum ſacratiſſimum corpus dignè ſumere verba illa, niſi manducaueritis,&c.directa probabilius docent.*noſter Pitigian.diſt.* 9*q.*3.*art.*8.*Sotus in* 4.*diſt.*18.*q.*1.*a.*3.*Sanch.in oper.mor.l.*1.*c.* 12.*Nugn q.*80.*a.*11.*& Bonac.de Euch.diſp.*4.*q.*1. *p.*3.*& aly.*

Vtrum qui communionem Euchariſticam ſumpſit ſex,vel octo dies antequam in periculum, vel articulum mortis incideret,teneatur iterum communicare, & an ſi in dicto articulo communicatus peccet mortaliter poſt communionem teneatur iterum communicare. DIFFIC. III.

DIco primò, quod licet probabile ſit, eum,qui Euchariſtiam,ſumpſit ſex,vel octo dies antequam in periculũ, vel articulum mortis incideret, nõ teneatur iterum communicare in dicto articulo, ex eo,quod intra tam paruum tẽpus a ſumptione Euchariſtiæ cenſendus adhuc diſpoſitus ad bene moriendum, quare volunt hoc præceptum obligare in illo articulo, ſi modo non fuiſſet paulo ante executioni mandatum,ita *noſt.Ang.V.Euchar.*3.*Tabien.V. Communic.nu.* 16.*Palud.diſt.*9.*qu.*1.*Suar.diſp.*69.*ſect.*3.*Filiucc.tract.*4.*cap.* 2.*q.*6.*Molfeſ.in ſum. tract.*3.*cap.*8.*Graff.*1.*p. l.*2.*cap.*38.*& Bonac.de Sacr.Euchar.diſp.*4 *q.*7 *p.*1.

Attamen, quia Eccleſia ſolita eſt dare in articulo mortis Euchariſtiam per modum viatici diſtincta oratione,ac quando accipitur extra articulum talem, videtur probabilius dicendum teneri fidelem iterum in articulo mortis communicare, ſi præſens ſit occaſio, quia ex illa ſumptione præparatur feruentius ad tranſitum, & per illas deprecationes Sanctæ Matris Eccleſiæ fortius armatur contra Dæmonis inſidias in illo tremendo conflictu, et fructuoſius vnitur anima Chriſto ſuo Sponſo per ſuſceptionem ſacratiſſimæ Euchariſtię per modum viatici,et licet eius ſumptio per modum viatici addat aliquid ſolum accidentale ſupra communionem Euchariſticam, tamen illud accidentale tanquam conſultiſſime additum ab Eccleſia a Spiritu ſancto edocta non eſt prætermittendum, et dum commodè fieri poteſt, omnino amplectendum, an autem abſque mortali culpa prætermittatur communio in tali caſu.

Sanè non audeo hoc abſolutè affirmare,verum dico,quod vnuſquiſque tenetur in illo ſtatu media magis proxima, et magis congrua ad ſe Deo vniendum, et ad ſe muniendum cõtra inimicum,videat ergo,qui poſt ſex, vel octo dies communicatus incidit in articulo mortis, vtrum in hoc tempore intermedio ſine peccato mortali vixerit, ſi ad bene moriendum erat diſpoſitus,vel ſaltem a Confeſſore,vel Parocho interrogetur, et ſi inueniatur interea nullius criminis mortalis conſcius,non peccat prætermittendo,quia adeſt ratio primæ opinionis,ſcilicet,quod ſit diſpoſitus ad talem tranſitũ,quod ſi infra dictum tempus ad noua crimina mortalia perpetranda diuertit ſignum eſt, non eſſe bene præparatum ad illum tranſitum, dum Diabolus eius animæ dominatur, denuò ergo per confeſſionem benè expiatus denuò per modum viatici communicet,vt Deo magis proximè vnitus, fortius tentationes valeat ſuperare in illo extremo conflictu, hanc ſententiam videntur ſequi *Hurtad. Mendoz. de Sacr. diſp.*10. *de Euch.diff.*2.*Turrian.in ſum.p.*2.*c.*58.*Petrus de Ocheg.de Euch.q.*14. *a.*7.*& Diana* 5.*p. tract.*3.*reſol* 33.

Dico ſecundò, quod,qui communicauit per modũ viatici in articulo mortis,ſi poſtea incidat in nouum peccatũ mortale,licet nullo præcepto, et nulla auctoritate cogente debeat iterum communicare, vt probant *Suar.Filiuc.Bonac.loc.cit.* et alii,cum verè ſatisfecerit reuerentiæ præcepti diuini.

Attamen omnino conſulendũ putarẽ eum, qui mortiferè peccaſſet poſt cõmunionem in articulo mortis,vt præuia cõfeſſione repurgatus iterum communicaret,ſi tẽpus foret opportunũ, et ratio eſt, quia licet præcepti ceſſauerit obligatio per primã cõmunionem, attamen,quia finis præcepti Euch. ſumptionis redit poſt peccatũ mortale perpetratũ in eodem articulo,per peccatũ .n.mortale eiã Chriſtus ab animo diſceſſit,nec ei præfata cõmunio conſequenter pro eodẽ artic.prodeſt, ideo,vt fructum huius ſalutiferæ conſequatur in eo articulo, videtur ſaltem ex conſilio omnino ſequendo redire

obligatio iterum cõmunicandi, & licet confeſſio Sacramentalis ſit illa, quę reunit per gratiam animam Deo, & hæc ſufficere videatur, quo ad neceſſitatem ſalutis, tamen Corporis Chriſti ſumptio, quæ auget gratiam, & particulariter præparat in illo puncto, nullo modo eſt prætermittenda, ne moribundis tantis careat adiutorijs, & donis, quæ Sacratiſſimæ Euchariſtiæ confert cõmunio. Vnde licet ſub peccato mortali non audiam hanc obligationẽ inducere in tali caſu, vt volunt *V. Communi Tabiena n.16.& Armillan. 11.* inutiliter tamẽ, & cum multo detrimẽto ſpirituali reliquitur, & fructuoſius amplectitur tale conſilium iterum cõmunicandi in eodem articulo, ſi poſt primam cõmunionem moribundus in mortali inciderit, conſulat ergo ſibi vnuſquiſque in illo puncto extremo potius ſuæ ſalutis ſecuriore medio, quam ex timore præcepti, & dum hoc ſibi ſub mortali noſcit non eſſe præceptum ad leuãdos præcipuè ſcrupulos in illa hora, noſcat etiam multo ſe adiutorio in illo põcto deſtitui, ſi tam ſaluti ſuorum viaticum in tam difficili via prætereunda, derelinquat, ex quibus etiã collige, quod ſi quis non cõmunicauit in articulo, vel periculo mortis, ſi Dei gratia euadat, & non moriatur, non tenetur poſtea communionis debitæ pro articulo tranſacto præceptum deinde adimplere, nam ceſſante fine præcepti, ceſſat præceptum, pręceptum autem communicandi in articulo mortis eſt ad præparandum, & muniendum moribundum ad tantũ tranſitum, dum ergo ceſſat hic finis, ceſſat etiã præceptum; præterquã, quod, quando præceptũ ponitur ad obligationẽ adimplendam, & terminandã, tranſacto termino, ſi non fuerit adimpletum, iam adeſt peccatũ mortale præcepti tranſgreſſione, nec pro eo termino reuiuiſcit præceptum, ſed cum ipſo termino elabitur, nec amplius obligat, vt videre eſt in præceptis ieiunij, & Miſſę auditionis, quę cum ſint data ad finiendam, & adimplendam obligationem pro talibus diebus, illis elapſis ſi ieiunia non fuerint ſeruata, & Miſſæ non auditæ, iam peccata commiſſa fuerunt contra præcepta non ſeruata, & ipſa præcepta cum talibus diebus ita elapſa fuerunt, vt non redeat eorum obligatio pro diebus ſequentibus, e cõtra autem quando pręceptum datum eſt non ad finiẽdam, ſed ſolũ ad ſollicitandam obligationem, nunquam perit obligatio, donec preceptum reuera ſit adimpletum, vt ſi quis decimis nõ ſoluat Eccleſiæ de fructibus huius anni, tenetur tamen ſemper eas ſoluere, quia præceptũ iſtud de ſoluendis decimis de fructibus huius anni, non eſt datum ad finiendam, & terminandam obligationem in hoc anno, ſed ad ſollicitandam obligationem, itaq; ſemper remanet obligatio, donec verè ſoluat, ita ad propoſitũ, ſi quis non communicauit in articulo mortis non tenetur amplius extra ipſum communicare, quia pro ad implenda, non pro ſollicitanda obligatione in tali termino datum eſt præceptum communicandi.

Vtrum Reo damnato iam ad mortem teneatur Iudex concedere tempus Sacratiſſimam Euchariſtiam ſumendi, & an ſi Iudice concedente aquam, & ſufficientem dilationem Reo ſe diſponendi, & intra tempus noluerit ſe diſponere, poſſit Iudex eum ita indiſpoſitum morti dare.

DIFFIC. IV.

PRo primæ partis huius difficoltatis ſolutione licet *Nauar. c.25.n.23., Filiuc.tr.4.c.8.q.11.* & alij voluerint Iudicem non teneri dare tale tempus Reo ſumendi Euchariſtiam ante mortẽ ei inferendam, ſi cõſuetudo adſit in tali loco, quod Reo non concedatur communio, attamen ſi certum eſt, quod communio in articulo, vel periculo mortis eſt de iure diuino, certũ eſt etiam debere Iudicem concedere Reo tempus ſufficiens, & opportunum ad communicandum, quia conſuetudo non pręualet aduerſus pręceptum diuinum, & potius tanquam abuſus, & corruptela omnino tollenda, hic à Sacris Canonibus iniungitur Iudici iure, vt ſufficiens tempus cõmunicandi Reo concedat, *c.sancta, diſt.86.c.quæſitũ 23.q.2.& ex motu prop. Pij V. edito anno 1569. teſte Henriq.l.8.c.5.n.4. in comm.litt. Z.& in Clem.cum ſecundum de penit.& Remiſſ.* iubentur Epiſcopi, vt per excommunicationem cõpellant Iudices ad dandũ tempus ſufficiens Reo, vt poſſint confiteri, & licet expreſsè ibi nõ ſit ſermo de communione attamen, quod dicitur de pęnitentia non deneganda, etiam extendendum eſt de Euchariſtia nõ deneganda, *ex c.quod in te de penit.& Remiſſ* & ita etiam *gloſſa in d. Clem.* nec obſtat ſi dicatur, quod aliquando fuit in vſu, ſicut patet in Concilio Eliberitano, vt Reo denegaretur ad aliorum correptionem Sacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptio, at hoc ſequentes Sacri Canones non comprobauerunt amplius, & ſi quando hoc foret neceſſarium ad exemplum aliorum propter immunitatem alicuius ſceleris à Iudice Eccleſiaſtico hac pęna eſſet plectendus, non à Iudice ſæculari, qui hiſce temporibus hunc pium vſum dandi Reo tempus ritè pęnitenti, & communicandi omnino debet ſequi, quia ita ius diuinum, & pontificium etiam conclamat. Ita etiam communius docent *noſtr. Rodriq.in ſum.c.68.n.1., Suar.diſp.69.ſect.3., Petr. Nauar.l.2. de Reſt.c.3.n.225., Reginald l.29. n.70., Molfeſ.c.8.n.32., & Bonac. de Euch. diſp.4.q.7.p.1.*

Limitanda tamen mihi videtur præfata doctrina, modo ex dilatione dandæ communionis non adſit periculum imminens contra totam communionem, puta niſi Reus illico morti detur, facilè dato aliquo tempore rebellio, vel commotio popularis ſubortum ſit, quæ poſt mortem Rei non foret orienda, vel ſaltem facile ſupplimenda, in hac .n. occaſione, cum defenſio ſit de iure naturæ, & bonum publicum priuato ſemper ſit anteponendum, cedit ius diuinum contra huoc particularem, vt bonum commune ſeruetur indemne.

Attamen ſi ex tali delatione poſſet Iudex ſuſpicari, ꝙ Reus ſit ſaluandus, vel per gratiam aduenientem ſuperioris, vel ſic etiam furtiuè eripiendus, adhuc tenetur tempus ſufficiens dare Reo ad communicandũ, quia damnum hoc particulare eſt, & non vergit in damnum totius communitatis immediatè, ideo probabile eſt admodum teneri Iudicem ad dandam talem dilationem ad ſeruandum Ius diuinum, quam ad ſeruandas leges humanas, magis .n. obligat ius diuinum, quam poſitiuum, & ad illud debet per ſe primò attendere, & interea facere quantum poteſt poſita diligentiori cuſtodia, nè eripiatur. Vide *Bonac.loc.citato.*

Ceterum, ſi Iudex, vbi Reo conceſſit duos, vel tres dies, in quibus ſe poſſit faciliter præparare ad fructuoſam ſuorum peccatorum confeſſionem faciendam, & deuotè communicandũ, & intra tale tẽpus noluerit ſe Reus diſponere, nec voluerit cõfiteri, & cõmunicari, etiamſi finaliter ſit Reus impęnitens, poteſt Iudex eũ morti dare, nec tenetur eum eripere, ad exequẽdum .n. diuinũ præceptum dum dedit tẽpus ſufficiens, non eſt Iudicis culpa ſi impęnitentẽ ſe voluerit Reus reddere, alias oẽs Rei, vt ſe morte eripiãt, poſſunt hoc modo ſe ĩpęnitẽtes fingere, & ita iuſtitia eluderetur, & magna ſequerẽtur in cõitate Chriſtiana incõmoda. Ita cõmuniter. Vide *Bonac.& Regin. loc.cit.*

Vtrũ vero eodẽ die morti tradendo, ſi Iudex nolit in craſtinũ differre ſentẽtiam, poſſit præſenti cõionem Parochus dare, licet non ſit ieiunus. Affirmant *Eminentiſs. de Lugo de Euch diſp.15.ſect.4.n.27., Lambran.de Sac. Euch.c.3.dub.8.a.6. vbi citat Nau., Suar., Henriq.* & alios, *& Vrtad.de Euch.diſp.9. diff.16., Sãcius in ſelect.diſp.40.n.4., & Diana p.5.tr.3.reſ.38.* & alij; nam tenetur in articulo mortis communicare, ergo præceptum poſitiuum de communicando, ieiunus non debet ſeruare, ſi Iudex nolit differre ei vitam.

Quod autẽ alij velint eo die iuxta quãdam legẽ Caſtellæ dari damnato ad mortem, quo occidendus Euchariſtiam, non videtur piè dictũ, nec ſtatutũ, vt notãt Sancius, & alij, quia vtilitati morientis opponitur. Quod autem ipſe Sancius dixerit, hora ſaltem vna, antequã occidatur poſſe ei dari cõmunionẽ, ſi damnati cõplexio ſit talis, vt per horam ſpecies Sacramentales poſſit conſumere, licitũ puto, quod ſi non poſſe digerere eas in tã paruo tẽpore ſuſpicetur cum eſt dãda, & ſanè propter nimiã triſtitiã poſſe impediri digeſtionẽ non eſt nouũ apud medicos.

Vtrum, quis pluries eodem die, & an in qualibet hora eiuſdem diei valeat licite communicare.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod ſolũ ſemel in die liceat non Sacerdoti cõmunicare iam conſuetudo generalis Eccleſiæ docet, põt tamen hęc cõſuetudo ẽt probari ex eo, ꝙ in *c.conſuluiſti de celebr. Miſſ.* præcipitur ne Sacerdos in die ſępius celebret, aut cõmunicet, accepta Natiuitatis ſolemnitate, aut priuilegio, aut particulari caſu, qualis eſt ſi periculũ ſit, vt Sacramentũ veniat in manus Hæreticorũ, vel cõburatur, &c. ſi ergo pluries ĩ eodẽ die cõmunicare prohibetur Sacerdoti, multo magis non Sacerdoti. Ita ẽt *ex c.ſufficit de conſecr.diſt.5.; Ita etiam noſt. Angelus V. Euch.3.§.3., noſt. Aleſ.in 4.p.q.52. membr.3.; D. Tho. 3.p.q.85.a.11., Suar.diſp.70.ſect.7., Conunch. q.80. a.10. Vbi-ſuald.*

Digitized by Google

nald. de præparat. ad Euchar. num. 49. & Bonac. de Euchar. diſput. 4. q. 7. p. 1.

Dico ſecundò, q licet Sacerdos in die Natiuitatis Domini habeat priuilegiũ ter ſe ſe cõmunicandi, non tamen hoc extenditur ad non Sacerdotes, quia eatenus datur eis priuilegiũ ſe ſe ter cõmunicandi, quia datur eis priuilegiũ ter cõficẽdi Euchariſtiam, quia ergo non Sacerdotes non conficiant, nec poſſunt communicare, præterquam, quod ita declarat vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo, non Sacerdotes ſcilicet ſolum ſemel hac Sacratiſſima Communione etiam in die Natiuitatis Domini refici poſſe, qui velint.

Dico tertiò, quod licet qualibet hora diei poſſit miniſtrari fideli ſano Euchariſtia, modo ieiunus reperiatur, cum nullũ adſit ſpeciale præceptũ, vt tali, vel tali hora determinata ſolũmodo miniſtretur Sacrat. Communio, vt docent *noſt. Ang. loc. ci. §. 36., Henriq. l. 53., Azor. p. p. l. 10. c. 25. q. 8., Sylu. V. Euchar. 3. q. 14. & Bonac. loc. cit.* attamen, quia Sacerdoti prohibitum eſt celebrare poſt meridiem, videtur etiam obtinuiſſe conſuetudo, vt non Sacerdotes ſani Communicantes cauſa deuotionis, voti, vel præcepti præciſa alia neceſſaria cauſa ſolum communicent in toto tẽpore, quo poſſunt Sacerdotes celebrare .i. ſaltem ante Veſperas immediate, poſt autem Veſperas non conſueuit Eccleſia ſanos communicare, quia facile poſſunt puſilli ſcandalizari, quod non ieiunis tradatur Sacramẽtum Euchariſticum, cum vnuſquiſque præſumatur prandium cepiſſe poſt Veſperas, exiſtente autem aliqua legitima cauſa, & præciſo ſcandalo non putarem eſſe peccatum etiam poſt Veſperas fideli ſano miniſtrare auguſtiſſimum Sacramentum.

Vtrum, qui mane celebrauit, vel communicauit ſi eodem die incidat in articulum, vel periculum mortis, poſſit non ieiunus communicare per viaticum, & an Communicatus per viaticum ſi ſit deinde per triduum, & amplius ſuperſtes poſſit non ieiunus communicare ex deuotione.

D I F F I C. VI.

Dico primò, quod licet multi grauiſſimiq; Theologi probabiliter putent non poſſe eodẽ die, qui celebrauit, vel communicauit, cõmunicare iterum per modũ viatici ſi eodem die incidat in periculum mortis, quia præceptum Eccleſiæ eſt ne quis eodem die bis cõmunicet, & præcepta de cõmunicando in articulo mortis, multi probabile putant non obligare ſub mortali, & ſi foret ſub mortali præcepta cõmunio, adhuc cõmunione facta in mane videtur ſatisfeciſſe tali pręcepto, licet .n. ignoraretur, tamen imminebat mortis periculum, quando cõmunicauit in mane, dum eodem die ab illo correptus eſt, omnis autem homo quando aliquid agit, habet ſaltem implicite intentionem ſatisfaciendi per ipſam actionem omni ſuæ obligationi. *Ita noſt. Petigian. in 4. T. 1. diſt. 9. q 3. a. 7., Suar. in 3. p. diſp. 69. ſect. 3. Granad. in 3. p. contr. 6. tract. 10. diſp. 3., Lambran. de Sacr. temp. mor. miniſtr. c. 3. dub. 1., Coninch. de Sacr. q. 80. ar. 11. dub. 3. Ragucc. in prax. conf. n. 32. fol. 189., Fauſtus de Euchar. l. 1. q. 247., & Eminentiſs. de Lugo de Euchar. diſp. 16. ſect. 3. n. 52. & alij.* Attamen probabiliter non ſolum, verũ etiã magis piè affirmant alij nõ ſolũ poſſe, ſed etiã debere, qui manè celebrauit, vel communicauit ſi eodẽ die incidat in periculum mortis etiamſi nõ ſit ieiunus communicare iterũ per modum viatici, quia cõmunio pro articulo mortis eſt de iure diuino, vt probabiliter monſtratum eſt ſupra, præualet ergo cuicunq; poſitiuo, quale eſt ſolum ſemel in die, & ieiunus quis cõmunicet, ergo licet fuerit cõmunicatus in mane ex deuotione, vel præcepto, vel alia cauſa, & non ſit ieiunus, ſi eodem die adueniat periculũ mortis, debet iterum cõmunicare per modũ viatici, vt diuino pręcepto ſatisfaciat in tali articulo; quia verè in mane non ſumpſit corpus Chriſti per modum viatici, vt præcipit Eccleſia, qui ſpecialibus etiam orationibus adiuuatur ab Eccleſia ad cõmuniendum infirmum in tranſitu tam periculoſo, videtur ergo de intentione Eccleſię à Spiritu Sancto edocta, vt cõmunio ſpecialiter in illo articulo à quocunq; fideli per modum viatici ſumatur quatenus in articulo eſt, & non aliter ad ſalutẽ morienti ſecurius parãdam. Ita *Hurtad. de Mend. diſp. 10. de Sacr. diffic. 2., Turrianus in ſum. p. 2. cap. 58. dub. 2., Petr. de Ocogoua de Euchar. q. 14. n. 7., Kelliſonus in 3. p. T. 2. q. 80. a. 11. notab. 1., Diana 5. p. tract. 3. reſol. 33. & Vaſq. videtur etiam in hanc ſententiam currere in 3. p. T. 3. q. 80. ar. 11. diſp. 114. c. 2. num. 13. & 14.*

Nec obſtat, quod ſatisfeciſſe videtur infirmus per cõmunionem factam in mane, quia moraliter cõmunio facta in mane, videtur eſſe facta pro eadem die, in quo periculum mortis adeſt, nam hoc præceptum obligat præciſè pro articulo mortis phyſicè conſiderato, & non moraliter, nam phyſico illo tranſitu ordinatur communio, vt viaticum, ergo obligat pro illo articulo phyſicè, & in illo debet ſumi, quia in illo eo moribundus indiget ad tutè proficiſcendum ex hac vita.

Quod autem intentio virtualis ſatisfaciendi omni obligationi per actionẽ per quam quis facit, non ſufficiat in præſenti caſu, patet ex eo, quod intẽtio virtualis nõ operatur in re, quę ſpecialẽ intentionem actualem, nec aliã præparationẽ, & modum requirit, vt eſt in audienda Miſſa, in qua intentio virtualis ſufficit, quia non requiritur ad eam audiẽdam alia ſpecialis pręparatio, & modus, at vero in re in qua requiritur præparatio alia, & alius mdous non poteſt ſatisfieri per intentionem virtualem cuiuſcumq; actionis, hinc ſi quis habeat votum manendi per horam in Eccleſia ad actualiter orandũ genibus flexis pro mortuis, non ſatisfaciet, qui per horam manſit in Eccleſia, abſq; eo q orauerit actu pro mortuis per ſolam intẽtionem virtualem, qua quis intendit actione, quam facit, ſatisfacere omni ſuæ obligationi, quia intentio virtualis non poteſt ſupplere, quod actu neceſſariũ eſt in tali actione, in qua requiritur ſpecialis præparatio, vel modus, itaq; cum in cõmunione per modum viatici requirantur ſpeciales orationes ab Eccleſia ordinatę, ſpecialis præparatio ſumentis, qui ſ. ſumat Corpus Chriſti in hoc articulo tãquã ſibi neceſſariũ, & maximè proficuum ad tãtum trãſitũ, vnde maiori feruore, & pietate quęrit ſeſe Chriſto vnire.

Dico ſecundò, quod licet *Vaſq. in 3. p. T. 3. diſp. 211. c. 4.* & alij negent rigidè nimis, non poſſe, qui ſemel cõmunicauit per modum viatici in eadem infirmitate, ſi ſuperuiuat adhuc pluribus diebus iterũ ex deuotione viaticum ſacrum ſumere, ſi non ſit ieiunus, quia iam priori cõmunione ſatisfecit præcepto diuino ratione cuius potuit communicare non ieiunus, non ergo exiſtente alia vice præcepto diuino de cõmunicãdo, non poterit cõmunicare non ieiunus, quia non adeſt ratio diſpenſandi in pręcepto poſitiuo, quod iubet vnuſquiſq; ieiunus communicet.

Attamen magis piè, & probabiliter dicẽdum puto cum alijs grauiſſimis Doctoribus, quod in eadem infirmitate poſtquam infirmus in articulo mortis cõmunicauit non ieiunus, ſi tertia die adhuc ſuperuiuat, & ſolitus ſit ſæpius cõmunicari ſanus, vel feruentius ex poſcat ſibi etiam alia vice dari corpus Chriſti cognoſcens ſibi maximè pro futurum ad illum tranſitum tremendum, poteſt ei dari, etiam ſi non ſit ieiunus, quod probatur ex interpretata benigniſſima mente Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ tantum præſidium expoſſenti ad maiorẽ ſui deuotionem, & vtilitatem in tempore, in quo maximè Chriſtianus indiget ſalutaribus auxilijs, præſumenda eſt velle in illo caſu petitioni moribundi fidelis indulgere, etiam non ieiunio, vt poſſit communicare, quod etiam elicitur ex *Conc. Conſtant. ſeſſ. 15.* vbi dicitur in caſu infirmitatis poſſe dare Euchariſtiam non ieiuno, nec voluit ibi pia Mater Eccleſia ſpecificare ſemel hoc licere in infirmitate, ſed abſolutè licere in infirmitate, vt certè fideles plures ſi velint ſumere Corpus Chriſti in infirmitate non retardentur eo, quod fortè non ſunt ieiuni, quia in infirmitate diſpenſat poſſe dari Corpus Chriſti non ieiuno. Ita

Quod autem pluries in eadem infirmitate poſſit nõ ieiunus cõmunicare ægrotus ſentiunt *Armilla V. Comm. n. 18., Tol. l. 10. c. 15., Sot. in 4. diſt. 12. q. 1. a. 8., Victoria in ſum. num. 82. Graff. deciſ. p. 1. l. 2. c. 38., Reginald. T. 2. l. 29. c. 6., Henriq. l. 8. c. 4. n. 1. & c. 50. n. 1., & Suar. 3. p. T. 3. diſp. 98. & alij, Eminentiſs. de Lugo de Sacram. Euch. diſp. 15., ſect. 3. n. 64., Granad. in 3. p. contr. 6. tract. 10. diſput. 8.*, vbi etiam probabiliter cum Suar. notat, quod licet infirmus poſſet expectare ieiunus per vnam, aut alteram horam poſt mediam noctem, non eſſe neceſſarium eo tempore nocturno intempeſtiuo quidem proferenda Euchariſtia, vocare Sacerdotem ad eam dandam, ſed poſſe cibo refici infirmum, & hora opportuna eum communicare, quod etiam docet *Tannerus T. 3. diſput. 5. q. 8. dub. 4., & Diana 5. p. tract. 3. reſol. 37.* qui etiam pro hac opinione citat *Mercynam, Marcantium, & Fagundez, & in p. tract. 14. pro eadem opin. citat alios Doctores.*

Ceterum, quod tertia quaq; die infirmo petenti iuxta ſuam conſuetudinem ſi ſuperuiuat poſt ſumptũ Corpus Chriſti per modũ viatici, vt iterum cõmunicat, vel etiam petenti, quia putat ſe iterũ indigere tanto adiutorio in tali tranſitu, poſſit dari

docent *Ludouicus de S. Ioanne in ſum. T. 1. q. 7. art. 10. diffic. 4. de Sacram. Euch.* & hoc approbatum fuiſſe ab vniuerſitate de Alcalá refert immo *Paulus Laym. in Theol. mor. l. 5. tr. 4. c. 5. n. 20.* etiam in ſequenti die, ſi iterum indigere ſe poſtulat hoc ſacratiſſimo viatico infirmus, ſuadet dandum, ſi mortis periculum imminere videatur, etiamſi non ſit ieiunus, ſui opinioni videtur adhærere *Diana 3. p. tr. 4. de Sacr. reſol. 44.* quam opinionem probabilem puto, quia magis ad honorē Dei, & ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſurgere videtur, quod infirmus proximus morti tanto adiutorio indigēs ad propulſandas inimici tentationes in illo tranſitu non ieiunus communicet, quam ſeruetur ieiunium, & ægrotus priuatur tāto ſubſidio, dulcis enim eſt miſericors Dominus, qui ſacratiſſimā ſua in faciem fætidis ſputis libēter ſuppoſuit pro noſtra ſalute, poteſt enim præſupponi libenter velle etiā in corpus non ieiunum intrare noui faciens hāc ſibi reuerentiā debitam, vt ſuum fidelem moribundum ſuo ſacratiſſimo corpore ſpiritualiter conſoletur, proteget, & communiat in illo tranſitu.

Denique monendos hic volo Parochos, & confeſſores, vt in hac materia eam opinionem amplectantur, quæ ad ſedandos ſcrupulos, vel conſolationem afferendam moribundis viderint expedire.

Etenim, ſi egrotus ſit admodum deuotus, & pius, & feruentior agnoſcatur in amore Dei, & appetat pluries ſumere Euchariſtiam, poteſt tuta conſcientia etiam non ieiuno ea porrigi, quod ſi non petat pluries cōmunicari, non debet faſtidiri à Parocho, vel cōfeſſar. ſub ſpecie maioris deuotionis.

Ita etiam dicendum, quod qui communicauit in mane, ſi in illo die conſtituatur in articulo mortis, & cognoſcatur infirmus non vexādus, ſi ſuadentur iterum communicare pro articulo mortis, congruum eſt, & vtile, vt ad communicandū etiam per modum viatici iterum ſuadeatur, quod ſi ſuſpicetur fere id infirmo graue, & ab hac ſuaſione vexandū, poterit Parochus, & confeſſarius vti alia opinione probabili, quod non teneatur cōmunicare, & ægrotum nō vexet, ſed ad actus amoris erga Deum, & ſuorum peccatorum dolorem ſuauiter, dulciterque eliciendos animum eius ſatagat inclinare.

Vtrum in articulo mortis non potens deglutire particulam conſecratam, poſſit in cocleari cum modico vino miniſtrari, vel ſaltem ei ſanguinem conſecratum loco panis conſecrati tradere.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod in praxi putant poſſe deduci, ſi infirmus non poſſit deglutire Sacramentum propter ariditatem faucium, vel ob malum aliquod gutturale, poſſe ei dare paruam partem hoſtiæ impoſitam in cocleari cum modico vino *Suar. in 3. p. T. 3. diſp. 67. ſect. 6. §. ſecundus caſus, & diſp. 71. ſect. 3. ſub finem. Prepoſ. in 3. p. D. Th. q. 8. a. 8. dub. 1. & Diana 4. p. tract. 4. reſol. 104. §. nota,* etiā pro praxi, & tamē ipſe *Diana inf. reſ. 114.* videtur negare, quod in cocleari argenteo poſſit dari Euchariſtia infirmo peſte laboranti, ne tāgat eum, & inficiatur, fateor mei ingenij imbecillitatē, cur cum cocleari cum vino, vni dari valeat Euchariſtia, & non alteri, cum in vtroque caſu per inſtrumentum, & non manibus immediatè Euchariſtia miniſtretur. Quare in neutro caſu hoc probabile puto, cum corpus Chriſti extra vas, & laneum conſecratum, & benedictum non debeat poni, vt vniuerſalis Eccleſiæ ſeruat ritus, & conſuetudo, & colligitur extra *de conſecr. Eccleſia, vel Altari*, forte tamen minor eſſet irreuerentia ipſum Sacerdotem in calice cum parum vini particulam poſitam miniſtrare infirmo non potenti deglutire, & peſte laboranti in ſummitate calicis adaptatam ſacram particulam miniſtrare, ita vt lingua iam facile poſſit accipere æger, & deglutire.

Dico ſecundò, quod licet *Ochogouia de Sacram. tract. 2. de Euch. effect. q. 18. n. 9.* abſolutè affirmet probabiliter, & *Nugn. in 3. p. T. 1. q. 80. a. 12. concl. 3.* de conſenſu ſolum Epiſcopi velit poſſe infirmo non valenti deglutire hoſtiam ſacram, valenti autem deglutire vinum conſecratum, miniſtrari ſanguinem Chriſti, quia Euchariſtiam ſumere in mortis articulo eſt de iure diuino, communicare autem ſub ſpecie panis eſt de iure poſitiuo, quod cedere debet iuri diuino, quare debet ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini ei miniſtrari ad adimplēdum pręceptum diuinum, dum ei non poteſt porrigi corpus Chriſti, quibus videtur adhærere *Diana 5. p. tr. 3. reſol. 34. T. 1. diſt. 8. q. 3. a. 6. Suar. 3. p. T. 3. diſp. 80. ſect. 3. Syluius in 3. p. q. 80. a. 13. Fagundez de prac. Eccl. prac. 3. c. 2.* & alij probabilius negant, quia in tali caſu ius diuinum non obligat, cum vere ſit impeditus æger eo modo ordinatè ſumere, quo S. Mater Eccleſia ab ipſo Deo edocta iubet communionem porrigi. Quare licet prior opinio ſpeculatiuè loquendo non videatur improbabilis, attamen in re tam graui non eſt practicanda non ſolum de conſenſu Epiſcopi, qui non eſt ſupra ius commune, ſed expectandum eſt in praxi Sedis Apoſtolicæ iudicium, ad quam ſpectat nouos ritus inducere, etenim in quibuſdam nouitatibus practicandis non debemus ſolum inſpicere, quid rationes ſpeculatiuę probēt, ſed quid in praxi *Sancta Mater Romana Eccleſia determinet*.

Vtrum Sacerdos, ac etiam laicus in articulo mortis conſtitutus, ſi nullus adſit Sacerdos, poſſit à laico quocumque Communionem accipere, & nullo etiam laico exiſtente, an poſſit proprijs manibus ſibi communionem Euchariſticam porrigere.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, certum eſſe Sacerdotem nō ſolum in mortis articulo, ſi nullus alius adſit Sacerdos, ſed etiam in aliquo magno feſto, ſcandalo tamen ceſſante, ſi nō poſſit celebrare, poteſt de particulis conſecratis in pixide ſeruatis ſeipſum communicare, etiam præſente Diacono, quia eſt miniſter conſecratus ad miniſtrandam ſacratiſſimam Euchariſtiam. Ita etiam *Sua. Layman. et Coninch.* quos citat, & ſequitur *Diana p. p. tract. 4. de Sacr. reſol. 43.*

Dico ſecundò, quod licet *Valent. T. 4. diſp. 6. q. 10. p. 1. Layman. in Theol. mor. l. 5. tr. 4. c. 7. Coninch. de Sacram. q. 82. a. 3. n. 23. et Diana tr. 4. de Sacr. p. 1. reſol. 47.* velint poſſe laicum etiam in neceſſitate communionem ſacratiſſimam miniſtrare, ex eo, quia nec iuri diuino, nec Eccleſiaſtico repugnare putent, volentes *in c. peruenit de conſecra. diſt. 2.* prohiberi ſolum laico cōmunicare extra caſum neceſſitatis, attamen, quia non omnia, quæ ratio ſpeculatiua probabiliter dictat, licent in praxi, ideo hæc opinio in praxim non eſt deducenda, quare omnino dicendum cum *Scoto in 4. diſt. 13. q. 2. ad quintum Sylu. V. Euchar. 3. q. 4. Fagundez. precep. 3. l. 3. c. p. n. 10. Sot. in 4. diſt. 23. q. 1. a. 3.* non poſſe laicum etiam in neceſſitate communionem miniſtrare noſtris temporibus, licet enim aliquādo teſte *Baronio ex Cyrillo alijs T. 1. pag. 472.* tempore, quo Tyranni ſæuiebant, Chriſtiani particulas conſecratas à Sacerdotibus acceptas domum deferebant à ſe ipſis ſumendas quotidie mane, quem morē duraſſe in Eccleſia occidentali vſquę ad tempora Hormiddæ Papæ, teſtantur etiam alij, vide *Bellarmin. de Euchar. l. 4. c. 4.* attamen hodie ex præſato *c. peruenit* abſolutè prohibetur laico communionem miniſtrare, & ſacratiſſimum corpus Chriſti miniſtrare, nec valet contrariæ ſententiæ Doctorum reſponſio, quod ſolum extra neceſſitatem id prohibeatur, nam vniuerſalis Eccleſiæ traditioni repugnat talis reſponſio, quæ in caſu neceſſitatis non practicat talem opinionem, etenim ſi Eccleſia in neceſſitate licere laico vellet communionem miniſtrare, non pretermiſiſſet in Rituali hoc apponere, & modum etiam, quo eam deferre, & miniſtrare deberet, appoſuiſſet; neceſſaria enim in re graui non eſt negligens Eccleſia tradere, & docere. Quare

Dico tertiò, quod laico in articulo conſtituto non licet proprijs manibus hiſce temporibus ſe communicare, quia non habet auctoritatem eam ſibi miniſtrare, cum nō ſit miniſter ad talem actum conſecratus. Ita etiam *Bonac. de Sacerd. diſp. 4. q. 5. p. 1. Lambran. de caſ. temp. mor. c. 3. dub. 6.* & alij, itaque in hoc non ſunt audiendi *Suar. 3. p. T. 3. diſput. 22. ſect. 3. Coninch. de Sacram. q. 82. a. 3. Layman in Theol. mor. l. 5. tr. 4. c. 7.* qui exempli Reginæ Scotię, quę in Anglia martyrium ſumptura, Sacramentum Euchariſtiæ, quod ſecum habebat, proprijs manibus ſumpſit, docent cuicumque laico in neceſſitatis articulo licere ſeipſum communicare, nam exemplum vnius, non debet adduci ad probandum factum omnibus licere, præterquam, quod illi Reg. dum martyrium erat ſubitura, ſpeciali ſpiritus ſancti impulſu, vel reuelatione id ſibi ſpecialiter conceſſum piè præſumendum, certum eſt ſaltem contra iſtorum Doctorum hanc opinionem eſſe Eccleſiæ praxim, & vſum.

Miror tamen, quod *Diana* in præfata *reſol. 34.* contra *Scotum* inſurgat, quod *in 4. diſt. 13. queſt. 2. a. 6.* dixerit laicum

in ca-

in caſu, quo ſanguis Chriſti conſecratus non poſſet ſumi à Sacerdote morte præuento, ſi ſeruari nequeat ſine periculo corruptionis, vel irreuerentiæ puta ſi venire in manus infidelium timeretur, an poſſit ſumere dictũ ſanguinem, cum in illa queſtione, nec alibi Scotus de tali re ſit locutus, ſolum in calce illius quæſtionis ait *ex cap. peruenit de Conſecr.* non licere laico diſpenſare Corpus Chriſti; de hoc autem caſu neceſſitatis nihil ibi locutus eſt Scotus.

Vtrum in loco, vbi ſunt plura Horologia, ſi inter cœnandum audiat communicaturus in mane alterum iſtorum pulſare horam mediæ noctis debeat cœnam ſuſpendere, an vero valeat proſequi quouſque alterum pulſet, quid ſi dubitet an illa hora pulſata fuerit mediæ noctis ſignum.

DIFFIC. IX.

DIco primo quod certum mihi videtur, quod vbi vnum eſt horologium, & inter cęnandum det ſignum horæ mediæ noctis, ſi cænans ſit cõmunicaturus mane, ſi ſciat primum tactum horologij eſſe ſignũ mediæ noctis, debet ſuſpendere ſtatim cęnam, & cibũ, alioquin ſi poſt primum tactũ mãducaret, nam frangeret ieiuniũ naturale, nam cum ſignũ medię noctis ab horologio ſignetur vno tactu, & nõ neceſſariop plures, primus tactus indicat horam completam, ſecundus autem tactus eſt principium alterius horæ, itaq; ſi bucellã in ore teneat, eam proijciat, aliter ſolueret ieiunium naturale, ſed ne ſit nimis ſcrupuloſus ſi reliquiæ cibi inter dentes, & in palato remãſerint, quia per modum ſaliuæ potius deglutiuntur quam per modum cibi, vel potus, quod ſi ſolum ſeruaturus eſſet ieiunium Eccleſiaſticum in mane, poſſet expectari vltimus tactus Campanæ, quia non eſt ita rigoroſè ſeruandum ieiunium Eccleſiaſticum, vt non admittat paruitatem materiæ contra ſuum inſtitutum. Ita etiam *noſter Villalob. in ſum. T. 1. tr. 1. diffic. 21., & Sancius in ſelect. diſp. 42.*

Dico ſecundò, quod vbi ſunt plura horologia, ſi vnum ex ipſis ſignet horam mediæ noctis inter cænandum, qui cõmunicaturus eſt manè, probabile eſt, quod non ſubito abſtineat à cibo, ſed poſsit proſequi cõmeſtionem, vſquequo alterũ eamdem horam mediæ noctis pulſet, quod patet ex eo, quia dum plura holorogia creduntur iuſtè horas pulſare, poteſt quis credere cui mauult ex ipſis, ſicut ſi de vna eadem re ſint duę opiniones probabiles, poteſt quis eligere quam mauult. Ita *noſter Villal. & Sancius loc. cit., Fagund., & Sanch.* quos citat, & ſequitur *Dian. 3. p. tr. 4. de Sacr. reſol.* 36. Verum eſt tamen, quod tutius eſſet abſtinendum ad primum tactum primi horologij docent *noſter Rodriq. in noua editione ſua ſum. T. 1. c.* 105. *& Ioannes Salas in p. 2.; D. Thom. tract. 8. diſput. vn. tract.* 25. cum tutius ſit in hac materia ieiunij naturalis phyſicam veritatem, quam moralem probabilitatem.

Ceterum probabilius dicendum putarem in hoc caſu, quod quis tenetur ſe accomodare illi horologio, ſecundum ꝙ paſſim ſolet ſua negotia peragere, vel ſi non ſolet hanc aduertentiam habere, debet ſequi horologiũ ſuæ Parochię, ſeu vicinię, ita vt ſi aliud alterius Parochiæ, vel viciniæ prius dederit ſignũ mediæ noctis, poteſt expectare ꝙ pulſet eandem horam horologium ſuę vicinię, vel Parochiæ, ſi verò tetigerit horã medię noctis horologiũ iſtud, non põt expectare, quod alterum pulſet, quia iam in ſua vicinia, & Parochia adeſt ſignum mediæ noctis, & habet iam ieiuniũ naturale ius in d. loco, ꝙ ſi in eadem Parochia, vel vicinia ſint duo, vel plura horologia, quorũ ſingulis indifferenter ſolet credere, põt in hoc caſu cũ prima opinione cui mauult credere, q̃a nõ tenetur magis vni, quã alteri ſe ſe accomodare.

Dico tertiò, quod ſi quis dubitet an hora mediæ noctis inter cenandũ, pulſata fuerit nec ne, licet, ſi deponat dubium practicè .i. quod hic, & nunc ſtãte dubio ſpeculatiuo, liceat tamẽ comeſtionem proſequi, & in mane communicare, quia poſſeſſio temporis dubij ſtat pro comedente, probabile, eſt non teneri ceſſare à cæna, vt docent *Sancius, & Diana loc. cit. reſol.* 29., *& Paulus Layman in Theo. mor. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4.* quod autem poſſit tolli dubium practicum remanente dubio ſpeculatiuo probabiliter Deo dante infra ex Scoti doctrina V. dubium.

Attamen tutius videtur abſtinendum, quia data hora dubia mediæ noctis incipit ieiunium naturale poſſeſſionem ſui præcepti accipere ſub dubio, in dubijs autem quando agitur de reuerentia exibenda præcipuè, tutior pars eſt eligenda in fauorẽ reuerentiæ non autem in fauorem exibentis, quia tutius eſt, vt patiatur aliquid contra ſe exibiturus reuerentiam, quam faciat aliquod irreuerentiam generans, vt patet apud Polyticos, ita etiã tutius eſt in dubio horæ medię noctis, vt abſtineat à cibo, quã manducando ſe exponat certo periculo irreuerentiã in ſe generãdi, vnde non poſſit reuerenter cõmunicare. Ita & *noſt. Villal. loc. cit. Sanch. de mat. T. 1. l. 2. diſp. 41. & Fagun. l. 3. c. 5.*

Ceterum poſt factum ſi vrgeat præceptũ, vel neceſſitas cõmunicandi, vel celebrãdi, nec potuerit haberi certitudo medię noctis in præfato caſu, non puto abſurdũ ſequi primã opinionẽ ſi deponat practicè dubium, quod ſi ex ſola deuotione, & poſſit cõmodè differri, ſequenda ſecunda opinio tanquam tutior, in dubijs .n. magis fauorabilia conſcientijs poſſumus ſequi maximè ſtante neceſſitate, dum expreſſa iniuria non fit Sacram.

Idem dicendum, quando quis dubitat an ante mediam noctem deglutiuerit aliquid, an vero poſt mediam noctem.

Vtrum ſi quis poſt mediam noctem reliquias cibi inter dentes, vel paululum ligni, vnguis, metalli, & ſimilium, aut os abluendo paululum aquæ, aut inſculum deguſtando aliquid incidenter deglutiat, aut quid aromaticum inter dentes, vel Tabachum in folio maſticet, vel in fumo, aut puluere illud ſumat poſſit in mane communicare tanquam vere ieiunus.

DIFFIC. X.

PRo reſponſione ad ſingula, quæ in hac difficultate quæruntur, & ad hiſce conſimilia notandũ eſt, quid ſit ieiunium naturale, nam ea omnia, quę ſumpta poſt mediam noctem poſſunt ieiunium naturale frangere, impediunt in mane Communionem vt communiter Theologi.

Diffinitionem ergo ieiunij naturalis adducit exactiſſime, vt ſemper ſolet *noſt. ſubtiliſſimus Doctor in 4. diſt. 8. q. 3. in corp. quæſt.* vbi ſic ait (Ieiunium naturæ eſt carentia cibi ſuſcepti in ſtomaco, vel in via ad ſtomacũ, ita quod intret in ſtomacum in illa die à principio ſcilicet huius diei, à quo dicitur aliquis ieiunus) Aduerte autem in hac diffinitione prima quod *noſt. hic Doctor* vocem cibi poſuit hic generaliter pro omni eo, quod traijcitur in ſtomacum ſiue per modum comeſtionis, ſiue per modum potus, nam hæc vox cibus, tam ad res comeſtibiles, quam potabiles extẽditur, hinc Cibale a cibo deductum etiam pro liquentibus alimentis puta pro lacte ouillo, & caprino accipitur à *Varrone*, & apud *Colummellam l.* 12. cibarium, quod à cibo deriuatur videtur ad potabilia extendere dum ait (quaterni Cyathi diurna ſunt cibaria, cum magis terni, vel bini prębeantur) id notatum hic volui contra quoſdam, quos non puduit carpere tantum Doctorem, vt abſtinentiam ſolum comeſtibilium, non autem potabilium voluerit *Scotus* eſſe ieiunium naturale, quia cibum putant ſatis ineptè ſolum comeſtibilia ſignificare, non autem potabilia, certum eſt ergo, vt ipſemet ſe infra in ipſamet quęſtione expreſsè declarat, ſub nomine cibi hic intelligi omne comeſtibile, & potabile.

Ieiuniũ ergo naturale iuxta mentẽ Scoti eſt abſtinẽtia à quocumq; cibo .i. à quacumq; re comeſtibili, vel potabili, ita vt ille dicatur ieiunus naturaliter, qui nullã rẽ potabilem, vel comeſtibilem in ratione cibi .i. ſumpti ad modũ, quos res cibariæ comeſtibiles, vel potabiles ſumi ſolent, in ſtomacũ, & per viã, quę ducit ad ſtomacũ actu tranſmiſerit; ita vt res comeſtibilis, vel potabilis per os, & guttur, & fiſtulã deducentẽ ad uentriculũ .i. locũ, in quem cibus traijcitur, & ſeruatur ad cõcoctionẽ faciẽdam, qui ventriculus ſtomacus hic iuxta communiorem acceptionẽ dicitur, omnino debet deſcendere tanquam cibus, & in ipſo ſthomaco, vel vẽtriculo reponi ad concoquendum, itaq; ſi res non ſit comeſtibilis, & potabilis, licet traijciatur in ſthomacũ, non franger ieiuniũ naturale, quia per ſe talẽ traiectionem in ſtomacum adhuc ſtomacus eſt nouus reſpectu cibi ſumendi, & dicitur talis abſtinere à cibo, & e contra, ſi quis aliquid comeſtibile, vel potabile ſumeret, at nõ per modũ cibi, nec per viã ad ſthomacũ, diceretur adhuc ieiunus, quia ſi non per modũ cibi, nec per viã ad ſthomacũ per os ſc. ſed per nares aliquid, vel per reſpirationẽ deglutiret, & per accidẽs in ſtomacũ tranſmitteretur, diceretur verè abſtinuiſſe à cibo ſuſcepto in ſthomaco, & ſthomacus diceretur adhuc nouus reſpectu cibi, quia iſt hæc non recipit ad modũ, & in ratione cibi. Item ſi res aliqua per os degluteretur, attamen propter ſuæ paruitatis materiam, vel leuitatem non traſcenderet in ſthomacum, & in ipſum non reciperetur, nec frangeret ieiunium naturale, quia ſthomacus adhuc dicitur verè nouus, & à cibo abſtinens.

Quatuor ergo videntur requiri ad ieiunium naturale ad cognoſcendum ſeruatum ne ſit, an fractum.

Primò, quod res à qua debet abſtinere, qui dicendus eſt ieiunus naturaliter, ſit res comeſtibilis, vel potabilis, probatur, quia ieiunium naturale eſt abſtinentia cibi, res autem comeſtibilis, & potabilis ſolum dicitur cibus, vnde ſi quis deglutiret lapillum, vel particulam ferri, aut alterius metalli non comeſtibilis, nec potabilis, verè diceretur abſtinuiſſe à cibo, eſſetq; dicendus ieiunus naturaliter.

Secundò, quod res comeſtibilis, vel potabilis debet traijci per modum cibi, ideſt eo modo naturali, & actione vitali, qua paſſim homo manducat, & bibit, quod ſi traijciatur per nares, vel rationem per accidens in ſthomacum, vel etiam per os admodum ſaliuæ, etiam ſi non foret formaliter ſaliua, ſed aliquid inſeparabiliter cum ſaliua coniunctum puta relictum ex maſticatione alicuius rei, vel ſanguis ex gingiua, vel capite deſcendens, quæ omnia etiam ſi traijciantur in ſthomacum, non tamen per modum cibi, & verè talia cibi non ſunt, ſed per modum cuiuſdã ſtillicidij, vnde ſthomacus ex talium receptione dicitur verè nouus, & à cibo abſtinẽs. Vide *Eminentiſſ. de Lugo de Sacr. Euch. diſp. 15. ſect. 2. n. 28. & 33.* in hac materia optimè ſcribentem.

Tertiò, quod res comeſtibilis, & potabilis ſit talis in re, & tanta in quantitate, vt vere recipi dicatur in ſthomaco, vnde verè dicatur poſt ipſius receptionem ſthomacus non eſſe abſtinens à re comeſtibili, & potabili, nec eſſe re vera nouus, vnde ſi quis deglutiendo guttam aquæ, vel vini dum os abluit, credibile eſt, vt non recipiatur gutta illa in ſthomaco, quia faciliter à calore dum per guttur, & deinde per fiſtulam deſcendit ab ipſo calore naturali conſumitur, maximè in Epaticis, qui nimio calore feruent.

Quartò, requiritur, vt abſtinẽtia hæc incipiat à media nocte immediatè antecedente ad diem, in qua facienda eſt communio, vſque ad horam communionis incluſiuè hiſce ergo ſuppoſitis ad ſingula in difficultate quæſita facilis erit reſponſio. Quare

Dico primò, quod reliquias cibi, quæ ex antecedenti cena remanſerunt intra dentes, volunt *Paludanus in 4. diſt. 8. q. 2. art. 2. Vaſqu. 3. p. T. 3. diſput. 2.* & alij, ſiquis traiciat in ſthomacũ, frangat ieiunium naturale ex eo, quod per modum cibi, & nouæ comeſtionis tranſmittatur in ſthomacum. attamen *noſtri Rodriq. in ſum. T. 1. c. 13. & Piſigian. in 4. diſt. 18. q. 3. a. 3. Molfeſ. Suar. Henr. q. Comneb. & Tabiena*, quos citat, & ſequitur *Diana te. 4. de Sacr. reſol. 37.* negant traijcientem reliquias huiuſmodi inter dentes, quæ remanſerunt ex cæna antecedenti, frangere ieiunium naturale, quia per huiuſmodi reliquiarum deglutionem non dicitur quis cibum ſumere, ſed potius eas per modum ſaliua deglutire.

Quod ſane puto verum, ſi reliquiæ ita ſint paruæ, vt maſticari nequeant, quia vt ſic per modum rei coniunctæ cum ſaliua, & per modum ſaliuæ verè deglutiũtur, & non per modum cibi, ſi vero reliquia ita ſit groſſa, vt verè maſticari poſſit inter dentes, iam per modum cibi traijcitur, & non per modum ſaliuæ, vnde etiamſi deglutiatur abſque maſticatione, quia verè eſt maſticabilis, per modum cibi ſumitur, quia res, quæ maſticari poteſt, recedit à ratione ſaliuæ.

Conſultius ergo reliquiæ iſtæ expuendæ, quod ſi per accidens deglutiantur, vtere opinione, quæ tibi magis videtur fauorabilis, maximè ſi communio, vel celebratio æquè bene differri nequeat.

Dico ſecundò, quod ſiquis poſt mediam noctem ante communionem in mane deglutiret lapillum, fruſtulum ligni, vnguis, papyri, quæ maſticabilia non ſunt, ſiue cuiuſcunque metalli, licet ea in ſthomacum tranſmitteret, adhuc quia probabiliter diceretur ieiunus naturaliter, poſſet probabiliter dici in mane cõmunicare valere ſine ſcrupulo, quia verè dicitur cũ ſũptione iſtorũ abſtinuiſſe a cibo, iſta .n. & ſimilia nõ poſſunt ſumi p modũ potus, quia nõ ſũt liquida, nõ p modũ cibi, quia nõ poſſũt maſticari in ordine ad ſtomacũ reficiẽdũ, nec poſſunt in ratione cibi trãſmiſſi alterari à ſtomaco, ergo talia ſumens dicitur vere cibum non ſumpſiſſe, atque adeo verè dicendus eſt naturaliter ieiunus, & communionem ſine ſcrupulo ſumere poteſt, nam iſta cum non habeant rationem ciborum, non frangunt ieiunium naturale, de cuius ratione eſt abſtinentia à cibo, non autem a ceteris, quæ non ſunt cibi, quia non habent rationem nutritiui. Ita ex doctrina *Scoti* ſupra explicata probabiliter deduci poteſt, quam doctrinam ſecuntur *Ledeſma T. 1. de Sacram. Euchar. cap. 23. ſum. Corona p. 4. c. 9. n. 65. Ioannes de la Cruz in direct. conſc. p. 2. de Euchar. q. 5. dub. 4. concl. 2. Ludouicus à S. Ioanne in ſum. p. 1. tract. de Euchar. q. 7. a. 10. Sancius in ſelect. diſp. 42. n. 23. Vegha in ſpec. T. 4. c. 10. §. 17. Alphonſ. de Leone de offic. Capellan. q. 8. ſect. 7. caſ. 2. & Diana 3. p. tract. 4. de Sacram. reſol. 38. & de celebr. Miſſ. reſol. 52.* Immo addit *Eminentiſs. de Lugo loc. cit.* quod ſi quis quantitatem aureorum deglutiret ante communionem, poſſet communicare adhuc licitè, quia non ſumuntur per modum cibi, & natura cum excrementis ea, & conſimilia ſolet reddere, quia alterabilia non ſunt admodum cibi. Ita etiam *Diana 5. p. miſc. 13. reſol. 1.* nec obſtat, quod aurum datur pro medicina, ergo per modum cibi poteſt ſumi, nam verum eſt ſi in puluere, aut filio reddatur potabile per aliquas ſpeciales alterationes, non autem, vt ſic ſumptum.

Tutius tamen alij volunt abſtinentiam à cibo catenus eſſe de ratione ieiunij naturalis, quatenus cibus dicit omne deglutibile, quod non ſit ſaliua, itaque quodcumque quod deglutitur, & tranſmittitur per viam ad ſtomacum, modo nõ ſit ſaliua, vel per modum ſaliuæ volunt etiam iuxta mentem *Scoti* in præfata diffinitione; quam affert de ieiunio naturali frangere ieiunium naturale, ſiue ſit nutritiuum, ſiue non ſit nutritiuum, quia per quodcumque receptum in ſthomaco, ſtomacus non eſt nouus. & conſequenter dicta deglutientes tanquam vere non ieiunos communicare ſine peccato non poſſe docet *ex D. Th. in 3. p. q. 8. a. 8. in ſolut. ad quartum, Nugnus, quod etiam aſſerunt noſt. Villal. in ſum. T. 1. tract. 7. diff. 39. & Reginal. T. 2. l. 29. c. 6. Nald. in ſum. V. Euch. n. 10. Layman. in Theol. mor. l. 5. tr. 4. c. 6. Henr. l. 8. c. 49. n. 2. & in gloſ. lit. O.* & alij. Tutior in quam hæc opinio, vt potè quæ videtur fauere reuerentiæ debendę Sacramento, at non probabilior mihi videtur, cum nimis largè extendant iſti Doctores rationem cibi ad quodcumque, quod nõ immittitur per modum ſaliuæ, vel nutriat, vel non nutriat, voces enim poſitæ in diffinitionibus eſſentialibus non debent in quacumque larga ſumi ſignificatione, ſed in propria, & rigoroſa ſua ſignificatione, vt patet apud metaphiſicos, quare licet iſta opinio debeat ſuaderi tanquam magis pia, in caſu tamen neceſſitatis ad tollendos ſcrupulos, tuta conſcientia, ita dictante ratione probabili, poteſt prior amplecti.

Dico tertiò, quod ſiquis os abluendo, vel iuſculum deguſtando poſt mediam noctem ante ſumptionem Sacratiſſimæ Euchariſtiæ incidenter guttula translaberetur per guttur in fiſtulam tanquam perviam ad ſthomacum probabile eſt nõ frangere ieiunium naturale, & conſequenter poſſe in mane communicare. Ita *Bonac. de Sacr. Euchar. diſp. 4. q. 6. punct. 6. n. 6.* quod ſuadetur ex eo, quod talis guttula per modum cibi non eſt tranſmiſſa; ergo verè dicitur iſte ieiunus, nam ieiunium frangit cibus tranſmiſſus in ſtomacum: ſecundò, quod mihi probabilius perſuadet eſt, quod talis guttula in ſthomacum verè non recipitur, propter enim ſui paruitatem, & leuitatem a calore ipſius fiſtulæ per quam tranſmitti deberet in ſthomacum cõſumitur maximè in Epaticis, poroſa enim eſt caro illa inteſtini tranſmittentis ad ventriculum, & ex vicinate ad epar facilè, vt plurimum arida, guttulas illas abſorbet, antequam in ſthomacum deſcendant, præterquam quod tales guttulæ probabile eſt etiam, vt docet *Bonac.* tranſmittantur per modum ſaliuæ potius, quam cibi, quod etiam cum dicto Doctore docetur in Rubrica c. 9. ſub his verbis (quod ſi lauando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem non impedit communionem quia ſũpta fuit per modum ſaliuę.)

Aſſerendũ eſt idẽ de maſticante aliquid aromatis poſt mediam noctem ante communionem, modo nihil deglutiat, etiamſi virtute calor iſte ſthomacum calefaceret, imo adde, ſi ex eius maſticatione humore capite effluerет, et parum per deglutiretur, non frangeretur ieiunium, quia per modum ſaliuę, et non cibi deglutiretur, adde nec frangi ieiunium ſi particulæ talium aromatum inter dentes, ſi remanſerunt, deglutiantur, quia per modum ſaliuæ tranſmittuntur in ſthomacum. Vnde

Dico quartò: quod ex hac doctrina ſequitur quod ſumptio Tabacchi in folio ante communionem nõ frangit ieiunium naturale, ſi aliquid ipſius ſucci remaneat in ore inſeparabiliter coniuncti cum ſaliua, nam per modum ſaliuæ ipſius guttula ſucci, ſi remanſerit, vel reliquiæ ipſius Tabacchi intra dentes ſi remanſerint, et non per modum cibi tranſmittuntur

tur

tur, atque adeo ratione fractionis ieiunij naturalis poteſt admitti ad communionem, quia verè abſtinuit à cibo, nec ieiunium naturale verè fregit. Ita ex generali doctrina *Scoti* allata colligi poteſt, & ſpecialiter etiam docent *Locichius in Theſ. V. Miſſa n.41.§.3. Tanner. T.5. diſp.5.q.8. fauſt. de Sacram. Euch.q.161. Diana p.5. tract.13. Miſcell. reſol.1. & Emminentiſs. de Lugo loc. cit.*

Porro an ſumptio Tabacchi in puluere, aut fumo, aut etiam in folio per nares poſt mediam noctem ante communionem faciendam impediat, ritè poſſe communicari, affirmant *Ant. de Leone in qq. moral. de Cocholate par.2. c.4. n.10. & ſeq. & Franciſcus de Nigro*, eidem videtur adhærere *in addit. ad Rues p.1. præfat.4. n.32. q.18.* & alij putantes huiuſmodi ſumptionem Tabacchi ieiunium naturale frangere, quandoquidem in ſthomacum deſcendit, & nutriuit, narrantes ex fumo aliquos multo tempore ſuperuixiſſe, vnde in ſuæ ſententiæ confirmationem adducunt duo Concilia Prouincialia Lemenſe vnum, Mexicanum alterum in quibus apertè damnatur ſub mortali ſumptio Tabacchi quocumque modo ante celebrationem, & ſacram communionem, quæ Concilia aiunt approbata fuiſſe à Sacr. Congregatione.

At verò ſtando in definitione ieiunij naturalis in ſuo rigore iuxta doctrinam præcipuè mei Doctoris ſumptio Tabacchi, & cuiuſcumque rei, etiam ex ſua ratione cibalis, & ad cibum pertinentis facta per nares, cum non ſit per actionem vitalem ordinatam ad cibum capiendum, vel vt ipſe Scotus loquitur, cum non ſit facta per viam ad ſthomacum, non frangit ieiuniū naturale, per nares enim quæ attrahuntur per viam reſpirationis abſq; ordine, & via ad ſthomacum, ſumuntur, & per accidens eſt, ſi ad ſthomacum perueniant, ergo talis attractio per nares non dicitur comeſtio, cibi ſumptio, vel potatio, & conſequenter non dicitur frangere ieiunium, huic opinioni debent ſubſcribere omnes illi, qui aſſerunt attrahentes per nares parumper aquæ, vel etiam muſcam, & alia comeſtibilia, & potabilia, etiamſi recipiantur in ſthomachum, & ſint alterabilia, & nutritiua non frangere ieiunium, quia per modum cibi, & actione ordinata ad cibum capiendum non tranſmittuntur in ſthomacum. Ita ex noſtris *Pitigian. in 4. diſt.6. q.3. art.2. p.1. Villal. T.1. tract.7. diff.39. Suar. in 3.p.T.3. diſp. 68. ſect.4. 5. quæres rurſus, Fagund. de præc. Eccl. præc.3. l.3. c.5. Bonac. de ſacram. diſp.4. q.6. p.2. Barth. à S. Fauſt. de Euchar. qu.382.* & alij. Tabacchi autem ſumptionem per nares ſiuè in fumo, ſiuè in puluere, ſiuè in folio ſpecialius aſſerunt non frangere ieiunium naturale, & conſequenter poſſe in mane communicare, qui paulo ante Tabacchum quomodocumque per nares ſumpſerit, *Prepoſ. in 3.p.q.80. ar.8. Alphonſ. de Leone de off. Capellani q.8. ſect.17. caſu 2. & Diana nouiſſ. p.5. tract.13. Miſcell. 1. reſol.1.* cui aſcribit ſententiæ *Sanctus in editione Lugdun. diſp. 42. num. 23.*

Quare eſto nutriret, vt volebat Antonius de Leone, fumus Tabacchi, attamen non frangeret ieiunium, ſi per nares ad ſthomacum deſcenderet, ſicut etiam puluis, & fruſtula foliorum eius, quia per nares non eſt via naturalis comeſtiua ordinata ad nutritionem, cum nullus dicatur comedere, vel bibere per nares, in rigore ergo naturali non dicitur frangere ieiunium naturale ſumptio Tabacchi per nares.

Laudabile tamen non eſt Tabacchum præcipuè in fumo, & in folio per os præcipuè ante celebrationem, & communionem non quia frangat ieiunium naturale, ſed quia facilè ad vomitū prouocat, & ſthomachum, & caput turbat talis ſumptio Tabacchi, & hoc intenderunt præfata Concilia Lemenſe, & Mexicanum prohibentia vſum Tabacchi, vnde Synodus Epiſcopatus Canariarum etiam per duas horas poſt celebrationem ſub excommunicatione prohibet ſumptionem tabacchi non propter aliud, quia facile cauſat vomitum, & turbationem capitis. Sanè in quolibet Epiſcopatu rationabiliter admodum vſus tabacchi quocumque modo prohibitio ante communionem, & celebrationem eſſet facienda, tum propter cauſam vomitus, & turbationis capitis, & ſthomachi, quæ ſæpè ſæpius accidit ex eius ſumptione, verumetiam quia iam eius ſumptio potius ad vanitatem quamdam, & in Eccleſijs, & Choris præcipuè ad quamdam gloriolam, vulgo bagianaria, quam ad aliquam vtilitatem cum magno aliquando diuini cultus, & reuerentiæ dedecore videtur ordinata.

Dico vltimò, quod ſi terram quis comederet, aut cinerem tanquam cibum factum ſibi proportionatum, & conſequenter terram illam rubeam, quæ ſolet fingi in vaſa diuerſi generis, & à mulieribus dentibus conteruntur, & maſticantur eius fruſtula, & permodum cibi, tranſmittunt in ſthomacum via naturali ad ipſum ſthomacum ordinata, vt aiunt, vt colorem in carne quemdam acquirant, omnibus certum debet eſſe, quod ieiunium frangunt, quia permodum cibi terram talem, & cinerem manducant, vnde iure non dicuntur ieiuni, quare debent arceri à communione, cum verè à talibus per viam ad ſthomacum tranſmiſſis nutriantur, vnde ſthomacus per eorum receptionem non dicitur nouus, nec ieiunus.

Vtrum moribundo exiſtente in Naui intra mare, vel flumen poſſit in ipſa Miſſa celebrari ad illum communicandum, ſi nullo modo extra Nauim in terra firma valeat in tali neceſſitate celebrari.

DIFFIC. XI.

Moderniores aliqui ſpeculatiuè fortè ſolum contemplantes Mare ſilentibus vndequaque ventis ita placidum, vt non inſtabile, & liquidum elementum, ſed omnino videatur ſolidum euaſiſſe Chryſtallum, auſi ſunt in opinionem eam ire, vt ſuaſerint poſſe in dicto mari miſſam celebrari, vt moribundus communicetur, vel ne tot Nautæ, & gentes reliquæ exiſtentes in Nauibus, dum littus tenere non poſſunt, diebus feſtis, ſacri audiendi priuentur deuotione, & obligatione, modo adſit alius Sacerdos, qui calicis pedem firmiter teneat dum celebratur, ad vitandum effuſionis periculum, & locus bene mūdatus, & à prauo odore aromatum ſuffumigatione ſericis ornatus aptus, & decens ad tantum ſacrificium reddatur. Ita *Valterus de triplici cœna c.4. cœ.3. Paul. Laym. in Theol. mor. l.5. tract.5. n.6. Gaſpar. Hurtad. de ſacram. diſp.4. de ſacrif. miſſ. diffic.5. Sa, & Graff.* quos citat, & videtur ſequi *Mercer. de ſacram. q.83. art.3. propoſ.4. Iacob. Gran. in 3.p. D. Tho. de ſacram. contr.6. tract.14. diſp.13.* vbi citat *Durand. in Ration. l.4. c.1. n.41.* Imo eo ſuarū rationum ſpeculatione peruenerūt, vt putarint ſi præter ſpem in rariſſimo caſu eueniret, dum celebratur in mari miſſa, ſanguinis effuſio, non propter hoc priuandos eſſe Nautas, & in Naui exiſtentes longius à terra in mortis articulo, vel diebus feſtis tam ſingulari remedio, & ſolatio.

Attamen communius Antiquiores, & Recentiores ſolidiori practicæ rationis iudicio inſtabilitatem liquidi elementi, quæ non ſolum de hora in horam, ſed de momento in momento ab improuiſa, & inopinata frementim Eurorum, & Borearum violentia ita concutitur, vt etiam ſi ab alio pes Calicis in quo ſanguis ſit conſecratus, firmiſſimè teneatur, effuſioni neceſſe eſt vt ſubiaceat, qui autem amat periculum, peribit in illo, ideo nullo modo permittendum iure optimo volunt Miſſam in mari quantumcumque placido, quantumcumq; locus ornetur, & manu Sacerdotis alterius firmetur pes Calicis, nō enim ſunt facienda mala, vt veniant bona, malum enim eſt maximum contra reuerentiam debitam ſanguini CHRISTI, quæ eſt de iure diuino, periculum effuſionis ſanguinis CHRISTI ſubire, ergo propter quodcumq; aliud bonum, quod poſſet prouenire nautis, non debet amari. Ita communius noſtri *Ang. V. Miſſ. 40. Alenſis p.1. l.4. tit.74. art.4. q.2. Villal. in ſum. T.1. tr.8. diffic.23. n.4. Pitigian. in 4. T.1. diſt.13. q.2. ar.2. & D. Anton. p.3. tit.13. c.6. §.4. Nauar. c.25. n.81. Suar. 3 p. T.3. diſp.81. ſect.5. Vaſq. in 3 p. T.3. diſp.33. c.1. Sylu. V. miſſa, q.5. d.2. Armilla 16. §.4. Tabiena 16. §.8. Henriq. l.9. c.29. Fauſt. de Euchar. l.7. q.173. Regnald. T.2. l.29. cap.7. ſect.3. prepoſ. Azor, Camerota, Kellifonus, Lanardus, Ledeſma, Homobon. Tannerus, Molfeſius*, & alij apud *Dianam tract.3. reſolut.4. punct.5.*

Quare contraria opinio tanquam ſola ratione ſpeculatiua fundata in praxi non eſt ſequenda abſque ſpeciali Sum. Pontif. conceſſione, & declaratione, & iuxta eius limitationes datas, rituſque conceſſos, ſi quando daretur talis conceſſio practicari poterit in placido mari ſuper locum ornatum, & mundatum nauis celebrare miſſam.

An verò Papa poſſit ſtatuere, vt mare placido exiſtente cum conditionibus remouentibus effuſionis periculum celebretur in nauis loco mundato, & ornato diebus feſtis, & occurrentibus moribundis, ipſe ſolus noſcere poterit Papa, qui in Cathe-

dra

Digitized by Google

dra ſedet Petri, in qua errare non poteſt. Theologus tamen probabiliter ſentire poteſt, id Papam poſſe, ſi, primò, in periculo effuſionis ſanguinis diſpenſare poteſt, quod ſanè poſſet aliquādo euenire in tali conceſſione, certum enim debet eſſe Theologo vnicuique cum S. Thoma, & ceteris omnibus Doctoribus non eſſe dandam Euchariſtiam infirmo etiam in articulo mortis, ſi timeatur vomitus, vel expuitio ita frequens, & violenta adſit, vt eiectio ſacramentalium ſpecierum probabiliter immediatè ſuſpicetur, quia magis attendenda eſt reuerentia ſacramentis debita, quam infirmi deuotio, aut vtilitas, ergo à pari magis in conceſſione celebrādi miſſam in mari debet attēdi periculum irreuerentiæ ſanguinis CHRISTI, quam deuotio, & vtilitas ſpiritualis exiſtentium in mari. Secundò, id Papam poſſe, ſi Papa poteſt diſpenſare, vt aliquando miſſæ ſacrificium non fiat integrum, nam ex tali conceſſione, quod celebretur in naui intra mare, poteſt euenire, quod inter conſecrandum Corpus, improuiſa ita adueniat violentia ventorum, vt ſanguinem conſecrare nullo modo propter nauem hinc inde iactatam abſque periculo effuſionis materiæ nequeat; nec iſte caſus metaphiſicus ita eſt, vt aliquando ſuccedere nequeat, hæc diſcurrendi cauſa dicta volui, ſubmitto enim hæc, & omnia mea S.R.E. iudicio, & correctioni.

Vtrum amentiam, & phræneſim patientibus in articulo mortis ſit danda Sacra Euchariſtiæ Communio.

DIFFIC. XII.

Diſtinguendum puto, nam vel infirmus, antequam in phræneſim, vel amentiam incideret erat peccator, & indeuotus æſtimatus, & de facto in aliquo peccato noſcebatur inſordeſcere, nec poteſt probari Euchariſtiam, vel confeſſionem expetiſſe, nullo modo tali infirmo amenti, & phrænetico in articulo mortis eſt danda ſacratiſſima Communio, quia debet præſumi eſſe in peccato, & omnino indignus tanto Sacramento, cum in amentia, & phræneſi de peccato dolere, & conteri non potuerit.

Quod ſi in amentia, & phræneſi habuerit lucida interualla, inter quæ dolorem ſuorum peccatorum monſtrauerit, & ſigna ſufficientia contritionis dederit, ſicut etiam, qui ante amentiā, & phræneſim æſtimabatur vir pius, nec noſcebatur in aliquo peccato actu inſordeſcere, vel ſi peccator talis, attamen ante amentiam dedit ſigna contritionis, & Euchariſtiam ſacratiſſimam deſiderauit ſumere, poteſt vtique, ſi non timeatur periculum irreuerentiæ, aut expuitionis ſpecierum, dari ei ſacratiſſima communio in mortis articulo, quia Eccleſia iudicat tales ſufficienter diſpoſitos ſaltem virtualiter ad tantum ſacramenta ſuſcipiendum, extra tamen articulum mortis nullo modo, cum extra articulum non ita indigeat homo tanto ſubſidio ſicut in tranſitu illo periculoſiſſimo; & ita videtur præcipi in *Conc. Carthag. in 4. cap 76. & Auriſic. 1. can. 3.* & refertur *can. his qui, & c. qui recedunt 26. q. 6.* Ita etiam docet *Granad. de ſacram. 3. p. controu. 6. tract. 10. diſp. 5. n. 3. & 4.* vbi citat *D. Tho. Sotum, & Valent.* ita etiam *Vaſq. diſp. 214. n. 33. Suar. in 3. p. diſp. 69. ſect. 2. Reginal. T. 1. l. 29. n. 79. Eminentiſſ. de Lugo de ſacram. Euchar. diſp. 13. ſect. 3. n. 24. & 25.* & alij, quos citat *Diana p. 5. tract. 2. reſol. 46.*

Modus porrò, quam *Zambran. de ſacram. Euchar. dub. 4. c. 3. n. 5.* ponit adhoc, vt cognoſcatur an amens, vel phreneticus reuerenter ſit ſumpturus Euchariſtiam, ſcilicet vt prius detur particula non conſecrata, & poſtea ſi hanc non expuit, detur conſecrata, non admodum probatur, nam poſſet eſſe, quod tūc eſſet in lucido aliquo interuallo, & eam adoraret, periculo enim iſti, ſubijcere infirmum non videtur bene practicandum potius modo vteter, quam adducit *Chapeauilla de ſacram. Euchar. q. 8.* qui docet in tali caſu dandam hoſtiam conſecratam in vino poſitam, vt libentius, & tutius eam deglutiat; ita enim faucibus non adhæret, vt faciliter expui poſſit, & periculo conſultius occurri videtur.

An verò etiam perpetuo amentibus ſit danda aliquando Euchariſtia, negat abſolutè *Zambran. in deciſ. caſ. conſc. c. 3. dub. 6. nu. 8.*, quia ſi toleratur minor diſpoſitio in articulo mortis, hoc facit neceſſitas pro illo periculoſo puncto, quæ tamen non debet tolerari pro alio tempore in perpetuo amentibus.

Attamen tutius diſtinguendum, quod ſi perpetuo amentes aliquando lucido vtantur interuallo, & reuerentiam paſſim monſtrent erga hoc ſacramentum, & alioquin ante incurſam amentiam erant viri deuoti, & pij, & in amentia ipſa inhoneſta non perpatrēt, poſſunt in Paſchate, vel alio die ſi poſtulauerint, communicari, quia ſignum eſt eos eſſe diſpoſitos. Ita noſter *Angl. in 4. ſent. de Euchar. & Villal. in ſum. p. 1. tr. 7 du. 4. n. 3.* videntur docere, quod ſi perpetuo ſint amentes, & nunquam lucido vtantur interuallo, nec reuerentiam monſtrent erga hoc Sacramentum, aut inhoneſta ſæpe ſæpius aut agant, aut loquantur, non puto eos communicandos aliquando, nec in Paſchate, cum adſit ſignum eos non eſſe diſpoſitos, & magna fieret Sacramento irreuerentia, ſi talibus daretur, quod autem illis qui reuerentiam monſtrant aliquando, & habent interualla lucida, & honeſti ſunt, poſſit quotieſcumque petierint, dari Euchariſtia docet *Sancius in ſelect. diſp. 26. n. 5. & diſp. 3. 9. n. 9.* attamen nimis benigne, ne dicam nimis large loquitur iſte Doctor.

Vtrum abſente Parocho, ſi periculum ſit in mora, poſſit Regularis miniſtrare in articulo mortis ſacratiſſimam communionem infirmo, & an ſuis familiaribus ſine licentia Parochi.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, quod ſi Parochus, vel eius locumtenens abſit nec adſit alius ſacerdos ſecularis, qui infirmo in articulo mortis cōſtituto, dū periculū eſt in mora, poteſt Regularis ex præſumpta voluntate Parochi Euchariſtiā à propria, vel Parochiali Eccleſia Sacramentum Euchariſticum deferre ad infirmum obnixe petenti communicari, ſupplet enim Parochi defectum, in quo caſu cum nulla adſit præſumptio contra ius parochiale, ſed ſolum charitatis officium exequi, nullo iure Regularis incurrit pœnas latas *in Clement. Religioſi de Priuil.* quia ad incurrendas illas pœnas requiritur præſūptio. Ita noſt. *Rodr. T. 1. q. 56. n. 5. Eminentis. de Lugo de Sacram. Euch. diſ. 11. diff. 6. Suar. de Relig. T. 7. tract. 3. l. 9. c. 3. Peyrinus in priuil. minim. T. 1. conſtit. 26. Leon. X. §. 9. Zambran. de ſacr. Euch. c. 3. dub. 7. & Diana p. 5. trac. 3. reſol. ſi,* quicquid in contrarium velint *Tolet. l. 1. c. 36. n. 1.* qui ex authoritate *Cardin. in d. Clement. Religioſi q. 1. & Sylu. V. excom. 7. qu. 14.* docet nullo modo poſſe Regularem deferre Euchariſtiam ad infirmum etiam abſente Parocho, nam dum ex charitate, Regularis in dicto articulo exequitur operam præſtandam à Parocho, omnino cum eius conſenſu tacito, & interpretatiuo abſque vlla præſumptione miniſtrat Sacramentum, quod ſi Parocho non placeret, eſſet ſanè irrationabiliter inuitus, atque adeo præſumptionis non eſſet arguendus Regularis maximè, vt notat *Zambranus* hoc omnino deberet, ſanè facere Regularis, quādo in abſētia Parochi infirmus aliud ſacramentum accipere nequiret, quam Euchariſtiam, alioquin ſi infirmus non communicaret, exponeretur periculo æternæ damnationis, poſſet enim per ſacramentum iſtud fieri de attrito contritus, & ita ſaluari.

Dico tamen ſecundò, quod licet aliqui velint in caſu, quo Parochus iniuſtè denegaret ſacramentum Euchariſticum moribundo, poſſe Regularē ei miniſtrare viaticum iſtud Sanctiſſimum inuito Parocho, quia præſumitur tunc Regularis habere authoritatem à Sancta Romana Matre Eccleſia, quæ in tali tranſitu non vult ſuum fidelem ob Parochi iniuſtitiam, & impietatē mori abſque tanto adiutorio, & præſidio, & licèt ſpeculatiuè loquendo admodum ſit probabile, vt probat præcipuè noſter *Portel. V. Sacramento Adminiſt. n. 4. Prapoſ. in 5. p. q. 82. ar. 3. dub. 2. n. 17.*, attamen quia in foro ſori videtur fieri contra ius parochiale, non videtur talis doctrina practicanda, quia facilè ſcandalum poſſet oriri inter Parochum etiam iniuſtè denegantem, & Regularem ad quem non ſpectat contra Parochum declarare, quod iniuſtè deneget ſacramentum moribundo. Verum ſi in ſuo robore hodie adeſſet conceſſio Sixti IV. vt habentur *in comp. V. communic.*, qua indulgetur regularitas poſſe licitè dare Euchariſtiam, & extremam Vnctionem, ſi Parochus iniuſtè deneget, poſſet etiam præfata opinio licitè practicari, quia Parochus in tali caſu eſt irrationabiliter inuitus.

Dico tertiò, pro reſponſione ad ſecundam partem difficultatis, quod poſſunt tuta conſcientia Regulares etiam irrequiſito Parocho miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis ſuis familiaribus ſæcularibus, qui actu Monaſterio deſeruiunt, commorantibus intra ſepta Monaſteriorum,

vel

vel Grantiarum, vel Hoſpitiorum Regularium, etiam ſi ſint coniugati, modo ſint intra Monaſteria, Hoſpitia, & Grancias. Ita noſter *Portel. loc. cit. ex comp. priuil. V. familiares, §. 4. & §. 10. ex priuil. Benedictin.* Idem affirmat *Diana p. 5. tract. 3. reſol. 52. ex priuil. Cleric. infirm. miniſtr. vt docet Iacob. Mācin. in prax. viſitand. infir. pract. 8. du. 62.*

Vtrum liceat ab excommunicato denunciato, ſi alius non adſit Sacerdos, Euchariſtiam ſumere in articulo mortis.

DIFFIC. XIV.

AFfirmāt poſſe à Sacerdote nominatim excommunicato, quando alius non adſit Sacerdos, Euchariſtiam per modum viatici in articulo mortis conſtitutum accipere abſque vllo ſcrupulo *Zambran. de ſacram. Euch. c. 3. du. 7. & Chapeauill. de ſacram. Euch. c. 4.* & probant ex eo, quia licet in tali articulo, ſi alius non adſit Sacerdos, confiteri cum excommunicato denūciato, docēt cōniter præter Antiq. etiā Recent. præcipuè *Harm. de caſ. reſeru. p. 1. cap. 4. Turrian. de ſacr. pœnit. diſp. 23. Granad. in 3. p. de ſacram. contr. 7. tract. 10. Meratius in D. Thom. tract. de ſacr. pœnit. diſp. 31. ſect. 4. Tanner. T. 4. diſp. 6. q. 9. Ochogou. de ſacram. tract. 2. de confeſſ.* quia Concilium in fauore animarum in dicto articulo indifferenter omnibus Sacerdotibus abſolui conceſſit. Ergo idem volunt dicendum de communione in articulo mortis.

Immo addunt *Hurtad. de ſacr. pœnit. diſp. 10. diffic. 8. Prapoſ. in 5. p. q. 7. de Miniſt. Sacram. pænit. dub. 1. n. 42.* quod ſi Sacerdos notoriè ſit excommunicatus etiam ſi foret hæreticus, modo non timeatur periculum peruerſionis, & paratus ſit audire confeſſionem abſque contritione peccati, quia verè adhuc cōtumax eſt, nec vult conteri, adhuc conſtitutus in articulo mortis ab eo licitè putat, quia pænitens ſuam ſalutem procurata valente ſibi licitè miniſtrare Sacramentum, quod autem ille nolit conteri, ſua intereſſe debet, non pænitentis, quibus etiam adhærere videtur *Kelliſonius in 3 p. T. 2. queſt. 8. art. 6. dub. 1. & Caleſtin. in comp. Theol. mor. tract. 1. capit. 13.* quare præfati Doctores à ſimili argumentantes de communione in articulo mortis, debent conſequenter dicere, quod eam accipere poteſt moribundus à quocumque Sacerdote excommunicato notoriè denunciat etiam hæretico, modo non timetur periculum ſubuerſionis, quamuis conteri nolit, & in peccato adminiſtraturus cognoſcatur.

Attamen hanc doctrinam abſolutè non amplecterer, ſed ſolum, quando moribundus non poſſet accipere Sacramentum pænitentiæ, vel extremæ Vnctionis, puta, quia ſolus adeſt Sacerdos mutus, & non eſſe, vbi facilè contritionis actum elicere cognoſceret, nam in hoc caſu, quia moribundus eſt in extrema neceſſitate ſuæ ſalutis poteſt à parato excommunicato notoriè denunciato etiam hæretico, ſi non timeatur periculum ſubuerſionis accipere viaticum Euchariſticum, etiam ſi nolit conteri, & in peccato ſit miniſtraturus, quia ex tali perceptione Sacramenti poſſet de attrito fieri contritus, & ſuæ ſaluti ſic conſulere, quia in hoc caſu tenetur Sacerdos miniſtrare, & tenetur conteri de ſuo peccato, malitia ergo Miniſtri non debet in tali caſu nocere moribundo licitè, quod ipſe Miniſter in tali caſu eſt obligatus cum contritione ſuorum peccatorum dare.

Quod ſi Sacramentum Pœnitentiæ poſſet excipere, non poſſet communionem à tali Sacerdote ſumere, & ratio diſparitatis eſt, quia per Sacramentum pœnitentiæ iam ſufficienter eſt diſpoſitus ad moriendum in DEI gratia, nec amplius dicitur eſſe in periculo, & neceſſitate ſalutis, ergo non poteſt vti neceſſitatis ratione in accipiendo communionem à tali Sacerdote excommunicato, & non contrito, ratio autem diſparitatis, quod à tali Sacerdote abſolutè poteſt pænitentiæ Sacramentum ſuſcipere, & communionem, quia communio non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, ſed neceſſitate præcepti, quod ceſſat ſi non adſit miniſter idoneus.

Ceterum licet hæc opinio ſit probabilis, attamen probabile etiam eſt, quod non ſolum communionem, ſed nec abſolutionem debet quis etiam in articulo accipere à Sacerdote notoriè denunciato excommunicato nolente conteri, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, peccat enim miniſter ille nolens conteri in tali adminiſtratione, ergo ſi vocatur ad Sacramentum adminiſtrandum, particeps videtur pænitens, & communicans eius peccati, vnde obicem ponit Sacramenti virtuti. Ita videtur ſentire *D. Thom. in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. quæſt. iunc. 2. ad 3. Couar. in cap. Alma mater 2. p. c. 6. & Medina C. de confeſſ. q. 32.*

Infirmus ergo ſeipſum probet in tali caſu, & ſi cognoſcat cum adiutorio DEI poſſe habere contritionem ſufficientem de ſuis peccatis, doleatque quantum fieri poteſt, & deteſtetur peccata propter amorem DEI cum propoſito de cetero non peccandi ſi ſalus reſtituatur, & idoneo Confeſſario confiteri data opportunitate, & ita omnino abſtineat à tali Sacerdote excommunicato non parato, & cum mortali adminiſtraturo, nolente ſcilicet conteri, accipere confeſſionem, & communionem, & debet ſe extimare in illo actu, ac ſi non haberet Sacerdotem, dum non habeat idoneum cui ritè confiteatur, quod ſi non poſſe ſe habere ſufficientem contritionem dubitet infirmus, ſi paratus ſit excommunicatus notoriè denuntiatus conteri licèt nolit in adminiſtrando, modo ſit ſpontaneè paratus ad audiendam confeſſionem, nec poſitiuè vocetur, ſed ipſe ſe ſe offerat in tali caſu, probabiliter credo, quod non peccet infirmus, ab eo accipiendo pænitentiæ, vel communionis Sacramentum, quia dum non eſt particeps eius peccati, dum ſpontaneus eſt in adminiſtratione Sacramenti, quod tenetur infirmus ſuſcipere, & tenetur Sacerdos miniſtrare, ſi verò non ſit paratus, non debet cogi etiam ſi infirmus non cognoſcat in illo articulo ſe poſſe habere contritionem ſufficientem, ne videatur eius criminis particeps, & in hoc caſu moribundus proteſtetur ſe coram DEO ſuo, qui multus eſt ad ignoſcendum, ſe prætermittere in tali caſu confeſſionem, vel communionem, ne ſuam diuinam offendat Maieſtatem recipiendo Sacramenta à non idoneo Miniſtro, qui cum peccato vult ſolum miniſtrare, & doleat quantum poterit de commiſſis, præteritaque peccata deteſtatur propter amorem DEI cum propoſito de cetero ſi ſuperuiueret de non peccando, & cum idoneo confitendo, & ſperet in adiutorio DEI, cuius potentia non eſt alligata Sacramentis, & piè credo non defuturum eius auxilium in tali articulo, aderit enim DEVS in tali periculo nolenti Sacramentum ſumere eo ſolum animo ne ſuam diuinam offendat Maieſtatem.

Liberum ergo erit pænitenti iuxta quod ſibi melius in illo puncto videbitur alteram ex hiſce opinionibus eligere, prima quidem eſt magis fauorabilis moribundis, & cum excommunicato notoriè denunciato videtur piè Mater Eccleſia tunc diſpenſare, vt miniſtrare valeat, vt aſſerunt Doctores primæ ſententiæ, quia concilium cuilibet Sacerdoti indifferenter dat authoritatem abſoluendi. Secunda eſt magis fauorabilis Sacramento, quod ſolum ab idoneo debet miniſtrari, vtraque tamen probabilis, & tuta conſcientia mihi videtur.

Vtrum Moribundo cum periculo vomitus ſit danda Euchariſtia, & an ſub ſpecie vini ſi ex potatione non ſequatur vomitus.

DIFFIC. XV.

DIco primò, quod ſi infirmus patiatur vomitum ex quacumq; re, vel etiam modica ſumpta per modum cibi ita ſthomacus ſit malè affectus, vt nec paruum quidem in eo tranſmiſſum retinere valeat, ſed ſtatim in propria ſpecie reddat vomitu quæcumque ſunt tranſmiſſa, & in hoc caſu non eſt danda Euchariſtia, quia cum euidenti periculo irreuerentiæ daretur, at vero ſi vomitum ita patiatur infirmus, vt leuem rem deglutitā facile ſthomacus retineat ſaltem per horam, tunc poterit dari potius hoſtia non conſecrata ipſo ſciente infirmo, ad videndum, vtrum ſit de genere eorum leuium ciborum, ex quorum tranſmiſſione in ſthomacum non ſequatur vomitus, quam ſi retineat per horam, poſt dari ei etiam communio ſacratiſſima.

Ceterum ſi iam per ſex horas ceſſauerit infirmos vomere cibos, ita vt ſperetur iam ſthomacus firmatus, poſſe dari ei Euchariſtiam videtur docere, *Sancius in ſelect. diſp. 38. n. 2.* quia prudenter iudicatur, nec ad aliam horam ſit vo-

mitu-

dra ſedet Petri, in qua errare non poteſt. Theologus tamen probabiliter ſentire poteſt, id Papam poſſe, ſi, primò, in periculo effuſionis ſanguinis diſpenſare poteſt, quod ſanè poſſet aliquādo euenire in tali conceſſione, certum enim debet eſſe Theologo vnicuique cum S. Thoma, & ceteris omnibus Doctoribus non eſſe dandam Euchariſtiam infirmo etiam in articulo mortis, ſi timeatur vomitus, vel expuitio ita frequens, & violenta adſit, vt eiectio ſacramentalium ſpecierum probabiliter immediatè ſuſpicetur, quia magis attendenda eſt reuerentia ſacramentis debita, quam infirmi deuotio, aut vtilitas, ergo à pari magis in conceſſione celebrādi miſſam in mari debet attēdi periculum irreuerentiæ ſanguinis CHRISTI, quam deuotio, & vtilitas ſpiritualis exiſtentium in mari. Secundò, id Papam poſſe, ſi Papa poteſt diſpenſare, vt aliquando miſſæ ſacrificium non fiat integrum, nam ex tali conceſſione, quod celebretur in naui intra mare, poteſt euenire, quod inter conſecrandum Corpus, improuiſa ita adueniat violentia ventorum, vt ſanguinem conſecrare nullo modo propter nauem hinc inde iactatam abſque periculo effuſionis materiæ nequeat; nec iſte caſus metaphiſicus ita eſt, vt aliquando ſuccedere nequeat, hæc diſcurrendi cauſa dicta volui, ſubmitto enim hæc, & omnia mea S.R.E. iudicio, & correctioni.

Vtrum amentiam, & phræneſim patientibus in articulo mortis ſit danda Sacra Euchariſtiæ Communio.

DIFFIC. XII.

Diſtinguendum puto, nam vel infirmus, antequam in phræneſim, vel amentiam incideret erat peccator, & indeuotus æſtimatus, & de facto in aliquo peccato noſcebatur inſordeſcere, nec poteſt probari Euchariſtiam, vel confeſſionem expetijſſe, nullo modo tali infirmo amenti, & phrænetico in articulo mortis eſt danda ſacratiſſima Communio, quia debet præſumi eſſe in peccato, & omnino indignus tanto Sacramento, cum in amentia, & phræneſi de peccato dolere, & conteri non potuerit.

Quod ſi in amentia, & phræneſi habuerit lucida interualla, inter quæ dolorem ſuorum peccatorum monſtrauerit, & ſigna ſufficientia contritionis dederit, ſicut etiam, qui ante amentiā, & phræneſim æſtimabatur vir pius, nec noſcebatur in aliquo peccato actu inſordeſcere, vel ſi peccator talis, attamen ante amentiam dedit ſigna contritionis, & Euchariſtiam ſacratiſſimam deſiderauit ſumere, poteſt vtique, ſi non timeatur periculum irreuerentiæ, aut expuitionis ſpecierum, dari ei ſacratiſſima communio in mortis articulo, quia Eccleſia iudicat tales ſufficienter diſpoſitos ſaltem virtualiter ad tantum ſacramenta ſuſcipiendum, extra tamen articulum mortis nullo modo, cum extra articulum non ita indigeat homo tanto ſubſidio ſicut in tranſitu illo periculoſiſſimo; & ita videtur præcipi in *Conc. Carthag. in 4. cap. 76. & Arauſic. 1. can. 3.* & refertur *can. his qui, & c. qui recedunt 26. q. 6.* Ita etiam docet *Granad. de ſacram. 3. p. contron. 6. tract. 10. diſp. 5. n. 3. & 4.* vbi citat *D. Tho. Sotum, & Valent.* ita etiam *Vaſq. diſp. 214. n. 33. Suar. in 3. p. diſp. 69. ſect. 2. Reginal. T. 1. l. 29. n. 79. Eminentiſſ. de Lugo de ſacram. Euchar. diſp. 13. ſect. 3. n. 24. & 25.* & alij, quos citat *Diana p. 5. tract. 3. reſol. 46.*

Modus porrò, quem *Zambran. de ſacram. Euchar. dub. 4. c. 3. n. 5.* ponit adhoc, vt cognoſcatur an amens, vel phreneticus reuerenter ſit ſumpturus Euchariſtiam, ſcilicet vt prius detur particula non conſecrata, & poſtea ſi hanc non expuit, detur conſecrata, non admodum probatur, nam poſſet eſſe, quod tūc eſſet in lucido aliquo interuallo, & eam adoraret, periculo enim iſti, ſubijcere infirmum non videtur bene practicandum potius modo vteter, quam adducit *Chapeauilla de ſacram. Euchar. q. 8.* qui docet in tali caſu dandam hoſtiam conſecratam in vino poſitam, vt libentius, & tutius eam deglutiat; ita enim faucibus non adhæret, vt faciliter expui poſſit, & periculo conſultius occurri videtur.

An verò etiam perpetuo amentibus ſit danda aliquando Euchariſtia, negat abſolutè *Zambran. in deciſ. caſ. conſc. c. 3. dub. 6. nu. 8.*, quia ſi toleratur minor diſpoſitio in articulo mortis, hoc facit neceſſitas pro illo periculoſo puncto, quæ tamen non debet tolerari pro alio tempore in perpetuo amentibus.

Attamen tutius diſtinguendum, quod ſi perpetuo amentes aliquando lucido vtantur interuallo, & reuerentiam paſſim monſtrent erga hoc ſacramentum, & alioquin ante incurſam amentiam erant viri deuoti, & pij, & in amentia ipſa inhoneſta non perpatrēt, poſſunt in Paſchate, vel alio die ſi poſtulauerint, communicari, quia ſignum eſt eos eſſe diſpoſitos. Ita noſter *Angl. in 4. ſent. de Euchar. & Villal. in ſum. p. 1. tr. 7. du. 4. n. 3.* videntur docere, quod ſi perpetuo ſint amentes, & nunquam lucido vtantur interuallo, nec reuerentiam monſtrent erga hoc Sacramentum, aut inhoneſta ſæpe ſæpius aut agant, aut loquantur, non puto eos communicandos aliquando, nec in Paſchate, cum adſit ſignum eos non eſſe diſpoſitos, & magna fieret Sacramento irreuerentia, ſi talibus daretur, quod autem illis qui reuerentiam monſtrant aliquando, & habent interualla lucida, & honeſti ſunt, poſſit quotieſcumque petierint, dari Euchariſtia docet *Sancius in ſelect. diſp. 26. n. 5. & diſp. 39. n. 9.* attamen nimis benigne, ne dicam nimis large loquitur iſte Doctor.

Vtrum abſente Parocho, ſi periculum ſit in mora, poſſit Regularis miniſtrare in articulo mortis ſacratiſſimam communionem infirmo, & an ſuis familiaribus ſine licentia Parochi.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, quod ſi Parochus, vel eius locumtenens abſit nec adſit alius ſacerdos ſecularis, qui infirmo in articulo mortis cōſtituto, dū periculū eſt in mora, poteſt Regularis ex præſumpta voluntate Parochi Euchariſtiā à propria, vel Parochiali Eccleſia Sacramentum Euchariſticum deferre ad infirmum obnixe petenti communicari, ſupplet enim Parochi defectum, in quo caſu cum nulla adſit præſumptio contra ius parochiale, ſed ſolum charitatis officium exequi, nullo iure Regularis incurrit pœnas latas *in Clement. Religioſi de Priuil.* quia ad incurrendas illas pænas requiritur præſūptio. Ita noſt. *Rodr. T. 1. q. 56. n. 5. Eminentis. de Lugo de Sacram. Euch. diſ. 11. diſſ. 6. Suar. de Relig. T. 7. tract. 3. l. 9. c. 3. Peyrinus in priuil. minim. T. 1. conſtit. 26. Leon. X. §. 9. Zambran. de ſacr. Euch. c. 3. dub. 7. & Diana p. 5. trac. 3. reſol. 51*, quicquid in contrarium velint *Tolet. l. 1. c. 36. n. 1.* qui ex authoritate *Cardin. in d. Clement. Religioſi q. 1. & Sylu. V. excom. 7. qu. 14.* docet nullo modo poſſe Regularem deferre Euchariſtiam ad infirmum etiam abſente Parocho, nam dum ex charitate, Regularis in dicto articulo exequitur operam præſtandam à Parocho, omnino cum eius conſenſu tacito, & interpretatiuo abſque vlla præſumptione miniſtrat Sacramentum, quod ſi Parocho non placeret, eſſet ſanè irrationabiliter inuitus, atque adeo præſumptionis non eſſet arguendus Regularis maximè, vt notat *Zambranus* hoc omnino deberet, ſanè facere Regularis, quādo in abſētia Parochi infirmus aliud ſacramentum accipere nequiret, quam Euchariſtiam, alioquin ſi infirmus non communicaret, exponeretur periculo æternæ damnationis, poſſet enim per ſacramentum iſtud fieri de attrito contritus, & ita ſaluari.

Dico tamen ſecundò, quod licet aliqui velint in caſu, quo Parochus iniuſtè denegaret ſacramentum Euchariſticum moribundo, poſſe Regularē ei miniſtrare viaticum iſtud Sanctiſſimum inuito Parocho, quia præſumitur tunc Regularis habere authoritatem à Sancta Romana Matre Eccleſia, quæ in tali tranſitu non vult ſuum fidelem ob Parochi iniuſtitiam, & impietatē mori abſque tanto adiutorio, & præſidio, & licèt ſpeculatiuè loquendo admodum ſit probabile, vt probat præcipuè noſter *Portel. V. Sacramento Adminiſt. n. 4. Prapoſ. in 5. p. q. 83. ar. 3. dub. 2. n. 17.*, attamen quia in foro fori videtur fieri contra ius parochiale, non videtur talis doctrina practicanda, quia facilè ſcandalum poſſet oriri inter Parochum etiam iniuſtè denegantem, & Regularem ad quem non ſpectat contra Parochum declarare, quod iniuſtè deneget ſacramentum moribundo. Verum ſi in ſuo robore hodie adeſſet conceſſio Sixti IV. vt habentur *in comp. V. communic.*, qua indulgetur regularitas poſſe licitè dare Euchariſtiam, & extremam Vnctionem, ſi Parochus iniuſtè deneget, poſſet etiam præfata opinio licitè practicari, quia Parochus in tali caſu eſt irrationabiliter inuitus.

Dico tertiò, pro reſponſione ad ſecundam partem difficultatis, quod poſſunt tuta conſcientia Regulares etiam irrequiſito Parocho miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis ſuis familiaribus ſæcularibus, qui actu Monaſterio deſeruiunt, commorantibus intra ſepta Monaſteriorum,

vel

Digitized by Google

vel Grantiarum, vel Hoſpitiorum Regularium, etiam ſi ſint coniugati, modo ſint intra Monaſteria, Hoſpitia, & Grancias. Ita noſter *Portel. loc. cit. ex comp. priuil. V. familiares, §. 4. &* *§. 10. ex priuil. Benedictin.* Idem affirmat *Diana p. 5. tract. 3. reſol. 52. ex priuil. Cleric. infirm. miniſtr. vt docet Iacob. Mācin. in prax. viſit. and. infir. pract. 8. du. 62.*

Vtrum liceat ab excommunicato denunciato, ſi alius non adſit Sacerdos, Euchariſtiam ſumere in articulo mortis.

DIFFIC. XIV.

AFfirmāt poſſe à Sacerdote nominatim excommunicato, quando alius non adſit Sacerdos, Euchariſtiam per modum viatici in articulo mortis conſtitutum accipere abſque vllo ſcrupulo *Zambran. de ſacram. Euch. c. 3. du. 7. & Chapeauill. de ſacram. Euch. c. 4.* & probant ex eo, quia licet in tali articulo, ſi alius non adſit Sacerdos, confiteri cum excommunicato denūciato, docēt cōiter præter Antiq. etiā Recent. præcipuè *Harm. de caſ. reſeru. p. 1. cap. 4. Turrian. de ſacr. pœnit. diſp. 23. Granad. in 3. p. de ſacram. contr. 7. tract. 10. Meratius in D. Thom. tract. de ſacr. pœnit. diſp. 31. ſect. 4. Tanner. T. 4. diſp. 6. q. 9. Ochogon. de ſacram. tract. 2. de confeſſ.* quia Concilium in fauore animarum in dicto articulo indifferenter omnibus Sacerdotibus abſolui conceſſit. Ergo idem volunt dicendum de communione in articulo mortis.

Immo adduot *Hurtad. de ſacr. pœnit. diſp. 10. diffic. 8. Prapoſ. in 3. p. q. 7. de Miniſt. Sacram. pœnit. dub. 1. n. 42.* quod ſi Sacerdos notoriè ſit excommunicatus etiam ſi foret hæreticus, modo non timeatur periculum peruerſionis, & paratus ſit audire confeſſionem abſque contritione peccati, quia verè adhuc cōtumax eſt, nec vult conteri, adhuc conſtitutus in articulo mortis ab eo licitè putat, quia pœnitens ſuam ſalutem procurata valente ſibi licitè miniſtrare Sacramentum, quod autem ille nolit conteri, ſua intereſſe debet, non pœnitentis, quibus etiam adhærere videtur *Kelliſonius in 3. p. T. 2. queſt. 8. art. 6. dub. 1. & Caleſtin. in comp. Theol. mor. tract. 1. capit. 13.* quare præfati Doctores à ſimili argumentantes de communione in articulo mortis, debent conſequenter dicere, quod eam accipere poteſt moribundus à quocumque Sacerdote excommunicato notoriè denunciat etiam hæretico, modo non timetur periculum ſubuerſionis, quamuis conteri nolit, & in peccato adminiſtraturus cognoſcatur.

Attamen hanc doctrinam abſolute non amplecterer, ſed ſolum, quando moribundus non poſſet accipere Sacramentum pœnitentiæ, vel extremæ Vnctionis, puta, quia ſolus adeſt Sacerdos mutus, & non eſſe, vbi facilè contritionis actum elicere cognoſceret, nam in hoc caſu, quia moribundus eſt in extrema neceſſitate ſuæ ſalutis poteſt à parato excommunicato notoriè denunciato etiam hæretico, ſi non timeatur periculum ſubuerſionis accipere viaticum Euchariſticum, etiam ſi nolit conteri, & in peccato ſit miniſtraturus, quia ex tali perceptione Sacramenti poſſet de attrito fieri contritus, & ſuæ ſaluti ſic conſulere, quia in hoc caſu tenetur Sacerdos miniſtrare, & tenetur conteri de ſuo peccato, malitia ergo Miniſtri non debet in tali caſu nocere moribundo licitè, quod ipſe Miniſter in tali caſu eſt obligatus cum contritione ſuorum peccatorum dare.

Quod ſi Sacramentum Pœnitentiæ poſſet excipere, non poſſet communionem à tali Sacerdote ſumere, & ratio diſparitatis eſt, quia per Sacramentum pœnitentiæ iam ſufficientier eſt diſpoſitus ad moriendum in DEI gratia, nec amplius dicitur eſſe in periculo, & neceſſitate ſalutis, ergo non poteſt vti neceſſitatis ratione in accipiendo communionem à tali Sacerdote excommunicato, & non contrito, ratio autem diſparitatis, quod à tali Sacerdote abſolutè poteſt pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipere, & communionem, quia communio non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, ſed neceſſitate præcepti, quod ceſſat ſi non adſit miniſter idoneus.

Ceterum licet hæc opinio ſit probabilis, attamen probabile etiam eſt, quod non ſolum communionem, ſed nec abſolutionem debet quis etiam in articulo accipere à Sacerdote notoriè denunciato excommunicato nolente conteri, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, peccat enim miniſter ille nolens conteri in tali adminiſtratione, ergo ſi vocatur ad Sacramentum adminiſtrandum, particeps videtur pœnitens, & communicans eius peccati, vnde obicem ponit Sacramenti virtuti. Ita videtur ſentire *D. Thom. in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 3. Couar. in cap. Alma mater 2. p. c. 6. & Medina C. de confeſſ. q. 32.*

Infirmus ergo ſeipſum probet in tali caſu, & ſi cognoſcat cum adiutorio DEI poſſe habere contritionem ſufficientem de ſuis peccatis, doleatque quantum fieri poteſt, & deteſtetur peccata propter amorem DEI cum propoſito de cetero non peccandi ſi ſalus reſtituatur, & idoneo Confeſſario confiteri data opportunitate, & ita omnino abſtineat à tali Sacerdote excommunicato non parato, & cum mortali adminiſtraturo, nolente ſcilicet conteri, accipere confeſſionem, & communionem, & debet ſe extimare in illo actu, ac ſi non haberet Sacerdotem, dum non habeat idoneum cui ritè confiteatur, quod ſi non poſſe ſe habere ſufficientem contritionem dubitet infirmus, ſi paratus ſit excommunicatus notoriè denuntiatus conteri licèt nolit in adminiſtrando, modo ſit ſpontaneè paratus ad audiendam confeſſionem, nec poſitiuè vocetur, ſed ipſe ſe ſe offerat in tali caſu, probabiliter credo, quod non peccet infirmus, ab eo accipiendo pœnitentiæ, vel communionis Sacramentum, quia dum non eſt particeps eius peccati, dum ſpontaneus eſt in adminiſtratione Sacramenti, quod tenetur infirmus ſuſcipere, & tenetur Sacerdos miniſtrare, ſi verò non ſit paratus, non debet cogi etiam ſi infirmus non cognoſcat in illo articulo ſe poſſe habere contritionem ſufficientem, ne videatur eius criminis particeps, & in hoc caſu moribundus proteſtetur ſe coram DEO ſuo, qui multus eſt ad ignoſcendum, ſe prætermittere in tali caſu confeſſionem, vel communionem, ne ſuam diuinam offendat Maieſtatem recipiendo Sacramenta à non idoneo Miniſtro, qui cum peccatu vult ſolum miniſtrare, & doleat quantum poterit de commiſſis, præteritaque peccata deteſtatur propter amorem DEI cum propoſito de cetero ſi ſuperuiueret de non peccando, & cum idoneo confitendo, & ſperet in adiutorio DEI, cuius potentia non eſt alligata Sacramentis, & piè credo non defuturum eius auxilium in tali articulo, aderit enim DEVS in tali periculo nolenti Sacramentum ſumere eo ſolum animo ne ſuam diuinam offendat Maieſtatem.

Liberum ergo erit pœnitenti iuxta quod ſibi melius in illo puncto videbitur alteram ex hiſce opinionibus eligere, prima quidem eſt magis fauorabilis moribundis, & cum excommunicato notoriè denunciato videtur piè Mater Eccleſia tunc diſpenſare, vt miniſtrare valeat, vt aſſerunt Doctores primæ ſententiæ, quia concilium cuilibet Sacerdoti indifferenter dat authoritatem abſoluendi. Secunda eſt magis fauorabilis Sacramento, quod ſolum ab idoneo debet miniſtrari, vtraque tamen probabilis, & tuta conſcientia mihi videtur.

Vtrum Moribundo cum periculo vomitus ſit danda Euchariſtia, & an ſub ſpecie vini ſi ex potatione non ſequatur vomitus.

DIFFIC. XV.

DIco primò, quod ſi infirmus patiatur vomitum ex quacumq; re, vel etiam modica ſumpta per modum cibi ita ſthomacus ſit malè affectus, vt nec paruum quidem in eo tranſmiſſum retinere valeat, ſed ſtatim in propria ſpecie reddat vomitu quæcumque ſunt tranſmiſſa, & in hoc caſu non eſt danda Euchariſtia, quia cum euidenti periculo irreuerentiæ daretur, at vero ſi vomitum ita patiatur infirmus, vt leuem rem deglutitā facile ſthomacus retineat ſaltem per horam, tunc poterit dari potius hoſtia non conſecrata ipſo ſciente infirmo, ad videndum, vtrum ſit de genere eorum leuium ciborum, ex quorum tranſmiſſione in ſthomacum non ſequatur vomitus, quam ſi retineat per horam, poſt dari ei etiam communio ſacratiſſima.

Ceterum ſi iam per ſex horas ceſſauerit infirmos vomere cibos, ita vt ſperetur iam ſthomacus firmatus, poſſe dari ei Euchariſtiam videtur docere, *Sancius in ſelect. diſp. 38. n. 2.* quia prudenter iudicatur, nec ad aliam horam ſit vomitu-

mitutus, qui per ſex horas ante ceſſauit vomere.

Verum ſi fortè poſt datam communionem vomitus rediret, & caſu reijcerentur particulæ conſecratæ reliquiæ, aut etiam tota, debent reuerenter ſumi, & in loco ſacro reponentur, donec corrumpantur, corruptæ autem ſpecies in ſacrario proijciantur.

Dico ſecundò, quod ſi patiens vomitum ex tranſmiſſione alicuius cibi etiam modici ſolum, non autem ex tranſmiſſione per modum potus, licet probabiliter opinentur *noſtri Pitig. in 4. ſent. T. 1. diſt. 89. a. 6. Suar. in 3. p. T. 3. diſp. 80. ſect. 3. Sylu. in 3. p. q. 80. a. 12. Fag. de præc. præc. 3. l. c. 4.* & alij nunquam licere infirmum communicare ſub ſpecie vini conſecrati, ſi corpus Chriſti ſub ſpecie panis non valeat ſumere, quia non poteſt miniſter diſpenſare in vniuerſali traditione Eccleſiæ, quæ ſolum ſub ſpecie panis docet dandam Euchariſtiam, attamen alii putant probabile in articulo mortis, ne infirmus non valens communicare ſub ſpecie panis conſecrati, communicari valeat ſub ſpecie vini conſecrati, quia communicare in articulo mortis eſt de iure diuino cui neceſſario debet infirmus ſatisfacere, & communicare ſub ſpecie panis conſecrati eſt de iure poſitiuo, quod cedere debet iuri diuino. Ita *Ochogouia de Sacram. tract. 2. de Euchar. eſſ. 18. Nugnus tamen in 3. p. T. 1. quæſt. 8. art. 12. concl. 3.* id licere putat de conſenſu Epiſcopi, vt in hac difficultate vter doctrina ſuperius poſita in diffic. 7.

Vtrum Sacerdos non ieiunus teneatur celebrare Miſſam ad communicandum infirmum in articulo mortis, quid ſi nulla eſſet particula alia conſecranda, poſſet ei dare partem hoſtiæ maioris a ſe conſecratæ pro viatico.

DIFFIC. XVI.

Dico primò, quod licet communius Theologi negent poſſe Sacerdotem non ieiunum celebrare ad conſecrandas particulas, vt communicentur moribundi in articulo mortis, quia in tali caſu ægrotus non obligatur ſumere, vt ſatisfaciat iuri diuino de communicando, cum ſupponatur nulla adeſſe particula conſecrata, nec Sacerdos tenetur conſecrare ſi non ſit ieiunus, quia non tenetur celebrare, quando non poteſt celebrare iuxta ritum, & Eccleſiæ conſuetudinẽ, traditionem, vel præceptum. Ita etiam dicendum ſi non adeſſent veſtes ſacræ, non poſſet ſine ipſis celebrare ad communicandum moribundum, in talibus enim caſibus debet infirmus ſe exiſtimare, ac ſi nullo modo haberet communicandi commoditatem, nec poteſt Epiſcopus in tali caſu diſpenſare, vt non ieiunus, vel ſine veſtibus ſacris quis celebret, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare in iure communi. Ita probabiliter *Eminentiſſ. de Lugo de Sacram. Euchar. diſp. 15. ſect. 3. num. 68. Nugnus in 3. parte quæſt. 80. art. 8. Hurtad. de Sacram. Euchar. diſp. 9. diffic. 7. Prepoſ. 3. parte quæſt. 80. art. 8. dub. 2. Nauarr. cap. 25 num. 88. ſeu 51. Tolet. lib. 2. cap. 13. Vaſquez. 3. parte T. 4. diſp. 211. cap. 5. Sylu. in 3. parte q. 8. num. 8. Sylu. V. Miſſa quæſt. 7. dicto ſi caſu 3. S. Antonin. parte 3. tit. 13. cap. 6. §. 2. Henriquez l. 13. cap. 46. num. 1. & cap. 50. num. 1.* & alij.

Non defuerunt tamen, & inter antiquiores, & Recentiores Theologi grauiſſimi, qui licere voluerunt Sacerdoti celebrare, licet non foret ieiunus, ad communicandum ægrotum in articulo mortis, nam charitatis lex, quæ diuina eſt præponderare debetur legi Eccleſiaſticæ poſitiuæ, ſed communicare ægrotum in articulo mortis lex charitatis impellit, vt ei tantum adiutorium in tali tranſitu non deficiat, & quod celebret ieiunus ad conficiendum Sacramentum pro eo communicando eſt lex ſolum poſitiua, ergo hæc illi cedere debet, vnde ſicut permittitur Sacerdos bis celebrare in eadem die ad communicandum infirmum, & permittitur ſibi non ieiuno celebrare, vt ſeipſum in periculo, vel articulo mortis poſitum communicet, ſi alius deſit Sacerdos, ergo etiam ad communicandum infirmum in articulo mortis licebit Sacerdoti non ieiuno communicare, vel charitatis præcepto erga indigentem proximum exequatur. Ita *maior in 4. diſt. quæſt. 7. ad 5. Lunard. in direct. Confeſſ. p. 1. tract. de Euchar. cap. 2. Lambranus in deciſ. caſ. temp. mor. c. 4. de Euchar. dub. 6. Iacob. Granad. de Sacram. in 3. p. controu. 6. tract. 10. diſp. 8. num. 12. & Filiuc. T. 1. tract. 4. cap. 8. n. 244.* hanc opinionem probabilem putat.

Quam tamen opinionem licet abſolutè in quocumque caſu non conſulerem practicandam, in duobus tamen caſibus valde probabilem, & piam reputarem, & primo in caſu, quo tantum eſſe flagrans deſiderium infirmi in articulo mortis poſito erga ſuſcipiendam Euchariſtiam, vt proteſtetur ſe periculum ſubiturũ ſalutis æternæ, ſi in horrẽdo illo tranſitu tranſiret ſine ſui dulciſſimi Ieſu ſacratiſſimo viatico, debet enim Sacerdos in hoc caſu etiam non ieiunus celebrare, ſi alius non adſit, quia tenetur ſaluti potius ſpirituali ſuccurrere ex lege naturæ, & diuina, quam Eccleſiaſtico præcepto ſatisfacere. Secundus caſus eſt, quando Infirmus conſtitutus in articulo mortis non poſſet ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, puta, quia linguæ ſubito impedimento eſt correptus, nec Sacramentum extremæ Vnctionis, puta, quia non adeſt oleum benedictum; tunc per Sacramentum Euchariſtiæ de attrito fiat contritus, & ita ſalus infirmi certior fiat, debet Sacerdos etiam non ieiunus celebrare, vt infirmum in articulo mortis communicet. Ita etiam *Layman. in Theol. mor. l. 5. tract. 4. cap. 6. num. 21. & Fauſtus de Sacr. Euchar. l. 1. qu. 193.*

In quibus caſibus ſaltem per Epichæiam, et ex interpretata benignę ſanctę matris Eccleſiæ voluntate ad ſalutem infirmi omni meliori modo certiorandam puto ſine ſcrupulo præfatam opinionem practicari poſſe, abſolutè autem in omni caſu, et extra neceſſitatem ſpiritualem non video rationem cogentem Sacerdotem non ieiunum celebrandum pro communicando infirmum in articulo mortis.

Dico ſecundo, quod non exiſtente alia particula minori, nec conſecrata, nec conſecranda poteſt Sacerdos non ſolum moribundo in articulo mortis, verum etiam communicaturo ex præcepto, vel ex magna aliqua deuotione particulam deſumptam ex hoſtia maiori conſecrata pro ſacrificio Miſſæ, ex eo, quia nullibi reperitur prohibitum, nec ex hoc fit irreuerentia Sacramento, nec ſacrificio, cum in ſingulis particulis hoſtiæ maioris verè totus Chriſtus contineatur, et ita vtilitati, pietati, et deuotioni fidelium in tali neceſſitate optimè conſulatur. Ita *noſter Ang. V. Miſſa §. 27. Sylu. V. Euch. 3. num. 15. Graff. deciſ. 1. l. 7. cap. 58. Zambran. deciſ. cap. 3. dub. 6. Scort. de Sacr. Miſſ. l. 4. cap. 29. Lunard. in direct. p. 1. de ſacr. Euchar. c. 9. num. 15. & c. 10. num. 1. Homob. in exam. Ecc. p. 1. tract. 4. cap. 11. quæſt. 110. Capeauill. de ſacram. Euch. q. 28. & Granad. de Sacram. 3. p. controu. 6. tract. 17. diſput. 3. Henriq. l. 9. c. 30. & Diana p. 1. de celebrat. miſſ. reſol. 37. & 5. p. tract. 3. reſol. 54.*

Nec obſtat, quod *in c. competimus de conſecr. diſt. 2.* Gelaſius Papa maior tuo, et Ioanni Epiſcopis mandat, vt integra Sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur, nam ibi eſt ſermo de quibuſdam, qui ſolum Corpus Chriſti ſumebant, et ſanguinem ſacratiſſimum omittebant ſumere, vnde Papa iure, eos arguit, et mandat, vt Sacerdotes in Miſſa vtramque ſpeciem integre ſumant, aut non celebrent, non autem eſt ſermo de parte hoſtiæ ſeruatæ pro communicando, quia vere integre ſumit corpus Chriſti Sacerdos, qui non integram ſumeret hoſtiam, ſed ſolum partem, quia in parte hoſtiæ ita totus Chriſtus, ſicut in tota ipſa hoſtia conſecrata.

An vero ſi poſſet faciliter haberi particula, attamen Sacerdos dat nulla ſubſiſtente cauſa, partem hoſtię maioris communicaturo ex deuotione, peccet nec ne, non peccare putat *Sancius in ſelect. diſp. 27. num. 11.* quia nullibi id reperitur expreſsè prohibitum; attamen, quia eſt contra vſum communem Eccleſiæ, non debet fieri, niſi in neceſſitate, licet ſi fieret non credo, quod peccaretur mortaliter, cum nulla fiat irreuerentia Sacramento, modo non adſit contemptus contra vniuerſalem Eccleſię conſuetudinem.

Vtrum Sacerdos communicaturus ex deuotione, vel præcepto non valens celebrare debeat vti ſtola de collo pendente, quando communicatur ab alio.

DIFFIC. XVII.

In *c. Eccleſiaſtic. diſt. 23. ex Concilij Bracharenſis* decreto habetur præceptum Sacerdotibus communicaturis, vt ſub pęna excommunicationis induant ſtolam in modum

crucis

crucis ante pectus, quando actu ſacratiſſimam communionem ſumant ab alio Sacerdote; quare aliqui Doctores volunt hoc præceptum obligare vſque nunc ſub mortali, dum ſub pæna excommunicationis fertur, hæc enim non fertur in iure Canonico niſi ob rem grauem, & peccato mortali obnoxium. Vide *Nald. V. Miſſa n.6. & V. Sacerdos n.6. & Homobon. de exam. Eccleſ.4. p. c. 11. q. 106.* qui teſtatur de conſuetudine in Italia præſertim.

Attamen non ſeruari hanc cæremoniam cum tanto rigore, nec mortaliter peccare Sacerdotem, ſi ſtola non vteretur, dum communicat, volunt noſter *Pitigian. in 4. diſt. 13. q. 2. artic. 5. Graff. p. 1. l. 2. c. 41. n. 3. Suar. diſp. 68. ſect. 1. Regin. l. 28. n. 112. Azor. T. 1. l. 10. c. 28. q. 12.* & nouiſſime *Gauantus in comment. ad Rubr. miſſ. T. 1. p. 4. rotu. 8. n. 7.*

Ceterum à grauiori veniali non excuſarem valentem ſtolam habere Sacerdotem dum communicat, ſi eam negligat, cũ maxime deceat in tali actu Sacerdotem per ſtolæ ſignum ab alijs non Sacerdotibus dignoſci.

Vtrum qui ad linteum coram Altari cum alijs communicaturus acceſſit ſi recordetur alicuius peccati obliti teneatur recedere, & Confeſſarium denuo adire, vt illud confiteatur.

DIFFIC. XVIII.

DIſtinguendum puto, nam ſi ſurgat ex tali publico loco, vt Confeſſarium adeat, nullã daret occaſionem admirationis, vel ſcandali, vel ſi daret, eſſet admodum leuis admiratio, tunc tenetur ſurgere, & adire Confeſſarium, vt ab oblito abſoluatur, quia de iure diuino eſt confeſſionem mortalium præmittere ante communionem iuxta i lud D. Pauli, probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo, &c.

At verò ſi ſurgens daturus ſit ſcandalum circumſtantibus, & occaſionem grauiter murmurandi, & ſuſpicandi, quod aliquod peccatum graue habeat, vt cogatur à linteo recedere, & ita fama eius periclitetur, poteſt vtique cum conſtitutione, & propoſito confitendi tale oblitum communicare, & non tenetur recedere, quia ius de fama tuenda eſt naturale, quod diuino præponderat. Ita communius noſter *Rodriq. in ſum. cap. 65. n. 1. Sylu. V. Euch. 2. n. 10. Sotus in 4. diſt. 12. qu. 1. ar. 6. Henriq. l. 8. c. 45. n. 3. littera T, Nauar. c. 21. n. 49. Filiuc. tract. 4. cap. 8. qu. 4. Chamerota de Euchar. c. 9. dub. 9.* & alij communiter.

Vtrum qui ex legitima cauſa communicauit non præmiſſa peccatorum mortalium confeſſione teneatur quam primum ea peccata opportunitate data confiteri.

DIFFIC. XIX.

POſſe in caſu neceſſitatis communicandi, quando non adeſt copia confeſſarij, puta quia multum abeſt, nec poteſt eius præſentia hinc, & nunc faciliter haberi, & tempus vrget communicandi, vel quia ſi adeſt copia confeſſarij timet illum reuelaturum ſua peccata, vel aliam habet ſufficientem legitimam cauſam cum eo non confitendi, & debet ad vitandum ſcandalum, & ſuam famam ſeruandam omnino communicare, nec habet modum eam licitè abſque diſpendio ſui honoris, & famæ prætermittere, poſſe inquam accedere cum ſola contritione peccatorum ſuorum ad ſacratiſs. communionem aſſerunt communiter Theologi. Aduerte autem ſolum ex deuotione, quando nullum adeſſet ſcandalum, nec famæ denigratio, non poteſt quis communionem accipere abſque præuia cõfeſſione, quia eſt extra ſtatum neceſſitatis. Ita noſter *Subtilis Doct. in 4. diſt. 9. q. 1. Piſigian. diſt. 9. q. 3. ar. 12. Valent. diſp. 6. q. 8. p. 3. Suar. diſp. 66. ſect. 5. Chamerota de Euch. c. 9. dub. 7. & c. 10. dub. 13. Nugnus q. 80. ar 4. dub. 2. Bonac. de ſacr. Euchar. diſp. 4. q. 6. punc. 1.* & alij, quæritur ergo, an ſtatim debeat poſt communionem habita opportunitate confiteri. Quare

Dico primò, quod Sacerdos, qui vrgente neceſſitate celebrauit cum ſolo actu contritionis ſine præuia confeſſione, tenetur quam primum habita opportunitate Confeſſarij idonei ſua peccata confiteri ex præcepto *Sacr. Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.*, quomodo autem teneatur ad tale præceptum dicetur infra V. Miſſa.

Dico ſecundò, quod licet *Nauar. c. 2. n. 10. Henriq. c. 45. n. 4. Azor 2. p. l. 10. c. 31. qu. 9.*; & alij admodum piè videantur velle communicatum in neceſſitate abſque præuia confeſſione in ſolo actu contritionis, ſtatim habita opportunitate Confeſſarii ea peccata confiteri, attamen mitius negat *Suar. diſp. 66. ſe. 7. Chouinch. q. 80. ar. 4. du. 2: Poſſeuin. de admin. ſacr. c. 5 n. 4. Filiuc. tract. 4. c. 8. q. 5. Nald. V. Sacerdos n. 5. & Bonac. de Euch. diſ. 4. q. 6. p. 1.* quia Concilium Trid. loc. cit. ſolum Sacerdotẽ, qui celebrauit abſque præuia confeſſione obligat ad ſtatim confitendum, non autem qui ſimpliciter communicarunt abſque præuia confeſſione præceptum autem poſitiuum non extenditur ad genus perſonarum, quas non nominat.

Vtrum Sacerdos pollice, & indice impeditus poſſit alijs digitis communionem licitè dare.

DIFFIC. XX.

AFfirmare videntur aliqui ex eo, quod nullibi hoc videtur prohibitum, & nulla fiat Sacramenti adminiſtrationi iniuria.

Attamen probabilius, & tutius dicendum non poſſe alijs digitis communionem dare Sacerdos ſi indice, & pollice ſit impeditus, quia faceret contra conſuetudinem vniuerſalem Eccleſiæ, in qua ipſa, nec Epiſcopus diſpenſare poteſt, nec obſtat, quia tota manus eſt conſecrata, ergo etiam alij digiti poſſunt Euchariſtiam contingere, nam licèt tota manus ſit conſecrata, attamen vniuerſalis Eccleſiæ traditio eſt, vt duobus illis. ſ. indice, & police tanquam aptioribus vtantur Sacerdotes ad communicandum. Ita *Poſſeu. cap. 15. de Adminiſt. Sacr. & Bonac. de Sacr. Euch. diſp. 4. qu. 6. punct. 1.* In neceſſitate tamen, quando alias non adeſt infirmo in articulo mortis, credo, quod poſſet, neceſſitas ea eſt ſupra Eccleſiæ traditionem, &c.

Vtrum ſi quis communionem annualem anticipet tertia Dominica Quadrageſimæ, vel proroget poſt ſecundam Dominicam Paſcatis præcepto ſatisfaciat.

DIFFIC. XXI.

IVxta aliquorum ſententiam fuit aliquando fortè probabile communionem annualem anticipantem in tertia Dominica Quadrageſimæ ſatisfacere præcepto annuæ confeſſionis in Paſchate, quia videtur eſſe tempus proximum Paſchæ; attamen hodie adeſt *Sacr. Congregationis Rit. declaratio in Granatenſi 15. Febr. 1614.* in qua declarat non ſatisfacere præcepto communicantem in tertia Dominica Quadrageſimæ pro annua communione facienda in Paſchate, quia verè longum tempus eſt cenſendum quod diſtat ferè per menſem à Paſchate.

Illud tamen eſt verum, quod Epiſcopi, & Parochi poſſunt diſpenſare propter legitimas cauſas puta vt dignius ſumatur ſacramentum, vel ob lites, & iniurias ſedandas, vel propter graue aliquod negotium, vt prorogetur communio annualis facienda in Paſchate vltra Octauam ipſius Paſchatis iuxta quod viderint in Domino expedire. Ita declarauit *Sacr. Congr. 9. Nouembr. 1619. apud Barboſam in deciſ. Apoſt. Collect. 92. num. 4. & 5.*

Quare propria facultate non poſſunt fideles ſibi prorogare terminum communionis in Paſchate faciendæ ab Eccleſia præſcriptum, ſed ſi indigeant prorogatione, debent ab Epiſcopo, vel proprio Parocho eam obtinere.

Confirmatio Sacramenti.

Quid ſit Confirmatio, & à quo, & quando inſtituta fuerit.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod Confirmationis Sacramentum ita à noſtro Subtiliſſimo Doctore definitur *in 4. diſt. 3. q. 1.* Sacramentum Confirmationis eſt vnctio hominis viatoris aliqualiter conſentientis, vel libero arbitrio nunquam vſi, facta in fronte

fronte in figura crucis cum Chiſmate ſanctificato, & hoc à miniſtro idoneo ſimul cum intentione debita in vngente, & verba certa proferente ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum coſtantia fidem Chriſti.

Dicitur autem Confirmatio Vnctio facta in fronte, vt dignoſcatur materia eius proxima differens ab alijs ſacramentis, quorum nullum conſiſtit in vnctione facta in fronte, dicitur hominis viatoris ſupple baptizati, quia ſuſceptor capax huius Sacramenti ſolus eſt homo, etiam ſi rationis non ſit capax, ponitur cum Chriſmate ſanctificato, vt ſciatur materia remota huius Sacramenti non eſſe quodcumque oleum, ſed oleum ex balſamo, & oleo oliuarum compoſitum, quod Chiſma vocatur, ponitur etiam ſanctificato ab Epiſcopo ſpecialiter, vel à quo Papa commiſſum fuerit, dicitur à Miniſtro, idoneo, vt ſignificetur confirmationem, non à quocumque, vt baptiſmus, ſed à certo miniſtro idoneo, qui eſt regulariter Epiſcopus, vel Sacerdos, cui Papa ſpecialiter comiſerit, ponitur ſimulactum intentione debita inungente, & verba certa proferente, vt innuatur materiam, & formam debere in hoc Sacramento eſſe ſimultaneam, quod vero additur efficaciter ſignificans, aſtat effectum huius Sacramenti.

Dico ſecundò, quod licèt *Scotus* noſter doceat loc. cit. verum eſſe hoc Sacramentum à Domino inſtitutum, tempus tamen, & modus huius inſtitutionis in ſcriptura non legi, toto autem tempore Apoſtolorum fortè manſiſſe ait donum linguatum in Sacramento Confirmationis, nec eſſe improbabile aſſerit, multa eſſe tradita authoritatiuè à Chriſto per Apoſtolos, quæ tamen in Sciptura non legimus, attamen inſtitutum ſimpliciter à Chriſto certum putat, & ab ipſo Cõfirmationem datam fuiſſe Apoſtolis *Ioann.* 20. quando Apoſtolis inſufflauit, & dedit Spiritum ſanctum.

Quare, quod inſtitutum fuerit hoc Sacramentum à Chriſto Domino in die vltimæ Cœnæ, quoad materiam, & formã, & tunc à Chriſto conſecratum fuiſſe Chiſma videtur haberi ex Epiſt. 2. Fabiani Papæ, & in aliquibus Concil. quæ referũtur à *Bellar. c.* 8. atq; ideo in Cœna Domini ab Epiſcopis conſecrari Chiſma ad imitationem Chriſti probabile, & pium eſt credere. ita *Bellar. loc. cit. Suar. diſp.* 32. *ſect.* 2. *Reginal. l.* 28. *n.* 4. *Filiuc. tract.* 3. *c.* 1. *quæſ.* 2.

Hinc noſter *Pitigian. in* 4. *diſt.* 7. *q.* 1. *a.* 2. *Choninch. quæſt.* 7. *ar.* 2. *Filiuc. tract.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 6. & *Bonac. de Confir. diſp.* 3. *quæſt. vnica par.* 1. probabiliter volunt inſtitutionem Sacramenti Confirmationis inchoatam fuiſſe à Chriſto in die Cœnæ, quod deſignationem materiæ, & formæ, completã vero fuiſſe *Ioann.* 20. vbi data fuit Apoſtolis plena poteſtas ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.

Vtrum Confirmationis Sacramentum ſit ad ſalutem neceſſarium.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod certum eſt nõ eſſe neceſſariũ ſimpliciter, & de neceſſitate medij ad ſalutem, vt optimè docet *Scot. in* 4. *diſt.* 7. *q.* 2. nam ad ſalutem ex neceſſitate medij ſolũ docetur Marc. vltimo, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, & hoc pro prima tabula, pro ſecũda autem eſt pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum, itaque Confirmatio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem.

Dico tamen ſecundò, quod licèt *D. Th. in* 3. *p. q.* 72. *ar.* 8. *ad* 4. *Nugnus ibi, Præpoſ. Granad. ibid. Tolet. l.* 2. *c.* 24. *n.* 11. *Valent. T.* 4. *diſp.* 5. *q.* 2. *p.* 3. *Nauar. c.* 22. *nu.* 9. & *ex Soto, Couaru. Vaſq. Suar.* & *Coninch.* tenet *Hurtad. de Sacram. Confir.* & *Bonac. de Sacram. Confir. diſp.* 3. *q. vn.* & alij velint non eſſe neceſſarium Confirmationis Sacramentum, nec de neceſſitate præcepti, itavt data opportunitate ſi quis nollet Confirmationẽ accipere, nec mortaliter peccaret, & ſine ſumptione huius Sacramẽti poſſet ſaluari, nam per alia media acquirere poſſe aiunt chriſtianum effectum huius Sacramenti. ſ. per orationes, & Sacramenta Pænitentiæ, & Euchariſtiæ, vnde ab Eccleſia non determinatur tẽpus ſpeciale ad huius ſacramenti ſumptioné, ſicut determinatur in Sacram. Pœnit. & Euchar. ergo ſignum eſt non eſſe neceſſarium, nec de neceſſitate præcepti, ſi quæ autem authoritates afferuntur ipſis videntur ſonare huius Sacramenti neceſſitatem, & ampliandas eſſe volunt de neceſſitate vtilitatis, non autem præcepti; quam etiam opinionem probabilem videntur dicere ex noſtri *Ang. de Confir. q. vn. a.* 5. *concl.* 5. & *Pitigian. in* 4. *diſt.* 7. *q.* 2. *ar.* 2.

Attamen probabilius, & tutius noſt. *Subtiliſſ. Doct. in* 4. *diſtinct.* 7. *q.* 2. *D. Bonau.* 16. *ar.* 3. *q.* 2. *Riccard. Paludan* & *maior ibidem, D. Antonin. in* 3. *p. tit.* 14. *c.* 14. *Sylu. V. Confirm. u. nu.* 3. *Hugo de ſanct. Vict. l.* 1. *de Sacram. p.* 3. *c.* 3. *Petr. à Soto. lect.* 2. *de Confirm. Vualdenſ. l.* 2. *de ſacram. c.* 111. & alij volunt, quod licet ſimpliciter non ſit de præcepto ſumere confirmationis Sacramentum, itavt quiſquis teneatur adire miniſtrantem ſibi hoc Sacramentum neceſſariò, ſed ſi data opportunitate contemneretur eius ſuſceptio ab adulto, peccaret mortaliter, quia Sacri Canones iubẽt Confirmationis Sacramentum ſuſcipi, vt habetur de *Conſecrat. diſt.* 5. omnes fideles poſt baptiſmũ debent accipere Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum Epiſcoporum, vt plenè Chriſtiani inueniantur, ſimiliter ex *D. Cipr. ep.* 70. habetur eſſe neceſſariũ, vt fidelis Chriſmate iniungatur, & Melchiades Papa ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcribit, quod etſi morituris ſufficiant regenerationis auxilia, tamen victuris ſunt neceſſaria confirmationis beneficia. & in *Conc. Aurelian. c.* 3. habetur, quod baptizatus non cenſetur Chriſtianus niſi per confirmationem Epiſcopalem, intellige ex *gloſa* perfectè, & plenè; Vnde *Scotus* noſter ex iſtis authoritatibus ſolum colligit, quod adultus tenetur ſuſcipere i. non contẽnere, ſi omnimoda opportunitate oblata non ſuſciperetur iſtud Sacramentum, quare Eccleſia determinat tempus licèt negatiuè ſc. vt non ante, ſed poſt vſum rationis pueris regulariter miniſtrandum, & ipſis ſuſcipientibus præcipitur in Pontificali, vt (nullus fidei Chriſtianæ rudimenta non edoctus ingerat ſe ad percipiendum hoc Sacramentum Confirmationis) Immo præcipitur Epiſcopis, vt hoc miniſtrent Sacramentum tempore opportuno, & ſi contemneret Epiſcopus miniſtrare mortaliter peccaret.

Præterquã quod cũ militia ſitrica hominis ſuper terrã militare tenetur contra Diaboli tentationes, arma ergo offenſiua, & defenſiua tenetur miles ſub præcepto accipere, vt verè, & plenè miles inueniatur eſſe, Chriſtianus ergo characterem in confirmatione tenetur accipere, vt eo tanquam armis defenſiuis indutus, & roboratus inſeparabiliter miles Chriſtianus plenè, & verè inueniatur in conflictu diabolico ad fidem tuendam, quam in baptiſmo ſuſcepit, & ſi aut miles grauiter reprehenſibilis eſt, ſi ſine armis defenſiuis, & offenſiuis ad bellum procedat, dignuſq; e militia expellatur tanquam vitæ propriæ, & communis vtilitatis contra inimicos contemptos, ita etiam ſi quis inueniatur in morte cõtempſiſſe confirmationis Sacramentum, reprehenſibilis eſt à Domino Ieſu iudicandus, & dignus, qui e ſuorum electorum militum cathalogo tollatur, dũ ſine charactere ad victoriam ab ipſo Ieſu inſtituto contemnit accedere ad bellandum cum Diabolo in ſuæ euidens periculum ſalutis, & in ſubtractionem gloriæ ipſius Saluatoris; quare opinio hæc ſecunda videtur multo tutior, & probabilior, & ſacris Canonibus, diuinæ inſtitutioni admodum conſentanea.

Ceterum, vt inter iſtas duas opiniones in re tam graui pugnantes mediando aliquid pro aliquali earum conciliatione afferatur, aliqui Doctores diſtinguendum putare, nam vel poſitiuè, vel temerariè quis contemnit data opportunitate recipere confirmationem, itavt temerè prætermittere velit, quod tam ſalubriter à Chriſto Domino eſt inſtitutum ad robur accipiendum contra tentationes fidei, & cum hic contemptus poſitiuus temeritatem damnandam in Chriſtiano includat, ſanè peccabit mortaliter ratione iſtius temeritatis, maximè ſi ab alijs cognoſcatur, qui de tanto contemptu, & temeritate ſcandalizãtur nolens ſuſcipere confirmationem data opportunitate, & de hoc contemptu temerario poſſet explicari *Scot. loc. cit.* hinc *Petrus Ochogon.* inſignis Thomiſta docet *de ſacram. confirm. q.* 1. *a. n.* 4. ſub his verbis (imo erit peccatum mortale ſi relinquatur confirmatio per contemptum.)

Quod ſi data opportunitate recipiendi cõfirmationem quis ſolummodo præciſo omni poſitiuo contemptu, & temeritate ſolum negatiuè contemneret ideſt non curaret eam accipere putans hic, & nunc non eſſe ſibi neceſſariam, ſi abſit ſcandalũ aliorum, non peccaret, quia reuera nullum extat præceptum poſitiuum, vt accipiatur hic, & nunc, ſed ſolum extat præceptum, vt non contemnatur poſitiuè, quæ diſtinctio probabilis admodum eſt, & mihi placet.

An

Digitized by Google

An vero poſſit Scoti doctrinæ adaptari, videant Scotiſtæ, Scotus enim in hac materia ita abſolutè loquitur (Ad argumẽtum dico, quod loquitur de adulto, qui debet ſuſcipere ideſt non contemnere, & pro tempore congruo ſuſcipere in effectu, iudicatur enim contempus, ſi omnimoda opportunitate oblata non ſuſciperetur) & *Gloſ.* ab eo adducta *extra de ſentent. excom.* ait, quod non eſt plenus Chriſtianus, qui contemnit confirmationem accipere.

Vtrum infantes rationis vſu ad huc non capaces, & ad tempus, vel perpetuò amentes licitè confirmationis Sacramento inungi valeant.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod certum eſt quod omnes aſſerunt cõius, infantes vſu rationis non pollentes eſſe capaces Sacramenti confirmationis, quia generaliter Apoſtoli leguntur impoſuiſſe manus tam adultis, quam non adultis ad confirmationis Sacramentum conferendum, & *in c. 1. diſt. 5.* habetur omnes fideles indifferenter debere recipere Spiritum Sanctum per manus Epiſcoporum impoſitionẽ poſt baptiſma. Ita *Scotus in 4. diſt. 7. q. 1. D. Thom. 3. p. q. 72. a. 8.*, *Pitigian. diſt. 7. q. 1. a. 8.*, *Suar. diſp. 35 1. & 2.*, *Nauar. c. 22. n. 8.*, *Bonac. de confirm. diſp. 3. q. vn. p. 3.* & alij. Attamen an hodie licitè confirmantur in fantes.

Dico ſecundò, quod licet aliqui voluerint non poſſe Epiſcopum abſque culpa mortali conferre Sacramentum confirmationis infantibus, & pueris vſu rationis carentibus, ex eo, quod pręcipiatur in Pontificali non eſſe dandam confirmationem, niſi ſciant doctrinam Chriſtianam, quæ ante vſum rationis non poteſt addiſci, præcipitur etiam, vt ieiunis conferatur hoc Sacramẽtum, quod æquè bene infantes ſeruare nequeunt, pręcipitur etiam, vt Epiſcopus confirmato alapam impingat, vt recorderur Sacramenti, quod ſemel accepit, quod infantibus conuenire nequit, demum quia conſuetudo obtinet vim legis, ſequitur quod cum hoc noſtro tempore iam conſuetudo obtinuerit, vt ſolum pueri vſum rationis pollentes confirmentur, ſi tranſgrediatur in re graui, peccato mortali obnoxium reddat miniſtrum infantibus Sacramentum confirmationis conferentem. Ita videtur aſſerere *Gregor. de Valent. de confirmat. q. 2. punct. 2*, *Suar. tamen diſp. 35. ſect. 2.*, & *Petrus Ledeſma in ſum. de confirmat. c. 70.* videntur velle ſaltem venialiter peccare miniſtrantem confirmationis Sacramentum infantibus.

Verum probabilius puto nullum eſſe peccatum infantibus etiam hodie miniſtrare Sacramentũ confirmationis, quia nullibi hoc ſub præcepto prohibitum, nec in Pontificali prohibetur dare infantibus confirmationis Sacramentum, dum iniungit Chriſtianam doctrinam ſcientibus conferendum, & alapam impingendam in memoriam Sacramenti accepti, nam ſolum dat modum, quo conferendum ſit adultis, vnde præcipitur adultis, ne ſe ingerant in accipiendo hoc Sacramento, niſi rudimenta Chriſtianæ fidei nouerint, non propter hoc quod præſcribit modum conferendi confirmationem adultis, prohibet ſub præcepto poſitiuo, ne infantibus conferatur, hinc *noſter Ricardus in 4. diſt. 7. a. 4. q. 2.*, *D. Bonauentura in 4. q. 7. a. 3. q. 1.*, & *noſter Alenſis 4. p. q. 28. membro 3. Hurtad. de Sacr. confirm. diff. 10.*, & *Granadus de Sacr. p. 3. controu. 5. tract. 2. diſp. 2. n. 10.* docent, quod confirmare infantes etiam ſine cauſa non eſſe prohibitum, nec peccare mortaliter confirmantem, quia vt infantes minores ſeptennio non confirmentur ſolum ad conuenientiam ſtatuitur, vnde ſi non ſit ſpes pro aliquo tempore adeſſe occaſionem confirmationis accipiendæ, poteſt, & debet offerri infans confirmationi ſuſcipiendæ, vide noſtrum *Villalob. in ſum. T. 1. tract. 3. c. 2.*

Vnde infantes in articulo mortis expedire, ſi commodè fieri poſſet, vt confirmentur, quia & ſi non ſint profeſſuri fidem coram Tyranno, attamen recipient augumentum gratiæ, cui maior gloria reſpondebit, & non debent tanto beneficio fruſtrari, docent *D. Th. 2. 2. q. 72. a. 8. ad 4.*; *Zambran. de Sacr. confirm. c. 2. dub. 5. n. 4.*, *Sancius in ſelectis diſp. 40.*, *Layman. l. 5. tr. 3. c. 5.*, & *Granad. loco cit.* à qua doctrina non abhorret noſter ſubtilis, dum etiam in definitione confirmationis vſu rationis non pollentem ait eſſe etiam ſubiectum licitè ſuſceptiuum huius Sacramenti.

Quod autem conſuetudo generalis obtinuerit, vt poſt vſum rationis confirmentur, hoc ad validitatem maiorem ſuſcipientium, & maiorem Sacramenti venerationem, & conuenientiam introductum eſt, non autem ad neceſſitatem præcepti, & quæ in Pontificali habentur circa hoc Sacramuntum ſuſcipiendum circa tempus, peritiam, ieiunium, & alia huiuſmodi ſunt de conſilio, non de præcepto, vnde poſt prandium confertur communius, & pueri non ieiuni afferuntur ad hoc Sacramentum recipiendum.

Dico tertiò, quod etiam amentibus perpetuo vſu carentibus dandum eſt confirmationis Sacramentum, & amentibus ad tempus, qui ante amentiam incurſam illud petierunt adminiſtrati poſſe ex eadem definitione allata a Scoto dicitur, vbi habet, quod poteſt conferri libero arbitrio nunquam vſo, non enim debet gratia priuari ſine ſua culpa Amens, quæ confertur in hoc Sacramẽto, nam perpetuo Amens ſi eſt baptizatus in gratia eſt, quæ augeretur ex miniſtratione huius Sacramenti, & licet ei non inſeruiret ad præliandum, inſeruiret tamen ei ex paſſionis Chriſti virtute per hoc Sacramentum applicata ad habendum maiorem gradum gloriæ correſpondentem gratiæ gradui accepto in hoc Sacramento. Ita etiam noſter *Angles de confirmat. art. 4. concl. 4. D. Tho. loco citato artic. 8. Suar. loc. citato punct. 4.* & alij communius, quicquid in contrarium velit *Sotus*, & alij apud *Bartholomeum* & *Angel. dialog. 3. §. 58.*

Amentes vero non perpetui, ſed in eum inciderunt ex aliquo tempore, modo non conſtet in peccato notoriè fuiſſe ante amentiam, & ſine contritione incidiſſe in amentiam, ſed pij, & deuoti ſunt exiſtimati ante amentiam incurſam, licet non expoſtulauerint confirmationẽ ante amentiam incurſam, quia neſcitur, an in gratia exiſtant tamen quia bonus præſumitur, qui malus non probatur, poteſt, & debet eis dari Sacramentum confirmationis, nam ſufficit voluntas virtualis ipſis illud ſuſcipiendi, quia baptizatus quiſque optat paſſim hoc Sacramento inungi, ſecus ſi ante amentiam fuerint notorij peccatores, quia poteſt ſupponi non eſſe diſpoſitos ad recipiendum hoc Sacramentum. Ita noſt. *Villal. loc. cit.*, *Pitigian. in 4. diſt. 7. q. 1. a. 8.*, *Lambran.* & *Layman. loc. cit.*

Vtrum ad ſolum Epiſcopum pertineat miniſtrare Sacramentum confirmationis, Sacrumque Chriſma conſecrare, vt nulli alteri poſſit nec à Papa vtrumque demandari.

DIFFIC. IV.

DIco primo, quod à *Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 3. de confirmatione* ſtatuitur ſub his verbis ſi quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium (Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit) quare cum ſolum dicat Epiſcopum eſſe Ordinarium Miniſtrum non prohibet, quin ſimplex Sacerdos per Papæ extra ordinariam, & abſolutam potentiam poſſit recipere authoritatem conferendi confirmationis Sacramentum, itaque communiter Theologi hanc authoritatem à Papa poſſe committi ſimplici Sacerdoti docent, *Scotus noſter in 4. diſt. 7. q. 1. Pitigian. ibid. a. 5. & 10.*; & *13. Angles de confirmat. a. 8. concl. 3.*, *D. Thom. quæſt. 72. a. 11.*, *Peſantius*, & *Nugnus 16.*, *Suar. diſput. 36. ſect. 4. Tolet. l. 2. cap. 24.*, *Vaſquez 3. p. quæſt. 72. a. 3. diſput. 219. c. 1. n. 3.* & alij communiter, & patet *ex cap. peruenit diſt. 95.*, *vide Bellarm. cap. 12. de confirmat.* & *Bonac. de confirmat. diſp. 3. q. vn. p. 2.*

Dico ſecundo, quod licet Chriſma conſecrare pro materia confirmationis regulariter etiam ad ſolum Epiſcopum pertineat, *vt p. ex Conc. Tolet. 8. c. 7.* vbi habetur diuina authoritate prohibitũ eſſe Sacerdotibus conſecrare Chriſma, & ita communiter docẽt *Pitigian. noſt. loc. ci. a. 4.*, *Nugnus*, *Graff.*, *Bonac. loc. cit.*, attamen etiam hanc authoritatem poſſe committi à Papa, vt Sacerdos ſimplex benedicat ſacrum Chriſma, docet *Scotus noſter diſt. 7. q. 1.*) & probabile hoc putant *Bonac. loc. cit.*, & *Valentia T. 4. diſput. 5. quæſt. 1. punct. 2.* & multi Doctores apud *Barthol. ab Ang. Dialog. 3. §. 12.* apud *Suar. diſput. 33. ſect. 3. verſic. in 3.* & apud *Filiucc. tract. 3. cap. 1. quæſt. 2. num. 13.*; nam vt noſter Doctor docet *loc. cit. §. quartus modus dicendi eſt* Papa poteſt quemlibet Sacerdotem, quantum ad iſtum actum ſtante aliqua neceſſitate, & cauſa facere Epiſcopum non conferendo ſimpliciter ei gradum

Epiſcopalem, ſed ſolum pro iſto actu ſpeciali, vnde poteſt ei concedere vſum Pontificalium etiam pro iſto actu, vt de facto vſum Pontificalium concedit Papa Guardiano Hieruſalem, ſeu montis Sion noſtræ Seraphicæ Religionis, licet non ſit nec Epiſcopus, nec Abbas.

Vtrum Epiſcopus non confirmatus poſſit confirmare, & an in ſua Diœceſi ſubditos alterius Diœceſis valeat licitè, & an neceſſario ieiunus, & in feſto, & an ſemper in loco ſacro confirmare debeat, & an valeat aliquid recipere pro Confirmatione miniſtranda.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod Epiſcopus non confirmatus, ſi ſit cõſecratus poteſt validè confirmare, nam verus eſt Epiſcopus, nec confirmationis carentia tollit ab Epiſcopo validitatem ſuæ conſecrationis, cum nullibi irrita inueniatur ſtatuta Epiſcopi conſecratio, ſi antea non fuerit confirmatus, ſicut enim ordinatus abſque præuia confirmatione eſt verè ordinatus, ita, & verè ordinatus Epiſcopus, qui antea non fuit confirmatus, eſt ergo verè idoneus miniſter confirmationis Epiſcopus conſecratus, ſi non ſit confirmatus, nec valet dicere quod non poteſt illud Sacramentũ conferre, quod in ſe non habet, nam etiam Parochus validè aſſiſtit celebrationi matrimonii, & tamen non habet in ſe tale Sacramentum. Ita etiam *Bonac. de confirm. diſp. 3. q. vn. p. 2.* & alii cõmuniter.

Dico ſecundò quod variant Doctores, an Epiſcopus poſſit confirmare ſubditos alterius Epiſcopi, affirmant ſine culpa, et ſuſpenſionis incurrendæ periculo poſſe Epiſcopum alterius ſubditos confirmare, quia præſumendum eſt, hoc gratum fore, & ratum habendum a proprio Epiſcopo, dũ onus ſibi diminuit, & ſuos ſubditos tanto beneficio proſequitur. Ita *Henr. l. 3. c. 6. n. 6. & Emanuel Sà V. confirmat. n. 2.* at vero negant poſſe Epiſcopum confirmare ſubditos alterius, quia non eſt bonum mittere falcem in meſſem alienam, nec conſtat de voluntate propria Epiſcopi. Ita *Bonac. loc. cit. Vinal. de confirm. c. 4. n. 8. Ledeſm. tract. de confir. c. 9. & Barthol. ab Angelo dial. 3. §. 62.* & alii.

Attamen diſtinguendum puto, nam vel Epiſcopus in generali adminiſtratione indifferenter quoſcumque ad ſe venientes confirmat, et tunc non tenetur ſingulos interrogare an ſint ſui ſubditi, poteſt enim præſumere eſſe ſuos ſubditos, dum ad eum accedit, vt confirmentur, et in hoc caſu confirmans alienos non peccat, neq; ſuſpenſionem incurrit cũ prima opinione, quod ſi ſcienter, et data opera ſubditos alterius confirmet in particulari extra generalem adminiſtrationem huius Sacramenti, puto cum ſecunda opinione non licitè ab ipſo confirmari, quia verè mittit falcem in meſſem alienam, et poteſt potius præſumi, quod ſuo Epiſcopo diſplicear, ſi in ſua Diœceſi aſſiſtat, ſecus ſi ſit extra Diœceſim proprius Epiſcopus, nam tunc poteſt iure præſumi non diſpliciturum illi, imo maximè placiturum. An vero Epiſcopus Clericum veniẽtem ad ſe cum dimiſſoriis proprii Epiſcopi, vt accipiat ordines, ſi non ſit confirmatus, poteſt eum confirmare, quia concedens principale, ſ. poſſe ordinari, concedit etiã minus principale, quod eſt confirmari poſſe. Ita *Genuenſis in Man. Præl. c. 54. & Barb. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 30.* et alij.

Dico tertiò, quod Epiſcopis in aliena Diœceſi abſq; licentia expreſſa ordinarii loci ſub pœna ſuſpẽſionis ipſo facto ne exerceant Pontificalia, et in perſonas alteri ordinario ſubiectas à Sacra Congregatione Concilij circa *Trid. decretum ſeſſ. 6. c. 5. de Reform. prohibetur.* Ita *Bonac. loc. cit. Henriq. l. 3. c. 6. Emm. Sà V. Confirm. n. 3. Suar. diſp. 38. & Chamerota de confirmat. c. 7. dub. 3.* et alij communiter.

Dico quartò, quod non eſt neceſſum quod ſit ieiunus Epiſcopus confirmationis Sacramẽti miniſtraturus, nec ſemper eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, vt in die feſto confirmet, quia hæc ſolum de conſilio iuberi docent noſter *Ang. V. Confirm. §. 6. D. Anton. 3. p. tit. 14. c. 14. Sylu. V. Confirmatio q. 4. Tolet. l. 2. c. 24. n. 9. Henriq. l. 2. c. 5. n. 6. & c. 6. n. 7. Bonac. loc. cit.* et alii communiter, quicquid *Emm. Sà* velle videatur dandam eſſe, et ſuſcipiendam confirmationem a ieiuno, qui praxis, et conſuetudo optima legum interpres contrarium docet, cum poſt prandium etiam conferatur confirmationis Sacramentum.

Dico quintò, quod licet *Magnus q. 72. a. 2.* putet mortale peccatum Epiſcopos incurrere confirmationem miniſtrantem extra Eccleſiam, quia faceret contra vniuerſalem Eccleſiæ traditionem in re graui, attamen videtur nimis rigoroſe contra Epiſcopos loqui benignius, ergo *Henr. loc. cit. & Coninch. q. 72. a. 7.* putant non obligare Epiſcopum confirmationis Sacramentum in Eccleſia miniſtrare, cum nullibi ſub præcepto caueatur, quare vrgente aliqua de cauſa poſſe præſertim, quando priuatim, & priuatis aliquibus perſonis eſt miniſtraturus hoc Sacramentum, extra Eccleſiam ipſum conferre, extra legitimam cauſam non debet Epiſcopus ab vniuerſali conſuetudine recedere in miniſtrando præcipuè generaliter hoc Sacramentum.

Quare ſi eſſet in aliquo Pago ſuæ Diœceſis, in qua eſſet ſola Eccleſia anguſta, & incapax multitudinis, & ibi confirmationis Sacramentum generaliter miniſtraret, legitimam cauſam haberet extra Eccleſiam ipſum adminiſtrandi decenter prius loco præparato.

Dico ſextò, quod accedentibus Epiſcopis dumtaxat pro miniſtrando Sacramento confirmationis ad loca ſuæ Diœceſis nec laici, nec Rectores Eccleſiæ non tenentur aliquid pro expenſis tribuere. Ita Sac. Congreg. apud *Armentar. in addit. leg. Nauar. l. 1. tit. 18. lib. 7. & Barboſa in deciſ. Apoſt. collect. 292. n. 22. & 23.*

Vtrum non confirmatus licitè abſque peccato ordinibus inſigniri valeat.

DIFFIC. VI.

NOn deſunt Doctores grauiſſimi, qui putant non peccare mortaliter, qui primam Tonſuram, vel ordines recipit, antequam confirmatione inungatur, quia præciſo contemptu non eſt de ſe neceſſarium, vt præcedat confirmatio ordinum receptionem. Ita *Suar. diſp. 38. ſect. 1. Nauar. in man. cap. 22. num. 9. Valentia T. 4. diſp. 5. q. 2. p. 3. Coninch. 3. p. q. 73. art. 8. Sot. in 4. diſt. 24. q. 1. a. 4.* & alii, nec obſtare dicunt *Conc. Trid. præceptum ſeſſ. 23. c. 4.* quia vt notat ſpecialiter *Coninch.* non videtur induxiſſe obligationem graue Concilium Trid. in illo loco, itaut ſub mortali teneatur prius confirmationem accipere ordinandus, nec talis conſuetudo videtur eſſe inducta ſub mortali.

Verum in hac difficultate, quæ paſſim poteſt occurrere non audeo tot Doctorum placitum omnino improbare; ſed ſolum referam verba *Concilij Tridentini loc. cit. ſcilicet ſeſſ. 23. c. 4.* vbi loquens de conditionibus, quas debent habere initiandi prima Tonſura ſic loquitur. (prima Tonſura non initientur, qui confirmationis Sacramentum non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit eos non ſæcularis iudicii fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent hoc vitæ genus elegiſſe.) Hæc concilium, ex quo infero, quod eodem modo prohibentur initiari prima tonſura, qui confirmationis Sacramentum non ſuſceperunt, quo prohibentur initiari neſcientes rudimenta fidei, & legere, & ſcribere, & illi, qui effugiendi iudicii ſæcularis fraude volunt initiari, videant ergo viri docti, an Epiſcopus peccet mortaliter, an venialiter initiando neſcientes rudimenta fidei, legere, & ſcribere, & effugientes iudicium ſæculare, & idem iudicium ferant de initiando non confirmato. Heu quam faciles ſunt hodierna die Theologi aliqui ſola auctoritate propria præcepta Sac. Concilii infirmare tanquam non obligatoria, vnde multa ſalubriter inſtituta ab ipſo præſumunt in graue præiudicium animarum.

Vtrum ſi Epiſcopus aliquo inſtrumento puta calamo, vel bombice inungeret frontem confirmandi, valide conferret confirmationis Sacramentum.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod Epiſcopus inungens frontem confirmati aliquo inſtrumẽto, puta calamo, bõbice, aut ſerico & non immediatè ſuo pollice, certum eſt apud omnes quod morta-

taliter peccaret, quia faceret contra vniuerſalem Eccleſiæ traditionem, & conſuetudinem, quæ in adminiſtratione Sacramenti, tanquam in re graui habet vim legis obligantis ad mortale, itaque ex neceſſitate præcepti pollice debet inungere, quod ſi alio digito non peccaret, quicquid nimis rigidè in contrarium velit *Merchiar.*, *Zambram de caſ. occurrent. temp. mor. cap. 2. dub. 1.* quod videtur etiam docuiſſe *Laym. in Theol. mor. l. 5. tract. 3. c. 2. n. 5.* quia non eſt tanta variatio, quia etiam per ſe ipſum immediatè inungere dicetur, ſi quocunque digito inungeret, ita etiam docet *Nugnus in 3. p. T. p. q. 62. q. 4. & Diana tract. 4. de Sacram. p. 3. reſol. 22.* at vero ſi calamo, bombyce, aut alio inſtrumento iam non immediatè per ſuarum manuũ impoſitionem diceretur inungere, ſed mediate aliquo inſtrumento; Quod autem faceſſit negotiũ in hac difficultate eſt an validè confirmaret Epiſcopus cum tali inſtrumento inungens. Quare

Dico ſecundò, quod *Fermand. de Hered. in diſp. de Sacram. Confirmat. diffic. 5. p. 3. dub. vn. n. 2.* affirmat validè miniſtrari Sacramentum confirmationis ab Epiſcopo, ſi pinna, vel aliquo alio inſtrumento inungeret, quia cum tali inſtrumento etiam diceretur confirmare per immediatam manuum ſuarum impoſitionem, & probat, quia immediatè dicitur violentas manus in Clericum inieciſſe, qui eum baculo, vel alio inſtrumēto percutit, ergo etiam dicitur immediatè inungere, qui calamo, vel pinna, vel bombice, aut alio inſtrumento inungit.

Et ſanè non omnino improbabiliter, nam & in Sacramento baptiſmi in quo Sacerdos abluit puerum, non eſt neceſſum, vt manibus proprijs immediatè abluat puerum, ſed ſufficit, quod aqua per aliquod inſtrumentum infundat, & tamen dicitur immediatè ſuis manibus baptizare, ergo etiam Epiſcopus inungens pinna, vel bombice dicetur immediatè manibus proprijs inungere, ac ſi ſuo pollice immediatè inungeret, ſufficit enim, quod adſit materia ſimul cum forma à Miniſtro idoneo applicata, modus autem ſcilicet cum proprio pollice, aut cum inſtrumento non videtur eſſe de eſſentia Sacramenti.

Nec obſtare videtur, ſi dicatur, quod hoc Sacramentum conſiſtit in manuum impoſitione, ergo requiritur ad ſuam eſſentiam immediatus contactus phyſicus manuum, nam per ſimplicem contactum phyſicum immediatum pollicis, nec dicitur facta manuum phyſica impoſitio immediate, cum impoſitio manus phyſica, & immediata dicat reſpectum ad contactum plenum manus totius, & non tantum ad pollicem, & tamen in ſolius pollicis contactu ſeruatur validus modus confirmandi quia pollex virtualiter dicit impoſitionem manus, ergo etiam ſi pollex cum indice iniungat per inſtrumentum dicetur facta impoſitio vera manus, quia per ipſos mouentes inſtrumentum vnctionis dicitur vera tota manus imponi ſuper inungendum, & dicitur verè immediatè inungens per ſe, & non per alium, cum in more paſſim ſit poſitum etiam apud gentes in vnctiones fieri per inſtrumenta, & tamen dicuntur per ſe inungere immediatè Chirurgi, & Medici, quando pinna, vel bombice inungunt; videtur ergo probabiliter dictum validè confirmare, qui proprijs manibus pinna, vel bombice inungit confirmatum.

Ceterum probabilius, & tutius alij contendunt nullum eſſe Sacramentum confirmationis ſi miniſtretur cum calamo, pinna, bombice, aut alio inſtrumento, quia cum hoc Sacramentum conſiſtat in manus impoſitione, verè connotat contactum phyſicum immediatum manus miniſtrantis. Ita *Suar. & Coninch.* quos citat, & ſequitur *Laymau. in Theol. mor l 5. tract. 3. c. 2. n. 5., Reginald. T. 2. lib. 28. c. 2. num. 20., Filiuc. T. 11. tr. 3. c. 2. n. 17., Nugnus in 3. p. T. 1. q. 72. art. 4.*, & ſanè probabilius puto dictum, quia de eſſentia huius Sacramenti non eſt ſimpliciter inunctio, ſicut ſimpliciter eſt ablutio in Sacramento baptiſmi, quia ſic non repugnaret fieri per inſtrumentum, ſicut fit ablutio, ſed conſiſtit in manus impoſitione ſimul cum vnctione; hinc manus violentæ in Clericum per inſtrumentum dicuntur verè factæ abſque contactu phyſico, quia ſufficit, quod violentia manus afficiat, & terminetur ad Clerium, quæ violentia ſatis per inſtrumenta afficiunt, non ſic autem in hoc caſu, quia in vnctio non ſolum debet afficere confirmatum, & ad confirmatum terminari, verum etiam contactus phyſicus manus, qui per impoſitionem manus connotatur neceſſario, & eſſentialiter.

Vtrum balſamum in confirmatione ſit de neceſſitate Sacramenti, & in qua quantitate miſcendum cum oleo Oliuarum.

DIFFIC. VIII.

Dico primò, quod probabiliter videntur aſſerere balſamum eſſe ſolum neceſſarium neceſſitate præcepti, non autem neceſſitate Sacramenti in materia Sacramenti confirmationis, vnde ſufficere volunt oleum oliuarum ab Epiſcopo benedictum noſter *Angles in 4. ſent. de confirmat. art. 2. concl. 2. Caiet. in 3. p. p. 72. art. 2., Sot. in 4. diſt. 7. num. 2. Philiarch. de offic. Sacerd. T. 1. p. 2. l. 1. c. 11., Nauar. c. 22. num. 8., Victor. in ſum. n. 4., Viuald. in Candel. c. de Sacr. confirm. num. 2., Fernand. in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 3., Barboſ. in collect. T. 1. l. 1. tit. 16. cap. 1. num. 2., Couar. l. 1. var. cap. 10., Zanard. in direct. Theol. p. 1. de Sacram. confir. cap. 2., & Valentia T. 4. diſput. 5. quæſt. 1. p. 2.* & alij, & probant ex *Innoc. III. qui in c. Paſtoralis de Sacram. non iterandis*, rogatus ſi eſſet reiterandum Sacramentum confirmationis in eo, qui per errorem non fuit Chriſmate, ſed ſimplici oleo delinitus, reſpondit non eſſe aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod in caute fuerat prætermiſſum, vbi ſupponit balſamum non eſſe de neceſſitate Sacramenti.

Dico ſecundo, quod probabilius, & tutius dicendum balſamum eſſe de neceſſitate Sacramenti, quia ſic ſtatuitur in Concilio Florentino, in quo materiam huius Sacramenti diffinitur eſſe Chriſma confectum ex oleo, & balſamo, ergo ſi balſamum *ex Concilio Florentino* pertinet ad materiam confirmationis eſt de neceſſitate Sacramenti. Ita noſter *Pitigian. in 4. ſent. T. 1. diſt. 7. quæſt. 1. a. 2., Villalobi in ſum. T. 1. tract. 6. diffic. 2. num. 2., Coninch. de Sacram. quæſt. 72. art. 3. dub. 1. num. 20., Sylu. in 3. p. q. 72. a. 2. Nugnus in 3. p. T. 1. q. 72. a. 3. Layman. in Theol. mor. l. 5. tract. 3. c. 2., Fernad. de Heredia in diſp. mixt. de confirmat. diſ. 5. p. 3. dub. 1.*, & alij communius.

Nec obſtat, quod aqua miſcetur cum vino in Calice conſecrando, & tamen aqua non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum de neceſsitate præcepti, nam Concilium ſtatuit materiam ſanguinis eſſe vinũ abſolutè cui modiciſſima aqua eſt miſcenda non ad perficiendam materiam, ſed ad ſimplicem ſignificationem, vt ſuo loco dicetur, at vero in Sacramento confirmationis balſamum miſcetur cum oleo tanquam aliquod pertinens ad integritatem materiæ debitæ quæ eſt Chriſma, ideſt oleum oliuarum mixtum balſamo.

Quod autem Innocentius III. voluerit non iterari datam confirmationem cum ſolo oleo, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum, eſt, ac ſi dixiſſet non abſolutè reconfirmandum, ſed ſub conditione iterum cum Chriſmatè in vngendum, ita enim ſuppletur cautè, quod incautè fuit prætermiſſum, quia forte dubitabat, an validum fuerit Sacramentum confirmationis abſq; balſamo, nam ſi abſolutè voluiſſet eſſe validum collatum cum ſimplici oleo, non dixiſſet cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum, ſed abſolutè declaraſſet nihil aliud eſſe neceſſarium. Ita probabilior videtur, & tutior ſecunda opinio, nam in materia Sacramentorum tutior pars eſt eligenda, tutior autem pars eſt, vt iuxta communem vſum, & traditionem Eccleſiæ Chriſma ex oleo, & balſamo conficiatur pro materia confirmationis.

Dico tertiò, quod balſamum miſcẽdum cum oleo ad faciendum ſacrum Chriſma pro materia debita Sacramenti confirmationis debet eſſe in ea quantitate, qua balſamum poſſit ſuas qualitates, & maximè odorem ſuum oleo cõmunicare, quamuis in ſingulis partibus olei non ſit incorporatum balſamum. Ita *Bonac. de confir. diſp. 3. q. vn. punct. 2., & Coninch. 3. p. q. 72. a. 3. n. 29.*, quod etiam mihi ſuadet debere eſſe in tanta quantitate, quæ ſufficiat ad communicandum ſuum odorem oleo oliuarum, nam balſamum, vt notat *ſubtilis Doctor diſt. 7. quæſt. 1.* in fine miſcetur ideo cum oleo, quia balſamum habet bonum odorem, & ideo ſignificat bonam famam iuxta illud *2. Corinth.* Chriſti bonus odor ſumus Deo, balſamo etiam corpora mortuorum condiuntur, ne putrefiant, ideo ſignificat incorruptionẽ, per illam ergo materiam ſcilicet Chriſma cõfectũ ex oleo, & balſamo ſignificatur, q̃ confirmatus debet habere munditiam, charitatem, & bonam famam, quia ſine iſtis non eſſet multum authentica confirmatio fidei Chriſtianæ.

Vtrum vero ſit de neceſſitate Sacramenti Chriſma benedictum præſentis anni, an vero ſolum de præcepto, ita vt confirmans Chriſmate benedicto anno preterito validè cõfirmet, eſſe ſolum de neceſſitate præcepti, non autem Sacramenti, vt confirmatus inungatur Chriſmate præſentis anni, & non præteriti communiter volunt Theologi, ita vt verum Sacramentum Confirmationis cooferatur, ſi Chriſmate præteriti anni quis inungat confirmatum, circumſtantia enim temporis cum ſit extrinſeca oon poteſt tollere idoneitatem iam datam Chriſmati per benedictionem. Ita *Suar. diſp. 33. ſect. 1. ſub fine*, *Palud. in 4. diſt. 17. a. 2. n. 19.*, *& Bonac. de confir. diſp. 3. quæſt. vn. p. 3.*, Quare extra neceſſitatem peccaret vtens Chriſmate veteri in confirmatione, validum tamen efficeret Sacramentum.

Vtrum in Sacramento confirmationis vnus ſolum debeat eſſe Patrinus, & an iſte neceſſario debeat eſſe confirmatus ad contrahendam cognationem ſpiritualem.

DIFFIC IX.

Dico primò, quod in confirmationis Sacramento vnus tantum Patrinus debet eſſe, *ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2.* ſub iſtis verbis (ea quoque cognatio, quæ in confirmatione contrahit ut confirmantem, & confirmatum, illius que Patrem, & Matrem, ac Tenentem non egrediatur omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis) *Toletus tamen l. 2. cap. 24. n. 11.* duos Patrinos, vt in baptiſmo eſſe poſſe ait apud *Sà in addit.*, ao vero ad mentem Concilij, colligat prudens lector ex præcitatis verbis Concilij attentè ponderatis.

Illud tamen hic prætermittendum nolui, quod vbi commodè fieri poteſt Suſceptor, ſeu Patrinus in baptiſmo non debet eſſe Patrinus in confirmatione, niſi neceſſitas cogat, vt habetur in *cap. in Cathechiſmo de Conſecrat. diſt. 4.* et notat *Ricardus noſter in 4. diſt. 7. a. 7.*, quia decens eſt, vt in ſingulis Sacramentis ſinguli Patrini adhibeantur, verum hodie notat *noſter Angelus V. Confirm. §. vltimo in conſuetudine* poſitum, vt Patrinus in vno, ſit etiam paſſim Patrinus in alio, quare ſine ſcrupulo peccati etiam venialis hęc decentia prætermittitur; vide etiam *Dianam tract. 4. reſol. 21. cum Barthol. ab Angelo in exam. Confeſſ. dial. 3. §. 45. & Bonac. de confir. diſp. 3. q. vn. punct. 4. in fine.*

Dico ſecundo, quod non confirmatus licet noſt. *Rodriq.* quem citat, & ſequitur *Molfeſ. in ſum. T. 1. tract. 4. c. 2. n. 43.*, *Sylu. in 3. p. q. 72. a. 10. cum noſtro Roſella, Soto, Paludano, Lopez, & alijs apud Sanchez de matrim. T. 2. l. 7. diſp. 60. n. 19.* affirment ſi ſit Patrinus in confirmatione contrahat ſpiritualem cognationem, quia id nullo iure prohibetur, quod autem non baptizatus non cõtrahat cognationem nec in baptiſmo, nec in confirmatione euenit, quia eſt extra gremium Eccleſiæ, vnde non baptizatum præcepta Eccleſiæ non afficiunt, at vero non confirmatus ſi verè ſit baptizatus eſt in gremio Eccleſiæ, eiuſque præceptis afficitur.

Attamen probabilius negant non confirmatum, ſi ſit Patrinus in confirmatione, nullã contrahere affinitatem docent noſter *Angelus V. confirmatio §. 11.*, *Sanch. loc. cit.*, *Reginal. T. 2. l. 31. cap. 20. num. 157.*, *Vgolin. de poteſt. Epiſc. cap. 25. §. 1. num. 2.*, *Rebell. de obligat. p. 2 l. 3. quæſt. 6. num. 6. & 7.*, *Baſyl. Pont. de imped. matr. cap 21. §. 1. Coninch. de Sacram. quæſt. 72. ar. 10.*, qui etiam citat *Suar.*, *& Victoriam*, & probant ex *cap. In baptiſmate de conſecrat. diſt. 4.* vbi ſic habetur, in baptiſmatæ, vel io Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filium ipſe, qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.

An vero peccet mortaliter non confirmatus, ſi ſit Patrinus in confirmatione, affirmat *Coninch.* quia redderet eam cæremoniam ab Eccleſia inſtitutam irritam, & nullam, quia non contraheretur cognatio ſpiritualis inter ipſum, & confirmatum, vt Eccleſia intendit, quare cum in re graui faciat contra intentionem Eccleſiæ, ait *Coninch.*, quod mortaliter peccaret, quod videntur etiam annuere *Nugnnus in 3. parte quæſt. 72. artic. 3. & Sylu. loc. citato* attamen vt ex illis etiam Doctoribus colligitur, probabile eſt, quod præciſo contemptu non peccat mortaliter non confirmatus ſi teneat confirmatum, vt notat etiam *Diana tract. 4. de Sacr. reſol. 21.*

An vero Patrinus in hoc Sacramento Confirmationis contrahat obligationem inſtruendi confirmatum ſub mortali, negant communius Doctores, quicquid in contrarium videatur dicere *Syluius loc. citato*, nam nullibi hoc præceptum inuenitur in iure, ſicut de Patrino baptiſmi Vide *Coninch. de Sacram. quæſt. 72. ar. 10.*, *& Layman. in Theolog. mor. l. 5. tract. 3. cap. 6. num. 1.*, qui citat etiam pro hac opinione *Henriq.*

Porrò vtrum Mendicantes poſſint eſſe Patrini in Sacramento confirmationis, & baptiſmi affirmant *Chamerota de Sacrament. tract. 2. cap. 4. dub. 8.*, *& Coninch. quæſt. 61. a. 7. num. 56.*, *quia licet in cap. Monachi de conſecr. diſt. 4.* prohibeantur Monachi eſſe Patrini in baptiſmo, & confermatione, ſub nomine tamen Monachorum aiuot non veoire mendicantes, ſed ſolum illi Monachi, qui ſolitudinem colunt, attamen nimis benignè, ne dicam, nimis largè, illum textum interpretantur præfati Doctores, quare probabilius eſt quoſcunque Regulares à tali compaternitate prohiberi, vt docet *Layman. in Theolog. mor. l. 5. tract. 2. cap. 9. num. 3.* quoad vero nos fratres minores certiſſimum eſt, cum in noſtra Regula præcipuè iſtas comparernitates prohibeat Seraphicus noſter Patriarca. Epiſcopi vero facti Regulares etiam noſtri, cum ſoluantur ratione dignitatis à conſimilibus obſeruantijs, quæ ab acquirenda perfectione poſſent remouere, & dicantur eſſe in ſtatu acquiſitæ perfectionis, nullum ſcandalum poſſet ſuboriri, ſi hanc compaternitatum ſuſcipere velint, noo prohibentur eſſe Patrini, vt notat etiam *Sanch. in ſum. T. 2. l. 6. c. 6. n. 24. &c.*

Confirmatio Actus.

Vtrum Actus, qui nullus eſſet de iure poſitiuo, ſi confirmetur ex certa ſcientia Papa dicatur accepiſſe validitatis robur.

DIFFIC. Vnica.

Dico primò, quod actus, qui nullus eſſet de iure poſitiuo, ſi confirmetur ex certa ſcientia Papæ validatur, & præſumitur Papa velle validare illum actum, & eius defectus ſupplere; enim ex certa ſcientia confirmat, quem nouit eſſe inualidum, ita *Panorm. in cap. cum ſuper de cauſa poſſeſſ.*; facit enim firmum confirmatio Papæ ex certa ſcientia, quod alias eſt infirmum, & ponit exempluo, vt refert *V. confirmatio actus noſter Vngarell* io electione inualida de iure poſitiuo, puta quia non eſt ſeruata forma, quæ reualidatur, ſi ex certa ſcientia Papæ confirmatur, quia præſupponitur velle defectum ſua authoritate ſupplere, dum nouit actum eſſe inualidum, quem ſcienter confirmat, ſicut etiam ex eadem certa ſcientia, ſi ſolemnitatem aliquam eſſentialiter requiſitam ex iure poſitiuo cognoſcit ex certa ſcientia Papa, & tamen confirmat actum, oon obſtante tali ſolemnitate ſubſtantiali omiſſa, iam recipit ex tali cooſirmatione validitatis robur, ex *cap. 1. de Tranſact. & cap. quia de conceſſ. Preb.*

Hinc vt notat noſter *Hungarell. loc. citato ſcol. R.* ſi pactum, vel tranſactio ab initio ſint inualida ex aliquo defectu iuris poſitiui, ſi confirmentur ex certa ſcientia talis inualiditatis accipiunt validitatis robur. Item ſenteotia, quæ non tenet, quæ ex aliqua ſolemnitate iuris poſitiui eſt nulla, ſi ex certa ſcientia talis omiſſionis Papa eam confirmat, valida eſt dicenda ex *cap. hoc quippe 3. q. 6.*

Vnde dicitur *in l. omni de Teſtam.* quod omnium Teſtamentorum, ſolemnitatem ſuperat Teſtamentum, quod conſcient a Principis tenet, quod enim ex certa ſcientia cognouit Princeps Legatum à Teſtatore, etiam ſi Teſtamentum eius foret nullum, Principis ſcientia certa validatur. Vide *Abbatem l. 1. 15. q. 3. ſi autem.*

Dico, ſecundo, quod ſi confirmatio actus facta à Papa non ſit ex certa ſcientia, ſed ſolum in forma communi facta non validat actum, qui de iure communi eſſet inualidus, ſed ſolum actum antiquum conſeruat io ſuo robore, nihil tamen iuris tribuit nouo ex *c. cum dilecta de confirm. vtil. vel inutil. &*

c. quia

v. quia ſit de conceſſ. præb. & c. quia in tott. de priu. & ratio eſt, quia quando non ponitur hæc particula ex certa noſtra ſciētia, non præſumitur velle derogare iuri communi *ex c. licet. de offic. ordinandus, & ex c. inter dilectos de fide Inſtrum.* quare cum præſumatur neſcire defectus contra ius commune, per ſolam confirmationem non validat actum, qoia abſque ſpeciali ſcientia, quod ſit contra ius commune, non dicitur ipſi velle derogare propter reuerentiam, quæ debetur iuri communi, attendenda eſt ergo confirmatio, quomodo detur a Papa, & in dubio nullitatis, impetranda eſt confirmatio ex certa ſcientia, & motu proprio, aliter per coofirmationem generalem non confirmatus actus nullus ex defectu requiſiti eſſentialiter de iure communi.

Nota etiam hic *ex noſtro Angelo loc. cit.* quod ſucceſſor in dignitate non dicitur confirmare actus, vel decreta ſui Prædeceſſoris, nam confirmare eſt actus iuriſdictionis, quam nō habet par in parem, ſed ſolum dicitur innouare, vel ratificare Prædeceſſoris acta, vel decreta, vt docet *Hoſtiens. & Panormit. c. 1. de locat. 2. notab.* Superior ergo dicitur ſolum ſui inferioris acta, & decreta confirmare.

Confraternitas.

Vtrum liceat confraternitates erigere, & quomodo, & quibus priuilegijs, & Indulgentijs gaudeant.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod ſi non inuenitur expreſsè conceſſa, omnino prohibita exiſtimanda eſt, & conuenticularum pœnis ſubiacet, *ex c. de Epiſc. & Cler. c. Conuenticula*, vbi prohibentur cætus, & ſocietates, & turbæ congregari, niſi expreſsè fuerit talis congregatio conceſſa, quare antequā iſtæ confraternitates inſtituantur de nouo, debent licentiam ſe ſe ſimul in vno loco congregandi habere prius licentiam expreſſam, ſi ſit merè ſæcularis congregatio a Superiore laico, ſi vero ſit ad quodcumque opus pietatis exercendum ab Epiſcopo poterit haberi licentia, confraternitates enim ex cauſa licita, & ad bonum, & pium finem admittuntur apud ſacros canones, ex 42. *diſt. ſi quis deſpicit*, & *ex gloſa in c. ſi quis Clericorum 12. q. 1. Ita noſt. Ang. V. Confraternitas.*

Dico ſecundò, quod confraternitatum ſtatutum, quo præcipitur, ne quis recipiatur, niſi ſoluat tantam pecuniam, licere volunt aliqui, ſi fiat propter honeſtam cauſam, puta propter mercedem ſeruientium, maritandas orphanas, alendos pauperes, Miſſas celebrandas, & alia ſpectantia ad cultū Dei, & animarum defunctorum præcipuè ſalutem, & ſimilia, ex *c. ſi quis deſpicit. diſt. 42. & Ang. 26. q. 6. 10. non exemplo*: & alij tamen hoc ſtatutum reprobant, quia a tali confraternitate excluderentur pauperes, quod videtur iniquum.

Quare diſtinguere videtur noſter *Angelus*, nam ſi per verba negatiua fiat ſtatutū, ſcilicet vt nullus recipiatur, niſi ſoluat, & hoc ſtatutum videtur iniquum, vt videtur colligi ex *c. Ad Apoſtolicam de Sym.* quia videtur actus pius ingrediendi confraternitatem omnino pecunia vendi, quod ſi fiat per verba affirmatiua, ſcilicet vnuſquiſque confratrum in quolibet menſe ſoluat aliquod iuxta ſuam poſſibilitatem propter neceſſitates præfatas, bonum eſt ſtatutum, quia non datur pecunia pro coaptione in confraternitate, ſed poſt coaptionem in confratrem ſtatuitur, vt ſoluat pro neceſſitatibus, æquum enim eſt, vt qui ſentit commodum confraternitatis, etiam ſentiat incommodum.

Dico tertiò, quod confraternitates, & collegia, quæ à laicis immediatè reguntur, licet fuerint erecta ſub titulo alicuius Sancti, vel Eccleſię, non dicuntur religioſa, nec Epiſcopo ſubiecta, vnde priuilegijs fori non gaudent, & iuriſdictioni laicali ſubſunt, ſi nullo modo ab Epiſcopo talem confraternitatem erigendi licentiam, & conſenſum habuerint. Ita *Viuius in addit. ad deciſ. 517. n. 40. Gabriel in ſuis commun. opin. concl. 1. & Aponte vol. 1. conſil. 18. vide Dianam 4. p. de Imm. Eccleſ. reſol. 37.*

Attamen ſi in dictis confraternitatibus exerceantur opera charitatis, pietatis, & fiant exercitia ſpiritualia, puta quia in dicta confraternitate ſunt deſtinata aliqua bona ad alendos pauperes, ſubueniendum infirmis, ad maritandas orphanas, vel ad Redemptionem captiuorum, & alia huiuſmodi pietatis, & charitatis opera, tunc licet auctoritate Epiſcopi non ſint erecta probabile eſt, eſſe dicenda loca pia, & gaudere priuilegio fori, nam ad hoc vt aliquis locus dicatur pius, & gaudeat priuilegio fori, ſufficit, vt adſit cauſa pietatis in dicto loco exercita, priuilegium enim non datur immediatè loco, ſed cauſæ piæ illi affixæ, vnde bona iſtarum confraternitatum tanquam pia non poſſunt alienari abſque aſſenſu Apoſtolico, & debetur talibus confraternitatibus, quæ huiuſmodi opera pia exercent reſtitutio in integrum, ac ſi eſſet Eccleſia, & locus pius, licet auctoritate Epiſcopi non ſint fundatæ, nam cauſæ pietatis exercitæ merentur abſolutè hoc priuilegium. Ita *Nouarius tract. de elect. fori ſect. 2. q. 56. n. 8. & 13. Riccius in praxi T. 5. Reſolut. 144. Peregrin. de Immun. cap. 4. num. 64. Barboſ. de poteſt. Epiſc. p. 3. allegat. 21. num. 38.*

Dico quartò, quod ſuper modo, & forma in erigendis, & inſtituendis quibuſcumque Archiconfraternitatibus, & congregationibus ſæcularium tam in Vrbe, quam alijs ciuitatibus, & locis, & in aggregandis alijs confraternitatibus, & congregationibus, & ſuper modo communicandi eis priuilegia, Indulta, & Indulgentias, facultates aliaſque gratias ſpirituales tam acceptas, quam accipiendas à Sede Apoſtolica edita fuit à Clem. VIII. conſtitutio publicata Romæ die 24. Decembris 1604. quæ Incipit, quæcumque à Sede Apoſtolica, etc. quam in occurrentiis videre vniſquiſque poterit apud Quarantam V. Confraternitas.

In qua primò ſtatuitur, vt vna ſolum eiuſdem inſtituti confraternitas in vna ciuitate, et loco erigatur, et inſtituatur, et de conſenſu ordinarij, et cum eius Teſtimonialibus litteris de talis confraternitatis inſtituto, quænam charitatis, et pietatis officia in ipſa exerceantur. Secundò, vt priuilegia, indulta, facultates, et Indulgentiæ, aliæue gratiæ ſolum in ſpecie expreſsè conceſſa tali ordini, vel Archiconfraternitati erigēti vel aggreganti communicare valeant, non autem quæ per communionem, vel ad inſtar ipſis conceſſa fuerint. Tertiò, vt talia priuilegia Indulgentiæ, Indulta, et gratia communicanda confraternitatibus ab ordinario loci examinata, et approbata debeant eſſe. Quartò, quod huiuſmodi confraternitates erigendę, vel aggregandę ordinariorum moderationi, et correctioni ſubiaceant. Quintò, vt formula ab ipſo Papa edita circa erectiones, inſtitutiones, aggregationes, et communicationes priuilegiorum, et Indulgentiarum, et aliarum gratiarum ſeruetur omnino. Sextò, quod communicatio Indulgentiarum, priuilegiorum Indultorum non valeat ab officialibus publicari, niſi pręuia recognitione ordinarij adhibitis ad ipſam recognitionem duobus de eiuſdem Eccleſię capitulo. Septimò, quod elemoſinas, aliaque charitatis ſubſidia oblata iuxta modum ab ordinarijs locorum pręſcribendum, ablatis tamen, et remotis menſis, peluibus, et capſis, quæ in Eccleſiis, et oratorijs dictarum, confraternitatum, et congregationum publicè nō hoc exponi conſueuerunt, liberè valeant recipere, quē etiā modū ipſi ordines, et Archiconfraternitates debent ſeruare in Vrbe, iuxta modum præſcribendum à Vicario Papæ, et extra a ceteris locorum ordinarijs. Octauò, vt omnes elemoſinas, et alia oblata iuxta Vicarii Vrbis in Vrbe, in ceteris verò locis iuxta ordinariorum locorum reſpectiuè arbitrium officiales confraternitatum fideliter expendant in pios vſus, et charitatis officia: Nonò, vt confeſſarij eligendi, vt confratres abſolui poſſent à reſeruatis iuxta cuius confraternitatis facultates ſint in Vrbe a Vicario, et in ceteris locis ab eorum ordinarijs reſpectiuè approbati, et ſi fuerint Regulares etiam a ſuis Superioribus ſint approbati ad audiendas confeſſiones. Decimò, quod facultates huiuſmodi abſoluendi a reſeruatis ſint in vſu, et non aduerſentur decretis Concilij Tridentini, et ſummorum Pōtificum prædeceſſorum, nec reuocatæ fuerint. Vndecimò, quod ſub prætextu talium facultatum abſoluendi a reſeruatis nullus poſſit abſoluere tales confratres a caſibus in Bulla Cœnæ contentis, nec a caſibus Immunitatis, et libertatis Eccleſiaſticæ, clauſuræ monaſteriorum violationis, iniectionis violentæ manus in Clericos ſingularis certaminis, et duelli, nec ab alijs caſibus a Papa, Vicario Vrbis, vel ceteris ordinarijs reſeruādis in poſterum, nec ab excommunicatione quacumque ab homine lata, nec cum eis ſuper irregularitatibus quibuſcumque ſub prætextu talium facultatum diſpenſare

Digitized by Google

valeat Confeſſor ab ipſis electus. Duodecimò, Quod litteræ Inſtitutionis, aggregationis, communicationis faciendæ à quolibet ſuperiore Ordinis, ſeu Archiconfraternitatis omnino gratis expediantur, & concedantur, nec etiam à ſponte dantibus adhũc effectum aliquid accipere valeant. Decimo tertio; quod inſtitutiones, aggregationes, & communicationes factæ contra huius conſtitutionis decreta nullius ſint roboris, & valoris, & pœnas priuationum officiorum, & inhabilitatem ad ipſa, facientes contra Tenorem huius conſtitutionis eo ipſo incurrant, in qua nullus diſpenſat præter Romanum Pontific.

Ex quibus patet quam ſit imminuta facultas abſoluendi à reſeruatis Papæ data à Prædeceſſoribus Clem. VIII. confraternitatibus, & tamen hodie fortè ob ignorantiam huius Bullæ permittuntur abſolutiones à caſibus reſeruatis iuxta antiquas facultates datas ipſis Confraternitatibus. Quare

Quare oratos hic volo Dominos meos Ordinarios locorum, eorumque Vicarios Generales, vt Quæſtuarios confraternitatum, qui licentiam habent aggregandi, vel deſcribendi confratres in ſuis confraternitatibus, vtque quo libentius fideles impellant mediante ſolutione alicuius elæmoſinæ ad ſe ſe adſcribendos in tali confraternitate, ſolent monſtrare aliquos tranſumptus Indulgentiarum, & facultatum abſolutionis à reſeruatis Papæ Antiquorum Pontificum prædeceſſorum Clem. VIII., & Pauli V. quæ facultates, & indulgentiæ ab ipſis, vel moderatæ, vel annulatæ fuerunt, coerceant à talibus tranſumptibus demonſtrandis, & practicandis, niſi à Modernioribus Pontificibus poſt Paulum V., fuerint de nouo conceſſæ tales facultates abſoluendi a Reſeruatis.

Quod vero Indulgentias conceſſas Confraternitatibus quibuſcunque, ne confratres falſa pietate decipiantur, aduertant etiam Domini Ordinarij, quod à Paulo V. fuerunt reuocatæ omnes Indulgentiæ conceſſæ à ſuis Prædeceſſoribus, & ſingulis confraternitatibus de nouo conceſſæ aliquæ, quibus ſolum frui poſſunt, multi tamen in diſcretas Indulgentias prædicant, & publicant contra Tenorem reuocationis Pauli V.; Vt autem error aliquorum in hac materia detegatur, volui hic apponere formam Aggregationis, & Inſtitutionis Confraternitatis Sanctiſſimi Roſarij factam à Reuerendiſſimo Ordinis Prædicatorum Generali cum inſerto Breui Pauli V., quam refert etiam Quaranta V. Confraternitas. Tenoris ſequentis.

Nos frater Ludouicus Iſtella Valentinus S.T. Profeſſor, & totius Prædicatorum Ordinis Vicarius Generalis, vniuerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Religio noſtra, cum, inter alia priuilegia, quibus à S. Sede Apoſtolica decorata eſt, facultatem habeat ſæcularium confraternitates ſub inuocatione Sanctiſſimi Roſarij erigendi, eiſque ſpirituales gratias, Priuilegia, & Indulgentias communicandi; in huiuſmodi Confraternitatibus inſtituendis ſi Chriſtifidelium ſalutem promouendam expedire animaduertit, liberalem ſe ſe præbere conſueuit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis ipſius curam gerimus, ſperantes fore, vt ex hac ſpiritualium gratiarum participatione, Chriſtifideles ad deuotionem, & pietatem magis excitentur, authoritate nobis à Sum. Pontifice conceſſa confraternitatem Sanctiſſimi Roſarij in Eccleſia N. loci N. Diœceſis N. de conſenſu loci Ordinarij, qui eiuſdem confraternitatis inſtitutam pietatem, ac Religionem litteris patentibus nobis nuper exhibitis commendauit, dummodo tamen alia ſimilis, in ipſo, vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per præſentes noſtras litteras inſtituimus illique, & pro tempore exiſtentibus vtriuſque ſexus confratribus elargimur, & communicamus indulgentias, priuilegia, & ſpirituales gratias ſingillatim inferius deſcriptas, noſtraque primaria confraternitati S. Mariæ ſuper Mineruam, nominatim, expreſſè, & preciſè Breue S. D. N. Pauli Papæ V. tenoris ſequentis conceſſa. Paulus PP. V. ad perpetuam rei memoriam. Cum certas vnicuique confraternitati indulgentias, & gratias ſpirituales quibus de cetero fruantur, duxerimus ad ſcribendas. Idcirco nos omnes, & ſingulas indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes, Confraternitati Sanctiſſimi Roſarij in Eccleſia B. Mariæ ſupra Mineruam de Vrbe, Ordinis Fratrum Prædicatorum, aut in quibusuis alijs Eccleſijs, & locis inſtituta, & illius confratribus, & ſororibus per quoſcunque Rom. Pontif. prædeceſſores noſtros conceſſas reuocantes, & annullantes, ac nullius roboris, & momenti impoſterum fore declarantes Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, authoritate confiſi omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur, die primo eorum ingreſſus, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam, ac tam ipſis pro tempore deſcribendis quæ iam deſcriptis in dicta confraternitate confratribus, & ſororibus etiam verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui Altare Sanctiſſimi Roſarij in eius feſto principali prima Dominica Menſis Octobris celebrari ſolito, à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis diei eiuſdem feſti ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam in mortis quoque articulo eiuſdem confratribus, & conſororibus, qui pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti, nomen IESV ore ſi potuerint, ſin autem corde deuotè inuocauerint, & animam ſuã Deo commendauerint plenariam ſimiliter omnium peccatorum indulgentiam, & miſericordiam in Domino concedimus; qui vero ſimiliter pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti prædictum Altare Sanctiſſimi Roſarij, in Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Mar. Virginis feſtiuitatibus ſingulis annis viſitauerint, & orauerint, vt præfertur, quo die feſtiuitatum huiuſmodi id egerint decem annos, & totidem quadragenas. Inſuper præfatis vtriuſque ſexus confratribus, qui qualibet hebdomada Roſarium, aut totum inſimul, vel diuiſum in tribus partibus, quindecim miſteria huius Roſarij contemplando, quindecim annos, qui vero totum Roſarium recitauerint, triginta annos, & totidem quadragenas, nec non eiſdem confratribus, & conſororibus ſimiliter pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacr. Communione refectis, qui proceſſioni in qualibet prima Dominica Menſis per dictam Confraternitatem fieri ſolitæ interfuerint, & ibi vt præfertur orauerint triginta annos, & totidem quadragenas; ijs vero, qui confeſſi non fuerint, dummodo contriti animum confitendi debito tempore habuerint, ducentos dies, nec non qui ſabbatho, aut feſtis diebus Antiphonæ Salue Regina tempore Completorij, aut Litanijs B. Mariæ quolibet Sabbatho, & vigilijs, & feſtiuitatibus eiuſdem B. Mariæ ante prædictum Altare Roſarij recitari ſolitis etiam interfuerint pro qualibet vice ducentos dies, quoties vero Miſſis in Eccleſia, aut Altare Roſarij, ſeu Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis, ſeu Congregationibus publicis, vel priuatis eiuſdem Confraternitatis vbi vis faciendis interfuerint, dictumque Sanctiſs. Euchar. Sacramentum, quando tam in proceſſionibus, tam ad infirmos, aut alias quodcunque, aut quandocumque pro tempore deferetur comitati fuerint, aut ad hoc impediti, campana ad hoc ſigno dato, ſemel Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam pro infirmo dixerint, aut proceſſionibus extra ordinarijs eiuſdem Confraternitatis, aut aliarum quarumuis de licentia Vicarij noſtri, & Ordinarij loci reſpectiue faciendis, vel defunctorum exequijs interfuerint, aut infirmos viſitauerint, eiſque in eorum neceſſitatibus auxiliati fuerint, vel pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut elæmoſinas illis dederint, & opem tulerint, vel pacem cum inimicis proprijs, aut alienis compoſuerint, vel componi fecerint, vel procurauerint, aut quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam pro animabus defunctorum confratrum, & conſororum dictæ Confraternitatis recitauerint, aut impœnitentes ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum piorum, centum dies de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus, & inſuper eiſdem Confratribus, qui legitimè impediti, infirmi nimirum, nauigantes, & iter facientes ad Eccleſiam accedere nequiuerint, concedimus, & indulgemus, vt eo die huiuſmodi cauſa impediti, tertiam partem Roſarij recitantes, eaſdem indulgentias conſequi poſſint, quas conſequentur, ſi prædicta omnia in Eccleſia adimplerent, ac dilecto filio Moderno, & pro tempore exiſtenti Magiſtro Generali d. Ordinis Prædicatorum, & in ſua abſentia eius Vicario in Vrbe cõmoranti, vt ubique locorum extra Vrbem Confraternitates Roſarij

exige-

Digitized by Google

erigere, & inſtituere, illiſque omnes prædictas Indulgentias, & gratias ſpirituales (ſeruata tamen forma præſcripta in conſtitutione Clementis prædeceſſoris ſuper dictarum confraternitatum aggregationibus, & inſtitutionibus edita) communicare ſimiliter libere, & licitè poſſit, et valeat, authoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrarijs quibuſcumque, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris menſe Nouembris 1606. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Quibus omnibus indulgẽtijs, & ſpiritualibus gratijs ſigillatim deſcriptis Confraternitatem, piam nunc erectam, eius confratres potiri, & gaudere poſſe decernimus iuxta fel. re. recordat. Clementis Papæ VIII. conſtitutionem ſequentem.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Quæcumque à Sede Apoſtolica ad promouendam Chriſti fidelium ſalutem.

Reliqua huius conſtitutionis fuerunt relata in principio huius Verbi Confraternitas, &c. vide ibi., ne eadem multoties repetere videamor.

Ex qua Bulla Clementis VIII. liquido conſtare nota bene, quod aggregatio confraternitatum conceſſa Regularibus poteſt fieri non ſolum in ſuis Eccleſijs, ſed etiam in alienis. Vide *Lezana in comp. qq. Reg. tit. de oblig. & facult. Prælat. Regul. cap.* 18.

Vtrum ad proceſſiones vocatæ Confraternitates, ſi renuant, poſſint per cenſuras ad accedendum ab Epiſcopo compelli, & quomodo inter ſe præcedere debeant, & an ab Epiſcopo viſitandæ.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod Confratres cuiuslibet Confraternitatis non poſſunt ab Epiſcopis per cenſuras compelli, vt ad proceſſiones accedant, ſi vocati renuerint accedere, ita in terminis declarauit Sacra Congregatio Interpr. Sac. Concilij, & reſcripſit Epiſcopo Scalenſi, quæ declaratio etiam à Quaranta V. Præcedentia affertur, quæ eſt tenoris ſeq. *Reuerendiſſime Domine vti frater quamuis Theſaurarij, Magiſtri, & Confratres Sanctæ Mariæ Annunciatæ magis conſcientiæ ſuæ, ac pietati ſatisfeciſſent, ſi amplitudini tuæ eos ad publicas vocanti morem geſſiſſent, cum tamen ad eas accedere detractauerint, neque ab amplitudine tua compelli, neque vllis propterea cenſuris adſtringi, atque innodari debuerunt, quod, ſæpius alias conſulti reſponderunt Illuſtriſſimi Patres Sac. Conc. Interpretes, itaque interdictum hac de cauſa latum protinus tollas oportet, ac de cetero à ſimilibus compulſionibus omnino abſtineas. Deus amplitudinem tuam in columen ſeruet. die 6. Maij* 1597. *Amplitudinis tuæ vti frater Cardinalis Mathæius.*

Dico ſecundò, quod circa præcedentiam inter ſe ſe in proceſſionibus ex conſtitutione Gregorij XIII. Romæ publicata 17. Iunij 1583. quæ habetur in Bullario folio 1323. & incipit, Expoſcit Paſtoralis officij, &c. in qua hæc verba formalia habentur (Confratres verò inter ſe litigantes, ij, qui prius ſaccis vſi ſunt in proceſſiooibus tam publicis, quam priuatis, præcedere debeant.)

Dico tertiò, quod quælibet Confraternitates etiam exemptæ ab Epiſcopo, vel Ordinario loci viſitandæ, de quo ita formaliter loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 9. (Adminiſtratores tam Eccleſiaſtici, quam laici fabricæ cuiusvis Eccleſiæ etiam Cathedralis, Hoſpitalis, Confraternitatis Montis Pietatis, & quorumcumque piorum locorum ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinarijs, conſuetudinibus, & priuilegijs quibuſcumque in contrarium ſublatis, niſi ſecus fortè in inſtitutione, & ordinatione talis Eccleſiæ expreſsè cautum eſſet, quod ſi ex conſuetudine, & priuilegio, aut ex conſtitutione aliquo loci aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet, tunc cum ijs etiam adhibeatur Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis adminiſtratoribus minimè ſuffragentur) hæc Concilium, &c.

Altaria tamen confraternitatum exiſtentia in Eccleſijs regularium exemptorum non poteſt viſitare Epiſcopus ex decr. Sacr. Congr. Epiſc. & Regul. in Papienſi 22. Auguſti 1615. & in Terracinenſi 22. Iunij 1618. Vide Barboſam in *Deciſ.* Apoſtol. collect. 120.

Coniuratio.

Quid ſit Coniuratio, & an ſemper illicita, & quæ pœna malè coniurantium.

DIFFIC. Vnica.

Dico primò, quod coniuratio, & conſpiratio apud ius tam Canonicum, quam Ciuile pro eodem crimine accipiuntur ex ij, qu. 1. Coniuratorum; nam coniurare eſt ſimul in vnũ iurare, & conſpirare eſt ſimul in vnum, vel idem ſpirare ſecundum *gloſ. in c. conſtitut. de verbor. ſignific. in V. Canonicis l.* 6. Quare coniuratio diffinitur ita paſſim à Iuriſtis ſcilicet, coniuratio eſt, quando aliqui rebelli authoritate in vnum ſe colligendo iuramenta inter ſe dederunt ad aliquod machinandum contra obedientiam, vel geſta ſuperiorum ex ij q. 1. *c. ſi qui Clericor.* Ita etiam *Ang. noſt.* Vide *coniuratio.*

Dico ſecundò, quod regulariter loquendo omnis coniuratio eſt illicita, quia regulariter fit contra obedientiam debitam ſuperiori, & eius geſta, quæ ſemper debent præſumi bona, niſi notoriè conſtent eſſe mala, poteſt ergo aliquando fieri licita, quãdo in quod coniurant, & conſpirant ſubditi, eſt per ſe licitum, & bonum, nec alio modo poſſunt bonum hoc conſequi, nec malum ſuæ communitatis repellere niſi coniurando, & conſpirando contra mala geſta à Prælato, puta, vt notat noſter *Vngarell.* ſi contra Prælatum dilapidantem bona Eccleſiæ, vel fauentem Hæreticis coniurarent Clerici ad non præſtanda, vel impedienda bona Eccleſiaſtica, quæ ſit dilapidaturus, vel ad non præſtandã ei obedientiam, dum fautor eſt hæreſis, vel hæreticorum, coniuratio enim huiuſmodi licita eſt, vt notat *gloſ. in d. c. ſi qui Cleric. & p. q. 1. concuſſionis 22. q. 1. c. 1. Innoc. in c. cum I, & A, de ſent. & re iudicata*; Ita etiam noſter *Angelus.*

Aduerte autem vt dixi, quod coniuratio contra Prælatum, vt licita ſaltem in foro conſcientiæ, debet primo eſſe ad vitandum malum contra communitatem, & eccleſiam, non autem propter particularia commoda poteſt in Prælatum coniurari, ſecundò, quod malum à Prælato contra Eccleſiam, & communitatem inductum, vel inducendum ſit notoriũ, ita vt nulla tergiuerſatione celari queat, alias ſæcularibus eſſet ſcandalo contra Prælatum coniurare, cuius errores notoriè ipſis non conſtant. Tertiò, quod nulla alia ratione poſſit hic, & nunc conſuli vtilitati communitatis, & Eccleſiæ niſi per factam coniurationem contra ipſam. Quartò, vt ſint parati ſemper coniurati obedire, vel ſuperiori ſe ſe emendanti, vel alteri ſuperiori maiori. Quare

Dico tertiò, quod in dubio facti, an ſcilicet verè ſuperior dãnum inferat Eccleſiæ nec ne, non poſſunt ſubditi ſi conſpirare, & ſi conſpirant, & coniurant peccant, quia coniuratio in dubio ſemper præſumitur mala ſecundum *Innocentium in c. 1. de ſciſ. & Vincent. in c. fin. de Teſtim. & Ioan. in c. 3. de verb. ſignific.*, in dubio enim ſemper præſumi debet contra coniurantes in fauorem Prælati, vt notat noſter *Vngar ll. ſib. E. ex Abbate, in cap fin. de Teſt. cog. in 1. notab.* Vide *Angelum loc. cit.* 1.

Dico quartò, quod pœna coniurantium ſi ſint laici, & coniurent contra Epiſcopum debent excommunicari ſecundum *gloſ. primam in c. fin. de Teſt. c. 9.* & ſinguli damnati debent in vna libra auri. *Vt in conſtitutione Federici de pace tenenda,* . *conuenticulas*, quod ſi tumultus, & ſeditioſæ voces contra ſuperiorem etiam laicum capitalis eſt pœna, *l. denunciamus c. de his, qui ad Eccleſ. conf. & l. 1. &* a. *C. de ſedit. & ff. de pæn. l. aut facta, & C. de Epiſc. & Cler. l. conuenticulã*, & iam vt dictum eſt ſupra cætus, turba, congregatio prohibetur, niſi expreſsè concedantur.

Quod ſi coniurantes, vel conſpirantes illicitè tam contra ſuperiorem Eccleſiaſticum, quam laicum Clerici inueniantur debent deponi, modo ſint incorrigibiles, vt notat noſter *Vngar. ſeb. F. ex Abbate in d. c. fin. de Teſt. cog. & in c. cum non ab homine, & in c. etſi Clerici de re iudicata.*

An,

Digitized by Google

Coniux.

An, & à quo Coniuges benedicendi, & an ſemel benedicti dennò benedicendi, etiam ſi matrimonium fuerit inualidum, quid ſi benedictio nuptiarum omittatur, vel ante ipſum matrimonium conſumetur, peccatum mortale incurratur.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod Coniuges ab illo Parocho debent benedici, vel de eius licentia, vel loci ordinarii mandato, a quo debent iungi in Matrimonio, vt patet ex *Concil. Trid. de Reform. ſeſſ. 24. cap.* 1. Parochus autem ſponſi, vel ſponſæ eſt ordinarius in coniungendo in matrimonium ſponſos, & ab illo benedici debent; quod ſi Sacerdos aliquis benedicat abſque licentia Parochi, vel ordinarii loci incurrit ipſo facto ſuſpenſionem à ſuo officio, donec ab ordinario Parochi abſoluatur, vt patet ex *Conc. Trid. loc. cit.*

An verò Regularis Sacerdos ſi benedicat ſponſos abſque licentia Parochi, vel ordinarii præter ſuſpenſionem latam a Concilio, incurrat etiam pœnam excommunicationis latam in *Clem.* 1. *de priuil.* affirmat parum probabiliter *Nauar. T. 1. conſ. conſil. 1. de pœn. l. 5.* Negant tamen probabilius alij, quia pro eodem delicto non debet duplex pœna incurri per tradita a *Decio C. de cauſis de off. deleg.* Ita *Suar. de cenſ. diſp. 12. c. 4. n. 13. Sayr. l. 4. cap. 15. Henriquez l. 13. c. 38. Rebellius* quem citat, & ſequitur *Bonac. de matr. q. 4. p. 6.* qui etiam id decifum fuiſſe teſtatur à Sacra Cardinalium Congregatione.

Dico ſecundò, quod coniuges ſemel benedicti, etiam ſi fuerit inualidum matrimonium, non tenentur in nouo matrimonio benedici, quia benedictio fertur in perſonas, non autem in Nuptias. Ita *Nauar. c. 22. n. 83. Rebell. l. 3. q. 20. Gutier. c. 106. n. 14. Sanch. lib. 7. Bonac. & Henriquez loc. cit. Reginald. l. 31. n. 10. Coninch. diſp. 27. dub. 8. n. 72.* poſſunt tamen benedictionem recipere ſi velint, vbi conſuetudo recepta eſt, vt ſecundæ etiam nuptiæ benedicantur, quia conſuetudo, vt dicetur infra V. Conſuetudo legitimè introducta poteſt abrogare legem. Ita *Henriq. l. 11. c. 6. n. 2. Sanch. & Bonac. locis cit.* communi autem conſuetudine introductum putat *Filiucc. tract. 10. p. 2. c. 5. q. 10. n. 168. & Bonac. loc. cit.* quando alter ſponſus non eſt benedictus, conferendam eſſe benedictionem nuptiarum.

Dico tertiò, quod omittere benedictionem nuptiarum abſque contemptu licet non eſſe peccatum mortale probare nitantur *Sanch. l. 7. diſp. 82. Gutier. c. 106. n. 12. Sà V. Matr. n. 6. & Bonac. de Matr. q. 4. p. 6.* ex eo quia omittere Sacramentalia tanquam leuis momenti res non præcipiantur ſub mortali, ſed ſolum proponantur ſeruanda de conſilio, attamen probabilius puto cum *Filiucc. tract. 10. p. 2. c. 5. q. 10. & Henriq. l. 11. c. 10.* peccare mortaliter omittentes benedictionem nuptiarum, falſum enim eſt rem eſſe leuis momenti, cum tanquam res grauis præcipiatur in iure in *c. Noſtrates, & c. ſponſus* 30. q. 5. In neceſſitate autem aliqua practicari poteſt prima opinio, cum iura mitius debeant explicari, quando ſub peccato mortali expreſsè non præcipit.

Dico quartò, quod conſumare matrimonium ante benedictionem nuptiarum, modo iam contractum fuerit legitimè ante faciem Eccleſiæ, non eſt peccatum mortale præciſo contemptu, quia *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1.* ſolum hortatur coniuges, ne ante benedictionem nuptiarum in eadem domo cohabitent, ſicut etiam hortatur, vt ſaltem triduo ante matrimonij contractum, & conſumationem ſua peccata confiteantur, & Euchariſtiam ſuſcipiant, hortatio autem non obligat ad peccatum mortale; exiſtimo tamen grauiter reprehendendos Parochos, qui hoc ſalubre Sacri Concilij exhortationem efficaciter non proponunt ſeruandam, & conſulant licere matrimonium conſumare ante benedictionem, quia ſaltem graue veniale admittunt, qui omittunt benedictionem ſine iuſta cauſa, vel conſument ante benedictionem Sacerdotalem quod autem non poteſt fieri abſque peccato veniali, ſemper eſt illicitum.

Vtrum quando alter Coniux non ſuſcepit benedictionem tranſiens ad ſecundas nuptias poſſit benedici tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, & an traducens tali tempore ſolemniter vxorem, vel conſumans Matrimonium iam contractum, dum eo tempore non poſſunt benedici, peccens mortaliter.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod tranſeuntes ad ſecundas nuptias; ſi alter benedictionem non ſuſcepit non poſſe benedici tempore Quadrageſimæ, & Aduentus probabiliter docet *Baſilius Pontius nouiſſ. de matrim. l. 6. c. 8.* vnde Parochum benedicentes tali tempore nuptias huiuſmodi reum eſſe vult pœnarum, quæ infliguntur a iure, quia benedictiones in ſecundis Nuptijs inter ſolemnitates Nuptiarum numerantur, vnde teſtatur ipſe Pontius, quod licentia petita a Nuncio Apoſtolico in Salamantica ad benedicendas has nuptias tempore Aduentus fuit denegata, Attamen

Dico ſecundò, quod licet adſit conſuetudo benedicendi ſecundas nuptias, quando alter ſiue vir, ſiue mulier non ſuſcepit benedictionem, non tamen obligare ſub mortali eam ſuſcipere probabile eſt, vt docent noſter *Angelus V. Matrim. 3. Impedim. 2. in fine, Filiucc. T. 1. tract. 10. p. 2. c. 4. Sanchez de Matrim. l. 2. diſp. 74.* & alij, imo, vt alibi dicetur omnino omittere huiuſmodi benedictiones ſecluſo ſcandalo, & contemptu non eſſe peccatum mortale eſt etiam probabile, quia potius de Cōcilio, quam de rigoroſo præcepto videntur eſſe, præterquam quod rei Sacramentalis omiſſio tāquam de re leui non videtur peccato mortali obnoxia, ita etiam *Sotus in 4. diſt. 28. Sà V. Matrim. num. 6. & Diana tract. 4. de ſacr. reſol. 265.*

Dico tertiò, quod licet *Sanch. loc. cit.* velit non eſſe peccatum mortale ſolemniter traducere vxorem tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, quod putat etiam probabile noſter *Villalob. in ſum. T. 1. tract. 14.* nec ego improbarem tale dictum vbi non eſt conſuetudo introducta de non traducenda ſolemniter vxorem tempore tali, imo iam tolerata ſic cōſuetudo ab ordinariis, quod etiam tali tempore traducantur vxores ſolemniter, attamen vbi eſt conſuetudo iam introducta, quod non traducantur iuxta præceptum Eccleſiæ Vxores ſolemniter tali tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, puto mortaliter peccare tranſgredientem tale præceptum, quia infertur grauis iniuria præcepto Eccleſiæ, maximè cum iam laudabili etiam conſuetudine ſit firmatum. Ita etiam noſter *Angel V. Debitum §. 1. & Pontius de Matrim. l. 6. c. 8.*

Dico quartò, quod licet *Caiet. Armilla, & Tabiena* apud *Dianam trac. 4. de ſacr. reſol. 266.* velint poſſe matrimonium contractum iam conſumari tempore Aduentus, et Quadrageſimæ, dum non poſſunt coniuges tali tempore benedici, quia hoc interdictum eſt ab Eccleſia; attamen diſtinguendum benignius cū noſtro *Ang.* qui male citatur a *Diana loc. cit.* pro parte negatiua, quod contractum conſumare matrimonium cum ſolemnitate Nuptiarum tempore Quadrageſimæ, & Aduentus eſt peccatum mortale, quia fit contra prohibitionem Eccleſiæ in re graui, at vero conſumare contractum matrimonium ſimpliciter abſque ſolemnitate nuptiarum præuia, non eſt mortale, quia omittere benedictionem nuptiarum vt dictum eſt ſupra, ſi abſit contemptus, & ſcandalum, non eſt peccatum mortale, ſubdit tamen noſter *Angelus*, quod in ſententia *Roderici* conſumans cum ſolemnitate matrimonium iam contractum tempore Quadrageſimæ, vel Aduentus, peccat ſolum prima vice.

Quando autem incipiat impedimentum tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, an ſcilicet vſque ad mediam noctem diei martis, ideſt ante mediam præcedentem diem Cineris, & vſque ad Sabbathi mediam noctem præcedentem primā Dominicam Aduentus poſſint nuptiæ ſolemniter celebrari, ſanè, quoad mediam noctem diei Martis cummuniter volūt DD poſſe nuptias celebrari, quoad vero mediam noctē Sabbathi aduentus negat *Sanch. l. 7. de matr. diſp. 7.* putans poſt primas Veſperas Sabbathi præcedentis primam Aduentus non poſſe celebrari ſolemniter amplius nuptias, attamen alij licere vſque ad mediam noctem Sabbathi, quia Concilium Rauennatenſe ſub Clem. V. c. 19. tempore Aduentus incipit poſt mediam noctem Sabbathi determinat. Ita *Baſyl. Pontius l. 6. de matr. c. 8. n. 5. & 10.*

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum intra bimeſtre datum à iure coniugi ad cogitandum de intranda Religione, ſi interim alter non cogitet, teneatur reddere debitum, & an ſi ex vi extorta copula à Viro, ipſa inuito adhuc Viro, poſſit intra dictum tempus intrare Religionem.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod *in c.7.de conuerſ. coniug.* & alijs textibus Canonicis, vt infra datur tempus duorum menſium poſt contractum matrimonium vtrique coniugi cogitandi de intranda Religione, intra ergo hoc tempus probabile eſt, quod qui non cogitat intrare Religionem, tenetur reddere debitum petenti, quia ſtatim ac contractum eſt per verba de præſenti matrimonium, iam alter alterius corporis dominium accipit, ergo dum non cogitat de Religione intrãda teneatur debitum reddere petenti, ſecus ſi cogitat de intranda religione, & ſe præparet ad intrandum, & ſit proteſtatus ſe cogitare de intrãda religione, quia tunc alter iniuſtè peteret, & alter non tenetur reddere ſtante dicto *cap.7.* Ita *Coninch.de ſacram.diſ.26. dub.4.concl.2. Hurtad.tract.de ſacr.matr.diſp.8.diffic.8.n.29* & alij apud ipſos.

Attamen quod intra dictum tempus duorum menſium non teneatur alter alteri reddere debitum ex vi *d.cap.7.* probabilius mihi videtur, etenim hoc ſpatium datum eſt ad deliberandum, quod cum ſit diuiſibile, ſi non cogitauit in prima ſeptimana, aut in primo die, poteſt in die ſequenti, vel in alia ſeptimana cogitare de actu intranda religione, imo de hora in horam poteſt eius mutari voluntas ad intrandum, ergo ſi nolit in toto illo tempore reddere debitum nõ tenetur, quia poteſt eſſe dum hic, & nunc quando petitur debitum, incipiat cogitare de intranda religione, dum actu non vult reddere. Ita etiam docent *Sanch.T.1.l.2.diſp.24. nu.5. Baſyl.Pont.de matr.l.9.n.7. Præpoſ.in 3.p. D.Th.q.5.de indiſſolub.matr.dub.6.nu.7.* & hanc etiam opinionem putat probabilem *Coninch.*, licèt contrariam defendat.

Dico ſecundò, quod ſi intra tale tempus vir violenter extorqueat copulam ab vxore, adhuc vxor, etiam contradicente viro poteſt religionem ingredi, quia ſponſus grauem iniuriam intulit vxori, & ſacris Canonibus, cum contra præſcriptum illicitè copulam ab vxore extorſerit, non habere autem facultatem extorquendi copulam ab vxore intra tale bimeſtre vltra *c.7.* allatum habetur *ex c.ad noſtrum de empt. & vendit. c.tuæ de Cler.non vind. & c.ſedes de reſcript.* cum multis alijs quæ adducit *Tiraquel.l.de retract.lignag.§.7. Glo.9. num.68.* Ita etiam docet *Sanch. de matr.T.1.l.3. diſp.31. n.6.* & alii apud ipſum, & *Emm.Sà V.matr.n.17.*

Quare nõ video quomodo *Baſil. Pontius lib.9 c.10.n.3.* contrarium de iure ſuſtinere valeat, aſſerens talem fœminam inuito marito non poſſe religionem intrare, cum totum bimeſtre habeat à iure ad deliberandam, & de facto intrandum.

Verum eſt tamen, quod mulier talis violenter copulã paſſa non debet emittere ſemen iam receptum, contrariũ docet parũ probabiliter *Sanch.loc.cit.* ſpargere enim ſemen extra vas ſemper turpiſſimum eſt, nec valet, quod dicit hoc cohoneſtari, quia vir non habet pacificam poſſeſſionem vaſis intra bimeſtre, quia poſſet quidem impedire, ne ſemen effundat in vaſe contra iniuſtum aggreſſorem, at verò iam effuſum in vaſe eiicere eſt turpiſſimum, cum iam non ſe defendat contra iniuſtum aggreſſorem, ſed contra ius naturæ, quæ effuſum in vaſe ordinat ad generationem; præterquam quod talis eiectio ad nihil prodeſt fœminæ iam vim paſſæ. Ita etiam videtur docere noſter *Villal.in ſum.T.1.tr.13. diff.15.n.5. Laym. in Theol. mor.l.5.tr.10.p.3.c.6.n.3. & Baſil.Pont. ex profeſſo.* impugnat *Sanch.loc.cit.n.4.*

Vtrum autem in prædicto caſu, quando quis ante matrimonij conſumationem vult intrare religionem, alter coniux poſſit profeſſionem emittere ante annum probationis intra dictum bimeſtre, affirmat parum probabiliter, maximè vbi Concilium Tridentinum eſt receptum de profeſſione emittenda finito anno probationis, *Nauar.c.16.n.27.* imo præciſo Concilij Trid. decreto adhuc non tenetur profeſſionem emittere intra bimeſtre, ſed poteſt expectare annum probationis, & tunc poteſt profiteri, quia tenetur tranſire ad religionem, ſed non profiteri ex vi dictorum canonum; Ita etiam *Sanch. Hurtad. Coninch. & Pont.* vide *Dian.tr.4.miſc.reſol.133.p.4.*

Vtrum, ſi alter coniux ingrediatur Religionem, vel ad ſacros Ordines promoueatur de conſenſu alterius ſit neceſſarium, vt alter etiam Religionem profiteatur, vel ſaltem caſtitatem voueat.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod coniux alter, vt queat religionem licitè ingredi, non ſolum requiritur conſenſus alterius coniugis, ſed requiritur, vt ambo religionem profiteantur, vel ſaltem qui remanſurus eſt in ſæculo caſtitatem voueat, & illius ſit ætatis, vt non poſſit in ea ſuſpicio incontinentiæ oriri. Ita noſter *Villal.in ſum.T.1.tr.13.diff.19. Regnald.T.2.l.31.c.4. Henriq.l.11.c.8.* & alij quod probatur *ex c.cum ſis, & in c.Apoſtol. de conuerſ.coniug.*

Quanta autem debeat eſſe ætas, in qua ſiue vir, ſiue mulier exiſtimari poſſit libera à periculo incontinentie, varij ſunt Doctorum modi dicendi. *Pont. de matr.l.9. c.12.* id colligendum putat ex circumſtantiis perſonæ valetudinis, roboris, complexionis, & ante actæ vitæ ad coitum inclinationis propenſioris.

Sanch. autem de *matr.T.2.l.3 diſp.32. Guttier.de matr.c.91. Barboſ.in collect.l.3.c.4.tit.31.T.1. Bonac. de mat. q.3.p.4. Filiuc.T.1.tract.10.q.2.c.4. & Diana p.4 tract.4. reſolut.73.* docent fœminam liberam eſſe cenſendam à periculo incontinentiæ, quando eſt quinquagenaria, quia in dicta ætate eſt etiã ſterilis effecta; in tali enim ætate, cum non ſit apta ad concipiendum, probabile etiam eſt extinctum quaſi eſſe, ſaltem valde diminutum feruorem libidinis.

Ceterum noſter *Corduba in quæſt. q.178. Azor T.1.l.18. c.14.q.11. Riccius p.2.deciſ.131. & 135.* contendunt tam virũ, quam fœminam in ætate ſexaginta annorum habendos liberos à periculo incontinẽtiæ, quia in dicta ætate omnino vires effetę ſunt, & calor naturalis eſt valdè remiſſus, & frigiditas contraria feruori libidinis magis prædominatur in complexione.

At verò licèt ſecunda, & tertia ſententia ſit admodum probabilis, neutra tamen eſt practicanda abſque doctrina primæ opinionis, in tali enim ætate, & maiori etiam poteſt eſſe in aliquibus tantum robur complexionis, vel malus habitus ex ante acta conſuetudine generatus, vt ſanè incontinentiæ periculum ſæpè ſæpius experiantur, & mihi conſtat de ſeptuagenario maiore ex mala conſuetudine ante actæ vitæ, & ex robore complexionis validæ ter, vel quater in hebdomada mollitiei peccatum exercuiſſe, paſſim ergo licèt ſexagenaria, & quinquagenaria ætas etiam videatur immunem reddere à periculo incontinentiæ hominem, tutius tamen in praxi circumſtantias præfatas adhibere.

Quod autem hic dicitur de viro, dicendum eſt de fœmina, & è contra, vt colligitur *ex c. Apoſtolicam de conuerſ. coniug.* An vero muliere ingrediente religionem de licentia mariti, ſufficeret ſi vir ingrederetur religionem Equitum, in qua fiat votum caſtitatis, vt eſt religio Equitum S. Ioannis, vel ſi fieret Epiſcopus, affirmatiuè eſt reſpondendum, quia in vtroque ſtatu incontinentiæ periculo conſulitur, vt notat etiam *Pontius, & Sanch. loc. cit.*

Vtrum autem requiratur licentia Epiſcopi, vt coniux alter ingrediatur religionem cum alterius conſenſu, negat eſſe hoc neceſſarium neceſſitate præcepti *Sanch* & eam vſu hoc abolitum putat *Pontius c.12 loc.cit.* Bonum tamen eſſe cenſeo, vt hoc Epiſcopis, vel Ordinariis ante factum deferatur, vt in re tã graui cum eorum conſilio tutius procedatur. Ita etiam colligitur *ex c.ſi vir, & vxor 27. q.2.* & notauit *gloſ.in l.1.de conuerſ.coniug.* Ita etiam noſter *Riccardus in 4.diſt.32. ar.2.q.3. Laym.l.5.tr.10.p.3.n.2. Rebell.li.3. q.4.n.11. Bonac.de matr. q.3.p.4. & Diana tract.4.miſc.reſol.67.p.4.*

Dico tamen ſecundò, quod coniux cuius conſenſu, & licentia maritus promouetur ad ſacros Ordines, probabile eſt, non eſſe neceſſum abſolutè, vt religionem intret, etiam ſi ſit iuuenis, ſed ſufficit, vt caſtitatem voueat, & ſeparetur à cohabitatione viri, ita colligitur *ex c. coniugatus de conuerſ. coniug.* & probabile eſt nõ obſtare *c.Epiſcopus diſt.77.*, Quia, vbi videtur requiri in vxore promiſſio religionis, at pro religionis promiſſione intelligitur votum caſtitatis, præterquam quod ille Canon eſt Concilii Agatenſis, quod non fuit generale. Ita *Nauar. & Sà*, quos citat, & ſequitur *Hurtad. tract.de matr.*

*matr.diſp.10.diff.9.n.29.& Diana 4.p.trac.4. miſc.reſol.*129. probabilius tamen, & tutius dicerem, quod teneatur religionē intrare vxor, ſi ſit iuuenis, & periculum incontinentiæ timeatur, facilè .n. eſt, etiam ſi facta ſit ſeparatio thori, dum in ſæculo remanet, quod Diabolus in vtroque incentiua carnis vrgens occaſionem proximam copulæ obijciat, & ita peccatum conſumetur, remouenda ergo in hoc caſu occaſio ferè proxima. Ita *Sot.in 4.diſt.37.q.1.ar.2.Coninch.de ſacr.diſp.35.dub.5.n.32.& Sanch.de matr.l.7.diſp.39.n.6.*

Quod ſi occaſio ita præcidatur cum ea peccandi, vt omnino inter ipſos nequeat timeri periculum incontinentiæ, ſanè nec iure antiquo, nec nouo videtur ita apertè cautum, vt vxor religionem intret, vt hoc ſub præcepto cadere dicendum ſit, ſtādo in puncto iuris, vt notat etiam *Sanch.loc.cit.*

Verum eſt tamen, quod ſi vir fieret Epiſcopus omnino ſiuè iuuenis, ſiue vetula ſit vxor debet religionē intrare, & profiteri, ita vt ſi vxore vetula remanente in ſæculo vir fieret religioſus, & inde promoueretur ad Epiſcopatum, non poſſet ordinari Epiſcopus, ſi prius vxor non intraret religionem, & in ea profiteretur. Vt colligitur *ex c.ſanè de conu. coniug.* & obſeruat ibi *Ancar.in fine*, ita etiam *Pontius* vbi ſupra *nu.6.* contra *Sotum in 4.diſt.27.q.1.*

Vtrum autem viro ad Cardinalatum aſſumendo de licentia vxoris etiam ſit neceſſum, vt ipſa religionem profiteatur, affirmat *Maiol.l.1.de irregular.c.34.nu.2.* Negat tamen *Sanch.diſp.41.n.4.* & *Diana loc.cit.* & quidem probabilius, cum Cardinalis in odioſis non veniat ſub nomine Epiſcopi, & in tanta dignitate ſuſpicio de incontinentia non debeat timeri, & non teneatur ita ſtrictè ad bonum exemplum irreprehenſibilis conuerſationis, ſicut Epiſcopus, in cuius viuendi modo omnes animæ ſibi ſubiectæ oculos intendunt, vndè Epiſcopum irreprehenſibilem debere eſſe clamat iure Apoſtolus.

Vtrum mulier quæ contraxit matrimonium cum viro ſeniori, vel admodum debili non valenti rumpere ſignaculum virginitatis, teneatur pati inciſionem, ſi comode per obſtetricem fieri poſſet.

DIFFIC. V.

Diſtinguēdum puto, nam vel inciſio poteſt ſequi commodè per obſtetricē ſine graui periculo damni notabilis ſpōſæ, puto teneri ad patiendam inciſionem per manum honeſtam alterius fœminæ, licèt aliquem dolorem ſit paſſura, nec enim aiunt ſine dolore etiam à viro rumpi ſignaculum virginitatis, quia cum verè ſit contractum matrimonium, iam tranſtulit ſui corporis dominium in virum, ea igitur, quæ commode, & ſine periculo grauis damni poteſt pati, ad hoc vt conſumetur matrimonium debet vxor libenter ſubire, vt reddat ſe aptam, & idoneam vxorem viro ſuo. Ita noſter *Villal. in ſum. T. 1. tract.14.diffic.18.n.16.* & inter antiquos *D.Th.* ad inſtar millium Doctorum habendus *in 4.diſt.44.q.1.art.2.* ad ſecundum relatus à *Diana tract.4.de ſacr.reſol.*201.

Quod ſi ex inciſione dubitetur probabiliter magnum ſecuturum periculum alicuius grauis damni in vxore puta, quia Hymen, ſeu ſignaculum virginitatis ſit induratum, vel per accidens, vel ex natiuitate durum, & neruoſum, non tenetur pati inciſionem, vnde in tali caſu matrimonium declarandum puto nullum, & re prius diligenter perſpecta per matronas honeſtas, dicendum vxorem eſſe ſolutam ab onere matrimonij. Quare

Miror, quod aliquot Doctores, ſicut ſunt *Paludan. Duran.* & Salmanticæ Doctores, & *Diana*, qui *D.Thom.* omnium magiſtrum vocat, tamen in hac opinione, ita euidenter probabili Doctorem S. Magiſtrum ſuum relinquunt volentes nullo modo teneri fœminam pati talem inciſionem, ſed liberam eſſe ab onere matrimonij, quam etiam opinionem ſequitur *Baſil. Pont.67.c.62.n.2.* cuius rationes, quas adducit pro hac ſententia tanquam probabiles non capit meus imbecillis intellectus.

Vtrum coniux infidelis volens poſt baptiſmum contrahere cum fideli debeat requirere conſenſum alterius coniugis infidelis habitantis in longinquis partibus.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod *Sanch.de matr. T.2.l.7.diſp.74.Ricc. in prax.p.1.reſol.240. Filiuc.T.1.tr.10.p.2.c.7.Conin.de ſacr.diſp.26.* negant debere coniugem iam baptizatam expectare conſenſum alterius infidelis coniugis in remotiſſimis habitantis, ex eo quod moraliter poteſt eſſe certus coniugem alterum infidelem longinquius habitantem nolle conuerti, & nolle ſuos conſanguineos, amicos, & bona, patriamq; relinquere, putant ergo hanc requiſitionem moraliter impertinentem, atque adeo abſq; vllo ſcrupulo poſſe cum fideli matrimonium contrahere.

Attamen *Pontius de matrim.l.7.c.48.& Rebell.p.2.l.4.q.10.ſect.2.* cenſent, quod ſi non poſſit fieri admonitio ad coniugem infidelem, velit ne conuerti, & ſecum matrimonialiter cohabitare propter locorum diſtantiam, & forte nullam, aut paruam litterarum correſpondentiam, cum ſit tamen omnino neceſſaria ad nouum matrimonium contrahendum, volunt ſaltem peti a Papa diſpenſationem, qua ſuppleatur admonitio iure præſcripta. Vtramque opinionem putat *Diana* probabilem *tract.4. de Sacram. reſol.*264. ceterum diſtinctius procedendum puto in hoc caſu. Quare

Dico ſecundò, quod tutius practicandum videtur, quod ex circumſtantijs ſit colligenda, & coniecturanda moralis certitudo conſenſus, vel diſſenſus alterius coniugis in longinquis habitantis antequam matrimonium contrahatur cum fideli cum prima opinione, vel diſpenſatio petatur cum ſecunda etenim ſi moralis certitudo ex circumſtantiis poſſit haberi, ſi ſciret ſuum coniugem concurſum eſſe, & ipſum eſſe conuertendum, vt cum ſuo cohabitaret coniuge, non poſſet ſubſiſtere ſequens matrimonium cum fideli, circumſtantiæ autem examinandæ ab ipſo coniuge conuerſo ſunt, an inter ipſos fuerit amor quidam ardens, itaut alter ex abſentia alterius nimis triſtis ſit effectus, an vero fuerit amor remiſſus inter eos, an etiā fuerit inter ipſos poſt abſentiam cauſa odii, ſecundò, an Coniux infidelis in ſua patria habeat bene viuendi commoditates, puta poſſeſſiones, agros, penſiones, quibus cum commodam vitam poſſit agere abſque altero coniuge, an habeat patrem, matrem, ſorores, fratres, quos maiori, vel ſaltem æquo amore proſequatur, ſicut ſuum coniugem conuerſum, an vero inopem vitam ducat ſine altero coniuge, nulloſque alios habeat conſanguineos, quos æque amet ac ſuum coniugem, & an religionem Chriſtianam ſolitus ſit amare, vel potius deteſtari, quare ſi amor nimius, & ardens fuerit inter eos, & triſtis manet propter abſentiam coniugis, nec habeat parentes, & conſanguineos, quos æquè amet, ac coniugem, pauperemq; vitam ducat abſque ſuo coniuge, præſumendum eſt talem coniugem velle ſequi ſuum coniugem, faciliterq; conuertendum, ſi ſciret ſuum coniugem factum Chriſtianum, maximè ſi Chriſtianam Religionem non ſit ſolitus abhorrere, quod ſi maximè ſit ſolitus abhorrere Chriſtianam Religionem, eamque deteſtari dubium poteſt eſſe, an ſtantibus prædictis circumſtantiis velit ne ſequi, an remanere in ſua perfidia. Verum ſi mediocris amor fuerit inter eos, & habeat bona, quibus commodè viuat, parentes, & conſanguineos, quos amat æquè, ac coniugem poteſt præſumi moraliter potius in ſua infidelitate remanſurum, maximè ſi religionem Chriſtianam erat ſolitus abhorrere, dubium tamen ſi ſolitus erat Chriſtianam religionem commendare, & non abhorrere, ſicut etiam ſi odii adeſſet occaſio inter eos in abſentia, videretur certitudo moralis nolle ſequi alterum coniugem conuerſum, quem potius odio habet, itaque penſatis circumſtantiis, ſi apponat certitudo moralis, quod nolit alter coniux ſequi ſuum coniugem conuerſum poteſt practicari prima opinio; ſi vero adſit dubium penſatis circumſtantiis, poterit cum ſecunda opinione peti diſpenſatio a Summo Pontifice. In hiſce autem circumſtantijs cognoſcendis, ſi nullus alius adſit, poterit ipſimet præuio iuramento fides adhiberi, cum nullus debet præſumi velle peierare in ſui damnationem æternam.

Quare prudens Parochus in ſimili caſu nihil attentet circa aſſiſtendum matrimonio infidelis baptizati, qui matrimonio

erat

Digitized by Google

erat iunctus ante baptiſmum cum infideli, antequam ordinarium conſulat, & haſce circumſtantias ab ipſo petitas coram ipſo producat, vt determinet, quod ſibi magis conuenire in Domino videbitur.

Vtrum Coniux teneatur credere alteri coniugi ſe fictè conſentiſſe contractui matrimonij inter ſe ſe inito, & conſequenter eſſe inualidum, quod ſi ab vno ſaltem Teſte fide digno moneatur de impedimento dirimente, debeat credere.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod coniux non tenetur credere alteri etiam cum iuramento affirmanti ſe fictè conſentiſſe in contractu matrimonij habito inter ſe ſe, vnde validum probet matrimonium, nam vt optimè docet *Scotus in 4. diſt. 30.* probabilius eſt, quod ore mentiatur, quam quod mentitus ſit in principali contractu, idem dicendum, quando alter opponit aliquod impedimentũ non dirimens, quia ex *c. tuas de poteſt.* dicitur (valde indignum eſt, vt quod quiſque ſua voce dilucidè proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat ore infirmare.)

Quod ſi appareant coniecturę probabiles, & circumſtantiæ tales, vt credendum ſit verbis alterius coniugis, non poteſt reddere, nec petere debitum, vt ait *Scotus loc. cit.* aliter ſi poſt factam diligentiam de veritate, nec poſſit haberi, imo remaneat adhuc perplexus, & dubius, tutius eſt, ait *Scotus*, vt deponat conſcientiam dubiam, & credat nunc coniugem ſuum fictè loqui, non autem finxiſſe in actu principali, & poteſt ſupponere potius mentiri, poſt contractum matrimonii, quam in ipſo contractu. Ita etiam *Nauar. c. 22. n. 82. Henriq. l. 11. c. 11. Sanch. l. 2. diſp. 45. Gutier. de matr. c. 49. & Bonac. de matr. q. 4. p. 4.*

Dico ſecundò, quod coniux admonitus ab vno Teſte fide digno, vt ab amico, vel Parocho matrimonium eſſe inualidum propter impedimentum dirimens, ſi non contraxit, debet abſtinere a contrahendo, & facere interea diligentem inquiſitionem, ſi verò contraxit tenetur dubitare, ſed non credere neceſſario, nam ſolum duobus fide dignis credendum eſt, *in c. cum à nobis de Teſt. & Atteſtat.* & interim dum adeſt dubium, debet ſe gerere, vt dictum eſt in ſuperiori difficultate ideſt non petat, donec adhibuerit perfectam diligentiam de veritate indaganda, quod ſi adhuc remaneat dubius poſt ipſam, ſi bona fide contraxit, poteſt reddere, & petere, quia exiſtimari debet, vt inuincibiliter ignorans impedimentũ.

Quod ſi audiuit ab aliquo, qui non eſt fide dignus, nullo modo debet abſtinere a petendo, qui enim cito credit, leuis eſt corde. Ita *Nauar. Sanch. Gut. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum coniugibus, qui in nocte præcedenti vſi ſunt matrimonio poſſit licitè ſuadere, vt in mane ſequenti ſacratiſſima reficiantur communione.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, quod non ſit conſulendum coniugibus, qui in nocte antecedenti, vſi ſunt copula matrimoniali, vt in mane ſequenti communicent, communius Doctores aſſerunt propter reuerentiam debitam tanto Sacramento, & peccatum ſaltem veniale putant communicare in mane, poſt præcedentem copulam multi Doctores. Ita *Scotus in 4. diſt. 32. q. 1. in reſponſ. ad 3. ex Hyeronimo*, & habetur 33. q. 4. Quicumque vxori debitum reddidit, non poteſt carnes Agni edere, & gloſat *Scotus* ideſt non poteſt cum reuerentia debita; vide *Dianam 3. p. tract. miſcell. 6. reſol. 71. & Sanch. de matrim. T. 1. l. 9. diſp. 13. n. 4. & 5.* vbi citat viginti Doctores, qui nullo modo ſuadendam eſſe Euchariſtię ſacratiſſimæ ſumptionem coniugatis, qui in nocte præcedenti copula coniugali vſi ſunt, vide etiam *Salazar in tract. de frequentia communionis c. 9. §. 1.* ſane opinio ſicut communior, ita probabilior, & tutior. Attamen

Dico ſecundò, quod in caſu, quo alter coniux petijt ſibi reddi debitum, alter vero, ne ad aliud peccatum incidendi alteri coniugi daret occaſionem inuoluntarie præſtitit vſum ſui corporis, ſciens in mane communionem ſacratiſſimam ſuſcipiendam eſſe ex deuotione, vel præcepto, formaliter ad copulam non concurrendo, ſed ſolum materialiter, ne alteri petenti faciat iniuriam, vel det occaſionem aliter peccandi, poſſe vtique innocenti ſuaderi communionem puto probabile, maximè ſi adeſſet conſuetudo, vt tali die cum aliis communicaret, quia hæc eſt diſpoſita formaliter.

Dico tertiò, quod etiam in caſu, in quo mane ſequenti eſſet communicandum propter aliquam magnam indulgentiam, ſi nocte antecedenti non potuiſſet coniuges continere, aliter in aliquod peccatum alter incidiſſet, crederem vtrique poſſe concedi communionem a confeſſario, ſi ante communionem aliqua oratione mentali, vel vocali inberentur, quãtum fieri poteſt ſe coram Domino purificare, & affectum illum inordinatum præcedentis noctis mundare, & per aliquas iaculatorias orationes mentem ad Deum eleuare, etenim quando duo bona omittenda ſunt, illud eſt potius omittendum, quod eſt minus bonum, quod autem maius hoc ſequendum, ſed maius bonum eſt, vt ſequenti mane animo, vtcumque purgato accedant ad communionem coniuges, qui in nocte antecedenti copulam habuerunt maritalem, quam abſtineret à Sacramentis perceptione, etenim ex communione Sacramentali multa bona proueniunt fidelibus, & auxilia præſtantur ad præcauenda peccata, præcauere autem peccata bonum eſt, quod ita placet Dei, vt anteponendum ſit bono abſtinentiæ a Sacramento, tanto magis, quanto facilior eſt via per dictas orationes animum purificando ad reuerentiam debitam Sacramento, quæ per nocturnam copulam videtur fuiſſe omiſſa recuperandum, a qua doctrina non abhorreret *Scotus* puto loc. cit. dum ait non ex neceſſitate præcepti arceri debent coniugati à communione, qui copulam matrimonialem habuerunt, vnde ait non peccare mortaliter, ſi ſuſciperent communionem, ſed ſolum arceri ob reuerentiam, quia ſcilicet ea tali copula præcedenti minus ſunt diſpoſiti ad communionem, ſi ergo per dicta media curetur, vt quantum fieri poteſt diſponantur, abſque vllo ſcrupulo ſecundum eius doctrinam poteſt eis dari communio. Ita etiam *Sanctus in ſuis ſelectis diſp. 23.* & licet hanc doctrinam ipſe extendat etiam ad eum, qui nocte præcedenti ad communionem fornicatus eſſet propter eaſdem rationes, ſi verè doleret de ſua incontinentia, attamen via probarem in fornicante, quia vix ille inordinatus affectus peccaminoſus poſſet purgari in tam breui tempore, difficile enim videtur luxuriæ peccato deditus à turpe illo fomite in præcedenti nocte ſe mundare tam cito, itaut abſque diſtractione à tali voluptate ſe idoneum faciat communionis ſacratiſſimæ receptioni, quod tamen facilius poſſunt coniuges cum in copula non peccauerint, neque ita inordinatum affectum habent in eo virtute Sacramenti, ſicut habent fornicantes; attamen hoc relinquerem arbitrio prudentis confeſſarii, qui perſpecto diligenter eius dolore de tali peccato, & an fuerit caſuale, an vero à propoſito quæſitum, & perquirere ſatagat an feruentiori animo feratur in communionem, an vero remiſſo, ex quibus, & aliis circumſtantiis poterit arbitrari adſit idoneus ad recipiendam communionem, quod ſi ex vehementi dolore peccati, et magno feruore dilectionis in ſacrã Euchariſtiam feratur, arbitretur dandam eſſe ei communionem, proroget ei vſque ad meridiem communionem, et interea ei orationes, & meditationes talis imponat, vt vſque ad horam communionis eum in exercitiis ſpiritualibus teneat occupatum, vt quãtum fieri poteſt inordinatus affectus noctis præcedentis purgetur, et fiat præparatus ad ſacratiſſimam communionem, aderit etiam Deus facienti, quod in ſe eſt, gratiam ſuam ei præſtando, vt idoneus fiat tanto Sacramento ſuſcipiendo, benignus enim, et miſericors eſt, et præſtabilis ſuper malitia Deus noſter, et cor contritum, et humiliatum non deſpicit, et facile auertit faciem ſuam à peccatis, quæ deteſtantur.

Vtrum coniuges contrahentes matrimonium in peccato mortali dupliciter peccent, & tanquam ſuſceptores, & tanquam Miniſtri, & quænam ſint conditiones ad meritorie conſummandum matrimonium,

DIFFIC. IX.

DIco primò, quod licet non ſit omnino mihi improbabile, quod contrahentes in peccato mortali matrimonium duplex admittant peccatum, quia ſcilicet ſuſcipiunt Sacramentum in peccato, et miniſtrant etiam Sacramentum

in

Digitized by Google

in peccato, ergo tanquam miniſtri, & tãquam ſuſceptores peccare videntur. Ita *Nauar. in c. 1. §. Sacerdos n. 10. diſt. 6. de pænit.*, *Vaſq. in 3. p. T. 3. diſp. 36. cap 3. n. 38.*, *Ledeſma de matr. q. 42. art. 3. ad vlt. arg. & Pontius de matr. l. 1. c. 8. n. 15.*

Attamen probabilius puto vnum tantum peccatum admitti à coniugibus in peccato mortali contrahentibus, quia ſcilicet Sacramentum recipiunt in peccato, quatenus autem ſunt miniſtri non videntur peccare mortaliter, quia non ſunt miniſtri conſecrati ad hoc Sacramentum miniſtrandum. Ita noſter *Villalob. in ſum. T. 1. tract. 4. diffic. 4. n. 5.*, *Coninch. de Sacr. q. 64. art. 6. dub. 2.*, *Layman. in Theol. mor. l. 5. tract. 1. c. 5. n. 9.* *Fernand. in exam. Theol. mor. p. 3. c. 8. §. 1. n. 5. qui citat Sotum, Guttier. de matr. c. 41.*, *Sanch. de matrim. T. 1. l. 2. diſp. 6. n. 4.* *Filiucc. T. 1. tract. 2. c. 6. n. 87.* *Diana tract. 4. de Sacr. reſol. 199.*, & alij communius.

Dico ſecundo, quod coniuges ad hoc vt in actu matrimonij non peccent, imo meritoriè conſoment, ſi ſint in gratia, debent conditiones has ſeruare, quæ in hiſce ſequentibus duobus verſibus comprehenduntur, de quibus aliquas ſingillatim difficultates infraponemus, conditiones autem hæ ſunt.

Sit modus, & finis, ſine damno, ſolue, cohere,
Sit locus, & tempus, tactus, nec ſpernito votum.

Vtrum non ſeruans modum debitum reuerentiæ Matrimonialis puta copulam habendo præpoſtere in vaſe naturali ſupergrediendo a fæmina, & a viro ſuccumbendo, vel ſtando, vel ſedendo, vel incipiendo in vaſe præpoſtero, & conſumendo in naturali peccet mortaliter, vel ſaltem venialiter?

DIFFIC. X.

Dico primò, quod non ſeruans modum debitum reuerentiæ matrimoniali, puta ſi vir præpoſterè in vaſe naturali, vel ſi vir ſuccumbat, Vxor ſupergrediatur, vel ſtando, vel ſedendo copulam habeat coniugalē, & tanta ex talibus inordinatis modis ſequatur inordinatio, vt non poſſit ſequi generatio, & verè impediatur, fortè quia ſemen non retinetur in vulua, ſanè pæccat mortaliter, quia fruſtratur finis matrimonij, quando autem tale periculum non adeſt, nec adeſt alia mortalis intentio, quod grauiſſimum peeccatum veniale committant coniuges docent noſter *Angelus*, *Caiet.*, *Syluest.*, *Sotus*, quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrim. l. 9. diſp. 16*, *Azor. 3 p. lib. 3. c. 22.*, *Filiucc. tr. 10. c. 8. quæſt. 8.*, *Perez* quem citat, & ſequitur *Bonac. de matr. q. 4. p. 13.*, quod ſi neceſſitas excuſet, quando ſcilicet vir propter pinguedinem non poteſt congredi cum fœmina ſupergrediendo, niſi retro accedat in vaſe naturali, aut quando fœmina eſt grauida, & non poteſt propter periculum abortus cum ea copulari, niſi præpoſterè in vaſe naturali, modo non adſit euidens periculum emiſſionis ſeminis extra vas, etiam excuſantur à veniali, paſſim tamen ſunt reprehendendi coniuges talia perpetrantes, licet non ſint arguendi de mortali, quando non adeſt periculum pollutionis.

Dico ſecundò, quod in vaſe præpoſtero abutentes proprijs Vxoribus coniuges à nulla cauſa excuſari poſſunt à peccato mortali, cum ſit de ſe intrinſecè malum, cum ſemen contra iuris ordinem effundatur in vaſe, in quo generatio prolis ſequi non poteſt, vt communiter Theologi.

An verò incipiens in vaſe præpoſtero, & alio quocumque modo cum intentione ſeminandi in vaſe naturali, & de facto in eo ſeminet, mortaliter peccet negat noſter *Aug. V. Debitum §. 25.*, *Nauar. c. 27. num. 5.*, *Graff. T. 1. l. 5. de Adult. conſ. 9.*, *Diana tract. 17. miſcel. 3. reſol 37. p. 1.*, *Gambacurta tract. de caſ. reſeruatis caſu 2. de ſodom.*, *Zerola in praxi pænit. cap. 12. q. 25.*, *& Zanard. in Directt. confeſſar. p. 1. de matrim. c. 41. §. 10.* quia tactus in partibus pudendis in actu copulæ coniugatis permittuntur maximè ad finem generationis ſi ordinentur, attamen noſter *Rodriq. in ſum. T. 1. c. 88.*, *Bonac. de matrim. q. 4. p. 2.*, *Sanch. de matrim. l. 9. diſput. 17. n. 4.*, *& Baſil. Pontius de mat. l. 10. c. 21. n. 5.*; quia vtitur vaſe indebito, a quo natura abhorret, hinc leges Canonicę, & Ciuiles expreſsè ſentiunt propter attentationem huius actus poſſe vxorem petere diuortium à marito, *ex gloſ.* communiter recepta *in canones 32. q. 2.*, vide *Riccium deciſ. 37.*

Putarem tamen, quod ſi vir nullo modo poſſet inuenire aliam viam ad ſeminandum in vaſe naturali, poſſe incipere copulam, vxore non reluctante, in vaſe præpoſtero, cum vere abſit animus contra naturam aliquid attentandi, quod ſi haberet aliā viam minus turpē ſe ſe præparandi ad ſemen in vaſe naturali effundendum, deberet ab illo abſtinere, hinc præfatas leges pontificias, & Ciuiles intelligendas ſolum eſſe cenſeo de attentatione ſeminandi in vaſe præpoſtero, in quo caſu quandò vir corrigi nolit, poſſet vxor petere diuortium, vt notat etiā *Sanch. l. 10. diſput. 4.*, non autem de attentatione in vaſe præpoſtero cum animo ſeminādi intra vas naturale, quando alia via ad generationem faciendam Marito non occurrit, niſi cum hoc medio, quod ex ſe, & ſua natura præciſo periculo pollutionis in vaſe præpoſtero non eſt intrinſecè malum in ordine ad copulam generationi ordinatam. Illud autem certum eſt mihi, quod licet hoc probabiliter dictum putem, attamen nullo modo conſulendum, poſt factum tamen non arguerem coniuges de mortali.

Vtrum coniux poſt conſumatum matrimonium erigat ſe, vel mingat, vt ſemen effundat, vel emittentes in fine copula ſemen extra vas, ne generatio ſequatur, peccet mortaliter.

DIFFIC. XI.

Dico primò, quod licet noſter *Belloch. de caſ. reſeru. p. 2. q. 4.* neget peccare mortaliter coniugem erigentem ſe, vel mingentem immediatè, vt emittat ſemen, ne generatio ſequatur, quia vt aiunt *Syl. V. Debitum n. 6. & Conrad. p. 2. q. 315.*, matrix mulieris habet ita vim attractiuam, & retentiuam immediatè ſeminis, vt fruſtra mulier poſt coitum mingendo, vel alio modo procurando emiſſionem ſeminis ſatagat totum eijcere, vt ſaltem ſufficiens pars ad generationem non remaneat, propter quam rationem etiam putat licitam eſſe copulam cum Vxore, quæ paſſim non poteſt retinere ſemen intra vas poſt emiſſionem ſecutam, quia ſemper à matrice retinetur pars ſufficiens ad generationem.

Attamen *Bonac. de matr. q. 4. p. 6.*, *Sanch. de matr. T. 3. l. 9. diſp. 30.*, *Rebell. l. 2. q. 19.* & alij putant omnino peccare mortaliter, fæminam erigentem ſe ſe vel mingentem, vt emittat ſemen ad generationem fruſtrandam, quia facit contra ordinem à natura ordinatum ad generationem, & ſanè hoc mihi videtur probabilius, quia licet pars remaneat, quod probabile eſt, non autem certam pars ſeminis ad generationem ſufficiens, vt tradit *Bellochius*, attamen intentio fæminæ, quæ attentat generationem prolis impedire, eſt ex ſe mortifera, & læthalis.

Dico ſecundo, quod coniuges incipientes copulam, & dum effuſuri ſunt ſemen, ſe retrahunt, & ſemen extra vas emittūt, vt generationem impediant à nulla cauſa excuſari poſſunt, nec ob paupertatem, & impotentiam alendi liberos, ſed omnino peccant mortaliter, quia effuſio voluntaria ſeminis extra vas licitum, eſt omnino iuri naturæ repugnans, quæ ſemen ad generationem ordinauit, vt notant communiter DD., nec valet dicere, quod ob paupertatem licet coniugatis incipere copulàm ad Venerem explendam, & poſtea ſe retrahere, & eam non perficere, quia id ſolum tunc caret malitia mortali, quando non adeſt periculum pollutionis poſt copulę ſubtractionem, cum periculo autem pollutionis extra vas nunquam licet copulam ſuſpendere, & non conſumare.

Vtrum liceat viro accedere ad menſtruatam, vel prægnantem cum periculo abortus abſque ſcrupulo mortalis.

DIFFIC. XII.

Dico primò, quod licet noſter *Rodriq. p. 1. c. 243.*, *Ledeſm. q. 64. a. 1. dub. 3.*, *Henriq. l. 11. n. 5.*, *Filiucc. tract. 10. c. 9. quæſt. 10. num. 356. & Bonac. de matrim. quæſt. 4. p. 6. nu. 9.* putent eſſe ſolum veniale accedere ad menſtruatam, quia adeſt quædam turpitudo naturalis congrediendo cum menſtruata, attamen ex eorummet ratione colligitur improbabilitas talis ſententiæ, contra turpitudinem enim naturalem facere, eſt aliquod contra ius naturæ, & à natura abhorrens patrare, ergo ex hac ratione colligitur eſſe mortale, quare noſter *ſubtiliſſimus Doctor in 4. diſt. 32. q. 1.*, *Caiet.*, *& Sylu.* apud *Bonac. loc. cit.* volunt eſſe peccatum accedere ad menſtruatam,

quæ

Digitized by Google

quæ ſcilicet ſingulis ſolum menſibus patitur profluuium ſanguinis, primò quia, vt probat *ſubtilis noſter*, maiori præcepto tenetur maritus non agere, vnde proles naſcatur leproſa, quæ poſſet (nota benè vim huius rationis) quæ poſſet inquam alias procreari ſana, quam pro nunc ſatisfacere voluntati pro quando, vt in pluribus puer naſcitur leproſus, vnde non ſine cauſa in lege Moſayca accedens ad mulierem menſtruatam debuit mori, nec mors infligebatur ei niſi pro peccato mortali quamuis nec eſt probabile, quod in lege Euangelica, quæ eſt lex caſtitatis, ſit minus prohibitus acceſſus ad menſtruatam, quare illud prologuium, quod melius eſt naſci prolem leproſam, quam non naſci, verum eſt, quando alias non poſſet naſci niſi cum periculo lepræ, at vero ſi poſſet alias naſci ſine tali periculo debet expectari tempus pro bono prolis congruo, vnde perpetuo leproſo debet reddi debitum cum periculo prolis leproſæ generandæ, non autem debet reddi menſtruatæ cum eodem periculo, quia breui tempore menſtruo recedente poteſt eadem proles procreari ſine lepra.

Verum eſt tamen, quod hæc doctrina credo quod ſolum currat in menſtrui augumento, in quo profluuium ſanguinis eſt vehementius, & fœdiſſimum, & in hoc ſolum eſt periculum prolis leproſæ generande.

In decremento tamen non puto eſſe mortale accedere ad menſtruatam, quia in declinatione profluuij non eſt tanta fœditas, nec periculum generandæ prolis leproſę, vt medici volūt.

Dico tamen ſecundò, quod doctrina ſuperius poſita currit ſolum de menſtruata patiente ſingulis mēſibus, nam ſi continuus ſit fluxus ſanguinis in Vxore, qui hic non ſolet vt potè in naturalis habere tantam turpitudinem naturalem, veluti admodum remiſſus, nec ita fędus, & potius ad malam valetudinem pertineat fluxus ille ſanguinis, quam ad mēſtrui ſanguinis rationem, nullo modo peccat maritus ad eam accedendo regulariter, ideſt niſi ex copula oriretur aliquod magnum damnum in Vxore, quod teneretur vitare.

Dico tertio, quod coeuntes cum periculo abortus, ſanè mortaliter peccant, quia immediatè operantur contra finem prolis intentum à natura; poteſt autem eſſe periculum abortus, primo tempore coagulationis, & formationis, & animationis fætus. Secundò, quando proximè ante partum congrediuntur, nam tunc temporis propter abundantiam ſeminis ſubitur periculum ne ſuffocetur partus, ceteris autem temporibus licet cum prægnante congredi, modo ab inordinatis motibus in copula abſtineatur, inordinati .n. motus .i. vehementiores commotiones poſſunt eſſe periculum probabiliſſimum abortus, vt patet in praxi extra copolam de abortientibus propter aliquem motum vehementem paſſum, quanto autem tempore fætus . nimetur dictum eſt ſup. V. Abortus.

Vtrum vero maritus ſi ſit cauſa abortus, æſtimare ſe debeat Irregularem, certum eſt non eſſe irregularem, ſi ante quadraginta dies abortiatur Vxor, quia ante quadraginta dies, certum eſt, quod non eſt animatus fætus, poſt vero quadraginta dies, ſi ſit maſculus fętus maximè, debet ſe irregularem tenere, quia poſt quadraginta dies fætus maſculinus communiter habetur pro animato, ſed de hoc fuſius V. Irregularitas.

Vtrum ſit neceſſum Coniuges in actu copulæ ſimul ſemen emittere, vel ſaltem vnus alterum expectare debeat, & ſi alter ſe retraxerit à copula, poſſit alter qui non ſeminauit, ſemen extra vas effundendum curare, & ſi effundat extra vas, vtrum ſit circumſtantia coniugi aperienda in confeſſione.

DIFFIC. XIII.

Dico primò, non eſſe neceſſariū, vt ſimul ſeminēt in copula coniuges, non .n. poteſt cadere ſub præcepto, ꝙ facere nō eſt in eorū poteſtate, ſimul autē phyſicè ſeminare nō eſt in poteſtate coniugum, eum alter poſſit eſſe tardior, alter velocior, iuxta complexionum qualitates, vnde non ſolum poteſt vir continuare copulam, ſi prior ſeminauit, ad hoc vt fœmina proſequatur ſeminare, vt volunt etiam *Caiet. 2.2. queſt. 15. a. 11.* & alij apud *Henriq. l. 11. cap.* 8. ſed etiam tenetur expectare, donec fœmina compleat actum ſeminandi, imo peccaret mortaliter, ſi non expectaret, quia eſt cauſa cur fruſtretur actus à natura ordinatus ad prolem, ita ex doctrina Scoti alibi citata docentis neceſſariò ad generationem requiri ſemen mulieris, quia actiuè concurrit ad generationem, licet minus principaliter, & ita videntur etiam aſſerere *Bonac. de matr. q. 4. p. 6 Sanch. de matr. lib. 9. diſp. 19. Henriq. loc. cit. & licet Bonac. limitet* hanc doctrinam, modo vir non ſe retrahat de conſenſu Vxoris, tamen abſolutè loquendo hæc limitatio non placet, ſi Vxor habeat ſpem ſeminandi, quod ſi non habeat ſpem ſeminandi, licitè ſe retrahere poteſt, & fortè ſi ſolum ad vitandam incontinentiam mariti reddidit debitum, & ipſa nolit ſeminare, licite poteſt dare marito licentiam ſe retrahendi à copula, cum nihil hic intentetur contra generationis finem.

Et licet aliqui velint non teneri expectare virum vſquequo mulier ſeminet, quia ex hac expectatione potius impediretur generatio, non videntur probabiliter loqui, quia ex tali expectatione non poteſt euaneſcere ſemen emiſſum quia præſupponitur parua, & ſeruatur in loco proportionato à natura, imo nullo modo poſſet ſequi generatio ſine mixtione ſeminis fœminæ ex præcitata *Scoti*, & medicorum authoritate.

Dico ſecundo, quod ſi vir poſtquam ſeminauit, ſe retrahit non expectata ſeminatione mulieris poteſt ſe vxor tactibus excitare, vt compleat actum à natura ordinatum ad generationem, quia cum adſit in vaſe ſemen hominis attraheretur ab ipſo ſemen emiſſum à fœmina, nec prodigeret extra vas, ſi fiat hæc pertricatio à fœmina immediatè; quod tamen non poſſet vir, ſi fœmina ſe ſubtraheret, antequam ipſe ſeminaret, quia neceſſariò vir ſemen prodigeret extra vas contra finem prolis intentum à natura.

Dico tertiò, quod pollutio coniugis voluntaria facta extra vas cum altero coniuge probabile eſt quod induat ſpeciem Adulterij, quia violat fidem datam de corpore caſtè cuſtodiendo ad finem generationis, quare *Sanch. de matr. l. 9. diſp. 18. num. 4. & quinto, & Reginald. lib. 31. n. 3. 23. & Bonac qu. 4. p. 6. n.* 19. putant hanc circumſtantiam .ſ. pollutionis extra vas exercitæ cum altero coniuge mutare ſpeciem; quia ad adulterium pertinet, & ideo neceſſariò explicanda eſt in confeſſione.

Vtrum coniux ſenex, vel infirmus, vel quia pauper, ne filios generet, quos non valent alere, poſſit ſine peccato incipere copulam cum vxore in vaſe legitimo, & inde ſe retrahere, & non effundere, & an, ſi propter debilitatem ſoleat extra vas effundere liceat ad huc ei copulam coniugalem exercere.

DIFFIC. XIV.

Dico primò, quod licet probabilius ſit, & tutius non incipere copulam coniugalem, quam propter infirmitatem, & debilitatem non poſſet perficere, copula .n. coniugalis præcipuè ad generationem ordinatur, hæc autem ſine effuſione ſeminis non poteſt ſequi, inordinata eſt itaque illa copula coniugalis, quæ non poteſt ſortiri effectum ſuum; attamen quia Deus benedictus matrimonialem etiam copulam inſtituit in remedium concupiſcentiæ humanæ, eiuſque fragilitatis, non eſſet omnino improbabile affirmare incipientem copulam, & nolentem poſtea effundere ſemen propter debilitatem, vel infirmitatem modo non ſit cauſa, vt Vxor poſt copulam non ſe polluat iam ex inceptione irritata, de quo fortè infra, non peccare mortaliter, quia ſatisfit hoc modo ſuæ concupiſcentiæ, ratione cuius ſatisfaciendæ etiam inſtitutum eſt matrimonium, preterquam quod oſcula, & tactus inter Vxoratos etiam extra copulam permittuutur ſine peccato. Ita etiam *Ludouicus à S. Ioanne in ſum. T. 1. q. 3. a. 3. diff. 5. dub* 1. cui videtur adhærere *Diana tract. 6. Miſcell. reſol. 94. p. 3. & in tract. 4. de Sacr. reſol.* 227. ita etiam *Caiet. in 22. q. 154. Palud. in 4. diſt. 31. q. 3. art. 2. caſ. 5. D. Anton. p. 3. Tit. 3. c. 2. §. 6. Sà V. Debitum n. 17. Armill. n. 9. & Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 2. de Sacram. matr. q. 3. dub. 6. concl. 5.* & alij contra *Sylueſtrum V. Deb. q.* 3.

Dico ſecundò, quod nec peccat maritus, ſi cauſa paupertatis, vt non generet filios, quos ſe alere diſperat, incipiat copulam vxore tamen hoc etiā permittente, aut non rationabiliter in vita præciſo pollutionis periculo deinde extra copulam, & ſe retrahat à copula ante effuſionē, nam ſi cubandi adſit incentiuum, & incipiendo copulam ſatisfaciat concupiſcentiæ abſque effuſione ſeminis, modo vxor, & ipſa poſſit à tali effuſione abſtinere, non peccat, quia iam altero fine matrimonij vt dictum eſt ſupra fruatur, ne hoc ſit peccatum, & liceat, quod ſi Vxor non poſſit ſubſtinere copulam inceptam abſque

Digitized by Google

effuſione, tenetur maritus effundere, ne fruſtretur ſemen mulieris, ita etiam *Layman. in Theol. mor. l. 3. ſent. 4. num. 19. Sanch. T. 3. l. 9. diſp. 19. n. 3. & Diana loc. cit.*

Dico tertiò, quod ſenex, qui habet probabilem ſpem ſeminandi intra vas, poteſt vti copula, licet præter intẽtum aliquando effundatur ſemen extra vas, quia dum habet probabilem ſpem effundendi intra vas, vtitur iure ſuo, ſi vero ſenex ita ſit debilis, vt noſcat vere in conſcientia ſe non poſſe intra vas effundere, non poteſt vti copula, quia ſemen voluntariè effunderet. Ita *Nauar. c. 16. n. 53. Sanch. l. 9. diſp. 17. n. 20. Reginald. lib. 31. n. 334. & Bonac. de matrim. q. 4. p. 6. n. 17.* an vero poſſit vti oſculis, & tactibus abſque ordine ad copulam affirmatiua ſententia probabilis eſt, vt dicetur fortè infra.

Vtrum Coniux abſente altero poſſit carnes ſuas ad voluptatem captandam tangere, vel moroſam delectationem habere de copula habita, vt præſente, ſine periculo tamen pollutionis valeat ſine peccato.

DIFFIC. XV.

Dico primò, quod licet *Sanch. de matrim. T. 3. l. 9. diſp. 44. Gaſpar Hurtado tract. de matr. diſp. 10. tract. 10. nu. 47. Ochog. de Sacr. tract. 5. de matr. q. 12. n. 9. & Ioannes Præpoſitus in 3. p. D. Th. q. 6. de bon. matr. dub. 26. n. 188.* putet coniugem abſente altero ſuas carnes ad voluptatem captandam poſſe licitè abſque peccato mortali tangere preciſo periculo pollutionis putans hoſce tactus in ordine ad deſiderium copulæ cum proprio coniuge licitos eſſe, attamen tutius contrarium putant communiter alii ſcilicet peccare mortaliter coniugem tangentem ſuas carnes ad voluptatem captandam abſente altero coniuge, quia non habet coniux dominium ſui corporis niſi in ordine ad proximam copulã coniugalem, illi autem tactus abſente altero coniuge ordinantur ad pollutionem ſaltem, licet eam ipſe non timeat, poteſt tamen faciliter ex talibus tactibus accidere. Ita *Vaſq. in p. 2. T. 2. tract. 13. diſp. 6. ſec. 14.* & alij, probabilius in quam, quia vere vtitur aduenerem ſuam ſecum explendam ſuo corpore in tali caſu, quod ſibi eſt prohibitum, & non in ordine aduenerem explendam cum coniuge quod ſibi licet.

Attamen ſi hi tactus forent ſolum cum recordatione copulæ coniugalis determinatè, & non indifferenter ad quamcumque copulam, ſi non timeatur verè periculum pollutionis, ſolum veniales fortè exiſtimari poſſent, cum nullum finem malum habeant, & deſiderium coniugis abſentis non ſit malum; ceterum ante factum non conſulendi, ne habenæ in hac materia multum faciles laxatu, nimirum lubricentur in animarum detrimentum.

Dico ſecundò, quod coniugem moroſè ſe delectantem de copula habita, vt præſente, altero coniuge abſente peccare mortaliter etiam ſi abſit periculum pollutionis, docent *Nauar. cap. 16. n. 10. Azor. & Phyliarcus apud Dianam tract. 4. de Sacram. reſol. 200. & Pontius de matr. l. 10. c. 16. & Fernand. in exam. Theol. mor. p. 2. cap. 2. §. 4. num. 6.* & alij; ex eo, quia alter coniux non habet poteſtatem actu ſe delectandi, niſi altero præſente in ordine ad copulam proximam, quando ergo copula proxima non poteſt haberi, non debet dare occaſionem per moroſam delectationem commouere partem ſenſitiuam ad motus venereos. Attamen probabilius exiſtimo cum aliis ta ẽ delectationẽ, modo abſit periculum pollutionis, non eſſe peccatum mortale, quia dum actu licito inter eos delectatur, delectatio etiam eſt iuſta, quod autem oriatur ex ipſa commotio venerea in parte ſenſitiua per accidens eſt, nec facit illicitam delectationem, modo abſit periculum pollutionis, quod mortalem reddit ſenſitiuam commotionem, non enim eſt mortalis commotio ſenſitiua niſi ordinetur ad pollutionem, quando oritur ex cauſa licita, vt eſt delectatio copulæ coniugalis, vt præſentis. Ita *Caiet. & Armilla V. Delectatio, Medina in p. 2. q. 74. art. 8. dub. 1. Zanard. in direct. conſc. p. 1. tract. de matr. c. 41. Layman. in Theol. mor. l. 1. tract. 3. cap. 6. n. 14. Reginald. l. 11. c. n. 5. n. 52. Filiucc. T. 1. tract. 10. c. 9. quæſt. 12. n. 253. vbi citat D. Th. Gerſonem, & Tabyenam pro hac opin. Vaſq. diſp. 113. c. 2. Sanch. de matr. l. 9. diſp. 45. num. 41. & Bonac. de matr. q. 4. punc. 8. n. 12.* & alij.

An vero talis delectatio copulæ præteritæ coniugalis ſit licita altero abſente in caſu, quo copula inter eos foret facta illicita, negant *noſter Rodriqu. in ſum. nouiſſ. T. 1. cap. 129. & Pont. de mat. l. 10. c. 16. §. 2.* quia ſuper illicitam copulam non poteſt fundari licita delectatio, at vero *noſter Villalobos T. 2. tract. 40. difficul. 17. Sanchez de matrim. T. 3. leg. 9. diſput. 43. Granado in parte 2. D. Thom. controuerſ. 6. diſp. 5.* affirmant eſſe licitam, quia per accidens eſt quod facta fuerit illicita, quæ enim copula ex ſua natura licita eſt ſemper licitè poſſe deſiderari contendunt, modo abſit periculum pollutionis, quia in odioſis non eſt facienda extenſio.

Dicendum tamen putarem, quod ſi copula facta eſt illicita ex impedimento intrinſeco ſuperueniente puta ex voto caſtitatis facto ab vtroque, vel ſaltem de conſenſu alterius, vel affinitatis ex copula cum conſanguineo alterius coniugis, quia hæc copula eſſet peccaminoſa, etiam delectatio de ea eſt peccaminoſa dicenda, at vero ſi copula fiat illicita hic, & nunc ex aliquo impedimento extrinſeco puta ratione abortus, ſalutis ſeruandæ, vel naturalis impotentiæ, credo quod delectatio de copula maritali non ſit peccaminoſa, quia ſolum per accidens eſt, quod ſit illicita hic, & nunc, & ablato impedimento abſque alia diſpenſatione licita eſt, quod enim ex ſe non eſt intrinſecè malum, poteſt vtique deſiderari, iſta autem copula matrimonialis non eſt intrinſecè mala, ergo poteſt delectationi ſubijci, ac ſi non adeſſent hæc impedimenta extrinſeca.

Vtrum Coniuges vtentes copula ſimpliciter, vel cauſa voluptatis, vel cauſa valetudinis capeſſendæ, vel ad vitandam fornicationem præciſa omni intentione generationis faciendæ excuſentur a mortali, vel veniali.

DIFFIC. XVI.

Dico primò, quod licet *Nauar. c. 16. n. 52. Philiarch. de off. Sacerd. T. 1. p. 2. l. 4. cap. 19. Coninch. & Sa*, quos citat, & ſequitur *Diana tract. 4. de Sacram. reſol. 118. & 119.* putent nullum eſſe peccatum, ſi coniuges vtantur copula matrimoniali præciſa omni intentione generationis, ſed ſimpliciter abſolutè propter captandã voluptatem, vel cauſa valetudinis capeſſendæ, vel conſeruandæ, vel ad vitandam fornicationem, quia licet finis principalis copulæ maritalis ſit generatio prolis, attamen eſt etiam finis eius ſecundarius ad concupiſcentiam frænandam, ergo licet copula præciſo fine primario, dum adeſt ſecundarius, & quidem probabiliter, & in hanc ſententiam fortè inclinat *Doctor ſubtilis loc. infra citando.*

Attamen *noſter D. Bonauent. in 4. ſent. diſt. 31. q. 2. a. 2. D. Th. ib. ad ſecundum cum magiſtro ſent.* qui ſaltem venialiter peccare coniuges vtentes copula propter voluptatem, ſanitatem, & alia huiuſmodi præciſo fine generationis probat ex *D. Auguſtino de bono coniug. l. 10. T. 6. & c. 4. de Nuptiis, Hugo de Sancto Victore in 4 ſent. c. 4. S. Greg. 33. mor. c. 30. & habetur 33. q. 4. c. cum vir licet propria, & explicat D. Auguſtinus*, quod copula coniugalis præciſa generationis cauſa indulgetur, quod autem indulgetur, ait *D. Auguſt.* non eſt ſine culpa, itaque ſaltem culpam venialem præſupponit.

Ad ſaluandam tamen tot Sanctorum Doctorum ſententiam placet limitatio, quam adducunt *Paludanus in 4 diſt. 31. quæſt. 2. art. 2. D. Anton. in 3. parte tit. 1. cap. 10. §. 1.* quos ſecuti videntur etiam *Sanchez de matrim. l. 9. cap 9. T. 3. & Filiucc. T. 1. tract. 10. parte 1.* docentium tunc incidere coniuges in veniale, quando alia adeſſet accommodata pro acquirenda, vel conſeruanda valetudine, vel vitanda fornicatione, attamen volunt cum occaſione captandæ voluptatis copula vti actu Sacramẽtali pro talibus cauſis nullum reſpectum habẽdi ad finem principalem, propter quem eſt inſtitutum matrimonium, quod ſi alia non adeſſet via accommodata ad ſalutem, vel fornicationem vitandam, quam copula, tunc nullum eſſe veniale probabile eſt cum prima opinione. Quæ tamen explicatio pia potius in honorem tot Sanctorum dicenda; maximè cum *Scotus noſt. in 4. diſt. 31. & 32.* doceat matrimoniũ ſecũdariò inſtitutũ in remediũ cõcupiſcentię poſt lapſum laudabile putat etiã exercere actũ matrimonii præciſè cauſa vitandæ fornicationis, quatenus eſt actus iuſtitiæ, per quam debet reddi debitum alteri coniugi indigenti corpore alterius in tali neceſſitate, ergo etiam

videtur

videtur licita copula propter ſanitatem ſeruandam, cum finis ad bonum coniugis ſanitas directa videatur.

Vtrum coniuges ſe ſe oſculantes, vel libidinoſè ſe ſe in partibus pudendis tangentes propter ſolam voluptatem abſque ordine ad copulam, ſi abſit periculum pollutionis, peccent mortaliter, quid ſi ad ſit ſaltem periculum diſtillationis?

DIFFIC. XVII.

DIco primò, quod *Caiet.* relatus à noſtro *Rodriq. in ſum. nouiſſ. T. 1. cap. 119. Zanard. in direct. confeſſ. p. 1. de Sacram. matr. c. 41. Filiucc. T. 2. tract. 30. c. 10. Salas in p. 2. T. 2. q. 24. Syluius 2. 2. q. 154. a. 4. concluſ. 61. & Granado in p. 2. controu. 6. tract. 4. diſp. 7. & Diana de Sacr. tract. 4. reſol. 225.* putant coniuges ſe ſe oſculantes, & tangentes libidinoſe etiam in partibus pudendis propter ſolam delectationẽ, & non in ordine ad generationem, modo abſit periculum pollutionis, non peccare mortaliter, quia licet iſta actu ab ipſis non ordinentur ad copulam coniugalem, attamen virtualiter ad illam verè ordinantur, cum ex talibus oſculis, & tactibus in partibus pudendis facilè commoueatur appetitus ad licitam copulam; & quidem de oſculis, & tactibus honeſtis, & pudicis ſ. factis in partibus honeſtis mihi ſuadetur ijs vtentes coniuges non peccare mortaliter, quod autem non peccent mortaliter tangendo ſe extra copulam, & extra occaſionem actualem proximè copulæ coniugalis licitæ mihi dubium faceſſit plurimum. Quare

Contrarium ſanè tutius ſentiunt noſter *Rodriq. loc. cit. Paludan. in 4. diſt. 31. a. 2. Syu. V. Debitum cuius q. 7.* nam tales tactus circa pudẽda extra copulam, & non in ordine ad copulam ſunt ex ſe turpes, & à Sacramentali honeſtate, & reuerentia admodum abhorrentes, maximè cũ tales tactus periculum pollutionis apertum ſecum offerant paſſim, quando fiunt ex impetu libidinis ad ſolam voluptatem capeſſendam, vnde impudici, & inhoneſti ſunt probabilius, & tutius. Hinc

Dico ſecundò omnino primam opinionem tanquam parum pudicam arguenda puto, & nullo modo pudicis, & honeſtis conſulendum, nam in materia iſta habenas potius expedit frenare, quam laxare, Vnde multum miror Doctorem alios diſertum, & honeſtum exclamare, (*quod ſi eſſet peccatum coniugibus tangere ſe in partibus pudendis propter ſolum delectationem abſque intentione, & ordine ad copulam licitam; væ væ coniugatis*) quia per triginta annos, in quibus confeſſionis officium exercui tales impudicitias, & inhoneſtates non inueni, itaque non ſunt frequentes iſti actus apud Chriſtianos, qui benè ſentiunt de actu honeſti vſus ſancti matrimonij, forte Chriſtiani ſolum nomine in honeſta, & impudica cum proprijs Vxoribus, ac ſi eſſent meretrices, extra ordinem ad copulam ad ſolam voluptatem captandam putant ſibi licere.

Audiant quæſo pij, & honeſti fideles *Magiſtrum ſent. diſt. 31. in 4. cum D. Hyeronimo* hiſce verbis verè aureis exclamantem (*ſapiens iudicio amat coniugem non affectu, non regnat in eo impetus voluptatis, nec præceps fertur ad copulam, nihil eſt fœdius, quam Vxorem amare quaſi adulteram, (& infra paulò poſt habet hæc verba, quæ accurate, & diligenter quæſo nota piè lector contra Theologos quoſdam recentiores exclamantes væ væ ſi præfata eſſent inter coniugatos peccata) (Nec amatores ſe præbeant Vxoribus, ſed maritos, In matrimonio opera liberorum conceſſa ſunt, Voluptates autem, quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in Vxore ſunt damnatæ*) quæ verba ſane arguunt illos Theologos qui cum ſpeculatiua ratione, & forte hominum aſſentatione potius ducti contra honeſtatem huius Sacramenti quaſi meretrices Vxores permittendo nimirum, in materia tam fragili laxant habenas, & recogitet Chriſtianus coniux, quod inter Gentiles etiam abbominabile fuit exiſtimatum Vxoribus impudicè vti, ac ſi eſſent meretrices, & adulteræ, vnde inter ſententias Sexti Pithagorici habetur illud aureum dictum, *Ardentior amator propriæ Vxoris Adulter eſt. Quare.*

Dico tertiò, quod cautè legendos puto, & nullo modo audiendos eos Theologos, qui tactus etiam pudicos, & oſcula permittunt abſque ſcrupulo peccati mortalis, ſi præuideant ſecuturam diſtillationem, eſt enim diſtillatio principium pollutionis, qui autem amat periculum peribit in illo, iſtæ autem licentiæ exitioſè admodum conceduntur Vxoratis, quia ex iſtis licentijs ad maiora prolabuntur mala. Oſcula ergo, & tactus in partibus pudicis, & amplexus inter coniugatos ſanè licent, etiam ſi aliqua ſequatur ſpirituum commotio, ſeu calefactio, at non quando præuidetur ex ipſis ſecutura pollutio, aut diſtillatio, quæ ſit via ad pollutionem, ſunt enim abſque periculo pollutionis, & vehementis diſtillationis oſcula, tactuſque in partibus honeſtis media ad conciliandam, ſeruandum, & augendum honeſtum amorem coniugalem. Quare

Dico etiam omninò improbabile putandum, aliquando inter coniugatos non eſſe mortalia peccata pollutiones, quæ poſſent ex talibus tactibus præuideri, & tolli, tamen licet præuiſæ non tolluntur occaſiones; hinc ſi pollutio accidat reddenti, vel patienti oſcula præter intentionem ſuam, tamen ſi præuidebat, quod ex oſculorum paſſione, vel redditione paſſurus eſſet pollutionem, omnino debebat abſtinere, nec valet quod ait *Zanardus in direct. Confeſſ. p. 1. de Sacram. matrim. cap. 22. quæſt.* 27. quod abſque ſcrupulo peccati in tali caſu non debet abſtinere, quia dat operam rei licitæ, & præter intentionem ſequitur pollutio, nam ſi præuiſa eſt pollutio ſecutura, falſum eſt, quod det operam rei licitæ, quod ſi non præuideatur pollutio ſecutura, quia dat operam rei licitæ patiendo, vel reddendo oſcula in partibus honeſtis, ſi ſequatur pollutio non erit mortalis, vt patet, ita etiam dicendum de potente excitare ſe per oſcula ad copulam, & ante ipſam polluitur, nam ſi præuidit, & præuidere potuit ex talibus oſculis pollutionem ſecuturam ante copulam, debet omnino abſtinere, aliter peccat mortaliter, quicquid contra videatur dicere *Zanardus loc. cit.* quia dat operam rei illicitæ, dum per oſcula, & tactus etiam in partibus honeſtis præuidetur ſecutura pollutio, ſecus ſi non præuideatur, nec præuideri potuit ſequenda pollutio, quia tunc eſt omnino accidentaria ſecute præter intentionem, dum dat operam rei licitæ, eodem modo dicendum ſi oſcula, & tactus in partibus honeſtis fierent ad amorem conciliandum, vel ſeruandum inter ſe ſe, ſi præuideatur, vel præuideri potuit pollutio, debent omnino abſtinere, nec excuſantur à peccato mortali, quia dant operam rei illicitæ, nemo enim accidenti proximo periculo peccandi ſe debet obijcere, aliter peribit in illo, quod ſi non præuideatur, nec præuideri potuit ex complexione præcipuè calidiori, & feruentiori, & conſequenter pro penſioni ad pollutionem, abſq; peccati mortalis periculo licebunt oſcula, & tactus in partibus pudicis ad conciliandum, & ſeruandum amorem, etiam ſi præter intentionem ſequatur accidentaliter pollutio, & ita fortè ſenſiſſe *Sanchez T. 3. l. 9. diſp. 43. num. 5. Filiucc. T. 1. tract. 10. p. 1. cap. 9. n. 356. & Zanard. loc. cit.* poteſt explicari, quod ſi abſolutè licitum etiam præuiſa pollutione velint coniugibus oſcula, & tactus in præfatis caſibus nimium latam aperient viam ad coniugatorum dãnationem, & eorum rationes nullius ſunt ponderis, & potius ad hominum aſſentationem, quem ad veritatem adductæ, ſed accipe in hac materia quid nouiſſime dicat *Stephanus Bauny in Theol. mor. p. 1. tr. 12. q. 5.* vbi de opinione laxante habenas ad oſcula, & tactus inter Vxoratos cum periculo pollutionis ſic loquitur (hæc opinio ſi quid habet ponderis, id totum in Doctorum authoritatem, qui illam inuexerunt, & probauerunt referendum exiſtimo; ſane quia benigna eſt, & in coniuges indulgens, ſi quis eam ſibi ſequẽdam credat, non magnopere repugnabo.) hęc Baunyus, ex cuius verbis attẽdat prudens, & pius Chriſtianus, ꝙ non ex aliqua fundata ratione, ſed potius ad hominum aſſentationem, & DD. authoritatem ſeruandam opiniones laxę permittuntur à quibuſdam Recentioribus ſibi inuicem obſequentibus cum manifeſto animarum periculo maxime in materia peccati carnalis, & intereſſe, in quorum vtroq; ſi parum laxentur habænæ, ſine fręno poſtea ad maiora prolabuntur homines irreparabiliter.

Vtrum Coniux teneatur ſtatim reddere debitum petenti, & an raro negans, ſi ſemel aut bis non reddat? quid ſi neget debitum beneuole, & amicè petenti idest non ex iuſtitia peccet mortaliter?

DIFFIC. XVIII.

DIco primò, Coniuges teneri ſub mortali ſibi inuicẽ, quando alter ab altero petit, debitum reddere certiſſimum eſt, niſi iuſta cauſa excuſet iuxta illud *D. Pauli* 1. *Corint.* 7. *Vir Vxori debitum reddat*, quia in matrimonij contractu vnus alteri tradidit poteſtatem ſui corporis, itaq; ex iuſtitia datæ fidei vnus alteri tenetur debitũ reddere; at vero nõ obligatur ita ſtrictè, vt teneatur immediatè ſtatim reddere, maximè mulier verecunda, vel copulæ inimica, poteſt .n. aliquantulũ repugnare,

& expectare ad verecundiam, vel naturalem retinentiam ſuperandam, modo non adſit periculum incontinentiæ, vel grauis alterius peccati in marito propter negatum debitum, nam tunc ſtatim debet reddere, ne cooperari videatur eius peccato, debet enim, dũ promiſit vſum ſui corporis per matrimonium ſemper parata eſſe ad talem verecundiam, & renitentiam ſuperandam. Ita *Bonac. de matr. qu. 4. p. 1. Perez de redd. debit. fol. 261. Rebell. l. 2. qu. 16. n. 3.* & alij.

At verò maritus coniugi ſuæ etiam virtualiter petenti debitum, quod poteſt accidere, quando cognoſcit ex aliqua titillatione, vel tactibus non ordinarijs, & conſimilibus habere voluntatem petendi, ſed non petere propter verecundiam, aut etiam quando probabiliter colligit naturam hoc appetere ex inuſitato carnis feruore, vel ex nimia lætitia, vel etiam ex nimio mærore propter verecundiam petendi, ſtatim tenetur reddere haſce, & ſimiles virtualitates cognoſcens, ne detur ei occaſio ſe ſe polluendi, vel aliud peccatum committendi. Imo ſi vxor habeat virum puſillanimem, & nimia puſillanimitate preſſus non audeat petere debitum ab vxore, ſi cognoſcat aliquo modo voluntatem petendi, tenetur, & ipſa reddere, licèt expreſsè non petat propter eamdem rationem, paſſim tamen non tenetur marito reddere debitum, ſi maritus non petat, quia paſſim homines hac puſillanimitate, & fæminili pudore ad petendam copulam carent. Ita *Valentia T. 4. diſp. 10. qu. 6. p. 2. Sanch. l. 9. diſp. 12. n. 9. Pet. Ledeſma de matr. q. 64. art. 3. Filiuc. tract. 10. c. 9. n. 303. Sa V. Debitum, nu. 8. & Bonac. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod probabile eſt rarò negantem debitum, ſi ſemel, aut bis deneget, modò abſit periculum incontinentiæ, aut mortis ob negatum debitum non peccare mortaliter, quia ob paruitatem materiæ non videtur grauis iniuria irrogari, tanto magis videnit excuſari, quando alter eſt nimius in petendo debitum, & frequentius, quam par ſit debitum petit, nam in omnibus ſeruandus eſt modus, & mẽſura, & in contractu matrimonij ſe ſolum obligauit tradere corpus ſuum moderatè, non autem immoderatè, maximè cum talis copula ſit vſus ſacramenti matrimonij debet eſſe moderata, & non vltra modum, & menſuram exercita. Ita *Bonacina*, & alij locis citatis.

Dico tertiò, quod ſi alter coniux petat amicè, & beneuolè, & non ex iuſtitia, nõ tenetur reddere ſub mortali alter coniux, poteſt autem cognoſci, quod beneuolè, & amicè petat, & non ex iuſtitia, quando vel remiſsè petit, aut non reddenti immediatè facilè acquieſcit, & quod ſi inſtanter petat, & petitionem repetat, ſignum eſt, quod ex iuſtitia petat ſibi reddi debitum, tunc ſi non adeſt cauſa legitima ſufficiens, tenetur ſub mortali reddere. Ita noſter *Rodriq. p. 1. c. 243. Sotus in 4. diſt. 23. q. vn. Syl. V. debitum, nu. 8. Sanch. Perez, Bonac. Rebell. Filiuc. loc. cit. & Henriq. l. 11. c. 15. nu. 7.*

Vtrum alter coniux peccet mortaliter ſi actibus licitis puta ieiunijs, & vitæ aſperitatibus, ſiue actibus illicitis puta frequentibus adulterijs, & conſimilibus ſe reddat impotentem ad reddendum debitum, & an teneantur frangere ieiunium ſi propter hoc reddatur impotens ad reddendum debitum.

DIFFIC. XIX.

Dico primò, quod coniux peccat mortaliter, ſi reddat ſe impotẽtem ad debitum reddendum per immoderata ieiunia, & vigilias, vel per nimiam vitę aſperitatem, vel per nimios, & inſolidos labores ſuas vires extenuando, vel fœmina talibus ieiunijs, vigilijs, & vitæ aſperitati incumbens, ſi fiat deformis, vnde viro fiat exoſa, vt ab eo petere debitum abhorreſcat, nam licèt iſti actus in ſe ſint boni, & meritorij, ſed non coniugatis, quando ſunt contra finem Sacramenti Matrimonij, quod contraxerunt, quia fœmina ratione talis contractus non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir, ergo non poteſt affligere corpus ſuũ nec vir, nec mulier ieiunijs, vigilijs, & vitæ aſperitatibus in præiudicium alterius coniugis, maximè cum dum ſe reddit impotentem ad reddendum debitum per huiuſcemodi actus, facilè alter incontinentiæ periculum ſubire poteſt, vnde peccandi alteri præbens occaſionem particeps eſt eius peccati, non ergo poteſt ieiunijs, vigilijs, & alijs vitæ aſperitatibus ſe impotentem reddere ad debitum, vel deformem facere, vnde abhominabilis alteri fiat abſque graui peccato contra iuſtitiam; ſtudeant ergo iſtius generis coniuges ex quadam impia pietate, & mortifera deuotione moti à talibus actibus impedientibus vſum matrimonij abſtinere memores non eſſe facienda bona ſupererogationis, ex quibus mala, & peccata immediatè oriantur in ſe, & in alijs. Ita communiter Doctores, *Bonacin. Filiuc. & Sanch. loc. cit. & Coninch. de ſacr. matr. diſp. 33.* Quare

Dico ſecundò, quod probabile eſt coniugem teneri frangere ieiunium, quando ex ieiunio eueniret euidenter, quod non poſſet reddere debitum matrimoniale, quia obligatio reddendi debitum ex iure diuino, & naturali oritur in quantum ordinatur ad prolem generandam, ergo præualet obligationi hic, & nunc ieiunium ſeruandi, quia hæc obligatio oritur ex iure poſitiuo, quod cedit iuri diuino, & naturali. Ita cõmuniter Doctores.

Imo addunt *Reginal l. 31. n. 285. Sanch. l. 9. diſp. 3. n. 11. Filiuc. tr. 10. c. 9. n. 306. Bonac. de matr. q. 4. 1. & Coninch. loc. cit.* quod vxor, ſi præcipiatur à marito, ne ieiunet ad finem, ne deformis euadat, teneatur frangere ieiunium, & ſequi præceptũ mariti, ſed de hoc fuſius Deo dante V. Ieiunium; vbi videbitur, quomodo hoc dictum ſit probabile.

Dico tertiò, conſequenter tanto magis peccare coniugem, ſi ſe actibus illicitis, & peccaminoſis puta pollutionibus frequentioribus adulterijs, vel ſodomijs frequentius operam dando impotẽtem reddat ad matrimoniale debitum reddendum, ſi enim tenetur abſtinere à licitis, & pijs operibus ne ſe reddat impotẽtem, tanto magis ab illicitis, & peccaminoſis actibus.

Vtrum coniux propter periculum incurrendæ infirmitatis excuſetur à reddendo debitum; quid, ſi tempore incongruo ſcilicet immediate poſt prandium, vel cœnam, aut immediate poſtquam ſanguinem emiſit etiam in ſanitate de Medicorum conſilio, & an cum periculo infirmitatis teneatur ad alterius incontinentiæ periculum tollendum.

DIFFIC. XX.

Dico primò, quod coniux excuſatur à reddendo alteri debitum ex copula grauem infirmitatẽ, & leuem etiam, quæ poſſit fieri grauis, minante nam vt notat noſter *Subtil. Doct. in 4. diſt. 32. q. 1.* non obligatur coniux cũ detrimento propriæ ſalutis reddere debitũ, quia tenetur magis ſuã incolumitatem diligere, quam hoc debitum reddere, in contractu n. matrimonij tradidit virtualiter poteſtatem ſui corporis, quandocumq; ſcilicet non ſit in detrimentum propriæ ſalutis corporalis, & ſpiritualis. Ita etiam noſt. *Rodr. c. 142. n. 2. Coninch. diſp. 33. & Reginal. l. 31. n. 303. Ledeſma de matr. q. 43. Sanch. li. 9. diſ. 24. n. 2. Bonac. de matr. q. 4. p. 1.* & alij.

Dico ſecundo, quod in periculo leuis infirmitatis, vel leuis incommodi tenetur reddere debitum, puta ſi doleat dentem, vel parum per caput ſine febri, quia debitor ex iuſtitia cum leui ſui incommodo tenetur ſatisfacere ſuo creditori, vbi cum graui incommodo excuſaretur, è contra autem non tenetur reddere ſi febri etiam leui laboret, vel immediatè poſtquam ſanguinem emiſit etiam pro ſanitate ſeruanda ex conſilio medicorum, nec immediatè poſtquam è balneo exiuit, quia in hiſce caſibus copula poſſet inferre graue damnum, imo nec immediatè poſt cœnam, aut prandium tenetur reddere, quia vt fatẽtur Phyſici graue detrimentum ſaluti poſſet euenire exercentibus tali tempore copulam, vt teſtatur *Sanch. loc. cit.* Ita etiã *Bonac. loc. cit. Perez de reddit. debit. fol. 261. Emm. Sà V. debitum nu. 13. Valentia T. 4. diſp. 10. qu. 6. p. 2. & Henriq. l. 11. cap. 15. num. 7.* & alij.

Dico tertiò, quod licèt noſt. *Rodriq. loc cit. n. 2. & P. Ledeſ.* velint ex charitatis præcepto ſaltem teneri coniugem alteri petenti cum graui periculo ſuæ incolumitatis reddere debitum, quando coniux petens eſt in periculo incontinentiæ incurrendæ, quia præceptum Charitatis, vtpote ordinis ſupernaturalis obligat cũ periculo etiã vitæ corporalis ad ſubueniendum proximo, cui debet præcipuè ex iuſtitia, reddere, quod debet quãdo periclitatur eius ſpiritualis ſalus, iuxta illud diuinũ proloquiũ, maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis; Attamen probabilius alij *Bonacin. Reginald. Sanch. loc. cit. & Coninch. de ſacram. diſp. 33. num. 19* volunt non teneri cum periculo graui ſuæ ſalutis reddere debitũ ſub præcepto charitatis alteri petẽti, quãdo eſſet prolapſurus in incontinentiã, quia tűc tenetur cũ vitæ periculo ſubuenire proximo ſpiritualiter periclitanti, quando eſt in extre-

ma

Digitized by Google

ma neceſſitate irreparabilis dãnationis, Coniux autem prolapſurus in incontinentiam non eſt in extrema neceſſitate ſalutis ſpiritualis amittendæ, cum non ſit in extremo vitæ periculo, & ſuæ incontinentiæ poteſt faciliter mederi, & tenetur mederi alijs modis ſpiritualibus, ieiunijs, orationibus, Sacramentorum perceptione, dum adeſt impedimentum legitimum reddendi ſibi debitum in altero coniuge. Itaque non videtur probabilis opinio *noſtri Rodriq.* cum potius deberet ſuaderi alter coniux, vt propter breuẽ ſenſualem volupaatem alteri coniugi ex impertinenti petione debiti nolit dare occaſionem grauis damni, ordinatè enim non diligit ſuum coniugem, qui cum periculo grauis damni ei inferendi petit ad ſuam Venerem explendam ab eo debitam coniugalem, cui licitis alijs modis poteſt mederi.

Vtrum coniux ſanus teneatur reddere debitum alteri leproſo, vel morbo gallico infecto, & an Menſtruata coniugi petenti. DIFFIC. XXI.

Dico primò, quod licet noſter *Rodriq. p. p. cap. 243. n. 2. Sanch. l. 9. diſp. 24. n. 18. & 21., Henriq. l. 11. c. 5. n. 7., Perez de Reddit. deb. fol. 263., Coninch. diſp. 34. num. 221., Reginald. l. 31. n. 303. & 284., Filiucc. tr. 10. c. 9. n. 340. & Bonac. de matr. q. 4. p. 1.* velint coniugem ſanum non teneri reddere debitum leproſo, quoties iudicio medicorum ſubit periculum grauis infectionis ex axiomate illo communi ſuperius poſito, quod non tenetur coniux cum graui detrimento propriæ ſalutis reddere debitum petenti; limitant tamen niſi forte alter cognouerit ante contractum matrimonium eum, cum quo debebat contrahere, eſſe leproſum, & tamen voluit contrahere, quia tunc aiunt teneri reddere.

Attamen noſter *ſubtiliſſimus Doctor* ex duobus textibus Canonicis contrarium tenendum omnino docet, nam vt ipſe refert *in 4. diſt. 32. q. 1. ita in c. 1. extra de coniugio leproſorum* habetur (*mandamus, vt Vxores Viros, & Viri Vxores, quæ lepræ morbum incurrunt, ſequatur, & eis coniugali affectione miniſtrent, & ad hoc eos ſollicitis exhortationibus inducere non poſtponas, ſi vero ad hoc induci non poterunt, iniungas eis, vt vterque continentiam ſeruet, quod ſi mandatum tuum ſeruare contemnant, vinculo excommunicationis aſtringas*) & *cap. ſequenti* ita habetur (*ſi Virum, vel Vxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus a ſano carnale debitum exigat, generali Apoſtoli præcepto, quod exigitur, eſt ſoluendum, cuius præcepti in hoc caſu nulla exceptio inuenitur*) quid clarius pro reſponſione ad dictam difficultatem Papæ canonica determinatione, dum enim Papa ait nullam exceptionem inueniri, quæ poſſit excuſare ſanum à redditione debiti, vana ſunt cetera ſubter fugia, an ne poteſt præſupponi Papam hoc determinantem neſcium fuiſſe periculi infectionis, vel prolis leproſæ generandæ, abſit in Papa determinante difficultates ad ſalutem animarum neſcium dici eorum, quæ deberent ſciri.

Dices, quod ſolum Papa intelligit quando lepra non iudicatur eſſe contagioſa, at vero vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, maximè quando legiſlator optimè noſcit poſſe diſtingui, & tamen non diſtinguit, ergo generaliter ſine diſtinctione vult legem ſeruandam, & in hoc caſu expreſsè dicit Pontifex nulla exceptione poſſe excuſari ſanum à reddendo debitum leproſo.

Quod ſi vrgeas, quod Papa intelligat nullam exceptionem, quæ proueniat ex iure politico, vel poſitiuo excuſare in tali caſu, non autem de exceptione, quæ prouenit ex lege naturæ, quæ vnicuiq; præcipit, vt ſuã incolumitatẽ ſeruet, & defendat.

Reſpondeo cum *Scoto loc. cit.* immediatè ante reſpenſionem ad argumenta, quod in contractu Matrimonij ad talem pœnam ſubeundam ſe obligauit vterq; Coniux, vnde refert *Scotus*, quod alicubi Sacerdotes expreſsè ad Eccleſiæ oſtiũ denunciant hanc pœnam volentibus contrahere, vt ſciant cum hoc onere matrimonium contrahendum. Hoc autem onus cum ſit in vtriuſque commodum, & poteſt Eccleſia imponere contractui Matrimonij, & ipſi contrahentes ſecundum intentionem Eccleſiæ virtualiter ſaltem contrahunt cum hoc onere ſibimet reddendi debitum, ſi alter eorum in lepram caſu incidat, & hoc rationabile admodũ eſt, vt perpetuo morbo laborãtes, vt ſunt leproſi habeant ex iure naturę aliquod ſolatium.

Placet tamen exceptio illa, ſeu diſtinctio de duplici lepra, quarum altera horrenda, & extraordinaria dicitur, & ab Auicenna vocari ſolet Elephantialis, quæ totum ita horrendè, & miſerabiliter corpus inficit, vt pus fætidum vndequaque ſcateat, & nõ ſolũ pelle tenus corpus excruciat, ſed vlceroſis vallibus ſicut cutis Elephantis à quo Elephantialis lepra dicitur, exaratur ita vt eius tabes etiam oſſa pertingat, hæc lepra omnino contagioſa, & paſſim breui interuallo ad mortem ducit leproſum, quia in expugnabilis eſt morbus, vt potes ex atra bile, non quidem ordinaria, ſed retorcida oriatur. huius generis lepra conſperſi leguntur in Scriptura ſacta Iob ad patientiæ meritum, & Anthiocus ad vindictam, & punitionem; alia dicitur lepra ordinaria quæ circa cutem puſtulas tabificis rubicundis ad atrum vergentibus totum ferè corpus commaculat, ſed non ita fetidè, nec ita cõtagioſè vt prima, & licet ſit onerofus morbus, tamen ex ſui natura non ducit ad mortem, & multa eſſe antidota docent phyſici, ne cohabitatores cum tali leproſo, inficiantur, affirmant; probabiliter eſt ergo in præfatis ſacris Canonibus Pontificem locutum eſſe de ſecundo genere lepræ, quæ ordinario vocabulo dicitur lepra, quia in odioſi ſtricta eſt facienda interpretatio verborum in fauorẽ animarum, non autẽ de prima; cohabitate enim cum leproſo ſecundi generis non eſt immediatè contra incolumitatem, cum per antidota poſſit facilè vitari contagium eius, quod ſi contrahatur infectio eſt nimis per accidens, & ſibi imputandum, quod ſe non præmunierit Antidotis, patienter tamen quocumque modo acciderit infectio, quia vt ait *Scotus*, ex contractu matrimonij in gratiam vtriuſq; contrahentis hoc onus eſt impoſitum eis, vt ſanus coniux reddat debitum fœminæ leproſæ, & econtra leproſo viro mulier leproſa.

Dices ſaltem eſt inconueniẽs redditio debiti leproſo coniugi, quia ex hac copula ferè paſſim naſcitur proles leproſa, ad præcauendum ergo prolis infirmitatem debet negari debitum; nam contra bonum prolis non eſt licita copula coniugalis.

Reſpondit *Scotus* quod dato, quod proles ſit naſcitura leproſa, non tamen dicitur hæc copula contra bonũ prolis, ratio eſt, quia melius eſt prolem naſci leproſam, quam omnino non naſci, iuxta illud melius eſt eſſe, quam non eſſe, ſi enim iſti coniuges, quorum alter eſt leproſus nunquam coniungeretur matrimonialiter, nunquam proles procrearetur, melius ergo eſt huic proli, vt ex tali patre, & matre leproſa naſcatur, quam nunquam naſcatur. Quare

Dico ſecundò, quod morbo gallico laboranti altero coniugi probabile eſt non teneri alterum reddere, quando iudicio medicorum ſubit periculum infectionis, & ante matrimonium initum verè neſciebat ſuum coniugem eſſe infectum tali morbo, quia vnuſquiſq; tenetur ſuæ incolumitati conſulere, & coniux cum graui ſuæ ſalutis detrimento non tenetur debitum reddere. Ita *Rodriq. noſter, Perez, Henriq. Sanch., Reginald. Coninch. Bonac. & Filiucc. locis ſup. cit.*

Attamen probabilius diſtinguendum puto, nam morbus gallicus, quo laborat alter eſt talis, vt ſæpè ſæpius intollerabilẽ ingerat dolorem neruos, & medullas vſque pertingens cum fætidis vlceribus coniunctus, & in hoc caſu ſicut dictum eſt de lepra horrenda, non tenetur ſanus reddere debitum morbo tali gallico laboranti, nam cũ hoc genus morbi ſit omnino cõtagioſum, & ſit intollerabile, non tenetur cum tanto ſuæ ſalutis præiudicio debitum reddere, quod ſi morbus gallicus tolerabili ſolum aliquo dolore vexet, tenetur reddere, quia infirmitates tolerabiles, quæ non ducunt ex ſui ratione ad mortem, tenetur ſubire alter coniux, vt reddat debitum, cum hoc onus ſit annexum contractui Matrimonij in gratiam vtriuſq; vt dictũ eſt de lepra, quam diſtinctionem veram puto, etiamſi coniux neſciret alterum laborare tali morbo, nam in contrahendo debent ſe ſe accommodare coniuges oneri, quod Eccleſia imponit matrimonij contractui, vt dictum eſt de lepra ſecundum Sacros Canones.

Dico tertiò, quod menſtruata in argumẽto profluuij ſanguinis non debet vllo modo reddere, quia maritus illicitè tunc petit, cum peccet mortaliter ad eam accedens, attamen quando iam declinare inceperit, quia probabile eſt tunc non peccare Maritum accedentem, tenetur reddere.

Dices ſaltẽ in augumẽto profluuij ſanguinis ad vitãdũ periculũ incõtinẽtię alterius tenetur reddere debitũ inſtãter petẽti.

Reſpondeo, quod incontinentiæ alter coniux tali tẽpore poteſt alijs remedijs cõſulere, ieiunijs, orationibus, Sacramentorũ perceptione, vel abſentia propter tale tempus, alter autem coniux etiam in tali periculo non tenetur reddere debi-

Digitized by Google

rum,quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona,malum eſt tali tempore, reddere debitum, non ergo faciendum, vt continentiam ſeruet maritus, cuius oppoſito poteſt,vt dictum eſt à lijs vijs occurrere abſq; actus illiciti perpetratione.

Vtrum coniugi ebrio, vel furioſo tempore ebrietatis, & furoris teneatur alter reddere debitum,& an lactans ſuam ſobolem viro petenti copulam obligetur concedere, quid ſi vxor non poſſet viuos parere filios, quos concepit?

DIFFIC. XXII.

DIco primò, quod coniux alteri ebrioſo,vel furioſo tempore ebrietatis, & furoris non tenetur reddere, etiamſi petat, quia ex doctrina noſtri ſubtilis Doctoris reddere debitum eſt præceptum affirmatiuũ,quod obligat ſemper,ſed non ad ſẽper,ſc.obligat ſolum,quando actus poteſt eſſe debitè circũſtantionatus, tempore autem ebrietatis, vel furoris actus petendi copulam non eſt debitè circumſtantionatus, quia tunc non petit humano modo, nam vt notat *Scotus in 4.diſt.42.quæſt.1.* Furioſus in actu furiæ petit, vt brutum, & eſſet periculum in perſona reddente;verum eſt tamen, quod ſi ſciret coniux ſanus alterum tali tempore petentem debitum expleturum libidinem abſque damno ſui notabili poſſet reddere debitum. Ita etiam *Sanch.l.9 diſp.23.P.Ledeſma quæſt.58.ar.3.Conin. diſp.34.dub.9.Reginald.l.31.n.347. Henriq.l.11. cap.15. Bonac.de matrim. quæſt.4.par.1.* qui etiam addit cum *Ledeſma*, quod ſi vxor ſit amens, & ſi concipiat, timeatur abortus, non tenetur maritus reddere debitum, etiamſi nullum timeret damnum ſibi ab vxore amenti, debet enim præcauere periculum abortus.

Ceterum ſi vir ſit amens,vxor tenetur reddere eo tempore, quo cognoſcit nullum ſibi periculum imminere,ſi ei copulatur. Ita Doctores citati.

Dico ſecundò, quod licèt vir non peccet petendo debitum ab vxore ſuam ſobolem lactante, quia regulariter experientia docet non euenire periculum graue infanti ex tali copula, licèt aliquando per accidens hoc eueniat, tamen quia non intenditur à Patre, non eſt eius cauſa per ſe, & conſequenter nõ peccat, ſi aliquando damnum eueniat proli, licitè ergo pater petit, maximè quia foret grauiſſimum onus, ſi toto tempore, quo filius lactaretur, non poſſet pater copulam petere, attamen quando coiuges ſunt pauperes,ita vt alijs non poſſint tradere lactandam prolem, ſi vxor aduertat, quod lac valdè pernicioſum futurum ſit infanti, vel vbera omnino exſiccanda ex copula ſequenda, poteſt excuſari à reddendo debito, quia vt notat *Sotus in 4. diſt.32. qu.1.* non debet mulier reddere debitum cum periculo de prolis extinctione. Ita etiam *P. Ledeſm. q.64.ar.1.du.4.Sanch.& Bonac.loc.cit.*

Dico tertiò, quod fœmina, quæ experte eſt non poſſe filios, quos concepit viuos parere,non tenetur debitum reddere viro petenti,quia femina magnũ periculũ vitę ſubit,quãdo viuos filios parere non poteſt,mortuus.n.fœtus in ventre probabilis eſt cauſa inferendæ mortis ipſi matri iuxta phyſicorũ theoremata. Ita ex Scoti doctrina vbi ſupra, & DD. quos ſupra citauimus.

Vtrum autem ipſa vxor in tali periculo conſtituta ad vitandam in ſe incontinentiam grauiter titillantem valeat debitũ petere abſolutè affirmant noſter *Rodriq. p.1.c.235.* vbi citat *Victoriam,& Sanch.l.7.de matr.diſp.102.n.9.Pet.Ledeſ.de matrim.q.58.ar.1.Reginal.l.31.n.287.& 288.& Bonac.de matr. quæſt. 4. part.1.*

Attamen limitandam puto hanc opinionem, & ſolum verã eſſe, quando vbi alia media ad incontinentiam propulſandam ieiunia ſc. Orationes, vigilias, & alias corporis afflictiones, & Sacramentorum ſuſceptionem præcipuè eſt experta, nec poteſt vllo modo incontinentiam vitare, tunc poſſe petere debitum cum periculo vitę corporalis,vt ſuæ ſaluti ſpirituali valeat, conſulere probabile eſt,& pium affirmare,quia potius mortem ſubire debemus,quam Deum offendere. Secus ſi poſſet incontinentiam faciliter per dicta media ſuperare,nam non licèt immediatè ad minus malum faciendum recurrere ad vitandum maius malum, ſi poteſt vitari etiam minus malum per alia media bona, & licita.

Vtrum coniuges communi conſenſu paciſcentes de non petendo, & reddendo debito, ne filij procreentur ob carentiam alimentorum, teneantur tamen in caſu incontinentiæ vitandæ ſibi inuicem reddere.

DIFFIC. XXIII.

DIco primò, quod poſſe coniuges inter ſe ſe paciſci de communi conſenſu de non reddendo debitum, nec petendo, ne amplius filios procreent, quibus alendis non ſufficiũt facultates, certum eſt apud Doctores, ſicut certum eſt vnum ſine altero nõ poſſe hoc exequi,quia nõ poteſt alter præiudicare iuri alterius ſine legitima cauſa, at verò non procreare filios non eſt legitima cauſa ex ſe,nam non procreare filios eſt contra inſtitutionem matrimonij principalem, quod ſi coniuges habent vnde viuant,& alant filios vita ipſorum durante, & ſolum dubitent de eorum pauperie, & mendicitate poſt vitã ipſorum, vt ſunt illi, qui vita durante habent aliquam penſionẽ, vel redditum, vnde poſſint commodè, & ſufficienter viuere,& filios alere,poſt mortem autem ipſorum,cum ceſſet cenſus,vel penſio, ceſſat etiam filijs modus, vnde viuant, non tamen propter hoc huiuſmodi pactum conuenienter faciunt, quia non debent incommoda filiorum vitare poſt eorum mortem contra finem principalem matrimonij, tum quia melius eſt filios naſci pauperes,quam nullo modo procreari,pauperum enim præcipuam curam gerit Deus noſter Pater omnium pius, & miſericors. Ita etiam *Bonac.loc.cit.de matr.q.4.p.1.*

Dico ſecundò, quod ſtante pacto ex communi conſenſu de non reddendo, & petendo debitum ne procreentur filij, quos alere ob paupertatem non poſſunt, ſi adueniat incontinentiæ periculum in alterutro, debet alter reddere petenti ſub peccati pœna, quia non potuit fieri pactum contra alterius bonum ſpirituale, propter finem merè temporalem, ſicut eſt non procreare liberas ex carentia alimentorum. Ita noſter *Villal. in ſum.T.1 tract.13. diff.41.& Nauar.c.16. nu.33.* Quare licèt excuſari poſſint à mortali non reddendo propter paupertatem, quando non habent facultates ſufficientes ad liberos alendos, quia ex hac inſufficientia pro alendis liberis ſolent non ſolum, poſtquam multiplicati fuerint, multa incommoda temporalia parentibus oriri,verum etiam ad multa peccata perpetranda puta blaſphemias, imprecationes, & furta ſæpè ſæpius impelli, attamẽ in periculo incontinentię,non poteſt eis permitti debiti negatio, ſed omnino debent reddere ſub mortali relicta cura Deo oĩum largitori bonor ũde licitè alẽda prole. Ita etiã noſter *Ang.V.debitum,Rodriq.p.1.c.243.n.1.Ledeſ.de matr.qu.64. ar.1.Sanch.l.9.diſp.24.Sà V.debitum coniugale*, quic quid in contrarium videatur reclamare *Coninch.diſp.34.*

Adde, quod, etiam ſi pactum ob dictam cauſam factam de communi conſenſu de non reddendo,& petendo debitum propter carentiam alimenti præbendi filijs procreandis iuramento firmaſſent coniuges, adhuc ſtante periculo incontinentiæ in vno obligatur alteri petenti reddere, abſque ſcrupulo periurij, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, nam intelligitur ſemper factum de re temporali facienda, vel non facienda, modo non ſit in offenſionem Dei, vt fuſius dicetur ſuo loco.

Vtrum affinitas, vel cognatio ſpiritualis cum altero coniuge ſuperueniens poſt conſumatum matrimonium æquè impediat petitionem debiti ſi ſcienter, ac, ſi ignoranter, coactè vel ex neceſſitate fuerit contracta.

DIFFIC. XXIV.

DIco primò, quod coniux culpabiliter, & ſcienter contrahens affinitatem ex copula cum conſanguineo alterius, vel cognationem ſpiritualem ſine neceſſitate baptizando, vel ſuſcipiendo communem filium de baptiſmo certum eſt, quod priuatur iure petendi debitum, vt notat noſter *Subtilis in 4. diſt.41.qu.1. & diſt.42. diſt.1.* & habetur expreſsè *c.1.de eo qui cognouit,& c.veniens extra de cognat. ſpirit.*, non tamen priuatur iure reddendi debitum innocenti ſi petat,vt colligi poteſt *ex c.ſi vir de cognat.ſpir.* & ratio eſt, quia malitia, & fraus vnius non potuit inferre præiudicium iuri alterius coniugis. Ita communiter Doctores, vide noſter *Rodriq. par. 1. c.243. num.10.Sanch.l.9.diſp.26.& Bonac.in.qu.4 p.3.de matr.*

Dico ſecundò,quod coniux factus affinis ex copula conſanguineo

guineo alterius, vel cognatus per baptizationem, vel ſuſcẽptionem communis filii de baptiſmo poſt conſumatum matrimonium, ſi laborabat ignorantia iuris inuincibili, ſcilicet, quia neſciebat inuincibiliter eſſe legem prohibentem talem copulam, vel ſuſceptionem cum pœna priuationis debiti coniugalis, vel ſi laborabat ignorantia facti etiam inuincibili, quia neſciebat ſe habere copulam cum conſanguineo ſui coniugis, quod non amittit ius petendi debitum probabiliſſimum eſt, nam iura, quæ priuent huiuſmodi affines, & cognatos iure petendi debitum, locuntur de ſcienter copulam habentibus, vel ſuſcipientibus, vt *p. ex c. 1. de eo qui cognouit conſang. & ex c. ſi vir de cog. ſpir.* ignorantia autem iuris, & facti ſicut excuſant à culpa, ita, & à pœna, vt ex probabili ſententia dictum eſt V. Cenſura, & dicetur V. Ignorantia ex doctrina etiam Scoti. Vide etiam *Nauar. c. 13. n. 47. Sanch. l. 9. diſp. 32. & Bonac. q. 4. p. 2.*

Dico tertiò, quod coniux committens inceſtum cum conſanguineo vſu in primo, vel ſecundo gradu ab ipſo coacta ita violenter, vt nullus fuerit ei modus ſubterfugiendi non priuatur iure petendi debitum, vt *p. ex c. diſcretionem de eo qui conſang.* quia non eſt æquum, vt ſubeat pœnam, quæ caret culpa.

An vero, quæ violenter non fuit coacta, ſed metu graui cadente in conſtantem virum incuſſo à conſanguineo viri commiſit cum eo inceſtum, priuetur debito petendi, negant nimis benignè *Nauar. c. 27. n. 63. Rebell.* quem citat, & ſequitur *Bonac.* putantes ex interpretata benigne mente S. Matris Eccleſiæ, quæ ſicut facientes aliquod ex metu graui cadente in conſtantem virum contra prohibitum ſub cenſura S. Mater Eccleſia excuſat à cenſuris, ita excuſet à priuatione petendi debitum fœminam tali metu incuſſo committentem inceſtum.

Attamen *Sanch. l. 9. diſp. 31. n. 4. & Regin. l. 35 n. 195.* non excuſant talem fœminam à petitione debiti in caſu ſolius metus incuſſi, & ſane quoad rationis efficaciam probabilius locuntur, quia ſicut metus grauis etiam cadens in conſtantem virum non excuſat committentem inceſtum à culpa mortali, ita nec à pœna, attamen ſi ad piam mentis S. Matris Eccleſiæ interpretationem habeatur ratio, probabiliter poteſt excuſari à tali pœna, ſicut à cenſuris excuſat in tali caſu.

Ceterum ſi ſermo ſit de peccante cum conſanguineo ex metu leui, certum eſt non excuſari, & verè incurrere priuationem reddendi debitum, & de hoc metu intelligendum *c. ſacris de iis, qua vi.* Ita *Graff. p. 1. deciſ. c. 8. n. 14. l. 13. Henriq. l. 12. c. 2. Filliuc. tract. 10. c. 9. q. 15.*

An vero Maritus conſentiens inceſtui Vxoris cum proprio conſanguineo amittat ius petendi debitum, affirmant probabiliter *Sanch. l. 9. diſp. 31. & Bonac. q. 4. p. 2. de matrim.* quia ſicut particeps eſt delicti maritus, ita debet eſſe pœnæ particeps.

Dico quartò, quod baptizans proprium, & communem filium in neceſſitate extrema, quando non erat alius, qui baptizaret in periculo, vel articulo mortis conſtitutum communem filium, non priuatur iure petendi debitum, quod probatur tum *ex c. ſi vir de Cognat. ſpir.* tum etiam, quia neceſſitas caret lege, & non eſt æquum pœnam aliquam incurrere, qui in tanta neceſſitate ſuæ obligationi ſatisfecit. Ita communiter *Rodriq. Sanch. Filiucc. Reginald. Henriqu. & & Bonac. loc. cit.*

An vero ſuſcipiens in neceſſitate communem filium priuetur iure petendi debitum, affirmant *Henriq. l. 11. cap. 15. art. 11. Ledeſma de matr. q. 56. a. 1. dub. 1. & Bonac. vbi ſupra*, quia nulla adeſt neceſſitas ſuſcipiendi, ſicut baptizandi communem puerum, attamen negant priuari iure debiti petendi *Suar. 3. p. de bapt. q. 67. art. 8. Coninch diſp. 34. dub. 8. Sanch. l. 9. diſp. 26.* & alij, & ſanè probabiliter, quia dum non eſt alius, qui ſuſcipiat in baptiſmo ſolemni, ne manca fiat illa cæremonia ab Eccleſia inſtituta, videtur adeſſe neceſſitas moralis ſuſcipiendi, ergo excuſatur à pœna priuationis reddendi debiti.

Vtrum autem ſententia *Suarez tertia p. loc. cit. Coninch. diſp. 34. dub. 8.* & aliorum apud *Sanch.* quod cognatio, quæ contrahitur ex baptizando, vel ſuſcipiendo communem filium, vel alterius coniugis non priuat nec iure petendi, nec reddendi debitum, quia expreſsè non habetur in aliquo iure, & in odioſis non ſit facienda extenſio ſit probabilis nec ne, affirmat *Bonac. loc. cit.* negant tamen probabilius noſter *Rodriq. c. 245. n. 243. Nauar. c. 8. Sanch. l. 9. diſp. 26. Gutttier. de matr. c. 100. num. 6. Henriquez, & P. Ledeſma loc. cit. Nam vt Scotus noſt. loc. cit.* docet ex *c. par veniens extra de cognat. ſpirit.* Ita habetur (*Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit mulierem prædicti viri filium de ſacro fonte leuaſſe, vos inter ipſos diuortium celebretis.*) ecce, quod expreſsè habetur apud canones priuari iure petendi, & reddendi debitum, dum diuortium inter ipſos mandatur celebrandum.

Vtrum coniux teneatur alteri petenti illicitè mortaliter, vel venialiter reddere debitum ſub mortali.

DIFFIC. XXV.

Dico primò, quod in hac materia duas diſtinctiones afferunt moderniores, prima eſt, quod coniugem poſſe illicitè petere debitum ſtat dupliciter, primò, propter aliquã circumſtantiam, ſeu defectum tenentem ſe ex parte perſonę, puta quia petens eſt obſtrictus voto caſtitatis, vel petit animo fornicario, vel ob alium prauum finem, ſecundo dicitur coniux petere illicitè propter circumſtantiam tenentem ſe ex parte actus, vt accidit, quando quis petit debitum in loco ſacro vel publico, vel cum periculo impediendi generationem fætus, aut cum periculo mortis fætus, aliam etiam ponunt diſtinctionem, quod aliud ſit petere illicitè, aliud iniuſtè, petit illicitè, qui animo fornicario, vel cum voto caſtitatis petit, iniuſtè autem qui amiſit ius petendi debitum, vt eſt, qui cognationem ſpiritualem contraxit ſcienter extra neceſſitatem cum altero coniuge; poſitis ergo hiſce diſtinctionibus.

Affirmant aliqui teneri coniugem reddere debitum alteri petenti illicitè ob ſolam circumſtantiam, ſeu defectum tenentem ſe ex parte perſonæ, quia licet hic, & nunc actus ex parte perſonæ ſit illicitus, eſt tamen ex ſua natura per ſe licitus coniugatis, vnde petens iuſte petit, quod illicite hic, & nunc petit, ergo alter coniux obligatur ex ea parte, qua iuſtè petit reddere debitum petenti, licet ratione ſuæ perſonæ illicitè petat, non ergo aiunt alterum coniugem reddentem cooperari peccato illicitè petentis, quia ipſe ſolum cooperatur petitioni ſe ex parte iuſtitiæ, ideſt cooperatur petenti iuſtè, quatenus iuſtè petit, non autem quatenus illicitè petit; Quod ſi non ſolum illicitè, verum etiam iniuſtè petat, non tenetur reddere, quia cooperaret manifeſte peccato illius, vnde ſi quis ſcienter, & volens factus affinis ob copulam cum conſanguineo coniugi ſuæ in ſecundo gradu incluſiuè, vel contraxit cognationem ſpiritualem extra neceſſitatem, vel eſt notoriè adulteratus, quia in iſtis caſibus amittitur ius petendi debitum, ſi petat iniuſtè petit, & conſequenter quia illicitè, & iniuſtè petit, non debet reddere debitum, ne cooperari dicatur peccato coniugis. Ita noſter *Rodriq. p. 1. c. 90. Sanch. l. 9. diſp. 6. num. 12. Henriq. l. 11. c. 15. n. 8. Couar. p. 2. Epit. c. 3. p. 1. Rebell. 2. p. l. 3. qu. 17. art. 3. num. 10. Coninch. diſp. 34. dub. 4. Filiucc. tract. 10. c. 9. quæſt. 5. num. 309. & Bonac. de matr. q. 4. p. 3.* & alii.

Ceterum falſum eſt omnino, quod coniux poſſit iuſtè petere, ſi omnino illicitè ratione circumſtantiæ illicitæ, ſeu defectus tenentis ſe ex parte perſonæ petat, ita ex *Scoti* ſubtiliſſima, & ſolidiſſima doctrina colligo, qui *in 4. diſt. 32. q. 1. ad quæſt. §. diu.* docet, quod petere, & reddere debitum eſt præceptum affirmatiuum explicans iuſtitiam commutatiuam; præceptum autem affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſed pro quando actus eſt debitè circumſtantionatus, hinc ait *Scotus*, quod hic in genere poteſt aliquis iuſtè non reddere debitum dupliciter, vno modo, quando coniux amiſit ius petendi, vel non habet ius (nota bene) pro nunc petendi debitum, alio modo quando vinculo fortiori obligatur ad non reddendum, puta quia copula eſſet contra propriam incolumitatem, aut fætus, itaque ſecundum ſolidam, & veram Scoti doctrinam, non ſolum coniux poteſt iuſtè non reddere, quando petens amiſit ius petendi, ſed etiam quando pro nunc non habet ius petendi, quia ſcilicet eſt impeditum ius petendi ab aliquo illicito, quia ſcilicet petens nunc peccat mortaliter, actus enim illicitus ratione perſonæ non eſt benè circumſtantionatus, ergo hic, & nunc non petit iuſtè, quia præceptum affirmatiuum explicans iuſtitiam commutatiuam debet eſſe debitè circumſtantionatus,

tus, vnde obligat ad ſemper, ſed non ad ſemper, ideſt non obligat, quando deeſt debita circumſtantia perſonæ, vel actus, perſona ergo quæ non eſt debitè circumſtantionata ad petendum non petit iuſtè, manente in ipſo indebita circumſtantia; hinc infirmus coniux, ſi periculum ſubeat vitæ ex copula, iniuſtè petit, ſi fornicariè, aut ob alium prauum finem iniuſtè petit, adulter notorius, quia amiſit ius petendi debitum iniuſtè petit, quia perſona eſt indebitè circumſtantionata ad petendum, ergo illicitè, & indebitè petens contra præceptum affirmatiuũ iuſtitiam commutatiuam explicans facit, quæ non obligat in præcepto affirmatiuo ad ſemper petendum, & ſemper reddendum, ſed ſolum quando debitè, circumſtantionatè poteſt petere, & reddere, virtutes enim ſe ſe inuicem iuuant ad bonum effectum.

Ratio autem etiam præcipua, ob quam in præſenti caſu inter coniugatos, quod, quando perſona, vel actus non habent debitam circumſtantiam, ſed illicita eſt petitio, & ratione defectus perſonę, vel actus, etiam petitio, & redditio debiti ſit iniuſta, traditur ſubtiliſſimè, & ſolidiſſimè à Scoto, vt ſolet ſemper loc cit. in reſponſione ad ſecundum principale, vbi ſic loquitur (*Ad ſecundam probationem concedo, quod iſtis ante contractum matrimonium non liceret talis actus copula, licèt tamen poſt contractum, non quod ſe ipſos licentiare poſſint, ſed faciunt quemdam actum, quo facto Deus licentiat eos ad quemdam actum ſequentem ſcilicet copulam, ad quem non licentiaret ſine illo pręmio, & iſta reſponſio videtur bene perſuadere, quod iſte vſus* (ponderа bene) *non eſt licitus ex ſola iuſtitia, ſed adueniente ſuperioris approbatione*) hæc Scotus, itaque ius petendi debitum non prouenit ſimpliciter ex vi contractus, & iuſtitiæ commutatiuæ, ſed ex approbatione Dei, nunquid ergo Deus approbauit iuſtè eum petere, qui illicitè, & cum peccato petit, nunquid Deus approbauit teneri alterum coniugem reddere debitum illicitè, & cum peccato petenti.

Quare omnino falſam puto opinionem violentiam iuſtè petere coniugem qui illicito, & cum peccato petit, cum ius petendi non proueniat ſimpliciter ex vi contractus matrimonij, ſed à Deo approbante, qui ſolum licita approbare poteſt. Scoti opinionem videntur ſequi *Nauar. c.16. & Specul. in Append. ad primam partem ar.15.* & alij.

Dico ſecundò, quod ex dictis patet coniugi petenti illicitè venialiter non teneri reddere debitum ſub mortali, niſi aliqua neceſſitas cogens cohoneſtet ius petendi, & reddendi, circumſtantiæ enim poſſunt illicitum facere licitum, vt probabitur in V. Peccatum, Deo dante; ſed ſimpliciter loquendo non tenetur, quia quando petens non petit licitè, actus petendi non eſt debitè circumſtantionatus, & conſequenter non adeſt obligatio reddendi.

Vtrum voto ſimplici caſtitatis adſtrictus poſſit iuſtè petere debitum, & alter licitè reddere teneatur ſub mortali, ſi conſenſerit voto alterius, & quod ſi vterque vouerit caſtitatem de communi conſenſu, an alteri petenti poſſit licitè debitum reddere.

DIFFIC. XXVI.

Diſtinguunt Moderniores præcipuè, nam vel votum ſimplex emiſſum fuit de caſtitate ſeruanda cum conditione non remittendæ alteri obligationis reddendi debitum, & in iſto caſu tenetur petenti reddere debitum, etiamſi, & ipſe conſenſerit votum emitti, vel vterque communi conſenſu eodem modo, & intentione vouerit caſtitatem, quod ſi non intenderunt ſibimet remittere obligationem reddendi debitum, ſed abſolutè vouerit vterque caſtitatem cum obligatione non reddendi debitum ſibi inuicem; non poteſt alteri debitum reddere, volunt enim votum caſtitatis ſimplex non tollere ex ſe obligationem reddendi debitum ex illo falſo preſuppoſito, quod illicitè petens ex circumſtantia defectus perſonæ iuſtè putat, atque adeo teneatur reddere alter coniux iuſtè petenti, nam vouens caſtitatem, aiunt, quod non amittat ius petendi debitum, cum adhuc ſit verus Dominus corporis alterius ſtante etiam voto caſtitatis, ergo tenetur reddere alter, etiamſi de conſenſu ſuo vouerit caſtitatem, etiamſi communi conſenſu vouerit caſtitatem, ſi non intenderunt remittere obligationem petendi debitum, quando emiſſum fuit votum. Ita noſter *Rodriq. 2. p. c. 90. Sanch. l. 9. diſp. 36. & 37. Henriq. l. 11. cap. 15. & Bonacin. de matrimon. quæſt. 4. part. 5.* & alij.

Tria ergo videntur dicere iſti Doctores, quod qui vouit caſtitatem voto ſimplici, coniux ſi petat debitum, illicitè quidem petit, tenetur tamen petenti reddere debitum alter coniux facta prius correctione, ne abutatur actu; etenim aiunt, ſicut, ſi Petrus teneret rem Antonij, quam Antonius repeteret, vt cũ ea luxurietur, debet Petrus reſtituere facta correctione, ne abutatur re ſibi reſtituta, quia ex iuſtitia tenetur reſtituere Antonio rem ſuam, quam Antonius ex iuſtitia repetit, ita etiam aiunt coniugi qui vouit caſtitatem voto ſimplici petenti debitum, debet alter reddere, quia licet illicitè ille petat ex defectu perſonæ, petit tamen iuſtè, nam per votum non amiſit ius petendi.

Attamen quod hoc dictum ſit falſum patet ex ſuperiori difficultate, in qua probauimus, illicitè petentem non petere iuſtè in caſu matrimonij, quia ius petendi debitum non procedit immediatè ex contractu matrimonij, ſed etiam à Deo approbante, qui ius petendi ei, qui illicitè petit non approbat, præterquã quod ex vi iuſtitiæ commutatiuæ probatum eſſe non teneri reddere obligatum ad reddendum petenti rem ſuam illicitè, quia præceptum reddendi iuſtitiæ commutatiuæ eſt affirmatiuum, & ſolum obligat ad reddendum data opportunitate, & cum debitis circumſtantijs ideſt ſolum quando licèt reddere, quando autem non licèt reddere, & actus reddendi non eſt debitè circumſtantionatus, non obligat iuſtitia commutatiua ad reddendum; quia petens illicitè rem ſuam, impeditur, ne iuſtè hic, & nunc petat, hinc tenens gladium Franciſci non tenetur Franciſco petenti ſibi reddi, vt iniuſtè aliquem immediatè occidat, quia hic, & nunc non petit iuſtè, dum petit illicitè, ita etiam nec teneor reddere hanc pecuniam Antonij, qua ſcio immediatè Antonium vſurum ad fornicandum, quia hic, & nunc non petit iuſtè, dum petit illicitè, quod, ſi aliquo tempore poſtea ſuſpicer gladio, vel pecunia malè vſuram teneor reddere facta correctione, quia hic, & nũc quando repetit, iuſtè, & licitè repetit, nã hic, & nũc nõ eſt ea malè vſurus, vnde ad eius malũ hic, & nunc nõ cooperor reddendo quod ſuũ eſt, itaq; voto ſimplici caſtitatis adſtrictus hic, & nunc petens reddi ſibi debitum iniuſtè, & illicitè petit, quia ex ſua libera voluntate amiſit ius petendi, renunciãdo tali iuri per votũ, vndè non petit iuſtè, nec licitè ſtante voto, quo renunciauit iuri petendi, alias fruſtratorium eſſet votum, & conſequenter non tenetur alter reddere, ſed reddendo ſimpliciter ad voluntatem illicitè, & iniuſtè petentis, peccat, quia cooperatur immediatè peccato petentis iniuſtè, & illicitè.

Adde, quod, vt ait Scotus Eccleſia legitimauit eum, qui votum ſimplex caſtitatis emiſit ad petendum debitum, quia votum caſtitatis ſimplex impedit ex Eccleſiæ conſtitutiones, nõ dirimit matrimonium, ergo non ſolum illicitæ indiſtinctè petit, nam hoc impedimentum eſt poſitum ab Eccleſia in contractu matrimonij, ergo facit contra iuſtitiam contractus matrimonij ſi petat, ergo facit contra iuſtitiam matrimonij alter coniux ſi reddat. Ita ex *Scoto diſt. 38. q. vn. in 4.*

Excuſarem tamen alterum coniugem ſi præciſa petitione alterius voto adſtricti, ipſe copulæ aſſentiretur vt petens ab eo potius, quam reddens, ſi, & ipſe voluntatem habebat petendi, quando alter petijt, quia per votum factum ab altero, alter non perdit ius petendi, & debet alter voto adſtrictus reddere; vel ſaltem poſt quam correctionem fecerit, ne abutator ſacramentali actu, poteſt paulò poſt ipſe petere ex ſua volũtate, vt ille licitè reddat.

Secundum eorum dictum eſt, quod, ſi coniux voueat caſtitatem altero conſentiente, ſi hic expreſsè renunciauerit iuri ſuo, non poteſt petere, nec reddere, quod ſi non renunciauerit iuri ſuo ex tali conſenſu poteſt petere, & reddere.

Sanè hoc dictum, quoad hoc, ſi noluerit per conſenſum præſtitum renunciari iuri ſuo de petendo, itavt voluerit ſibi retinere ius petendi, & conſequenter ius reddendi in alio nolens præiudicare ſibi, probabile eſt, at verò quod velit ipſum poſſe iuſtè, & licitè reddere debitum vouenti petenti eſt omnino improbabile, quia vouens caſtitatem iam voluntariè ſe ſe impedit ad iuſtè, & licitè petendum, nihil ergo operatur iſte conſenſus cum tali limitatione ad iuſtè, & licitè reddendum ei, qui vouit caſtitatem cum ſuo conſenſu.

Tertium dictum eſt, quod ſi vterque de communi conſenſu vouerit caſtitatem, ſi vterque expreſsè non remiſerit obligationem, poteſt vtique vterque ſibi inuicem petere, & reddere debitum,

Google

debitum, quod ſi obligationem remiſerit, non poteſt nec petere, nec reddere.

Ceterum diſtinctio hæc omnino futilis, & inutilis, nam ſi non remittat vterque obligationem reddendi ſibi inuicem mutuo conſenſu vouens vterque caſtitatem, poteſt vterque petere, & reddere, ad quid votum caſtitatis inter ipſos? quam abſtinentiam a copula propter promiſſionem factam Deo deuitanda eadem, operabitur votum de caſtitate ab vtroque emiſſum? itaque nullum eſſet votum, quod tamen ipſi votum putant, votum enim caſtitatis eſſentialiter ſeu ſecum in coniugato impedimentum petendi debitum in vouente, alias eſſet fruſtratorium, atque adeo renunciat ex vi voti iuri ſuo de petendo, vnde inique petit debitum, & reddens inique reddit, quod non poteſt licitè reddere. Ita etiam videntur ſentire *Nau. vbi ſup. Sylu. V. Matr. 6. q. 5. Leſſ. l. 2. c. 40. dubio 10. & Emman. Sa V. Votum n. 2.*

Vtrum Coniux dubitans de ipſius validitate poſſit licitè petere, & reddere debitum, quid ſi opinari incipiat de eius inualiditate?

DIFFIC. XXVII.

Diſtinguendum puto, nam vel dubium de validitate matrimonij leue ſolum eſt, validum ne ſit poſtquam iam contractum eſt, & in hoc dubio leui poteſt coniux petere, & reddere, quia non debet ſibi facere conſcientiam de eo, quod leuiter dubitat, cum ſcriptum ſit, qui cito credit, leuis eſt corde, leuis enim dubitatio ſolum facit ſcrupulum leuem, qui non eſt ſufficiens ad priuandum hominem iure ſuo, quod licita certitudine ſaltem culpata poſſidet, potior enim eſt conditio poſſidentis. Ita ex *Scoto noſtro in 4. diſt. 31. q. 1. Gutier. de matr. c. 49. Sanch. l. 2 diſp. 41. Henriquez l. 11. c. 15. Conînch. diſp. 34. dub. 10. & Bonac. q. 4 p. 4.*

Quod, ſi dubium ſit probabile ortum poſt matrimonium contractum bona fide, non poteſt petere debitum coniux taliter dubitans ante debitam diligentiam adhibitam, quia probabiliter exponeret ſe periculo fornicationis, tenetur tamen reddere debitum petenti, qui probabiliter non dubitat de inualiditate matrimonij, quia non dubitans hic, & nunc de validitate, qui bona fide contraxit matrimonium habet ius petendi, ergo dubitans tenetur reddere, aliter faceret iniuriam non dubitanti, & poſſidenti ius ſuum, maius enim malum videtur facere contra periculum iuſtitiæ, quam contra periculum fornicationis.

Ceterum ſi poſt factam debitam diligentiam de inualiditate, nec poſſit aliquam inuenire certitudinem, ita vt remaneat adhuc in priori dubio probabili, licet *Rebell. l. 2. qu. 16. ſect. 2. P. Ledeſm. de matr. q. 41. Gutier. loc. cit.* & alij velint poſſe in tali caſu ſolum reddere, non autem petere, dum adhuc dubium manet, attamen probabilius eſt, quod poſſit poſt factam diligentiam de veritate, ſi adhuc remaneat dubius petere, & reddere abſque ſcrupulo, quia dum bona fide contraxit, iam legitimè poſſidet ius ſuum, ergo licitè eo vtitur dubius poſt factam diligentiam, quia potior eſt conditio poſſidentis. Ita *noſter Rodr. c. 242. Valentia T. 4. diſp. 10. q. 6. p. 2. Sot lib. 4. de ſubſt. q. 5. a. vlt. Reginald. l. 31 n. 29). Sanch. l. 2. diſp. 4. & Bonac. de matr. q. 4. p. 4.* quod ſanè mihi ſuadetur etiam ex eo, quod dubius poſt diligens examen, nec inueniens certitudinē de inualiditate æquiparatur inuincibiliter neſcienti inualiditatem, cum per examen practicè factum de inualiditate vinci non potuit dubium, ergo practicè hic, & nunc ignorat inualiditatem, & licet ſpeculatiuè dubitet de eius inualiditate, tamen hic, & nunc practicè ignorat inualiditatem, cum per diligens examen, & diligentiam factam ignoret inuincibiliter inualiditatem, dubium ergo practicum ſuperatum fuit moraliter, dum moraliter fecit diligentiam, deponat ergo dubium practicè ex eo quia practicè non potuit ſcire inualiditatem, & ſi dubium ſpeculatiuum vincere non poteſt, nō eſt de hoc ſcrupulizandum, cum practicè potior ſit conditio poſſidentis ſuum ius petendi debitum, quod bona fide acquiſiuit in matrimonio bona fide contracto, & ſine ſcrupulo reddat, & petat debitum.

Coniux tamen non habens dubium de validitate matrimonij, quod bona fide contraxit, non tenetur reddere debitum alteri dubitanti probabiliter ante factum examen, & diligentiam de inualiditate, quia ſcit propter probabile dubium, quod habet, non habere ius petendi, & licet *Sanch. Gutier.* & alij velint poſſe reddere, ſi velit, dubitanti probabiliter de inualiditate, ſi petat, attamen iuxta doctrinam in difficultate ſuperiori poſitam dicendum non poſſe, nec debere, quia illicitè, & iniuſtè petit, dum de inualiditate probabiliter dubitat ante factum examen.

Porrò Coniux, qui mala fide contraxit dubius de aliquo impedimento dirimente, poteſt petere debitum, ſi dubium ſit ſolum leue, quia dubio leui non eſt credendum; quod ſi dubium ſit probabile, non poteſt petere, quia poſſeſſio mala fide incepta non tribuit ius aliquod, poteſt tamen reddere debitum non dubitanti qui bona fide contraxit, quod ſi vterque mala fide contraxit dubius vterque probabiliter de impedimento dirimente, neuter poteſt petere, neuter reddere quia ex mala fide neuter acquirit ius in alium, ergo nec poteſt petere, nec reddere. Ita *Nauar. c. 22. n. 54. Sot. diſt. 27. q. 1. art. 2. Sanch. diſp. 41. Gutier. c. 50. loc. cit.* quod intelligunt iſti Doctores etiam poſt factam diligentiam, ſi remaneat vterque, vel alter dubius, quia mala fides non poteſt tradere ius etiam poſt debitam diligentiam.

At vero *Henriq. l. 11. c. 15.* contrarium putat volens quod poſt diligens examen, ſi adhuc dubius vterque maneat, vel alter, poſſit reputari inuincibiliter ignorans inualiditatem, vel impedimentum dirimens, quare depoſito practicè dubio de inualiditate, poteſt alter non dubitanti, qui bona fide contraxit reddere, immo vterque ſi mala fide contraxit, & dubius remanet vterque poſt factum examen, poteſt ſibi inuicem reddere, non autem petere, exiſtimat enim *Henriqu.* quod poſt diligens examen vterque acquirat ius reddendi, non autem petendi, verum cum reddere, & petere ſint correlatiua, ſi neuter habet ius petendi à ſe inuicem, neuter habet ius ſibi inuicem reddendi.

Denique coniux qui bona fide contraxit matrimonium, & poſtea incipit non ſolum dubitare idest non ſolum intellectus pendet æqualiter ad vtramque partem idest, vt non inclinet magis in vnam, quam in aliam partem, ſed etiam incipit opinari de inualiditate matrimonij, ideſt incipit aſſentiri magis vni, quam alteri parti, vel ſaltem aſſentitur vni parti cum formidine alterius, non poteſt opinans de inualiditate petere debitum, quia poſſeſſio bonæ fidei ſuffragatur dubitanti, non autem opinanti, quod ſi opinio de inualiditate ſit probabilis pro vtraque parte, ſi ſequatur opinionem probabilem de validitate, etiamſi ſit probabilior de inualiditate, poteſt petere, & reddere, quia ſequens opinionem probabilem non errat, vt dicitur V. opinio. Ita *Gutier. Reginald. loc. cit. & Sanch. de matr. lib. 4. diſp. 44.* quicquid in contrarium *Conînch.* opponat.

Vtrum autem opinans probabiliter matrimonium eſſe inualidum teneatur reddere debitum alteri coniugi opinanti probabiliter eſſe validum, negare videtur *Sylu. V. matrim. 4. q. 9.* at vero probabilius *Gutier. c. 49. & Sanch. l. 2. diſput. 44. & Bonacina de matrim. quæſt. 4. par. 4.* affirmant, quia ita videtur colligi *ex c. Inquiſitioni 44. de ſent. excomm.*

Vtrum Coniux certo moraliter ſciens impedimentum dirimens valeat reddere debitum ignoranti illud, & bona fide contrahenti, ſi adſit periculum vitæ, vel ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis, vt reddat, & quid in tali caſu conſulendum.

DIFFIC. XXVIII.

Dico primò, quod licet aliqui videantur velle, quod coniux certus moraliter de impedimento dirimente, ſi per excommunicationem compellatur reddere, vel adſit periculum vitæ, vel infamiæ, teneatur debere debitum alteri ignoranti tale impedimentum, qui bona fide contraxit, quandocumq; debitū petat, attamen non videtur tutè practicādū, quare alij cenſent nullo modo etiam cum periculo vitæ, & infamiæ, vel ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis reddere poſſe debitum petenti, & ignoranti impedimentum dirimens cum coniugem, qui certo moraliter ſcit adeſſe impedimentum dirimens, quia cum nullum ſit de facto matrimonium, ſi ſciens hanc nullitatem redderet, fornicaretur, fornicatio autem nulla lege poteſt concedi, nulla ratione

cohone-

cohoneſtari, & excommunicatio lata in hoc caſu eſſet nulla, quia contineret intolerabilem errorem. Ita colligitur *ex c. inquiſitioni de ſent. excomm.* eſt enim fornicatio intrinſecè mala contra ius naturæ, quæ à nullo pallio neceſſitatis, & periculi poteſt fieri licita. Ita etiam noſt. *Rodriq. p. 2. c. 92. Nauar. c. 16. n. 39. Sanch. l. 2. diſp. 39 Guttier. de matrim. cap. 49. & Bonac. de matr. qu. 4. p. 4.*

Et licèt *Henriquez l. 12. c. 3. nu. 2. in Comment. lit. I,* exiſtimet hanc doctrinam non procedere, quando matrimonium eſſet nullum ob impedimentum iure humano introductum, attamen etiam ob hoc impedimentum, ſi ſit nullum matrimonium coniugem hoc certò moraliter ſcientem cohiberi à petitione, & redditione debiti colligitur *ex c. litt. de reſtitut. ſpoliat.* & ſuadetur à rationibus modo adductis. Ita *Bonac. Sanch. & Guttier. loc. cit.*

Dico ſecundò, quod coniux in præſato caſu ſciens certò moraliter impedimentum dirimens, ſi cogeretur per excommunicationem reddere, vel, ſi non redderet, ſequerentur pericula vitæ, vel grauia incommoda, & ſi tale impedimentum patefacere non poſſet abſque probabili periculo infamiæ, vel vitæ ſuæ, & aliorum diſcrimen, vel ſi patefaceret, non poſſet probare, vnde ab Eccleſia compelleretur in matrimonio permanere, quatuor remedia poſſunt adhiberi, vt notat noſter *Rodr. T. 2. qu. 92.* Primò quærat diſpenſationem, ſi caſus ſit diſpenſabilis, vel quærat religionem ingrediendi habere licentiam ab altero impedimentum ignorante; Secundò, quærere debet locum adeundi occaſionem, vbi ceſſet periculum copulæ; Tertiò, poteſt, & debet petere diuortium occaſionem ſumendo ab aliqua cauſa ſaltem colorata ſæuitiæ mariti. Quartò, vt cohabitet cum altero tanquam frater, vel ſoror; Ita etiam docent *Sanch. l. 9. diſp. 39. Henriq. l. 11. c. 11. & Bonac. loc. cit.* ceterum primũ, & tertium remedium mihi videntur opportuna, ſecundum autem non videtur, quia vxor debet ſequi virum, & difficulter maritus concederet ſuam vxorem à ſe abſentandam, pro viro autem bonum eſſet, quartum verò omnino improbabile, quia alter neſciens impedimentum ſemper cohabitabit cum animo coniugali.

Vtrum autem ſit recipiendum remedium illud, quando nõ valens per aliquod iſtorum ſubterfugere copulam maritalem, & ab Eccleſia iubeatur in matrimonio permanere, ex eo quia non ſibi conſtat impedimentum, poſſit tuta conſcientia remanere in matrimonio reddendo debitum petenti ſolum materialiter præbendo corpus, formaliter autem nullo modo conſentiendo, an poſſit probabiliter affirmari, ex eo quia in hoc caſu eſſet coacta, & violenta, quæ autem coacta violatur, ſi ſolum materialiter præbeat corpus, cum violentiæ non poſſit reſiſtere, & nullo modo formaliter conſentiat, non dicitur fornicationis peccatum committere, vxor ergo quæ omnem viam, & modum adhibuit, vt matrimonij vſum fugiat, quem ſibi illicitũ ex impedimento dirimenti noſcit, & tamen non poteſt vllo modo ſubterfugere, & ab Eccleſia compellitur ad cohabitandum, dicitur omnino coacta, & violentata ad copulam à viro ignorante impedimentum, vel nolente credere, quia non poteſt illud probare; mortem ſibimet conſciſcere non debet ad vitandam copulam cũ marito, ſi alio modo vitare copulam nequit, an ergo ſit probabile ſtante titulo colorato matrimonij poſſe materialiter ſolum ſuum corpus vtendum viro præſtare, nullo tamen modo præbendo aſſenſum, ita vt ſolum materialiter, non formaliter fornicaretur, videbitur Difficultate ſequenti.

Vel ſaltem an poſſet dici, quod ſi Eccleſia, dum non poteſt probari impedimentum dirimens à ſciente illud, altero inſtante, vt præcipiat cohabitationem, & redditionem copulæ, ſi de facto præcipiat, dicatur diſpenſare ex benigna ipſius mente interpretata, modo caſus ſit diſpenſabilis, atque adeo aucupato nouo conſenſu ab altero tuta conſcientia permanere poſſit in matrimonio contracto, videbitur fortè V. Matrimonij impedimenta. &c.

Vtrum coniux quæ cum impedimento dirimente contraxit, ſi intra tempus, in quo diſpenſationem petit, alteri coniugi talis impedimenti ignaro debitum petenti licitè reddere valeat.

DIFFIC. XXIX.

Abſolutè licere coniugi in tali caſu reddere debitum marito petenti, dum verè ipſe neſcitus eſt impedimenti dirimentis, quia licitè petere poteſt vir in tali caſu, licitè autem petenti non poteſt, nec debet denegari debitum. Ita *Magiſter Sententiarum, Hugo de S. Victore, Hoſtienſis, & Perez apud Sanch. de matrim. T. 1. l. 2. diſp. 39. & Molfeſ. T. 1. tractat. 4. cap. 14.* & ſanè nimis benignè, ne dicam omnino improbabiliter, nam iuſtè petenti debeo denegari, quod iuſtè, & licitè ego tradere non poſſum. Quare

Alij rigoroſè nimis procedentes abſolutè negarunt poſſe vxorem impedimenti dirimentis conſciam reddere debitum viro petenti, quantumuis ignaro talis impedimenti, etiam ſi ex debiti denegatione vxor vitæ periculum ſubiret, quia aliter in aliquo caſu licita eſſet fornicatio. Ita noſter *Villal. in ſum. T. 1. tract. 23. diffic. 50. Bonac. de matr. q. 4. punct. 4 Barboſ. in collect. T. 1. l. 5. tit. 39. capit.* 44. & alij, quos citat, & ſequitur *Sanch. loc. cit.*

Ceterum alij benignius ſpeculantes in tali caſu aiunt, quod licèt vxor quantum fieri poteſt debeat in tali caſu abſtinere à redditione debiti varias excuſationes, & probabiles de non poſſe, quando autem iſtæ non iuuent, ſi adſit periculum infamiæ, vel vitæ, poſſe aiunt tradere materialiter corpus marito vtendum, abſque eo quod ipſa ad formalitatem nullo modo animum inclinet, itavt coacta ſolum materialiter ſuum corpus præſtet ad fugiendum periculum infamiæ, & mortis, quod confirmari poteſt ex doctrina *Scoti in tertio ſent. diſt. 38. q. 1. § hoc poteſt exponi,* vbi habet, quod actus coeundi quoad ſubſtratum, ſiuè materialiter poſſibile eſt aliquãdo eſſe ſine deformitate formali, & peccato mortali. Ita noſter *Corduba in quaeſt. l. 1. qu. 11. ad fin. Nauar. c. 16. n. 13. Henriq. l. 12. c. 6. Sot. l. 5. de Iuſt. qu. 1. ar. 5.* putant enim ratione matrimonij colorati fornicationem materialem licitam ad fugiendum periculum infamiæ, vel vitæ, quod certè mihi etiam perſuadetur probabilitate non carere; Titulus enim coloratus in ſacramentis dat aliquã validitatem actui, ſicut patet in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Sacerdos habens titulum coloratum abſoluendi, validè abſoluit, licèt præciſo titulo colorato non abſolueret ob defectum iuriſdictionis, ità etiam ratione matrimonij colorati iam contracti, licèt ſit nullum, attamen videtur dare aliquam permiſſionem, vt fugiatur periculum vitæ, & infamiæ, vt materialiter ſolum præbeat debitum iuſtè petenti marito, qui ignorat impedimentum, modo ipſa mulier formaliter tali actui nullo modo conſentiat, quare formaliter non eſſet dicenda fornicatio, quia ipſa formaliter non concurrit, materialiter tamen poteſt permitti ratione alterius iuſtè petentis ratione matrimonij colorati, vnde negandum eſt, quod ſi hoc liceret cum coniuge colorato, liceret etiam cum alijs, ſi fœmina fuiſſet coacta cum periculo vitæ, nam cum aliorum coniuge, quia iniuſtè petit, & nullus adeſt titulus coloratus prius vitam debet profundere, quam fornicationem etiam materialiter permittere, quia daret occaſionem alteri verè fornicandi, at coniux ignarus impedimenti dirimentis non peccat petendo, nec peccat conſummando, ergo non dat alteri occaſionem peccandi, ergo diſpar ratio; quæ doctrina æqualiter etiam poteſt colligi à noſtro *Subtiliſſ. Doct. in 4. diſt. 35.* in caſu ſimili per hæc formalia verba. *(Reſpondeo non eſt matrimonium, quia mulier conſenſit in eum tanquam impotentem contrahere, ipſe autem ex parte ſui non eſt talis, qualem eum credidit, & tunc cum dicitur, quod non poſſunt ſimul ſtare concedo, quod ille non poteſt eam matrimonialiter tractare, quia ex parte eius fornicatio eſt, ſed illa poteſt ſibi matrimonialiter copulari, quia ignorantia inuincibilis excuſat eum.)* Hæc Scotus.

Quare ſi maritus eſſet etiam conſcius talis impedimenti, prius deberet mortem pati, quam materialiter etiam ſuum corpus præbere ipſi vtendum, quia in hoc caſu maritus iniuſtè peteret, & iniuſtè conſumaret, vnde peccaret mortaliter petendo, & conſumando, nec vxor vllo modo à peccato mortali excuſari valeret.

Illud

Illud tamen hic admonitos nolo Conſeſſarios,& Parochos, quod ſi impedimentum ſit ſecretum, nec adeſſet facilis ad Papam acceſſus pro diſpenſatione, petant in foro coſcientiæ diſpenſationem ab Epiſcopo ad ſcrupulos inter ipſos tollendos, poſſe enim Epiſcopum in tali caſu, quando non adeſt recurſus facilis ad Papam diſpenſare dicetur V. Epiſcopus, & fortè V. Diſpenſatio,& tradit etiam *Diana p.4.tr.4.reſol.48.*

Vtrum coniux impedimenti dirimentis conſcius poſt obtentam diſpenſationem debeat nouum conſenſum ab altero extorquere ad validandum Matrimonium.

DIFFIC. XXX.

Dico primò, quod licèt *Caietanus in ſum. V. Matrim. tit. Contract. Matrim. Sotus in 4. diſt. 28. qu.1. ar.2. Palud. ibid. concl.2. Ledeſma de Matrim. dub.17. Lopez in Inſtruct. p.2.c.39. P. Ledeſma de matr. qu.45. par.7. dub. vlt.* velint, quod coniux conſcius impedimenti poſt habitam diſpenſationem, non teneatur impedimentum, & diſpenſationem habitam aperire, nec nouum conſenſum formaliter extorquere, ſed ſufficiat ſi cautè ſuppleatur conſenſus, puta petendo ab alio, vt pro ſua conſolatione ipſum habeat denuò in coniugem.

Attamen alij putant omnino nouum conſenſum expreſsè expoſtulandum,& conſcium reddendum de impedimento, vt nouum conſenſum præſtet, quia nihil magis contrarium conſenſui, quam error, *ex l. ſi per errorem ff. de iuriſdict. omn. Iud.* ergo dum iſte errat putando ſuam vxorem, quæ non eſt vxor, nullo modo dicitur conſenſum præbuiſſe, ergo de nouo omnino poſt obtentam diſpenſationem præſtandus detegendo errorem,& impedimentum, nec ſufficit conſenſus interpretatiuus, quia forſan, ſi ſciret impedimentum, non conſentiret, maximè ſi proueniret impedimentum ex peccato habito cum Patre, germano, filio, vel nepote. Ita ex *Scoto in 4. diſt. 35.* putante primum conſenſum non fuiſſe matrimonialem, ergo requiritur nouus conſenſus, qui dicatur verè matrimonialis, ita etiam ſentiunt noſter *Villal. in ſum. T.1. tract.14. diff.32. n.6. Leſſius l.2. q.9. c.17. dub.11. Hurtad. de matr. diſp. 3. diffic.10. Rebell. p.1. l.2. qu.9. Comitol. in reſponſ. moral lib.1. q.110. Sanch. de matr. T.1. l.2. diſp.36. Baſil. Pont. de matr. l.4. c.21. Prepoſ. in 3. p. D. Th. q.4. de matr. dub.18. Pet. Ochog. de ſacr. tract.2. de matr. qu.10 n.36.*

Attamen dicendum puto, quod, ſi ex tali admonitione ſequeretur ſcandalum magnum, vitæ, vel honoris periculum, & turpitudo maxima, quia nemo tenetur ſe infamare, maximè quando impedimentum dirimens naſceretur ex peccato fornicationis habitæ cum patre, fratre, filio, vel nepote coniugis, quod peccatum ſi reſciretur, magnam infamiam pareret ſibi, & illis,& periculum vitæ facilè poſſet ſubiri, in hoc caſu ſufficeret, vt vxor ſciens hoc impedimentum dirimens poſt obtentam diſpenſationem preparare nitatur animum coniugis, vt denuò conſentiat aliqua, qua fęminæ ſolent, dexteritate, puta dum vir beneuolentiæ ſigna demonſtrat, anteponendo, quod, ipſa ità amat virum ſuum, vt ſi non eſſet contractum matrimonium de nouo contraheret, & ita expoſtulet, an & ipſe adhuc vellet contrahere ſecum matrimonium, ſi non fuiſſet contractum, vel aliquo alio modo extorqueat nouum conſenſum, nec Scotus recederet ab hac doctrina, cum ipſe nouum conſenſum requirat in caſu, in quo non adeſt periculum infamiæ, & vitæ vt adeſſet ex peccato contracto cū conſanguineo, nam ipſe in caſibus ſimilibus tenet de iure naturæ teneri quemlibet ſuam famam tueri, & nullo modo debere adulteram ſe vxorē propalare, ſi primogenitum ex adulterio conceperit, ne ſuccedat in hæreditate, itaq; poſſe practicari hanc opinionem etiam de mente Scoti puto in tali caſu.

Immo ſi ex tali circumlocutione, & verborum dexteritate non poſſet extorqueri nouus conſeſus propter dubium ne vir nimium callidus, vel alias ſuſpectus in ſuſpicionem aliquam cadat, vnde idem periculum timeatur, tunc ſufficere etiam conſenſum interpretatiuum, ipſius, ſcilicet viri petentis debitum, cum quo denuò ipſa conſentiat, docent etiam aliqui Doctores ſecundam opinionem tenentes ſicut ſunt *Villal. Sanch. & Ochagau.* & ſequitur *Diana 4 p.1. tract.4. miſcell. reſol.49.* quod etiam videtur docuiſſe *Henriq. l.11. c.3. in gloſ. litt.* Y. vbi hanc ſententiam ſecutos fuiſſe multos Theologos Salmaticenſes,& Compluteſes,& quia rationi videtur conſentanea, & iuri naturæ valdè accommodata tutè practicari poteſt in caſu infamiæ,& vitæ periculi huiuſmodi opinio,&c.

Vtrum vxor teneatur habitationem viri ſequi, & quid, ſi pactum adſit ante matrimonij celebrationem de non transferendo eam extra ſuam patriam, teneatur vir ſtare promiſſis, quid ſi maritus ſit vagabundus teneatur vxor conſequi.

DIFFIC. XXXI.

Dico primò, quod coniuges tenentur ſimul cohabitare, vt patet *ex c. litteras de Reſtitut. ſpoliat.* & ratio eſt, non ſolum quia matrimonium inſtitutum eſt ad procreandam prolem, quæ ſine cohabitatione inter ipſos, generari non valet ſed etiam quia inſtitutum eſt ad fornicationem fugiendam, & incontinentiam vitandam, quæ faciliter incurri poteſt, ex abſentia alterius, quare vxor regulariter loquendo debet ſequi virum ſuum quoad domicilium,& habitationem *ex c. vnaquæque 13. q.2.* limita tamen in aliquibus caſibus puta ſi ſequendo viri domicilium vxor pateretur probabiliter graue damnum animæ, vel corporis, aut vxor habet iuſtam cauſam faciendi diuortium, de quo vide infra V. Diuortium, excuſaretur à ſequendo viri domicilium, an verò excuſaretur ratione lepræ, aut morbi alterius contagioſi dic conſequenter ad ea quæ dicta ſunt in difficultate illa, in qua de reddendo debito leproſo ſermo habitus eſt, attamen ſemper hoc verum eſt, quod non debet abeſſe nimium à viro contagio laborante, vt nequeat illi alia obſequia neceſſaria miniſtrare citra periculum grauis infectionis, cum non eximatur ab onere præſtandi ægro coniugi ea obſequia, quæ ſine graui incommodo, & periculo præſtari queunt. Ita communiter Doctores.

Dico ſecundò, quod, ſi adſit pactum initum in ipſo matrimonij contractu de non transferendo vxorem ad alium locum extra patriam, omnino debet maritus illud ſeruare, non tenetur fidem,& promiſſionem ſeruare, vide *Sanch l.1. diſp.4. n.5.* vbi citat multos Doctores, & *Bonac. de matr. q.4. p.6.*

Quod ſi poſt pactum de non transferendo alio vxorem noua ſuperueniat cauſa iuſta, & legitima viro alio domicilium transferendi, puta quia punitur exilio, vel neceſſario in alia parte debet defendere ſua,& ſuos, vel colere ſua bona alioquin omnino perdenda, aut quia contraxit capitales inimicitias in eo loco, aut quia in eo loco, ita maritus vexatur aeris intemperie, vt neceſſe ſit ex medicorum conſilio ſibi alio neceſſario transferre domicilium ad ſalutem ſeruandam, aut alia conſimilia adſint, vnde neceſſitetur coniux ſe alio transferre ad habitandum, tenetur mulier non obſtante pacto ſequi virum, nā pactum de non transferendo alio vxorem intelligitur ſub conditione factum, niſi alia ſuperueniat cauſa legitima transferendi ſuum domicilium alio, ſecus pactum, vtpotè contra finem matrimonij nullum eſſet, ſi enim ratione iſtius pacti non teneretur ſequi virum coactum ex legitima cauſa in alia parte habitare, non poſſet ſequi procreatio prolis intenta in contractu matrimonij, & poſſet faciliter ſequi fornicatio, & incontinentia, cuius fugiendę cauſa etiam matrimonium eſt inſtitutum. Ita noſter *Rodriq. T.1. c.15. n.2. Sanch. l.1. c.40. Bonacin. q.4. p.6.* nec obſtat ſi dicatur, quod vxor non tenetur infortunia mariti ſequi, nam licèt non teneatur ſequi infortunia mariti per modum pœnæ, vt habetur *l. ſi cum dotem, §. ſin autem, ff. ſoluto matrim.* tenetur tamen ſequi viri infortunium tanquam onus adnexum contractui matrimonij. Ex quibus

Infertur, quod, ſi vxor habet iuſtam cauſam transferendi domicilium alio, debet maritus eum ſequi, quia coniuges ſunt pares quoad mutua obſequia ſibi inuicem præſtanda.

Verum eſt tamen, quod non quæcumque cauſa eſt ſufficiēs, vt maritus teneatur ſequi voluntatem vxoris in ſe alio transferendo, nam ſi ſolum foret iuſta ratione alicuius conuenientiæ, non teneretur vir eam ſequi, quia cum mulier debeat eſſe ſubdita viro ſuo, non poteſt eum cogere ad conuenientias quaſdam exequendas, requiritur ergo cauſa abſolutè neceſſaria in vxore alio transferendi domicilium puta euidens periculum vitæ, ſanitatis, honeſtatis ſeruandæ, vel bonorum paraphrenalium perdendorum, in quibus caſibus tenetur vxorem ſequi maritus.

Immò ſi adeſſet pactum transferendi domicilium ad nutum vxoris, teneretur etiam maritus ſequi vxorem ex vi promiſſionis factæ.

Dico

Dico tertiò, quod coniux, ſi fuerit ab vxore cognitus vagabundus ante matrimonium contractum, nec fuit pacto ligatus vt in aliquo loco determinaret ſuum domicilium ad habitandum, eſt omnino ſequendus ab vxore, quia dum pactum non adiecit de non ſequendo eius vagationem, virtualiter conſenſit, eum velle ſequi quocumque, nam onus ſequendi virum vagabundum non repugnat contractui matrimonij, quod ſi neſciebat ante contractum matrimonium maritum eſſe vagabundum, non tenetur ſequi, quia onus hoc inſupportabile eſt fœminis tum ratione laboris, quia leuioris ſunt complexionis, tum etiam ratione honeſtatis, quia fœminæ vagabundæ faciliter honeſtatis amittendæ ſubeunt periculum, non tenetur ergo cum tanto incommodo ſalutis, & periculo infamiæ ſequi vagabundum maritum vxor. Ita *Gutt. Bonac. & Sanch. loc. cit.*

Vtrum vero maritus poſſit tuta conſcientia abſtinere ab vxoris cohabitatione ob non ſolutam dotem; variant Doctores, probabilius tamen videtur non poſſe, quia cohabitationis obligatio non dependet à ſolutione, vel non ſolutione dotis, ſed à contractu matrimonij, ergo ſtante matrimonio verè contracto tenetur cohabitare, alias finis matrimonij fruſtraretur contra Eccleſiæ intentionem. Ita *Sanch. l. 9. diſp. 5. Reginal. l. 31. nu. 304. & Bonac. de matr. q. 4 p. 6.* & alij communius; poſſet tamen eam non ducere de domo Parentum, vel fratrum, donec ſoluatur dos, modo ſæpè ſæpius habeat occaſionem ibi cum ea cohabitandi, & thorum cum ea faciendi.

Vtrum in loco ſacro liceat aliquando coniugibus copula maritali vti, & an in die feſto, Quadrageſimæ, & Aduentus.

DIFFIC. XXXII.

Dico primò, quod regulariter non eſt licita copula coniugalis in loco ſacro, verum quando neceſſitas cogit coniugatos in Eccleſia commorari diuturno tempore, ſi adſit periculum incontinentiæ in altero coniuge, nec alibi adeſt opportunitas vtendi copula coniugali, licèt *Nauar. c. 16 n. 12.* videatur negare copulam licere etiam maritalem in Eccleſia, & loco ſacro, attamen communius Theologi licere aiunt, quia maius bonum eſt vitare incontinentiam in coniuge, & prolem procreare legitimè, quam reuerentia debita loco ſacro, modo talis copula occultè fiat, præterea quandocumque actus abſq; peccato fit in loco ſacro, non redolet irreuerentiam, quia vbi nulla eſt culpa, nulla eſt irreuerentia loco ſacro, & nullum eſt ſacrilegium vt videbitur V. Sacrilegium. Ita noſter *Rodriquez. c. 207. Azor p. 2. l. 9. c. 5. Filiuc. tract. 30. n. 121. Leſſius l. 4. c. 4. n. 86 Coninch. q. 83. ar. 3. dub. 1. Suar. 3. p. T. 3. diſp. 81. Henriq. l. 9. c. 27. n. 6. & Bonac. de matr. q. 2. punct. vlt.*

Dico ſecundò, quod die feſto, Quadrageſimæ, vel Aduentus tempore nullo iure prohibetur copulæ maritalis vſus, quia non eſt propriè opus ſeruile. Ita communiter *Nauar. c. 16. nu. 24. Sanch. l. 9. diſp. 12. nu. 5. P. Ledeſma q 66. ar. 1. Henriq. l. 11. c. 16. nu. 5. Reginal. l. 31. nu. 344. & Bonac. de matr. q. 4. punct. 6.* & alij communiter, decet tamen in diebus feſtis ſolemnioribus à copula abſtinere, vt feruentius illis diebus debitus Deo tribuatur cultus, non tamen ſub præcepto conſulenda talis abſtinentia talibus diebus, &c.

Conſcientia.

Quid, & quotuplex ſit conſcientia, & quomodo differat à ſynderesi, & ſcrupulo.

DIFFIC. I.

Conſcientia à voce conſcius, iuxta veterum denominum ſignificationum nat:ra Auctorum ſententiam deriuatur, & licèt *Nonius de verb. differentiis*, velit, quod ſicut ſcius ſecum ſcire, ita conſcius cum alio ſcire dicendum eſt, vnde conſcientia, quaſi ſimul cum alio ſcientia dicenda ſit, attamen contrarium habetur ex antiquis latinæ linguæ Protomagiſtris, nam apud Ciceronem eloquentiæ Patrem paſſim, conſcium, accipit pro ſui ipſius ſcientia, hinc Marco Rutilo ſcripſit (quũ, & mihi conſcius eſſẽ quanti te facerem) quare conſcientiam pro ſuorum rectè factorum intrinſeca ſui ipſius ſcientia vſurpare ſolet idem Cicero, dum ſæpè ſæpius hiſce verbis gloriari ſolebat (nulla re tam lætari ſoleo, quam officiorum meorum conſcientia) hinc etiam apud Iuriſtas ferè eodem modo ſumitur conſcientia, vt notat noſter *Vngarell. V. Conſcientia ſch. A, ex Baldo in c. cum cauſa de Teſti.* qui ait, quod idem eſt conſcientia, quod vir bonus intrinſecè.

Vnde vnum notabile elicit *Aretin. in §. ſed iſte Inſtit. de Act. col. 9. in fin.* vt refert noſter *Vngarell. loc. cit.* quod ſi quid committatur conſcientiæ alicuius, quod eius determinationi ſtari debet, & ab ea appellari non poteſt, *gl. in c. ſtatut. §. aſſeſſ. detent.* quia vir bonus, pro quo ſumitur conſcientia, non poteſt mentiri, & falſum dicere, vel iudicare,

Ceterum quod conſcientia pro omni intrinſeca ſuimet ſciẽtia quoq; accipiatur apud Iuriſtas docet etiam *Bald. extra de iudic. col. 6.* dum ait, quod conſcientia eſt mens ſui ipſius conſcia, & eſt flos intellectus, quare quid conſcientia dicatur apud Theologos facilè ex dictis diffinitionibus quid nominis cognoſci poterit.

Dico ergo primò, quod cõſcietia apud Theologos ſolet accipi quatruplicitet. Primò, pro ipſo cõſcito. i. pro ipſo obiecto ſcito, & ita ſumitur apud Damaſcen. dũ dixit, quod conſcientia eſt lex noſtri intellectus, intellige obiectiuè; Secundò, accipitur pro ipſo bono concupito extrinſecè, & ita accipitur conſcientia *1. ad Tim. c. 1.* charitas eſt finis præcepti de corde puro, & conſcientia bona. Tertiò, ſumitur pro habitu principiorum operabilium ſtimulante voluntatẽ ad bonum amplectendum, & malum fugiendũ, & ita ſolũ cauſaliter dicitur conſcientia in quantũ talis habitus eſt cauſa conſcientiæ, & magis propriè dicitur ſynderesis, vt ex *Scot. in 2. diſt. 39. q. 2.* Quartò, pro habitu proprio concl. practicæ, atq; ſecundum hunc ſenſum ſic à noſt. ſubtiliſſimo Doctore loc. cit. *§. ſecundum loc.* definitur conſcientia in rigore ſpeculatiuæ Theologiæ.

Conſcientia eſt habitus proprius concluſionis practicæ, ſecundũ cuius actum nata eſt conformari electio rectã in agilibus, & ita dicitur ſtimulare ad bonũ in quãtum liberum arbitriũ habet vnã cauſã partialẽ rectè diſpoſitã, & ſequeretur recta, & bona volitio, niſi eſſet defectus alterius cauſæ partialis ſ. voluntatis, ex qua ſpeculatiua definitione conſcientiæ colligo cum ceteris Theologis magis genericè, & practicè loquentibus quod conſcientia eſt iudicium, ſeu dictamen rationis, qua ratio dictat aliquid faciẽdum, vel fugiendum. Ita ex noſt. *Alenſ. in 3. p. tr. de leg. nat. D. Bona. in 2. ſent. diſt. 39. a. 1. q. 3.* colligi poteſt, vide *Bonac. ex modern. de pecc. diſp. 2. q. 4. p. 6.* & dicitur conſcientia quaſi cum ſcientia per modum principiorum, ex quibus iudicium elicit intellectus hoc eſſe fugiendum, illud amplectendum, ex qua doctrina elicienda eſt quotuplicitas conſcientiæ; Quare

Dico ſecundò, quod conſcientia alia dicitur recta, alia erronea, alia dubia, alia probabilis, alia ſcrupuloſa. Conſcientia recta eſt quæ dictat, & iudicat iuxta verã apprehẽſionẽ, & cognitionem primi alicuius principij veri, & recti. Erronea autem eſt, quę dictat, & iudicat aliquid aliter, quam ſit, vel ex mala apprehenſione veri principij tanquã mali, vel ſimplici apprehenſione mali principij tanquam boni, vt quando dictat bonũ, quod malum eſt, vel dictat malũ quod bonum eſt; conſcientia verò dubia eſt quando iudiciũ, & dictamen pẽdet, nec aſſentit, nec diſſentit concluſioni deductæ ex principio non apprehẽſo cũ certitudine boni, vel mali, vnde iudiciũ remanet anceps, & pẽdẽs; Probabilis autem conſcientia eſt illa, quæ aſſentit vni parti cum formidine tñ alterius oppoſitæ, quã timet etiã eſſe veram.

Porrò ſcrupuloſa conſciẽtia eſt quando adhæret vni parti cũ formidine de veritate partis oppoſitæ exorta ex leui motiuo, & imbecilli fundamento per quamdam puſillanimitatem, qua timet, vbi fortè paſſim non eſt timendum.

Iterũ conſciẽtia alia dicitur ſpeculatiuè certa, alia practicè dicitur autẽ conſcientia ſpeculatiuè certa, quãdo adhæret veritati primorũ principiorũ generaliter in ſe apprehẽſorũ, vt quãdo dictat omne homicidiũ eſſe fugiendum, quia adhæret huic primo principio generaliter apprehẽſo quod omne homicidiũ in ſe eſt malũ tanqua contra legẽ naturæ, quod tibi nõ vis, alteri ne feceris, cõſcientia autẽ certa practicè eſt illa, quæ certò aſſentitur alicui cõcluſioni particulari ſecundũ leges quaſdã particulares ſeu particularia principia operabilia certa hic, & nunc. Vndè conſcientia practicè vera poteſt eſſe aliquando contraria conſciẽtiæ ſpeculatiuè certæ, vt ſi conſciẽtia practica dictet certè, & verè hunc hominẽ aſſaſſinũ eſſe occidendũ ex hoc principio particulari practico hominẽ cõni bono damnoſum eſſe occidẽ-

dum,

dum, videtur eſſe contraria conſcientiæ ſpeculatiuè certæ, quod nullus homo ſit occidendus, itaque conſcientia practicè certa poteſt operari contra conſcientiam ſpeculatiuè certam circa idem, vt patet; eodem modo philoſophare de conſcientia dubia ſpeculatiuè, & practicè.

Dico tertiò, quod differentia magna eſt inter conſcientiã, & Syndereſim, etenim ſyndereſis iuxta doctrinam *Scoti loc. cit.* eſt habitus principiorum, qui ſemper eſt rectus, quia ex ratione terminorum virtute luminis naturalis ſtatim intellectus acquieſcit illis, & quantum eſt ex parte intellectus liberum arbitrium natum eſt concordari velle iſtis principiis, ſi voluntas vellet actu concurrere, in cuius libertate eſt velle, & nolle, cum talis ſyndereſis non poſſit voluntatem cogere ad volendum iuxta oſtenſum bonum; & ideo à noſtro *Alenſ. loc. cit.* ſyndereſis dicitur ſcintilla ſtimulans, non cogens voluntatem ad bonum faciendum oſtenſiuè tamen, vt ait Scotus remurmurat malo à voluntate amplexo contra oſtenſionem factam ei de tali malo fugiendo, quare ſyndereſis videtur eſſe potius cauſa efficiens conſcientiæ rectæ, quia conſcientia eſt dictamen ſequens tanquam concluſio ex habitu principij recti, ipſa autem ſyndereſis eſt ipſe habitus principij recti ex doctrina Scoti, iuxta autem doctrinam Alenſis eſt habitus poſitus in voluntate inclinans ad bonum amplectendum, & malum fugiendum, & dicitur ab eo ſcintilla ſtimulans voluntatem ad bonum, vtraque opinio probabilis eſt, & explicat remurmurationem illam, quam in nobis ipſis percipimus, quãdo potius agimus malũ, quã bonũ.

Dico quartò, quod differentia eſt inter conſcientiã, & ſcrupulum, nam conſcientia recta eſt dictamen, ſeu iudicium rectum à principio vero, & recto deductum, quod hoc ſit bonum amplectendum, & illud malum fugiendum, at vero ſcrupulus eſt quædam ſuſpicio leuis non à principio immediatè vero, ſed à leui aliquo motiuo, & infirmo fundamento procedens ex quadam puſillanimitate ſpiritus, ex humilitate nimia, vel etiam à ſuperbia in uiris non timoratæ cõſcientiæ, quandoq; etiam ex ſuggeſtione diabolicæ in viris timoratæ admodum conſcientiæ, vt iuſtos in vexationem, & anguſtiam ſpiritus, & ita in laqueos deſperationis iniiciat, vel ſaltem feruorem minuat charitatis, ſed de ſcrupulo, ſuo loco dicetur, ſufficit hic annuiſſe differentiam inter conſcientiam, & ſcrupulum.

Demum conſcientia erronea etiam dupliciter conſiderari poteſt, altera .n. dicitur vincibilis, altera inuincibilis, vincibilis eſt illa, quę ita imprudenter iudicat, vt poſſit facileter adhibita mediocri diligẽtia deponere falſum iudicium. Inuincibilis autem dicitur illa, quæ poſitis talibus circumſtantiis ita errat, vt videatur hic, & nunc prudenter iudicare, vt non teneatur ſuum falſum iudicium deponere, vt ſi Petrus interroget dubius de excommunicatione vtrum ſit annexa tali actui, & de hoc interroget virum peritum, & doctum in tali ſcientia verſatũ, & illi reſpondeat non eſſe excõmunicationẽ tali actui coniũctam, cum verè ſit ei annexa excõmunicatio, dicetur Petrus in tali caſu habere conſcientiam erroneam inuincibilem de tali excommunicatione, ex qua doctrina.

Collige, quod ſine peccato fit, quod conſcientia erronea inuincibilis dictat faciendum, quia prudenter putat rectum, quod falſo dictat faciendum, ſecus autem de conſcientia vincibili erronea, nam non eſt faciendum quod hęc dictat, quia non prudenter iudicat eſſe bonum, quod falſo dictat eſſe faciẽdum, ſed ad magis particulares deueniamus difficultates.

Vtrum habens conſcientiam erroneam inuincibilem de aliquo præcepto diuino, vel poſitiuo, & cum hac conſcientia operans circa alterutrum excuſetur a mortali.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod licet antiquiores aliqui voluerint non poſſe dari ignorantiam inuincibilem præceptorũ Decalogi præcipuè, quia fundata ſunt in lege naturę, quæ dictat ea exequenda cuicumque intellectui non impedito, ſcilicet rationis compoti, nã præcepta iuris naturalis ſunt nota ex ſe immediatè, vel mediatè, vnde colligunt non poſſe conſequẽter dari conſciẽtiam erroneam inuincibiliter de talibus præceptis, quare nec excuſari volunt operantem contra ea cum conſcientia erronea, quia ſemper eſt vincibilis talis conſciẽtia, & ignorantia de præceptis Decalogi, Vide *noſt. D. Bonau. in 4. diſt. 39. quæſt. 3.* & alios ibidem.

Attamen alij recentiores præcipuè, volunt poſſe dari conſcientiam inuincibilem de quocumque præcepto decalogi atque adeo excuſari à mortali operantem contra ea cum cõſcientia erronea inuincibili, quod probant, quia licet materialiter peccet contra dicta præcepta, attamen peccatũ mortale non incurrit, qui contra ea ſolum materialiter peccat cum conſcientia erronea inuincibili, quia peccatum mortale formaliter conſiſtit in deordinatione actus voluntarii contra dicta pręcepta, peccans autem cum conſcientia erronea, cum non feratur voluntaria deordinatione contra dicta pręcepta, non peccat formaliter, ergo nec mortaliter, cum peccatum non, ſit niſi voluntarium, qui autem neſcit inuincibiliter aliquod eſſe peccatum, vel inuincibiliter putat eſſe licitum tale peccatum, non habet voluntatem deordinatam circa tale pr ceptum, quia voluntas ſequitur intellectum, ſi ergo intellectus repreſentat inuincibiliter voluntati talem actum contra decalogi præcepta non eſſe peccatum ſed licitum, non peccat voluntas ei adhærendo. Ita *Reginald. l. 3. n. 70. Sanch. de matr. l. 1. c. 11. Clau. reg. l. 1. c. 4. n. 15. Layman. in Theol. mor. l. 1. tr. 1. c. 4. Vaſq. p. 2. diſp. 59. c. 1. Salas p. 2. q. 42. tr. 8. diſp. 1. ſect. 3. Bonac. de pecc. diſp. 2. q. 4. p. 6. Filiucc. tr. 21. c. 4. q. 2. & Becan. 2. p. tr. 1. c. 4. q. 7.* & alii. Vnde volunt operantem cum conſcientia erronea inuincibili contra præcepta Decalogi excuſari à peccato.

Ceterum diſtinguendum puto ex doctrina *Scoti in 3. diſt. 37. q. 1.* nam præcepta Decalogi primæ Tabulæ ſunt de lege naturæ immediatè, quia immediatè poteſt intellectus non impeditus ſcilicet rationis compos ea cognoſcere tanquam amplectenda, & ſeruanda, ſicut ſunt, quæ reſpiciunt Deum immediatè pro obiecto, nempe non habebis Deos alienos; & non aſſumes nomen Dei in vanum, idest non facias Deo tuo irreuerentiam, & iſta præcepta, ait *Scotus*, quod ſunt ſtrictiſſimè de lege naturæ, quia ſequitur neceſſariò, ſi eſt Deus, quod nihil aliud eſt colendum præter Deum, & quod neceſſariò amandus, & nulla ei facienda irreuerentia; Reliqua autem præcepta non ſunt ita ſtrictè, & immediatè de lege naturæ, ſed ex principijs naturalibus deducuntur, & ſunt potius concluſiones deductæ ex principiis naturalibus, vt non occidere, non mechari, non concupiſcere, hic, & nunc Sabbathum ſanctificare, & cetera.

Regulariter ergo loquendo dicerem probabiliter de præceptis primæ tabulæ tanquam notis immediatè non poſſe dari ignorantiam inuincibilem, nec conſcientiã erroneam inuincibiliter, ſaltem pro ſemper in adulto rationis compote, & non habente intellectum impeditum, quia tenetur aliquãdo diſcurrere circa ſuam ſalutem, & cum adiutorio Dei, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cognoſcere Deum hunc amandum, & nullum alium honorandum niſi Deum, et nullam ei irreuerentiam faciendum, ita vt ſtante adiutorio, & gratia Dei, qua cor hominis pulſat, & excitat ſufficienter ad neceſſaria ad ſalutem, et ſyndereſi naturali remurmurante intrinſecè contra ea, quæ fiunt contra dictamen rectæ rationis, non poteſt dici homo rationis compos eſſe inuincibiliter ignorans, nec habere conſcientiã erroneam inuincibiliter de præceptis primæ tabulæ pro ſemper, quia aliquando tam ex adiutorio Dei excitante, & eius intrinſeca illuminatione, de qua etiam dicitur, ſignatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, et dictamine legis naturæ neceſſe eſt, vt ſaltem dubitet, vel ad cognoſcendum incitetur, quod Deus datur, quod non ſit alius amandus præter Deum, et nulla ei irreuerentia facienda, vnde habet occaſionem cognoſcendi veritatem ſuo naturali diſcurſu cum tali diuino adiutorio illuminante, quod ſi hanc illuminationem Dei intrinſecam, et lumen naturale hæc dictans ſpernat, iam dicitur laborare ignorantia vincibili, & conſcientia erronea vincibili circa dicta præcepta, non autem amplius conſcientia erronea inuincibili, quia habet, vnde ea ſciat.

Quare licet poſſit excuſari a mortali antequam excitatus ſit à Deo, et ab eius lumine illuminatus, quia non adhuc in mentem venit, nec dubitauit de talibus pręceptis ſeruandis, attamen poſt hanc illuminationem cum poſſit homine naturali ſcire iſta, quæ Deus inſpirauit ſcienda, et cognoſcenda, non poteſt amplius excuſari a peccato, quia poſtea dicitur habere ignorantiam vincibilem, et conſcientiam erroneam vincibilem, etc.

Quod autem ante mortem Deus illuminet, & excitet ad hanc veritatem eum, qui ignorat in tempore magis opportuno certum eſt, cum Deus velit omnes ſaluos facere, & omnibus tribuat adiutoria ſufficientia ad ſalutem, & ſcriptum ſit, quod *illuminat omnem hominem venientem in hũc mũdũ.*

Ex qua doctrina refellitur argumentum illorum, qui obijciunt, quod ſi poteſt dari conſcientia erronea inuincibilis circa Deos plures colendos, poſſet ſaluari Idolatra, nam licet pro aliquo tempore non peccet, vſque quo non ſentiat intrinſecè lumen Dei excitans ad non adorandos plures Deos, nec Synderesim remurmurantem contra adorationem plurium Deorum, non peccet, tamen ante mortem certum eſt, quod Deus tale adiutorium præſtat, vt cum lumine naturæ diſcurrat ad veritatem cognoſcendam, & ad actum tam impium contra dictamen rationis naturalis non perpetrandum.

Immo probabiliter ſuppono de diuina miſericordia certum, quod in illo tunc, quando Adultus habet rationis præfatum vſum, & ſit paratus colere Deos alienos, & idolatrare, illuminet eius mentem excitando eius Syderesim ad remurmurandum contra actum tam execrandum, quod ex dicta ſcriptura colligo, quod ſcilicet Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ideſt quando factus eſt homo rationis compos, & poteſt peccare, vnde quantumcumque rudi intellectu ſit homo non eſt excuſandus, ſi præfata ignoret, vel habeat de illis conſcientiam erroneam.

Præciſo autem Dei audiutorio, vel lumine fortè poterit dari ignorantia, & conſcientia inuincibiliter ignorans, quia poteſt dari, quod in mentem non veniat, nec dubitet, donec Synderesis naturalis non remurmuret contra actus impios; at vero ſtante certitudine Diuini adiutorij, & luminis ſupernaturalis non poteſt dici homo inuincibiliter ignorans præfata præcepta, quæ naturali lumine ſi ratiocinantur, poſſunt vt vera amplecti, & ſequi.

In ceteris autem præceptis ſecundæ tabulæ poſſe dari ignorantiam inuincibilem, & conſcientiam erroneam inuincibiliter puto probabiliter cum ſecunda opinione, quia non ſunt ita nota immediatè, & requiritur diſcurſus, & concluſio deducta ex principijs naturæ, quæ non ita faciliter deducuntur ab intellectu rudi, maximè ſi nunquam in mentem venerunt an licita, an illicita, nec habere potuit a quibus diſceret facta mediocri diligentia, quare poſſet faciliter à mortali excuſari.

Vtrum vero poſſit de facto dari intellectus ita rudis, & groſſus, & hebes, vt etiam ſtante Dei illumination. ſufficienti, non poſſit cognoſcere præcepta primæ tabulæ ſeruanda, fortè poſſet concedi ex doctrina *Scoti*, qui loco cit. reſpondens ad ſecundum principale ita loquitur (Ad ſecundum dico, quod & ſi Deum eſſe poſſet concludi ratione naturali ex principijs per ſe notis, tamen illi populo rudi & non exercitato in intelligibi ibus, non erat hoc notum niſi ex lege; nec idem poſſet dici quis ſaluari, ſi conſcientia erronea inuincibilis poſſet dari circa d. præcepta ex eo, quia non peccaret, quia ad ſalutem requiritur fides infuſa, quam non habet tranſgrediens ex conſcientia erronea inuincibili præcepta primæ tabulæ, dũ Deum eſſe non cognoſceret, ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo; Vnde *Paulus ait ad Hebr. c.11.* oportet accedentem ad Deum credere, quia eſt, intellige, ait *Scotus*, ſi non habeat, nec habere poſſit notitiam de Deo; qui ergo lumine naturali cum illuminatione Dei intrinſeca non ſe diſponit ad credendũ quia eſt, ex eo, quod rudis eſt, & groſſus, licet pro aliquando excuſetur à mortali propter ignorantiam inuincibilem, vel cõſcientiam erroneam inuincibilem de præceptis primæ tabulæ, non tamen ſaluaretur, Dum ſine fide eſt; maximè hodie, quando ex ſufficienti promulgatione Euangelij facti ſunt inexcuſabiles infideles vt alibi dicitur; Vide infra V. fides & V. Ignorantia; ex dictis autem.

Collige primò, quod ſi de preceptis diuinis ſecundæ tabulę, quæ à principijs naturalis rationis & dictaminis dependent, & homo faciliter ex ipſis diſcurrendo poteſt hęc præcepta ſeruanda eſſe cognoſcere lumine naturæ, poſſet haberi conſcientia erronea inuincibilis excuſans à mortali, multo magis dicendũ hoc erit de præceptis poſitiuis, quod ſc. poſſit dari ignorantia, & conſcientia erronea inuincibilis de ipſis excuſans a peccato mortali ea traſgredientem. Ita communiter Doctores citati.

Collige ſecundò, quod conſcientia erronea inuincibilis de aliquo præcepto Dei, vel Eccleſiæ debet eſſe coniuncta cum ignorantia inuincibili tale præceptum eſſe a Deo, vel ab Eccleſia, nã ſi quis ſciens hoc eſſe præceptũ à Deo, vel ab Eccleſia, attamen ex aliquo fundamento falſo apprehenſo haberet conſcientiam erroneam circa illud, non poſſet dici talis conſcientia inuincibilis, ſed temeraria, & damnanda, quia debet credere præcepta Dei, & Eccleſiæ eſſe vera, nec poſſe errare, vnde potius hæreticus, ſi obſtinatè, id crederet eſſet exiſtimandus.

Vtrum conſcientia erronea dictante bonum eſſe malum, vel malum eſſe bonum peccet non operans iuxta ipſam.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod conſcientia erronea dictante bonũ eſſe malum, puta ſi dictet facere elæmoſinam eſſe malum, ſtante tali conſcientia, peccat ſi faciat elæmoſinam, ita etiam de conſcientia erronea dictante ſeruare, & ſanctificare feſtum ſit malum, peccat ſanctificãdo contra conſcientiam, & ſi conſcientia erronea ſit vincibilis, peccaret etiam ſanctificando, quia ſi ſit inuincibilis conſciẽtia erronea de non ſanctificando feſto, excuſaretur à peccato ſi non ſanctificaret, peccaret tñ ſanctificando, quia faciendo bonum, quod putat malum errat. Ita *D. Bonau. in .. diſt. 39. a. 1. q. 3. Ang. noſt. V. Conſcientia §. 1. & Clau. Regia, Vaſquez, Laym. Reginald. Bonac. loc. cit. in ſuperiori diffic.* nam vt notat *noſt. Vngar. apud Ang. loc. citato ſchol. C.* Deus non attendit quod fit materialiter, ſed modo, & animo quo fit, at vero quæ fiunt contra conſcientiam fiunt cum animo peccandi, & Deum offendendi, hinc dicitur omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, explicat Gloſa, omne quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt.

Hinc multo magis dicendum ſi quis peccatum veniale, vel aliquem actum indifferenter patrans putet eſſe mortale, dum manet in iſta conſcientia erronea, mortaliter peccaret, quare ſi quis expuat in terram, & putet eſſe mortale, donec deponat conſcientiam erroneam ſemper facit peccatum mortale ſi expuat in terram. Ita communiter Doctores citati.

Immo aduertendum in hac materia, quod ſi quis ex conſcientia erronea putet aliquod eſſe peccatum alicuius ſpeciei, quod tamen non eſt, puta ſi quis putaret ſpuere in Eccleſia eſſe peccatum Sacrilegij debet in confeſſione aperire peccatum eſſe talis ſpeciei, puta, ſacrilegij, iuxta quod conſcientia erronea dictauit eſſe peccatum, quia peccatum ſpecificatur iuxta conſcientiam erroneam. Ita *Sanch. Sayr. & Bonac. locis citatis, & infra c. tandiu.*

Dico ſecundò, quod conſcientia erronea dictante aliquod malum eſſe bonum, puta ſi dictet mentiri eſſe bonum ad ſubueniendum proximo, ſi conſcientia erronea ſit vincibilis, cum hæc non excuſet à peccato, ſanè peccabit mendacium tale faciens, quod ſi conſcientia erronea ſit inuincibilis, ita vt inuincibiliter ignoret eſſe peccatum, & inuincibiliter dictet eſſe actum bonum mentiri ad ſaluandum proximum, actus iſte poterit dici bonus debitus ex præcepto charitatis, nam cum obiectum ſit tanquam bonum inuincibiliter apprehenſum, actus etiam ad ipſum ordinatus ex inuincibiliter errore, erit bonus. Ita *Sayr. in Cl. Reg. Salas ſect. 3. loc. cit. Vaſq. 1. 2. diſput. 60. cap. 3. Valent. 1. 2. T. 2. diſput. 2. quæſt. 14. p. 5. q. 3. Azor. T. 1. l. 2. cap 8. quæſt. vlt. Sanch. in oper. mor. l. 1. c. 11. & Bonac. de pecc. diſput. 2. quæſt. 4 p. 6.* & alij, & probabiliter etiam cum *Scoti* doctrina, quia voluntas cæca eſt, ſi ergo excuſatur intellectus inuincibiliter errans, & putans malum eſſe bonum, dum repreſentat voluntati malum ſub ratione boni, tam quam bonũ voluntas illud obiectum amplectitur, ergo non peccat, immo bonus actus dicẽdus eſt iuxta ſpeciẽ obiecti.

Collige, quod conſcientia erronea inuincibiliter habet vim obligandi operantem ſicut ipſa dictat, donec fiat vincibilis, vnde deponi debeat, ſed ſtante inuincibilitate, quia malum apprehendit tanquam bonum intellectus, voluntas erit recta, quia bonum ſequitur, non malum, & ſi contrarium ageret, peccaret, quia bonum omitteret amplecti, quod ſibi vt tale ab intellectu repreſentatur; Ita etiam ſi bonum tanquam malum apprehendat inuincibiliter intellectus, debet voluntas fugere bonũ demonſtratũ ſibi tanquã malũ, & ſi amplecteretur illud bonum monſtratũ ab intellectu tãquam malum peccaret, quia malũ amplecteretur non bonũ, cęca .n. eſt voluntas neceſſariò debet duci ab intellectu, & illũ ſequi. Ita cõmuniter DD. Vide *Ang. noſt. loc. cit. Sanch. n. .. & Bonac. n. 16. loc. cit. & Canum 2. p. tr. 1. c. 4. q. 7. n. ..* quod cõfirmatur *a noſtro Ang. ex c. fin. de præſcript.* vbi habetur, quod fit contra conſcientiã ædificat ad Gehennã; habet ergo vim obligãdi cõſcientia inuincibiliter errãs.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum habens conſcientiam erroneam de aliquo confuſè apprehenſo ſit ne mortale, an veniale, peccet ſolum venialiter ſecundum eam operans, quid ſi vtramque partem contradictionis erroneè putet mortalem, peccet mortaliter alterutram amplectens, & an deponi poſſit abſque fundamento aliquo conſcientia erronea.

DIFFIC. IV.

VEnialiter ſolum peccare habentem cõſcientiã erroneã inuincibiliter de aliquo confuſè apprehẽſo, vt malo, ſi iuxta ipſam operetur, quia dum obiectum apprehenſum abſtrahit à tranſgreſſione mortali, & veniali, fauorabilius reſpondendũ videtur pro conſcientia, eſſe ſolum veniale, putant *noſt. Cordub. l.3.q.4.concl.6. Nauar. in man. prælud.9.n.9. Lopez 1.p.cap.3. Valent.1.2.T.2.diſp.2.q.14.p.4.* At vero *noſt. Rodriq.p.1.q.71. concl.4. Azor.l.1.l.2.c.8.q.6. Sayr.in Cl.Reg.l.1 c.4. Vaſq.1.2. diſp.59.c.3. & Bonac. de pecc.q.4.p.6.* nolunt peccare mortaliter, quia tenetur examinare, an ſit mortale, an veniale, quod vult agere, vnde in hoc negligens debet preſumi velle illud facere, etiam ſi foret mortale, vtraq; opinio ſuo innititur probabili fundamento, maximè prima ſi inaduertenter, & ſubito motu id faceret, conſulerẽ tamen in hoc caſu interrogãdum pęnitentẽ à prudenti Confeſſario in tali caſu, an quod in confuſo conſcientia inuincibiliter erronea apprehendebat nec mortale, nec veniale ad huc perpetraſſet, ſi mortale etiam inuincibiliter apprehendiſſet, vnde colligere poſſet ſtatum ſuæ conſcientiæ, an in d. caſu mortaliter peccauerit, nam ſi adhuc illud perpetraſſet, ſi iudicaſſet mortale, ſanè mortaliter peccauit, quod ſi non feciſſet, ſi iudicaſſet mortale, non eſt arguendus peccati mortalis, & ita inter duas opiniones iſtas mediandum exiſtimarem.

Quoad ſecundam vero præſentis difficultatis partem, nempe, an conſcientia erronea putans vtrãq; contradictionis partem eſſe peccatum mortale, peccet alterutram ſequens, nempe ſi quis iudicet ſe mortaliter peccare omittens officium, vt curę infirmorum incumbat, & iterum patet ſe mortaliter peccare relinquendo infirmum, vt dicat officium diuinum, an peccet alterutram partem eligens.

Diſtinguendum puto, nam ſi conſcientia ſit vincibiliter erronea ſolum, ſanè peccat alterutram partem eligens, quia tenetur deponere conſcientiam erroneam pro vna parte, quærendo conſilium à Doctioribus, ſi vero ſit inuincibiliter erronea conſcientia, debet eligere illam partem, quæ ſibi videbitur magis obligare, quia de duobus malis minus eſt eligendum, quod ſi ad vtramq; partem habeat æqualem conſcientiã inuincibiliter erroneã, nec poteſt diſcernere quænam magis obliget, volunt aliqui, quod peccet quamlibet eligens, quia facit ſemper contra conſcientiam; alij verò putant poſſe eligere alterutram partem, quam mauult; quia licet talis actus videatur eſſe liber in eligendo vnam partem, tamen humano modo non videtur liber moraliter, cum non vitetur culpa quacumq; parte electa, ergo quia non debet eſſe in hac vita homo perplexus de ſua ſalute in agendo, vnde nemo dici debet neceſſario in hac vita peccare, poteſt conſequenter vnum partem impunè eligere ſine peccato, vt non dicatur neceſſario peccare. Ita noſt. *Rodriq. in ſum p.2.c.51. Reginald.l.13 n.86. Sanch. in mor. l.1.c.11. Beccan.T.1.c.4.q.8. Layman.l 1.tract.1.c.4. & Bonac. de pecc.q.4.p.6. Suar.l.6.c.8.n.12. de pœnit.*

Attamen ex doctrina ſubtiliſſimi Doctoris noſtri *in 4. diſt. 30.q.1. §. dico tamen breuiter in corp. quæſt.* limitandum puto hanc ſecundam opinionem, modo eligẽs partem quam mauult deponat conſcientiam erroneam, quam habet de illa re, ſcilicet ſi eligat dicere officium, potius quam ſeruire infirmo, putare debeat quod hoc ſibi magis liceat, & debet vincere conſcientiam ſuam erroneam, aliter ſi non poteſt deponere conſcientiam, ait *Scotus*, quod peccat, ſi poſitiue putat ſe peccare alteram partem eligendo, nec valet, ſi hanc limitationem non admittat, quod tunc neceſſariò peccaret, nam liberè peccaret, dum liber eſt ad ponendam conſcientiam pro altera parte, & non vult ex ſua malitia deponere, & libere vult eſſe neceſſario perplexus, debet .n. ſcire, ꝙ non poteſt idem actus ſimul, & ſemel eſſe peccaminoſus circa idem, eligat ergo partem quam mauult non eſſe peccaminoſam, aliter ſi neceſſario peccat nolens deponere conſcientiam circa alteram partem, ſibi imputanda ſua malitia, quod nolit vti libertate in eligenda altera parte contradictorij, cuius vna eſt neceſſariò falſa, altera autem neceſſario vera, alterum enim in dicto caſu eſt neceſſario peccatum, & alterum neceſſariò non peccatum, quam ergo partẽ eligit non eſſe peccatum, licet ſit, ſtante conſcientia erronea de altero, quod ſit, deponitur conſcientia erronea de hoc, quod non ſit peccatum, & ita depoſita conſcientia non peccabit, maximè quia ex aliquo fundamento, & ratione eam deponit. Quare dicendum

Ad tertiam partem difficultatis, eſſe probabile, quod habens conſcientiam erroneam, poſſit ſine aliquo fundamento, & ratione eam deponere, ſi ſine fundamento, & ratione fuit concepta, nam res per eum modum, & per eas cauſas diſſoluitur, vnde extorta fuit. Imò *Cluſs Reg. l.1.cap.4. Valentia t. T.2. diſput.p. quæſt.3.p.4. Azor. T.1.l.2 cap.8. quæſt. 6.* & alij nolunt habentem conſcientiam de aliquo inuincibiliter erroneam cum aliquo fundamento, poſſit eam ad libitum, & ſine vlla ratione deponere, quia re vera à malo recedit; attamen probabilius putant deponendam eſſe cum aliquo fundamento, & ratione, alias peccaret exponendo ſe periculo faciendi contra dictamen rationis.

Quænam autem ratio ſufficiens? dicerem, quod apprehendere aliquam circumſtantiam, quæ hic, & nunc aliqualiter ſuadeat contrarium eius, quod conſcientia erronea dictat, eſſe faciendum, ſufficiens videtur ad deponendam conſcientiam erroneam.

Vtrum habens conſcientiam erroneam, quod actus quem libere non exercet, nec poteſt libere exercere, ſit peccaminoſus, peccet adhuc mortaliter, ſi illum exerceat, & ab iſto abſtineat.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod probabile eſt exercentem actum violenter, & non libere, ſi erroneè putet peccare, modo in illo actu non conſentiat, ſed omnino violenter exerceat, non peccare, quia ſolum peccat liberè faciens contra conſcientiam erroneam ex aliquo proprio falſo apprehenſo, non autem qui rem facit violenter, quia omnino eſt inuoluntarium, ergo nec peccaminoſum; hinc ſi quis apprehendat manum Petri, & in illa violenter, & contra voluntatem Petri percutiat Clericum, etiam ſi erroneè putet ſe peccare, non tamen peccat ſi non conſentiat in actũ, quia non eſt peccatũ niſi voluntariũ. Ita *Sanch. in opere mor. l.1.c.11.n.3. & Bona. de pecc. diſp.4.p.6.*

Dico ſecundò, quod ſi quis carcere detẽtus deſiderans miſſam audire in die feſto, attamen quia detentus non poteſt, putet tamen ex erronea conſcientia ſe peccare non audiẽdo miſſam in tali die, non peccat mortaliter, ſi non audiat miſſam, & à tali opere violenter abſtineat, quia conſcientia talis erronea non habet in ſe voluntarium, per quod peccatum gignat in eam habente; econtra autem ſi quis infirmus domi detineatur ab infirmitate non mortali ſufficienter tamen excuſans ab auditione miſſæ, quam cum aliquo incommodo audire poſſet, ſi putaret ſe peccare mortaliter abſtinendo ab auditione Miſſæ in die feſto, mortaliter peccaret, quia hæc conſcientia erronea habet in ſe voluntarium cum non ſit ſimpliciter, & coactè detentus ab audienda miſſa, ſed poteſt liberè ire ad audiendam miſſam, licet cum aliquo incommodo, vnde ſi non deponat conſcientiam talem, vel ſi non eat, peccat mortaliter. Ita etiam *Sanch. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum habens conſcientiam inuincibiliter erroneam de aliqua re, iuſſus à Superiore contrarium facere, teneatur abſque peccato obedire.

DIFFIC. VI.

DIſtinguendum putant paſſim DD., nam vel Superior iubet aliquod ſuo ſubdito, quod repugnat ſuæ conſcientiæ inuincibiliter erranti, ſi eam deponere non poteſt, probabiliter aiunt Recentiores infra citandi non debere obedire Prælato, quia magis obligat conſcientia inuincibiliter erronea, quam præceptum ſuperioris, ſecus, ſi obediret contra conſcientiam inuincibiliter errantem faceret, contra dictamen conſcientiæ, quod inuincibiliter putat rectum, & ita peccaret obediendo. Ita *Vaſq. p.3. diſp.61. c.1. Clau. Reg. l.1. c.11. Sanch. in opere morali l.1. c.11. n.16. Filiucc. tract.11.c.4.q.3. Laym. Theol. mor l.1. tr.1. cap.4. & Bonac. de pecc. diſp.4 p.6.*

Dico tamẽ *noſt. Bonau. in 2. diſt.39.a.1.q.3. & Ang. V. Con-*

ſcientia §.2. videntur velle teneri ſubditum ad deponendam conſcientiam erroneam, quando ei Superior cõtrarium imponit, ſi quod Superior imponit non ſit immediatè cõtra legem Dei, hinc ſi ſubditus inuincibiliter erret in die feſto eſſe peccatum ire de loco ad locum, ſi ſuperior id ei imponit, etiã non omiſſa ſacri auditione, tenetur deponere conſcientiã, & obedire, quia ire de loco ad locum cum auditione ſacri, non eſt contra legem Dei, e contra vero ſi ſubditus inuincibiliter erret, quod iurare verum in iudicio ſit peccatum mortale, & Superior iubeat falſum iurare, non tenetur ſuam conſcientiam erroneam deponere, nec obedire, quia quod præcipitur eſt contra legem Dei.

Quod ſi non poſſit deponere conſcientiam inuincibiliter erroneam, ſubdiſtinguit noſter Seraphicus Doctor, nam vel cõſcientia inuincibiliter erronea eſt de precepto, quod putat erronee cum aliquo fundamẽto euidẽter putato inuincibiliter eſſe contra legem Dei immediatè, cum verè non ſit, & tũc non tenetur immediatè obedire Superiori, ſed ſapientiores debet conſulere, vel orare Deum, vt dignetur ſuũ intellectũ illuminare, hinc inuincibiliter errãs ire de loco ad locum in die feſto eſſe cõtra præceptum ſanctificationis feſti cũ aliqua apparenti ratione euidẽter putata, nõ debet immediatè obedire, ſed doctiores conſulere, vel à Deo quærere illuminationem, quod ſi leui aliquo fundamẽto in hoc erret, etiam probabili tenetur conſcientiam deponere, & ſuo Superiori obedire, quia in ijs, quæ euidenter non ſunt, nec putantur contra legem Dei, aut Eccleſiæ, ſed ſolum probabiliter, potius obediendum, quia præponderat obedientiæ præceptũ ad iſtam conſcientiam erroneam, quæ vinci faciliter poteſt. Quare

Moderniores etiam citati volunt, quod quando vincibilis eſt conſcientia erronea, debet ſubditus obedire, & ſtante iudicio ſui Prælati, qui ſupponi debet non iubere actus peccaminoſos, dum quod iubetur, non ſit euidenter immediatè contra legem Dei, & Eccleſiæ.

Tanto magis ſubditus tenetur relinquere conſcientiã erroneam, quando ex temeraria potius credulitate alicuius rei contra præceptum Dei, vel ſuæ Regulæ oritur, puta, vt notat *noſt. Vngarell. Schol.* 16. ſi Prælatus iuberet ſuum ſubditũ quærere eleemoſinas, & ille crederet eſſe ſuperfluũ quærere æleemoſinas, temeratiè, & ſine fundamento id crederet, dum in facto Prælatus indigentiam ſuorum fratrum videt, & propter hoc iubet ælemoſinas quæri. Ex quibus

Collige etiam, quod non ſolum ſubditi Clerici, vel Regulares contra conſcientiam probabiliter ſolum erroneam vel temerariam multo magis debent ſtare conſilio, & determinationi ſui Superioris, quando non iubet res euidenter cõtra præcepta Dei, vel Eccleſiæ, ſed etiam ſubditi politici, vt vaſſalli reſpectu ſuorum Dominorum, & ſubditi æconomicè, vt filii reſpectu ſuorum Parentum, vel Tutorum, vel æconomorum, vt notat idem *Vngar. Sch.* puta quod hic, & nunc licitum ſit concedere carnes, vel ieiunium frangere, quia hic, & nunc, ſi hoc præcipiant Prælati, Domini, Patres, et Tutores, et æconomi, debent ſupponi habere legitimam cauſam, et licet ſubditi habeant conſcientiam probabilem, quod non liceat, debent eã deponere, et accommodare ſe obedientiæ merito, quia maius eſt obedientiæ bonum, quam ſuæ rationi probabili ſatisfacere, ita etiam *noſt. Ang. loc. cit.*

De conſcientia dubia erronea, vide infra V. Dubium, etc.

Conſecratio Eccleſiæ.

A quo Eccleſia conſecranda, & quo tempore, ſi polluta, à quo reconcilianda, & in quibus caſibus reconſecranda.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod Eccleſiæ conſecratio ab Epiſcopo diœceſi, in qua eſt Eccleſia conſecranda, vel ab alieno de licentia proprij Epiſcopi, etiam in die feriali, et nõ feſto, omnino facienda eſt, ita *ex c. tua fraternitas de conſecr. Eccleſ.* quare nullo modo ſimplici Sacerdoti, nec de licẽtia Epiſcopi competit Eccleſiam conſecrare, etiam ſi fuerit Abbas ex Tamburino de iure *Abb. diſp.* 23. *q.* 7. *T.* 1.

An vero ſi proprius Epiſcopus rogatus a Regularibus renuat ſuas conſecrare Eccleſias, vigeat adhuc priuilegium ipſorum, vt quẽlibet aliã Epiſcopũ vocare valeant ad eas conſecrandas, affirmat *Miranda in man. Prel. q.* 39. *a.* 1. *cõcl.* 3. *T.* 2. et probat nouiſſimè reſpectu noſt. ordinis minorũ, et Carmelit. *Barb. in tr. de poteſt. Epiſc. alleg.* 27. *p.* 2. *n.* 11. contendens huiuſmodi priuilegia nõ eſſe reuocata a *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *de refor. c.* 5. dum prohibet pontificalia exerceri in aliena Diœceſi abſq; proprij ordinarii licentia ſub cuiuſuis priuilegij pretextu, quia priuilegium hoc non eſt conceſſum Epiſcopo, ſed ordini, vt poſſit vocare quẽlibet, et ſibi gratum Epiſcopũ, et ita determinatum fuiſſe a Sac. Congr. Cõc. Trid. Interp. videtur teſtari de auditu Nouarius in Luter. Regul. V. Conſecratio, qui eandem opinionem ſequitur.

Dico ſecundò, quod ſi Eccleſia conſecrata ſit polluta, non poteſt ſimplex Sacerdos cum aqua benedicta etiam ab Epiſcopo eam reconciliare, vt habetur in *c. aqua de conſec. Eccl.* vbi determinatur, quod conſuetudo Eccleſiæ Braccarẽſis, in qua ſolebant Epiſcopi committere Sacerdotibus reconciliationẽ Eccleſiæ, potius ſit vocanda corruptela. Ita docent etiã *Auil. de cenſ. p.* 1. *diſp.* 7. *dub.* 4. *Fil. T.* 1. *tr.* 5. *c.* 4. *Sayr. de cenſ.* 65. *c.* 16. *Graff. deciſ. p.* 1. *l.* 7. *c.* 48. *Henriq. l.* 9. *c.* 27. & alij.

Vnde nõ ſunt audiẽdi *Vict. in ſum. ſacr. q.* 99. *Sa V. Eccl. n.* 20. *et Syl. in* 3. *p. D. Th. q.* 83. *a.* 3. voléẽtes in praxi eſſe deductũ ad Epiſcopi licẽtiã ire Sacerdotes ad recõciliãdã Eccleſ. cõſecratã pollutã, que in praxis corruptela a Sac. Canon. vocatur.

Verum eſt tamen, quod in fine dicti *c. Aqua* habetur, quod ſi Eccleſia nõ ſit cõſecrata, ſed ſolũ benedicta poteſt ſimplex Sacerdos cum aqua a ſe ſimpliciter benedicta, & exorcizata benedictione, & exorciſmis ordinariis ſi polluta fuerit, eam reconciliare. Ita communiter Vide *noſtrum Ang. V. Conſec.* 4 *Eccleſ.* & habetur etiam *in cap. ſi Eccleſ. de conſecr. eccl.*

Quod autem priuilegium habeant Regulares circa Eccleſiæ conſecrationem, & reconciliationem conſulant *Compend. Priuil. Mendicantium*; *& noſter Portel. V. Eccleſ. fratrum in addit.* vbi etiam modum reconciliandi Eccleſiam apponit, vide etiam *Dianam* 4 *p. tract.* 4. *Miſc. reſol.* 91. certum eſt tamen, quod Eccleſiam non conſecratam aqua ſolum benedicta, vt dictum eſt, conſecratam vero poſſunt Superiores reconciliare aqua à ſe benedicta, quando Epiſcopus abeſt per duas dietas ſcilicet per quatuordecim leucas, ſi vero ſit proximius, debent petere aquam benedictam ab ipſo Epiſcopo, & cum ea reconciliare, quod autem habeant abſolute priuilegium Eccleſias conſecratas aqua à ſe benedicta reconciliandi Superiores Regulares aſſerit *Antonius Nouar. in ſum. Bullar. Tit. depoſ. Lut. Eccleſ. & citat Graff. conſ.* 2. *de conſecr. Eccleſ. n.* 18. quod tamen non videtur multis verum.

Nota etiam *ex noſtro Rodr. q.* 9. *Reg. T.* 1. *q.* 19. *a.* 3. *& Perſico de offic. Sacerd. l.* 1. *dub.* 13. quod priuilegium datum Regularibus recõciliandi ſuas Eccleſias quando Epiſcopus diſtat per duas dietas intelligitur etiam quando Epiſcopus abeſt, morte, renunciatione, vel depoſitione. An vero Dieta in dicto priuilegio intelligatur de legali, quæ vigintimiliaria continet, an de vulgari, quæ metitur iuxta locorum conſuetudinem, de legali, quæ continet vigintimilliaria intelligendum eſſe in dicto priuil. putant *noſt. Rodr. loc. cit. a.* 6. *& Henriq. l.* 9. *de miſſa c.* 27. *n* 6. *& in gloſ. littera D.* vbi citat etiam *Mandoſium, Perſicus* tamen docet intelligendam de dieta vulgari *loc. cit.* cui adhærere videtur *Diana p.* 5. *tract.* 6. *reſol.* 22. vtraque probabilis mihi videtur, & quæ magis eſt fauorabilis eſt eligenda, vt Eccleſia citius reconcilietur.

Dico tertiò, quod Eccleſia poteſt etiam reconſecrari in in caſibus, quibus prima conſecratio amiſſa iam fuiſſe exiſtimatur. Ita *noſt. Ang. loc. cit.*

In tribus autem caſibus *ex Panorm in c. propoſuiſti de conſecr. Eccl. vel Abb.* docet *noſt. Ang.* poſſe Eccleſiam reconſecrari. Primò, quando neſcitur, an fuerit conſecrata, quia ſcilicet non apparet aliquod ſignum in pariete, columna, vel tabula marmorea, in quibus ſolet ſcribi tempus conſecrationis, nam non dicitur iteratum, quod neſcitur factum *c. ſolemnitates* 1 *de conſecrat. diſt.* 1. *& c. veniens de Presb. non baptiz.*

An vero ſufficiat vnus Teſtis de viſu, vel auditu affirmans eſſe conſecratam adhoc, vt denuò non ſit conſecranda affirmat *noſt. Vngar. hic Schol.* 6. quia vbi non fit tertio præiudicium ſufficit probatio vnius *arg. deſumpto ex* 10. *q.* 5. *hoc verè ex* 24. *q.* 2. *Sanc.* Ita etiam *Portel. loc. cit.* verum probabile eſt etiã non ſufficere in hoc caſu vnũ teſtem, quia fit præiudiciũ Eccleſiæ in caſu non fuerit conſecrata, itaque potius conſecrandam, ſi plenè non conſtat fuiſſe conſecratam, exiſtimarẽ.

Secundò,

Secũdò, denuo cõſecrari poteſt Eccleſia, quãdo parietes sũt cõbuſti, & decroſtati, quia linitio cõſecrationis fit in ſuperficie parietis, qđ ſi tecta fuerint cõbuſta, vel deſtructa, modo remaneat integri parietes, & non decroſtati, non eſt reconſecranda Eccleſia, vt habetur *in c. ligneis de conſecrat. Eccleſia, vel Alt.*

Tertiò, A fortiori ſi parietes ita corruerint, vt de nouo oporteat ipſos reficere, licet reficiantur de eiſdem lapidibus, quia quando corruũt parietes, forma Eccleſię perit, & decroſtatio ſuperficiei parietum in qua facta eſt conſecratio, neceſſario conſequitur.

An vero Eccleſia ſit iterum conſecranda, quando ipſius vna pars reficitur, & poſtea alia, ita vt ſucceſſu temporis tota Eccleſia ſit refecta, variant Doctores, gloſa enim *in d. c. ligneis* putat non eſſe reconſecrandam, ſed manere priorem conſecrationem, quia vna, & eadem Eccleſia reputatur, quando vna pars ſucceſſiuè poſt aliam reficitur, ſicut dicitur de naui, quæ ſi reficiatur per partem poſt partem ſucceſſiuè, eadem dicenda eſt Nauis; vt *in l. quod in re de leg. 1.* & dicitur idem Populus, ſi aliqui moriantur, & alij ſuccedunt, etiam ſi nulli de prioribus viuant *ex l. quod probatur ff. de Iudic.* Vnde licet tota de nouo ſit refecta, & quaſi de nouo reædificata per partem poſt partes, retinet Indulgentias eaſdem, quia eadem moraliter Eccleſia dicitur, vt teſtantur noſtri *Villalob. in ſum. T. 1. tract. 26. diffic. 24. & Fauentinus de pænit. in 4. diſt. 19. q. vn. diſput. 38. cap. 6. num. 18. & Layman. in Theol. mor. l. 5. tract. 7. c. 3. num. 5.* Immo addunt, quod ſi Eccleſia in toto deſtruatur authoritate ſuperioris, & alio transferatur de eiuſdem auctoritate ſub eodem Titulo, & Patrono eaſdem Indulgentias, & priuilegia retinere, quod etiam docuit *gloſ. in Reg. iur. 7. in 6.* quia ſemper eadem dicitur Eccleſia.

Attamen *Panormitanus* probabilius apud noſtrum *Ang.* docet in tali caſu eſſe reconſecrandam, quia in ſpiritualibus magis attenditur veritas, quam iudicium, in veritate enim phyſica non eſt eadem Eccleſia, quæ per partem poſt partem tota reficitur, licet ſit eadem moraliter, conſecratio enim manet in phyſica linitione Chriſmatis ſacri facta in parietum ſuperficie, ergo illa ſuperficie ſacro Chriſmate delibata cadente cum pariete etiam per partem poſt partem, phyſicè conſecratio cum ipſa cadit, & hanc opinionem ait etiam noſter *Vngar. ſchol. D.* eſſe tutiorem.

In quo, & quibus caſibus dicatur Eccleſia polluta, & an per quamcumque delicti notitiam reputanda ſit polluta.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod communiter quinque caſus afferuntur, in quibus Eccleſia remanet polluta; Primò per effuſionem illicitam, & iniurioſam ſanguinis in ea facta *ex gloſ. & Textu in c. cum illorum §. qui ſi clauſtralis de ſent. excom.* Secundò per homicidium voluntarium in ipſa ſecutum etiam ſine ſanguinis effuſione ſecundum notata *in c. vnico de Conſecr. Eccl. vel Alt. in 6.*, Tertiò quando in ipſa ſepelitur excommunicatus vitandus, vel paganus, ſeu infidelis vt habetur de *conſecr. diſt. 1. Eccleſiam, & de conſecrat. Eccl. & Alt. conſuluiſti.*, Quartò ſi fuerit conſecrata per Epiſcopum notoriè excommunicatum, Quintò, quando in ipſa effunditur ſemen *ex cap. ſignificaſti de adulterio*, de quibus ſingillatim præcipuæ difficultates tangentur infra. Quare

Dico ſecundò, quod ſi prædicti caſus ſint omnino occulti non faciunt Eccleſiam pollutam, vt docet *gloſ. in d. c. Vnico, & ex d. c. ſignificaſti in verbo publicè*, debent ergo eſſe publici, ita etiam noſter *Ang. V. conſec. §. 6. Portel. V. Eccleſ. in Add. n. 4.* qui etiam citat *Emm. Sà.*

An verò debeant eſſe publici ex Iudicis dedclaratione, an verò ſufficiat, ſi ſint publici ex facti euidentia, vel ex peccantium confeſſione, variant Doctores, videntur docere noſter *Angel. loc. cit. Suar. T. 3. in 3. p. diſp. 81. ſect. 4. caſ. 3. dub. 2. & Fagundez p. 1. l. 3. c. 14. n. 34.* ſufficere ſi ſint publici ex facti euidentia, vel notorietate, vel ex publica delinquentium confeſſione, & probabiliter quia iura aliud non requirunt, ut videre eſt locis citatis.

Attamen non improbabiliter docet alij non ſufficere, quamcumque facti notorietatem de prædictis caſibus, ad hoc, vt Eccleſia polluta cenſeatur, ſed requiri volunt ſententiam Iudicis declaratiuam, quod Eccleſia in tali caſu ſit polluta, quia iſta pęna pollutionis aſſimilatur cenſuræ, ergo ad inſtar cenſuræ requirit declarationẽ Iudicis, ad hoc vt vitetur tanquam polluta vnde *Paludan. in 4. diſt. 8. q. 8. a. 4. Sylu. V. conſecr. q. 6. in fin. & V. Interd. 4. q. 3.* volunt pollutionem Eccleſiæ eſſe ad inſtar Interdicti ingreſſus Eccleſię, & *Sayr. l. 5. de cenſ. cap. 16. n. 1.* ait pollutionem, ſeu violationem Eccleſiæ eſſe ſimilem interdicto locali, & *Auila de cenſ. p. 5. diſput. 6. dub. 6. concl. 3* aſſerit ad interdictum locale reduci quodammodo Eccleſiæ pollutionem, at verò nemo tenetur interdictum ſeruare, donec per Iudicis ſententiam fuerit declaratum eſſe ſeruandum, ergo etiam nec polluta Eccleſia eſt cenſenda, donec declarata fuerit vt polluta vitanda.

Et ſanè probabiliter admodum illud ſuadet mihi hanc ſententiam ſequendam in dictis caſibus, quia poſſunt aliquãdo eſſe aliquæ circumſtantiæ in ipſis, quæ non reddunt ſaltẽ ſecundum opinionem probabilẽ, & aliquando ẽt abſolutè Eccleſiam pollutam, non ergo ſtatim cenſenda polluta, niſi Iudex cognouerit nullã eſſe circumſtantiam in facto quomodocunq; notorio iuxta præfatos caſus, quæ Eccleſiam à violationis incurſione excuſet, multoties .n. Eccleſiam non pollutam in præfatis caſibus Idiotæ, vel vulgares ẽt Sacerdotes pollutã exiſtimant neſcientes limitationes, quas dicti caſus patiuntur, tutius ergo videtur vt per Iudicis ſententiam certa reddatur Eccleſię violatio, aliter magna irrogaretur Eccleſię iniuria, ſi quando verè poſſet cenſeri non polluta, & exiſtimetur tamen polluta ex vulgarium hominum Iudicio.

Cæterum quando adeſt facti euidentia, vt nulla tergiuerſatione rationum in contrarium defendi queat non eſſe pollutã, puta quia corã populo intra Eccleſiam exiſtente auſus eſt inimicus proditoriè ſuum inimicum in ipſa occidere, quia factũ eſt notorium, & euidens caſus in quo polluitur Eccleſia probabile eſt non deberi expectari Iudicis ſententiam, quia ſicut notorius Clerici percuſſor eſt immediatè vitandus in probabili opinione non expectata Iudicis declaratoria ſententia propter euidentiam notoriam facti nulla tergiuerſatione excuſandam, ita etiam Eccleſiam pollutam cenſendam ex notorio, & euidenti caſu, in quo ſtatuitur de facto polluta; quod ſi etiam in d. caſu quis velit expectare Iudicis ſententiam, non improbabilem puto iuxta aliorum ſententiam de notorio Clerici percuſſore non vitando niſi affigatur per Cedulonem.

Vtrum per quantuncunque, & qualemcunque etiam per nares pugno, vel alapa factam ſanguinis effuſionem intra Eccleſiam cenſenda ſit polluta, & neceſſario reconcilianda.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod non videtur ſequenda opinio noſtri *Alphonſi de Caſtro de lege pænali l. 1. cap. 7. a. 2.* putantis ex qualibet minima ſanguinis effuſione Eccleſiã pollui, non autẽ ſi vna, vel altera gutta effundatur, nam vt notant *noſt. Ang. V. conſecr. Eccl. §. 4.* effuſio ſignificat abũdantiã *ex tex. cum gloſ. in c. cum iſtorum §. qui ſi clauſtrales de ſent. excom.* Ita etiam *Abbas in c. propoſuit n. 3. de conſecr. Eccl. Azor. p. 1. l. 10. c. 26. q. 13. Suar. T. 3. diſp. 81. ſect. 4. Reginald. in pr. T. 2. l. 29. ca. 29. Auila de cenſ. p. 5. diſp. 7. dub. 1. concl. 2. Fagund. p. 1. l. 3. c. 14. n. 19.* & probari etiã poteſt *ex c. conuertimini 16. q. 1.* Quare ſi modicus ſanguis effundatur, Eccleſia non eſt polluta, nec indiget reconciliatione.

Quanta autem debeat eſſe effuſio, vt intelligatur eſſe in abundantia ad hoc, vt cenſenda ſit polluta, arbitrio Iudicis ſtãdum eſſe, docet *noſt. Vngar. ſchol. C. ex Geminiano in d. c. 1. de conſec. Eccl. vel Albar.* Addit etiam *Vngarel. ex Abbat. in d. c. propoſuiſti*, quod non eſt improbanda conſuetudo aliquorum locorum, vt etiam in paruæ effuſionis caſu reconcilietur Eccleſia ad aliorum terrorem, quod tamen mihi non probatur, ſimulationes enim in re tam graui non videntur licitæ.

Dico ſecundo, quod non qualiſcunq; effuſio ſanguinis etiã illicite cauſata polluit Eccleſiã, cum .n. ſimus in pęnalibus reſtringẽda eſt effuſio quantũ pôt iuxta potiorẽ verborũ proprietatẽ. Hinc ſiquis fuit occiſus extra Eccleſiã, & intra Eccleſiã portatus ad huc calidus à ſuperueniente inimico ad huc vulneraretur, ex quo vulnere copioſa sãguinis effuſio deflueret in Eccleſia, licet *Durandus in rationali diuino Offic. l. 1. cap. 6. Bauonus in 4. diſt. 10. q. 2. a. 3. & Sà V. Eccleſ. n. 13.* velint ex tali effuſione in hoc caſu pollui Eccleſiam, attamen quia iniuria non fit homini mortuo, ſed ſolum viuenti, quia homo mortuus verè non eſt homo, cum ergo iura velint ex iniurioſa ſangui-

guinis humani effuſione pollui Eccleſia, debet reſtringi inter præfatio ad effuſionem ſanguinis hominis in potiori ſignificato, ſcilicet hominis veri viuenti, & non mortuis. Ita etiam videtur colligi *ex Sayro de cenſ. l.5.c.16. n.7. Henriq. l.9.c.22.n.5. Fagund.* expreſsè etiam hoc *docet l.3.cap.14. & 15.p.1. & Diana p.5.tr.6. reſol.25.* Vnde conſequenter.

Dico tertiò, quod licet *Coninch.3.p.q. 83.a.3.dub.1. & Sylu. in 3. p. q.83. a.3. poſt concluſ.* §. *quæritur*, & alij velint, ex copioſa ſanguinis effuſione à nato profluente facta iniurioſè cum alapa, vel pugno intra Eccleſiam pollui Eccleſiam, quia conditiones à iure requiſitæ adſint in tali caſu, attamen probabile admodum mihi videtur, non pollui per dictam effuſionem iniurioſam enaribus Eccleſiam, quia effuſio cum ſimus in pænalibus reſtringenda eſt ad effuſionem violentam difficilem, non autem ad effuſionem facilem, è nato enim facilis eſt effuſio ſanguinis, non ita ab alijs membris. Ita etiam *Graff. deciſ. l.2.c.48. Marchen. de Sacr. ord. tract.3.p.3.c.11. Sà, Fagund. & Diana reſol.24. loc. ſup. cit.*

Dico quartò, quod ex cauſata alibi effuſione ſanguinis in Eccleſia puta, puta ſi quis extra Eccleſiam vulneratus ad ipſam confugiat, & magnam in ea copiam ſanguinis effundatæ non eſt polluta Eccleſia, quia iniuria eſt facta extra Eccleſiam, & per accidens eſt, quod effundatur in Eccleſia, quę ſolum polluitur ex iniurioſa ſanguinis effuſione cauſata per ſe primò, & immediatè ex iniuria facta intra Eccleſiam, vt notant communiter DD. *Angel. noſt. loc. cit. Suar. 3.p. de Euch. diſput. 81. ſect.4. Reginald. l.29. n.280. Graff. l.2.c.48. & Bonac. de matr. q.4. p. vltimo*, ſicut etiam ſi lignum, vel lapis cadat in caput alicuius exiſtentis in Eccleſia, & magna effundatur copia ſanguinis in ea non polluitur, quia licet ſit in Eccleſia cauſata effuſio, non tamen ex iniuria cauſata, ſed ſolum caſualiter, vide *Ang. noſt. loc. cit.* Item nec polluitur Eccleſia, ſi quis vulneretur ſupra tectum ipſius, & ſanguis ſupra tectum, etiamſi ea tecto intra Eccleſiam caderet, quia percuſſio, & effuſio facta eſt extra Eccleſiam vt citati Doctores aſſerunt, econtra vero ſi quis vulneretur in Eccleſia iniurioſè, ſi ſanguis in aliquo vaſe recolligeretur ne cadat in ipſa, iam Eccleſia etiam dicenda polluta, quia formaliter ſanguis in ea effunditur, licet materialiter in ea non cadat. Ita *Aug. noſt. ex gloſa in d. c. vnico*, & iniuria ſit Eccleſiæ per talem iniurioſam vulnerationem.

Vtrum per quodcumque genus homicidij in Eccleſia factum ipſa polluatur, quid ſi ſacculo arenæ contuſus ſine ſanguinis effuſione, vel veneno cibatus in ipſa, moriatur deinde extra Eccleſiam cenſenda ſit adhuc polluta.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod ex quocunque homicidio violento voluntariæ facto, etiam ſi ſanguis non effundatur polluitur Eccleſia, puta, ſi in ea quis ſuſpendatur, ſtrangulatur, gladio, fuſtæ, ſclopo, vel alio quorumcunque inſtrumento occidatur. Ita communiter Doctores, vide *cap. vnico c. propoſuiſti de conſecrat. & c. Eccleſ ijs diſt.1. de conſec. Ang. noſt. V. conſecr. Eccl. Henriq. l. 9. cap. 47. Graff. deciſ. l. 2. cap. 48. & Bonac de matrim. quæſt.4. p. vlt. Suar. de Euchar. diſp. 81. ſect.4. & Coninch. diſp.7. de pænit. dub.4. Reginald. l.29. art. 280.*

Secus tamen dicendum de homicidio caſuali non iniurioſo, quia non polluitur Eccleſia, ſicut etiam ex homicidio facto ob defenſionem legitimam cum moderamine inculpatæ tutelæ factam, quia in neutro caſu adeſt illicita, & peccaminoſa actio, vnde Eccleſiæ non eſt iniurioſa. Ita *Angel. noſt. loc. citato*.

An vero ſi quis ob fidem Catholicam ſeruandam, vel defendendum ab iniquo Tyranno, vel alio perſecutore intra Eccleſiam occideretur, & verus Martyr occumberet, an Eccleſia cenſenda polluta, & neceſſariò reconcilianda, negare videtur *noſt. Ang. loc. citato*, licet poſtea *in gloſa in d. cap. vnico* affirmet Eccleſiam pollui, & reconciliandam eſſe, ſed non eſſe lauandum locum, ſicut debet fieri in aliorum effuſione ſanguinis afferat cum communi opinione, ita etiam docent *Graff. Suar. Regin. & Bonac. loc. citato*.

Dico ſecundò, quod ſi quis ſanæ mentis ex ira, vel deſperatione ſe ipſum in Eccleſia vulneret, vel occidat, polluitur ſanè Eccleſia, quia iniurioſa, & illicita eſt percuſſio, vt patet *ex cap. contingit 1. de ſent. Excomm.* quia ſi ſeipſum vulnerans, vel occidens factus eſt furioſus, & verè mentis compos non erat, quando ſe vulnerauit, vel occidit, non eſt polluta Eccleſia, quia non eſt iniurioſè, nec regulariter illicitè inflicta percuſſio, vel mors *arg. ex c. Cler. ſi furioſus de homicid.* Ita etiam *Bonac. & ceteri* Doctores citati *loc. cit.*

Dico tertiò, quod licet aliqui noluerint, quod contuſam verberibus in Eccleſia in ſacculo arenæ, vel alio inſtrumento abſque ſanguinis effuſione, ſi contingat deinde enim Eccleſiam mori, pollui Eccleſiam, quia mortifera vulneratio, etiam ſi ſanguis in Eccleſia non fundatur, polluit Eccleſiam ex communi ſententia, ergo contuſio cum ſit lethalis intimorum præcordiorum vulneratio reddet etiam Eccleſiam pollutam. Ita *Layman. l.5. tract. 5.cap.5. n.8. Marchin. de Sacr. Ord. tract. 3.p.3.c.10. Fagund. p.1. l.3.c.14.n.13.*

Attamen probabile etiam exiſtimo in tali caſu non pollui Eccleſiam, quia cum ſimus in odioſis inita facienda eſt interpretatio, iura enim aiunt pollui per effuſionem ſanguinis factam in Eccleſia, vnde ſupponit vulnerationem extrinſecam, enormem; non ergo extendenda ſunt loqui de contuſione intrinſeca, ex qua non oritur ſanguinis effuſio, præterea ex homicidio in Eccleſia facto iura pollui aiunt Eccleſiam, non ergo extendenda ſunt loqui de morte ſecuta extra Eccleſiam abſque læthali vulnere extrinſeco in ipſa accepto. Ita etiam *Panorm. in c. propoſuiſti nu.14. de conſecr. Eccl. Azor. p.1. l.10. cap.26. quæſt.13. Suar. 3.p. diſp.81. ſect.4 caſu primo, Præpoſitus 3.p. quæſt 83. a.3. dub. 2., & Diana p. 5. tract. 6. reſol.26. & Bonac. de matr q.4. punct. vlt.*

Idem ſentiendum puto, in caſu, in quo quis venenum ſumeret in Eccleſia ab alio, vel etiam in vino, vel hoſtia conſecranda præparatum, ſi poſtea extra Eccleſiam moreretur, probabile eſt, Eccleſiam propter eamdem rationem non pollui, quia verè nulla ibi ſanguinis effuſio, nulla extrinſeca vulneratio, & mors extra Eccleſiam ſequitur ergo non habet talis caſus conditiones requiſitas à iure. quod non debet extendi de caſu ad caſum quantumcunq; ſimilem in pænalibus certum eſt apud Canoniſtas, vt alibi diximus. Ita etiam *Reginald. T.2. l.29. cap.9. ſect.5.* maximè cū iura de aliquo caſu expreſsè non loquuntur, ſemper fauorabilius eſt reſpondendum pro poſſidente ſuam integritatem præcipuè in fauorem Eccleſiæ, quæ non debent cenſeri polluta, niſi in caſibus clarè, & euidenter in iure expreſſis.

Cęterum ſi in caſu contuſionis factę in Eccleſia intendatur à contundente occidere eum, & ad mortem contuſionem intulerit probabiliter credo pollui Eccleſiam, quia verè mors intenta fuit cum extrinſeca violentia facta in Eccleſia, quæ iniurioſa eſt Eccleſiæ, per accidens autem homicidium extra Eccleſiam ſequitur, quod ſi contuſio non fuerit data ad mortem, nec intenta fuerit à contundente mors, ſi poſtea per accidens ſequatur extra Eccleſiam, probabiliter poteſt cum ſecunda opinione practicari.

Conſimiliter probabiliter puto dici poſſe de veneno dato, nam ſi cum violentia extrinſeca porrigatur, ita vt extrinſecè quis ſit coactus in Eccleſia ſumere venenum, licet poſtea extra Eccleſiam moriatur, quia verè violentia homicidij intentata fuit in Eccleſia cum ipſius iniuria, probabile eſt, quod Eccleſia polluatur, ſi verè occultè venenum ſit datum in Eccleſia, modo prædicto in cibo, & potu etiam vini, & hoſtiæ conſecrandæ abſque eo, quod ſumens percipiat ſe venenum ſumere, quia nulla adeſt in hoc caſu extrinſeca iniurioſa violentia, non videtur Eccleſia pollui, ſi extra ipſam deinde moriatur.

Si quis autem in vtroque hoc caſu, vellet practicare Opinionem, quod Eccleſia non ſit polluta, puto probabiliter, quod ſine ſcrupulo practicari poſſit ex ea ratione probabili, quod pęnæ ſunt reſtringendæ, nam iura videntur velle per homicidium conſumatum, vel per vulnerationem cum ſanguinis effuſione Eccleſiam pollui, iſtos tamen caſus expreſsè non admittunt ergo cum non ſit facienda extenſio de caſu ad caſum in pænalibus poteſt probabiliter dici, non pollui Eccleſiam in dictis caſibus; ſanè contraria Opinio communior eſt, & probabilior.

Vtrum

Vtrum vulneratus in Eccleſia, & immediatè extra eam fugiens abſque eo, quod nec ſtillam ſanguinis in ipſa emittat, ſit dicenda tamen verè polluta.

DIFFIC. V.

NEgant aliqui nec improbabiliter, ſtando in rigore iuris, nam iura requirunt effuſionem ſanguinis iniurioſam factam in Eccleſia, ad hoc, vt Eccleſia cenſeatur polluta, hinc in *c. Eccleſiis diſt. 68. & de conſecrat. diſt. 1.* dicitur Eccleſias non eſſe reconciliandas, niſi ſanguinis effuſione pollutæ fuerint, *& c. ſi Eccleſ. de conſecrat. Eccleſ.* deciſum, Eccleſiam non ſolum conſecratam, ſed etiam benedictam ſanguinis effuſione pollui, *& in c. tuarum de priuil.* proponitur *Innocentio III.* hic caſus; Quidam percutiens Vicarium Sacerdotem ſanguinis effuſione Eccleſiam fœdauit, reſpondet Pontifex, in ea, donec reconciliata fuerit, officia non permittas celebrare; *& in cap. vnico de conſecrat. Eccleſ. in 6.* habetur, ſi Eccleſiam ſanguinis effuſione pollui contingat, eſſe reconciliandam, ex quibus textibus clarè, & apertè colligitur, non requiri ſolam vulnerationem factam in Eccleſia, verum principaliter requiri effuſionem ſanguinis; ergo probabiliter, ſtando in rigore iuris, ſi ſequatur vulneratio in Eccleſia, & de vulnere in Eccleſia non profluat ſanguis, puta quia immediatè eſt ab ea egreſſus, & extra ipſam ſanguinem effudit, non polluitur Eccleſia, in odioſis enim, & pœnalibus ſtricta eſt facienda interpretatio, ergo dum effuſionem ſanguinis expreſsè iura requirunt, & vulnerationem non exprimant ſolam ſufficere, & pro Eccleſia ſemper ſit reſpondendum, potius non fuiſſe quam fuiſſe pollutam, probabiliter dicendum videtur, ſanguinis effuſionem eſſe neceſſariam de vulnere iniurioſè illato procedentem in Eccleſia fieri, ad hoc, vt dicatur polluta, quare ſi in Eccleſia vulnus quis accipiat iniurioſè, & extra illam ſanguis effundatur, probabile eſt per ſolam vulnerationem non eſſe cenſendam pollutam Eccleſiam. Ita etiam *Præpoſitus in 3. parte quæſt. 83. art. 3. dub. 2.* qui idem ſentit de morte attentata ſine ſanguinis effuſione in Eccleſia, ſi extra ipſam ſequatur, quia vt in ſuperiori difficultate dictum eſt, videntur iura requirere homicidium conſummatum in Eccleſia, non autem attentatum ſine ſanguinis effuſione.

Contrarium tamen communiter aſſerunt Doctores ſcilicet Eccleſiam pollui, ſi vulnus in Eccleſia inferatur, & ſanguis deinde extra ipſam effundatur, quia per accidens eſt, quod in Eccleſia non effundatur ſanguis. Ita videtur colligi *ex noſtro Angelo V. Conſecratio*, & expreſſius docent nouiſſimè *Eminentiſſim. de Lugo de Sacram. Euchar. diſput. 20. ſect. 2. Nauarr. cap. 27. num. 276. Tol. leg. 5. cap. 8. num. 7. Aula de cenſ. parte 5. diſput. 7. dub. 1. concluſ. 2. caſu 1. Azor parte 1. leg 10. cap. 29. quæſt. 13. Suarez. tertia parte diſput. 81. ſect. 4. caſu 2. Reginald. T. 2. leg. 29. num. 181.* & alii communius, & quidem probabilius, nam dum iura effuſionem ſanguinis requirunt ad polluendam Eccleſiam, neceſſariò etiam cauſam proximam effuſionis requiri volunt ad Eccleſiæ pollutionem, quia effuſio ſanguinis non poteſt fieri ſine extrinſeco graui vulnere illato, volens autem effectum inſeparabilem à cauſa, neceſſario vult cauſam, ſi ergo iura volunt effuſionem ſanguinis ad pollutionem Eccleſiæ, volunt etiam requiri vulnus graue, a quo neceſſario effuſio procedit, & licet hæc ratio inſtantias patiatur in fauorem primæ ſententiæ, attamen non euacuant omnino eam, ita vt probabiliter hæc non ſit exiſtimanda ſaltem propter Doctorum communiorem auctoritatem.

Non tamen reprobanda mihi videtur prima opinio, nam ſi vulnus graue incuteretur alicui in Eccleſia præcipuè cum quodam gladiolo triangulato, vulgo, Stiletto, & nihil ſanguinis omnino effunderetur, quia vulnus tali gladiolo inflictum ſtatim reſtringitur, vt aiunt, ita vt non emittatur ſanguis, non eſſet dicenda polluta Eccleſia, quia iura per ſolam vulnerationem non exprimunt pollutam Eccleſiam, quare videtur ſeparabilis cauſa ab effectu, ſcilicet vulnus ab effuſione, itaque dum volunt iura requiri effuſionem abſque exprimendo vulnere tanquam cauſa, probabile eſt, quod ſolam effuſionem velint requiri ad Eccleſiæ pollutionem.

Vtrum ſi Cathecumenus, vel infans filius fidelis antequam baptizetur, ſi in Eccleſia ſepeliantur, remaneat polluta, & quid agendum per humationem Excommunicati, vel infidelis in Eccleſia antequam reconcilietur.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod communius certum putant, cathecumenum, ſi ſepeliatur in loco ſacro, non polluere Eccleſiam, quia iam baptizatus ſupponitur baptiſmo flaminis, & reuera non eſt infidelis, dum fidem in Chriſtum, & eius Eccleſiam habet propter quod baptiſmum petit, & aut diſcere ea, quæ ſunt neceſſaria ad proximam baptiſmi ſuſceptionem eſt, ergo virtualiter Chriſtianus, & verè fidelis, pœnæ autem reſtringendæ, ergo ſolum de infideli vero nullo modo credente in Chriſtum, & Eccleſiam explicanda ſunt iura aſſerentia, infidelem ſepultum in Eccleſia, eam polluere. Ita *Sayr. l. 6. cap. 16. de conſ. & Bonac. de matrim. q. 4. punct. vlt.*

Dico ſecundò, quod licet *Sayrus loc. citato*, velit per ſepulturam infantis filii fidelis in Eccleſia non pollui, quia filius fidelis verè non eſt paganus, nec gentilis, & ſi infidelis moritur, eſt per accidens, & ſine culpa moritur infidelis, & in potentia proxima eſt fidelis, cum ſit in potentia proxima ad baptizandum, non ſic autem infans filius pagani, vel Gentilis, quia non erat in potentia proxima, vt eſſet fidelis, attamen contrarium videtur dicendum, quia cum verè ſit mortuus in peccato originali, extra Eccleſiæ gremium eſt, atque adeo, licet non ſit poſitiuè infidelis, eſt tamen infidelis negatiuè quare nullo modo ſepeliendus in Eccleſia, & ſi ſepelliatur, polluitur Eccleſia, vt potè, quæ notoriè inimicum Dei, & notoriè exiſtentem extra gremium ipſius, in ſe reciperet. Ita etiam *Suar. tertia parte de Euchariſt. diſputat. 81. ſect. 4. verſu quinto violatur, Choninch. diſputat. 7. de pœnitent. dub. 4. & Bonacina loc. citato.*

Dico tertiò, quod quando excommunicatus vitandus denunciatus ſe, et notorius clerici percuſſor, ſi impœnitens moritur abſque abſolutione præuia, ſimiliter infidelis paganus ſi ſepeliantur in Eccleſia, & loco ſacro, antequam reconcilietur, debent eorum corpora ſi inter alia poſſunt diſcerni, exhumari, & extra Eccleſiam proiicienda, et poſtea reconciliabitur, *ex cap. Eccleſiam diſt. 1. de conſecrat. & ex cap. conſuluiſti de conſecrat. Eccleſ. vel Alt.*

Vtrum vero ſi Mater moriatur cum fœtu in eius vtero exiſtente, ſit exenteranda, et fœtus eſtrahendus ab vtero, vt ſine illo infideli partu poſſit licitè in Eccleſia ſepeliri; ſanè ſi fœtus ſit viuus in ventre matris, eſt exenteranda, et extrahendus fœtus viuus, ſi poſſet dari caſus, quod viuat fœtus in vtero matre mortua, nam ſi fœtus viuus ſepeliatur cum matre, iam ſit homicidium culpabile in Eccleſia, ex quo polluitur. Ceterum ſi fœtus ſit mortuus, in ventre matris, non eſt exenteranda, quia fœtus in ventre matris dicitur pars matris, et propter honorem matris Chriſtianæ cum ea debet ſepeliri, nec polluitur Eccleſia. Ita *Suar. Coninch. & Bonac. loc. cit.*

Vtrum quæcumque ſeminis effuſio etiam coniugalis reddat Eccleſiam pollutam, quid ſi ſolum ſit occulta.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod quæcumque voluntaria, et peccaminoſa ſeminis humani effuſio polluit Eccleſiam, *ex cap. Eccleſiis de conſecrat. diſt. 1. & cap. ſi Eccleſ. de conſecrat. Eccleſ. in 6.* quod ſi non ſit voluntaria, vt ſi contingat in ſomnis, aut in vigilia præter intentionem. Ita *noſter Vngarell. V. Conſecrat. Eccleſ. Schol. 2.*

Imo

Imo *Nauar. Tabiena, & Sylu.* quos citat, & ſecuntur *Say. de cenſ. l. 5. c. 16. &* · *en. 14. l. 9. c. 27. n. 8. lit. A, P, & Bonac. de matr. qu. 4. punct. vlt.* putant, ſi ſemen effundatur in ſomnis, etiam ſi fuerit peccaminoſa in cauſa, puta ex vehementi cogitatione, vel intentione rei venereæ in ſomnis, non pollui Eccleſiam, quia cum ſit in omnis facta, non facit aliquam irreuerentiam Eccleſiæ, ob quam Eccleſia polluatur, licèt enim talis pollutio ſit mala in cauſa, attamen vt à dormiente effunditur, non eſt actio libera, & in ſe peccaminoſa, & probabilem putat etiam hanc ſententiam noſter *Ang. loc. cit.*

Adde, quod non eſt neceſſarium, quod effuſio fiat in ſolo Eccleſiæ, ſed vel recipiatur in vaſe fœmineo, vel in panno, adhuc Eccleſia polluta dicitur, quia effuſio prout formaliter mala, & criminoſa, vel vt eſt indecens actus in Eccleſia, in rigore polluit Eccleſiam, per accidens eſt, vt in ſolo Eccleſiæ decidat, aut in alio loco intra ipſam.

Aduertendum eſt etiam, per ſimplicem diſtillationem, vel homectationem ſeminis non pollui Eccleſiam, quia in iure prohibetur effuſio ſeminis, quæ dcit copiam, & abundantiam, ita ex noſtro *Angel.* vbi ſupra, ita etiam *Suar. Graff. Nugnus, & Coninch.* quos citat, & ſequitur *Bonac. loc. cit. n. 19.*

Demum ſeminis humani debet eſſe effuſio polluens Eccleſiam, non autem brutorum, ſemen enim brutorum non facit irreuerentiam Eccleſiæ cum ex libera voluntate non oriatur, & per conſequens talis effuſio nullo modò peccaminoſa, nec Eccleſiæ iniurioſa.

Dico ſecundò, quod copula coniugalis in Eccleſia facta ex neceſſitate incontinentiæ vitandæ in alio coniuge, non polluit Eccleſiam, cum ſit maius bonum vitare incontinentiam in altero coniuge, vtpotè finis Sacramenti Matrimonij, quam reuerentia, quæ debetur Eccleſiæ ex abſtinentia talis actus. Ita ex noſter *Angel. V. Conſecr. Eccleſ. . 6. Azor p. 2. l. 9. c. 4. n. 86. Filiuc. tract. 30. n. 1 . 1. Leſſius l. 4. c. 3. dub. 3. Reginald. l. 29. n. 182. Rebell. 2. p. l. 3. q. 19. Henriq. l. 9. c. 27. & Bonac. loc. cit. contra Nauar. c. 16. n. 32.* & alij.

Imo puto, quod ſi adeſſet neceſſitas procreandæ proles, nec alio in loco poſſit haberi commoditas copulæ coniugalis niſi in Eccleſia, nec polluatur Eccleſia, puta ſi maritus ad Eccleſiam confugiſſet, ibique diu commorari fuerit ſibi neceſſe, nec alio in loco poſſet vti coniugali copula ad procreandam prolem, niſi in Eccleſia, ſanè cum & finis procreandæ copulæ ſit ſacramẽtalis, eſt maius bonum, quam reuerentia debita Eccleſiæ, ergo piè admodum dici poteſt, talem actum coniugalis copulæ factum ad procreandam prolem in neceſſitate tali non polluere Eccleſia. Ita etiam *Angel. noſte. loc. cit.* videtur docere copulam coniugalem ad procreandam prolem non polluere, licèt poſtea videatur cum Gloſa contrarium ſentire tanquam magis conſonum c. *Eccl. præcit.*

Quare copula coniugalis facta in Eccleſia ad ſolam voluptatem, & ſenſualem delectationem, certius eſt, quod faciat iniuriam Eccleſiæ, & per talem copulam cenſenda eſt polluta. Ita noſter *Angel. Nauar. Azor, Leſſius, Henriq. Bonac. loc. cit. Tolet. l. 5. c. 12.* & alij.

Dico tertiò, quod probabile eſt per pollutionem occultam, vel copulam occultam non eſſe cenſendam pollutam Eccleſiam, donec ab ipſis publicetur, occulta enim pollutio, & copula non facit grauem iniuriam Eccleſiæ, quam pia Mater compatitur, donec notoriè conſtet, & tunc probabile eſt, quod non ſit cenſenda polluta donec delectaretur. Ita noſt. *Ang. loc. cit. §. 6. ex gloſ. in c. vnic. de conſecr. Eccleſ. vel Alt. & c. ſignific. & Portel. V. Eccleſ. an addit. nu. . & Nauar. c. 27. num. 256. Graff. 1. p. deciſ. Suar. 3. p. diſp. 81. ſect. 4. Sot. in 3. d. ſt. 23 qu. 2. Coninch. de Sacr. T. 1. q. 83. ar. 3. dub. 1.* & *Bonac. loc. cit. nu. 23.* Vide quæ diximus Diffic. II.

Vtrum ſi effuſio ſanguinis, vel ſeminis fiat in Porta, Atrio, Cœmeterio, Sacriſtia, Choro, vel Campanili Eccleſiæ cenſenda ſit polluta Eccleſia, & an celebrans in Eccleſia polluta pœnam aliquam incurrat.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, quod Eccleſia in hac materia, vt ſit cenſenda polluta per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis accipitur pro illo toto ſpatio, quod ſpectat ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori vſque ad pauimentum. Ita ex noſtro *Angel. V. Conſecr. Cœmeterij, §. 3. Nauar. c. 16. n. 2. Suar. de Relig. l. 3. cap. 9. & 3. p. de Euchar. qu. 81. ſect. 4. Reginald. l. 29. num. 182. Graff. l. 2. c. 48. de tol. aur. Sanch. de matr. l. 9. diſp. 15. Coninch. diſp. 7. de pænit. dub. 1. n. 227. & Bonac. de matr. q. 4. punct. vlt.* Quare

Dico ſecundò, quod ſi ſanguinis, vel ſeminis effuſio facta fuit in porta intra clauſuram oſtij verſus Eccleſiam, polluitur Eccleſia, quia ea pars oſtij ad interiorem partem Eccleſiæ pertinet, quod ſi in medio ſuper liminaris oſtij Eccleſiæ, licèt, vt notat noſter *Vnzarell. ſchol. 6. V. conſecr. Cæmet.* velint aliqui, quod ſit polluta, quia appellatione domus continetur oſtium, & alia, quæ affixa ſunt ædibus, etiam ſi protendatur extra domũ, vt *l. ſi aquæ duct. n, ff. de contrah. empt. & l. Iulia, §. ſi, ff. de ac empt. l. fundum, § penult. & final. eod. tit. & l. cetera, §. ſenatus delega. t.* at tamen quia pœnæ non ſunt extendendæ, cum ſuperliminare reſpiciat partem extroneam Eccleſiæ, ſi ibi fiat ſanguinis, vel ſeminis emiſſio, non eſt cenſenda Eccleſia polluta, modo non pertineat ad Cœmeterium, quod ſi talis effuſio contingerit limen Eccleſiæ ſcilicet, quod attingitur à valuis Eccleſiæ, quia hoc reſpicit partem introneam Eccleſiæ, dicitur polluta Eccleſia. Ita ex noſtro *Angel. Suar. & Bonac. loc. cit.* Hinc

Dico tertiò, quod ſanguinis, vel ſeminis effuſio facta in loco ſubterraneo Eccleſiæ, modo ibi non ſit ſepultura, neque celebretur, non polluit Eccleſiam, quia non ſpectat ad interiorem Eccleſiæ partem, & cenſetur eſſe extra Eccleſiam. Ita etiam dicendum, ſi effuſio ſequatur ſupra tectum Eccleſiæ, in turri, ſeu campanili, atrio, vel in Sacriſtia, in qua non ſit Capella, vel Altare ad celebrandum, quia nullum iſtorum ſpectat ad introneum corpus Eccleſiæ.

Ita communiter Doctores citati, qui etiam aſſerunt, quod in Choro, & in Capellis ſi ſequatur ſeminis, vel ſanguinis effuſio, certum eſſe pollui Eccleſiam, quia pertinet ad introneum corpus Eccleſiæ.

An autem in Eccleſia diruta, cuius tamen fundamenta extant, dicatur pollui ex ſeminis, vel ſanguinis effuſione, videtur diſtinguendum, nam ſi fuerit diruta auctoritate ſuperioris, vt de nouo reficiatur, probabile eſt, quod polluatur, quia non deſinit eſſe locus ſacer, & gaudet immunitate, quod ſi omnino diruta ſit abſque ſpe reædificandi eam, non gaudet priuilegio loci ſacri, vnde nec eſt, quod dicenda ſit polluta, cum iam profanatus ſit locus, maximè ſi altaria corruerint. Ita *Sanchez, & Bonac. loc. cit.*

Dico quartò, quod cum Cœmeterium benedictum authoritate Epiſcopi ſit locus acceſſorius ad Eccleſiam, gaudet eodem priuilegio, quo Eccleſia, acceſſorium enim ſequitur naturam ſui principalis, itaque polluitur etiam effuſione ſeminis, vel ſanguinis, & in alijs caſibus vt ſupra, ſi ſit Eccleſiæ contiguum, ſi verò ſit omnino ſeparatum, ſi ſit authoritate Epiſcopi benedictum, & ibi quandoque celebrentur diuina officia, etiam gaudet priuilegio Eccleſiæ, ſecus ſi non fuerit benedictum ex authoritate Epiſcopi.

An verò polluta Eccleſia, polluatur Cœmeterium contiguum, certum eſt, quia nobilius trahit ad ſe minus nobile, at vero polluto Cœmeterio etiam contiguo, non polluitur Eccleſia, quia minus nobile non poteſt trahere ad ſe magis nobile *ex c. vnic. de conſecr.* vbi etiam habetur, quod ſi ſint plura Cœmeteria ſibi inuicem contigua pariete diſtincta, licèt de vno ad alias per portas intermedias intrari valeat, polluto vno non polluitur aliud. Ita noſter *Angel. Sanch. Bonac. Suar. Coninch. loc. cit. l. . c. 16.*

Collige, quod dormitoria Religioſorum, & partes introneæ Monaſterij, licèt Eccleſijs contigua, quia ſpectant ad extroneã partem Eccleſiæ, ſi in eis fiat effuſio ſeminis, vel ſanguinis, non polluitur Eccleſiæ, limita niſi in ipſis fuerit Altare, in quo celebratur Miſſa, quia in ea parte ſi fiat effuſio, indiget reconciliatione. Ita noſter *Rodriq. T. 1. qq. reg. q. 48. ar. 1. & in R. Greg. 13. de clauſ. Nauar. c. 18. nu. 3. Sanch. l. 9. c. 16 de matr. & Bonac. loc. cit.*

Dico quintò, quod licèt *Azor 2. p. l. 10. c. 26. & Graff. loc. cit.* & alij velint, celebrantem in Eccleſia polluta incurrere ſuſpenſionem ab eo die, quo publicata fuerit eſſe polluta, attamen negãt noſt. ſubtilis Doct. *in 4. diſt. 13. q. 2. §. circa prim. ſciendum eſt, noſter Angel. ex Geminiano in d. c. vnico.* Idem ſentiunt *Sayr. de cenſ. l. 5. c. 14. Henriq. l. 9. cap. 27 Suar. & Bonac. loco citato,* quod in iure expreſsè non inuenitur pœna

aliqua

Google

aliqua Canonica inflicta celebranti in Eccleſia polluta, vt loco citato notat noſter Doctor, vbi tamen peccare quidem mortaliter celebrantem in Eccleſia notoriè polluta docet. Vide V. Eccleſia, &c.

Conſenſus.

Quid, & quotuplex conſenſus, qualiter, & quando præſtandus, ſi per modum ſimplicis complacentiæ, vel authoritatis, vel conſilij, vel pro ſolemnitate, vel pro forma actus, vel contractus ſubeatur à iure.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod conſenſus deriuatur ab hac voce, ſenſus, qui licèt propriè ſumatur ad ſignificandas corporis feneſtras, per quas animus ſentit, & percipit obiecta exteriora, vndè illud proloquiũ; nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu, attamen apud antiquos Authores paſſim tranſumitur ad ſignificandas internas animi operationes, ſcilicet internam animi mentem, & voluntatis complacentiam; quare conſenſus cum componatur ex conſilio, & ſenſus dicitur ſecundum ſui nominis æthimologiam, quaſi ſimul ſenſus, ideſt ſimul ſibi inuicem in aliqua re complacentia, & fit propriè, quando alter alterius deſiderio, & petitioni gratum inclinat mentis, & voluntatis affectum. Quare

Dico ſecundò, quod conſenſus dupliciter in prima ſui diuiſione accipitur, primò pro ſimplici animi condeſcendentia; ſecundò verò pro efficaci influxu in aliquem effectum, qui quatrupliciter ſubdiuidi ſolet ſcilicet primò complacentiæ, ſecundò conſilij, tertiò cooperationis, & quartò authoritatis, & ſi influxus iſte ſit in effectum bonum, primus modus dicitur bonus, ſecundus melior, tertius optimus, quartus pluſquam optimus; è contra ſi influxus ſit in malum effectum. Primus dicitur malus, ſecundus peior, tertius peſſimus, quartus pluſquam peſſimus, de quo dicitur, qui aliorum defendit errorem, multò damnobilior eſt eo, qui errorem committit, quia alijs errorum offendicula præparat, *ex cap. qui aliorum 24. qu. 3. & cap. cum homo 23. quæſt. 5.* vide *Naldum V. conſenſus, nu. 1.* Hinc

Dico tertiò, quod ſi quis ſimplici complacentia alterum damnificauit, nec fuit conſenſus efficaciter influens in damno, non tenetur ad reſtitutionem, modo qui complacentiam ſimplicem habuit de damno illato, non fuiſſet obligatus ex officio damnum imminens repellere, quia ſic teneretur. Vnde

Barones, & alij, quos Rex poſtquam bellum iniuſtum mouere decreuit, vocauit ad præſtandum ſuum conſenſum, non tenẽtur ad reſtitutionem damnorum ex bello iniuſto, quia eorum conſenſus fuit ſimplex complacentia, quia etiam abſque eorum conſenſu, & complacentia, adhuc Rex bellum iniuſtũ, quod decreuerat inferre, mouiſſet, quare Barones non fuerunt cauſa efficax damnorum, ergo nec ad reſtitutionem tenentur. Ita ex *Scoti doctrina in 4. diſt. 15. qu. 2. & Rebell. l. 2. quæſt. 14. ſect. 5. Clan. Reg. l. 10. tract. 2. c. 9. & Bonac. de reſtit. diſput. 1. quæſt. 2. par. 8*

Dico quartò, quod conſenſus ſimplex poteſt præſtari ante factum, in ipſo facto, vel poſt factum; at verò quando requiritur per modum authoritatis, & iuſſionis debet præcedere conſenſus, vt patet *ex l. ſi quis mihi bona, § iuſſum, ff. de acquir. hæred.* & ponit exemplum noſter *Vngarell. V. conſentire ſch. L. in Tutore,* qui in actu gerendo per pupillum, debet authoritatiuum conſenſum præſtare, ſi poſt actionem factam à pupillo ſuum traderet conſenſum, nihil faceret, quia debet neceſſariò præcedere conſenſus, alioquin nulla actio pupilli, quia ſine conſenſu authoritatiuè ageret; hinc etiam Sacerdos alienus aſſiſtens matrimonio, niſi haberet conſenſum Parochi proprij de præſenti, vel antecedenter, nihil facit, quia conſenſus Parochi requiritur non per ſimplicem complacentiam, ſed authoritatiuè; Hinc

Conſenſus, quando requiritur tanquam ſimplex complacentia, poteſt faciliter ratihaberi à ſuppoſitione taciti conſenſus, at verò quando requiritur conſenſus per modum authoritatis, & licentiæ, debet neceſſariò præcedere, vel ſaltem in ipſo actu adeſſe præſentialis ratihabitio, vt dictum eſt de Tutore, & Parocho, & etiam in Sacerdote confeſſiones audiente in præſentia Epiſcopi in ipſo actu ratum habentis actum, poſt autem factum ad nihil valeret ratihabitio, quia iam eſſentialiter fuit nullus; Vide *Angel. noſter V. Conſentire, § 4. Nald. ibid. n. 10. & deciſ. Rot. 788. n. 15. in nouiſs.*

Porrò ſi conſenſus requiratur per modum conſilij ad validitatem actus, neceſſario debet præcedere actum *ex l. cum in veteri de elect.* quia poſt factum non eſt conſilium, operatur ergo conſilium ante factum, ſi ergo requiratur ad validitatem actus conſenſus per modum conſilij, nullus erit actus, ſi non expectetur ante ipſius executionem, quare nec ratihabitio reualidare poteſt actum nullum ex omiſſione conſenſus per modum conſilij, vt patet rectè ratiocinanti.

Dico quintò, quod conſenſus quando requiritur ad ſolemnitatem actus, vt interueniat cum tempore, inualidus eſſet, ſi poſtea interueniret, *ex l. auditis, & c. quia propter de elect.* & ponit exemplum noſter *Vngarell. V. Conſentire ſch. M,* de electione, in qua tali determinato die debet omnium electorum interuenire conſenſus, ſi adueniat minor pars non valeret, nec poſſet die ſequenti ab alijs aduenientibus ratificare.

At verò ſi conſenſus ad ſolemnitatem actus non determinaretur tempore, poteſt quandocumq; ſuppleri, puta vt exemplificat noſter *Vngarell. ſch. N.* Alienatio temporalis facta ſine conſenſu capituli, per ratificationem eius roboratur *ex c. cum nos de his, quæ fiunt à Prel.* conceſſio enim facta à Prælato capitulo reclamante, licèt ſit nulla, tamen ſi capitulum tractu temporis ſuum præſtat conſenſum, valebit conceſſio, prout ex nunc, quando adeſt conſenſus, & non antea.

Quæ tamen doctrina non valet in ſacramentorũ confectione, nam requiritur ſaltem virtualis conſenſus conficiendi, ſacramentum enim quando actu non conficitur ex defectu intentionis, ſeu conſenſus, non poteſt tractu temporis confici, quia conſiſtit in illo nunc ſigni ſenſibilis applicatione cum debita forma, & intentione.

Nota etiam hic, quod conſenſus præſtandus à communitate, non ſufficit, ſi ſinguli diuiſim conſentiant, quia ſinguli diuiſim non faciunt communitatem, nec collegium, nec capitulum, vt habetur in *c. genus de elect. & l. 2. c. de decurione;* Vide *Angel. noſter loc. cit. § vlt. Panormit. in c. cum in eccl. de cauſa poſſeſs.* Idem firmant *Ioann. Calderinus in c. cum omnes de conſtit. & Bartol. in c. omnes pupilli, ff. de Inſtit.* quicquid *gloſ. in contrarium reclamet in cap. 1. de re elect. non abſor. in 6.* quare aduertant hic Miniſtri Prouinciales, quod actus faciendi à diffinitorio cum conſenſu diffinitorum, non poſſunt exequi conſenſu ſeorſim extorto à diffinitoribus abſentibus, vel præſentibus non congregatis in vnum, vt eſt in electione Guardianorum, Nouitiorum receptione, & ſimilibus, quia nulla eſſet electio, & receptio.

Nota etiam, quod conſenſus requiſitus ex ſtatuto, & negatus ex legitima cauſa, poteſt à ſuperiore impetrari, vt ab ipſo ſuppleatur *ex c. nullus de iure patron.* Ita *Abbas in cap. quod Dei nu. 13. de ſtatu Monach. & in c. inter ita n. 13. de preb. & Naldus V. conſenſus n. 5.*

Dico ſextò, quod quando conſenſus requiritur pro forma, tunc debet eſſe expreſſus, & non ſufficit tacitus, vt eſt in ſacramento Matrimonij, in quo non ſufficit tacitus conſenſus, cum iubeatur expreſſus à *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1.* ſufficit tamen, vt ſit expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, nec enim ſemper eſt neceſſarium per verba exprimere conſenſum, ſed ſufficit per ſufficientes nutus, aliter ſurdi, & muti non poſſent contrahere matrimonium; Itaque quando requiritur conſenſus expreſſus pro forma contractus, ideſt quando actus dicitur nullus à iure, niſi adſit expreſſus conſenſus, licèt ſufficiat exprimi cum nutibus exprimentibus clarè conſenſum præſentem, non tamen valebit conſenſus tacitus, qui poſt contractum videtur ſequi ex actibus, & factis debentis conſentire, vt notat *gl. deciſ. 128. Seraphin.* quia forma conſenſus habetur ex expreſſione præſenti in contractibus ſolemnibus.

An verò conſenſus, patris matris, vel tutoris ſufficiat pro puella præſenti tacente, ita vt eius taciturnitas ſit habenda pro conſenſu expreſſo, affirmant aliqui *ex c. vnic. de ſponſ. impuberum,* negant alij cum noſtro *Baſſol. in 4. diſt. 27. qu. 1. ar. 1.* quia Pontifex in illo textu loquitur de ſponſalibus contrahendis, non autem de matrimonio, in quo maior libertas requiritur, vt optimè probat *Pontius de matr. l. 2. cap. 14.* ſed de hoc V. matrimonium fuſius. Vide etiam circa hanc difficultatem

noſtrum

Digitized by Google

noſtrum *Vngarell.V.conſentire ſchol.D*, vbi habet, quod pater agit de voluntate filiæ, quando eſt præſens,& non contra dicit,ſed in rebus non pertinentibus ad contractum ſolemnem puto loqui,nam infra loquens de patre impetrante legitimationem ſciente filio,& non contradicente, non propter hoc dicitur conſentire,quia ad hoc pro forma requiritur conſenſus,atque adeo debet eſſe expreſſus.

Quomodo, & in quibus caſibus ſit vera illa Regula: Qui tacet, conſentire videtur.

DIFFIC. II.

Difficultatem hanc iure noſter *Angel.* brocardicam vocat *V.conſentire in fine,§.primi*, ex eo,quod multas patitur limitationes apud Iuriſtas,& Canoniſtas,etenim cum taciturnitas in conſenſus præſtatione ſit medium inter expreſsè conſentire, & expreſsè contradicere, præſumptio iuris ſtare videtur potius pro conſenſu,quam pro contradictione. Ita *Panormit.in c.nonne de præſumpt.* vbi plenè de hoc materia, & *gloſa in reg. qui tacet in 6.* quia verò ex iuriſdiſpoſitione non ſemper tacitus conſenſus validat actum, ideò multæ ſunt diſtinctiones,& limitationes allatæ pro hac regula ritè intelligenda,cum ergo hæc ſit materia potius Iuriſtatum, quam Canoniſtarum, volui de verbo ad verbum hic ſubnectere limitationes multas, quas in hac Difficultate affert noſter *Ang.V.conſentire*, *cum Vngarell. eius ſcholiaſt.*

Dico ergo, quod conſentire videtur, qui tacet in actu honorabili, & concupiſcibili non autem in actu vituperabili,& præiudiciali, in quo verecundum eſſet loqui,& contradicere, quia plerumque in hoc potius diſſentire videtur tacens. Ita *Angel. ſecundum Innoc.in c.1.Geneſi,gloſ.in V.collatio de elect. & l. filiusfamil. ſ.innitus, & ibi gloſ.ff.de procur. & gloſa in c.plerumque 2. qu.7.* exemplificat *Vngarell.ſch.6.* de officio procuratorio, vel quod res ſua ſeruiat, quia neceſſarius eſt expreſſus conſenſus,& non ſufficit tacere.

Limitatur hæc doctrina *a Ioanne de Imola in c. videtur de locat. & à gloſa in c.diac.27. diſt. & in l.qui patitur ff.mand.* quod quando actus, qui fit in præiudicium, valet etiam ipſo contradicente, tacens non videtur conſentire,ſecus ſi nõ valet, niſi prius conſentiat, quia tunc tacens videtur conſentire, exemplum primi; Vendo rem alienam Domino præſente, & tacente,& ſic non videtur conſentire,quia etiam abſente ipſo, & contradicente potuit vendi in præiudicium vendentis res alienas,vt notatur in *l.rem alienam ff.de contr.empt.* ſicut,& legare Teſtatores poſſunt rem alienam in præiudicium ſui hæredis, vt notatur in *c.filijs de Teſtam.* Exemplum ſecundi,impignorat quis rem alienam præſente Domino, & ſic tacens videtur conſentire, quia poterat contradicere, nam requiritur eius conſenſus, vt notatur in *l. Caius ff. de pignor. act.* licèt *Vngarell.* non admittat hoc exemplum *in ſch. C.* quia non infertur præiudicium mihi, ſi rem meam me præſente obligas, *ex l.ſicut, non videtur,ff quibus mo.pign.* vel *hypot.ſol.* vbi dicitur,quod ſi Dominus rei vendidit rem obligatam alicui præſente creditore, & tacente, nullum præiudicium ſit creditori, cum ſciat ius ſuum vbique durare.

Confirmat tamen *Angel.* ſuum exemplum *ex l.ſæpè,§.narrant his,ff.de re iudic.facit. l.ſeruus communis,ff.de donat. inter vir.& vxor,* vbi frater donans rem communem ſibi, & fratri præſente fratre, & non contradicente, valet conceſſio, quia præſumitur conſentire, facit *c.continebatur de his, quæ fiunt à Præl.* vbi habetur. Quod

Si Prælatus contulit beneficium præſente Capitulo, & non contradicente, tenet collatio, quia præſumitur conſentire, & facit, quod notat *Bald. in l.ſi tutor c.in quibus cauſ. Reſtit. in integ.non eſt neceſſ.* vbi dicit. Quod

Si quis ſcit ſe aliquem gerere pro ſui Procuratore, tunc ſi contradicendo poteſt eum impedire, ſi tacet, conſentit. Immo addit *Vngarell.ſch. D,* famoſum dictum *Innoc. in c. ex parte Decani de reſcript.* ſi quis agit nomine meo ſine mãdato meo, me tamẽ præſente,& non contradicẽte,dicitur agere de voluntate mea,& dicor ſibi mandare. Immo addit *Vngarell.16.*

Si Clericus prorogat iuriſdictionem Iudicis alieni præſente Epiſcopo, & non contradicente, dicitur ſuus Epiſcopus conſentire. Ita *Abbas in c.ſignificaſti de for.comp.* Inſuper ex eodem *Vngarell.*

Si quis cognoſcit de re feudali præſente Domino, & non contradicente,habetur pro conſentiente. Ita *Andr.de Iſernia in c. Imperialem,§.præterea de prohib.aliq.pact.& ibid.* docet *Vngarell.* Quod

Si pater præſente filia, & non contradicente, agat aliquod ad filiam ſpectans, dicitur agere de voluntate filiæ; ita notant *Doctores in l.2. §. voluntatem, ff.de ſolut. matrim.* ex quibus habetur. Quod

Si ſtatutum mandet aliquid fieri citatis aliquibus cum conſenſu, & voluntate, eorum præſentia ſolum operatur conſenſum,niſi expreſsè contradicant; Ita *Abbas in c.veſtra ad fin. de locat.& in c.fin.col.3.de ſeruis,& Angel.in l.1. §. Marcell. ff.ſi cui pluſquam per l.falcid.per unam gloſ.ibi.* Item ex *Ang. noſtro 16.*

Si inter habentes cauſam communem,vnus illorum conſtituit procuratorem, ſi alij non contradicant,& taceant,videntur conſentire in eandem perſonam *ex Bald.in l.2. §.voluntatem,ff.ſolut.matr.* vbi docet,quod quando conſenſus requiritur ad habilitandam perſonam, non contradictio habetur pro conſenſu, *vt in l. quo enim §.1. ff.rem ra.ha.* ex quo arguit *Bald.* quod ſatiſfactum fuit ſtatuto Florentinorum requirenti conſenſum conſanguineorum in contractibus,ſi conſanguinei ſciuerint contractum, & non contradixerint,valuiſſe contractum. Vnde

Si Pupillus maior infante vna cum Tutore ingreſſus eſt poſſeſſionem,per hoc legitimè comprehenſa eſt hæreditas,nec obſtat, quod authoritas debeat præſtari verbis expreſſis, vt habetur *l.1. ad fin.de auth. Tut.* quia hoc eſt verum circa actus expreſſos, ſed in tacitis tacitè loquitur rebus iſtis, & factis, iuxta illud, & factis loquimur, *arg. in l.1.de quibus, ff.de leg.* Item *Bald.* dicit *in leg. mandatum, l. mand. in 3. columna.* Quod

Si ſocietas contracta fuit cum patre pupilli, ſi interueniat deinde patientia Tutoris non contradicentis, dicitur renouata ſocietas.

Si filius vixit ſeorſim à patre negotiando per decem annos ipſo patre ſciente, & tacente, nec contradicente, præſumitur emancipatus.

E contra verò affert noſter *Vngar.* alios caſus,in quibus taciturnitas non dat conſenſum, quare ait Quod

Si pater impetrat legitimationem filij naturalis filio ſciente, & non contradicente, non per hoc dicitur conſentire, *in l. in adoptiomb. in V. non contradicendo,ff.de Adopt.quam allegat pro ſingul. Roman.ſingulari 417.* Item

Si Teſtis non iuratus deponat contra me præſentem, & non contradicentem, non propter hoc videor conſentire. Ita *Ioann. Andr.in c.nuper de Teſti.* Denique

Si in inſtrumento dicatur: Ego conſtituo Procuratorem meum Titium ibi præſentem, & intelligentem, & tacentem, nec contradicentem, non propter hoc dicendus eſt, Titius acceptaſſe procurationem, niſi exprimat, & dicat ſe acceptare procurationem, quia in præiudicialibus requiritur expreſſus conſenſus.Ita *Vngarell.ex Bald.et Paul.de Caſtr.in l.innitus per gloſ.ibi.c.de procurat.*

An verò obligatus conſenſum præbere in parlamento, vel diſſenſum expreſsè, ſi taceat in damnum communitatis, peccet, & teneatur ad reſtitutionem;videbitur infra Verbo Conſiliarius.

Conſeruatores.

Quid, quotuplex ſit Conſeruator, & qua dignitate præditus, an ſubdelegare valeat, & quando nominandus, & an etiam ſæcularis pro Eccleſiaſticis eligendus.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod Conſeruator generaliter loquendo cum Iuriſtis eſt Iudex à Principe delegatus, ad quem ſpectat tueri, & conſeruare miſerabiles perſonas aliquam patientes iniuriam in ſuorum iurium, rerumque poſſeſſione. Miſerabiles verò perſonæ dicuntur Pupilli, Viduæ, Aduenæ, Pauperes, & ſimiles, inter quos etiam Mendicantes Religioſi includuntur, morte autem concedentis regulariter eius expirat

rat officium, vt habetur ex *c.fin. §.vt autem de off. deleg. in 6.* Ita noſtri *Rodriq.T.1.quæſt.65.art.1. Miranda T.1.quæſt.47. Hyer. Rodriq.in Compend. reſol.33. Gutier.l.3.pract. quæſt.9. Riccius in collect. deciſ.p.4. coll.899.* At verò vt de Conſeruatoribus ſpecialiter Regularium hic eſt ſermo.

Dico ſecundò, quod Conſeruator Regularium dicitur Iudex à Papa delegatus, ſed ab eo, cuius intereſt nominatus habẽs ius tuendi patientes à manifeſtis iniurijs, & violentijs, vt colligitur ex *c. hac conſtit. de off. deleg. in 6. & ex bullis Eugen. IV. Nicolai V. Sixti IV. Benedicti XI. Clem. VII. Innoc. VIII. Iulij II. Leonis X. Greg. X. Gregor. XIII. Pij V. Clem. VIII.* qui omnes conceſſerunt Conſeruatores Regularibus pro ſuis priuilegijs, & iuribus tuendis, & ſeruandis; Adde quod in *Concil. Trid. ſeſſ. 15. c. 10. de Reform. & ſeſſ. 14. c. 5.* eodem tit. eſt ſermo de Conſeruatoribus Regularium.

Hodie tamen conſulenda eſt conſtitutio *Gregor. XV.* quæ incipit, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, publicata 20. Septembr. 1621. quia per ipsã multæ antiquiores diſpoſitiones reuocãtur, multæ confirmantur, vnde cautè legendi *Rodriq. Miranda, Portell.* & alij qui ante hanc conſtitutionem editam ſcripſerunt. Quare

Dico tertiò, quod Conſeruatores in duplici genere conſiderari poterant in præfatis conſtitutionibus, etiã Gregoriana vlt. nam aliqui dantur pro Regularibus exiſtentibus extra Clauſtra propter aliquod ſeruitium non pertinens ad ſuam religionem, licèt cum licentia ſuorum ſuperiorum, vel Sanctæ Sedis Apoſtolicæ extra clauſtra viuant, & pro iſtis deputantur Conſeruatores Iudices, qui in omnibus eorum cauſis procedant etiam ſi iudiciali indagnẽ indigeant, quando rei fuerint Præfati Regulares, de quibus *Concil. Trid. ſeſſ. 7. c. 14. de Refor. & ſeſſ. 25. c. 10.* qui iuxta hoc caput debebant eſſe electi in Synodis Prouincialibus, vel Diœceſanis ab ipſis Epiſcopis, præter iſtos dantur etiam alij Conſeruatores pro iniurijs notorijs tuendis contra priuilegia, & iura regularium, qui abſque iudiciali indagine procedunt, & iſti ſimpliciter eligebantur à Prælatis Regularium independenter ab illis, qui in Synodis creabantur.

Verum hodie non poteſt hoc idem genus Conſeruatorum practicari a Regularibus intra clauſtra degentibus, nam Gregorius XV. quoſcũque Conſeruatores etiam à Regularibus eligendos pro ſuis priuilegijs tuendis decernit eſſe de illis, qui in Synodo Diœceſano, vel Prouinciali ſunt electi in Iudices, vt infra ex eius verbis videbitur. Quare

Dico quartò, quod Conſeruatores eligendi hodie a Regularibus ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, & inhabitatis, vt infra ſub hiſce verbis à Gregorio XV. in præfata ſua Conſtitutione declarantur, *Iudices Conſeruatores huiuſmodi ſiuè principales, ſiuè ſubrogati eligi, deputari, aut nominari non poſſint, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in cap. ſtatutum de reſcript. in 6. vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in Concilijs Prouincialibus, aut Diœceſanis iuxta decretum Concilij Tridentini prædicti ſeſſ. 25. cap. 10. de Reformatione Iudices electi, ſeu deſignati ſint, quandocumque deinceps litteræ conſeruatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ ſupra ſcriptis tantum dirigantur, & ſi quæ litteræ aliter expedirentur illæ, ac deputationes huiuſmodi, omniaque exinde ſequenda, nullius ſint roboris, vel momenti, & Regulares alijs vti audentes voce actiua, & paſſiua ſint ipſo iure priuati à nemine habilitãdi niſi per Sedem Apoſtolicam, alijs pœnis arbitrio S.S. coerceantur.* Hæc Gregorius XV.

Itaque hodie ſolum dignitate Eccleſiaſtica fulgentes quales ſunt Epiſcopi, Abbates, ordinariam poteſtatem habentes, & ſuperiores Regulares, tam Generales, quam Prouinciales, & locales etiam quia habent iuriſdictionem in ſuos ſubditos dicuntur prælati, & dignitatem Eccleſiaſticam habere dicuntur de iure communi, licèt noſtris hoc munus acceptare ſit prohibitum per *Clement. Exiui*.

Limita tamẽ, modò fuerint iſti Regulares Prælati electi Iudices in Synodo Prouinciali, vel ſynodali iuxta diſpoſitionem Gregorij XV. vnde hodie circa hæc ceſſant priuilegia data Regularibus Prælatis, vt poſſint eligi Conſeruatores, vide *Barboſ. de poteſt. Ep. alleg. 106. nu. 11.* niſi fuerint Iudices ſynodales, hinc Sacr. Congr. die 2. Martij 1619 declarauit Abbatem Oliuetanum poſſe eligi Iudicem Conſeruatorem, ſi fuerit electus Iudex ſynodales. Ita *Sellius in ſel. can. c. 12. n. 2.*

Secũdò Conſeruat. eligi poſſunt perſonatum habentes ideſt dignitatẽ cũ ſola preeminentia abſq; iuriſdictione, & huiuſmodi ſunt Archidiaconi, Archipræsbiteri, Præpoſiti, Primicerij, Decani, & Canonici etiam Cathedralium Eccleſiarum, non autem Canonici inferiorum Collegiataeum, & ſi per hanc Gregorianam non ſunt reuocata priuilegia data circa hanc materiam à Clement. VII. pro Minimis, à Pio V. pro Prædicatorum Ordine, & à Gregorio XIII. pro Ieſuitis, etiam Vicarij Generales Epiſcoporum poſſunt eſſe Conſeruatores.

Tertiò, eligendi Conſeruatores neceſſariò debent eſſe ex illis, qui ſunt electi Iudices in Conc. Prouincialibus, & Synodis Diœceſanis ab Epiſcopis, qui plures in ſynodo, vel Concilio debent eligi, vt in decedentium locum ſubrogari valeant, quod ſi quandoque omnes deceſſerint, antequam alij eligantur, poteſt eos Epiſcopus cum Capituli Conſilio ſubſtituere ex *Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 10.* cum conditionibus tamen poſitis.

An verò iſti Conſeruatores poſſint delegare cauſas, quas ſuſceperint alijs, affirmatiuè reſpondẽt tam antiquiores, quam Moderniores, ita enim habetur ex *c. ſtatutum*, niſi aliter caueatur in ſuis litteris ex *c. hoc conſtit. de offic. deleg.* vide noſt. *Ang. V. Conſeruator, . vltim.* Conſeruatores tamen Regularium poſſunt delegare, vt patet ex illo verbo appoſito à Greg. XV. vbi ſupra (ſiuè principales, ſiuè ſubrogati) & conceſſum fuit Conſeruatoribus Regularium à Sixto IV. pro Carmelitis, à Clem. VII. pro Minimis, & à Greg. XIII. pro Ieſuitis, modò eaſdem habeat conditiones delegatus, quales requiruntur in ipſo Conſeruatore delegante, vt patet ex dicto Gregorio Decimoquinto,

Dico quintò, quod ex Gregorio XV. in præfata conſtitutione, qui citat Gregor. XIII. habetur tempus intra quod nominari debent à Regularibus Conſeruatores ſub hiſce verbis; *Regulares, & perſonæ huiuſmodi in Italia infra duos menſes, extra infra ſex menſes à die publicationis debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſeruatores, & penes acta curiæ documentum dimittere, alioquin eo termino elapſo, quandiu non elegerint, coram Ordinarijs conueniantur.*

Aduertit tamen hic *Barboſ. in collectan. Bull. V. Regulares*, quod etiam poſt duos, vel ſex menſes præfixos, poſſunt Conſeruatores nominare ex declaratione Sacr. Congregat. Conc. quod ſanè colligitur ex illis verbis (quandiù non elegerint) ergo quandocumque elegerint etiam poſt dictum tempus non debent coram Ordinarijs conueniri, an vero hic ſit ſermo de quocumque Regulari videbitur in Difficultate ſequenti.

Dico denique ſextò, quod Regulares, & Eccleſiaſtici non prohibentur habere etiam Conſeruatorem ſæcularem, ſed non contra Eccleſiaſticos, nec in cauſa Eccleſiaſtica, & ſpirituali, ſed contra ſæculares in cauſa temporali, & ipſi Eccleſiaſtici petentes Conſeruatorem ſæcularem ſint Actores, & non Rei, ita Gregorius XV. in præfata Conſtitutione ſub his verbis; *Per hoc tamen non intendit ſanctitas ſua prohibere, quo minus Regulares, & alij prædicti in caſibus à iure permiſſis petant Iudicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus, dum tamen tria copulatiuè concurrant, videlicèt, vt Regulares, & alij ſupradicti ſint Actores non autem Rei, vtque agant contra laicum, non autem contra Eccleſiaſticum, vel alias à iuriſdictione ſæculari exemptum, atque, vt cauſa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea iuxta Sacr. Can. diſpoſ. laicus, vt præfertur, eligendus Iudex competens exiſtat*, &c.

Vtrum quilibet Regularis poſſit conueniri coram ordinario ſi intra præſcriptum tempus à Greg. XV. non nominauerit Conſeruatorem Iudicem pro ſuis cauſis paſſiuis.

DIFFIC. II.

MVlta congerunt pro hac difficultate diſſoluenda noſtri *Rodriq. T. 1. qq. Reg. q. 65. ar. 13. Hier. Rodriq. in Comp. reſol. 36. & Miranda q. 47. ar. 14. contra Gutier. l. 3. pract. qu. 9. & 10.* putantis Regulares poſſe conueniri in cauſis ciuilibus coram Ordinarijs, ſi non habuerint deputatum Iudicem Conſeruatorem iuxta conſtitutiones ſuo tempore validas, & mentem Conc. Trid. quia tamen hodie loquendum eſt in terminis conſtitutionis Gregorij XV. maior adeſt difficultas, dum videtur in verbis aſſignatis in ſuperiori diffic. dico quintò, velle

Digitized by Google

Regulares quouſque non elegerint Conſeruatores in cauſis ciuilibus poſſe coram ordinario conueniri, pro qua difficultate diſſoluenda.

Notandum eſt, quod Greg. XV. certum eſt, quod nihil innouauit contra Concilium Tridentinum, ſed ſolum aliqua priuilegia particularia ſuſtulit *Concilium* ergo *Tridentinum ſeſſ.* 7. *c.* 14. contra Regulares ſolum extra Monaſterium degentes concedit, ſi Iudicem non habuerint, coram Ordinarijs compelli poſſe, contra ergo Regulares intra clauſtra degentes nullam facit diſpoſitionem, ſed iuxta ſua priuilegia, & exemptiones contra ipſos procedendum reliquit, ſicut monet idem *Concil. ſeſſ.* 14. *c.* 5. pro regularibus ergo extra clauſtra degentibus ex ſpeciali priuilegio, vel licentia, vtpotè non habentibus immediatum ſuperiorem conſtituuntur Iudices Conſeruatores, coram quibus poſſunt conueniri, quod ſi tales non elegerint præfati Regulares, coram Ordinarij vocantur iudicandi, ne cauſæ indeciſæ, & inuendicatæ remaneat, at verò intra id genus Regularium non ſunt illi, qui extra Monaſterium degunt ſeruientes alicui beneficio regulari, ſub ſuorum Superiorum obedientia, quia iſti ſunt ſubditi immediati ſuorum Prælatorũ regularium, & ab ipſo cognoſcuntur, puniũtur, & deponuntur & ita declarauit Sacra Congregatio Concilij relata apud hoc Concilij Capitulum, quia verò regulares in clauſtris degentes vel extra ſub obedientia ſuorum Prælatorum habent Superiorem coram quibus conueniri poſſunt iuxta ſua priuilegia non decernit, vt ſi quando Conſeruatores non elegerint apud Ordinarios citentur, ſed iuxta ſuas exemptiones iudicandi relinquuntur.

Dicendum ergo Gregorium Decimumquintum iuxta mẽtem Concilij Triden. in prædicta conſtitutione locutum fuiſſe ſolum de Regularibus extra clauſtra degentibus, quod in cauſis debeant citari apud Ordinarios quandocumque non elegerint Conſeruatores; & enim Regulares intra clauſtra degentes habent ſuos Prælatos regulares immediatos, coram quibus debent conueniri iuxta eorum priuilegia, & exemptiones per tot Concilia, & Apoſtolica indulta conceſſa, quæ Gregor. XV. in tali conſtitutione non annullat ſpecialiter, vt deberet, declarando Regulares etiam intra clauſtra degentes vocandos coram Ordinarijs, & non coram ſuis Prælatis, quandiù Iudices Conſeruatores non elegerint, dum ergo ſpecialiter non derogat exemptioni regularium, ſignum eſt voluiſſe ſolum ibi loqui de Regularibus extra clauſtra degentibus iuxta mentem Concilij Tridentini, & de Conſeruatoribus ipſis conſtituendis iuxta mentem Concilij pro omnibus cauſis etiam, quæ iudiciali indagine indigent, etenim quia iſti regulares degentes extra clauſtra non habent ſuperiorem immediatum, coram quo conueniri valeant in quibuſcumque cauſis etiam indagine iudiciali requirentibus conſtituit pro eis huiuſmodi conſeruatores, vt notat noſt. *Rodr. loc. cit.*

At verò Conſeruatores Regularium intra clauſtra degentium abſque iudiciali indagine in manifeſtis ſolum iniurijs tuẽdis contra eorum priuilegia, & iura conceduntur ſolum modò, itaque pro alijs, quæ iudiciali indagine indigent apud ſuos Prælatos iuxta ſua priuilegia, & exemptiones ſunt vocandi, & non coram ordinarijs, hinc pro Cartuſienſibus Nicolaus, V. declarauit apud noſtr. *Rodriquez. loc. cit.* quod nullo modo coram Conſeruatoribus conueniri valeant, ſed apud ſuos Prælatos, quorum priuilegio gaudent alij communitates.

Patet ergo in dicta conſtitutione Gregorij XV. non eſſe ſermonem de regularibus intra clauſtra degentibus, ſed de iis, qui extra clauſtra viuunt. Ita noſter *Sanctor. in comment. conſtit. ord. c.* 12. *ſtatuto* 11. *pag.* 900. aliter omnia priuilegia exemptionum regularium, ablata eſſent, quod ſummus Pontifex nullo modo ibi intendere voluit, quia ſpecialibus clauſulis in tanto negotio eſſet vſus.

Vtrum Conſeruator electus teneatur huiuſmodi onus acceptare, & an emolumenta aliqua pro eo exercendo accipere valeat, & quanto tempore in ipſo perduret, & iuxta libitum valeat amoueri, & continuari.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod Conſeruator legitimè electus licèt regulariter non teneretur acceptare tale onus, ex eo quia nullus tenetur ex præcepto ad ea opera, quæ ſunt meræ charitatis, attamen hodie qui eſt à Regularibus electus ad Conſeruatoris munus, abſque legitima cauſa ſi nollet acceptare, peccaret mortaliter, quia tale onus à Pontificibus Summis iubetur acceptandum, & ſub excommunicatione reſeruatę Papæ præcipitur acceptandum Conſeruatoris officium pro minoribus à Iulio II. pro Dominicanis à Pio V. & pro ceteris Regularibus ab Innoc. VIII. & à Leone X. vide noſtrum *Rodriq. T.* 1. *qu.* 65 *ar.* 4. *Miranda T.* 2. *quæſt.* 47. *artic.* 1. & 2. *Portell. Verb. Conſeruator num.* 1. *Peyr. in conſt. Iul. II. n.* 30.

Dico ſecundò, quod Conſeruatores pro onere quod ſuſtinent, emolumenta temporalia, quæ accipere valeant docetur *in c. hac conſtit. de deleg. in* 6. vbi habetur, quod nihil accipiant, *Niſi poculentum, vel eſculentum, quod paucis diebus conſumi poſſit, vel niſi, cum propter cauſam commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas à partibus æqualiter, recipere præſumat, & vbi fuerint pauperes notabiliter litigantes nihil prorſus exigere;* ita etiam habetur *in c. ſtatut. de reſcript.* idem dicendum pro Aſſeſſore, quem ſolum in neceſſitate poſſunt aſſumere, & pro Notario, quod poſſint à partibus æqualiter accipiendo prouidere de competenti ſalario iuxta morem Patriæ, pro ſe ipſis autem præter poculentum, & eſculentum modò explicato, ſi accipiant, ad reſtitutionem tenentur.

Ceterum licèt temporalia non accipiant pro ſuis laboribus Conſeruatores, recipiunt tamen à Regularibus ſpiritualia, nã cum Fratribus communicant in piis operibus in vita, & in morte, in qua Indulgentiam plenariam lucrantur ex Iulio II. & Clemen. VII. qui etiam conceſſit Generali Minorum, vt Conſeruatoribus poſſint indulgentiam plenariam elargiri ſingulo quoque triennio, & indulgentias omnes, quæ ſunt intra, vel extra menia vrbis, ſi quinquies recitauerint pater noſter, & Aue Maria. Vide *Peyrin. in conſt.* 9. *Clem. VII.* ſ. 2.

Dico tertiò, quod Conſeruatores ſemel electi durant per quinquennium, nec à tali officio poſſunt amoueri, nec alii eligi intra dictum tempus, niſi legitima de cauſa; ita Greg. XV. in ſecunda ſua conſtitutione (Conſeruatores huiuſmodi ſemel deputati, niſi legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout eiſdem Regularibus, aut aliis prædictis libuerit approbanda, durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus poſſint.)

Aduerte tamen hic certum eſſe Conſeruatores datos Regularibus extra clauſtra degentibus non poſſe vltra quinquennium continuari, quia id expreſsè prohibetur à *Conc. Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. ſub his verbis, (nullus etiam ſimilium litterarum beneficio vltra quinquennium gaudere poſſit.) An verò Cõſeruatores dati Regularibus intra clauſtra degentibus pro manifeſtis iniuriis propulſandis contra priuilegia Regularium poſſint continuari vltra quinquennium, negat noſter *Rodriq. q.* 65. *ar.* 9. putans ſub eodem Concilii præcepto prelato includi, attamen noſter *Sanctor. in Comment. conſt ord. c.* 12. *ſtatut.* 11. *Peyr. in hac conſtit. Greg.* §. 2. *n.* 20. & *Maſſob. de Syn. Dioceſ. c.* 4. *dub.* 15. probabiliter affirmant poſſe continuari vltra quinquennium, ſi tandiù eſſe Iudices approbati in Synodis, vel in dignitate perſeuerauerint, nam ſi alii Iudices in Synodis eligantur, nec ipſi confirmentur, vel ſi fortè dignitati renunciauerint, non ſunt amplius idonei Conſeruatores, vndè etiam ante quinquennium ceſſat in talibus caſibus, probabile ſanè eſt, quod poſſint continuari iſti Conſeruatores pro tuendis priuilegiis, & vitandis iniuriis electi à Regularibus intra clauſtra degentibus vltra quinquennium, quia non prohibentur continuari vltra quinquennium, prohibentur tamen non poſſe mutari ante quinquennium, quod autem Concilium ibi ſolum loquatur de Conſeruatoribus pro exiſtentibus Regularibus extra clauſtra patet textum illum attentè legenti.

Cauſæ autem ob quas poterunt ante quinquennium mutari

Con-

Conſeruatores ſunt omnes, quæ validæ ſunt ad renouandum Iudicem, puta inimicitia ſuborta, impotentia, negligentia, & aliæ, quas vide V. Iudex.

An verò quoad negotia cepta expiret eorum authoritas expleto quinquennio, affirmant Doctores *in cap. ſi propter ſua debita V. Quinquennium de reſcript. in 6.* aliter poſſet dari caſus, in quo Conſeruatoris poteſtas duraret per aliud quinquennium contra voluntatem concedentis, permiſſum autem ad tempus poſt illud cenſetur prohibitum *ex l. 1. ſi mulier ff. de lib. agnoſc.* & vt notant noſtri *Rodriq. reſol. 33. n. 7. Miranda loc. cit. ar. 6.* in odio ſis ſtricta facienda eſt interpretatio quod non duret vltra quinquennium etiam quoad negotia inchoata. Ita etiam *Rota Romana, Crauetta, & Tiraquell.* quos citat, & ſequitur *Moneta c. 10. q. 2. n. 334. & Bonac. de cenſ. in part. in hac conſtit. Greg. XV.* Nec valet ſi dicatur, quod expirat facultas morte concedentis quoad negotia cepta *ex c. hac conſtit. de offic deleg.* ergo nec lapſu termini, nam hoc ſpeciale eſt ratione mortis conceſſum, non ratione termini elapſi, quod cũ non ſit conceſſum expreſſè termino elapſo non debet extendi vltra intentionem concedentis, vt docent noſtri *Hier. Rodriq. & Myranda loc. cit.* præterquam quod à diuerſis, & diſparatis non valet illatio *ex l. Papinianus exule ff. de minorib.*

Vtrum Conſeruatores valeant indifferenter ſua authoritate procedere in omni cauſa, an quo Regulares Actores ſunt, vel Rei ſiuè pro locis, ſiuè pro famulis, ſiuè pro animalibus in cauſis manifeſtæ iniuria, & violentia.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod conſeruatores dati Regularibus, & alijs iuxta decretum Concilij Tridentini non poſſint procedere in cauſis ciuilibus, in quibus tales Regulares actores fuerint, ſed ſolum quando Rei extiterint, vt patet ex verbis *Concilij ſeſſ. 14. cap. 5. de reformat.* (*In ciuilibus verò cauſis, ſi ipſe Actor extiterit aliquem ei apud ſuos Conſeruatores Iudices in iudicium trahere minimè liceat, quod ſi in ijs cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit*) quare non poſſunt Regulares citare ſuos debitores pro cauſis ciuilibus reddituum debitorum coram ſuo Conſeruatore, ſed apud Iudicem competentem talium debitorum.

Difficultas tamen magna eſt inter Doctores, an Regulares intra clauſtra degentes quando ſunt rei in ciuilibus trahendi ſint coram Conſeruatoribus, negant noſtri *Hier. Rodriquez reſol. 33. nu. 23. Portell. V. Conſeru. num. 8. & Villalob. 2. part. ſum. tract. 31. diffic. 6. nu. 8.* quia Concilium ibi loquitur de Regularibus extra clauſtra degentibus ſolum; ceteri autem intra clauſtra coram ſuis Prælatis iuxta eorum priuilegia, vt expreſſè declarauit Nicolaus V. pro Fratribus Minoribus; Ita etiam videntur ſentire *Barboſa in alleg. 106. & Miranda T. 2. qu. 47. artic. 10.* qui putant poſſe conueniri Regulares ſi ipſi conſenſerint ſecus non.

Attamen noſter *Sanctor. loc. infra cit. Moneta de Conſeru. c. 7. qu. 6. Peyrin. T. 2. priuileg. conſtit. S. Greg. XV. §. 6. nu. 5. & Lezana T. 2. c. 10. nu. 61.* volunt Regulares, quando rei ſunt in cauſis ciuilibus poſſe, & debere conueniri coram Conſeruatoribus iuxta Conc. Trid. & Greg. XV. conſtitutionem infra citandam, nec obſtare putant, quod Conſeruatores ſolum in ijs, in quibus non requiritur imago iudicialis, ſed in cauſis ciuilibus requiritur indago iudicialis, quia ſummariam indaginem nolunt prohiberi, qua poteſt cauſa ciuilis expediri; ſed ego puto dicendum, quod indago iudicialis ſolum prohibetur Conſeruatoribus in iniurijs manifeſtis, & violentijs notorijs, non autem in cauſis ciuilibus, in quibus abſolutè conceditur ipſis procedere, etiam ſi non forent manifeſtæ, & notoriæ, vt patet legenti verba Concilij.

Vtraque opinio mihi videtur probabilis, primò quia nõ vidẽtur Regularium priuilegia reuocata in hoc, nec à Concilio, nec à Greg. XV. ſecundò, quia Greg. XV. videtur indiſtinctè loqui de quocumq; Regulari, vt ſi rei ſint, poſſint conueniri coram ſuis Conſeruatoribus, & hoc fortè propter ſuſpicionem, quam poſſunt habere partes de Prælato Regulari, quod potius ſtet pro ſuo ſubdito, quam pro Actore, vel quia Prælati Regulares aliquando diſtant, nec poſſunt commodè haberi, & ideò videtur ſecunda opinio probabilior.

An verò ſi debitum ſit liquidũ, & debitor proteruus, & peruicax in non ſoluendo, poſſint procedere Cõſeruatores tanquã in manifeſtæ iniuriæ caſu affirmant noſtri *Henriq. reſol. 33. n. 12. & Sanctor. in Comment. conſt. ord. c. 12. ſtat. 11.* quod probabilius puto, ſi adeſſet contemptus aliquis euidens contra Regulares, vel eorum loca, nam facta indagine de notorietate peruicaciæ, & contemptus in non ſoluendo, poterit vtique defendere Regulares à tali iniuria, maximè ſi damnum fuerit notabile, quod patiuntur Regulares à tali nolitione ſolutionis liquidi debiti, vnde iure ad manifeſtam iniuriam ipſis factam talis proteruia, contemptus, & damnum reducuntur.

Dico ſecundò, quod proprium munus Conſeruatorum pro Regularibus explicatur *in c. hac conſtit. de off. Iud. deleg.* ſub his verbis. *Conſeruatores, qui pro aliquibus manifeſtis iniurijs, & violentijs tueantur eoſdem plerũque à Sede Apoſtolica conceduntur.* Et infra. *Vt, ſi de alijs, quam de manifeſtis iniurijs, ac violentijs ſcienter ſe intromiſerint, ſeu ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt ſuam extenderint poteſtatem, eo ipſo per annum vnum ab officio ſint ſuſpenſi, pars verò, quæ hoc fieri procumbit, ſententiam, excommunicationis incurrat, à qua non poſſit abſolui, niſi ei, quem indebitè fatigauit, primo integraliter ſatisfecerit de expenſis.* Quam conſtitutionem innouauit Greg. XV. in quibus iuri non aduerſatur.

Quia verò in præfata cõſtitutione Greg. XV. habetur quod, *Coram ipſis Conſeruatoribus Regulares, ac perſonæ prædictæ conueniri quidem, aut trahi debent, ſed alios conuenire, aut traducere non poſſint*; dubitatum eſt an in manifeſtis iniurijs, & violentijs illatis Regulares tanquam actores coram Iudice Conſeruatore poſſint Reos accuſare, & Conſeruator contra eos procedere; Reſpondit Sac. Congregatio Concilij ann. 1624. ſub his verbis. *Minime ſublatum fuiſſe facultatem, quam habent Conſeruatores defendendi Regulares à manifeſtis iniurijs ac violentijs dummodo obſeruent formam præſcriptam conſt. Innoc. IV. & Bonif. VIII. in c. 1. & fin. de off. deleg. in 6.* Quare etiam hodie per conſtitutionem Greg. XV. poſſunt trahere Regulares coram Conſeruatore quoſcumque manifeſtas iniurias, & violentias ſibi inferentes, aliter derogatum fuiſſet à Greg. XV. iuri communi hoc concedenti Regularibus, & ideò pro Regularibus declarauit Sacra Congregatio non fuiſſe mentem Pontificis derogare iuri communi in hoc caſu, quod autem prohibet in præfatis verbis Greg. XV. quod non poſſint Regulares trahere alios ad Conſeruatores, intelligendam ſolũ in cauſis ciuilibus, quæ iudicialem indaginem requirunt de quo dictum eſt in prima concluſione.

Dico tertiò, quod Regulares poſſunt recurrere ad Conſeruatores quandocumque violentia infertur manifeſtè ſuis conuentibus, Monaſterijs, locis, priuilegijs, iuribus, fratribus, laicis, tertiarijs ſecum conuiuentibus, & duobus, etiam famulis eorum ſumptibus viuentibus ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* imò ex Pio V. latius pro Dominicanis poſſint etiam procedere contra, *Inferentes eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus, ſeruitoribus, familiaribus in præmiſſis, aut eorum aliquo moleſtias, iniurias, & grauamina.* Et pro Ieſuitis à Greg. XIII. (Seruitoribus, qui actu ſeruiunt, at intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſubque eorum obedientia viuunt charactere tamen Clericali inſignitis, imò pro Syndicis Apoſtolicis Fratrum Minorum idem conceſſum eſt à Clem. VII. in Comp. Priuil. V. Procuratores, *Portell. V. Syndicus, & noſter Sanctorius*, vt omnis dubitatio adimatur, hoc priuilegium confirmatum fuiſſe ab Vrbano VIII. teſtatur loc. cit.

Dico quartò, quod Regularibus non licèt Conſeruatore vti contra Iudicem ſæcularem detinentem animalia conuentus ſub ratione, quia damnum fecerunt in paſcuis, quia re vera animalia non ſunt capacia iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, attamẽ ſi ratione talium animalium conuenirentur coram Iudice ſæculari, vel Eccleſiaſtico, vel pro detentione iniuſta animalium, puta quia damnum verè intulerunt, vel ſi intulerunt, ſint parati ſatisfacere, & dare cautionem ſufficientem, poſſunt vti Conſeruatore, quia ipſis tunc inferretur manifeſta iniuria tam in exemptione, quam in bonis iniuſtè detentis, quorum protectio, & defenſio ſpectat ad Conſeruatorem.

Idem dicendum quando Regulares delati fuerint ad Iudicem ſæcularem ſua animalia deſcribi non feciſſe ſub pœna amiſſionis eorum, quia in iſto caſu Iudex ſæcularis non eſt Iudex competens Regularium, ſed ſuus Prælatus, pro qua iniuria vitanda poſſunt etiam Conſeruatore vti. Ita *Hieron.*

Rodriquez num. 15. *Miranda artic.* 11. *loc. cit. & Gutier. l.* 1. *quæſt.* 4.

Dico quintò, quod Domini Conſeruatores debent aduertere diligenter, quod ſit iniuriæ, & violentiæ non ſint manifeſtæ, & notoriæ, ſed ſolum occultæ, & iudiciali indagine indigeant, non poſſunt procedere, quia ſolum in manifeſtis, & notorijs iniurijs, & violentijs factis contra Regulares loca, & bona datur authoritas procedendi, vt ex verbis conſtitutionis allatæ in ſecunda concluſione videri poteſt, aliter pœnam priuationis officij Conſeruatoris incurrunt, & pars in excommunicationem, vt ibi videre eſt. In dubio tamen an ſit verè notorium, & an Conſeruator exceſſerit ſuam poteſtatem, ſicut etiam pars procurans an curet cum exceſſu poteſtatis, incidant in præfatas pœnas, ſi dubium ſit probabile, quod non excedat, non incidunt, quia ad incurrendas pœnas requiritur præſumptio, & temeritas, & aperta ſcientia, vt dictum eſt ſup. V. Cenſura.

Verum eſt autem, quod licèt in detegenda iniuria occulta non poſſint vti iudiciali indagine, poſſunt tamen ea vti ſummariè in probando notorietate facti, & probationes poteſt recipere in probando iudicialiter iniuriam, & violentiam eſſe realem, notoriam, & manifeſtam contra Religioſos, eorum domos, bona, & familiares, ſeu ſeruitores, & probata notorietate poſſunt procedere contra iniuriam, & violentiam inferentes, vel qui intulerunt, antequam autem probauerint notorietatem facti, non debent ſe intromittere, quia non ſunt Iud. Conſeruat. compet. niſi poſtquam probauerint notorietatem iniuriæ, & violentiæ, aduertant ergo, ne ex abrupto procedant, quia in pœnam incurrunt, & acta nulla. Ita etiam noſter *Rodriquez T.* 1. *qu.* 65. *art.* 11. *Sanctor. loco citato, Sylu. V. Conſeru. Molin. de Iuſt. diſp.* 29. *Azor. par.* 2. *l.* 5. *qu.* 7. §. 34. & alij; quando autem dicatur manifeſtà, & notoria iniuria, & violentia, vide infra.

Vtrum Conſeruatores etiam extra proprium Diœceſim per cenſuras, & alia facti remedia poſſit contra quoslibet quacumque dignitate fulgentes, etiam ſi forent Regulares exempti iniurias, & violentias manifeſtas Regularibus inferentes procedere.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod in conſtitutione ſua Greg. XV. ita de loco, in quo ſuam poſſunt exercere iuriſdictionem Conſeruatores loquitur; *Neque extra ciuitates, ſeu Diœceſes, in quibus fuerint deputati contra quoſcumq; procedere præſumãt*; ex virtute cuius ceſſant conceſſiones præcedentium Pontificum Sixti IV. Clem. VII. & Greg. XIII. qui largiebantur poteſtatem Conſeruatoribus trahendi inferentes manifeſtas iniurias contra Regulares per tres dietas computandas à finibus Diœceſis, in qua reperiuntur.

An verò ceſſet per conſtitutionem præfatam Gregor. XV. diſpoſitio iuris communis, quæ habetur *in c. hac conſtit. deleg. & in cap. ſtatutum de reſcrip. in* 6. vbi habetur. *Conſeruatores autem huiuſmodi extra Ciuitates, ſeu Diœceſes in quibus fuerint deputati contra quoſcumque procedere, aut aliquos vltra vnam dictam à fine Diœceſum, eorundem trahere non præſumant*. Negãt noſter *Sanctor. & Peyrin. & Monet. loc. cit.* Quia Greg. XV. non derogauit iuri communi in ſua conſtitutione, imo diſpoſitionem Bonifacij VIII. Confirmauit maximè in his, quæ conſona ſunt rationi, & probabiliter ita mihi etiam dicendum videtur, quia non eſt arctanda poteſtas Iudicis in eo, quod eſt neceſſarium ad executionem ſuæ iuriſdictionis, eſſet ergo nimis coarctata poteſtas Conſeruatorum, ſi ſaltem per vnam dietam non poſſent excedere limites Diœceſis contra perturbantes priuilegia Regularium, vel eis manifeſtas iniurias proferentes, facilè enim poſſent tranſiliendo terminos Diœceſis ſe ſubtrahere à Conſeruatorum iuriſdictione.

Dico ſecundò, quod Conſeruatores Regularium poſſunt per cenſuras, & alia facti remedia puta per priuationem exercitij officij, & iuriſdictionis ipſo facto incurrendam vſque ad brachij ſecularis inuocationem procedere contra quoſcũque iniurias, & violentias manifeſtas inferentes tam laicos, quam Eccleſiaſticos *ex c.* 1. *& fi. de off. deleg. in* 6. quamuis iniurias patientes rei ſint, cum tales cauſæ ſint mixti fori iuxta Sacr. Canon. *ex cap. cum ſit generale de for. compet.* etiam contra manifeſtè impedientes Regulares vti ſuis priuilegijs, & exemptionibus, & iuribus modo tamen infra explicando, &c.

Tunc verò manifeſta iniuria, & violentia inferri dicitur, (vt ſciãt Conſeruatores, quando poſſunt procedere) quando cumque Monaſterium, & Religioſi ſua poſſeſſione perturbantur, aut eorum priuilegia, immunitates, & exemptiones violantur, *ex cap. præfato cum ſit generales*, quod habet locum in qualibet iniuria, oppreſſione, vel damno illato, vt notant noſtri *Rodriquez loco citato artic.* 11. *& Hieron. Rodriquez numer.* 10. *Salſedo in prax. crimin. capit.* 3. idem ferè tradit *Azor.* 2. *inſtitut. mor. l.* 5. *cap.* 35. *qu.* 7.

An verò Conſeruator etiam iniuriam, quæ creditur probabiliter inferenda, poſſit defendere, affirmant noſtri *Myranda art.* 7. *concl.* 4. *& art.* 8. *& Hyer. Rodriq. & Azo. loc. cit.* quod tamen vix probabile puto, cum inferenda iniuria adhuc non ſit notoria, & manifeſta, niſi fortè ita irreparabiliter inferenda notoriè cenſeatur, quia tunc poſſet vtique, imo deberet preueniri à Conſeruatore, ne inferatur, de iure naturæ n. non ſolum eſt præſentẽ propulſant iniuriã ab innocente, ſed etiam notoriè infallibiliter imminentem ab eodem arcere videtur pertinere ad Iudicem.

Dico tertiò, quod Conſeruatores procedentes in præfatis caſibus debent procedere de plano ſine ſtrepitu, & figura iudicij ſola inſpecta veritate, ſicut fieri ſolet in cauſis Regularium, ita tamen, vt non remoueantur ordo iuris naturalis, & ciuilis, & ſubſtantialia iudicij, quia hæc non poſſunt tollere, maximè quæ ſunt de iure naturæ ſuperiores, & Pontifices, ſed ſolum dicitur ſine indagine iudiciali, ita vt remoueatur pernicioſa ſolemnitas iuris, ſicut ſunt apices iuris, ſubtilitates negotij rei veritatem non tangentes, ſed inſpecta notorietate facti per probationes teſtiũ idoneorũ proſequi debent ſecundum, quod res principalis per iura decernitur de quo *Bart. in l. ſi fide, ff. mandati*. Vide *Mirandam art.* 8. *& Hyer. Rodriq. nu.* 19. *loc. cit.* & ita determinauit Pius V. pro Ieſuitis, & Martinus V. pro Cartuſianis, vide *Rodriq. qu.* 64. *art.* 17.

Dico quartò, quod contra quoſcumque etiam Vniuerſitates ſi fuerint, imo etiam ſi forent Epiſcopi qui inferrent manifeſtas iniurias, & violentias Regularibus qui iuxta formam *c. quia Pontificali de off. deleg. in* 6. vt ſup. primò ſuſpendantur ab ingreſſu Eccleſiæ, ſecundò ab officio, tertiò excommunicentur, ſi non reſipiſcant. Ita *Sanctor. noſter loc. cit. Sylu. V. Conſeru. num.* 4. *Azor. cap.* 34 *qu.* 12. Imo contra legatos etiam Sedis Apoſtolicæ procedere poſſunt in fauorem Regularium Conſeruatores, niſi in ſuis litteris particulari priuilegio eximuntur *ex cap. ſuper quæſtiones de offic. deleg. & cap.* 2. *de offic. delegati, Ancharan. conſil.* 131. *numer.* 2. *Tuſcus concluſ.* 260. *num.* 1. *&* 2. vide noſtrum *Sanctorum loco citato*. Tota autem ratio quare poſſint, circa Epiſcopos, & Legatos etiam præfati Conſeruatores eſt, quia ſunt Delegati Papæ, atque ideò in defendendis priuilegijs, & iuribus Regularium ceteris omnibus Superiores, alias fruſtratorium eſſet priuilegium Conſeruatorum datum in fauorem Regularium.

Verum eſt tamen, quod contra Ordinarios non poſſunt procedere, niſi prius faciant fidem de ſuis litteris Conſeruatorialibus, & niſi conſtet de malitia Ordinarij aſſerentis malitioſè falſitatem eſſe in reſcripto, vel litteris conſeruatorialibus, quia in tali caſu poteſt exequi, & punire illum vſque ad multam triginta librarum iuxta Sacr. Canones. Vide *Panormit. in* 6. *preterea de dilat. Mirand. vbi ſupra art.* 8. *Hieron. Rodriquez num.* 17. *loc. cit.* vide *c. cum in iure peritus de off. deleg.*

Eſt etiam hoc aduertendum, quod, ſi orta fuerit controuerſia inter Conſeruatorem, & Ordinarium, ita mandatur procedendum à Gregor. XV. in præfata ſua conſtitutione ſub his verbis. *Si qua verò inter Iudices Conſeruatores huiuſmodi, & eorum Ordinarios controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per Arbitros in forma iuris electos ſuper iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum*. Quod conforme etiam eſt, *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *de reformat. & c. cum ſpeciali de appellat.*

Dico denique quintò, quod poſſunt Regulares contra alios Regulares, & quoſcumque alios quomodolibet exemptos habentes ſuos Conſeruatores in caſibus præfatis implorare authoritatem Conſeruatoris, quia licèt priuilegiatus non poſſit

poſſit vti priuilegio ſuo contra pariter priuilegiatum, ex regula iuris, attamen cum actu læſus habeat vſum priuilegij in actu, & exercitio, dum actu læditur. qui verò actu lædit habet ſolum priuilegium in habitu, & potentia non repugnat autem habentem priuilegium in actu vti ſui priuilegia contra lædentem habentem ſolum priuilegium in habitu, præterquam quod in praxi videtur conceſſum à Clement. VII. pro Minimis, vt habetur in *Compend. Societ. Ieſu tit. Conſeru. §. 9. & à Pio V.* etiam pro Ieſuitis, vt refert *Hyer. Rodriquez num.* 16. quod poſſint eorum Conſeruatores contra alios Regulares eorum iura, priuilegia, & bona manifeſtè perturbantes, & lædentes procedere. Ita etiam noſtros *Rodriquez art.* 15. *Myranda arbit. 12. loco citato, & Tom. 2. quæſt. 24. artic. 7. & Villalobus 2. part. ſum. tract. 35. diffic. 6. num.* 10. *Abbas in c. ad aures de præſcript. & Couaruu. in regul. poſſeſſ. 2. parte, §. 2. num. 4.*

Nota, benignè Lector, quod in hac materia Conſeruatorum adeſt quoddam breue Innocentij Decimi hodie feliciter regnantis datum ſub die 14. Maij 1648. vbi plura definiuntur pro hoc tractatu, ipſam quæſo legere ne pigeat.

Conſilium.

Quid ſit Conſilium, an petendum, quid ſi mandetur peti, actuſne ſit validus, ſi ſpernatur, vel omittatur.

DIFFIC. I.

CONſilium iuxta ſui nominis æthimologiam dictum aliqui cenſent à con, & ſileo, quod vno ſcilicet conſulente, alij ſileant; alij verò à con, & ſaleo, ex eo quod ad vnius ſententiam alius ſaliat, & conueniat; dicitur ergo à Cicerone *l. 2. artis veteris conſilium aliquid faciendi, vel non faciendi excogitata ratio*, apud ſacros verò Canones dicitur Conſilium eſſe voluntatis, præceptum verò neceſſitatis 14. *quæſt.* 1. *quod præcipitur*; aliquando etiam in iure Conſilium pro conſenſu ſumitur, vt in *c. Venerabilis de offic. de l. Abbas ibid. Tiraquell. tract. lignag. §. 1. 2.* 159. Quare

Dico primò, quod Conſilium quilibet in dubijs præcipuè requirere tenetur, quia alias eſſet ſtultus, qui alterius coſilium ſpernit in dubijs, *cap. de Conſtantinopolitanæ, d. 22. & 26. quæſt. 2. viſis, & d. 20. cap. vltim. & 11. quæſt. 3. excellentiſſimus*; hinc qui conſilio non vtitur, minus boni adipiſcitur, nam vt notat *Vngarell. Verb. Conſilium ſchol. A*, quia non excuſatur, qui potuit ſcire, & noluit, imò Iudices etiam debent requirere reſponſa prudentium. *Inſtitut. de iure naturali, §. reſponſa*.

Attamen licèt teneamur conſilium quærere in dubijs præcipuè, non tamen tenemur, regulariter loquendo, alterius iudicium ſequi, ſi probabile nobis non videatur, quando autem probabile eſt eſſe bonum, tenemur ſequi ſaltem de congruo, ſi ad bonum ſupererogationis ſolum ſequendum datur, tenemur autem de præcepto, ſi conſilium eſt de malo fugiendo, & peccato vitando, vel de bono ex præcepto faciendo.

Porrò licèt aliquando non teneamur coſilium ſequi, tamen non eſt fruſtatorium illud requirere, ſemper enim aliquid boni operatur conſilium, & ſi non in omnibus, ſaltem in aliquo illuminat mentem ad bonum, quod ſuo exemplo confirmauit *D. Auguſt.* dicens, quod etiam à puero paratus erat doceri, & conſilium accipere, vt habetur 24. q. 3. *ſi habes*; Vnde *ex* 7. q. 1. quod dignitatem amittere meretur, qui ſapientium conſilio nõ acquieſcit, exemplo Roboam, qui regnum amiſit, quia ſeniorum conſilio non acquieuit.

Iuſſus autem conſilium petere, vel ratione ætatis, vel ratione prodigalitatis, vel ratione defectus Iudicij, tenetur omnino ſequi conſilium Tutoris, vel Curatoris, Conſiliarij. Ita ex noſt. *Ang.* vbi ſup. *Nauar. conſ. 9. n. 13. de conſtit.* vide etiam *c. venerabilis de off. deleg. & in l. impub. de ſuſpenſ. Tut.*

Dico ſecundò, quod ſi mandans conſilium adhibendum in aliquo actu requirit conſilium pro forma mandati, nullus eſt actus, ſi conſilium omittatur, vt habetur in *c. cum veteri de elect.* puta ſi Dominus mandet Procuratori, vt nihil faciat ſine conſilio Titij, conſilium Titij eſt de forma mandati, ſi ergo exequatur aliquod Procurator in negotio Domini ſine conſilio Titij, nullus erit actus.

Si verò conſilium requiratur ex diſpoſitione legis, tunc ſi lex à principio, quando dedit poteſtatem agendi, mandauit coſilium requiri, non valet actus, ſi abſque conſilio fiat, ex deefctu poteſtatis, quia habuit poteſtatem modificatam, & qualificatam cum onere conſilij, & ſic intelligendum, ait noſter *Angelus capit. nouit de ſuis, quæ fiunt à prælat.* ita vt ſine clauſula irritante in lege, vel decreto, adhuc actus intelligitur nullus, cum conſilium ponitur pro forma poteſtatis, quod ſi habenti prius poteſtatem, mandauit ſuperior, vt procedat cum conſilio, & tunc ſi procedit ſine conſilio, eſt quidem puniendus, actus tamen eſt validus, quia conſilium non eſt de forma poteſtatis agendi. Vide noſtrum *Angel. Rodriquez Tom. 2. qq. regul. quæſt. 45. art. 1. & 2. & alium Rodriquez in compend. reſolut. 51. Miranda Tom. 2. quæſt. 17. art. 1. & 2. & Burſatt. conſil.* 90. Vnde commune Iuriſtarum eſt, ex forma non ſeruata, reſultat nullitas actus, *leg. Iulianus, §. ſi quis, ff. ad exhibendum, & cap. cum dilecta, §. Irritan. de reſcript. & cap. nouit. de his, quæ fiunt à Præl. ſine conſ. cap.*

Dico ſecundò, quod quandocumque conſilium pro conſenſu accipitur in iure, & ſequendum præcipitur, pro forma imponitur conſilium, & ſine ipſo actus erit nullus. Ita *Rodriquez, Myranda*, & alter *Rodriquez, Vngarell. ſchol. X. loco citato, & Suarez de legibus l. 1. capit. 31. numer. 1.* & ſequentibus.

Quomodo verò cognoſcatur, quando ad formam actus pertineat conſilium, & potius conſenſum, quam nudum conſilium iubeat lex, ſtatutum, vel Dominus mandans, vndè ſi omittatur, nullus ſit actus, & quando ſolum nudum conſilium pro congruentia ponatur, ſolent Iuriſtæ ponere has regulas, ſcilicet quando ponitur conſilium cum negatione ſcilicet non fiat, niſi de conſilio, non procedatur abſque conſilio cum ſimilibus negatiuis, ſemper conſilium pro forma ponitur, & conſenſum potius dicit, quam nudum conſilium. Secunda Regula quando ponuntur hæ particulæ iuxta, vel ſecundum conſilium, vel cum conſilio, etiam ad formam actus pertinere volunt conſilium. Tertia Regula quando verò hæ formulæ apponuntur petatur conſilium, fiat de conſilio, bonum eſt, congruum eſt iuxta conſilium, vel cum conſilio fieri, & conſimiles, tunc conſilium non eſt de forma actus, & ſi omittatur conſilium, non erit actus nullus. Ita colligitur ex noſtro *Angel. & Vngarello locis citatis*.

Vtrum Conſulens aliquod in damnum alterius teneatur ad reſtitutionem? quid ſi dubitet, an ex Conſilio ſuo ſecutum fuerit damnum, vel ſolum accelerauerit paratum ad damnificandum ſuo Conſilios.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod certum eſt communiter apud omnes Doctores, quod conſulens, qui ſuo conſilio fuit cauſa efficax damni alteri inferendi, ſit obligatus ad reſtitutionem, quia qui cauſam damni dat, damnum ipſe dediſſe videtur. Ita noſter *Subtilis Doctor in 4. diſt. 15. qu. 2. Ang. V. Conſilium, §. 1.* vide *Bonac. de reſtit. in genere diſp. 1. qu. 2. p. 7. Arragon. Salonium, Bann. 22. q. 62. ar. 7. Valent. T. 3. diſp. 5. q. 21. Sayr. in cap. Reg. l. 10. c. 28. Leſſ. l. 2. c. 13. & Pet. Nauar. de reſt. l. 3 c. 3.*

Quomodo autem cognoſcatur, an conſilium fuerit cauſa efficax damni, vt conſulens teneatur reſtituere, diſtinguit noſt. *Angel.* nam vel datur conſilium alias facturo malum, quod conſulitur, & nullum ei auxilium pręſtatur, & in hoc caſu conſulens non eſt cauſa efficax damni, atque adeò non tenetur ad reſtitutionem de conſilio malè dato. *Inſtit. de obligat. quæ ex delict. na. §. Interd. 2. verſic.* certè, nec obſtat, quod habetur in *l. 1. ſecundum curam. ff. de ſer. cor.* quia ibi non ſolum conſuluit, ſed etiam laudando incitauit, quod magis eſt, quam conſulere.

Differt enim conſilium à ſuaſione, & exhortatione, nam hæc magis influit in effectum, quam conſilium, & licèt *Bart. in l. hæc verb. ff. de adult.* teneat, quod idem eſt ſuadere, & conſilium dare, tamen falſum eſt ex ipſa ſuaſionis æthimolo-

gia, nam ſuadere eſt ſuauibus, & accommodatis verbis aliquem inducere, & inſtigare ad faciendum, quod conſulitur, conſulere autem, & bonum eſſe monſtrare, quod conſulitur; itaque conſulens mouet, ſed non inſtigat, & inducit, ſuadens autem inducit, & inſtigat, quod noſter *Vngarell.* ait poſſe colligi ex *leg. ſæpè, §. ff. de verb. ſignif. & ex l. 2. §. fin. ff. mand.* nil ergo miror, ſi ſuadens tenetur de damno, etiam ſi alias eſſet facturus, quia eſt proxima cauſa inducens immediatè ad effectum, non ita proximè conſilium. Ita etiam videntur in parte docere Doctore citati.

At verò, ſi non erat alias facturus damnum, quod alicui conſulitur, ſubdiſtinguit *Angel.* nam vel conſilium dat fraudulenter, & cum aduertentia doloſa in alterius damnum delinquenti, & ſic ſemper conſulens tenetur, quia ex hoc cognoſcitur, quod ſit cauſa efficax damni, quia non eſſet facturus, ſi tale conſilium ipſum non mouiſſet ad delinquendum, & dum conſilium datum fuit contrahenti, alias non contracturo, & conſilium fuit datum aduertenter in fraudem, & doloſè, iam tenetur de dolo, & ad reſtitutionem, quod ſi non fuit fraudulenter, & doloſè datum, ſed ſimpliciter, inaduertenter, & ita non tenetur, vt *in regula nullus de conſilio de Reg. iur. in 6. & leg. eleganter in fin. ff. de dolo.* limitat, niſi conſilium mixtum fuerit cum mandato, quia teneretur vt mandans ad reſtitutionem, etiam ſi non foret fraudulentum, influit enim magis mãdatum in effectum, quam conſilium.

Eſt, & alius modus cognoſcendi, an conſilium fuerit cauſa efficax damni, ſcilicet ſi ex coniecturis appareat iam fuiſſe paratum præciſo omni conſilio, damnum inferre, puta ſi hoc autea minitatus fuiſſet facere, aut ſi ad delictum neceſſaria præparauerat ante conſilium, vel nimio odio affectus erat, ex quo inclinaſſet animum damnificandi præciſo omni coſilio; in hiſce enim caſidus, probabile eſt, non teneri ad reſtitutionem conſulentem damnum, quia non eſſet cauſa efficax damni. Ita *Sanchez in ſumm. Tom. 1. l. 1. c. 10. nu. 44. & Bonac. de cenſur. diſp. 1. q. 1. p. 6.*

Immò addunt alij poſſe etiam cognoſci non fuiſſe coſilium datum cauſam efficacem damni, ſi damnificans principalis ore ſuo aſſeruiſſet, non ſe mouiſſe ad inferendum damnum ex conſilio dato, ſed quia ſic determinauerat facere, etiam ſi tale conſilium non habuiſſet, modò hoc aſſeuerans ſit vir fide dignus, vnde ex tali dicto poteſt conſulens tuta conſcientia ſe exiſtimare immunem à reſtitutione, & tales ſint circumſtantiæ, vt prudens vir arbitretur eſſe fide dignum. Ita *Bonacin. Auila, Sanchez loco citato, & Caſtr. Palaus Tom. 1. diſp. T. 1. diſp. 3. part. 4.* Abſolutè tamen loquuntur, credendum homini dicenti ſe non eſſe motum coſilio alterius *Sayr. de cenſur. l. 7. capit. 3. numer. 2. & Henriquez l. 14. cap. 16. num. 3.*

Dico ſecundò, quod licèt admodum probabiliter aliqui ſentiant, dubitantem, an ſuo conſilio cauſa damni, teneatur adhuc reſtituere, quia certum eſt, actionem mali conſilij fuiſſe factam, vndè potius præſumendum eſt, cauſam fuiſſe damni, & de facto in foro fori puniendus eſſet tanquam cauſa, quia præſumptio iuris eſt contra conſulentem, ergo etiam in foro conſcientiæ debet ſe exiſtimare tanquam cauſam illius damni, & conſequenter reſtitutioni obnoxium. Ita *Molyna T. 3. diſp. 736. num. 6. Leſſius l. 2. cap. 27. dub. 3. Merolla T. 1. diſp. 3. cap. 4. coroll. Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 23. Sanchez de matrim. T. 2. l. 2. diſp. 21. Nald. hic num. 15. Couarru. in clem. furioſus, & Sancius in ſelect. diſp. 43. num. 14.* In quo tamen caſu *Molyna* putat non eſſe reſtituendum totum damnum, ſed pro quantitate dubij remanentis poſt peractam diligentiam quod etiam docet *Diana par. 4. tract. 3. reſolut. 28. Merolla* tamen totum reſtituendum putat, quia ſicut in totam actionem damni influit ſuo conſilio, ita etiam ad totum damnum tenetur.

Attamen benignius, & ſanè probabiliter negant alij dubitantem, an ſuo malo conſilio fuerit cauſa damni, teneri ad reſtitutionem, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis in materia ad iuſtitiam pertinente, & extra materiam conficiendi validè ſacramentum, & cenſurarum, nemo tenetur ex *Scoti* doctrina in dubio ſe Reum tenere, cum enim ſimus in odioſis, non debet fieri extenſio, & pœnæ ſunt reſtringendæ, hinc *D. Thom. 22. quæſt. 62. art. 7.* in præſenti caſu videtur dicere, quod conſiliarius, aut Palpo ſolum ad reſtitutionem teneatur, cum probabiliter exſtimari poteſt, quod ab eo iniuſta actio ſubſecuta fuerit, itaque cum, qui dubitat, non habeat probabilitatem, ſe fuiſſe cauſam, non tenetur ex *D. Thom.* ad reſtitutionem. Ita noſter etiam *Villalob. in ſum. Tom. 1. tractat. 1. difficult. 20. num. 9. Petrus Nauar. de reſtit. leg. 3. cap. 4. dub. 4. Sayr. in C. R. l. 11. tract. 2. cap. 8. numer. 1. Henriquez l. 14. cap. 3. num. 4. Medina cap. de reſtitut. quæſt. 7. ante verbum, ſi autem conſilium, Sylu. Verb. Reſtitutio 3. qu. 6. dicto 1. Rebell. par. 1. l. 2. quæſt. 14. ſect. 1. Filiuc. Tom. 2. tract. 21. cap. 4. n. 167. & Diana* hanc etiam opinionem probabilem putat *in 3. p. tr. 5. miſc. reſol. 84.*

Ceterum dicendum puto in hoc caſu, quod antequam faciat diligentiam in perſcrutando, an verè conſilio ſuo fuerit cauſa efficax damni, an ſolum cauſa ſine qua non, debet ſe tenere reſtitutioni obnoxium, quia præſumptio videtur ſtare pro actione iniuſta à ſe facta, quæ certa eſt, at verò ſi poſt factam diligentiam, non inueniat, quod verè fuerit cauſa efficax damni ſuo conſilio, ſed adhuc probabiliter, & non leuiter dubitet, an fuerit cauſa efficax, quia nemo tenetur ſe in dubio certum reum facere, poſſet cum hac ſecunda opinione probabili ſe immunem exiſtimare à reſtitutione. Ita videtur etiam concludere *Diana loco citato, §. notandum eſt tamen, cum Molyna in fine.*

Dico tertiò, quod conſulens paratum ad inferendum damnum, vt citius exequatur, & ad illud inferendum accelerans, volunt noſter *Villalob. in ſumm. Tom. 2. tractat. 2. difficult. 8. Caiet. 2. 2. quæſt. 62. art. 7. Vaſquez opuſc. de Reſtitut. cap. 9. Petr. Nauar. l. 3. cap. 3. Azor l. 4 cap. 11. & Bonac. de reſtit. diſp. 1. qu. 2. punct. 7.* quod teneatur ad reſtitutionem, quia vera cauſa efficax eſt, vt hic, & nunc inferatur damnum.

Attamen non improbabiliter alij putant non teneri ex hac probabili ratione, quia circumſtantia temporis, & modi non influunt intrinſecè in effectum, qui etiam ſecutus omnino eſſet in alio tempore, per accidens ergo eſt, quod hic, & nunc inferatur damnum conſilio meo, quod eſt, aut alio tempore erat inferendum à iam parato, ita etiam dicendum de modo, cauſa autem per accidens, non eſt cauſa efficax, & verè efficiens damni, ergo nec ad reſtitutionem videtur teneri. Ita etiam *Leſſius l. 2 cap. 13. dub. 2. Layman. l. 3. ſect. 5. tract. 1. cap. 5. & Diana p. 3. tract. 5. miſc. reſol. 47.* Vide etiam *Henriquez l. 14. c. 7. nu. 12.* quod maximè confirmatur contra Vaſquez nam ſi per ipſum furi aſcendenti per ſcalam, vt furetur, opituleris, tenendo ſcalam, vel appodiando, vel aſportando rem furtiuam, quam tamen ſine tuo auxilio furatus eſſet, non teneris ad reſtitutionem, quia intrinſecè non fuiſti cauſa efficax damni, & ſolum, vt cauſa per accidens fuiſti, ita à pari in hoc caſu præſenti.

Aduerterem tamen, quod ſi conſilio, vel ſuaſione auxeris animum, & volutatem ad maius damnum inferendum, quam ille propoſuerat, teneris ad exceſſum, quia verè cauſa efficax fuiſti talis exceſſus. Ita etiam *Layman. loc. cit.* & conſequenter addendum puto, quod ſi conſulens accelerationem in dicto caſu fuiſſet cauſa, vt maius damnum acciperet patiens hodiè, quam ſi in alio tempore accepiſſet, ad exceſſus etiam teneatur.

Vtrum verò, qui conſuluit Petro, vt damnum tale inferat, quod etiam Mutius certò intuliſſet, teneatur ad reſtitutionem & licèt videatur negandum, quia tale damnum iam ſequendum eſſet ſine ſuo conſilio, ergo per accidens eſt, quod ſuo conſilio hic, & nunc à Petro inferatur.

Attamen omnino affirmandum eſt, quia vera, & efficax cauſa fuit, vt Petrus malum, quod non cogitabat facere, ſuo conſilio faciat, ſicut enim, qui damnum prior intulit, quod illaturus etiam eſſet alius, tenetur ad reſtitutionem, ita etiam qui dedit conſilium, vt prius malum fieret, tenetur ad reſtitutionem, non ratione temporis præciſè, ſed ratione damni, ad quod immediatè influxit, per accidens enim eſt huic conſilio, quod alter intuliſſet certò iſtud idem damnum, dum verè fuit cauſa, vt ab alio fieret.

Vtrum

Vtrum Conſilium datum de damno inferendo ſi quis reuocare conatus fuerit, & tamen damnum ſecutum fuerit, teneatur conſulens adhuc ad reſtitutionem, an ſaltem teneatur admonere eum, qui paſſurus eſt damnum.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod quidā probabiliter affirmant conſulentem damnum aliquod inferendum, ſi tamen ante factū reuocauerit conſilium, nec potuerit rettrahere eum, cui conſilium dederat à damno conſultò inferendo, adhuc teneri ad reſtitutionem; ita noſter *Vngarell. V. aſſaſſinus ſch. G*, licèt ibi propriè loquatur de mandante, ita etiam *Nauar. c. 27. nu. 233. Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. 2. p. 7. Azor 3. p. l. 4. c. 11. queſ. 4. Molin. T. 3. tra. 2. diſp. 731. Leſſ. l. 2. c. 13. Megala 2. 2. l. 2. c. 2. q. 3. Sayr. l. 10. tr. 2. c. 8. in c. Reg. & Fauſtus in ſpec. confeſſ. diſp. 4. q.* 69. & alij, & probant, quia conſulens oſtenſione commodi, vel honoris, aut alterius boni ſequendi à damno inferendo, ſuggerit voluntati damnificantis, quod debet damnum inferre, ergo dum durat in volūtate damnificantis hæc ratio mouens eum ad damnificandum, ſemper conſulens eſt cauſa damni, quia virtute conſilij dati efficaciter mouetur ad damnificandum, ergo ſi conatus fuerit illum retrahere à conſilio malo dato, & non retraxerit, adhuc tenetur ad reſtitutionem, quia virtute conſilij prius dati mouetur ad damnum inferendum, ſecus eſt de mandante, qui ſi reuocat mandatum ante factum, & innoteſcit reuocatio Mandatario, non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi mandatarius exequatur damnum, quia iam non amplius mandans influit in damnum, poſtquam reuocauit mandatum, nam nom amplius ſuo nomine, ſed propria voluntate à mandatario infertur damnum; conſilium ergo cum in intellectu percipiente rationem, cur damnum inferri debeat, reperiatur, donec intellectus ſub ea ratione mouet voluntatem ad damnum, ſemper conſilium datum eſt cauſa, mandatum autem recipitur in voluntate, quæ ad nutum mandantis ſtatim remouetur à mandato accepto, nec à ratione dependet, ſed ab imperio, conſilium autem à ratione, quæ ſemel imbibita difficiliter ab intellectu ratiocitante diuelli poteſt; itaque conſilium cum adhæreat menti, non poteſt retrotrahi, benè tamen mandatum.

Attamen æquè probabiliter exiſtimarunt, reuocantem conſilium datum de damno inferendo, proponendo ei eſſe iniuſtum, & malum, atque adeò malum eſſe illud exequi, non teneri ampliu ad reſtitutionem, ſi conſultus poſt reuocationem illud exequatur, & probant, quia non magis valere debet ſuaſio ſub ratione commodi, vel honoris, quam diſſuaſio eiuſdem rei poſtea ſub ratione iniqua, & peccaminoſa demoſtratæ, ſi ergo non remouetur à diſſuaſione conſultus de malo inferendo ſub ratione boni prouenit à ſua malitia, ſi ergo proſequatur damnum, iam potius à ſua malitia prouenit, quam à conſilio dato, quod per contrariam veram rationē iam euacuatum eſt, irrationabiliter autem iam operatur ex priori conſilio, dum malū, & iniquum ei proponitur, quia tenetur ſequi conſilium contrarium tanquam bonum, & relinquere prius, quod iniquum eſt, itaque iam ex propria malitia, non ex conſilio priori ſibi iniquo demonſtrato damnum infert, ergo conſulens reuocans conſilium prius demonſtrando illud iniquum, & iniuſtum, iam fecit, quod potuit, & debuit, ad reſtitutionem ergo non tenetur, ſi ſequatur damnum, quia ex propria malitia inferentis ſecutū eſt, non autem à ſuo conſilio reuocato. ita *P. Nauar. de Reſtit. l. 3. c. 4. n. 27. Salon. in 2. 2. q. 62. ar. 7. contr. 9. Regin. in pr. T. 1. l. 10. q. 1. Medina de reſtit. q. 7. & Diana p. 1. tract. 16. miſc. reſ. 17.* & eam vocant probabilem *Leſſ. Azor. & Bonac. loc. cit.*

Sanè mihi verior iſta ſecunda perſuadetur, quia intellectus noſter non apprehendit immobiliter, ſed à contraria ratione faciliter poteſt ad contrarium aſſenſum remoueri, itaq; conſulēs, ſi facit quantum in ſe eſt, vt à dato conſilio remoueat intellectum proponendo forti ratione iniuſtitiam dati conſilij poteſt intellectus remoueri, quod autem non remoueatur, prouenit à malitia conſulti, quia proprio ſenſu mouetur, & non ratione ad non aſſentiendum bono conſilio contrario, ad quod omnino tenetur, non ergo conſulens amplius peccat, quia irrationabiliter conſultus, iam vtitur conſilio dato ex propria malitia, nō ex ratione, non ergo amplius tenetur ad malum, quod conſultus ab ipſo ex propria malitia irrationabiliter exequitur, ergo nec ad reſtitutionem.

Quod confirmatur ex eo, quod aliter poſſit dari caſus, in quo pœnitens de peccato, non poſſet ſaluari ex malitia alterius ſolum, quod iniquum eſt aſſerere, ſi enim conſultus ad damnū inferendum, ſufficienter diſſuaſus à conſulente, quem pœnitet de conſilio malo dato, adhuc vellet inferre damnum, & conſulens teneretur, vt cauſa talis damni poſt pœnitentiam, ſequeretur poſſe damnari ex malitia ſolum eius, qui prius malum accepit conſilium, quia pœnitentia de malo conſilio eum non iuuaret, ſi ſemper manet, ego ſi interea moreretur conſulens cum ſufficienti pœnitentia non ſaluaretur.

Dices, quod ſaluaretur, quia pœnitentia de malo conſilio delet culpam, ſed non pœnam, & obligationem reſtituendi; ſed hæc reſponſio futilis eſt, quia vbi non eſt culpa, nec poteſt eſſe pœna, pœna enim ſubſequitur ad culpam, ergo ſi pœnitentia mali conſilij dati cum ſufficienti reuocatione euacuat culpam, ergo etiam pęnam, & reſtituendi obligationem.

Nec obſtat, quod noſter *Vngarell.* de mandante loco citato ait, quod licèt mandans reuocauerit mandatum, adhuc pęnam mandati incurrit, licèt effectus non ſit ſecutus, quia licèt regulariter parcatur cogitanti, & pœnitenti, attamen in caſibus in quibus conſumatum eſt debitum, vt eſt in mandante, qui per mandatum iam attentauit delictum, non prodeſt pœnitentia, ſed punitur criminis conſcientia, ſimile in hæretico, in *c. ad abolendam de Hæretic. & cap. excommunicamus, §. credentes ibid. & in crimine læſ. maieſtat. leg. quiſquis cap. ad leg. Iul.* Nam hoc verum eſt in foro fori ſolum, in quo punitur mandatum, & conſilium malum, non quoad reſtitutionem, ſed in quantum crimen eſt in ſe, quando probatur iam vtrumque fuiſſe attentatum, non autem in foro conſcientiæ, in quo pœnitentia euacuat culpam de malo conſilio, & de malo mandato, vndè poſt reuocationem, & pœnitentiam cum euacuetur culpa, ſi poſtea mandatarius, vel conſultus exequatur delictū, iam non amplius nomine mandantis, & in virtute conſulentis, quorum vterque ex pœnitentia, & reuocatione euacuauit culpam, ſed ex propria voluntate malitia vterque tam mandatarius, quam conſultus damnum infert, cum ergo conſulens, & mandans pœnitens, quando damnum infertur, neuter peccet mortaliter, neuter obligabitur ad reſtitutionem damni illati.

Dico ſecundò, quod qui conſilium dedit ad inferendum alicui damnum, puta ad occidendum Petrum, & poſtea ſit conatus reuocare, nec potuerit, & permaneat cōſultus in ſuo propoſito, licèt ex iuſtitia teneri ad Petrum monendum de malo animo ſui inimici, ad hoc vt caueat Petrum, & ſe indemnem ſeruet, probabiliter velint noſter *Angelus, Abbas, & Innocentius, apud Fauſtum de reſtitut. diſp.* 1. *qu.* 72. attamen ſtante probabilitate ſecundæ opinionis poſitæ probabile etiam eſt poſt reuocatum conſilium, ſolum teneri ex charitate admonere eum, cui inferendum eſt damnum, ſi adhuc poſt reuocatum conſilium permaneat in malo propoſito conſultus, quia ſicut non obligatur poſt reuocatum conſilium ad reſtitutionem, ita neque tenetur ex iuſtitia ad certiorem reddendum de damno inferendo, cum iam non ex conſilio ſuo, ſed ex ſua malitia damnum ſit illaturus, tenetur tamen ex charitate, ſi commodè id poterit, quia vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo.

An verò conſulens percuſſionem, vel homicidium Clerici, quod poſtea retractauit non ſecuto homicidio, vel percuſſione incidat in excommunicatione, conſtat ex dictis, nam Doctores primæ opinionis debent tenere eſſe excommunicatum, quia adhuc durat culpa poſt reuocationem, ergo & ſequitur pœna, Doctores autem ſecundæ opinionis dicere debent, non incurrere, quia ſi poſt reuocationem conſilij factam conſulens amplius non peccat, ſi ille ex ſua malitia velit percuſſionem, & homicidium proſequi, neque dici poteſt incurrere excommonicationem.

Conſulens porrò, fauens, mandans, niſi exprimantur in tenore ſententiæ excommunicationis non includuntur; vt ſæpè ſæpius V. Bulla Cœnæ dictum eſt, &c.

Vtrum liceat parato maius malum facere conſulere, vt minus malum faciat, quid ſi parato minus malum facere conſulas maius?

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod certum eſt non licere cõſulere minus malum mortale tamen, adhoc vt quis non faciat maius malũ, ſi ad faciendũ malũ maius non erat paratus, quia ſi tale minus malũ facere eſt mortale, ita etiam cõſulere, qui.n. nõ parato conſulit minus malum, abſolutè conſulit malum, quod nullo modo licet; ita communiter, quod ergo difficultas quærit, eſt, an parato ad faciendum maius malum, vt eum auertat à tali malo maiori, licitum ſit conſulere, vt minus malum eidem inferat, itaut fideliter gerat negotium eius, qui paſſurus eſt damnum, cõſulens tale minus malum, puta quis parat occidere, vel furari mille, conſulat ſi quis ei, vt ſolum mutilet, vel centum furetur, an peccet mortaliter.

Sanè certum etiam putant parato ad furandum mille, ſi quis conſulat, vt ſolum centum furetur, non teneri conſulentem hoc minus malum, ad reſtitutionem, quia non influit abſolutè in damnum tertij, immo fideliter gerit eius negotium, dum retrahit furem paratum ad mille furandum, conſulens, vt ſolum centum, ita communiter, quod ergo in hac difficultate præcipuè dubitatur, eſt, an peccet mortaliter quis parato ad faciendum maius malum, conſulens, vt minus ſimpliciter malum faciat. Igitur

Dico ſecundò, quod licet *Caiet.2.2.q.78.a.4. & 95. art.8. Conar in l.decret.p.1.c.4. Fauſtus de reſtitut. diſput.1. quæſt.76.* & alij velint, non licere maius damnum, vel malum facere parato minus malum conſulere, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, nec licet conſulere alteri, quod tu ipſe facere ſine peccato non poſſes, ſed tu minus illud malum facere non poſſes, ſine peccato, ergo nec conſulere minus malum pertingens ad mortale licitè poteris.

Attamen alij putant licere parato maius malum facere, conſulere, vt auertat à maiori malo conſulere minus malum. Ita *Angel. noſt. V. vſura 2. §.2. Adrian. quodl.1. quæſt.2. vbi ait fatuum eſſe de hoc dubitare, Rebel.l.p.2. de obligat. l.2. qu.14. ſect.7. Nauarr. cap.14. num.40. P. Nauar. l.3. de Reſtitut. num.29. Valent. T.3. diſput.1. quæſt.10. parte 7. & diſp.5. quæſt.21. Salon, & Aragon. 2.2. quæſt.62. art.7. Leſſius l.2. de iuſt. c.13. dub.3. Sayr. in C.K. tract.2. cap 8. Sanchez l.2. de matrim. diſp.11. Salas de vſur. dub.47. Bonac. de reſtit. diſp.1. qu.2. p.7. Azor. 3.p.l.4.c.11. Molyna T.3. diſp.535. & T.2. diſp.730. tr.2. Vaſq. de Reſtit. c.9. & Reginald. l.30. tract.2. num.103.* & alij, quod probat præcipuè *Petr. Nauar. loc. cit.* nam ſuadens minus malum parato facere maius malum, nulli facit iniuriam, non delinquenti, quia illum auertit à maiori, vel grauiori peccato, nec facit iniuriam damnum patienti, immo fideliter eius gerit negotium, & vtilitatem eius curat, nec facit contra rationem, vel iuſtitiam, quia abſolutè non conſulitur malum, ſed electio minoris mali, de duobus autẽ malis, conſulere, vt minus eligatur à volente maius omnino perpetrare, non eſt contra rationem, nec iuſtitiam.

Sanè non ſolum benignior, ſed, et probabilior mihi videtur hæc opinio, modo conſulens intendat minus malum ſub ratione boni conſulere, quatenus ſcilicet minus damnum, ſeu malum habet rationem boni reſpectu volentis maius malum perpetrare, & reſpectu maius damnum accepturi, ille enim facit minus peccatum, & hic minus damnum recipit, conſulere ergo minus malum, ne fiat maius, poteſt induere rationem boni, & rectè, & vtilis tanquam conſentaneum charitati, & conſequenter conſulens minus malum, poteſt intendere conſulere aliquod ſub ratione boni, non ergo peccat, quia peccatum a voluntate deordinata circa finem, vel obiectum ſpecificatur, ſed in iſto caſu minus malum induit rationem obiecti boni ratione finis, qui intenditur, qui eſt bonus ſcilicet præcauere maius malum, ergo probabilius dicendum eſt nõ peccare conſulentem minus malum, vt vitet maius malum, hinc *D. Gregorius*, & habetur *diſt.12. c. Nerui* ait, Inter duo mala minus eſt eligendum, ergo tutè, & abſq; aliqua deordinatione in voluntate poteſt conſuli.

Quod ſi dicas, verum eſſe illud axioma inter duo mala minus eligendum, quando ambo omnino caueri non poſſunt, at in hoc facto paratus ad maius malum, illud cauere poteſt, & debet; nam reſpondetur eſſe eamdem rationem etiam in caſu noſtro, nam paratus certè facere maius malum, paratus eſt certè etiam facere minus malum, conſulens autem deberet ſanè ſuadere, vt omnino abſtineat à malo, ſed non poteſt propter eius immutabilem ſententiam faciendi malum, quod cauere omnino non poteſt, parato ergo facere maius malum, & minus malum, poteſt ex duobus malis, quæ neceſſariò eſt facturus, conſulere, vt ſaltem minus malum eligat, quia bonum eſt retrahere a maiori malo paratum illud facere.

Confirmatur ex facto Loth, qui à *D. Petro in 2. Ep. can. c.2.* vocatur iuſtus, hic enim *Geneſ.19.* hominibus illis peſſimis volentibus abuti Angelis ait, ne quæſo faciatis rẽ hanc peſſimam, habeo hic duas filias, educam eas ad vos, ipſis abutimini. En, quod vir iuſtus paratis facere peſſimum peccatum, ſuaſit minus, & *Auguſtinus quæſt. ſuper Exod. c.15.* loquens de coniuge adultera, ſic ait, ſi facturus eſt, quod non licet, puta vxorem occidere, vel dimittere, iam faciat adulterium, non homicidium, & *D. Chryſoſtom. hom.27 ad populum Antioch.* videtur aſſerere, quod aſſueto iurare per Deum, conſulendum, vt iuret per ſuum caput, ne iuret per Deum, itaque probabilis admodum demonſtrata manet ſecunda opinio.

Et licet aliqui Loth in illo actu peccaſſe, et poſtea tanquam iuſtum pœnituiſſe dicant, vt videtur docere *noſt. Lyranus in explicatione præfati cap.19.* niſi fortè ignorantia eum excuſauerit, aliqui vero, *vt P. Auguſtinus relatus in c. quod ait diſt.14.* excuſant Loth in illo facto, quod non conſilio, ſed potius animi perturbatione, quæ eius mentem excæcauit, tribuendum, quod illud Loth ſuaſerit, alij autem excuſant, quod hyperbolicè illud dixerit Loth, non autem ex intentione illud faciendi, vt ſcilicet ſceleris immanitatem illis hominibus oſtenderet, vt potius filiabus abuteretur, quam Angelis illis, ſicut ſolet hyperbolicè dici potius occide filium meum, quam huic noceas. Ita *Caietanus*, attamen ſicut illis Doctoribus ita opinari in hoc facto Loth licuit, ita etiam licet Doctoribus opinionis contrariæ magis ad litteram, et ſenſum ſcripturæ, quod Loth ad vitandum *maius malum*, elegerit paratis illud facere *potius* conſulere *minus* malum.

Dico tertiò, quod ſi paratos maius damnum inferre alicui puta Petro conſulatur, vt faciat minus malum alteri puta Mutio ſi non erat ille paratus hoc minus damnum ipſi Mutio inferre, peccat regulariter tamen loquendo, conſulens, et ad reſtitutionem tenetur, quia eſt cauſa cur Mutius damnum minus patiatur, dixi regulariter loquendo, quia poteſt dari caſus, in quo liceret, puta ſi paratus furari Equum à Petro paupere illo indigente ad ſubſtentationem ſuæ familiæ, conſulatur, vt ouem à Mutio diuite, et non ita indigente, probabile eſt conſulentem ad minus malum diuiti inferendum, vt Petrum pauperem maximè indigentem equo reddat indemnem, non teneri ad reſtitutionem, quia Diues debet potius velle rationabiliter loquendo, vt ſibi ouis auferatur, quam pauperi equus, quod ſi nollet diues, eſſet irrationabiliter inuitus, quia contra charitatem faceret; Ita *Petr. Nauar Vaſq. Salon. & alij loc. cit.*

Aduerte tamen in hac materia, quod nunquam licet ad vitandum maius malum cooperari auxilio, quando res eſt intrinſecè mala, puta volens occidere, ſi conſulatur mutilare non poteſt eum adiuuare ad mutilandum, quia actio eſt de ſe intrinſecè mala, quod ſi parato maius damnum inferre puta furari mille, conſulat, vt ſolum centum, eumq; adiuuet ad portanda illa centum, quia materialiter portare, vel de vno ad alterum locum portare centum non eſt intrinſecè malum, poteſt eum adiuuare ad vitandum maius malum; Ita Doctores citati.

Dico quartò, quod parato minus malum facere, ſi conſulat maius malum, certum eſt, quod peccat, an vero teneatur ad totum damnum, vel ſolum ad exceſſum, ſanè ad totum obligari, licet parum probabiliter, putat *Adrianus de Reſtitut. quæſt.1.* quia maius trahit ad ſe etiam minus, attamen alij probabilius negant teneri ad totum, ſed ſolum ad exceſſum, quia nullus tenetur ad reſtitutionem damni, quod non intulit, quare cum ad minus damnum non influxerit, vt cauſa, quia iam ille paratus erat facere, non tenetur ad illud, ſed ſolum ad exceſſum conſultum. Ita *Sayr. Petr. Nau. Azor. & Salon. loc. cit.*

Notandum etiam in hac materia, quod ſuadens, ſeu cõſulens

Digitized by Google

lens parato furari Equum à Franciſco, & ouem à Petro æquê diuitibus, quodouem potius tanquam minus malum auferat, non tenetur ad reſtitutionem, quia quod minus malum eſt, in genere conſulit, ſi autem ſingulariter ſuadeat, vt potius ouem à Petro, quam equum à Franciſco furetur, peccat, & ad reſtitutionem tenetur, quia verè damnificatur à ſua perſuaſione, & conſilio Petrus. Ita *Petr. Nauar. Salon. Vaſq. & alij loc. citato.*

Itaque doctrina ſecundæ Opinionis ſolum procedit, ꝙ licet minus malũ cõſulere, vt vitetur maius malum. Primò, quando minus malum ſuadetur faciendum eidem, cui erat inferendum certiſſimè maius malum. Secundò, quando minus malum, quod ſuadetur alteri faciendum, vt vitetur maius malum in altero, debet ille potius ex charitate ſuſtinere, quam alteri inferatur maius malum.

Vtrum conſulens delictum, aut aliquod indifferens, ex quo damna euenirent conſulto, teneatur illi ea reficere, quid ſi conſulat ex officio, vt Conſiliarius, Aduocatus, Medicus, Theologus, & Confeſſor an de omni culpa teneatur.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod qui conſulit alicui, vt tale delictum committat, puta homicidium, vel furtum, certum eſt, quod (vt dictum eſt ſupra) tenetur ad damna, quæ inferuntur parti læſę, at vero ſi ex tali delicto ſuaſo, vel etiam aliquo indifferenti ſequantur damna ipſi conſulto.

Diſtinguendũ puto, nam vel conſulens eſt ſuperior, & ſic tenetur non ſolum parti læſę, verum etiam ipſis ſubditis male conſultis damna perpeſſa ex tali conſilio reſarcire, ratio eſt, quia conſilium Domini, vel ſuperioris æquiparatur mandato, atque adeo veluti mandans tenetur reſarcire omnia damna, etiam mandatarijs ſubditis, qui coacti ex ſuo conſilio damna perceperunt, nec erat in eorum poteſtate talia damna vitare ſtante Superioris conſilio, vel mandato. Ita *Angelus noſter V. Reſtitutio in princ. Clau. Reg. l. 10. tract. 2. & Rebell. p. 2. de obligat. reſt. l. 2. quæſt. 14. & Bonac. de reſtitut. diſput. 1. q. 2. p. 7.*

Quod ſi conſulens non ſit ſuperior, ſi ex delicto conſulto ſequantur conſulto mala, non tenetur ad ea conſulens, quia conſulto liberum erat ſequi, & non ſequi malum conſilium, vnde debet ſibi imputare, ſi damna quæ debebat præuidere ſequenda ex tali delicto, amplecti voluerit, volenti enim, & ſcienti nulla fit iniuria, & ad hoc facit *c. nullus de reg. iur. in 6.* Nulllus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. Hinc ſi conſilium dans ad delictum perpetrandum fraudulenter, & doloſè conſuluerit ad hoc, vt incautum ad damna præuiſa ex tali delicto induceret, ſanè tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ conſultus non præuidit ex dolo, & fraude conſulentis. Ita etiam Doctores citati, *Leſſ. l. 2. c. 13. dub. 7. & Azor. 3. p. l. 4. c. 11. q. 6.*

Dico ſecundò, quod qui tenentur ex officio dare bonũ conſilium, ſicut ſunt Conſiliarij, Aduocati, Medici, Confeſſarij, & Theologi, & ceteri ſimiles, ſi malum dederint ſcienter, vel ex craſſa ignorãtia, vel culpa lata in non adhibendo diligẽtiam debitã in eo prudenter dando, & ex tali conſilio ſequantur damna, tenentur ad reſtitutionem iuxta communem Doctorum ſententiam contra *Gabrielem in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. dub. 2.* ſentientem non teneri ad reſtitutionem dantem aduertenter conſilium malum ſiue in delictis, ſiue in contractibus, modo ex odio, & fraudulenter non dederit tale conſilium, ſi ex ſuo conſilio damna ſequantur, verum hæc opinio in ſuperioribus fuit declarata ex noſt. *Ang.* quoad pręſentẽ vero difficultatem probatur, præfatos teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ ſequuntur ex conſilio malo dato, vel ob ignorantiam craſſam, vel latam culpam imprudenter dando conſilio, nam qui tenetur officio aliquid facere tenetur ſcire ea, quæ ſunt neceſſaria ad eorum officium rite peragendum, & tenẽtur diligentiam adhibere, vt nullus ex ſuo officio damnum patiatur, ergo Conſiliarij, Aduocati, Medici, Theologi, & Confeſſores, qui habent ex officio dare bona, & recta conſilia iuxta ſuas profeſſiones, tenentur ſcire ea, quæ ſunt neceſſaria, & ad ſuum officium exequendum ſpectant, tenenturque diligentiam adhibere, vt ex eorum conſilio damna non proueniant, ſi ergo ex ignorantia craſſa, vel lata culpa errant in dando conſilio malo, ex quo damna proueniunt, tenentur ad ea reſtituenda, non enim debent exequi officiũ, ad quod ſe ineptos, vel ratione ignorantiæ, vel ratione negligentiæ cognoſcunt, aliter recurrentes ad ipſos decipere viderentur, itaque tanquam de dolo rei tenentur reſtituere, ſi ex ipſorum ignorantia, & negligentia damna prouenient eis, qui ab ipſis conſilium petunt, quia verę ſunt cauſę efficaces & efficaciter influunt in damna ſubſequentia ex eorum culpa, & ignorantia prouenientia in male conſulendo, eiſque imputari debent damna. Ita *Angel. noſter V. culpa §. 5. Rebell. cap. 1. de con tract. quæſt. 10. n. 12. Sylu. V. culpa num. 6. Sotus de iuſt. 4. quæſt. 6. num. 2. Leſſ. Bonac. & Azor. loc. citato, Petrus Nauar. l. 3. de reſt. cap. 4.*

Verum eſt tamen, quod ſi præfati accipiunt mercedem, & ſunt ſtipendiati ad tale officium exequendum, tenentur adhibere maiorem diligentiã, quam illi, qui gratis exercent, an vero hæc maior diligentia ſit talis, vt eos obliget ẽt de leui vel leuiſſima, non excedere terminos culpæ latę, volunt *Nau. c. 4. n. 10. & Say. C. R l. 10. tr. 2. c. 8. num. 9. At Molyna diſp. 750. n. 2. & Azor. loc. citato* volunt ſtipendiatos teneri de leui. Noſter tamen *Angel loc. citato* optimè diſtinguit, nam vel eſt à ſuperiore expoſitus ad tale officium exequendum ex ſuo beneplacito licet ſit ſtipendiatus, ſolum de lata culpa tenetur quia ſufficit, vt eam diligentiam præſtet, quam ſolent ceteri diligentes in tali officio, quod ſi quis ſe intruſerit, & vltro ſe obtulerit, cum alius diligenter potuiſſet aſſequi tale officium, & tunc tenetur de leui etiam culpa, quia tenetur ſe præſtare diligentiorem, cum ſpontaneè ſe, vt talem prætulerit diligentiori, dum enim ſe diligentiori prætulit, promittere videtur etiam virtualiter ſe diligentiorem operam præſtaturum.

Adde inſuper, quod ſi qui ex præfatis ſe peritiſſimos, & excellentiſſimos ſinguli in ſuis profeſſionibus propalauerint, debent conſequenter diligentiſſimam operam, & conſilium præſtare, vnde tenentur de leuiſſima etiam. Ita *noſt. Angelus, Rebell. Bonac. Aozr. & Leſſius loc. citato.*

Dico tertiò, quod ſi imperiti, & idiotæ ſpontè etiam ſi ſe ingeſſerint ad conſilium dandum, ex quo damna ſequuntur, modo abſit dolus, & fraus, non tenentur ad reſtitutionem, quia ſequenti conſilium inſipientis debet imputari, ſi mala ſibi eueniant, poterat immo debebat non ſequi conſilium eius, quem ſciebat imperitum, volenti enim, & ſcienti non fit iniuria. Ita probabiliter *Petr. Nauar. l. 3. cap. 4. Rebellus q. 14. & Bonac. loc. citato; licet Aragon. 2. 2. q. 62. ar. 7. Medina de reſtitut. q. 7. & Sayr. loc. citato* contrarium teneant ex eo, quia conſilium inſipiens eſt cauſa efficaciter influens in damnum, ergo ad reſtitutionem obligat, quod puto veram, quando conſulens neſciebat eſſe imperitũ; ſecus ſi ſciebat, nã non debebat ſequi, & volenti, & ſcienti non fit iniuria, ergo neque obligatio reſtituendi, adeſt. dum voluntariè dãna ſubire uoluit, quæ debebat præuidere eſſe ſeqcenda ex conſilio inſipienti, ſecus ſi imperitus fraude, & dolo ſe ingeſſit fingendo ſe peritum, & expertum tali caſu, quia teneretur ad damna, vt notat *Nauar. c. 25. n. 29.* ex quibus.

Collige, quod ſi quis artem, vel ſcientiam docens ex profeſſo aliquam falſitatem in materia fidei, morum, corporis, vel animæ ex lata culpa, vel craſſa ignorantia docuerit, tenetur non ſolum ſuis diſcipulis, aut alijs ad damna ſubſecuta, verum etiã ad ſe retractandum, & errorem reuocandum. Ita *Petr. Nauar. Bonac. & Rebell locis citatis*, quia docendo falſitatem ſaltem peccãt contra iuſtitiam, ſecundum quam tenentur vera dogmata, & veras propoſitiones docere, ergo ex iuſtitia tenentur reſtituere damna, quorum fuerunt cauſa, & doctrinas falſas reuocare, & errores emendare, ne diſcipuli diù in tali errore verſentur.

An verò, quæ ſunt de conſilio ſolum, obligent ad mortale, negant communiter Doctores, quia conſilium eſt voluntatis, ideſt libertati relinquuntur ſequenda ne ſint, an amplectenda, modo abſit contemptus, nec ad ſit neceſſitas ſpiritualis illud exequendi.

Vtrum Theologus, vel Confeſſarius poſſit in vtilitatem pœnitentis, vel conſilium petentis opinionem probabilem conſulere contra propriam opinionem fortè magis probabilem illi immediatè contrariam.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod certum eſt, ſi pœnitens, vel conſilium petens quærat, an in tali difficultate adſit opinio benignior in fauorem ſuæ conſcientiæ liberans vel à reſtitutione, vel cenſura, vel peccato, quod tenetur Theologus, vel confeſſor aperire petenti opinionem ſibi fauentem, modo ſit probabilis, licet contraria, quam ipſe tenet, ſit probabilior, aliter mendacium faceret. Ita communiter *Salas T.1.p.2. tract.8.diſp.10 Sayr.l.1.cap.6 Vaſq.in p.2.T.1.diſp.62. num. 4.& diſp.63. num. 4.Sanch.in ſum.T.1.l.1.c.9. num.19. & Sancius in ſelect.diſp.53.*

Dico ſecundò, quod non ſolum tenetur petenti aperire opinionem benigniorem, verum etiam ſi pœnitens, vel conſilium petens neſciret, nec de opinione liberante quæreret, poteſt ei opinionem probabilem oſtendere, & declarare, quæ immunem eum facit à reſtitutione, vel à cenſura. Ita noſter *Villalob.in ſum. T.1. tract.1. dub.11. Vaſqu. & Salas loc.cit.* nam ſi Dominus largus, quare ſeruus auarus, pœnitens enim debet eximi quantum fieri poteſt ab obligationibus, nam pœnæ ſunt reſtringendæ, fauores autem ampliandi quod ſi dicas, quod habens opinionem probabiliorem rigoroſam contrariam videtur mentiri, ſi conſulat pœnitentẽ cum opinione probabili laxiori in fauorem ipſius, nam reſpondeo, quod Theologus, & Confeſſor ita debet conſilium præſtare pœnitenti, vel petenti, vt aperiat ſuam opinionem eſſe probabiliorem, licet non ſit benignior, attamen adeſſe probabilem contrariam opinionem, & tutam in praxi poteſt aperire, quam poſſet ſequi, ſi à ſcrupulis liberari vellet, virtuoſius tamen faceret, ſi probabiliorem ſequeretur, quod tamen ſuæ voluntati liberum relinquat.

Quod ſi ſcrupulis agitari videretur pœnitens, vel conſulens abſoluiè proponat ei ſequendam probabilem, habenda enim ratio eſt in conſiliis dandis ad vtilitatem proximi, & facilitatem rei exequendæ. Ita *Becanus p.2 tract.1.c.4.quæſt. 9.* & ratio quæ mihi hoc ſuadet eſt, quia iura ipſa ſunt magis prona ad abſoluendum, quam ad condemnandum, ergo conſulens ſecundum iura, & rationes etiam magis pronus eſſe debet ad conſilium magis vtile, & magis benignum, & facile dandum pœnitenti modo in opinione verè probabili ſit fundatum, &c.

Conſiliarij.

Vtrum Conſiliarij in parlamentis pro imponendis gabellis, & alijs oneribus poſſint relicta opinione probabiliori negatiua ſequi affirmatiuam probabilem.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod Conſiliarij vocati ad parlamenta pro imponendis gabellis, & aliis grauaminibus, etiam, quę Donatiua vocantur, ſuper Vniuerſitates, vel Ciues particulares in Principum vtilitatem nequeant relicta opinione negatiua probabiliori pro Ciuibus, ſequi in ſuffragiis ferendis probabilem affirmatiuam pro Principibus, docent tutius, & probabilius Doctores grauiſſimi communius, quod probãt, quia conſiliarii conſtituuntur tanquam Iudices inter Vaſſallos, & Principem, tribuendum ne ſit ei tale tributum nec ne, Iudices autem probabilius eſt non poſſe, relicta probabiliori, ſequi probabilem in cauſa dicenda, ergo nec conſiliarij poſſũt relicta probabiliori negatiua pro Vaſſallis ſequi probabilem pro Principe, quod autem Iudex debeat ſequi probabiliorem, & non probabilem in cauſa dicenda, patet ex eo, quia videretur acceptor perſonarum ſi cauſam non diceret iuxta merita cauſæ, maius ergo meritum habet opinionem habens probabiliorem, vt pro ſe feratur ſententia, quẽ habens ſolum opinionem probabilem, ergo tenetur ſententiam dicere pro habente opinionem probabiliorem. Ita *Valentia 2.2.diſp.64.c.2.num.5 & T.3. diſp.5. punct.4. dub. 3. Vaſq.c.2.diſp.64 c.2.n.5. Reginald.l.13.n.99. Azor 2.p.l.2. c.17. Becan.p.2.tract.1.c.4.q.9. Sanch.in mor.op.l.1.c.9. Bonac. de leg.diſp.2.q.4.p.9.num.13. Filiucc.T.2.tract.21.c.4. Tanner.2.2.diſp.4.quæſt.4.dub.6.§.3 dub.5. & Molfeſius loc. citato*, omnino dicendum putant Conſiliarios non poſſe ſequi probabilem relicta probabiliori in materia imponendi onera Vaſſallis.

Quod mihi probabilius perſuadetur in præſenti caſu, quia onera iſta vt plurimum præiudicant perſonis miſerabilibus, diuites enim, & potentes ſub variis palliis iniquarum fere rationum ſe ſubtrahunt, & maiorem oneris partem ſoluendam pauperibus relinquunt, expertus loquor in quibuſdam locis, itaque cum odia ſint reſtringenda maximè in fauorem pauperum, probabilius, & tutius practicandum, debere conſiliarios ſequi opinionem probabiliorem pro Vaſſallis, & relinquere probabilem pro Principe, ſecus, puto Deo reddituros ſtrictiſſimam rationem, quia potius ad aſſentationem Principum mouerentur conſiliarii in imponendis oneribus quam ex vi dictaminis rationis.

Attamen non deſunt etiam grauiſſimi Doctores, qui volunt Iudicem tuta conſcientia poſſe ſequi probabilem relicta probabiliori in cauſa dicenda, eo ducti fundamento, quod agens iuxta opinionem probabilem prudenter agit, nec facit alicui iniuriam, cum opinio probabilis iuſta ſit, & æqua, & tuta conſcientia ſequi poſſit, vnde non eſt acceptator perſonarum, qui iuxta rationem probabilem iudicat, quia iuſtè iudicat, qui ratione probabili vtitur, Iudex enim eſt acceptator perſonarum, quando iniuſtè iudicat. Ita *Petr. Nauar.de reſtitut l.3.c.1.n.208.& 296. Sayr.in C.R.l.1.c.11. Aragon 229.63.art.4. Salon ibid.controu.2.concl.4. Salas 1.2. tract 8. diſp.vn. ſect.12. Sancius in ſelect. diſp.44. n.50. & ſi Fagund prac. 2.l.3.c.4. Lorca p.2.T.1.diſp.39. Delrius in diſquiſ.mag.l.5.q.1. §. quia quotieſcumque Diana* etiam hæc videtur probabilis *p.p. tract. de parlam. reſol.20.* & inter Doctores primæ opin. viſa eſt probabilis etiam *Bonac. & Sanch. loc.cit.* Inter Iuriſtas vero hanc ſequitur *Morla in Emporio iuris p.1.p.1.Tit.2.q.2.*

Mihi quoque probabilis ſaltem ſpeculatiuè, ex eo videtur, quia teneor, vt non dicar peccare facere bonum, et vitare malum in operando, non autem teneor facere maius bonũ, licet merear faciendo maius bonum, non tamen pecco, ſi relicto meliori bono, faciam tamen, quod bonum eſt, ita etiam iudex in iudicando ſufficit adhoc, vt non peccet, vt iudicet ſecundum probabiliter iuſtam rationem, quia ſic verè iuſtè iudicat, non autem tenetur iudicare ſecundum probabilius iuſtam rationem, vt non peccet, licet magis mereatur, ſi magis iuſtam ſequatur rationem in iudicando, non tamen adhoc tenetur, vt peccatum vitare dicatur.

Attamen an hæc ratio ſpeculatiua tanquam practicè tuta admittenda ſit à Deo, qui hominum corda ſcrutatur, an probabilem ſecutus fuerit Iudex ex ſolo arbitrio, an vero ex paſſione, vel aliquo intereſſe ſaltem ſperato, aut alio malo fine in danda ſententia contra aduerſarios habentes rationem probabiliorem, expirietur cum in articulo ſuæ mortis reddet rationem ſuæ villicationis, interea timoratæ conſcientiæ Iudex potius in praxi probabiliorem ſequatur in danda ſententia, quia ſanè tutior erit in accipienda ſententia à Deo in die mortis ſuæ.

Dico tamen ſecundò, quod in hoc caſu diſtinguendum tutius videtur, nam vel impoſitio onerum facienda eſt in notoriam, et euidenter veram neceſſitatem Principis, et tunc conſiliarii tutius poſſunt, imo fortè debent relicta probabiliori in fauorem Vaſſallorum ſequi probabilem in fauorem Principis. nam euidenti neceſſitati Principis quod conſulatur, redundat in bonum publicum, quod maioris eſt conſiderationis, quam bonum priuatum Vaſſallorum; quod ſi impoſitio ſit ſolum propter communem vtilitatem, non ita euidentem, vel Principis particularem, tunc non debent conſiliarij relicta probabiliori pro Vaſſallis ſequi probabilem pro Principe, quia miſerabilium perſonarum grauamini potius eſt conſulendum, quia vt plurimum maximè indiget, et propter has impoſitiones in varia peccatorum genera inducuntur, quam vtilitati communi non euidenti, vel particulari Principis, qui mediocri tributo ad miſerabiles perſonas ſubleuandas contenti eſſe debent.

Quænam

Quænam ſint cauſæ, ex quibus Conſiliarij deducere debent probabilitatem imponendi gabellas, & onera Vaſſallis, ſeu vetera augendi.

DIFFIC. II.

QVatuor genera cauſarum, ſi rectè perpenderint in hac materia imponendi onera Vaſſallis Conſiliarij, ad quos ſpectat tale iudicium, errare non poterunt, & ſuis conſcientiis rectè conſultum pro certo habebunt.

Efficientem cauſam onerum primò examinabunt ideſt an princeps, vel Reſpublica petens impoſitionem, habeat poteſtatem ea imponendi, & enim multi ſunt Principes abſoluti, & Reges, qui aliquas Ciuitates, & Prouincias acceperunt cum pacto iure iurando firmato, vt non poſſint etiam quacuoque neceſſitate adueniente imponere, præter aliqua certa, & determinata, noua tributa, & onera, nec vetera augere, tenentur ergo ſcire, & perquirere Conſiliarii an habeant Principes poteſtatem imponendi, vel augendi onera, quæ petunt, ſecus ſi non haberent, iniuſta, & tyrannica eſſet impoſitio, & ad reſtitutionem tenerentur etiam ipſi Conſiliarii, &c.

Secundò, Aduertant cauſam materialiter ſcilicet an impoſitio ſit directè, vel indirectè contra Eccleſiaſticas perſonas, & contra libertatem, vel Immunitatem Eccleſiaſticam, contra quam nullus Princeps laicus habet poteſtatem niſi ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſſione, quæ non ſit reuocata, imponendi onera contra Eccleſiaſticas, ſeu contra libertatem, vel immunitatem Eccleſiaſticam, ſecus inciderent in excommunicationem B.C. non enim materia apta, & conueniens impoſitionum ſæcularium perſonæ, & loca Eccleſiaſtica, cum iure diuino ſit probabile enim à poteſtate, ſecularium Principum.

Tertiò, Examinent cauſam finalem ſcilicet an pro neceſſitate, & vtilitate publica, an vero ſolum ad Principum, & Regum obſequia, & priuatas vtilitates, & deprauatos affectus petantur impoſitiones, quod ſi non conſtet imponendas propter vtilitatem, & neceſſitatatem publicam, ſed propter priuatum Principum intereſſe, tyrannidem potius ſapiunt, vnde non ſunt concedendæ in hoc caſu onerum impoſitiones, vt dicetur fortè fuſius V. Gabella, &c.

Quartò, cauſam formalem impoſitionum recta iudicii trutina perpendant, ſcilicet proportionem virium, & facultatum Vaſſallorum cum impoſitione facienda, ne maior hæc ſit, quam vires, & facultates ſubditorum ferre queant, aliter ſi eſſet grauior, quam ferri valeat, eſſet omnino Tyrannica, & iniqua impoſitio, & abſolutè damnabilis non ſolum quia iniuſta, ſed etiam, vt cauſa multorum peccatorum ex tali enim impoſitione onerum vltra vires ſolent ſubditi vt plurimum præcipuè pauperes in blaſphemias, maledicta, deſperationes, furta, & in coniurationes iniquas prorumpere hinc optimè, & Religioſa Chriſtianitate hiſce verbis conſiliarios *Franciſcus Aponte tract. de poteſtate Pro Reg. Tit. 4. de Regal. impoſit.* monet (Perpendant bene Miniſtri Regis omnia ex vtraque parte, quæ ſint cauſæ, quæ neceſſitates, quæ ſint Regni vires, in quas neceſſitates inexcuſabiles pecunia ſit conuertenda, ſi aliud ſit expediens, non timeant faciem potentis, dicant veritatem coram Deo, & hominibus, quia de anima certant, & de æternitate irreuocabiliter, in qua nihil poteſt Rex, nihil Pro Rex, nullus fauor, nulla gratia, &c.) hæc *Aponte*, quæ vtinam animaduerterent Conſiliarii, ſeu Parlamentarii in Regum, & Principum, Regnorum, Ciuitatum, populorum, & ſuarum animarum ſalutem.

Rogatus etiam humiliter hic vellem Dominos meos Principes, & Reges, vt dictum ſane aureum noſtri *Villalobos in ſum. T. 2. tract. 8. diffic. 13. num. 6.* præpendere dignentur, quod ſcilicet iniquum ſit, ſi ad Regem ditandum Regnum depauperetur, nam deſtructo Regno deſtruitur Rex, & forſè etiam aduerterent potius Conſiliarios iniquos impoſitiones æquo grauiores ſuadentes, & decernentes eſſe impiæ Infidelitatis arguendos, quam honoribus, & fauoribus proſequendos.

Hanc autem doctrinam, quod ſcilicet præfata quatuor genera cauſarum a Conſiliarijs, & Parlamentarijs eſſe perpendenda modo ſuper explicato ad iuſtam impoſitionem faciendam, vel augendam tradunt communiter Theologi. Ita noſt. *Villalob. in ſum. T. 2. loc. citato, Suar. de leg. l. 5 cap. 14. num. 16. Vaſq. in Opuſc. de reſt. cap. 5. §. 2. dub. 1. Molyn. de iuſtit. tract. 2. diſput. 667. Malder. 2. 2. tract 5. cap. 6 dub. 2. Aragon. 2. 2. D. Thom. quæſt. 62 a. 3. Bonac. de contract. diſput. 2. quæſt. 9. p. 1. Valentia T. 3. diſput. 5. quæſt. 6 p. 5. Molfeſ. in ſum. T. 1. tract. 8. dub. 13. num. 14. & 15. Ledeſma in ſum. T. 2. tract. 7. cap. 3. & Diana tract. de parlam. reſol. 2. p. p.* & alij.

Vtrum Conſiliarij Parlamentarij poſſint mittere Procuratores ad comitia, vt ſuo nomine ſuffragentur, & an hi poſſint alterum ſuſtituere, ſi in iuſtitiam præudeant, quod ſi etiam Procurator fuerit Parlamentarius poſſit dari duo vota diuerſa, & quonam loco ſedere debeat in proprio ne, an in Procurantis, ſi ſit huius dignior locus.

DIFFIC. III.

DIco primò, certum eſſe poſſe Parlamentarios mittere Procuratorem, qui ſuo nomine in Parlamentis ſuffragetur, vt dicetur V. Electio, & V. Procurator, poteſt tamen fieri illicitum, ſi fraus, & dolus ad ſit mittendo ſcilicet Procuratores conſcientiæ non timoratæ proprio commodo, & non communi vtilitati in hiantes in gratiam Principum poſtulatos, vt iuxta eorum placitum potius ſuffragentur, hic enim eſſet potius abuſus contra formam eligendi Procuratores, de quo ſic loquitur *Aponte in tract. de poteſt. Pro Reg. tit. de elect. offi. §. 5.* (Permiſſus eſt abuſus, vt procurationes omnes ad præces Miniſtrorum in ipſorum perſonas fiant, vel ab eis dependentibus, populi enim inſcij, & ignari, & inſipientes ſic venditi, & conſumpti reperiuntur donando, quæ nunquã cogitauerunt in ipſorum perditionem tenentes labia clauſa ob metum contra ſanctam, & indubitatam Regis mentem, quæ, & ſi apparenter videantur redundare in eius vtilitatem, omnia effectiuè ſunt in ipſius inæſtimabile damnum ob exinanitionem populorum, diminutionem Regni redditruum, & in offenſionem diuinæ iuſtitiæ, ob quam ſanguis pauperum perpetuo clamat.) & infra paulo poſt (bene tamen video, quod multi me irridebunt, & hæc parui facient; Ego ſum Iudex ſupremus Regens collateralis illiuſque Decanus, ſed non erubeſcam dicere, quod omnium malorum ſunt caoſa mali Iudices, & mali Conſiliarij decipiunt Reges) hæc *Aponte* apud doctiſſimum, & piiſſimum Dianam *p. p. tr. de Parl. Reſol. 8.*

Dico ſecundò, quod Procurator cum facultate ſubſtituendi, ſi fuerit timoratæ conſcientiæ, vnde præuideatur à Miniſtris non ſuffragaturus in re iniuſta, quam petunt ſi rogetur, vt alium ſubſtituat, qui ad eorum placitum ſuffragetur, non debet ſuſtituere, quia licet non teneatur de peccato ſui ſubſtituti, eum nomine Procurantis ſubſtituat, tenetur tamen ſubſtituere virum non ſuſpectum, alioquin, & ipſe particeps eſt eius delicti. Ita etiam videtur colligi *ex Vincentio de Franchis T. 1. deciſ. 212. & Diana tract. de Parlam. reſolut. 8.*

Dico tertiò, quod Parlamentarius factus Procurator alterius Parlamentarij ſanè duo ſuffragia feret, vnum tanquam, & ipſe Parlamentarius, & alterum tanquam Procurator, qui, ſi ad ſit probabilitas opinionis pro affirmatiua, & negatiua, volunt aliqui poſſe duo vota diuerſa ferre iuxta probabiles opiniones diuerſas, niſi ad ſit ſcandalum. Ita *Vaſq. p. 2. T. 1. 2. diſput. 62. cap. 9. & Sanch. in oper. mor. T. 1. l. 1. 6. 9. nu. 20.* locuntur de Confeſſario, & reſponſore caſuum conſcientiæ, & dicetur V. Opinio. Attamen quia ferè in Parlamento publico poteſt hæc opinio practicari ſine ſcandalo, & irriſione diuerſo modo ſuffragantia conſulit *Aponte de poteſt. Pro Reg. tit. 4. §. 1.* ſemper eodem modo ſuffragandum, turpe eſt coram Equitibus, & perſonis dignioribus modo affirmare, modo negare rem eamdem.

Dico quartò, quod Parlamentarius non debet ſedere in loco magis digni, cuius factus eſt procurator, ſed in loco qui ſibi contingit tanquam talis Parlamentarius, quia Procurator non ſuſcipit dignitatem perſonalem ſui Procurantis. Ita *Aponte deciſ. 15. n. 1.* & ſic fuiſſe determinatum à ſupremo Collaterali Conſilio facto anno 1602. die 16. Nouembris docet etiam *Diana loc. citato reſol. 28.*

Vtrum Conſiliarius certus de iniuſta impoſitione concludenda poſſit non accedere ad Comitia, & an ſi primum, vel vltimum cum tali certitudine tulerit ſuffragium, vel ſi dubitet ad eam efficaciter concurriſſe ſuo ſuffragio teneatur ad reſtitutionem.

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod Conſiliarius, qui certo ſcit maiorem partem concluſuram eſſe iniuſtam impoſitionem, poteſt abſque ſcrupulo peccati non accedere ad Comitia, modo cognoſcat tantam Procerum peruerſitatem, & Potentiũ violentiam, vt non poſſet ſine magna moleſtia, inquietitudine, & periculo ſuam conſcientiam exonerare, & iniuſtam propalare impoſitionem, maximè quando vota publicè feruntur, quia in rebus ad legem poſitiuam pertinentibus non obligatur homo cum tanto incommodo eius præcepta ſeruare, ſecus ſi poſſet faciliter, & ſine graui incommodo, & periculo ſuam exonerare conſcientiam, quia tunc teneretur accedere, etiam ſi nihil profecturum ſperaret, quia tenetur ex officio veritatem dicere. Ita etiam *Garzias de benef. T. 1. p. 1. c. 2. n. 542. Ioann. Valer. in differ. vtr. for. V. ſuffragiam differ. 2. in fine, & Diana tract. de parlam. reſol.* 18. qui, & optime limitat hanc doctrinam, modo Conſiliarius, & Parlamentarius quilibet non poſſit impedire concluſionem faciendam, nam ſi lex, vel ſtatutum, vel conſuetudo legitimè præſcripta habeat, quod ad concluſionem faciendam in Comitijs de aliqua re, neceſſe ſit, vt omnes conſiliarii ita concurrant, vt ſi vnus contradicat, nulla ſit concluſio aliorum, vt affirmat eſſe in hoc Regno Neapolitano in materia faciendi Donatiuum Proregi, in qua ſi vnus contradicat, non poteſt concludi Donatiuum, quia tunc vnuſquiſque neceſſario debet accedere, & cognoſcens iniuſtitiam tenetur impedire, aliter ad reſtitutionem tenetur, quia potens ore officio impedire, & non impediens efficax cauſa damni illati dicitur, in qua materia de faciendo Donatiuo Proregi, quod non poſſunt conſiliarii hoc facere ſine licentia Regis, & hac habita omnes nemine diſcrepante, ſi determinetur, valida eſt determinatio, ſecus non, quia hæc eſt omnino voluntaria, & nullo modo debita, ergo omnium requiritur aſſenſus, vbi omnium adeſt præiudicium. Vide *Maſtrill. de magiſtrat. T. 2. l. 5. nu. 27. Gomez T. 2. p. 1. cap. 10. Villagut. tract. de rel. eccl. non ritè alien. l. 1. p. 1. c. 10. & c. 107. n. 7. & Barboſ. in collect. T. 1. l. 1. tit. 2. c. 6. & Dianam tract. de parlam. reſol.* 29.

Dico ſecundò, conſiliarium, qui primus tulit votum ſciens independenter à ſuo ſuffragio iniuſtam impoſitionem certo concludendam, & ſtante hac certitudine pro ea dedit primum ſuffragium, non teneri ad reſtitutionem, nec peccare docuit *Salon 2. 2. q. 62. a. 1. controu. 3.* quia iſtius ſuffragium fuit cauſa ſine qua non, quia ſine ipſo adhuc concluſa fuiſſet iniuſta impoſitio, & ſanè non eſt improbabile, modo intenderit, quod ſi ſciuiſſet, vel dubitaſſet, non fuiſſe concludendam à ceteris, nec ipſe ſuffragatus eſſet pro ea, non enim ſic intendens videtur peccare, nec eſſet cauſa efficax talis impoſitionis, limita etiam modo ſuffragium non feratur publicè, nam ſi feratur publicè, cum ſit incentiuum, vt alii etiam inclinent, ad ſuffragandum pro iniuſta impoſitione videtur ſaltem eſſe cauſa, vt alii peccent.

Abſolutè tamen volunt fortè probabilius peccare in hoc caſu ferentem primum ſuffragium, qui poſitiuè primus eſt, qui efficaciter ad iniuſtam impoſitionem de facto concurrit. Ita *noſtri Rodriq. in ſum. p. 2. cap. 74. n. 4. & Villalobos in ſum. T. 2. tract. 11. diffic. 7. & Petr. Nauar. l. 3. c. 3. Leſſ. l. 2. cap. 13. dub. 3. Vaſq. de reſtit. c. 9. §. 1. dub. 1. Azor l. 4. c. 12. Clau. R. leg. 10. tract. 2. l. 9. & Bonac. de reſtit. q. 2. p. 8.*

Dico tertiò, quod conſiliarius quando iam ſibi conſtat à ſufficienti ſuffragiorum numero eſſe determinatam iniquam impoſitionem, ſi vltimus pro ea ſuffragetur, licet *noſter Cordub. in ſum. q. 191. & Medina c. de reſtit. q. 5.* velint non ſolum peccare mortaliter, quia ad rem iniuſtam ſuo ſuffragio concurrit, ſed etiam teneri ad reſtitutionem, quia licet ſit concluſa iniqua impoſitio ab aliis, ipſe tamen ſuo voto eam ratificat.

Alii tamen benignius, & mitius diſtinguunt, nam vel priores ſuffragati fuerunt dependenter ad poſteriores, ita vt ideo ſint ſuffragati, quia ſperabant alios poſteriores eodem modo ſuffragaturos, quod ſi non ſperaſſent, non eſſent ſuffragati; & ſic etiam poſteriorum vltimus ſi ſuffragetur pro iniuſta impoſitione peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quia vnus, ſuffragatur in virtute alterius maximè ſi ad hanc ſpem concipiendam priores habuerunt aliqua motiua probabilia; quod ſi priores ſuffragati eſſent pro iniuſta impoſitione independenter à poſterioribus, ita, vt etiam ſi poſteriores non eſſent ſuffragaturi, ipſi ſuffragati eſſent, tunc ſi priorum ſuffragia ſufficienter concluſiſſent iniuſtam impoſitionem, poſteriores quidam peccarent, ſi pro ea ſuffragarentur, quia conſenſum iniquitati præſtant, non tenerentur tamen ad reſtitutionem, quia non fuerunt cauſa impoſitionis iniuſtæ, iam per priora ſuffragia euidenter concluſæ, etiamſi ſolo reſpectu humano ſuffragati eſſent. Ita communius *noſtri Rodriq. & Villalob. locis citatis Petrus Nauar. Leſſ. Vaſq. Azor Sayr. in C. R. & Bonac. loc. cit. & Molyn. de iuſt. diſp. 332. Filiucc. tract. 33. c. 3. q. 8. & Salon 27. q. 72.*

Dico quartò, quod conſiliarius, qui tulit ſuffragium, poſtquam ab aliis lata ſunt, & dubitet an ſuo ſuffragio cooperatus ſit iniuſtæ impoſitioni iam concluſæ, vtrum teneatur ad reſtitutionem, negat *Rebell. l. 2. q. 14. ſect. 5.* quia potior eſt cõditio poſſidentis, & poſſeſſio ſtat pro dubitante, verum mihi hæc opinio non probatur, cum certum ſit ipſum ſuffragatum fuiſſe pro iniqua impoſitione, ergo potius debet ſe exiſtimare concurriſſe efficaciter ad ipſam, nam eo modo quo dubitat ipſe vltimus poteſt dubitare alius, & alius ne reſtitutioni ſit obnoxius, quando dubitatur, an alii priores concluſerint ſufficienter iniuſtam impoſitionem, cum ergo neſciatur, an priores concluſerint, debet vnuſquiſque poſterior abſtinere, niſi velit eſſe obligatus reſtitutioni, itaque ſi in dubio ferat pro illa, iam tenetur iuxta illud, qui amat periculum, peribit in illo, maximè cum poſſet fieri, quod priores non concluſiſſent, & ipſe ſuo voto contingere poteſt, vt concluſerit, itaque omnino dubitans in hac materia debet reſtitutioni, & peccato obnoxius exiſtimari. Ita, *& Pet. Nau. & Bon. loc. cit.*

Vtrum Conſiliarius qui contrarium votum tulit debeat ſe ſubſcribere determinationi contrariæ factæ à maiori parte Comitiorum.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod ſi determinatio facta à maiori parte fundata ſit in ratione probabili, ita vt iuſta probabiliter, ſit dicenda, licet cõtraria ratione probabiliori fultus conſiliarius contrarium etiam ſuffragium tuliſſet, poteſt ſe ſubſcribere determinationi communi probabiliter iuſtæ, licet probabilius ſit iniuſta, quia licet opinionem probabilem ſequi relicta probabiliori, & ſequens opinionem probabilem non errat, & prudenter agit, ergo nec peccat. Ita *ex noſt. Villal. in ſum. tr. 1. diffic. 1. & Bonac. de leg. diſp. 2. q. 4. p. 9. Reginald in prax. T. 1. l. 15. c. 10. Filiuc. T. 2. tract. 21. c. 2. nu. 128. Sanctarell. var. reſol. 1. p. q. 59. n. 4. Sanch. in ſper. mor. T. 1. l. 1. c. 9. & probabimus V. Opinio.* Vide etiam pro præſenti difficultate *Dianam tract. de parlam. reſol.* 30. limitarem tamen modo publicè ſuum ſuffragium contrarium non protuliſſet, quia vt dictum eſt ſupra, coram multitudine virorum grauium affirmare, & negare non videtur congruum, & conueniens, &c.

Dico ſecundò, quod ſi determinatio facta à maiori parte ſit iniqua, & iniuſta, licet aliqui ſenſerint poſſe etiam eidem ſubſcribere, qui contrarium votum tulit ex eo, quod ex *leg. quod maior pars ad municipal. & l. aliud §. refertur ff. de reg. iur.* præcipitur, quod totum id, quod fuit à maiori parte conclutum, firmum, & validum teneatur.

At vero communius reprobatur hæc ſententia, nam lex ibi ſupponit, quod determinatum à maiori parte ſit iuſtum, & melius, cum non præſumat lex tot ſimul congregatos à iuſtitia recedere velle, quare quando euidẽter conſtat, maiorem partem ſuffragantem iniuſtam omnino rem determinaſſe, lex quia ſancta eſt, & Reges iuſta decernunt aſſtante Deo iniuſtitiam fouere non poteſt, atq; adeo reprobat iniuſtam determinationem factam etiam à maiori parte, vt probat *Morla in Empor. iur. tit. 12. quaeſt. 9. n. 6. hinc Exodi 22. ſcriptum eſt (ne ſequaris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquieſcas ſententiæ, vt a vero devies.*

Itaque

Itaque ſententię euidenter iniuſtæ nullo modo debet ſe ſubſcribere in tali caſu Conſiliarius, ne, dum non peccauit inferendo ſuffragio, peccet in ſubſcribendo ſententiæ, vel determinationi iniuſtæ, nam peccaret mortaliter, quia executioni iniuſtæ ſe ſubſcribendo adhereret, & rem iniuſtam approbaret. Ita etiam *Madenaga in lib. de Senatu cap.35. §.4. vide Ricc. p.3. deciſ.277. Zanard. in direct. p.2. prac.4. c.33. q.10. & Dianam de parlam. reſol.30.*

Vtrum Conſiliarij tacere debeant ea, quæ à Principe ſecreto ſunt commiſſa pro aliquo futuro tempore, & an ſi à Confeſſario de re in Confeſſione audita conſulantur, teneantur ſub ſigillo Confeſſionis eam reticere.

DIFFIC. VI.

DIco primò, quod Conſiliarij Principis tacere debent ea, quæ futuro aliquo tempore a Principe decreta ſunt facienda, maximè quando in præiudicium Principis, vel aliorum talis reuelatio futura eſſet, quia tunc non ſolum peccant mortaliter contra ſeruationem ſecreti, ad quod vel ex iure naturę, vel ex iuramento fidelitatis factę Principi tenetur, ſed etiam ad reſtitutionem iuxta damnum illatum.

Hinc, ſi pro futuro aliquo tempore à Principe decernatur diminutio valoris monetæ, vel aliarum rerum, ſi Conſiliariorum Principis culpa hæc diminutio ſciatur ante promulgationem ab aliquibus particularibus, qui ideo ſuas monetas dāt aliis, & res alienas emunt in præiudicium vendentium, & negotiantium ad reſtitutionem damnorum teneri putant *Comitol. in reſponſ. mor. l.3. queſt.32. num. 6. & Diana de contract. reſol.54.* licet alij contrarium ſentiant.

At vero Conſiliarij ſcientes tale decretum promulgandum tali tempore res ſi ſuas vendant alioqui non vendituri teneantur reſtituere. vide infra V. Vendere, vbi opiniones hinc inde afferentur forte ambæ probabiles.

Dico ſecundò, Conſiliarius, à quo Sacerdos Confeſſarius petit conſilium de peccato Titij, licet ab aliquibus cenſeatur teneri ad illud tacendum ſub ſigillo Confeſſionis, quia Conſiliarius talis vna cum Confeſſario conſtituitur vnus quaſi miniſter quoad claues ſcientiæ in tali actu; Ita videntur velle noſter *Pitigian. in 4. T.2. diſt.21. queſt.2. a.5. Suar. in 3. p. T.4. diſput.33. ſect.4. Bonac. de Sacram. diſput. 5. qu.6. ſect.5. p.3.* & alij; attamen alij probabilius putant non teneri ad ſigillum confeſſionis, quia non audit in confeſſione, ſed ſolum ratione ſecreti naturalis, Ita *Vaſq. 3. p. queſt. 93. a. 4. Megal. p.1. l.1. c.16. & Diana tract. 15. Miſcell. 1. reſolut. 14.* Quid autem ſentiat *Scotus* in hoc caſu vide ipſum *in 4. diſtinct. 17. queſt. vn. ad arg. princip. & 21. diſt. queſt. 2. concl. 4.*

Vtrum Conſiliarij, Camerarij, Senatores, Conſules, ſeu Syndici, vulgo di Reggimento, & alij ad quos ſpectat prouiſio frumentorum, teneantur ad eam tempore quo vilius emuntur, & an vilius reuendere poſſint, quam ea emerunt.

DIFFIC. VII.

DIco primò, quod Conſiliatij, Camerarij, Sindici, & omnes præfati quocunque modo nuncupentur, qui præſunt annonæ Ciuitatum, tenentur omnino tempore, quo vilius frumenta emuntur facere prouiſionem pro toto tempore, quia hoc modo annona, ſeu Graſcia ſeruatur in toto anno, aliter ſi tempore, quo carius venduntur, tunc emenda transferrent, tenerentur de damno quod patitur populus, dum cogitur ex eorum negligentia panem carius manducare, quam æquum ſit, etenim dum eorum hoc officium eſt, ratione officii tenentur de omni damno, quod ex ipſorum negligentia ratione talis Officii prouenit, vt alibi ſæpè inculcatum eſt, & infra dicetur; quare bene aduertant onus, quod portant ſimiles officiales, qui reddituri ſunt rationem de pauperum, & miſerabilium damno, quorum ſanguis clamat apud Deum vindictam. Vide *Michael. de Palatio in ſua praxi de contract 62. cap.2. Villa Diego Inſtruct. Pol. cap. 5. §.27. Bobadillam l. 3. T. 2. cap.3. & Dianam tract.33. Miſcell. 2. reſolut. 66.*

Dico ſecundò, quod præfati Conſiliarii, Camerarii, & ceteri ad quos ſpectat prouiſio annonæ non poſſunt vendere frumenta pro publica vtilitate empta vilius, quam empta fuerint anno preterito, *ex l.3. ff. ad l. Iul. de Annona, & Philippus* II. *vt teſtatur Aponte tract. de poteſt. Proſeg. tit.2. §.5.* litteris ſua manu ſignatis hoc expreſsè prohibuit, ne Ciuitas Neapolitana frumenta carius emeret, vt vilius ea etiam ſuis Ciuibus venderet, & hunc abuſum mandauit omnino tolli, & propter tęm abuſum teſtatur *Aponte* multa mala Ciuitati Neapolitanæ accidiſſe proteſtatur; & *Philippum IV.* hodie regnātē ita etiam mandaſſe epiſtola manu ſua firmata ad Proregem Siciliæ, vt ſeruetur in Ciuitatibus regni illius data 23. Ianuarii anno Domini 1627. teſtatur *Diana*, in qua vendere triticum publicum viliori prætio, quam emptum fuit ab Annonæ publicæ pręſidentib eſſe in damnū boni publici aſſerit Rex Catholicus, quia totum illud, quo emptum fuit carius, redit in detrimentum publicum, ſi vilius vendatur, vt patet.

Quare, ne bonum commune patiatur, probabile admodum eſt, quod ſi aliquo accidente vilius vendatur triticum, quam emptum fuerit pro publica annona, poſſe Conſiliarios, Senatores, Camerarios, & ceteros aliquos ſpectat cogere, Ciues, & mercatores Ciuitatis ſuæ ad emendum tale publicum triticum eodem prætio, quo emptum fuit, licet fuerit carius emptū, vel poſſunt illud panizare iuxta illud prætiū, quo emptum fuit, licet de præſenti vilius valeret, & cogi poſſunt Ciues ad illum panem emendum, quia bonum publicum præferendum priuato. Ita noſter *Rodriq. in ſum. p.4. c. 137. Michael de Palatio vbi ſupra Fauſt. in ſpec. Confeſſ. diſp.6. q.68. & 69. & Diana loc. cit.*

Vtrum Conſiliarij, Senatores, & ceteri ad quos ſpectat electio Officialium ſuæ Ciuitatis peccent mortaliter, ſi prætermiſſis dignioribus eligant dignos, & teneantur ad Reſtitutionem.

DIFFIC. VIII.

DIſtinguendum puto, nam vel acceperunt præfati Præſidentes electionibus Officialium, iuramentum de eligendis dignioribus, & vtilioribus ad populi gubernationem, & in hoc caſu peccant mortaliter ſaltem propter violationem iuramenti ſi electis dignis digniores, & vtiliores relinquant. Ita *noſter Portell. in dub. Reg. V. Iuram. num.20. Bobadella, in Pol. T.2. l.3. c. 8. Malder. 22. tract. 10. Sanch. in ſum. T.1. tract. 2. c.13. Ledeſ. in ſum. l.2. c.32. dub.3. Madriega tract. de Senatu c.42. Arrago. 2.2. q.63. a.2. Leſſ. l.2. c.32. dub.3.* & videtur docere hanc ſententiam *Innocen. c. cum olim de reſt. n.2.*

Quod ſi non accipiant iuramentum de eligendis dignioribus, ſufficit, ne peccent, vt dignos eligant, ſicut enim quis relicta probabiliori opinione poteſt tuta conſcientia eligere probabilem, ita etiam poſſunt præfati, præciſo iuramento de eligendo digniori relinquere digniorem, & eligere dignum. In hoc ſenſu forte locuntur *Caiet. in ſum. V. Electio, Vaſquez, opuſc. de benef. c.2. §. 5. dub. 13. & Molfeſ. in ſum. tract. 6. c.6. T.1.* & alii, &c.

Certum eſt tamen mihi etiam pręſtito iuramento de eligendo digniori, ſi eligant dignum præfati, licet mortaliter peccent contra iuramentum, tamen quia non faciunt contra iuſtitiam, ſi eligant digniorem non tenentur ad reſtitutionem, ſi vero eligant indignum, non ſolum, peccant mortaliter, ſed etiam tenentur ad damna, quæ ex in eptorum, & indigniorum in curia, vel malitia ſecuntur, quia ſunt cauſæ efficaces talium damnorum. Ita *noſt. Miranda in man. Prel. T.2. q.23. a.13. Conar. in Reg. §.7. Nald. V. eligere num.6. Madriga loc. citato, & Diana tract.15. & 2. Miſcell. reſolut. 67.*

Conſuetudo.

Quid, & quotuplex ſit Conſuetudo, & quænam eius conditiones.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod conſuetudo eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſeruatur. Ita *Angel. noſt. V.* Con-

gia, nam ſuadere eſt ſuauibus, & accommodatis verbis aliquem inducere, & inſtigare ad faciendum, quod conſulitur, conſulere autem, & bonum eſſe monſtrare, quod conſulitur; itaque conſulens mouet, ſed non inſtigat, & inducit, ſuadens autem inducit, & inſtigat, quod noſter *Vngaroll.* ait poſſe colligi ex *leg. ſæpè, §. ff. de verb. ſignif. & ex l. 2. §. fin. ff. mand.* nil ergo mirum, ſi ſuadens tenetur de damno, etiam ſi alias eſſet facturus, quia eſt proxima cauſa inducens immediatè ad effectum, non ita proximè conſilium. Ita etiam videntur in parte docere Doctore citati.

At verò, ſi non erat alias facturus damnum, quod alicui conſulitur, ſubdiſtinguit *Angel.* nam vel conſilium dat fraudulenter, & cum aduertentia doloſa in alterius damnum delinquenti, & ſic ſemper conſulens tenetur, quia ex hoc cognoſcitur, quod ſit cauſa efficax damni, quia non eſſet facturus, ſi tale conſilium ipſum non mouiſſet ad delinquendum, & dum conſilium datum fuit contrahenti, alias non contracturo, & conſilium fuit datum aduertenter in fraudem, & doloſè, iam tenetur de dolo, & ad reſtitutionem, quod ſi non fuit fraudulenter, & doloſè datum, ſed ſimpliciter, inaduertenter, & ita non tenetur, vt *in regula nullus de conſilio de Reg. iur. in 6. & leg. eleganter in ſin ff de dolo.* limitat, niſi conſilium mixtum fuerit cum mandato, quia teneretur vt mandans ad reſtitutionem, etiam ſi non foret fraudulentum, influit enim magis mãdatum in effectum, quam conſilium.

Eſt, & alius modus cognoſcendi, an conſilium fuerit cauſa efficax damni, ſcilicet ſi ex coniecturis appareat iam fuiſſe paratum præciſo omni conſilio, damnum inferre, puta ſi hoc antea minitatus fuiſſet facere, aut ſi ad delictum neceſſaria præparauerat ante conſilium, vel nimio odio affectus erat, ex quo inclinaſſet animum damnificandi præciſo omni coſilio; in hiſce enim caſibus, probabile eſt, non teneri ad reſtitutionem conſulentem damnum, quia non eſſet cauſa efficax damni. Ita *Sanchez in ſumm. Tom. 1. l. 1. c. 10. nu. 44. & Bonac. de cenſur. diſp. 1. q. 1. p. 6.*

Immò addunt alij poſſe etiam cognoſci non fuiſſe coſilium datum cauſam efficacem damni, ſi damnificans principalis ore ſuo aſſeruiſſet, non ſe mouiſſe ad inferendum damnum ex conſilio dato, ſed quia ſic determinauerat facere, etiam ſi tale conſilium non habuiſſet, modò hoc aſſeuerans ſit vir fide dignus, vnde ex tali dicto poteſt conſulens tuta conſcientia ſe exiſtimare immunem à reſtitutione, & tales ſint circumſtantiæ, vt prudens vir arbitretur eſſe fide dignum. Ita *Bonac. in. Auila, Sanchez loco citato, & Caſtr. Palaus Tom. 1. diſp. T. 1. diſp. 3. part. 4.* Abſolutè tamen loquuntur, credendum homini dicenti ſe non eſſe motum coſilio alterius *Sayr. de cenſur. l. 7. capit. 3. numer. 2. & Henriquez l. 14. cap. 16. num. 3.*

Dico ſecundò, quod licèt admodum probabiliter aliqui ſentiant, dubitantem, an ſuo conſilio cauſa damni, teneatur adhuc reſtituere, quia certum eſt, actionem mali conſilij fuiſſe factam, vndè potius præſumendum eſt, cauſam fuiſſe damni, & de facto in foro fori puniendus eſſet tanquam cauſa, quia præſumptio iuris eſt contra conſulentem, ergo etiam in foro conſcientiæ debet ſe exiſtimare tanquam cauſam illius damni, & conſequenter reſtitutioni obnoxium. Ita *Molyna T. 3. diſp. 736. num. 6. Leſſius l. 2. cap. 27. dub 3. Merolla T. 2. diſp. 3. cap. 4. coroll. Salas 1. 2. tract. 8. diſp. vnica ſect. 22. Sanchez de matrim. T. 2. l. 2. diſp. 21. Nald. hic num. 15. Couarru. in clem. furioſus, & Sancius in ſelect. diſp. 43. num. 14.* In quo tamen caſu *Molyna* putat non eſſe reſtituendum totum damnum, ſed pro quantitate dubij remanentis poſt peractam diligentiam quod etiam docet *Diana par. 4. tract. 3. reſolut. 28. Merolla* tamen totum reſtituendum putat, quia ſicut in totam actionem damni influit ſuo conſilio, ita etiam ad totum damnum tenetur.

Attamen benignius, & ſanè probabiliter negant alij dubitantem, an ſuo malo conſilio fuerit cauſa damni, teneri ad reſtitutionem, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis in materia ad iuſtitiam pertinente, & extra materiam conficiendi validè ſacramentum, & cenſurarum, nemo tenetur ex *Scoti* doctrina in dubio ſe Reum tenere, cum enim ſimus in odioſis, non debet fieri extenſio, & pœnæ ſunt reſtringendæ, hinc *D. Thom. 22. quæſt. 62. art. 7.* in præſenti caſu videtur dicere, quod conſiliatius, aut Palpo ſolum ad reſtitutionem teneatur, cum probabiliter exſtimari poteſt, quod ab eo iniuſta actio ſubſecuta fuerit, itaque cum, qui dubitat, non habeat probabilitatem, ſe fuiſſe cauſam, non tenetur ex *D. Thom.* ad reſtitutionem. Ita noſter etiam *Villalob. in ſum. Tom. 1. tractat. 1. difficult. 20. num. 9. Petrus Nauar. de reſtit. leg. 3. cap 4. dub. 4. Sayr. in C. R. l. 11. tract. 2. cap. 8. numer. 1. Henriquez l. 14. cap 3. num. 4. Medina cap. de reſtitut. quæſt. 7. ante verbum, ſi autem conſilium, Sylu. Verb. Reſtitutio 3. qu. 6. dicto 1. Rebell. par. 1. l. 2. quæſt. 14. ſect. 1. Filiuc. Tom. 2. tract. 21. cap. 4. n. 167. & Diana* hanc etiam opinionem probabilem putat *in 3. p. tr. 5. miſc. reſol. 84.*

Ceterum dicendum puto in hoc caſu, quod antequam faciat diligentiam in perſcrutando, an verè conſilio ſuo fuerit cauſa efficax damni, an ſolum cauſa ſine qua non, debet ſe tenere reſtitutioni obnoxium, quia præſumptio videtur ſtare pro actione iniuſta à ſe facta, quæ certa eſt, at verò ſi poſt factam diligentiam, non inueniat, quod verè fuerit cauſa efficax damni ſuo conſilio, ſed adhuc probabiliter, & non leuiter dubitet, an fuerit cauſa efficax, quia nemo tenetur ſe in dubio certum reum facere, poſſet cum hac ſecunda opinione probabili ſe immunem exiſtimare à reſtitutione. Ita videtur etiam concludere *Diana loco citato, 9. notandum eſt tamen, cum Molyna in fine.*

Dico tertiò, quod conſulens paratum ad inferendum damnum, vt citius exequatur, & ad illud inferendum accelerans, volunt noſter *Villalob. in ſumm. Tom. 2. tractat. 2. difficult. 8. Caiet. 2. 2. quæſt. 62. art. 7. Vaſquez opuſc. de Reſtitut. cap. 9. Petr. Nauar. l. 2. cap 3. Azor l. 4 cap. 11. & Bonac. de reſtit. diſp. 1. qu. 2. punct. 7.* quod teneatur ad reſtitutionem, quia vera cauſa efficax eſt, vt hic, & nunc inferatur damnum.

Attamen non improbabiliter alij putant non teneri ex hac probabili ratione, quia circumſtantia temporis, & modi non influunt intrinſecè in effectum, qui etiam ſecutus omnino eſſet in alio tempore, per accidens ergo eſt, quod hic, & nunc inferatur damnum conſilio meo, quod eſt, aut alio tempore erat inferendum à iam parato, ita etiam dicendum de modo, cauſa autem per accidens, non eſt cauſa efficax, & verè efficiens damni, ergo nec ad reſtitutionem videtur teneri. Ita etiam *Leſſius l. 2 cap. 13. dub. 2. Layman. l. 3. ſect. 5. tract. 2. cap. 5. & Diana p. 3. tract. 5 miſc. reſol. 47.* Vide etiam *Henriquez l. 14. c. 7. nu. 12.* quod maximè confirmatur contra Vaſquez nam ſi per ipſum furi aſcendenti per ſcalam, vt furetur, opituleris, tenendo ſcalam, vel appodiando, vel aſportando rem furtiuam, quam tamen ſine tuo auxilio furanus eſſet, non teneris ad reſtitutionem, quia intrinſecè non fuiſti cauſa efficax damni, & ſolum, vt cauſa per accidens fuiſti, ita à pari in hoc caſu præſenti.

Aduertetem tamen, quod ſi conſilio, vel ſuaſione auxeris animum, & volutatem ad maius damnum inferendum, quam ille propoſuerat, teneris ad exceſſum, quia verè cauſa efficax fuiſti talis exceſſus. Ita etiam *Layman. loc. cit.* & conſequenter addendum puto, quod ſi conſulens accelerationem in dicto caſu fuiſſet cauſa, vt maius damnum acciperet patiens hodiè, quam ſi in alio tempore accepiſſet, ad exceſſus etiam teneatur.

Vtrum verò, qui conſuluit Petro, vt damnum tale inferat, quod etiam Murius certò intuliſſet, teneatur ad reſtitutionem & licèt videatur negandum, quia tale damnum iam ſequendum eſſet ſine ſuo conſilio, ergo per accidens eſt, quod ſuo conſilio hic, & nunc à Petro inferatur.

Attamen omnino affirmandum eſt, quia vera, & efficax cauſa fuit, vt Petrus malum, quod non cogitabat facere, ſuo conſilio faciat, ſicut enim, qui damnum prior intulit, quod illaturus etiam eſſet alius, tenetur ad reſtitutionem, ita etiam qui dedit conſilium, vt prius malum fieret, tenetur ad reſtitutionem, non ratione temporis præciſè, ſed ratione damni, ad quod immediatè influxit, per accidens enim eſt huic conſilio, quod alter intuliſſet certò iſtud idem damnum, dum verè fuit cauſa, vt ab alio fieret.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrum Conſilium datum de damno inferendo ſi quis reuocare conatus fuerit, & tamen damnum ſecutum fuerit, teneatur conſulens adhuc ad reſtitutionem, an ſaltem teneatur admonere eum, qui paſſurus eſt damnum.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod quidã probabiliter affirmant conſulentem damnum aliquod inferendum, ſi tamen ante factũ reuocauerit conſilium, nec potuerit retrahere eum, cui conſilium dederat à damno conſultò inferendo, adhuc teneri ad reſtitutionem; ita noſter *Vngarell. V. aſſaſſinus ſch. G*, licèt ibi propriè loquatur de mandante, ita etiam *Nauar. c. 27. nu. 233. Bonac. de reſtit. diſp. 1. q. 2. p. 7. Azor 3. p. l. 4. c. 11. quaeſ. 4. Molin. T. 3. tra. 3. diſp. 731. Leſſ. l. 2. c. 13. Megala 2. 2. l. 2. c. 2. q. 3. Sayr. l. 10. tr. 2. c. 8. in c. Reg. & Fauſtus in ſpec. confeſſ. diſp. 4. q. 69.* & alij, & probant, quia conſulens oſtenſione commodi, vel honoris, aut alterius boni ſequendi à damno inferendo, ſuggerit voluntati damnificantis, quod debet damnum inferre, ergo dum durat in volũtate damnificantis hæc ratio mouens eum ad damnificandum, ſemper conſulens eſt cauſa damni, quia virtute conſilij dati efficaciter mouetur ad damnificandum, ergo ſi conatus fuerit illum retrahere à conſilio malo dato, & non retraxerit, adhuc tenetur ad reſtitutionem, quia virtute conſilij prius dati mouetur ad damnum inferendum, ſecus eſt de mandante, qui ſi reuocat mandatum ante factum, & innoteſcit reuocatio Mandatario, non tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi mandatarius exequatur damnum, quia iam non amplius mandans influit in damnum, poſtquam reuocauit mandatum, nam nom amplius ſuo nomine, ſed propria voluntate à mandatario infertur damnum; conſilium ergo cum in intellectu percipiente rationem, cur damnum inferri debeat, reperiatur, donec intellectus ſub ea ratione mouet voluntatem ad damnum, ſemper conſilium datum eſt cauſa, mandatum autem recipitur in voluntate, quæ ad nutum mandantis ſtatim remouetur à mandato accepto, nec à ratione dependet, ſed ab imperio, conſilium autem à ratione, quæ ſemel imbibita difficiliter ab intellectu ratiocitante diuelli poteſt; itaque conſilium cum adhæreat menti, non poteſt retrotrahi, benè tamen mandatum.

Attamen æquè probabiliter exiſtimarunt, reuocantem conſilium datum de damno inferendo, proponendo ei eſſe iniuſtum, & malum, atque adeò malum eſſe illud exequi, non teneri amplius ad reſtitutionem, ſi conſultus poſt reuocationem illud exequatur, & probant, quia non magis valere debet ſuaſio ſub ratione commodi, vel honoris, quam diſſuaſio eiuſdem rei poſtea ſub ratione iniqua, & peccaminoſa demoſtratæ, ſi ergo non remouetur à diſſuaſione conſultus de malo inferendo ſub ratione boni prouenit à ſua malitia, ſi ergo proſequatur damnum, iam potius à ſua malitia prouenit, quam à conſilio dato, quod per contrariam veram rationẽ iam euacuatum eſt, irrationabiliter autem iam operatur ex priori conſilio, dum malũ, & iniquum ei proponitur, quia tenetur ſequi conſilium contrarium tanquam bonum, & relinquere prius, quod iniquum eſt, itaque iam ex propria malitia, non ex conſilio priori ſibi iniquo demonſtrato damnum infert, ergo conſulens reuocans conſilium prius demonſtrando illud iniquum, & iniuſtum, iam fecit, quod potuit, & debuit, ad reſtitutionem ergo non tenetur, ſi ſequatur damnum, quia ex propria malitia inferentis ſecutũ eſt, non autem à ſuo conſilio reuocato. Ita *P. Nauar. de Reſtit. l. 3. c. 4. n. 27. Salon. in 2. 2. q. 62. ar. 7. contr. 9. Regin. in pr. T. 1. l. 10. q. 1. Medina de reſtit. q. 7. & Diana p. 1. tract. 16. miſc. reſ. 17.* & eam vocant probabilem *Leſſ. Azor. & Bonac. loc. cit.*

Sanè mihi verior iſta ſecunda perſuadetur, quia intellectus noſter non apprehendit immobiliter, ſed à contraria ratione faciliter poteſt ad contrarium aſſenſum remoueri, itaq; conſulẽs, ſi facit quantum in ſe eſt, vt à dato conſilio remoueat intellectum proponendo forti ratione iniuſtitiam dati conſilij poteſt intellectus remoueri, quod autem non remoueatur, prouenit à malitia conſulti, quia proprio ſenſu mouetur, & non ratione ad non aſſentiendum bono conſilio contrario, ad quod omnino tenetur, non ergo conſulens amplius peccat, quia irrationabiliter conſultus, iam vtitur conſilio dato ex propria malitia, nõ ex ratione, non ergo amplius tenetur ad malum, quod conſultus ab ipſo ex propria malitia irrationabiliter exequitur, ergo nec ad reſtitutionem.

Quod confirmatur ex eo, quod aliter poſſit dari caſus, in quo pœnitens de peccato, non poſſet ſaluari ex malitia alterius ſolum, quod iniquum eſt aſſerere, ſi enim conſultus ad damnũ inferendum, ſufficienter diſſuaſus à conſulente, quem pœnitet de conſilio malo dato, adhuc vellet inferre damnum, & conſulens teneretur, vt cauſa talis damni poſt pœnitentiam, ſequeretur poſſe damnari ex malitia ſolum eius, qui prius malum accepit conſilium, quia pœnitentia de malo conſilio eum non iuuaret, ſi ſemper manet, ego ſi interea moreretur conſulens cum ſufficienti pœnitentia non ſaluaretur.

Dices, quod ſaluaretur, quia pœnitentia de malo conſilio delet culpam, ſed non pœnam, & obligationem reſtituendi; ſed hæc reſponſio futilis eſt, quia vbi non eſt culpa, nec poteſt eſſe pœna, pœna enim ſubſequitur ad culpam, ergo ſi pœnitentia mali conſilij dati cum ſufficienti reuocatione euacuat culpam, ergo etiam pęnam, & reſtituendi obligationem.

Nec obſtat, quod noſter *Vngarell.* de mandante loco citato ait, quod licèt mandans reuocauerit mandatum, adhuc pęnam mandati incurrit, licèt effectus non ſit ſecutus, quia licèt regulariter parcatur cogitanti, & pœnitenti, attamen in caſibus in quibus conſumatum eſt debitum, vt eſt in mandante, qui per mandatum iam attentauit delictum, non prodeſt pœnitentia, ſed punitur criminis conſcientia, ſimile in hæretico, in *c. ad abolendam de Hæretic. & cap. excommunicamus, §. credentes ibid. & in crimine læſ. maieſtat. leg. quiſquis cap. ad leg. Iul.* Nam hoc verum eſt in foro fori ſolum, in quo punitur mandatum, & conſilium malum, non quoad reſtitutionem, ſed in quantum crimen eſt in ſe, quando probatur iam vtrumque fuiſſe attentatum, non autem in foro conſcientiæ, in quo pœnitentia euacuat culpam de malo conſilio, & de malo mandato, vndè poſt reuocationem, & pœnitentiam cum euacuetur culpa, ſi poſtea mandatarius, vel conſultus exequatur delictũ, iam non amplius nomine mandantis, & in virtute conſulentis, quorum vterque ex pœnitentia, & reuocatione euacuauit culpam, ſed ex propria voluntate malitia vterque tam mandatarius, quam conſultus damnum infert, cum ergo conſulens, & mandans pœnitens, quando damnum infertur, neuter peccet mortaliter, neuter obligabitur ad reſtitutionem damni illati.

Dico ſecundò, quod qui conſilium dedit ad inferendum alicui damnum, puta ad occidendum Petrum, & poſtea ſit conatus reuocare, nec potuerit, & permaneat cõſultus in ſuo propoſito, licèt ex iuſtitia teneri ad Petrum monendum de malo animo ſui inimici, ad hoc vt caueat Petrum, & ſe indemnem ſeruet, probabiliter velint noſter *Angelus, Abbas, & Innocentius, apud Fauſtum de reſtitut. diſp. 1. qu. 72.* attamen ſtante probabilitate ſecundæ opinionis poſitæ probabile etiam eſt poſt reuocatum conſilium, ſolum teneri ex charitate admonere eum, cui inferendum eſt damnum, ſi adhuc poſt reuocatum conſilium permaneat in malo propoſito conſultus, quia ſicut non obligatur poſt reuocatum conſilium ad reſtitutionem, ita neque tenetur ex iuſtitia ad certiorem reddendum de damno inferendo, cum iam non ex conſilio ſuo, ſed ex ſua malitia damnum ſit illaturus, tenetur tamen ex charitate, ſi commodè id poterit, quia vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo.

An verò conſulens percuſſionem, vel homicidium Clerici, quod poſtea retractauit non ſecuto homicidio, vel percuſſione incidat in excommunicatione, conſtat ex dictis, nam Doctores primæ opinionis debent tenere eſſe excommunicatum, quia adhuc durat culpa poſt reuocationem, ergo & ſequitur pœna, Doctores autem ſecundæ opinionis dicere debent, non incurrere, quia ſi poſt reuocationem conſilij factam conſulens amplius non peccat, ſi ille ex ſua malitia velit percuſſionem, & homicidium proſequi, neque dici poteſt incurrere excommunicationem.

Conſulens porrò, fauens, mandans, niſi exprimantur in tenore ſententiæ excommunicationis non includuntur; vt ſæpè ſæpius V. Bulla Cœnæ dictum eſt, &c.

Vtrum liceat parato maius malum facere conſulere, vt minus malum faciat, quid ſi parato minus malum facere conſulat maius?

DIFFIC. IV.

Dico primò, quod certum eſt non licere cõſulere minus malum mortale tamen, adhoc vt quis non faciat maius malũ, ſi ad faciendũ malũ maius non erat paratus, quia ſi tale minus malũ facere eſt mortale, ita etiam cõſulere, qui .n. nõ parato conſulit minus malum, abſolutè conſulit malum, quod nullo modo licet; ita communiter, quod ergo difficultas quærit, eſt, an parato ad faciendum maius malum, vt eum auertat à tali malo maiori, licitum ſit conſulere, vt minus malum eidem inferat, itaut fideliter gerat negotium eius, qui paſſurus eſt damnum, cõſulens tale minus malum, puta quis parat occidere, vel furari mille, conſulat ſi quis ei, vt ſolum mutilet, vel centum furetur, an peccet mortaliter.

Sanè certum etiam putant parato ad furandum mille, ſi quis conſulat, vt ſolum centum furetur, non teneri conſulentem hoc minus malum, ad reſtitutionem, quia non influit abſolutè in damnum tertij, immo fideliter gerit eius negotium, dum retrahit furem paratum ad mille furandum, conſulens, vt ſolum centum, ita communiter, quod ergo in hac difficultate præcipuè dubitatur, eſt, an peccet mortaliter quis parato ad faciendum maius malum, conſulens, vt minus ſimpliciter malum faciat. Igitur

Dico ſecundò, quod licet *Caiet. 2.2.q.78.a.4. & 95. art.8. Conar in l.decret.p.1.c.4.Fauſtus de reſtitut. diſput. 1. quæſt. 76.* & alij velint, non licere maius damnum, vel malum facere parato minus malum conſulere, quia non ſunt facienda mala, vt veniant bona, nec licet conſulere alteri, quod tu ipſe facere ſine peccato non poſſes, ſed tu minus illud malum facere non poſſes, ſine peccato, ergo nec conſulere minus malum pertingens ad mortale licitè poteris.

Attamen alij putant licere parato maius malum facere, conſulere, vt auertat à maiori malo conſulere minus malum. Ita *Angel. noſt. V. vſura 2. §.2. A trian. quodl.1. quæſt. 2. vbi. ait fatuum eſſe de hoc dubitare, Rebel. l. p.2 de obligat. l.2. qu. 14. ſect.7. Nauarr. cap.14. num.40. P. Nauar. l.3. de Reſtitut. num.29. Valent. T.3. diſput.1. quæſt.10. parte 7. & diſp.5. quæſt. 21. Salon, & Aragon. 2.2. quæſt.62. art.7. Leſſius l.2. de iuſt. c. 13. dub. 3. Sayr. in C.R. tract.2. cap 8. Sanchez l.2. de matrim. diſp.11. Salas de vſur. dub.47. Bonac. de reſtit. diſp.1. qu.2. p.7. Azor. 3. p.l.4. c.21. Molyna T.3. diſp.535. & T.2. diſp.730. tr. 2. Vaſq. de Reſtit. c.9. & Reginald. l.30. tract.2. num.103.* & alij, quod probat præcipuè *Petr. Nauar. loc. cit.* nam ſuadens minus malum parato facere maius malum, nulli facit iniuriam, non delinquenti, quia illum auertit à maiori, vel grauiori peccato, nec facit iniuriam damnum patienti, immo fideliter eius gerit negotium, & vtilitatem eius curat, nec facit contra rationem, vel iuſtitiam, quia abſolutè non conſulitur malum, ſed electio minoris mali, de duobus autẽ malis, conſulere, vt minus eligatur à volente maius omnino perpetrare, non eſt contra rationem, nec iuſtitiam.

Sanè non ſolum benignior, ſed, et probabilior mihi videtur hæc opinio, modo conſulens intendat minus malum ſub ratione boni conſulere, quatenus ſcilicet minus damnum, ſeu malum habet rationem boni reſpectu volentis maius malum perpetrare, & reſpectu maius damnum accepturi, ille enim facit minus peccatum, & hic minus damnum recipit, conſulere ergo minus malum, ne fiat maius, poteſt induere rationem boni, & recti, & vtilis tanquam conſentaneum charitati, & conſequenter conſulens minus malum, poteſt intendere conſulere aliquod ſub ratione boni, non ergo peccat, quia peccatum a voluntate deordinata circa finem, vel obiectum ſpecificatur, ſed in iſto caſu minus malum induit rationem obiecti boni ratione finis, qui intenditur, qui eſt bonus ſcilicet præcauere maius malum, ergo probabilius dicendum eſt nõ peccare conſulentem minus malum, vt vitet maius malum, hinc *D. Gregorius*, & habetur *diſt.13. c. Nerus* ait, Inter duo mala minus eſt eligendum, ergo iuſtè, & abſq; aliqua deordinatione in voluntate poteſt conſuli.

Quod ſi dicas, verum eſſe illud axioma inter duo mala minus eligendum, quando ambo omnino caueri non poſſunt, at in hoc facto paratus ad maius malum, illud cauere poteſt, & debet; nam reſpondetur eſſe eamdem rationem etiam in caſu noſtro, nam paratus certè facere maius malum, paratus eſt certè etiam facere minus malum, conſulens autem deberet ſanè ſuadere, vt omnino abſtineat à malo, ſed non poteſt propter eius immutabilem ſententiam faciendi malum, quod cauere omnino non poteſt, parato ergo facere maius malum, & minus malum, poteſt ex duobus malis, quæ neceſſariò eſt facturus, conſulere, vt ſaltem minus malum eligat, quia bonum eſt retrahere a maiori malo paratum illud facere.

Confirmatur ex facto Loth, qui à *D. Petro in 2. Ep. can. c. 2.* vocatur iuſtus, hic enim *Geneſ. 19.* hominibus illis peſſimis volentibus abuti Angelis ait, ne quæſo faciatis rẽ hanc peſſimam, habeo hic duas filias, educam eas ad vos, ipſis abutimini. En, quod vir iuſtus paratis facere peſſimum peccatum, ſuaſit minus, & *Auguſtinus quæſt. ſuper Exod. c.15.* loquens de coniuge adultera, ſic ait, ſi factura eſt, quod non licet, puta vxorem occidere, vel dimittere, iam faciat adulterium, non homicidium, & *D. Chriſoſtom. hom. 27 ad populum Antioch.* videtur aſſerere, quod aſſueto iurare per Deum, conſulendum, vt iuret per ſuum caput, ne iuret per Deum, itaque probabilis admodum demonſtrata manet ſecunda opinio.

Et licet aliqui Loth in illo actu peccaſſe, et poſtea tanquam iuſtum pœnituiſſe dicant, vt videtur docere *noſt. Lyranus in explicatione præfate cap.19.* niſi fortè ignorantia eum excuſauerit, aliqui vero, *vt P. Auguſtinus relatus in c. quod ait diſt. 14.* excuſant Loth in illo facto, quod non conſilio, ſed potius animi perturbatione, quæ eius mentem excæcauit, tribuendum, quod illud Loth ſuaſerit, alij autem excuſant, quod hyperbolicè illud dixerit Loth, non autem ex intentione illud faciendi, vt ſcilicet ſceleris immanitatem illis hominibus oſtenderet, vt potius filiabus abuteretur, quam Angelis illis, ſicut ſolet hyperbolicè dici potius occide filium meum, quam huic noceas. Ita *Caietanus*, attamen ſicut iſtis Doctoribus ita opinari in hoc facto Loth licuit, ita etiam licet Doctoribus opinionis contrariæ magis ad litteram, et ſenſum ſcripturæ, quod Loth ad vitandum maius malum, elegerit paratis illud facere potius conſulere minus malum.

Dico tertiò, quod ſi paratos maius damnum inferre alicui puta Petro conſulatur, vt faciat minus malum alteri puta Mutio ſi non erat ille paratus hoc minus damnum ipſi Mutio inferre, peccat regulariter tamen loquendo, conſulens, et ad reſtitutionem tenetur, quia eſt cauſa cur Mutius damnum minus patiatur, dixi regulariter loquendo, quia poteſt dari caſus, in quo liceret, puta ſi paratus furari Equum à Petro paupere illo indigente ad ſubſtentationem ſuæ familię, conſulatur, vt ouem à Mutio diuite, et non ita indigente, probabile eſt conſulentem ad minus malum diuiti inferendum, vt Petrum pauperem maximè indigentem equo reddat indemnem, non teneri ad reſtitutionem, quia Diues debet potius velle rationabiliter loquendo, vt ſibi ouis auferatur, quam pauperi equus, quod ſi nollet diues, eſſet irrationabiliter inuitus, quia contra charitatem faceret; Ita *Petr. Nauar. Vaſq. Salon. & alij loc. cit.*

Aduerte tamen in hac materia, quod nunquam licet ad vitandum maius malum cooperari auxilio, quando res eſt intrinſecè mala, puta volens occidere, ſi conſulatur mutilare non poteſt eum adiuuare ad mutilandum, quia actio eſt de ſe intrinſecè mala, quod ſi parato maius damnum inferre puta furari mille, conſulat, vt ſolum centum, eumq; adiuuet ad portanda illa centum, quia materialiter portare, vel de vno ad alterum locum portare centum non eſt intrinſecè malum, poteſt eum adiuuare ad vitandum maius malum; Ita Doctores citati.

Dico quartò, quod parato minus malum facere, ſi conſulat maius malum, certum eſt, quod peccat, an vero teneatur ad totum damnum, vel ſolum ad exceſſum, ſanè ad totum obligari, licet parum probabiliter, putat *Adrianus de Reſtitut. quæſt.1.* quia maius trahit ad ſe etiam minus, attamen alij probabilius negant teneri ad totum, ſed ſolum ad exceſſum, quia nullus tenetur ad reſtitutionem damni, quod non intulit, quare cum ad minus damnum non influxerit, vt cauſa, quia iam ille paratus erat facere, non tenetur ad illud, ſed ſolum ad exceſſum conſultum. Ita *Sayr. Petr. Nau. Azor. & Salon. loc. cit.*

Notandum etiam in hac materia, quod ſuadens, ſeu cõſulens

Digitized by Google

lens parato furari Equum à Franciſco, & ouem à Petro æquè diuitibus, quod ouem potius tanquam minus malum auferat, non tenetur ad reſtitutionem, quia quod minus malum eſt, in genere conſulit, ſi autem ſingulariter ſuadeat, vt potius ouem à Petro, quam equum à Franciſco furetur, peccat, & ad reſtitutionem tenetur, quia verè damnificatur à ſua perſuaſione, & conſilio Petrus. Ita *Petr. Nauar. Salon. Vaſq. & alij loc. citato.*

Itaque doctrina ſecundæ Opinionis ſolum procedit, quod licet minus malũ cõſulere, vt vitetur maius malum. Primò, quando minus malum ſuadetur faciendum eidem, cui erat inferendum certiſſimè maius malum. Secundò, quando minus malum, quod ſuadetur alteri faciendum, vt vitetur maius malum in altero, debet ille potius ex charitate ſuſtinere, quam alteri inferatur maius malum.

Vtrum conſulens delictum, aut aliquod indifferens, ex quo damna euenirent conſulto, teneatur illi ea reficere, quid ſi conſulat ex officio, vt Conſiliarius, Aduocatus, Medicus, Theologus, & Confeſſor an de omni culpa teneatur.

DIFFIC V.

DIco primò, quod qui conſulit alicui, vt tale delictum committat, puta homicidium, vel furtum, certum eſt, quod (vt dictum eſt ſupra) tenetur ad damna, quæ inferuntur parti læſę, at vero ſi ex tali delicto ſuaſo, vel etiam aliquo indifferenti ſequantur damna ipſi conſulto.

Diſtinguendũ puto, nam vel conſulens eſt ſuperior, & ſic tenetur non ſolum parti læſę, verum etiam ipſis ſubditis male conſultis damna perpeſſa ex tali conſilio reſarcire, ratio eſt, quia conſilium Domini, vel ſuperioris æquiparatur mandato, atque adeo veluti mandans tenetur reſarcire omnia damna, etiam mandatarijs ſubditis, qui coacti ex ſuo conſilio damna perceperunt, nec erat in eorum poteſtate talia damna vitare ſtante Superioris conſilio, vel mandato. Ita *Angelus noſter V. Reſtitutio in princ. Clau. Reg. l. 10. tract. 2. & Rebell. p. 2. de obligat. reſt. l. 2. quæſt. 14. & Bonac. de reſtitut. diſput. 1. q. 2. p. 7.*

Quod ſi conſulens non ſit ſuperior, ſi ex delicto conſulto ſequantur conſulto mala, non tenetur ad ea conſulens, quia conſulto liberum erat ſequi, & non ſequi malum conſilium, vnde debet ſibi imputare, ſi damna quæ debebat præuidere ſequenda ex tali delicto, amplecti voluerit, volenti enim, & ſcienti nulla fit iniuria, & ad hoc facit *c. nullus de reg. iur. in 6.* Nulllus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. Hinc ſi conſilium dans ad delictum perpetrandum fraudulenter, & doloſè conſuluerit ad hoc, vt incautum ad damna præuiſa ex tali delicto induceret, ſanè tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ conſultus non præuidit ex dolo, & fraude conſulentis. Ita etiam Doctores citati, *Leſſ. l. 2. c. 13. dub. 7. & Azor. 3. p. l. 4. c. 11. q. 6.*

Dico ſecundò, quod qui tenentur ex officio dare bonũ conſilium, ſicut ſunt Conſiliarij, Aduocati, Medici, Confeſſarij, & Theologi, & ceteri ſimiles, ſi malum dederint ſcienter, vel ex craſſa ignorãtia, vel culpa lata in non adhibendo diligẽtiam debitã in eo prudenter dando, & ex tali conſilio ſequantur damna, tenentur ad reſtitutionem iuxta communem Doctorum ſententiam contra *Gabrielem in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. dub. 2.* ſentientem non teneri ad reſtitutionem dantem aduertenter conſilium malum ſiue in delictis, ſiue in contractibus, modo ex odio, & fraudulenter non dederit tale conſilium, ſi ex ſuo conſilio damna ſequantur, verum hæc opinio in ſuperioribus fuit declarata ex noſt. *Ang.* quoad pręſentẽ vero difficultatem probatur, præfatos teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ ſequuntur ex conſilio malo dato, vel ob ignorantiam craſſam, vel latam culpam imprudenter dando conſilio, nam qui tenetur officio aliquid facere tenetur ſcire ea, quæ ſunt neceſſaria ad eorum officium rite peragendum, & tenẽtur diligentiam adhibere, vt nullus ex ſuo officio damnum patiatur, ergo Conſiliarij, Aduocati, Medici, Theologi, & Confeſſores, qui habent ex officio dare bona, & recta conſilia iuxta ſuas profeſſiones, tenentur ſcire ea, quæ ſunt neceſſaria, & ad ſuum officium exequendum ſpectant, teneanturque diligentiam adhibere, vt ex eorum conſilio damna non proueniant, ſi ergo ex ignorantia craſſa, vel lata culpa errant in dando conſilio malo, ex quo damna proueniunt, tenentur ad ea reſtituenda, non enim debent exequi officiũ, ad quod ſe ineptos, vel ratione ignorantiæ, vel ratione negligentiæ cognoſcunt, aliter recurrentes ad ipſos decipere viderentur, itaque tanquam de dolo rei tenentur reſtituere, ſi ex ipſorum ignorantia, & negligentia damna prouenient eis, qui ab ipſis conſilium petunt, quia verę ſunt cauſę efficaces & efficaciter influunt in damna ſubſequentia ex eorum culpa, & ignorantia prouenientia in male conſulendo, eiſque imputari debent damna. Ita *Angel. noſter V. culpa §. 5. Rebell. cap. 1. de con tract. quæſt. 10. n. 12. Sylu. V. culpa num. 6. Sotus de iuſt. 4. quæſt. 6. num. 2. Leſſ. Bonac. & Azor. loc. citato, Petrus Nauar. l. 3. de reſt. cap. 4.*

Verum eſt tamen, quod ſi præfati accipiunt mercedem, & ſunt ſtipendiati ad tale officium exequendum, tenentur adhibere maiorem diligentiã, quam illi, qui gratis exercent, an vero hæc maior diligentia ſit talis, vt eos obliget ẽt de leui vel leuiſſima, non excedere terminos culpæ latę, volunt *Nau. c. 4. n. 10. & Say. C. R l. 10. tr. 2. c. 8. num. 9. At Molyna diſp. 750. n. 2. & Azor. loc. citato* volunt ſtipendiatos teneri de leui. Noſter tamen *Angel loc. citato* optimè diſtinguit, nam vel eſt à ſuperiore expoſitus ad tale officium exequendum ex ſuo beneplacito licet ſit ſtipendiatus, ſolum de lata culpa tenetur quia ſufficit, vt eam diligentiam præſtet, quam ſolent ceteri diligentes in tali officio, quod ſi quis ſe intruſerit, & vltro ſe obtulerit, cum alius diligenter potuiſſet aſſequi tale officium, & tunc tenetur de leui etiam culpa, quia tenetur ſe præſtare diligentiorem, cum ſpontaneè ſe, vt talem prætulerit diligentiori, dum enim ſe diligentiori prætulit, promittere videtur etiam virtualiter ſe diligentiorem operam præſtaturum.

Adde inſuper, quod ſi qui ex præfatis ſe peritiſſimos, & excellentiſſimos ſinguli in ſuis profeſſionibus propalauerint, debent conſequenter diligentiſſimam operam, & conſilium præſtare, vnde tenentur de leuiſſima etiam. Ita *noſt. Angelus, Rebell. Bonac. Aozr. & Leſſius loc. citato.*

Dico tertiò, quod ſi imperiti, & idiotæ ſponte etiam ſi ſe ingeſſerint ad conſilium dandum, ex quo damna ſequuntur, modo abſit dolus, & fraus, non tenentur ad reſtitutionem, quia ſequenti conſilium inſipientis debet imputari, ſi mala ſibi eueniant, poterat immo debebat non ſequi conſilium eius, quem ſciebat imperitum, volenti enim, & ſcienti non fit iniuria. Ita probabiliter *Petr. Nauar. l. 3. cap. 4. Rebellus q. 14. & Bonac. loc. citato;* licet *Aragon. 2. 2. q. 62. ar. 7. Medina de reſtitut. q. 7. & Sayr. loc. citato* contrarium teneant ex eo, quia conſilium inſipiens eſt cauſa efficaciter influens in damnum, ergo ad reſtitutionem obligat, quod puto veram, quando conſulens neſciebat eſſe imperitũ; ſecus ſi ſciebat, nã non debebat ſequi, & volenti, & ſcienti non fit iniuria, ergo neque obligatio reſtituendi, adeſt. dum voluntariè dãna ſubire uoluit, quæ debebat præuidere eſſe ſeqcenda ex conſilio inſipienti, ſecus ſi imperitus fraude, & dolo ſe ingeſſit fingendo ſe peritum, & ex pertum tali caſu, quia teneretur ad damna, vt notat *Nauar. c. 25. n. 29.* ex quibus.

Collige, quod ſi quis artem, vel ſcientiam docens ex profeſſo aliquam falſitatem in materia fidei, morum, corporis, vel animæ ex lata culpa, vel craſſa ignorantia docuerit, tenetur non ſolum ſuis diſcipulis, aut alijs ad damna ſubſecuta, verum etiã ad ſe retractandum, & errorem reuocandum. Ita *Petr. Nauar. Bonac. & Rebell locis citatis*, quia docendo falſitatem ſaltem peccãt contra iuſtitiam, ſecundum quam tenentur vera dogmata, & veras propoſitiones docere, ergo ex iuſtitia tenentur reſtituere damna, quorum fuerunt cauſa, & doctrinas falſas reuocare, & errores emendare, ne diſcipuli diù in tali errore verſentur.

An verò, quæ ſunt de conſilio ſolum, obligent ad mortale, negant communiter Doctores, quia conſilium eſt voluntatis, id eſt libertati relinquuntur ſequenda ne ſint, an amplectenda, modo abſit contempus, nec ad ſit neceſſitas ſpiritualis illud exequendi.

(:)

Vtrum Theologus, vel Confeſſarius poſſit in vtilitatem pœnitentis, vel conſilium petentis opinionem probabilem conſulere contra propriam opinionem forte magis probabilem illi immediatè contrariam.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod certum eſt, ſi pœnitens, vel conſilium petens quærat, an in tali difficultate adſit opinio benignior in fauorem ſuæ conſcientiæ liberans vel à reſtitutione, vel cenſura, vel peccato, quod tenetur Theologus, vel confeſſor aperire petenti opinionem ſibi fauentem, modo ſit probabilis, licet contraria, quam ipſe tenet, ſit probabilior, aliter mendacium faceret. Ita communiter *Salas T.1.p.2. tract.8.diſp.10 Sayr.l.1.cap.6 Vaſq.in p.2.T.1.diſp.62. num. 4.& diſp.63. num. 4.Sanch.in ſum.T.1.l.1.c.9. num.19. & Sancius in ſelect.diſp.53.*

Dico ſecundò, quod non ſolum tenetur petenti aperire opinionem benigniorem, verum etiam ſi pœnitens, vel conſilium petens neſciret, nec de opinione liberante quæreret, poteſt ei opinionem probabilem oſtendere, & declarare, quæ immunem eum facit à reſtitutione, vel à cenſura. Ita noſter *Villalob.in ſum. T.1. tract.1. dub.11. Vaſqu. & Salas loc.cit.* nam ſi Dominus largus, quare ſeruus auarus, pœnitens enim debet eximi quantum fieri poteſt ab obligationibus, nam pœnæ ſunt reſtringendæ, fauores autem ampliandi quod ſi dicas, quod habens opinionem probabiliorem rigoroſam contrariam videtur mentiri, ſi conſulat pœnitentē cum opinione probabili laxiori in fauorem ipſius, nam reſpondeo, quod Theologus, & Confeſſor ita debet conſilium præſtare pœnitenti, vel petenti, vt aperiat ſuam opinionem eſſe probabiliorem, licet non ſit benignior, attamen adeſſe probabilem contrariam opinionem, & tutam in praxi poſſe aperire, quam poſſet ſequi, ſi à ſcrupulis liberari vellet, virtuoſius tamen faceret, ſi probabiliorem ſequeretur, quod tamen ſuæ voluntati liberum relinquat.

Quod ſi ſcrupulis agitari videretur pœnitens, vel conſulens abſolutè proponat ei ſequendam probabilem, habenda enim ratio eſt in conſiliis dandis ad vtilitatem proximi, & facilitatem rei exequendæ. Ita *Becanus p.2. tract.1. c.4.quæſt. 9.*& ratio quæ mihi hoc ſuadet, eſt: quia iura ipſa ſunt magis prona ad abſoluendum, quam ad condemnandum, ergo conſulens ſecundum iura, & rationes etiam magis pronus eſſe debet ad conſilium magis vtile, & magis benignum, & facile dandum pœnitenti modo in opinione verè probabili ſit fundatum, &c.

Conſiliarij.

Vtrum Conſiliarij in parlamentis pro imponendis gabellis, & alijs oneribus poſſint relicta opinione probabiliori negatiua ſequi affirmatiuam probabilem.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod Conſiliarij vocati ad parlamenta pro imponendis gabellis, & aliis grauaminibus, etiam, quę Donatiua vocantur, ſuper Vniuerſitates, vel Ciues particulares in Principum vtilitatem nequeant relicta opinione negatiua probabiliori pro Ciuibus, ſequi in ſuffragiis ferendis probabilem affirmatiuam pro Principibus, docent tutius, & probabilius Doctores grauiſſimi communius, quod probāt, quia conſiliarii conſtituuntur tanquam Iudices inter Vaſſallos, & Principem, tribuendum ne ſit ei tale tributum nec ne, Iudices autem probabilius eſt non poſſe, relicta probabiliori, ſequi probabilem in cauſa dicenda, ergo nec conſiliarij poſſūt relicta probabiliori negatiua pro Vaſſallis ſequi probabilem pro Principe, quod autem Iudex debeat ſequi probabiliorem, & non probabilem in cauſa dicenda, patet ex eo, quia videretur acceptor perſonarum ſi cauſam non diceret iuxta merita cauſæ, maius ergo meritum habet opinionem habens probabiliorem, vt pro ſe feratur ſententia, quę habens ſolum opinionem probabilem, ergo tenetur ſententiam dicere pro habente opinionem probabiliorem. Ita *Valentia 2.2.diſp.64.c.2.num.5 & T.3. diſp.5. punct.4. dub. 3.Vaſq.c.2.diſp.64 c.2.n.5.Reginald.l.13.n.99.Azor 2.p.l.2. c.17.Becan.p.2.tract.1.c.4.q.9.Sanch.in mor.op.l.1.c.9.Bonac. de leg.diſp.2.q.4.p.9.num.13.Filiucc.T.2.tract.21.c.4. Tanner.2.2.diſp.4.quæſt.4.dub.6.§.3.dub.5. & Molfeſius loc. citato*, omnino dicendum putant Conſiliarios non poſſe ſequi probabilem relicta probabiliori in materia imponendi onera Vaſſallis.

Quod mihi probabilius perſuadetur in præſenti caſu, quia onera iſta vt plurimum præiudicant perſonis miſerabilibus, diuites enim, & potentes ſub variis palliis iniquarum fere rationum ſe ſubtrahunt, & maiorem oneris partem ſoluendam pauperibus relinquunt, expertus loquor in quibuſdam locis, itaque cum odia ſint reſtringenda maximè in fauorem pauperum, probabilius, & tutius practicandum, debere conſiliarios ſequi opinionem probabiliorem pro Vaſſallis, & relinquere probabilem pro Principe, ſecus, puto Deo reddituros ſtrictiſſimam rationem, quia potius ad aſſentationem Principum mouerentur conſiliarii in imponendis oneribus quam ex vi dictaminis rationis.

Attamen non deſunt etiam grauiſſimi Doctores, qui volunt Iudicem tuta conſcientia poſſe ſequi probabilem relicta probabiliori in cauſa dicenda, eo ducti fundamento, quod agens iuxta opinionem probabilem prudenter agit, nec facit alicui iniuriam, cum opinio probabilis iuſta ſit, & æqua, & tuta conſcientia ſequi poſſit, vnde non eſt acceptator perſonarum, qui iuxta rationem probabilem iudicat, quia iuſtè iudicat, qui ratione probabili vtitur, Iudex enim eſt acceptator perſonarum, quando iniuſtè iudicat. Ita *Petr. Nauar. de reſtitut l.3.c.1.n.2 8.& 296.Sayr.in C.R.l.1. c.11. Aragon 229.63.art.4.Salon ibid.controu.2.concl.4.Salas 1.2. tract 8. diſp.vn. ſect.12. Sancius in ſelect. diſp.44.n.50. & ſi Fagund præc. 2.l.3.c.4.Lorca p.2.T.1.diſp.39. Delrius indiſquiſ.mag.l 5.q.1. §. quia quotieſcumque Diana* etiam hic videtur probabilis *p.p. tract. de parlam. reſol.20.* & inter Doctores primæ opin. viſa eſt probabilis etiam *Bonac. & Sanch.loc.cit.* Inter Iuriſtas vero hanc ſequitur *Moria in Emporio iuris p.1.p.1.Tit.2.q.2.*

Mihi quoque probabilis ſaltem ſpeculatiuè, ex eo videtur, quia teneor, vt non dicar peccare facere bonum, et vitare malum in operando, non autem teneor facere maius bonū, licet merear faciendo maius bonum, non tamen pecco, ſi relicto meliori bono, faciam tamen, quod bonum eſt, ita etiam iudex in iudicando ſufficit adhoc, vt non peccet, vt iudicet ſecundum probabiliter iuſtam rationem, quia ſic verè iuſtè iudicat, non autem tenetur iudicare ſecundum probabilius iuſtam rationem, vt non peccet, licet magis mereatur, ſi magis iuſtam ſequatur rationem in iudicando, non tamen adhoc tenetur, vt peccatum vitare dicatur.

Attamen an hæc ratio ſpeculatiua tanquam practicè tuta admittenda ſit à Deo, qui hominum corda ſcrutatur, an probabilem ſecutus fuerit Iudex ex ſolo arbitrio, an vero ex paſſione, vel aliquo inter eſſe ſaltem ſperato, aut alio malo fine in danda ſententia contra aduerſarios habentes rationem probabiliorem, expitietur cum in articulo ſuæ mortis reddet rationem ſuæ villicationis, ſuterea timoratæ conſcientiæ Iudex potius in praxi probabiliorem ſequatur in danda ſententia, quia ſanè tutior erit in accipienda ſententia à Deo in die mortis ſuæ.

Dico tamen ſecundò, quod in hoc caſu diſtinguendum tutius videtur, nam vel impoſitio onerum facienda eſt in notoriam, et euidenter veram neceſſitatem Principis, et tunc conſiliarii tutius poſſunt, imo fortè debent relicta probabiliori in fauorem Vaſſallorum ſequi probabilem in fauorem Principis. nam euidenti neceſſitati Principis quod conſulatur, redundat in bonum publicum, quod maioris eſt conſiderationis, quam bonum priuatum Vaſſallorum; quod ſi impoſitio ſit ſolum propter communem vtilitatem, non ita euidentem, vel Principis particularem, tunc non debent conſiliarij relicta probabiliori pro Vaſſallis ſequi probabilem pro Principe, quia miſerabilium perſonarum grauamini potius eſt conſulendum, quia vt plurimum maximè indigēt, et propter has impoſitiones in varia peccatorum genera inducuntur, quam vtilitati communi non euidenti, vel particulari Principis, qui mediocri tributo ad miſerabiles perſonas ſubleuandas contenti eſſe debent.

Quænam

Quænam ſint cauſæ, ex quibus Conſiliarij deducere debent probabilitatem imponendi gabellas, & onera Vaſſallis, ſeu vetera augendi.

DIFFFIC. II.

QVatuor genera cauſarum, ſi rectè perpenderint in hac materia imponendi onera Vaſſallis Conſiliarij, ad quos ſpectat tale iudicium, errare non poterunt, & ſuis conſcientiis rectè conſultum pro certo habebunt.

Efficientem cauſam onerum primò examinabunt ideſt an princeps, vel Reſpublica petens impoſitionem, habeat poteſtatem ea imponendi, & enim multi ſunt Principes abſoluti, & Reges, qui aliquas Ciuitates, & Prouincias acceperunt cum pacto iure iurando firmato, vt non poſſint etiam quacunque neceſſitate adueniente imponere, præter aliqua certa, & determinata, noua tributa, & onera, nec vetera augere, tenentur ergo ſcire, & perquirere Conſiliarii an habeant Principes poteſtatem imponendi, vel augendi onera, quæ petunt, ſecus ſi non haberent, iniuſta, & tyrannica eſſet impoſitio, & ad reſtitutionem tenerentur etiam ipſi Conſiliarii, &c.

Secundò, Aduertant cauſam materialiter ſcilicet an impoſitio ſit directè, vel indirectè contra Eccleſiaſticas perſonas, & contra libertatem, vel Immunitatem Eccleſiaſticam, contra quam nullus Princeps laicus habet poteſtatem niſi ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſſione, quæ non ſit reuocata, imponendi onera contra Eccleſiaſticas, ſeu contra libertatem, vel immunitatem Eccleſiaſticam, ſecus inciderent in excommunicationem B.C. non enim materia apta, & conueniens impoſitionum ſæcularium perſonæ, & loca Eccleſiaſtica, cum iure diuino ſit probabile enim à poteſtate, ſecularium Principum.

Tertiò, Examinent cauſam finalem ſcilicet an pro neceſſitate, & vtilitate publica, an vero ſolum ad Principum, & Regum obſequia, & priuatas vtilitates, & deprauatos affectus petantur impoſitiones, quod ſi non conſtet imponendas propter vtilitatem, & neceſſitatatem publicam, ſed propter priuatum Principum intereſſe, tyrannidem potius ſapiunt, vnde non ſunt concedendæ in hoc caſu onerum impoſitiones, vt dicetur fortè fuſius V. Gabella, &c.

Quartò, cauſam formalem impoſitionum recta iudicii trutina perpendant, ſcilicet proportionem virium, & facultatum Vaſſallorum cum impoſitione facienda, ne maior hæc ſit, quam vires, & facultates ſubditorum ferre queant, aliter ſi eſſet grauior, quam ferri valeat, eſſet omnino Tyrannica, & iniqua impoſitio, & abſolutè damnabilis non ſolum quia iniuſta, ſed etiam, vt cauſa multorum peccatorum ex tali enim impoſitione onerum vltra vires ſolent ſubditi vt plurimum præcipuè pauperes in blaſphemias, maledicta, deſperationes, furta, & in coniurationes iniquas prorumpere hinc optimè, & Religioſa Chriſtianitate hiſce verbis conſiliarios *Franciſcus Aponte tract. de poteſtate Pro Reg. Tit. 4. de Regal. impoſit.* monet (Perpendant bene Miniſtri Regis omnia ex vtraque parte, quæ ſint cauſæ, quæ neceſſitates, quæ ſint Regni vires, in quas neceſſitates inexcuſabiles pecunia ſit conuertenda, ſi aliud ſit expediens, non timeant faciem potentis, dicant veritatem coram Deo, & hominibus, quia de anima certant, & de æternitate irreuocabiliter, in qua nihil poteſt Rex, nihil Pro Rex, nullus fauor, nulla gratia, &c.) hæc *Aponte*, quæ vtinam animaduerterent Conſiliarii, ſeu Parlamentarii in Regum, & Principum, Regnorum, Ciuitatum, populorum, & ſuarum animarum ſalutem.

Rogatus etiam humiliter hic vellem Dominos meos Principes, & Reges, vt dictum ſane aureum noſtri *Villalobos in ſum. T. 2. tract. 8. diffic. 13. num. 6.* præpendere dignentur, quod ſcilicet iniquum ſit, ſi ad Regem ditandum Regnum depauperetur, nam deſtructo Regno deſtruitur Rex, & forſè etiam aduerterent potius Conſiliarios iniquos impoſitiones æquo graniores ſuadentes, & decernentes eſſe impiæ Infidelitatis arguendos, quam honoribus, & fauoribus proſequendos.

Hanc autem doctrinam, quod ſcilicet præfata quatuor genera cauſarum a Conſiliarijs, & Parlamentarijs eſſe perpendenda modo ſuper explicato ad iuſtam impoſitionem faciendam, vel augendam tradunt communiter Theologi. Ita noſt. *Villalob. in ſum. T. 2. loc. citato, Suar. de leg. l. 5 cap. 14. num. 16. Vaſq. in Opuſc. de reſt. cap. 5. §. 2. dub. 1. Molyn. de iuſtit. tract. 2. diſput. 667. Malder. 2. 2. tract 5. cap. 6 dub. 2. Aragon. 2. 2. D. Thom. quæſt. 62 a. 3. Bonac. de contract. diſput. 2. quæſt. 9. p. 1. Valentia T. 3. diſput. 5. quæſt. 6. p. 5. Molſeſ. in ſum. T. 1. tract. 8. dub. 13. num. 14. & 15. Ledeſma in ſum. T. 2. tract. 7. cap. 3. & Diana tract. de parlam. reſol. 2. p. p.* & alij.

Vtrum Conſiliarij Parlamentarij poſſint mittere Procuratores ad comitia, vt ſuo nomine ſuffragentur, & an hi poſſint alterum ſuſtituere, ſi in iuſtitiam prauideant, quod ſi etiam Procurator fuerit Parlamentarius poſſit dari duo vota diuerſa, & quonam loco ſedere debeat in proprio ne, an in Procurantis, ſi ſit huius dignior locus.

DIFFIC. III.

DIco primò, certum eſſe poſſe Parlamentarios mittere Procuratorem, qui ſuo nomine in Parlamentis ſuffragetur, vt dicetur V. Electio, & V. Procurator, poteſt tamen fieri illicitum, ſi fraus, & dolus ad ſit mittendo ſcilicet Procuratores conſcientiæ non timoratæ proprio commodo, & non communi vtilitati in hiantes in gratiam Principum poſtulatos, vt iuxta eorum placitum potius ſuffragentur, hic enim eſſet potius abuſus contra formam eligendi Procuratores, de quo ſic loquitur *Aponte in tract. de poteſt. Pro Reg. tit. de elect. offi. §. 5.* (Permiſſus eſt abuſus, vt procurationes omnes ad præces Miniſtrorum in ipſorum perſonas fiant, vel ab eis dependentibus, populi enim inſcij, & ignari, & inſipientes ſic venditi, & conſumpti reperiuntur donando, quæ nunquã cogitauerunt in ipſorum perditionem tenentes labia clauſa ob metum contra ſanctam, & indubitatam Regis mentem, quæ, & ſi apparenter videantur redundare in eius vtilitatem, omnia effectiuè ſunt in ipſius inæſtimabile damnum ob exinanitionem populorum, diminutionem Regni reddituum, & in offenſionem diuinæ iuſtitiæ, ob quam ſanguis pauperum perpetuo clamat.) & infra paulo poſt (bene tamen video, quod multi me irridebunt, & hæc parui facient; Ego ſum Iudex ſupremus Regens collateralis illiuſque Decanus, ſed non erubeſcam dicere, quod omnium malorum ſunt cauſa mali Iudices, & mali Conſiliarij decipiunt Reges) hæc *Aponte* apud doctiſſimum, & piiſſimum Dianam *p. p. tr. de Parl. Reſol. 8.*

Dico ſecundò, quod Procurator cum facultate ſubſtituendi, ſi fuerit timoratæ conſcientiæ, vnde præuideatur á Miniſtris non ſuffragaturus in re iniuſta, quam petunt ſi rogetur, vt alium ſubſtituat, qui ad eorum placitum ſuffragetur, non debet ſuſtituere, quia licet non teneatur de peccato ſui ſubſtituti, cum nomine Procurantis ſubſtituat, tenetur tamen ſubſtituere virum non ſuſpectum, alioquin, & ipſe particeps eſt eius delicti. Ita etiam videtur colligi *ex Vincentio de Franchis T. 1. deciſ. 212. & Diana tract. de Parlam. reſolut. 8.*

Dico tertiò, quod Parlamentarius factus Procurator alterius Parlamentarij ſanè duo ſuffragia feret, vnum tanquam, & ipſe Parlamentarius, & alterum tanquam Procurator, qui, ſi ad ſit probabilitas opinionis pro affirmatiua, & negatiua, volunt aliqui poſſe duo vota diuerſa ferre iuxta probabiles opiniones diuerſas, niſi ad ſit ſcandalum. Ita *Vaſq. p. 2. T. 11. diſput. 62. cap. 9. & Sanch. in oper. mor. T. 1. l. 1. 6. 9. nu. 20.* loquuntur de Confeſſario, & reſponſore caſuum conſcientiæ, & dicetur V. Opinio. Attamen quia ferè in Parlamento publico poteſt hæc opinio practicari ſine ſcandalo, & irriſione diuerſo modo ſuffragantis conſulit *Aponte de poteſt. Pro Reg. tit. 4. §. 1.* ſemper eodem modo ſuffragandum, turpe eſt coram Equitibus, & perſonis dignioribus modo affirmare, modo negare rem eamdem.

Dico quartò, quod Parlamentarius non debet ſedere in loco magis digni, cuius factus eſt procurator, ſed in loco qui ſibi contingit tanquam talis Parlamentarius, quia Procurator non ſuſcipit dignitatem perſonalem ſui Procurantis. Ita *Aponte deciſ. 15. n. 1.* & ſic fuiſſe determinatum à ſupremo Collaterali Conſilio facto anno 1602. die 16. Nouembris docet etiam *Diana loc. citato reſol. 28.*

Vtrum

Itaque ſententiæ euidenter iniuſtæ nullo modo debet ſe ſubſcribere in tali caſu Conſiliarius, ne, dum non peccauit inferendo ſuffragio, peccet in ſubſcribendo ſententiæ, vel determinationi iniuſtæ, nam peccaret mortaliter, quia executioni iniuſtæ ſe ſubſcribendo adhereret, & rem iniuſtam approbaret. Ita etiam *Madenaga in lib. de Senatu cap.35. §.4. vide Ricc. p.3. deciſ.277. Zanard. in direct. p.2. prac.4. c.33. q.10. & Dianam de parlam. reſol.30.*

Vtrum Conſiliarij tacere debeant ea, quæ à Principe ſecreto ſunt commiſſa pro aliquo futuro tempore, & an ſi à Confeſſario de re in Confeſſione audita conſulantur, teneantur ſub ſigillo Confeſſionis eam reticere.

D I F F I C. VI.

DIco primò, quod Conſiliarij Principis tacere debent ea, quæ futuro aliquo tempore à Principe decreta ſunt facienda, maximè quando in præiudicium Principis, vel aliorum talis reuelatio futura eſſet, quia tunc non ſolum peccant mortaliter contra ſeruationem ſecreti, ad quod vel ex iure naturę, vel ex iuramento fidelitatis factę Principi tenetur, ſed etiam ad reſtitutionem iuxta damnum illatum.

Hinc, ſi pro futuro aliquo tempore à Principe decernatur diminutio valoris monetæ, vel aliarum rerum, ſi Conſiliariorum Principis culpa hæc diminutio ſciatur ante promulgationem ab aliquibus particularibus, qui ideo ſuas monetas dāt aliis, & res alienas emunt in præiudicium vendentium, & negotiantium ad reſtitutionem damnorum teneri putant *Comitol. in reſponſ. mor. l.3. queſt.32. num. 6 & Diana de contract. reſol.54.* licet alij contrarium ſentiant.

At vero Conſiliarij ſcientes tale decretum promulgandum tali tempore res ſi ſuas vendant alioqui non vendituri teneantur reſtituere. vide infra V. Vendere, vbi opiniones hinc inde afferentur forte ambæ probabiles.

Dico ſecundò, Conſiliarius, à quo Sacerdos Confeſſarius petit conſilium de peccato Titij, licet ab aliquibus cenſeatur teneri ad illud tacendum ſub ſigillo Confeſſionis, quia Conſiliarius talis vna cum Confeſſario conſtituitur vnus quaſi miniſter quoad claues ſcientiæ in tali actu; Ita videntur velle noſter *Pitigian. in 4. T. 2. diſt.21. queſt.2. a.5. Suar. in 3.p.T.4. diſput.33. ſect.4. Bonac. de Sacram. diſput. 5. qu.6. ſect.5. p.3.* & alij; attamen alij probabilius putant non teneri ad ſigillum confeſſionis, quia non audit in confeſſione, ſed ſolum ratione ſecreti naturalis. Ita *Vaſq.3.p. queſt. 93. a. 4. Megal. p.1. l.1. c.16. & Diana tract. 15. Miſcell. 1. reſolut.* 14. Quid autem ſentiat *Scotus* in hoc caſu vide ipſum *in 4. diſtinct. 17. queſt. vn. ad arg. princip. & 21. diſt. queſt. 2. concl. 4.*

Vtrum Conſiliarij, Camerarij, Senatores, Conſules, ſeu Syndici, vulgo di Reggimento, & alij ad quos ſpectat prouiſio frumentorum, teneantur ad eam tempore quo vilius emuntur, & an vilius reuendere poſſint, quam ea emerunt.

D I F F I C. VII.

DIco primò, quod Conſiliarij, Camerarij, Sindici, & omnes præfati quocunque modo nuncupentur, qui præſunt annonæ Ciuitatum, tenentur omnino tempore, quo vilius frumenta emuntur facere prouiſionem pro toto tempore, quia hoc modo annona, ſeu Graſcia ſeruatur in toto anno, aliter ſi tempore, quo carius venduntur, tunc emenda transferrent, tenerentur de damno quod patitur populus, dum cogitur ex eorum negligentia panem carius manducare, quam æquum ſit, etenim dum eorum hoc officium eſt, ratione officii tenenetur de omni damno, quod ex ipſorum negligentia ratione talis Officii prouenit, vt alibi ſæpè inculcatum eſt, & infra dicetur; quare bene aduertant onus, quod portant ſimiles officiales, qui reddituri ſunt rationem de pauperum, & miſerabilium damno, quorum ſanguis clamat apud Deum vindictam. Vide *Michael. de Palatio in ſua praxi de contract 62. cap.2. Villa Diego Inſtruct. Pol. cap. 5. §.27. Bobadillam l. 3. T.2. cap.3. & Dianam tract. 13. Miſcell. 2. reſolut. 66.*

Dico ſecundò, quod præfati Conſiliarii, Camerarii, & ceteri ad quos ſpectat prouiſio annonæ non poſſunt vendere frumenta pro publica vtilitate empta vilius, quam empta fuerint anno preterito, *ex l.3. ff. ad l. Iul. de Annona, & Philippus II. vt teſtatur Aponte tract. de poteſt. Proreg. tit.2. §.5.* litteris ſua manu ſignatis hoc expreſsè prohibuit, ne Ciuitas Neapolitana frumenta carius emeret, vt vilius ea etiam ſuis Ciuibus venderet, & hunc abuſum mandauit omnino tolli, & propter tem abuſum teſtatur *Aponte* multa mala Ciuitati Neapolitanæ accidiſſe proteſtatur; & *Philippum IV.* hodie regnātē ita etiam mandaſſe epiſtola manu ſua firmata ad Proregem Siciliæ, vt ſeruetur in Ciuitatibus regni illius data 23. Ianuarii anno Domini 1627. teſtatur *Diana*, in qua vendere triticum publicum viliori prætio, quam emptum fuit ab Annonæ publicæ pręſidentib eſſe in damnū boni publici aſſerit Rex Catholicus, quia totum illud, quo emptum fuit carius, tedit in detrimentum publicum, ſi vilius vendatur, vt patet.

Quare, ne bonum commune patiatur, probabile admodum eſt, quod ſi aliquo accidente vilius vendatur triticum, quam emptum fuerit pro publica annona, poſſe Conſiliarios, Senatores, Camerarios, & ceteros aliquos ſpectat cogere, Ciues, & mercatores Ciuitatis ſuæ ad emendum tale publicum triticum eodem prætio, quo emptum fuit, licet fuerit carius emptū, vel poſſunt illud panizare iuxta illud prætiū, quo emptum fuit, licet de præſenti vilius valeret, & cogi poſſunt Ciues ad illum panem emendum, quia bonum publicum præferendum priuato. Ita noſter *Rodriq. in ſum. p.4. c. 137. Michael de Palatio vbi ſupra Fauſt. in ſpec. Confeſſ. diſp.6. q.68. & 69. & Diana loc. cit.*

Vtrum Conſiliarij, Senatores, & ceteri ad quos ſpectat electio Officialium ſuæ Ciuitatis peccent mortaliter, ſi prætermiſſis dignioribus eligant dignos, & teneantur ad Reſtitutionem.

D I F F I C. VIII.

DIſtinguendum puto, nam vel acceperunt præfati Præſidentes electionibus Officialium, iuramentum de eligendis dignioribus, & vtilioribus ad populi gubernationem, & in hoc caſu peccant mortaliter ſaltem propter violationem iuramenti ſi electis dignis digniores, & vtiliores relinquant. Ita *noſter Portell. in dub. Reg. V. Iuram. num.20. Bobadella, in Pol. T.2. l.3. c. 8. Malder. 22. tract. 10. Sanch. in ſum. T.1. tract. 2. c.13. Ledeſ. in ſum. l.2. c.32. dub.3. Madriega tract. de Senatu c.42. Arrago. 2. 2. q.63. a.2. Leſſ. l.2. c.32. dub.3.* & videtur docere hanc ſententiam *Innoc. in c. cum olim de reſt. n.2.*

Quod ſi non accipiant iuramentum de eligendis dignioribus, ſufficit, ne peccent, vt dignos eligant, ſicut enim quis relicta probabiliori opinione poteſt tuta conſcientia eligere probabilem, ita etiam poſſunt præfati, præciſo iuramento de eligendo digniori relinquere digniorem, & eligere dignum. In hoc ſenſu forte loquuntur *Caiet. in ſum. V. Electio, Vaſquez opuſc. de benef. c.2. §. 5. dub. 13. & Molfeſ. in ſum. tract. 6. c.6. T.1.* & alii, &c.

Certum eſt tamen mihi etiam pręſtito iuramento de eligendo digniori, ſi eligant dignum præfati, licet mortaliter peccent contra iuramentum, tamen quia non faciunt contra iuſtitiam, ſi eligant digniorem non tenētur ad reſtitutionem, ſi vero eligant indignum, non ſolum, peccant mortaliter, ſed etiam tenentur ad damna, quæ ex ineptorum, & indigniorum in curia, vel malitia ſecuntur, quia ſunt cauſæ efficaces talium damnorum. Ita *noſt. Miranda in man. Prel. T.2. q.23. a.13. Couar. in Reg. §.7. Nald. V. eligere num.6. Madriga loc. citato, & Diana tract. 15. & 2. Miſcell. reſolut. 67.*

Conſuetudo.

Quid, & quotuplex ſit Conſuetudo, & quænam eius conditiones.

D I F F I C. I.

DIco primò, quod conſuetudo eſt ius quoddam moribus inſtitutam, quod pro lege ſeruatur. Ita *Angel. noſt. V. Con-*

*Conſuetudo ex c. Conſuetudo diſt.*1. quæ licet à *Bart.*1. *leg. de quibus ff. de leg.* reprehendatur vt potè, quæ non explicet ſubſtantialia conſuetudinis, ſaltem tanquam optima defenditur à *noſtro Vngarello loco citato Schol. A*, at vero licet implicitè talis definitio connotet omnia ſubſtantialia, vt explicat *Vngarell.* ex Canoniſtis, Iuriſtis quæ verſatis, & doctoribus ſufficiens ſit, attamen pro minus verſatis in iure alia magis explicatiua conſuetudinis afferenda, quam affert etiam *Vngarell. loc. cit.* Quare

Conſuetudo eſt ius non ſcriptum ſed moribus, & vſibus populi, vel à maiori parte ipſius rectè initiatum, & continuatè introductum habens vim legis, dicitur conſuetudo ius ad differentiam conſuetudinis largè ſumptæ, qua ſcilicet quis dicitur conſuetus, vel ſolitus aliquid facere, quia ſanè ex hoc non acquiritur ius verum, ſed conſuetudo vera eſt verum ius publicum, & non priuatum, dicitur autem, ius non ſcriptum, ad differentiam legis, quæ à voluntate Principis litteris mandata habet vigorem ſolummodo, dicitur moribus, &c. quia conſuetudo a populi actionibus, & conſenſu vim habet, dicitur rectè initiatum, quia rationabiliter, & ſine errore debent initiari actus conſuetudinem facientes, dicitur etiam continua &c. quia ad conſuetudinem requiritur temporis diuturnitas, ponitur denique habens vim legis, iuxta infra dicenda quia conſuetudo habet parem vim cum lege *ex d. l. de quibus, & Bart. ibi.* ex qua definitione collige veræ conſuetudinis conditiones, quas infra explicabo.

Dico ſecundò, quod conſuetudo alia dicitur præter legem, & hæc conſiſtit in frequentatione actuum, qui nulla lege vetantur, & hæc dicitur facere legem, ſi actus fuerint cum ceteris conditionibus infra ponendis eliciti, alia dicitur conſuetudo contra legem, & hæc conſiſtit in actibus frequentatis contra legem, & hæc vim habet abrogandi legem concurrentibus debitis circumſtantijs, de quibus infra, tertia dicitur ſecundum legem, & hæc eſt illa, quæ declarat legem. Ita communiter.

Dico tertiò, quod conſuetudinis veræ habentis vim legis, & pro lege ſeruandæ conditiones paſſim quinque traduntur. Prima eſt, vt ſit rationabilis, & rectè introducta ad bonũ finem. Secundò, vt ex certa ſcientia, & abſque errore ſit initiata. Tertiò, vt ſit introducta ex conſenſu Principis, & maioris ſaltem partis populi, præponitur autem conſenſus populi, ſi adſint actus iudiciales ſaltem bis iterati per ſententias duas vniformes, vel ſi non ſint iudiciales actus, requiritur frequentia, & multitudo actuum, nec ſufficiunt duo. Quartò, vt maior pars populi vſa ſit tali conſuetudine. Quintò, requiritur tempus longum debitum ad firmandam veram, et legitimam conſuetudinem, in rebus autem Eccleſiaſticis, anni quadraginta regulariter requiruntur, ex conniuentia tamen Papæ ſcientis, et tolerantis fortè ſufficiunt decem anni, vt infra ſuſius, verum eſt tamen, quod ad firmandam conſuetudinem contra ea, quæ ſunt reſeruata Principi in ſignum ſpecialis priuilegij tam de iure ciuili, quam Canonico requiritur tempus immemorabile; quas conditiones adducunt paſſim Doctores, vide *Angel. noſt. loc. cit. Suar. de legib. l.7. c.*18. *Salas de leg. diſp.*19. *ſect.*4. et alii, de quibus nos infra ſuſius.

Quenam dicatur conſuetudo rationabiliter introducta, & à quo talis iudicanda, & qualis in dubio præſumenda.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod Theologi, et Canoniſtæ variè admodum explicant rationabilitatem requiſitam ad legitimam conſuetudinem, volunt enim aliqui tunc conſuetudinem eſſe rationabiliter inductam, quando non eſt contra ius naturale, nec diuinum, ita *Nauar. l.*3. *conſil. tit. de cenſ. in prima edit. conſ.*7. in poſteriori vero *conſ.*3. *n.*3. *Gabr. in* 4. *diſt.* 42. *q.*1. *a.*3. *dub.*6. et alii. Quidam vero dicunt, quod cum dicitur conſuetudinem eſſe debere rationabilem, non ita intelligendam eſſe, vt ſit irrationalis omnis illa conſuetudo, quæ ſit contra legem, ita enim nulla conſuetudo ferè eſſet rationalis, quæ pugnat cum lege, quam euertere conatur, ſed ita intelligendum eſt, vt ſemota ea lege, quam auertit, turpitudinem, aut deformitatem non contineat. Ita *Sanch. l.*7. *diſp.*4. *n.*14. *Granado tract.*7 *p.*2. *diſp.*56. *ſect.*1. *n.*2. & *Monteſin. p.*2. *T.*2. *diſp.*23. *q.*13. *n.*210.

Dico tamen ſecundò, quod magis clarè, et magis ad propoſitum declarat *noſter Angel.* §.2. *V. Conſuetudo*, dicens, quod conſuetudo rationabiliter introducta ea ſit cenſenda, quæ participat de fine iuris, finis autem iuris Canonici eſt fælicitas animæ, finis iuris ciuilis eſt bonum publicum, vt notat *gloſa in c. cum contingat de Iureiur.* Quare

Concludendum, quod conſuetudo, quæ non poteſt nutriri ſine peccato, vt potè contraria Religioni, diſciplinæ ſpirituali, ſaluti animarum, et bono publico irrationabilis omnino dicenda, vt potè non participans de fine iuris, vnde non habet vim legis, nec legem abrogat, nec declarat talis conſuetudo, et conſequenter non eſt obligatoria. Ita etiam præter *Ang. noſt. Vngarell. ib. Panormit. l. fin. de conſuetud. Suar. de leg. l.*7. *c.*4. *Salas de legib. diſp.*19. *ſect.*2. et alii. Vnde

Collige, quod conſuetudo aliqua participans de fine iuris, vt potè directa ad animæ ſalutem, vel bonum publicum directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè ſi ſit contra aliud ius etiam rationabile, legitima eſt, et rationabiliter introducta eſt dicenda, quia hic, et nunc videbitur magis opportuna conſuetudo infringens legem etiam rationabilem, quam ipſa lex, quantumcumque alias fuerit rationabiliter inſtitutã hinc ius ſtatuens, quod Epiſcopus tractet cum conſilio Capituli *ex c. quanto de his q. f. a Pra.* et rationabiliter, quia firmius eſt conſilium plurimorum, *c. Prudentiam de officio de leg.* conſuetudine tamen rationabili contraria potuit abrogari ex alio capite etiam rationabili ſcilicet, vt facilius, et citius expediantur negotia, quæ ratio hic, et nunc potuit eſſe admodum rationabilis, quando introducta fuit conſuetudo, vt ſolum Epiſcopus tractet, et expediat negotia, potuit enim eſſe nimis oneroſum tractantibus negotia, vt Capituli expectaretur conſenſus. Ita *Ang. noſt. loc. cit.*

Dico tertiò, quod conſuetudo ſit rationabilis nec ne, eiuſque finis ſit bonus, vel malus relinquendum putant arbitrio Iudicis *Abbas in c. fin. de conſuetud. & alij apud Dianam p.* 6. *tract.*5. *reſol.*1.

Dico denique quartò, quod in dubio, an conſuetudo contraria legi ſit rationabilis nec ne, ideſt an expediens ſaluti ſpirituali, vel bono communi, Diſtinguendum videtur, nam vel conſuetudo introducta eſt ſolum contraria legi, nec à lege prohibita, nec reprobata, et in hoc caſu cenſenda conſuetudo rationabilis, quia in fauorem populi, vel communitatis eam introducentis eſt reſpondendum habuiſſe ſcilicet rationabilem cauſam, quod ſi conſuetudo contraria legi ſit reprobata, et prohibita a lege, tunc in dubio reſpondendum eſt pro lege, et cõſuetudinem irrationabiliter introductam fuiſſe iudicandum eſt, quia reprobatio conſuetudinis facta à lege certum eſt, quod fuerit rationabilis, ergo in dubio de rationabilitate conſuetudinis præſumendum eſt pro lege, ita *ex c.*3. *de eo qui mittitur in poſſeſſ. ibi.* ſi laudabilem eſſe conſtiterit; Vide *Suar. l.*7. *c.*6. *n.*15. *Salas diſp.*19. *ſect.*18. *cum Rocho de Curtis tr. de conſuetud. ſect.*7. *Sanch. de matrim. T.*2. *l.*7. *diſp.*14. *n.*4. *Vide Nald. V. Conſuetud.*

Vtrum actus requiſiti ad introducendam conſuetudinem debeant eſſe ſine errore eliciti, & omnino voluntarij, & an a malitia alieni.

DIFFIC. III.

Dico primò, quod vna ex conditionibus requiſitis ad introducendam legitimam conſuetudinem obligatoriã eſt, vt ſit introducta ex certa ſcientia, et nõ per errorem, quare ſi adſit error iuris, vel facti in conſuetudine introducta, nulla erit conſuetudo, nec ſeruanda, etenim cum conſuetudo habeat rationem obligandi debet oriri ex veritate iuris, vel facti, ad errorem enim facti, vel iuris nemo exiſtimat ſe ſe obligatum manere, hinc ſi populus aliquis exiſtimans corpus alicuius ſancti eſſe in ſui oppidi Eccleſia celebraret ex antiqua conſuetudine feſtum illius, adueniente certa ſcientia corpus illius ſancti non eſſe ibi ſepultum, ceſſabit obligatio colendi eius feſtum ex conſuetudine introductum, quia ex errore facti introducta fuit conſuetudo talis, ita etiam dicendum ſi populus conſueuit non extrahere frumentum de Ciuitate putans id ſibi lege prohiberi, ſi poſtea habeatur certa ſcientia non adeſſe talem legem prohibentem, nulla erit talis conſuetudo, quia ex errore iuris introducta, conſuetudo

enim

enim talis eſt introducta, potius animo ſeruandi legem prætenſam, quam conſuetudinem introducere. Ita Doctores infra citandi.

Quod autem *Dianæ p.6. tract. 5. in Reſol.* 1. non placuerit dictum *Bartho. in l. de quibus ff de legibus num.* 11. qui exigit in conſuetudine principium rationabile, ideſt vt non ex errore, ſed ex certa ſcientia introducta ſit, ex eo, quod ſæpe ignorari neceſſe eſt inuetuſtis rebus principium, quo introductæ ſunt *l. ſi arbiter 28. de probab.*, non infringit communem hanc doctrinam, cum lex iſta non loquatur de primis introducentibus conſuetudinem, ſed de ſubſequentibus ſeruantibus introductam conſuetudinem, quos non oportet ſcire, vnde habuerit originem introducta conſuetudo, vnde forte ſui immemor *Reſol.9. eiuſdem tractatus 5.* ex certa ſcientia oriri debere conſuetudinem firmat cum communi.

Dico ſecundò, quod actus ad conſuetudinem introducendam requiſiti debent eſſe voluntarij, quia obligationem inducunt, quæ ſolum contrahitur à liberè illam acceptantibus, prætetquam quod conſuetudo requirit conſenſum populi, vt infra explicabitur, ad conſenſum autem requitur neceſſario actus voluntarius, & liber. ex qua doctrina ſequitur, quod

Si aliqua conſuetudo introducta foret per vim, aut metum cadentem incoſtātem virum, cum non emanauerit ex actibus liberis, & voluntariis, nulla erit conſuetudo, & nullam obligationem inducet, licet per longum tempus, & multorum actuum frequentiam fuerit continuata, error enim, vis, & metus tollunt voluntarium conſenſum requiſitum ad legitimam conſuetudinem introducendam. *Ita ex noſtro Angelo loc. citato §. 6. Vngarell. ibi ſch. M. Panorm. in c. fin. de conſuetud. Sacra Rota in vna Gynnenſi portionis die 13. Nouemb. 1613. coram Burato p.p. deciſ. 19. num. 11. Suar. l.7. c. 12. Caſt. Pal. T. 1. tract. 3. diſput. 30. p. 2. §. 3. cum gloſa in l. quod non ratione ff. de leg.* & alii.

Dico tertiò quod actus ab initio eliciti ad introducendam conſuetudinem præcisè contra legem non poſſunt omnino malitia carere, quia vt contra legem ſunt in principio, non habent ad huc bonitatem ſufficientem, licet finis ſit bonus, & rationabilis, adhuc tamen actus eliciti cum tali bono fine legem offendunt, & Principem, nec valet ſi dicatur, quod neceſſitas non habet legem, ſi ergo ab initio propter bonum finem fierent actus contra legem, excuſarentur ſaltem à malitia ratione neceſſitatis; nam non ſumus in caſu; aliud enim eſt legem non ſeruare propter neceſſitatem excuſantem, aliud contra legem facere ad eam abrogandam ob aliquem finem, quia in primo caſu adeſt ſolum purus non vſus legis, qui non ſufficit ad legis abrogationem, in ſecundò autem ad ſunt actus contrarij poſitiuè contra legem, hinc actus ſi plures fuerint in primo caſu ratione neceſſitatis propriè non abrogabunt legem, ſed ratione eius inutilitatis manifeſtatæ per neceſſitatem ceſſabit eius obligatio, at vero in ſecundò caſu plures actus facti contra legem cum ſuis conditionibus abrogant legem, quare poſitiuè contra legem in principio facti peccaminoſi ſunt, donec conſuetudine completa, & præſcripta cum ſuis conditionibus excuſent ea poſtea legitimè vtentes, quia iam, & præſcripta conſuetudine lex abrogata manet atque adeo actus contra eam liciti ſunt. Ita DD. ſup. citati. Verum.

Vtrum conſuetudinem introducentes contra legem peccent ſolum in primo actu, an vero in ſingulis actibus vſque ad completam, & iam legitimè præſcriptam Conſuetudinem.

DIFFIC. IV.

Dico primo, quod licet probabiliter *Reginald. l.13. n. 247. & Bonac. de legib. q.1. punct. vlt. §. 3.* velint, quod facientes contra legem, vel conſuetudinem legitimam antequam, peccent toties, quoties contra eam faciunt, donec ſit elapſum tempus neceſſarium ad legitimam conſuetudinem introducendā, quia, dum adhuc non eſt introducta conſuetudo legitima contraria legi, viget lex, vel conſuetudo antiqua, ergo facientes contra eam toties peccant, donec, ſit per legitimum tempus abrogata lex, vel antiqua Conſuetudo.

Attamen mitius alij, & probabiliter etiam diſtinguūt, quod in foro externo vera ſit allata Opinio, cenſendi ꝙ ſunt legis tranſgreſſores toties, quoties cōtra ipſam faciunt, donec cōſuetudo ſit firmata per legitimum tempus, attamen in foro conſcientiæ probabiliter dicēdum ſit, quod ſolum peccant facientes contra legem, donec actus tales contra legem à viris timoratæ cōſcientiæ ſufficientes viſi fuerint ad introducendam conſuetudinem in foro poli, & conſcientiæ, etiamſi non aduenerit tempus à lege præfixum ad conſuetudinem firmandam, probabile enim eſt, quod tempus hoc determinetur à lege non ad ſubſtantiam, & formalitatem intrinſecam conſuetudinis, ſed potius ad cauendas in foro fori lites circa conſuetudinem, hanc ſententiam docent *Valentia T. 2. diſp. 7. q. 5. p. 8. Becan. tr. 3. c. 7. q. 3. Sotus, & Leſſ. apud Bonac. loc. cit.*

Nec valet ſi dicatur, quod in præſcriptione tam in foro fori, quam poli primus actus non eſt malus, nec ſequentes vſque ad tempus debitum, ergo nullus actus eſt malus etiam in conſuetudine nec in foro fori, nec in foro poli, nam differentia lata eſt inter præſcriptionem, & conſuetudinem, præſcriptio enim eſt quid facti, & conſequenter recipit robur, & validitatem à facto incepto ſub bona fide, & vſu continuato cum eadem vſq; ad tempus præfinitum à lege, at vero conſuetudo eſt quid iuris, & ideo ad ipſam requiritur conſenſus populi, & Principis permiſſio, quæ à principio haberi non poſſunt, nec ſufficit bona fides, atque adeo peccant ſaltem primi offendentes contra legem. Vide *Angel noſt. V. Præſcriptio, Couar. Reg. poſſeſſor p. 2. §. 3. Suar. de leg. l. 7. c. 1. Azor. T. 1. p. 1. l. 5. c. 18. Salas de leg. diſp. 19. ſect. 1. & 5. Valent. Becan. & Bonac loc. cit.* quare

Dico ſecundò, quod facientes primi contra legem, vel conſuetudinem antiquam ſi permittantur à Principe ſciente, & non impediente, non peccant, quia habent à Principe conniuente, & conſentiente fieri contra ſuam legem, quod non habent à lege. Ita communiter Doctores citati ex quibus.

Collige, quod poſteri conſuetudinem à ſuis maioribus introductam contra legem, ſi iam ſit præſcripta, excuſantur à culpa, nec tenentur inueſtigare an legitimè fuerit introducta, nam quod ab omnibus fit, rectè præſumitur fieri ex l. de quibus ff. de legibus. Ita communiter Doctores.

Vtrum actus neceſſarij ad introducendam conſuetudinem debeant elici cum animo inducendi obligationem, & quomodo cognoſcatur an ſit obligatiua conſuetudo, quid, ſi dubitetur an ſit introducta vt obligatiua?

DIFFIC. V.

Dico primò, quod certum eſt apud omnes communiter actus requiſitos ad introducendam conſuetudinem obligatoriam ſub mortali neceſſe eſt, vt primi ſub formali ratione obligandi elicuerint, & ſequentes ſub hac ratione obligatoria ſub mortali continuauerint, ita præter *noſt. Angelum V. Conſuetudo, & Villalob. in ſum. T. 1. tract. 2. diffic. 38. n.* 10. alios antiquiores, & moderniores ſtatuit *Sacra Rota Romana in vna Giennenſi portionis die 15. Nouembr.* 1613. firmans conſuetudinē tunc induci vt obligatoriam quando actus efficiuntur animo eam inducendi, quare ſi à principio ex ſola deuotione, vel vrbanitate, vel ex alio liberali modo introducta fuerit conſuetudo, non obligabit ſub mortali, Recitare ergo officium B. Virginis in Choro, vel extra Chorum, ſalutare Virginem ad ſonum Campanæ in ſero, vel mane ſumere aquam benedictam in Eccleſiæ ingreſſu non cadunt ſub obligatione mortali, quia conſuetudo hæc fuit introducta per actus, qui ſolum ex deuotione, niſi fuerit in aliquo iſtorum ſpeciale votum, ſoliti ſunt fieri communiter, item ſi populus ex mera liberalitate, & vrbanitate ſolitus ſit aliquod beneficium præſtare, non tenebitur continuare, quia quod ex mera liberalitate inceptum eſt, non fuit factum vnquam ratione ſe ſe obligandi; Vide *Menoch. de Arbitr. l. 2. cent. 5. caſu 494. Caſt. Palaum, T. 1. tract. 3. diſp. 3. p. 2. §. 3. Monteſinum. p. 2.*

Dicò ſecundò, quod licet ad cognoſcendum vtrum animo obligandi ſub mortali introducta ſit conſuetudo, non poſſit dari certa regula, ſed prudentium virorum iudicio relinquendum, attamen communiter Theologi, & Canoniſtæ aliquas regulas ponunt ad hoc cognoſcendum. Prima ſi populus vniformitate communi ſeruent aliquam conſuetudinem de re graui, & admodum honeſta, etenim non ſolent homines ad aliquam rem grauē ſeruandam communi vniformitate conuenire, niſi ſentiant ſe obligatos; Secunda eſt, ſi viri timoratæ con-

ſcientiæ, vel communiter populus ſcandalizatur de his, qui non ſeruant talem conſuetudinem; Tertia ſi Prælati, & Superiores puniant non ſeruantes talem conſuetudinem, quarta ſi ſit in materia, quæ multum confert communi bono Reſpublicæ; Ita *ex noſt. Angelo, & Villal. loc. cit. in parte, Suar. de leg. l. 15. n. 13. Caſtr. Pal. T. 1. tr. 3. diſp. 3. p. 2. Gordonus in ſum. T. 1. l. 2. q. 14. c. 4.* Adde etiam quintam regulam, quod cognoſcitur introducta conſuetudo obligatoria ſub peccato, quando actus conſueti puta ieiunare, abſtinere à carnibus, feſtum ſeruare, communiones generales facere, & ſimiles introducti ſunt tanquam neceſſarij ad non peccandum. Ita etiam *Monteſin. loc. cit. & Ioannes Vugers p. 1. quæſt. 97. art. 3. num. 24.*

Dico tertiò, quod licet *Azor p. 1. l. 5. c. 18. q. 5. & Reginald. T. 1. l. 13. c. 15.* velint in dubio conſuetudinem obligatoriam ſub mortali, quia in dubio potior eſt conditio poſſidentis, quæ ſtat pro conſuetudine, quæ certo ſcitur adeſſe, & conſequenter debet præſumi obligatoria, attamen *noſter Villal. in ſum. T. 1. tr. 2. diffic. 39. n. 3. Caſt. Palaus T. 1. tract. 3. diſp. 3. p. 2. §. 3. Suar. de leg. l. 7. c. 15. Bonac. de leg. diſp. 1. q. 1. punct. vlt. §. 3.* & alij volunt in dubio non eſſe obligatoriam, quia ceteris paribus inclinandum eſt in eam partem, quod conſuetudo ſit ſolum ex deuotione, & honeſtate, quam quod ſit ex obligatione ex illa Regula generali, quod in dubio nullus præſumitur ſe velle obligare, & ſanè iſta opinio, cum nulla adſit regula in ſuperiori poſita, ex qua poteſt conijci obligationis iudicium, ſed adeſt practicum dubium, ſequi poteſt abſque ſcrupulo, nam poſſeſſio ſtat potius pro libertate agentium in dubio, quod noluerint ſe ſe obligare ſub mortali.

Vtrum ad firmandam conſuetudinem ſit neceſſarius conſenſus expreſſus Principis, an ſaltem tacitus.

DIFFIC. VI.

PVgnant in hac difficultate Doctores, alij enim negant, affirmant aliqui, alij diſtinguunt, vt ergo in tanta varietate vnuſquiſque prout maluerit, ſibi conſulat per varia dicta probabilia propoſitum dubium diſſoluetur, quare

Dico primò, quod probabile puto, ad firmandam conſuetudinem non requiri Principis conſenſum expreſſum, nec tacitum præſupponentem ſcientiam actuum introducentiũ conſuetudinem, ſed ſolum ſufficere conſenſum Principis legalem, qui tam in iure Canonico, quam Ciuili habetur, in quorum vtroque ſtatuitur à Principe, quod conſuetudo legitimè præſcripta habeat vim legis, & legem abrogare valeat, vt patet *in c. fin. de conſuet. & in l. de quibus ff. de legib.* dum enim generaliter tam Princeps iuris Canonici, quam ciuilis ſtatuit conſuetudinem legitimè præſcriptam habere vim derogandi legi, iam in qualibet conſuetudine legitimè præſcripta adeſt conſenſus legalis Principis confirmantis conſuetudinem, ex quo legali conſenſu Principis conſuetudo legitimè introducta habet vim legis, & derogandi legi ab ipſa factæ, quare ſuperfluus eſt alius particularis Principis conſenſus, nec particularis notitia cõſuetudinis introductæ, nec enim multiplicanda entia ſine neceſſitate; Itaque licet ex natura rei ad conſuetudinem firmandam contra legem requireretur Principis notitia, vel conſenſus, attamen quia ipſe Princeps generali ſuo decreto dat conſuetudini legitimè præſcriptæ vim legis, et derogandi legi, non requiritur alius ipſius particularis conſenſus, et notitia conſuetudinis introductæ Ita *noſt. Villal. in ſum. T. 1. tract. 2. diffic. 38. n. 6. Suar. l. 7. c. 13. n. 67. Sanch de matr. l. 7. diſp. 4. n. 11. Malder. p. 2. D. Th. q. 97. a. 3. n. 3. Caſtr. Pal. T. 1. tract. 3. diſp. 3. p. 2. §. 4. nu. 3. Azor T. 1. l. 5. c. 18. q. 1. Salas de leg. diſp. 19. ſect. 3. n. 20. & 31. & ſect. 4. n. 39.* Quare volunt iſti Doctores, et probabiliter mihi admodum ſuadetur, quod tranſacto decennio, vel alio tempore legali, vt infra, in quo actus continuati ſunt contra legem, iam conſuetudo eſt legitimè introducta abrogans legem, etiam ſi talem conſuetudinem Princeps ignoret ſpeciali notitia, quia conſenſum tacitum præſtare videtur Princeps ex generalitate talis decreti, vt conſuetudo firma maneat contra legem ſuam, ad conſenſum autem tacitum non requiritur ſpecialis, et diſtincta notitia facti, vt videtur innuere *noſt. Angelus*, licet *à Lorca* in hoc loco infra citando reprehendatur, et quidem inutilè, cum conſenſus tacitus ſit virtualis ſolum conſenſus, qui virtualiter conditionatam notitiam implicat facti, non autem expreſſam idest velle ſe conſuetudinem legitimè præſcriptam iuxta ſuum decretum generalatum in fauorem conſuetudinis ritè introducendæ, approbare etiam c. legem ſuam.

Dico ſecundò, quod nimis rigida videtur opinio requirẽs ad firmandam conſuetudinem notitiam ſpecialem Principis, et eius expreſſum conſenſum, probabilis tamen eſt, quia probabiliter dici poteſt, quod tam *in c. fi. quam in l. de quibus* præcitatis tradatur ſolum generalis doctrina, quæ explicat vim conſuetudinis approbatæ à Principe ſciente, et permittente talem conſuetudinem, quam ſententiam mordicus defendunt *Vaſq. T. 2. diſp. 177. c. 2. & 3. Baſyl. Pont. de matrim. l. 6. c. 6. n. 5. Lorca T. 2. diſp. 29. de leg. n. 2. Monteſinus* etiam hanc tuetur ſententiam *T. 2. diſp. 23. q. 13.* et alij.

Dico tertiò, quod probabilis cenſenda eſt diſtinctio illa, ſcilicet quod conſuetudo contra Canones neceſſariò introducatur per Pontificis ſummi notitiam, et conſenſum expreſſum, contra leges vero ciuiles ſufficiat conſenſus legalis, vt in prima opinione, et ratio eſt, quod Summus Pontifex habet auctoritatem immediatè à Deo, non autem à populo, Imperator autem condens leges ciuiles habet auctoritatem à populo, hinc eſt, quod ad abrogandam legem pontificiam non habet populus ius aliquod, per quod generali lege lata poſſit ſibi facultas concedi conſuetudinem introducere derogantem illi, bene tamen hoc poteſt in lege ciuili, in quam habet populus ſaltem originaliter poteſtatem, quatenus eam condens ab ipſo populo auctoritatem recepit eam condendi, at vero in lege canonica nullum habet ius originarium populus, ſed ſolam à Deo, à quo Papa accipit ſuam poteſtatem, et nullo modo à populo accipit virtutem obligandi ius canonicum. Vide *Angelum noſtrum*, loc. infra citando, atque adeo ad derogandam legi Canonicæ requiritur notitia, et expreſſa licentia Papæ, et non ſufficit conſenſus populi, bene tamen poteſt ſufficere conſenſus populi ad derogandam illi legi factæ ab eo, cui ipſe dedit auctoritatem condendi legem. Ita videtur ſentire in parte *noſter Angelus §. 9.* et expreſsè docet *Rota Romana in vna Treuerenſis Abbatiæ S. Maximini die 24. Ianuarij anno 1625. coram Coccino*, quam adducit *Caſtellinus de elect. c. 4.* hanc etiam ſententiam defendunt *Maſſobr. in prax. hab. Conc. Præfat. n. 88. & Ioann. Maria Nouar. in lucer. Regul. V. Electio num. 34.*

Verum non omnino hæc ratio probat ita euidenter quod requiratur ſcientia Papæ ad introducendam conſuetudinem contra ius canonicum, nam poſſet dici cum prima opinione quod conſuetudo contra ius canonicum præſcripta iuxta decreta canonica habet vim à Papa abrogandi aliud ius canonicum, contra quod eſt iam introducta, et per tempus à iure canonico abſq; interruptione continuata, itaque dum à Papa non prohibetur, iam per eius tacitum conſenſum dicenda eſt vera, et legitimè præſcripta conſuetudo abrogans contrarium ius canonicum, tutius tamen, at non probabilius cum tertia hac opinione practicandum videtur, vide infra diffic. 10.

Dico tamen quartò, probabile etiam videtur, quod ad firmandam conſuetudinem contra leges ciuiles requiratur notitia ſaltem miniſtrorum Principis ſupremi, qui dum non contradicunt, nec puniunt poteſt præſumi, quod ex conniuentia, et conſenſu Principis abſoluti id faciant, non enim poteſt præſumi, quod taceant Miniſtri contra eos, qui faciũt contra legem, niſi id permittere Principem cognoſcant, referunt enim Miniſtri fideles ſuo Principi mores ſubditorum et conſuetudines, vel abuſus contra leges, et ſtatuta, itaque dum tacent Principes Supremi ad relationem ſaltem præſumptam miniſtrorum ſuorum de conſuetudine contra legem, argumentum eſt probabiliſſimum eos velle permittere talem conſuetudinem, atque adeo firmatur ex tacito ſaltem conſenſu Principum ſed de hoc fuſius, et diſtinctius in difficultate an conſuetudo abrogat legem, etc.

Ad quos ſpectet præcipuè introducere conſuetudinem legitimam habentem vim legis, quas perſonas liget, & an extendenda de loco ad locum.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quod perſonæ priuatæ ſingillatim ſumptæ de aliqua communitate non poſſunt per ſuos actus introducere conſuetudinem, bene tamen collectiuè ſumptę prout faciunt communitatem, & populum, & ratio eſt, quia ad eos ſpectat conſuetudinem introducere legitimam, ad quos ſpectat legem condere, ſed ad perſonas priuatas ſingillatim ſumptas non pertinet condere leges, cum, vt priuatæ perſonæ iuriſdictionē non habeant, ergo ad eos non pertinet conſuetudinem introducere, conſuetudo enim cum vim legis habeat, & legem abroget, gaudet etiam priuilegio, ſeu conditione legis circa cauſam efficientem, vt ſcilicet iuriſdictionem, & poteſtatem habeat, vt docent communiter DD. & dicetur V. lex, quare cum Populus, & communitas habeat poteſtatem condendi leges, quæ vocātur municipales, etiam cōtra ipſum Imperatorem ab ipſo Imperatore, vt notat *Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. a. 3. noſt. Ang. §. 9.* & habetur *l. omnes populi ff. de iuſt. & iur.* poteſt populus, & communitas introducere conſuetudinem, & particulares ſui priuati ciues etiā ſingillatim de conſenſu populi. Ita *noſt. Ang. loc. cit. Villal. T. 1. tr. 2. diffic. 38. Suar. l. 7. c. 9. Salas diſp. 19. ſect. 11. n. 90.* & alij communiter. Quare ad conſuetudinem introducendam neceſſe eſt, vt maior pars populi conſenſerit, & ſit vſa tali conſuetudine, vt notat *noſt. Ang. §. 7.* quod autem addunt alij in conſuetudine, quæ eſt contra legem priorē, ſi minor pars ſeniorum, prudentiorum, ac præcipuorum Ciuium ſciente Principe, vel Superiore eam introducat, & ſeruet, nec à Principe puniantur, cum poſſit, videtur firmata, & conſequenter ceteros obliget, poteſt vtique probabiliter affirmari, nam licet ſit minor pars quoad numerum, eſt tamen maior quoad qualitatem. Ita etiam *Monteſin. p. 2. T. 2. diſp. 23. q. 13. n. 222. & Diana p. 6. tract. 5. reſol. 14.*

Dico ſecundò, quod nō omnes de populo ſeu communitate ſunt apti ad introducendam conſuetudinem, mulieres enim regulariter cū non ſint aptæ ad condendum leges, nec regulariter ſunt aptæ ad introducendam conſuetudinem, ſicut nec pueri, Ebrij, amentes ex defectu vſus rationis, vt notat *noſt. Ang. loc. cit.* Vnde quando dicitur, quod maior pars populi debet conſentire, & vſa eſſe conſuetudine intelligitur de hominibus adultis, & iudicio ſano vtentibus. Ita *Ang. noſt. loc. cit.* & reliqui Doctores communiter.

Certum eſt tamen Moniales in communitate viuētes poſſe conſuetudinem introducere ſe ipſas obligantem, maximè ſi accedat conſenſus tacitus, vel expreſſus ſui Prælati qui poteſt pro ipſis etiam leges, et ſtatuta facere. Ita etiam docent *noſt. Villalob. ex Bartol. Suar. & Salas locis cit.*

Immo probabile puto, quod etiam Mulieres extra Monaſteria viuentes in proprijs domibus poſſunt introducere conſuetudinem aliquam ſe ipſas, non viros obligantem, puta, ſi ſimul conuenirent inter ſe ſe mulierum maior, & ſenior pars alicuius ciuitatis, & loci, vt in ſublato ieiunent in honorem B. Mariæ, vel talem diem in honorem B. Mariæ, vel alterius Sancti colant, vel ſacrum audiant in tali die. Ita etiam *Monteſin. T. 2. diſp. 23. q. 13. n. 220. & Diana p. 6. tr. 5. diff. 15.* & ratio mihi ea videtur, quod licet ſint inhabiles ad condendas leges, & conſequenter ad introducendam ex ſe conſuetudinem, attamen quis in iſtis pertinētibus ad maiorem deuotionem, & cultum Dei præſumi debet adeſſe ſaltem tacitus, & virtualis conſenſus Prælati, & Superioris talem conſuetudinem approbantis, ideo talis conſuetudo à mulieribus introducta poterit eſſe obligatoria.

Hac autem ratione vtitur *noſt. Villalob. loc. cit.* ad probandam poſſe etiam homines introducere conſuetudinem circa leges Eccleſiaſticas puta ſeruandi generale ieiunium, & generale feſtum tali, vel tali die, & erit obligatoria ex tacito, vel expreſſo conſenſu Superioris Eccleſiaſtici.

Adde, quod id dicendum puto de mercatoribus, qui conſuetudinem introducere poſſunt inter ſe ſe obligantem circa modum ſpecialem alicuius negotii ex tacito conſenſu Principis. Ita *Villalob. & Suar loc. cit.* Attamen

Dico tertiò, quod Clerici non poſſunt conſuetudinem inducere poſitiuè contra ius canonicum per modum ſtatuti, quia id ei ſpecialiter prohibitum, poſſunt tamen inducere conſuetudinem contra ius Canonicum per actus contrarios, vel per non vſum, vt patet *ex c. fin. de conſuet.* Papa tamen ſciente, & non puniente tranſgreſſionem talem.

Dico quartò, quod conſuetudo, cum habeat vim legis, & legi æquiparetur, legis etiam conditiones ſortitur, ſicut ergo lex ſolum ſubditos regulariter obligat, ita etiam conſuetudo, & ſicut lex non obligat extra Territorium ferentis, ita nec conſuetudo obligat extra Territorium in quo eſt introducta, quare conſuetudo vnius populi, vel cōmunitatis ſpecialiter introducta pro tali populo, vel communitate non obligat alium Populum, & communitatem, quia vnus Populus, & communitas particularis non habet poteſtatem condendi legem obligantem alium populum, & communitatem ſibi non ſubditam, etiamſi ſint ſub eodem Principe, quia Princeps non dicitur extendere conſuetudines particulares locorum ad alia loca, niſi expreſsè id præcipiat.

Immo licet conſuetudo Eccleſiæ Romanæ, vt Mater eſt omnium Eccleſiarum obligare poſſit omnes alias Eccleſias, attamen conſuetudo Eccleſiæ Romanæ, vt eſt Epiſcopatus Romanus ſpecialis non poteſt ligare alias Eccleſias, quia vt talis non eſt conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ, ſed vt particularis, vt notat optimè *Panormit. in c. fin. de fer.* vide *Angelum noſtrum §. 19.*

Dico quartò, quod licet conſuetudo vnius loci, vel populi, vel Diæceſis, vel Eccleſię non liget de iure alium populum, locum, Diæceſim, & Eccleſiam, attamen quando in aliqua Ciuitate, Populo, Eccleſia, Diæceſi, vel Communitate non adeſt ſtatutum, lex, aut Conſuetudo, vnde cauſa ingruens decidatur, poteſt ex æquitate recurrere ad conſuetudinem vicinarum ciuitatum, & locorum, ſi rationabilis appareat, vt habetur *ex c. cum olim de conſuetud.* & iuxta hanc doctrinam debet intelligi *caput ſuper eo de cognat. ſpirit.* vbi præcipitur cuidam Epiſcopo vt conſuetudinem ſuę Metropolitanæ Eccleſiæ, vel aliarum circumiacētiū Ciuitatū inquirere, & diligēter imitari, quod verbū imitari debeat, dicit ęquitatem, nō obligationem; quę etiam doctrina inſeruire poteſt in eadem ciuitate, & communitate circa caſum diuerſum, ſi ſubſit eadem, & conſimilis ratio, & æquitas. Vide *Salas diſp. 19. ſect. 14. Caſt. Pal. T. 1. t. 3. diſp. 3. p. 4. Vaug. p. 2. q. 97. a. 3. coc. 3. diff. 5.*

Vtrum conſuetudo laicorum poſſit obligare Clericos, & Eccleſiaſticos.

DIFFIC. VIII.

Diſtinguendum puto in hac difficultate, nam vel cōſuetudo eſt circa materiam ſimpliciter ciuilem, quæ debeat ſortiri vim ex conſenſu Principis ſæcularis ſimpliciter, & abſolutè, & hæc nullo modo poteſt obligare Clericos, & Eccleſiaſticos directè, indirectè tamen quatenus eſt materia communis politiæ tam Clericis, & Laicis, vt eſt conſuetudo circa venditionem frumentorum iuxta tantum pretium poteſt hæc conſuetudo obligare etiam Clericos, cum faciat pretium legale vulgare, cui Clerici debēt ſe ſe accommodare, vt alibi dictum eſt; Quare dictum eſt V. Bulla C. & V. Clericus, non poſſunt Clerici conſentire in laicam conſuetudinem directè dependentem à laico conſenſu extra hanc materiam communis politiæ, & conuictus, quia non poſſunt ſubiectionem ſibi imponere ergo Principes, & leges ſæculares contra immunitatem, et libertatem Eccleſiaſticam, vt probatum eſt *loc. cit.* et fortè dicetur V. Immunitas etiam: At vero ſi conſuetudo ſit circa materiam mixtam, puta quia pertinet ad politiam ciuilem, et Eccleſiaſticam, ita, vt in vtraque ſeruetur conſuetudo communis per laicos, et Clericos, tunc obligabit etiam Clericos, et Eccleſiaſticos, quia in tali caſu præfata conſuetudo habebit vim obligatiuam tam ex parte Superioris Eccleſiaſtici, quam ſæcularis Principis.

Tanto magis erit vera iſta doctrina, quando materia circa quam eſt conſuetudo, ſit circa res ſpirituales ordinatas ad bonum animæ, vt ſunt ieiuniorum, et feſtorum obſeruationes, quia tunc licet conſuetudo taliū rerum fuerit introducta à ſæcularibus, attamen quia infirmanda tali conſuetudine debet adeſſe conſenſus tacitus ſaltem Superioris Eccleſiaſtici obligabit etiā Clericos, et Eccleſiaſticos, et in tali cōſuetu-

dine nō præſumūtur Clerici eſſe diſtincti Ordinis à laicis; ſed, vt Chriſtiani omnes, qui ſimul tenentur ad ſeruandum, quod pro maiori animæ bono, & pro maiori Dei, & Sanctorū cultu eſt introductum, quam doctrinam extēde in omni illa conſuetudine à laicis introducta, cuius materia non ſolum conueniens eſt laicis, ſed multo magis Clericis, & Eccleſiaſticis, vtpotè quæ vergit ad Chriſtianam politicam, vt Chriſtiana eſt, augendam, vel ſeruandam, nam iſtas conſuetudines præſumi debet firmatas eſſe etiam à Superioribus Eccleſiaſticis, ſi legitime iam præſcriptæ à toto populo ſeruentur. Vide *Gordonum in ſum. T.1. l.2. q.14. c.6. Vuigerſ. p.2. quæſt.97.a.3. Suar. l.7. c.16. n.9. Salas diſput.19.ſect.15. Azor. T.1. l.5. c.18. quæſt. 12.*

Quanto tempore dicatur conſuetudo legitime præſcripta tam inter præſentes, quam inter abſentes, & quoto actu interrumpatur tam præſcripta, quam non præſcripta.

DIFFIC. IX.

Dico primò, quod Doctores illi, qui ad conſuetudinem firmandam requirunt tempus immemorabile, nimis rigidè locuti ſunt, quia longęuum tempus, quod iura volunt neceſſarium ad firmandam conſuetudinem, eſt tempus ſaltem decem annorum, vt patet ex *l. vlt. c. de præſcrip. longi temporis* §. 1. *inſtit. de vſucap.* quare Doctores alij tale ſolum tempus decem annorum contendunt ſufficere ad firmandam conſuetudinem tam ad legem ſtatuendam, quam ad legem abrogandam, quare ſi per decennium conſuetudo inualuerit de aliqua re, erit legitimè præſcripta, & deinde neceſſario pro lege ſeruanda, & ſi contra legem aliqua conſuetudo aliqua per decennium completum inualuerit, lex erit omnino abrogata, nec vltra ſeruanda, ſed conſuetudo tanquam legitimè præſcripta ſequenda, & ita abſolutè cenſent dicendum *Gordonus in ſum. T.1. l.2. q.14. c.4. a.14. & 15. Bonat. Maſcardus, Bonellus*, & alij, quos citat, & ſequitur *Caſt. Pal. T.1. tract.3. diſp. 3. punct. 2. §. 2. num. 5.* verum iſta opinio nimis larga videretur contra Canones, & priuilegia Principum, vt infra videbitur.

Dico etiam ſecundò, quod *Soto de iuſt. & iure l.1. q.7. a.2. Medina, quem citat, vt ſequitur Granado p.2. D. Tho. contr. 7. p.2. diſput.16. ſect.1. num. 9. Pontius de matrim. l.6. cap.5. num.8. Menoch. de Arbitr. l.2. cent. p. caſ. 38. n.6. Corraſius in l. de quibus ff. de leg. n.8. Lorca p.2. T.2. de legib. diſput. 29. membr. 2. & alij* volunt relinquendum arbitrio prudentis, & docti viri, qui perſpectis circumſtantiis omnibus iudicet, quando conſuetudo tantum temporis viguerit, vt merito credatur adeſſe rationabilem, & tacitum conſenſum Principis, ſeu legislatoris nolentis vltra ſuam legem durare, vel obligare, quando autem non conſtiterit per debitas, & congruas circumſtantias adeſſe tempus ſufficiens ad conſuetudinem, expectandum putant tempus decem annorum, quod cenſent eſſe ſufficiens ad præſcribendam conſuetudinem non ſolum contra Principem, & leges ſæculares, verum etiam contra Prælatos Eccleſiaſticos, Sacros Canones, & Eccleſias, quæ opinio licet ratione aliqua fulciri poſſit, attamen iuxta leges Ciuiles, & Canonicas non videtur admodum ſua dicta firmare, vt videbitur infra. Quare

Dico tertiò, quod *noſter Ang. V. Conſuetudo* §.8. quem ſequitur ibi *Vngarell.* ad propoſitam difficultatem, vt ſolet admodum ſolidè, & diſtinctè iuxta mentem legis Ciuilis, & Canonicæ hiſce formaliter verbis diſtinguendo reſpondet cum *Panorm. in c. fin. de conſuet.* quod licet ſint variæ Opiniones, tamen iſtud ſibi videtur, quod de iure ciuili (intellige etiam, ſcholiat *Vngarellus*, ſi foret contra ius Ciuile ſecundum *Abb. in d. c. fin.*) requiritur tempus decem annorum, quia iura requirunt tempus longum ad introducendam conſuetudinem *c. quæ ſit lo. conſu. in rubro, & in nigro, & arg. in l.2. C. de ſeru.* longum autem tempus eſt decem annorum *c. de præter. long. temp. per totum, & in gloſ. dictæ Rebr. cap. quæ ſit long. conſuet* & hoc tenet *Bart. in dict. l. de quibus, & Cynus in dict. l.2.*

De iure autem Canonico dic, quod aut conſuetudo eſt pręter ius, & ſufficit tempus decem annorum facit *gloſ. in c. fin. V. Conſuet. de conſuet. l.6. & in cap. Conſuetudo diſt.22. limita* ſecundum *Innoc. in c. cum Dilectus de conſuet.* niſi veniret ad detrahendum iuri alicuius Eccleſiæ particularis, quia tunc requiritur tempus debitum ad præſcriptionem, quam ſcholiat *Vngarellus* eſſe quadraginta annorum, ſicut de mente Panormitani requiritur ad præſcriptionem Eccleſiæ Vniuerſalis.

Quod ſi conſuetudo ſit contra ius Canonicum requiritur tempus quadraginta annorum, quia oportet vt ſit præſcripta *vt in d. c. fin. & c.3. de conſuet. in 6.* Ita etiam Doctores infra citandi.

Dicit tamen *Dominus Antonius in d. c. fin.* quod, ſi Papa ſcit, ſufficiat tempus decem annorum, quod eſt ſingulare, hoc autem ſic ſcholiat ibi *Vngarellus noſter*, vult dicere, quod vbi conſuetudo introduceretur contra ius Canonicum ſciente Papa, quod tunc ſufficit tempus decem annorum, quia habetur conſenſus illius, qui poteſt legem condere, ſed *Abbas* dicit ibi, quod iſtud dictum iure non probatur, ſed quod poſſet procedere, quando Papa ſciuiſſet, & vſus fuiſſet illa conſuetudine, ſecus vbi ſolum præſtat præſentiam iuxta illud; multa per patientiam toleramus, quæ ſi deducta forent in iudicio exigente iuſtum non debent tolerari *ex c. cum iam dudum de Præbend.*

Si verò conſuetudo eſſet contra ea, quę ſunt reſeruata Principi in ſignum ſpecialis priuilegij tunc tam de iure Ciuili, quam Canonico requiritur tempus, de cuius initio memoria non ſit, vt eſt *tex. in c. ſuper quibuſdam de verb. ſignific.*

Quam ſententiam, quod Conſuetudo contra ius Ciuile præſcribatur tempore decem annorum, contra vere ius Canonicum requiratur præſcriptio quadraginta annorū ſequuntur *etiam cum noſtro Angelo noſter Cord. l.1. q.12. ad 4. arg. D. Antonin. p.p. tit.16. c.p. §.4. Alex. l.2. conſil. 68. n.7. Ruinus l.4. conſil.115. Decius conſ.134. Aretin. conſil.44. num.1. Baldell. l.5. diſp.47. n.13. c.23. Rebell. p.1. l.1. q.15. Mald. p.2. D. Tho. q.97. a.3. Diana p.6. tract.5. reſol. 2. & demum Sacra Rota Rom.* hanc conſuetudinem approbat *vt patet in vna Genendenſi Adminiſtrat. die 13. May 1630. coram Veroſpio apud Guerilios Venetos deciſ.325. n.10.*

Quare ea, quæ congerit *Caſt. Pal.* contra hanc ſententiam, vel quod ſaltem requireretur præſcriptio centum annorum, quia contra Eccleſiam Romanam centum annorum ſpatio præſcribitur, gratis, & ſine fundamento eſſeritur, quia iam ex noſtro Angelo manet firmata ſententia per Sacros Canones, contra quorum diſpoſitionem non valent rationes Theologorum ſpeculatiuæ, dum in praxi à Summis Pontificibus contrarium talium rationum fulcro determinatur.

Dico quartò, quod licet aliqui voluerint inter abſentes requiri tempus viginti annorum ad firmandam conſuetudinem, quia inter abſentes præſcriptio fit viginti annorum ſpatio, vt docere videntur *Sylu. V. Conſuetudo quæſt.7. Molynam l.1. tract 2. diſput.77. & Tannerus T.2. diſput. 5. quæſt.7. dub. 8.* & alii, attamen probabilius videtur, quod ſufficiat tempus decem annorum etiam inter abſentes, quia in dictis legibus, in quibus conſuetudo firmatur tempore longo, vel tempore decem annorum non fit diſtinctio inter præſentes, & abſentes, ſed indiſcriminatim ſine differentia aliqua decem annorum ſpatium ponitur ad firmandam conſuetudinem, præterquam quod ad neceſſitatem huius præſcriptionis ſemper ſupponitur ignorantia Principis, nam ſi Princeps ſciat, & taceat, cum poſſet prohibere, non eſt neceſſaria præſcriptio, ergo ad hanc præſcriptionem ponendam impertinens videtur ponere præſentiam, vel abſentiam Principis. Ita etiam *Suar. de leg. l.7. cap. 18. num. 11. Vuigers p. 2. quæſt. 97. tract.3. diſput.3 p.2. §. 2. num. 7. & Diana loc. citato* maximè cum Dominus abſens non ſoleat per conſuetudinem pati præiudicium, & conſequenter non eſt omnino inuoluntarius, cum talis conſuetudo introducatur per voluntatem eius à lege applicatam quia fuerit tali tempore præſcripta.

Verum Opinio prior probabilis etiam eſt, & æquitati magis conſentanea in fauorem Principis.

Dico vltimo, quod conſuetudo ſi perfecta ſit, & completa per legitimam præſcriptionem vt ſupra, requiritur ad eam interrumpendam, ſeu tollendam idem tempus decem annorum, nec ſufficiunt plures actus contrarij contra eam, etenim cum conſuetudo legitimè præſcripta habeat vim legis eo modo abrogatur, quo lex ipſa, ſed decem annorum curſu abrogatur lex, vt dictum eſt, ergo Conſuetudo legitime

the præcepta decem annorum ſpatio abrogatur, & tollitur. Ita noſt. *Angelus ex Panormit. in cap. fin. de conſuet. §.11. & Vngarell. ib. ſch. C.*

Quod ſi conſuetudo non ſit completa, nec legitimè præſcripta, ſufficere vnum actum cõtrarium, ita vt de nouo oporteat, vt incipiatur ad eam firmandam docet noſt. *Angelus 16. §. 11. arg. l. vbi repugnantia ff. de Reg. Iur.* ita etiam firmauit *Sacra Rota in vna Viterbienſis aquarum die 25. Martij 1604. coram Illuſtriſſimo Ludouico,* qui poſtea fuit *Greg. XV. dec. 162.* non obſtante, quod ſint mille acta pro conſuetudine; Vide *Surdum vol. 3. conſ. 293. n. 23. & 24. Caſt. Pal. T. 1. tract. 3. diſp. 3. p. 2. §. 2.* qui citat *Reginald. Bonac. & Salas,* & denique ita etiam ſentit *Diana p. 6. tract. 5. reſol. 4.*

Vtrum præſcriptio in conſuetudine requiratur etiam in foro conſcientiæ, quid ſi abſque præſcriptione adſit Principis conniuentia, vel Populi conſenſus.

DIFFIC. X.

Dico primò, quod licet probabiliter aliqui DD. velint præſcriptionem non requiri in foro conſcientiæ ad firmandam conſuetudinem, ſed ſolum id tempus requiri in foro externo, putant enim, quod quando aliqua conſuetudo etiam contra legem ſeruatur à plerìſque viris bonis, & timoratæ conſcientiæ, etiam ſi non ſit firmata curriculo decem annorum, poſſit in foro conſcientiæ abſque ſcrupulo peccati ſequi. Ita *Duallius p. 2. D. Thom. tract. de leg. q. 7. a. 2.* quam doctrinam eſſe plurimorum Doctorum docet noſter *Baſſeus in flor. Theol. pract. V. Conſuet nu. 16.* Attamen præciſa Principis conniuentia, vel populi conſenſu ſaltem tacito probabilius videtur dicendum conſuetudinem non præſcriptam non eſſe legitimam, atque adeo eam ſequentes peccare, quia iura declarant conſuetudinem tunc abrogare legem, quando eſt legitimè præſcripta, eo ergo tempore quo non eſt præſcripta conſuetudo contra legem, lex nondum eſt abrogata, ergo obligat, peccant ergo, qui eam tranſgrediuntur ſub pallio conſuetudinis præſcriptæ. Vide *Baſſeum* loc. citato attamen.

Dico ſecundò, quod, ſi conſuetudo practicetur ex Principis, vel populi conniuentia, vel tacito conſenſu à probis pleriſque viris, qui faciant ſaniorem populi, & communitatis partem, ſanè poterit conſuetudo non expectato tempore ad præſcriptionem neceſſario ſequi ſine peccato, nam conſenſus tacitus Principis poteſt ſuam abrogare legem ante præſcriptionem, quæ ſolum requiritur quando non adeſt Principis conſenſus, quod autem etiam ſufficiat conſenſus tacitus populi, probat noſtr. *Angel.* 5. 9. quod ſcilicet populus cum poſſit condere leges, poſſit etiam introducere conſuetudinem.

Quantum autem tempus ſit neceſſarium ad firmandam conſuetudinem ex conniuentia Principis, vel populi conſenſu non poteſt dari regula determinata, certum eſt frequentiam actuum requiri, nec ſufficere duos, vel tres actus, vt notat noſt. *Angel. §. 5. Suar. autem de leg. l. 3. c. 18. n. 17. & 18. Ioann. Vuiggers in p. 2. D. Thom. quæſt. 97. art. 3. num. 28. & Prapoſ. ibid. dub. 2. n. 12.* arbitrio prudentis viri id relinquendum putant, ſubiungo tamen cum noſtro *Angelo* debere eſſe actus tot, & taliter frequentatos, vt ad notitiam Principis, & populi credatur perueniſſe introducta conſuetudo.

Quot actuum frequentia requiratur ad firmandam legitimam Conſuetudinem.

DIFFIC. XI.

Dico primò cum *Doctore noſtro ſubtiliſſimo in 3. diſt. 38. q. 1. art. 2. §. poteſt dici diſtinguendo,* quod binus actus iudicialis inducit conſuetudinem ſecundum iura *extra de cauſa poſſ. & pr. pr. c. cum Eccl. & in textu, & in gloſa, & 18. quæſt. 2. vt notat ſcholiaſtes,* quæ doctrina explicatur, & probatur ſic à noſtro *Angelo §. 5.* cuius verba ſunt hæc, quod, Actus ſi procedunt à ſuperiore, vt ſunt actus iudiciales, tunc ſi conſenſus Populi accedat à principio, vel ex poſt facto tacitè, & ſint frequentati, ita quod ſaltem ſint duo, vt duæ ſententiæ, & lapſus temporis, ſic præſumitur conſuetudo, quia habent aptitudinem ad conſuetudinem inducendam *ff. de inofficios. Teſt. l. nam, & nis, & ff. ad ſil. l. 1. §. eodem tecto.* Itaque ex noſtro *Angelo* ad hoc, vt actus iudiciales duo faciant conſuetudinem requiruntur Primò, quod à Superiore procedant, Secundò, quod accedat conſenſus populi. Tertiò, quod ſint frequentati lapſa temporis, puta vt infra ſe explicat, quod non ſint facti eodem die, vel tempore continuato, in quo populus non poſſit eos ſcire, ſed in tempore, vt ſcholiat noſter *Vngarellus* iuxta qualitatem actuum ad Iudicis arbitrium; quam doctrinam videtur ſequi etiam *Duallius p. 2. D. Thom. tract. de leg. quæſt. 7. num. 2.* quod autem *Lorca p. 2. T. 2. de leg. diſput. 19. membro primo.* videatur dicere, quod tam parui actus non poſſint efficere, vt cenſeatur adeſſe communis conſenſus populi, ex eo, quod requiratur diuturna perſeuerantia in eiſdem, immo concludit tres actiones etiam ſi totius populi ſint, non poſſe efficere conſuetudinem, gratis ſane, cum abſque lege loquatur in materia legali, in qua non præualet ratio ſpeculatiua voluntaria, ſed legis authoritas, vnde dicunt, quod Doctor erubeſcere debet ſine lege loqui, *Angelus* ergo noſter cum loquatur cum fundamento legali, eius Opinio tanquam ſolida amplectenda, præterquam quod euidenti ratione practica firmatur, nam duo actus iudiciales, vel duæ ſententiæ in diuerſo tempore latæ cum fiant iuris ordine ſeruatæ præcedentibus citationibus, & ceteris iuris timulis facile ad maiores, & ſaniores partes populi poſſunt actus illi, & ſententiæ peruenire notitiam, publicè enim leguntur ſententiæ, & aliquando voce præconis, ita vt facile ad populi notitiam peruenire præſumantur.

Notat tamen noſter *Vngarell. ibi ſch. F. cum Bart. in lectura dict. l. de quibus,* quod licet actus iudiciales inducant conſuetudinem, intellige tamen non, vt iudicium ſit cauſa conſuetudinis, ſed quia ex illis actibus comprehenditur tacitus conſenſus populi, & ponit exemplum; bis eſt iudicatum in cauſis d cem librarum ſine libello, ſcilicet ſummariè, & populus tacuit, &c. vide *Bart. in dict. l. de quibus col. 6. V. 2.*

Dico ſecundò, ex eodem noſtro Angelo, quod ſi actus ſint Ciuiles publici, vt vendere, locare, & huiuſmodi, aut priuatorum actus, vt eſt vendere in Porticibus ſuper viam publicam non ſufficiunt duo, nec tres actus, ſed requiritur frequentia, & multitudo actuum, & tanta, vt totus populus eos agnoſcat. *l. ſed & ea ff. de legibus, & l. nam, & Imperator ibid. & l. ſed & ſi pupillus ff. de Inſt. act.* & ratio eſt, quia conſuetudo non formatur niſi actus tranſierint in notitiam totius Populi, à cuius conſenſu legitimatur conſuetudo, iſti enim actus cum non ſint iudiciales, nec intimantur, nec voce præconis publicantur, requiritur eorum frequentia, & multitudo cum ſucceſſione temporis requiſiti ad præſcribendam conſuetudinem, licet ergo actus præfati fuerint notorij, & publici indigent tamen curſu temporis, ad hoc vt populo noti, vel maiori parti innoteſcat, hoc autem tempus determinatur à lege, vt in ſuperiori quæſtione. Ita etiam *Duallius, Lorca loc. citato,* & alij communiter; An vero ſufficiant quatuor actus in materia ciuili ſi ſint notorij affirmat *Duallius loc. citato ex c. cum Eccleſ. extra de cauſ. poſſeſſ.*

Limitat tamen noſt. *Angelus,* quod ſi vnus actus notorius habeat cauſam ſucceſſiuam per tempus requiſitum ad conſuetudinem præſcribendam, poteſt ex ſe ſolus firmare conſuetudinem, puta ſi Pons ædificaretur in publico, & haberet cauſam permanentem per decennium ille actus vnus durans per decennium, requiſitum ad conſuetudinem firmandam ſufficit ad ipſam introducendam, ſimiliter ſi beneficium ſæculare conferretur Regulari, & poſſideretur tempore habili ad conſuetudinem efficitur Regulare, & e contra, vt habetur *in c. cum de beneficio de Præb. in 6.* Ita etiam *Duallius,* quicquid *Monteſinus p. 2. D. Thom. T. 2. diſput. 23. q. 13.* videatur in contrarium valle.

Limitat ſecundò, noſter *Angelus,* niſi appareat de expreſſo conſenſu populi volentis per vnum actum introduci conſuetudinem, vt notat *gloſa in d. 6. conſuet.* populus enim ſicut poteſt facere legem, ita vt conſuetudinem introducere per vnum, vel plures actus.

Dico tertiò, cum noſt. *Angelo,* quod licet *gloſ. in c. ita nos 25. q. 2. & in c. cum Eccleſia de cauſa poſſeſſ. & propor.* dicat, q;

binus actus in criminalibus facit conſuetudinem, intellige de conſuetudine largè ſumpta, non de conſuetudine ſtrictè ſumpta prout hic. Ita etiam *Monteſin. loc. citato* conſuetudo autem large ſumpta idem eſt ac ſolitum, quod per duas vices introduci videtur non ſolum in criminalibus, ſed etiam in ciuilibus.

Hinc res conceſſa in Emphytheuſim per duas vices intra annos quadraginta dicitur ſolita, & conſueta dari in Emphytheuſim. Vide *Nald. V. Conſuetudo num.* 10. *& Barboſ. de conſuet.*

Imò animalia domeſtica dicuntur amiſiſſe conſuetudinem, ſi duabus vicibus non redeant horis ſolitis ad domum conſuetam, & ſolitam *ex gloſa in l. de quibus ff. de legibus, vide Ab. 6. in c. fin. de pœnit.*

Ex hac doctrina huiuſque tradita.

Collige primò, contra aliquos putantes ad conſuetudinem firmandam neceſſarios eſſe aliquos actus iudiciales, nam licet iſti poſſint facere cōſuetudinem, vt eam probare valeant contra populum in fauorem Magiſtratus præcipuè, vel alicuius rei exequendæ, vel non exequendæ, non tamen eſt ſemper neceſſum, vt ad conſuetudinem introducendam ad ſint actus aliqui iudiciales, nam ex frequentatis actibus tempore neceſſario à lege ſtatuto firmatur conſuetudo, nec iura requirunt actus regulariter iudiciales, ſed actus humanos ciuiles ſolummodo, firmatos tamen, vel Principis, vel Populi conſenſu, vſus enim longæuus talium actum eſt tantæ, & fortè maioris authoritatis, quam ſi in iudicio contradictorio firmati forent. Ita ex *noſtro Angelo loc. citato, & fuſius* declarant *Suar. l. 7. cap. 11. Salas diſput. 19. ſect. 11. Gordon. in ſum. T. 1. l. 2. q. 14. cap. quinto Vaſq. diſput. 1. 177. cap. 6. Lorca loc. citato,* & alij, &c.

Collige ſecundò, quod peccatum conſuetudinarium, quod reſeruant aliquando ſibi Ordinarij paſſim non intelligunt DD. pro conſuetudinario quaſi dicat conſuetudinem ſtrictè ſumptam prout hic de ea loquimur, ſed de conſuetudine large ſumpta prout dicit quoddam ſolitum fieri, quod duabus, vel tribus vicibus committitur, & denominatur ſolitum; Attamen videtur nimis rigorosè dictum in hac materia, reſeruationis caſuum, vt peccatum bis factum ſit reſeruatum ratione conſuetudinis, quare probabiliter dicendum puto, quod ad hoc, vt peccatum dicatur conſuetum in ratione reſeruationis non ſufficere duabus, vel tribus vicibus commiſſum, quia cum ſimus in odioſis faciēda eſt ſtricta interpretatio interpretando conſuetū, quod ex multitudine frequentata actuum de eadem re ſumatur, ita vt ex tali iterata frequentia actuum in eadem materia peccaminoſa poſſit eſſe populo notorium peccatum, & ſcandoloſum; præterquam ꝙ ſolent aliquando Ordinarij ad melius explicandam præfatam doctrinam reſeruare peccatum ex praua conſuetudine; praua autem conſuetudo eſt illa, quæ per plurium actuum multitudinem ſucceſſiuo tractu temporis introducitur in peccatore. Ita etiam videtur docere *Quaranta V. Blaſphemia in Addit.* vbi docet ad conſuetudinem peccaminoſam requiri multo plures actuum reiterationes, nec ſufficere duabus, vel tribus vicibus commiſſum, quam doctrinam ait deſumi ab *Alexandro conſ. 72. in p. vol. num. 8. Boccab. Curt. in Rubr. 5. de conſuet. q. 5. Boer. deciſ. 30. n. 11. Iaſon. in l. aut Præter ff. de iureiur. §. Iurans, & Menoch. l. 2. de Arb. Iudic. 4. centur. caſu 375.*

Vtrum conſuetudo tollat legem contrariam maximè, cum adeſt derogatoria conſuetudinis, & vtrum intelligenda de futura, an præterita, ſi derogatoria ſit generalis.

DIFFIC. XII.

DIco primò, quod certum eſt, vt patere poteſt ex ſuperioribus, quod conſuetudo poteſt abrogare legem contrariam, ſi legitima præſcriptione ſit introducta rationabiliter à maiori ſaltem parte populi, vel etiam ſi Superior ſcit, & tolerat, & licet poſſit prohibere non prohibet conſuetudinem introduci inceptam contra ſuam legem, quia tunc non requiritur alia præſcriptio, vt notat noſter *Angelus 59. ex gloſ. c. 1. de treuua, & pa.* ex eo quod Superior ſciens, & tacens, & tolerans fieri contra legem ſuam, & non prohibet, præſumitur velle approbare conſuetudinem introduci inceptam, ne videatur velle vinculum damnationis iniicere, vnde cum *Panormitano* ibi docet ſufficere binum, vel trinum actum factum contra legem, ſi potens prohibere, non prohibeat, placet tamen huius doctrinæ adductæ limitatio à noſtro *Vngarello ibi ſchol. V.* ſcilicet quod currit hæc doctrina quando ſuperior non ſolum ſciuiſset, & tacuiſſet, verum etiam vſus fuiſſet tali conſuetudine contraria, præſentiam enim, & tolerantiam non ſufficere probabiliſſime putat cum *Abbate*, quia ſcriptum eſt *in c. iandudum de preb. Multa per patientiam toleramus, quæ ſi deducta forent in iudicio exigente iuſtum non debent tolerari*; quam limitationem noſtri *Vngarelli* ad hæc probabiliter ſublimitarem eſſe veram, quando æquè bene non poteſt Princeps punire tranſgreſſores, puta quia fieret magna reuolutio in damnum communitatis, vel aliud damnum graue timeretur, ob quod vitandum tolerat minus malum ſcilicet tranſgreſſionem ſuæ legis, tunc enim patiens tolerat, non autem conſenſum verum præſtat, quando autem poſſet æquè bene punire, & impedire conſuetudinem inceptam introduci contrariariam legi, & non impedit, nec punit, vere Princeps conſenſum ſufficientem præſtat, licet ea ipſe de facto vſus non fuerit, tutior tamen eſt limitatio *Vngarelli*, licet probabilis ſit etiam iuxta doctrinam noſtri *Angeli, & Panormitani* ſequens ſublimitatio.

Dico ſecundò, quod quando Superior ignorat conſuetudinem cæptam introduci, ſi lex contraria habet clauſulam derogatoriam conſuetudinis, non valet conſuetudo cæpta introduci, quia lex ſemper loquitur, dum conſuetudinem contrariam ſibi improbat. *l. Arians C. de hæred.* quod puto verum, quando conſuetudo à lege eſſet diſſona iuri diuino, vel naturali, vel tanquam omnino irrationalis reprobaretur.

Quod ſi à lege conſuetudo ſibi contraria propter aliquas tunc rationabiles circumſtantias ſolum reprobaretur, inde aduenientibus nouis circumſtantiis magis rationalibus, vel aliqua cauſa veriſimiliter non cogitata, quas ſi Princeps cogitaſſet; admiſiſset, tunc ex talibus circumſtantiis introducta conſuetudo non obſtante clauſula derogatoria valida eſſet. *l. ſi hominem ff. mand. eſt textus iuxta gloſ. in Clem. ſtatutum de elect.* vel ſecundum *Geminianum in 6. licet de conſtitut. in 6.* propterea tenet *Petrus de Peruſio in tract. de canon. port. circa fin.* quod poteſt introduci noua conſuetudo contra *Clem. dudum de ſepulturis*, quia vt ſcholiat *hic noſter Vngarell. ſchol. T.* illa Clementina non improbat ibi conſuetudinem tanquam rationi, iuri diuino, vel naturali diſſonam, ſed vt tollat conſuetudinem illam hic, & nunc propter aliquas circumſtantias non rectè iudicatas, quæ conſuetudo aliter ablata non fuiſſet. Itaque quandiu eædem manent circumſtantiæ ob quas lex abrogat conſuetudinem contrariam ſibi, conſuetudo talis ſi introducatur contra legem derogantem ipſam, non valet, quia vt dictum eſt ſupra lex ſemper loquitur contra conſuetudinem tanquam improbabilem, eam declarans, quod ſi mutentur circumſtantiæ illæ, & nouæ adueniant rationabiles, puta quia non amplius adſunt pericula, inconuenientia, & incommoda grauia, propter quæ lex illa ſancita fuit cum derogatoria conſuetudinis contrariæ, ſed potius adeſſe poſſunt commoda, & conuenientia, tunc conſuetudo contraria legi etiam cum derogatoria præualet, & tanquam legitima poteſt ſequi, poteſt enim eſſe, quod id, quod fuit aliquo tempore inconueniens, & damnoſum, fiat poſtea hic, & nunc conueniens, & vtile. Ita etiam præter noſt *Angelum, & Vngarellum, & Villalobos in ſum. T. 1. tract. 2. diff. 39. n. 8. Sanch. l. 7. c. 4. n. 14. Suar. l. 7. c. 19. Azor. T. 1. l. 5. c. 17. q. 10. & Pontius l. 6. c. 6. n. 9.* & alii.

Dico tertiò, quod probabile eſt, quando in lege ponitur derogatoria conſuetudinis generaliter, puta ſi dicatur ſimpliciter (non obſtante contraria conſuetudine) tam præterita, quam futura connotetur, vt docet *Tiraquell. de retract. in præfat. n. 13. & 19. Couar. var. c. 13. n. 14. Burgos de Paz lege 1. Tauri n. 464. & 479. Zeuallos in ſuis Quæſt. pract. q. 704. & Sanch. T. 2. l. 7. de matr. diſp. 4. nu. 13.*

Attamen mitior, & probabilior videtur opinio noſtri *Villalob. vbi ſupra, & Suar. l. 7. c. 7.* quod per clauſulam generalem derogatoriam conſuetudinis, ſolum præterita reprobetur, non autem futura, nam conſuetudinis reprobatio eſt quid odioſum, ergo reſtringenda eſt, non extendenda talis derogatoria, præterquam quod legiſlator per derogatoriam generalem ſolum habere videtur intentionem derogandi, quod actu

poteſt

poteſt ſuam legem impedire; conſuetudo autem illata eſt ſolum ſuæ legi actu contraria, ergo eam ſolummodo prætendit diruere, & tollere.

Vtrum conſuetudo immemorabilis cenſeatur derogata per clauſulam generalem reuocantem conſuetudines quaslibet.

DIFFIC. XIII.

Diſtinguendum puto, nam vel conſuetudo immemorabilis eſt irrationalis, & iniqua, hæc cenſetur ſemper reuocata per derogatorias quantumlibet generales, quia leges, & conſuetudines non fauent iniquitati, & ita firmauit *Sacra Rota Rom. in vna Crauonienſi iuris legendi de 21. May 1627. coram Dom. Coccino* apud *Guerilios Venetos dec.20.* ſequitur *Narbona de appellat. Vicar. p.2. fund.4. n.19 & Sanctarell. var. reſol. T.1. q.4.*

Quod ſi ſermo ſit de conſuetudine immemorabili rationali, licet *Sanctarellus loc. cit. q.15. n.12. cum gloſ. in Clem. vlt. de reb. Eccleſ. in fin. ibi Card. & Imola n.6. Azuedo l.1. n.21. tit.1. l.2. recopilat. Roch. de curt. in c. fin. de conſuet. n.525. Felin. in c. cauſam de ſent. & re iudicata n.12. & in c. dilecti n.3. de maiorit. & obed.* affirment conſuetudinem immemorabilem tolli per quamcumque generalē derogatoriam, attamen hodie videtur contrarium practicari ex determinatione *Sac. Congreg. Conc. Trid. ſeſſ.22. c.7. litt.s, & ſeſſ.24. c.4. litt.z, teſte Cardin. Bellarm. apud Dianam p.6. tr.5. reſol.32.* & ſequitur *Rota in vna Placentina Canonicatus die 25. May 1612. apud Poſthumas Farinacij T.2. deciſ.286.* & docent *Gonzalez in reg.8. Cancell. gloſa 33. n.5. Garzias de benef. T.1. p.3. c.2. nu.594. Menoch. conſ.93. n.7. & conſ.96. n.65. & conſ.291. n.96. Afflictus deciſ.254.* & alij, & ratio eſt, quia conſuetudo immemorabilis habet vim priuilegii à Principe conceſſi, ſed priuilegio non derogatur per clauſulam generalem, niſi ſpecialis fiat mentio eius reuocationis, ergo etiam cenſendū eſt non derogari conſuetudini immemorabili, niſi ſpecialiter de eius reuocatione fiat mentio, ita *Narbona Recompilat. l.2. tit.4. l.54. gloſa n.240.* adducit varias Sac. Congregationis declarationes determinantes Concilium Tridentinum per clauſulas non obſtantibus conſuetudinibus in contrarium, non includere immemorabilem.

Nota etiam hic conſuetudinem immemorabilem dici illam, quæ durauit per centum annos, ita *Gabriel de preſcrip. cond.1. Gutier. l.3. pract. q.76.* quam immemorabilem eſſe probat teſtis ſaltem annorum 54., debet enim probare poſſeſſionem, vel vſum 40. annorum, quam ab ætate doli capace, quæ eſt annorum 14. probabit. Ita *ex gloſa dec.554. Farinac. in Nou. Nouiſſ.*

Vtrum non vſus poſſit introducere conſuetudinem, quid ſi vbi vſus, vel conſuetudo ſit vniuerſalis, vtrum attendenda ſit particularis loci.

DIFFIC. XIV.

Dico primò, quod conſuetudo regulariter non introducitur per non vſum, quia ad conſuetudinem requiritur frequentia actuum, per quos appareat vſus contrarius legis, ergo non vſus regulariter non ſufficit ad conſuetudinem legem abrogantem, at vero ſi non vſus ſit talis, vt contineat implicitum actum contrarium legi, non vſus inducere poteſt conſuetudinem abrogantem legem contrariam, quia in hoc caſu non vſus eſt vſus contrarius legi, hinc quando lex eſt affirmatiua, puta quod Clerici portent coronam in capite, ſi ea non vtantur Clerici tempore requiſito ad firmandam conſuetudinem, iam iſte non vſus cum includat actum contrarium legi, dicitur vſus contrarius legi, & conſequēter conſuetudinem inducit legem talem abrogantem, quod tamen intellige, quando ceſſat vſus præcepti data occaſione ſeruandi legem, & tamen in occaſione non fuit ſeruata, nam ſi materia rarò eueniat, non vſus non eſt ſufficiens ad legem abrogandam, v.g. ſi lex ſtatuat, vt Hermaphroditus deputetur officio ſexus præualentis, quia vſus huius legis rarò occurrit, non vſus etiam per tempus præſcriptum non poteſt legi iſti derogare. Ita *ex noſt. Vngarello §.17. Schol. B. & §.9. Seb. R. Villal. in ſum. T.1. tr.2. diffic.39. n.12. Lorca p.2. T.2. diſp.29 de leg. membr.3. & Diana p.6. tr.5. reſol.28.*

Dico ſecundò, quod non debet attendi conſuetudo vniuerſalis, aut loci principalis, vel dominantis, quando adeſt conſuetudo particularis, hinc non eſt attendenda cōſuetudo Regni, Prouinciæ Archiepiſcopatus, vel Diœceſis, quando in hoc particulari viget alia conſuetudo. Ita *noſt. Ang. §.17. ex Panormit. in c. cum olim de conſuetud. imo §.19* ita ſeruare quemlibet debere ſuam particularem conſuetudinem docet, vt nec conſuetudo Romanæ Eccleſiæ extra fidem, & articulos eius ſeruanda ſit contra particularem conſuetudinē, modo Papa ſcienter non reuocet conſuetudinem particularem, vt ſeruetur vniuerſalis, vt notat *gloſ. c.1. V. Deuot. de Sanct. Trinit. in 6. & c. noluit 11. diſt. facit etiam C. quoniam de feriis,* & ita *ex determinatione Sacra Rota in vna Calaritana decimarum die 19. Martij 1610. & in vna Pampilonenſi Vicaria die 3. Martij 1617. coram Caualerio, & in vna Placentina decimarum die 10. Martij 1628. coram Coccino, vt refert Diana p.6. tract.5. reſol 31.*

Immo adde cum *noſtro Angelo §.18.* quod Papa reuocans conſuetudines, ſi non facit mentionem de conſuetudine particulari, non intelligitur eam reuocaſſe *ex cap. licet de conſtit. in 6.*

Vtrum per legem ſequentem abrogetur conſuetudo antecedens, quid ſi ſubſequatur alia conſuetudo priori conſuetudini contraria? & quid ſentiendum in conſuetudine Eccleſiaſtica in tali caſu.

DIFFIC. XV.

Dico primò, quod regulariter conſuetudo antecedens non abrogatur per legem ſequentem, ſi Princeps ignoret talem conſuetudinem adeſſe, quia voluntas ferentis non fertur in incognitum, conſuetudinem vero non habet intentionem abrogandi, ſi eam Princeps, vel Superior ignoret, ex qua doctrina ſequitur, quod conſuetudo generalis antecedens abrogatur à lege vniuerſali ſubſequente, quia lex vniuerſalis præſumitur ſciri, & cognoſci à Superiore, ergo etiamſi nulla adſit derogatoria conſuetudinis antecedentis, ſi Princeps præſumitur ſcire conſuetudinem generalem, dum facit legem ex diametro oppoſitam conſuetudini generali, præſumitur eam velle abrogare, quod autem poſſit Princeps abrogare conſuetudinem patet *ex c.1. de conſtit. & c. cum conſuetud. de conſuetud. ita ex Rota deciſ.2. de reſcrip. in nouiſſ. Salas de legib. diſp.19. ſect.13. Suar. de legib. lib.7. cap.20. Clauis R. l.3. cap. vlt. Bonac. de leg. diſp.1. puncto vlt. §.3.* Verum

Dico ſecundò, quod conſuetudines ſpeciales locorum, quia cenſetur Princeps ignorare, non abrogat per legem vniuerſalem contrariam, niſi adſit derogatoria expreſſa talis conſuetudinis ſpecialis; ita *ex noſtro Angelo §.18. & Bonac. loc. cit. Sanch. l.7. c.20. n.7. & 8. Caſtr. Pal. T.1. diſp.3. tract.3. punct.1. §.1. n.1. vſque ad 7. Suar. l.6. c.17.*

Verum eſt tamen, quod per legem particularem Princeps localis, ſeu particularis abrogat conſuetudinem particularem ſui loci, quia non præſumitur ignorare conſuetudinem ſui loci particularis, hinc Epiſcopus poteſt ſuo ſtatuto particulari abrogare conſuetudinem ſuæ Diœceſis, quia præſumitur ſcire talem eſſe conſuetudinem, vt patet *ex cap. p. de conſtitut. in 6.* ſecus tamen dicendum de Principe vniuerſali, quia hic non præſumitur ſcire conſuetudines particulares omnium locorum, quare eas non abrogat per legem, niſi de conſuetudine particulari locorum per expreſſam, & ſpecialem derogatoriam mentionem faciat, etiamſi ſciret Papa, vt ex noſtro Angelo in calce præcedentis difficultatis dictum eſt; Ita etiam *Suarez, & Clauis R. loc. cit.*

Dico tertiò, quod conſuetudo ſubſequens generalis annullat præcedentem generalem, & conſuetudo particularis annullat præcedentem particularem in eodem loco, nam in diuerſis non ſunt contrariæ, ſicut etiam conſuetudini vniuerſali derogatur per particularem loci in eodem loco; & ratio eſt, quia ita comparantur inter ſe conſuetudines, ſicut leges, ſeruata proportione, vnde dicitur *in §. penultimo Inſtitut. de iure nat.* quod ea, quæ Ciuitas conſtituit, ſæpè

mutari

Digitized by Google

mutari ſolent, vel tacito conſenſu populi, vel alia poſtea lege lata, & ſicut hoc verum eſt de lege ſcripta à fortiori de iure non ſcripto, quia non minus, immo magis videtur poſſe mutari tacitus conſenſus per tacitum contrarium, quam expreſſus per tacitum.

Nota tamen hic, quod ſi conſuetudo compati poteſt cum lege, etiam ſi verba legis eſſent reſtringenda debent concordari, nam iuris correctio tanquam odioſa eſt vitanda, conſuetudo autem habet vim iuris, quare nitendum quantum fieri poteſt, vt leges, & conſuetudines concilientur, & ad concordiam reducantur.

Dico quartò, quod quando occurrit in materia Eccleſiaſtica, vel Canonica, quod conſuetudo ſit introducenda contra priorem conſuetudinem, dicendum videtur eo modò, quo dictum eſt ſupra Difficultate nona, quod ſcilicet ſicut conſuetudo non poteſt tollere ius Canonicum, & Eccleſiaſticum niſi ſit legitimè præſcripta, ita etiam dicendum, quod conſuetudo poſterior non poteſt tollere conſuetudinem Eccleſiaſticam, niſi legitimè ſit præſcripta, idem autem tempus probabile eſt requiri ad tollendam conſuetudinem Eccleſiaſticam priorem per poſteriorem, quod requiritur ad tollendum ius Canonicum per conſuetudinem.

Quantum autem tempus ſit neceſſarium ad præſcribendã conſuetudinem contra ius Canonicum, vide in Difficultate citata iuxta varias opiniones probabiles, quæ tibi ſententia magis arrideat, tutius tamen regulariter loquendo requiritur quadraginta annorum ſpatium in fauorem Eccleſiarum, vide etiam infra diffic. 17.

Vtrum Conſuetudo habet vim interpretandi leges, ſtatuta, priuilegia, & indulgentias.

DIFFIC. XVI.

DIco primò, quod conſuetudo dicitur vno modo interpretari legem, &c. Ita vt ſit fidele teſtimonium, & verior index germani ſenſus legiſlatoris, quia ex modo, & conſuetudine ſeruandi legem colligi poteſt tanquam ex probabili, imo quaſi moraliter certo argumento, quod talis fuerit mens legiſlatoris, qualis ex antiqua cõſuetudine practicatur, niſi aliunde de contraria mente clarius conſtaret, cuius argumenti tanta eſt efficacia apud Iuriſtas communiter, vt communius dicant legem interpretandam ſecundum loci conſuetudinem, quamuis neceſſum foret verba legis ſtrictius, vel minus propriè interpretari, vide *gloſ. in c. nonnulli de reſcript.* quam doctrinam extendit *Angel.* noſter ad indulgentias, & priuilegia *ex c. cum dilect. de conſuet. l. ſi de interpretatione ff. de legib. & notat Io. Andr. in c. quod dilectio de conſang. & aff.*

Dico etiam ſecundò, quod conſuetudo dicitur etiam alio modo interpretari legem tanquam ſcilicet cauſa concurrens ad introducendum, & ſtabiliendum aliquem ſenſum legis, eiuſque obſeruationem, qui minus fortè cum prima legiſlatoris mente congruat, vel plus, aut minus arrideat, & in hoc ſenſu Doctores aiunt, quod conſuetudo eſt optima legum interpres, vt firmauit *Sacra Rota Romana in vna Romana penſionis 14. Febr. 1583. & in vna Burg. quindemnor. die 5. Decemb. 1601. cor. Seraph. dec. 606. n. 17. & dec. 1410. n. 3.* probatur aũt ex eo, quod nõ eſt neceſſaria maior authoritas, nec expreſſior volũtas legiſlatoris ad legem intepretandam, quam ad ferendam nouam, vel ad latam abrogandam, aut derogandam, at verò conſuetudo poteſt legem abrogare, & derogare, ergo etiam eam poteſt interpretari.

Quare ſi quando lex ſit ambigua, vel ex verbis, vel ex materia quomodo obliget, & per ſe ſumpta in dubio foret in benigniorem partem interpretanda, tamen ſi conſtet conſuetudinem introductam ſub mortali obligare talem legem ex ſe dubiam, debet omnino ſtari conſuetudini eam ita interpretanti, & conſequenter ſub mortali obligare practicandum omnino. Vide *Naiar. cap. 21. nu. 51.*

Vtrum Conſuetudo introduci poſſit contra Legem Diuinam, vel poſitiuam quoad tollendam excommunicationem, vel labem ſymoniæ.

DIFFIC. XVII.

DIco primò, quod ad primam partem huius Difficultatis ſic præcisè reſpondet *Angelus noſter, §. 3. ex Panormit.* quod præcepta Dei quædam ſunt moralia, vtpotè, quæ mores inſtruunt, & informant, ſicut non occides, & honora Patrem tuum, & huiuſmodi, & in iſtis conſuetudo poteſt diſtinguere, limitare, & augere, ſi ratio naturalis ſuadeat, nec eſt peccatum, quia præſumendum eſt ſic Deum voluiſſe, cum noluerit per ſe omnes caſus diſtingoere, ſed dederit Regulas, & poteſtatem Vicario ſuo *ex 24. qu. 1.* quodcumque ligaueris, ſed vbi ratio naturalis nulla ſuadet, diſtingoere, ſeu limitare ius diuinum nulla lex poteſt, & minus conſuetudo, & contra faciens dicitur errare, & ſic intellige textum in *capit. ſunt quidem 25. queſt. 1.*

Quædam verò ſunt præcepta miſtica ideſt figuralia, & iſtorum quædam Sacramentalia, dequibus poterat ratio reddi ad litteram, vt de Circumciſione, & purificatione mulierũ poſt partum, quædam verò cæremonialia, de quibus ratio reddi non poterat quoad litteram, ſed ſolum quoad intellectum, vt non arabis cum boue, & aſino, & huiuſmodi, item quædam iudicialia ſunt, quæ non obligant hodie, & contra iſta valet conſuetudo.

Dico ſecundò, quod ad ſecundam partem huius Difficutatis reſpondendum eſt diſtioguendo cum noſtro *Angel. §. 10. & Vngarell. 16. ſch. R*, nam vel lex habens annexam excommunicationem, vel aliam cenſuram emanauit in fauorem priuatum & ſic poteſt tolli conſuetudine, ſicut poteſt tolli pacto, vel renunciatione vt patet *in l. de quibus, ff. de conſu.* aut emanauit in honorem Dei, aut fauorem publicum, & in hoc caſu, ſi ſubditi non ſeruauerunt eam ſuperiore ſciente, & non contradicente, cum æquè benè poſſet contradicere, & ſic conſuetudine tolli poteſt cenſura.

Limita tamen hanc doctrinam, quod ſi lex præceptiua ſit talis, vt contrarium facere ſit ex ſe peccatum mortale, nunquam poteſt tolli conſuetudine, quare ſi contrarium legis, vel ſtatuti non eſt de ſe mortale præciſa lege, vel ſtatuto, tunc conſuetudine contraria poteſt tolli cenſura, & excommunicatio, & facientes contra talem legem, vel ſtatutum non incurrunt cenſuram, ſi per binum actum contra ipſam fecerunt ſciente ſuperiore, & non contradicente, dum poteſt æquè benè contradicere, quod ſi ignorat ſuperior, requiritur tempus 40. annorum ſi eſt ius Canonicum, contra quod introducitur conſuetudo, ſi verò eſt ſtatutum Epiſcopi fortè ſufficiunt decem anni, vndè ante tale tempus requiſitum ad complendum conſuetudinem legitimam abrogantem legem delinquentes contra ipſam ſine rationabili cauſa ligabuntur culpa, & cenſura, nec obſta, ex quo tales peccauerunt, quod non potuit introduci conſuetudo, quia ſucceſſores poſſunt exiſtimare, quod iuſta cauſa non ſeruauerunt, facit Textus *cum olim de Cler. coniug. qu. vlt. c. cum multæ*, vbi loquitur dè legé pœnali abrogata per contrariam conſoetudinem; quod ſi prædeceſſores habuerunt legitimam cauſam non ſeruandi talem legem cum cenſura, ſic etiam nec peccauerunt, nec ligati fuerunt cenſura, facit, quod notat *Archidiaconus apud noſtrum Angelum loco cit. in c. Vtinam diſt. 76.* Vide *Cardin. in Prohæ. Clem. in c. 1. de Treu. & pa. in V. Vniuerſitatis qu. 7.* vbi ſicut refert noſter *Vngarell. quærit de q.* quam dicit fuiſſe de facto, Epiſcopus enim fecit conſtitutionem excommunicans mulieres portantes perlas, & à nulla muliere fuit ſeruata, & reſpondet, quod ſi ab aliqua non eſt recepta, & ſic fuit inducta conſuetudo contra legem ſciente Epiſcopo, tunc pœnam non incurrent *ex c. in iſtis cum ſi diſt. 4.* alias non vſus nihil operaretur.

Dico tertiò, quod poteſt vtique conſuetudine etiam introduci, quod aliquod exigatur pro ſpirituali abſque labe ſymoniæ, quando ſcilicet exactio ſolum inducta fuit ex mera deuotione ſpontanea, & mera populi liberalitate, ita vt exactio præcedens nullam dederit ex ſe vitioſam cauſam conſuetudinis, tũc enim conſuetudo introducta exigendi aliquid pro re ſpirituali ſeruãda eſt quia laudabilis ex ſe, facit *c. ad Apoſtolicam de ſym.* vbi dicitur compellendos ad laudabilem hanc conſuetudinem ſeruandam, ſi verò exactio præcedens vt vitioſa dedit cauſam con-

Digitized by Google

conſuetudini, puta quia à Clericis impoſita vt grauamen contra fideles, tunc cum habuerit initium vitioſum, & nullo modo laudabile, non eſt ſeruanda conſuetudo, ſed reijcienda, & ſic loquitur *Textus in c. cum in Eccleſia de ſym.* ſi benè ponderetur. Ita noſter *Ang. §. 12. & Vngarell. 16. ſch. E.*

Vtrum Conſuetudo poſſit abrogare pœnam legis manente obligatione legis, & è contra valeat abrogare legem manente obligatione pœna.

DIFFIC. XVIII.

DIco primò, quòd licèt negauerint multi apud *Caſtr. Pal. l. 2. de leg. pœn. c. 22.* non poſſe conſuetudinem abrogare pœnam in lege poſitam, manente obligatione legis, quia non videtur poſſe remitti pœna manente culpa, ſed tranſgrediens legem committit culpam, ſeu peccatum contra legem obligantem, ergo neceſſariò incurrit pœnam, quæ ſtatuitur pro culpa luenda, non ergo poteſt dimitti, vel tolli pœnam manente culpa, & obligatione legis, cuius tranſgreſſio ſicut culpam inducit, ita & pœnam; aliter delicta remanerent impunita.

Attamen probabilius videtur poſſe manere legis obligationem, & tamen tolli pœna, vel cenſura, etenim ſicut ſuperior poteſt tollere pœnã, & cenſuram à ſua lege relicta obligatione legis, ita, & conſuetudo, quæ poteſt abrogare totam legem, poteſt abrogare pœnam remanente ipſius obligatione, nec propter hoc remanerent delicta impunita, nam ſicut ſuperior poteſt tollerre pœnam à ſua lege, manente tamen eius obligatione propter iuſtos reſpectus, vt ſcilicet medijs magis opportunis delinquentibus occurrat iuxta varias temporum, & perſonarũ circumſtantias, ita etiam id poterit conſuetudo obtinere. Ita ex noſtro *Ang. & Vngar.* colligi poteſt *§. 9. & 10.*

Quare paſſim hæc opinio practicatur apud Sacros Canones, hinc per conſuetudinem contrariam hodie videntur excuſari ab excommunicatione lata *extrau. 1. de ſym.* contra dantes vel accipientes aliquid ob ingreſſum in aliquod Monaſterium, non tamen excuſantur à peccato, item olim filij Clericorum naſcebantur ſerui ipſo iure in pœnam paternæ incontinentiæ, *ex c. cũ multis diſt. 15.* & tamen per cõtrariam conſuetudinem abrogata eſt pœna manente tamen culpa, & ibi notat *gloſa*. Similiter in extrauag. 1. de rebu. Eccl. & in Clem. Ambitioſæ non alienand. variæ imponuntur pœnæ, & tamen in aliquibus locis per conſuetudinem contrariam ceſſant, manente tamen legis obligatione. Vide *Nauar. c. 27. n. 250. Suar. l. 7. c. 19. Salas diſp. 19. ſect. 9. Azor. T. 1. l. 5. c. 18. q. 10. Gordon. in ſum. T. 1. l. 2. qu. 14. c. 6.*

Dico ſecundò, quod quando pœna appoſita in lege ſupponit intrinſecè culpam, non poteſt conſuetudo abrogare culpam manente pœna, quia lex non poteſt abrogari quoad obligationem directionis, quin etiam derogetur quoad huiuſmodi pœnam, ſicut apparet in cenſuris Eccleſiaſticis latis ipſo facto incurrendis, in quibus pœna excommunicationis v. g. intrinſecè includit culpam, & inobedientiam, non enim videtur poſſe manere pœna ſcilicet excommunicatio lata ipſo facto, ſi non maneat culpa, & inobedientia, & contumacia, ob quam fertur vt patet. Vide *Vngarell. loc. cit.*

In alijs tamen pænis, in quibus culpa non eſt de intrinſeca ratione, & multotiens à legislatore in ſuis legibus ſeparatur culpa à pæna, itavt aliquando velit incurri pæna, & non culpa, puta ſi ſtatuat, vt ſub pæna centum aureorum nemo abſtrahat frumenta ab Vrbe, poterit legislator in hac lege obligare ad pænam ſoluendam, et non ad culpam mortalem, poterit etiam conſuetudo introducere, quod incurratur ſolum pæna, & non culpa, licèt mens legislatoris fuerit obligare ad vtranque; poterit enim conſuetudo hæc incohari hoc modo, quod homines paſſim incipiant tantum legi obedire, vt comprehenſi contra ipſam facientes luant pænam appoſitam, ita bonum exiſtimantes pro bono publico, & recto regimine, non tamen ſe credant, & cenſeant culpæ mortali adſtrictos, & quamuis ab initio tales peccaſſent, tamen ſi voluntas tacita Principis hanc veniam permiſiſſet, vel legitima præſcriptione fuerit firmata tali conſuetudo, iam omnes ea vti poſſent ſine ſcrupulo, quia ex cõſuetudine legitimè introducta fieri poteſt, vt ſubditi à culpa liberentur contra facientes legi, licèt ad pænam eiuſmodi legis teneantur. Ita colligi poteſt ex noſtris *Angelo, & Vngarell. loc. cit.* & tradunt expreſſius *Suar. l. 7. cap. 19. Sanch. l. 7. c. 4. Azor. T. 1. l. 5. cap. 17. qu. 10. Pontius l. 6. c. 6. num. 9.* & alij.

Vtrum ex actibus meræ facultatis introducatur Conſuetudo, poſſitque introduci vt contra voluntatem propria bona eripiantur.

DIFFIC. XIX.

DIco primò, quod conſuetudo ex actibus meræ facultatis non inducitur, prout eſt ius priuatum in præiudicium facientis, hinc *ex Innoc. in c. bonæ 7. de poſtulat. prælat.* recepto de longe venienti non acquiritur poſſeſſio, nec conſuetudo, licèt pluries fuerit recepta, & *Bart. in l. cum de in rẽ ff. de vſur.* dicit, quod licèt Ruſticus dederit vnum par caponum ex liberalitate per decennium, non tamen contra ipſum acquiritur conſuetudo, ſimiliter ſi quis iuit ad Molẽdinum Petri per multas vices, ſeu annos non introducitur cõſuetudo contra ipſum, quia actus meræ facultatis priuatorum non habent vim introducendæ conſuetudinis. Ita noſter *Angel. hic §. 5.*

Dico ſecundò, quod nec introducitur conſuetudo contraria aduerſus habentem priuilegium actus meræ facultatis, ſcilicet faciẽdi aliquod quandocumque voluerit, licèt tali facultate non vtatur per mille annos, vt eſt in iure piſcandi in fluminibus & lignandi in ſiluis publicis, modò non probetur fuiſſe reſtricta, vel derogata talis facultas, quia ex tempore prohibitionis incipit currere conſuetudo contraria. Ita *Menoch. de arbitr. caſu 44. & caſ. 160.* per totum, & *Nald. Verb. conſuetudin. num. 8.*

Dico tertiò, quod licèt lege aliqua humana introduci nequeat, quod furtum ſit licitum, poteſt tamen conſuetudine introduci, vt bona propria in aliquo caſu contra voluntatem ſuam diripiantur, nam in furto non poteſt cohoneſtari actus ita vt ſit licitus, cum intrinſecè ſit malus, at verò quod bona aliquando contra voluntatem diripiantur, poteſt cohoneſtari ratione boni publici, quod priuato anteponendum, hinc conſuetudine introduci poſſe, docet *Nauar. in c. inter verba 2. q. 3. concl. 6. & tract. de leg. pæn. nu. 40.* vt liceat impunè depaſcere non ſolum herbas ſpontaneas, ſed etiam triticeas ſatas in territorijs non ſeptis. Vide *Nald. loc. cit.*

Vtrum in omni pacto intelligatur actum, quod eſt conſuetum, & an in negotijs attendenda ſit conſuetudo locorum, & in iudicio conſuetudo perſonarum.

DIFFIC. XX.

DIco primò, quod in omni pacto intelligitur actum quod eſt conſuetum *ex l. ſemper in ſtipulationib. ff. de re Iud. vbi gloſ.* ponit exemplum, ſi vendo tibi librum pro decem, ſi tu intelligas de Venetis, & ego de Vngaris, ad conſuetudinem pro veritate recurrendum, & *Bald. in l. liberti c. de oper.* ſi ait, quod qui conduxit operarios alio non expreſſo, tenetur eis prouidere in expenſis, & ferramentis ſecundum, quod eſt conſuetudo, & non aliter, allegat *l. ſi prius, §. placuit, c. locat. & Bart. in l. nemo eſt, qui neſciat, ff. de duob. reis,* dicit, quod ſi conſuetudo eſt, quod Doctor legat per ſubſtitutum, intelligit, quod iſtud poſſit, licèt nunquam ſit actum. Ita *Angel. noſt. §. 14.*

Dico ſecundò, quod conſuetudo agentium in loco, vbi quis commoratur, ſemper eſt attendenda in negotijs, hinc ſi commodatarius remittat Equum iuxta conſuetudinem loci in ſtabulum commodantis, ſi caſu poſt remiſſionem ad ſtabulum præfatũ à latronibus ſurripiatur, ad nihil tenetur commodatarius, quia ſecundum conſuetudinem loci operatus eſt, ſibi imputabitur commodans, quod ſtabulum ſuum non cuſtodierit. Vide *Nald.* hic.

Dico tertiò, quod in iudicijs maximè attendi debet conſuetudo benè, vel malè operantium, vndè conſuetudo ipſorum reſpectiuè declarare poteſt in dubio, quis ipſorum benè, vel malè operatus fuerit, quare ſi duo reperiantur vulnerati, nec poſſit ſciri quis eorum prius fuerit aggreſſor, debet præſumi is fuiſſe prior in aggrediendo, qui ſolitus erat rixari, & alius non ſolitus rixari, quod fecerit ad defenſionem: ita *Bald. in l. 3. c. de Epiſc. And. & Nald. hic n. 18.*

An in materia præcedentiæ, & numeri teſtium in teſtamento attendenda ſit loci Conſuetudo, quid ſi Doctor alleget conſuetudinem, ſit ei credendum.

DIFFIC. XXI.

DIco primò, quod in hac Difficultate, an conſuetudo ſit attendenda in materia præcedentiæ, an verò ius commune ſeruandum non eſt eadem Doctorum ſententia, ſed inter ſe ſe mirificè pugnant ex diametro, etenim conſuetudinem ſeruandam eſſe, quando contra ius commune minus dignus præfertur digniori, etiam ſi foret immemorabilis, videntur negare *Ruinus conſilio* 155. *numer.* 11. *leg.* 4. *Menoch. conſ.* 126. *numer.* 31. *in fin. &* 32. & ita firmauit *Rota coram Sanctiſſ. infra deciſ.* 310. quia conſuetudo hæc quod præferatur minus dignus magis digno contra ius commune, puta, quod Archiptæsbiter præcedat Archidiaconum, quia de iure communi eſt maior Archipresbitero, vt patet *ex c. ad hac de offic. Archid. & c.* 2. *de offic. Archipr.* eſt omnino irrationabilis, & potius corruptela.

Attamen ſeruandam eſſe conſuetudinem in materia præcedentiæ, etiamſi iuri communi repugnet, quod ſcilicet minus dignus præferatut magis digno aſſerunt *gloſ. in c.* 2. *V. auſculteiur in fin de offic. Archid. Corneus in conſ.* 193. *nu.* 4. *l.* 2. *Felin. in c. ſtatuimus de maior. & obed. Riminal. iun. l.* 1 *conſ.* 95. *nu.* 22. & ita determinatum *à Sacra Rota multoties*, & præcipuè in vna *V valdenſi praeminentiarum die* 20 *Iunij* 1603. *coram Ludouiſio*, qui fuit poſtea *Greg. XV. deciſ.* 124. *nu.* 2. vbi eius additionator *Oliuer. Beloraminus n.* 4. *litt. A*, ſic ait, quod attendatur conſuetudo in materia præced. aſſerit *Cardin. contr.* 62. *nu.* 1. *Natta conſ.* 61. *in fine, Menoch. conſ.* 51. *nu.* 89. *Rota deciſ.* 196. *p.* 4. *in Recent. Seraph. deciſ.* 964. & fuit dictum in *Pampilonenſi praeminent.* 17. *April.* 1591. *coram Cardinal. Pamphil.* &c.

Verum poteſt dici pro concordia vtriuſque opinionis, quod prior opinio eſt vera, quando conſuetudo in omnibus caſibus abſolutè, & in omnibus locis ſine rationabili cauſa præferretur minus dignus magis digno, quia ſanè tanquam irrationabilis eſſet reijcienda tanquam iuri communi, & rationi contraria, attamen in aliquo caſu particulari concurrente aliqua qualitate, vnde rationebilis cauſa oriretur, vt minus dignus præferatur magis digno ex antiqua conſuetudine, liceo contra diſpoſitionem iuris communis, eſt omnino amplectenda, & ſequenda, quia rationabilis poteſt eſſe ratione alicuius officij dignioris attributi Archipresbitero in tali Eccleſia, vel alterius legitimæ cauſæ fundationis, vt precedat Archidiaconum; exemplum ponitur huius ab *Alexand. conſ.* 142. *viſo proceſſu l.* 6. in ciuitate Paduæ, vbi Archipresbiter præcedit Archidiaconum ex antiqua conſuetudine, & ſic inſtallat Abbatiſſas exemptas, & beneficiatos in ciuitate, Archidiaconus verò beneficiatos extra ciuitatem, quæ cum fuerit præſcripta per annos quadraginta, legitima eſt, & ſeruatur, alioquin ſi non foret præſcripta per annos quadraginta, non ligaret, quia contra ius commune canonicum quadraginta annis ſolum præſcribitur, quicquid *Beloramin. loc. cit.* dicat ſufficere ſpatium decem annorum; tu tamen vide, quæ dicta ſunt ſupra pro hoc puncto.

Dico ſecundò, quod vt dictum eſt in ſuperiori difficultate in negotijs gerendis, & ſtipulationibus faciendis, poteſt ſequi conſuetudo loci, quare ſi in aliquo loco adeſſet conſuetudo, vt minor numerus ſeptem teſtium, qui à lege requiruntur, ſit ſufficiens ad firmandum teſtamentum, valida eſt, regula enim eſt, quoad ſolemnitatem actus, aſpiciendam eſſe conſuetudinem regionis *l.* 1. *in fin. ff. de ventr. inſp.* præterea ſtatutum poteſt inducere, vt teſtamentum valeat cum minori numero, ergo etiam hac poteſt conſuetudo, quæ ſtatuto, & legi æquiparatur *ex l. omnes populi, ff. de iuſtit. & iure.*

Præterquam quod non videtur abſolutè eſſe contra ius, quod teſtamentum valeat cum minori numero teſtium, nam de iure canonico poteſt ſuſtineri teſtamentum conditum a Parocho cum duobus teſtibus ex *c. cum eſſes, & c. cum relatum de teſtam.* immò validum eſſe teſtamentum ampliant Doctores, ſi conditum ſit coram quatuor teſtibus ſine Parocho, quatenus alij duo teſtes ſupplent præſentiam Parochi. Ita *Abb. in d. c. cum eſſes n.* 10. *ibid. Didacus n.* 13. *Roland. conſ* 92. *nu.* 44. *deg.* 3. vbi adducit *Alexand. atteſtando de communi cum late adductis per Clarum §. Teſtamentum qu.* 56. vide *Diana* 6. *p. tract.* 5. *reſ.* 30.

Dico tertiò, quod in foro fori communiter volunt Doctores non credendum Doctori alleganti conſuetudinem, vt firmatum eſt in vna *Roman. Theſauri die* 3. *Iulij* 1606. *coram Ludouiſio, qui fuit poſteà Gregorius XV. deciſ.* 278. *& in vna Parmenſi die* 14. *April.* 1600. *coram Seraph. deciſ.* 1349. *& noſter Villalob. in ſum. T.* 1. *tract.* 2. *diffic.* 29. *nu.* 11. licèt probabilem videatur aſſerere contrariam opinionem ſcilicet credendum Doctori teſtanti de communi conſuetudine iuxta ſententiam Bartoli, Gomez, Maſcardi, & aliorum, attamen priorem à Rota firmatam veriorem putat ſcilicet non credendum, limitat tamen, quia ſi Doctor teſtificatur de conſuetudine proprię ſuę ciuitatis, vel loci, ſi non concludenter, ſaltem præſumptiuè credendum modo Doct. ſit excellēs de ſua patria cōſuetudinem allegans, ita docent *Sanch. T.* 2. *l.* 7. *diſp.* 17. *& Salas de leg. diſput.* 19. *ſect.* 18.

An verò in foro conſcientiæ poſſit tute credi Doctori atteſtanti de conſuetudine abrogante aliquam legem, ita vt poſſit lex tute non ſeruari, affirmandum puto ſi Doctor ſit excellens, nam authoritas alicuius Doctoris præcellentis facit probabilitatē, iuxta limitationes ponendas alibi, & maximè, modò apertè non coſtet contrarium euidenti aliqua ratione, vel iure, quod autem probabile eſt poteſt tute ſequi in foro conſcientię. Ita etiam *Suarez lib.* 3. *c.* 11. *de legib. n.* 8. *Salas de legibus loco citato ſect. c.* 8 *diſp.* 19 *Granado in p.* 2. *D. Tho. controu.* 7. *tr.* 3. *p.* 2. *diſp.* 16. *ſect.* 1. *& Diana tr.* 5. *p.* 6. *Reſolut.* 28. & alij.

Vtrum Conſuetudo portandi pectus, & vbera nudata à mulieribus in aliqua Patria recenter de nouo inducta ſit peccaminoſa, & ſub mortali tam à ſuperiore Eccleſiaſtico, quam ſeculari extirpanda.

DIFFIC. XXII.

VT in hac perplexa, *difficili, vtili* tamen Difficultate vnuſquiſque aperte colligat, quid ſecundum æquitatem, & veritatem ſit dicendum.

Suppoſito primò, quod fœminæ publicè portent nudata pectus, & vbera, abſolutè malum, in decorum, & naturaliter vitioſum eſt exiſtimandum à quocumque, qui à craſſiori ſenſualitatis tenebra naturalis rationis lumen non habet offuſcatum, quod patet ex eo, quia, quod fæminæ portent nudata vbera, & pectus eſt contra rectitudinem naturalis honeſtatis, quæ nuditatem reliquarum partium præter manuum, pedum, & vultus etiam in hominibus, tanto magis in fæminis exoſam habet, hinc pueri, & puellæ ante vſum rationis non verentur nudata membra monſtrare, vbi autem vſus rationis creuerit natura dictante pudet eos nudata membra deferre, vnde communiter veſtibus totum corpus tegentibus iuxta varietatem Regionum omnes vtuntur tanquam naturali honeſtati conſonum, quare Deus primos noſtros parentes ſtatim atq; poſt peccatum nouerunt ſe nudos eſſe, tunicis pelliceis veſtiuit, vt iuxta naturalis honeſtatis dictamen nulla pars corporis præter vultum, manus, & pedes nudata maneret ſed honeſtè obtecta, tunica enim, ſi Iſidoro credimus eſt veſtis a radice colli totum corpus vſque ad calcaneos contegens, patet ergo honeſtati naturali competere tam viris, quam feminis membra contecta deferre.

Nec obſtat quod apud Braſiliam tum viri, quam fęminæ nudi incedant ex eo quod ſi natura id abhorreret, naturaliter erubeſcerent ita incedere, dum ergo non erubeſcunt nudi incedere, ſignum eſt, quod non ſit contra honeſtatis naturalis rectitudinem, nam ijdem qui referunt Braſilienſes nudos incedere, etiam aſſerunt Braſilienſes eſſe gentes ſtolidas, & ad beſtiarum modum viuere, nil ergo mirum ſi contra rectitudinem naturalis honeſtatis, quam communiter gentes cognoſcunt, ipſi ſolum nudi incedant quaſi perfecto rationis lumine non vtentes.

Manet ergo firmum nudata membra portare eſſe contra rectitudinem naturalis honeſtatis, tanto magis eſt contra rectitudinem naturalis honeſtatis in fœminis, in quibus natura ipſa maiorem inſeruit rationem pudoris, & verecundiæ, itaque quod fæminæ portent nudata vbera, & pectus eſt abſolutè malum, & in decorum contra rectitudinem naturalis honeſta-

neſtatis, quod *S. Baſilius* etiam docuit, qui apud *Gabriel. Aluarez in c. 3. Iſai.* ita loquitur, *Mundus eſt quidem muliebris, & ipſe demiſſus, & in pectus deſcendens laxatis, ac mollibus catenulis perpendens, qui omnibus ſit conſpicuus, neceſſe prorſus eſt, vt quæ circa pectus ſunt partes à indecore denudentur.*

Suppono ſecundò, non ſolum eſſe malum, & vitioſum contra rectitudinem naturalem, ſed etiam moralem, portare fœminas publicè pectus, & vbera nudata, patet ex eo, quod talis modus incedendi eſt contra pudicitię virtutem, qua, vt S. Auguſtinus 14. de Ciuitate Dei loquitur, quis verecundatur de actibus, de quibus homines honeſti magis verecundantur, at verò nudata membra homines honeſti, & præcipuè pectus, & vbera verecundantur communiter denudata portare tanquam inhoneſtum, & ferè ad Venerem prouocatiuum, ergo contra virtutem pudicitię eſt, quod pectus, & vbera denudata portentur, tanto magis à fœminis ſaltem iuuenibus, quia prouocatiuum eſt ad libidinem tale genus nudationis pectoris, & vberum muliebrium, & ideo vt mos impudicus, & inhoneſtus contra moralem pudicitiæ virtutem fuit cognitus, & damnatus etiam ab Æthnicis, hinc ſi Nonio credimus apud antiquos Aethnicos ideò adoleſcētes fœminæ præcipuè vtebantur ſtrophio, quod erat genus faſciæ pectoralis breuis, quæ mammillarum tumorem cooperiebat ad oſtendendam pudicitiæ fœmineæ virtutem, & de ſimili faſcia pectorali loquitur Dominus apud Iſai. c. 3. erit pro criſpanti crimine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium, & apud Ierem. c. 2. 32. nunquid obliuiſcitur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ.

Munus autem huius faſciæ pectoralis quod nam fuerit docet Hieron. de Sopranis in Dauid digreſſ. 1. diſp. 3. c. 1. §. 7 hiſce verbis. *Vt nuda pectora verecunde tegerentur, & etiam ne papillæ nimis turgerent, illis ob id impudica non vſa, quibus nulla cura pudoris, hinc ſine Zona, vel faſcia mulier pro impudica, vel ſaltem pro non Virgine habebatur, quod nullum impudicitia certius argumentum in fœmina, quam impudentia, impudentia autem nulla maior, in illa, quam mamillas exertas, oſtendere, nec inde pudore ſuffundi in cotidiano cultu.*

Hinc Aethnicas fœminas ad virtutem pudicitiæ oſtentandam non ſolum pectus, & vbera, ſed etiam faciem contexiſſe docet Tertullianus, de veland. Virgin. his verbis contra impudentiam Chriſtianarum mulierum in cap. 17. *Iudicabunt vos fœminæ Athnicæ, quæ faciem quoque ita tegebant, vt vno oculo libero contentæ ſint dimidia luce priuari, quam totam faciem proſtituere*, libet etiam hic ad hanc firmandam doctrinam contra fœminas Chriſtianas, earumque maritos tantum impudicitiæ modum in ipſis permittentes adducere exempla coniugalis pudicitiæ zelum demonſtrantia, quorum vnum refert *Tacitus Annal. lib. 14. de Poppæa Sabina, de qua ſic ſcribit, quod rari greſſus eius in publicum, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat*, heu nos miſeros, & Chriſtianæ mulieres pectus, & vbera mōſtrare nō erubeſcunt, alterum refert *Valer. Max. l. 6. cap. 3.* quod Caius Sulpitius Gallus vxorem ſuam tanquam impudicitiæ ſuſpectam dimiſit, quod eam capite aperto foris verſatam cognouit, quid ſi apertum pectus, & nudata vbera repertiſſet portaſſe per publicas plateas? ergo tanquam moraliter inhoneſtum, & impudicum ſaltem ex Aethnicorum exemplo morem hunc nudationis vberum, & pectoris in fœminis diſcant Chriſtiani coniuges, atq; adeò vt vitioſum contra honeſtatem omnino damnent, & extirpent.

Suppono tertiò, quod fœminæ portent pectus, & vbera publicè nudata ſaltem ſit venialiter peccaminoſum, patet ex hucuſque dictis, quia contra rectitudinem naturalis honeſtatis, & virtutem pudicitiæ inordinatum actum committunt; Adde quod faciunt contra præceptum D. Pauli 1. Thimot. 2. *Volo ſimiliter, vt mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe*, quæ verba explicans *Chriſoſt. homil. 17. in Matth.* ait, *habitum profectò tunicam vndique honeſtam, & compoſitam ſignificari voluit, ornatum, non exquiſitum, ſed moderatum, hic enim ornatus habitus eſt, ille autem fœdus*, itaque cum habitus mulieris ex D. Paulo debeat eſſe tunica, quæ, vt ſupra dixi eſt veſtis contegens à radice colli totum corpus vſque ad pedes, ſi aperiatur vt pectus, & vbera monſtrentur contra intentionem D. Pauli dicendus eſt hic modus, & ſanè nec habitus ornatus cum verecundia eſt cenſendus, iuxta Apoſtoli verba, ergo ſaltem vtpote contra D. Pauli mentem eſt dicendus actus inordinatus hic, quod fœminæ publicè portent pectus, & vbera nudata.

Hanc autem ſententiam non ſolum noſtri *Alenſis*, *Angel.* & alij inſtacitandi, ſed etiam communiter Theologi illi, qui à peccato mortali excuſant fœminas portantes vbera, & pectus nudatum, quia ferè ſinguli in eam ſententiam concurrunt, quod in locis, in quibus hæc conſuetudo non viget, nullo pacto introducenda, ergo ſecundum ipſos eſt per ſe mala, & peccaminoſa, hinc *Graff. l. 2. deciſ. aur. c. 76. nu. 2.* licèt excuſet eas à mortali, attamen venialiter peccare docet tales fœminas, quia talis habitus minus caſtus communiter habetur.

Suppono quartò, quod exiſtimanda omnino improbabilis opinio eorum, qui à mortali excuſant fæminas præciſo etiam omni malo fine mortali, ſed ſolum ob leuitatem fœmineam portantes vbera, & pectus nudatum, vbi nulla eſt conſuetudo ex eo, quod talis portatio ſit ex ſe indifferens ad bonum, & malum, & nullo modo putent eſſe abſolutè malum moraliter, nā ſupra probatum eſt ſufficienter eſſe ſaltem ex ſe venialiter vitioſum, & peccaminoſum vtpote contra honeſtatis naturalis, & moralis rectitudinem, & contra mentem D. Pauli.

Abſolutè ergo addo in præſenti dicendum abſolutè mortale peccatum committere fæminas portantes pectus, & vbera nudata notabiliter. Ita noſter *Alenſ. 2. p. q. 37. a. 12 Angelus V. ornatus, 1. 3. Piſanella 16. nu. 3. Roſella 16. n. 13. Bernardin. de Buſto p. 2. Roſar. ſer. 28. p. 3. lit. L. S. Antonin. in ſum. p. 2. Tit. 4. c. 5. & 3. Auguſtin. Mazzinus de ornatu ſuperfluo cap. 23. Hieron. Sopran. in Comment. Dauid digreſſ. 1. diſp. 3. c. 2. §. 2.* & nouiſſimè acriter, & vndequaque non minus piiſſimè, quā doctiſſimè inueni hanc ſententiam tueri *Albertum de Albertis in Paradoxis de ornatu mulier diſp. 2.* & ex eo potiſſimè.

Probatur, quod nudata vbera, & pectus portēt publicè fœminæ maximè adoleſcentes ſaltem quadragenariæ eſt prouocatiuum efficax plurium ad libidinem, & luxuriam, ſaltem ad eas mortaliter concupiſcēdas, quia nimis laxiuus pectoris candor, & tremula vberum mollities aſpectui hominum dum præſentantur feruentes ita ſtimulos acuunt ad veneream delectationem in parte ſenſitiua, vt in multis ſit efficax cauſa, vt ad eas lætiferè concupiſcendas exardeſcant, vt conſtat non ſolum ex hominum prudentium iudicio, & continua experientia, & pręcipuè Confeſſarij in praxi generaliter loquendo, multos ex hac occaſione in mortalia prolapſos ſanè experiuntur; vndè *Clem. Alexand.* piè admodum *l. 2. Pedagog. c. 2.* docet, *Quod nullo modo permittendum eſt mulieribus, vt appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur, hi quidem, vt qui ad videndum incitentur, illa verò, vt quæ in ſe virorum intuitum attrahunt*, quare cum ſint fœminæ portantes pectus, & vbera aperta, & nudata occaſiones efficaces, quæ homines ad peccata mortalia attrahunt, etiam mortaliter eas peccare abſolutè dicendum eſt; vt dicetur fuſius. V. Scandalum.

Confirmatur propoſitum ex hac efficaci vt puto, ratione. Quia ſicut ſe habet tactus ad obiectum tangibile, ita aſpectus ad obiectum viſibile, ſed tactus mamillarum nudatarum muliebrium in hominibus eſt mortalis, ergo aſpectus mamillarum muliebrium eſt mortalis, maior patet, quia tactus faciei muliebris quantumuis pulchræ non eſt de ſe mortalis, præciſo omni alio malo fine, vt ex noſtris Alenſi, & Angelo dicetur V. tactus, quia ex ſe non eſt notabiliter prouocatiuus ad Venerem, ita nec aſpectus faciei fæminarum eſt de ſe mortalis, è contra verò, quia aſpectus pudendorum alienorum in vtroque ſexu reſpectiuè eſt de ſe mortalis vtpotè prouocatiuus notabiliter ad Venerem, ita etiam aſpectus pudendorum alienorum in vtroq; ſexu reſpectiuè eſt mortalis, qui eſt etiam prouocatiuus ad Venerem notabiliter, vt probabo V. Tactus, cum præfatis noſtris Doctoribus, & alijs, quos citat, & ſequitur *Granado 1. 2. cont. 6. tract. 4. diſp. 7. nu. 5.* Vnde interim puto non audiendum *Baldell. T. 1. l. 3. diſ. 16. nu. 3.* aſſerentem, quod aſpiciens pudenda alterius ſexus etiam cum magna commotione ſpirituum, modo abſit delectatio, & conſenſus in Venerem non peccare mortaliter, videtur enim eſſe caſus metaphyſicus, quod ad magnam commotionem ſpirituum ſecutam ex aſpectu pudendorum non ſequatur delectatio mortalis, vel ſaltem probabile periculum peccandi, patet ergo certiſſimam eſſe maiorem noſtri aſſumpti, minor autem etiam clara eſt, nam tactus mammillarum muliebrium, vt ſenſualiſtę teſtātur, prouocat notabiliter ad coitum ex eo quod ſunt membra magis laſciuæ rationis mollitiei, & habent quandam inſinuationem ad partes pudendas propter maiorem vicinitatem ad ipſas vnde, aſpectus earū

etiam

Digitized by Google

etiam ſequitur, quod ad venerem nótabiliter incitet ad pudendorum memoriam, & veneream delectationem, & concupiſcentiam; & conſequenter fæminæ portantes vbera, & pectus nudata dant efficacem,& proximam occaſionem viris mortaliter peccandi, licèt id ipſæ non intendant, ergo tanquam proximæ cauſæ efficaces,vt alij mortaliter peccent, & ipſæ certiſſimè mortaliter peccant; etenim ſicut fæmina dans occaſionem homini,vt eius tangat vbera peccat mortaliter, quia dat occaſionem alteri mortaliter peccandi, ita etiam fœmina præbens occaſionem vt ſua vbera nudata aſpiciantur peccat mortaliter, quia dat occaſionem proximam, vt alter ad peccatum prolabatur.

Dices primò, quod ſeniores portantes vbera nudata non moucnt ad venerem,ergo ſaltem iſtę non peccant mortaliter.

Reſpondc. quod ſeniores ſaltem peccat mortaliter quia ſuo malo exemplo iuuenes ad ita impudicè procedendum inducuntur,& fouentur.

Dices ſecundò,quod etiam mulieres pulchrę facici ſunt cauſa,vt multi eas mortaliter concupiſcant,& tamen præciſo omni alio prauo fine non peccant, ſi publicè incedant cum vultu diſcooperto, ergo nec peccāt ſi cum vberibus nudatis ambulēt publicè,licèt forent cauſa,vt aliqui peccent mortaliter.

Reſpond. eſſe diſparem rationem, quia pulcritudo naturalis faciei præciſo omni fuco nō mouet notabiliter ad Venerem, cum inſinuationem nullam habeat ad pudenda,& eſt ſolum obiectum delectabile honeſtum, vnde incedens fæmina cum facie pulcra naturaliter dat operam rei licitæ, & per accidens eſt,quod aliqui ex eius delectabili honeſta pulcritudine ad Venerem notabiliter accendatur,at vero portans vbera,& pectus nudata dat operam rei illicitæ, quia iſta nudatio eſt per ſe impudica,& prouocatiua ad Venerem propter inſinuationem quam habent vbera,& pectus ad pudenda, quibus magis proximantur, quam vultus, vnde ea nudata portans eſt per ſe proxima cauſa ruinæ ſpiritualis ipſa aſpicientium ſaltem vt plurimum.

Dices tertiò, quod puella ſciens certè ſe à quodam iuuene ad venerem ex ſui inſpectione incitari efficaciter non tenetur cum ſui incommodo ſpirituali, & corporali ſe domi ſemper continere, ne in illum incidat, ergo fæminæ cum incommodo notabili ſuæ pulcritudinis oſtentandæ non debent ſe intra domum continere ſemper,vt nequeant pectus,& vbera nudata portantes in publicum prodire, licèt ſciant multos in confuſo ex tali nudatione in venerem lapſuros.

Reſpond. quod quicquid ſit de antecedente, quod inf. V. Scandalum fortè ventilabitur,ſuppoſito tamen quod pudico,& honeſto ornatu incedat, non tenetur ſe domi continere cum graui incommodo ſuæ ſalutis ſaltem ſpiritualis, eſt tamen diſpar ratio, quia talis puella pudico, & honeſto ornatu incedens dat operam rei licitæ cum licito ornatu, & conſequenter ex ſe non dat ſcandalum actiuum, nec tenetur cum ſuo incommodo ſpiritualis ſuæ ſalutis vitare ſcandalum paſſiuum aliorum, vt docent communiter Doctores & præcipuè inter antiquos, & S. Doctores *Celeſtinus V. Papa in ſua ſum. p.1.c.11.* dum nullo modo ipſa concurrit actiuè, at verò fæmina nudata pectus, & vbera portans dat ſcandalum actiuum, quia eſt per ſe cauſa peccati, vt ex dictis patet, & cum pectore, & vberibus cōtectis poteſt ad ſua negotia procedere cum maiori honeſtate, & minori ſcandalo, nec vlla adeſt neceſſitas, vt ſuam pulcritudinem inhoneſtè,& impudicè cum aliorum ruina ſpirituali oſtentet,vt ſuppono ex infra dicendis.

Dices quartò,quod per accidēs eſt,quod aliqui ex inſpectione nudatorum vberum peccent mortaliter,cum multi ſint,qui non peccant,ſi ergo eſſet cauſa per ſe peccati,omnes inſpicientes ea peccarent, non tenetur autem quis vitare quod eſt per accidens aliorum cauſa peccati.

Reſp. quod iam probatum eſt nudationem vberum, & pectoris in fæminis eſt per ſe prouocatiuam ad Venerem, vndè quod multi non cadant ea inſpicientes eſt per accidens, quia à diuinæ gratiæ auxilio, vel alio habitu moralis virtutis perfecto retrahuntur, ne iuxta tale prouocatiuum nudatorum vberum Veneris delectationem ſentiant, vl conſenſum præſtent, ex ſe autem à tali inſpectione haberent iam motiuum efficax incidendi in veneream concupiſcentiam. Hiſce ergo ſuppoſitis.

Dico primò, pro reſponſione ad principalem difficultatem, quod conſuetudo de nouo introducta vt fæminæ portent pectus, & vbera nudata eſt mala, vitioſa, & mortaliter peccamino ſa; Hanc concluſionem non ſolum defendunt Doctores citati putantes mortaliter peccare fæminas portantes vbera nudata, & pectus ex antiqua iam conſuetudine introducta, verum etiam qui eas excuſant ratione antiquæ conſuetudinis iam præſcriptæ à mortali volentes nullo modo de nouo introducendam eſſe hanc conſuetudinem, vtpotè incitatiuam ad Venerem. Ita *Caietan 2.2. quaſt. 69. artic.2. Nauar.cap. 23.num. 19.Graff loc.citat.Bonac. de matrim.quaſt.4. punct.9. num.22.Leſſius l.4 de iuſtit.cap.4.dub.14. Azor.part.2.leg.12. cap.18.quaſt.13.Layman l.2.tract.3.cap.13.num.11.Filiuc.tractat. 30. l.10. Baldell.T.1. diſput. 5.* qui omnes licèt excuſent à mortali fæminas portantes ex conſuetudine antiqua pectus, & vbera nudata, attamen omnes clamant nullo pacto introducendam de nouo, imo multi docent extirpandam eſſe. Hinc

Azorius loco citato concludit hiſce verbis omnes conueniūt, vbi non eſt talis, non debere admitti, & peccatum eſſe tali veſtitu vti, & rationem reddunt, quia verè prouocatiuus, *eſt talis modus, & per ipſum iuuenum animi maxime molleſcunt,* vt loquitur Caiet. vbi ſupra, quia vt *modus inſolitus* maximè mouet ad Venerem, vt docent, Bonac. & Leſſius, & quia probabile eſt,multos ſcandalum paſſuros ex tali modo portandi vbera nudata,vt docet Layman, quod etiam inſinuant volètes mulieres vtentes habitu immodicè ornato peccare mortaliter, quia prouocatiuus eſt ad venerem huiuſmodi ornatus immodicus, & omnino impudicus, vt clamant noſtri *S.Bernardinus Senenſis, Alenſis, Aſtenſis, & Gordonus,& D.Tho. S. Antoninus,Suarez,Tiraquellus,Mazinus,Hoſtienſis, Panormitanus,Granado,*& alij, quos ſuſius referemus. V.Ornatus, etenim portare vbera nudata magis prouocatiuus eſt ad Venerem,quam extrinſecus ornatus immodicus,& ſuperfluus vt patet experientia.

Dico ſecundò, quod Superiores tam Eccleſiaſtici, quam ſæculares ſub mortali hanc conſuetudinem prauam, & impudicā de nouo introductā tenentur ſupprimere,& extirpare, & de ſæcularibus ſuperioribus probatur ex eo,quod cōſuetudines contra honeſtatem, & pudicitiam naturali vel morali lumine, vel dictamine notas tenentur ex vi ſui muneris extirpare, quia obligantur vitia contra bonum publicum inſurgentia tollere, & abolere per pœnas propoſitas contra talia introducentes, & fouentes, vt ex communi Theologorum, & Caniſtarum non ſolum, ſed etiam Polyticorum teſſera probant noſter *Bellochius in praxi mor.Theol. p.2. qu.4. & D.Tho. de Reg. Princ.l.3.cap.11.Bellarm.T.1. diſput.de ſum. Pont. leg.1. cap.7.Gregor.Toloſ.l.5.de Republ.cap.5.nu.5. Adam.Contzen l.2.polit.cap.25.c.5.Lypſius l.2.ciuilis doctr. c.6. l.1. monet. & excmp.polyt. cap.7.* & alij,quod etiam Deus benedictus *Num.* 25. exemplo firmauit,dum iuſto ſuſpenſionis ſupplicio Principes ſæculares affecit ex eo, quod fornicationem, & idolatriam in populo non impediuerunt, vt notant *Vatablus, & alij, & Damianus l.4. epiſt.15. expreſsè declarat his verbis, quid eſt quod populus in luxuriæ voraginem labitur, & in eorum Præpoſitis vindicatur, ſubditi delinquunt, & Principes in patibulis ſuſpenduntur; & paulò poſt, ita reſpondet cur hoc, niſi quia culpa ſubditorum in præpoſitorum redundat opprobrium, & quod ab omnibus erratur, negligentiæ Paſtoris adſcribitur, vide quam ſit formidoloſa conditio Præſidentium, vt non modo pro ſuis, ſed etiam pro ſubditorum puniantur offenſis, & Origenes num.20.in Num.populus peccat,& Principes puniuntur,& coguntur pro populo reddere rationem, & quia fortè non docuerunt,non monuerunt,non ſollicitè arguerunt.*

Porrò ſi adhoc ipſi Principes ſæculares tenentur, quantò magis Superiores Eccleſiaſtici tenebuntur peccata, & peccatorum occaſiones publicas à populis ſibi ſubiectis extirpare, vt communiter docent noſtri Alenſis, Angelus,& dicemus V. Superior; Vndè ſatis piè *Cæleſtinus V. Papa opuſc.8. ſect.3. c. 15. ex D. Auguſtino docet quod, Epiſcopus qui vitia non corrigit, magis dicendus eſt canis impudicus, quam Epiſcopus,* conſuetudinem autem fæminarum portandi pectora, & vbera denudata recenter,& de nouo introductam eſſe peccaminoſam, & vitioſam contra rectitudinem naturalis, & moralis honeſtatis, contra intentionem Diui Pauli, ob peccatorum fomitem, & incentiuum clamant omnes Theologi, ergo à ſuperioribus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus ſub peccato mortali extirpanda, quare ergo dormiunt, videant quod canes

Canes tunc latrare contra Lupos mactantes oues renuunt, quando, & ipſi de mactatis ouibus ſatiare ſe cupiunt, attendant quod conſimiles Canes in Apocalypſi cap. 22. à Regni Cœlorum ianuis infæliciter excluduntur, vndè iure à Cæleſtino Quinto, & Auguſtino loco citato Epiſcopus negligens corrigere dicitur Canis impudicus. Conſiderent ne ingruentia, & imminentia flagella à DEO, tum propter alia peccata, maximè tamen propter iſtam impudicam permiſſionem tot peccatorũ impijſſimã occaſionẽ iuſtiſſimè immitãtur, ſaltem meminerint ſuperiores tot animarum ſanguinem à manibus ſuis, ſi prætermiſerint impedire, & tollere talem conſuetudinem impudicam illarum certiſſimam ruinam exquirendum à Deo in tremendo mortis iudicio.

Vtrum antiqua Conſuetudo fœminarum portantium publicè pectus, & vbera nudata poſſit ſub aliquo licito prætextu excuſari à mortali, & à ſuperioribus ſine ſcrupulo tolèrari.

DIFFIC. XXIII.

DIco primò, quod licèt aliqui Doctores à mortali excuſent fœminas publicè portantes vbera, & pectus nudata in illa Patria, in qua antiquus iſte mos viguit ex eo, quod quamuis impudicus ſit, & ad Venerem ſollicitatiuus, attamen vbi ſolitus eſt, non ita mouet notabiliter, ſicut inſolitus, inſolita enim magis mouent, quam ſolita, vt patet experientia, quia inſolita admiramur, licèt non ſint admodum admirabilia, ſolita tamen quamuis ſint admirabilia non ita mouent in admirationem, ita etiam fœminæ ſolitæ videri cum pectore, & vberibus nudatis non ita mouent, ſicut quæ in ſolitæ, atque adeò putant fœminas ex antiqua conſuetudine ſolitas portare vbera, & pectus nudata excuſant à peccato mortali. Ita videntur ſentire Bonacina, & Leſſius locis in ſuperiori quæſt. citatis.

Attamen non videtur iſta ratio vndequaque ita probabilis, vt excuſare poſſit fœminas ita incedentes, & ſuperiores id tolerantes à mortali, etenim licèt ſolita non ita moueant ſicut inſolita, in materia tamen Venerea ſolita mouent ita notabiliter ſemper, vt ad delectationem læthalem facilè ſi non omnes, procliuiores tamen, quorum magnus eſt numerus, immò aliquando ſolita in materia Venerea magis ſolent libidinis ſtimulos acuere, ad Venerem enim ſollicitari magis aſſuetos, quam inſuetos certiſſimum eſt axioma, & in praxi veriſſimum; ignis enim ad ſimilitudinem libido, cui quo plura ligna continuo admoueas ſemper fit maior, ſi ergo quotidianas occaſiones offeras libidini deditos, ſemper magis ardent, imo ligna, quæ ex continuò ignis, vel ſolis ardoribus obiecta ſunt facilius igne admoto inflammantur, vbi ligna non experta ſolis, vel ignis calores difficillimè ab admota flamma igniuntur, ita etiam ſoliti à libidinis calore incendi facilius ab impudicorum aſpectuum flammis miſerabiliter exuruntur.

Nec eſt ſimile de admiratione, quia ex ſolita obiecti admirabilis inſpectione cognitiua potentia ſatiata abſolutè remanet, at verò ex inſpectione obiecti prouocatiui ad Venerem non remanet abſolutè ſatiata appetitiua, & ratio eſt, quia in obiecto delectabili ſemper adeſt ratio motiui ad delectationem, vnde ad nouam delectationem ex eius præſentia faciliter incitatur, hinc ex vno tantum delectationis habito circa obiectum delectabile non remanet abſolutè ſatiata potentia appetitiua, at verò, in ipſo obiecto admirabili non adeſt ratio mouendi amplius ad admirationem poſt quam ſemel mouerit ad admirationem, & ratio eſt, quia ea ſola quæ ignorantur admirationem cauſant, ignorantia enim mater eſt admirationis iuxta Parateticorum doctrinam, ergo vbi obiectum cognitum eſt, ſatiata remanet potentia cognitiua, & ideò ad nouam eiuſdem obiecti ſciti admirationem non mouetur, manet ergo probatum ſufficienter ſolitam vberum, & pectoris nudationem, de qua hic loquimur eſſe etiam incitatiuam ad peccandum mortaliter, licèt non ita fortè acriter reſpectu multorum, ſufficienter tamen ex ſui natura, vt multi peccent.

Adde, quod ad ciuitates, & loca ſæpè ſæpius confluunt ex alijs regionibus multi, in quibus hæc impudica conſuetudo non viget, erit ſaltem in ſolita iſtis hæc muliebrium vberum nudatio, & conſequenter prouocatiuum notabiliter ad Venerem reſpectu aduenarum, Peregrinorum, ergo concludendum iſtam rationem adductam à Leſſio, & Bonacina non excuſare fœminas publicè portantes pectus, & vbera nudare, & ſuperiores non impedientes vitioſam hanc conſuetudinem à mortali.

Dico ſecundò, quod nec videtur ratio efficaciter excuſans fæminas publicè portantes pectus, & vbera nudata, & ſuperiores non impedientes à mortali quæ deſumitur ex eo, quod hæc conſuetudo legitimè, & rationabiliter fuerit introducta ad maiora mala propellẽda a tali Patria, vbi viget iſte mos, vt videtur velle *Caiet. loc. cit.* in ſuperiori quæſt. cum ſuis ſectatoribus; nã videtur caſus metaphyſicus, quod iſte mos maiora mala propellat, quod probo excludendo ſingulas huius rationis fines, & primò, nam vel introductus eſt mos iſte, quod fœminæ portent publicè vbera, & pectus nudata ad remouendos proprios maritos à ſcortis, & meretricibus, & hæc cauſa non eſt ſufficiens, quin potius admodum ridicula, audiant iſtę fęminæ hac ſe cauſa tutantes Chriſoſtomum hom. 28. id Hæbr. ita in hac materia loquentem, *Crede mihi mulier, etiamſi multum ſit vir ille inferiora ſapiens, hæc illum magis alliciunt manſuetudo, pudicitia, habitus ſine typho, ſine multis expenſis, vilis, & humilis, impudicum quippe virum, etiamſi multa excogites ornamenta non obtinebis, & hoc norunt quotquot huiuſmodi viros obtinuerunt, quamtumlibet te ſtudeas adornari, ille, ſi incontinens eſt ad alteram fugit.* Itaq; D. Chriſoſt. teſte compertam eſt experientia non poſſe vxores, quantumcunq; ſe ornauerint, adducere viros incontinentes à ſcortando, ſed potius pudicitiam humilitatem, & manſuetudinem, ita etiam docet S. Clem. Papa Apoſtolic. conſtit. c. 8. qui fœminas hæc ſuadet facienda vt placent ſuis viris, ita loquens, *Si autem vis fidelis eſſe viro tuo, ſtude vt ei placeas tantum; in plateis ergo caput tuum ob nube, obtegendo enim caput, curioſioribus aſpectum occludes*, ſed audiant iterum Chriſoſtomũ, vt vndequaq; iſtam rationem vxorum infringit hom. 10. in epiſt. ad Coloſſ. *quid ornaris, dic quæſo, vt viro placeas, igitur domi hoc facias, ſi ergo marito placere vis, alijs ne viſa, vt placeas.*

Adde, quod concludit noſter *Alenſis p. 4. de manducat Euchar. a. 2. q. vlt. his verbis, voluntas placendi maritis non excuſat eas à mortali, quia modus, per quem placent, vel placere intendunt, Deo non placet.* Ita etiam docet noſter *D. Bernardin. Senenſ. de Rel. Chriſt. T. 1. ſer. 44. ar. 1. c. 3.*

Secundò, ſi dicatur hæc conſuetudo excuſare fœminas publicè incedentes cũ pectore, & vberibus nudatis, & ſuperiores eas non prohibentes à mortali, quia introducta eſt ad maiorẽ, vel damnabiliorem incontinentiam vitandam in populo, nam ſenſuales ſatiati tali aſpectu, vel ad vlteriora non progrediũtur, vel ad minus damnabilem in continentiam incitantur, ad vitãdum autem maius, vel damnabilius malum poteſt permitti minus malum, vt patet de meretricio.

Sanè poſſet hæc ratio excuſare ſolum ſuperiores permittendo minus malum ad vitandum maius, non autem fœminas facientes minus malum ad vitandum maius malum in alijs, ſicut nec meretrices excuſantur à peccato licèt permittãtur ad minus malum prohibendum, non enim licèt alicui peccatum minus committere, vt maius in alio vitetur, vel ne alius maius peccatum committat, ſed quod mulieres portent vbera, & pectus nudatum eſt intrinſecè de ſe malum, & peccatum, ergo nõ licèt eis hoc facere, vt homines à maiori peccato auertãtur.

Ceterum omnino falſum arbitror ex hoc mulierum impudico more tolli maiorem incontinentiam, ita vt ſenſuales à tali inſpectione vberum, & pectoris nudatorum ad maiora mala in omni genere incontinentiæ non propellantur quaſi à tali delectabili obiecto ſatiati, etenim lignis fumigantibus, & igneſcentibus ignem applicatum potius extingui, quam inflammari, & vinum ab ebreizante potatum, & repotatum potius ebrietatẽ extinguere, quam augere eſt contra naturalem rationem, & practicam experientiam, ita etiam libidinis incentiuum additum animo libidinanti libidinẽ extinguere, & non potius ſuperaddere eſt contra rationem, & experientiam, & libidinis aquæ quo plus ſunt potæ plus ſciuntur, hinc fugiendo obiecta libidinoſa, & impudica magis caſtitati conſuli proclamant communiter Doctores, & in praxi docet ex ſapientiſſimo Nauarro, Cornelius à Lapide c. 19. in Ezech. hiſce verbis, *Quod omnino vbi lupanaria non ſunt, multi continentiores ſunt iuuenes, pauciora fiunt adulteria, caſtior eſt ciuitas, quia ſicut nullum vitiũ ita accenditur occaſione data, ſicut libido, ſic pariter nullum vitium, ita reprimitur occaſionum fuga.* Patet ergo ex præfata ratione non excuſari fœminas portantes vbera, & pectus nu-

data, & Superiores non prohibentes à mortali.

Dices ex tali conſuetudine muliebrium vberum, & pectoris nudatione extirpari ſaltem peccatum Sodomiæ iræ Dei ita irritatiuum, atque adeo rationabilem, & iuſtam eſſe talem conſuetudinem, tum quia ex maſculorum concubitu impeditur naturalis cum fœminis concubitus, & conſequenter impeditur naturalis generatio prolis.

Verum neque hæc ratio conuincit, & primo quia ſaltem probaret, vt ſolum domi ad maritos alliciendos poſſent vbera, & pectus denudare, non autem publicè, domi enim familiariter cum maritis habitant, & copula domi à maritis extorquetur, non publicè; quod ſi generaliter ad hoc vitium extirpandum in quolibet de populo ſit hæc conſuetudo inſtituta, etiam hanc rationem eſſe inſufficientem, & futilem, & inanem puto, &

Primò, quia maſculorum concubitores ad Sodomiticā venerem procliues tali fœminas proſecuntur odio, vt quo pulchriores, & ornatiores viderint, eo magis earum declinēt aſpectus, & tanquam fœtidas, & male olentes abhorreant teſte Achille ſtatio, imo experientia practica experti ſunt Confeſſarij multi in locis, in quibus viret hoc nefandum vitium, qui dum ſuos pœnitentes ad tale peccatum inclinatos ſalubribus, efficacibuſq; rationibus ad licitam maritalem copulam ſunt conati, fœminarum fœtidum amplexum, et male olentē ſibi videri reſponderunt, atque ideo nulla ſe poſſe ratione induci ad fœminarum concubitum, pergamus ad ſecundam, quæ fortè erit non minoris efficaciæ.

Secundò, ex tali more fœminarum portantium vbera, & pectus nudata fortè æqualia mala in ratione culpæ mortalis, maiora tamen, & plura contra publicam, & priuatā honeſtatē, manāt ergo non vitantur maiora mala, dato non conceſſo quod à ſodomitico peccato tali more auerterentur homines.

Etenim ex hac muliebrium vberum, & pectoris impudica nudatione frequentiora pullulant adulteria, inceſtus, et ſacrilegia, in quibus fortè æqualis offenſa Dei, maiora tamen, & plura committuntur contra publicam, et priuatam honeſtatem, nam mariti non pulcras, vel mediocriter pulcras habentes vxores aſpicientes alias pulchriora, et delectabiliora vbera, et pectus habentes, ad illas concupiſcendas, et conſequendas incendi quotidiana demonſtrat experientia; familiaris item, et proximior conſanguineorum, vel Affiniū cum ſuis conſanguineis, et Affinibus conuerſatio, heu quantum incentiuum præbent libidinis vbera, et pectora nudata, ita vt nec Mater à filio, nec à filio Pater, et ſoror à fratre, ſit ab inceſtu patrando immunis, quid ni Cognata à Cognato tanto fortius, teſtis ſit Nero ille Imperatorum nequiſſimus, qui ex inhoneſta illa vberū nudatione, et impudico ornatu, quo vtebatur eius Parens Agrippina in propriam matrem ita exarſit, vt cum illa plures commiſerit inceſtum execrandū, ſed audi *Tertull.* hoc propoſitum noſtrum ipſiſſimè confirmantem qui *lib. 15. de Veland. Virg. c. 18.* ita loquitur, *oro te ſiue mater, ſiue ſoror, ſiue filia, ſiue Virgo ſecundum annorum nomina dixerim, vela caput ſi mater propter filios, ſi ſoror propter fratres, ſi filia propter Patres, omnes in te ætates periclitātur, induc armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos*, ſi ergo non velatum caput portare fœminas etiam matres, filias, et ſorores poteſt ex Tertulliano reſpectiuè in Patres, filios, et fratres reſpectiuè libidinis periculum ſuſcitare, quid ni fortius id facient earum nudata vbera, et pectus, à quibus fortiores eiaculantur libidinis faces, en ergo non ſolum adulteriorum, verum etiam inceſtuū impiiſſimorum, contra publicam, et priuatam honeſtatem cauſa eſt talis cōſuetudo quod fœminæ nudata pectora, et vbera oſtentent.

Adde quod, et ſacrilegia quoque ex tali impudiciſſima conſuetudine deriuari non eſt difficile probatu, imo grauiſſimam ſacrilegiorum ſuſpicionem ſaltē ex ea oriri colligunt Doctores ex doctrina *D. Pauli, qui 2. ad Corint. c. 10.* velari iubet caput à fœminis propter Angelos, quem locum exponunt *D. Anſelm. & D. Thom.* ideſt propter Sacerdotes, et Epiſcopos, qui vocantur Angeli c. 2. ne propter illarum aſpectum ad libidinem prouocarentur, ſi ergo ſolum caput apertum, et non velatum fœminæ portantes libidinis illecebras poſſunt in Sacerdotes in templis immittere, vnde ideo à D. Paulo iubeantur velato capite in Eccleſiis commorari, quāto magis ad libidinem Sacerdotes Domini incitabunt ſi nudata vbera, et pectus oſtēdant publicè, et ſi publica inſpectio ita eſt prouocatiua, quid faciet familiaris, et priuata cōuerſatio.

En ergo quot peccata fortè æqualia cū Sodomia ſaltē reſpectiua, maiora tamen contra publicam, et priuatā honeſtatē damna pullulant ex hac impudiciſſima cōſuetudine, ergo ratio illa, quod debeat permitti ad maiora præcauēda peccata omnino inſufficiens, et inutilis eſt demonſtrata. Quare

Dico 3. quod ſaltem ſuperiores tam ſæculares, quam Eccleſiaſtici vtentes tali opinione, quod liceat hæc conſuetudo introducta ob maiora damna in populo vitanda, tenētur inquirere an hic, et nūc finis hic legitimus prætenſus adſit, vel perſeueret, nā conſuetudo, quæ legis habet vim, legis rationē ſapit, ſicut ergo ceſſāte fine legis, ceſſat lex, vt ſuo loco, V. lex, probabitur, ita etiam ceſſante fine conſuetudinis, ceſſat conſuetudo, aliter à peccato coram Deo non excuſantur, ſi tot damna, et peccata ex tali non legitimè introducta conſuetudine, vel non legitimè perſeuerante ipſorum incuria, et negligentia ſubſequantur, nam ſuperiores ſpeculatores à Deo dicuntur apud Ezech. c. 3. quorum munus eſt inquirere, et ſpeculari diligenter ſubditorum peccata, vt corrigere valeāt, aliter eorum ruina ipſis imputatur, vt optimè notat *Gregor. hom. 11. in Ezech. ſanguinem Dominus de manu ſpeculatoris requirit, quia ipſe hunc occidit, qui eum, tacendo, morti tradidit, quare ſi non ſpeculantur, & inquirunt, vt auferantur occaſiones ſcandaloſæ, & peccaminoſæ, ex quibus peccata in populo perpetrātur, peccāt, & Dominus de eis iuſtiſſimā referret vltionē.*

Ceterum, quia difficillimum videtur inquirere an hic obſcænus inceſtus fœminarum cū pectore, et vberibus nudatis ſit nec ne introductus ad maiorem communitatis vtilitatem, et an hic, et nunc idem finis perſeueret, et tamen conſtet ex alia parte quod prouocatiuus ſit ad libidinem notabiliter, et multorum cauſa malorum cōtra publicam honeſtatem, omnino tutius videtur concludendum abſolutè extirpandum hanc impudentiſſimam, et impudiciſſimam conſuetudinem tam ab Eccleſiaſtico, quam ſæculari ſuperiore.

Habent Eccleſiaſtici ad hoc faciendum exemplum ab Epiſcoporum perfectiſſimo exemplari *D. Carolo* Borromęo, vt videre eſt in *Actis* ſuarum ſynodorum, et à moderno Mediolanenſi Archiepiſcopo, qui contra hanc impiam conſuetudinem non ſolum publica potuit edicta, verum etiam concionatores, vt eam publicè in concionibus deteſtentur, vt mortalis culpæ ream præcepit.

Habent, et Superiores ſæculares ad impudicas haſce conſuetudines ſupprimendas exemplū *ab ampliſſimis, & excell. Patribus excelſi cōſilij decem sereniſſ. Reipubl. Venetæ, qui anno* 1648. *die* 14. *Ian.* publico decreto, ne fœminæ etiam nobiles cum capite non velato, et diſcooperto intra Eccleſias præcipuè incedere auderent ſub grauiſſimis pœnis piiſſimè ſanxerunt, declarantes morem hunc quod fœminæ diſcooperto, et non velato capite incedant eſſe impudicum, et meretriciū quare ſolis meretricibus permittēdum rationabiliter permiſerunt, ſi ergo tantorum Patrum Concilij iam excelſi iudicio et decreto mos fœminarum portandi caput non velatum, et diſcoopertū impudicus, et meretricius ideoq; tollēdus firmatur, quāto magis erit dicendus impudicus, et meretricius mos fœminarū portantiū vbera, et pectus nudata, et per conſequēs à Superiori etiam Eccleſiaſtico erad candus, cum ſit magis ad luxuriam prouocatiuus, multarum libidinum fomes, et contra honeſtatem publicam, et priuatam origo damnorū.

Quod ſi contrariam opinionem tanquam probabilem excuſantem fœminarum portantium vbera, et pectus nudata iuxta antiquam, et præſcriptam Patriæ conſuetudinem à peccato intendant ſequi ſuperiores ſæculares, et Eccleſiaſtici, et Confeſſarii cum *Adamo Contzen in ſua Polit. l. 2. c. 12. §. 14. ipſis reſpondeo quod improbiſſima eſt eorum ratio, qui publicis voluptatibus deteriora caueri arbitrantur, vbi inualuerunt, flagitioſiſſima quæque perpetrantur, fuga optime caſtitati conſulit, quæ eſſe non poteſt, ſi publica ſint inſtrumenta libidinum, ſic acum oporteat eſſe, ne malum ipſe videas*, et demum cum antiquiſſimo, et ſapientiſſimo *Tertulliano de Virginibus velandis c. 1.* contra ipſos concludo, qui in conſimili caſu noſtro ita loquitur, *oſtendam Virgines noſtras velari oportere, ex quo ætatis ſuæ tranſitum fecerunt, hoc exigere veritatem docebo, cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium annorum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium Regionum, ex his enim fere conſuetudo initium ab aliqua*

ignoran.

ignorantia, vel ſimplicitate ſortita in vſum per ſucceſſionem roboratur, & ita aduerſus veritatem vindicatur, ſed Dominus noſter IESVS CHRISTVS veritatem ſe, non conſuetudinem cognominauit, ſi ſemper CHRISTVS, & prior omnibus, aequæ veritas ſempiterna, & antiqua.

Vtrum Conſuetudo antiqua, vel noua fœminarum portantium vbera, & pectus nudatum in aliqua Patria excuſari à mortali, & tolerari valeat ratione paruitatis materiæ, vel ſimplicitatis, & ignorantiæ.

DIFFIC. XXIV.

DIco primò, quod paruitatem materiæ in hoc more fœminarum portantium vbera, & pectus nudatum excuſantem à peccato mortali poſſe dari mihi certum eſt, nam cum hic mos, & conſuetudo habeat ſuam latitudinem circa modum magis, & minus laſciuum, & prouocatiuum ad libidinem, ſanè poterit dari modus notabiliter obſcænus, & notabiliter, ſeu efficaciter prouocatiuus ad Venerem, & minus obſcænus, & leuiter excitatiuus ad libidinem, mos ergo notabiliter obſcænus, & prouocatiuus ad peccatum eſt ſanè illarum, quæ vbera proſtituunt vſque ad medietatem, ita vt totum pectus appareat, hic enim modus vtpote omnino inhoneſtus, & meretricius eſt notabiliter prouocatiuus experientia teſtè ad libidinem, & hic modus eſt certiſſimè pecaminoſus, nec vllo modo debet excuſari à peccato, & hunc modum in ſuperioribus Difficultatibus acriter impugnauimus.

At verò portantes vbera, & pectus nudatum ita vt ſummitas ſola vberum, & parum pectoris appareat, præciſo omni alio malo fine, videntur excuſari à morteli, & ſolum venialiter, vel nullo modo peccare iuxta magis honeſtum, vel minus honeſtum modum intra honeſtatis tamen metas, nam iſte modus, vel nullo modo eſt impudicus, vel ſaltem leuiter, dicendus potius parum honeſtus, quam abſolutè inhoneſtus, quare nec notabiliter, ſed vel leuiter, vel nullo modo ad Venerem prouocat intuentes, & hunc permitti poſſe ad grauiora cauenda non eſt improbabile.

Hanc doctrinam in praxi firmandam duxi exemplo conſuetudinis huiuſcemodi vigentis in præclarioribus huius Aprutinæ Prouinciæ Ciuitatibus, Aquilæ, ſcilicet, & Theatheæ, quarum hæc antiquiſſima Aprutij Metropolis à Thetide Achillis matre conſtructa veræ nobilitatis, & martialis honoris argumenta non vulgaria retinentes Achilleæ virtutis equites ſuos oſtentat, illa verò Samnitum Regina Aquilinæ aciei ingeniorum mater fæcundiſſima in omni ſapientiæ genenere antiquarum æmula Athænarum excellentiſſimos, ſelectiſſimoſque viros mundo elargitur.

In hac ergo Ciuitate nobiles dumtaxat mulieres antiquiori veſtium genere cum ſcollatura circa ſummitatem pectoris infra colli radicem moderate in ouiculatum orbē ducta, quadrata verò ſcollatura in Theatina inferioris ordinis fœminæ, non autem nobiles vtuntur, vt laſciuiuſculè vberum verticem, & parum pectoris nudatum oſtentent, & inter ipſas in vtraque Vrbe, quæ honeſtiores ſunt, ita ornamentis, quæ in orbiculata ſcollatura ſubuculæ annectuntur etiam vbera, & pectus iſtæ contegunt, vt nulli nec leue ſcandalum, immo pudicitiæ præbeant exemplum, ergo nullo modo peccant, quin laude dignæ apud DEVM, & Homines, quæ morem patriæ leuiter laſciuum ſua cohoneſtant prudentia, quæ verò hac diligentia non vtuntur, ſed iuxta antiquiorem patriæ ſcollaturæ rationem parumper vbera, & pectus nudant, fortè venialiter peccant pulcriores, quia facilè eſt, quod leuiter moueant ad aliqualem ſpirituum commotionem aſpicientes.

At verò illæ infelices, quæ propriæ ſalutis oblitæ ſeipſas proſtituentes contra conſuetudinem Patriæ antiquam ſcollatura latiori abutuntur ita, vt media vbera, & totum pectus ſatis quidem impudicè nudata oſtendant, mortaliter certiſſimè peccant, vtpote quæ meretricio incedentes more incentiuum libidinis efficaciter iuuenes eiaculantur in aſpicientium ruinam mortalem, & ſeniores eodem modo procedentes ratione mali exempli ſaltem à peccato mortali non ſunt dicendæ immunes, iuuenculæ enim antiquarum fæminarum nudata vbera, & pectus portantium exemplo ad hūc impudiciſſimum morem continuandum maximè roborantur; Vnde nullo modo à Confeſſarijs piſſimis eſſent abſoluendæ, niſi moderatè incederent iuxta antiquiorem Patriæ conſuetudinem.

Quare hic monitas in Domino vellem omnes, & ſingulas in vtraq; Ciuitate non ſolū, ſed etiam vbique gentium fœminas, vt antiquas moderatè modeſtas conſuetudines Patriæ conſeruēt, nouos mores, modernaſque ad libidinem titillationes à Diabolo ad animarum perditiones adinuentas ſtrenua modeſtia, & incōparabili pudicitiæ fortitudine deuitent, ne cū ſui nominis ignominia quaſi impudicas meretrices exiſtimatas ſe ſe conſpurcent in hoc ſæculo, & in futuro æternis flammis miſerrime comburantur.

Dico ſecundò, quod in quibuſcumque locis viget antiqua conſuetudo, vt fœminæ incedant publicè cum pectore, & mammillis notabiliter nudatis poſſunt à mortali excuſari ab ignorantia inuincibili, & vera ſimplicitate, quia ignorantia inuincibilis legis, & præcepti, maximè quando dubitatur etiam ab alijs an obligat ſub mortali excuſat à culpa, itaq; ignorās fœmina aliqua inuincibiliter talem modum incedendi cum vberibus nudatis eſſe vitioſum, & peccaminoſum poteſt excuſari à mortali, ſimiliter qui vera ſimplicitate præciſo omni alio malo fine eodem modo incedunt putantes certè id ſibi licere, quia communiter aliæ ſuæ conditionis, & ſtatus fœminæ tali ſcollatura vbera nuda, & pectus oſtendente vtuntur, nec iſte modus à Superioribus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus corrigitur, nec à proprijs parentibus, vel maritis arguitur, nec quod peius eſt, & lacrymis dignum à proprijs Confeſſarijs reprehenditur tanquam peccaminoſum, ſanè excuſantur à peccato, quia vbi dolus non eſt, peccatum eſſe non poteſt, ſtatim verò ac ſeu per Confeſſarios Prædicatores, Superiores, vel aliquas grauiores matronas monentur talem modum eſſe impudicum, vitioſum contra rectitudinem naturalis, & moralis honeſtatis, & mortaliter peccaminoſum, quia valdè prouocatiuus ad libidinem oculos inſpicientium hominum, tenentur talem veſtiendi modum deponere, & vbera, & pectus aliquo honeſto velamine non tamen tranſparenti contegere, aliter ſe mortalis peccati reas cognouerint æternis pœnis infæliciter puniendas pro tam inutili vanoque modo portandi pectus, & vbera nudata.

Poſſent etiam Confeſſarij fœminas iſtas vanas monere, quod de Lamiis narrat apud Calepinum Chriſoſtomus Dion, ſcilicet in interiori Africa feras quaſdam inueniri muliebri facie, quæ & ipſe Lamiæ dicuntur, vberibus autem, totoque corpore adeo ſpecioſo, vt nullo Pictoris ingenio ſimiles effingi queant, quibus retectis homines in fraudem alliciunt, captoſque deuorant, quas Philoſtratus in Apollonio uocat laruas, ideſt Dæmones talium figuram animalium capientes, ut ad libidinem ex uberum muliebrium pulchritudine monſtrata homines alliciant ad ſe ſe, & ita facilius occidant, & deuorent, de quo uideri etiam poteſt Cælius Rhodiginus lib. 29. cap. 5. fœminæ ergo monſtrantes ubera nudata diabolicum ad perdendos homines aſtum uidentur imitari.

Multa ſanè horrenda poſſem hic ſubnectere, quæ mulieribus uanis, et impudicis portantibus pectus, et ubera diſcooperta infœliciter ob hoc peccatum in uita, tum in morte acciderunt, quibus poſſent uti Confeſſarij ad huiuſmodi fœminas deterendas, et ad tam pernicioſam conſuetudinem extirpandam, attamen quia in hoc opere meum eſt ſolummodo caſuum conſcientiæ deciſiones afferre, non autem Prædicatoris partes agere ideo ab ipſis potius declamanda relinquere exiſtimaui, ſatis enim muneri meo factum puto ſufficienter conuincentibus rationibus, et ſolidis Doctorum auctoritatibus tam iniquum abuſum à Chriſtianis fœminis omnino tollendum demonſtratio.

Vtrum Conſuetudo poſſit legitimè praſcribi contra pracepta ex vi Regula obligantia ſub mortali excuſans à culpa in obſeruantes.

DIFFIC. XXV.

PRo clariori intelligentia huius vtillimæ difficultatis.

Suppono primò, quod in qualibet Regula præcepta alia dicuntur eſſentialia, alia perfectionalia, eſſentialia dicuntur ea, quæ ſunt explicatiua votorum ſolemnium, & adhuc ex vi ipſorum obligarent, licèt non forent in Regula expreſsè mandata, huiuſmodi ſunt in noſtra Seraphica quæ habentur in 1. capit. ſcilicet, teneantur obedire Fratri Franciſco, & ſucceſſoribus, in 8. capit. teneantur obedire Generali Miniſtro, & in decimo quod obediant ſuis miniſtris, quæ ſunt explicatiua voti obedientiæ, & neceſſariò etiam ſeruanda, quamuis non forent expreſſa; ſimiliter quod fratres nihil ſibi approprient in 6. capit. quod non recipiant pecuniam nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam ſcilicet appropriatiuè ex quarto capite ſunt præcepta eſſentialiter explicatiua voti Paupertatis, quæ neceſſariò ſeruanda, etiamſi non præciperentur, item ex vndecimo cap. quod fratres non habeant ſuſpecta conſortia mulierum eſt explicatiuum eſſentialiter voti caſtitatis quod etiam obligaret, ſi non foret expreſsè traditum.

Alia verò dicuntur perfectionalia, quæ etiam in duplici ſunt differentia, quædam enim dicuntur modificantia vota eſſentialia, vel rationem viuendi regularem, alia ſimpliciter ad bonum ſeruandum, vel male vitandum incitant; perfectionalia ergo modificatiua ſunt ea præcipuè, quæ data ſunt ad pefectius facilius, vel vtilius ſeruanda vota eſſentialia, vel viuendi rationem regularem dirigunt, quæ in Regula Sancti P. noſtri Franciſci vocantur æquipollentia præceptis, quia non ſunt eſſentialia, ſed modificantia vota, & regularem modum viuendi, vt ſcilicet ea facilius, & perfectius, vel vtilius ſeruentur iuxta Summorum Pontificum declarationes, atque adeò cum non ſint eſſentialia, ſi non forent expreſsè tradita, non obligarent ad culpam aliquam ex vi votorum, & Regulæ, iure ergo vocantur potius perfectionalia, quam eſſentialia Regulæ.

Quare in eadem noſtra Seraphica Regula, vt perfectius, & vtilius obedientiæ votum ſeruaretur præceptum fuit in decimo cap. vt miniſtri petant vnum de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis, in nono, non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, in decimo, quod nullus fratrum audeat populo prædicare niſi à Miniſtro Generali huius Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo ſibi officium prædicationis conceſſum.

Vt autem facilius, & perfectius ſeruetur votum paupertatis præcipitur in ſecundo capite, quod ſolum duas habeant tunicas, vilibus induantur, & quod non poſſint portare calceamenta, in tertiò, quod non debeant equitare, & ſimilia; ad perfectius, & facilius autem ſeruandum votum caſtitatis præcipitur ieiunium in capite tertio, & quod non ingrediantur Monaſteria Monacarum, & nec fiant Compatres virorum, vel mulierum in c. 10.

Ceterum modificantia ipſam Regulam, ſeu dirigentia viuēdi modum regularem præcepta perfectionalia paſſim ſpectant ad ſuperiores, & ſunt ea, quæ pertinent ad habitum, & receptionem Nouitiorum in c. 2. quartò, & octauò, videantur ibi, alia verò mixtim tam ad ſuperiores, & ſubditos, vt ſunt quæ habentur de recitatione diuini officij in c. 3. & de cura, & viſitatione infirmorum in c. 6. alia deniq; ad ſolos ſubditos vt ſunt quæ iubentur de recurſu ad ſuperiores pro caſibus reſeruatis in c. 7. & de recurſu ad eos in caſu, in quo non poſſent in aliquo loco regulam ſpiritualiter obſeruare in c. 10.

Dantur etiam alia perfectionalia in Regula, quæ nec vota modificant, nec viuendi Regularem modum dirigunt, ſed ad bonum faciendum, vel malum vitandum inuitant, & diſponūt, & in noſtra regula ſunt quæ præter eſſentialia, æquipollentia, vel habentia vim præcepti habentur in 2. 3. 5. 6. 7. 9. & 10. quæ faciliter in ipſa colligi poſſunt, cum ad præſens inſtitutum parum pertineant.

Suppono ſecundò, quod licèt probabiliter multi Doctores aſſeruerint in noſtra Regula præcipuè etiam perfectionalia modificantia vota, & viuendi modum regularem dirigentia eſſe dicenda eſſentialia regulæ præcepta, quia *in Clem. exiui de verb. ſignif. in 6.* declarantur ad ea obligati fratres ex vi profeſſionis regulæ tanquam modificantia tria vota ſub hiſce verbis, *Declaramus, & dicimus, quod Fratres Minores non ſolum ad tria vota nudè, & abſolute accepta ex profeſſione ſua Regulæ obligantur, ſed etiam tenentur ad omnia implenda, quæ ſunt pertinentia ad hæc tria, quæ regula ipſa ponit, nam ſi ad hæc tria præcisè, & nudè tantum promittentes ſe ſeruare Regulam viuendo in obedientia, caſtitate, & ſine proprio, & non ad omnia contenta in Regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur, pro nihilo, & vane proferrentur hæc verba, promitto ſemper hāc regulam obſeruare, ex quo his verbis nulla obligatio naſceretur.* Si ergo per Pontificem æquipollentia etiam ſuperius enarrata ſunt modificatiua trium votorum, ſubſtantialiter ſecundum Pontificem pertinent ad Regulæ obſeruantiam, & non ſolum vt perfectionalia ſimpliciter, & probant, quia modus intrinſecus pertinet ad eſſentiam, & ſubſtantiam rei, itavt ſi poſſet deſtrui modus intrinſecus, neceſſario deſtrueretur tota ſubſtantia, & eſſentia rei, vt patet apud Metaphiſicos ponētes exiſtentiam eſſe modum rei, quod ſi res exiſtentiam poſſet perdere, tota etiam eſſentia, & ſubſtantia rei, cum de facto non poſſit eſſe eſſentia ſine exiſtentia, ergo ſi per Pontificem dicta pręcepta etiam æquipollentia vocata perfectionalia ab alijs ſunt modificantia tria vota, & regulam, dicendum erat tanquam modos intrinſecos votorum, & Regulæ ad eorum eſſentiam, & ſubſtantiam pertinere, ſicut exiſtentia ad eſſentiam, ita vt ſi Regula ſeruaretur ſine iſtis, tota Regulæ ſubſtantia, & eſſentia periret.

Confirmāt propoſitum, quia Regula Minoritica profitetur altiſſimam paupertatem diuerſo modo ab alijs Regularibus, ergo debent habere pręcepta quædam eſſeotialia, quæ modificent votum paupertatis præcipuè ſubſtantialiter, & eſſentialiter diuerſum à voto paupertatis aliorum, ſicut ſunt non habere dominium rei nec in communi, nec in particulari, duas ſolum tunicas habere, vilibus veſtiri, non equitare, nudis pedibus ambulare, & pecuniam nullo modo recipere, & ſimilia, quæ ita modificant, & diſtinguunt paupertatem Minoricam, vt ſine obſeruantia ipſorum, omnino deſtruatur, & ab alijs non diſtinguatur.

At verò nimis ſcrupuloſa hæc eſt opinio, licèt banè probabilis, quare mitior, & probabilior etiam videtur contraria, ſc. quod præfata præcepta perfectionalia modificantia vota, vel Regulam non ſint eſſentialia, nec ad ſubſtantiam votorum, & regulæ pertineant, quia non ſunt modificantia intrinſecè vota, neo Regulam, ſed ſolū data à fundatore tanquā adiuuantia ad perfectius, & facilius, vel vtilius Vota eſſentialia ſeruāda, vndè extrinſecè ſolum modificantia ſunt dicenda, etenim regula eſſentialiter conſiſtit in ſeruandis votis eſſentialibus ſolemnibus, per quorum profeſſionem quilibet conſtituitur verus, & eſſentialiter Religioſus, non autem per obſernantiam ſimpliciter præceptorum perfectionalium, ita vt ſi Papa diſpenſaret cum aliquo in præceptis regulæ, & non in votis eſſentialibus, & ſolemnibus adhuc diceretur ille verè, ſubſtatialiter, & eſſentialiter Religioſus.

Hinc diſpēſati Fratres Minores in pręcepto de non habendo aliquid in communi, ita vt detur eis facultas, ſicut de facto data fuit Noſtris Conuentualibus per conſtitutiones Pontificias, poſſidendi in communi ſtabilia, & annuos redditus, verè adhuc dicuntur ſubſtantialiter Fratres Minores S. Franciſci, quia in voto eſſentiali de non appropriando ſibi aliquid in particulari, in quo conſiſtit verè, & eſſentialis paupertatis voti ſubſtantia non fuerunt diſpenſati, ſed tenentur in particulari nihil propriè independenter a voluntate Superioris poſſidere.

Firmatur hęc doctrina ex ijs, quæ congerit noſter *Corduba in expoſ. Reg. c. 6. q. 13.* vbi docet, quod uſus arctus rerum, ad quem obligantur Fratres Minores ex ſua regula per præcepta pefectionalia modificantia tria uota commemorata priori contraria opinione, non pertinent per ſe, & eſſentialiter ad uotum paupertatis Euangelicæ, nec ex ui uoti obligantur, ſed ſolum ex ui regulæ profeſſæ, undè docet explicandos eſſe Doctores uolentes uſum ſuperfluum eſſe contra Euangelicam paupertatem, ſolum loqui eſſe contra ipſam accidentaliter, & occaſionaliter, non autem eſſentialiter, & ſubſtantialiter.

Quare dum in Clementina præfata docentur hæc præcepta eſſe modificantia tria uota, ſolum loqui ibi Pontificem de modificatione extrinſeca, accidentali, & occaſionali, quatenus ſe. dicta præcepta ſunt occaſiones ad perfectius, facilius, & utilius

ſer-

ſeruanda vota eſſentialia, maximè cum ſimus in fauorabilibus pertinentibus ad fauorem, & ſubleuamen conſcientiarum fratrum,& ad leuandos,& ſedandos ſcrupulos lata eſt facienda interpretatio verborum, itaque de modificatiuis extrinſecè ſolum,& non de intrinſecè modificantibus vota ibi ſermonem habuiſſe Pontificem mitius, & probabilius dicendum præcipuè cum ratio euidentior id ſuadeat, quia huiuſmodi præcepta ſi non ſeruentur, adhuc quis remanet verus Religioſus, imo nec deſtruitur eſſentialiter Religio,ſi talia communiter non ſeruentur præcepta perfectionalia in tota Religione,verum eſt quod accidentaliter deſtruitur, quia perfectio mandata à fundatore non habetur, vt patet in praxi in illis Religionibus, in quibus diſpenſatum eſt in talibus præceptis,& vt dixi præcipuè in noſtris Conuentualibus, qui ſunt veri Fratres Minores Sancti Franciſci, licèt in talibus perfectionalibus ſint diſpenſati, ſed audi noſtrum Cordubam pro hac propoſito firmando hiſce verbis loco citato loquentem; *Quæcumque variatio in vſu paupere, vel moderato non corrumpit, nec auget eius eſſentiam formaliter, directè, & per ſe, vnde pauper Euangelicus habens veſtes pretioſas, vel volens continuè vti cibis delicatis, lædit quidem intrinſecè, eſſentialiter, & per ſe alias virtutes, vtpote temperantiam, & humilitatem &c. non tamen lædit per ſe directè, & eſſentialiter votum paupertatis Euangelicæ, ſi ſit in mente, & in opere exteriori omnimoda abdicatio dominij, & iuris ciuilis vtendo rebus illis tanquam omnino alienis*; & confirmat exemplo Chriſti, & Ioannis in principio præfatæ quæſtionis,nam CHRISTVS docuit, & ſeruauit altiſſimam paupertatem, & tamen non quoad veſtitum, & cibum, & Ioannes non habuit paupertatem ita perfectam ſicut Chriſtus, & tamen eam ſeruauit magis quam Chriſtus in victu, & veſtitu, ſed quia Chriſtus perfectiſſimè paupertatem ſeruauit quoad ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam ſc. in perfectiſſime abdicando dominium rerum, quibus vtebatur, ſed non ita perfectè Ioannes, ideo perfectiorem paupertatem habuit Chriſtus, quam Ioãnes,licèt in opere extrinſeco maior fuerit paupertas Ioannis,ex quibus patet præfata modificantia votum paupertatis præcipuè data in Regula Seraphica eſſe ſolum accidentalia,& extrinſeca,ſine quorum obſeruantia adhuc ſubſiſteret Regula, & votum paupertatis, modò fratres in particulari nihil proprij poſſiderent independenter à voluntate ſuperioris,ex qua doctrina.

Collige, quod eſſentialia Regulæ ſunt ſolum vota ſolemnia emiſſa ſpecialiter, & eorum præcepta explicatiua conſequenter in Regula expreſſa,ad quorum obſeruantiam per ſe primò, & immediatè Regulares obligantur, reliqua verò præcepta perfectionalia accidentaliter ſecundariò,& mediatè, quatenus ſc. per profeſſionem Regulæ tenentur obedire ſuo Fundatori in præceptis ad maiorem perfectionem adipiſcendam, faciliorem que, vel vtiliorem votorum eſſentialium obſeruantiam, quæ perfectionalia dicuntur, vnde non ſunt immediata materia votorum eſſentialium, ſicut ſunt obedientia,caſtitas, & paupertas,ſed ſolum modi extrinſecè adiuncti à Fundatore ad ea præfata vota melius ſeruanda, quæ an cadant ſub obligatione peccati mortalis,vel venialis,vel à fundatore immediatè,vel à Pontifice Summo, vel à conſuetudine declarantur,quare talia præcepta perfectionalia non ſunt immediata materia voti, quia non indigerent explicatione an obligant ad mortale, cum certum ſit obſeruantiam votorum cadere ſub mortali,cum ergo eorum obligatio ad peccatum ſolum ſit declarata per homines,& ſolum de iure poſitiuo,non diuino,ergo non ſunt immediata materia votorum, quorum obligatio eſt de iure diuino,quare nõ ſunt eſſentialia votis ſolemnibus,& Regulæ profeſſioni huiuſmodi perfectionalia iam explicata, ſed ſolum extrinſecè eorum modificatiua.

Collige ſecundò,quod poſſidere in communi, tangere,& recipere pecunias cum conſenſu ſuperioris, vilibus indui, habere ſolum duas tunicas,& ſimilia non ſunt eſſentialia voti paupertatis,ſed ſolum eſt tali voto eſſentiale abdicatio dominij in particulari; quod exprimitur per illud viuere ſine proprio, viuere enim eſt ſingularium, & particularium, qui tunc ſunt verè pauperes, cum nihil ſibi in particulari approprient, & particulare rerum dominium omnino cogitatione,& opere abdicent, ſolumque rerum vſum ad ſuperioris beneplacitum habeãt nihil prorſus retinendo independenter, vel contra voluntatem Superioris, ita etiam præter noſtrum *Cordub. loco citato* noſter etiam *Moronus in Cent. Reſp. Reſponſ. 3. numer. 5. & 6. Sanchez leg. 6. ſumm. cap. 2. num. 26. & Lezana in ſumm. qq. Reg. p. 1. cap. 7. num.* 18. quam doctrinam maximè confirmare videtur, vt dictum eſt, praxis Summorum Pontificum huiuſmodi præcepta relaxantia faciliter, vtpote iuri poſitiuo immediatè ſubiecta, ad Pontificem enim Summum ſicut pertinet approbare Regulam, ita & reprobare minuere, & moderari, vt noſter *Miranda docet in man. præl. T. 2. quæſt. 9. ar. 6. concluſ.* 2. & in praxi docuit *Concil. Trident. ſeſſ. 25. de Regul. capitul.* 3. in quo Religioſis, quibus non competebat ex vi Regulę,vt ſtabilia poſſent poſſidere in cõmuni,fuit conceſſum.

Hiſce ergo ſuppoſitis pro reſponſione ad Difficultatem principalem.

Dico primò, quod Conſuetudo in ratione naturali fundata poteſt legitimè introduci etiam contra eſſentialia Regulæ præcepta habentia latitudinem, vt ſunt ad obedientiã,& paupertatem immediatè ſpectantia; *Nam caſtitas vtpote ſtrictiſſimæ materiæ non habet latitudinem, atque adeò non poteſt dari ratio naturalis cohoneſtans eius violationem*. Probatur concluſio principalis, nam vt notat noſter *Angelus V. Conſuetudo, §. 5. ex Innocentio, & Panormitano*, & docent etiam noſter *Moronus loco citat. num.* 11. cum *Rocho de Curte*,& alijs; Conſuetudo poteſt augere, minuere, & limitare ius diuinum, & naturale etiam ſi id ſuadeat contra ius diuinum ratio naturalis, & contra ius naturale alia fortior ratio naturalis, ius enim naturale præualere iuri diuino,& ius naturale fortius infringere aliud ius naturale minus fortè eſt communiſſimum axioma vt videbitur V. Lex,itaque licèt eſſentialia præcepta Regulæ ſint de iure diuino, vtpote immediata materia votorum eſſentialium, ſi ratio naturalis ſuadeat, poteſt contra illa conſuetudo legitima introduci, excuſans inobſeruantes à peccato.

Hinc poteſt dari caſus,in quo quis non teneatur obedire Prælato,ſi ius naturale defendendi, & ſeruandi ſuam vitam, & honorem id ſuadeat, cum tueri ſuam vitam, & honorem ſuadeat ius fortius iure obedientiæ, licèt ſit de iure diuino, modo fortior ratio naturalis diuina non obſiſtat,puta ſi cum periculo vitæ iubeatur ſubditus fratri ſuo ſpiritualiter periclitanti irremediabiliter ſuccurrere, tenetur in ſententia probabili obedire,maximè ſi adſit iuſtitiæ vinculum,vt ſuo loco dicetur.

Item poteſt conſuetudo dari contra paupertatem etiam in particulari ratione naturali ſuadente excuſans à mortali, puta ſi Religioſi in aliquo Conuentu, & ordine non prouiderentur de victu, & veſtitu neceſſario ad vitam ſuſtentandam, & nota benè quod dico ſolum neceſſario ad vitam ſuſtentandam, non autem ad ſenſualitatem, vel luxum pertinenti, poſſent etiam in particulari ſibi de neceſſarijs præfatis honeſto, & iuri naturali conſentaneo modo ſibi prouidere, & conſequenter pecunias recipere, & expendere, quia hoc ſuadet ius naturale propriæ vitæ ſubſtentandæ congrua, & neceſſaria acquirere & retinere ſuadens, quod iuri diuino, & poſitiuo præualere certum eſt.

Dico ſecundò, quod contra eſſentialia Regulæ non poteſt præſcribi conſuetudo fundata in ſimplici voluntate nolentium ea ſeruare,etiam ſi ducantur aliena morali ratione, patet hæc concluſio,quia cum eſſentialia Regulæ pertineant ratione votorum ad ius diuinum,contra quod nec placita Principum,nec populi voluntas,nec vllum ius,& ratio poſitiua præualere poſſunt, conſequenter nec conſuetudo, quæ ad hoc vt legem tollat, vel minuat debet eſſe rationabilis, nulla autem moralis ratio poteſt contra ius diuinum, vtpote fortius obligans, adduci valebit, Ita communiter Theologi.

Dico tertiò,quod conſuetudo legitimè præſcribi poteſt contra præcepta non eſſentialia, ſed ſolum perfectionalia Regulæ iuxta 2. opinionẽ explicata,ita vt ea nõ ſeruantes poſt præſcriptam conſuetudinẽ nullo modo peccent mortaliter, ſecus ſi legitimè adhuc non ſit præſcripta conſuetudo; Probatur, quia conſuetudo legitima præſcripta iuxta conditiones poſitas in ſuperioribus Difficultatibus poteſt quicquid poteſt Princeps, *ex l. ſi quiſquam, ff. de diuerſitat. & tempor. præſcript. & leg.* 1. *C. de feud. & cap. ſuper quibuſdam, præterea de Verb. Signific Cina. l. 1. C. de emancipat. Henrich. Boich. in c. quanto de Iureiur. diſt.* 2. & notat etiam noſter *Moron. loc. cit. nu.* 8. ſed Sum. Pontifex, & Conc, vt ſupra cautum eſt de facto diſpenſarunt in talibus præceptis, vtpote de iure poſitiuo cum religioſis, ergo idẽ poteſt conſuetudo legitima præſcripta legitimè introducere contra huiuſmodi præcepta, cum hæc leges

poſitiuas abrogare valeat, vt reſolutum eſt, quare poſtquam legitimè præſcripta fuerit contra ipſa excuſantur à mortali Religioſi ea non ſeruantes, antequam vero ſit legitimè præſcripta conſuetudo contra præfata præcepta, ſemper peccant mortaliter regulariter loquendo Religioſi, quia adhuc præcepta obligant, donec fuerint abnegata à conſuetudine præſcripta legitimè.

Dices primò, ſcriptum eſt vouete, & reddite Domino Deo veſtro, ſed obſeruantia Regulæ vouetur, ergo obſeruantia Regulæ cadit ſub iure diuino, & non poſitiuo, ergo contra eius præcepta non præualet conſuetudo.

℞. quod obſeruantia Regulæ, vt ex dictis patet, alia eſt quoad eſſentialia, alia quoad perfectionalia, obſeruantia ergo Regulæ cadit quoad eſſentialia ſub ratione voti, non autem quoad perfectionalia, quæ ſolum extrinſece pertinent ad vota eſſentialia, & an obligent ſub mortali, ſub iure poſitiuo cadunt, vt probatum eſt.

Præterquam quod illud diuinum dictum vouete, & reddite Domino Deo veſtro obligat ſolum ſtante materia voti, non autem poſtquam materia voti non adeſt, vel ſublata eſt, præcepta autem iſta perfectionalia an cadant ſub materia voti eſt de iure poſitiuo, quia Papa, vel fundator ea determinare debet, an obligent ſub mortali, vel veniali, & ſicut Papa poteſt ea facere obligare ſub mortali, & poteſt facere, quod non obligant ſub mortali, ita etiã, & conſuetudo legitimè introducta, itaque dum Papa, vel conſuetudo faciunt talia præcepta eſſe materias votorum, & conſequenter obligare ſub mortali, tenentur Religioſi ita ſeruare, quando autem Papa declarat ea non eſſe materiam obligantem, ſub mortali, iam non tenentur Religioſi amplius ſub mortali ea ſeruare.

Dico quartò, quod introducentes conſuetudinem, citra rationem naturalem, contra præfata Regulæ præcepta, licet peccent ipſi, & ea etiam vtentes donec ſit legitimè præſcripta, attamen legitimè iam præſcripta poſſunt, & ipſi primi introducentes, et alii ſine peccato ea vti, quicquid alij in contrarium dixerint, probatur intentum, nam conſuetudo legitimè præſcripta abrogat legem ita, vt non ſit amplius obligatiua, quod priuilegium ipſe princeps legis lator tam ſecularis, quam Eccleſiaſticus concedit conſuetudini legitimè præſcriptæ contra legem propriam, ſed non diſtinguit Princeps quod introducentes eam contra legem, nequeant ea vti, ergo nec nos diſtinguere debemus, ergo dum iam lex nõ obligat tanquam abrogat à contraria conſuetudine, neminem iam obligat, nec ipſos primos introducentes, cum à tali priuilegio non excludantur.

Obijcies, quod ſi primi introducentes gauderent conſuetudine ab ipſis introducta contra legem, ſequeretur illud abſurdum, quod quis impunè poſſet reportare commodum de propria malitia, ſed hoc eſt falſum, ergo etiam quod introducentes contra legem conſuetudinem, poſſint ea vti.

Reſpondetur quod hoc beneficium, ſeu commodum quod conſuetudo legitimè præſcripta contra legem excuſet à peccato non habetur ab introducentibus eam, ſed ab ipſo legiſlatore, qui ob publicum bonum rationabiliter, ne ſcilicet peccata multiplicentur in populo, indulget, vt lex dicatur abrogata a contraria conſuetudine introducta, & legitimè præſcripta, itaque introducentes non reportant commodum à ſua malitia, ſed à beneficio Principis.

Dico quintò, quod conſuetudinem contra legem non adhuc legitimè præſcriptã, ſed vt eſt in fieri, & in via ad hoc, vt ſit legitimè præſcripta poteſt Superior tollere, & impedire, probatur ex eo, quod conſuetudo adhuc non habet vim legis abrogans legem contrariam, ſed ſtante lege contraria, vt potè non abrogata obligat, & conſuetudo contra ipſam eſt peccaminoſa, & abuſus dicendus ad ſuperiores autem pertinet, vt abuſus contra leges tollantur, & ſubditi ad leges non abrogatas ſeruandas compellantur impediendo ne in peccata prolabantur, patet ergo quod inſurgentem conſuetudinem contra legem, modo non ſit fundata in iure naturali, quia tunc ex ſe eſſet legitima, & rationabilis, poteſt Superior impedire, & tollere.

Nota autem, quod ſi ſemel à Superiore ſit interrupta conſuetudo inſurgẽs, nõ dicitur currere ad præſcriptionis tẽpus, & ſi denuò cõſuetudo reintroducatur nõ currità tẽpore primæ introductæ, quia cõſuetudo debet eſſe cõtinua, & non interrupta, ſi gaudere debet tempore præſcriptioni neceſſario; maximè in opinione probabili, quod conſuetudo vim habet à conſenſu Superioris, ergo ſi eam impedit, & tollit, præcedens non habet amplius ius ad præſcriptionem introducendam, vide *Ang. noſt. V. Conſuetudo* §. 10. & 11. *Merronum loco cit. n. 35. & 64. & Suar. de leg. l. 7. c. 18. n. 15.*

Dico ſextò, quod conſuetudines etiam legitimè introductæ, & præſcriptæ abrogantur primo ſi hic, & nunc fiant irrationabiles, vt potè contra bonum publicum, vel fouentes peccatum, patet ex eo quod conſuetudo, vt habeat vim legis abrogantis aliam legem, debet eſſe rationabilis, & retinere in ſe cauſam rationabilem, ob quam dicatur legitimè introducta, aliter ſicut lex ceſſante fine legis, ceſſat, & ipſa lex, ita etiam ceſſante fine conſuetudinis, ceſſat, & ipſa conſuetudo, & conſequenter ſi conſuetudo fiat irrationabilis contra bonum publicum, vel foueat peccata ſtatim præcepta reuiuiſcunt, & conſuetudo recedit, quod dictum maximè debent in ſuis conſuetudinibus contra præcepta Regulæ aduertere Regulares.

Secundò, abrogatur conſuetudo, ſi lege expreſſæ contraria à Superiore legitimo tollatur cum reuocatione conſuetudinis, vt habetur *in c. 1 de conſtitut. in 6. & in c. Conſuetudinis de Conſuetud.* quia, vt dictum eſt, conſuetudo habet vim legis à conſenſu Superioris ſaltem tacito, qui cum poſſit legem à ſe factam abrogare, ergo etiam conſuetudinem ſuo conſenſu introductam tollere poterit, eſſet enim valdè intolerabile, & irrationabile, quod Superior poſſet abrogare legem à ſe, vel ſuo Prædeceſſore factam, non autem conſuetudinem introductam ex ſuo, vel prædeceſſoris conſenſu ſaltem tacito.

Verum eſt tamen, quod ſi expreſsè non deroget per ſuam legem conſuetudini, non dicitur derogata, imo ſi cum lege poſſet compati cum reſtrictione etiam verborum legis, non cenſetur derogata, quia correctio legum eſt vitanda quantum fieri poteſt l. præcipimus C. de Appellat. & probatur etiam ex eo, quod legiſlator debet præſumi potius ſe velle conformari moribus ſubditorum, quam illis reſiſtere, ſi expreſsè non reſiſtat *ex c. erit autem lex diſt. 4. vide noſt. Merron. loc. cit. n. 104. & 105.* ea qua doctrina.

Colligere poſſunt Regulares quando conſuetudo introducta contra perfectionalia Regulæ vigeat, an vero iam ſit abrogata, an vero profeſſi regulam iam conſuetudine collapſam teneantur ad eius primæuam obſeruantiam præceptorum in ſequenti difficultate ventilabitur. Quare ſit

Vtrum profeſſi aliquam Regulam iam conſuetudine antiqua relaxatam teneantur ſub mortali ad illam ſeruandam prout in ſuo primæuo rigore inſtitutam, & an tuta conſcientia eam in rigore antiquo ſeruantes in tali ordine, vel Conuentu cum in obſeruantibus commuere valeant.

DIFFIC. XXV.

Dico primò, quod licet velint profeſſos Regulam iam antiqua conſuetudine relaxatam, teneri ad illam ſeruandam prout in ſuo primæuo rigore inſtitutam, quamuis tempore profeſſionis habuerint expreſſam intentionem non aliter ſe obligandi, quam ad Regulam illam tali conſuetudine relaxatam *noſter Corduba in expoſ. Reg. D. Franc. c. 10. q. 15. & Maior in 4. diſtinct. 38. q. 20. arg. 2. contra p. concluſ.* putantes cum prima opinione poſita in diffic. ſuperiori quod Regulæ præcepta cadant ſub voto, & ſint eſſentialia Regulæ dicenda, quare cum ſupponant eſſe de iure diuino, eadem probabilitate, qua hoc aſſerunt, conſequenter eadem probabilitate concludunt, quod, cum non poſſit legitima conſuetudo præſcribi contra præcepta de iure diuino ſeruanda, vouentes Regulã quantũuis relaxatam antiqua conſuetudine, tenẽtur ſẽper ad Regulam, & eius præcepta prout in Regula, non prout conſuetudine relaxata, quia talis conſuetudo cum non excuſet profeſſos, nec poterit ſuffragari eis, qui Regulam cum tali conſuetudine intenderent profiteri, non .n. Regula relaxata, quæ cum peccato mortali ſeruatur ab aliis poteſt eſſe materia voti, ſed ſolum ipſa Regula prout eſt inſtituta remanet materia voti, vtile enim non vitiatur per additionem inutilis, vt alibi ex Regulis iuris explicabitur, itaque tenentur taliter profeſſi ad Regulam ſeruandam in ſuo rigore, & ad eam ita ſeruandam ſunt compellendi: confirmant

mant hanc ſuam opinionem ex illo axiomate noſtri Alenſis ſcilicet, quod vouens vouet Regulam, non conſuetudinem, ſecundò, quia Clericus ſuſcipiens ſubdiaconatum, etiáſi non intendat vouere caſtitatem, tenebitur tamen ad illam, velit, nolit, quia caſtitas illi ordini eſt intrinſecè, & eſſentialiter annexa, debetque cogi ad illam ſeruandam, ergo à pari licet Religioſus intenderet vouere Regulam relaxatam, & non in primæuo rigore, quia in obſeruantia regulæ in ſuo primæuo rigore eſt intrinſeca Regulæ, quam non poteſt tollere conſuetudo contraria, tenebitur eam ſeruare pro vt in ſuo primo rigore inſtitutam, & ad eam ſic ſeruandam cogi poterit.

Attamen mitius alij, & probabiliter diſtinguunt Religioſos in foro Conſcientiæ non teneri ad obſeruandam Regulam iam ex præſcripta conſuetudine relaxatam circa perfectionalia modo explicato in ſuperiori difficultate, ſi cum ea intentione expreſſa, vel tacita profeſſi ſint eam ſeruare ſolum vt ſic relaxatam, at vero teneri ad Regulam licet relaxatam quoad eſſentialia ſeruandam prout in primæuo ſuo rigore, etiam ſi expreſſam habuerint intentionem vouendi eam vt relaxatam, & hanc ſecundam partem aiunt probare primam opinionem ſuis rationibus. Ita *noſtra Roſella V. Religio 2. nu. 12. Morron. in Centur. Reſponſit, Reſp. 3. num. 38. Abbas cap. ſuper eo num. 5. de Regul. & cap. Deus qui num. 13. de vita, & honeſt. Cler. & cap. cum ad monaſt. num. 18. de ſtat. monach. Felin. c. cum ad concupiſcentiam num. 12. de conſtit. Decius cap. cum ad noſtram num. 21. & 22. de Appell. in noua edit. Sylu. V. Religio 3. q. 12. Caſt. Palaus tract. 16. de Relig. diſp. 4. p. 4.* & alij, & probatur expreſsè prima pars, quia iam probatum eſt ſupra perfectionalia non eſſe eſſentialia Regulæ, & votis ſolemnibus, & de iure ſolo poſitiuo ſeruanda eſſe, non autem diuino, cum eorum obſeruantia vtrum ad peccatum mortale obliget à iure poſitiuo ſit explicatum, ſi enim obligarent ex voto, non deberet explicari à iure poſitiuo, cum ex ſe ſit clarum ſub peccato mortali ſeruanda, itaque contra dicta perfectionalia potuit legitima introduci conſuetudo excuſans circa eorum inobſeruantiam à mortali, & conſequenter dato, quod præſcripta iam fuerit conſuetudo contra præfata perfectionalia, Regula tuta conſcientia ſeruatur ita relaxata circa præfata, ergo etiam profitens Regulam, ita relaxatam, & tuta conſcientia ab aliis ita ſeruatam potuit legitimam habere intentionem eam ſolummodo profitendi, ſicut tuta conſcientia ab alijs tunc ſeruabatur, quia vt legitima conſuetudine relaxata eſt materia voti, cum peccaminoſum aliquod non includat, ergo non tenetur eam ſeruare iuxta primæuum rigorem, etenim actus agentium non operatur vltra intẽtionem eorum *l. non omnes ff. ſi cert. petat. l. in Agris ff. de acquir. Dom.* & actus iudicatur ſemper à principali intentione, *ſi quis nec cauſ. in princ. ibi Bald. ff. ſi cert pet. & l. qui excep. ff. de Condic. Deb. & l. 1. ad leg. Cornel. de Sicar.* cum ergo intenderit profitens Regulam eam ſolum vouere vt relaxatam, & relaxatio non ſit peccaminoſa, cum iam ſit legitima conſuetudine introducta, non tenetur, nec poteſt cogi ad eam ſeruandam prout in primo ſuo rigore inſtitutam.

Adde quod Votum eſt lex priuata, quam homo ſibi liberè imponit, ſicut ergo lex non obligat vltra intentionem legiſlatoris, ita nec votum vltra intentionem vouentis.

Quod autem tacite vel nullo habita cogitatione vouerunt Regulam conſuetudine legitimè præſcripta relaxatam, non teneantur ad eandem ſeruandam pro vt in ſuo primo rigore, ſed ſolum vt de præſenti ſeruatur ita collapſa, patet quia taciti, & expreſſi eadem eſt vis in rebus conſuetis communiter, vnde agens conformiter ad conſuetudinem loci intendit operari, ſi contrarium non exprimat, quare vouens implicite dicitur vouere Regulam ſicut præſenti conſuetudine ſeruatur communiter, etenim ſi interrogaretur profitens, an velit ſe ſe obligare ad primæuum Regulæ rigorem, an vero ſicut modo mitigata à cõſuetudine ſeruatur, certe reſponderet, ſe Regulã velle profiteri eo modo, quo in præſenti communiter ſeruatur.

Ceterum licet prima opinio ſit tutior, quia ad obſeruantiam compellit, attamen vtentes ſecunda hac opinione tuti ſunt in conſcientia Regulares, modo ſit introducta legitima conſuetudo habens omnes conditiones poſitas in ſuperioribus difficultatibus, quia probabilis eſt admodum, quare pro conſolatione ſpiorum, & à ſcrupulis liberentur volui reſpondere ad argumenta primæ opinionis, vt appareat probabilitas huius ſecundæ ſententiæ, &c.

Ad primum nego, vt in ſuperiori difficultate probatum eſt, perfectionalia præcepta eſſe de iure diuino, cum eorum obligatio ad mortale à voluntate fundatoris, vel Papæ, vel conſuetudinis dependeat, & non præciſe à voto, nam ſi à voto eorum obligatio penderet, vtique abſque alia declaratione obligarent ſub mortali, quare cum pertineant ad ius poſitiuum, potuit contra ipſa induci legitima conſuetudo excuſans à peccato.

Ad confirmationem *ex noſt. Alenſi*, dico quod explicandus ſit de conſuetudine contra eſſentialia, contra quæ ſicut non poteſt induci conſuetudo, ita nec etiam contra ipſa voueri, cum autẽ conſuetudo legitima poſſit introduci cõtra perfectionalia mitigans, & mortificans Regulam quoad obſeruantiam perfectionalium, vtique talis conſuetudo tanquam legitima poteſt voueri cum Regula.

Ad ſecundum dico, quod non concludit contra præfatam poſitionem, nam ſententia probabilis eſt, vt ſuo loco probabimus, quod Caſtitas ſit ſolum extrinſece annexa ex ſtatuto Eccleſiæ ordini ſacro, ita vt ſi ordinandus proteſtetur ſe nolle caſtitatem ſeruare, non poſſit cogi ad eam ſi cum tali proteſtatione ordinetur in ſacris, vt aperte reperitur definitam in *Concilio Ancyrano cap.* 10., quod etiam citatur *a Patre Diana p. 8. tract. 1. Reſol. 72.* ſtante ergo hac probabilitate, potius argumentum eſt in fauorem contrariæ poſitionis, vt patet ratiocinanti.

Quod ſi teneatur Votum Caſtitatis eſſe intrinſece annexum ordini ſacro, ex eo, quod Eccleſia non intendat rite conferri ordinem ſacrum niſi ei, qui implicitè ſaltem intendit ſeruare Caſtitatem, & propter hoc irritat matrimonium contractum ab ordinato in ſacris, vnde non poteſt ordinandus in ſacris ſeparare votum caſtitatis ab ordine ſacro, cui intrinſece, & eſſentialiter includitur, & ſecundum hanc doctrinam nec argumentum iſtud eſt contra poſitionem præfatam, quia ſecundum iſtam obſeruantia perfectionalium non includitur intrinſece, & eſſentialiter in voto Regulæ, ſicut votum caſtitatis in ordine ſacro, vnde diſpar eſt ratio.

An vero in aliqua Religione iam ſit introducta legitime pręſcripta conſuetudo contra perfectionalia Regulæ, ita vt in foro conſcientię tuti, & abſque ſcrupulo mortalis peccati viuere valeant hoc opus, hic labor eſt; meum fuit vſque huc probare in hoc caſu quid iuris, non eſt tamen meum oſtendere quid facti, cum quid facti, an ſcilicet de facto ſit introducta legitime præſcripta conſuetudo in aliqua Religione, non poſſit mihi innoteſcere.

Itaque omnes, & ſingulos Religioſos hic rogatos, & monitos vellem, vt abſq; vlla ſenſualitatis, & intereſſis mundani, & temporalis, ſed corde ſincero, & intellectu vndequaq; à paſſionibus purgato inquirant, an conſuetudo, quam prætendunt legitime iam præſcriptam contra ſuæ Regulæ præcepta obligantia ſub mortali, ſit circa perfectionalia ſolum, vt ſunt præcipue in noſtra Seraphica Regula præcepta de non equitando, de calciamentis non portandis, de non habendis pluribus tunicis, quam duabus, & con ſimilibus, quæ recenſita ſunt ſuperius, habeat deinde oẽs cõditiones neceſſarias ad verã, & legitimam cõſuetudinem introducendã, videant an contra conſenſum Superiorũ iſtæ relaxationes ſint introductæ, an in Capitulis Prouincialibus, vel Generalibus prohibitæ, & damnatæ, perquirant an poſt vltimum Capitulum generale, vel Prouinciale, in quo dictæ relaxationes fuerunt inhibitæ, ſit tranſactũ ſaltem decennium, per quod ſucceſſiue, ſine interpollatione à cõmuniori parte Religioſorum adhuc tales relaxationes fuerint contra talia præcepta amplexatæ, & practicatæ abſq; alia interruptione Superiorum, vel Pontificiarum conſtitutionum eas remouentium, & tollentium, & iuxta hanc perquiſitionem factam, ſi nullo modo impeditæ fuerũt hæ relaxationes circa perfectionalia per decennium ſaltem completum continuum à Superioribus, iam legitime nouerint eſſe introductam conſuetudinẽ, & à taliũ preceptorũ obligatione ſe eſſe immunes.

Quod ſi ſecus ſcilicet, quia tales relaxationes poſt eorum profeſſionem contra Superiorum conſenſum fuerunt introductæ, & in Capitulis Generalibus, vel Prouincialib. prohibitę, ita vt earũ vſus quoquo modo interruptus per decenniũ cõtinuũ nunquã fuerit pręſcriptus, tunc non adeſt conſuetudo eos excuſans, vnde iuxta Regulæ rigorẽ debẽt ſeruare præcepta, nec à difficultate ea ſeruandi retreantur, memores, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam,

quæ

Digitized by Google

quæ reuelabitur in Regulam promiſſam ſeruantibus, et quia momentaneum hoc, et leue tribulationis in eius obſeruantia æternum gloriæ pondus operatur in Cœlis.

Vtrũ vero Superiores in tali relaxatione contra perfectionalia Regulæ, ſi conſuetudo adhuc poſt profeſſionem Religioſorum ſuorum non fuerit legitimè præſcripta excuſans à mortali, faciliores debeant, et poſſint eſſe ad diſpẽſandũ, quã ad reformandum, diſtinguendum videtur, nam vbi maior, et ea etiam ſanior, et grauior pars Principalium Patrum relaxatione contra perfectionalia vtitur, quia difficillimè reformationis effectus habebitur, niſi ex ſpecialiori Dei mouentis auxilio, tentari quidem debet, ſed ſi non inueniantur diſpoſiti prefati grauiores Patres, vel quia ſenſualitatis affectu iã in dictis relaxationibus nimis deuincti, vel fortè aliqua ſaltem apparenti ratione ſuffultos ſe credant in viuendo in talibus relaxationibus, potius diſpenſandum cum eis à Superiore, ſi poſſet, vel à Papa petendam pro eis ſolummodo, quam eos in periculo damnationis æternę relinquere, ne enim multiplicentur peccata in populo ex difficultate, quæ habetur in ſeruandis pręceptis, diſpenſandi leges eſt ſufficiens cauſa, refriguit enim hodie charitas, et perfectionis acquirendę ardor;

Attamen, ne Religionis obſeruantia cadat, pro ijs, qui ad Religionem in poſterum ſunt admittendi, abſolutè curandum, vt in rigore Regulę, et pręceptorum non ſolum educentur in Nouitiatus anno, ſed etiam diligentius poſt profeſſionem cogantur ſeueris contra tranſgreſſores propoſitis pœnis ad eorum rigoroſam obſeruantiam memores Regularium Superiores, quod plantę creſcentes ſi videantur curveſcientes facili negotio diriguntur, et rectæ poſtea retinentur, & ſæpè ſepius flexę, et baculo recto alligatæ, vt rectę creſcant, non franguntur, at vero iam factę groſſiores, et curuę iam creuerint, potius franguntur, quam dirigantur vnquã quantacumque diligentia adhibita, flectantur quare optimũ conſilium cum antiquioribus iam in Regulę obſeruatione perfectionalium incuruatis, vt curetur diſpenſandum, ne ex eorum directionis cura potius frangantur, quam dirigantur, creſcentes tamen moderniores baculo diſciplinę, etiam ſi curueſcerent in obſeruatione facilius diriguntur, et in ea retinẽtur, magis enim charitati conſonum, eſt antiquiores diſpenſationis beneficio in vitam æternam dirigere, quam rigore reformationis fractos æternarum pœnarum obiectare periculo.

Quare admodum pie noſtræ minoriticæ obſeruantiæ Generalis miniſter Franciſcus à Soſa, vt ſubditos ſuos à multis conſcientiæ ſtimulis redderet immunes dedit ſupplicationem Clementi VIII. Pontifici maximo circa aliqua præcepta Regulæ Sancti Patris Franciſci, quæ dignaretur declarare non eſſe obligantia ſub mortali, vt habetur in *Conſtitut. Pontificus ad ordinem noſtrum ſpectantibus fol. 339. & ſub his verbis Papa Clemens reſpondiſſe refertur à præfato Generali.*

Sanctiſſimus vero Dominus his omnibus lectis, & examinatis conceſſit, & declarauit, quod in quatuor vltimis, nempè in numero veſtium, in calciamentis, in equitando, & in ieiunio non Eccleſiæ, ſed Regulæ tantum, non obligantur fratres ad peccatum, niſi adſit ſcandalum, aut contemptus, ea lege, quod veſtibus vilibus induantur, & tempore ieiunij cibis quadrageſimalibus vtantur iuxta morem Patriæ, & Eccleſiæ ieiunijs obſeruatum, & hoc in foro conſcientiæ tantum, in exteriori vero pœnis in ordine conſtitutis ac præfinitis contra tranſgreſſores Regulæ præſertim in his caſibus ſubiaceant, & vt his integra fides habeatur ſigillo noſtri officij munimus, & propria manu ſubſcribimus Dat. Romæ in noſtro Aracæli t. Conu. 29. Iunij 1603.

Nec obſtat, quod hæc conceſſio Clem. VIII. ſit hodie nulla ex eo quod priuilegia, et gratiæ datæ etiam Generalibus ordinum viuæ vocis oraculo, vt eſt hæc, reuocatæ fuerint *ab Vrbano VIII. in ſua conſtitut. quæ incipit alias fælicis Recordat. data die 20. Decembr. 1631. & habetur in Append. ad T. 4. Bull. fol. 18.*

Etenim, præterquam quod iſta conceſſio non eſt ſimpliciter priuilegium, & gratia, ſed eſt declaratio Papæ ſuper dictis præceptis, vnde ſtatim habuit ſuum effectum, & conſequenter non cenſetur reuocata, cum per declarationem *Sac. Congreg. Cardinalium* 1625. habeatur, quod ea priuilegia, & gratiæ viuæ vocis oraculo habita ſuum ſortita erant effectũ ante Greg. XV. Bullam, non intelligebantur reuocata, vt videre eſt apud *Barboſam Collect. deciſ. Apoſtolic. V. oraculo viuæ vocis n. 3. & Peyr. ibid. n. 9.*

Probabile eſt etiam, quod priuilegia, & gratiæ viuæ vocis oraculo facta, ſi poſtea confirmentur à Papa eodem, vel ſucceſſore per Bullam cum clauſula ex certa noſtra ſcientia, intelliguntur bullata, & ceſſant eſſe oracula viuę vocis, etiamſi in genere, & non in ſpecie confirmarentur dicta viuæ vocis oracula, nam per dictam clauſulam ex certa noſtra ſcientia præſumitur Papa ſcire omnia oraculo viuæ vocis priuilegia facta, & conſequenter dum ea per Bullam confirmat, præſumitur ea omnia ſingillatim per Bullam de nouo concedere ex certa ſua ſcientia, vnde ceſſant eſſe viuæ vocis oracula, & dicuntur Bullata. Ita *noſtri Rodriq. T. 1. q. 8. a. 2. & 3. & Hyer. Rodriq. reſol. 77. num. 45. & reſolut. 116. num. 9. Portel. V. Priuil. Reg. n. 26. Lezan. T. 4. V. Priuil. Reg. n. 23. & V. Oracula viuæ num. 3. & Pereg. l. 5. conſtitut. Greg. XIV. fol.* 303. quare non dicuntur reuocata ea priuilegia viuæ vocis oraculo data, ſi fuerint, vt ex certa ſcientia à Papa confirmata.

At vero gratiæ, & priuilegia facta noſtro ordini etiam viuę vocis oraculo confirmata fuerunt per Bullam à Clem. VIII. quæ incipit ratio paſtoralis anno domini 1597. & alteram Pauli V. incipientem Iniuncti nobis datam 1609. cum illa clauſula ex certa noſtra ſcientia, ergo dicenda ſunt iam Bullata, & non oracula viuæ vocis, quare per Bullam præfatã Vrbani VIII. non intelliguntur reuocata,

Inſtabis ſaltem ceſſat dicta conceſſio Clementis VIII. quia Superiores noſtri ordinis apud Vrbanum VIII. renunciauerunt omnia, & ſingula priuilegia, & gratias, & declarationes relaxantia puritatem Regulæ, & maximo in Capitulo Generali Toleti celebrato anno Domini 1633. cum proteſtatione, quod fratres intendebant viuere in puritate Regulæ abſque priuilegijs relaxationis.

Reſpondetur, quod licet tutius in praxi conſulendum putem eſſe validam huiuſmodi renunciationem, & pro tali habendam ab omnibus perfectæ obſeruantiæ cultoribus, et ſecundum eam viuendum in noſtra obſeruantia ſemper ſit monendum, et quamplurimos, et ſanè maiorem partem credo, ſecundum talem renunciationem viuere in meo ordine iuxta puritatem Regulæ abſque priuilegijs relaxatiuis, atque adeo tutius, et probabilius videtur dicendum ceſſare etiam hodie præfatam Clem. VIII. declarationem relaxatiuam contra præfata præcepta.

Attamen quia omnibus debitor ſum, quid ſaltem ſpeculatiuè loquendo poſſit circa hunc caſum reſponderi ſi quæratur.

Dico, quod probabile mihi videtur, quod cum puritas Regulæ attendatur non ſecundum perfectionalia, ſed ſolum ſecundum eſſentialia, vt probatum eſt in ſuperioribus, præfatam renunciationem circa priuilegia relaxatiua puritatis Regulæ noſtræ intelligendam ſolum de priuilegijs relaxatiuis præceptorum eſſentialium, votorumque ſolemnium præcipuè Paupertatis, non autem de relaxatiuis præceptorũ perfectionalium, cuiuſmodi ſunt ea quæ declarantur in præfata conceſſione Clem. VIII. quod mihi perſuadet illud axioma Iuriſtarum, quod correctio legum vitanda eſt quantum fieri poteſt, & explicanda lex corrigens quanto minus offendat legem corrigendam, maximè ſi lex correcta iuxta verborum legitimam ſignificationem poſſit cum lege corrigente cohærere, itaque cum hæc explicatio circa hanc conceſſionem Clem. VIII. fundata in opinione probabili poſſit cohærere cum dicta renunciatione, adhuc manere talem conceſſionem Clem. VIII. dicendum eſt.

Inſtabis quod ab Vrb. VIII. in bulla ad preces Bernardini de ſenis miniſtri Generalis, quæ incipit, ſacroſanctum Apoſtolatus miniſterium, declaratur integer habitus fratrum vna tunica cum caputio, et alia ſine caputio, et pluralitas prohibetur tunicarum, & vſus ſimiliter cuiuſcumque operimenti in pedibus inhibetur non obſtante quocumque contrario indulto Apoſtolico.

Reſpondetur, quod Clemens VIII. non indulſit, ſed declarauit in foro conſcientiæ non peccare mortaliter fratres præfatorum tranſgreſſores puniri tamen voluit poſſe in foro fori, itaque vt vitetur legum correctio, dicendum probabiliter Vrbanum VIII. in præfata Bulla locutum fuiſſe in foro fori, non autem abſtuliſſe declarationem Clem. VIII. indulta enim

ta enim tollat ibi Vrbanus, non autem declarationes an obligent præfati ſub mortali nec ne.

Accedit pro iſtius reſponſionis probabilitate praxis Superiorum videntium, & toleraotium fratres equitantes, calceatos, & plures tunicas habentes, quod ſi circa iſta intelligenda ſit facta renunciatio priuilegiorum, dicendum eſſet ipſos mortaliter peccare, dum non emendant, non corrigunt, non impediunt, cum ſane legitime, & faciliter poſſent tollere haſce relaxationes mortales, at vero mihi magis prium videtur dicere tales Superiores vti in hac parte opinione probabili, quod priuilegia relaxatiua perfectionalium Regulæ non ſint renunciata, quam eos non impedientes, & non emendantes, & fratres tales relaxationes, & ſimiles amplectentes publice, mortaliter peccare, & in æternę damnationis ſtatu reperiri.

Quod ſi hęc reſponſio non arrideat, poſſet aliter dici probabiliter, quod ſcilicet renunciatio priuilegiorum perfectionalium Regulæ relaxatiuorum licet pio admodum zelo facta fuerit, & iure optimo à Capitulo Generali, non afficiat tamen fratres, qui iam profeſſi erant Regulam cum dictis relaxatiuis modificatam, quia vt difficultate ſequenti probabo, non poſſuot Superiores Ordinis, imo nec Papa cogere fratres profeſſos Regulam conſuetudine, vel priuilegio modificatam, & relaxatam circa perfectionalia ad Reformationem, vel Strictiorem Regulæ obſeruantiam vltra modum, quo eam profeſſi ſunt, quia nec aliter, nec alio modo ſe ſe vouentes aſtrinxerunt Papæ, & Superioribus obedire, niſi ſecundum Regulam ita relaxatam priuilegio, vel conſuetudine, quare vltra ſuam intentionem in vouendo habitam non poſſunt aſtringi, vt infra probabo.

Vnde nec a Prouincialibus potuit nomine omnium, ſibi ſubditorum hæc renunciatio fieri in Capitulo Generali niſi habita prius commiſſione ſpeciali à fratribus in capitulis ſingulis localibus, vel Prouiocialibus ſaltem à Guardianis, & al.js cum ſpeciali conſenſu fratrum determinandi de hac re, etenim quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, & quod ſingulos tangit immediate debet à ſingulis approbari, vt infra (verbo Priuilegium) dicetur; hinc dicta Clemen. VIII. declaratione circa perfectionalia Regulæ poſſunt ſine ſcrupulo vti fratres ante renunciationem præfatam profeſſi, ſicut etiam ceteris priuilegis relaxatiuis perfectionalium, an autem ſit tale priuilegium vtendi Procuratoribus Apoſtolicis Martinianis, videbitur ſuo loco; fratres autem profeſſi poſt renunciationem debent omnino cogi ad obſeruantiam puritatis Regulæ, ſi etiam perfectionalium relaxatiuorum ſit facta renunciatio, hortor tamen fratres meos, vt Regulam in vera puritate, in qua eſt fundata, ſeruent memores, quod momentaneum quod delectat.

Dico tamen vltimo, quod ſi in aliquo Ordine, Congregatione, vel Conuentu non adſit præceptorum eſſentialium, & ſolemnium obſeruantia in communi, fratres illi, qui poſitiue ſcilicet conſentiendo, conſulendo, fauendo, fouendo, eſequendo, vel omiſſiue ſcilicet non impediendo, non reſiſtendo, non reclamando contra talem inobſeruantiam concurrerunt, vel concurrunt, mortaliter peccarunt, & peccant, niſi actiter pro viribus impediant, vel reſiſtant, & inobſeruantiam ſaltem apud Superiores reclamando tollendam curent, qui vero nec poſitiue, nec omiſſiue concurrerunt, nec concurrunt, & ſi potuiſſent, & poſſent tollere tales abuſus, libentes facerent, & apud Superiores non omittunt contra relaxationes clamare, ſi modo clamando profecturos ſe ſperent, licite poſſunt in tali ordine, & Conuentu commorari modo iuxta Regulæ præſcriptum neceſſaria præcepta ſeruent, & poſſunt vti libere talibus rebus licet contra votum paupertatis ab alijs acquiſitis moderate tamen iuxta Regulæ intentionem. Ita *noſter D. Bernardinus Senenſis in ſuis declarationibus ſuper Regulæ Seraphicæ præceptis* pro hac firmanda concluſione loquitur, *Si in locis ſit magna ſuperfluitas, & curioſitas, ex eis non vitiantur fratres, niſi ſolum introducentes, vel conſentientes ſi ad eorum officium pertineat, vel quicunque alij, ſi commode poterunt, non reſiſtentes.*

Verum eſt tamen, quod ſi malo exemplo inobſeruantium probabile periculũ Regulæ obſeruatores incidendi in Regulã contra ipſius cultum, ad alium locum, vel ex Papæ diſpenſatione ad alium Ordinem conuolare tenentur. *V. noſtrum Monzam in declarat. Reg. 1.*

Vtrum profeſſi Regulam conſuetudine legitimè iam præſcripta relaxatam contra perfectionalia Regulæ poſſint ad Reformationem cogi à Summo Pontifice, & ceteris Superioribus Ordinis, ita vt ſub mortali teneantur viuere iuxta antiquum Regulæ rigorem.

DIFFIC. XXVI.

Dico primò, quod ſi Reformatio præcipiatur tanquam moraliter neceſſaria ad conſeruationem Regulæ ita relaxatæ, iuxta quam profeſſi ſunt, ad hoc ne, vt ſic relaxata ex legitime præſcripta conſuetudine in maiorem relaxationem in futurum ruat, tenentur profeſſi talem reformationem recipere, ſiue à Papa, ſiue à Superioribus Ordinis præcipiatur, quia Religioſi ſinguli ſunt obligati ad conſeruationem Regulæ in eo ſtatu, in quo eam ſunt profeſſi, vnuſquiſque enim iure naturæ ſicut obligatur ad ſui eſſe conſeruationem, ita etiam Religioſus obligatur ad conſeruationem ſuæ Regulæ, a qua eſſe Religioſi ſuſcepit, ergo tenentur moraliter neceſſaria ad eſſe ſuæ Regulæ conſeruanda in eo ſtatu, in quo eam ſunt profeſſi acceptare, ne in peius labatur, & forte deſtruatur. Ita etiam noſter *Morron. Reſponſ. 3. n. 88. & Caſt. Palaus de Voto Relig. diſp. 4. p. 4.*

Dico ſecundò quod profeſſi Regulam aliquam conſuetudine legitime præſcripta iam relaxatam, & mitigatam non poſſunt cogi à Summo Pontifice, tanto minus à ſuis Superioribus ad reformationem acceptandam cum obligatione ſeruandi Regulam iuxta antiquum rigorem à ſuo fundatore inſtitutam, quod probo ſupponendo quod magna eſt differentia inter obligationem obediendi Papæ vt eſt ſupremus Monarca, & Princeps omnium fidelium Chriſtianorum, & prout eſt ſupremus Generalis omnium Religioſorum, nam primo modo tenentur omnes Chriſtifideles tam ſæculares, quam Clerici, & Religioſi ei obedire in quibuſcunque pertinentibus ad bonum Regimen Reipublicæ Chriſtianæ, ſecundo autem modo tenentur ei obedire Regulares ſolum in ijs, in quibus ratione Voti, & Regulæ profeſſæ ſe ſe arctauerint ita, vt ſupra ea, quæ in Regula ſpecialiter vnuſquiſque non promiſit, non tenentur Religioſi obedire, quia actus agentium non operatur vltra intentionem ipſorum *l. non omnes ff. ſi certum pet. l. in Agris de acquir. rer. Dom.* & actus ſemper iudicatur à principali intentione agentium *l. ſi quis nec cauſ. in princ. & ibi Bald. ff. ſi cert. pet. l. qui exceptionem ff. de Condit. Deb. l. 1. C. ad leg. Cornel. de Sicar.* cum ergo ſe ſe obligauerint Religioſi ad ſeruandam, hanc Regulam legitime præſcripta conſuetudine iam modificatam, & non ad ea, quæ ſupra Regulam ſunt, non poſſunt, nec debent vltra eorum intentionem ad ea, quæ ſupra Regulam ſic conſuetudine præſcripta modificatã, ſeruanda, alias fieret eis iniuſtitia, nec obligarentur coacti ad ea ſeruanda in foro conſcientiæ, nec enim poteſt vere licite, & iuſte cogi quis ad ſoluendum ea, quæ non promiſit; ergo nec Papa, nec Superiores poſſunt cogere Religioſos ad acceptandam reformationem ſupra ea quæ in Regula conſuetudine relaxata ab ipſis profeſſa non continentur.

Hinc Cœleſtinus V. Papa *in ſua ſumma Cœleſtina parte 3. c. 6.* hiſce formalibus verbis hoc meum dictum confirmat dicens, Nota, quod ſicut quis non poteſt cogi ad vouendum, ita neque ad Voti augmentum, ergo nec Papa, nec Superior poteſt cogere Religioſum ad augmentum voti, ſcilicet ad ſeruanda quæ ſupra Regulam mitigatam profeſſam ſunt. Ita etiam *noſt. Moron. Caſt. Palaus loc. citato, & Sanchez in ſum. T. 2. l. 6. c. 2. n. 2.* & alij.

Confirmatur propoſitum, quia votũ eſt lex priuata, quam ſibi quiſque libere imponit vnde Superior etiam Papa nullam habet facultatem, & ius ſupra dictum vouentem niſi iuxta formam voti, & intentionem eius liberam in vouendo, acquirunt ergo Papa, & Superiores ius, & poteſtatem in vouente Religioſo, quatenus Religioſus eſt, ab intentione eius ſe ſe per votum eis libere ſubdente, ergo vltra intentionem eius in voto, non habent Papa, & Superiores in eo iuriſdictionem, & poteſtatem, ergo non poſſunt eum cogere iuſte vltra quod in voto per legem ſibi libere particulariter impoſitam ſe ſe arctauerunt, & obligauerunt; quare cum ſinguli Regulares promiſerint in vouendo talem Regulam eam ſeruare vt à præſcripti conſuetudine legitime introducta modificatam, & non vt in

ſuo

ſuo primæuo rigore inſtitutam, non poterunt iuſtè cogi ad reformationem acceptandam,itaut obligentur ad Regulam ſeruandam iuxta primæuum rigorem à fundatore inſtitutã, vltra enim intentionem,quam habuerunt in vouendo, non poſſunt,nec debent cogi,quare ſi cogerentur ad reformationem talem acceptandam vltra intentionem eorum in voto ſolemni habitam, non tenentur acceptare, nec coacti ad illã peccant, ſi non ſeruent præcepta, quæ ſupra Regulam relaxatam profeſſam traduntur ſeruanda.

Confirmatur, quia ad perfectionem acquirendam nullus debet cogi,cum perfectio ſit voluntariè, & liberè acceptanda,eſt enim de conſilio,ſolum,& non de præcepto, Religioſus ergo profeſſus regulam iam antiqua præſcripta conſuetudine relaxatam ſolum ex conſilio tenetur ad perfectius illam Regulam ſeruandam, non autem ex præcepto, nec ſub mortali, ergo ad eam perfectionem acceptandam non poteſt cogi.

Adde quod Religioſi ſolum poſſunt dirigi in eo ſtatu perfectionis, quem vouerunt, & ad quem ſeſe arctauerunt, & non ad altiorem, nam Religio eſt ſtatus conſilij, & libertatis antequam voueatur, ergo quando vouetur habet vouens liberam poteſtatem eam vouendi in tali ſtatu,minus perfecto, & non in alio perfectiori, & altiori iuxta ſuas vires, quas recogitat forte in vouendo ſaltem virtualiter,dum hunc ſtatum Religionis relaxatum, & non in ſuo rigore ſeruatum vult potius vouere, ergo ſolum iuxta ſuam libertatem, quam habuit in vouendo debet, & poteſt dirigi iuxta profeſſam Regulam mitigatam, & non iuxta altiorem, & perfectiorem modum, quare cum Religioſi non teneantur, vt Religioſi ſunt obedire Papæ,& Superioribus, niſi quatenus in profeſſione ſeſe ſolum obligauerunt ſeruare Regulam, non poſſunt cogi à Papa,nec à Superioribus ad perfectiorem ſtatum eiuſdem Regulæ ſeruandum, & reformationem acceptandam vltra perfectionem Regulæ mitigatæ profeſſæ.

Dices primò, Religioſi vouentes in aliqua Religione vouent Regulam, non conſuetudinem ſi ergo Regulam in ſuo rigore tenentur ſeruare, et conſequenter ad reformationem acceptandam.

Reſpondetur,quod verum eſt,antecedens in illa Religione,in qua non adeſt conſuetudo legitimè præſcripta contra rigorem Regulæ iuxta ſuum primæuum inſtitutum,quia iſta cum ſit peccaminoſa, & potius abuſus, non poteſt voueri, quia materia voti,non poteſt eſſe aliquod peccaminoſum, et malum,at vero in illa Religione,in qua ex præſcripta legitima conſuetudine, quæ neceſſariò eſt rationabilis,Regula eſt mitigata, modificata, & relaxata, poteſt vtique Regula cum tali conſuetudine,et mitigatione eſſe materia voti, & legitimè intendi à vouente voueri,vt taliter legitimè,& rationabiliter relaxata,et mitigata, vnde ad altiorem, et perfectiorem ſtatum vltra ſuam intentionem in voto habitam non poteſt, nec debet cogi.

Dices ſecundò, quod Papa poteſt omnes conſuetudines tollere contrarias eis leges ferendo cum ſpeciali derogatoria conſuetudinum,vt patet in praxi; ergo ſi tollat,et abroget ſpecialiter conſuetudines qualcunque inductas contra primæuum Regulæ rigorem,poterunt Regulares ad illas cogi ſeruandas iuxta primæuum rigorem, cum conſuetudo legitimè excuſans iam ſit à Papa, vt ſupponitur, abrogata.

Reſpondetur, quod antecedens verum eſt in omnibus illis, in quibus obſeruantia ſolum dependet à iure communi, et à poteſtate Superioris ad bonum regimen communitatis, non autem in ijs,quorum obſeruantia ab aliquo iure ſpeciali,vel ſola voluntate ſubditorum habuit dependentiam,quia circa iſta habet Papa ſolum eam poteſtatem, & iuriſdictionem,quam ipſi particulares ſpeciali arctatione præbuerunt liberè, et voluntariè, conſuetudines ergo contra Regulam tollere poteſt Papa, & Superior, pro ijs, qui in futurum Regulam ſunt profeſſuri,ita vt qui velit profiteri Regulam, poteſt vtique ſtatuere, vt eam in ſuo rigore profiteatur, et non antiqua conſuetudine mitigatam,vtpotè iam denegatam,at vero poſtquam iam cum Regula profeſſa eſt talis conſuetudo,non poteſt amplius à Pontifice, nec à Superiore tolli, quia iam habuit effectum ſuum talis conſuetudo apud tales Religioſos,nec contra eorum intentionem in voto habitam, habet Papa amplius poteſtatem.

Dices tertiò, quod Pontifices de facto multa ſtatuerunt pro Religioſorum Reformatione, ergo cum dicendum ſit eos iuſtè ea decreuiſſe, et negandum omnino quod iniuſtè reformationem iuſſerint acceptandam, ſequitur quod iuſtè poſſint, et potuerint cogere Religioſos ad Reformationem ſuæ Regulæ acceptandam.

Reſpondetur, quod Pontifices ſummi multa ſtatuerunt de facto pro Religioſorum reformatione, quæ vel neceſſaria ſunt ad manutenentiam Religionum, ne cadant in vlteriores relaxationes, vel quia putant non adeſſe adhuc conſuetudine legitimè præſcripta relaxationes introductas cõtra Regulã, ita interdũ in diſcreto zelo quibuſdã Superioribus ſuggerentibus, qui vt ſeſe bonos, et zelantes Religioſos oſtentent, et maiores dignitates ſub hoc pallio aucupentur, ruinam ſuarum ouium flocci pendunt,Pontifices autem paterno affectu eorum petitionibus inclinati intendentes Regularium maiorem profectum ad reformationes Regulæ conſtitutiones iuſtiſſimè tradunt, ſanè non intendentes contra iuſtitiam ipſis renuentibus ſubditis conſuetudines legitimè præſcriptas contra puritatem Regulæ ſic modificatæ iam profeſſæ tollere, vel abrogare.

Inſtabis Summi Pontifices coegerunt moniales ad clauſuram, quam profeſsæ non erant,quam inuiolabiliter ſeruare,coactæ ſunt,et multi Regulares coacti ſunt ad ſtrictiores fortè Regulas tranſire, vt fecit Pius V. qui noſtros Conuentuales in Hiſpania coegit proprios Conuentus deſerere, et ad alios ordines tranſire,licet Regulam cum talibus conſuetudinibus relaxatiuis profeſſi fuerint, ergo poteſt de facto Pontifex Regulares cogere ad reformationem, Regulamque ſeruare iuxta primæuum inſtitutum,licet eam,vt relaxatam legitima conſuetudine fuerint profeſſi.

Reſpondetur,quod Pontifices poſſunt arctare Religioſos in illis,quæ ſpectant ad obſeruantiam votorum eſſentialium, contra quam non poteſt induci conſuetudo legitima, quare cum clauſura ſpectet ad maiorem caſtitatis obſeruantiam, potuit Summus Pontifex iuſtè eam præcipere, et ad eam moniales aſtringere, et fortè quia in præfatis Conuentibus Hiſpaniæ peccabant contra *eſſentialia* Regulæ noſtri Conuentuales,ideo poterat Pontifex vel ad illa ſeruanda, vel ad alias Religiones magis ſibi placitas confugere; et hoc etiam inaudita parte potuiſſe Pontificem fuiſſe refert *Sanch.loc.cit. num.*113. *ex Nauarro* apud *noſtrum Morronum loco citato num.*113. Quare ſolent Pontifices, quandocunque Religioſi in ſua Religione, et propriis Conuentibus non poſſunt eſſentialia ſeruare,concedere licentiam,vt ad aliam, etiam laxiorem tranſeant, immo ad proprias domos reditum indulgent ſub ordinariorum obedientia, ſicut tempore Diui Caroli Borromæi indulſit Religioſis, qui vocabantur Humiliati,quibus, cum non poſſent eſſentialia Regulæ in ſuis Conuentibus ſeruare,conceſſit ad proprias domos redire eorum Conuentibus aliis Religioſis attributis, et multi monachi benedictini, qui propter iniuriam temporum non poterant viuere in propriis Monaſteriis iuxta obſeruantiam eſſentialium Regulæ ex eo,quod diminuti erant redditus ad vitam, et obſeruantiam neceſſarii,indultum fuit, vt ad proprias Domos ſub obedientia ordinariorum redirent. Ita etiam *noſter Morron. loc.cit. n.*153.

Eſſet autem hic ſubnectendum an conſuetudo aliquorum Regularium vtendi bigis,lecticis,equis precioſis,ſtiualibus,balandranis de barachanocum fibulis ſericis, vel argenteis, veſtibus phylactheriatis,aulæis, tapetibus imaginibus, & ſculpturis magnæ æſtimationis, vaſis argenteis in ſuis menſis, & ceteris ſuppellectilibus adhiberi ſolitis à nobilioribus,& ditioribus,nec nõ pullorum indorum, & ſimilium armentis,& lautis conuiuijs in hoſpitandis ſæcularibus poſſit legitimè introduci excuſans eos ſaltem à veniali.

Item an conſuetudo legitimè præſcripta poſſit dari cohærens puritati Regulæ D. Patris Franciſci, ita vt Regulam Seraphicam in ſua ſimplicitate profitentes ſeruare poſſint hodiè dici eam in ſua puritate, & ſimplicitate, quomodo ſeruabatur tempore ſuæ primæ inſtitutionis, abſque vllo ſcrupulo conſcientiæ, ſi tam in matutina, quam veſpertina refectione vtantur pictantijs directè,uel indirectè mendicatis hortalitia ſuperflua poſſideant,in ipſis plantent arbores delicatiorum pomorum,& herbas ad delitias potius inuentas ſerant,& colant, quam ad corporis ſuſtentationem moderatam, ſimiliter etiã ſi vites vuas nobiliores ferentes ponant, & valeant vuas ex

ſæcul-

ſæcularium vineis mendicare ſeruandas in hieme, dum ipſis abundant in ſuis hortis, item ſi iuxta ſimplicitatem Regulæ Seraphicæ ſelectioribus lanis, & mollioribus ſubtanas tunicas, & groſſioribus, & mollioribus habitus extrinſecos conficiendos curent, & valeant iuxta ſimplicitatem Regulæ ita opipare ferè cotidie epulari, vt potius diuitum, quam pauperum menſæ videantur appoſitæ, verum quia V. Religioſus hæc omnia ventilabuntur Deo dante, ideò hic miſſa facio aliqualem tamen ſolutionem præfatorum ex præcedentibus expiſcari poterit pius lector.

ADMONITIO AD LECTOREM.

QVæ in Superioribus difficultatibus circa diſtinctionem de præceptis eſſentialibus, & perfectionalibus, & præcipue declarationem Clementis Octaui, in qua aliqua præcepta Regulæ non obligare ſub mortali declarauit, adhuc ſtare in ſuo robore, & ea vti poſſe fratres tuta conſcientia, doctrinaliter ſolum a me ſcripta eſſe proteſtor, Quare ſi quando contrarium à Superioribus Ordinis noſtri, ſeruari fuerit conſtitutum, quod mihi adhuc non conſtat, eorum auctoritati potius, quam ſpeculatiuis rationibus omnino ſtandum exiſtimo.

Contemptus.

Quid, quotuplex, & quando ſit peccatum mortale, vel veniale Contemptus.

DIFFIC. VNICA.

DIco primò, quod Contemptus propriè dicitur ille, quo quis ex ſua ſola arroganti, et irrationabili voluntate non vult ſe ſubiicere ſtatuto, præcepto, vel conſilio Superioris, eique cum indignatione, vel ex animi triſtitia, vel alia malitia renuit obedire, et licet frequentia peccandi dicatur aliquando contemptus apud ſanctos Patres, et ſacros Canones ex eo, quod vt ait Cardinal. in Clement. eos in principio de ſepult. qui legem ſæpius frangit videtur legem, et legislatorem contemnere, attamen *noſter Angel. hic* §.1. ait, quod ſępius peccans potius dicitur præſumptiuè contemnere, quam verè, et propriè, ita etiam *D. Thom. 2.2. quæſt. 186. a. 9. Caiet. ibid. Vaſquez diſp. 102. c. 5. & diſp. 158. cap. 4. Salas diſput. 10. ſect. 8. de leg.* verum eſt tamen, ut notat etiam *noſter Angel. c. cum D. Th.* ſæpius peccare licet non dicatur vere contemptus, diſponit tamen ad contemptum, pro quo facit etiam *c. Excellentiſſimus XI. quæſt. 3.* Pro maiori tamen intelligentia.

Dico ſecundò, quod contemptus duplex eſt, ſeu dupliciter committitur, materialiter ſcilicet, & formaliter, committitur materialiter, quando res aliqua alijs poſtponitur, quamuis hoc directe non intendatur, quod accidit in peccatoribus, qui in peccando ſe conuertunt ad res creatas, & creaturas, & Deum ſuum derelinquunt, licet hoc actu non intendant formaliter, item qui de proximo ſuo murmurat dicitur ſaltem materialiter contemnere illum, licet hoc non intendat formaliter, quatenus eum alij poſtponit, dum malum eius in aliquo genere prædicat. Vide *D. Thom. in 4. diſt. 9. a. 3. q. 3. Salas de leg. diſput. 19. ſect. 8. & Bonac. de pecc. diſput. 2. quæſt. 3. punct. 5. num. 7.*

Dicitur porro quis formaliter contemnere, quando perſona aliqua ex propria arroganti voluntate Superiorem, vel eius præceptum, vel conſilium reijcit, vel alijs poſtponit, vel facit, vt reijciatur, & alijs poſtponitur, ita vt Superior, vel eius præceptum, vel conſilium parui pendatur.

Quare contempus hic formalis, de quo in præſenti, vel eſt in ordine ad legislatorem, vel ſuperiorem præcipientem, vel in ordine ad rem præceptam, vel conſultam, vel in ordine ad ipſam legem, vel conſilium ſpretum, quamquam contemptus in ordine ad legem ipſam immiſceatur ſemper cum contemptu, vel legislatoris, vel rei præceptæ, tunc

Dico tertiò, quod contemptus erga legislatorem, vel eſt immediate contra Deum, & hic contemptus eſt ſemper peccatum etiamſi foret in re parua, cum Deus in ratione honorabilis non habeat latitudinem, quia vndequaque eſt omni honore dignus, nec eum inhonorare poteſt aliquo pallio, vel paruitate materiæ cohoneſtari, vt communiter Theologi docent; ſi vero contemptus feratur in hominem legislatorem, diſtinguendum eſt, nam vel contemnitur abſolute vt homo præſcindens ab omni poteſtate, & ſuperioritate, puta vt homo eſt ignobilis, impudens, indoctus, & huiuſmodi, & in hoc caſu, vel contemptus eſt cum indignatione graui aſſociata cum actibus irriſorijs, inhoneſtis, & vituperabilibus, & ſic erit mortalis, indignatio enim cum huiuſmodi actibus non poteſt paſſim fieri in aliquem ſine animo notabiliter, & grauiter maligno, multo magis in hominem, qui eſt Superior; quod ſi indignatio ſit leuis, & in materia leui, erit ſolum venialis; quod ſi contemnatur vt Superior, ſemper erit peccatum mortale, quia tanquam Superior gerit vicem Dei, & Deus in illo contemnitur iuxta illud lucæ, qui vos ſpernit, me ſpernit. Ita noſt. *Angelus V. Contemptus num. 1. Valentia 2.2. diſput. 2. quæſt. 3. p. 3. Sanch. in ſum. l. 1. c. 5. num. 8. Suarez de legibus l. 3. c. 28. n. 22. & Bonac. loc. cit.*

Adde ex *noſtro Angelo*, quod ſi Superior ſpretus, & contemptus ſit Papa, poſſet contemnens puniri tanquam Hereticus ex *gloſ. in c. Generali de electione in 6.* limitat tamen *noſter Vngarell. hic ſchol. A. ex Archidiano in c. de libellis diſt. 20.* hoc verum eſſe, quando quis negaret poteſtatem Papæ aſſerendo conſtitutiones eius eſſe inualidas, & non ligare, quod ſi ſolum Papam deſpicerent, non eſſet puniendus vt hæreticus, ſed alia pęna extraordinaria; vide etiam *Cardin. in Clem. eos in princ. de ſepult.*

Dico quartò, Contemptum rei præceptæ à Superiore in materia graui eſſe peccatum mortale, in materia leui eſſe tantum veniale, niſi contemptus Superioris, vel eius poteſtatis immiſceatur in re leui præcepta, quia tunc fieret mortalis contemptus, vel niſi in materia leui ad ſit error grauis contra fidem, puta ſi quis cenſeret leuem tranſgreſſionem, ſeu peccatum veniale non eſſe dignum pæna, quia fieret ratione circumſtantiæ huius mortalis contemptus, ſpernere enim poteſtatem Superioris etiam in re minima eſt circumſtantia grauiſſima, & mortali plena malitia, multo magis quando cenſetur, quod res minima, ſeu peccatum veniale non ſit dignum pęna, quia contra Scripturam ſacram immediatus eſt error; vt alibi explicabitur. Vide *Salas, Sanchez, Suar. & Bonac. loc. citato* ex quibus.

Collige, quod ſi quis dicat nolle talem rem præceptam ſeruare ex eo, quia talis Superior præcepit etiam in re minima, quia Superiorem formaliter contemnit, modo præcipiens ſit verus Superior, ſicut non ſunt Præfecti Collegiorum ſæcularium, & Seminariorum, qui non habent dominium verum, ſed ſolum quandam poteſtatem æconomicam, & multotiens contemnuntur propter eorum imperfectiones, & in diſcretiones, Item ſi quis nollet præcepta ſeruare, contemnens Superiorem non vt Superior, ſed vt homo eſt vilis, vel imperfectus, tunc iuxta grauitatem contemptus erit mortalis, vel venialis, ſi vero ob aliquam animi triſtitiam nolit obedire, vel nolit conſolari Superiorem præcipientem ex aliqua indignatione iuxta grauitatem materiæ, vel leuitatem dicetur peccatum mortale, vel veniale. Ita Supracitati Doctores.

Dico quintò, quod etiam contemptus Superioris conſulentis, & ſuadentis poteſt eſſe venialis, vel mortalis iuxta circumſtantias, nam ſi ſpernatur in conſilio poteſtas Superioris conſulentis, vel ſuadentis, erit mortalis contemptus, quia in ipſo contemnitur etiam Deus, vt docent communiter Doctores citati; Adde ex noſtro *Angelo*, quod faciens contra conſilium Superioris, ſi ſit conſilium neceſſitatis peccat mortaliter ex *c. ad Aures, & c. fin. de Temp. ordin.* dicitur autem illud conſilium neceſſitatis, quod cadit ſub præcepto, & debet ſeruari, tamen non præcipit immediatè Superior ex aliqua rationabili cauſa puta ex aliquo ſcandalo, quod poſſet oriri, ſi præciperet, vnde ex neceſſitate conſulit, quod deberet præcipere, ſi vero conſilium ſit ſolum reuerentiæ ſcilicet quod ſubdito congruit facere, licet non teneatur abſolutè, Superior conſulit, non præcipit, & tunc contemnens tale conſilium ſeruare ſolum peccat venialiter; Demum ſi quod conſulit ſit ſolum perfectionis ideſt conſilium ſit de re, quæ licitè poteſt dimitti, ſi ſit laicus non peccat nec venialiter, quia ad perfectionem non tenetur tendere, peccat venialiter Religioſus, quia eſt in ſtatu perfectionis acquirendæ.

Dico vltimo, quod licet contemptus materialis non debeat

bear neceſſariò confiteri, quia implicatur cum ipſo peccato, at tamen contemptus formalis Superioris, vel eius præcepti diſtinctè confitendus, cum ſit peccatum ex ſe ab omni malo diſtinctum; & nouam actui malitiam tribuit, vnde non ſufficit confiteri ſe non iuiſſe ad Chorum, ſi Id ei fuit à Superiore præceptum, ſed debet confiteri etiam ſe in hoc con tempſiſſe Superioris præceptum. Ita communiter Doctores citati, &c.

Contentio.

Quid, quotuplex, & quando ſit peccatum Contentio.

DIFFIC. VNICA.

DIco primò, quod Contentio *ex D. Ambroſio* eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris, & ſic accipitur ſtrictè, large autem ſumpta eſt etiam ſine impugnatione veritatis, de qua dicitur *diſt. 46. in princ.* Nihil eſt impudentius arrogantia Ruſticorum, qui garulitatem authoritatem putant, hinc *ex D. Thoma 2.2.q.38. a. 1. docet noſt. Vngarell. V. Contentio ſchol. A.* quod contendere eſt contra aliquem tendere verbis, vnde ſicut diſcordia contrarietatem quamdam important in voluntate, ita contentio importat diſcordiam in locutione. Vide noſtrum *Alenſem 2 2. quæſt. 26. art. 16.*

Poteſt autem contentionis contrarietas in locutione attendi dupliciter, primò quantum ad intentionem, ſecundò quantum admodum, & quidem ſi contrarietur falſitati regulariter niſi excedatur in modo ſemper laudanda contentio, ſi vero contrarietur veritati, ſi ſit per modum diſputationis, vt veritas magis eluceſcat, laudabilis ſanè eſt, ſi verò animo maligno, etiam ſi non fiat cum inordinato clamore, ſi ſit veritas impugnata contra bonos mores, vel pertinens ad receptas, & vtiles doctrinas, vel contra honeſtatem, vel contra debitum, quia volunt dilationem ſoluendi, & ſimilia, contra quæ contendere in viris cordatis paſſim eſt vituperabile, & peccatum aliquando mortale, niſi excuſet paruitas, vel qualitas materiæ, in pueris autem, & ruſticis non videtur mortale propter eorum ſimplicitatem, vel naturalem garrulitatem, quæ a malignitate mortali ſolet abeſſe; Verum eſt tamen, quod ſi non ſeruetur debitus modus etiam in impugnanda falſitate poteſt eſſe aliquando non ſolum veniale, ſed etiam mortale, ſi inordinatio ſit tanta in contendendo, vt ex hoc generetur ſcandalum notabile in alijs. Ita *noſt. Vngarell. hic Sch. A,* Aduerte etiam ex Angelo hic, quod contendere de fide publicè prohibetur viris indoctis, & doctis ſolum in neceſſitate, niſi fiat, vt veritas magis elucidetur.

Aduerte ſecundò, quod contentio triplex, vna dicitur æmulationis de qua 1. *Cor. 1 ſic habetur* contentiones ſunt inter vos. & tunc fit, quando quis magis intendit laudare vnũ Doctorem, & alius alium, & hæc laudabilis eſt, ſi veritate fulciatur, ſi vero ſolum ex aliqua ſympathia magis erga vnum, quam alium à ſe amatum contendit contra laudatorem, vt ſolet paſſim euenire circa Magiſtros. Lectores, Prædicatores, & Religioſos diuerſorum ordinum de ſe eſt ſolum peccatum veniale, tamen huiuſmodi contentio euenire cum mortali aliquando ſolet, puta quando cum detractionibus, & rixis commiſcetur, uel aliquod aliud prauum, iuxta illud *Iacobi 4.* ubi eſt zelus, et contentio, ibi incontentio ibi inconſtantia, et omne opus prauum. Alia dicitur contentio diſputationis, de qua ſupra eſt dictum, tertia dicitur litigationis, quæ periculoſa admodum eſt propter multa mala, quæ ibi immiſcentur, non tamen eſt prohibita, alias ius Canonicum eſſet damnandum.

Poteſt tamen eſſe illicita duppliciter, primò ratione iniuſtitiæ, quia ſcienter litigat contra iuſtitiam, & ſic ſemper eſt mortale. Secundò, ratione ſcandali ſcilicet illius à quo petitur, ſi tamen ſic ſcandalum puſillorum, non autem phariſeorum, tunc autem eſt ſcandalum phariſeorum, quando declaratur ſua non eſſe, quæ ab eis petuntur, vel iniuſtam cauſam fouere, tamen ex malitia volunt debitum facere, ſed turbantur, & ſcandalizantur, quia tunc non eſt neceſſe deſiſtere ſecundum notata §. 1. 14. q. 1.

Dico tertiò, quod contentio iuxta multas cauſas, ex quibus fieri poteſt, erit peccatum, poteſt enim fieri primo cauſa malignitatis, vt cum quis vult iniuſtè vincere, vel animas ſimplicium peruertere, & ſic eſt peccatum mortale, & prohibetur *ſecunda ad Thim. c. 2.* Noli contendere verbis, ſi tamen hoc faciat ex leuitate, & nullum adiit periculum non erit mortale. Secundò, contentio fit ex cauſa neceſſitatis, & hæc non eſt peccatum, vnde *gloſa ſuper illud prouerbium c. 3.* Non contendas aduerſus hominem fruſtra, nota, non vetat contentionem contra male facientem, vt corrigatur, quia fruſtra non fit, ſed certa neceſſitas cogit; Tertiò, ex cauſa exercitationis, & hoc non eſt mortale peccatum, licet aliquando contingat eſſe veniale peccatum propter excedentiam in modo contendendi, quartò ex cauſa eruditionis, vt dictum eſt, quintò ex quadam titillatione gloriæ, vel honoris, ſic eſt peccatum veniale, & hæc fuit contentio facta *Luca 22.* inter Apoſtolos, facta eſt contentio quis eorum videretur eſſe maior. Sextò, ex cauſa conatus bonæ operationis, & hæc tanquam virtuoſa, meritoria, & neceſſaria præcipitur *Luc. 13.* Contendite intrare per anguſtam portam. Ita *ex noſt. Alenſi 2.2. q. 36. ar. 16. Angel. noſter hic V. contentio.*

Quid continuum, & quomodo differat a contiguo.

DIFFIC. VNICA.

DIcendum, quod continuum eſt partium inter ſe non intermiſſa coniunctio, vnitas eſt ſine mixtura interpolante, contiguum autem dicitur, cuius extremum alteri copulatur extremo, & ambo ſe inuicem contigunt, quare differentia eſt inter continua, & contigua, quia continua ſine medio, contigua ſtant cum medio. Ita *noſter Angelus hic V. Continuum*, Exempla autem afferuntur à noſtro Vngarello hic, ad differentiam oſtendendam inter continuum, & contiguum, et ad aliquod propoſitum morale applicat; Aqua enim in vaſe eſt vaſi contigua, non continua, in ſe autem aqua continua eſt cum ſuis partibus in vaſe exiſtentibus, quia inter partes aquæ in vaſe nullum eſt medium ipſas vniens, et ideo inter ſe continuatæ dicuntur, at vero aqua per latera vaſis contiguatur vaſi, itaut ſint diuerſi inter ſe termini. Vnde continuata actio eſt illa, quæ nulla re, nullo tempore, nullo actu interrupta eſt, continuatum tempus eſt illud, quod nec in momento interruptum eſt; Actio ergo interpolata dicitur contigua alteri actioni ſi ſit ei proxima, non autem dicitur continuata, tempus dicitur contiguum, quando inter aliud proximum mediauit aliud tempus, partes Agri dicuntur continuatæ reſpectu totius ſui eiuſdem Domini, contiguæ ſi diuerſorum ſunt Dominorum, quia mediant neceſſario termini diuiſionis, etc.

Contractus.

Quid, & quotuplex ſit Contractus.

DIFFIC. I.

COntractus iuxta ſui nominis æthimologiam ex *Scoto in 4. diſt. 15. q. 2.* eſt, quo in vnum trahuntur partium voluntates, qui contractui largè ſumpto, & contractui propriè accepto poteſt eſſe communis, etenim in contractu vel trahuntur in vnum partium voluntates ex obligatione expreſſa in contractu ex vtraque parte, & hic dicitur contractus in ſuo rigore, & ſtrictè, & propriè ſumptus, vt ſunt rerum permutatio, Venditio, Emptio, Locatio, Conductum, & Mutuũ, & illi, qui ad haſce ſpecies tanquam ſubalternantes reducuntur tanquam ſubalternæ ſpecies, vt cenſus, Cambium, Emphiteuſis, Societas, Pignus, vel trahuntur in vnum partium voluntates cum ſola expreſſa obligatione ex vna parte, ex alia vero cum libertate acceptandi obligationem alterius partis, itaut vna pars neceſſario, altera verò liberè trahatur in vnum, & hic dicitur largè, & impropriè contractus ſicut ſunt Donatio, & promiſſio, et alij huiuſmodi vt infra, nam in donante, & promittente oritur obligatio dandi, quod donat, vel promittit, in altera vero ſcilicet in eo cui donatur, vel promittitur non oritur obligatio acceptandi, ſed in ſua libera voluntate manet acceptare, quod ſibi donatur, vel promittitur, trahitur ergo in vnum voluntas vtriuſque, quando acceptatur donatio, vel promiſſio, itaque ex doctrina *Scoti* contractus

in quo

Digitized by Google

In quo transfertur dominium, vel vſus rei in prima ſui ſignificatione alter eſt per actum merè liberalem ſc. quando fit ſolum in gratiam accipientis, & hoc genus contractus habet ſub ſe omnes illos contractus, in quibus transferens dominium, vel vſum nullam expoſtat redditionem æquiualenti, vt ſunt Donatio, promiſſio, commodatum, Legatum, Teſtamentum, præcarium, & ſimiles; alter contractus dicitur liberalis ſecundum quid, & vocatur io gratiam vtriuſque celebratus ex eo, quod expectatur aliquod æquiualens in dominii, vel vſus translatione, & ſub iſto genere ponuotur à *Scoto* ſex ſpecies ſubalternantes ænumeratæ, ad quas reliquæ ſubalternæ reducuntur. Vnde patet *Sotum de iuſt. l. 6. q. 2. & Azor. 3. p. l. 6. c. 2. & Molyn. de Iuſt. diſp. 213.* admodum confusè triginta fere ſpecies contractuum annumeraſſe, & male *Soto* carpit *Scotum noſtrum*, quod octo ſolum ſpecies contractuum poſuerit, & iniuſtè *Azor.* impingit *Scoto*, quod ſolum quinque ſpecies contractus tradiderit, nec non itique alij *Scoto* imponunt, quod à ratione contractus excluſerit Cambium; Cenſum, ſocietatem, pignus, Emphitheuſim; nam Theologo ſufficiciebat doctrinam generalem applicabilem cuilibet ſpeciei contractus iuxta naturam contractus generici, ad quem aliæ ſpecies reducuntur, ad duo hæc enim genera contractuum ſcilicet liberalis ſecundum quid, & liberalis merè, reducuntur omnes contractus, qui propriè ideſt in gratiam vtriuſque celebrantur, & ſunt ſub genere contractus liberalis ſecundum quid, & illi, qui celebrantur in gratiam alterius omnes, qui vocantur impropriè Contractus, & ſunt ſub genere contractus merè liberalis; data ergo doctrina de duobus generibus contractus, & de ſpeciebus principalibus eorum, noluit breuitatis gratia ad alias deſcendere ſpecies, quia putabat conſimili doctrina poſſe vti Theologos conſequenter in alijs ſpeciebus ſaltem quoad iuſtitiam generalem contractus tam propriè, quam impropriè dicti. Impropriiſſimè autem contractuum ſpecies, vt ſunt Depoſitum, Actiones, Tutela, & conſimiles, quia dominium non nec vſum transferunt ſub definitione Contractus non veniunt, ideo nec à *Scoto* poſiti in hac materia.

Dico primò, quod contractus ſtrictè ſumptus, qui dicitur in rigore, & propriè contractus eſt translatio rei quoad dominium, vel quoad vſum, per quam transferens expectat aliquod æquiualens ei, quod transfert ex communi partium voluntate, ſeu conuentione, quæ eadem videtur ſaltem cauſaliter cum ea, quæ à Iuribus circumfertur *l. labeo ff. de verb. ſignific.* quod contractus eſt vltro, citroque obligatio ex voluntate, & pacto ſurgens partium, vt nota *gloſ. Raym. tit. 3. de Negot. ſepul.* quia contractus propriè non eſt obligatio, ſed obligationem inducens, quare dicitur cauſaliter, & inductiuè obligatio contractus, non autem formaliter, & licet regulariter mutuum non reſpiciat æquiualens ex partium conuentione, iuxta illud mutuum dantes, nihil inde ſperantes, tamen quia in aliquibus caſibus redditur equiualens, puta ſi in mutuo apponatur pena conuentionalis, vel ad ſit damnum emergens, vel lucrum ceſſaos ratione moræ in reddendo, ideo ponitur à *Scoto* inter contractus propriè dictos, licet regulariter ſit ponendum mutuum inter contractus merè gratuiros, &c.

Dico ſecundò, quod contractus quatenus communis eſt ad contractum propriè, & ſtrictè quam latè, & impropriè ſumptum multiplex eſt, alius enim dicitur gratuitus, ſeu lucratiuus, alius oneroſus, ſeu non gratuitus; gratuitus, vel lucratiuus eſt ille, quo aliquid promittitur, vel datur ſine pretio, vel mercede, aut alio æquiualenti, & talis contractus dicitur mutuum regulariter loquendo, commodatum, præcarium, depoſitum, & Teſtamentum, Donatio, promiſſio, & huiuſmodi, quia in hiſce ſolum ſpectatur gratuita voluntas dantis, vel diſponentis abſque alio pacto reddendi æquiualens; Oneroſus autem contractus eſt per quem onus imponitur alteri parti dandi æquiualens iuxta forum, vel conuentionem, qualis eſt venditio, Emptio, Locatio, & Conditio, & Mutuum modo explicato, quia in hiſce æquiualens pretium, vel lucrum tanquam onus appoſitum contractui expectatur.

Iterum Contractus alius dicitur factus in gratiam recipieotis tantum, vt mutuum, & ceteri huiuſmodi, alius in gratiam tradentis tantum, vt Depoſitum, quod regulariter eſt in vtilitatem deponentis, alius in gratiam vtriuſque, vt Emptio, permutatio, pignus, ſocietas, & alij huiuſmodi, &c.

Dico tertiò, quod Contractus adhuc dicitur alius nominatus, alius innominatus, Contractus nominatus eſt ille, qui proprio gaudet nomine, vt ſunt Emptio, Venditio, Locatio, pignus, Depoſitum, Commodatum, Mutuum, præcarium, Donatio, Societas, Legatum, promiſſio, Teſtamentum, Cenſus, Cambium, & ſimilia.

Innominatus autem Contractus eſt ille, qui proprio caret & retinet ſolum genericam conuentionis, & pacti celebrati inter partes *ex l. in principio*.

Porro Contractus innominati ſpecies quatuor enumerantur in l. naturali ff eod.

Prima ſpecies eſt do, vt des, puta ſi Franciſcus tradat Caio Panem, vt tradat ſibi vinum, ſed non tanquam pretium, quia eſſet venditio, ſed ſimpliciter conuenitur inter partes commutatio panis pro vino, hic contractus pertinet ad primam ſpeciem contractus innominati.

Secunda ſpecies eſt do, vt facias, puta ſi detur panis Titio à Franciſco, vt Titius pro Franciſco laboret, celebratur ſecunda ſpecies contractus innominati.

Tertia ſpecies eſt facio, vt des v. gr. ſi Titius doceat Antonium grsmmaticam, vt Antonius det veſtem dicitur tertia ſpecies contractus innominati.

Quarta ſpecies eſt, facio, vt facias, puta ſi Antonius doceat Franciſcum Philoſophiam, vt Franciſcus doceat ipſum leges ciuiles, celebratur quarta ſpecies contractus innominati.

Adde, quod ad contractus innominati ſpeciem reducuntur omnes illi contractus, de quibus dubitatur an verè pertineant ad aliquem ex contractibus nominatis *ex l. 1. ff. de æſtimatoria actione, vide Angelum noſtrum hic §. 7. & Bonac. de contr. diſp. 2. q. 1. p. 1.*

Dico quartò, quod Contractus etiam communiter dicitur alius bonæ fidei, alius ſtricti iuris, & licet quilibet contractus ex ſe debeat eſſe bonæ fidei, alias ſi dolus intercedat, inualidus, vt dicetur ſuo loco, attamen ſolum quoad mentem, ſubſtantiamque intentionis quilibet contractus dicitur bonæ fidei, non autem quantum ad titulum actionis, ſecundum quem titulum proponitur hæc diuiſio, quod contractus alius ſit bonæ fidei, alius ſtricti iuris, vt notat *noſter Vngarell. V. Contract. ſchol. G.* Vnde hæc diſtinctio malè ab alijs impugnatur tanquam mala ex eo, quod bona diuiſio debet eſſe per oppoſita, diuiſio autem per omnino diſparata dicitur inepta, vt ſi dicatur res alia nigra, al a ſicca, alia alba, alia humida, nam debet dici res alia nigra, alia alba, alia ſicca, alia humida, quare debuiſſet dici contractus alius bonæ fidei, alius malæ fidei, nam cum non reperiatur contractus malæ fidei, non potuit dari hæc diſtinctio, quare ſolum dicitur contractus bonæ fidei quantum ad titulum attionis, in qua debet exuberare magis bona fides, & eſt vberioris, & largioris iuris reſpectu bonæ fidei, & non ſecundum ſtrictum rigorem legis, e contra autem contractus ſtricti iuris ſunt illi in quibus Iudex debet iudicare ex rigore legis, & ſtricti iuris inxta conuentiones factas inter partes vnde in ipſis non exuberat bona fides, ſed rigor conuentionis. Ita noſter *Vngarell. loc. cit.*

Enumeraotur autem contractus bonæ fidei, in quibus Iudex potius ex æquitate ſpectando bonam fidem contrahentium, quam rigorem iuris *in §. Actionum Inſtit. de actionibus* ſcilicet Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, pignus, Depoſitum, Commodatam, ſocietas, permutatio, Mandatum, negotia geſta, Tutela, Cura, petitio hæreditat s, Actio de præpſcriptis verbis, Actio familiæ exercendæ ideſt Actio quæ datur inter cohæredes circa diuiſionem familiæ defuncti in communi diuidendæ. Contractus vero ſtricti iuris in quibus Iudes iudicat ex rigore legis, ſeu pactionis factæ ad ſtrictus ad verba legis, vel contrahentium, videntur eſſe, Donatio, promiſſio liberalis, mutuum, tripulatio, contractus feudalis, aſſecutatio, Arbitrium. Ita communiter.

Nota hic etiam ex noſtro Angelo, quod differentia eſt inter Contrsctum, & quaſi Contractum, nam Contractus verus dicit obligationem ratione voluntatis partium; quaſi vero Contractus non præciſè ex vi contractus, ſed ex quodam medio, ſicut quando quis agit negotia alterius ſine eius mandato, aut exercet tutelam, aut eſt Curator, & huiuſmodi quæ ex officio habentur, de quibus habetur *Inſtit. de obligat. quæ ex quaſi contract. per totum*, & ideo nil mirum ſi huiuſmodi actiones enumerantur inter Contractus bonæ fidei, vel ſtricti iuris; quia naturam ſapiunt

Digitized by Google

contractus, et ad rationem contractus reducuntur.

Dico quintò, quod contractus adhuc alij dicuntur, qui re ipſa perficiuntur, ut Commodatum, Pignus, Donatio, Mutuum, qui tunc ſunt perfecti, quando res ipſa traditur de facto, alij perficiuntur ſolo conſenſu utriuſque partis esplicato, ut ſunt Venditio, Emptio, Matrimonium, et cetera huiuſmodi, alij uero perficiuntur ſcriptura ex iuris diſpoſitione, uel ex conuentione partium, quatenus requirunt certam, et expreſſam formam uerborum, ut eſt ſtipulatio. Vide *inſtit. de verb. obligat.* quod idem docet *noſter Angelus* breuius, quod contractus alij perficiuntur re, alij uerbis, alij conſenſu ex quibus

Colligunt DD. quod contractus alius dicitur nudus, alius ueſtitus; contractus nudus eſt ille qui nudum includit pactum abſque iuramento, uel ſtipulatione nec alia iuris, uel facti ſolemnitate, ut ſunt contractus innominati ſimplices; ueſtitus autem contractus dicitur ille, qui habet maiorem firmitatem ex aliqua adiacente circumſtantia puta accedente forma ſtipulationis ſecundò ſcriptura, puta ſi quis fateatur ſe ſatisfactum, quartò Iuramento, quintò teſtibus præſentibus ſi fiat.

Demum ſaltem abuſiuè dicitur contractus etiam acceptilatio per quam diſſoluitur obligatio, et certa forma uerborũ perficitur, quibus debitor interrogat creditorem tali, uel ſimili modo, quod tibi promiſi, uel debeo habes ne acceptũ, et creditor reſpondendo, habeo, diſſoluitur obligatio, ita *noſt. Fauent. l. 4. diſt. 15. q. 2. diſp. 47. c. 1. Azor vbi ſup. cap. 2. & 3. & Conrad. de contract. q. 17.* et alij. Ex quibus omnibus

Collige 3. In omni contractu præcipuè propriè dicto requiri tria. Primum eſt mutuus vtriuſq; partis contis conſenſus. Secundũ ut ſit legitimus ideſt nulla lege prohibitus hinc fratres minores non poſſunt uendere, nec emere, nec Pupilli hi ſce lege ciuili, illis eorum regula prohibente, ut notat *Scotus loc. cit.* Tertium ut conſenſus contrahentium liber ſit, et uoluntarius nulla ui, metu, dolo, uel fraude extortus.

Vtrum quilibet dolus, error, & metus contractum annullet, quid ſi deceptus deſiſtere nolat a contractu, tene atur adhuc decipiens ſtare.

DIFFIC. II.

CErtum eſt ad validitatem contractus requiri conſenſum ex vtraque parte ſine quo contractus nullus, quare cum contrarius ſit error, & dolus conſenſui, iure quæritur an dolus quilibet annullet contractum, quę difficultas oritur ex eo, quod duplex datur dolus alter dans cauſam contractui, alter incidens in contractum, quæritur ergo an vterque dolus annullet contractum, pro meliori ergo intelligentia terminorum, & huius difficultatis.

Notandum ex *Scoto in 4. diſt. 15. q. 2. & habetur etiam ex lege p. ff. de dolo*, quod dolus committitur in contractu, quãdo alter contrahentium decipit alterum dictis, factis, vel omiſſione eius, quod dicere, vel facere tenebatur mentiendo in ſubſtantia, quantitate, vel qualitate, in ſubſtantia erit dolus, vel fraus, puta ſi aqua pro vino, auricalchum pro auro tradatur, in quantitate autem ſi iuſtum pondus, vel menſura mentiatur; in qualitate vero, puta ſi vinum limphatum pro puro, nouum pro antiquo vel aliqua alia mala qualitate infectum pro habente bonam qualitatem puta infirmitate aliqua detentum pro ſano tribuatur.

Dicitur autem dolus dans cauſam contractui, quandoquis non eſſet contracturus, ſi non fuiſſet dolo inductus ab altero, aſſeuerante rem eſſe bonam, vel vtilem, quæ reuera erat mala damnoſa, vel inutilia, dolus autem incidens in contractum contingit quando contrahentes adhuc contraxiſſent ſecluſo dolo, ſed non ita libenter, neque cum tanto grauamine vel pretio.

Dico ergo primo, quod certum eſt dolum dantem cauſam contractui reddere in foro conſcientiæ inualidum quemcũq; contractum, ſiue ſit bonæ fidei, ſiue ſit ſtricti iuris, vel dolus ſit adhibitus ab vno, vel ab vtroque, neutro ſciente alterius fraudem quia caret conſenſu omnino, nihil enim magis contrarium conſenſui, quam dolus, & error, quare inuoluntarius eſt, ergo nullus ipſo facto.

Dictum eſt, quod in foro cõſcientiæ eſt inualidus quicũq; contractus, cui dedit cauſam dolus, nam in foro fori contractus ſtricti iuris cui dolus dedit cauſam non eſt ipſo facto irritus *ex l. dolo C. de inut. ſtipul.* ſed contra eum, qui dolum fecit agi poteſt ope, & beneficio exceptionis.

Contractus autem bonæ fidei (excepto matrimonio) ſunt ipſo facto iure naturali, et humano ita ipſo facto irriti, vt in foro iudiciali debeat iudicari in fauorem decepti, itaut ſi decepto nõ expediat, poſſit liberè a contractu recedere, ſi verò expediat decepto, poſſit ad obſeruantiam decipientem obligare *ex l. & eleganter ff. de dolo, & docent Angelus noſter V. Dolus : 9. Couar. 2. p. in Reg. poſſeſſ. §. 6. num. 9.*

Dictum eſt etiam excepto matrimonio, in quo, vt dicetur ſuo loco, dolum circa qualitatem non dirimere contractum matrimonij, puta ſi finxit ſe diuitem, &c. benè tamen dolum circa perſonam, puta ſi liberum ſe finxit qui erat ſeruus, hic autem irritat matrimonij contractum.

Dico ſecundò, quod contractus cui dedit cauſam dolus proueniens a tertia perſona, vel à propria opinione qua cõtrahens ſe ipſam decipit, non eſt irritus ipſo facto, quia nullum ius irritat huiuſmodi contractum, tum quia adeſt hic, et nunc ſufficiens conſenſus in vtroque contrahente ſine dolo, & fraude, ita communius Doctores, & colligitur ex *Scoti doctrina loc. cit.* ita etiam *Couarr. in Reg. poſſeſſ. p. 2. §. 6. num. 6. Sylu. V. Culpa q. 7. Leſſ. l. 2. c. 17. dub. 5. Sanch. l. 1. de matrim. diſp. 64. Bonac. de contr. diſp. . q. 1. p. 2.*

Medina tamen c. de reſtit. q. 33. & Conrad. de contract. qu. 57. volunt omnino in tali caſu eſſe inualidum contractum, quia de eſt liber conſenſus, dum adeſt error, & dolus, parum tamen probabilitat, quia dolus eſt ab extrinſeco, & non ab intrinſeco contractus, & ideo non annullat in hoc caſu ipſo facto contractum, in foro tamen conſcientiæ ſi conſtet, ſanè nullus eſt huiuſmodi contractus, Illud tamen verum eſt, quod cognito dolo vel fraude ſi ex vtraque parte fuerit adimpletus poteſt deceptus à contractu in iudicio reſilire, & ſe indemnem ſeruare, quia hæc eſt contrahentium tacita intentio, vt docet *Scotus noſter loc. cit.* vt nolint ſe ſe obligare, ſi intercesſerit error, vel dolus, quod tamen debet probari an interceſſerit, itaque in foro fori probanda deceptio, in foro autem conſcientiæ ſi verè realiter cognoſcatur, error ab alio, vel à ſe ipſo proueniens poteſt licitè ſe indemnem ſeruare deceptus.

Dico tertiò, quod contractus celebratus per dolum incidentem in contractum validus eſt, quia adeſt ex vtraque parte conſenſus ſufficiens ad contrahendum, nam adhuc contrahens contraxiſſet, ſi dolum adeſſe cognouiſſet, ergo ſufficienter in contractum principaliter conſenſum præſtitit validus eſt ergo in vtroque foro *ex l. & eleganter, & ex l. ſi quis affirm. de dolo. Ita ex Scoto loc. cit. & Angelus noſter docent V. dolus, Gomez. T. 2. cap. 2. Molyn. diſp. 353. Azor 3. p. l. 6. c. 10. q. 1. Bonac. loc. cit.* Verum eſt tamen decipientem teneri ad reſtitutionem damnorum, quæ recepit ex fraude facta deceptus, ex damno enim iniuſtè illato conſurgit obligatio reſtituendi.

Dico quartò, quod vtrum decipiens teneatur ſtare contractui inualido ante Iudicis ſententiam volente decepto ſtare in contractu facto variant Doctores. *Coninch. de matr. diſp. 28. Reginald. l. 25. Rebell. l. 9. q. 4. Molyna diſp. 353. Filiucc. tract. 33. c. 7. Leſſius l. 2. c. 17. dub. 5.* & alij affirmant teneri ſtare contractui, quia decipiens uerè conſenſit, ergo tenetur fidem ſeruare decepto, volenti ſtare contractui in ſui præiudicium, quod etiam uidetur docere *Bartol. in l. & eleganter ff. de dolo*, quia iura uidentur fauere decepto, non autem decipientibus *l. 2. ff. ad Velleianam*. Contrarium tamen affirmant *Medina c. de reſtit. quaeſt. 32. Sanch. l. 1. de matrim. diſp. 64. & Bonac. loc. cit.* volentes ante ſententiam Iudicis non teneri decipientem ſtare contractui, quia contractus vltro citroque eſt obligatorius, vt dictum eſt, ergo quando claudicat ex una parte, claudicat etiam ex altera ideſt quando non obligat ex vna parte, nec obligat ex altera, ſed ex parte decepti non obligat talis contractus, ergo nec ex parte decipientis, non ergo decipiens obligatur ſtare tali contractui, donec à Iudice compellatur. Vtraque mihi ſententia probabilis uidetur, cum ſolido vtraque fulciatur proprio fundamento, nec perfectè vnius ratio euacuat alterius fundamentum perfectè, unde probabilis mihi uidetur utraque.

Nota tamen in hac difficultate, quod decipiens in contra-

ctu

Digitized by Google

ctu non ſemper peccat mortaliter, poteſt enim adeſſe dolus in re parui momenti maximè quando mentitur in qualitate, puta ſi dicatur eſſe vinum talis loci, vel duorum annorum, & tamen non ſit talis loci, nec ita vetus, ſpectatis autem circumſtantijs erit tale vinum æquè bonum, & æqualis valoris, ac ſi eſſet loci illius, vel ita antiquum, modo non ſit exceſſus magnus ſufficiens ad mortale, talis dolus, & deceptio erit ſolum venialis, paruitas enim materiæ excuſat à mortali, & à reſtitutione etiam, vt dicetur ſuo loco, ita ex doctrina *Scoti elicitur loc. citato in 4. diſt. 5.* & docent etiam *Molyna, Bonac. Reginald. & Azor. locis citatis.*

Dico quintò, quod error circa ſubſtantiam contractum annullat, puta ſi quis intendat emere torquem aureum, & tamen eſt auricalchum, quia nullus adeſt conſenſus, nihil autem tam contrarium conſenſui, quam error *l. ſi per errorem ff. de iuriſd. om. Iud.* quæ ratio militat in omni contractu oneroſo, quã gratuito; amplia, quod &t inualidat contractum ſi fiat cum errore comitante contractum ideſt quando error intercedit in contractu, quem ſi cognouiſſet contrahens, adhuc contraxiſſet, quia hic error comitans licet non faciat inuoluntarium, tamen non facit voluntarium plenum requiſitum ad plenum conſenſum, nihil enim eſt volitum, quod non ſit præcognitum, ſed ſubſtantialiter non fuit cognita res qualis erat, ergo nec volita plenè. Ita communiter Doctores citati.

Quod ſi dicas dolus incidens in contractum non annulat contractum, ergo nec error comitans contractum annulat eum, cum par vtrobique ratio; reſpondetur, quod error comitans eſt defectus intrinſecus contractum comitans, ideo tollit verum voluntarium, quia vt dictum eſt nihil magis contrarium conſenſui, quam error, dolus autem prouenit ab extrinſeco, & hic, & nunc non tollit conſenſum, ſi ſolum incidat in contractum.

Benè tamen verum eſt, quod error circa qualitatem non irritat matrimonium, modo non ad ſit dolus dans cauſam contractui, vt puta ſi quis contrahat matrimonium cum Berta, quam credebat diuitem, & tamen eſt paupercula, item ſi quis credat ſe emere equum ſtrenuum, & tamen inuenit eſſe pigrum, validus eſt vtrobique contractus.

Dico vltimò, eum contractum celebratum per metum grauem, ſeu cadentem in conſtantem virum extrinſecè incuſſum prouenientem ex apprehenſione mali imminentis grauis ſicut mors, mutilatio, rei familiaris amiſſio, honoris, ad quem etiam metum reuocatur metus reuerentialis coniunctus cum minis, aut verberibus, item preces importunæ Superiorũ quibus conſentitur inuito animo ad repellendas moleſtias, & grauia incommoda validum eſſe iure naturæ, quia talis metus includit voluntarium ſufficiens ad peccandum, ergo etiam ad contrahendum, quia metus *ex Ariſt. 3. Hethic. c. 1.* facit inuoluntarium mixtum, cum quo inuoluntario ſtat ſufficiens conſenſus, licet velint *Sotus in 4. diſt. 29. q. 1. art. 3. Leſſ. l. 2. c. 18. Paludan. diſt. 15. q. 2. a. 5. Filiucc. T. 2. tract. 33. n. 32. Turrian. diſp. 55. dub. 5. n. 4.* immo iure poſitiuo etiam, exceptis quibuſdam caſibus, puta Matrimonij, dotis promiſſæ, beneficii renunciationis, iuriſdictionis, Teſtamenti, Legati, & donationis, eſſe etiam in ceteris quibuſcumque contractibus validum contractum celebratum per metum cadẽtem in conſtantem virum, ex eo, quod nullo iure conſtat eſſe irritum, ſed ſolum reſcindi mandare ius ciuile huiuſmodi cõtractum *l. vlt. C. de his,* quæ vi, non autem dicit eſſe de facto irritum non ſolum docent præfati Doctores, ſed etiam *Sanchez l. 4. de Matrim. diſput. 8. Azor. 1. p. l. 4. cap. 33. quæſt. 2. & l. 6. c. 7. Becan. 2. p. tract. 1. c. 2. quæſt. 10. num. 22. & Bonac. de contract. diſput. 3. quæſt. 1. p. 2. §. 3.* & licet aliqua probabilitate niſi locuti fuerint tot viri docti.

Attamen probabilius cenſeo contractum celebratum per metum grauem cadentem in conſtantem virum extrinſecè incuſſum de iure naturæ, & poſitiuo eſſe inualidum, de iure quidem naturę coactio includitur in metu cadente in conſtantem virum, vtpotè qui inuitus operatur, natura autem horret in contractu, in quo liberum petit conſenſum, coactionem, nec par de peccato, & de contractu ratio videtur, nam propter metum incuſſum non debet quis offendere Deum, quia pluris æſtimandus Deus, quam propria vita, & quæl bet res mundi, & ideo metus non excuſat à peccato de iure diuino, vel naturali, atque adeo metus in tali occaſione non tollit voluntarium, at vero in contractu non eſt ita, immo debet habere plenam poteſtatem ad libere conſentiendum, nec tenetur conſentire ſtante metu, cum id non præcipiatur nec lege naturæ, nec diuina, vt etiam ſtante metu contrahatur; de iure autem poſitiuo habetur *l. 1. C. de reſcindenda Vendit.* emptionem factam per metũ eſſe irritam, & *l. dolo C. de inutilibus ſtipulat.* dolus, & metus paria ſunt, ſed contractus per dolum eſt inualidus, ergo etiam per metum. Ita ex noſtro Doctore ſubtiliſſimo colligo *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. de tertio articulo,* vbi inſinuat *ex Ariſt. 3. Aetichic.* quod ignorantia, & aliqualis coactio excludit vere voluntarium ſimpliciter. Ita etiam videntur docere *Molyna de Iuſt. diſput. 326. Sayr. Cl. R. l. 2. c. 2. num. 11. Valentia T. 2. diſput. 2. quæſt. 1. punct. 4. Rebell. 2. p. l. 1. q. 5. & Salas de Emptione dub. 63.*

Illud tamen videtur verum, mihi contractum celebratum per metum prouenientem ab intrinſeco ſcilicet à cauſa naturali, ut à morbo, vel tempeſtate, cum retineat voluntarium ſufficiens ad conſenſum, validum eſſe, ſicut etiã validum contractum celebratum per metum iuſtè, & licitè incuſſum, quia retinet verum voluntarium, & eſt contra iuſtum irrationabiliter inuitus, ergo poteſt cogi cum hoc, vt ſit rationabiliter volens; contractus autem facti ex metu leui certè validi ſunt, cum voluntarium non tollat metus leuis, ſed de hoc V. metus forte vberius dicetur, & alibi in ſpecialibus contractibus, &c.

Vtrum contractus celebrati abſque iuris ſolemnitate ſint validi.

DIFFIC. III.

VAriant in hac difficultate Doctores, contendunt .n. eſſe validum contractum abſque ſolemnitate à iure requiſita, ſi de iure naturæ habeat requiſitas conditiones, puta quia ſine fraude, dolo, metu, & omnino liberè, & voluntariè ſit celebratus ex vtraque parte potente celebrare, & in foro conſcientiæ ſuſtineri poſſe. Ita *Nauarr. Comment. V. Vſura, Sà V. Cenſus n. 3. Fauſtus in ſpec. Confeſſ. diſp. 18 quæſt. 21. & 29.* qui citat *Valentiam, & Saloniam, Megala 2. 2. l. 2. & Diana de contract. reſol. 44.* & ſanè non improbabiliter, quia ſolemnitates ſunt introductæ à iure ad præcauendas fraudes, & iniuſtitias, quæ ſolent occurrere in præiudicium contrahentium, ceſſante ergo fine legis in hac materia contractus ſcilicet fraudem, & iniuſtitiam, ceſſat lex ſolemnitatum ab ipſa requiſitarum, ergo dum ſubſtantialiter bonus eſt de iure naturæ in foro conſcientiæ validus eſt, dempto tamen matrimonij contractu, qui iuxta Concil. Trident. inualidus eſt abſque ſolemnitate ab ipſo præſcripta.

Attamen forte probabilius alij cenſent contractum celebratum abſq; ſolemnitate ſubſtantialiter, & pro forma requiſita à iure propoſita, nullum eſſe etiam in foro conſcientiæ. Ita videtur innuere *Scotus in 4. diſt. 15. qu. 2. a. 3.* licet ibi iniuſtum vocet ſolummodo talem contractum, videtur tamen magis inclinare in hãc ſententiam, expreſſius hanc ſententiam tenent *Couarr. cap. quamuis pactum p. 7. § 4. Salas de leg. diſput. 16. ſect. 4. Azor. 3. p. l. 6. cap. 9. Aragon. de Dom. concl. 2. Suar. l. 7. de leg. cap. 24. n. 4. Leſſius l. 2. cap. 19. dub. 3. Zecchius in ſum. p. 2. cap. 24.* & alij, quod mihi probatur potiſſimum ex eo, quod ſicut contrahentes poſſunt aliquas conditiones apponere in contractibus, quæ ſi non ſeruentur, nullus ſit initus contractus, ita etiam & à fortiori poteſt Superior modum, & formam apponere in contractibus celebrandis, quæ ſi non ſeruentur, contractus nulli ſint, & de facto irriti, Princeps enim, & Superior habet ſubditorum voluntates virtualiter in ſua lege implicatas ita vt ſtatim atque lex acceptata fuerit, obligentur ſubditi eam ſeruare ex communi conſenſu, itaque ſi Superior per ſuam legem det modum, & formam ad celebrandum contractum aliquem, ita vt ſine illa forma celebratum nullum, & irritum, & inualidum declaret, ſtatim atque acceptata eſt lex iſta, cõtractus celebratus ſine tali forma, & ſolemnitate requiſita omnino in vtroque foro inualidus eſt dicendus, ſicut enim in naturalibus nulla res ſine forma ſubſiſtere poteſt, ita etiam in moralibus contractus ſine ſua forma, quæ eſt ſolẽnitas ſubſtantialis à iure requiſita ſubſiſtere non poteſt.

Nec obſtat, quod ceſſante fine legis, ceſſet lex, & cõſequenter ceſſante fraude, ceſſat ſolẽnitas iuris à lege præſcripta, nam fortè poſſet reſponderi, quod non propter fraudem vitandam, ſed propter periculũ fraudis, quod veriſimiliter poteſt in omni

contractu interuenire poſita eſt ſolemnitas iuris ſecundario ſolum, ſed primariò poſita ſit ſolemnitas iuris in contractu, vt vnam rationem cõtractus ab alio diſcernat, vnde ad quidditatem contractus omnino pertinere videatur ipſa ſolemnitas poſita pro forma, & modo contrahendi, vt patet in matrimonij contractu, in quo Concilium pro forma eius intrinſeca ponit, quod coram Parocho, & teſtibus celebretur primò ob decentiam miniſterij Sacramenti, & ſecundariò ad vitandas fraudes, atque adeo ceſſante fraude, ſi fieret ſine Teſtibus nullum eſſet, vt dicetur fuſius ſuo loco.

Benè tamen verum eſt, quod ſi contractus aliquis prohibeatur à iure, & non irritetur de facto, validus eſt, nam aliud eſt prohibere aliquod ratione alicuius circumſtantiæ extrinſecæ puta loci, temporis, & perſonæ, & aliud eſt irritare actum, ſi præſcripta ſolemnitas non ſeruetur, multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, attamen quæ irritantur nullam habent ſubſiſtentiam ſi fiant.

Quomodo autem conditio modificet contractum vide ſupra V. Conditio, &c.

Quenam conditiones requirantur ad iuſtitiam contractus tam propriè, quam impropriè dicti.

DIFFIC. IV.

Exactiſſimè *Scotus noſter in 4. ſent. diſt. 15. q. 2.* de iuſtitia requiſita tam ad contractum impropriè dictum, vt ſunt Donatio, promiſſio, & huiuſmodi, in quibus à dante, ſeu dominium, vel vſum transferente nullum expectatur æquiualens, quam ad contractum propriè dictum, vt ſunt Venditio, Emptio, Locatio, & ſimiles, in quibus alter dominium, vel vſum rei transferens expectat aliquod iuſtum æquiualens, quare eius textum ad litteram hic apponere viſum eſt, et quidem quoad conditiones iuſtitiæ contractus impropriè dicti, qui fit per actum merè liberalem abſque ſpe retributionis ſic habet.

(*Ex hoc* patet quid requiratur ad iuſtam donationem, quia (ſcilicet primò) liberalis translatio ex parte donantis. ſecundò voluntas recipiendi ex parte illius cui fit donatio, tertio libertas ex parte amborum huius donandi, & illius recipiendi hoc eſt, quod nulla lege Superiori prohibeatur iſte, vel ille, nec per actum alterius, à quo dependeant in iſta translatione, & propter defectum ſecundi non poteſt quis donare pecuniam ſtatim minori, quia ille non vult eſſe Dominus; propter defectum tertij non poteſt monachus dare ſine licentia Abbatis, nec filius familias ſine voluntate Parentis, nec Clericus in aliquo caſu ſine voluntate, ſaltem contra voluntatem Papæ, vt habetur *extra de cenſ. Roman.* ad cuius capituli obſeruationem pœnam poſuit, *Greg. X.* cuius capitulum hodie eſt *in 6. lib. Decr.* exigit, quod ſcilicet viſitantes à viſitatis nulla recipiant munuſcula, & ſi receperint teneantur duplum reſtituere, vel non abſoluantur à maledictione, quã ipſo facto incurrunt, vt dicit *Innoc. IV. l. 6. in nouis conſtitut.* Huic autem correſpondet in translatione vſus liberalis accommodatio, & habet ſimiles leges adhoc vt ſit iuſta, quia requirit in accommodante liberam voluntatem, & in recipiente, quod velit recipere rem accommodatam ad vſum, & quod non ſit aliqua voluntas legis, vel Principis obſiſtens illi accommodationi) hæc Scotus pro iuſtitia contractus merè liberalis, ſeu impropriè dicti. In quo

Aduerte, quod primæ conditionis exemplũ non appoſuit Scotus ſicut in ſecũda, & tertia, quia videbatur clarum, quod Amẽs, & puer ante vſũ rationis nõ poſſunt trãſferre dominiũ nec vſum liberalem, quia libera non vtuntur voluntate.

Conditiones autem ad iuſtitiam contractus propriè ſumpti in quo aliquod expectatur æquiualens exponens ita loquitur *Scotus*, & primo loquitur de contractu innominato, in quo res vna cum alia permutatur.

(Domini rerum iuſte eos permutant, ſi ſine fraude ſeruent æqualitatem valoris in commutatis ſecundum rectam rationem, intelligendo hic conditiones eſpoſitas ad iuſtam donationem requiſitam (nota benè) explicantur etiam aliæ, quæ ſunt propriæ ad iſtam permutationem.

Quod primò additur ſine fraude excludit fraudem in ſubſtantia, quantitate, & qualitate. In ſubſtantia, vt nõ cõmutetur auricalchum pro auro, nec aqua pro vino. In quantitate vt ſiuè quantitas menſuretur per pondus ſiuè per aliam menſuram ſcilicet virgam, vel huiuſmodi quantum ad longitudinem, vel menſuram aliam corporalem, vt ſcilicet modium ſextarium, vel huiuſmodi ſiuè in liquidis, ſiue in aridis iuſtum pondus, et vniuerſaliter iuſta menſura ſeruetur.

Conſimiliter de qualitate, quod non commutetur vinum corruptum, quod accipit ab alio commutante tanquã vinũ purũ, & hæc omnia probantur extra de iniurijs, & dãno dato ſi culpam: Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, ſed defraudans illum in ſubſtantia, qui putat permutãdo accipere aliam ſubſtantiam, vel qualitatem, vel in quantitate, qui putat accipere aliud quantum dat occaſionem damni, quia ille non permutaret niſi crederet aliam ſubſtantiam, vel quantitatem, vel qualitatem recipere, ergo videtur non tantum fallacia de libro Elenchorum, ſed præſumptione iuris, & ſecundum veritatem damnum dediſſe.

Sequitur in iſta regula, quod æquitas valoris eſt ſeruanda. Hoc probatur per *Auguſt. 13. de Tri. c. 3.* vili velle emere, & caro velle vendere re vera vitium eſt, et hoc intelligendo de re vili, & cara quantum ad vſum, quia frequenter res, quæ in ſe eſt nobilior in eſſe naturali minus eſt vtilis vſui hominum. Et per hoc minus precioſa, ſicut ſecundum *Auguſt. de Ciuit. lib. 2. c. 16.* Melior eſt in domo panis, quam mus, cum tamen omne viuum nobilius ſit ſimpliciter non viuo in eſſe naturę, et propter hoc additur ſecundum rectam rationem attendentem ſcilicet naturam rei in comparatione ad vſum humanum propter quem fit commutatio iſta.

Iſta autem æqualitas ſecundum rectam rationem non cõſiſtit in indiuiſibili, ſicut dicit quidam Doctor motus ex hoc quia iuſtitia habet tantum medium rei, ſed ceteræ virtutes medium rationis, hoc enim falſum eſt, vt declaratur *l. 3. diſt. 34. q. 1.* imo in iſto medio (quod iuſtitia commutatiua reſpicit) eſt magna latitudo, et intra illam latitudinem non attingendo indiuiſibilem punctum æquiualentiæ rei, & rei. Quia adhoc quaſi impoſſibile eſſe commutantem attingere, et in quocunque gradu circa extrema fiat, iuſtè fit.

Quæ autem ſit iſta latitudo, & ad quantũ ſe extendat quãdoque ex lege poſitiua quandoque ex conſuetudine innoteſcit, lex enim reſcindens contractum, vbi contrahẽs decipitur vltra medietatem iuſti pretij, tamen infra illud ſi ex alio apparet iniuſtitia debet reſtitutio fieri correſpondens. Quando autem relinquitur ipſis cõmutantibus ut penſata mutua neceſſitate reputant ſibi mutuo dare æquiualẽs hinc inde, et accipere. Durum eſt .n. inter homines eſſe contractus in quibus contrahentes non intendant aliquid de illa indiuiſibili iuſtitia remittere ſibi mutuo, ut pro tanto omnem contractum concomitetur aliqua donatio. Et ſi iſte eſt modus commutantium quaſi fundatus ſuper illud legis naturæ. Hoc facias alijs, quod tibi vis fieri ſatis probabile eſt, quod quando ſunt mutuo contenti, mutuo uolunt ſibi remittere ſi ſecundum aliquid deficiunt ab illa iuſtitia requiſita.

Conſimilis concluſio omnino eſt de iuſta uenditione, et emptione, quia ibi ita oportet ex una parte conſiderare numiſma ſicut hic rem permutatam. Addo quod in iſtis utriſq; contractibus licet permutantem, uel uendentem penſare damnum ſuum non autem commodum ipſius ementis, ſiuè cũ quo permutat, hoc dico in carius uẽdẽdo, uel permutando. et intelligo ſic. Si quis multum indiget re ſua, et per magnã inſtantiam inducatur ab alio, ut uendat, uel permutet pro re alia, cum poſſit ſe præſeruare indemnem, et ex uenditione, uel permutatione iſta multum damnificatur, poteſt carius uendere, quam ſi alias ſine tali damnificatione uenderet, uel permutaret, ſed ſi emẽs magnum commodum ex illa re ſibi uendita, uel permutata non poteſt carius uẽdi, uel permutari. Nam propter maius commodum eius, quod conſequitur nec res mea eſt in ſe precioſior, nec mihi melior. Et ideo nõ debet mihi maius preciũ apportare. Secus autẽ eſt quando damnificor, quia tunc mihi eſt precioſior licet non in ſe, etc.

Cum iſtis contractibus, ut dictum eſt, conueniunt mutua accommodatio, conductio, et locatio, et conſimiliter quantum ad poſitas iam conditiones eſt ſeruanda iuſtitia, conſiderando ibi ad uſum ſicut hic ad dominium.

De ult. contractu .ſ. de mutui datione ſit hæc concluſio 4. huius articuli. Ad iuſtè contrahẽdum mutuũ oportet ſeruare ęqualitatẽ ſimpliciter in numero, et põdere, exceptis quibuſcũ caſib. de quib. dicetur in fine, ratio huius à quodã aſſignatur talis, quia uſus pecuniæ eſt eius cõſũptio, ergo cõcedẽs eã

mutuo

Google

mutuo per conſequẽs *conſumit eã*. *Cõtra hoc obijcitur ꝑ illud extra de ſignification. verborũ ex ijt qui ſeminat, & hodie in 6. lib. 9.* quarundam rerum vſus perpetuo ſeparatur à dominio. Poteſt ergo talis ratio aſſignari, quia in mutuidatione transfertur dominium. Hoc enim ſonat vocabulum, mutuum do tibi meum, ergo qui concedit mutuo non manet dominus pecuniæ mutuatæ, & per conſequens ſi pro illa pecunia recipiat aliquid vltra ſortem pro non ſuo recipit, ſiue vendit non ſuum. Alia ratio eſt, eſto quod pecunia maneret ſua, tamen illa pecunia non habet ex natura ſua aliquem fructum, ſicut habent aliqua alia ex ſe germinantia, ſed tantum peruenit aliquis fructus ex induſtria alterius .ſ. vtentis: induſtria autem huius non eſt eius, qui concedit pecuniam; ergo ille volens recipere fructum de pecunia vult habere fructum de induſtria aliena, quam tamen non dedit ille alius ſibi ex hoc quod accepit mutuum ab illo. Et hæc eſt ratio quare per oppoſitum fructus lignorum germinantium computatur in ſortem. Excipiuntur ex iſta ratione duo caſus in genere.

Quandoque .n. licet accipere vltra capitale ex pacto, quandoq; autem non ex pacto. Primum tripliciter, vel ratione pęnæ conuentionalis dum manet non fiat in fraudem vſurarũ v. g. Ego indigeo pecunia mea ad mercandum, concedo tamen tibi ad tertum diem, adijciens pęnam conditionalem, quod niſi tali die ſoluas, quia multum damnificabor, ſolues pęnam, hæc pœna adiecta licita eſt, quia licet me ſeruare indemnem ſic præponendo illum cum quo contraho.

Signum autem quando non eſt in fraudem vſurarum manifeſtum eſt illud, quando mercator magis vellet pecuniam ſibi ſolui die pręfixo, quam in craſtino cum pœna adiecta ſibi. Et per oppoſitum eſt in fraudem vſurarum, quãdo vult diem tranſiri, potius, quam pecuniam ipſo die ſolui. Secundũ eſt ratione intereſſe. Debitor .n. ex cuius non ſolutione Creditor notabiliter dãnificatur tenetur de iuſtitia ſatisfacere creditori de intereſſe. Et licet ille creditor non poſſet habere contra eum actionẽ in foro exteriori, vtpotè quia non ſunt pacta, vel iuramenta, tamen in foro cõſcientiæ debitor tenetur vltra ſortẽ ad intereſſe.

Tertia Cõditio eſt quãdo vtrumq; ſ. Capitale, & illud ſuper fluũ ponitur pro incerto abſq; pacto. Quod probatur *extra de vſuris nauiganti ſ. ratione* arguẽdo per locũ à ſimili, quia ſicut hic incertitudo excuſat, ita ibi ſine pacto etiã licet. Solus .n. animus ſine omni pacto verbali, vel alio ſigno æquiualenti oſtendente debitori quod mutuans non mutuaret ſine ſpe lucri, nõ facit illud recipientem vltra ſortem ſine pacto habere alienum, & ideo non teneri ad reſtitutionem.

Intelligendum etiam, quod pecunia habet aliquẽ vſum vtilem ex propria natura, vtpotè ad videndũ, ornandum, vel oſtẽdendum poſſibilitatem tanquam ditiorem, & ad illum finẽ poteſt locari ſicut Equus, vel aliud locale, & pro vſu iſto retento dominio lucrum recipi, & tunc ex toto eſt contractus locationis, vel conductionis, non autem mutuatio, ſeu mutuidatio, & deberet idem pondus reſtitui, niſi fortè ſufficiat locari æquale in pondere, & valore. Hæ regulæ prædictæ oſtendunt quid iuſtũ, & quid iniuſtum in cõmutationibus ſtatim facti. i. quãdo vterq; cõmutans ſtatim dat, vel recipit illud pro quo cõmutat.

Quænam requiruntur ad iuſtitiam contractus dandi credito, vulgo incredenzare. frumenta, olea, & ſimilia, vbi errores aliquorum credito negotiantium aperiuntur.

DIFFIC. V.

IN præſenti difficultate potius impijſſimã, & crudeliſſimam hanc rerum, vel frumentorum negotiationem in communis boni perniciem, pauperum oppreſſionem, & negotiantium miſerandam animæ ruinam deflere, quam de ea contra aliquorum Theologantium intereſſatas adulatrices, & chymericas opiniones ſcribere libet, etenim expertus loquor, derident piiſſimorũ Doctorũ ſole clariores doctrinas negotiatores moderni, & eo magis quo ſunt potentiores, & nobiliores à Dęmonio meridiano ſpeculatiuarũ, & aetearum rationum crudeliſſimę pietatis nube negotia perãbulãtia in tenebris infeliciter edocti.

Ceterum vt in hac difficultate veritatem pro Chriſtianis Catholicis eam amantibus patefaciam, piiſſimi, ac præſtantiſſimi Theologorum Principis noſtri ſubtiliſſimi Doctoris regulas duas ponam quas ipſe adducit ad hanc difficultatem diſſoluendam *in 4. diſt.* 15. *q.* 2. *a.* 2. ex quibus errores negotiantium colligam.

Ipſe ergo in prælato loco ſic quærit. (ſed quando commutans non ſtatim recipit illud pro quo commutat, ſed differt huiuſmodi receptio, quæritur quid iuris? Reſpondeo præter regulas prædictas ad iuſtum, vel iniuſtum in ſingulis contractibus, addo hic iſtas duas. Prima eſt, quod commutans, vel vendens non vendat tempus, quia tempus non eſt ſuum. Secundò, quod non ponat ſe in tuto de lucrando, & illum, cum quo commutat de damno intelligo in tuto ſemper aut in pluribus, ex iſtis Regulis parẽt multi caſus) hæc *Scotus* ex quibus regulis infraſcripti errores negotiantium colliguntur.

Primus ergo error Negotiantium aliquorum, qui dum dant rem credito ſoluendam pro tali tempore quatuor, vel quinque menſium, quando ſc. illæ res ſolent vt plurimum valere carius, in preſenti quando actu rem tradunt conſtituunt precium maius, quam tunc valeant, Iſti ſunt Vſurarij, quia vendunt tempus, precium .n. maius accipiunt, quia pro tali, & tanto tempore expectant ſolutionem, itaque temporis expectationem vendunt contra primam Regulam.

Secundò, error negotiantium aliquorũ in hac materiã eſt, quod ſemper in tuto ſe ponunt contra ſecundam regulam, et

Primò, quia iſti negotiatores dum dant credito ſuas res ſoluendas tali tempore quo carius vt plurimum venduntur faciunt talium rerum inopiam pro tali tempore, maximè ſi ſunt frumenta, olea, & cetera pro victu, & veſtitu conſumptibilia, quia tunc temporis, quando ſolutio expetatur, copia iſtorum credito venditorum non adeſt, itaque ex hoc ſe in tuto ponunt ſaltem vt in pluribus lucrandi, inopia enim vendibilium facit vendibilia, vt carius vendantur, hinc ſi ea ſeruaſſent vſque ad illud tempus, ſanè carius non venderentur, quia copia vendibilium facit ea vilius vendi, itaque decipiuntur Negotiatores, dũ pro axiomate certo approbato ab aliquibus Theologis, quod ſi ſeruaſſent ſuas res, vendidiſſent pretio maiori, quo tali tempore actu venduntur, nam ſi hoc tempore apparerent omnia illa vendibilia, quæ credito ſunt vendita, ſanè regulariter vt plurimum cariori pretio non venderentur, ſed forte minori pretio, quam eo tempore, quo tradita ſunt.

Aduerte, quod ideo dixi, quod regulariter, vt plurimum cariori pretio non venderentur, quia poteſt ratio cariori vendendi frumenta illo tempore etiam ſumi à penuria rerum, quę ſperatur in anno ſequenti, puta menſe Maij poterũt etiam carius vendi frumenta non ſolum ob inopiam pręſentem, verum etiam, quia præuidetur penuria eorum anno ſequenti.

Ex quo capite liquet, quam periculoſum ſit iſtud negotiationis genus, quia ipſi Negotiatores abſque alia induſtria tradendo res ſuas ſoluendas credito pro tali tempore, faciunt regulariter carius pro tali tempore ea vendi, quare vere non ſolum in tuto ſe ponunt vt plurimum, ſed contra primam etiam regulam vendunt tempus, quod non eſt ſuum, quia pro talis expectatione temporis, in quo propter inopiam, quam cauſant vendibiliũ, recipiunt maius pretium, quã pro preſenti valeant.

Non loquor hic de alia impijſſima ratione faciendi inopiam talium rerum in tali tempore, vt carius vendantur, quod ſcilicet monopolio inter ipſos facto eiuſdem ſpeciei res tali tempore occultant, & nolunt publicè exponere, vt appareat earum inopia maior, & creſcat pretium, quia apertum adeſt delictum contra bonum publicum, & pauperum neceſſitates, ſed loquor ſolum de penuria, & inopia rerum, quæ cauſatur ab earum traditione in credito, quæ ſi ſeruata fuiſſent, ſanè viliori venderentur.

Etenim in quadam Ciuitate ex libris multorum negotiantium deductum fuit in vno anno tempore Octobris, Nouembris, & Decembris fuiſſe credito data decem millia modiorum frumenti ſoluenda pretio quo menſe Maij frumenta venderentur tempore quo data fuerunt decem aureis pro quolibet modio paſſim vendebantur, tempore vero Maij quindecim, decem octo, ac viginti aureis fuerunt vendita, ſi ergo ſeruata fuiſſent pro tali tempore Maij tot millia modiorum ſane tanto pretio, ſed forte eodem pretio quo quando data ſunt valuiſſent. En ergo negotiatio illa ex hoc capite, quam in ſe periculoſa, & Regulis Theologorum contraria, in qua lucrum certum abſque vlla induſtria, & labore ſola temporis expectatione accipitur.

Secundo, decipiuntur Negotiatores in hac materia credito dandi res, & frumenta, quia contra ſecundam regulam in tuto ſe ponunt ex eo, quod putant ſuas res, & frumenta eſſe incorruptibilia à tineis, vermibus,

muribus, puluere tempeſtatibus, & à manibus rapacium omnino aliena, vnde cenſent ſe ſeruaturos infallibiliter ſuas res, & frumenta pro tali tempore futuro, & tamen ipſi optimè callent quanta indigent diligentia in cuſtodiendo, maxime hiſce temporibus, quanto labore in ſeruando, & preſeruando, ita vt multi mihi narrauerint, quod centum modii frumenti ſeruati vſq; ad finem Maii decreuerunt ſupra viginti modios modo ratione tinearum, modo murium, vel vermium incurſione, vt purgari, quam pluries fuerit neceſſe, itaq; falſum eſt ea infallibiliter ſeruanda fuiſſe ita integra tempore Maii, qualia erāt tempore quo data fuerūt; Dantes ergo præfata credito alijs ſeruantur immunes à tali dimunitione, non eſt ergo æquum, vt integrè, & ſecundum omnem rigorem ſoluantur eis res, vel frumenta credito data eo tempore quo ipſi ea vendere ſtatuerant, vide *Angelum noſtrum V. Vſura* 1. §. 34. ex quibus.

Collige, quam difficile ſit in hac materia dandi creditores, vel frumenta pro tempore, quo carius venduntur inuenire veram rationem lucri ceſſantis iuxta rigoroſum prætium exigendi, vt multi putant Theologi. Vide *Angelum noſtrum V. Vſura*.

Sed en Demonium meridianum ſub crudeliſſimæ pietatis nube negotium iſtud faciens perambulare in tenebris obijciēs, quod ſi res, & frumenta credito non darentur, tolleretur conuictus humanus, & pauperes indigentes non poſſent viuere, neceſſaria eſt ergo iſta rerum dandarum in credito negotiatio, ergo licita tanquam bono publico, & ſubleuandis hominum indigentijs adinuenta.

Reſpondeo neceſſariam eſſe iſtam negotiationem dādi credito res, & frumenta, ſed iuſte exercendam ſecundum regulas æquitatis, & iuſtitiæ quæ iam propoſitæ ſunt, exercere autem eam iuxta regulas iſtas valde eſt difficile, & ideo periculoſa nimis negotiatio eſt maximè quia à præcepto, vel ſaltem à conſilio *Saluatoris Lucæ* 6. recedit, vbi habet, benefacite, & mutuum date nihil inde ſperantes, ex charitate ergo Chriſtiana deberet quilibet gratis mutuum dare frumentum ad ſubueniendum hominum indigentiis, vel ſaltem vendere pretio currenti.

Inſtabis: Vnuſquiſque magis ſibi debet, quam alteri, ſi ergo reſeruando res, vel frumenta tempore quo valent carius quis poteſt lucrari ſibi, non tenetur eas tradere pretio currenti.

Reſpondeo, quod vnuſquiſque magis ſibi debet, quam alteri ſecundum æquitatem, & iuſtitiam abſque præiudicio alterius, iam monſtratum eſt, quod ſi ſeruarentur res, & frumenta tali tempore, quo ſperantur carius vendenda, ſanè propter copiam eorum minoris venderentur, præterquam quod non eſt ita certum, quod poſſint ita integrè ſeruari pro tali tempore, vt oſtenſum eſt, itaque iniuſtè, & in damno tertij petunt ſolui numerata pecunia carius, ſaltem pretio rigoroſo, quo venduntur ſtante earum inopia, & penuria dicto tempore.

Numquid ergo tanquam omnino illicita reijcienda, & reprobanda? ſanè hoc non audeo affirmare contra torrentem omnium Theologorum, ſed tanquam periculoſam nimis negotiationem non conſulerem non ſolum propter dicta, ſed etiam quia in praxi obſeruant viri prudentes, & pij, quod ſicut in hiſce partibus nullus breui tempore ditatur niſi per exercitium huius negotiationis, vnde non ſolum infimę ſortis homines, ſed etiam nobiles, imo nobiliſſimi, vt ſe ditiores faciant, neglecto nobilitatis, & dignitatis ampliſſimæ gradu hanc frumentorum, & ceterarum rerum credito dandarum negotiationi turpiter ſine pudore inhiant facti Mercatores à ſuorum maiorum ſplendore degeneres, ita etiam nullus ita breui tempore iuſtas pænas videtur luere, quam iſti negotiatores, quorum aliqui poſt paucos annos iuſta Dei iudicio decoquunt miſerabiliter, vel latronum ſæpe manus experiuntur, vel à Superioribus ſuis expilantur, vel ſaltem grauioribus doloribus excruciati in lectulis decumbunt, vel alijs ærumnis exagitati diuinæ vltioni ſubiiciuntur, quia ſanguinem pauperum per iſtas negotiationes ebibunt, præcipuè aliqui Domini locorum, qui frumenta non purgata, & quiſquiliis plena, vel incipientia corrumpi dant indigentibus credito vt recipiant in menſe Auguſti purgata, & optima iuxta prætium ſummum quo valuerunt menſe Maii. O quam verum eſt quod legitur ſcriptum, omnes qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum, & tentationem Diaboli. Vnde meritò apud Sacr. Canones conſulitur, & præcipuè in c. *in Ciuitate de Vſuris*, ne homines huiuſmodi negotiationes exerceant.

Verum quia etiam iuſtè, & ſine ſcrupulo ſeruatis Regulis præfatis, & conditionibus aliquibus, ideo pro Chriſtiano, & pio more negotiari volentibus quæro.

Vtrum Contractus credito dandi frumenta tempore quo minoris valent, vt ſoluantur tempore quo pluris venduntur poſſit aliqua conditione licitus reddi.

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod tradens res, vel frumenta credito tempore quo minoris valent, vt recipiat ea iuxta prætium ſummum tempore quo carius veneunt illicitum contractum facit, quia certiſſimum eſt facere contra Regulam illam, quod negotiator non debet ſe ponere in tuto. Ita *Scotus loc. citato* præterquam quod eſt incertus an potuiſſet ea vendere eo die determinato, quo ſummo prætio vendita fuerunt, negotiatio autem ait, *Scotus* non ſit in die particulari vage ſumpto, ſed in die tali ſingulariter ſumpto.

Dices ex doctrina *Vaſq. opuſ. de reſtit. cap.* 5. §. 1. & ab aliis apud *Leſſium l.* 2. *c.* 12. *n.* 7. quod ſi incertum ſit quo pretio, aut in quo ſtatu rem furatam Dominus eſſet venditurus, in tali caſu furans debet reſtituere ſecundum optimum ſtatum, & ſecundum prætium ſummum, quo conſimilia vendita fuerunt, quia in eo ſtatu, & prætio poterat res vendi à Domino, & in dubio an tali tempore vendere potuiſſet, potior eſt conditio innocentis, & in eius fauorem inclinandum, ergo à pari ſi frumentum, vel res data credito non reſtituatur tali tempore, quo ſummo pretio venduntur, quia poterit ea tali tempore vendere negotiator, debent ſummo pretio ſolui à Debitore.

Reſpondeo, quod eſt diſparitatio, nam in pęnam furti poteſt concedi, quod ſecundum optimum ſtatum, & ſummo pretio quo ſimilia vendita ſunt, reſtituatur res furata Domino; at vero in damnum Emptoris, non poteſt ſe venditor in tuto ponere, hic enim contractus eſt in gratiam vtriuſque, debet etiam haberi reſpectus ad damnum Emptoris, ſicut habetur reſpectus ad lucrum Venditoris.

Dices ſaltem non debet eſſe in damnum Venditoris talis contractus; nam ſi Venditor cogitaſſet frumentum vendere in menſe Maii eo die quo viginti aureis venditum eſt frumentum in ſingulis modiis, pateretur damnum Venditor, ſi minoris ſolueretur.

Reſpondetur, quod contractus non manet in ſola voluntate Venditoris, ſed etiam in voluntate Emptoris cum ſit vltrò citroque obligatio, ideo habendus eſt reſpectus ad damnum, & lucrum alterius iuxta æquitatem rationis, & iuſtitiæ, non autem ſecundum intentionem alterius ſolum, Emptor enim intendit contrahere cum Venditore iuxta regulas iuſtitiæ huius contractus, & non aliter. Quare

Dico ſecundò, quod ad iuſtitiam contractus dandi res, & frumenta credito ſoluenda tempore quo carius vt plurimum valere ſolent, Prima conditio eſt, vt ex tribus pretiis in dicto tempore infimo, medio, & ſupremo, relictis infimo in fauorem Venditoris, & ſupremo in fauorē Emptoris, medium accipiatur, quia ita fit iuxta Regulam poſitam ſcilicet quod emptor non ſe ponit in tuto lucrandi in damnum Emptoris, cum ſummum non eligatur. Ita communiter Theologi tam antiquiores, quam Moderniores. Vide noſtrum *Pitigian. in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 2. *concl* 6. *Villalob. in ſum p.* 3. *tract.* 2. *dub.* 7. *Molyna l.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 355. *Salon.* 2. 2. *T.* 2. *diſput.* 88. *a.* 2. *contr.* 21. & *Bonac. de contract. diſp.* 3. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 16. *Ang. V. Vſur.* 1. §. 34.

Dices ſaltem erit illicitum etiam iſtud prætium medij pretii, quia ſi ſeruata fuiſſent frumenta omnia illo tempore tanto pretio nec vendita fuiſſent.

Reſpondeo, quod tempore Maii non ſolum valere ſolent cariori pretio frumenta propter penuriam maiorem frumenti eo tempore, ſed etiam propter paruam ſpem bonæ annonæ anni ſequentis, tempore enim Maii facilius præuidetur ſpes mala, vel bona annonæ anni ſequentis, itaq; cum incertum ſit Theologis ob quam rationem tunc temporis cariori pretio vendantur frumenta, poteſt medium pretium iuſtè ſtatui accipien-

dum

dum quomodocunque eueniat carius pretium.

Secunda conditio ſeruāda pro iuſtitia huius contractus dandi credito frumenta, vel alia huiuſmodi ſoluenda alio tempore eſt, vt de dicto pretio mediocri detrahatur etiam aliquid iuxta arbitrium prudentis viri ratione diminutionis quam facere poſſunt frumenta, & alia vſque ad illud tempus in quo ſeruanda forent à vendente credito, & in quo pretium ſtatuitur, vt notat noſt. *Angel. V. Vſura* 1. §. 34. ſecundò, pro periculo corruptionis, quia facilè poſſent corrumpi maximè frumenta; tertiò, pro locatione locorum, & vaſorum ad ea ſeruanda, quartò, pro cuſtodia à latronibus, quintò, pro labore in ſeruando ea, quia multotiens purganda, mouenda. Ita noſt. *Angel.* vbi ſupra, *Bonac. & Salonio loc. cit.* & communius tam antiquiores, quam recentiores, vndè deducit noſter *Angelus*, & præfati Doctores, quod qui ea non diminuunt, vſurarij ſunt, & obligantur ad reſtitutionem, quia pluris iuſto precio vendunt expectata pecunia.

Dices, hæc omnia ſubtrahuntur dum non rigoroſo pretio, quo venditurus eſſet ſua frumenta negotiator, ſed mediocri eſt contentus.

Reſp. quod pretium mediocre debet ſtatui tum ne ſe ponat in tuto negotiator, tum quia ſi tunc ſeruata forent frumenta, vel merces, non poſſent vendi pretio rigoroſo, cum ex abundantia mercium pretium carum minuatur, itaque ex iſto pretio iuſto mediocri ſtatuendo propter dictas rationes diminuendum eſt aliquid propter iſtas alias circumſtantias. Vide *Angel.* noſt. *V. Vſura* 1.

Suadeant ergo prudentes, & pij Confeſſarij iſtius modi negotiatores, vt in iſtis contractibus dandi credito frumenta, vel alias res, vt regulas, & conditiones iſtas ſeruent, & ſi eos non ſeruaſſe iſtas conditiones inuenerint ad reſtitutionem obligēt, monentes eos, quod non remittitur peccatum niſi reſtituatur malè ablatum.

Quod ſi aliquorum Theologorum opiniones objiciant iſtas conditiones probantium tanquam non neceſſarias, demonſtrare eis ſatagant talium opinantium falſitates detegendo præfatos hic explicatos errores in hac materia, vt ſi pij fuerint Chriſtiani veritatem licèt corpori damnoſam, animæ tamen ſalutarem amplexabuntur, ſicuti aliqui à me in hac materia moniti ad reſtitutionem ſe diſpoſuerunt, & de cetero conditiones præfatas ſeruare ſtatuerunt.

Ad quod genus contractus reducatur traditio frumentorum in credito vulgo detto in credenzare, & an tradens frumenta tempore Autumni ſoluenda tempore Maij, poſſit obligare accipientem vt frumentum iuxta pretium menſe Maij ſtatutum in menſe Auguſti ſibi reddat.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quod traditio frumenti in credito, & ſimilium licèt aliqui velint, quod non poſſit reduci ad contractum mutui, quia impertinens videretur dare mutuum frumentum, vt reddatur tempore, quo accipiens illud non habet, certum enim eſt accipientem credito frumentum tempore Autumni, vtpotè qui eo tunc careat menſe Maij non habere frumentum quod reddat danti mutuum, ergo dare frumentum credito non reducitur ad mutuum.

Attamen licèt hæc opinio ſit admodum conſona charitati, & miſericordiæ, non tamen videtur eſſe contra naturam mutui, nec præcisè contra charitatem talis contractus, quia licèt tali tempore ſc. menſe Maij mutuatarius actu non habeat frumentum, tamen poteſt illud habere emendo ab alio, & ita illud reſtituere, vel ſaltem ſoluendo pretium, mutuans enim ſicut liberè, & ſpontè, & non coactus dat mutuum frumentum, ita etiam liberè poteſt ſtatuere terminum mutuatario, vt, ſi velit ſuum frumentum accipere, reſtituat in menſe Maij, quo tempore ſuo frumento indiget, vt vendat, vel aliud faciat, mutuans enim magis ſibi debet quam mutuatario, nec debet ſibi damnum facere in gratiam mutuatarij, quare nec contra iuſtitiam mutui, nec contra charitatem eſt, vt mutuans ſibi reddi ſua frumenta poſcat tempore Maij, vel ſaltem pretium eius.

Aduertat tamen hic negotiator hoc pacto mutuans, quod non poteſt obligare mutuatarium, vt non reddat ante menſem Maij frumentum, quia hæc obligatio cum ſit pretio æſtimabilis acciperet aliquid ſupra ſortem ratione mutui, vnde vſuram committeret, poterit tamen obligare, vt ante menſem maij ſi velit reſtituere, reſtituat frumentum, non autem pretium, quia frumentum mutuum dedit, non pecunias, vt videbitur V. Mutuum.

Dico ſecundò, quod traditio frumentorum credito tempore Autumni, aut Hyemis vſque ad menſem Maij poteſt etiam reduci ad contractum venditionis, itavt actu fiat venditio frumenti tempore autumni, vt tamen tradatur pretium eius tempore Maij, quanti tunc valebit ex eo, quod venditor ſeruaturus erat ſuum frumentum vſque ad tale tēpus in quo vt in pluribus carius venditur; vel vt alij volunt traditiu frumentorum credito eſt contractus mixtus itavt principiatiuè ſit contractus venditionis. Seruatis tamen conditionibus vt ſupra. Ex quibus

Collige talē contractum dandi credito frumenta non reduci ad contractum innominatum, nam nulla adeſt hic propriè permutatio, ſed vel redditio eiuſdem in ſpecie, quod datum fuit, vel pretium, vndè vel mutuum, vel venditio, vel aliquod mixtum ex vtroque dicendum, quare dictus contractus dandi credito conditiones mutui, vel venditionis debet habere, vt ſit iuſtus. Hinc

Dico tertiò, quod ratione contractus dandi credito, ſeu credentiæ præcisè nullo modo poteſt obligari accipiens, vt menſe Auguſti reſtituat frumentum iuxta pretium taxatum tempore Maij, nam tempore Maij eo die præcisè quo pretium ſtatuitur frumenti, iam contractus dandi credito abſolutus eſt per venditionem perfectam, ſi ergo in principio contractus huius fuerit factum pactum, aut tunc addatur, vt pro pretio quod debet tradat menſe Auguſti ſibi frumentum, erit omnino tale pactum vſurarium, vel illicitum, quia talis obligatio eſt quid prætio æſtimabile, vel ergo acciperetur aliquod pretio æſtimabile ratione mutui, vel ſupra iuſtum prætium, iuxta quod talis traditio in credito, ſeu credentia participat de mutuo, vel de venditione.

Eſt ergo neceſſarium ſi venditor velit pro pretio ſibi reſtitui frumentum tempore Auguſti, vt nouum contractum cum tali emptore celebret, vt ſc. ſibi vendat menſe Auguſti frumenti tantam ſummam, quantum eſt pretium, quod ipſe tempore Maij debebat ſoluere pro frumento accepto tempore Autumni, & tamen tunc non ſoluit precium, forte quia non habebat, alias ſine iſto nouo contractu non poterit vigore primi obligare illum ad dandum frumentum in menſe Auguſti.

Quod ſi nolit ſe ad frumentum dandum menſe Auguſti obligare non poteſt cogi, ſed ſolum ad pretium dandum, ſi autem ſpontè, vel etiam rogatus liberè ſe obligauerit pro pretio illo tradere frumentum menſe Auguſti licitus eſt contractus.

Verùm dato, quod qui accepit decem frumenti ſarcinas tēpore Autumni quando valebat viginti carolenis in ſingulas ſarcinas, & in menſe Maij iuxta valorem tunc currentem puta quadraginta Carolenis in ſingulas ſarcinas ſe conſtituat debitorem in quadraginta aureis, ſi poſtea in menſe Auguſti valeat frumentum viginti carolenis in ſingulas ſarcinas, debebit in tali menſe dare pretio dictorum quadraginta aureorum viginti ſarcinas frumenti, itavt decem ſint pro ijs, quas habuit anno præterito, & decem alias pro lucro anni currentis quæritur modo, &c.

Vtrum qui in menſe Auguſti non potuit reddere viginti ſarcinas frumenti decem ſcilicet pro capitali, & decem pro lucro, poſſit creditor iterato contractu credentiæ relinquere illas viginti ſoluendas ab eodem pretio currenti menſe Maij ſequenti.

DIFFIC. VIII.

IN hac Difficultate conueniunt communiter poſſe renouari contractum tempore Auguſti ſi non poſſit reddi frumētum acceptum tempore Autumni, & toties, quoties non ſoluitur, ſi citra fraudem, & effectum auaritiæ, & conſideratis expenſis in ſeruando, & in menſurando, & remenſurando, & periculis etiam in cuſtodia, & corruptione ſeruatiſque regulis de non vendendo tempore, & ſe ponendi in tuto, vt dictum eſt ſupra, quia poſitis iſtis conditionibus ex nulla alia parte poteſt naſci iniuſtitia in renouatione huius contractus, quod autem

dubitant

dubitant Doctores eſt, an etiam decem illæ aliæ ſarcinæ, quas lucratus eſt ſuper illas decem, poſſint credito dari, vt reddātur etiam pretio quo valent tempore Maij, quod idem eſt dicere, an intereſſe poſſit cum ſorte principali incredentiari eodem modo, quo ſors principalis, ita vt de illo intereſſe, iterum anno ſequenti poſſit aliud lucrum, & intereſſe capi licitè, & tuta conſcientia, in qua difficultate variant DD.

Negant, & quidem piè *Rota Romana vol.2. deciſ.315. nu. 8. in Nouiſſ. Graff.1.par.l.2 c.105.num.8. Molfeſ.par.2. tract. 12.cap.7. Megala 2.2. l.2. cap.6. quæſt.1. Malder. 2.2. tract. 5.cap.3.dub.12.& Franc.de ciſ.254.* & probatur quia adijcere intereſſe ad ſortem principalem eſſet Anatociſmus iure prohibitus, *vt patet l. vlt. C. de vſur.& l.vnice verſ. In aliis caſ. c.ſent.quæ pro eo, quod intereſt.*

Vocatur autem Anatociſmus Vſura Vſurarum ſiue anniuerſaria ſolutio vſuræ de re vſura accepta, quia abiretur in infinitum in lucris cum aperto affectu auaritiæ, pia inquam eſt hæc opinio, & omnino conſulenda, quia ſecundum charitatem, & miſericordiam cum proximo procedit.

Attamen affirmatiua ſententia probabilis eſt ſcilicet licitum eſſe etiam decem Sarcinas, ſeu lucrum illud, quod vltra ſortem principalem decem aliarum ſarcinarum quas habuit credito quis tempore Maij, adiicere cum iſta ſorte principali decem ſarcinarum, ſi non ſoluantur Menſe Auguſti, & eas ſimul vnitas ſcilicet tam decem lucri, ſeu intereſſe accepti, quam decem ſortis principalis tradere eidem ſoluendas tempore Maii ſequentis. Ita docent ferè omnes Iuriſtæ, *Rota Mantuana apud Burſattum l.1. conſ.68. n.42. Rota Genuenſ.in deciſ.134. Alfonſ.V illagut. tract. de vſur.q. 18. num.34. Berretta conſ.68. num.34. Berretta conſ.25. Cagnolus in l.vnica C.de ſent.quæ pro eo n.46. Scaccia in trac. de comm.§.7.gloſ.2.n.19.* & probant quia intereſſe, ſeu illud lucrum decem ſarcinarum factum eſt creditoris, vnde tempore Auguſti quo debebantur decem ſarcinæ, pro ſorte principali, & decem pro lucro, vel intereſſe, ſimul iam viginti ſarcinæ factæ ſunt creditoris, & ſicut omnes viginti ſi reciperentur, poſſent credito dari alteri ſoluendas tempore Maij, nec haberetur reſpectus ad decem illas vtpotè lucri, vel intereſſe, ita etiam ſi retradantur eidem debitori omnes viginti poſſunt aſſignari ſoluendæ tempore Maii tanquam ſors principalis abſque reſpectu ad illas decem, quod fuerint de lucro, vel intereſſe, quia cum iam ſit factus Dominus etiam illarum decem de lucro, & intereſſe creditor ille, & velit eas exponere negotiationi, eas tanquam Dominus exponit tanquam ſortem principalem abſque alio reſpectu ad lucrum, vel intereſſe anni præteriti, huic ſententiæ ſe ſubſcribit etiam *Diana* inter nouiſſimos Theologos *tr.de contract.reſol.19.*

Tutior mihi videtur iſta opinio ſi iuxta dicta in ſuperiori difficultate tempore Auguſti faciat creditor cum Debitore nouum contractum ſcilicet, vt pro pretio ſtatuto tempore Maii quod ſibi debetur pro ſarcinis illis decem quas habuit debitor ab ipſo tempore Autumni præcedentis emat ab ipſo debitore viginti ſarcinas iuxta valorem præſentem, et poſtea det eas iterum in credito ſoluendas in menſe Maii, ita enim apparet, quod illæ decem ſarcinæ non traduntur tanquam intereſſe anni præcedentis, ſed tanquam frumentum emptū menſe Auguſti, vt eas negotiationi exponat, vnde non valens eas reddere primus debitor, cum eo licitè celebrat nouū contractum dandi eas credito pro Maio ſequēti, ſicut licitè celebraret cum alio tradendo eas ipſi credito pro Maio ſequēti, emere .n. frumentū in porticu ab aliquo licere dicetur alibi.

Vnde euaditur apertè Anatociſmi, ſeu vſuræ vſurarum ſolutionis vmbra, vel periculum, nā ideo reprobatur anniuerſaria ſolutio vſuræ vſurarum, ſeu lucrum de intereſſe vſuræ, quia quando contractus eſt vſurarius, lucrum inde eueniens non eſt licitum, & vſurarius non fit Dominus talis lucri, ideo non poteſt adiicere in ſortem principalem tale lucrū, & conſequenter de tali lucro non poteſt iterum aliud lucrum, & intereſſe quærere, & hic eſt Anatociſmus, ſeu vſura vſurarum prohibitus in iure, hoc autem lucrum ſupponitur iuſtum, ſi exigatur iuxta conditiones poſitas, & conſequenter creditor fit verus Dominus talis lucri, vnde licitè poteſt adiicere in ſortem principalem, & de illo lucrum quærere anno ſequenti conditionibus ſeruatis neceſſariis ad talem negotiationem, licitè faciendam, & etiam hac in ſcaponenda.

Aduertant autem iſti negotiatores in hoc caſu quando denuò incredentiant eidem debitori frumentum, vel aliam rē conſimilem tempore Auguſti nouum cum eo contractū celebrando, quod tempore Maii ſeqq. debent minuere de pretio iuſto mediocri de quo ſupra in tantum quanto maiori tēpore de eo non ſubit laborem cuſtodiæ, nec laborem ſeruādi à corruptione, & à latronibus, pro longitudine enim temporis pluris æſtimatur cuſtodia, et periculum, aliter in tuto ſe poneret creditor contra regulam poſitam; alii enim volunt in hoc caſu habendam eſſe rationem ad laborem menſurandi iſtud frumentum tempore quo vellet creditor tradere actu, quem laborem, ſeu pretium eius euadit creditor in hoc caſu vt patet, debet ergo minui in pretio tempore Maii, verum ſi alicubi hæc menſuratio fieret gratis, vel cum minimo pretio, non eſſe neceſſum habere rationem ad hoc intereſſe, niſi fortè in magna quantitate frumenti, in cuius menſuratione neceſſariò creditor debuiſſet ſoluere mercedem alicuius momenti, quia tunc habenda eſſet ratio in diminuendo pretio tempore Maii.

Satagant ergo negotiatores has conditiones ſeruare, ſi velint iuſtè lucrari, & diuinam effugere indignationem.

Dices, ego incredentio mea frumenta eo modo, quo cōmuni voce poſtea exiguntur præciſo omni dolo, & fraude, ſed bona fide credens à communi voce iuſtam exigentiam imponi, et eodem modo quo communiter fieri ſolet, reincredentio eidem debitori, ſi ſoluere nequeat vel partem, vel totum quod debet, conditiones enim mihi tot iſtæ notæ non fuerunt.

Reſp. quod vox communis regulariter eſt bona quando ex tribus pretiis eligit medium tam tempore Maii, quam tempore Auguſti, vnde colligitur, quod tantum frumentum, poteſt exigi vltra ſortem principalem, vel tanto minus debet reſtitui, attamen quod ſit diminuendum de exigendo ratione cuſtodiæ periculi, et ceterarum circumſtantiarum pertinet ad creditorem particularem diminuere, et tanto minus exigere, contractus etiam renouare pertinet ad creditores particulares, ſupponit enim vox communis quod contractus ſint facti ſecundum debitam iuſtitiam, an vero bona fides in hoc excuſet fortè poſſet affirmari, quia licet quis faceret contractum illicitum materialiter neſciens, poſſet tamen illum ex obiecto, et formaliter intendere licitum, ſed de hoc alibi. Verum eſt tamen, quod qui negotiatur, tenetur ſcire has conditiones neceſſarias, etc.

Vtrum credito ſeu expectata pecunia res aliqua pluris etiam vltra rigoroſum vendi licitè poſſit, quam numerata valeat, & e contra quid dicendum de anticipata ſolutione minori.

DIFFIC. IX.

DIco primò, quod certum eſt apud DD. communiter ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, verum etiā ex conſuetudine communi ementium, et vendētium aliquas res pluris credito, et expectata pecunia etiam vltra rigoroſū, quam numerata pecunia, quia vt *Scot.noſt.diſt.15.q.2.* notat, et dictum eſt ſupra pretium vulgare fit à contrahentium cōmunitate, itaut illud ſit iuſtum pretium, quo vtuntur communiter contrahentes, etenim cum iuſtitia pretii non conſiſtat in indiuiſibili, ſed habeat medium rationis, illud erit iuſtum, et rationabile, quod communitas contrahētium determinat cum excedentiam ſi fortè foret ſibi inuicem remittant contrahentes tale pretium determinantes, vt notat Scot. loc.cit. Ita etiam *Emm. Sà V. V endìtio n.7. & Diana de contr. trac. 8. reſ.21. vide Fillucc. T.2. tract.35.c.5.n.113.*

Dico ſecundò, quod quamuis aliqui negent licere pluris vendere credito, vel expectata pecunia vltra rigoroſum, quando veriſimiliter dubitatur adeſſe periculum amittendi, uel recuperandi totum, uel partem pretii, periculum enim putant non eſſe pretio æſtimabile *Rebell.l.9. q.14. Azor 3.p. l.8.c.8. Bannes 2.2. q.77.a.4. Aragon.16.& alij.*

Attamen probabilius uidetur dicendum iuxta doctrinam *Scoti loc.cit.* periculū quando uerū eſt, et reale amittēdi pretiū, pretio æſtimabile eſt, ut patet etiā *ex c. Nauiganti de vſur.* etenim ſi pro tali credita pecunia poteſt uenditor ab Emptore petere fideiuſſorem, ſeu aſſecuratorem, et aſſecurator poteſt petere pro tali grauamine ſtipendium, ergo venditor uolens in ſe ſumere hoc periculum poteſt aliquid pluris ſub iſto titulo accipere tradens ſuam rem expectata pe-

ta pecunia. Ita etiam noſter *Rodriquez in ſum.par.2.cap.83. num.3.Couar.2.var.cap.3.num.6. Leſſ.l.2.c 21.dub.6.Valentia T.3.diſp.3. qu.20.p.2.concl.4.Salas tract.de vſur.dub.27. Petr.Nauar.de reſt.l.3.c.2.par.1.dub.11.& p.2.c.3.dub.10.Bonacin.de contr.diſp.3.q.2.punct.4.n.17.&* 18.*Megala* 2.2.*l*.2. *c*.6.*qu*.2.*Molfeſ.in ſum.T.2.tract.12.cap.5. & Diana de contract.reſol.21.&* 57.

Dico tertiò, quod licèt *Nauar. c.23. Rebell.l.9. qu.11.nu.9. Lopez c.41. Azor loc.cit.c.10.qu.2.Valent.T.3.diſp.5.pun.2. §.8.& Reginald.l.25. nu.* 315. negent licitè poſſe anticipata ſolutione emi minoris iuſto pretio infimo res illæ, quæ conſueuerunt vendi antequam ſit tempus eas tradendi, & probabiliter, quia vendunt tempus ratione enim expectationis vſq; ad tempus eas tradendi minoris iuſto pretio infimo emuntur cum lucro emptoris, & damno venditoris, vnde contra duas regulas poſitas circa credentiam in difficultate ſexta videtur manifeſtè fieri, nã in tuto ſe reponit emptor, & vendit tempus quod non eſt ſuum.

Attamen alij affirmant poſitis quibuſdam conditionibus licere anticipata ſolutione emere res ſolitas vendi antequam tradantur, puta lanæ, frumenta, olea. Et primò

Ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & ratione huius circumſtantiæ certa eſt hæc opinio, cum nemo obligetur pati damnum poſitiuè, vel negatiuè in gratiam alterius.

Secundò, ſi adſit periculum recipiendi merces, vel non recipiendi eas ita ſinceras, aut non ſtatuto tempore, aut non ſine litè, & expenſis, & ratione huius conditionis admodum probabilis eſt hæc opinio, vt dictum eſt ſupra.

Tertiò, ſi adſit raritas emptorum, & multitudo venditorum rogantium, & vltrò offerentium ſuas res vendere anticipata ſolutione, & hæc conditio poteſt etiam cohoneſtare iſtam opinionem, quia raritas emptorum, & multitudo vendentium facit ex ſua natura vileſcere merces, maximè quãdo vltroneè offeruntur, magis vileſcunt, ita vt multi Doctores velint merces vltroneas vileſcere vſque ad tertiam partem pretij iuſti, vide *Bonac. Dian. & Filiuc. loc.cit.& Dianam* præcipuè *reſol*.78. vbi recitat etiam opinionem aliorum violentium vileſcere vſq; ad medietatem, ſed de hoc nos alibi.

Quare aduertant hic negotiatores, quod ſi raritatem emptorum cauſent ipſi facto inter ſe ſe monopolio contra iuſtitiam peccant, item ſi ipſi prouocent venditores, vt ſuas res vendant anticipata ſolutione minoris iuſto pretio, quia certum eſt tunc fieri in fraudem auaritiæ, vnde peccant.

Quartò, ſi præuideretur probabiliter merces vendendas tẽpore traditionis earum numerata pecunia vilius propter earũ multitudinem, & vendentium indigentias, & hæc conditio poteſt etiam iuſtificare hunc contractum, quia non tenetur emptor cum graui ſuo damno anticipata ſolutione emere res tradendas tempore quo vilius probabiliter vendendæ ſunt, ſi magna mercium multitudo ſimul ematur, poteſt minoris emi, quia magna quantitas ſolet inter Mercatores minoris emi, quam ſi minutim emantur.

Hanc ſecundam opinionem cum iſtis conditionibus docent probabiliter Moderniores *Petr.Nauar.Filiuc.Molfeſ.Leſſius, Bonac.& Diana loc.cit.& Medina qu.*8.*de reſtit.* fortè à contrario ſenſu poſſet hæc opinio ex Scoti doctrina elici, quod dicendum probabilius foret *ipſe .n.in* 4.*diſt* 15.*qu*.2. poſtquam regulas illas duas iam declaratas pro iuſtitia contractus dantiũ creditores ſuas, docet quod ſi quis rem ſuam puta frumentum det menſe Decembris, quod ſeruaturus fuiſſet vſque ad Maiũ poſſit menſe Decembri pluris vendere credita pecunia vſque ad Maium, vel Auguſtum, ſi pretium illud Maius non ſit ita immoderatum, quin tempore ſolutionis veriſimiliter quandoq; pluris, quandoque minoris valeat, ratione enim dubij poſſe hũc contractum dici licitum ait Scotus, quem ſequitur Angelus V.vſura, §.35. Ita etiam ſi pretium non ita immoderatum fuerit minus, quo anticipata ſolutione emuntur res tradendę quin quandoque plus, quandoque minus ſoleant eoſdem modo res vendi tempore traditionis poterunt minoris infimo etiam pretio vendi res anticipata ſolutione, quod ſi numquam minus dicto pretio minori anticipato valere poſſent res tempore traditionis, vix poteſt excuſari iſte contractus, quia emptor ſe in tuto vt plurimum, & venditor in damno ponitur.

Quare in hac materia potius conſulendi ſunt mercatores, & negotiantes, vt anticipatam ſolutionem tradant pro rebus tradendis, quo numerata pecunia venduntur iuxta pretium infimum, quo tunc venduntur, & ſi adſit lucrum ceſſans, vel dãnũ emergẽs labor in exigendo, & res non ſint ita ſinceræ, tanto minoris infimo pretio, quanti valet lucrum ceſſans, damnũ emergens, periculum, labor, & rei deterioratio arbitrio viri prudentis ſunt vendendæ.

Quod ſi pretium anticipatum ſit immoderatè minus infimo, quo valeret traditæ res numerata pecunia ſuo tempore, non video quomodo iuſtus eſſe valeat.

Vtrum contractus, quo quis dat Mercatori mille aureos, vt ſaluo capitali in ſingulos annos reddat ſibi quinque aureos pro quolibet centenario ſit licitus.

DIFFIC. X.

NOn defuerunt qui hunc contractum nullo modo iuſtificari poſſe, ſed qualibet appoſita conditione eſſe illicitum, & vſurarium putarunt, quia ſaluari capitale nullo modo debet in ſocietate. Ita videntur ſentire *Sotus de iuſt.l.6. qu.6.ar.2. Aragon.& Bannes 2.2.qu.78.Rebell.l.15.q.4. Azor.p.3. l.9.c.3. qu.8.& Fælicius tract.de ſocietat.*

Attamen iuſtum eſſe, & licitum fieri tribus concurrentibus contractibus docent Antiquiores, & Moderniores multi. Primus enim contractibus in hoc caſu eſt ſocietatis. Secundus aſſecurationis capitalis. Tertius venditionis lucri incerti pro certo, vel aſſecurationis lucri certi pro maiori incerto. Hinc titulo ſocietatis poſſet accipere Titius ſaltem duodecim pro cẽtenario, & quia vult ſibi aſſecurare capitale facit alium contractum cum mercatore, & dicit ſe vellet remittere quinque de duodecim debendis ſibi titulo ſocietatis, ſi velit ſibi aſſecurare ſuum capitale, quo habito contractu remanerent ſibi ſeptẽ, pro centenario, & quia vult aſſecurare etiam lucrum certum ſibi, facit aliũ cõtractum cũ mercatore, & dicit, quod pro aſſecuratione lucri certi vult ſibi dare duo de illis ſeptem debendis incertè, vt in fine anni quinque certè ſibi dentur, etenim venditio lucri incerti; & aſſecuratio lucri incerti licent vt patet de iactu retis in quo venditur lucrum incertum, hiſce ergo tribus contractibus celebratis aiunt licitum eſſe accipere quinque pro centenario ſaluo ſibi ſemper capitali.

Hanc opinionem ſic explicatam docẽt probabiliter Angelus noſter V.Societas, §.7. licèt de tertio contractu non meminerit expreſsè, ſed ſolum de primò, & ſecundò, virtualiter tamen tertium in ſecundò implicat. Ita etiam *Sylu. V.Societas 1.qu.2.Armilla V.Societas nu.6. Mantica de tacit. & ambig.conject.T.1.l.6.tit.6.* vbi citat *Socin.* & alios Antiquos, *Couar.3. var.c.2.concl.1.& 3.Nauar.c.17.nu.255.& de vſur.num.33. Molina de iuſt.diſp.417.Tolet.l.5.c.41.Valent.T.3.diſp.5.q.24.& 25.punct.2.* vbi teſtatur hanc opinionem Romæ fuiſſe à multis Doctoribus approbatam, *Bonac. diſp.3. qu.3.p.2.Reginald.l.25. Diana de contract. reſol.* 30. *& Rebell. & Azor.* hanc etiam putant opinionem probabilem, & iure quia plures contractus poſſe fieri ſuper eadem re patet de contractu emptionis domus, & locatione eiuſdem venditori, vt colligitur ex *c. per veſtras de donat. inter vir, & vxor, & ex cap. vndè de commod.*

Addunt præfati Doctores, quod licèt iſti contractus actu non celebrentur expreſsè, ſi tamen tradens ſuam pecuniam mercatori vt accipiat quinque pro quolibet centenatio in fine anni intendat contrahere cum eo omni meliori modo uirtualiter quo deberet expreſsè, excuſatur à tali onere expreſsè faciendi hoſce contractus, & licitè ex virtuali intentione quam habet contrahendi cum eo modo quocumque neceſſariò ad iuſtè accipiendum illa quinque, accipit ea tuta conſcientia, nam intentio libera implicita idem operatur, quod expreſſa, *ex l.cum quid mutuum.ff.ſi cert.pet.*

Quod puto probabile modo pecunia tradatur mercatoribus, qui ſciunt hoſce contractus eſſe neceſſarios ad licitè recipiendum quinque pro centenatio, nam mercatores iſti accipiunt hanc pecuniam negotiãdam uirtute horum contractuum ſaltem implicitè habitorum cum tradente pecunias, aliter qui nõ negotiatur, & accipit pecuniam, quia & indiget, & reddere ſeſe obligat danti quinque pro centenario in ſingulos annos uſurã committit tradens, ſi recipiat quinque pro centenario, quia nec implicitè, nec explicitè hos contractus celebrat cum accipiente,

piente,

piente, ſed ſolum eſt ibi mutuum palliatum ſub nomine ſocietatis.

Quod autem monet noſter *Angel. loc. cit.* tutius eſſe, ſi tradens pecuniam conueniret cum ſocio de ſoluendo ſibi tantum pro aſſecuratione capitalis, quantum quilibet acciperet, ſi vellet aſſecurare, & in diuidendo lucro poſtea prius ſolueret conuentum pro aſſecuratione, & quod ſibi contingeret pro lucro retineret, nec obſtare ait *c. nauiganti de vſuris*, quia ibi aliter non mutuaret niſi periculum, & lucrum pro periculo reciperet, probabile eſt, ſed hodie iam in praxi iſte modus poſitus eſt, qui ſanè tutus eſt ſi abſque fraude, & affectu auaritiæ id fiat, ſicut paſſim credo fieri, &c.

Vtrum contractum vſurarium celebrans bona fide, quem ſi ſciuiſſet illicitum nullo modo celebraſſet liberetur ab onere reſtituendi totum lucrum.

DIFFIC. XI.

AD reſtituendum totum lucrum ex vſurario contractu proueniens etiam ſi bona fide celebratum fuiſſet, & non celebraſſet ſi ſciuiſſet illicitum obligare huiuſmodi contrahentem, & lucrantem videntur docere *Sylu. V. Vſura, 9. dub. 1. Armilla 16. 5. nu. 59. Aragon. Salon. & Bann. 2. 2. qu. 78.* & probant, quia ceſſante bona fide in rebus malè acceptis ceſſat etiam iuſta poſſeſſio, niſi facta ſit legitima præſcriptio.

Attamen probabiliter volunt alij, quod ſolum id quod eſt malè acquiſitum, vltra illud, quod licitè eodem contractu iuſtè celebrato acquirere potuiſſet, eſt reſtituendum, illud autem quod licitè licito contractu potuiſſet acquirere non tenetur reſtituere, & hoc non ſolum puto verum ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, verum etiam quia malè acquiſita ſub bona fide ſolum ea reſtituenda ſunt, ceſſante bona fide, in quibus locupletior, vel ditior factus eſt, vt ſuppono ex alibi dicendis, ergo in ſimili contractu ſolum illud lucrum reſtituẽdum eſt ceſſante bona fide, in quo dicitur factus eſt ratione contractus illiciti ſimpliciter; illud autem quod acquiſiuiſſet eodem contractu licitè celebrato, non tenetur, quia ſuppono quod ſicut celebrauit eum modo illicito ſub bona fide, ita etiã eum celebraſſet iuſtè, & licitè, atque adeo iuſtè, & licitè etiam lucratus eſſet, hoc ergo lucrum poteſt retinere licitè, quia à licito contractu proueniſſet, illud autem plus, quod lucratus eſt per contractum vſurarium ceſſante bona fide debet reſtituere quia ſolum in iſto plus eſt factus ditior illicitè. Ita ex noſtro *Angelo V. Vſura 1. §. 31. Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 22. Sà V. Vſura n. 8. Sanctarell. var. reſol. p. 1. q. 46. Tannerus 2. 2. D. Thom. diſp. 4. qu. 7. dub. 5. Diana de contr. reſol. 47. & tract. 5. miſcel. reſol. qu. 3. par. 1.*

Vtrum contractus, quo Chyrographum immaturi crediti minori pretio ſoluto extinguuntur, ſit licitus.

DIFFIC. XII.

CErtum eſt apud omnes, quod ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, laboris, vel difficultatis in exigendo, aut etiam ratione ambiguæ ſolutionis poſſe immatura Chyrographa minori ſoluto pretio emi, quod ergo hic controuertitur eſt, an præciſis dictis circumſtantijs poſſit minori pretio emi Chyrographum immaturum. Quare

Dico, quod pugnant inter ſe ſe Doctores circa difficultatem præſentem, etenim vſurarium eſſe contractum volunt communius, quo immaturi crediti chyrographũ extinguitur à tertia perſona, vel etiam ab ipſo debitore, ex eo, quod ius ad centum aureos tanti valet, quanti centum aurei numerati, ergo idem eſt habere chyrographum, in quo ius ad centum, & habere centum numeratos, ergo non poteſt minoris emi chyrographum immaturi crediti centum aureorum, aliter tempus emeretur, quia ſola temporis expectatione minoris emitur chyrographum centum aureorum, quod eſſet aperire ianuam vſuris, etenim faciliter negotiator poſſet dicere nolo tibi petenti dare centum aureos mutuos, ſed volo à te emere ius ad centum pro tali tempore dando tibi hic, & nũc nonaginta. Ita *Angelus noſter V. Vſura, §. 63. Sylu. V. Vſura 2. q. 14. D. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 8. §. 3. & 4. Leſſ. l. 1. c. 21. dub. 8. Azor. p. 3. l. 8. c. 10. qu. 5. Betell. c. 9. qu. 13. Valent. T. 3. diſp. 5. qu. 20. Salas de empt. du. 3. Sotus de iuſtit. l. 6. quæſt. 4. & Bonacin. de Contr. diſput. 3. quæſt. 3. par. 10.*

Attamen noſter *Fauentinus in 4. diſt. 15. qu. 2. diſp. 47. cap. 4. nu. 113. Caiet. V. Vſura ſub fine, Armill. 16. nu. 50. Nauar. c. 17. nu. 231. Tolet. l. 5. c. 31. Ledeſma in ſum. T. 2. cap. 33. tractat. 8. Diana tract. de contr. reſol. 49.* affirmant licere chyrographum crediti immaturi extinguere, ſeu emere minori pretio, & probant quia pecunia præſens pluris æſtimatur, quam pecunia abſens, vel futura, nam vt colligo *ex ſubtiliſſ. Doctore in 4. diſt. 15. qu. 2.* pecunia præſens eſt mihi commodior, & vtilior, quam abſens, vel futura, vt patet intuenti, & practicanti, ergo pluris valet pecunia præſens, quam abſens, vel futura, ergo minoris poteſt emi pecunia abſens, & futura, atque adeo chyrographa immaturi crediti minoris emi, & extingui poteſt ſoluto minori pretio.

Sanè prior opinio eſt magis pia, probabilis tamen magis videtur hæc ſecunda, maximè cum tempus verè non vendatur, nec ematur, ſed ſolum iuxta æſtimationem pecuniæ abſentis, & futuræ minorem, & maiorem æſtimationem pecuniæ præſentis fiat ſolutio minoris pretij pro credito immaturo maiori.

Quod autem aperiat hæc doctrina viam vſuris, hoc per accidens eſt ad veritatem huius ſententiæ, nam ſolum verificatur hæc doctrina, de creditis veris præteritis factis non autem de creditis faciendis cum hac conditione vt minori pecunia detur præſens pro credito futuro, hic enim verè venderetur tempus. Quare hanc opinionem tanquam tutam in conſcientia refert *Leſſ. loc. cit.* fuiſſe defenſam *Couarrij Cardin. Bellarm.*

Quoto autem minori pretio poſſit emi pecunia futura, vel creditum immaturum præciſo lucro ceſſante, vel damno emergente, quod poteſt faciliter cognoſci, ſed ſolum ratione difficultatis, vel periculi in exigendo, vel etiam quatenus pecunia præſens ſoluenda eſt maioris exiſtimationis, iudicio boni viri relinquendam putant Doctores, qui penſata inopia, vel abundantia pecuniæ, vnde magis, vel minus æſtimatur, & maiori, vel minori ſpe difficultate, vel periculo exigendi, poterit pretium minus, maiusve taxare, verum tamen putant, *Leſſius l. 2. c. 21. dub. 8. Bonac. de controu. diſp. 3. qu. 3. p. 10. Molin. de iuſtit. tract. 2. diſp. 36.* quod ſi magna eſſet difficultas, vel magnum periculum exigendi poſſet dimidio ſoluto pretio emi creditum immaturum, etenim vt rectè notat *Scot. noſt. loc. cit.* res non valet tanti ſemper, quanti res valet emptori, ſed quanti hic, & nunc penſatis circumſtantijs valere exiſtimatur, &c.

Vtrum contractus Vulgo lotto, ò beneficiata, & qui Vulgo dicitur à godere, à godere liciti ſint.

DIFFIC. XIII.

DIco primò, quod contractus, vulgo lotto, ſeu beneficiata, ſi fraudes abſint, & res vendantur iuſto pretio habito reſpectu ad expenſas pro miniſtris ludi factas ratione ludi, aliter ſi pretium, quod acciperent, excederet labores, & miniſterium, tenentur ad reſtitutionem Eccleſiæ, vel pauperibus tanquam de rebus incertis malè ablatis. Vnde in hoc ludo caueant miniſtri ne plures ſint, quam ſit neceſſarium ad ludum manutenendum, neve plus temporis in ſumant, quam ſit neceſſarium ad ludi ſubſtentationem.

Circa modum verò venditionis rerum ipſius ludi debent aduertere, quod cum multa vendantur quaſi innumeris, qui ſyngraphas dant cum paruo pretio pluris ſolummodo poſſunt vendi vltra pretium, quod valent, quantum ſufficit, pro labore, & expenſis miniſtrorum, & aliorum neceſſariorum ad ludi ſubſtentationem, ita vt ſi res, quæ ponitur ſub ſorte ludi valeat decem aureis, vendi vndecim, vel duodecim penſatis laboribus, expenſis, & neceſſarijs pro ludi manutenentia, & non pluris, alias iniuſtitiam committerent, & reſtitutioni obnoxij, nam exponere res huiuſmodi ſorti perinde eſt ac ſi venderentur illis, quibus ſub ſorte traduntur, ergo debent vendi pretio iuſto adiecta tamen impenſa pro miniſtris, & ludi ſubſtentationem.

An verò illi, qui ludunt, & rem ſortè accipiunt maiorem pretio poſito, poſſit bona conſcientia retinere, affirmant communiter,

Digitized by Google

muniter, non quia ipſe ſoluerit iuſtum pretium, ſed quia ipſe cum multis alijs dederunt iuſtum pretium, & ſinguli ſoluentes ſe ſubijecerunt ſorti lucrandi, vel perdendi, vt optimè *Gargias de contract. c.44. Molina de iuſt. diſp.509. Bonac. de contract. diſp.3. qu.2. p.4. nu.2.* docent, modo ſine fraude rem obtineat, nam licèt ſub ſorte ſit res, tamen ad illam habent ius omnes, qui ſyngraphas, vel pretium licèt paruum poſuerunt, ſi ergo fraus committatur, vt potius vni, quam alteri obueniat, ſit iniuria ceteris colluſoribus, vndè ad reſtitutionem ſaltem Eccleſiæ, vel pauperibus, ſi colluſores ſint diuerſorum locorum, & non cognoſcantur ità benè, vel maior eſſet expenſa remittendi ſingulis pretium quod poſuerunt. Vide *Dianam tract. de contr. ſect.* 81.

Aduertant etiam in hac materia Miniſtri, ne poſtquam ſufficientes ſymbolæ ſunt poſitæ, ne mutent, vel diminuant merces, vel ne auertant facere ſortitionem; nam fraudes iſtæ eſſent obligantes ad reſtitutionem.

Vtrum verò Princeps ad quem pertinet ius concedendi ludum hunc ponere, poſſit ſtatuere, vt pars lucri dicti ludi applicetur loco ſacro, affirmant *Gargias, & Bonac. loc. cit.* & probabiliter cum enim ſit liberum Principi concedere, vel negare vſum talis ludi poteſt etiam conditiones honeſtas apponere ijs, qui volunt eo vti in ſuo dominio, conſentire autem videntur tali ſtatuto illi, qui ſcientes ipſum, adhuc ſuas pecunias ludo ſupponunt ſpe alicuius rei obtinendæ.

Dico ſecundò, quod contractus, qui Vulgo dicitur à godere, à godere, ſi æqualitatem contineat, & pacta licita validus, & licitus eſt, & licèt aliqui ad contractum innominatum hunc contractum reuocent ſc. do tibi mille aureos, vt tu des mihi tuam poſſeſſionem, verum reliqui docent ad vitandam ſuſpicionem vſurarum reducendum eſſe ad contractum emptionis, & venditionis, ita vt Dominus prædij vendat infra certum tempus pro certo conuento pretio, appoſito tamen pacto de retrouendendo, quod tamen per aliquod tempus inter ſe ſe conuentum non poſſit emptor de tali prædio eijci, interea fructus prædij ſi ſint æquales cum fructu pecuniæ ſolutæ ad rationem octo, vel nouem pro centenario iuſtitiam continet contractus, ſi adſit inæqualitas, contractus reducendus eſt ad æqualitatem. Ita *Molfeſius in ſumm. tomo 2. tractat. 12. capit. 8.*

Attamen quia hic contrahendi modus appoſitus à Molfeſio multas continet difficultates. Ideò

Dico tertiò, quod licitus eſt hic contractus duabus exiſtentibus conditionibus ſc. lucri ceſſantis in dante pecuniam, & pactum verè reſtituendi integrè rem datam à godere à godere, quandocumque reſtituatur pecunia maior, vel minor iuxta fructus rei poſſeſſæ, nam ſi fructus rei poſſeſſæ ſint maiores lucro ceſſante, vel damno emergente debent computari in ſorte principali pecuniæ reddendæ, vndè minor debet reddi, quod ſi fructus ſint minores lucro ceſſante, debet maior pecunia reddi iuxta maioritatem lucri ceſſantis, & hoc modo videtur contractus iſte iuſtus.

Quare ſi quis habet nummos otioſos in capſa, vel domi, quam induſtriæ non ſupponit, & conſequenter ex traditione pecuniæ à godere à godere nullum patiatur lucrum ceſſans vſurarius eſt ſi accipiat poſſeſſionem fructiferam eius, cui dedit nummos, eſſet enim mutuum palliatum.

Verum eſt tamen, quod ſi tradens nummos in pretium poſſeſſionis celebrans cũ eo contractum emptionis cum pacto retrouendendi licitus erit hic contractus, ſi conditiones contractus cum pacto retrouendendi ſeruentur, vt ſuo loco dicetur. Vide *Bonacin. de contr. diſp. 3. qu. 2. punct. 7.* ſed in hoc caſu non erit contractus dictus à godere, à godere, ſed verè venditionis.

Reliqua in hac materia contractuum; Vide Verbo Emptio, Venditio, Locatio, Conductum, Societas, Pignus, Donatio, Depoſitum, Promiſſio, Vſura, Pretium, Culpa, Dolus, &c.

Contritio.

Quid ſit Contritio, quid Attritio, & quotuplex.

DIFFIC. I.

Contritio iuxta ſui nominis æthimologiam ex noſt. *Vngarello V. Contritio ſchol. G,* eſt ſimul tritio à verbo contero deducta, hinc noſter Angelus ibidem notat, quod ſicut conteri dicitur aliquid, quando in minimas partes frangitur, & quaſi annihilatur, frangi autem quando ſolum in magnas partes diuiditur, ſic metaphoricè cor hominis durum quandiù diuinæ inſpirationi, quaſi manui ſe tangenti non cedit, ſicut durum eſt, quod tactui non cedit, ſed obuiat, ideſt dum in effectu peccati moratur, conteritur autem, quando effectus peccati ſecundum omnem ſui partem deſtruitur ideſt quando voluntas perfectè recedit, frangitur verò ſolum quando reſipiſcere incipit, quamuis totaliter non conuertatur, & ſic dicitur atteri, non conteri, & hæc eſt differentia inter contritionem, & attrictionem ſecundum propriorum nominum æthimologiam.

Verum, vt vtriuſque quidditatiuæ rationes intelligantur præſtanda eſt multiplex tam contritionis, quam attritionis acceptio; vnde facilè habebitur inter attritionem, & contrictionem vera differentia.

Nota ergo primò, quod contritio in prima ſui diuiſione ab antiquioribus Theologis vt patet apud *Scotum in 4. diſt. 14. qu. 2. ar. 2.* & alibi fuit ſub dupplici ratione conſiderata, nam vel præcedit iuſtificationem peccatoris, & hæc vocatur ab ipſo contritio informis, ſeu attritio ſupernaturalis neceſſariò diſponens ad gratiam, dicitur autem contrictio informis, quia dum manet attritio perfecta ſupernaturalis adhuc non eſt formata gratia, ad veniente autem gratia, & charitate dicitur contrictio perfecta, & formata. Quare dicendum

Quod Attritio, ſeu Contrictio informis eſt diſpoſitio ſufficiens moralis non autem phyſica ideſt ex inſtitutione DEI diſponens de congruo ad gratiam habitualem, & iuſtificantem, quando ergo in vltimo inſtanti iſtius attrictionis, ſeu contrictionis informis eſt perfecta cum circumſtantijs infra dicendis infunditur gratia iuſtificans, ſeu charitas, tunc de informi ſit formata, & de attrictione ſit contrictio perfecta, quia contrictio perfecta omnino debet ſtare cum gratia, quod vt melius intelligatur, ideo

Nota ſecundò, quod Attritio, ſeu Contritio informis præcedens contritionem formatam, & perfectam poteſt multiplici modo conſiderari.

Primò ponitur ab aliquibus, vt eſt quidam dolor de peccato, quatenus impedit pœnitentem, ne poſſit aliquod peccatum aliud facere, puta ſi quis doleret de peccato carnis, quod commiſit ex eo, quod propter illud infirmatus eſt, & ideò non poteſt vſuras, vel alia peccata exercere, & hoc genus attrictionis indignum eſt nomine attrictionis Chriſtianæ, ſeu contrictionis informis, quatenus eſt virtus, quia potius eſt nouum peccatum quam actus virtutis, vt patet ex *Scot. loc. cit.*

Secundò, quando quis dolet de peccato, ſed non habet propoſitum relinquendi illud, & hæc attritio eſt ficta, & ſimulata, & propriè impœnitentium, ideò, & ipſa eſt indigna nomine Chriſtianæ attritionis.

Tertiò, quando quis quidem dolet de peccato, & habet animum illud relinquendi, ſed ſolum ob finem naturalem ſimpliciter deteſtatur illud, vnde magis dolet, & triſtatur puta de aliquo tẽporali, vt de amiſſione liberorũ, ita vt potius peccatũ cõmitteret, vel à peccato non recederet, quã amittere vellet aliq tẽporale, et hęc attritio vocatur naturalis ſimpliciter, & eſt valdè ignobilis, & iniuſta, vnde nõ venit ſub nomine attritionis, de qua in preſenti queritur, cum non ſit diſpoſitiua ad gratiam.

Quartò, quando quis dolet de peccato aliquo, & non de omnibus, vt ſolet deditus carnalibus, qui vt plurimum iam pœnitens de iſtis dolet, & non de furtis, murmurationibus, & alijs, & hæc cum non ſit vniuerſalis non eſt bona.

Quintò, cum quis dolet de peccato non propter DEVM, ſed ſimpliciter propter infernum, vel turpitudinem peccati, vel aliquod aliud malum temporale ſibi ob peccatum proueniens nullo modo referendo hunc dolorem ad Deum, vel eius amorem, quę licèt à *Dominico Soto* ſufficiens iudicetur cum ſacramento

mento pœnitentiæ ad recipiendam gratiam, tamen quia naturalis eſt,& ſeruilis non videtur ſufficiens, vt dicemus infra non eſt tamen damnãda, quia bona ſaltem eſt, vt ſit diſpoſitio ad filialem dolorem ſcilicet propter amorem Dei eliciendum.

Sextò, Attritio, ſeu Contrictio informis dicitur dolor,& deteſtatio peccati, vel propter gehennam ignis, vel fœditatem peccati cum virtuali diſplicentia propter amorem Dei carens actuali referentia ex aliqua inaduertentia,vel cauſa non culpabili, & hæc melior præcedenti, quia dolor de peccato propter gehennam, vel fœditatem peccati ſi habeatur cum ſpe veniæ dicitur ordinatus virtualiter ad deteſtationem peccati propter amorem Dei, nam ſpes veniæ non poteſt habere niſi in ordine ad charitatẽ, quæ eſt perfectiſſimum vinculum virtutum omnium, vnde facere poteſt, vt iſte amor ſeruilis terminari valeat ad amorem filialem eliciendum, & hæc eſt vera attritio Chriſtiana ſufficiens cum Sacramento pœnitentiæ ad gratiam *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 4. hic hoc timore excitatus peccator viam ſibi ad iuſtitiam parat,& eſſe donum Dei non quidem inhabitantis,ſed mouentis docet *Conc. loc. cit.*

Septimò, Attritio, ſeu Contritio informis vocatur dolor ille imperfectus, vtpote carens debita intentione,habens tamen ceteras conditiones requiſitas ad veram contritionem formatã ſc.quia dolor eſt de peccato vt eſt offẽſa Dei ſuper omnia cum propoſito vitandi peccata in poſterum, & voto confitendi ſacramentaliter data opportunitate, & hic propriè dicitur contritio informis, vel attritio perfecta diſponens immediatius ad gratiam iuſtificantem. Quare

Dico primò, quod attritio vera, & perfecta,quæ dicitur etiã contritio informis quatenus diſponit ad gratiam recipiendam, vel in Sacramento pœnitentiæ per abſolutionem peccatorum uel per intentionem actus doloris propter amorem Dei ex ipſius Dei ſpeciali auxilio extra Sacramentum pœnitentiæ, ita poteſt definiri.

Attritio, ſeu Contritio informis eſt uerus dolor ſed imperfectus ratione intenſionis actus de omni peccato quatenus eſt offenſa Dei, uel ex timore gehennæ, & pœnarum eius, uel ex fœditate commiſſi peccati proueniens cum ſpe ueniæ, & propoſito peccandi de cetero, & ſacramentaliter confitendi data opportunitate.

Dicitur Attritio dolor uerus de peccato, ut excludatur dolor de peccato ob finem turpem,qui non poteſt dici attritio.

Dicitur imperfectus ratione intenſionis actus, ut diſtinguatur à uera contritione, quæ eſt dolor perfectus ſecundum actus intenſionem.

Dicitur quatenus eſt offenſa Dei, ut excludatur à ratione ueræ attritionis dolor de peccato ſolum ob finem naturalem, attritio enim ex fine naturali ſolo non poteſt eſſe diſpoſitio ad gratiam ſupernaturalem.

Dicitur de omni peccato ut excludatur à ratione ueræ attrictionis dolor de uno peccato cum complacentia de reliquis, dimidiata enim pœnitentia diſplicet Deo dicente conuertimini ad me in toto corde ueſtro.

Dicitur ex timore gehennæ, & pœnarum eius,uel ex fœditate peccati commiſſi cum ſpe ueniæ proueniens, ut ad ueram attritionem reuocetur dolor iſte ex Concil. Trident uirtualiter includens amorem Dei ratione ueniæ ſpei ut dictum eſt.

Dicitur cum propoſito non peccandi de cetero, ut excludatur dolor ſimulatus, & hyppocritus, & declaratur eſſe uerus dolor ex Conc. Trid.

Dicitur etiam cum uoto confitendi Sacramentaliter ad hoc ut ex intentione actus poſſit fieri uera contritio. Ex qua definitione attritionis perfectæ deducenda eſt talis perfectæ contritionis definitio.

Eſt ergo contritio formata, perfecta eſt dolor perfectus iuxta intenſionem actus ſoli Deo cognitam uoluntariè aſſumptus ex charitate elicitus quo quis deteſtatur actualiter, uel uirtualiter quodlibet peccatum ſuper omne deteſtabile quatenus eſt offenſa Dei cum propoſito non peccandi de cetero, & ſacramentaliter confitendi, & ſatisfaciendi data opportunitate. Ita poteſt colligi *ex Scoto loc.cit. & D. Bonauent.in 4.diſ. 16.ar.1.qu.1.& 2.Pitig.diſt.14.qu.4.ar.7. Nauar.c.1. num 26. Suar.diſp.5.ſect.1.de pœn. Henriq c.23. nu.7.* apud quem vide quid contra hanc definitionem parte velint *Syluest.* & alij, & licèt præfati DD. non ponunt formaliter ſingulas has particulas huius definitionis, ex ſingulis tamen eas in vnum collegi.

Dicitur autem dolor perfectus, &c. ad differentiam Attritionis,ſeu contritionis informis,quæ non habet dolorẽ perfectũ quoad intenſionem actus ſoli Deo notam, ſicut habet contritio formata, quãta autem debeat eſſe hæc intenſio actus doloris in pœnitente ſolus Deus ſcit, aliter poſſet quis ſcire ſe eſſe in gratia.

Dicitur voluntariè aſſumptus à *D.noſt.Bonau. loc.cit.* quia ſi dolor de peccato ab aliquo extrinſeco mouente aſſumatur, & non à libera ſua facultate diuino auxilio adiuta non eſſet actus meritorius vitæ æternæ.

Dicitur ex charitate elicitus, quia alioquin non diceretur contritio formata ad differentiam attritionis, ſeu contritionis informis.

Dicitur quo quis actualiter, vel virtualiter deteſtatur quodlibet peccatum, vt ſignificetur ad attritionem formatam ſufficere etiam deteſtationem peccati virtualẽ cauſatã ex feruentiſſimo actu amoris Dei,vt patet de illis Gentilibus, qui ſubito ex feruore charitatis, & diuini amoris ſe immediatè morti tradiderunt propter Chriſti fidem, qui ſolum virtualiter ſua peccata deteſtati ſunt.

Ceteræ particulæ præfatæ definitionis iuxta intentionem Conc. loc. cit. ponuntur. Ex quibus

Collige primò, quod contritio informis eſt eadem cum attritione ſextò, & ſeptimò modo præfato quia in ſacramento pœnitentiæ per vtramque recipitur gratia, & fit formata contritio, verum eſt tamen quod attritio ſeptimò modo eſt verius contritio informis,& in genere attritionis eſt perfectiſſima, quia in vltimo inſtanti ſi actus doloris intendatur vſque ad gradum à Deo definitum infunditur gratia, & fit contritio formata.

Collige ſecundò, quod contritio formata,& perfecta ſolum reperitur in peccatore iam iuſtificato qui ex charitate perfectè dolet de peccato commiſſo.

Attritio autem, ſeu contritio in formis in peccatore diſpoſito ad recipiendam gratiam, verum vt vtriuſque differentia melius habeatur queritur,

Quomodo Attritio vera euadat Contritio formata, & perfecta, & an ex viribus naturalibus poſſit haberi Attritio talis, quæ poſſit fieri Contritio fomata.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod Attritio fieri poteſt Contritio duppliciter,vel in Sacramento pœnitentiæ, aut extra Sacramentum pœnitentiæ ex ſpeciali Dei auxilio.

Attritio ergo ſeptimo modo, vt ſupra explicato ſc.quatenus eſt dolor imperfectus ſecundum actus intenſionem de peccato vt eſt offenſa Dei ſuper omnia cum propoſito non peccandi de cetero, & confitendi, & ſatisfaciendi, quia habet omnes conditiones formatæ contritionis præter perfectionem actus, ſi ergo dolor iſte augeatur vſque ad gradum requiſitum, qui quantus debeat eſſe ad formatam contritionem Deus ſolus nouit,in vltimo inſtanti in quo ille dolor attritionis peruenit ad gradum perfecti doloris,Deus infundit gratiam iuſtificantem,vnde illa attritio, ſeu contritio informis fit contritio formata extra Sacramentum pœnitentiæ, quia talis actus debitè circumſtantionatus in genere moris eſt diſpoſitio de congruo ad iuſtificationem, & infuſionem gratiæ,vt notat noſter Subtiliſſimus Doctor *in 4.diſtinct.14.artic.2. §.ad huius intellectum.*

Quare iſte actus attritionis eſt idem phyſicè cum actu cõtritionis, quippe qui iam actus doloris attritionis continuatus vſquequo intendatur vſq; ad gradum perfectæ contritionis fit contritio formata. Verum

Dico ſecundò, quod attritio fieri poteſt etiam contritio per Sacramentum pœnitentiæ,& tunc vel eſt attritio ſeptimo modo, vt eſt dolor imperfectus de peccato quatenus eſt offenſa Dei, &c. & hæc attritio licèt non augeatur vſque ad gradum perfecti doloris nec phiſicè, nec moraliter attamen virtute clauium in Sacramento pœnitentiæ euadit contritio formata per infuſionem gratiæ virtute abſolutionis, & poteſt etiam dici phyſicè idem actus ac contritio formata,& perfecta modo ſupra explicato, quia actus intenſionem ſupplet virtus ſacramenti, magis autem, & minus non faciunt differre numericè quidditatiuè.

Alio

Alio autem modo ſumpta Attritio ſcilicet ſexto modo quatenus eſt dolor de peccato ex metu gehennæ, vel fœditatis peccati, de qua loquitur *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.* ſub hiſce verbis (Illam vero contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur quoniam, ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur cum ſpe veniæ non ſolum facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum non quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat, & quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eam ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit) iſta inquam Attritio virtute Sacramenti fit contritio formata, quia per ipſum Sacramentum iſta attritio fit gratia, & charitate formata, vnde euadit contritio perfecta, non quia actus doloris ſit factus intenſus in ratione ſpecificaueti doloris neceſſarij vſque ad gradum veræ contritionis, ſed quia talis actus perficitur à Sacramento per introductionem gratiæ per quam ille dolor licet non ſit perfectus phyſicè in genere contritionis, fit tamen perfectus in genere contritionis formatæ, quatenus formata eſt includendo gratiam.

Quare iſte actus attritionis factus contritio virtute Sacramenti pœnitentiæ non videtur phyſice eſſe idē actus cū contritione formata primo modo extra Sacramentum pœnitentiæ, nam extra Sacramentum pœnitentiæ verus ille dolor imperfectus tamen, dum intenditur ex Dei auxilio ad gradum veræ contritionis fit contritio; iſte autem quia non eſt verus dolor ſufficiens ad contritionem extra Sacramentum quantumuis augeretur, cum ex ſuo genere dolor ſit ſeruilis ex obiecto naturali proueniens, non autem filialis ex obiecto ſupernaturali ſolum extrinſecè virtute Sacramenti conferentis gratiam fit contritio formata, quare habet à Sacramento complementum, vt dicatur contritio, non autem ab intenſione actus, vt videre eſt apud *Scotum diſt. 14. quæſt. 4. in reſponſ. ad 3. Art. & in reſponſ. ad ſecundum principale*. Ita etiam *noſtri Pitigian. in 4 diſtinct. 14. q. 2. a. 6. Angles in 3. p. de contrit. l. 4. Henriq l. 2. cap. 25. Vaſq. q. 82. dub. 1. Molfeſ. tract. 7. c. 8. Filiucc. tract. 6. c. 4. q. 3. Bonac. de pæn. diſput. 5. quæſt. 5. Suar. de pæn. diſp. 5. ſect. 1.* & alij.

Dico tertiò, quod contritio primo modo extra Sacramentum pœnitentiæ habita ex intenſione actus doloris de peccato ob amorem Dei quatenus eius eſt offenſa poteſt dici ſpecie diſtincta ab attritione facta contritione virtute clauium quatenus eſt dolor de peccato ſexto modo ſcilicet ob turpitudinem peccati, vel metum gehennæ cum ſpe veniæ conceptus, quia vtriuſque obiecta motiua ſunt ſpecie diſtincta, illa .n. habet obiectum motiuum offenſa Dei ex cuius amore naſcitur dolor de peccato, iſta autē ſolum horror peccati, vel pœnarum cum ſpe veniæ, ex quo horrore naſcitur dolor, in prima contritione oritur dolor ex obiecto motiuo intrinſecè ſupernaturali, vt eſt amor Dei, iſta autem ex obiecto naturali extrinſecè tamen ſupernaturali quatenus implicat ſpem veniæ, quæ à motiuo ſupernaturali prouenit. Ita DD. citati *Vide Pitigian. & Angles ibidem, & Chamerotam tractat. 6. de contrit. dub. 2.*

Adde tamen cum *Scoto noſtro*, quod attritio ſeptimo modo quatenus eſt dolor imperfectus de peccato propter amorem Dei ſi fiat contritio virtute Sacramenti ſupplentis intenſione actus neceſſariam poteſt dici eiuſdem ſpeciei cum contritione formata primo modo, quia habet idem motiuum ſupernaturale.

Vtrum Attritio ex puris naturalibus poſſit fieri contritio formata.

DIFFIC. III.

Dico, quod Attritio ob finem naturalem ſimpliciter vt eſt actus naturalis abſq; alio ſupernaturali impulſu, ſc. quatenus eſt dolor naturaliter elicitus de peccato abſque alio impulſu ſupernaturali .ſ. nullo habito reſpectu ad Deum nullo modo eſt diſpoſitio ad gratiam, nec etiam in Sacramento pœnitentiæ, nam actus merè naturalis nun poteſt eſſe diſpoſitio ad formam ſupernaturalem, cum nulla ſit inter ipſus proportio, & omnino ſint diuerſi ordinis, adde quod Concilium Trident. loco ſup. citato in attritione ex fine naturali pura ex horrore peccati, vel inferni ad hoc, vt valeat in Sacramento pœnitentiæ fieri contritio, & ſit diſpoſitio ad habendam ex ipſo Sacramento gratiam requirit vt ex ſupernaturali auxilio, ſeu Spiritus Sancti impulſu ſit elicita, vnde actus aliquomodo factus ſupernaturalis ſit diſpoſitio ad formam ſupernaturalem ſcilicet gratiam in Sacramento. Ita ex noſtro *ſubtiliſſimo Doctore in 4. diſt. 14. q. 2. Pitigian. Ang. Suar. Vaſq. Bonac. Chamerota*, & cæteri communiter.

Nunc malè vt ſæpe ſolet *Barthol. à S. Fauſto de contr. l. 2. q. 10.* impingit *Scoto* quod per ſolam attritionem naturalem poſſit ſe quis diſponere ad recipiendam gratiam abſque auxilio ſupernaturali.

Et quoad auxilium ſupernaturale gratiæ ſufficientis, quæ aliquando à Theologis vocatur auxilium generale, ſeu generalis influentia, qua Deus aut cauſa prima in ratione cauſæ ſupernaturalis mouet, & excitat omnes homines ad bonum ſupernaturale iuxta illud Ego ſto ad oſtium, & pulſo, & tangetur Deo dante V gratia, dico, quod *Scotus* illud ponit *loc. cit. a. 2. §. ad huius intellectum* vbi ait formaliter loquitur (peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum vt offenſiuum Dei, &c.) itaq; ad communem influentiam hic ponit neceſſarium *Scotus* ad actum ex naturalibus eliciendum ad conſiderationem diuinæ offenſæ non poteſt intelligi de communi influentia in ordine cauſæ primæ naturalis, eſſet .n. hæc ſuperflua, loquitur ergo de communi influentia tanquam cauſæ primæ ad actum ſupernaturalē, quo Deus omnes peccatores per ſecretas mouet inſpirationes ad conſiderandum peccatum vt eſt ſui offenſiuum, & *in diſt. 14. q. 4. in reſponſ. ad ſecundum principale* ſic habet. (Concedo ergo quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet ſuſcitare, vel ſimpliciter, & tunc per pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, ſed gratia quæ infuit augetur, vel ſuſcitari ſecundum quid ſcilicet vt habeat aliqualem diſplicentiam de peccatis, & propoſitum cauendi de cetero, & velit ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio) itaque ad habendam Attritionem ſufficientem ad recipiendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ debet peccator ſuſcitari ſimple à Deo per gratiam excitatem iuxta *Scotum*, quam doctrinam ſi perpendiſſet *Fauſtus* non ita vt ſolet, leuiter tantum Doctorem carpere auſus fuiſſet.

Quod autem Scotus voluerit hunc actum ex naturalibus cum tali influentia non eſſe attritionem de congruo ſufficientem ad hoc vt fiat contritio, & habeatur gratia iuſtificans, docet inferius, vbi attritionem perfectè circumſtantionatam in genere moris eſſe diſpoſitionem de congruo, vt fiat contritio vera, & formata gratia apertè demonſtrat, quæ autem dicatur attritio debitè circumſtantionata in genere moris docuerat *in primo art.* vbi quatuor actus attritionis, & doloris peccati ponit Primo, vt ipſe loquitur ex actu imperatiuo vindicandi poteſt imperare actum dilectionis Dei in ſe, ad quem ſequitur nolitio, & diſplicentia de peccato. Secundò actuali deteſtatiū peccati commiſſi. Tertiò eſt grauanter acceptare pœnam pro peccato commiſſo vel ex amore Dei, vel ex timore amiſſionis vitæ æternę. Quartò eſt pœnam inflictam velle ſuſtinere ratione virtutis patientiæ, de quibus poſtea in ſecundo articulo loquitur applicatiuè ad attritionem in genere moris circumſtantionatam ex ſingulis iſtis actibus, vnde patet attritionem, quam *Scotus* vult eſſe diſpoſitionem de congruo vt fiat formata contritio non eſt ex puris naturalibus, ſed à motiuo ſupernaturali, ſicut etiam philoſophantur alij Theologi, cuius ſubtiliſſimi Doctoris doctrinam ſi legiſſet attentè *Fauſtus*, eam fortè intellexiſſet, & tam grauis erroris nebulam in ſplendidiſſima tanti DD. doctrinæ luce non appoſuiſſet, ſed fortè Nyctycoraceus eius intellectus anthipathia angebatur maxima contra Aquileum ſubtiliſſimi Doctoris ingenium, cum ſæpe ſæpies contra aliorum piſſimorum Doctorum morem hic falſas opiniones, & ſententias hæreticas Theologorum Principi, de cuius ſcriptis nec iſta vnum ab Eccleſia Catholica reprobatum fuit tribuere falſiſſimè non puduerit hunc Religioſum alioqui virum.

Denique in hac materia audiat ipſum Scotum apertius loquentem verſus finem præfatæ quæſtionis ait (pœnitentia enim abſolutè poteſt innaſci ex naturalibus hominis, ſed non fructifera hoc eſt ferens fructum, hæc *Scotus* ibi,

Digitized by Google

quia cauſa naturalis, vt naturalis non poteſt eſſe diſpoſitio ad gratiam ex ſuis viribus, ſed in vltimo inſtanti ex Dei inſtitutione ſi ſit perfectè circumſtantionata euadit contritio formata gratia.

Itaque ex doctrina Scoti attritio quæ poſtea fit contritio formata licèt ex naturali diſcurſu ortum habeat non tamen ſine omni diuino auxilio, ſed cum communi auxilio ſufficienti poſtea debitè circumſtantionata in genere moris, vnde obiectum, & motiuum ſupernaturale habet, dicitur ſupernaturalis iuxta communem opinionem Theologorum, & eſt diſpoſitio de congruo, vt extra Sacramentum pœnitentiæ quando iam actus doloris eſt perfectus ſecundum intenſionem Deo notam in via Scoti fiat vera contritio formata.

Vtrum ſufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ validè ſuſcipiendum Attritio cum ſolo propoſito virtuali vitandi peccatum, & quid dicendum de Attritione implicita ideſt ſola voluntas ſuſcipiendi Sacramentum, & quid de putata, & actu quo dolet ſe non habere attritionem ſufficientem de ſuis peccatis.

DIFFIC. IV.

NOtandum pro ſolutione huius difficultatis quod propoſitum virtuale vitandi peccatum dupplex eſt alterum incertum, & eſt quando quis habet ſolam voluntatem confitendi peccata ſua ſacramentaliter, nunquam tamen habuit inclinationem ad vitanda peccata in futurum, quod ſi ei hoc à Confeſſario proponeretur, hæſitaret, & retardaretur à tali hæſitatione in eliciendo propoſito vitandi peccata in futurum, alterum dicitur certum, quando quis actu non habet propoſitum vitandi peccata, eſt tamen inclinatus, & bene affectus ad ea relinquenda, & vitanda in futurum, ita vt ſi data opportunitate interrogaretur à confeſſario an habeat propoſitum vitandi peccata, immediatè abſque hæſitatione, & retardatione talem actum eliceret. Hoc ergo ſuppoſito.

Dico primò, quod propoſitum virtuale remotum conſiſtēs in vna voluntate ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ non ſufficit ad attritionem pro conſequenda gratia in Sacramento pœnitentiæ, quia non dicitur habere verum dolorem peccatorum ſuorum requiſitum ad veram attritionem neceſſariam pro Sacramento pœnitentiæ validè ſuſcipiendo, qui heſitat an debeat peccata relinquere, & vitare in futurum, ſed ſolum hypocritè, & ſimulatè dolet, & verè in voto eſt peccator qui hæſitat peccatum vitare, ita ex *Scot. in 4. diſt. 14. q. 4. in corp. 3. art.* vbi ſic habet (Sed non habens talem actum qui ſufficiat ad meritum de congruo, ſed tantum habens voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſine obice peccati mortalis actualiter ſibi facto, vel in voluntate inhærentis recipit non ex merito, ſed ex pacto diuino effectum iſtius Sacramenti) hæc Scotus ex quibus ſuis verbis patet non ſufficere voluntatem recipiendi Sacramentum ſi adſit obex peccati actualis, vel in voluntate inhærentis, quod eſt propoſitum peccandi de cetero, qui autem hæſitat an velit relinquere, vt vitare peccatum habet ſanè peccatum hærens voluntati ideſt propoſitum de cetero peccandi, quod *Scot. in reſp. ad 2. princip.* declarat hiſce verbis (dum tamen non ſit peccator in voto, ſeu in actu interiore, vel exteriore) qui autem hæſitat an debeat relinquere peccatum, eſt peccator in voto ſaltem actu interiori, quia ſignum eſt, quod adhuc habet affectionem intrinſecam ad peccatum; falſum eſt ergo contra quoſdam moderniores, qui falſo impinguunt Scoto quod voluerit ſufficere pœnitenti, vt habeat ſolum propoſitum confitendi ſacramentaliter, vt recipiat gratiam. Ita etiam cum *Scoto* ſentiunt *Vaſq. q. 9. ar. 1. dub. 1. Bellar. de pænit. l. 2. c. 6.* cum *Pitig. & Bonac.* locis in ſuperioribus citatis.

Quod autem ex doctrina Scoti propoſitum cauendi de cetero debeat implicari in attritione neceſſaria ad Sacramentum pænitentiæ poſita ſunt verba ipſius in difficultate præcedenti deſumpta à reſponſione ad ſecundum idem argumentum in quibus propoſitum de vitando peccato implicari neceſſariò in attritione ad recipiendam gratiam in Sacramento pænitentiæ docet expreſsè. Quare

Dico ſecundò, ꝙ propoſitū virtuale certum vitandi peccata ſufficiens eſt ad attritionē verā pro Sacram. pænit. validè ſuſcipiendo, quia tale propoſitū virtuale remouet omnē obicē peccandi de cetero, quia paratus eſt ad vitandū peccatū, & propoſitum eliciendū quandocūq; occaſio fuerit abſq; vlla hæſitatione, & retardatione, vndè ſignum eſt voluntatē iam reliquiſſe affectionem ad peccandū. Ita ex noſt. *Doct. loc. cit. Pitigian. in 4. diſt. 14. q. 4. ar. 7. noſt. Vegha de iuſtificat. l. 3. c. 21. Nauar. c. 1. n. 6 Bonac. de pæn. diſ. 5. q. 5. ſect. 2. p. 3. Bellar. de pæn l. 2. cap. 6. Suar. de pænit. diſp. 5 ſect. 1.*

Dico tertiò, quod attritio implicitā, ſeu deteſtatio implicita peccatorū ideſt voluntas ſola ſuſcipiendi Sacramentum pęnitentiæ non ſufficit ad Sacramentū pęnitentiæ validè recipiendū, etenim ad Sacramentū pænitentię recipiendum validè requiritur peccatorū examen præcedens cum diligentia moraliter neceſſaria de quibus neceſſe eſt actualem diſplicentiā habere ſaltem aliqualem, ſi non perfectam, vndè pænitens accedens ad Sacramēt. pænit. cum ſolo animo ſuſcipiendi Sacram. abſq; præuio ſuorum peccatorum examine non recipit virtutem Sacram. niſi fortè à Confeſſario eius inculpabilis negligētia ſuppleatur. Eſt ergo neceſſaria Sacram. pænit. dignè recipiēdo deteſtatio explicita aliqualis tamen ſuorum peccatorum. Ita *Scot. q. 14. verſus fin. 2. a.* vbi ait (congruit etiam ex parte ſuſcipientis, quod ſit pęnitens. i. habens aliqualem diſplicentiam de peccato commiſſo, hoc. n. videmus etiam in iudicibus tēporalibus, quod proteruū ſententialiter condēnant, pænitentem verò ſuo modo abſoluunt, i. tanquam non Reum, vel non puniendum abſoluunt) Idē repetit infra in reſponſione ad ſecundum principales cuius verba adducta ſunt difficultate ſuperiori. Vnde patet, quā iniuſtè moderniores aliqui Scoto impoſuerint, ſufficere attritionem implicitā. i. voluntatem ſolam confitendi ad recipiendam gratiam in Sacramento. Etenim locum Scoti adductum in 1. cōcl huius diffic. *in 4. diſt. 14. q. 4. in corp. 3. art.* malè intelligunt illi Doctores, dum prætendunt ibi Scotum velle ſolā voluntatē ſuſcipiendi Sacram. pænit. ſufficere ad recipiendā gratiā in ipſo, nā Scot. ibi loquitur de habente attritionem non ſufficientem, vt de congruo conferatur gratia, & fiat eius attritio formata contritio, quē tamen habentem talē attritionē inſufficientē copulatiuè cum voluntate recipiendi Sacramentū, & non ponentem obicem ait ibi recipere gratiam in Sacramento, vt patet Scot. ibi attentè legenti. Itaq; ex Scot. ſola voluntas accipiendi Sacramentū pænit. non ſufficit ad recipiendā gratiam in ipſo, ſed requiritur aliqualis diſplicētia, ſeu deteſtatio actualis peccati. Ita etiam cum *Scoto, Pitigian, Vaſquez, Bellarm. & Bonac. loc. cit.*

Dico quartò, quod Attritio putata attritio ideſt quando pænitens accedit, & credit ſe eſſe ſufficienter diſpoſitum, poſtquā debitam præmiſit diligentiam ad ſe præparandum, licèt à noſt. *Pitig. Suar. & Bonac.* loc. cit. reputetur in ſufficiens ad recipiendam gratiam in Sacramento, quod etiam docet *Reginal. l. 5. n. 77.* quia non adeſt vera attritio requiſita; attamen probabile puto eſſe huiuſmodi attritionem ſufficientem modo præmiſerit aliqualem dolorem peccatorum dum præmiſit diligentiā in ſe præparando, maximè cum *Scotus* noſter *q. 2. loc. citat.* ſub dubio hoc videtur relinquere ſub his verbis (Sed ſi tantummodo carens aliqua circumſtātia debita ex conſideratione intellectus, vel omiſſione voluntatis quantum ad illam circumſtantiam, tunc dubium eſt ſi ſufficienter diſponat ad iuſtitiam) expreſsè tamen tenent hanc attritionem ſufficere *Vaſqu. vbi ſupra dub. 2. Molſeſ. tra. 7. c. 9. & Camerota tract. 6. de contr. dub. 2.*

Dico quintò, quod actus, quo quis dolet ſe non habere attritionem peccatorum licèt negetur eſſe ſufficiens ad validè recipiendum Sacramentum pœnitentiæ à *Vaſq. dub. 3. & Bonacin. loc. cit. & Henriq. l. 4. c. 26.* ex eo quod huiuſmodi dolor non eſt attritio, ſed triſtitia de carentia attritionis, attamen probabile putant *Nauar. c. 1. n. 20. & Paludan. in 4. diſt. 17. q. 1.* quia dolor, quod non habeat attritionem de peccato, eſt etiam diſplicentia peccati, ſi enim de peccato non doleret, non haberet dolorem ſe carere attritione. At verò

Diſtinguendum puto, nam vel dolet ſe non habere attritionem, quia complacet actu in aliquo peccato, & non vult vitare illud, & ſanè dolor de carentia huius attritionis non eſt ſufficiens, quia ab infecta radice, & obice actuali procedit, ſed ſi talis dolor de carentia attritionis proueniat ex in ſufficientia doloris, non autem à complacentia in ipſa, tunc credo, quod ſufficiat, quia poteſt vocari aliqualis diſplicentia peccati, dum dolet non habere ſufficientem dolorem peccatorum ſuorum.

Digitized by Google

Vtrum Contritio propriè accepta ſit neceſſaria neceſſitate medij in lege noua, ita vt iuſtificatus ex formali dilectione Dei teneatur ſuorum peccatorum actualem contritionem elicere.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod cōtritio propriè accepta extra ſacramēt. in lege noua non eſt abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medij, ita vt ſit impoſſibile, vt ſine ipſa ſaluari quis nequeat, etenim ex communi doctrina catholicorum Doctorum ſola attritio cum pœnitentiæ ſacramento eſt ſufficiens in lege noua ad ſalutem conſequendam.

Poteſt tamen dici neceſſaria neceſſitate medij quatenus deficiente copia Sacramenti pœnitentiæ ſi peccator ſaluari velit neceſſe eſt, vt contritionem actualem ſuorum peccatorum, vel ſaltē virtualē, quæ conſiſtit in feruenti actu dilectionis Dei ſuper oīa habeat, vt notat noſt. *Pitig. ar. 6. vbi ſup.* & quod per cōtritionē formalem, ſeu actualem iuſtificetur peccator extra Sacramentum pœnitentiæ habetur apud Ezechl. c. 18. (ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis vita viuet, & non morietur) & quod extra Sacramentum iuſtificetur quis per actum dilectionis Dei, habetur Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*, & Ioann. 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo*, & de Magdalena dictum fuit à Christo, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Ita noſter Vegha de Iuſtificat. l. 3. c. 21. quem citant etiam, & ſecuntur *Valentia T. 4. diſp. 7. qu. 3. p. 2. Vaſq. qu. 86. ar. 2. dub. 1. Nauar. c. 1. nu. 10. Suarez diſp. 9. ſect. 1. Reginald. l. 5. num. 58. Coninch. de ſacr. diſp. 2. dub. 2. Bonac. ne pœn. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2.*

Dico ſecundò, quod iuſtificatus per actum feruentem dilectionis Dei, qui actus vocatur contritio formata virtualiter, an teneatur dolere, & conteri actualiter de peccatis ſuis ſi in memoriam venerint poſt iuſtificationem huiuſmodi acceptam variant Doctores.

Affirmant *Graff. l. 1. deciſ. c. 5. num. 25. Suarez diſp. 4. ſect. 6. aſſert. 3. & diſp. 15. ſect. 1. Medina tract. 1. qu. 2. ar. 4. Coninch. diſp. 3. dub. 4. Filiuc. tr. 6. c. 8. q. 4. Regin. l. 5. Henriq. l. 4. c. 6. & c. 28.* & probant nam in contritione virtuali, ſeu in feruenti actu dilectionis Dei includitur propoſitum conterendi, & deteſtandi mortalia commiſſa, quandocumq; in mentem venerint, quod tamen de venialibus aiunt non eſſe neceſſarium, quia venialia propriè non auertunt à fine ſupernaturali ſicut auertunt mortalia.

Contrarium tamen tenent noſtri *Corduba l. 1. qu. 2. dub. 2. & Vegha loc. cit.* quem citat, & ſequitur *Vaſq. 3. p. T. 4. de pœnit. qu. 86. ar. 2. dub. 2. & Bonacin. loc. citat. & Sotus* apud ipſum putantes iuſtificatum per feruentem actum dilectionis Dei non obligari ad dolendum de commiſſis ante iuſtificationem, ſi in mentem venerint, ſed ſufficere ſi actu de eis non complaceat, iuſti enim Lucæ cap. 15. non indigent pœnitentia, nec aliquo iure probari poteſt iuſtificatum neceſſariò dedebere conteri de peccatis iam deletis, quod etiam videtur, innuere *Scotus in 4. diſt. 14. qu. 1.* vbi poſtquam per actum feruentem dilectionis Dei puta in eo, qui rapitur ſtatim ad Martyrium, in quo fortè non præceſſerit cogitatio de aliquo peccato mortali prius commiſſo docuit iuſtificari poſſe abſque actuali pœnitentia. ſeu contritione, ait diſplicentiam de peccato commiſſo eſſe neceſſariam in peccatore ſolum, ex eo quia ſicut peccatum auertit à fine ſupernaturali, & conuertit ad creaturam, ita rationabile eſt, quod peccatum non deleatur niſi per modū oppoſitū auertērē à peccato, ſiuè à creatura, & conuerterē ad finē Deum ſcilicet benedictum, in iuſtificato enim hæc ratio non currit, ergo non videtur neceſſitandus ad aliam contritionem formalem, ſeu actualem pœnitentiam.

Ceterum licèt iſta ſecunda opinio ſit probabilis, attamen mihi videtur caſus ferè impoſſibilis, quod iuſtificatus per feruentem amorem Dei abſque actuali pœnitentia, & contritione peccatorum, quæ commiſit, ſi adhuc maneat iuſtus, & recordetur peccatorum à ſe commiſſorum ante iuſtificationem non doleat de ipſis, ſi à ſufficienter aduertat, & non ſit diſtractus ab alia cogitatione erga Deum, quæ non permittat actu dolere, & conteri de peccatis, quæ in mentem venerint, etenim iuſtificatus, & innocens non ſolum in via, ſed etiam in termino iam factus beatus habet pœnitentiæ habitum inclinantem ad vindicandum promptè in alio; & in ſe reatū peccati ſi ineſſet, vnde in ſtatu innocentiæ, & in beatitudine manere iſtam pœnitentiæ virtutem docet noſter Subtiliſſimus Doctor *in 4. diſtinct. 14.* quæ eſt 2. *ad ſecundum arg.* nec mirum ait *Scotus*, quia etiam in Deo manet iuſtitia vindicatiua, licèt non in ſe, quia non poteſt eſſe reus.

Quare cum iuſtificatus exiſtens in via habeat virtutem pęnitentiæ promptè inclinantem ad veindicandum peccatum ex eo quod habet charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, & ſecum implicat iſtum habitum pęnitentiæ vindicatiuæ peccati, ſequitur, quod ſi aduertat peccata à ſe commiſſa ante iuſtificationem ſtatim à tali virtute inclinetur ad promptè eliciendum actum deteſtationis, & vindicationis in ſe de talibus peccatis iuxta veram noſtri Doctoris ſententiam, modo, vt dixi, ab alia feruentiori in Deum cogitatione ſubito non diſtrahatur, vt eſt fortè in Beatis, qui non poſſunt actu dolere de peccatis, ſi in memoriam venerint, quia diſtracti ſunt ſecundum totum conatum voluntatis in fruitione ſummi boni, quod ſi poſſent diſtrahi à tali fruitione, ſanè peccata commiſſa actu deteſtarentur, quia habeat virtutem pœnitentiæ vindicatiuæ tam in ſe quam in alio, ſed de hac difficultate fuſius infra.

Ceterum eſt tamen in hac difficultate, quod ſi iuſtificatus etiam per feruentem dilectionem Dei manens in via teneretur contritionem actualem elicere, ſi vellet Sacramentum ſuſcipere, quia Sacramentum pœnitentiæ præſupponit peccatorum deteſtationem.

Vtrum Contritio ſit neceſſaria homini viatori neceſſitate præcepti, & quo iure, & in quibus caſibus.

DIFFIC. VI.

Dico primò, cōtritionis præceptum adeſſe in Eccleſia Dei communiter docent Theologi, vide *Scotum noſtrum in 3. diſt. 37. §. contra primum iſtorum, noſt. Angles in 4. p. 1. qu. de contrit. n. 1. diffic. 1. noſt. Pitigian. diſt. 14. q. 3. ar. 4. Coninch. diſ. 2. dub. 2. Valent. diſp. 7. qu. 8. p. 3. Suar. de pœnit. diſp. 15. ſect. 1. Bellarm. de pœn. l. 2. c. 8. diſp. 2. Filiuc. tract. 6. c. 8. q. 1.* quod patet, quia in aliquibus caſibus tenetur homo de præcepto conuerti ad Deum, & peccatū deteſtari extra Sacramentum pęnitentiæ iuxta illud Lucæ 13. ſi pænitentiam non habueritis ſimul omnes peribitis, ergo adeſt præceptum de contritione peccatorum elicienda, in qua conſiſtit vera pœnitentia, tenetur enim de præcepto homo ſumere medium neceſſarium ad ſalutem, quando non adeſt copia Sacramenti pœnitentiæ, ſed medium ad ſalutem extra Sacramentum pęnitentiæ eſt contritio, ergo contritio cadit ſub pręcepto aliquando, hinc *Angl.* noſt. iure reijcit aliquorum opiniones loc cit putantium contritionem non cadere ſub præcepto. Quare

Dico ſecundò, quod præceptum contritionis aliquando eſt de iure naturali diuino ſaltem in ſubſidium Sacramenti pænitentiæ ideſt quando non adeſt copia confitendi ſua peccata Sacerdoti, nam poſita offenſa Dei ius naturale dictat, vt notat Subtiliſſimus noſt. Doct. loc. cit. & in reſponſ. ad tertium vt noſtro Creatori tanquam ſummo bono noſtro de offenſa veniam petamus, vt pro offenſa aliquomodo ſatisfaciamus, cum ex iure naturæ omnis offenſa ſatisfieri debeat, ergo de iure naturæ eſt contritio, qua dolēdo de offenſa facta Deo, illis fit ſatis per eius pęnitentiā; quod autē iure diuino præcipiatur, patet quia regulariter loquendo nullo alio modo potiori vult Deus extra ſacr. pęnit. remitti peccatum, quā contritione, & dolore de offenſa ſibi facta, vnde per Ioel. iubet conuertimini ad me in toto corde veſtro, & Ezech. 18. Agite pęnitentiam ab omnibus vijs veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, & in Euang. Lucæ loc. cit. & alibi pænitentia iubetur, ergo contritio eſt de iure naturali diuino.

Dico tertiò, quod contritionis præceptum in ſubſidium ſacramenti pęnitentiæ ſc. quando copia confeſſoris haberi nequit obligat quandocumq; homo tenetur eſſe in gratia, vel ad vitandum periculum damnationis æternæ, vt eſt in periculo, vel articulo vero, vel putatiuo mortis, etiam ſi martyrium ſit ſubiturus, modo pro temporis ratione valeat elici, quin etiam in periculo ſuſpicatæ amentiæ probabiliter præuiſæ, vel quando eſt confecturus Sacramentum, vel ſuſcepturus aliquod Sacramentū præter baptiſmū, & pænitentiā, quia ad hæc ſuſcipiēda

ſufficit Attritio, quin etiam iuxta opinionem probabilem, quando adminiſtraturus eſt quodlibet Sacramentum, nec .n. eſt alia via regulariter in ſubſidium confeſſionis Sacramentalis, per quam quis ſe poſſit conſtituere in gratia, præter contritionem veram, et perfectam, ergo cum in talibus caſibus teneatur homo ad vitandum periculum damnationis irreparabilis, vel ad dignè ſuſcipiendum, vel miniſtrandum Sacramentum ſub mortali ſe in gratia conſtituere via, qua poteſt magis probabili, ſequitur, quod teneatur in præfatis caſibus ſub præcepto naturali, et diuino contritionis actum elicere, vt ſe faciat in gratia, et ita periculum damnationis æternæ euadat, et Sacramenta dignè ſuſcipiat, vel miniſtret. Ita ex *noſt. Angl. diff. 2 & Pitig. a. 6. locis cit. Bonac. punct. 2. Valentia punc. 4. Reginald. l. 5. vbi ſupra, Vaſq. q. 86 a. 2. de pænit. Filiucc. tr. 6. c. 8. q. 7. Henriq. l. 4. c. 6. & alij.* etc.

Adde, quod probabile eſt, quod exiſtens in probabili, et veriſimili periculo incidēdi in mortale debeat actū cōtritionis elicere, vt ab illo ſe præſeruet immunem, quod tamen mihi videtur grauiſſimum præceptum, et nimis onerosum, quare potius hoc de conſilio optimo, quam de præcepto ſtatuendum uidetur. Verum eſt tamen, quod exiſtēs in tali periculo probabili incidēdi in peccatū mortale, et cognoſceret quod per contritionis actum probabiliter à talis peccati periculo liberaretur, probabile eſt, quod teneatur ſub præcepto eum elicere, quia vnuſquiſque tenetur medium opportunum accipere ad ſe reddendum immunem à peccato, cum ex charitate vnuſquiſque teneatur ſe diligere in ordine ad euadendum periculum damnationis æternæ, et hoc fortè docuerunt *Medina tract. 1. queſt. 6. Zerola, de panitent. c. 7. q. 24. Reginald. Val. Coninch. & Bonac. loc. cit.*

Attamen cum *Eminent. de Lugo de pæn. diſp. 25. ſect. 4. n. 54.* dicerem non eſſe monendū pœnitentē de tali obligatione ſub mortali, ne nimis graue onus imponatur, & in ſcrupulorum ſyrtes peccator impellatur, ſicut etiā nec debet imponi obligatio mortali, vt contritionis actum immediatè eliceat ſuorum peccatorum, qui aliquod ſpecialius beneficium à Deo accepit, licet conſulendus ſit, & hortandus, vt cum actu contritionis gratias Deo agat.

Præterea an tempore, quo facienda eſt publica oratio pro publica neceſſitate teneatur quis ſe facere in gratia per actū contritionis, affirmant probabiliter *Nauar. c. 1. n. 31. Zerola de pænit. c. 7. queſito 24. & Valent. loc. cit.* quia in grauiſſimis neceſſitatibus populi tanquam pro bono publico debet ſe quis diſponere ad amicitiam Dei per contritionē in ſubſidiū confeſſionis, ad hoc, vt à Deo impetretur, quod petitur.

Contrarium tamen putant etiam probabiliter *Vaſq. Suar. Filliuc. & Bonac. loc. cit.* quia etiam peccatores petentes cum fide, exaudit Deus. Sanè prior opinio magis pia eſt, & in praxi omnino ſuadenda, at vero cum ſecunda non arguerem peccati mortalis, qui contritionem in tali occaſione non eliceret, ne peccatoribus onerosa nimis præcepta imponantur, cum iugum Domini ſuaue eſt. & leue.

Denique an teneatur die feſto Chriſtianus ſub præcepto actū cōtritionis elicere, licet Moderniores, & præcipuè *Fauſtus*, vt dictum eſt V. A diffic. 5. affirmatiuam ſententiā *Scoto noſt.* adſcribant, attamen hoc falſum eſſe monſtratum eſt in dicta difficultate, vbi *Scotus* oſtenditur, quod ſolummodo actum dilectionis Dei die Dominico ob memoriā Creationis, & Redemptionis eliciendum eſſe à fidelibus, & hunc actum nec formaliter eliciendum putat in die Dominico, ſed ſolum virtualiter per attentam miſſæ auditionem, in qua adimpleri illud præceptum *Exodi* 20. in quo præcepit Deus, vt in die Sabbathi vnuſquiſq; maneat apud ſe ideſt recolligēdo ſe, & aſcendendo in Deum ſuum docet *ſubtiliſſ. noſt. Doctor.*

Vtrum fidelis teneatur quandocumque peccata commiſſa in mentem venerint, de eis actum contritionis elicere.

DIFFIC. VII.

IN hac difficultate variant Doctores etiam Scotiſtæ inter ſe, nam videntur negare *noſtri Angles diffic. 5. & Pitigian. loc. cit. Nauar. c. 1. n. 32. Valentia, Reginald. Bonac. Filiucc. Vaſq. locis ſupra citatis, & Sayr. de pænit. c. 6.* pro affirmatiua vero adducuntur *noſtri D. Bonauentura in 4. diſt. 16. p. 1. ar. 3. q2. Alenſis 4. p. q. 17. Riccard. in 4. diſt. 14. a. 9. q. 1. & Scotus in 4. diſt. 49. q. 4. §. ſecundo de oppoſito paulo ante ad rationes principales*, videtur idem ſentire *D. Th. 3. p. q. 84. art. 8.* licet pro contraria ab aliis citetur, & *Zerola de pænit. c. 7. q. 14. & q. 24.* Attamen vt veritas clarius appareat in hac diffi culate.

Diſtinguendum ad mentem *noſtri ſubtiliſſimi Doctoris videtur loc. cit.* ſed expreſſius *in eode. in 4. diſt. 45. q. 3. ad 3. principale* etenim homo qui peccatum mortale commiſit, vel deliberatè cogitat de peccato commiſſo ſcilicet recogitando & ponderando ſe Deum ſummum bonum, & noſtrū creatorem, & Redemptorē offendiſſe, vel ſolum in ſimplici intelligentia occurrit peccatum factum abſq; matura, & completa deliberatione, ſed potius per modum tranſeuntis licet ſit in potentia proxima ad maturè cogitandum, et deliberandum circa offenſam Dei.

Certum eſt ergo quod hoc 2. modo recordatus vel intelligens peccatum per modum tranſeuntis abſque matura, et deliberata cogitatione eius quatenus eſt offenſa Dei non tenetur peccatum tale, quod in mentem hoc modo venit deteſtari, et de eo conteri, quia non maturè, et deliberatè cogitat de eo, ergo nec tenetur iudicare ſe malum feciſſe, et Deum offendiſſe, et conſequenter nec conteri, non enim repræſentatur peccatum in illo tunc intellectui quatenus malum, et offenſiuum Dei, ergo nec tenetur deteſtari, quod vt malum pro illo tunc non intelligit, et hoc fortè modo ſentiunt Auctores primæ opinionis.

Quod ſi primò modo occurrat peccatum memoriæ ſ. quod ille, qui commiſit peccatum ſi recordetur eius maturè, et deliberatè cogitando, quod tale peccatum ſit offenſiuum Dei noſtri ſummi boni, docet *Scot. locis cit.* ſi non deteſtetur peccatum, et diſplicentiæ actum non eliciat, peccat, cuius verba formalia incitata *diſt. 45. q. 3. ad 3. principale* ſunt iſta (ſi enim viator non poteſt completa deliberatione recordari peccatum commiſſum, quin deteſtetur, vel diſpliceat, alioquin peccat ad minus omittendo) etenim cum elicere actū contritionis ſit præceptum affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper ideſt ſolū quando adeſt opportunitas, ſicut honorare parentes quia præceptum eſt affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper ideſt obligat quando adeſt opportunitas eos honorandi, ſi omittatur eis honor debitus peccatur, ita etiam ſi omittatur actus deteſtandi peccatum, quādo occurrit opportunitas peccatum committitur, at vero quæ maior opportunitas deteſtandi peccata, et contritionis actum circa ea eliciendi, quam quando deliberata cogitatione recogitatur, peccatum tanquam Dei offenſa, quandoquidem ſi tūc recogitans deliberatè peccatum tanquam offenſa Dei complacet de illa, et ſic peccat, ſi non complacet, nec diſplicet, tunc malus eſt quia videtur tacitè, vel virtualiter de peccato complacere, quod actu, et deliberatè recogitat eſſe Dei offenſam, videtur enim conſentire, qui tacet.

Quare in opinione *Scoti* à qua non credo, ceteri Doctores abhorreant, qui paſſim recordatur alicuius peccati commiſſi, puta adulterij, vel homicidij ſolum incidenter, ſi non deteſtetur, et de eis non conteratur non peccat, quia non recogitat illud vt offenſa Dei, nec de eo deliberat, et iudicat, quin non intelligens actu, licet ſit in potentia proxima ad actu intelligendum peccatum, vt offenſiuum Dei, non peccat, ſi non deteſtetur, quia quod eſt in potentia propinqua ad intelligēdum ſupple deliberatè, non eſt vituperabile, nec peccatum docet Scotus in præcitata *diſt. 45. q. 3.* Peccat autem deliberatè cogitans, et intelligens peccatum quatenus eſt offenſa Dei, ſi non deteſtetur, et diſplicentiæ actum non eliciat de commiſſa offenſa contra diuinam bonitatem.)

Vtrum contritionis actus neceſſario ſit eliciendus circa ſingula peccata, quæ in mentem venerunt, & an ſi de vno inter cetera quorum non potuit haberi memoria habeatur contritio cetera oblita deleantur, & quid de venialibus an deleantur deletis mortalibus per contritionem, ſi ſpecialiter non deteſtentur.

DIFFIC. VIII.

DIco primò, quod non eſt neceſſarium, vt actus contritionis cadat ſupra ſingula peccata recogitata, ſed ſufficit, quod vnus actus contritionis cadat ſuper omnia peccata, quæ actualiter, vel virtualiter ſunt in memo-

memoria, vnde non eſt neceſſarium, vt pœnitens peccata, quæ ſingillatim reduxit in memoriam, ſingillatim deteſtetur, & defleat, ſed ſufficit, vt omnia ſimul iam recogitata vnico deteſtetur actu contritionis. Ita *Scotus noſter in 4. diſtinct. 15. quæſt. 1. art. 3. §. ex hoc patet*, quem paſſim ſecuntur recentiores, *Nauar. cap. 1. nu. 25. Valent. T. 4. diſp. 7. qu. 8. punct. 6 Reginal. l. 5. Victorell. de Sacram. nu. 116. Suar. de pœnit. diſp. 4. ſect. 6.* vbi etiam nititur trahere in hanc ſententiam. *D. Tho. Nugnus in Add. S. Th. qu. 2. ar. 6. dub. 1. Henriq. l. 4. c. 7. Zerola de pœnit. c. 7. qu. 19. Bonac.* vbi ſupra *p. 5. Filiuc. tract. 6. c. 9. qu. 1.* & alij, quod probatur ex illo Ezech. 18. in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius; & in c. 33. in quacumque hora ingemuerit peccator, vita viuet, quę verba explicans *D. Auguſt. de vera, & falſa pœnit.* ait, quod etiam in extremo vitæ hyatu ſi ingemuerit peccator recipiet gratiam, at verò in tam breui ſpatio, vt eſt extremus vitæ hyatus, non poſſunt elici tot actus contritionis, quot fortè peccata recordatur, ergo dicendum eſt ſufficere vnum actum contritionis, quo omnia, & ſingula peccata recogitata, vel etiam inculpabiliter oblita delentur.

Adde, quod ſi ad ſingula peccata recogitata requirantur ſinguli actus contritionis, ſequeretur, quod nulla contritio pręcedens eſſet formata, & nulla poſſet iuſtificare hominem, quia peccatum verum non poteſt dimitti, non dimiſſo alio, nec regulariter poteſt ſtare gratia cum peccato, itaque ſingulæ contritiones ſingulorum peccatorum ante contritionem vltimam vltimi peccati non iuſtificarent, nec eſſent formatæ, ergo non eſſent veræ contritiones, ergo non ſunt neceſſariæ ſingulæ contritiones, ſed vna pro omnibus ſimul collectis ſufficit, ſicut vna aſperſione aquæ multi poſſunt baptizari, & vno actu abſolutionis plura peccata abſolui.

Præterquam quod nullum ius naturale, nec diuinum oſtendi poteſt eſſe de ſingulis peccatis neceſſarias ſingulas contritiones.

Nec obſtat ſi dicatur, quod ſingula peccata debent confiteri Sacerdoti, & non valet confeſſio peccatorum in genere, ergo nec valet contritio peccatorum in genere, ſed ſingula debent conteri, & deteſtari; nam diſpar eſt ratio, quandoquidem peccata confitenda ſingula Sacerdoti, qui Iudex eſt, & ſingulorum grauitates debet perquirere, vt ſingulorum pœnitentiam, & ſatisfactionem ſuo iudicio valeat imponere, nec habet intellectum infinitum, vt multa ſingillatim vnico poſſit actu intellectus percipere, & iudicare, at verò in contritione non fertur iudicium, ſed ſolum dimittuntur ex inſtitutione Dei ad actum contritionis veræ atque ad eo ſufficit, vt Deus cognoſcat quod omnia ſic deteſtetur in communi peccator ſua peccata quatenus eſt diuina offenſa, ac ſi ſingula deteſtaretur, & ſicut generaliter, ea deteſtatur in communi, ita eſt paratus deteſtari ſingula, deteſtando enim vnico actu peccato multa ſua peccata virtualiter ſingula deteſtatur, quod Deus ſuo infinito intellectu comprehendit, atque adeo non requirit à peccatore hoc onus ſingulorum contritionum.

Contrarium tamen docuerunt noſt. *D. Bonau D. Th. in 4. diſt. 17.* & *Paludan. 16. noſt. Angel V. contritio, §. 4. Sylu. ibid.* & alij putantes ad ſingula peccata recogitata requiri ſingulas contritiones, & ſanè ſi hoc velint piiſſimi iſti Doctores de conſilio faciendum, optimè, vt ſemper ſolent, ſuadent, perfectionis ſanæ magnæ eſt de ſingulis peccatis ſingillatim grauitatem diuinæ offenſæ recogitando ſingillatim conteri, & ea ſingillatim deteſtari iuxta illud Dauid, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, quæ verba explicans Gloſa intelligit noctes pro peccatis, & lectum pro conſcientia, nam ibi exemplo Dauid poteſt perfectius nobis conſilium proponi, non autem durius præcepti iugum imponi.

Attamen in aliquo caſu poſterior hæc ſententia poteſt verificari ſaltem probabiliter. Vnde

Dico ſecundò, quod aliquando neceſſarium eſt de ſingulis peccatis ſingulos elicere actus contritionis, quando ſcilicet adſunt quædam peccata grauiora, vt potè multorum in ſe, & in alijs cauſa peccatorum, & de ipſis aſſumendum, eſt aliquod remedium particulare, vel auferenda eſt occaſio inductiua ad peccatum, vel eſt facienda reſtitutio de damno grauiter dato, quia in hiſce caſibus ſicut neceſſe eſt peccata ſingula recogitare, vt perfectum remedium ijs adhibeatur, ita neceſſe eſt, vt de ſingulis quatenus actu completa deliberatione in memoriam reuocantur, ſingillatas elicere contritiones, quando ſcilicet tractu temporis vnum ſine alio ad tale remedium adhibendum recogitatur tanquam offenſa DEI, vt dictum eſt in alia difficultate, ſecus ſi non recogitentur ſingillatim, vt offenſa DEI deliberata cogitatione, nam ſi ſimpliciter quatenus indigent remedio conſulantur, non eſt ſemper neceſſariò actualis contritio, ſed ſolum quatenus recogitantur ſingillatim, vt offenſa DEI eſt.

Ceterum ſi etiam iſta cum alijs confusè, & generaliter quatenus ſunt offenſa Dei recogitentur, & tempus non ſit idoneum pro tunc ad remedia perquirenda, ſed ſolum ſiſtat peccator in vehementi ſuorum peccatorum deteſtatione cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, vnicus ſolus actus contritionis ſuper omnia confusè, & generaliter recogitata ſufficiens eſt ad ea delenda, vt patuit in Magdalena, quæ multorum peccatorum mole grauata contrita de omnibus confusè, & generaliter ad Ieſum veniens fuit digna audire remittuntur tibi peccata tua.

Dico tertiò, quod peccator multis irretitis peccatis habens contritionem de vno peccato mortali ſolo, cuius præmiſſo diligenti examine circa aliorum recordationem, dumtaxat recordatur, ita vt ceterorum dicatur inculpabiliter oblitus, adhuc iuſtificatur de omnibus commiſſis, licèt de illis ſpecialiter non doleat, quia dilectio Dei ſuper omnia, quæ virtualiter includitur in contritione, continet in ſe interpretatiuè deteſtationem etiam aliorum peccatorum, non enim quis poteſt offenſam Dei pro vno peccato deteſtari, vt offenſa Dei ſummi boni verè amandi, niſi etiam deteſtetur virtualiter omnia, & ſingula peccata, quæ diuinam includunt offenſam, ſi quæ commiſiſſet. Ita communiter Doctores citati, &c.

Tutius tamen docent *D. Bonauentura* noſt. relatus *à Suar. diſp. 4. ſect 6. aſſert. 3. n. 16. D. Tho. q. 8. ar. 4. loc. cit.* & alij conſulendum, vt peccator non ſolum doleat actu de illo peccato, quod recordatur præmiſſo diligenti examine, verum etiam de quocumque alio, ſi fortè commiſerit, ſanè idiotæ præcipuè ad hoc hortandi ſunt, vt ſemper non ſolum de commiſſis, quorum recordantur, ſed etiam quorumcumque fortè commiſſorum.

Aduertit tamen hic *Bonacina loc. cit. punct. 6.* quod habens attritionem de peccatis, de quibus recogitauit in ordine ad confeſſionem faciendam, debet etiam habere attritionem vniuerſalem eorum, quorum non recordatur, aliter docet non recipere virtutem Sacramenti, & ait diſparem rationem eſſe de contritione, quia contritio includit ſaltem virtualiter deteſtationem omnium peccatorum ex dilectione Dei, attritio autem cum non includat dilectionem Dei, nec includit virtualem deteſtationem ceterorum peccatorum.

Verum licèt pia ſit opinio, & conſulenda, attamen non video hanc neceſſitatem actualiter atterendi ſeſe etiam eorum, quorum facto diligenti examine non recordatur pœnitens, nam ex motiuo quo atteritur de recordatis actualiter, atteritur etiam virtualiter de ijs, de quibus non recordatur, quia actualiter habet intentionem deteſtandi quæcumque peccata, qui habet animum verè confitendi, ergo etiam virtualiter deteſtatur ea, quæ non recordatur, quæ ſi in mentem veniſſent, ſanè deteſtatus eſſet eodem motiuo, quo de ceteris recordatis atteritur actualiter.

Dico quartò, quod *Bonacina vbi ſupra punct. 5.* opinatur, quod habens contritionem de mortalibus, niſi ſpecialiter doleat de uenialibus, quæ habet ſimul cum mortalibus, non recipit eorum remiſſionem ex ſola mortalium contritione, ex eo quod contritio habet ſolum ex ſe oppoſitionem cum mortalibus, cum gratia poſſit ſtare cum venialibus, ergo ſi actu de eis non habeatur dolor non remittuntur.

Vnde etiam infert, quod perfectior actus contritionis requiratur ad delendum veniale, quam mortale, quia dum conteritur de veniali debet habere perfectiorem actum dilectionis Dei propter quem ita dolet de venialibus, vt etiam in rebus leuibus ſatagat placere Deo. An verò hæc doctrina ſit admittenda, vide infra Verb. Peccatum, vbi fortè docebitur, quod licèt gratia ſtare poſſit cum venialibus, ſepties enim die peccat iuſtus ſcilicet venialiter, tamen quia dolor de mortali-

 bus

bus ex perfectiſſima contritione includente feruentiſſimum Dei amorem habitus delet etiam venialia ſimul cum mortalibus, modo in aliquo ex ijs, quæ habet, actu non complaceat, quod non poteſt euenire in eliciente feruentiſſimum actum amoris Dei; venialia enim licèt non habeant oppoſitionem cum gratia, habent tamen oppoſitionem cum feruentiſſimo actu amoris Dei, vide hæc ſuo loco.

Vtrum Contritio adhoc vt formata, & perfecta dicatur, requirat in actu deteſtandi peccatum doloris intenſionem in aliquo gradu ſoli Deo cognitam, & certam etiam durationis menſuram.

DIFFIC. IX.

CONtritionem perfectã non requirere intenſionem in actu phyſico deteſtandi peccatum propter amorem Dei in aliquo gradu ſoli Deo cognito, itavt citra talem gradum non ſit contritio vera, & perfecta, ſed ſufficere quemlibet actũ triſtitiæ phyſicæ, modo habeat alias conditiones requiſitas ad cõtritionem ſc. quod doleat de peccato, illudq; deteſtetur appretiatiuè ſuper omne deteſtabile docuerunt noſt. *Rodriq. in ſum. p.1. c.48. & Pitigian. in 4. diſt. 14. c.3. ar.9. Suar. diſp. 4. ſect. 4. de pœn. Valent. T. 4. diſp. 7. qu. 8. Sot. in 4. diſt. 19. qu. 2. a. 4. Bellar. l. 1. de pœnit. c. 11. propoſ. 3. Coninch. diſp. 2. dub. 3. Medina de pœnit. tract. 11. qu. 5. Henriq. l. 4. c. 27. Reginal. l. 5. nu. 30. & 32. Nauar. c. 1. n. 9. Filiuc. tract. 6. c. 9. qu. 7. & Bonac. vbi ſupr. pun. 7. Molfeſ. tr. 7. c. 6.* & alij, & probant ex eo, quod in ſcriptura nullibi fit mentio ad actum contritionis requiri intenſionem phyſicam in actu deteſtandi iuxta gradum Deo ſoli cognitum, ſed ſolam volunt intenſionem actus in contritione debere eſſe moralem, quæ conſiſtit in appretiatione, & æſtimatione Dei ſuper omnia mala, vnde cum dicitur Deus amandus ſuper omnia bona, & conſequenter diligendus maximè, hic amor, aiunt, quod nõ debeat eſſe intenſione phyſica maximus, quia pro hoc ſtatu non poteſt attingi phyſicè tantus amor, ſed ſufficit, quod ſit appretiatiuè maximus ſuper omnia ideſt quod pluris æſtimetur Deus, quam cetera mundi bona, & pariformiter dicunt de peccati deteſtatione, quod non debeat eſſe phyſicè maxima, ſed ſolum appretiatiuè ideſt quod deteſtetur peccatum ſuper omnia mala, & ſanè admodum probabiliter.

Nec recedit noſt. Subtiliſs. Doctor à tali explicatione ſi fiat ſermo de contritione perfecta habita per Sacramentum pœnitentiæ, ſed de contritione quæ habetur ex attritione præcedente, quæ per modum diſpoſitionis meretur de congruo, vt in vltimo eius inſtanti conferatur gratia, & fiat formata contritio non ſolum Scotus requirere videtur eſſe actum circumſtantionatum in genere moris, ſed etiam naturæ in aliquo gradu Deo ſoli cognito, itavt actus triſtitiæ, ſeu deteſtationis peccati debeat eſſe non ſolum circumſtantionatus moraliter appretiatiuè ſcilicet propter amorem Dei, vel eius offenſam, verum etiam debet habere actum triſtitiæ, & deteſtationis phyſicè intenſum ad tantum gradum, quem Deus vult eſſe ſufficientem, ad hoc vt ſit meritum de congruo ad gratiæ infuſionem. Ita videtur colligi ex *Scoto in 4. diſt. 14. qu. 2. ar. 2. §. ad huius intellectum, & § & ſi manet idem motus*; dixi ita videtur colligi, quia non eſt omnino clarum an loquatur de intenſione actus phyſici, an ſolum moralis, quando loquitur de gradu ſoli Deo cognito, qui præfixus eſt, vt ſit ſufficiens attritio ad infuſionem gratiæ, vt videre eſt apud ipſum ibidem, §. *ſed ſi eſt attritio*; videtur tamen ex ſua doctrina requiri etiam intenſionem actus phyſici in gradu ſoli Deo cognito.

Dico ergo, quod probabile eſt in contritione extra ſacramentum pænitentiæ requiri intenſionem phyſicam actus triſtandi, & dolendo de peccato vſq; ad gradum ſoli Deo cognitũ ſimul cum alij circumſtantijs in genere moris requiſitis, ſicut eſt appretiatiuè dolere maximè, ſeu maximè deteſtari peccata tanquam Dei offenſa, vel propter amorem Dei, quæ opinio magis videtur conſona ſcripturis, & Concilio Trid. & rationi.

Probatur, quod ſit conſona ſcripturis, & primus verbis primi præcepti Decalogi vbi habetur diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, ex toto corde tuo, & ex tota fortitudine tua, vt habetur Deuter. 6. quod mandatum ferè iiſdem verbis repetijt Dominus Ieſus Matt. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & Lucæ c. 20. additur ex totis viribus tuis explicando fortè quid velit illud ex tota fortitudine tua; ex quibus verbis patet Deum à nobis expoſcere, vt non ſolum appretiatiuè eum ſummi diligamus ſcilicet ex tota anima, & ex tota mente, in quibus appretiatio amoris præcipitur, ſed etiam phyſica alia intenſione, & ideò ponitur ex toto corde, ex tota fortitudine, & ex totis viribus tuis, itavt feruentiorem actum amoris qua maxima poſſumus phyſica intenſione circa Deum eliciamus, itaque maximum amorem appretiatiuè ex iſtis verbis non ſolum, ſed etiam quem maximum poſſumus intenſiuè iuxta noſtros vires ab homine experit Deus, aliter fruſtra Deus poſuiſſet ex toto corde, ex tota fortitudine, vel vt alij legant ex totis viribus. Quod explicans.

Subtiliſſimus noſter Doctor *in 3. diſt. 27. qu. 1. §. de primo dico*, ait, quod hic amor phyſicè ſumme intenſiuus non eſt poſſibilis viatori, quia in hac via non poteſt dari tanta virium recollectio, vt poſſit elici amor phyſicè ſummus intenſiuè, ſed debet eſſe intenſior ſecundum noſtrarum virium poſſibilitatem ideſt debet homo elicere actum amoris, quem poteſt intenſionem, ſuper quem debet addi amor ſummus appretiatiuè, ſeu moraliter, vanus enim eſſet amor ſummus appretiatiuè fundatus ſuper remiſſum, & minimum actum phyſicum amoris, eſſet enim illudere amantem ſi phyſicus amoris actus non intenderetur iuxta morale appretium ſummum, quo profitetur, & declarat Amans ſe ferri in amatum, debet enim extrinſecus amor conſiſtens in appretio ſummo correſpondere amoris phyſicæ intenſioni, alias fictus eſſet amor, ideò Deus qui renuit fictè, & ſimulatè amari requirit amorem ab homine non ſolum ex tota anima, & ex tota mente iuxta appretium, ſed etiam ex toto corde, ex tota fortitudine ex totis viribus iuxta actus intenſionem maiorem poſſibilem ſcilicet in hoc mundo.

Hinc in Euangelio monet Chriſtus, qui amat Patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus, non ſolum notat ſe ſe amandum appretiatiuè pluſquam patrem, ſed etiam intenſiuè, etenim parentes non ſolum amantur appretiatiuè, ſed etiam intenſiuè magis, *quam alij* regulariter loquendo, atque ideò qui plus intenſiuè amaret parentes, quam Deum non eſſet Deo dignus, etenim appretium maioris, vel minoris amoris oritur ex amore intenſiuo magis, vel minus, &c.

Si ergo requiritur intenſio aliqua phyſica maior in amore ergo Deum, vt appretiatiuè eum diligamus ſuper omnia, etiam à pari in deteſtatione, & dolore eius offenſæ debet adeſſe intenſio actus phyſici ſecundum noſtram poſſibilitatem maior, quæ ſoli Deo cognita eſt, vt in eo fundetur appretium offenſæ eius ſuper omnia deteſtabilia, ſignant enim ſe mutuò amor, & dolor erga obiectum triſtabile, vel amabile; hinc de Chriſto ingemiſcente de morte Lazari dicebant Iudei eſſe quomodo amabat eum.

Præterea ſuadetur ex alijs ſcripturis requiri intenſionem actus phyſici in deteſtatione, & dolore peccati, dum dolorem peccatorum iubent fieri ſicut planctu[illegible]ruihionum in deſerto vel ſicut planctus ſuper Vnigenitum, qui planctus non ſolum conſiſtit in appretio, verum etiam in aliqua intenſione doloris, & triſtitiæ, in quo poſſit fundari appretium extrinſecum.

Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2.* vbi loq. de Sacram. pęnitentiæ, in quo dolor exigitur de peccatis, ſic ait (ad quam tamen nouitatem, & integritatem per ſacramentum pęnitẽtiæ ſine magnis fletibus, & laboribus diuina id exigẽte iuſtitia peruenire nequaquam poſſumus, vt meritò pęnitentia laborioſus quidam baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit) videant moderniores Theologi ſi ſolum dolor appretiatiuus ſufficiat etiam ad contritionem habẽdam in Sacramẽto pœnitentiæ iuxta intentionem Sacri Concilij, ſed verè requiritur vis doloris intenſiui ex labore contemplationis amoris Dei, vel pœnarum, vel gloriæ, & ſimilium deducti, quod *in 4. cap. poſt Dauid & Ezechiel* amaritudines, & gemitus ennarratos concludit Concilium (facilè intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe) porrò ingens, & vehemens odium à phyſica actus odiendi intenſione naſcitur.

Adde, quod ex eodem met Concilio dolor, & deteſtatio de peccato motus dicitur, motus autem phyſicus eſt, atq; adeo requiritur in actu deteſtationis, & doloris peccati, quãdo elicitur contritio non ſolum appretium, ſed etiam intẽſio actus phyſici iuxta noſtrã poſſibilitatem in gradu tamẽ ſoli Deo cognito.

Con-

Confirmatur tamen ex *D. Bonauent. hac doctrina in 4. diſt. 16. ar. 2. q. 1.* qui auctoritate *D. Auguſtini 11. de Ciuit. Dei* videtur hanc noſtram opinionem confirmare, qui ſic ait (neceſſe eſt, vt tantum dolor vrat, quantum hæſerat amor) ſed in amando creaturas vtimur phyſica intenſione actus amandi, vt patet amorem creatum experto, ergo ex *D. Aug.* neceſſarius phyſicè intenſiuus dolor de peccato vltra appretium.

Ceterum in quo gradu debeat eſſe hæc intenſio in actu attritionis, & deteſtationis peccati, quod ſoli Deo debeat eſſe notum probatur ex eo, quod ſi poſſet cognoſci ab homine, poſſet etiam cognoſcere, quando ipſe eſt in gratia, etenim ſi in aliquo gradu actus deteſtandi peccatum attritio eſt diſpoſitio de congruo, ad quam Deus infundit gratiam, ſi homo noſceret in quo gradu intenſionis actu iam eſt diſpoſitio ad gratiam dolor elicitus de peccato propter amorem Dei, poſſet noſcere ſe in illo tunc eſſe in gratia, quod falſum eſt ex illo vulgato axiomate *Eccleſ.* 9. Nemo ſcit an odio an amore dignus ſit; ergo intenſio actus doloris de peccato requiſitus ad veram contritionem in quo gradu debeat eſſe ſoli Deo notus eſſe debet ex quo ſequitur.

Ratio fundamentalis pro iſta propoſitione, quod ſi non eſt neceſſarius dolor in contritione phyſicè, intenſus in gradu ſoli Deo cognito, ſed ſufficeret actus doloris quantulumcumque intenſus phyſicè, vel quicunque actus doloris phyſicè remiſſus ſummus ſolum appretiatiuè ſequeretur hominem poſſe cognoſcere ſemper ſe eſſe in gratia, quando vtcumque dolet de peccato cum tali appretiatione, nam poteſt cognoſcere ſe habere quantulumcumque dolorem de peccato cum ſumma deteſtatione appretiatiuè vt eſt offenſa Dei cum propoſito non peccandi de cetero, & ſatisfaciendi, ergo cũ hæc ſit attritio diſponens de congruo ad gratiam recipiendã, poteſt cognoſcere etiam in aliqua duratione huius actus ſe habere gratiam.

Verum vt ſcrupuloſis conſcientij ſatisfaciamus notandum eſt, quod ſecundum hanc opinionem non eſt neceſſe, vt dolor iſte intenſiuus ſit in parte ſenſitiua, ſicut nec amor, quia de hoc non eſt ſermo apud *Scotum* tanquam neceſſe ad contritionem, ſed ſufficit triſtitia phyſica in parte ſuperiori animæ, benè tamen verum eſt, quod ſi dolor eſſet in appetitu ſenſitiuo eſſet intenſio maior triſtitiæ in parte Superiori, quia ſicut intellectus conformatur parti ſenſitiuæ in nobis, ita & appetitus Superior appetitui ſenſitiuo quantum ad faciliter condelectari, & triſtari, vide *Scotum* locis citatis.

Itaque non deſperet, qui lachrymas exteriores non effundit dum dolet de peccato vt offenſa Dei, quia & anima habet ſuas lachrymas, & ſuos gemitus cum tanquam obiectum vituperabile, & diſconueniens apprehendit offenſam factam Deo ſummo noſtro Benefactore, quem diligere, & amare ſemper debebat, actus enim triſtitiæ circa hoc obiectum apprehenſum, vt triſtabile, & dignum pœna, cupitque omni ſuo conatu punire, vituperare, & fugere dicuntur animæ gemitus, fletus, & lachrymæ, vnde deteſtatur peccatum ſuper omne deteſtabile, illudque odiſſe ſuper omne odibile.

Studeat ergo vnuſquiſque peccator pro viribus, & toto ſuo conatu in parte Superiore cauſare triſtitiam quanto maiori poteſt phyſica intenſione, & ſi non poteſt habere ſummam, vel magnam triſtitiam in actu intenſo phyſico, non propter hoc deſperet de diuina Miſericordia, quæ facienti quod in ſe eſt cum ſuo adiutorio non denegat gratiam, nam maximè dolet, qui dolet quanto maiori poteſt phyſico conatu, etiam ſi in ſe fuerit parua intenſio, Deus enim qui miſericors eſt vniuſcuiuſque conatus triſtandi cognoſcens modo appretiet, & æſtimet offenſam ſuam ſuper omnia, & peccatum odiendum ſuper omnia tanquam offenſiuum Dei eum gradum doloris quantulumcunque intenſione phyſica elicitum cum omni tamen conatu, quod dignetur acceptare pro ſua pietate tanquam diſpoſitionem de congruo ad dandam gratiam, & talem attritionem formatam contritionem reddere piè credendum eſt.

Prior ergo Opinio licèt apud recentiores communior, tamen vix conſulenda mihi videtur, cum nimis facilem viam aperiat ad contritionem habendam, vt facili negotio quis poſſit appretiare peccatum odibile, & illud deteſtari ſuper omne deteſtabile tanquam Dei offenſiuum, vnde contritio, & pœnitentiæ Sacramentum non deberet dici laborioſus Baptiſmus iuxta Concilij Tridentini doctrinam loc. citato, laborare ergo quilibet peccator debet, vt pro viribus doloris, & triſtitiæ actus intenſus de ſuo peccato tanquam offenſa Dei, vt contritionem formatam mereatur de congruo à diuina miſericordia impetrare, ſit habendus.

Nota tamen hic quod ad ſatisfaciendum obligationi de amando Deum, vel de dolendo de peccato ſufficit quilibet phyſicus amor, vel dolor cum appretio ſuper omnia vt dictum eſt .V. A, & .V. charitas, vnde in hoc ibi dictum eſt non eſſe nimis ſcrupulizandum, attamen in reſpectu recipiendæ gratiæ per dilectionis, vel contritionis actum, vt hic loquimur, eſt neceſſaria intenſio phyſici actus ſoli Deo nota cum appretio præfato, vt nemo ſciat an odio an amore dignus ſit, quare non eſt contradictio in dictis hic, & ibi.

Dico ſecundò, quod licèt contritio de peccatis poſſit haberi ex diuino aliquo ſpecialiori auxilio, & impulſu in breuiſſimo tempore iuxta illud in quacunque hora ingemuerit peccator vita viuet, attamen ſi contritio cum adiutorio ſupernaturali communi ex naturali diſcurſu, & conſideratione peccati, vt offenſiuum Dei, vel vt auerſiuum à Deo, & ceteris circumſtantijs moralibus inductiuis doloris, & triſtitiæ ſe offendiſſe Deum oriatur ait *Scotus*, quod Deus determinauit non ſolum in quo gradu phyſico doloris, & triſtitiæ ſiue in genere naturæ ſit diſpoſitio de congruo ad gratiam talis contritio, ſed etiam quantum debeat durare in tali dolore poſtquam eſt verè circumſtantionata in genere moris, quod etiam probatur, quia ſi homo ſciret in quanto durationis tempore dolor iſte continuatus intenſionem phyſicam requiſitam ad diſpoſitionem de congruo pro gratia recipienda cauſaret, poſſet cognoſcere ſe eſſe in gratia, ergo probabile eſt, quod Deo ſoli reſeruetur notitia quanto tempore debeat durare continuatus actus doloris ad hoc, vt habeat intenſionem requiſitam, poſtquam eſt circumſtantionatus perfectè in genere moris, in cuius temporis vltimo inſtanti fiat diſpoſitio de congruo per gratiæ infuſionem euadat formata. Ita ex *Scoto loc. cit.* quicquid recentiores aliqui contra hanc doctrinam obmurmurent.

Vtrum deteſtans appreciatiuè peccatum ſuper omne deteſtabile teneatur ſpecialiter velle potius ſe, vel vitam, vel filios, vel aliud temporale ſibi iucundius amiſiſſe, vel amittere, quam Deum offendiſſe, vel offendere, & an magis dolere debet de grauiori, quam de leuiori peccato.

DIFFIC. X.

Dico primò, quod Contritionis actus, quo appretiatiuè ſuper omnia mala deteſtabilia deteſtatur peccatum tanquam Dei offenſam peccator probabile eſt, quod ſufficit ſi ſit ſuper omne deteſtabile in communi ideſt ſufficit ſi malit quodlibet malum ſubijſſe, quam Deum offendiſſe cum propoſito potius ſubeundi quodlibet malum, quam Deum de cetero offendere abſque eo, quod deſcendat ad comparationem alicuis mali in particulari, vnde non eſt neceſſum, vt magis deteſtetur peccatum, & magis de ipſo doleat, quam de amiſſione filiorum, rei familiaris, vel etiam propriæ vitæ, dignitatem, & ſimilium temporalium bonorum, nam hæc ſpecialiter in ſcriptura non habentur, ſed gemitus, fletus, conuerſionem ad Deum, receſſionem à malo, nulla facta mentione ad alia ſpecialiter. Ita communiter *noſter Rodriquez, Graff. Valentia, Coninch. Reginald. & Zerola* quos citat, & ſequitur *Bonac. loco citato punct. ſeptimo*, probabile enim eſt eſſe ſufficienter contritum, & verè ſuorum peccatorum pœnitentem, qui ita peccata deteſtatur appretiatiuè ſuper omne deteſtabile, vt ſi ſpecialiter interrogatus foret an potius vellet vitam profundere, aut aliud particulare malum pati, quam mortaliter peccando Deum offendere ſtatim, ſine hæſitatione reſpondeat affirmatiuè.

Verum eſt tamen, quod ſatis piè, laudabile, & vtile foret, ſi vnuſquiſque poſt ſua peccata recogitata, & deteſtata tanquam offenſiua Dei, etiam ſe ſe excitet ad faciendos actus virtuoſos propter amorem Dei, ſpecialius comparando particularia mala huiuſmodi, puta amiſſionem vitæ, & liberorum, & ſimilium cum offenſa Dei, & ſic ſtatuat, vt ſecum determinet potius eligere mortem, & alia ſpecialia damna, quam Deum offendere, eo quod potius erat vita perdenda, vel quodlibet temporale gratum, quam Deum mortaliter offendiſſe.

Dico

Dico ſecundò, quod Peccator faciens comparationem actu inter grauius, & minus graue, ſeu leuius mortale debet elicere maiorem dolorem de grauiori, quia maius motiuum dolendi dat grauius, quam minus graue, & hoc tu intellige quoad actum triſtitiæ phyſicum, quoad verò æſtimationem, & appretium non credo, quod poſſit dari maioritas, vel minoritas, cum quodlibet peccatum mortale debeat eodem modo appretiatiuè deteſtari ſuper omne deteſtabile, quod ſi peccator non faciat comparationem actu inter peccatum graue, & minus graue non tenetur nec phyſicè elicere maiorem dolorem de vno, quam de alio, ſed ſufficit vt confuſè de omnibus doleat quatenus offenſa Dei. Ita ex *noſtro Pitigiano diſt.14. q.2. a.9.*

Quod ſi conſiderentur peccata quoad pœnam, quia maior ſatisfactio neceſſario exhibenda de grauiori, quam de leuiori, ita etiam phyſicè eliciendus maior dolor de grauiori. Ita communiter vide *Pitig. noſtrum loc. cit. D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 3. a. 3. Nauar. c. 1. n. 35. & Bonac. loc. cit.*

Denique ſi quis magis doleret de leuiori, quam de grauiori, ſi notabilis foret exceſſus volunt aliqui, quod peccaret mortaliter, quia videretur potius voluiſſe committere grauius, quam leuius, & de duobus malis videretur approbare grauius, dum minus de iſto, & grauius de minori dolet, ita *Coninch. de pœnit. diſp. 1. loc. cit.* & alij.

Attamen dicerem, quod ſi maior dolor procedat ex conſideratione peccati quatenus eſt magis leue, & quatenus aliud magis graue, ſine dubio amplectenda eſt præfata opinio, quod ſi maior dolor de leui procedat, quia fortè vel ſibi magis damnoſum, vel in parte ſenſitiua maior aliquando excitatur dolor de minori peccato tanquam magis ſenſibus peruio, quam de grauiori, quod vtpotè ſpiritualius non ita peruium ſenſitiuo appetitui, atque adeo non ita vehementer mouetur potentia ad dolendum de eo, nullum in hoc caſu eſſet peccatum, quia nulla hic maioris peccati.

Vtrum propoſitum vitandi peccatum de cetero ſufficiat in actu contritionis ſi ſolum foret implicitum. & an in tali propoſito debeat implicari fides ſe amplius non peccaturum.

DIFFIC. XI.

PRopoſitum vitandi peccatum de cetero, quod in contritione requiritur *à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 4.* neceſſario debere eſſe explicitum, & non ſufficere ſi foret implicitum docent *Sot. diſt. 15. q. 1. a. 2. in 4. ſent. Bellarmin. l. 2. de pœnit. c. 6. & 7. Henriq. l. 4. Reginald. l. 5. Suar. de pœnit. ſect. 4. loc. ſupra cit.* & probant, quia verba Concilii non ſunt extendenda vltra rigorem verborum, etenim quando fit ſermo de propoſito de explicito, & actuali intelligunt omnes etiam vulgares, & non de implicito, & virtuali.

E contra vero *Nauar. c. 1. num. 18. Medina cap. de pœnit. tract. 1. queſt. 3. Maior quem citat Bellarm. loc cit. Filiucc. tr. 6. cap. 7. q. 5. Coninch. vbi ſupra*, & alii putant in contritione ſufficiens eſſe propoſitum implicitum, & virtuale, & probant, quia ſi quis mouetur ad deteſtandum peccatum ex vehementi, feruentique actu dilectionis Dei, habet etiam implicitè propoſitum non amplius offendendi Deum, non enim verè amaret, ſi haberet propoſitum Deum offendendi, at vero iuſtificatur, qui ex feruenti actu dilectionis Dei deteſtatur peccatum, quia talis actus non poteſt eſſe ſine charitate, ergo non requiritur ſemper actuale propoſitum vitandi peccatum, ſed ſufficit implicitum, verba enim concilii largè interpretanda ſunt de propoſito quocumque tam virtuali, quam actuali, cum indifferentia ſint ad actuale, & virtuale, præterquam quod eum implicitum, & virtuale propoſitum quod ſufficiens ſit eſt in fauorem contritionis, ergo largè interpretanda in hoc verba Concilii.

Confirmatur hæc ratio, quia intentio requiſita ad confectionem Sacramenti cum ſpecificatur an debeat eſſe actualis, an virtualis, & tamen in fauorem explicatur, quod ſufficit, ſi ſit virtualis, ergo etiam propoſitum vitandi peccatum requiſitum ad veram contritionem à Concilio cum non ſpecificet nec virtuale, nec actuale, interpretandum in fauorem largè iam de actuali, quam de virtuali, maximè cum nō appareat repugnantia, vnde hoc propoſitum non debeat extendi ad implicitum, & virtuale. Hanc ſententiam probabilem admodum puto, & eam etiam cenſeat probabilem *noſter Pitigian. loc. cit. a. 8. q. 3. Suar. de pœn. diſp. 20. ſect. 4. Bellarm. Henriq. & Reginaldus* licet contrariam tueantur putantes non eſſe cenſendam inualidam contritionem ſi bona fide cum implicito ſolum propoſito vitandi peccatum eliciatur.

Verum eſt tamen, quod licet hæc opinio ſit probabilis, & vera, non conſulenda tamen paſſim Idiotis præſertim, quia tutius ſemper eſt ſuadendum in materia immediatè neceſſaria ad ſalutem, tutius ergo ad ſalutis certitudinem, quod contritio eliciatur cum propoſito actuali, & formali vitandi peccata de cetero.

An vero huiuſmodi propoſitum requirat, vt credat peccator ſe non amplius peccaturum, negant communiter Theologi, nam contritio, & Sacramentum pœnitentiæ non dant donum perſeuerantiæ in gratia ex ſe, ergo non poteſt quis credere ſe nunquam peccaturum de cetero, imo actus foret ſuperbiæ ſpiritualis, ſi quis abſque ſpeciali Dei reuelatione crederet ſe nunquam peccaturum de cetero, fragilitas enim humana magna eſt in peccando, quam cognoſcens Dominus præcepit Petro, vt non ſolum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties peccata dimitteret in Sacramento pœnitentiæ, cum ergo nec contritio, nec Sacramentum pœnitentiæ obtineant cum gratia iuſtificante donum perſeuerantiæ, ſequitur, quod non ſit neceſſarium vt in propoſito vitandi peccata de cetero quis credat, ſe nunquam de cetero peccaturum. Ita *noſter Rodriq. p. p. cap. 48. Nauar. cap. 1. num. 13. Suarez. diſp. 4. ſect. 3. num. 13. Zerola de pœnit. cap. 7. queſt. 9. Valentia, Graſſius, Reginaldus, & alij quos citat, & ſequitur Bonacina loc. cit. punct. 8.*

Vtrum Deus poſſit peccatorem abſque præuia ſuorum contritione peccatorum ſaluare, & an id neceſſario per gratia infuſionem.

DIFFIC. XII.

CErtum eſt de potentia Dei ordinaria non poſſe peccatorem glorificari, & ſaluari finaliter abſque præuia pœnitentia, vel contritione ſuorum peccatorum, quia per peccatum ſe ſe auertit peccator à Deo, & ad creaturas ſe conuertit, oportet ergo, quod eadem ſua voluntate qua ſe à Deo auertit, ad Deum conuertatur dolendo, & conterendo ſe de auerſione, & offenſa facta Deo, vnde in ſcripturis ſæpius clamat Deus per Prophetas conuertimini ad me, vt videre eſt *apud Ioel, & Ezechielem, & Actorum 3.* pœnitemini, & conuertimini, & *Lucæ 3.* ſi pœnitentiam non habueritis, ſimul omnes peribitis. Quod ergo controuertūt Theologi eſt, an Deus de ſua potentia abſoluta poſſit iuſtificare, & glorificare peccatorem abſque vlla pœnitentia, et contritione ſuorum peccatorum.

Affirmant *noſtri Scotus diſt. 14. queſt. 1. a. 2. D. Bonauentura quem citat, & ſequitur Pitigian. ibid. & Suar. de pœnitent. diſp. 1. ſect. 2. Valent. T. 4. diſp. 6. queſt. 3. Henriq. l. 4. c. 21. Coninch. de pœnit. diſp. 2. dub. 10. Reginald. l. 5.* et alii communiter, modo Peccator actu non ponat obicem omnipotentiæ diuinæ actu ſcilicet obſtinatè in voluntate offendendi Deum perſiſtente, quia implicat beatitudinem eſſe in voluntate actualiter peccante, ſed ſi peccator actu non complaceat de peccato, et iam ceſſauerit peccare, nec obſtinatè conſiſtat in actuali malitia, et licet de peccatis commiſſis actu non doleat, nec conteratur ex negligentia, non ex malitia, poterit illum Deus de ſua potentia abſoluta iuſtificare, eique peccata commiſſa condonare, et eum finaliter glorificare, quod probat *noſter ſubtiliſſ. Doctor* tali ratione poteſt Deus peccatorem ordinatum ad pœnam æternam propter ſuum peccatum nolle punire, quia peccatum tranſacto actu nihil aliud eſt, quam niſi offenſa, vel ira Dei volentis vindicare, et punire offenſam ſibi factam, vel aliquod ſufficiens ad placādum exigere, quod licet exigat per aliquam pœnitentiam contritionem ſufficientem extra Sacramentum pœnitentiæ, vel per veram attritionem in Sacramento, attamen quia ſupremus eſt Dominus, et à nullo dependet, poteſt, dum ex terminis non repugnat, nolle punire, et vindicare Peccatorem, et poteſt ab eo nullam exigere pœnitentiam, nec dolorem nec

in Sacra-

n Sacramento, nec extra, remittendo liberaliter ex ſua abſoluta miſericordia!, & omnipotentia obligationem, quam habebat peccator ad pœnam æternam, & ita abſque contritione, & dolore ſuorum peccatorum glorificare peccatorem iam iuſtificatum per talem remiſſionem obligationis ad pœnam æternam poteſt.

Nec obſtat, quod dicunt, quia tunc Deus ſaluaret impœnitentem, videtur exterminis repugnare glorificari impænitentem, nam impænitens poſitiuè, vt dictum eſt, ſcilicet actu obſtinatus in peccati complacentia repugnat quidẽ glorificari, at vero impænitens negatiuè, ideſt qui iam ceſſauit peccare, nec poſitiuè complacet de peccato, attamen ex aliqua negligentia adhuc non dolet de peccato, hic dicitur impænitens abſque malitia, & hic non repugnat glorificari, ſi Deus de ſua abſoluta potentia remittat ei obligationem, quam contraxerat peccando, ad pœnam æternam, remiſſa enim hac obligatione, qua Deus non vult eum punire, iam aptus eſt regno Cœlorum, quia amplius non eſt inimicus.

Ceterum iſta remiſſio culpæ, & peccati facta à Deo modo præfato per ſuam potentiam abſolutam, licet *D. Thom. 1. 2. queſt. 112. Caiet. ibi*, & communiter Thomiſtæ velint, quod neceſſario facienda ſit per gratiam habitualem tanquam immediate oppoſitam peccato, eiuſque deſtructiuam tollentem peccati de ordinationem, attamen *noſter Doctor* loco citato *& diſt. 16. queſt. 2. Suar. diſput. 9. ſect. 3. Coninch. loc. citato concl. 1. num. 93.* & alij volunt ſufficere, quod peccatum tolli poſſit per aliquod aliud æquiualens in acceptatione diuina, ſtatim enim atque Deus non vult vindicare, & punire peccatum aufert, & tollit obligationem, quam habet propter offenſam factam Deo, ad pœnam æternam, iſta remiſſio obligationis ad pœnam æternam vtpote æquiualens aliquod ad gratiam iuſtificantem, tollit inimicitiam Dei, & fit amicus Deo per talem remiſſionem obligationis pœnæ æternę, quia per ipſam tollitur de ordinatio peccati facti, & ratio offenſæ diuinæ, nec enim vt volunt aliqui peccatum eſt macula in anima, vt non niſi per gratiam deſtrui nequeat tanquam per contrariam formam, ſed peccatum tranſeunte actu eſt ſolum obligatio ad pœnam æternam, ex eo quia Deus tali pœna vult peccatorem punire propter ſuam offenſam, remiſſa ergo tali obligatione, & nolente amplius eum punire, remiſſa eſt culpa, & peccatum, & fit iuſtificatus potens glorificari.

Vtrum peccator ſtatim atque peccauit teneatur contritionis actum elicere.

DIFFIC. XIII.

NOn defuerunt, qui probabili pietate potius quam ratione voluerunt peccatorem ſtatim poſt peccatum teneri ad contrictionis actum de eo eliciendum iuxta illud *Eccleſ. 5.* (non tardes conuerti ad Dominum, nec tardes de die in diem, ſubito enim venit ira eius) verum hoc ſolum puto optimum conſilium ab Eccleſiaſtico datum, non autem tanquam præceptum, vt paſſim exponunt Doctores, eſſet. n. nimis durũ cõteri ſtatim poſt mortale admiſſum iugum autem Domini Suaue, & leue, nec obſtat, quod morbo corporali ſtatim medicina tribuitur corporalis, nam vita corporalis ſi ſemel amittatur non poteſt amplius per communia remedia reacquiri, vita autem ſpiritualis toties, quoties per contritionem, & Sacrameutum pœnitentiæ; quod ſi dicatur, quod offendens tenetur ſtatim iniuriam, & damnum reſarcire, non probat intentum, nam licet quis teneatur ſtatim à damno inferendo recedere, non tenetur tamen ita ſtatim iniuriam, & damnum reſarcire, ſed data opportunitate, ita etiam licet quis teneatur ſtatim à peccato recedere, non tamen tenetur ſtatim de illo dolere, & contenſi, & iniuriæ Deo factæ immediatè veniam petere, ſed ſolum data opportunitate, & occaſione. Ita ex noſtro *ſubtiliſſ. Doctore* colligitur *in 4. diſt. 17. queſt. 1. a. 2.* vbi loquitur quo tempore quis teneatur confiteri. Ita etiam noſter *Angles de Contrit. in 4. p. parte num. 5. diffic. 4. Angelus item noſter V. Contritio* §. 1. *Vaſquez q. 66. Suar. diſp. 15. ſect. 6. Filiucc. tract. 6. c. 8. queſt. 5. Molfeſ. tract. 7. c. 7. Zerola de penit. c. 6. queſt. 3. Medina tract. 1. queſt. 6. Valent. T. 4. diſput. 7. queſt. 8.* & alij. In praxi tuta eſt etiam iſta opinio, quia timoratæ conſcientiæ viri nec ſolent ſtatim de mortali conteri, nec eſt qui ſe accuſet de hoc peccato, quod ſtatim poſt commiſſum non ſe contriuerit, & verè doluerit.

Certum eſt tamen, quod Conſilium ſatis ſalutare eſt ſtatim de peccato mortali conteri, & dolere, quod autem docere videntur *D. Bonauentura, & Alerſis de Confeſſione*, an etiam teneantur ſaltem Religioſi ſtatim poſt commiſſum peccatum facere vide ſupra V. Confeſſio *diff. 5.*

Contumacia.

Quid, & quotuplex ſit Contumacia, & an à Rebellione differat.

DIFFIC. VNICA.

DIco primò, quod Contumax ſecundum Iuriſtarum praxim quaſi per tumorem inobediens eſt, qui tribus propoſitis edictis, vel vno pro tribus, quod Peremptorum appellant, vocatus præſentiam ſui facere contemnit, quia contumacia inobedientia eſt, qua quis monitionem Iudicis veridicam, vel Canonicam implere contemnit, vt colligitur *ex c. 2. de Dolo, & contumacia cum gloſa V. Contumaciter.*

Quare triplex eſt contumacia vera, præſumptiua, & ficta; *A noſtro autem Vngarello* vera contumacia dicitur ab eo committi, qui comparere debet in iudicio iuridice vocatus, & non comparet, vel qui Iudici canonicè, & iudridicè per ſe, vel per alium Nuntium vocatus contemnit comparere coram ipſo.

Dicitur autem contumaciam præſumptiuè committere, qui vocem Iudicis præcipientis audire contemnit per aliquam tergiuerſationem falſas non comparendi cauſas opponendo, fictè autem dicitur contumaciam facere, qui latitando, & ſe abſcondendo, vel faciendo, vt ad ſe non perueniat citatio, & Iudicis præceptum, obedire recuſat.

Qualis autem monitio canonica, requiratur ad declarandum aliquem verè contumacem. Vide infra V. Monitio Canonica.

Dico ſecundò, quod contumacia à Rebellione admodum differt, Rebelles enim ſunt, vt notat *Bart. in Coſtit. Imper. Henr.* qui arripiunt arma in eum, cuius iuriſdictione ſubditi ſunt, vel qui fidem illi datam non ſeruant, & iuſſis Magiſtratuum repugnant in ſpectantibus ad ſuum officium, contumaces enim ſempliciter ſunt inobedientes iuriſdictionem venerantes, ſed eam ſubterfugientes ſolum, Rebelles autem tollere iuriſdictionem ſatagunt. hinc *Abbas in c. ſanè de off. & pot. Iud. deleg.* ait differentiam inter Rebellem, & Contumacem eſſe, quia Rebellis eſt qui ſuo Domino naturali reſiſtit, & iuriſdictionem impedit, contumax autem, qui non vult comparere ad citationem, ſeu monitionalem Iudicis, & *Iacobus Anellus in Additionibus* docet, quod etiam Rebellis dicitur ille qui Officiali Principis non vult obedire in contemptum ipſius Principis, ſecus ſi non obediat officiali quatenus officialis eſt, contemptus enim Principis circa iuriſdictionem Rebellionem ſapit, non contumaciam.

Rebellium autem pœna maior eſt, quam contumacium Rebelles enim prouocant iuſtè iram Principis, & vindictam conſequentia ineuitabili *ex Baldo in l. 1. C. de Seruo fug.* Rebellis Principi perdit priuilegia, & conſuetudines priuilegiatas, *Bald. tit. de pat. Conſtant. in* §. *non Romanorum.* Immo *addit in Extr. qui ſint Rebelles* quod Rebellis impunè occidi poteſt, & poſtea probari, quod fuerit Rebellis, & hoc in odium Rebellionis, quod *Boſſius tit. de heredit. & tit. de vim leſ. ma.* practicatum fuiſſe docet in Duce Vrbini, qui interfecerat Cardinalem Papienſem, vide *Ruinum conſ. 4. & Ferret. conſ. 31.* Verum hæc opinio in conſcientia non videtur amplectenda, nec conſulenda in foro conſcientiæ, nam pœna ſupponit delicti probationem ex lege naturali, diuina, & poſitiua, ſicut etiam defenſio; quod ſi notoriè conſtaret eſſe rebellum, & nulla tergiuerſatione cælari poſſet, videtur præfata Opinio ſequi poſſe, quia notorietas facti probationi, & defenſſioni etiam æquiualet.

Contumacium autem pæna non ita grauis, ſed ex iure Canonico excommunicantur contumaces ex *c. nullus, c. nemo Epiſcop. 119. 4.*

An vero quando in non parendo contemptus grauis adeſſet oſtendẽdo obſtinatam in ſpernendo voluntatem poſſit abſque trina monitione declarari contumax Clericus, vel Religioſus, vt poſſit canonica ſola præmiſſa monitione peremptoria pro tribus carcerari, vel excommunicari, videtur communiter certum, quia ſicut in fauorabilibus fieri vna poteſt monitio pro tribus, ita etiam poteſt vna inobedientia atrox pertinax, & reſoluta æquiualere pro tribus, & ita fieri, & declarari poteſt contumax in tali caſu.

Contumelia.

Quid ſit Contumelia, quid Conuicium, quomodo inter ſe differunt, & an ſit peccatum mortale, quid ſi per Eutropeliam, vel ex leuitate, & an petenda venia.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod Contumelia à verbo Contumeo ſuã trahit æthimologiam, quaſi ex ſuperbiæ ſpiritu faciat hominem contumere, dicitur autem *à noſtro Alenſi 2.2. qu. 36. tract. de cont. & ex D. Thoma ibid. q. 72.* tunc contumeliæ committi peccatum, quando quis id, quod eſt contra honorem alicuius deducit in notitiam eius. & aliorum per verba, ſiue per ſigna, puta vt notat hic *noſter Vngarell. Schol. A, ex gloſa ſuper illud ad Romanos 1. in fine* ponderante verbum contumelioſos, etiam ſpuendo, vel lutum proijciendo, & ſimilia in contemptum, & dedecus alicuius faciendo.

Dico ſecundò, quod contumelia differt à conuicio, & improperio, nam improperium propriè eſt, quando quis iniurioſè alteri ad memoriam reducit ſibi in neceſſitate præſtitũ bonũ iuxta *Eccl. 25.* (exigua dabit, & multa improperabis) & alibi dicitur de Deo (qui multa dat affluenter, & non improperat) differt autem à conuitio, quia conuitium generalius importat ex probationem defectus pœnæ, & culpæ cum maledictione, vnde conuitium dicitur quaſi ſimul vitium, & pœnam in aliquem maledicens, quod ſi ſcribatur conuicium tunc à collectione vocum, quaſi conuicium dicitur, vel vt feſto placet conuicium à viris vbi plures ſunt dicitur, quia à pluribus ſimul iniuria delata contra aliquem dicitur conuicium, contumelia autem propriè vnius, quaſi tumens locutio ex *Iſidoro*.

Conuicium differt etiam à contumelia, quod conuicium abſenti etiam fieri poteſt, contumelia vero ſolum præſenti dicitur inferri, vnde plures ſimul ad domum alicuius procedentes, & contra ipſum licet abſentem pronunciantes iniurioſa dicuntur conuiciari, ſiuè conuicia proferre *ex l. Item Labeon §. conuicium ff. de Iniurijs*, vbi etiam dicitur, quod vociferatio aduerſus bonos mores ſcilicet ad infamiam, iniuriam, vel inuidiam alicuius dicitur conuicium & hæc ſecundum Iuriſtas.

Inter Theologos tamen conuicium dicitur proferri ab illo, qui ſolum defectus naturales alicuius narrat, & explicat puta vocando cæcum, Claudum, Mendicum, Infirmum, Valetudinarium, Thyſicum, Aethicum, Iguarum, Ignobilem, & ſimilia, ſi autem dicat iniurias in genere moris contra ſcilicet virtutes, puta vocando furem, Adulterum, & ſimilia obiectans dicitur contumelias proferre, non conuicia, benè tamen verum eſt multotiens hæc nomina confundi, & vnum pro alio accipi ſolet. Quare

Dico tertiò. quod contumelia, vt poteſt colligi ex *noſtri Alenſi, & D. Thoma loc. cit.* vel eſt ſolum materialiter iniurioſa ſcilicet quatenus ſunt verba iniurioſa, ſed ſine intentione dehonorandi, nec triſtandi proximum probata, & ſic aliquando poteſt ſine peccato mortali contumelia, & conuicium proferri puta ſi efferatur ex leui ira, vel animi leuitate abſque animo dehonorandi, vel etiam ſi ea correctione pronuncietur, nam ſicut ad correctionem poteſt quis verberare cauſa diſciplinæ, ita & contumelias proferre, vt patet in Chriſto aliquando diſcipulos vocante ſtultos, ignorantes, & in Paulo Galatas inſenſatos proclamante. Aduerte tamen cum *D. Auguſtinum libro de Sermone Domini in Monte*, quod contumeliæ, & abiurgationes conuicioſæ rarò, & tunc ex magna neceſſitate ſunt adhibendæ, facilè enim poſſunt ex eis proximi offendi, & eſſe conſequenter ipſis cauſa peccandi.

Porrò ſi verba contumelioſa non ſolum proferuntur materialiter, ſed et proferantur formaliter ideſt cum animo formaliter inhonorandi, et iniuriandi, eſſet peccatum mortale in iſto caſu contumelia, niſi paruitas materię excuſaret, quia vt notat *noſt. Vngarell. Schol. D.* homo non minus diligit honorem, quam alias res temporales, ſed intendens auferre res temporales peccat formaliter, niſi paruitas materiæ excuſet, quia intendit damnum proximi, ita etiam intendens auferre honorem; Vnde *Matth. 5.* dicitur qui autem fatue dixerit, Reus erit gehennæ, quæ non debetur niſi pro mortali, quod tamen intelligendum putat *Vngarellus* de intendente dehonorationem per dictum verbum, fatue, Ex quibus

Collige, quod Mulierculæ etiamſi ſint graues fœminæ contumelioſa verba ſibi inuicem obiectantes, regulariter nõ inducunt dehonorationem, quia ex leuitate fœminea irrogatæ cenſentur, vnde nec paſſim tales contumeliæ ſunt mortales, niſi proferantur ex animo deliberato propriè inhonorandi, quia tunc ratione peruerſi animi notabiliter intendentis dehonorare, eſſet peccatum, licet nulla ſequeretur de facto dehonoratio.

Dico quartò, quod contumelioſa verba proferens per Eutropeliam ſeu Vrbanitatem ſanè in vrbanam, ſiuè per iocum regulariter ſeruatis circumſtantiis modi, perſonæ, et circumſtantium non eſt peccatum mortale, tum quia non adeſt praua intentio, et ſeruatis circumſtantiis debitis non præſupponitur dehonoratio, nec triſtitia in accipiente contumeliam talem.

Quare ſi grauiter etiam per Eutropeliam, Vrbanitatem, ſeu iocum proferens contumeliam læderet honorem, et grauiter quis inhonoraretur, licet proferens non intenderet lædere, et inhonorare eſſet peccatum mortale, quia non ſeruaretur modus, dicta enim per vrbanitatem, ſeu iocum contumelia non debet eſſe talis, vt dedecus, et inhonorationem grauem inducat, ſicut qui ex ioco percutiens mutilaret, peccare dicendus eſt, quia modum exceſſit in percutiendo licet non habuiſſet animum damnificandi.

Item contra *Prælatum*, Superiorem, vel perſonam grauem contumelias etiam per Eutropeliam, vel iocum effutire non decet, et ſi leuitas non excuſat, regulariter mortale, quia non ſeruatur circumſtantia perſonæ, paſſim enim contumeliæ in Prælatum etiam ex Vrbanitate generant contemptum dignitatis, et in perſonis grauibus ſaltem contriſtationem, etiamſi leues contumeliæ aliquando in eas proferantur.

Conſimiliter ſi coram perſonis grauibus, vel publicè contumeliæ proferantur per Eutropeliam, et iocum poſſet eſſe mortale, quia non ſeruatur circumſtantia præſentium ſolent enim contumeliæ prolatæ contra aliquem coram grauibus perſonis, vel publicè cauſare contriſtationem grauem in accipiente, Vnde

Collige, quod quandocumque contumeliæ etiam leues quocumque modo proferantur etiam per iocum, vel Eutropeliam ſi cauſant in accipiente grauem contriſtationem, vel indignationem ſunt mortaliter peccaminoſæ. Ita *noſter Angelus V. Contumelia §. 1.*

Dico quintò, quod contumeliam grauem proferens in aliam, ex qua ſecuta eſt dehonoratio debet petere veniam à contumeliato ſaltem per ſigna æquipollentia honoris reſtituendi per ſe, vel per interpoſitam perſonam, debet enim iniuria ſatisfieri ex iuſtitia omni meliori modo. Limita tamen niſi deprendatur contumeliatus remiſiſſe ei iniuriam, puta quia adhuc familiaritatem non reliquit iuxta ſolitum cum eo conuerſatur, ridet iocatur, ſecus ſi contumeliatus ſe ſe à familiaritate diuerterit, ſignum enim eſt non remiſiſſe, petenda ergo aliquo modo venia.

Verum eſt tamen, quod ſi contumelians ſit Prælatus, vel Superior, et per correctionem contumeliauerit, non tenetur petere à ſubdito veniam, etiamſi exceſſerit modum per correctionem contumeliando ex *D. Aug. in Regula apud Angelum noſtrum*, quod ſi contumeliauerit ſuum ſubditum ex vindicta, et odio, et cum propoſito dehonorandi, debet ſanè ſatisfactionem de iniuria præſtare, quia vt homo tunc peccauit, non vt verus Prælatus, et Superior.

Verum

Vtrum Contumelias ſuſtinere teneatur fidelis, & in quibus caſibus, & quando teneatur eas repellere.

DIFFIC. II.

DIco primò quod ſubſtinere tenetur fidelis contumelias quantum ad animi præparationem ideſt tenetur fidelis animum præparatum habere ad contumelias pro Chriſtu, vel pro maiori malo vitando, vel quia contumelians eſt incorrigibilis, vel ob patientiæ exercitium. Ita ex noſtro *Alenſi, & D. Thoma loc. ſup. cit. a. 4.* hinc vt notat *noſter Vngarell. V. Contumelia ſchol. G.* aduertit *Eccleſ. cap. 26.* (ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris) Item debemus ſuſtinere contumelias, quando, contumeliantes ſunt incorrigibiles exemplo Domini noſtri Saluatoris, qui nec Phariſæis, & Pilato aliquando, nec Herodi vnquam reſpondit, & ſuſtinuit eorum contumelias, & iriſiones quia ſi reprehendiſſet, nihil profeciſſet, denique ob exercitium patientiæ aliquando fideles debent ſuſtinere iniurias, & contumelias exemplo Dauid dicentis in Pſalmo, qui requirebant mihi mala locuti ſunt dunitates ſcilicet falſitates, ego autem tanquam Surdus, &c.

Dico ſecundò, quod contumelias aliquando non tenemur ſuſtinere, ſed eas ſano modo refellere, & primò quando eſt in bonum contumeliantis, vnde dicitur prouerb. 6. (Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam) ſcilicet ad reprimendam audaciam, ſtulti, & ita fecit Chriſtus Malco contumelianti, & maxillam percutienti mitius reſpondens, Cur me cædis, ſi male locutus ſum teſtimonium perhibe de malo, nam vt optimè notat noſter *Vngarell. ſchol. H.* ſicut tacere, & non reſpondere, vt quis magis concitetur ad iram peccatum eſt, ita non tacere ad audaciam reprimendam virtuoſum eſt.

Nota tamen ex noſtri Alenſi vbi ſupra, quod hoc debet fieri, quando contumelians iam ſedatus eſt animo, niſi vtilitas communis aliud ſuadeat; puta ſi contumeliæ ſint in publicum dedecus Superiorum, vel fidei Chriſtianæ, quia tunc ſtatim reprimendæ. hinc

Secundò non tenemur ſuſtinere contumelias, quando ſc. ex ſufferentia impediretur aliorum profectus, vt habetur à *D. Gregorio in homilia 9. ſuper Ezech.* docente (Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant, &c.

Chorea.

Quid ſit Chorea, an, quomodo, & quo tempore, & loco ſine peccato licite exerceri valeat.

DIFFIC. I.

CHorea iuxta ſui nominis æthimologiam, vel à choro qui multitudinem ſimul vnitam dicit, ex eo, quod chorea à multis ſimul vnitis duci ſoleat, vel à verbo Greco Χορεύειν, quod ſalso noſtro ſonat idiomate parum ad præſens pertinet inſtitutum, certum eſt, quod Chorea dicitur concinna, & modulata ſaltatio iuxta proportionatum concentum muſici alicuius inſtrumenti. quare

Dico primò, ex noſtro *Alenſi 2. 2. tit. de ludo q. 37. a. 3.* ſi ex iocunditate ſpirituali omnis laſciuiæ, & vanitatis periculo præciſo fiat, non ſolum licita, ſed & meritoria eſt, vnde ante arcam Domini ex iocunditate ſpirituali ad honorem Domini ſaltaſſe, & choreas duxiſſe Dauid refertur à Scriptura tanquam aliquod opus bonum; ſi vero fiat ex mentis diſſolutione, & laſciuiæ, vel vanæ gloriæ, vel alterius finis mali cauſa peccatum erit mortale, vel veniale, ſecundum quod motiuum mortale, vel veniale eſt, ſi vero fiat cauſa recreationis, vel corporalis exercitationis, vel honeſtæ conſuetudinis ſeruatis debitis circumſtantijs loci, temporis, modi, & perſonarum præciſo periculo inhoneſtatis, aut alterius inconuenientis, non eſt peccatum, licita erit omnino chorea, etenim nec in omni loco, nec in omni tempore, nec omni modo, nec cum omni perſona licita eſt chorea. Vide *Bonacina de matrim. queſt. 4. parte. 4. Lupez 2. parte cap. 31. num. 2. concl. 3.*

Dico ſecundò, choreæ in quib. honeſtas periclitatur, vel ratione tactus partis inhoneſtæ, vel ratione actuũm inhoneſtorũ, vel nuditatis in partibus verendis, vel geſticulationum, & turpium motuum, qui ad inhoneſtatem alliciunt, vel cantus inhoneſti, ornamentorum laſciuorum, & huiuſmodi ex quibus paſſim titilationes ad Venerem pullulant, non ſolum à Theologis, & Canoniſtis illicitæ prædicantur, ſed etiam ab ipſo iure ciuili, vide *Inſtit. de iuſt. & iure §. iure præcepta, & in Prohæmio ff. vet. § Illud vero*, ſic legitur (quis illos ludos appellet, ex quibus crimina oriuntur. Vide *Angel. noſt. V. Chorea, & Alenſ. loc. citato, Ricardus in 3. diſtinct. 37. a. 2. queſt. 4.*

Dico tertio, quod Choreas agere tempore deputato orationi communi puta in diebus feſtis dum Veſperæ, vel Miſſæ cantantur, vel dum prædicationes habentur, illicitum eſt, ſi cauſæ ſint, vt fideles ad orationes, & prædicationes non conueniant, vnde choreas ducentes tali tempore ſi ſint impedimenta, ne ad ſpiritualia conueniatur, vel ne peragantur, peccant mortaliter, quod probatur ex *c. qui die de Conſecr. diſt. 1.* vbi habetur (qui die ſolemni prætermiſſo Eccleſiæ conuentu ad ſpectacula vadit, Excommunicetur) excommunicatio autem non fertur niſi ob mortale.

Verum an ſit intelligendum peccare mortaliter prætermittentem quodcumque diuinum officium, vt ad Choreas vadat, vel eas exerceat in die feſto, an ſolum prætermittentem Miſſæ auditionem, noſter *Angelus* cum *Ricardo* affirmat idem videtur docere *Bonac.* quod propter omiſſionem cuiuſcunque officij ſolemnis in die feſto, vt ſunt Veſperæ ſolemnes præcipuè, factam propter Choreas eſſe mortalem, quod probatur ex eo, quod certum videtur quia dicitur in illo capite, prætermiſſo Eccleſiæ Conuentu, in Eccleſia autem fit præcipuè conuentus fidelium in Miſſis, & in Veſperis, & quando prædicatur, ergo propter Choreas omittens ire ad aliquod iſtorum, peccat mortaliter.

Attamen hoc ſolum verum puto, quando Choreæ data opera, & à propoſito inſtituuntur, vel ſectantur, vt remoueantur fideles in die feſto ab exercitijs ſpiritualibus, quia adeſſet contemptus rerum ſpiritualium, & damnum ſpirituale fidelium immediatè intentum, quod ſi ſolum per accidens ſequeretur non intenta retardatio à diuinis officijs & exercitijs ſpiritualibus in die feſto, non auderem de peccato mortali arguere chorizantes,

Eſſet tamen optimum conſilium, & non ſolum Epiſcopi, & Ordinarij, ſed etiam temporales Domini choreas in diebus feſtis tempore diuinorum officiorum, & prædicationis omnino ſub graui pęna illi ſpirituali, iſti etiam corporali prohiberent iuxta legem Sancitam à Piiſſimo Imperatore *C. de Fer. l. fin. ſub his verbis* (dies feſtos altiſſimiæ Maieſtati dicatos nullis volumus voluptatibus occupari) & infra (nec huius tam Religioſæ diei otia relaxantes obſcęnis patimur quem quam detineri, nihil eodem die ſibi vendicet ſcæna Theatralis, aut Circenſe certamen, aut ferarum lacrymoſa ſpectacula etiamſi in noſtrum ortum, aut Natalem celebranda ſolemnitas inciderit, differatur) Quid mirum ſi tantæ pietati Deus proſpera concedebat, nec mirum ſi hiſce temporibus deplorandis tot flagella in dies multiplicantur, quando die feſti ſolum locis, Choreis, & ſcænis opera publice datur prætermiſſis Veſperorum ſolemnijs prædicatione alijſque exercitijs ſpiritualibus.

Ceterum in diebus feſtis choreas honeſtas ducere abſque eo, quod prætermittant officia diuina, prædicationes, & aliæ deuotiones recreationis cauſa tempore aliquo opportuno non prohibentem ſub mortali. Ita etiam *Bonac.*

Dico quartò, quod choreæ ſi fiant in loco ſacro, & Religioſo peccatum mortale putant noſter Angelus, & communius DD. *arg. ex c. decet de Immun. Eccleſ. in 6.* quod tamen limitandum puto in locis religioſis non ſacris in quibus diuina non celebrantur, quia non fit immediate irreuerentia Deo, ſed ſolum perſonis Religioſis, vnde non arguerem de mortali honeſtas choreas in domibus Religioſis, & pijs præciſo omni ſcandalo ex ſola recreatione ducere.

Dico quintò, quod Mulieres præcipuè choreas ex conſuetudine agentes tanquam ſignum corrupti animi, & paſſim aliorum ruinæ cauſæ mortaliter peccant in ſententia antiquorum maximè *Roderici* quem citat, & ſequitur *Angelus noſt. & noſt. Alenſis in 4. p. q. 44.* docet quod huiuſmodi choreatrices

Digitized by Google

trices conſuetudinariæ nullo modo ad communionem admittendas ſi nolint deſiſtere ab huiuſmodi exercitio, quia vt plurimum ſe ingerũt ſuis geſticulationibus,& obſcænis motibus ad prouocandos alios ad Venerem, & paſſim alliciunt alios ad conſimilia exercenda.

Vtrum Clericus choreas ducens peccet mortaliter, quid ſi ſolum priuatim in ſua domo cum ſuis conſanguineis recreationis cauſa incurrat excommunicationem poſitam à ſuo ordinario contra Choreas ducentes.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod Clericus ducens publicè choreas in publico loci Theatro, ſcæna Platea, aula ad hoc expoſita publicè peccat mortaliter, quia prohibetur expreſsè Clericus choreas ducere in publico loco *diſt.46.cap. Clericum de conſecr.diſt.5.c.Nullus Presbyter, & c. non oportet 2. & d.34.Presbit. & Diacones.*

Verum eſt tamen, quod ſi cum conſanguinea, vel affine per modicum tempus chorizaret occaſione Nuptiarum, aut alicuius ſolemnitatis ſolum per ſignum publicæ lætitiæ præciſo omni periculo obſcænitatis non auderem nec de veniali arguere, ita etiam *noſter Angelus V.Chorea*, qui etiam optimè docet Clericum in priuata domo recreationis, vel exercitationis honeſtæ cauſa chorizantem etiam cum fœminis honeſtis præciſa omni occaſione carnalis illecebræ & laſciuiæ non peccare mortaliter, & ratio eſt, quia chorea ex ſe non eſt illicita materialiter, cum poſſit eſſe meritoria, vt dictum eſt cum *noſtro Alenſi*, eſt ergo ſolum illicita ex circumſtantijs accedentibus eam de peccato ſuſpectam, prohibetur ergo Clericis chorizatio à Sacris Canonibus non tanquam ex ſe illicita, ſed tanquam ſcandaloſa puſillis, & Idiotis, qui publicè videntes Clericos ſaltantes cum fœminis murmurant, & malè de Clericis ſolent iudicare, quando ergo priuata in domo apud ſuos conſanguineos, & familiares honeſtè chorizant ceſſat ſcandalum, non ergo peccant.

Dico ſecundò, quod Choreas huiuſmodi in priuatis domibus cum ſuis conſanguineis, affinibus, & familiaribus honeſtis choreas ducentes Clericos recreationis, vel exercitationis cauſa non incidere in excommunicationem abſolutè poſitam in ſynodo, vel edicto contra Clericos chorizantes, quia excommunicatio ſupponit actum peccaminoſum mortaliter, vt patuit V.Cenſura, & infra V.Excommunicatio, cũ autem non peccent Clerici mortaliter, vt dictum eſt chorizantes in proprijs domibus priuatis cum ſuis conſanguineis, affinibus, & familiaribus honeſtis recreationis, vel honeſtæ exercitationis cauſa, ergo nec excommunicationem incurrunt, ſub excommunicatione ergo abſolutè lata ſolum prohibentur choreæ illicitè, & peccaminoſæ.

Ceterum ſi ſub excommunicatione latius prohibentur Choreæ clericis ad abuſus, & ſcandala extirpanda, etiam honeſtæ in priuatis domibus prohibentur, ne detur occaſio ſcandalizandi puſillos.

Vtrum inſpectum Chorearum, & ſimilium ſpectaculorum ad prohanitatem accedentium prohibenda ſit ſub mortali etiam ad ea inuitatis ex quadam Vrbanitate, vel curioſitate præciſo euidenti periculo mortali accedentibus.

DIFFIC. III.

DIco primò, quod pro certo docuerunt antiquiores inſpectionem Chorearum, Comædiarum, ceterorumque ſpectaculorum ad quæ interueniunt inhoneſtæ mulieres & præcipuè hyſtrionicæ ioculatrices eſſe ſub mortali prohibendam, & mortaliter peccare ad huiuſmodi ſpectacula accedentes ſtudioſè, & à propoſito ſecus ſi incidenter, quia vt plurimum ex tali inſpectione motus carnales ſuſcitantur, ſaltem periculo probabili ſe ſe exponunt ſpectatores carnales titillationes ſentiendi, & delectationi inhoneſtæ aſſentiendi. Ita *noſtri Alenſis, & Angel. loc.cit. hinc Hyeronimus in quadam homilia apud noſtrum Angelum* de huiuſmodi ſpectatoribus ait (non credo viro, ſi dicat ſe illæſum euaſiſſe de talibus ſpectaculis) an vero inuitati ex quadam Vrbanitate accedentes peccent præciſo periculo controuertunt Doctores, ideo.

Dico ſecundò, quod licet aliqui nimis rigidè doceant ſemper mortaliter peccare ad huiuſmodi ſpectacula accedentes etiam inuitati, etiamſi ex ſola vrbanitate, ne Hypocritæ videantur, vel ex ſola curioſitate accedant, nam licet euidens periculum peccandi non habeant, attamen probabili periculo ſe ſe committere non euadunt, qui autem amat periculum peribit in illo, attamen alii mitius diſtinguunt, quod ſi ſpectacula ex ſua inſtitutione principali ad concitandam Venerem ſint inſtituta per mulierum in honeſtarum obſcænas ſaltationes, vel geſticulationes, ſanè cum immediatè in honeſtatem protendant, nullo modo nec etiam vrbanitatis cauſa debent accedere, quia vt ait *D.Hyeronimus*, non credo viro, ſi dicat ſe illæſum euaſiſſe de talibus ſpectaculis: at vero ſi Choreæ, Comædiæ, & ſpectacula ſolum ad honeſtam animi recreationem, & aduenerem per ſe nullo modo inſtituta, licet Mulieres ibi adſint repræſentantes, modis, & verbis honeſtis, et per accidens aliquando adſit aliqua obſcænitas, ſolum venialiter peccare dicendum eſt ad talia accedentes, quia non ſubitur in huiuſmodi per ſe nec probabile periculum peccandi ſi ſola Vrbanitatis cauſa, vel etiam curioſitatis fiat acceſſus præciſo omni malo, & inhoneſto fine. Ita videntur docere *noſter Rodriq. in ſumm. Tomo 3. cap.51. num.1. Barboſa de iure Eccleſ. lege 3. cap.40. num. 9. Bonacina de Matrimon. quæſt.4. parte 5. Mendoza quæſt.9. poſitiua numero 11. Sanchez de Matrimon. lib.9. diſput.47. & Diana parte 2.tract. 17. reſolut.35.* quod etiam puto verum de Clericis, & Eccleſiaſticis præciſo ſcandalo, & particulari prohibitione; licet frequenter talibus intereſſe Clericis non ſit congruum.

Attamen Clericos, & Eccleſiaſticos venerandæ auctoritatis non excuſarem à peccato mortali talibus intereſſentes publicè, quia ſuo exemplo viderentur approbare talia ſpectacula, & actiones conſimiles, in quibus ſaltem præſentes peccant venialiter, veniale autem peccatum intrinſecè malum eſt.

Dico tertiò, quod Choreas ducere, vel inſpicere ſicut, & alia ſpectacula prophana incipiens cũ bona intentione, ſi in progreſſu experiatur ſe periculo mortalis ex tali inſpectione committere regulariter debet à talibus in poſterum abſtinere ſub mortali, aliter mortaliter peccat ex illo *Eccleſiaſt.* (qui amat periculum peribit in illo.) Ita *noſt. Ang. loc.cit. Rodriq. 1.parte cap.49. n.4. Caiet. V. Periculum, Lopez in Inſtruct. 1.parte c.25.* & alii.

Dixi regulariter, quia *Nauarr.* probabiliter putat *capit. 3. numero 26. & cap.4. num.28.* quod ſi ſemel ſolum expertus eſt tale periculum, non tenetur abſtinere ſub mortali, quia ex fragilitate potuit accidere, & non præcipuè ex tali inſpectione; quod ſi ſæpè ſæpius id ſibi accidat ex præſentia ad talia ſpectacula, tenetur ſub mortali abſtinere, quia ſignum eſt talem inſpectionem, & præſentiam eſſe cauſam talis periculi.

Dico quartò, quod Chorearum, & Comædiarum, & ceterorum ſpectaculorum ad prophanitatem ſpectantiam inſpectores ſoluentes mercedem ſaltatricibus, & Hiſtrionibus inhoneſtis peccare mortaliter affirmant *Hyeronim. Florentinus in ſua Comædiocriſi concl.7. & Mendoza vol.2. de ſpe, & charit. diſp.173. ſect.28.* quia alunt conſimiles perſonas turpia exercentes.

Dulcius tamen locuntur *Baldell. diſput. Theolog. T.1. l.3. diſp.18.* volentes ſolum primos, qui conſtituunt ad mercedem ſoluendam vſquequo ad taxatam ab ipſis Hiſtrionibus mercedem perueniatur, peccare mortaliter, alios vero non peccare, quia primi ſunt cauſa efficax, vt illi repræſentent, quia ſi non fuerint mercedes ſufficientes iuxta eorum præſcriptum non repræſentant, itaque poſt ſufficientem mercedem acceptam qui mercedes tribuunt non ſunt amplius cauſa efficax talis repræſentationis, & ideo non peccare iſtos volunt præfati Doctores, ſed an probabiliter non video rationem vincentem, nam non poſſunt inſpectores huiuſmodi

dioo-

Digitized by Google

di cognoſcere in quot perſonis ſit iſtud ſufficiens ſalarium ſolurum, itaque licet primi vſque ad eorum præſcriptum fuerine cauſæ efficaces repræſentationis magis actu proximæ omnes tamen alij ſunt cauſæ proximę collectiuè ſumpti, & præſumptiuè omnes dicuntur cauſæ repræſentationes quot quot ſoluunt, ſecus pleraque pars eſſet perplexa an peccauerit, ſi ſolum primi, qui ignorantur omnes ad præſcriptum ab Hiſtrionibus, peccarent ſoluendo, &c.

Dico quintò, quod an admittenda ſit opinio eorum, qui volunt aſtantes, & aſſiſtentes Comædijs, & Chorreis notabiliter turpibus, & prouocantibus ad Venerem dictis, vel factis per geſtus, & nutus turpiter expreſſis ob ſolam animi recreationem, & Eutropeliam, vel curioſitatem abſque tamen periculo probabili propriæ ſpiritualis ruinæ, abſque praua intentione, & malo fine non peccare mortaliter, quam ſententiam tenent *Caietanus in ſumm. V. ſpectaculum, & in 22. quaeſt. 167. a. 2. diſp. 46. n. 38. & 41. Bonac. de matr. q. 4. p. 9. n. 21. Diana p. 2. tract. 17. reſol. 33. Salas in pr. T. 2. tract. 13. diſput. 6 ſect. 24. n. 165. Mendoza q. 9 ſcholaſt. §. 10. & 11. Paulus Squill. de obligat. Cleric p. 2. n. 45. Reginald. l. 22. n. 5. Marcus Vidal in arca Vitali de Charit. pre. inquiſ. 3. n. 33. & alij*, exeo, quod non eſt quid malum ex ſui natura, ſed quid in differens, ergo præciſis periculo ruinæ ſpiritualis, malo fine, praua intentione, & ſcandalo graui non eſt peccatum mortale, licet probabile exiſtimem, attamen nullo modo conſulendam puto iſtam opinionem, quia qui ſe exponit periculo, peribit in illo, & corrumpunt bonos mores colloquia praua, quid ni magis laſciuorum aſpectus? cohibendæ potius habenæ in hac materia, quam laxandæ.

Difficilimum enim videtur, & fortè impoſſibile homines vanis operam dantes, quorum ſenſitiui appetitus procliuiores ſunt ad delectationem excitandam auditis, & viſis turpibus & obſcænis ad Venerem incitantibus non delectentur de obſcænis in ordine ad aliquam Venereram concupiſcentiam, impoſſibile eſt enim quin viſis tangamur, & licet ſit ſolum delectatio in parte ſenſitiua, quæ fortè non foret mortalis, attamen ſi diu duret in illa parte ſenſitiua delectatio huiuſmodi facilè ad appetitum rationalem deprauandam tranſit, itaque tanquam res admodum periculoſa nullo modo conſulenda ante factum, poſt factum vero, ſi vere nulla adfuerit delectatio moroſa carnalis, nec ſcandalum poteſt talis inſpectio admitti tanquam non mortalis.

Correctio.

Quid ſit Correctio, quomodo, & de quo peccato facienda, & an modum excedens teneatur petere veniam, quid ſi eam faciat in mortali, peccet.

D I. F F I C. I.

Dico primò, quod Correctio à verbo, Corrigo, ſuam trahit æthimologiam, quod eſt quaſi cor regere, hinc correctio eſt quaſi cordis rectio, ſeu regimen, & ſic explicata correctio ad Prælatos, & Superiores habentes iuriſdictionem, vel quaſi iuriſdictionem propriè pertinet, ad ipſos .n. regere, & regimen ſpectat, verum nota hic non eſſe ſermonē de correctione iudiciali, quia hæc ad Iudicium, & Iuſtitiam commutatiuam attinet, ſed de correctione charitatiua ordinata ad bonum priuatum delinquentis immediatè, & mediatè ad publicum, itaque de extraiudiciali correctione, qua vtuntur aliquando Superiores abſque ſtrepitu iudicij ſolum charitatiuè in hac difficultate quærimus, de iudiciali enim ſuo loco, quare

Correctio extraiudicialis eſt charitatiua admonitio delictorum paternaliter facta delinquenti ſubdito ad ipſius emendationem immediatè directa; debet autem eſſe benignitate, & ſeueritate commixta, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur, vt habetur *in cap. diſciplina diſt. 45.* imo potius ad benignitatem, quam ad ſeueritatem declinare debet Superioris correctio ex *c. penderet diſt. 50. & c. alligant 26. quaeſt. vlt.* nam vt notatur *diſt. 45. c. cum beatus* leniter caſtigatus reuerentiam exhibet caſtiganti, aſperitatis autem nimiæ increpatio nec correctionem recipit, nec ſalutem. Ita *noſt. Angelus V. Correctio, & Vngar. Schol. B.* Quare

Dico ſecundò, quod correctionem faciens Prælatus non debet modum excedere, quod ſi excedat, & exceſſus ſit ex odio, & animo iniuriandi deliberato peccat mortaliter, & tenetur petere veniam iuxta probabilem opinionem, quia tenetur iniuriatum *ex l. quemadmodum §. magiſtratus ff. ad l. Aquil. & notat gloſa in c. quando neceſſitas diſt. 86. & ex l. nec magiſtratibus ff. de Iniurijs*, ſecus ſi modus excederetur ex zelo indiſcreto abſque animo malignandi, quia tunc Prælatus non tenetur petere veniam, vt habetur in dict. l. quando neceſſitas. Ita *Angelus noſter loco citato* parcitur autem Prælatis, & Superioribus in hoc caſu, vt notat *noſter Vngarell. 16. ſchol. D.* quia in cura rei familiaris vix poteſt euitari indignationis peccatum ex 25. *diſt. qualis*. Aduertat autem, quod ſecretum peccatum ſecretè corrigat, aliter ſi publicè proditor eſſet famæ ſui ſubditi, & mortaliter peccaret in re graui. Ita communiter.

Dico tertiò, quod correctionem tenetur facere Superior de peccato publico ſub mortali, quando iudicat eam expedire communitati, vel delinquenti, vel vtrique *ex 83. diſt. per totum, & 2. q. 7. quæ nec Regiminis*, & ratio eſt, quia tenetur media neceſſaria adhibere ad emendationem, & vtilitatem ſui gregis *ex c. ipſa Pietas 2. quaeſt. 4.* Taciturnitas enim in Prælato mala *ex gloſa diſt. 25. §. alias eadenum*, Prælati n. tenentur ad Deum tanquam vltimum finem dirigere ſuos ſubditos, ergo tenentur media neceſſaria accipere ad talem finem eis præſtandum, medium autem potiſſimum eorum peccata corrigere, & nulla ratione tacere. Ita *noſtri Angelus, Vngarell loc. cit. D. Thom. 2. 2. quaeſt. 33. Valentia T. 3. diſput. 3. quaeſt. 10. Bonacina in decal. diſp. 3. quaeſt. 4. punct. 7. Layman tract. 3. cap. 2.* vnde ſi finis iſte non ſperatur, ſine peccato omittitur iuxta illud ſinite, eos, quia cæci ſunt, & cæcorum Duces, quia vt habetur *in cap. prodeſt 23. q. 5.* ſiue plectendo, ſiue ignoſcendo hoc ſolum agitur, vt vita hominum corrigatur, & ſecundum hunc finem debet Prælatus eam exercere, vel omittere, quod ſi non expediat delinquenti, expediat tamen communitati non debet eam dimittere Superior, vt notat *noſter Vngarell. Sch. E, ex D. Thoma 2. 2. q. 33.* propter ſolam turbationem delinquentis, quia ſi ſponte nolit per correctionem emendari, corrigatur per pœnas, & ſi incorrigibilis ſit, conſulatur communitati ſecundum iuſtitiæ ordinem.

Verum eſt tamen, quod ſi delinquentium multitudo ſit tanta, quod non poſſit corrigi ſine magna perturbatione, vel ſi corrigendo aliquem omnino fieret peior, poteſt correctio prætermitti, quia ſaltem hoſce permittere prodeſt Eccleſiæ, ne boni ocio torpeſcant, impius enim aut ideo viuit, vt corrigatur, aut vt per eum iuſtus exerceatur, ex *D. Auguſtino. Ita noſt. Vngar. Schol. F*,

Adde, quod ſi multitudo peccauit, tota corrigi, & puniri debet, ſi ita expedire nouerit, ſicut patet in Sodomitis, & Aegiptiis ſubmerſis in mari rubro, vel ſecundum magnam partem, vt in pœna eorum qui adorauerunt vitulum aureum *Exod. 32.* quando vero ſperatur multorum correctio debet ſeueritas correctionis, vel punitionis exerceri in principaliores, vt ceteri terreantur, ſicut Dominus *n. 25.* mandauit ſuſpendi Principes populi pro peccato multitudinis, ſi autem non tota multitudo peccauit, ſed pro parte tantum, ſi poſſunt mali ſecerni à bonis, debet in eos correctio exerceri modo ſine ſcandalo aliorum exerceri valeat, alioquin parcendam multitudini, & detrahendum ſeueritati, & hoc modo debet procedere non ſolum Eccleſiaſticus, ſed ſæcularis Princeps. Ita *noſt. Vngar. Schol. F. ex D. Thoma 2. 2. q. 108.*

Dico quartò, quod licet multi Doctores Prælatum notoriè peccatorem velint peccare, ſi ſubditum corrigat, quia ex peccato ſuo indignus redditur, vt aliquem corrigat, præcipue ſi maius peccatum commiſit, 2. ratione ſcandali, quando enim peccatum eſt manifeſtum videtur Superior ad oſtentationē corrigere, non ex charitate, Tertiò, quia peccata propria videtur paruipendere, & ſuperbum ſe oſtendere, dum videtur ſeipſum publicum peccatorem proximo ſuo per correctionem

Digitized by Google

ctionem preferre, vnde ſuperior notoriè peccatos vel publicè corrigat prædicando, vel particulariter moncodo videtur ſcandalizare auctoritatem, & prædicationem. Ita *noſter Franciſc. de Mayr. in 2.* quem citat, & ſequitur *Ang. V. Correctio, & D. Th. 2. 2. q. 33. & probat noſt. Vngar. Sch. H, ex illo Luca 6.* de eo qui geſtat trabem in oculo, & vult eijcere feſtucam de oculo fratris ſui. Secundò ex illo *Pſal. 43.* Peccatori autẽ dixit Deus quare tu enarras, &c. tertiò ex illo *Ioann. 8.* qui ſine peccato eſt, mittat in eam primus lapidem, quartò ex *c. Sacerdos 2. q. 8.* Sapiens medicus, & perfectus primum ſua peccata delere ſciat, & poſtea aliena detergere; attamen ſi cum humilitate corrigat ideſt contritionem, & pœnitentiam monſtrando de ſuo peccato, non peccare ſi corrigat, videntur docere *Scotus in 4. diſt. 15. D. Bonau. in 2. diſt. 24. Angelus, & D Thom. locis cit.*

An vero Prælatus, vel etiam Prædicator occulto peccato detentus publicè, vel priuatè correctionem faciens peccet mortaliter, alij aiunt, alij negant, noſter tamen *Franciſcus de Mayr. & Roſella V. Correctio* videtur negare, & auctoritates, quæ contra poſſunt adduci, aiunt intelligendas eſſe ſolum, quod dignè, & meritoriè non poſſunt corrigere, non autem, quod peccent, ſi corrigant; alij tamen affirmant quia Prælatus per ſuum peccatum eſt ſuſpenſus coram Deo corrigendo, ergo, & prædicando in peccato quantumcumque occulto peccat, tum quia ex *D. Paulo ad Romanos* in quo alium iudicas te condemnas, ſecus tamen ſi ſolum corrigeret, vt Magiſter legendo ſcripturam ſacram, quia non peccat vt Doctor alios corrigendo doctrinaliter. Ita *noſter Angel. & D. Thom. in 4. diſt. 19 & Petr. de Paluda ibidem, & Archidiaconus in diſt. 50. cum exaudiero, & 3. qu 7.* qui hoc ſolum volunt verum in Prælato Eccleſiaſtico, non autem in Iudice ſæculari, qui Reos condemnans in peccato non peccat, concludunt tamen *noſter Angel. & Vngarell. cum D. Bonauentura loc. cit.* quod iuſtius eſt in hoc caſu, vt actum contritionis præmittat Prælatus, vel Prædicator ſi aliquo peccato occulto detineatur, antequam publicè, vel ſecretè peccatores ſibi ſubditos corrigere incipiat, nam vt habetur *in cap. non poteſt 2 quæſt. 7.* non poteſt erga hominem fidelis eſſe, qui erga Deum eſt infidelis, fidelem ergo ſe reddat per contritionem, qui fideliter aliena peccata vult corrigere.

Vtrum Prælati teneantur inquirere peccata ſubditorum, vt ea corrigant, & emendent.

DIFFIC. II.

Affirmant communius teneri Prælatum inquirere peccata ſubditorum, vt ea poſſint corrigere, & emendare maximè quibus incumbit cura animarum, obligati enim ad finem tenentur etiam quærere media neceſſaria ad finem, finis ergo Superiorum habentium curam animarum eſt eos in via Domini dirigere, ergo tenentur media inquirere, vt ad viam Domini reducantur, medium autem hoc eſt principalius, vt peccata corrigantur, & emendentur, ergo tenentur inquirere peccata ſubditorum, vt ea corrigant, & emendent.

Confirmatur, nam ſicut Epiſcopi tenentur pauperes ſuæ iuriſdictionis inquirere, vt ipſorum indigentiam ſubleuent per eleemoſinas ex eo, quod Patres pauperum nũcupantur, & patrimonia pauperum poſſident, vt rectè notat *noſt Corduba l. 1. quæſt. 14. & D. Thom. 2. 2. q. 21. art. 1. Vaſq. in opuſc. c. 4. de Elem. Malder. 2. 2. quæſt. 32. art. 6. dub. 2. Bonac. p. præc. Duall. diſp. 3. quæſt. 4. p 6. Layman l. 2. tract. 3. c. 6.* Ita etiam à fortiori tenentur inquirere indigentes elæemoſina ſpirituali correptionis, ſpeculatores enim poſiti in domo Dei ſunt, & Epiſcopi nomen à verbo græco ἐπισκοπεῖν exploratorem, ſpeculatoremque ſonat, vnde Cicero ſcribit ſe Epiſcopum deſtinatum eſſe oræ campaniæ, & Maritimę in principio Ciuilis Belli ideſt ſpeculatorem, & exploratorem, & ſupra intendentem, itaque peccata ſuorum proditorem ſpeculatori, explorare, & inquirere tenetur, vt ea corrigat, & emendet, vt eos emendatos in via Domini reducat. Ita *noſter Vngarell. V. Correptio Schol. F, Bannes 2. 2. quæſt. 33. artic. 3. Regnald. leg. 4. cap. 25. Layman tract. 2. cap. 7. & Bonacina loco citato punct. 7.*

Negant tamen *Caietanus*, & alii apud *Malderum 2. 2. quæſt. 33. art. 3.* quia Dominus præcipiens correptionem ſolum peccantem ſe præſente iubet corripi, vt habetur *Matth. 18.* ſi peccauerit in te, ideſt coram te, at vero de correctione fraterna ibi loquitur Dominus, non autem de correctione ad quam teneatur Prælati ex officio, & ideo.

Non obſtat, quod ex *Prouerb. cap. 24.* habetur, ne quæras impietatem in domo iuſti, nam hoc ſolum præcipitur ceteris, qui curam animarum non habent, ad quos non ſpectat inquirere, & conſulere aliorum peccatis, ſed ſolum ſuæ conſcientiæ defectus explorare, & emendare.

Confirmatur præterea præfata propoſitio contra *Caietanum*, nam ſicut docet *noſter Vngarell. loc. citato ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 33. artic. 2. ad vltimum*, quod debentes certè, & determinatè aliquod vni, vel pluribus, obligantur reddere tempore opportuno abſque eo, quod eis occurrant, vel poſtulentur de debito, immo tenentur inquirere eum omni ſollicitudine, vt reddant, quod debent, vnde qui pecuniam debet creditorem ſuum aduentante tempore reſtitutionis tenetur inquirere, vt reddat, ita etiam quia Prælatus habet curam animarum, debet inquirere, & explorare peccata ſuorum ſubditorum, quia ipſi crediti ſunt à Deo ſuæ curæ, & ſollicitudini, tenentur ergo inquirere peccata eorum ne pereant, & ne infideles Cuſtodes apud Deum inueniantur.

An vero hoc præceptum obliget ſemper, & pro ſemper, ſed ſolum data opportunitate, puto, quod ſit præceptum affirmatiuum, & obliget ſolum data opportunitate, aliter nimis eſſet Prælatis onerosum lucernam Diogenis portare per vias, vt ſingula hominum peccata inquirant, cum tamen ad eorum aures quo quomodo peccata ſubditorum peruenerint per ſuos exploratores, ſeu cenſores, aut piorum hominum relationes, vę illis, ſi non audiant diligenter, vt ſecretum peccatum ſecreto corrigant, & publicum omni prudentia extirpent, ſi poſſibile ſit modo in ſuperiori difficultate expoſito.

Aduertant primò, tamen Prælati, quod licet teneantur habere exploratores viros pios, integros, & ſinceros ab omni curioſitate calliditate, et calumnia alienos, qui obſeruata crimina ſibi referant, ali coim debent canes à Paſtoribus, vt latratu, & gregi, et ſibi conſulant, attamen non debent eſſe faciles cuilibet ſpuntaneo ſuſurroni fidem præſtare, qui ſub ſpecie zeli, & boni communis, ſolo tamen odio in conciues, & confratres leuiſſimas culpas inimicorum aggrauare, et amicorum ſcelera minuere ſolo intereſſe moti apud Prælatos ſolent, de tali ſuſurrone ſcripſit *Gregor. Epiſtol. 52. lib. 2.* ad Ioannem Conſtantinopolinatum his verbis (mihi crede frater Sanctiſſime ſi zelum perfectæ charitatis habes ipſum prius corrige; illius linguam noli recipere, ille ad conſilium veſtræ Sanctitatis debet dirigi, non autem Sanctitas veſtra ad verba illius, qui enim illud audit, ſcito, quod pacem cum ſuis fratribus habere non poterit) ſcriptum eſt enim, nolite omni ſpiritui credere.

Aduertant ſecundò Prælati, et eorum exploratores, ſeu cenſores, ne particularia crimina hominis particularis inquirant curioſè rogitando an Petrus verb. grat. cum Catherina verb. grat. inhoneſtè conuerſetur, quia hoc eſſet famam Petri, et Catherinæ denigrare, frequens enim interrogatio de crimine particulari hominis particularis famam lædere poteſt proximi, quia interrogatio particularium criminum ſolet eſſe fundata in aliqua mala opinione, et ſuſpicione, quam præſupponitur habere interrogans de eo, cuius crimen inquiritur, vnde apud audientes poteſt, qui ſecretè peccat, per huiuſmodi interrogationes fieri publicè ſuſpectus, vel omnino manifeſtus contra præceptum charitatis, hoc tamen limita niſi ipſe delinquens dederit vehementiorem ſuſpicioonem cum aliquo ſigno extrinſeco de tali peccato, quia ſic poſſet inquiri de tali peccato.

Paſſim tamen Prælatus, et eius exploratores debent 1. inquirere in loco aliquo in generali vtrum leges diuinæ, et humanæ ſeruẽtur. Secũdò an aliqua res ſpiritualis peſſundetur, aut nullo modo ſeruetur. Tert. an ſint aliqui particulares, qui

præci-

præcipuè legem aliquam diuinam, vel humanam contemnat, et non ſeruet, hæ enim interrogationes, et inquiſitiones nō innitūtur in mala fama alicuius particularis, ſed ſolū oſtendunt curam, et ſollicitudinem ſalutis animarum. Vide circa hanc materiam *noſt. Caſpenſ. loc. cit. & Franciſcum de Caſtillo in 3. ſent. T. 3. diſp. 6. de correp. q. 5. Hurtad. de Mendoz. 2. 2. vol. 2. diſp. 162. ſect. 5. Bannem 2. 2. q. 35. a. 3. dub. 2. & Dianam 7. p. tract. 3. reſol. 25.*

Correptio fraterna.

Quid, & quali debeat eſſe correptio fraterna.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod correptio à verbo corripere procedit, quod idem eſt ac cor rapere, quatenus per correptionem, vt optimè notat *noſter Vngarell. V. Correptio fraterna Schol. A.* Cor peccatoris ad bonum rapitur, et transfertur cum ei turpitudo peccati, diuinæ gratiæ pulchritudo, æternum beatitudinis præmium, æternaque pœna proponitur, vel vt alij volunt quatenus dulci ſermone, et dulcibus correctionis verbis cor rapitur Peccatoris ad meliorem frugem, propoſitumque in melius mutandum; hinc correptio dicitur fraterna, vel quia nomine fratris omnis homo intelligitur, ſiue maior, ſiue minor, ſiue nobilis ſiue ignobilis, ſiue diues, ſiue pauper, vel quia nomen fratris nomen eſt amoris, charitatis, et Miſericordiæ, quia talis correptio ex amore, charitate, miſericordia in proximum debet procedere, differt ergo à correptione, quia illà etiam ex iuſtitia oritur, cum ſint obligati ex officio Superiores corrigere, vnde patet differentia inter correctionem, et correptionem in rigore, licet apud Theologos ſæpe ſæpius iſta nomina confundantur.

Correptio ergo fraterna eſt charitatiua peccatori homini modo, et ordine debito ab idoneo fratre admonitio facta de peccato certo, non permiſſo ad ſpem emendationis principaliter ordinata; Ita *ex noſtro Riccardo in 4. diſt. 19. art. 2. quæſt. 1.* ex qua definitione qualis debeat eſſe correptio fraterna, et conſequenter quot, et quales conditiones requirat, colligitur. Quare

Dico ſecundò, quod correptio fraterna primò debet eſſe charitatiua ideſt ex amore Dei, vel miſericordia ſubueniendi proximo in periculo eius ſalutis ſpiritualis, quod ſi ex alio fine ex odio, malignitate, ſuperbia, curioſitate, ſanè peccaret potius, quam virtutis actum eliceret.

Secūdò, debet obſeruari modus, vt ſi peccatum ſecretum, ſecreta ſit correptio, alias ſi peccatum ſecretum publicè corriperet, et argueret, iam non correptor, ſed Proditor eſſet dicendus, vnde grauiter peccaret.

Modus etiam adhibendus circa qualitatem perſonarum, cum omnibus enim indifferenter dulci potius ſermone, quā acri in arguendo vitia procedendum; cum minoribus tamen miſcenda aliquantula, cum æqualibus vero nulla ſeueritas, cum maioribus autem humilitas omnino adhibenda, vt cognoſcant ex ſola charitate, et beneficio proprio, vel communi, potius quam ex imperio procedere admonitionem.

Tertiò, ſeruandus eſt ordo à Domino præſcriptus *Matth.* 18. qui infra ſpecialius explicabitur.

Quartò, vt ſit facta ab idoneo, ſcilicet, correpturus fratrem ſuum de aliquo delicto non debet ſaltem, et ipſe eadem macula, et imperfectione notatus, nam *Luca 6. & Matth. 7.* geſtans trabem in oculo, non debet feſtucam ab oculo ſui fratris eripere, *&* 2. *q.* 7. non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui erga Deum extiterit infidelis.

Quintò, vt ſit de peccato, quod certo ſciatur eſſe commiſſum, et à Superiore non ſit permiſſum, vt dicetur infra.

Sextò, facienda eſt correptio fratri illi, quem probabiliter ſuſpicari poteſt accepturum eam, et in quo ſpes emendationis præuideatur, alias non debet fieri iuxta illud, ſinite eos, quia cæci ſunt, ſed fuſius infra.

Cuius virtutis actus ſit correptio fraterna, & an ſit præceptum non de iure non ſolum diuino, ſed etiam naturali obligans quoſcumque etiam infideles, & facta ne ex malo motiuo ſatisfaciat præcepto.

DIFFIC. II.

DIco primò, quod variant Doctores, cuius nam virtutis actus ſit correptio fraterna, volunt enim aliqui reduci ad eam virtutē, cui opponitur peccatum, quod corripitur, verum nimis rigoroſè, quin improbabiliter videntur loqui, nam omittens corripere furem teneretur ad reſtitutionem, quia peccaret contra iuſtitiam, quia corripiens furem ſecundum eos eliceret actum iuſtitiæ, ergo ſi omittat facere correptionem furi, faceret contra iuſtitiam, et teneretur ad reſtitutionem, et conſequenter omittens luxurioſum corripere, faceret contra virtutem caſtitatis, quod tamen nimis durum videtur audientibus, quid non corripientibus? alij vero ad charitatis, alii ad Miſericordiæ virtutem correptionem reducunt.

Attamen dicendum puto, quod iuxta motiuum quo quis trahitur ad faciendam correptionem, uel charitatis, vel miſericordiæ ad alterutrum reduci, hinc ſi corripiens ex ſolo Dei amore, immediatè moueatur ad faciendam proximo correptionem, ad charitatis virtutem reducitur actus correptionis, ſi vero moueatur ex compaſſione, quam habet de periculo ſalutis ſpiritualis ſui proximi, cui per correctionem ſubuenire determinat videtur reduci ad virtutem miſericordiæ actus correptionis. Vide *ex noſtris Caſpenſem in can. Theol. T. 2. tract. 17. diſp. 6. n. 6.*

Dico ſecundò, quod correptionis præceptum non ſolum eſt de iure diuino obligans ſub mortali data opportunitate cum circumſtantiis poſitis, et infra explicandis, cum præcipiatur imperatiuè à Domino *Matth.* 18. ſi peccauerit in te frater tuus, vade, et corripe inter te, et ipſum ſolum, ſed etiam eſt præceptum de iure naturæ, nam vt optimè notat *noſter Riccardus in 4. diſt. 19. art. 2. quæſt. 1.* quia ſicut corporis naturalis ægreſcente vno membro non ſolum alia compatiuntur, ſed ſibi inuicem ad corporis conſiſtentiam proportionatum ſibi præbent auxilium, ita etiam ratio naturalis dictat; vt membra corporis miſtici ad conſiſtentiam vitæ ſpiritualis vno membro ſpiritualiter infirmo per peccata ſingula correptionis auxilio ſaltem ſtudeant ei ſubuenire, præterquam quod vulgare eſt illud naturæ præceptum, quod tibi vis, alteri feceris; ſed tu velles à periculo damnationis æternæ, et à fouea gehennæ eripi, ergo et tu debes periclitantem huiuſmodi correptionis remedio eum à tali periculo præſeruare, vel liberare; adde, quod ſi teneris ex præcepto naturę extremè indigentem pane ei alimentum prębere, ne pereat, multò magis extremè indigentem auxilio in periculo ſalutis æternæ, debes pabulo ſpirituali fraternæ correptionis ſubleuare. Ita communiter. Vide *Franciſcum de Caſtillo in 3. ſent. T. 2. diſp. 6. de Correct. q. 5. Valent. T. 3. diſp. 3. q. 10. parte 2. Layman tract. 2. c. 7. Bonac. in decal. diſp. 3. q. 4. p. 7.* et alii, ex qua doctrina.

Dico ſecundò, quod correptionem facere infidelibus probabiliter putant teneri fidelem ex iure naturæ *Franc. de Caſtillo, Valentia, & Bonac. loc. cit. & Diana p. 7. tract. 3. reſol.* 2. quia infidelis eſt etiam frater ratione naturæ, ergo debetur ei auxilium de iure naturæ, *Layman* tamen loc. cit. fortè probabilius negat, tum quia non ſunt capaces correptionis, et paſſim infideles deſpiciunt chriſtianorum correptiones, pręterquamquod ſcriptum eſt, de iis qui foris ſunt nihil ad nos, vnde deſpicientem infidelem noſtram correptionem non poteſt corripiens deferre Eccleſiæ iuxta Domini pręceptum, ſi te non audierit dic Eccleſiæ.

Attamen omnino puto verum, quod ſi quis ita efficacem, et potētem ſe æſtimat, vt ſua correctio pro futura ſit infideli, et retrahere eum poſſit ab errore infidelitatis, teneatur infidelem talem corripere, quia ex lege naturæ, et charitatis obligatur quis darę auxilium ruenti, et periclitanti, quando certo ſcit poſſe eum liberare, et ſaluare. Ita etiam *Bannes 2. 2. quæſt. 23. a. 2. dub.* 1.

Dico tertiò, quod ſi correctio non ſit ordinatè facta ideſt ex motiuo amoris Dei, vel miſericordiæ ſubleuandi proximū

ſed ex odio, ſuperbia, vanagloria, & ſimilibus, licet taliter corripiens peccatum proximi peccaret iuxta grauitatem mali notiui mortaliter, vel venialiter, ſatisfacere tamen præcepto dato de correptione facienda, non tamen meretur, quia actus externus virtutis, vt eſſet iſte, poteſt à fine, & motiuo malo deprauati, quod patet de faciente eleemoſinam propter malum finem, de ieiunante ob vanam gloriam, & huiuſmodi, poteſt enim quis adimplere præceptum ieiunij, licet ex vana gloria ieiunet. Vide infra V. Virtus, quid cum *Alenſi*, & alijs ſit vitta in hac materia dicendum, vide etiam *Franciſc. de Caſtello in 3. ſent. T. 2. diſput. 6. de Correct. q. 2. nu. 8. & Diana loco citato.*

Vtrum non ſolum maior minori, & æqualis æquali teneatur de peccato facere correptionem, ſed etiam minor maiori puta filius Patri, & ſubditus ſuo Superiori de certo eorum peccato.

DIFFIC. III.

NOn defuerunt affirmante ſolummodo maiorem minori, & æqualem æquali obligari ad faciendam correptionem, quia maior poteſt dici frater minoris, & æqualis alteri, nullo tantummodo ſubditum ſuo Superiori, nec filium Patri debere facere correptionem de peccato quãtumuis certo, quia Superior, & Pater non veniunt nomine fratris cum ſubdito, & filio, ad eos ergo extenditur præceptum correctionis fraternæ, de quo dicitur a Domino fratri, ſi peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe.

Attamen affirmant alij, & tanquam certum tenendũ, quod Minor, ſiue ſubditus, ſiue filius teneretur ſui Superioris, vel Patris cummodo tamen, & reuerenti humilitate peccatum certum corripere humiliter admonendo, quia ſi in neceſſitate corporali tenetur minor ſubditus, & filius ſubuenire Superiori, & Patri periclitanti, multo magis in neceſſitate ſpirituali, maximè, quia peccatum Superioris, & Patris poteſt nocere communitati, & familiæ ratione mali exempli, & ſcandali, hinc *D. Gregorius*, & habetur 2. q 7. ita loquitur (ſicut laudabile, diſcretumq; eſt reuerentiam, & honorem exhibere maioribus, ita rectitudinis, vt Dei timoris eſt, ſi quæ in eis indigent correptione, nulla diſſimulatione prætermittere, ne totum, quod abſit, corpus morbus inuadat, ſi non fuerit curatus in capite) Ita etiam *noſt. Riccard. in 4. diſt. 19. q. 3. Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 3. Caſpenſis in curſ. Theol. tract. 17. diſput. 6. ſect. 1. Franciſc. de Caſtill. in 3. ſent. T. 2. diſp. 6. de correp. q. 6. Layman. Valentia, & Bonac. loc. cit.*

Affert autem modum *noſter Riccardus*, quomodo ſubditi correptionem debeant facere ſuis Superioribus diſtinguendo, nam vel Superior, & maior habet peccatum tendens contra fidem nec mediatè, nec immediatè, & tunc Subditus ſeu minor debet humiliter rogare maiorem, vel Superiorem, ne tale peccatum, & Dei offenſam vlterius patrare velit, & ita docet *D. Paulus p. Thimot. c. 5.* Seniorem ne increpauerit, ſed obſerua, vt Patrem, quod ſi peccent contra fidem immediatè, vel mediatè ita vt ex eius actione publica poſſit oriri ſcandalum circa fidem, omnino Superiores, & maiores increpandi ſunt Superiores, nam cum ſcandalo publicè peccantes contra fidem publicè arguendo, nam delinquens contra fidem iam coram Deo ſuſpenſus eſt, & inferior omni Catholico dicitur, vt colligitur ex 2. *quæſt. 7. c. ſecuus, & c. Paulus, & noſt. Vngarell. V. Correptio frat. ſchol. G.* affert *gloſſam ad Galat. 2.* adducentem *Auguſtinum*, ſic loquentem circa factum Pauli redarguentis Petrum propter imminens periculum ſcandali circa fidem, (dedit Petrus exemplum Maioribus, quod ſi delirarent, non dedignarentur corripi.)

Alij tamen Doctores tria ſpecialiter ſeruanda admonent circa correptionem faciendam Prælato, primo, vt non quilibet homuncio accedat ad corripiendum Prælatum, ſed ſolum ſubditus ſenior, vel dignior, horrent enim Prælati, & Principes à quocunq; minimæ plebis viro corripi. Secundò, vt Prælatus corrigatur cum magna humilitate, vt dictum eſt ex *D. Paulo* cum potius orando, addo quod cum magna prudentia peccatum Prælato non immediatè, ſed cum aliquo modo, vt fecit Nathan ſub parabola ouis ſublatæ pauperi a Diuite corripiente Dauid de adulterio Barſabeę. Tertiò, vt nunquam licet publicè peccent Prælati, ſint publicè arguendi, ne detur occaſio publicè eum deſpiciendi, retorqueretur .n. in publicè corripientem Prælatum maledictio data Cham, qui verenda Patris ſui Noè oſtentauit, hinc ex decreto *Innoc. 3. in c. cum ex iniuncto de Heret.* prohibentur Prælati publice corripi, *& c. qualis 2. q. 7.* quod, etiam dicendum de viris grauibus, & virtute, vel ætate, vel nobilitate conſpicuis, quod non debent publicè, & à quolibet paſſim corripi; limita niſi ſecundum dicta ex noſtro *Ricardo*, forent publicè ſcandoloſi circa fidem mediatè, vel immediatè in euidens damnum communitatis Chriſtianæ, quia tunc publicè arguendi. Vide *noſtr. Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic 7. Caſpenſ. Franc. de Caſtill. loc. cit. & Dianam p 7. tract. 3. reſol. 15.*

Vtrum Correptio de veniali facienda obliget ſub mortali, & an de omni veniali ſaltem ſubuenia ſit facienda.

DIFFIC. IV.

CErtum eſt apud omnes correptionis fraternæ præceptum faciendæ obligare ſingulos fideles ſub mortali, cum præceptum imperatiuè ſit factum à Domino *Matt.* 18. ſi peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe ſeruatis tamen circumſtantijs infra explicandis, quod autem dubitant Theologi, an etiam de veniali ſit præcepta correptio ſub mortali. quare

Dico primò, quod variant in hac difficultate Doctores, mihi tamen certum eſt venialia etiam grauia nulli nociua, nec proximum diſponentia immediate ad mortale non teneri nec Prælatum, nec Magiſtratus retundere, nimis enim hoc eſſet oneroſum, & durum, cum quotidie, & ferè in ſingula momenta hæc venialia perpetrentur, & ipſe iuſtus ſepties in die cadat, vnde nil aliud poſſent facere quotidie homines, & Prælati, quam reprehendere venialia.

Attamen probabile autumo ſub mortali adeſſe obligationem corripiendi etiam venialia, & primo, & quæ proximè diſponunt ad mortale, nam periculum probabile proximum incidendi in mortale tenemur ſub mortali ſecundum probabiliſſimam Opinionem vitare in nobis, ergo etiam in proximo. Secundò ea, quæ poſſunt proximo damnum notabile inferre, & maximè Communitati, & multo magis Regulari Ordinum diſciplinæ licet ſint venialia, debet vnuſquiſq; vel Ciuis, vel Religioſus corripere ſub mortali in ſuo Conciue, & correligioſo maximè omnium Superior & licet in politica communitate hoc vix poſſit accidere, vt venialia publico poſſint damnum afferre, paſſim tamen occurrunt in communitate Religioſa Regulari, qualia ſunt cachinni, garritus, verba ioco ſa, iracunda, indignantia, iuramenta, mendacia, intemperantiæ, cultiores Veſtes, corporis immodeſti motus, vel ſitus cæremoniarum, & rituum Religioſorum defectiones, cum ſæcularibus frequentiores extra ſalutis animæ neceſſitates tractatus, frequentiores fœminarum etiam nobilium viſitationes extra dictam neceſſitatem, ſed ſola animi relaxatione, & cetera huiuſmodi, quæ priuatus correligioſus, ſi emendationem ſperet, licet ſint ſolum venialia, debet corripere ſub mortali, ſi hæc in Religionis, & Regularis diſciplinæ damnum viderit futura, omnino tamen Superior debet ea corripere, & emendare, ſub mortali nam exemplum iſtorum venialium defectuum facilè ſectantur alij, niſi corrigantur, tum quia qui leuia negligit patrare peccata, facilè in grauiora ruit, vnde faciliimè tota communitas, ſi hæc venialia non emendantur labefactatur, & perditur. Ita etiam ex noſtro *Caſpenſ. in Curſ. Theol. T. 2. tract. 17. diſp. 162. ſect. 8. §. 74. Suar. de Charitate diſp. 8. ſect. 2. Bonac. p. præc. Decal. diſp. 3. quæſt. 4. p. 6.* & alij.

Limitandum tamen puto, quod ſi peccata præfata venialia ſint occulta, non tenetur ſub mortali nec Correlegioſus, nec Prælatus corripere, quia vt occulta ſunt non vergunt in perniciem communitatis, cum non prouocent alios ad malum exemplum, quod etiam videntur ſuadere *Suarez loco citato, Torres 2. 2. T. p. diſput. 86. dub. 2. & Diana p. 7. tract. 3. reſol. 6.*

Dico ſecundò, quod licet admodum piè cẽſuerint *noſt. Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 2. Suar. loco citato, Valent. T. 3. diſput. 3. qu. 10. Paulus T. 1. tract. 6. diſp. 3. & Lorca 2. 2. diſp. 41.*

*diſputat.*41. & alij, quod fidelis teneatur ſub veniali ſaltem de omni veniali correptionem facere, quia ſicut fidelis ſibi debet præcauere ſub veniali ne veniale incurrat, ita etiam hoc ſub veniali tenetur in proximo, attamen duriuſcula videtur opinio, cum valdè onerosum ſit obligari ad ſingula venialia in proximo corripienda.

Quare probabilius puto non obligari fidelem de quolibet veniali paſſim fratres corripere, tum quia hoc graue eſſet, & intolerabile iugum, tum quia ex quolibet veniali non perditur proximi ſalus, Dominus autem præcipit correptionem ad hoc, vt proximum lucremur, vt patet ex illo *Matth.* 18. de grauioribus tamen iuxta doctrinam ſuperius datam ſecũdũ quod in mortale, vel veniale damnum proximi, vel communitatis, vel diſpoſitionem mortalem, vel venialẽ ad mortale inducit veniale proximũ tenetur ſub veniali vel mortali corripere. Ita etiam *Franciſc. de Caſtill. in 3. ſent. loc. cit. quæſt. 3. parte. 2. Azor T. 1. leg. 12. cap. 4. qu. 4. Torres loc. cit. Nauar. cap. 24. Graff. p. p. deciſ. l. x. cap. 60. Reginald. T. 1. l. 4. c. x5. & alij.*

Vtrum Prelati, Magiſtratus, Predicatores, & Confeſſores omittentes facere correptionem de mortali peccent contra Iuſtitiam.

DIFFIC. V.

Dico primò, quod licet antiquiores quidam negauerint peccare contra iuſtitiam Prælatos, Magiſtratus, & alios, ad quos ex officio, & ſalario competit cura animarum, vel iuſtitiam miniſtrare, quia actus correptionis fraternæ eſt actus ſimpliciter charitatis, & Miſericordiæ, non autem iuſtitiæ, cum hanc non faciat vt Superior, ergo non peccare contra iuſtitiam, nec teneri contendunt ſe in confeſſione accuſare de tali omiſſione Superiores. Ita etiam ex modernioribus *Lorca in 2. 2. D. Th. q. 33. a. 5. ſect. 3. diſp. 42.*

Attamen communius Recentiores volunt de iuſtitia teneri Superiores præfatos corrigere peccata mortalia ſubditorum, & omiſſionem talis correptionis eſſe mortalem contra iuſtitiam, quia Prælati, & Magiſtratus accipiunt publicum ſtipendium, vel quaſi ſaltem ſtipendium, dum iuriſdictionem habent, vel alia temporalia commoda propter tale onus, ergo tenentur ex officio ſuos ſubditos in via virtutis, & iuſtitiæ dirigere, ergo ex iuſtitia tenentur ſuorum ſubditorum conſequenter peccata corrigere. Virtus enim iuſtitiæ obligat ratione dati, vel accepti, hinc *D. Auguſtinus de Ciuitate Dei leg. 1. cap. 9. ait.* (non eſſe parem obligationem ad corrigendum errantes in priuatis, & Prælatis) quæ verba explicans *Ludouicus Viues in Comment.* ait (quia priuati tenentur præcepto charitatis ſolius, Prælati vero iuſtitiæ.)

Sanè ſaltem ſi non ſit actus iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ in Prælatis correptio, eſt tamen actus iuſtitiæ præſtatiuæ ratione officij, & conſequenter duplex peccatum committere Prælatum probabile eſt omittentem correptionem peccatorum in ſuis ſubditis ſcilicet vnum contra charitatem, & alterum contra Iuſtitiam.

Nec obſtat, quod dicunt correptionem ſubſtantialiter effluere à ſola charitate, & miſericordia, nam qua parte Superior eſt ex iuſtitia ſibi competit, vnde potius correctio dicenda ſimul, & correptio fraterna, quia ex duobus vinculis obligatur, & qua homo, & qua Superior, eumdem autem actum ratione diuerſarum circumſtantiarum poſſe ad diuerſas virtutes ſpectare liquido conſtat ex actibus fidei, qui ad fidem prout eſt virtus Theologica, & ad Religionem, vt eſt virtus moralis, & ad charitatem, qua erga Deum mouentur pertinere dignoſcuntur, ita etiam actus correptionis qua parte eſt ab homine, vt proximus eſt ex charitate, & miſericordia obligat, ex parte autem, qua Superioris ſortitur officium ex iuſtitia procedit, & obligat.

Quare omiſſione correptionis fraternæ in Prælato, & Superiore mutare ſpeciem in confeſſione detegendam dicendum eſt, debet ergo ſe accuſare ſe eſſe Superiorem, & Prælatum, dum confitetur omiſſionem correptionis. Ita ex *noſtro Angelo, & Vngarello V. Correptio Sch. F*, & recentiores paſſim docent *Hurtad. de Mendoz. vol. 2. de fide diſp. 112. Bannes 2. 2. q. 33. a. 3. dub. 1. Suar. diſp. 8. ſect. 4. Coninch. diſp. 28. dub. 1. & Diana p. 7. tract. 3. reſolut. 9.* Ex quibus

Dico ſecundò, quod Confeſſarij, & concionatores ſi accipiant publicum ſtipendium pro tali exercitio, & labore tenentur etiam ex iuſtitia corripere peccata, nam ratione dati, & accepti ex iuſtitia tenentur exequi ſuum officium, quod ſi ſolum ex charitate tale onus exequantur, ſolum ex charitate obligantur, itaque ſtipendiati tenentur, ſi correptionem omittant facere de peccatis hominum, qui ſunt de Cõmunitate, à qua accipiũt ſtipẽdiũ ergo tenẽtur aperire in confeſſione ſe eſſe ſtipendiatos ad tale munus exequendum, atq; adeo ex tali omiſſione peccaſſe etiam ſe contra Iuſtitiã.

Confeſſores vero non ſtipendiati omittentes corripere in confeſſione, quæ prudenter digna correptione cognouerint, peccant contra virtutem Religionis eos obligantis ad dignè, & ritè adminiſtranda Sacramenta.

Dico tertiò, quod Confeſſarij non tenentur etiam ſi forent ſtipendiati inquirere peccata ſuorum pœnitentium, quia ipſe ſolum tenetur ſecundum allegata iudicare in foro pœnitentiæ, in quo pœnitens credi debet dicere veritatem tam cõtra ſe, quam pro ſe, immo ſi Confeſſarij nimis curioſè inquirerent peccata ſuorum pęnitentium extra confeſſionem peccarent grauiter, quia redderent confeſſionem exoſam, horrent enim homines ſua peccata inueſtigari propter malæ famæ incurſionem, quæ ſolet ſequi ex tali inueſtigatione. Ita etiam *Duallius 2. 2. tract. de Charit. quæſt. 9. art. 4. Diana loc. cit. reſol. 12.*

Dico quartò, quod Prædicatores non teneantur de publicis correctionem facere quando dubitant de emendatione ſequenda, diſtinguendum videtur, nam vel publica peccata ſi corrigantur nullius maioris damni, & correptionis cauſa ſunt, & in hoc caſu etiamſi non ſperetur emendatio corrigenda ſunt exemplo Chriſti Domini induratam malitiam Phariſeorum licet abſque ſpe emendationis arguentis, & Baptiſtæ Herodis peccatum publicum publicè corripientis, licet non foret emendandus, nec incaſſum laborant, quia ſaltem peccatores obſtinati ex tali correptione redduntur inexcuſabiles ante Tribunal Domini iudicantis, & vergit in laudem diuinæ iuſtitiæ eos æternaliter iuſtè damnantis, dum toties admoniti, & correcti reſipiſcere noluerunt.

Si vero publica peccata forent talia vt ex ipſorum redargutione poſſet naſci magna perturbatio, ſcandalum, ſeu damnum, debent prętermitti, hoc autem accidere poſſet, quando peccata vergerent in opprobrium publicum Prælatorum, & Principum, aut totius communitatis, non enim debent Prædicatores ponere os ſuum in cælo, vnde *in Conc. Lateran.* ſuſpenduntur ab officio Prædicatores murmurantes in Pulpito de Epiſcopis, & ſuis Superioribus, & ex *decreto Innoc. III. in cap. cum ex iniuncto de Heret.* prohibetur Prælatos publicè argui, quod etiam puto dicendum de viris exemplaribus, & grauibus, & maximè Religioſis, quia Prælatorum, & Religioſorum, virorumque exemplarium vitia fortè multotiens, quia falſa, prædicare diſponunt idiotas præcipuè ad errores Lutheranorum Eccleſiam Dei propter defectus perſonales Prælatorum Religioſorum, & ſacerdotum ſynagogam Sathanæ appellantium, limitanda tamen hæc doctrina iuxta prædicta in alijs difficultatibus, quod ſi crimina Prælatorum, Regularium, & Sacerdotum forent notoriè ſcãdaloſa, & nociua communitati chriſtianæ publicè etiam ſine timore arguenda, quia hæc correptio multum prodeſſe poſſet, Prædicatores enim vtpotè Dei legatione fungentes iſta publica notoria, ſcandaloſa, et nociua chriſtianis moribus abſq; timore arguere debẽt; caueant tamen particulares perſonas in pulpito arguere, vt alibi dicetur, ſed ſemper communiter contra peccatores in generali inuehente cum omni feruore, et charitate ſtudeant. Vide *Hurtad. de mend. Bannem, Coninch. loc. cit. & Dianam reſol.* 13.

An vero concionatores peccent mortaliter in peccato corripientes peccata, licet *D. Thom. in 4 diſt. 19. quæſt. 2. a. 2. Palud. 16. quæſt. 3. artic. 3. Syln. V. Correctio, & Caietan. 2. 2. quæſt. 187. artic. 1. & 3. & 6.* affirment, ex eo, quod per os *Dauid*, Peccatori autem dixit Deus quare tu enarras iuſtitias meas, et aſſumis teſtamentum meum per os tuum; et per *Paulum*; in quo alium iudicas, te ipſum condemnas, quod ſi intelligant de Concionatore publico peccato irretiti verum dicunt, et de tali publico peccatore locuntur ſcripturæ; quia Concionatores publicè peccantes ra-

tione ſcandali peccant alios corripiendo, de quibus dicitur, qui prædicas non furandum furatis, non mechandum mechatis, propter vos blaſphematur nomen Dei in gentibus, quod ſi occulto peccato ſolum detineantur non peccant corripientes publicè alios, quia ad exercendum prædicationis munus non ſunt miniſtri conſecrati, & licet ſaltem Diacono committatur prædicare, non tamen ita ſtrictè, vt ſit ratione Ordinis, cum etiam Clericis minoribus concedatur prædicare ſolemniter, vt patet ex priuilegio facto Patribus piiſſimæ ſocietatis Ieſu, vt dicetur infra V. Prædicator, ſed potius ad reuerentiam tanti muneris, verum eſt tamen vt dictum eſt in Superioribus, quod debent ſaltem conteri, vt dignè, & fructuoſè tale munus exerceant Concionatoris. Vide noſter *Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 8. Franciſc. de Caſtill. in 3. ſent. T. 2. diſput. 6. de Correct. q. 6. & Suar. de Charit. diſput. 8. ſect. 2. & alios.*

Vtrum de peccato præterito iam exiſtente in habitu, vel reatu ſit correctio facienda ſub mortali.

DIFFIC. VI.

Diſtinguunt Doctores, nam vel adeſt periculum certum relabendi, & in hoc caſu communiter affirmant, & ratio eſt, quia adeſt finis intentus à pręcepto correptionis ſcilicet lucrandi fratrem ſuum.

Quod ſi nullum adſit periculum certum relabendi de peccato ſimpliciter in reatu iam ceſſante in actu, vel in habitu affirmant etiam adeſſe obligationem corripiendi eum *Suar. de Charit. diſp 8. ſect. 3. num. 8. Bannes 2. 2. quæſt. 35. a. 2. dub. 2. Arragon. 16. dub. 1. Bonac. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 7. & Valentia T. 3. diſput. 3. quæſt.* 10. quia ſi fratrem egentem in graui neceſſitate corporali teneor auxilium opportunum afferre, ſi commode poſſum, ita, & multo magis in graui neceſſitate ſpirituali poſitum teneor correptionis auxilio ſubleuare, qui autem in peccato eſt mortali grauiter eget, cum ſit in periculo ſalutis æternæ, ergo teneor adiuuare, & correptione extra periculum ponere, quod ſanè ſatis piè, & probabiliter dictum puto.

Alii tamen fortè probabilius negant ex eo, quod ſi peccator non tenetur ſtatim ſurgere à peccato, & ſe ſe quanto citius à tanta miſeria liberare, ergo nec tenetur proximum in eadem miſeria commorantem per correptionem ad ſalutis portam reuocare, præterquam quod poteſt ſupponi de tali peccato iam tranſacto haberi à Peccatore ſufficientem contritionem intrinſecam, dum cognoſcitur nulla in eo eſſe amplius complacentia, nec ei eſſe occaſio proxima ad peccandum. Ita ex noſtro *Angelo V. Correptio* §. 1. *Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 2. Franc. de Caſtill. in 3. ſent. T. 2. diſput 6. de Correctione q. 3. p. 1. Sylu. V. Correct. q. 1. Coninch. de charit. diſput. 28. dub. 1. Trulench. in decal. T. 1. l. 1. c. 5. dub. 14. & Diana p. 7. tract. 3. reſol.* 11. & alij. Quæ opinio tutè practicari poteſt, nam *Prouerb.* 8. dum corripiendus proximus de peccato præterito affert rationem ne fortè iteret dicens (corripe proximum ne fortè iteret) ergo quando ſolum eſt in periculo recidiuandi præcipitur obligatio corripiendi de peccato iam præterito.

Verum tamen ſi adſit dubium an pœniteat de tali peccato, & indigere auxilio à reſurgendo præuideatur tunc vtere doctrina infraponenda peccato de dubio an facienda correptio.

Vtrum adſit obligatio faciendæ correptionis de illo peccato, quod patrans neſcit eſſe peccatum.

DIFFIC. VII.

Diſtinguendum puto, nam vel patrans aliquod peccatum, quod ignorat ignorentia vincibili, ſupina, & craſſa culpabili, & in hoc caſu adeſt obligatio faciendæ correptionis de tali peccato, nam ignorantia vincibilis, & culpabilis non excuſat a peccato, & facit ignorantem huiuſmodi eſſe in periculo damnationis æternę, ergo adeſt obligatio per correptionem lucrari fratrem ignorantem culpabiliter.

Quod ſi laboret ſolum ignorantia inuincibili excuſante à peccati culpa, variant Doctores, nam multi putant, eos quibus ex officio competit, vt ſunt Superiores Parochi, & Confeſſores in actu confeſſionis teneri, niſi adſit periculum aliquod ex tali admonitione ſequendum, puta damnum animæ, & corporis; hinc *Innoc. 3. in c. quo circa de Conſanguinit.* præcepit, vt qui bona fide contraxerunt matrimonium in gradu prohibito, ne admonerentur erroris, nec ſepararentur, quia id ſine magno ſcandalo, & vitæ periculo fieri nequibit, etenim maius malum eſt potius vitandum, quam minus, minus autem malum eſt, quod ſub bona fide matrimonio vtantur, licet inualide contracto, quod ſcandalum magnum, & periculum vitæ, & animæ ſequatur ex tali admonitione, vt alibi ſpecialius videbitur, quod non ſolum de matrimonio inualido inuincibiliter ignorato à coniugibus nō eſſe admonēdum, ſi nulla ſperaretur emendatio, ſed etiam de contractu Vſuratio inuincibiliter ignorato ſi nulla ſperetur emendatio, & non dubitet Vſuratius de ſalute putant non eſſe admonendum nec à Confeſſario *Sanch.* quem citat, & ſequitur *Bonac. de matr. q. 3. p. vlt. & Mald. 1. 2. q. 33 a. 7.* quia nulli debemus laqueum perdictionis iniicere *ex. c. de Iudæis; Angelus* tamen noſter videtur dicere *V. Correptio*, quod quando ignorans inuincibiliter peccat contra validitatem Sacramenti, quod ſit corrigendus modo tamen, quo ſcandalum vitetur, hinc ſi non Sacerdos celebraret, vel Sacerdos non conficeret, & aliam etiam pertinentia ad Sanctiſſimam inquiſitionem peccata corripienda ſunt, & hodie neceſſario denuncianda, vt dicetur ſuo loco, at vero eos, qui non tenentur ex officio docere, non teneri ad faciendam correptionem in tali caſu ignorantiæ inuincibili exiſtimant, vnde volunt manducantem carnem in die Veneris, vel non audientem ſacrum in die feſto ex ignorantia inuincibili non eſſe corripiendum, quia non manet in periculo damnationis æternæ, cum non peccet, ergo nec indigere aiunt correptione. Ita *noſter Villalob. in ſum. tract. 4. diffic. 4. Valentia diſp. 3. q 10. p. 2* §. 2 *& Bonac. de Charit. q. 4. p. 7. num.* 10. limitat hanc doctrinam eſſe veram modo tale peccatum inuincibiliter ignoratum non ſit in præiudicium tertij, vel in graue damnum ipſius Peccatoris.

Alij tamen diſtinguunt, quod ſi peccatum, quod inuincibiliter ignoratur ſit de iure naturæ, vel diuino teneatur quilibet fidelis ignorantem huiuſmodi corripere, quia in re grauis momenti peccat contra dictamen rectæ rationis, quam quilibet debet doceri, vnde tale peccatum intrinſecè malum eſt, ſi vero ignorantia ſit iuris poſitiui, vt comedere carnes in die Veneris, & ſacrum non audire, volunt non teneri, quia eſt ſolum extrinſecè, & materialiter malum, non autem intrinſecè contra dictamen rationis naturalis. Ita *Nauar. c. 24. n. 12. & 13. & Bannes 2. 2. q. 33. a. 5. dub. 3.*

Ceterum alij volunt ignorantem inuincibiliter peccatum quocunque iure prohibitum ſiue naturæ, ſiuè diuino, ſiue poſitiuo corripiendum eſſe, nam ſi ignorans inuincibiliter peccatum hoc eſſe, nec corripiatur, facit conſuetudinem, vel habitum, ſeu aſſuefactionem in tali peccato, ita vt quando aderit in ipſo ſcientia eſſe peccatum, magnam difficultatem habebit ab eo abſtinendi, & fortè periculum ſubibit non abſtinendi, ergo debet corripi ſtatim à quocunque, ut ſciat quid debeat facere, & non tantum aſſueſcat peccato, & ægrè deinde, & nullo modo abſtineat, ita enim fiet, vt corripiens talem ignorantem lucretur eum. Adde, quod cognoſcens ab aliquo legem, licet inuincibiliter, non obſeruari, cognoſcit legi ab eo materialiter iniuriam irrogari, ergo ſaltem tenetur eum admonere ob reuerentiam, quæ legi debet haberi, & qua vnuſquiſque debet legem proſequi, vnde tenetur vitare, & prohibere, ne legi fiat iniuria ſi commode poſſit. Ita *Angel. V. Correct.* §. 6. *Sylu. ibid. q. 10. D. Antonin. 2. p. Tit. 9.* §. 4. *& Caſtrus Palus T. 1. tract. 6. diſp. 3. q. 4.* & alij.

Sanè quando ex tali admonitione ſperatur fructus; & nullum nocumentum, vel ſcandalum eſſet ſequendum teneri quemlibet ad corripiendum ignorantia quacumque peccantem, dum adeſſe poteſt finis præcepti correptionis lucrandi ſcilicet fratrem ſuum, probabilius videtur, quod abſolutè renentur exequi Superiores, & Parochi, aliter Superior videretur approbare peccantem inuincibiliter, niſi eum corriperet, & ignoranter peccans ſi à Superiore toleraretur, difficulter poſſet ab alijs à ſua ignorantia remoueri, adde, quod Idiotæ alij videntes Superiorem tolerare, & non corripere talia peccata, licet ignoranter facta, poſſent credere eſſe licita, quæ ratio etiam videtur omnes alios viros graues, & Sacerdotes, Religioſoſque probabiliter adſtringere, nam ſi peccatum ignoranter factum coram ipſis non arguitur, & corripitur, facilè authorizatur tanquam licitum ab Idiotis.

Vtrum

Vtrum adſit obligatio faciendæ correptionis, quando dubitatur an ſit profutura, an nocitura, quia ſi credatur alia ratione, quam per correptionem ſecutura peccati emendatio.

DIFFIC. VIII.

CErtum primo cenſeo quoad primam partem huius Difficultatis, quod ſi adeſt ſpes probabilis emendationis teneor corripere, quia poſſet prodeſſe, licèt apertè, & clarè non ſciatur, vel non adeſt ſpes probabilis emendationis, & in hoc caſu teneor, in Prouerb. c. 9. habetur (noli arguere deriſorem, ne oderit te, argue ſapientem, & diliget te,) & Matth. 6. Dominus admonet (nolite Sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus, & conuerſi ſi diſrumpant vos.

Ceterum etiam ſecundò exiſtimo, quod multò multò minus facienda eſt correptio ei, què certò ſcimus, vel ſaltem probabiliter conſtat potius excitandum ad iram, contumelias, & blaſphemias ex tali correptione, Medicus enim non debet medicinam præbere ęgro, quam cognoſcit ei nocituram, & mortem illaturam. Ita docet *D. Auguſt. l. 2. de Ciuit. Dei c. 9.* vide noſtrum *Riccard. in 4. diſt. 19. ar. 2. qu. 1. Villalob. Bannem, & Trullench.* locis infra citandis. Imò *D. Tho. 2. 2. qu. 33. artic. 2.* quem citat, & ſequitur noſter *Angel. V. Correctio*, vult meritoriè omitti correptionem, quando certò ſcitur peior euaſurus ex correptione, & faciliter à bona via alios impediturus.

Nec obſtat ſi dicatur, quod non ſemper eſt verum ceſſante fine legis, ceſſare eius obligationem, nam ieiunium habet pro fine macerationem carnis, & tamen qui non indiget carnis maceratione, adhuc tenetur ieiunare, ceſſante ergo fine correptionis ſcilicet lucrandi fratrem adhuc quis tenetur; nam finis legis alius ſolum extrinſecus, vt eſt maceratio carnis in ieiunio, alius intrinſecus vt eſt lucrari fratrem ex correptione, ceſſante fine extrinſeco non ceſſat lex, vt alibi fuſius, ceſſante autem fine intrinſeco, ſemper legis obligatio ceſſat ſaltem, vt plurimum, vt ſuo loco dicetur, diſpar ergo eſt ratio.

Quare quod controuertitur eſt, quando dubitatur ſit ne pro futura, an nocitura correptio delinquenti.

Diſtinguendum ergo puto, nam vel dubito an peccans emendandus ſit, ita vt probabiliter magis dubitem nociturum, puta quia dubito probabiliter, quod blaſphemabit, vel calumniabitur, & tunc non teneor corripere, ſecus ſi ſolum leuem aliquem mærorem triſtitiam, vel perturbationem dubitem incurſurum ex correptione delinquentem, quia in tali caſu teneor, cum talis mæror non ſit intrinſecè malus, & faciliter poſſet iuuare, quod ſi certus ſum, quod mea correptio non nocebit, licèt dubitem an ſit pro futura, teneor corripere ex *D. Aug. diſt. 7. c. ſi quis autem*, ait (do tibi pœnitentiam, quia neſcio an tibi proderit, vel non nam ſi ſcirem non tibi prodeſſe, vel non darem, non te admonerem) hoc maximè verum eſt, quando peccans eſt in periculo, vel articulo mortis, quia tunc magis indiget.

Quod ſi in dubio æquali verſet, an ſit pro futura an nocitura, probabilius puto, quod non tenetur facere correptionem, tutius enim eſt mihi in tali dubio ſuſpendere correptionem, teneor enim potius præcauere malum, quam bonum facere. Quod tamen limitandum puto, ſi delinquens ſit in articulo, vel periculo mortis, quia teneor correptionem adhibere, ſicut prudens Medicus medicinā deſperato iam ægro, ſi æquè dubitat an pro futura, an nocitura tradit, quia in extremis caſib. extrema remedia ſunt adhibenda, & in tali caſu peccator moritur certè in peccato, ergo adhibenda eſt correptio, etiam ſi non ſit pro futura, quia nocere poſſet ad damnationem æternam ei, qui iam moritur in peccato, poſſet tamen ei auxilium ferrè ad ſalutem. Ita ex noſtro *Villalob. in ſumm. T. 2. tract. 4. diffic. 3. Franc. de Caſtillo in 3. ſentent. T. 2. de diſput. 6. de corrett. queſt. 4. Valentia T. 3. diſput. 3. queſt. 10 punct. 2. Bannes 23. D. Thom. qu. 33. art. dub. 4. Caſtr. Palau. T. 1. tractat. 6. diſp. 3. qu. 4.* & alij, &c.

Quoad ſecundam partem difficult. dico, quod ſi alia ratione peccator probabiliter cognoſcatur fore emendandus, quam per correctionem, puta à Superiore, Patre, Amico, vel etiam à ſe ipſo opportuno tempore, ſine peccato omittitur in tali caſu correptio, quia non eſt in neceſſitate talis correptionis, ſicut nec tenetur quis dare elæmoſinam ei, qui ab alio, vel à ſe ipſo in neceſſitate prouidebitur, quod ſi hic, & nunc indigeat correptione puta quia ſi differatur ab alio facienda longo tempore, intra quod poteſt reiudicare, tunc quia eſt in manifeſto periculo ſalutis, facienda eſt correptio, quia verè lucratus erit fratrem ſuum. Ita etiam noſt. *Villalob. Valentia loc. cit. Conich. de charit. diſput. 28. dub. 6. num. 115. & Surian. 2. 2. T. 1. diſp. 86. dub. 2.*

Vtrum facienda correptio ei, cui in principio nocitura, profutura tamen poſtea dignoſcitur, & an ei qui ex correptione peior eſt futurus attamen damno tertij, & bono publico ex tali correptione conſulitur.

DIFFIC. IX.

DIco primò, quod ſi malum, quod ſperatur ex correptione in principio ſit nociuum innocenti, vel communitati puta occiſio, commotio populi, rebellio vel aliud ſimile non debet fieri, etiam ſi talis correptio poſſet poſtea in progreſſu temporis ex recordatione bonæ admonitionis profutura peccatori huiuſmodi, quia ſalus ſpiritualis ſequenda eſt minus bonum, quod non debet procurari cum tanto incommodo, quod ſi ſolum proruptuus ſit in leuem perturbationem nullā nociuum, facienda omnino correptio.

Ceterum ſi ſecutura ſit ex correptione perturbatio maxima, & proruptus ſit in blaſphemias, & ſimilia peccata mortalia in principio poſtea verò in progreſſu temporis ſit profutura correptio, variant Doctores an ſit adhibenda, affirmant *Conich. de charit. diſp. 18. dub. 6.* & citat in hanc opinionem *D. Tho. & Valent. & Adrianum.*

Lorca tamen 2. 2. *diſp. 44.* docet ſolum abſtinendum quando in graues blaſphemias contra Deum, & Sanctos, non autem ſi in aliud peccatum, nam peccata, quæ ex correptione accidunt non intenduntur per ſe, ſed ſolum accidentaliter eueniunt, primariò enim intenditur emendatio, quæ bona eſt, ſi certo ſciatur eſſe aliquando ſecutura, per accidens eſt, quod in principio adſit ex correptione peccatum, non ergo relinquenda eſt.

Attamen probabilius exiſtimarem omnino abſtinendum ſi ex correptione certò ſciatur orienda culpa mortalis in correptio, licèt tractu temporis foret certò profutura, nam non ſunt facienda mala, vt veniant bona. Ita etiam videtur ſentire *Diana p. 7. tract. 3. reſol. 23.* licèt alio medio, vide *Duall. 2. 2. de charit. q. 9. ar. 4. & Regin. T. 3. l. 4. c. 25. n. 338.*

Quod ſi in articulo, vel periculo mortis reperiatur peccator, & in tali peccato ſit moriturus, niſi corripiatur, videtur omnino correptio facienda, etiamſi in principio ſit proruptrurus in peccatum mortale, modò poſtea ante mortem ſit profutura, quia ipſi imputandum, quod correptionem malè audiat in periculo, & articulo mortis, in qua ſua ſalus ineuitabiliter, & irreparabiliter periclitatur.

Dico ſecundò, quod ſi ex correptione ſcirem peccatorem peiorem euaſurum, attamen ex correptione conſulitur damno innocentis, vel bono publico non poſſem omittere correptionem, quia damnum innocentis, & bonum publicum eſt anteponendum damno particularis, cui imputandum, ſi ex correptione fiat peior; hinc ſi quis hæreſim laudaret, vel rationes Eccleſiæ non approbaret, debet omnino corripi, etiam ſi in contumelias, & blaſphemias eſſet proruptrurus ex tali correptione, quia ex tali hæreſis laudatione, & rationum Eccleſiæ contemptu poſſet oriri peruerſio audientium, & eſt immediatè contra bonum Reipublicæ Chriſtianæ.

Similiter ſi quis audiret Petrum detrahentem iniuſtè famæ Titij viri grauis, & honeſtæ famæ teneor corripere Petrum, licèt ex correptione foret in contumelias, & alia peccata prorupturus, quia teneor famam innocentis, & damnum proximi impedire, & licèt *Conınch. de charitat. diſp. 28. dub. 6. & Dian. p 7. tract. 3. reſol. 24.* videantur ſolum hanc doctrinam veram eſſe, quando ſperatur aliud bonum puta in primò caſu quod ex tali correptione impediretur aliorum peruerſio, & in ſecundò caſu ne audientes malam famam de titio concipiant, alias debere omitti, ſi bonum non ſperaretur in alijs probabiliter affirmant, attamen puto etiam probabiliter amplectendam circa hæreſis peccatum præcipuè quod eſt tam Reipublicæ

Chri-

Chriſtianæ damnoſum, quando correpturus eſt homo grauis, & doctus, quia aliter videretur approbare hæreſim, niſi corriperet, & facilè idiotæ ſubuerſioni inclinarent.

Vtrum correptio ſtatim poſt peccatum factum adhibenda, & an aliquando differenda, & permittendum peccatum eo fine, vt ex hoc ſuam miſeriam recognoſcens feruentius reſurgat.

DIFFIC. X.

Dico primò, quod an ſtatim facienda ſit correptio poſt peccatum, & aliquantiſper differenda potius prudentiæ correptoris relinquendum iuxta regulas hic ponendas, nam in correptione facienda ſeruandæ ſunt circumſtantię perſonæ, loci, & temporis, & modi, iuxta commune Doctorum placitum, vndè correptionem facturus debet conſiderare an in tali crimine hæc perſona hoc præcisè tempore, & loco ſubiaceat correptioni, nam ſi crimen ſit ex aliqua paſſione, & prauo affectu efferueſcente præſentialiter, & actu procedens, id eo cum temporis interuallo iuxta neceſſitatem faciendam iubet Dominus dicens, vade, & corripe, ly enim vade, dicit tempus diſcretum à correptione, ſi enim in re ſcilicet coram te peccauit, cur vade dicit? niſi quia tempus ad correptionem neceſſarium expectandum vult innuere.

Vnde ſi perſona delinquens ſit perſona iracunda, & leuis non debet ſubito corripi, ſed expectare donec ira vel paſſionis affectus refrixerit, renuunt enim homines præſentaneis paſſionib. detẽti in illo furore corripi, nec .n. in illo furore rationis ita compotes ſunt, vt quod rectum eſt perſuaderi facilè valeant, limitanda tamen eſt hæc doctrina, modo peccatum quod committitur ex tali furore paſſionis non ſit immediatè in perniciem communitatis, & actualis oppreſſionis alicuius innocentis, quia in hoc caſu dicendum vt in ſuperiori difficultate, vt ſtatim adhibeatur correptio ſi profutura ſperetur, & abſolutè ſi ſit in fidei Catholicæ, & Eccleſiæ Catholicæ detrimentum. Secundò, correptor debet conſiderare locum an ſit opportunus, locus enim conuiuij, & recreationis, vel vbi ſunt perſonæ, coram quibus ægrè ferret correptus argui, tunc enim ratione loci differenda eſt correptio ad locum opportunum, etiam ratione perſonarum. Tertiò, poteſt differri ſi cognoſcatur peccator hic, & nunc non habere occaſionem proximam relinquendi peccatum, vnde potius tædium, quam [illegible] afferret, expectanda opportunitas, in qua facilè peccatũ relinqueret, modo non ſit in articulo, vel periculo mortis. Quartò, quãdo ſperatur peccator emẽdãdus quia per modum tranſeuntis ex quadam leuitate animi potius quam ex malitia peccauit, nec amplius idem peccatum ab eo comittendum, non eſt neceſſaria correptio, quia facilè poteſt colligi a ſemetipſo ſuam leuitatem in peccando reprehendendam, & corrigendam. Quinto, debet ſeruari modus, vnde ſi te non eſſe diſpoſitum ad leuiter, & placidè arguendum peccatorem cognoueris, non debes ſtatim corripere, ſed expectare tempus, in quo ſis benè diſpoſitus ad corripiendum leuiter, & benignè, nam hæc circumſtantia leuiter, & placidè corripiendi neceſſaria eſt, cum correptio ex charitate, quæ patiens, & benigna eſt, procedit, vel ex miſericordia, quæ placidum præſupponit affectum, & ita facienda correptio à D. Paulo dicente, (fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi corripite in ſpiritu lenitatis) Itaque ſi correptor nimio zelo efferueſcat contra peccatorem actu peccantem, debet expectare donec feruor zeli tepuerit, vt mitius peccatores in ſpiritu lenitatis corripiat. Ita ex noſtro *Villalob. in ſumm. T. 2. tract. 4. diffic. 3. Caſpenſ. in curſ. Theol. T. 2. tract. 17. diſp. 6. ſect. 1. Trullench. in decalog. Tom. 1. l. 1. cap. 14. Reginald. Tom. 1. l. 4. capitul. 25.* & alijs.

Attendat ergo prudens correptor circumſtantias præfatas, ſi fructuoſam velit facere correptionem, & ex allatis exemplis poterit ad alia conſimilia ſe gerere in praxi.

Dico ſecundò, quod an differenda correptio eo fine, vt per tale peccatum recognoſcens ſuam miſeriam feruentius reſurgat; affirmant noſt. *Vngarell. loc. cit. Caſt. Pal. T. 5. tract. 6. Trullench. loc. cit.* quia melius eſt peccanti vt feruentius reſurgat; ergo differenda correptio, ſi probabiliter ſperetur, ex ſuimet cognitione feruentius à peccato ſe ſubleuaturus, ita etiam permittuntur pueri leuia furari, vt de leuibus caſtigati à grauioribus ſeriò abſtineant furtis in poſterum.

Ceterum negant alij, cum permittere hominem in ſtatu peccati ſolius ſit iudicij diuini, non humani, & nullo modo ſunt facienda mala, vt veniant bona. Vnde præfata opinio prior non placet *Franciſco de Caſtello in 3. ſent. T. 2. diſput. 6. de correct. qu. 4.* & ſanè mihi probabilior, & tutior hæc ſecunda videtur, nam fragilis eſt vita hominis, quis enim poteſt ſcire an habeat tempus opportunũ ad cognoſcẽdam ſuam miſeriam, quin potius non incidat in aliquod peccatum grauius, peccatum enim quod per pœnitentiam non deletur, in aliud trahit, itaque ſub ſpe, quod aliquo tempore ab ipſo ſit recognoſcenda ſua miſeria, non debet prætermitti præſens correptio, ſcriptum enim eſt, tene certum, dimitte incertum, verum eſt tamen, quod ſi ex leuitate vt dictum eſt ſupra cognoſcatur lapſus fuiſſe in peccatum, non autem ex malitia, poteſt prætermitti correptio, quia probabile eſt à ſemetipſo cognoſcendam ſuam leuitatem, & ita de peccato dolere.

An verò multotiens de eodem ſit iteranda correptio donec emendetur, puto toties eam iterandam, quoties nouerit correptor neceſſariam ad ſalutem correptionem, fortè enim prima vice, & ſecunda non erat benè diſpoſitus peccator, reiteranda vſquequo lucratus fuerit fratrem ſuum; niſi fortè prima vice deſpexerit correptionem, quia tunc iuxta Domini præceptum eſt iteranda coram alijs correptio; adhibere autem pluries teſtes, ſi non audierit, tanquam nimis oneroſum non tenetur correptor, licèt optimum conſilium foret etiam coram teſtibus iterare, ſi nouerit fore neceſſarium ad emendationem, quæ poſſet ſperari ex iteratione correptionis coram teſtibus.

Vtrum Correptionis præceptum obliget fidelem cum proprij damni, & in commodi probabili periculo.

DIFFIC. XI.

Diſtinguunt primò, in hac Difficultate Doctores, nam vel eſt ſermo de leui incommodo, & leui damno, tunc obligatur vnuſquiſque cum leui incommodo, & damno proprio proximo ſpiritualiter indigenti per correptionis ſubuenire, quia ratio dictat pluris æſtimandam eſſe ſalutem ſpiritualem proximi, quam leue proprium incommodum, vel damnum, omittere actum correptionem ob timorem proprij damni, quod minus prudens graue exiſtimat, ſolum peccare venialiter elicitur ex *D. Auguſtin. l. 1. de Ciuitate Dei capit. 9.*

Quod ſi ſermo ſit de damno graui, vitæ, famæ, bonorum temporalium, etiam ſanitatis, aut alterius grauis incommodi, & nulla adſit neceſſitas extrema in proximo de ſua ſalute ſpirituali non tenetur fidelis cum tanto damno, & incommodo facere correptionem, quia nulla adeſt imminens neceſſitas, quæ fidelem in tali caſu vrgeat ad tantum incommodum. Ita communiter Doctores.

Quod ergo dubium faceſſit eſt, vtrum in neceſſitate, & periculo ſalutis ſpiritualis proximi teneatur cum ſuo graui incommodo, & damno temporali, & corporali facere correptionem proximo, vt in tali periculo à peccato reſurgat.

Diſtinguunt aliqui de neceſſitate graui, ſed reparabili, in qua volunt non teneri fidelem cum graui periculo vitæ, honoris, & bonorum temporalium corripere peccatum in proximo, quia in periculo reparabili ſalutis proximi magis debet vnuſquiſque ſibi, quam proximo.

Alij verò volunt, quod ſi neceſſitas ſpiritualis proximi grauis licèt reparabiliter periclitetur in damnum boni publici, & corripiens ſolum periculum ſuum particulare habeat, ſi adhibeat correptionem, teneatur facere correptionem, quia tenetur quilibet bonum commune præferre bono particulari.

At verò ſi proximus ſit in extrema neceſſitate irreparabili ſuæ ſalutis ſpiritualis puta in articulo, vel periculo mortis certo, volunt faciendam in tali caſu correptionem etiam cum graui detrimento vitæ, honoris, & ceterorum temporalium, modo adſit ſpes emendationis, & nullus alius adſit,

ſit, à quo ſperetur facienda talis correptio, quia charitas petit, vt potius ſalutem ſpiritualem proximi velimus, quam quodlibet temporale, etiam vitam, cum Chriſtus dicat, & vos debetis pro fratribus animas ponere, aliter peruerteretur ordo charitatis, quia diligeretur magis temporale commodum proprium, quam ſalus ſpiritualis proximi ſi omitteretur correptio, quod eſt contra charitatem, ita videntur velle *Azor c.1.q.3. & Bonac. & Valentia locis cit.* & alij.

Limitant tamen, quod priuatus homo poterit ex multis circumſtantiis ſe ex hoc onere liberari.

Primò, quando adeſt opportunitas vocandi Prælatum, ſuumque Superiorem, vt de peccato corrigat. Secundò, quãdo priuatus homo non eſt in diſpoſitione tali ſuæ conſcientiæ, vt poſſit eſſe probabiliter ſecutus de ſua ſalute, ſi vitam propriam velit exponere pro facienda correptione, vnde concludit *D. Thomas in 3. ſent. diſt. 29. art. 8. q. 2. ad 2.* his verbis (cum ſcimus fratrem poſſe liberari per mortem corporis à morte animæ ſine periculo animæ noſtræ, tunc ponere animum pro fratre nõ eſt perfectionis, ſed neceſſitatis)

Ceterum cum hiſce limitationibus licet admodum pia videatur opinio, quam ſecuntur *Bannes 2.2.q.33.art.3. Choninch. diſp. 28 dub. 6 Duall quæſt. 9. art. 4. & Malder. 2.2. qu. 33. art. 3.* & alij, attamen

Alij non minus probabiliter, & tutè contrarium ſentiunt, ſcilicet non adeſſe obligationem ſub mortali, vt fidelis cum periculo grauis vitæ honoris, & bonorum temporalium faciat correptionem proximo exiſtenti in irreparabili periculo certo damnationis æternæ, quod probant ex eo, quod correptio non eſt medium certum ſalutis proximi, vt patet, quia ſine auxilio Dei ſpeciali, vt plurimum humanæ ſuaſiones redeunt inanes, auxilium autem Dei non eſt in noſtra poteſtate, ex quo poſſimus reddere certam ſalutem proximi per noſtram correptionem, non tenemur autem certè noſtram vitam profundere propter incertam ſalutis proximi ſpiritualem, quod autem correptione hominis priuati non indigeat proximus in articulo, vel periculo mortis probat *noſter Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 5. n. 6.* nam vel proximus in articulo, vel periculo mortis eſt in peccato mortali ex paſſione, & malitia, & tunc tenetur ex ſe ipſo de peccato conteri, & dolere, ergo non eſt neceſſaria correptio alterius, dum periculum mortis illum admonet fructuoſius fortè, quam alius proximus, cum teneatur ſumere medium neceſſarium ad ſuam ſalutem, ſi vero peccat ex ignorantia vel eſt inuincibilis, & in hoc caſu non tenetur proximus eum docere, ſed relinquere eum in bona fide, quia iam non peccauit, & eſt in ſtatu ſalutis, ſi vero eſt vincibilis tenetur ipſe quærere doctiores, vel Prælatum, vel Confeſſorem, vt inſtruatur, verum eſt tamen, quod ſi priuatus interrogetur de veritate, & non adſit alius, qui eum doceat, in hoc caſu etiam cum periculo vitæ, & bonorum temporalium debet fateri veritatem, & mouere de veritate poſitum in articulo, vel periculo mortis. Ita *noſt. Villalob. loc. cit. & Diana p. 2. tr. 3. diffic. 27.*

Prælati tamen, & Superiores habentes curam animarum quando periclitatur ſalus ſpiritualis ſuorum ſubditorum, nõ ratione correptionis fraternæ, ſed ratione proprij officii, modo emendationẽ probabiliter ſperent, animas ſuas ideſt vitam, & omne temporale bonum teneatur profundere, bonus enim Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, quod verbo, & opere docuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Ita *noſt. Villalob. Bann. Mald. loc. cit.*

An vero eadem obligatione ſicut Prælati teneantur parentes pro ſuis filiis, Mariti pro ſuis vxoribus, & Domini pro ſuis ſubditis, reſpondet *noſter. Villalob. loc. citato* non tanta quidem obligatione adſtringi ſicut Prælati, ſed ſanè maiori, quam ceteri priuati, hinc *D. Paulus* ſæpè admonet, vt ſciant domibus præeſſe, & filios habere honeſtos, hinc Heli repentina, & violenta morte mulctatus à Domino l. 1. Regum, quia filios ſuos peccantes circa miniſterium Altaris non correxit. Ex quibus

Collige certum eſſe correptionem fraternam omnino omittẽdam etiamſi ſperetur emendatio proximi ſi corripiẽs timeat probabiliter ſpirituale animæ ſuæ damnum ex tali correptione facienda, nam *Matt. 16.* habetur (quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur) & hoc non ſolum de periculo peccati mortalis, ſed etiam veniali docent DD, quia peccatum veniale eſt intrinſecè malum, non ergo teneor malum facere animæ meæ, vt ex inde ſequatur ſalus proximi; nullo enim modo faciendum malum nec veniale, vt inde veniat bonum. Ita *Valent. 2.2. diſput. 3. q. 4. punct. 2. Bann. Malder. Reginald. & Bonac. locis citatis.*

Vtrum adſit obligatio ſub mortali faciendi correptionem peccatoribus publicis permiſſis puta Meretricibus, Vſurarijs, & huiuſmodi.

DIFFIC XII.

NEgant alij, quia de peccato publicè permiſſo à Superioribus adeſt Regula communis, quod nullus teneatur facere correptionem, vel quia oportet ſcandala veniant, vel quia obſtinati dimittendi ſunt iuxta dictum Saluatoris, ſinite eos, quia cæci ſunt, vel quia Superiores permittunt aliqua publica peccata impunita ad manus malum vitandum, hinc *D. Auguſt. l. 2. de Ord. c. 4.* reddens rationem præſertim, quare meretrices permittuntur (tolle meretrices à rebus humanis, & omnia turbabis libidinibus) præterquam quod iſti publici peccatores potius riderent correptiones, quam aliquam emendationem ex ea ſumerent.

Alij tamen faciendam putant publicis peccatoribus etiam de peccatis permiſſis à Superioribus, quia, & iſti fratres noſtri ſunt, ergo auxilium ſpirituale tenemur eis præſtare, nec obſtare aiunt, quod Superiores permittant tales peccatores publicos impunitè, quia Magiſtratus, & Superiores non intendunt principaliter, primario, & immediatè ſalutem animarum, ſed exercitium iuſtitiæ propter bonum publicum, permittere autem huiuſmodi peccata eſt vitare maius malum, vnde reſultat in beneficium publicum, ideo non tenentur corrigere, at vero priuati quatenus fratres ſunt tenentur ad eos corripiendos in caſu tamen, quo ſperetur emendatio, quia in tali caſu frater, vt frater tenentur cuicunque fratri indigenti auxilio ſpirituali, illud per correptionem præſtare. Ita Moderniores aliqui *Mald. 2.2. D. Th. q. 33. a. 2. dub. 3. Choninch. de Charit. diſp. 28. dub. 3. Palaus T. 1. tr. 6. diſp. 3. p. 2.* & alij.

Verum ſi loquantur de obligatione ſub mortali non video rationem cogentem ad probabiliter aſſentiendum huic poſitioni niſi in caſu, quo cognoſceretur expreſsè in ipſis diſpoſitio ad relinquendum peccatum in aliqua occaſione, tunc enim deberet quis diſpoſito aliquantulum ope correptionis ei ſubuenire ad ſtatuendam peccati fugam tanquam ad Paradiſum adductiuam, & pœnarum remotiuam, vnde niſi in tali caſu etiam viri timoratæ conſcientiæ non practicant hodie publica iſta corripere, iugum enim nimis durum, & periculoſum meretrices præcipuè adire, vt corripiantur.

Vtrum correptionis facienda modus Matth. c. 18. *à Chriſto Domino datus ſemper obliget ſub mortali etiam in publicis peccatis.*

DIFFIC. XIII.

DIfficultas iſta videtur ſupponere ſolutionem illius difficultatis, an ſcilicet verba Domini loc. cit. (ſi peccauerit in te) debeant intelligi de peccato contra te ideſt de iniuria illata, an vero de peccato in te, ideſt coram te, vel te præſente, in qua variant Doctores, quare

Affirmant multi Doctores graue, intelligenda eſſe verba iſta (ſi peccauerit in te) ideſt contra te, & de iniuria illata, & hoc deducunt ex ipſo contextu, ſi rectè ponderentur verba antecedentia, nam ibi *Petrus* interrogans Chriſtum ait (quoties in me peccabit frater meus, et dimittam ei) in quibus verbis ly in me ſunt intelligenda de iniuria illata, nam concludit Chriſtus illam parabolam (ſic Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris, præterea *Luca* 17. apertè (ly in te) debet accipi pro contra te, dum dicitur, ſi peccauerit in te frater tuus increpa illum, & ſi pœnitentiam egerit dimitte illi, & ſi ſepties in te peccauerit, & ſepties in die conuerſus fuerit adde dicens pœnitet me, dimitte illi) Ita videntur docere *Diuus Bonauentura in cap. Luca 17. & noſter Stella ibidem, Chriſoſtom. homil. 6. in Matth. D. Thom. in cap. 18. Matth. ſecutus gloſam ordinariam, Maldonatus*

natus ibid. Salmeron in tract. 12. in cap. 17. luc. Hurtad. de Mend. vol. 1. diſq. 163. §. 107. & alij.

Negant tamen iſta verba (ſi peccauerit in te) interpretanda eſſe contra te, ſed coram te, & te præſente, ly in te, intelligendum, nam ille contextus allatus probat potius, quod te præſente, & coram te debeat intelligi, nam ibi Petrus loquitur vt perſona principalis Collegij Apoſtolici, ad quem ſpectaret emendare aliorum errores, & ideo interrogat quoties deberet dimittere errores fratrum coram ſe factos, & eodem modo intelligi poſſunt verba *lucæ*; quare non videtur ita apertum, quod contra te intelligenda ſunt verba, ly (in te) cum non ſit veriſimile ſepties iniuria potuiſſet inferri Petro ab eodem in vno die, bene tamen, quod ſepties erret ſaltem venialiter iuxta illud ſepties in die cadit iuſtus, vnde *D. Auguſtinus de verbo Domini ſer. 16.* explicans iuſta verba, ſi peccauerit in te, de peccato occulto loqui Dominum docet dicens (peccauit in te, quando tu ſolus ſcis, ſed ſi alij eiuſdem peccati conſcij ſunt, etiam peccauit in eos) Vide *Franciſcum de Caſtillo in 3. ſent. T. 2. diſp.* .. *de Corrett. q. 7. Suar. de Charit. diſp. 8. Valent. diſp. 3. q. 10. p. 5. Trullench. in decal. T. 1. l. 1. diſp. 5.* Doctores ergo primæ Opinionis defendunt præfatum ordinem in correptione fraterna non cadere ſub præcepto, ſed ſub conſilio, nam non obſtante hoc præcepto iniuriam paſſus poteſt coram Iudice ſtatim petere recompenſationem iniuriæ non ſeruatu ordine correptionis, aliter eſſet contra bonum publicum, & contra communem praxim, & vſum ſi immediate non poſſet fieri recurſus ad Iudicem pro compenſatione illatæ iniuriæ, ergo ſolum de conſilio, & non de præcepto ſtatuit Dominus Ieſus præfatum ordinem ſeruari ad maiorem perfectionem Chriſtianam, non autem abſtulit modum communem rectum fundatum in alio iuſtitiæ fundamento.

Præterquam quod ſi Dominus de omni peccato facto coram proximo, & non de iniuria illata iuberet ſeruari præfatum ordinem in correptione facienda multa ſequentur abſurda contra legem naturæ, contra quam Deus non ordinat ſua præcepta, etenim ſi Petrus ſecreto videret Virginem deſloratam, aut nobilem adulteratam, ſanè eſſet contra legem naturæ eam coram Teſtibus diffamare, & e contra ſi Petrus cognoſceret Mutium moliri ineuitabile iminens damnum contra bonum publicum eſſet contra legem naturæ ſeruare in eo ordinem correptionis à domino ſtatutum, nam ſine præuia correptione, & vocatione eius coram Teſtibus debet ſtatim denunciare, bonum enim publicum de iure naturæ anteponendum particulari.

Addunt denique in dicto textu non eſſe ſermonem de correptione ſimpliciter ſecreti, ſed publici ſecundum quid, quod colligunt iuberi à Domino adhibendos teſtes vnum, vel duos, Teſteſq; autem ſupponuntur habere cognitionem delicti perpetrati, ergo hic modus non cadit ſub præcepto in correctione fraterna de peccato ſaltem priuato, ſed de peccato publico facto ſaltem coram vno, vel duobus Teſtibus.

Ex quibus patet hanc Opinionem non eſſe tanquam erroneam damnandam, vt putauit *Lorca*, cum probabilibus fundetur rationibus, licet non ita firmioribus ſicut ſequens Opinio.

Secundæ tamen ſententiæ ſectatores putant ordinem correptionis fraternæ *Matth. 18.* traditum; ſcilicet quod peccator qui coram ſe peccauit, primò, ſit ſecretè admonendus ſcilicet inter te, & ipſum ſolum, Secundò, ſi ſe non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos. Tertiò, quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ. Quartò, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus ſub præcepto peccati mortalis ſecundum a Domino Ieſo traditum.

Et probatur, quia ex lege naturæ habemus, quod tibi vis, alteri feceris, ſed nos volumus noſtra peccata emendari abſque noſtræ famæ iactura, ergo idem facere debemus erga proximum, ergo corripere fratrem ſecreto iuxta ordinem Domini præfatum eſt de iure naturæ; quod ſi ex ſecreta admonitione non ſit correptus, quia magis debemus in nobis diligere ſalutem æternam, quam noſtram famam temporalem, ita etiam in proximo, ergo ſi non fuerit emendatus ex ſecreta admonitione, poſſum licitè eum diffamare per correptionem magis diligendo in ipſo ſalutem æternam ex illa prouenientem, quam ſuam famam corporalem, & quia de duobus malis minus eligendum, prius eum debemus diffamare coram paucis, & hinc oritur ſecundus ordo datus à Domino, ſi te non audierit adhibe, vnum, aut duos, & tertiò ſi te non audierit omnino iuſte diffamandus magis publicè, quia magis debemus diligere in nobis quamcumque famæ, corporalis iacturam, quæ recuperabilis eſt, quam iacturam ſalutis æternæ, vnde *D. Auguſtin. ſermon. 16. de Verb. Domini* (delictum fratris non debet occultari, ne putreſcat in corde, ſi enim non detegatur putreſcit in corde, multo enim charior, & vtilior debet eſſe ſalus æterna, quam fama temporalis, cum ergo ſimul, & ſemel non poſſumus conſulere ſaluti proximi, eiuſque famæ, neceſſe eſt ipſa charitate iubente, vt famæ proximi detrimentum afferamus, vt illum ſaluemus, atque adeo iure Chriſtus Dominus iubet, quod ſi non audierit corripientem coram vno, vel duobus denunciandum eſſe Eccleſiæ, nec curandum de eius fama, etenim Medicus membrum aliquod particulare putridum ſecat, vt totum ſaluetur corpus, & tenetur illud ſecare, ſi probabiliter ſperet pro futurum ad conſeruationem totius ita dictante ratione naturali partis integritatem omittendam ad ſubueniendum toti, vel parti principaliori, ita etiam fama temporalis, quæ priuatum commodum hominis eſt debet deſpici ad ſaluandum totum hominem, & eius principaliorem partem, quæ eſt anima a pena æterna, tanto magis, quod fama ex pœnitentia peccati facilè recuperatur, & aliquando melior acquiratur.

Ceterum præſcindendo ab opinionibus, an ly, in te debeat intelligi coram te, an contra te, loquendo an in correptione facienda de peccato ſecreto cadat ſub mortali præfatus ordo à noſtro Domino inſtitutus, cui difficultati reſpondens *loc. cit. noſter Seraphicus Doctor* ait (hic autem ordo congruitatis eſt, non neceſſitatis) quæ verba ita interpretanda cenſeo, quod hic ordo à Domino inſtitutus non eſt ſemper ſimpliciter neceſſarius, ſed ſolum congruitatis ideſt ſed ſolum eſt neceſſarius, quando congruit illum ſeruare, pro cuius intelligentia.

Dico, quod ex communi doctrina præcepta affirmatiua non obligant ad ſemper, ſed quando congruit ex aliqua circumſtantia, & occaſione, itaque cum ordo præfatus cadat ſub præcepto affirmatiuo non obligabit ſemper, & ita non eſt ſimpliciter neceſſarius, ſed quando ex aliqua circumſtantia, & occaſione congruit, hic neceſſariò adhibendus, tanto magis quando nullo modo congruit, imo non congrueret illum ſeruare, hinc licet reſtituere cadat ſub præcepto, tamen quia affirmatiuum eſt, non ſemper congruit reſtituere, puta ſi enſis reſtituendus à Domino petatur ad occidendum, non eſt reſtituendus, quia non congruit in tali occaſione reſtitutio, & ita de ceteris affirmatiuis eſt philoſophandum, ita ergo de præfato ordine eſt ratiocinandum, vt modus ille ſeruetur, quando ſic congruit ſeruari.

Itaque ſi correptio fiat ſecretè iuxta præfatum ordinem à Domino inſtitutum, ſit nocitura mihi, vel tertio, vel communitati, quia non congruit, omittenda eſt, quod ſi omiſſo primo iſto modo congruat ad maiorem profectum ſpiritualem, vel tutiorem emendationem vti ſecundo modo ſolum, puta quia periculum eſſet in mora, & non pro futura ſuſpicaretur abſolutè ſecreta, iure relinquitur, & totè ſolum adhibetur ſecundus modus, qui nec proximus, nec ſecundus profuturus probabiliter credatur, imo fortè obfuturus, poteſt vterque relinqui ſi tertius modus credatur probabiliter pro futurus. Imo quando peccatum ſit communitati damnum allaturum, vt eſt in proditione, & rebellione, nec ſperetur certa emendatio, iure primus, & ſecundus modus relinquitur, cum bonum commune magis diligendum, quam bonum priuatum, de peccatis autem hæreſis, dicetur infra, quomodo in hac materia ſit practicandum.

At vero ſi primus modus ſit profuturus, & accipiatur ſecundus, omiſſo primo, quia congruitatis, & æquitatis ratio confunditur, mortalis eſſet culpa, quia extra neceſſitatem fama proximi maculatur, verum eſt tamen, quod quando parum, aut nihil læditur fama proximi, puta quia corripitur coram Amicis, cum quibus peccans confidit, vel coram cordatis, timentibuſque Deum viris, qui non ſcandalizantur, ſed cum charitate compatiuntur, veniale, aut nullum ſanè peccatum committeretur, ita etiam dicendum de tertio omiſſo ſecundo, & primo, quia ſi ſit in notabile famæ detrimentum adhibere tertium modum omiſſo ſecundo, niſi aliud bonum publicum ſuadeat, aut ſalus proximi, peccatum eſſet talem ordinem peruertere. Ita etiam videntur docere *noſt. V alalob.*

lalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 9. Caſpenſ. in curſ. Theol. tract. 17. diſput. 6. ſect. 2. Diana p. 7. tract. 3. reſol. 39. & 36.

Verum in hac materia obſeruandum illud etiam videtur æquitati conſonum, quod ſi probabiliter cognoſcatur ſufficere vnus Teſtis ad emendationem proximi, non eſt adhibendus alter, quia non otiosè dixit Dominus ſub diſiunctione vnus, aut duo teſtes adhibendi, erubeſcit enim minus delinquens ſi coram duobus corripiatur, famę autem proximi conſulendum quantum maximè poteſt. Ita *Mald. in 2. 2. D. Tho. quaſt. 33. art. 7.*

Hic etiam obſerua corripiendum cum temporis interuallo, nam vade, & corripe, & adhibe teſtes empus connotat non tam breue, vt ſtatim à duabus, vel tribus horis ſit neceſſario facienda monitio, niſi aliud irreparabilis imminens ruina communitatis, vel etiam priuati immineret, quia tunc vna protribus ſufficeret, aliter tempus dandum, vt peccator ſecum deliberato diſcurſu poſſit ſaluti ſuæ prouideri, tempus autem quantum debeat intercedere inter monitiones prudentiæ corripientis relinquendum. Vide *Duall. 2. 2. de Correct. quaſt. 9. a. vlt.*

Denique an præfatus ordo ſeruandus etiam in peccatis publicis, & notis notorietate facti, quod nulla tergiuerſatione cælari poteſt, negant *noſter Villalob. in ſum. T. 2. tract. 4. diffic. 10. Filiucc. T. 2. tract. 27. c. 7. Palaus T. 1. diſp. 3. tr. 6. p. 1. Chonch. de char. diſput.* 28. quia iam ex notorietate facti proximus eſt ſatis infamatus, ergo fruſtratorium eſt ſeruare talem ordinem.

Attamen antiquiores affirmarunt *Adrianus, & Paludanus* præcipuè, quos citat, & ſequi videtur *Diana p. 7. tract. 3. reſol.* 42. modo ſint ea peccata, quæ ſoli peccatori nocent, non autem Communitati, vel tertio, & modo etiam probabiliter ſperetur emendatio, æquitati enim videtur conſonum, vt cum notorijs etiam peccatoribus hic ordo ſeruetur ad eorum ſalutem procurandam, cum frater noſter ſit etiam notorius peccator, nec obſtat, quod omnia peccata notoria, & ſcandaloſa ſior communitati nociua, ergo ſecretè non ſunt punienda, nam non ſemper peccatum ſcandoloſum, & notorium eſt nociuum Reipublicæ, vt patet de Meritricio, quod permittitur, ne publicum bonum libidinibus opprimatur, & in ceteris pecccatis publicis, quod ſolum pariant infamiam in peccatore, nullo autem modo publico obeſt, ergo ſolum in iſtis facienda eſt correptio præſato modo ſeruato. Verum pia eſt opinio, nec obſtat, quod contra ipſam videatur defin tum *contra de Panit. & remiſſ. c. p.* vbi ita habetur. (manifeſta peccata non ſunt occulta correptione purganda, ſed manifeſte, vt eius pœna alij terreantur) & *D. Paulus ad Timoth.* 5. (peccantes coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant) etenim loquuntur textus præfatus, & *D. Paulus* de correctione à Superiore, vel antiquiore facienda cum aliqua pœnitentia ad terrorem aliorum, non autem prohibetur correptio fraterna facienda peccatoribus notorijs, qui adhuc à Superiore permittuntur, pia, ergo, & probabilis hæc ſeruanda, non tamen credo obliget ſub mortali ſeruare hunc ordinem, licet laudabile eſſe eum ſeruare, nam vt dictum eſt diffic. Superiori non videtur regulariter ſub mortali obligare præceptum correptionis erga peccatores notorios permiſſos, ergo neque modus eam faciendi.

Vtrum contra Ordinem Euangelium præfatum omitti valeat correptio fraterna facienda, de peccato occulto alicuius Religioſi, ſi ex immediata denunciatione talis peccati apud ſuum Prælatum ſperetur tutius emendatio.

DIFFIC. XIV.

NEgant *Sotus, Adrianus, Abulenſis, Paludanus, Antoninus, Armilla, & Hugo de S. Victora*, quos citat, & ſequitur *Lorca 2. 2. diſp. 47. n. 9. & Sylu. V. Correctio q. 4. Nauar. c. 17. & Fagund. in decal. T. 1. l. 8. c. 7.* & probant, quia Euangelicus ordo fundatur in iure naturæ, quæ iubet famam proximi defendendam quanto magis fieri poteſt, ſi ergo ſperetur emendatio in Religioſo ex ſecreta correptione, proditor eſſet famæ ipſius, ſi apud Superiorem denuncietur non præmiſſa correptione, qui licet illud paternaliter excipiat, attamen poteſt timeri, ne iudicialiter contra eum vtatur tali denunciatione, præterquam quod videretur omittere ordinem Euangelicum, & immediatè Superiori denunciare eſſet occaſio diſſeminandi odia inter Religioſos, dum cognoſcunt ſe præter Ordinem Euangelicum diffamatum apud Prelatum, &c.

Quare concludunt, quod etiam ſi Prælatus præcipiat crimina ſibi reuelanda ſub pœna excommunicationis, etiam occulta, non obligat tale præceptum contra ordinem Euangelicum, ſed debet intelligi de crimine non emendato poſt correptionem de eo factam, cum præceptum poſitiuum non obliget contra ius naturale, & diuinum

Attamen affirmant alij poſſe denunciari Religioſum de crimina occulto apud Prælatum omiſſo præfato ordine Euangelico, ſi ex tali denunciatione immediata ſperetur tutior, & meliot profectus talis Religioſi. Ita *noſtri Ricard. in 4. diſt. 19. a. 1. quaſt. 1. ad primum Caſpenſ. in curſ. Theol. T. 2. tract. 27. diſput. 6. ſect. 3. Franciſc. de Caſtil. in 3. ſent. T. 2. diſput. 6. de correct. quaſt. 8. Suar. de Charit. diſp. 8. ſect. 6. & T. 4. de Relig. l. 10. c. 9. & 10. Palaus T. 1. tract. 6. diſp. 3. p. 4. Chonnch. de Charit. diſput. 28. Hurt. de Mend. vol. 2. diſput.* 163. *ſect. 6.* §. 83. & alij.

Probant autem hanc proportionem, quia praxis eſt ordinaria apud multos Religioſos, vt in capitulis dicant culpam de ſuis peccatis, vel auſcultent culpam à Prælato ſibi naratam de proptiis peccatis abſque præmiſſa fraterna correptione, & hoc ad maiorem Religioſorum profectum ſpiritualem, & tutiorem emendationem, cum ex illa erubeſcentia, quam patiuntur, non ſolum emendenter in melius, verum etiam mortificationis meritum, & humilitatis augumentum acquirunt, non eſt autem dicendum hunc actum eſſe erroneum, & contra Domini Euangelicum ordinem, cum fuerit ſemper in vſu apud Sanctiſſimos Patres antiquos, ergo ſignum eſt non obligare hunc ordinem apud Religioſos, qui mundo mortui ſunt.

Secundò, probant, quia ex reuelatione peccati occulti apud diſcretum Prælatum tanquam fidelem Patrem non incurrit ſubditus notam infamię, ſicut nec infamatur filius naturalis ſi Patri vt corrigat, peccata eius reuelentur occulta, quia certum eſt ab eo tegenda, & prudenter emendanda, tanto magis hoc dicendum de Patre Spirituali.

Tertiò, ſtante etiam, quod aliquam infamiam acquirat ſubditus ex tali reuelatione ſui occulti criminis apud Prælatum non facta ſibi prius de eo correptione fraterna, attamen quia communitatis Religioſæ perfectius bonum, & vtile, ex tali denunciatione immediata abſque ſecreta correptione ſequitur, cum perfectus, & tutius per eam emendatis Subditis Religionis communitas maiora apud Deum acquirat incrementa virtutum, & meritorum, ideo omnino contra particulare bonum ſubditi eſt omnino ſeruanda; maximè cum fama temporalis ſit minus bonum reſpectu ſalutis animæ ergo impunè negligitur fama Religioſi, vt eius ſaluti ſpirituali opportunius afferatur remedium.

Quare concludunt præfati Doctores, quod ſi imponant Prælati, vt delicta occulta fratrum ſibi tanquam Patri ſub pœna excommunicationis denuncientur, tenentur ea Prælato denunciare etiam non præmiſſa correptione, quod videntur confirmare ex decreto *Innoc. in c. qualiter, & quando 2. de accuſat.* vbi ſic habet (Prælatos curaturos, vt charitatiua monitio præcedat in ſcriptionem, in ſcriptio autem denunciationem, denunciatio autem accuſationem, hunc tamen ordinem circa Regulares perſonas non credimus vſquequaque ſeruandum, quando enim cauſa requirit, facilius, & liberius poſſunt à ſuis adminiſtrationibus amoueri) Vide pro hac propoſitione *Turrian. T. 1. in 2. 2. S. Thom. diſput. 89. dub. 4.* vbi citat etiam pro iſta ſententia noſtrum *Seraphicum Doctorem Angelum, & Roſellam.*

Inter iſtas duas ſententias pugnantes diſtinguendum puto, nam vel eſt ſermo de peccato, de quo non timetur reciduum, & faciliter ex monitione præmiſſa emendabitur Religioſus, nullo modo dicerem teneri ad deferendum tale crimen occultum Prælato immediatè non præmiſſa prius fraterna correptione, nam per emendationem Religioſi perfectè ſubuenitur Religioſo, & Religioſæ communitati, ergo præmittenda correptio iuxta ordinem Euangelicum in tali caſu.

Quod

Quod ſi, licèt ſperetur emendatio per correptionem, tamen non perfecta; quia probabiliter timetur recidiuum, cum ſcilicet habeat tale officium, quod eſt, vel poteſt eſſe ei occaſio proxima recidiuandi, tunc dicerem Prælato deferendum immediatè crimen licet occultum, ſi adſint hæ duæ conditiones. Prima eſt vt Prælatus ſit diſcretus, taciturnus, fidelis, prudens, & charitatiuus, nec tali ſubdito odioſus, vel inimicus, & crimen occultum proteſtetur ſe apud ipſum deferre tanquam Patri, non autem tanquam Iudici. Secundò, vt ſperetur ex tali denunciatione tutior emendatio, & melior profectus per prudentiam ſuperioris; quod ſi hæ duæ conditiones non adſint, nullo modo denunciandum occultum fratris delictum, quia ex indeſcretione Prælati odioſi, vel infidelis, & ſi non ſperatur profectus melior Religioſi potius ſequeretur perturbatio in communitate Religioſa, & in particulari, quam aliquod bonum.

Si quis autem abſolutè vellet alterutram ſententiam tenere, non erraret, quia vtramque abſolutè probabilem puto, & probabiliorem ſecundam certè puto apud Religiones obſeruantiſſimas, in quibus Prælati præficiuntur ſemper viri pij, diſcreti, fideles, prudentes, & Charitatiui nullo odio, & affectu temporali notati, quibus ſi deferantur immediatè occulta crimina ſanè maior profectus Religioſi particularis, & Religioſæ communitatis habebitur, vnde licitè correptio fraterna omittitur, ſicuti obſeruari perhibetur in praxi apud pijſſimos Patres Societatis Ieſu, inter quos Prælati ſemper eliguntur ij, qui ſunt pijſſimi, fideliſſimi, & charitate feruentiſſimi, vnde nulla in ſubdito delato de aliquo crimine occulto non præmiſſa correptione fraterna, poteſt timeri infamia, ſed ſanè tutior emendatio, & maior in poſterum eius profectus ſpiritualis; Vnde iure ex Oraculo Eminentiſſimi de Lugo de quo teſtatur etiam *Diana part. 7. tractat. 3. reſolut. 45.* Inquiſitor generalis Madriti die 19. Decembris 1625. damnauit propoſitionem hanc quibuſdam Theſibus appoſitam (nullo modo licèt peccata denunciare Prælato vt Patri omiſſa correptione fraterna) quæ propoſitio damnatur etiam in ſtatutis Valli ſol tunis noſtri ordinis nam probabiliſſ. eſt, quicquid in contrarium aliqui ex noſtris obmurmurent ex Academia Salmaticenſi, vide noſtrum *Hier. Rodr. in comp. reſolut. 36. num. 13.* Æquius tamen ſeruatur iſta ſententia cum conditionibus iam appoſitis, Verum

Vtrum occultum crimen Religioſi iam emendatum de quo tamen timetur recidiuum poſſit Prælato denunciari, ſi ab ipſo ſperetur efficax remedium ſalutis proximi, & an idem poſſit reſpectiuè ſuperior localis.

DIFFIC. XV.

NEgant noſter *Villalob. in ſumm. Tom. 2. tractat. 4. diffic. 12. num. 4. Petr. Nauarr. de Reſtitut. l. 2. cap. 4. part. 2. dub. 12. num. 686. Sanchez in ſumm. Tom. 2. l. 6. cap. 2. Petrus de Aragon. 2. 2. Tom. 1. queſt. 33. artic. 7. Valent. Tom. 3. diſput. 3. queſt. 10. part. 5. & nouiſſime Diana part. 7. tract. 3. reſol. 49.* ex eo quod cũ ceſſet finis præcepti correptionis dati à Domino vt dicatur Eccleſiæ, ſi iam emendatus eſt.

At verò noſter *Riccardus in 4. diſt. 19. artic. 3. queſt. 3. Auguſt. Verb. Denunciatio, §. 10. Graff. in deciſ. Tom. 1. l. 2. capit. 68.* contrario putant volentes denunciandum eſſe Religioſum emendatum iam de peccato, ſi timeatur relapſurus in idem peccatum ex eo, quod non conſuliter perfectè ſaluti proximi, niſi omnino probabilis recidiui tollatur occaſio, & potius ſalutis ſpiritualis proximi periculo conſulendum, quam famæ eius temporalis iacturæ.

Verum puto nullam eſſe inter iſtas opiniones differentiam, ſi benè noſtri Riccardi ponderetur intentum, qui dum vult denunciandum eſſe Prælato Religioſum emendatum ſi timeatur recidiuum, non loquitur de recidiuo dubio ordinario, ſeu remoto, ſed de recidiuo proximo probabiliter certò, quod patet ex eius ratione, nam per recidiuum remotum, & dubium non adeſt quis in periculo ſalutis, cum occaſiones iſtæ remotæ, & dubiæ facilè poſſint diuerti, nec omnino quis tenetur eas vitare ſemper, quia vt plurimum non ſunt per ſe cauſa peccati; itaque dum talem denunciationem Riccardus docet faciendam ex timore recidiui, vt ſaluti proximi conſulatur; de recidiuo probabili, quod proxima occaſio poteſt patere, dicendum eſt locutum fuiſſe, & non de quocumque recidiui periculo.

Vnde miror Dian. virum doctiſs. & pijſſimũ auſum fuiſſe ſententiam Riccardi vt falſam notare, & Graffium non benè ſecutum fuiſſe eius ſententiam, Doctores enim antiquiores Claſſici potius benignè interpretandi à pijſſimis viris, quam falſitatis arguendi, maxime quando apertè non ſunt locuti, & veritas ab eorum fundamentis dici, & colligi poteſt, ſicut eſt in hac opiniones Riccardi, qui verè denunciandum putat Religioſum emendatum de peccato, quando adeſt periculum probabile proximum recidiui, quia in hoc caſu ſolo periclitatur adhuc ſalus proximi, & non ſubuenitur perfectè eius ſaluti, niſi periculum probabilis recidiui præcidatur, quod ſanè poteſt tutius fieri à diſcreto fideli, & charitatiuo Prælato, & ideò ei denunciandum optimè monet.

Quam opinionem Riccardi ſic explicatam, & ipſi ſectantur, vt videre eſt apud eumdem, *Dianam §. notandum loc. citat. & Bonacin. in decalog. diſput. 2. queſt. 4. punct. 7.* ex qua doctrina ad ſecundam partem difficultatis.

Dico, quod ſuperior localis cognoſcens crimen ſui ſubditi occultum iam emendatum, timeatque probabiliter recidiuũ ex ſola ſua correptione, & facultate, poteſt vtiq; immediatè deferre tale crimine ſuperiori Prouinciali, vel Generali ſi ab iſto ſperet afficax remedium, quod ſi ex ſua correptione, & prudentia ſperet impedimentum recidiui, vel à Prælato ſuperiori non ſperetur efficax remedium in neutro caſu debet denunciare, quia ſi per ſuam correptionem ſperat remedium, facit contra famam ſui Religioſi, ſi apud ſuperiorem denunciat, & ſi per ſuperiorem non ſperetur remedium, fruſtratoria eſt delatio talis criminis. Ita etiam *Trullench in decalog. Tom. 1. diſputat. 5. dub. 16.* quicquid *Palaus T. 1. tr. 6. diſp. 3.* in contrarium videatur velle.

Vtrum Prælatus delictum occultum Religioſi delatum ſibi tanquam Patri loco correptionis fraternæ, poſſit deinde iudicialiter inquirere, vt illum de tali peccato iuridicè puniat.

DIFFIC. XVI.

AFfirmare videntur abſolutè *Sanchez in Opuſc. Tom. 2. l. 2. cap. 2. dub. 11. Filiuc. Tom. 2. tractat. 28. cap. 8. & Trullench in decalog. Tom. 1. cap. 5. dub. 16.* Ex eo quia ſi ex correptione fraterna non poteſt haberi emendatio, charitas, vt conſequatur effectum emendationis impetat iuſtitiæ, vt iudicialiter procedatur contra ipſum, vt veritas habeatur, & poſſit ita emendari, limitant tamen modo peccatum non ſit ita occultum, vt nullo modo in Iudicio probari valeat.

Attamen in tali caſu diſtinguendum puto, nam vel delicto habito in paterna delatione præcedit infamia, vel adeſt legitimus accuſator, vel iuridicus Denunciator, & in hoc caſu poteſt etiam ſola præcedente infamia inchoare proceſſum, quia infamia quæ dicitur clamoroſa inſinuatio delicti eſt ſufficiens, vt Prælatus ex officio procedere poſſit contra ſubditum, at verò ſi nulla præceſſit infamia, nec adſit accuſator, nec iuridicus denunciator, ſed ſolum charitatiuus delator, tunc iterum diſtinguendum cenſeo, nam vel delictum eſt in graue præiudicium communitatis, vel alicuius innocentis, vel ſperat per iuridicam inquiſitionem emendationem ſui ſubditi, quam non potuiſſet conſequi per ſolam paternalem correptionem, & in hiſce duobus caſibus licèt Prælato procedere iuridicè contra ſubditum ex delatione facta ſibi tanquam Patri, modo non ſit facta in actu confeſſionis, quia tunc non poſſet procedere, & quod poſſit in primo patet, quia bonum commune, & ſalus innocentis anteponi debent famæ delinquentis, ergo poteſt Prælatus tale crimen occultum iudicialiter inquirere ob bonum commune, & ſalutem innocentis nullo habito reſpectu ad famam delinquentis, vnde in tali caſu poteſt obligare delatorem ad denunciandum iuridicè, & denuncians tenebitur, ſi alia via non poteſt haberi ad præcauendum damnum publicum, vel damnum innocentis. Quod ſi propter aliquem legitimum timorem, vel aliam iuſtam cauſam noluerit denunciare, iuri-

Digitized by Google

iuridicè, credo, quod poteſt conſtituere fiſcalem, qui ex officio denunciet; modo ſperet poſſe iuridicè probari, quod ſi non poſſet probari, inanis eſſet inquiſitio iuridica contra famam ſubditi.

An vero in tali caſu poſſit examinari primus delator tanquam teſtis, negat *Aragonius*, quia ſemper videtur ſuſpectus, in caſu tamen hæreſis id affirmat, attamen communius *noſter Villalob. in ſumm. T.2. tract.4. diffic.14. & apud ipſum Soto, & Eminentiſſ. de Lugo de Iuſtit. T.2. diſput.37. ſect.7.* qui citat etiam *Suar.* affirmant quia non poteſt ſuſpectus haberi, qui tanta charitate Prælatum, vt Patrem adijt per emendationem ſui fratris, quare poteſt tanquam Teſtis examinari, & ipſe tenetur reſpondere, niſi fortè ſit complex in delicto, vel niſi ex tali teſtificatione magnum ſibi immineat periculum.

Quod autem id poſſit Prælatus in ſecundo caſu ſcilicet dum ex correptione paternali non eſt emendatus ſubditus, poſſit iuridicè contra eum procedere, vt ita tutius emendetur, patet ex eo, quod ſi id poteſt ad vitandum damnum tertij, vt modo diximus, ergo multo magis poterit iuridicè procedere ad vitandum ſpirituale ipſius delinquentis.

Quare ſi non adſit alter iſtorum caſuum non poteſt, nec debet Prælatus ex ijs, quæ habuit in paterna delatione ſibi facta procedere iuridicè contra delinquentem, etiamſi poſſet delictum iuridicè probari. Vide *noſtrum Villalob. & Cardin. de Lugo loc. cit.*

An delictum occultum in damnum notabile proximi, ſi periculum non ſit in mora, & interim ſperetur emendatio peccet contra iuſtitiam ſi quis prætermiſſa correptione fraterna deferat Prælato tanquam Patri.

DIFFIC. XVII.

SVppono in hac difficultate quemlibet ex charitate qui certo ſciat Titium velle damnum notabile inferre Mutio, obligatum eſſe corripere Titium, ne inferat damnum Mutio, & pro viribus impedire, ne tale damnum ſequatur, vnde ſi morali probabilitate credatur non profutura correptio per ſe, facienda eſt per alios, quod ſi nec per ſe, nec per alios ſperetur emendatio, debet Superiori tale crimen denunciare, vt ſequatur impedimentum talis damni, quod ſi nec ex iſta delatione ſit ſpes, tenetur innocentem in communi admonere, vt ſibi caueat tacitis tamen delinquentis nomine, & circumſtantijs, quæ poſſent illum patefacere, verum ſi hæc admonitio adhuc non ſperatur profutura, puta quia innocens à nemine ſibi malum ſuſpicari poteſt, licet tunc manifeſtare delinquentem, ſi adhuc in mala perſeueret intentione, nam in hoc caſu delinquens propter perſeuerantiam, & obſtinationem in peccato amiſit ius ad famam ſuam, & admonendus omninò innocens, etiam ſi ſciatur delinquens indignandus grauiter, cum magis debeamus ex charitate præcauere iniuriam, & damnum inferendum innocenti, quam famæ, & indignationi delinquentis conſulere, melior enim eſt paſſuri iniuriã conditio, quam delinquentis. Ita *noſter Villalob. in ſumm. T.2. tr.4. difficult.14. Trullench. in decal. T.1. cap.5. dub.16. Sanchez in opuſc. T.2. l.2. cap.2. dub.11. Choninch. de Charit. diſp. 28. Filliucc. T.2. tract.28. dub.8. Palaus T.1. tract.6. diſp.3. part.13.* etenim lata eſt differentia in peccatis nullum tertium damnificantibus, in quibus ſufficit probabilis ſpes emendationis, in peccatis autem damnificantibus proximum debet eſſe magis certa moraliter ſpes deuitationis detrimenti inferendi ſequendæ ex correptione, alias licitè proceditur ad modos ſupradictos cum detrimento famæ delinquentis, ſtante autem hac doctrina ad præfatam difficultatem reſpondendo, dico, quod

Affirmat peccare contra iuſtitiam qui defert Prælato crimen occultum in damnum tertij, quando periculum non eſt in mora, & interim ſperatur correptio *Leſſius cum Sayro in C.R. lege 11. cap.14.* quia ſicut Medicus abſcindendo membrum, ſine cuius abſciſſione poſſet æque bene ſanare ægrotum, tenetur ad reſtitutionem, quia peccat contra Iuſtitiam, ſic etiam qui poſſet per ſecretam monitionem corripere proximum ſuum, & tamen Prælato defert eius occultum crimen peccat contra iuſtitiam famam ab eo auferendo, quam poſſet ſeruare, vnde teneri ad reſtitutionem volunt.

Alii tamen peccare ſolum contra charitatem volunt, non contra iuſtitiam deferentem crimen ſecretum proximi Prælato, nam prætermittere modum illum Euangelicum in correptione facienda in præfato caſu eſt contra charitatem, non iuſtitiam, quia in hoc caſu delinquens amiſit ius ad famam ſuam, dum procurat damnum tertij, ergo non tenetur id ſciens illud cælare quantumcumque occultum, quia potior eſt conditio innocentis, quam delinquentis, ſi ergo prætermittitur ordo Euangelicus deferendo immediatè Prælato crimen non ſit contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem. Ita *Fagundez Tomo 2. lege 8. cap.6. & Diana parte 7. tract. 5. reſol.53.*

Vtramque opinionem probabilem puto, ſecunda tamen mitior videtur, & tutè in praxi amplecti poteſt, malitia enim delinquentis non debet ſibi patrocinari, ad hoc vt eius fama debeat ſeruari ex iuſtitia, verum eſt tamen, quod pium eſt, & charitati conſonum, vt eius fama ſeruetur monendo prius eum per correptionem fraternam ex charitate; illicitè ergo prætermittitur hic ordo Euangelicus in tali caſu contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam, vnde non tenetur ad reſtitutionem talem ordinem omittens, nec exemplum medici allatum eſt vndequaque ad propoſitum contra hanc opinionem probans, nam medicus tenetur ex officio iuxta Aphoriſmos ſuæ artis, quos debet ſcire, exercere curam ægrotorum, & ideo peccat contra iuſtitiam, ſi contra eos medicans ægroto damnum infert, in hoc autem caſu non tenetur quis delinquentis famam ſeruare, cùm malitia eius non debet ſibi patrocinari adhoc vt eius peccatum ſecretum debeat occultari, & non reuelari.

Verum eſt tamen in præfato caſu potius vtendum lenitate, & vrbanitate charitatiua, quando ſperatur emendatio, vt potius adhibeatur correptio fraterna cum ordine Euangelico, quam delatio ad Prælatum, cum magis meritorium ſit, ſi ex feruore charitatis tuæ lucreris fratrem tuum, quam ſi emendandum deferas apud Prælatum omiſſa correptione, & ordine Euangelico, ita etiam monet *Cardin. de Lugo de Iuſt. T. 2. diſp.37. ſect.7.*

Vtrum ſi prius non fuerit facta correptio fraterna de peccato fratris debeat Iudex de eodem admittere denunciationem, vel accuſationem in foro fori.

DIFFIC. XVIII.

NEgant aliqui admittendã à Iudice accuſationem, vel denunciationẽ delicti occulti, niſi prius de eo facta fuerit correptio ſecundũ ordinẽ Euangelicum, & probant *ex c. qualiter, & quando* in ſuperioribus citato vbi habetur (ſicut accuſationem legitima debet inſcriptio præcedere, ſic & denunciationem charitatiua monitio, & inquiſitionem clamoroſa inſinuatio) ita vt ſicut ſine inſcriptione, ſine libello, quo accuſatio ſcripta contineatur ſubſcripta manu accuſantis non eſt admittenda à Iudice accuſatio, ita etiam ſine charitatiua admonitione præcedenti non eſt admittenda denunciatio à Iudice in foro fori, hinc *in cap. licet Heli de Symonia* Abbas Pomponianus ſe purgat apud Pontificem, quod accuſationem contra ſe factam non præceſſerit charitatiua monitio, & *in c. Accuſatio 2. quæſt.7.* hæc, & alia præcipitur, vt excommunicentur accuſantes Prælatos abſque præuia correptione fraterna. Ita videntur ſentire *Bannes, & Alphonſus Villagut. in ſua pract. lege 2. tit. de denunciat. Euangel. cap.9. concl.3. &* 4. docet Iudicem debere antequam denunciationem admittat, interrogare denunciantem an præmiſerit ſecretam correptionem, teſteſque adhibuerit iuxta ordinem Euangelicum, quod ſi hæc feciſſe non probauerit, & Euangelicum ordinem omiſerit, omnino repellendum à Iudice.

Verum iſta opinio ſic generaliter intellectu ad ſexcentos ſcrupulos viam aperit, & væ Iudicibus, ſi ita vniuerſaliter eſſet practicanda, quare

Diſtinguendum puto, nam vel eſt ſermo de denunciatione Euangelica, & charitatiua, & hæc à Iudice non debet admitti non ſeruato ordine Euangelico præter caſus ſupra exceptuatos damni irreparabilis communitati, vel proximo innocenti imminentis, vel quando non eſſet profutura correptio

fraterna, vel ſecurior foret denunciatio apud Prælatum, quia ſic ratio æquitatis expoſtulat, vt prius famæ proximi quanto magis poteſt, & ſuæ ſaluti ſpiritnali ſimul conſulatur, quando æquè benè fieri valet, & hoc eſt, quod Sacri Canones præcipiunt, dum iubent non admittendam denunciationem à Iudice, niſi prius ſeruetur ordo Euangelicus, loquuntur ſcilicet de denunciatione charitatiua, quæ expoſcit ordinem Euangelicum ad ſui validitatem.

At vero ſi fiat ſermo de iuridica, & iudiciali denunciatione, quæ ad genus accuſationis ſaltem largè ſumptæ pertinet, poteſt quidem, & ex charitate debet repellere denunciantem, niſi ſit prius vſus ordine Euangelico in caſibus, in quibus ſupra dictum eſt eſſe neceſſarium huiuſmodi Ordinē, attamen ſi denunciator nolit deſiſtere, & nolit vti tali ordine non eſt repellendus à denunciatione iuridica ſecundum probabilem opinionem Superiori reſolutione allatam, Iudex enim dedet facere quantum poteſt ex vi charitatis denunciationem iuridicam impedire, vt alio modo faciliori proximi famæ conſulatur, & proximi ſalus habeatur, quod ſi nequeat debet ſe gerere vt Iudex, cum nullo iure ſit cautum, vt denunciatio iuridica ſit nulla non ſeruato Ordine Euangelico. Ita etiam *Lorca 2.2. diſput. 47. & Duall. 16. tract. de Correp. queſt. 9. a. 5. & Caſtr. Pal. T. 1. tract. 6. diſput. 6. punct. 16.* quibus adheret etiam *Diana 7. p. tract. 3. reſol. 58.*

Vtrum ex vi denunciationis Euangelica poſſit Iudex trahere delinquentem taliter denunciatum ad iudicium in foro fori.

DIFFIC. XIX.

Diſtinguunt Doctores aliqui, quod ſi delinquens proponit ſe emendare, & probabiliter ſperatur emendatio, non poteſt ex vi talis denunciationis eum trahere ad iudicium in foro fori, quia dum adeſt emendationis propoſitum, iam Eccleſiam audiuit, non ergo habendus vt publicanus, & Aethnicus, ita vt contra ipſum per pęnas poſſit procedi in foro fori, quod ſi pertinax fuerit, neque ſperetur emendatio poteſt Iudex eum trahere ad iudicium in foro fori, quia tunc deſineret iam Ordo Euangelicus, & inciperet inquiſitio iudicialis. Ita *Sotus in relect. de Sacr. membr. 2. q. 4. poſt concluſ. 7. & infra.*

Caiet. tamen in 2. 2. queſt. 33. a. 8. videtur ſentire nullo modo eſſe licitum tranſire abordine correptionis Euangelicæ etiam ſi ſpes non adſit emendationis, ad Iudicium in foro fori, quia cum res fuerit incepta cum ordine charitatis propter bonum particulare delinquentis ibi erit prorſus ceſſaudum vbi ceſſat ſpes emendationis, quod ſi ſpes foret, vt corrigatur per pęnas legales in foro fori, tunc licere ait tranſire etiam contra eum ad forum iudicialem.

Alij tamen abſolutè volunt licere Iudici tranſire ex Ordine Euangelico ad Iudicium in foro fori, quando id viderit expedire exemplo aliorum, vel bono communi, vel rei publicæ, vel innocentis damno, etiamſi nulla fore ſpes emendationis, nam Virtus Charitatis non præiudicat iuſtitiæ, ad quam pertinet peccata punire, imo in beneficium boni publici, vel etiam perſonæ priuatæ imperat Charitas iuſtitiæ, vt iudicialiter contra delinquentem procedatur. Ita *Valentia T. 3. diſput. 3. queſt. 9. punct. 8. Filiucc. T. 2. tract. 28. cap. 6.* hæc vltima ſententia videtur hodie magis practicata, licet prima magis videatur æquitati conſona.

* * *

Vtrum ſemper facienda ſit correptio fraterna coram Teſtibus antequam delictum non emendatum per correptionem Prælato deferatur.

DIFFIC. XX.

Negat *Durandus in 4. diſt. 19. queſt. 4.* faciendam correptionem coram teſtibus de peccato occulto ſolum tibi noto, & non alijs in caſu, quo per ſecretam admonitionem non ſe emendauerit delinquens, ſed ſolum faciendam correptionem in tali caſu coram teſtibus, quando peccatum non ſolum tibi eſt notum, ſed etiam duobus, vel tribus alijs, addit tamen, quod ſi tibi ſolum notum ſit peccatum, nec prima vice à te correptus ſe emendauerit, debes ſecunda, & tertia vice ſolum corripere, & ſi ſe non emendauerit, in hoc ſiſtendum putat, & enim famæ proximi ſeruandæ plus dari debere cenſet, quia eſt de iure naturæ, quam Euangelico ordini, qui ſuper æquitate naturali fundatur, vnde ſecundum hanc Opinionem Ordo Euangelicus intelligi debet de peccato occulto facto ſaltem coram duobus alijs, non autem de peccato, quod tibi ſoli notum eſt, nam alteri reuelans hoc peccatum infamaret proximum contra ius naturæ.

At vero *noſter Ricardus in 4. diſt. 19. art. 3. q. 1. D. Thom. 2. 2. queſt. 33. ad primum Duall. ibid. tract. de correp. queſt. 9. art. vlt. Diana p. 7. tract. 3. reſol. 56.* affirmant abſolutè neceſſariam Teſtium inductionem ſecundum Ordinem Euangelicum, ſi non reſipuerit poſt primam correptionem, quia per talem teſtium inductionem conſulitur perfectius famæ, & ſaluti ſpirituali proximi, conſulitur famæ, quia cum peccatum ſecretum aliquando debeat Superiori innoteſcere, vt corrigat, potius conſulitur famæ proximi, ſi antequam fiat tranſitus ad eum infamandum coram Prælato, curetur corrigi, & emendari ex præſentia duorum, vel trium teſtium fidelium, & diſcretorum, qui de peccato commiſſo potius compatiantur, quam ſcandalizentur, & obmurmurent, conſulitur etiam perfectius ſaluti Spirituali, nam vt monet *noſter Riccardus* forte ex rubore, & pudore, quem concipit de peccato ſuo coram Teſtibu, propalato, efficacius mouetur ad ſe ſe emendandam, quia teſtes etiam pia, & caritatiua conſilia adhibentes dulcius, & facilius, quam per vnum poteſt ſperari ſecutura ſalus. Tertiò etiam ex *noſtro Ricardo* debet fieri correptio coram Teſtibus, vt oſtendat corrigens ſe ſuo munere perfunctum fuiſſe ſecundum ordinem Euangelicum in emendando delicto talis proximi, hinc ſi velit denunciare eius peccatum iuridicè, debet admitti, quia per teſtes poteſt probare ſe Euangelicum Ordinem ſeruaſſe, nam ſi Ordo Euangelicus non ſit ſeruatus probabile eſt, vt dictum eſt ſupra, quod non debeat admitti ad denunciationem ſaltem iuridicam, vt habetur *extra de iudic. c. nouit ille.*

Verum eſt tamen ex *D. Hyeronimo apud Malder. T. 2. queſt. 33. a. 8. dub. 3.* quod ſi ſufficiat vnus Teſtis, non eſt adhibendus alius, vt quantum fieri poteſt, conſulatur famæ peccatoris, conſulitur enim magis famæ proximi ſi coram vno corrigatur, quam coram duobus, & ideo Chriſtus ſubdiſiunctione ait, adhibe vnum, aut duos Teſtes, quaſi voluerit inſinuare Dominus, ſi ſufficit vnus, non eſt quare coram duobus corripias, *Abulenſis tamen c. 18. in Matt. & Nauar. in c. inter verba concl. 47.* volunt abſolutè poſſe fieri coram duobus Teſtibus, quia ex maiori erubeſcentia, & pudore ſperatur in peccatore efficacior emendatio.

Quod ſi non reſipuerit coram Teſtibus peccator correptus, an coram alijs Teſtibus iterum corripere teneatur, antequam Prælato deferatur eius crimen, conſilium putant optimum aliqui, non tamen præceptum, cum Dominus vna ſola vice teſtes adhibendos præcipiat. Ita *Malder. loc. cit.* negant tamen alij, quod debeat, coram alijs Teſtibus eum amplius corripere, nam famæ proximi non conſuleretur, coram iiſdem iterum corripere, atque iterum, optimum conſilium, non autem præceptum, at vero ſi Eccleſiæ, & apud Prælatum ſi ſe non emendauerit poteſt denunciari iuxta ordinem Euangelicum, quanto magis coram alijs teſtibus pro ſua ſalute ſpirituali, prior ergo opinio probabilis eſt, quam etiam docet *Bonac. diſp. 5. qu. 4. p. 2.*

* * *

Vtrum

Vtrum inter Religioſos poſſit licet practicari, quod peccata carnalia occulta denuncientur Superiori nulla prius præmiſſa correptione fraterna, & an idem dicendum de hæreſis crimine.

DIFFIC. XXI.

DIſtinguunt aliqui ex noſtris, nam vel peccatum carnis occultum Religioſi non eſt in periculo probabili, vt ſæculo diuulgetur, nec etiam alijs correligioſis, & in hoc caſu debet præmitti correptio fraterna, antequam Prælato denuncietur, quia publico bono non officit, at vero ſi peccatum occultum correligioſi ſit in probabili periculo vt diuulgetur, vel apud ſeculares, vel etiam apud correligioſos, denunciandum putant apud diſcretum, & prudentem Prælatum, vt cauta dexteritate prouideat, quod probant, quia peccatum carnis præcipuè à Religioſo perpetratum poteſt dici tendere contra bonum publicum Religionis, primò, quia generat infamiam, quæ etiam in totam Religionem, & ſingulos fratres redundat, ſæculares enim in vno Religioſo crimen carnis intuentes, alios etiam eiuſdem Religionis alumnos conſimiles putant in crimine, vnde toti Ordini detrahunt propter peccatum vnius, hinc *D. Auguſt. epiſt.* 137. ait ad hoc propoſitum certè aptam ſententiam (vnius ſæpe crimen tot Religioſorum pia exercitia, cilicia, orationes, diſciplinas, ieiunia, cetera, quę mortificationes ſuo malo exemplo labefactat, eoſque piiſſimos vnius ſæpè crimen facit male audire.) ergo ſi eſt in periculo diuulgationis apud ſæculares tale crimen debet omnino Prelato tanquam contra bonum publicum, nulla præmiſſa correptione denunciare, vt prouideat.

Imo ſi tale crimen carnis apud fratres poſſit diuulgari etiam denunciandum immediatè Prælato diſcreto, vt corrigat nulla facta correptione, nam diuulgatum apud fratres poteſt etiam eſſe contra bonum commune Religionis, cum peccatū carnis contagioſum ſit, & facile alios poteſt perdere malo exemplo, experientia .n. teſte vnus peccator carnalis facilè alios verbis, & occaſionibus conſimilibus curat inficere, vt fideles habeat ſui criminis ſocios, ſerpit enim facile in alios contagium peccati carnalis, eſt ergo contra bonum publicum, ergo ſub hac ratione poteſt Prælato prudenti immediatè denunciari nulla præmiſſa monitione; Ita nouiſſimè *noſter Caſpenſ. in curſ. Theol. T.2. tract.27. diſp.6. ſect.4.*

Nec obſtare ait, quod ita non conſulitur famæ proximi, quia potior eſt fama totius Ordinis, & tot correligioſorum Innocentium, quam ſuo peccato denigrat, quam vnius particularis delinquentis, ſibi enim imputandum, quod famæ ſuæ, & Ordinis decori ita turpiter peccando oculos mentis non habuerit.

Attamen ſi adſit ſpes emendationis, & peccatum non ſit habituatum, quod vel nunquam, vel difficilimè emendari ſolet ſed ſit ſimplex fragilitatis humanæ crimen putant alij mitius corripiendum prius Religioſorum ſecundum ordinem Euangelicum, vide *Hurt. de Mend. vol.2. diſput.163. ſect.5.* nam ſolum apud aliquos Idiotas vulgares hoc crimen videtur habere notam apertæ infamiæ, apud autem viros graues non parit infamiam ſimplex carnis peccatum, compatiuntur enim fragilitati, &c.

Ceterum in d. caſu ſuadere zeloſum, & pium Religioſum ſi prima velit opinione vti rigoroſa licet multū proficua ad obſeruātiæ, & decoris Regularis profectum, prius conſulat Patrē alium grauem, & zeloſum, & circumſtantias conferat, vnde valeat deferri licitè crimen occultum fratris ad Superiorē non præmiſſo Ordine Euangelico, nam paſſim ea Opinio non practicanda, niſi adſint circumſtantiæ ita euidentes, vt vel non ſit ſpes emendationis, vel in dedecus Religionis non ſolum quadam probabilitate morali, ſed morali euidentia ſaltem ſit tale crimen patefaciendum, niſi per Prælatum diligenti dexteritate contegatur, & cæletur, alias ſecunda Opinio practicanda.

Quoad vero crimen hæreſis occultum, quod multo magis, quam peccatū carnis poteſt Reipublicæ Chriſtianæ damnum afferre, & ſingulis priuatis, cum contagioſum valde ſit, & peſtiferum, & facile inficit eos, cum quibus conuerſatur hæreſis alicuius peſte infectus, ſanè, vt alibi dicetur, tutior Opinio eſt talem denunciare Prælato, ad quem ſpectat, omiſſo Ordine correptionis; Hæreſis enim cum in ſua eſſentia includat pertinaciam contra articulos fidei non poteſt faciliter de pertinaci, qualis eſt hæreticus, præſupponi, quod ei ſit futura correptio ſine ſpecialiſſimo Dei adiutorio, Verum ſi cognoſcatur, quod ex mera fragilitate, vel ſimplicitate in hæreſim quis corruerit, debet fieri correptio antequam denuncietur, quia adhuc non erit ita pertinax, vt non poſſit cognoſcere errorem, in quem ex ſimplicitate, vel fragilitate corruit.

Attamen ſi adſint edicta rigoroſa Dominorum Inquiſitorum, vel Epiſcoporum vt denuncientur etiam hæretici occulti quomodocunq; omnino denunciandus etiam, qui per ſimplicitatem lapſus eſt nulla præmiſſa correctione, quia Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis eſt ſecretiſſimum, piiſſimum, & matura deliberatione procedit in ſalutem animarum, vnde lapſus per ſimplicitatem pro prima vice facili correctione, vel ſalutari pœnitentia correptus dimittitur. Sed de hoc infra V. Denunciatio V. hæreſis, forte dicetur.

Vtrum dentur caſus, in quibus correptio fraterna non obligat ſub mortali.

DIFFIC. XXII.

HÆc difficultas ex dictis vſque huc in Superioribus conſtare poſſet, attamen vt quaſi in compendio quis habeat, quando obligetur ſub mortali ad faciendam correptionem, ex præfatis tè colligendo.

Dico, quod cum præceptum correptionis fraternæ ſit affirmatiuum obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſicut dicitur de quolibet præcepto affirmatiuo, obligabit ſolum iuxta circumſtantias loci, temporis, perſonæ, & qualitatis delictorum, quare conditiones aliquæ ex Superioribus deductæ recapitulandæ, vt ſciatur in quibus caſibus obliget correptio fraterna.

Prima ergo Conditio attendenda eſt illa, quæ adducitur à Domino, vt peccatum ſit factum te præſente, vnde dicitur ſi peccauerit in te id eſt coram te iuxta expoſitionem probabilem multorum, vnde elicitur, peccatum, quod teneris ſub mortali corrigere debeat tibi eſſe certum, & manifeſte notum, quod ſi per alios ſcias non teneris, niſi fortè ex officio id teneatis inquirere, nam fama paſſim incerta eſt, & plerumque mendax, itaque de ſolo peccato tibi euidenter noto, non autem ab alio delato teneris facere correptionem. Ita *ex noſtro Ricardo, Angelo, & Villalob. loc. cit.* & communius etiam docent ceteri Theologi.

Adde, quod ſi peccatum ita eſt certum, vt à Superioribus ſit permiſſum non teneris de tali peccato facere correptionem, quia non iam in te ſolum peccat, ſed coram omnibus, quod non cadit ſub correptione fraterna, ſed ſub correptione potius iuridica, eſt ex Superioribus patet.

Secunda Conditio eſt, vt peccator ſit talis, cui ſi fiat correptio, ſperetur probabiliter acceptaturus ſit libenter, & faciliter ſe emendaturus. Ita ex verbis Domini dicentis, quod ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum, quod ſi non ſit in Peccatore probabilis ſpes emendationis, non teneris corrigere, quia ſcriptum eſt noli effundere ſermonem, vbi non eſt auditus, & ſcriptum eſt etiam de obſtinatis peccatoribus, de quibus non eſt ſpes emendationis, ſinite eos, quia cæci ſunt, & cæcorum Duces, & tanto minus obligaris facere correptionem ei, qui non ſolum non emendabitur, ſed probabiliter ſuſpicaris in verba contumelioſa, & in indignationem mortalem ex factæ correptionis occaſione prorupturum, quia non ſunt facienda bona, vt veniant mala, limita niſi fortè peccator ſit in extremo periculo, vel articulo mortis, quia tunc ex charitate teneris ne moriatur impœnitens, ſaltem ſuum Superiorem, vel Parochum admonere, vt corripiat.

Verum ſi adſit quædam negligentia, & tepiditas, ex quo cogitat in tali articulo, & periculo non poſſe iuuare ſuum fratrem, vel proximum peccabit ſolum venialiter, quia poſitiuè non tranſgreditur præceptum, ſed ſolum negatiuè, quia non adeſt malitia poſitiua, ſed quædam bona fides, licet imperfecta cum proficiſcatur ex imperfectione actus charitatis, & tepiditatis cuiuſdam, quæ excuſare poteſt à mortali.

Tertia, ſi probabiliter exiſtimem eſſe alios, qui melius poſſunt delinquentem corripere, & ſperē probabiliter ab alijs corripiendum, qui hoc idem commiſiſſe ſciunt, quod & ego, vtpote, quod & ipſi ſint viri pij, & in hoc genere magis excepti, vel idonei, vnde autumo non indigere mea correptione, non teneor, quia non eſt in neceſſitate auxilij ſpiritualis re-

ſpectu meæ correptionis, cum ſint alij, qui ſanè lucrabuntur fratrem meum; quod ſi illi aptiores non fuerint ab eo auditi, nec teneor amplius ego idem Officium præſtare, cum probabile ſit, quod ſi aptiores non audierit, nec me ineptiorem ſit auditurus.

Quarta conditio, Eſt etiam obſeruandus locus cum tempore, quod colligitur ex verbis Domini dicentis, ſi peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe inter te, & ipſum ſolum, ly enim Verbum Vade, non eſt poſitum fruſtra ab eo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, ſignificat ergo poſtquam peccauit in te frater tuus, vt vadas, & corripies obſeruando locum, & tempus, nam vadere dicit mutatioem loci, & temporis, itaque dum dicit ſi peccauerit in te, vade & corripe, indicat nec in eodem loco, nec eodem tempore immediatè corripiendum fratrem, poſtquam peccauit, quare obſeruandus eſt locus proportionatus, & tempus idoneum ad faciendam correptionem, locus enim in quo peccatum admiſit fortè non erit opportunus ratione occaſionum peccandi, quas ibi habet occaſiones autem peccandi ſolent ita animum peccantis illaqueare, vt niſi cum magna difficultate ad earum præſentiã poſſit emendatio in eo ſequi, ergo locus opportunus remotus ab occaſionibus, maximè ſi locus ſit pius, aptior erit.

Tempus etiam debet obſeruari, nam immediatè poſt peccatum ſi corripies, fortè non lucraberis fratrem tuum, peccatum enim recenter admiſſum relinquit mentem admodum obcæcarã, vel à paſſione, & affectu illo peccaminoſo ita voluntatem illaqueatam, vt difficile ſit ei peccati emendationem, amplecti imo forte ad indigna eructãda cõtra te, ſi immediate ad eũ corripiẽdum accedas, propelletur ergo expectandũ tẽpus opportunum, in quo aliquo modo diſpoſitum ad ferendã correptionem tua prudentia dictauerit, quod ſi nunquam locus, & tempus opportunum ſibi videbitur corripiendi cum ſpe emendationis, nunquam teneris facere ei correptionem.

Quinta Conditio eſt modus, dicit enim, quod corripias, non corrigas, corripere eſt corrapere ideſt dulcibus, & aptis verbis eum monere debes, non tanquam Superiorem, vel ipſo meliorem te oſtendas; non eum ad nimiam erubeſcentiam, non ad indignationem, aut turpem adduces confuſionem; ſi duræ ſit ceruicis peccator pœnarum inferni æternas miſerias peccato debitas, Dæmonum miſerandam ſocietatem miti proponas animo; ſi vero facilis ad compunctionem, æternæ gloriæ, & beatitudinis gaudia amiſſa, B. Virginis, Angelorum, Sanctorumque omnium fæliciſſimum conſortium propter peccatum non amplius aſſequendum, niſi ad meliorem ſe frugem reducat, feruenti ſermone diſcutias.

Quod ſi ad talem modum ineptum te ſentias, vtpotè ad hęc, & ſimilia proponenda inutilem verè, & realiter, omnino inhabilem, te ita cenſeas, vt nullo modo lucrari te poſſe fratrem tuum repures, excuſaris ab hoc præcepto, dum eius finem aſſequi non vales.

Sexta Conditio, vt correptio primo modo fiat inter te, & ipſum ſolum, quia peccatum occultum, & ſecretum, ſecreta monitione corripiendum, ſecus ſi immediatè coram alijs niſi in caſibus præmiſſis in Superioribus difficultatibus, puta niſi ſit in damnum imminens Reipublicæ, & innocentis, & in articulo, vel periculo mortis irreparabili tui proximi, corripere velis, iam non correptor, ſed proditor proximi tui diceris, quia prodis eius famam, ſi ergo peccatum proximi ſecretum nunquam tibi adeſt occaſio ſecretè corripiendi, nunquam teneris corripere, niſi fortè in caſibus præfatis damni irreparabilis Reipublicè, vel innocentis, vel ſi ſit in articulo, vel periculo mortis, quia tunc eius famæ corporali anteponendum bonum publicum, & damnum innocentis, & eius vtilitas ſpiritualis, quare corripiendus etiam publicè, ſi non poſſit ſecretè, vel ſaltem denunciandus, ſi corrigi negligat.

Septima Conditio eſt, vt correptio à te facienda non ſit in damnum probabile tuum tam in re temporali, quam in re ſpirituali, ſcilicet enim ſuſpicaris probabiliter tibi aliquo modo damnum notabile allaturam correptionem, non teneris eam facere, niſi forte ſis Superior, cui ex officio competat, vel forte niſi ſit in extrema neceſſitate ſalutis peccator, nec ſit alius, qui poſſit eum à manibus Sathanę liberare per correptionem iuxta opinionem probabilem.

Octaua Conditio eſt, vt te omnino idoneum arbitreris ad faciendam correptionem, quod ſi puſillanimem, & nimio rubore, & verecundia ſuffundendum te putaueris in facienda correptione, vt potius riſum mouere; quam efficaciter monere, tua cognoſcatur correptio, vtpotè qui ſępè ſępius abſciſſa verba receptas ſententias ſit prolaturus ex tali verecundia, & puſillanimitate non teneris eum tanta tua confuſione hoc præceptum adimplere, maximè quia nulla ex tua hac imperfecta locutione ſperari poteſt emendatio, ſed potius contemptus in Peccatore. Itaque ſi propter hanc cauſam, vel aliam legitimam te idoneam Correptorem probabiliter aditreris, non teneris huic Euangelico præcepto ſatisfacere.

Ad hanc etiam Conditionẽ reduci poteſt, quod non ſolum excuſatur à facienda Correptione, qui ſolum quadam tepiditate, vel puſillanimitate laborat in hac materia, verum etiam qui ex quadam inaduertentia, & negligentia retardatur ab ipſa facienda cogitans hic, & nunc non eſſe vtilem, vel neceſſariam correptionem, hæc .n. inaduertentia ratione actus imperfectionis videtur excuſare à mortali, niſi fortè ſit Superior, cui ex officio competit, quia maiori tenetur diligentia proſequi actum correptionis, vnde tenetur aduertere, an egeat correptione peccator ſibi Subditus. Ita mixtim ex ſingulis Doctoribus ſupra citatis hæc omnia ad maiorem ſcrupuloſorum animi ſerenitatem collecta tuta conſciẽtia practicari poſſunt.

Vtrum Confeſſarius valeat complicem delicti in Confeſſionis actu interrogare ad hoc, vt ei poſt correptionem facere, & pænitens teneatur Confeſſario interroganti reſpondere.

DIFFIC. XXIII.

COmmuniter docent Theologi non ſolũ non teneri Confeſſarium interrogare complicem delicti à ſuo pænitente in actu confeſſionis, vt eum corripiat, ſed grauiter peccare volunt, ſi importunis precibus, & fraudulentis interrogationibus ſatagat extorquere à pænitente complicem ſui peccati, inquirere enim peccatum alterius inducit maculam eius famę, & ideo nullo modo tenetur non Superior inquirere peccata proximi ſui, vt ea corrigat, ſolum *enim id* prudenter faciendum relinquitur *Superioribus* per ſe, vel per ſuos Exploratores, tanto magis eſt inconueniens, & illicitum Confeſſario, quia redderet Confeſſionem oneroſam, & odioſam, ſi complex peccati ab eo deberet exquiri, & pænitentes faciliter adhorrerent Confeſſionem, quia daretur occaſio iudicandi frangere poſſe ſigillum Confeſſionis, dum interrogat de complice, vt eum corripere poſſet.

Aduertant ergo Confeſſarij, ne in tanto Sacramento, in quo penitens ad confidentiam ſunt alliciendi ſint, ita curioſi, vt ſub ſpecie zeli Deum, & proximum grauiter offendant, ſecretiſſimum forum poli reddendo ſuſpectum.

Quare ſi Sacerdoti non licet inquirere complicem, nec pœnitens tenetur interrogatus de complice eum propalare etiam in caſu, quo teneretur ſuum Complicem monere, & corripere coram Teſtibus, quia hæc ſolum præcipitur extrã Confeſſione; quod ſi aliquando expediens exiſtimet pænitens Complicem reuelare Confeſſori, vt ipſe aptius corripiat ſperans ex tali correptione emendandam, tradat etiam licentiam Confeſſario vtendi tali reuelatione tempore opportuno ſibi viſo aptiori ad faciendam correptionem, maximè quando deberet corripere ſuum complicem præfatus pœnitens poſt primam illi factam correptionem abſque emendatione ſecura coram Teſtibus iuxta ordinem Euangelicum; imo hoc poſſet pœnitens, ſi ipſe ſe ad eum corripiendum, inhabilem, & ineptum, & omnino inutilem, Confeſſoriſque correptionem profuturam exiſtimaret, nam ita vtiliter videtur gerere negotium ſpirituale ſui Complicis, vnde eſſet de hoc irrationabiliter inuitus, præſertim quia Confeſſori in actu Confeſſionis ſecretiſſimo abſque eius famæ periculo eſt reuelatum, & Confeſſor tenetur nulli alteri eius peccatum reuelare.

Vide *Duall.* 2. 2. *tract. de correp. quæſt.* 9. *a.vlt. Lorca diſput.* 34. *nu.* 19. *Lopez de Tinedain Theol. mor. T.*1. *l.* 1. *tract.* 3. *contr.* 6. *& Dianam p.*7. *tract.* 3. *reſol.* 34.

Cre-

Credere.

Credere cui quid liceat, & credulitas an aliquando excuſet à culpa.

DIFFIC. VNICA.

CRedere in hac difficultate ſumitur ſolum pro fide humana, quæ amico, vel alteri ſolet adhiberi, nam de credere articulis fidei fide acquiſita, vel infuſa dicetur infra V. Fides, & de credere quatenus dicit rem dare ſub ſpe pretij accipiendi, vel reſtituendi dicetur infra V. Creditor, & dictum eſt V. Contractus, & dicetur V. Emptio, Venditio, Mutuum, itaque ſumendo credere pro adhibere fidem alicui.

Dico primò, quod credere amico viro bonæ æſtimationis, licitè ita poteſt quis, vt ſi Iuriſta ſit abſque peccato poſſit ſubſcribere ſententiæ, quam Amicus aſſeſſor factam ait ſecundum formam iuris, vnde ſi deciperetur ab amico prædicto in præiudicium tertij, nihil ipſe teneatur, ſed ſolus decipiens, ſecus ſi amicus non ſit bonæ æſtimationis, & pro infideli, & intereſſato habeatur quia non eſt dignus cui credatur. Ita noſter *Corduba q.159. Lopez T.1.c.132.*

Hanc doctrinam extendit *Nau. in c.placuit de pænit. diſt. 9. n.171.* ad Parochum, qui poteſt credere Parochiano bonæ æſtimationis, quod habeat licentiam à proprio Parocho recipiendi Sacramenta in aliena Parochia. Tanto magis credendum Epiſcopo ſi dicat ſe non poſſe in ſuo Epiſcopatu commorari propter Tyrannos, & expulſores, vt vbicunque commoratur poſſit iuriſdictionē exercere in ſuos ſubditos *ex Clem. p. de for. Com.* in cauſa, n. propria creditur alicui aliquādo, i. quādo non eſt in præiudicium tertij, ſi ſit vir bonæ exiſtimationis.

Immo extendit eamdem doctrinam noſtri *Cordubæ Nauar. c.18. in ſuo Manuali* ad teſtem, quem ait poſſe deponere aliquod in Iudicio, quod credit eſſe verum, quia ab amico bonę æſtimationis ſibi dictum fuit. Ita etiā *Nald. V. credere n.2.*

Negat tamen *Nauar. c.22. n.2.* teneri aliquem ad credendum vnico teſti fidedigno, licet ſit proprius Parochus, quod ipſe in matrimonio iam contracto habeat impedimentum dirimens, vel etiam non dirimens, quia contra contractum ſolemnem, vt eſt matrimonium non creditur vni Teſti licet fide digno propter reuerentiam ſolemnitatis.

Dico ſecundò, quod credendum iuranti in ijs, quæ dependēt ab animo ſuo, vel ſola ſua intentione, quia nullus alius poteſt facere fidem de intrinſeco hominis niſi ipſemet, vel Deus qui nouit corda omnium, hinc ſi ſuam fidem corroboret iuramento iurando ſc. talem fuiſſe ſuam intentionē, & talem animum habuiſſe in tali re credendū eſt ei; hinc iuranti à ſe percuſſum hominem exiſtimatum fuiſſe laicum, & nullo modo cognitum fuiſſe tanquam Clericum credendum mandatur in *c. ſi vero aliquis, ibi gloſa V. pro. p. man. de ſent. excomm.* ita etiam *Nauar. conſ.4. de Cler. non ordin. in nouiſſ.*

Dico tertiò, quod credere poteſt quis ſine aliqua præſumptione, & errore aliquem malum, vel peccatorem commorari in aliquo oppido, vel magno conuentu non deſcendendo ad iudicandum aliquem particularem eſſe malum, quia probabile eſt in magno hominum conuentu reperiri aliquem malum, & Peccatorem, cum magna grauiſque ſit hominum imbecillitas in peccando, ita vt ſepties in dies cadat iuſtus, credere autem hūc, vel illum eſſe malum ſine probabili fundamēto, & ratione, peccatum eſſet, quia vnuſquiſque in particulari præſumitur bonus niſi probetur malus. Ita etiam *Nauar. c. 14. & Naldus hic V. credere n.*

Dico quartò, quod credere idem diuerſo modo quis legitimè aliquando poteſt, hinc *Nauar. in c. ſi quis de pænit. diſt. 1. n.100.* exemplificat de eo, qui mutauit Apicem in litteris Apoſtolicis, qui poteſt ſe non credere excommunicatum in conueniendo cum alijs in choro, benè tamen poteſt ſe credere excōmunicatum quoad petitionem abſolutionis ab excommunicatione ad cautelam. Idem exemplificat *Naldus loc. cit.* de muliere dubitante priorem maritum mortuum, quæ ſtante dubio ait debere credere vitū non mortuum quo ad debiti exigentiam cont... quia non debet exigere, debet autem putare mortuum in fauorem mariti, quia debet reddere, ſed an hæc doctrina benè currat videbitur alibi.

Dico quintò, quod credulitas probabilis, quod aliqua res ſit tibi impoſſibilis, vel multā difficilis excuſat à mortali, ſi talem rem non exequaris, licet foret ſub mortali præcepta, adde etiā ſi in ſua credulitate fallatur, quia habet hanc probabilem opinionem, cui adherendo non peccat, qui enim probabiliter credit, non credit temerè, & probabiliter creditum in moralibus dicitur moraliter certum, vt alibi fuſius dicetur, V. Opinio.

Creditor.

Quotuplex ſit creditor, & an prius poſſit incerto aliquando reſtitui, quam certo Creditori.

DIFFIC. I.

DIco primò, quod creditor in prima ſui diuiſione alius certus, alius incertus, Creditor certus eſt ille, qui ex ſua re data, vel alia Debitoris volūtaria obligatione habet ius certū contra debitorem, eius hæredes & ſua bona, Creditor autem incertus eſt ille cui ex lege poſitiua applicantur omnia illa bona, quorum neſciuntur Domini, Incerti autem Creditores dicuntur Eccleſiæ, & pauperes, quibus à iure poſitiuo applicantur omnia bona, quorum Domini neſciuntur, differentia autem eſt inter Creditorem certum, & incertum ea eſt præcipua, quod certus habet peculiarem actionem pro re ſua recuperanda, quam non habet Creditor incertus, cum ea licitè ſolum accipere poteſt, ſi tradantur bona incerta, non autem iuridicè petere niſi poſt applicationem ſibi factam, quia tunc de incerto ſit creditor certus.

Dico primò, quod Creditor certus alter dicitur realis, alter dicitur perſonalis, ſeu Chyrographarius, quæ diſtinctio vt plenius intelligatur ſciendum eſt ex Iuriſtis communiter, quod aliud eſt habere ius in re, aliud habere ius ad rem, nam habere ius ad rem, non tribuit immediatè actionem contra rem, ſed ſolum contra perſonam immediatè, vt ſi Titius emat à Petro librum, quem nondum tradidit Petrus Titio, dicitur Titius acquirere ius ad rem ſc. in perſonam Petri, non autem immediatè in librum, niſi in aliquibus caſibus, hinc ſi Petrus vendat Franciſco eumdem librum, eique de facto tradat librum, Titius nullam actionem habet in librum, ſed contra Petrum, qui ipſum defraudauit, habere autem ius in re, eſt habere actionem in ipſa re immediatè, quæ ſibi immediatè obligata eſt. Quare

Creditor realis eſt ille, qui habet ius in re, vel ad rem debitoris, perſonalis autem Creditor, ſeu Chyrographarius habet ſolum ius directè in perſonam Debitoris, non autem in re niſi indirectè ratione ipſius Debitoris.

Dico ſecundò, quod licet *Molyna de iuſtit. tract.2. diſput. 760. n.2.* videatur velle, quod debitor quando non poteſt omnibus ſoluere æqualiter tam certis, quam incertis Creditoribus, debeat prius ſoluere incertis ſc. Eccleſiæ, & pauperibus, quam certis, quia videtur magis pium ſatisfacere Eccleſijs, & pauperibus, quam alijs certis maximè ſi non ſint Eccleſiæ, vel pauperes certi iſti Debitores.

Attamen videntur alii hoc negare, & prius certis ſoluendam, quam incertis exiſtimant ex eo, quod debita certa iure naturæ prius ſoluenda, quam incerta, & Creditoribus certis debentur iure naturæ ſuæ res, at vero Creditoribus incertis ſolum ex iure poſitiuo, Creditores certi habent actionem peculiarem contra debitores, vel res debitoris, incerti autem nullam habent actionem, certi autem creditores grauantur ſi eis non ſoluantur, quod debetur, Creditores autem incerti non grauantur, imo Creditores certi poſſunt grauare, & moleſtare Debitorem, quod non poſſunt facere incerti, ergo omnino certis Creditoribus prius ſoluendum, quam incertis. Ita noſter *Rodriq. p.2. c.48. n.2. Clau. R. l.10. tract 5. c.10. Valentia T.3. diſp.5. q.6. punct.10. Vaſq. opuſc. de Reſt. c.11. n.3. Leſſius l.2. c. 15. dub.1. Regirald. l.10. n.235. Filiucc. tract.32. c.4. q.13. & 14. & Bonac. de reſtit. in genere diſp.1. q.8. p.2.*

Vnde infert *noſter Rodriq. cum Caiet. & Sylueſtro* peccare Mercatorem ante reſtitutionem bonorum certorum obtinentem indultum Apoſtolicum ſuper reſtitutione, ſeu bullam, quam vocant compoſitionis, &c

Verum ſi bona incerta ſint prius debita, quam certa, probabilem puto opinionem *Molinæ*, nam ſuccedant loco Dominorum ſuorum, quibus prius deberet ſatisfieri, maximè ſi certi creditores forent ditiores, ita vt non ita indigerent, æquitas enim videretur magna eſſe, ſi pauperibus indigentibus prius fieret ſatis de bonis, quæ deberentur prius

ſoluenda Dominis,qui ignorantur, quia ditioribus nulla fieret iniuria, tum quia non indigent, tum quia anterioritatis quandam rationem videntur habere pauperes, & Eccleſiæ in dictis bonis, quod puto in foro conſcientiæ poſſe fieri à debitoribus, licet in foro fori id prohiberentur fieri.

Vtrum prius Creditori cuius res extat apud Emptorem, quam ceteris, & an prius creditori ex contractu, quam creditori ex delicto ſoluendum, quid ſi creditoribus ſoluatur iuxta morem Patriæ, eiuſque leges ſpeciales?

DIFFIC. II.

Dico primò, quod quando res extat apud Emptorem prius ſoluendum creditori cuius fuit res, quam ceteris ſi æque omnibus poteſt ſoluere, docere videtur *noſt. Rod. p. 2. c. 48. & expreſſius tradunt Caiet. V. Reſtitutio c. 8. Nauar. c. 17. n. 49. Bonac. de Reſtit. diſp. 9. p. 2. & Filiuc. tract. 32. c. 4. q. 13. & 14.* & probat *noſt Rodriq.* quia inter creditores ſunt anteponendi illi, qui habent tacitam, & expreſſam hypothecam in re creditoris, quando autem extat res creditoris, apud Emptorem videtur ſuper illam habere tacitam hypothecā, dum adhuc de ipſa non eſt ſolutum pretium, alij tamen probant ex eo, quod dum non eſt ſolutum pretium, & res extat poſſit Dominus ſuam rem etiam inuito Emptore ſumere, quia eatenus eſt tradita, quatenus pretium erat ſoluendum tali tempore, ergo ſi non ſoluatur pretium poteſt res ſua extans, de facto à venditore accipi ſi pretium non ſoluatur.

Contrarium tamen cenſent dicendum *P. Nau. l. 4. c. 4. nu. 39. Azor 3. p. l. 4. c. 36. q. 1. Molyna T. 2. diſp. 536. Couar. p. var. reſ. 17. & Vaſq. de Reſt. c. 11. dub. 1.* ex eo, quod cum per verā emptionem, & rei traditionem iam res ſit facta debitoris, & in ipſam dominium iam tranſlatum, nullam amplius nec tacitam hypothecam habet creditor ſuper rem venditam, nec illam poteſt amplius repetere, ergo illis prius ſoluendum, qui prius ſunt creditores, vt infra docebitur.

Sane prior opinio æqua videbitur, ſecunda rationabilis, vtramque ego puto probabilem.

Dico ſecundò, quod, an creditori ex contractu licito prius ſolui debeat, quam creditori ex delicto diſtinguendū putat *noſt. Rodr. loc. cit.* nam delictum, vel eſt ex ratione cōtractus, puta quia fuit vſurarius, vel alias illicitus, & in hoc caſu præferendos ait creditores ex contractu licito, vtpotè certi expreſſam actionem habentes in debitorem, & iſtis prius ſoluendū quā creditoribus ex contractu illicito, quia nō habent ita expreſſam actionem in debitorem, ſi vero creditor ex delicto ſit ratione reſtitutionis faciendæ ſibi ex re furto, vel alio modo illicito ablata, iſtum præferendum putat *Rodr.* creditori ex cōtractu licito, quia duplici via fur offendit Dominum, & quia rem male malus accepit, & iniuſtè detinet rem alienam, & quia iniuriam intulit Domino rem ſuam occupando, non ſic autem vſuræ, quę paſſim voluntariè ſoluuntur, vnde creditor tanto maiorem actionem habet circa debitorem, quāto magis eſt inuitus circa detentionem rei ſuæ, ex quo infert *Rodr.* quod quæ per rapinam auferuntur, prius reſtituenda quam quæ per furtum, vtpotè quæ maiori violentia, et iniuria ſunt accepta, & magis inuito Domino retinentur, ita etiam *Valent. T. 2. diſp. 5. q. 6 & Sa on 2. 2. q. 62. a. 8. ad fin.* ita etiam cū *noſt. Rodr.* quoad primam partem præcipuè ſentiunt *Nauar. c. 17. n. 52. Caiet. V. Reſtit.* putantes prius ſoluendum creditori licito, quam ex delicto vſurario, quoad vero ſecūdam partem *Medina de reſtit. q. 2. dub. 5. Valentia, & Salon loc. cit.*

Attamen alii potius æquitati innitentes volunt vtriſq; pro rata ſoluendum, quia putāt nec euidēti ratione, nec expreſſo iure probari cui prius ex ipſis ſit ſoluendum, quare cū vnuſquiſq; habeat contra debitorē ius ad rem æqualiter, pro rata ſoluendum vnicuique, & pro rata amittent, quod debitor non poteſt ſoluere. Ita *Petrus Nauarr. l. 4. cap. 6. num. 41. Azor, Molyna, Vaſq. & Bonac.*

Dicendum tamen recolligendo ex præfatis opinionibus, quod videtur æquius, quod ſi res extat, potius reddenda ſit ſuo venditori, æquius eſſe deberi præferri illum creditorem qui prius tempore eſt paſſus damnum iuxta Regulam illam, prior in tempore, prior in iure, ceteris autem paribus vtraq; opinio probabilis eſt, æquior tamen ſecunda.

Dico tamen tertiò, quod creditoribus ſoluens iuxta morē Patriæ conſuetum, in qua debitor commoratur, & debita cōtraxit, & ſecundum eiuſdem ſtatuta, & conſuetudines, & iura particularia legitimè, & ſine ſcrupulo ſoluit, & conſcientiæ ſatisfacit. Ita communiter, limitat tamen *noſt. Rodr.* modo talia ſtatuta, conſuetudines, & iura non ſint contraria iuri naturali, & diuino. Hinc Pius V. opt. ſanciuit, vt creditores Curiæ Rom. Prælatorum morientium antequam ſatisfecerint, debēt hoc ordine ſoluere. Primò ijs qui res cibarias vendiderunt eis, ſecundò qui veſtes neceſſarias, non autem ad pompam vendiderunt. Tertiò qui certo ſtipendio ſeruierunt.

Vtrum prius ſatisfaciendum creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus, quam perſonalibus creditoribus non habentibus nec hypothecam, nec pignus, & inter ipſos cui primum.

DIFFIC. III.

Notandum hic pro faciliori intelligentia huius difficultatis, quod hypotheca, et pignus differunt, quia hypotheca eſt res data à debitore creditori pro ſecuritate debiti ſolum quoad ius, et potentialiter, vt quando ager aſſignatur pro ſecuritate debiti, in quo creditor habet ius, remanet tamen dominium apud debitorem, pignus autem datur etiam pro ſecuritate debiti, ſed actu traditur in manu creditoris, puta ſi detur Torques in pignus creditori pro ſecuritate debiti. Hypotheca autem alia generalis ſcilicet ſuper omnia bona, ſpecialis ſolum ſuper certa re, iterum hypotheca alia expreſſa, quando ſcilicet exprimitur in contractu, alia tacita, et dicitur illa quæ ponitur à iure abſque conuentione partium qualis eſt in dote, pro qua de iure obligantur bona Mariti.

Dico primò, quod creditoribus realibus habentibus hypothecam, vel pignus, ex eo enim datur hypotheca, et pignus vt certius ſoluatur creditori, et ſecurior ſit creditor, cedere debent creditores perſonales nullam habentes hypothecam, et pignus. Ita communiter *noſter Rodriq. Valentia, Salon, & Bonacina loc. cit. in ſuper. diffic.* quare creditores reales ſūt ſemper præferendi perſonalibus, quia illi habent maiorem actionem in debitorem, quam perſonales.

Dico ſecundò, creditoribus realibus cum dicta hypotheca, et pignore ſi eadem res ſubiecta foret, nec habeat debitor vnde ſatisfaciat omnibus, ſoluendum regulariter illis, qui priores ſunt in tempore iuxta Regulam illam, prior in tempore potior in iure, Ita *noſter Rodriq. Filliuc. & Nauarr. n. 51. loc. ſupra cit. Couar. 1. var. c. 7. n. 2. Sylu. V. Reſtitut 6. quæſt. 2.*

Limitanda tamen eſt hæc doctrina, quia non ſemper creditoribus anterioribus habentibus hypothecam, et pignus prius eſt ſoluendum, quia ipſis non eſt ſoluendum prius in ſequentibus caſibus.

Primò quando debitor mutuam accepit pecuniam ad reparandam, vel emendam domum, nauim, poſſeſſionem, vel aliam rem ſimilem hypotheticatam, quia prius reſtituenda eſt pecunia ſuo creditori *ex l. 5. ff. qui potiores in pignoribus*, et docent *noſter Rodriq. n. 25. Azor. Bonac. Vaſq. & Molyn. loc. cit.* quia res illa hypotheticata non extitiſſet, vel corruiſſet ſine mutuata pecunia.

Secundò, quando quis accepit pecuniam mutuam prouectura mercium, vel conductione domus in qua merces cuſtodiuntur, quia prius reddenda eſt hæc pecunia, quā ſatisfaciendum creditoribus anterioribus cum hypotheca *ex l 6. c. qui potior in pign.* propter eandem rationem ſuperius tactam, quia ſcilicet illæ merces non eſſent hic, et nunc ſine tali pecunia mutuata; Ita citati Doctores.

Tertiò, creditor bonorum dotalium etiam præferri debet ceteris creditoribus habentibus hypothecam tacitam anteriorem *ex l. aſſidui c. qui potior*, ſed de hoc uide fuſius infra V. Dos.

Quartò, quando eadem res eſt obligata duobus, quorum alteri ex ſcriptura publica poſteriori, et alteri ex ſcriptura priuata priori, quia præfertur habens ſcripturam publicam in foro externo, et hoc limita primò, niſi ipſe creditor poſterior habens ſcripturam publicam fateatur eandem rem fuiſſe prius obligatam per ſcripturam priuatam, quia ſibi ipſi præiudicaret, limita ſecundò, niſi fortè prior creditor habeet

betet ſcripturam priuatam ſubſcriptã tamen manu Debitoris ſimulque trium teſtium, quia hæc æquiualeret publicæ ſcipturæ ex *l.ſcripturas l. qui po ior in pignor.* Ita *Leſſius l. 2. cap. 15. Azor l.7.c.13.& Filiuc.tract.38.c.10.*

Vtrum Creditoribus perſonalibus non habentibus hypothecam ſit prius ſatisfaciendum anterioribus, & an iſtis ex hypoteca anterioribus ſit ſemper prius ſoluendam, quam ceteris non habentibus hypothecam, & quid dicendum de creditoribus ex contractu oneroſo, & gratioſo.

DIFFIC. IV.

DIco primò, quod Creditoribus perſonalibus carentibus hypotheca, & nullum ius habentibus in prælatione pro rata ſatisfieri à debitore, quando ſingulis integrè ſatisfacere non poſſet, debere aiunt noſter *Rodriq. Nauar. Leſſ. Bonacin. & Filiuc. loc. cit.* quia illa regula prior in tempore potior in iure ab ipſa lege ſolum applicatur habentibus hypothecam, aut alium titulum prælationis, contrarium tamen probabiliter ſentiunt *Medina quæſt. 2. dub. 5. loc. cit. Valentia T. 2. diſp. 5. qu. 6. par. 10. Salon. qu. 68. num. 8. Sà V. Reſtitutio n. 61.* putantes illam Regulam indifferenter loqui pro quocumque habente anterioritatem temporis, prior tamen opinio videtur magis legibus conſentanea, vt videbitur infra, ſecunda tamen magis æquitati proxima.

Dico ſecundò, quod multi ſunt Creditores qui habent ius prælationis in bonis Debitoris, & prius illis ſoluendum, quam ceteris Creditoribus habentibus hypothecam licèt expreſſam.

Primò, qui fecit expenſas moderatas pro ſepultura debitoris, vel alterius, quem Debitor ſepelite tenebatur, debet ante omnes Creditores accipere, quod expendit de bonis debitoris *ex l. penultim. ff. de Reliq. & ſump. fun. & l. 2. ff. de priuileg. Credit.*

Secundò, qui fecit expenſas in inſinuatione, & copia teſtamenti debitoris defuncti, atque in faciendo inuentario, quia in bonum Creditorum hæ impenſæ fiunt, & ideo habet hic ius Prælationis ante omnes Creditores *ex l. vlt. §. in computat. C. de iure debitorum.*

Tertiò, qui depoſuit rem ſuam apud publicum Campſorem, Mercatorem, vel argentarium tanquam publicum depoſitarium à Republica conſtitutum, ſi inde nullam accipiat vſuram, præfertur ceteris creditoribus perſonalibus, quod etiam videtur extendere *Leſſius* ad quemlibet Depoſitarium priuatum *l. 2. c. 25. dub. 4.* quod tamen negat *Molina, & Bonac. loc. cit.* illud tamen verum eſt, quod ſi reperiatur eadem res numero depoſita eſt omnino reſtituenda, quia domini eſt.

Quod ſi inter ceteros qui depoſuerunt ſine vſura apud eumdem vnus ſit alio anterior, æqualiter omnes admittentur ad recipiendam ſatisfactionem ex bonis debitoris *ex l. ſi hominem, §. quoties, & l. ſequenti, ff. de poſit. & l. ſi priuilegia, ff. de priuil. Credit.*

Quartò, anteferuntur inter perſonales Creditores ſponſæ, de futuro, quæ tradiderunt ſponſo dotem, ſi poſtea non foret celebratum matrimonium, quia in hoc caſu ſponſæ numerantur inter Creditores perſonales, & perſonalibus omnibus anteponuntur *ex. l. eo, c. qui potior, & l. 1. §. vlt. & duab. ſequen ff. de priuil. Credit.* Imo ſponſa de præſenti præfertur etiam creditoribus realibus.

Porro hic aduertendum puta cum *Antonio Gomez, l. 10. Tauri, Mol. diſp. 458. Leſſio, & Bonac. loc. cit.* quod hoc priuilegium prælationis de dote recuperanda non tranſit ad hæredes mulieris *ex l. vnica. C. de priuil. dotis*, limita niſi forent hæredes mulieris filij *ex l. Aſſiduis, . in præſenti, c. qui potior in pignor.*

Quintò, Creditores inter perſonales anteferuntur pupilli, quibus debetur aliquid à Tutore, vel Procuratore ſuorum negotiorum, nec tranſit ad hæredes hoc priuilegium, quia perſonale eſt intuitu non idoneæ ætatis, quo etiam priuilegio gaudent Minores, Prodigi, Fatui, Muti, & Surdi *ex l. debemus, §. 1. & tribus leg. ſeq ff. de priuil. Credit. & l. vlt. ff. de Tutela, & rat. diſtrah.*

Sextò, habent priuilegium inter Creditores perſonales illi, qui ſoluerunt creditori habenti priuilegium perſonale, nam ſuccedit ei in eodem priuilegio recuperandi pretium *ex l. ſi Veneri vultim. ff. de priui'. Cred.* Vide *Molin. Leſſ. & Bonac. loc. cit.*

Dico tertiò, quod Creditoribus ex contractu oneroſo puta ratione emptionis prius ſoluendum, quam Creditoribus ex contractu gratioſo puta donatarijs, & legatarijs, quia in contractu gratuito ſub intelligitur hæc conditio, quod tradenda ſit res promiſſa, donata, vel legata niſi ſtatus mutetur, & quantum decet, & quantum fieri poteſt ſine difficultate magna, ſuperueniente ergo inopia, nec poſſit omnibus ſoluere, mutatur ſtatus perſonæ, vnde decet prius ſoluere, quæ ex onere habet, vt ſoluat, quam ea, quæ ex ſola ſui liberalitate debet. Ita communiter Doctores citati.

Vtrum Creditori perſonali poſteriori diligentiori in petendo, vel pauperiori ex compaſſione, vel alteri poſteriori ex ſua beneuolentia licitè prius, quam anterioribus alijs ſoluat Debitor ſciens non poſſe æquè omnibus ſatisfacere.

DIFFIC. V.

DIco primò, quod Creditor perſonalis nullum habens ius prælationis ſi alio anteriori diligentior in quærendo ſuo petat prius à Debitore ſibi ſolui, non peccare, & Debitorem poſſe licitè, quod debet ei tradere, quia eius diligentia facit eum melioris conditionis, quam negligentes, ita vt æquipararetur habenti hypothecam, vel priuilegium prælationis teſtantur noſter *Rodriq. Leſſ. Azor, & Bannes, Filiuc. locis citatis* in ſuperioribus Difficultatibus, & *Nauar. cap. 17. num. 52. & habetur in l. pupillis, ff. quæ in fraud. cred.*

Quod tamen credo probabilius cum *Vaſqu.* practicari poſſe circa Creditores diligentes exigendo iudicialiter, vt ipſe probat *Opuſc. de reſtit. cap. 11. dub. 50.* probabile tamen puto id etiam practicari abſolutè poſſe in foro conſcientiæ in fauorem diligentiæ, & in odium humanæ negligentiæ.

Dico ſecundò, quod Creditoribus pauperibus inter habentes æquale ius prius poſſe debitorem reſtituere licitè, & validè docent *D. Thom. Opuſc. 73. cap. 18. Valent. Aragon. Medin. & Sayr. locis cit.* & ſanè in articulo neceſſitatis certum eſt apud omnes, extra neceſſitatem verò potius pium, & æquum videtur, quare probabiliter etiam alij exiſtimant non obligari, nec poſſe debitorem ſoluere prius pauperibus, quam alijs habentibus æquale ius, quando non habet, vndè ſingulis ſoluat, quia alij ditiores ſunt rationabiliter inuiti, ſi prius pauperibus extra caſum neceſſitatis ſatisfaciat in ſuum præiudicium. Ita *Azorius, & Vaſq. loc. cit.* eſſet enim hæc compaſſio in pauperes iniqua, & oneroſa, videtur ergo illicita.

Dico tertiò, quod Debitor ſciens ſe impotentem, ex beneuolentia, qua proſequitur magis vnum Creditorem, quam alium, prius vni, licèt non habeat ius prælationis, ſi ſoluat, non peccare, & Creditorem licitè recipere contendant *Nauar. l. 3. c. 4. Filiuc. tract. 34. num. 128. & tract. 31. c. 8. qu. 9. nu. 202. & Molina loc. cit.* ex eo, quod debitor reſtituit, quod debet, & Creditor iure ſuo vtitur in accipiendo rem ſibi debitam; limitant tamen, modo res, quæ reſtituitur non ſit obligata alteri, quia tunc peccaret, & teneretur reſtituere Creditor, quia non acciperet rem ſuam, ſed alienam, fundatur autem hæc obligatio *in l. qui autem, & in l. Pupill. ff. de his, quæ in fraudem cred.* vbi habetur Creditorem in tali caſu non eſſe obligatum ad reſtituendum alijs Concreditoribus.

Attamen negant id poſſe fieri noſter *Rodriq. & Nauar. loc. cit. Vaſq. de Reſtit. c. 11. nu 106. Azor. 3. p. l. 4. c. 36. qu. 8. Bonacin. loc. cit. & Turriann. diſp. 19. dub. 4.* quia cum ſinguli Creditores habeant æquale ius, peccat contra iuſtitiam commutatiuam tam Debitor tradens, quam accipiens, & tenentur reſtituere, quia ceteri Creditores ſunt rationabiliter inuiti in tali caſu, ergo traditur, & detinetur res illa inuitis Dominis, quod ſanè probabilius puto dicendum.

Ceterum bona fides in debitore, & emptore poſſet excuſare à peccato, & à reſtitutione cũ priori opinione, quod ſi in fraudẽ Creditorum id fiat ab vtroque, cum dolus nemini debeat patrocinari, cum ſecunda omnino practicandum.

Vtrum

Vtrum ſciens debitorem impotentem ſoluere ſingulis ſuis creditoribus, ſi accipiat aliquid ab eo contractu oneroſo puta per Emptionem, vel gratuito puta per donationem peccet, & creditoribus reſtituere teneatur, quid ſi neſciat in fraudem eſſe creditorum?

DIFFIC. VI.

Dico primò, quod ſciens debitorem impotentem ſoluere ſingulis ſuis creditoribus, ſi emat ab ipſo, licet vltroneè vendente rem ſuam, vel accipiat ab ipſo etiamſi vltroneè donatam rem, quæ creditoribus non ſit hypothecata licet ab *Angelo noſtro*, quem citat, & ſequitur *Couar. 3. var. c. 3. Rodriq. & Bonac. locis in ſuper. citatis, Salon 2. 2. q. 38. art. 3. controu. 2. Aragon ibid. Valer. T. 3. diſp. 5. q. 21. Azor p. 3. l. 5. de vſura c. 14.* probabiliter admodum exiſtimetur peccare, & ad reſtitutionem teneri, quia in fraudem creditorum emit, aut rem donatam accipit à tali creditore, & videtur cooperari debitori ad defraudandos creditores.

Attamen non improbabile puto ementem à tali debitore vltroneè vendente, vel accipiente rem vltroneè donatam nō hypothecam creditoribus non peccare, nec ad reſtitutionem teneri, quia emens, & accipiens dono rem à tali debitore non cooperatur fraudi creditorum, dum debitorem non inducit ad faciendum hoc in illorum fraudem, Emens autem, & donatarius iure ſuo vtitur ad emendum vel dono accipiendum à Domino volente vendere, vel donare rem alteri non hypothecatam, & debitor eſt in iure vendendi, vel donandi rem ſuam, ergo ſicut iſte poteſt licitè vendere, et donare, ita etiam emens, et donatarius poteſt accipere rem venditam, et donatam. Ita etiam videntur velle *P. Nauarr. l. 3. cap. 4. Filiucc. tract. 34. & 35. cap. 8. quaſt. 9. Leſſ. l. 2. cap. 20. dub. 8. Molyn. diſput. 38. & diſput. 329. num. 6.* et alij.

Quod tamen limitandum cenſeo, ſi intra annum à die ſcientiæ talem alienationem factam à debitore non reclamauerint creditores tanquam factam in ſui præiudicium, quia anno elapſo non conceditur actio ad repetendum *ex l. quod autem ff. de his quæ in fraudem credit. & l. ignoto C. de reuocand. quæ in fraud. & l. 1. ff. eodem titulo.*

Dico ſecundò, quod accipiens oneroſo contractu puta per emptionem rem nulli hypothecatam à debitore, quem neſcit eſſe impotentem ad ſoluendum creditoribus ſuis, vnde in fraudem creditorum nihil operatur ex parte ſui, non tenetur reſtituere aliquid poſtquam ſciuerit talem venditionem ſibi factam in fraudem creditorum, et probatur, quia non tenetur ratione iniuſtæ acceptionis, quia bona fide accepit neſciens id in fraudem fieri, nec ratione iniuſtæ detentionis, quia vt ſupponitur nulli erat hypothecata, neque ex contractu, quia ad reſtitutionem ſe non obligauit, vt ſuppono, Ita Doctores citati, quod ſi infra annum repetatur à creditoribus reclamantibus in ſui præiudicium factam venditionem tenetur reſtituere, non tamen fructus, quia eos ſub bona fide recepit à re ſub bona fide empta.

Ceterum, qui contractu gratuito puta per donationem accepit rem nulli hypothecatam à debitore præfato ſub bona fide neſciens impotentiam eius ad ſoluendum ſuis creditoribus tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior ex tali re accepta, ſi intra annum reclamauerint creditores, et rem ipſam ſi reperiatur, poſt annum vero non tenetur, quia non habent actionem poſt annum creditores contra tales donatarios, vt dictum eſt ſupra, maximè cum res ſupponatur nulli hypothecata. Ita *Leſſius, Molyna, & Bonacina locis citatis.*

Aduertendum etiam hic, quod creditor poſterior non poteſt infeſtari à creditore anteriori etiam per hypothecam priuilegiato, ſi ei facta fuerit ſolutio pecuniæ quæ non extat, et iam eſt conſumpta, ſi bona fide, et ſine fraude ſuum creditum acceperit. Ita *Naldus hic, & Aretinus tract. de ſolut. cap. 68.*

Vtrum debitor impotens de ſuis bonis ſatiſfacere creditoribus, ſi renuat hæreditatem, vel legatum acceptare in fraudem creditorum peccet mortaliter, & ad reſtitutionem teneatur.

DIFFIC. VII.

Dico primò, quod licet *Gomez 2. var. c. 4. n. 24.* cenſeat non peccare debitorem renuentem hæreditatem, vel legatum in fraudem creditorum *ex l. qui autem ff. de reg. iur.* tamen quia ſolum illa lex talem repudiationem validam ſtatuit in foro fori, adhoc vt eam creditores non poſſint reuocare in præiudicium hæredum naturalium, et ſuccedentium ab inteſtato, non tamen determinat licitè fieri talem repudiationem, ideo peccare mortaliter, et teneri ad reſtitutionem putant communius Doctores, quia, qui tenetur ad principale, tenetur etiam ſumere media ad conſecutionem principalis, debitor autem tenetur principaliter ad reſtitutionem ſuis creditoribus, ergo tenetur ſumere media neceſſaria ad faciendam talem reſtitutionem, accipere ergo hæreditatem, et legatum tenetur tanquam medium ad faciendam reſtitutionem. Vide *P. Nauar. l. 3. de Reſtitut. l. 4. cap. 1. Molyna diſp. 435. & Filiucc. tract. 31. c. 5. q. 3.* vbi habet ita etiam deciſum fuiſſe in Collegio Sac. Pœnitent.

Dico ſecundò, quod qui talia legata, vel hæreditatem à debitore tali repudiata acceptat, ſi induxerit talem debitorem aliquo modo ad renunciandum in fraudem, certum eſt teneri de dolo, et ad reſtitutionem, quod ſi debitor ſpontè repudiauerit in fraudem creditorum, ipſi, ad quos ſpectat ſucceſſio, ſi accipiant, licitè, et abſque ſcrupulo accipiunt, quia debitor non acceptando, non alienat bona ſua poſitiuè in fraudem creditorum, ſed non acceptando dicitur non acquirere, ſupra autem à debitore non acquiſita creditores non habent actionem, ergo acceptans talia repudiata à debitore nullam committit iniuſtitiam. Ita *Couar. 4. Decret. 2. p. c. 7. §. 1.* et alij.

Aduertendum tamen in hac materia, quod creditor ſcripturam ius ſuum continentem contra debitorem ſi amiſit, non poteſt illi facere ſimilem, etiamſi nulli fiat iniuria, à ſimili de conuento ſuper mutuo, quod iam ſoluit, qui non poteſt falſum inſtrumentum producere, in quo de ſolutione fiat fides, non enim ſunt facienda mala, vt veniant bona.

Aduerte etiam, quod creditor ille præferendus eſt in bonis eius, qui cogitur de coquere, et bonis cedere, qui pro decoquente ad humaniorem declinat ſententiam, puta quia potius inducias vult concedere, quam exigere in præſenti, *ex l. ad finem c. qui bonis cedere poſſe. Vide Nald. hic.*

Obſeruandum denique, quod creditor habens duos debitores eiuſdem rei alterum laicum, alterum Eccleſiaſticum ambos trahit ad tribunal Eccleſiaſticum, quia dignior trahit ſecum minus dignum ex *Bart. in l. præcipimus §. penult. c. de appellat.* quod ſi debitores duo eſſet laici, et vnus Clericus ad tribunal ſæculare trahitur Clericus, quia maior pars trahit minorem. Ita *Abbas in c. 1. de locat. & cond.* et hoc ne continentia cauſæ diuidatur contra id, quod ſtatuitur *in leg. nulli C. de Iudicij. Ita Nald. V. Creditor.*

Culpa.

Quid, & quotuplex ſit Culpa.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod culpa, de qua in præſenti, non eſt Theologica, quæ peccatum mortale, vel veniale dicitur à Theologis, nam de hac V. Peccatum, ſed de culpa iuridica hic eſt ſermo, quæ negligentia vel omiſſio negligentiæ debitæ adhiberi in actione appellatur, hinc *ex l. Neruæ ff. Depoſiti* dicitur culpa iuridica, vt ſit deuiatio ab eo quod bonum eſt, at per humanam diligentiam præuideri potuit, ſiue deuietur faciendo malum, ſiue omittendo bonum ſecundum *Bart. in d. l.* vt notat *noſt. Vngarell. V. Culpa Sch. A.*

Dico ſecundò, quod à *noſtro Angelo loc. cit.* culpa alia dicitur latiſſima, et idem eſt quod vetus dolus manifeſtus, atque adeo de hac non eſt ſermo de præſenti, ſed infra V. Dolus,

ſus, alijs dicitur latior *ſecundum Bart. in d. l.* citata, eſtque dolus præſumptus, verum ab *Angelo noſtro* hęc non admittitur pro vera culpa, quia hæc eſt etiam dolus cum propoſito, & malitia, culpa autem dicitur in præſenti negligentia, quare communiter triplex dicitur culpa lata, leuis, & leuiſſima, vide *Ang. noſt. loco citato Rodriquez parte p. cap. 22. P. Nauar. leg. 2. cap. 1. dub. 2. Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 6. controu. 5. Nauarr. cap. 11. num. 177 & Bonac. de Contract. diſput. 5. quæſt. 1. punct. 9.*

Culpa ergo lata eſt deuiatio incircumſpecta ab ea diligentia, quam habent homines communiter eiuſdem conditionis, & profeſſionis, vt ſi quis librum commodatum relinquat ante fores domus, dicitur commiſiſſe latam culpam, ſi inde auferatur, & de ipſo tenebitur.

Culpa autem leuis eſt omiſſio eius, quod diligens homo non omiſiſſet, vt ſi quis librum commodatum reliquiſſet in cubiculo aperto omittens illud claudere, vel vt ait *Angelus noſter* ſi fænerator non excuſſiſſet tineas a veſte pignorata eo tempore, quo hæc diligentia conſueuit fieri à diligenti cuſtode.

Culpa porro leuiſſima committitur, quando non præuidetur id, quod diligentiſſimus quiſque in tali actu, vel caſu præuideret, vel omittitur fieri, quod à diligentiſſimo quoquo fieret, vt ſi quis ianuam claudens claue omittat videre an vere clauis functa fuerit munere ſuo, hinc ſi clauis non clauſiſſet, & liber v. g. commodatus ablatus fuiſſet, teneretur de culpa leuiſſima. Ita communiter.

In quo contractu, vel caſu quis teneatur vel de lata, vel de leui, vel de leuiſſima.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod ex contractu in gratiam ſolius dantis (vt eſt in Depoſito, quod ſine mercede cuſtoditur, ſecus ſi cum mercede) aliquid accipiens, & retinens, tenetur eam cuſtodire, ea diligentia, qua communiter eam ſeruare ſolent homines eiuſdem profeſſionis, & conditionis, quæ vocatur diligentia ordinaria, quod ſi in ea cuſtodienda deuiat ab hac diligentia in cuſtodienda re depoſita, dicitur committere culpam latam *ex l. quod Neruaff. Depoſiti*, & ſi auferatur, vel detrimentum patiatur ratione amiſſionis talis diligentiæ tenetur de culpa lata, quæ cum æquiparetur dolo, obligat conſequenter ad reſtitutionem, nam iure naturæ tenemur ordinaria diligentia cuſtodire ne pereant res fidei noſtræ commiſſę, quod enim tibi vis, alteri feceris. Idem dic conſequenter de contractu in gratiam ſolius Recipientis, vt commodans ſolum de lata tenetur de damno commodatarij, ſi ex ſua culpa commodauit rem vitioſam non adhibita diligentia ordinaria iuxta probabilem opinionem.

Quare autem non teneatur de leui cuſtodiens depoſitum ſi pereat, reſpondet *Antonius Gomez T. 2. c. 7. num. 3.* quia non tenetur maiori diligentia res alienas, quæ non ſunt datæ in proprium commodum, quam ea, qua vtitur in cuſtodiendis rebus ſuis.

Dico ſecundò, quod ex contractu in gratiam vtriuſque aliquid accipiens, vt eſt in contractu locationis, & ſimilium in ea cuſtodienda diligentiam eam debet adhibere, quam diligens vnuſquiſque ſolet *ex l. contract. uſſ. de reg. iur. l. ſi certo leg. ſi diuiſa C. locati*, nec ſufficit diligentia ordinaria, quia ratio videtur expoſtulare, vt ea, quæ in tui commodum etiam accipis, maiori diligentia cuſtodias, quam ſit ordinaria, nam ſi rem quæ cuſtodis in gratiam ſolus dantis teneris vti diligentia ordinaria in ea cuſtodienda, maiori diligentia æquus eſt, vt tenearis ad rem cuſtodire, ex qua beneficium, & vtilitatem accipis, res enim vtilis, & benefica maiori amore proſequimur, quam rem nec vtilem, nec beneficam, ergo maiori diligentia teneris, cuſtodire rem datam non ſolum in beneficium dantis, ſed etiam in tui vtilitatem, & commodum, quam rem datam ſolum incommodum dantis.

Quare de culpa non ſolum lata, ſed leui etiam tenetur qui rem datā in gratiam vtriuſq; amittit quia diligenter non cuſtodiuit, quocumque modo perierit, & ad reſtitutionem tenetur, quia culpa leuis in hoc contractu æquiparetur dolo. Ita communiter *noſter Angel. V. Pignus num. 67. Rodriquez parte 1. cap. 25. Nauarr. cap. 17. num. 23. Molyn. diſput. 535. Azor 3. parte l. 7. quæſt. 14. & Bonacina loc. citat.* ex qua doctrina

Collige primò, quod licet *Caietanus opuſc. 72. tract. 6. de monte pietatis* velit accipientem pignus teneri de leuiſſima, quia putat ſolum eſſe in gratiam ſolius recipientis, non autem dantis, attamen *noſter Angelus loc. cit.* & alii communius volunt teneri ſolum de leui, quia verè pignus datur in gratiam vtriuſque.

Secundò, quod culpa de leui tenetur Iudex qui officium inſtanter petit, obtinuitq; ſi alius eo erat aptior, ita docet *noſt. Ang. V. Culpa §. 5.* ſecus ſi ex ſola obedientia illud exercet, & idem docet de Agrimenſore, Calculatore, & ſimilibus, nam in gratiam ſui videtur eſſe officium, quod inſtanter petitur, quia ad ſuum commodum, & vtilitatem eo vtitur, ergo maiori diligentia debet illud exercere, qui autem propter obedientiam, exercet ſolum officium in gratiam dantis, ad ordinariam ſolum diligentiam tenetur, hinc eſt, quod petens de leui etiam, accipiens autem ex obedientia ſolum de lata tenetur.

Immo extendenda hæc doctrina ad Aduocatos, & medicos, & hiſce ſimiles, qui ſi peritiores aliis ſe oſtendant, adhoc, vt ad officium vocentur de leui culpa tenentur, ſi peritiſſimos de leuiſſima, quia iuxta eorum vltroneam oſtentationem tenentur magis, & maximè reſpectiuè diligentes ſe in officio preſtare, itaque de leui ſi peritiores, de leuiſſima ſi peritiſſimos omnium aliorum eiuſdem profeſſionis ſe patefecerint, ſecus ſi ſolum peritos, nam ſolum de lata tenentur, quia ſolum ad ordinariam de ordinaria tenentur, niſi ipſi inſtanter officium petierint, quia tunc de leui, vt dictum eſt vide *Ang. loc. cit.*

Tertiò, culpa de leui tenentur famuli ex officio, & ſtipendio cuſtodientes rem ſibi traditam, ſicut etiam artifices laborantes in re alterius accepto ſtipendio, quia in gratiam vtriuſque eſt cuſtodia, vel labor. Ita *noſter Rodriquez parte 1. cap. 22. Sayr. C. R. l. 10. tract. 2. cap. 14. Salon. 22. q. 62. art. 6. & Arragon ibid. art. 8. & Bonac. loc. cit.* Artifices autem, & ſerui laborantes, & cuſtodientes ſine mercede, & ſtipendio ſolum de lata tenentur, quia in gratiam ſolius dantis, cuſtodiunt, vel laborant, vt optimè notat etiam *Bonac.*

Quod autem *Angelus noſter V. Cuſtos* addit, Cuſtodem recipientem mercedem ampliorem teneri etiam de leuiſſima iuxta ſui ſtipendij maioritatem, duriuſculum videtur, tamen ſi ipſi Cuſtodes proteſtauerint ſe in cuſtodiendo peritiores, vel peritiſſimos, et ideo mereri maius ſtipendium poteſt veritatem habere iuxta dicenda inferius.

Quartò, culpa de leui teneri, qui vendidit alteri rem vitioſam aiunt *noſt. Rodr. loc. cit. & Leſſ. l. 2. c. 6. dub. 3. diſp. 2. q. 4. Garz. de honor. cap. 5.* de lata autem teneri volunt commodantē rem vitioſam, puta ſi dolium commodauit male olētem, vnde vinum commodatarij corruptum eſt, ſi adhibuit commodans diligentiam ordinariam pro cognoſcendo vitio, & non inuenit, ad nihil tenetur, ſi eum non admonuit de vitio, quod ſi nullam diligentiam adhibuit an fuerit vitioſa tenetur de lata culpa, non autem de leui, quia commodatio eſt in gratiam recipientis ſolum, vnde ad ſatisfactionem damni tenetur, quod ſi venderet dolium vitioſum non facta prius diligentia maiori, quam ſolet facere diligens quiſque tenetur de leui, quia eſt in gratiam vtriuſque venditio, atque adeo ad reſtitutionē damni accepti iuxta probabilē opinion.

Dico tertiò, quod in contractu facto in gratiam ſolius accipientis vt eſt commodatum tenetur commodatarius in re ſibi commodata adhibere non ſolum diligentiam ordinariam, et maiorem, ſed maximam, ſcilicet quam diligentiſſimus quiſque adhiberet, nam ratio æquitatis expoſcit, vt quæ in noſtrum beneficium, & vtile accipimus diligentiſſimè cuſtodiamus, ne propter noſtram negligentiam Commodans detrimentum patiatur, quia non eſt æquum, vt patiatur commodans pro commodo, & beneficio, quod nos cōſequimur ex ſua re, refugit enim hoc genus ingratitudinis natura, quare diligentiam maximam ratione ſolius noſtri commodi, quia data res eſt, vt integra commodanti reſtituatur, tenemur ergo de leuiſſima culpa, ſi pereat res commodata, & conſequenter ex leuiſſima culpa ſi pereat, tenemur de omni damno ſatisfacere commodanti, vt habetur *ex l. contractus de reg. iur. l. ſi vt certo §. nunc videndum de commo.*

commodatis, & c. vnico de Commodato. Ita etiam noſt. Ang. V. Commodatum, Rodriquez. Leſſ. Bonacina, Salon, locis cit. & alij.

An vero præcarium debeat cuſtodiri maxima diligentia, vnde ſi perit, teneatur illud habens de culpa leuiſſima, ſolum de lata culpa teneri *ex l. contractus ff. de reg. iur. & l. 1. & 2. ff. depoſiti, & l. §. Precarium, & l. quæſitum ff. de Precario,* quia Præcarium poteſt reuocari adlibitum dantis, ideo accipiens non tenetur ad magnam, nec maximam, ſed ad ordinariam diligentiam volunt *noſter Angelus V. Commodatum §. 15. Azor. 5. loc. cit.* & alij.

Placet tamen dictum *Turr. de iuſt. diſp. 11. dub. 5.* quod ſi ius commune non haberet vires, nec eſſet in viridi obſeruantia, accipiens precarium ad leuiſſimam eſſet obligandus, hinc vix probabiliter dictum puto *à Sylu. V. Culpa, Leſſio vbi ſup. & Filiuccio tract. 33. c. 8. quæſt. 5.* quod præciſo iure communi etiam teneretur accipiens commodatum, & præcarium de lata culpa ſolum, nam æquitas naturalis poſcit, vt res alienæ in noſtram vtilitatem acceptæ cuſtodiantur diligentiſſimè.

Vtrum obligati reſtituere ex leui, vel leuiſſima culpa teneantur ſatisfacere ante Iudicis ſententiam.

DIFFIC. II.

AFfirmant *noſter Angelus V. Culpa §. 6. Leſſ. l. 2. cap. 27. Azor 3. p. l. 7. de Commod. Nauar. c. 17. n. 184. Molyna diſp. 2. q. 4. Filiuc. tract. 32. & 33. c. 8. q. 10. & Petr. Nauar. l. 3. c. 21.* quia hæc reſtitutio eſt ex natura rei debita non dependens ex deciſione humani iudicij, vnde ſi leges non præſcriberent, adhuc teneretur quis de culpa leui, & leuiſſima delinquens reſtituere.

Attamen non improbabiliter alij contrarium ſentiunt, & præcipuè antiquiores Canoniſtæ. Ita *Innoc. in c. ſicut de homic. Felin. ibid. Decius in c. p. in 2. lect. n. 36. de Conſtitut.* & hanc ſententiam *Innoc.* tanquam magis communem non eſſe ſpernendam docet *noſter Vngarell. ibid. Schol. V.* & probatur, quia vbi non adeſt peccatum mortale, non eſt obligatio ex ſui natura ad reſtitutionem, niſi quatenus lex ad eam obligat, culpa autem leuis, & leuiſſima poteſt eſſe ſine peccato vt patet, ergo ex ſui natura non obligat ad reſtitutionem leuis, & leuiſſima culpa, ſed ſolum ex legis diſpoſitione, nec obligabit ad reſtitutionem, ſi à Iudice tanquam miniſtro legis non declaretur facienda.

Iſta ſententia probabiliter eſt in conſcientia practicabilis ad ſedandos ſcrupulos præcipuè, vt rectè etiam notat *Diana p. 2. de Contract. tract. 8. reſol. 74.* modo non adſit pactum, vel legitima conſuetudo reſtituendi in talibus caſibus etiam ſine Iudicis ſententia, verum tutior, & probabilior prima fundata in æquitate naturali, quæ dictat reparandum proximo damnum, quod noſtri culpa patitur, & negligentia digna eſt ex ſe, vt in negligente puniatur, itaque non ſolum ob peccatum mortale inſtituitur reſtitutio, ſed ob damnum factum proximo nullo habito reſpectu ad peccatum.

Quod autem *Rebellus de obligatione iuſtitiæ parte 2. lib. 16. qu. vn. num. 5.* vſque ad 10. ſuſtinet latam culpam nec obligare ad reſtitutionem niſi poſt Iudicis ſententiam, modo non fuerit ex aliqua alia circumſtantia mortalis, quia lata culpa ſolum præſumptiue eſt dolus, ſi ergo in conſcientia non eſt dolus nec peccatū mortale, ergo nec obligatio ad reſtitutionem, puto non improbabile, quia eadem militat ratio.

Curioſitas.

Quid, quotuplex ſit Curioſitas, & an, & quomodo Peccatum.

DIFFIC. VNICA.

CVrioſitas à nomine curioſus ſanè deriuatur, curioſus non tam à cura quam à cura, quæ diligentiam ſonat deſcendere putant aliqui, cuius compoſitum eſt ſolum apud latinos in vſu ſcilicet incuria, quæ negligentiam dicit, ex eo quod curioſus diligentiam videtur ſequi, alii vero ab hoc nomine Curio ſuam volunt trahere æthimologiam, quod vel nomen Sacerdotum quorundam apud Romanos fuit, qui curis magnis habendis circa diuinia teneabantur, ſicut Senatus curam habebat diligentiſſimam in Curia rerum humanarū; ex eo, quod curioſi diligentiſſimi eſſe ſolent, alii vero ab hoc nomino Curia, quod ſignificat agnum macilentum, & macrum, vt ei exta inſpicere in ſole liceat, vt ait *Plautus in Aul.* quaſi curioſus præ nimia cura, & diligentia rerum agendarū, vel propter inuidiam, & malignam facta ſciendi auiditatem pene macreſcat, & contabeſcat.

Quare curioſus ex ſui nominis æthimologia tam in bona quam in mala parte accipi poteſt, ita etiam conſequenter curioſitas, tamen paſſim apud Canoniſtas, & Sacros Theologos in mala parte accipi ſolet Quare

Dico primò, quod curioſitas apud Sacros Canones multipliciter accipitur, & damnatur, hinc curioſitas dicitur eſſe in eo, qui Sacram ſcripturam non ſecundum Sanctorum expoſitionem, ſed ſecundum ſæcularem ſapientiam, & proprii ſenſus vanitatem, explicat, & damnatur *c. vnico diſt. 38. & eadem diſt. c. Sacerd. & c. ſequenti* curioſitas dicitur etiam eſſe in eo, qui poſt poſitis ſacris ſcripturis, & ſanctorum eloquiis ex delectatione, & vanitate Poetarum, & Phyloſophorum ſcriptis intendit.

Heu nimium hodie bacchatur hæc curioſitas inter Prædicatores aliquos, qui relicta verbi Dei acie peccata proſerēte ad molles Academicorum elocutiones aures ſolum delectantes præter animarum, quarum ſaluti debent inuigilare ſalutem ſpiritualem, & ædificationem; legant Sacros Pontificum Canones, & erubeſcant fratres Minores quibus à Seraphico Patriarca ſuadetur, vt ſint caſta, & examinata eorum eloquia ad vtilitatem, & ædificationem populi annunciando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloria cum breuitate ſermonis, vt intelligant maximè eos dedecere Academicis verbis, & de ſcriptionibus ex curioſitate vti præter populi ædificationem, & vtilitatem, breuitatem enim ſermonis Seraphicus Pater non materialiter intellexit de tempore breui, ſed formaliter breuem eſſe ſermonem ideſt humilem, non ſuperbum deſcriptionibus, & ſutilibus curioſitatibus longum, ſicut humile ab omnibus intelligibile ſine academicis circomlocutionibus, & vanitatibus abbreuiatum verbum fecit Dominus. Erubeſcant ergo minores, & confundantur qui contra Patriarchæ Seraphici intentionem, & præter Domini Exemplum curioſitate nimia ſuos texunt ſermones rigoroſum ſanè in conſpectu Iudicis Ieſu de tanta vanitate reddituri rationem, dum ſuas laudes quærunt in ſermonibus non Dei gloriam, & ſalutem animarum, quam etiam ſeueram rationem ceteros alios Concionatores Eccleſiaſticos non eſt dubium eſſe experturos.

Tertiò, Curioſitas dicitur eſſe in eis, qui plura volunt ſapere, quam oportet, & de his, de quibus non eſt dubitandum faciunt quæſtiones *ex c. quoniam aliqui Curioſi de Renunciat. in 6.*

Dico ſecundò, quod ex *noſt. Alenſi, & D. Th. 2. 2. q. 167.* ſi curioſus ex malo fine puta, ſuperbiam, inuidiam, odium curet indiſcretè cognoſcere, diſcere, audire, et videre, quæ ſua non ſunt iuxta qualitatem finis, vel mortalis, vel venialis peccat mortaliter, vel venialiter, maximè ſi id fiat animo nocendi proximum.

Qui autem ſupra ſui intellectus vires curioſius res Theologicas, vel phyloſophicas indagatur, peccat aliquādo mortaliter, quia ex hac curioſitate faciliter in errorem labitur homo, vnde dicit *Eccleſ. c. 3.* Altiora te ne quæſieris, et *Auguſt. de moribus Eccleſiæ de talibus curioſis* ſic loquitur (qui deſertis virtutibus neſcientes quid ſit Deus, et quanta ſit maieſtas ſemper eodem modo manentis naturę magnum aliquid ſe agere putant, ſi vniuerſam illam corporis molem, quem mundum vocamus, curioſiſſimè, imperitiſſimèque perquirant, et tanta ſuperbia erigitur, vt in ipſo Cœlo, de quo ſæpè diſputant, ſibimet habitare videantur) hæc *Auguſtinus*. Vnde peccat etiam peccato curioſitatis quandò quis quærit cognoſcere veritatem in creaturis non referendo eam in Deum, tanquam ad vltimum finem ſcilicet ad cognitionem, et dilectionem Dei, hinc *Auguſtinus de vera Religione* ait (in conſideratione creaturarum non eſt vana, et nocitura curioſitas exercenda, ſed gradus per ipſam ad immortalia, et ſemper manentia faciendus.

Similiter curioſitatis peccato obſtringuntur, quicumque mortalem finem habent in addiſcendo aliquod, vt ſunt cerretani artem decipiendi addiſcentes, vt notat *no-*

ñet *Vngarell.* hic *ſchol. A.* Artifices, Mercatores addiſcentes artem fraudandi, Aduocati, & Procuratores, Actuarijq; varias technas indagantes ad prolungandas lites in ſui commodum, multo magis erit peccatum diſcere à perſonis illicitis ratione curioſitatis puta à Dæmonibus, Necromanticis, Incantatoribus, vt habetur *2.6. qu. 1. cap. Illud,* & hæc curioſitas omnino caueatur, quia tam Demones, quam Necromantici, Incantatores ſub pallio curioſitatis multa damna inuoluunt tum in anima tum in corpore, vt alibi fortè fuſius dicetur.

Adde quod peccant peccato curioſitatis qui audire turpia, & obſcæna videre, murmurationibus, & detrectatorijs præſentes eſſe ſatagunt, & curant in proximi detrimentum, vel contemptum, vt prouocent proximum ad detrahendum, ſimiliter peccat curioſitatis peccato, qui auiditate videndi, & audiendi illicita ſpectacula, Comædias inhoneſtas aliaſque actiones inhoneſtas allicit aliquos ad ea repræſentanda contra bonos mores, vel contra fidem, vt colligitur *ex 37. diſt. c. ideo.*

Idem peccant peccato curioſitatis, qui curant legere, vel audire prohibita legi ab Eccleſia animo ſe delectandi in illis, multo magis, ſi in contemptum prohibitionis, ſecus ſi ſolo animo impugnandi illicita, & irrationabilia *ex 26. qu. 5. c. nec mirum,* neque hoc faciendum abſque licentia petita.

Cuſtos.

Vtrum Cuſtos permittens aliquem exire à domo, quam cuſtodit teneatur ad damna, quæ facit extra ipſam, & quid de Cuſtodibus animalium à Lupis occiſorum an teneatur ad damnum.

DIFFIC. I.

Dico primò, quod licèt *Sotus l. 4. de iuſtitia qu. 3. art. 3.* abſolutè affirmet teneri ad omnia damna, quæ licentiatus exire à domo, quam cuſtodit, facit extra ipſam, quia verè eſt cauſa proxima, & efficax talis damni, ergo ad reſtitutionem tenetur ipſe etiam Cuſtos.

Noſter tamen *Rodriq. par. 1. cap. 124. & Aragon. 2. 2. quæſt. 62. art. 7.* abſolutè negant, quia Cuſtos ratione officij ſui tenetur ſolum ad damna, quæ fiunt intra domum quam cuſtodit, non autem extra.

Ceterum diſtinguendum puto, nam ſi Cuſtos ſit conſcius, quod ille vult exire ad faciendum alteri damnum, tenetur ad reſtitutionem, ſi tenebatur ex officio eum impedire, & cuſtodire ne exeat à domo quia ſuſpectus erat de damno inferendo, quod ſi non habet ex officio impedire, & cuſtodire ne exeat ad facienda mala, ſed ſolum habet officium cuſtodiendi domum clauſam, ne forinſecus fures adueniant, & homines ibi tenet non vt arceat à malo, ſed ad defenſionem domus, ſi petentem exire dimitit, etiam ſi conſcius ſit exire ad malum faciendum, quia non tenetur impedire ex officio, non peccat contra iuſtitiam, & ſic non tenetur ad reſtitutionem damnorum niſi ſit conſentiens damno inferendo, peccat tamen contra charitatem, fortè in primo ſenſu locutus eſt Sotus, & in ſecundo Rodriquez.

Dico ſecundò, quod cuſtodes ouium, bouum, iumentorum, & ſimilium animalium ſi ſtipendium, & mercedem accipiant pro cuſtodia tenentur de leui culpa, vt dictum eſt ſupra ſi à lupis inuadantur, & pereant ex eorum lata culpa, & graui negligentia, quia diligentiam magnum non adhibuerunt, tenentur ad reſarcienda damna, debent enim eſſe cauti, & vigilantes in cuſtodia, ignorantia enim, & negligentia non excuſant ſtipendiatum in facto Domini ſui, ad quod præficitur, committit enim ſuæ diligentiæ ſuam rem, quam tenetur omni diligentia cuſtodire ex iuſtitia datæ fidei, vt patet *ex capit. quamuis de regul. iur.* Ita noſter *Vngarell. V. Cuſtos, ſchol. C.* Vnde

Inferendam inferendum quanta diligentia Prælati debent verbo, & exemplo, & doctrina oues ſibi commiſſas cuſtodire.

At verò limitanda primò hæc doctrina, nam ſi aduentatio luporum ſuper oues foret omnino caſus fortuitus, cui non potuiſſet cuſtos faciliter conſulere, nec eum quantumcumque diligentia præuidere, ad nihil tenetur cuſtos, niſi fortè ſe ſe obligaſſet etiam ad caſus fortuitos.

Limitanda ſecundò, ex noſtro *Vngarell. ibid.* quod ſi plures ſint cuſtodes, & cuſtodia ſit diuiſa, vt fit in caſtris pro rata temporis ſcilicet, quod pars cuſtodum cuſtodiant ante mediam noctem, vel diem, & pars poſt mediam aliam noctem, vel diem, & hæc diuiſio facta ſit à Domino, vel ita habeatur à conſuetudine loci, ſi animalia pereant ante medietatem noctis, vel diei, ad damnum tenebantur illi qui tunc cuſtodiunt actu, non autem ij, qui tenentur cuſtodire poſt mediam noctem, vel diem, & è contra. Quia iſti actu non cuſtodientes non tenentur ad diligentiam, at verò ſi diuiſio facta fuerit de voluntate, & pacto cuſtodum ſolummodo, tenebuntur in ſolidum ad damna, quia Dominus commiſit ſingulorum fidei in ſolidum ſua animalia, ergo ſinguli in ſolidum tenebuntur ad damna. Vnde infert noſter *Rodriqz. loc. cit. ex Barto. l. vt certo, §. fidem. ff. commod.* quod non eximitur cuſtos à cuſtodiæ officio, & diligentiæ ſi ei detur adiutor in cuſtodienda re ſibi commiſſa.

Vtrum Cuſtodes montium, ſyluarum, nemorum, fluminum, lacuumq; reſeruatorum teneantur in eis delinquentes denuntiare, quod ſi non denuntient an teneantur ſoluere pœnam ad quam tenebantur delinquentes, & quid dicendum de dono dato, & accepto, ne denuntiet.

DIFFIC. II.

Dico primò, quod ſi reſeruatio montium, ſyluarum, nemorum, fluminum, lacuum, & ſimilium ſit iuſta, tenentur cuſtodes, quorum fidei committuntur denuntiare delinquentes in eis ſine licentia ligna cedentes, animalia, & piſces reſpectiuè capientes in eis, & ſi non denuntiant ad reſtitutionem damnorum tenentur, quia peccant contra iuſtitiam datæ fidei, poſſunt tamen diſſimulare Amicos, & conſanguineos Domini ex eius interpretata voluntate, quod ſi reſeruatio ſit iniuſta, non tenentur denunciare, etiamſi ad iurandum denuntiare delinquentes eſſent coacti, vel etiam ſpontè iuraſſent, quia iuramentum non tenet contra iuſtitiam, cum non ſit vinculum iniquitatis, Ita noſter *Rodriq. p. 1. cap. 124. P. Nauar. l. 3. de reſt. c. 4.*

Idem dicendum de Cuſtodibus vectigalium, quæ ſi licitè exiguntur, tenentur eodem modo denunciare cuſtodes eos, qui fraudant, ſecus ſi iniuſtè, vtrobique enim militat eadem ratio, ita etiam *Medina cap. de reſtit. qu. 12. Vaſq. de Reſtit. qu. 1. §. 5. 3. dub. 4. Filiuc. tract. 33. c. 3. quæſt. 12. & Turrian. diſ. 38. dub. 2.*

Probabiliter tamen limitanda hæc doctrina iuxta noſt. Rodriquez, quod cuſtodes non tenentur ad reſtitutionem damnorum, ſi adſit ſtatutum, vel conſuetudo inter Oppidanos, & Dominum, vt delinquentes ad ſolam pœnam teneantur, non autem ad damnum, quoad pœnam autem ſoluendam.

Dico ſecundò, quod variant Doctores, an Cuſtodes teneantur ad ſoluendam pœnam, quam deberent ſoluere delinquentes, ſi eos non denuncient, affirmant enim noſter. *Rodr. P. Nauar. loc. cit. Molin. de iuſt. diſp. 739. Rebell. qu. 16.* & alij, nam ſunt immediata, & proxima cauſa damni, quod patitur Dominus, dum ei non ſoluitur pœna à delinquentibus, & licèt dicant non teneri ante iudicis ſententiam, quia non debent eſſe ſuæ pœnæ executores, tamen à iudice poſſunt obligari ad pœnam ſoluendam, quam tenerentur ſoluere delinquentes, damnificantes, & fraudantes, probabiliter ſanè dictum.

Alij tamen nec improbabiliter contrarium, ſentiunt ſcilicet non teneri cuſtodē ad ſoluendam pœnam, quam deberent ſoluere delinquentes, damnificantes, vel fraudantes, ſi eos non denuntient, nec eos poſſe à iudice iuſtè compelli ad eum ſoluendam, quia cuſtodes ſolum tenentur ad impedienda damna, & fraudes, non autem vt delinquentes ſoluant pœnam, nec tenentur, vt Domini fiant ex pœnis ditiores, ergo nullo modo faciunt contra iuſtitiam, ſi delinquentes non denuntient, ergo nec ad eorum pœnam ſoluendam poſſunt iuſtè obligari, ſed ſolum ad damna facta à delinquentibus, & fraudulentibus reſarcienda, modo ex pacto ſe non obligauerint cuſtodes ad ſoluendas etiam pœnas, ſi prætermittant damnificantes, & frau-

fraudulentes abſque eos denunciando. Ita noſter *Villalob. in ſumm. T.2. tract.1. diffic. 9. Vaſq. Piluucc. loc.cit. Bonac. de reſtit. diſput.1. quæſt.3. p.3. Nauar. c.25. num.34. Leſſ. l.2. cap.13. dub.10. & Diana nouiſſime* hanc etiam opinionem probabilem ponit *p.3. tract.5. reſol.54.*

Sanè vtraque probabilis, & prima videtur omnino ſuſtinenda in caſu quo ſolum ex pacto, & conſuetudine ſoluitur pęna, non damnum, nam ſi omnino impunè permittantur cuſtodes cuſtodire ſibi commiſſa, eſſet dare aditum certum ad damnum, & fraudes.

Dico ſecundò, quod tribuens donum Cuſtodi, vt taceat, & non denunciet, peccat eodem peccato, quo Cuſtos iuxta materiam cuſtodiendæ rei, & ſi Cuſtos non reſtituat, debet ipſe donans reſtituere, & reficere damnum datum, tanquam inducens Cuſtodem ad peccandum contra Iuſtitiam datæ fidei. Ita noſter *Rodriquez P. Nauar. cap.4. & Bonacina locis citatis, & Turrian. diſputatio 38. dub. 2.*

An vero prædictum donum acceptum, vt non denunciet teneatur Cuſtos reſtituere, negat probabiliter *noſter Rodriq.* iuxta ſententiam probabilem putantium acquiſita opere turpi, & illicito non eſſe reſtituenda. Ita etiam *Caiet.2.2. q.3. Leſſ. l.2. c.18. Medina c. de reſtit. quæſt 18. Molyn. tract.2. diſp. 24. Azor. cap. 21. quæſt. 9. Bonac. & Turrianus loc. cit. contra Nauar. cap.17. num.41. Sayr. in Clau.R. l.12. cap. 19. num.14.* & alios.

Vtrum vero Cuſtodum iuramento debeat ſtari in foro fori, ſe ſcilicet non admiſiſſe negligentiam in cuſtodiendo affirmant *noſter Angelus V. Cuſtos §. vlt.* & *noſter Rodriq.* refert in Regnis Hiſpaniæ ſtari iuramento Cuſtodum in condemnatione damnificantium in montibus, ſyluis, nemoribus lacubus, fluminibus reſeruatis, & fraudantium gabellas, & vectigalia, & in conſimilibus.

F I N I S.

ELENCHVS

Rerum magis notabilium, quæ in hoc opere continentur, quænam autem peculiares Caſuum Conſcientiæ Deciſiones hic percribrentur, quęre in priori Indice Difficultatum ne pluries eadem fruſtra repetantur.

Primus numerus denotat Paginam, Secundus verò Columnam.

A, Ab, Ad.

A, quatenus littera vocalis eſt, Abſolutionis, ſicut, C, condemnationis nota. 1. 1.

A, ab, ad præpoſitiones in tempore deſignando aliquãdo incluſiuè, aliquando excluſiuè ſumũtur 3.2.

Abbas. Abbatiſſa. Abeſſe. Abortus. Abſolutio.
Vide Indicem Diffic.

Abbas vnde ſui nominis æthimologiam capiat. 4.1.
Abbas de Corropulo inualidè minores ordines cõtuliſſe cuidã Clerico Cãpleſi declarat⁹ fuit à Sac. Card. Cõg. 6.1. §. dic. 3.
Abbati Com[m]endatario in ſua Eccleſia non datur liber Euangeliorum oſculandu[s]. 6.1. §. dico vlt.
Abbatiæ habentis iuriſdiction[e]m temporalem, & ſpiritualem, loca non poteſt viſitare Epiſcopus. 5.2. §. Aduerte.
Abſentia longa æquiparatur morti. 116.1.
Abeſſe dicitur, & pro abſente repu[t]ãd⁹ qui iã eſt mortu⁹. 10.2.
Abſẽs ab excõmunicatione poteſt abſolui, nõ à peccato. 248.2.
Abſens, ſi dubitetur quis an ſit extra Prouinciam, debet reputari eſſe intra eã, ſi id ſit ſibi fauorabile. 10.2. §. ex poſteriori.
Abſentia Prælati Regularis vltra vnum diem naturalem trãſfert in ſuum Vicarium quamcunque auctoritatem abſoluendi, & diſpenſandi, quæ de iure, vel priuilegio ipſi competit. 10.2. §. Abſentia Prælati.
Abſolutio danda ſatisfacta parte quomodo intelligatur. 241.2.

Acceptio perſonarum. Accidia. Accuſare. Actio. Actus.
Vide Indicem Diffic.

Acceptilationis contractus diſſoluitur ex interrogatione facta à debitore creditori, quod tibi debeo, vel promiſi habesne acceptum? & creditor reſpondet, habeo. 494. 1. §. Demum.
Acceptans legatam, aut donatam rem debitori eam renũciãti in fraudem creditorũ, an teneatur reſtituere 1[2]6 2. §. dico 2.
Accipiens à debitore contractu oneroſo, puta per emptionem, rem ab ipſo venditam in fraudem creditorum, nulli tamen hypothecatam, an teneatur reſtituere. 5[2]6. 1. §. dico 2.
Accelerans mortem, dum moribundum baptizat, an fiat irregularis. 86.1.
Acceſſus, & receſſus eodem fruuntur priuilegio. 1[0].1. §. dicitur abeſſe 2.
Acum furans à Sartore alium non habente, an excommunicationem latam contra eos, qui furati ſunt res eiuſdem ſartoris incurrat. 29[6].2. [§].collige.
Actio filia obligationis ciuilis. 25 1.
Actiones ſtricti iuris, & bonę fidei, quomodo diſtĩguãtur. 25.1.
Actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, & actus ſemper iudicatur ex principali intentione. 4[2]7.1.
Actus ab habente duplicem auctoritatem geſtus, in dubio præſumendus ſecundum eam poteſtatem, ſecundum quam tolerari poteſt. 25.2.
Actus, qui pendet, & poteſt ſe habere, vt ad permiſſum, & vt ad prohibitum, interpretandus vt prohibitus. 26.2.
Actus in dubio præſumitur factus, vt non ſit delictum. ibid.
Actus non valens eo modo, quo ſit, valet eo modo, quo poteſt. 27.1. [§].dico 3.
Actus nullu[s] redditus in fauorem partis contrariæ non declaratur nullus niſi parte inſtante. 27.1. §. dico 4.
Actus de iure poſitiuo nullus, ſi ex certa ſcientia a Papa confirmetur, an validus reddatur. 424.2.
Actus plures quando pro vno ſolo computantur. 273.2.
Actus quando vnus tranſiens ſuper multa, & quando multiplex tranſiens ſuper vnum. 28.
Actus cenſuræ ſubiectus debeat ne eſſe incæptus, an completus, extrinſecus, an intrinſecus. 268.
Actus indifferens, qui nec bonus, nec malus ſit, an dari valeat. (27.1. & 2.

Adiurare. Adiuuare. Adminiſtratio. Adoptio. Adoratio. Adulatio. Adulterium. Aduocatus.
Vide Indicem Diffic.

Adã in tãta neceſſitate multiplicãdæ prolis nõ legitur cũ alia deſcendente matrimonium cõtraxiſſe. 346.1. §. quoad verũ.
Adhærere alicui quid propriè ſignificet. 186.2.
Aduocatus de qua culpa teneatur, ſi ob eius negligentiam, vel imperitiam lis perdatur. 537.c.2. §. ſecundò.

Affinitas. Alchimia. Altare. Angaria. Annus. Appellatio.
Vide Indicem Diffic.

Affictuarijs Baronum an teneantur Vaſſalli adiutoria præſtare, ſicut ſolent Baronibus veris. 98.
Alchimiſtæ an incidant in aliquo caſu in excommunicationes Bullæ Cœnæ. 142.1.
Altare Patroni particularis ſi non prouideatur de neceſſarijs, quomodo ad Eccleſiam deuoluatur. 70.c.2.
Amicum in periculo mortis exiſtentem an cum diſcrimine propriæ vitæ teneatur, vel ſaltem valeat quis ſaluare. 295.
Annus incæptus habetur pro completo. 71.2. & 102.2.
Anno elapſo non conceditur actio ad repetendum. 536. 1. §. quod tamen.
Annus ſterilis cum frugifero compenſatur. 260.2.
Anathema in decretis fidei excommunicationem latæ ſententiæ, in ceteris vero, ſolam comminatoriam connotat. 265.2. § verum eſt tamen.
Anaxagoræ dictum contra auaritiam, & negligentiam Superiorum. 97.[2]. §. [pri]mo.
Angelus qua adoratione adorãdus apparẽs in forma Dei. 33.2.

Aqua. Arbiter, Arbitrator. Aſſaſſinus. Aſtrologus. Auaritia. Auctoritates.
Vide Indicem Diffic.

Aqua benedicta immiſſa in puteum, lacum, vel flumen cur nõ totam in ipſis aquam exiſtentem reddat benedictam. 74.1.
Aquilæ Samnitum Principis ciuium, & mulierum virtutes, & mores. 483.1.
Appellatio quænam dicatur friuola. 161.1.
Arbitrio boni viri commiſſum an intelligatur de Iudice ſæculari loci, an de Eccleſiaſtico. 75.1. §. dico 6.
Arbiter quando poſſit capere de iure vnius, & dare alteri. 75 1.
Arbiter malè iudicans an teneatur ad reſtitutionem. 75 2.
Archidiaconus in Epiſcopi ordinaria abſentia, ſi moriatur eius Vicarius Generalis, iuriſdictionem exercet Epiſcopalem, donec prouideatur, in longiſſima autem abſentia Epiſcopi ad Capitulum deuoluitur. 216.
Ariſtotelis errores in fide, & naturalib. enumerantur. 79.1. & 2.
Apoſtoli alij admiſſorii, alii refuratorii, alii reuerentiales. 72.1.
Aſcendentes cum deſcendentibus quo iure prohibeantur contrahere matrimonium. 346.
Aſina, ſuper quam aſcendit Ieſus in die Palmarum, an debuiſſet adorari ratione contactus. 36. [§].quod ſi quis.
Aſſuetos ad Venerem incitari magis ex aſpectu delectabili, quam inſuetos probatur. 481.1.

B

Banditus. Baptiſmus. Baro. Benedicere. Beneficium. Beneficiarius. Blaſphemia. Bona. Bygamia Bul. Cœnę.
Vide Indicem Diffic.

Balſamum quale, & quantum in chriſmate conſecrando miſcendum. 4[2]3.2.
Baro aliter in Gallia, aliter in Regno Neapolitano inſtituitur. 6.1. §. Aduerte. Vide infra. Vendere.

Elenchus rerum magis notabilium.

Benedicere ſolummodo ſuis Eccleſijs Sacerdotalia paramēta, & alia ad cultum diuinum pertinentia Prælati Regulares poſſunt, nullo modo prophanis. 102.

S. Benedictus Abbas an fuerit Sacerdos. 4.2.

Beneficium mortui Prælati eo nondum ſepulto conferri prohibetur, quod tamen non currit de beneficiario non Prælato. 103. 1. §. dico.

Beneficia ſimplicia valoris trium ducatorum plura etiam ſub eodem tecto conferri poſſunt eidem. 108. 1.

Braſilieſes tā viri, quā mulieres nudi incedūt, & quare. 448. 2.

Bigamiam incurrere ignoranter cognoſcentem adulteram, niam putant falſo aliqui Recentiores, nouam doctrinam. 116. 1. in principio.

Calix. Cambium. Candelæ. Canones. Canonici. Capella. Capellanus. Carcer. Cardinalis. Caſus. fort. Caſ. Reſeru. Cauſa. Cautio. *Vide Ind. Diffic.*

C

CAius Sulpitius Gallus Vxorem taquam impudicitiæ ſuſpectam dimiſit, quod cum capite aperto foris verſatam agnouit, quid ſi cum pectore, & vberibus nudatis? 479. 1.

Cambium etiamſi particularibus ciuibus prohibeatur ſub pœna irritationis contractus, an ſaltem in foro conſcientiæ liceat cum aliquo lucro. 194. 1. & 2.

Canonicus abſens a ſuo canonicatu per annum debet priuari medietate fructuum, ſi vero per alium annum continuum vacet priuandus omnibus, & ſi vltra vacauerit etiam beneficio priuandus. 1 .1. §. Adde.

Canonicus Regularis in pęnalibus non venit ſub nomine Monachi. 20 .2.

Canones vbi deficiunt, debent ciuiles leges allegari, & è contra. 291. 1.

Capellanus amouibilis poteſt dare Salarium celebranti pro ſe Miſſam in ſua cappella iuxta conſuetudinem loci, reliquo ſibi retento. 207. 1. §. Nota.

S. Carolus Borromæus ſtatuit, ne fęminæ aperto pectore, & nudis vberibus incederent 480.

Cardinalis quacunque licet cenſura irretitus non repellitur ab electione Summi Pontificis. 220. §. denique.

Cardinalis commorans, vbi eſt Papa, non debet inciſionem venæ, ſanguiniſque miſſionem pati abſque eius licentia expoſtulata. 219. 2.

Caſu fortuito res comodata cui pereat commodanti, an commodatario. 62 Vide etiam V. culpa.

Cauſa immediata damni aliquando non erit obligata Reſtitutioni, bene tamen cauſa remota. 212. 1. §. Vtrum autem.

Cauſa actionum humanarum altera finalis vt quod, altera impulſiua, vt quo. ibid.

Cenſus. Cenſura. Ceſſatio à diuinis. Ceſſio bonorum. Character. Charitas. Chriſtiani. Chyrographum. Circumſtantia. Ciuis. Clauſura. Clericus.
Vide Indicem Diffic.

Candelabrum ſeptimum ſoli Epiſcopo Pontificaliter celebranti conceditur. 310. 2.

Charitas imperat iuſtitiæ propter bonum publicum, & innocentis ſalutem. 530. 1. §. alij ſunt.

Clauſula ex motu proprio, & certa ſcientia notat Papam habere iuſtam cauſam diſpenſandi 62. 2.

Clauſula omni appellatione remota, intelligitur de friuola, non autem de iuſta præterquam in ſententia data a Cardinali. 230. 2. §. dico 2.

Clauſula, prout ſibi videbitur, quid operetur in arbitrio dando. 75. 1.

Chriſtiani prohibentur à Clem. VIII. habitare extra Italiam in locis infidelium, vbi non eſt ritus chriſtianę Religionis. 301. 1.

Chriſmati Sacro permixtum oleum non benedictum in magna quantitate, non remanet benedictum. 74. 2.

Ciuis a loco, vbi natus eſt Pater, & non a loco, vbi naſcitur ipſe, denominationem accipit 311. 1.

Ciuitatis nomines non comprehendunt Diocæſanos in pœnis. 311.

Clauſuram Religioſorum puellæ ſeptennio minores ingredi permittuntur. 312. 1.

Clauſuram violantium pœnas non incurrunt, qui putant, ſe iuſtam cauſam habuiſſe. 3 .. §. an vero.

Clauſuram Monialium intrare poſſunt fratres minores earum obſequijs deputati pro faciendo aliquo opere monialibus neceſſario, quod extraneè fieri nequit. 326.

Clauſuram monialium ſibi ſubditarum poſſunt Prælati Regulares licitè ingredi ad compeſcendum tumultum, vel ſeditionem exortam inter moniales, imo etiam ad carcerandas contumaces. 327. 1.

Clericus captus in flagranti à militibus ſæcularis Iudicis non debet percuti, & male tractari, & termino viginti horarum regulariter Eccleſiaſtico Superiori præſentandus, aliter incurritur excommunicatio. 335. 1.

Clericus habens beneficium quamtumuis tenue gaudet priuilegio fori, ſicut qui habet pingue. 341. 1. §. Imo.

Clerico coniugato nullus Prælatus Papa inferior poteſt dare facultatem ferendi cenſuras, nec abſoluendi ab eis in foro fori. 267. 2. & 14. 2. §. dicu 4.

Cœcitas mentis. Cœlare. Colonus. Cognatio. Conſanguinitas. Collegium. Commodatum. Commune. Compenſatio. Compoſitio. Conceſſum. Concubinatus. Concuſſio. Condemnare. Conditio. Confeſſio. Confeſſarius. Communio. Confirmatio.
Vide Indicem Diffic.

Cœcus quare prohibeatur aduocare. 42. 2.

Cœcus, & claudus ſi habeant beneficium poſſunt licite reſignare in manu Ordinarij 111.

Collegium, & cœtum tres ſaltem perſonæ faciunt. 222.

Colleggiata inſignis, licet nouiter erecta præcedit alias collegiatas non inſignes, licet antiquiores. 204. 1.

Collatio beneficij ſine conſenſu Patroni inualida, ſed non declaranda talis, niſi inſtante Patrono. 27. 1.

Collectas certas, & inuariabiles antiquas, vulgo Debiti contracti, quæ cum tali onere tranſierunt ad clericos, an ipſi teneantur ſoluere. 334. 2.

Conceſſum in materia permiſſiua, & affirmatiua dicitur, quod non eſt expreſſe prohibitum, in materia autem negatiua quod non eſt expreſſe cōceſſum dicitur prohibitū. 368. 2.

Conceſſum ad beneplacitum. i. donec reuocetur, non expirat morte concedentis, at vero ad beneplacitum. i. donec concedens voluerit, expirat morte concedentis. 369. 2. §. dico 7.

Concubinæ in Sacra Scriptura conceſſæ Sanctis illis Patribus erāt verę Vxores, ſed nō ſolemni ritu ductę. 369. 2. §. dico 2.

Commodatarius de qua culpa teneatur, ſi res commodata pereat. 537 2. §. dico 3. vide, V. Commodatum. Commodans rem vitioſam de qua culpa teneatur vide ibidem.

Commendatarij debent ſuas Eccleſias Abbatiales in earū antiquo ſtatu manutenere prouidendo de Clericis, & Sacerdotibus, qui eis inſeruiant. 106. 1.

Comædijs intereſſe an liceat Clericis. 515.

Confeſſarij monialium non poſſunt pro eadem infirmitate ingredi pluries clauſuram pro commendanda anima, ſed ſolum vna vice ex decr. Sac. Congregat. 325. 2.

Confeſſarij ſæculares monialium, qui nō ſolent aſſociari incedere, an poſſint in Clauſurā monialiū licite ſocium introducere dum eam ingrediuntur Sacramenta miniſtraturi. ibidē.

Confeſſarij cum germana ſi quis peccauerit, nec alia adſit fœmina, nec alius Confeſſarius, poteſt, & debet reticere peccatum cum propoſito illud confitendi data opportunitate cum alio. 338. 1. §. collige 2.

Confeſſarius Regularis ab Epiſcopo, vel ordinario præuio examine admiſſus an ſuſpendi ab eo valeat. 408. 1.

Confirmare non dicitur ſucceſſor in pari dignitate, ſed innouare, vel ratificare decreta Prædeceſſoris. 4 .4. 2.

Confeſſarius an teneatur complicem delicti à ſuo pœnitente extorquere ſub prætextu eum corripiendi, & an pœnitens teneatur illum reuelare. 522. 2.

Confraternitas. Coniuratio. Coniux. Conſcientia. Conſecratio Eccleſiæ. Conſenſus. Conſeruatores. Conſilium, Conſiliarij. Conſuetudo. Contemptus. Contentio.
Vide Indicem Diffic.

Confraternitates, quibus gaudeant hodię Indulgentijs, & an ad proceſſiones per cenſuras cogi valeant. 425., & 427.

Digitized by Google

Compellens Iudicem Eccleſiaſticum, vt ſe ſe à cenſuris abſoluat excommunicatur. 167.2.
Conſpiratio,& coniuratio pro eodē,an aliquando licita) 427.2.
Coniux,ſi ſe cognouerit cauſam abortus in copula,an ſe debeat putare irregularem. 423.2.§.Imo.
Coniuges impediti voto affinitate ſuperueniente, vel non præuiſa conſanguinitate,an debitum petere,& reddere valeant. 444. & intra.
Conſentire videtur qui tacet, quomodo intelligatur. 454.
Conſenſus fictus,vel tacitus termino quatuor menſium expectatur,non ita expreſſus,& verus. 113.1.§.dico 2.
Conſeruatoris officium pro Regularibus iuxta coſtitutionem Greg.XV. 445.
Conſiliarij in parlamentis circa impoſitiones ſuper ſubditos decernendas quomodo ſe debeant gerere. 464.
Conſilium qui dedit percutiendi clericum, ſi reuocauit, antequam executionis fuerit mandatum, an poſt executionem incidat in excommunicationem. 461.2.
Conſulere minus malum parato facere maius malum an liceat ad vitandum maius illud malum. 462.
Conſtantinus Imperator exemptionem clericorum à foro ſæculari non conceſſit vere, ſed potius declarauit. 332.1.
Conſtantinus Imperator S.R.E. clericos .i. Cardinales conſulari dignitate,& eminentia inſigniuit. 220.1.
Conſuetudo legitime præſcripta poteſt quicquid poteſt Princeps. 485.2.§.dico 3.
Conſuetudo in ratione naturali fundata poteſt legitime introduci contra eſſentialia Regulæ habentia, tamen latitudinem. 485.2.
Conſuetudo ſemel interrupta à Superiore non currit amplius contra legem, quod ſi reaſſumatur interrupta conſuetudo, non currit à tempore ante interruptionem, ſed à tempore, quando denuo reaſſumitur. 486.2.§.Nota.
Conſuetudo longi temporis in peccato an neceſſariò exprimenda in confeſſione, ſi à confeſſario petatur. 308.
Conſtitutio c.Spondent à Ioanne vigeſimo ſecundo lata contra Alchimiſtas, explicatur. 94.
Contemptus erga Deum in re minima eſt etiam mortalis, & quare. 491.1.§.dico 3.
Contemnens Papam,vt Papa eſt,hæreſim ſapere quomodo intelligatur. 49 .2. Adde.
Contemptus ſuperioris conſulentis, & ſuadentis aliquando poteſt eſſe mortalis. 9 .2.§.dico 5. & in re leui quomodo etiam aliquādo peccatū ſi præceptū cōtemnatur 16 .dico 5
Contemptus formalis ſuper re præcepta à Superiore aperiendus in confeſſione,non autem cōtemptus materialis. 492.1.
Contentio inter Apoſtolos Lucæ 22., qualis fuerit, & an ſaltem venialis. 492.2.
Contentio cum inordinato clamore præciſa omni alia malignitate in pueris,fœminis, & Ruſticis propter eorū ſimplicitatem,vel naturalem garulitatem,nō videtur mortalis, bene tamen in viris grauibus, in quibus vix excuſat paruitas, vel leuitas materiæ. 492.1.§.poteſt autem.
Contractus.Contritio.Contumacia.Contumelia. Chorea.Correptio.Credere. Creditor.Culpa.Cuſtos.
Vide Indicem Diffic.
Copula coniugalis an, & quando polluat Eccleſiam, ſi in ipſa fiat. 452.
Copula fidelis cum infideli an ſacrilegium. 205.2.
Copula cum tribus fœminis an ſufficienter explicetur in confeſſione dicendo ter fornicatus ſum. 306.2.
Contritus perfecte iam Indulgentiam conſecutus plenariam an debeat adhuc confiteri. 17.1.
Correptio, an de præcepto facienda coram pluribus Teſtibus, quam duobus vltra Euangelicum ordinem, ſi coram pluribus,quàm duobus ſperetur efficaciter delinquentis emendatio. 530.2. §.quid ſi
Corpora Sanctorum quæ in diuerſis locis dicuntur eſſe eadem,an adoranda vt eadem. 39.1.
Credere poteſt quis abſque aliqua præſumptione, & errore aliquem malum, vel peccatorem commorari in aliquo oppido, vel magno conuentu non deſcendendo ad iudicium particularium. 533.1.§.dico 3.
Credendū eſt alicui in ijs,quæ à ſola ſua intrinſeca intentione dependēt, maxime ſi Iuramento ea cōfirmet. 533.1.§.dico 2.
Creditoribus incertis, vt ſunt Pauperes, & Eccleſiæ, an verò certis prius ſoluere teneatur Debitor, quando vtriſque non habet poſſe plene ſatisfacere. 533.2.§ dico 2.
Creditor poſterior an poſſit vti compenſatione de rebus ſui debitoris in præiudicium creditorum anteriorum. 365.2.
Cruci,in qua pependit Chriſtus quænam adoratio præſtanda,& an eadem Crucibus alijs repreſentatiuis. 36. 1.2.
Cuſtodum iuramento an ſtandum circa damnum factum in nemore,Agro,Vinea,& ſimilibus. 537.2.
Cuſtos animalium,& ceterorum de qua culpa teneatur. 537.2 §.tertio culpa.
Cuſtodi donum tradens, vt taceat, & non denunciet damna à ſe data,ad quid teneatur. 540.1.
Cura animarum eſt Ars Artium, vnde per alium ſuppleri nequit. 04.2.
Cyrus Rex ſuadenti collectas imponere, reſpondit ſuos theſauros fidelius ſeruari in ſcrinijs ſuorum ſubditorum, quam in propria domo. 97.c.2. § moneant.

D

Damnificans plures vno actu, vel vnum pluribus actibus an plura peccata committat. 310.2.
Debita ex charitate, gratitudine, vel ſeruitute an admittant compenſationem contra debitum ex iuſtitia. 366.1.
Darius docebat meliorem eſſe Principem malum habentem bonos Conſiliarios quam bonum vtentem malis conſiliarijs 97.2. §.dico 5.
Debitor vtrum poſſit compenſare ſuum Creditore neſcientem debitum ſibi per aliquod beneficium, vt ſe reddat a reſtitutione immunem. 236.2.
Debitor, qui accepit compenſationem de incertis, an comparentibus veris Dominis teneatur integrè reſtituere. 367.1.
Declaratio Clementis VIII.relata à Reuerendiſs.P.Soſa ordinis miniſtro Generali circa aliqua præcepta Regulæ, quod non obligent ſub mortali in foro conſcientiæ, ad huc vigere probabiliter ſaltem ſpeculatiue defenditur.488.
Degradandus an clericus propter crimen læſæ Maieſtatis.237. 1.§.an vero.
Delegatus abſoluit ab excommunicatione à ſe lata etiam expleta delegatione,modo intra annum excommunicatus velit obedire.15.2.§.dico 4.
Dæmones,& bruta quomodo dicātur excommunicari.270.2.
Deum diligendum ratione creationis,& Redemptionis lumen etiam naturale dictat, cum autem hæc obligatio, & quando cadat ſub præcepto. vide Titulum,A, 1.2.&
Diaconus an poſſit ſolemniter baptizare. 93.2.
Diaconi ſyluatici quibus priuilegijs gaudeant. 349.
Dies Termini non computantur cum termino, quomodo ſit hoc axioma intelligendum. 421.
Dieta dicitur diſtantia viginti milliarum. 10.4.
Dignitatem beneficium ſimplex, vel Curatum cōferens digno prætermiſſo digniori ratione affectus temporalis an peccet. 18.2.19.&.20.
Diuiti prius,quam pauperi in æquali neceſſitate, an miniſtranda Sacramenta. 20.2.
Diues, & nobilis potius in pecunia, pauper autem potius in corpore pro delictis puniendi. 20.3.
Diffinitoratus an includatur ſub nomine officiorum in decretis pontificijs. 316.2.§.an vero.
Dilectionis Dei per feruentem actum iuſtificatus an debeat dolere de peccatis. 507.1.
Diſpenſationis petendæ circa præcepta Regulæ iam relaxatæ cauſa legitima eſt difficultas ea ſeruandi in rigore ſuo antiquo. 488.1.
Diſpenſat Prouincialis Regularium etiam in pœnis inhabilitatis ad officia ordinis. 3 5.2. §.Abſoluere.
Diuinationes Chyromantiæ Hydromantiæ,Pyromantiæ, Necromantiæ,& ſimiles an ſpecie differant. 367.2.
Doctorum Sanctorum auctoritates an aliquando ſine ſcrupulo negari valeant Vide V.Auctoritates. 77.
Dolus incidens in contractum, & dans cauſam contractui quomodo differant. 495.
Donatio facta abſenti eſt nulla antequam acceptetur, hinc præmortui Donatarij, qui nondum acceptauerat donationem,Hæredes accipere donata minime poſſunt. 13.1.
Donata à Debitore in fraudem creditorum ſuorum accipiens

bona fide an teneatur reſtituere 536.§. Ceterum.
Dubium peccatum an neceſſariò confitendum in aliquo caſu 391.2.
Dulia quid,& quibus præſtanda. 31.& 33.

E

ECcleſia polluta a quo reconcilianda,& quomodo per effuſionem ſanguinis,vel ſeminis polluatur. 448.
Eleemoſinas an teneatur Prælatus Regularis facere de ſuperfluis redditibus ſui monaſterij. 7.1.
Eleemoſina legata pauperibus an ſolis largienda pauperioribus,valeat ne etiam erogari mendicantibus. 21.1.
Electioni Abbatiſſæ Præſidens etiam Prælatus Regularis an poſſit ferre in ea ſuum ſuffragium. 8.2.§.dico 2.
Emphiteuſis quomodo differat a cenſu. 23.2.
Epiſcopus conferens beneficium cum pacto, vt alteri detur pars fructuum,an ſymoniacus ſemper. 27.1.§. dico 2.
Epiſcopus an poſſit in ſua dioceſi dare bullam compoſitionis de incertis. 367.2 .an vero.
Epiſcopus non poteſt omnes ſimul confeſſores Regulares eiuſdem Eccleſiæ ſuſpendere. 408.1.
Epiſcopus an po ſſit abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ occultis virtute cap liceat Conc. Trid. 187.1.
Epiſcopi non debent ſibi reſeruare incertorum reſtitutionem, nec caſum incedenti m,& cantantium de nocte nec violationem diei feſti. 246.2.§.Nota etiam.
Epiſc. abſoluit ab occultis Papæ reſeruatis virtute Conc. Trid. omnes etiam oreſes,ſcholares,mercatores,& Pereg. 2,8.1.
Epiſcopus ex conſtit. Greg. XV poſſunt ſub excommunicatione prohibere etiam moniales exemptas, ne præter caſus neceſſarios portam aperiant,& ne Regulares accedant ad colloquendum cum monialibus,a qua excommunicatione ſi iã ſibi reſeruauit,non poteſt abſoluere eorum Superior. 327.1. §.dico 5.& poteſt viſitare clauſurã monialium Regularium toties,quoties ei videbitur.
Epiſcopus vitia non corrigens canis impudicus a D. Petro Cęleſtino,V,ex D. Auguſt. vocatur. 480.2.§.dico 2.
Epiſcopi, & Generales ordinum an teneantur in confeſſione aperire circumſtantiam Epiſcopatus, & Generalatus. 303.
Epiſcopus an poſſit pro ſuis creditis, & aliis rebus excommunicationem ferre contra ſuum debitorem,vel detẽtorẽ. 26.1.
Ærarii quomodo,& quando a Baronibus ſignificandi. 101.
Erronee credens percutientem laicum eſſe excommunicatũ, ſi percutiat cum hac conſcientia,an incidat. 2[illegible]4.1
Error intolerabilis in ferente cenſuram eam annullat. 278.
Euchariſtiam miniſtrare in peccato mortali an mortale, quid ſi pluribus 2.310.
Exactiones ordinarias imponere abſtineant Principes. 97.2.§. moneant.
Excommunicatio lata à multis diuerſam poteſtatem habentibus ſuper eadem re, multiplex incurritur, vna tantum ſi à pluribus eandem poteſtatem habentibus. 273.1.
Excommunicatus receptus à Papa ad oſculum, vtrum ex hoc ſolum intelligatur abſolutus. 290.1.§.notat,
Excommunicatus ad inſtantiam partis ſi fiat impotens an cogendus parte inſtante, vt cedat bonis pro ſatisfactione ad hoc vt abſoluatur. 292.§.dico vltimo.
Excommunicatio lata a diuerſis pro eadem re, an vna incurratur ſol ,an multiplex. 158.2.
Exercitus armatus, vt tranſeat per ſuum Territorium, an Princeps cogi poſſit. 122.1.
Exorbitantia a iure communi conceſſa non extenduntur de caſu ad caſum,neque ad futurum. 369.1.§.dico 4.& 294.2.

F

FAmuli cuſtodientes rem Domini ſui,de qua culpa teneantur ſi pereat. 5[illegible]7.2.§.tertio culpa.
Fauor non debet in damnum accipientis retorqueri. 157.1.
Fœminæ Regni Neapolitani, vtpotè magis vir les ingenio, & viribus præſtantiores priuilegiantur,vt ſuccedant Baroniis. & feudis contra diſpoſitionem iuris communis. 69.2.
Fœminæ portantes pectus, & vbera nudata an, & quomodo peccent,& an poſſint aliquando excuſari à peccato mortali. 479.& infra multa de hac re inuenies.
Fœminæ Æthnicæ pudicitiæ ergo portabant vbera cooperta ſtrophio,ſeu faſcia pectorali. 479.1.
Fęmina,ſi ſui confeſſarii in honeſto teneatur amore,nec alium poſſit adire,tenetur hoc peccatum cum eo cęlare in confeſſione, confitendum cum altero data opportunitate. 388.1. §. collige 2.
Fœminæ licitè clauſuram ingreſſæ ratione diuinorum officiorum, an ſi extra proceſſionem per partes intoneas excurrant,incidant in excommunicationem 314.2.
Feſtorum dierum in obſeruantiam non debent ſibi Epiſcopi reſeruare ex declarat. S. Cong. 246.2.§.Nota etiam.
Fideiuſſor clerici laicus non gaudet priuilegio c.Odoardus 354.1.§. dico 7.
Filio damnato,vt fame pereat,tenetur Pater,ſi commodè poſſit,alimenta miniſtrare. 63.2.
Fratres minores non poſſunt,vt ceteri mendicantes,ad ſonum campanæ capitular s concedere altaria ſuarum Eccleſiarũ, ſed hoc faciendam per Procuratorem Apoſtolicum. 210.1.
Fructus a ſolo ſeparati quinam dicantur. 114.
Frumenta pro communitate quando emere debent officiales deputati, & quo pretio reuendere valeant, & an Ciues, & mercatores cogi valeant ad ea reemenda pretio,quo empta fuerunt. 469.2.

G

GAbbellis,& impoſitionibus ſæcularibus Clerici an aliquãdo teneantur 44. vide Bullam Cœnæ excomm. 8.
Generales,& Prouinciales,nec etiam Papa poſſunt cogere in foro poli profeſſos Regulam laxiorem, vt ſtrictiorem ſeruent. 211.2.
Gradus inceſtus an inter ſe diſtinguantur ſpecie, atq; adeo in confeſſione diſtinctè aperiendi. 304.2.
Græcorum Sacerdotum Vxores, & filij vtrum gaudeant immunitate Eccleſiaſtica. 347.1.
Græci Clerici in minoribus poſſunt ducere Vxorem, at non poſtquam ſunt ſacris initiati. 347.2.

H

HErbæ habentes virtutem alterandi metalla vt in aurum conuertãtur,quod reperiantur,an credendum. 51.1.
Hæretici prohibentur a Greg. XV. commorari in Italia etiam cauſa mercimonij. 01.1.
Horologia vbi ſunt plura,cui ſtandum pro obſeruantia ieiunij poſt mediam noctem. 413.1.
Hyperdulia quid,& quibus præſtanda. 31.

I

IEiunij naturalis quænam conditiones. 413.
Ieiunium obligatus facere ex præcepto Eccleſiæ,Regulę, & voto particulari eodem die ſi frangat quot peccata committat. 310.2.
Ignorantia comitans quæ,& an excuſet a cenſura. 283.2.
Ignorantia inuincibilis,craſſa,ſupina,& affectata vtrum excuſent a pœnis incurrendis. 282.& 283.
Ignorans aliquid inuincibiliter eſſe peccatum,puta reddere debitum petenti coniugi cũ impedimento in gradu prohibito, an debeat corripere, & moneri,ſi reddat ſub bona fidę 522. 1.§. quod ſi, & quid, ſi ſacramenta inualidè quis conficiat ex inuincibi i ignorantia ſub bona fide. ibid.
Illegitimus,vide Alimentum. 63.2. vt 65.1.
Idiotæ curioſè diſputantes de rebus Theologicis peccant aliquando mortaliter 538.2.§.qui autem.
Incredentiare frumenta,olea,& ſimilia quomodo liceat. 497.1.
Impotentia moralis quæ,& an excuſet a cenſura. 285.1.
Impediti phyſicè, vel moraliter Romam adeundi an poſſint ab Epiſcopo abſolui a reſeruatis in Bulla Cœnæ. 187.1.
Intellectualis viſionis princi ium triplex. 454.1.
Intentio peccandi ſub ſpe Iubilæi, vel priuilegij abſolutionis a reſeruatis an confitenda. 308.1.
Iniuria illata Prælato,Principi,Patri,vel Sacerdoti an diſtinctè ſpecificanda in confeſſione, & an condonanda inimico de præcepto. 299.1.
Inuitus,abſens,& ignorans an abſolui queant a cenſuris. 289.
Iudex a quo eſt appellatum, poteſt procedere in cauſa, ſi appellatio ſit friuola. 71.1. qui etiam poſt appellationem poteſt abſoluere a ſe excommunicatum. 15.1.§.dico 7.
Iura promptiora ad abſoluendũ quã condemnãdũ. 15.2. d ſ.13.

Iudex

Iudex an vi ſolius Euangelicæ denunciationis poſſit trahere delinquentem ad iudicium in foro fori. 530.1.
Iudex an ſequi poſſit probabilem relicta probabiliori in danda ſententia. 464.1.2.
Iuramento promittens non accuſare de aliquo delicto, an adhuc teneatur in aliquo caſu. 23.2.
Iuris poſitiui tranſgreſſio non ſemper obligat ad mortale, & quando. 201.1.
Irriti actus qui, quando, & quomodo cognoſcantur irriti. 26. 1. & 2.

L

Lacedæmonum reſpublica euerſa propter impoſitionem grauiorum exactionum 97.2.§.moneat.
Laicus Clericum offendens an puniendus à Iudice Eccleſiaſtico. 348.2.
Laicus fideiuſſor Clerici non gaudet priuil. c. Odoardus. 354.
Laicus præſente Clerico in neceſſitate baptizans an peccet, quid ſi fœmina præſente viro. 50.2.
Lapide Philoſophorum an aurum verum effici valeat, & an ſine ſcrupulo pro vero vendi, ſi fieret. 51.2.
Latria quid, & an humanitati Chriſti præſtanda. 32. & 33.
Laudemium ſoluere quid, & an pro cenſu ſoluendum. 253.2. §.dico vltimo.
Legatum factum ſub conditione, ſi nõ nubet, an validũ. 373.2.
Legatum factum viro, vel mulieri ſi nubat, an accipiat, ſi Religionem profiteatur alteruter. 3[illegible]4.1 .dico 3.
Legatum factum ſi caſte vixerit, an accipiat, qui nubit, ibid. §. Denique.
Leproſo, vel morbo gallico laboranti an reddendũ debitũ. 437.
Libri prohibiti Hæreticorum quinam dicantur, & eorum lectio quomodo prohibita. 131.
Locatio facta vltra triennium ab Eccleſiaſticis an valida aliquando. Vide V. Alienatio.
Locatarius de qua culpa teneatur, ſi res locata periret. 537.1. §. dico 2.
Ligare differt ab alligare, illud Petro ſoli, hoc ceteris Apoſtolis, & quare conceſſum. 266.1. .dico 2.
Ludus vulgo, lotto, quomodo liceat. 501.2.
Lutherus impie crocitauit fœminam etiam poſſe a peccatis abſoluere. 13.1.

M

Macellarii, piſtores, & ceteri conſimiles an poſſint Bullam compoſitionis accipere. 368.2.
Macellarii non tenentur cum talleis vendere carnes Baronibus. 100.2. .quod ſi
Magis dignum vnitum cum minus digno trahit ad ſe minus dignum. 363. .dico 2 & 536.2. .Obſerua.
Magus pœnitens, an chyrographum datum Dæmoni neceſſario debeat recipere, antequam abſoluatur. 300.2.
Maior pars trahit ſecum minorem partẽ; hinc ſi duo laici ſint & vnus clericus, hic ad Tribunal laicũ trahitur. 536.2.§.obſ.
Malefactor ingreſſus clauſuram monialium, vt ſe ab imminẽti periculo vitę eximeret, quomodo eijciendus a monialib. 316.
Manus Malchi, qua Chriſtum percuſſit, ſi ſeruaretur, an ratione contactus Chriſti foret adoranda. 36.2.
Mandatarius quando incurrat excommunicationem latam contra facientem delictum. 143. & 147.2. & 157.2.
Mandans occidere Petrum, ſi mandatarius occidat caſu Paulum, an ſit irregularis. 284.1.
Mandans, conſulens aliquem, vt admittat in clauſuram Religioſorum fœminam, an pœnas incurrat. 530.1. .dico 3.
Mare Adriaticum, & Tyrrenum quomodo ad Papam pertineant. 134.
Maria Virgo puriſſima, & Apoſtoli ratione contactus Chriſtiani an ſpeciali adoratione colendi. 36.2.
Mater prægnans mortua an ſepelienda cũ fœtu. 451.2. .Vtrũ.
Mater prægnans moribunda an ſecanda, vt fœtus viuus extrahatur. 89.1.
Meam licitè poſſum dicere rem, in qua mil'eſimam partẽ habeo, & meum voco, in quo ego minima ſum pars. 363. 2.
Medicus qua culpa teneatur, ſi æger ſua negligentia pereat.
Medicus Aduocatus, & conſimiles conducti pro toto anno, ſi præ moriatur, an debeatur hęredi ſalariũ ꝓ ãno. 44. .dic. 4
Menſes Apoſtolici, & Epiſcopales quinam ſint. 10. .1.
Mentales actus intrinſecos non iudicat Eccleſia. 112.2. & 130.
Metus grauis, ſeu cadens in conſtantem virũ quis dicatur. 95.1.
Milites percutientes clericum in flagranti crimine captum, excommunicationem incurrunt 335.1.§. Aduerte
Miles agens contra præceptum Ducis, ſi occiderit inimicum, pœnas non euadit, & præmium non acquirit. 27.1. dico 3.
Milites ad quid teneantur. 118. & 119.
Minores fratres, vide fratres minores, & V. Conſuetudo Difficult. 24. & ſequent. vbi pulcra inuenies.
Mitior pars in condemnationis pęna eſt ſequenda. 372.2.
Moderniores aliqui ex D. Thoma, & Scoto multa accipientes ſibi inuicem tribuunt, nulla Protomagiſtrorum facta mentione. 397.2.
Modus quomodo a cauſa, & per quã particulã differat. 372.2.
Modica res quæ dicatur in materia alienationis. 60.§. dico 3.
Mollities actu conſumata a Regulari, an peccatum reſeruatum Superiori ſuo. 247.2.
Monitio an ſemper trina præcedere debeat, antequam feratur cenſura. 276.2. & an perſonaliter ſemper facienda. 272.
Moniales admittentes medicum, chirurgum, aut alios ſub prętextu licentiarũ in caſu nõ neceſſario, incurrunt pęnas. 331.
Monialis, cui non prouidet monaſterium de neceſſariis, poteſt de licentia ſui Superioris habere annuum redditum. 9.2.
Miſſæ auditionẽ, & actũ dilectionis Dei omittens die Domin. an duplex peccatum. 3.1. ſtante quod per miſſæ attẽtã auditionem ſatisfit obligationi dilectionis Dei in tali die. 16.
Miſſa vtrum in Naui exiſtente in mari, vel flumine celebrari valeat abſque ſcrupulo. 415.1.
Miſſa de Requiem, & non de officio dicenda in Altari priuilegiato ad acquirendam Indulgentiam pro mortuis. 70.2.
Moribundus habens caſus reſeruatos an abſoluendus abſq. recurſu ad ſuperiorem, ſi facilis ſit aditus ad eum; & an à ſimplici Sacerdote præſente Parocho, aut alio approbato. 284.1. alia de moribundo vide. 89 1. & .2.
Multitudo ſi peccauit, an, & quomodo corrigenda. 517 2.
Mutus, & mancus in baptiſmo an miniſtri. 92. 1.
Mutuum quomodo differat à cambio. 193.2.
Mutuatario nolente remutuare, non poteſt contra eum compenſatio fieri. 365.1.§.dico 6.

N

Negotiator quis proprie dicatur, & quæ negotiatio interdicta Clerico. 384.
Nobilis habens licentiam intrandi clauſuram monialium pro aliquo opere, non poteſt famularum ſecum ferre. 329. 2. §. Demum
Notorius caſus quis dicatur. 249.
Numerus ſingularis aliquando extenditur ad pluralem 99.1. §. collige 4.

O

Obligati reſtituere ex leui, vel leuiſſima culpa an teneantur reſtituere ante Iudicis ſententiam. 538.1.
Occiſus ſi nullus alius ſit, nec alius Confeſſor in loco, qui probabiliter ſuſpicetur de fractione ſigilli, poteſt occidens hoc peccatum cęlare apud ipſum confitendum cum altero capta opportunitate. 188.1.§.collige 4.
Occultus caſus, & quando dicatur deductus ad forum contentioſum de mente Concilij Trid. in c. liceat. 249.1. & 2.
Opiniones largæ circa peccatum carnis docentur ab aliquibus Recent. potius ex aſſentatione, quã fundata ratione. 435.2.
Ordinarij exiſtẽtes Romæ vt beneficia ſuæ iuriſdictionis reſignata accipiãt, & cõferãt, a Roman diſtrictu excũt. 112.2.
Oracula viuæ vocis data Regularibus, ſi confirmentur eorum priuilegia cum clauſula ex certa ſcientia, probabile eſt, non eſſe reuocata per Bullam Vrbani VIII. 448.2.
Ordinarij debent eſſe faciles in reſeruatis concedendis, nec debent mittere ſuos ſubditos Romam, vel ad Sanctam Ædem lauretanam vt abſoluantur, in quibus ipſi poſſunt. 13. & 14.

P

Papa aliquando etiam peccata ſine cenſura reſeruat. 238.2.
Papa ſolo animo abſq; verbis abſoluit a cẽſuris. 15.1.§.dic.8.
Papa vtrum teneatur ad confeſſionem annualem. 377.2.
Papa poteſt facere ſimplicem ſacerdotem Epiſcopum in committendo ei conſecrationem chriſmatis. 241.2.§.dico 2.

Papæ

Papę dupliciter obedire tenentur Religioſi,& quomodo 499.2.
Particula,aut poteſt coniunctiuè,& diſiunctiuè ſumi.190.1.
Pater cum filia,& filius cum Matre ſi forte concubat, vtrum, teneantur hanc circumſtantiam in cõfeſſione aperire.304.2.
Patrinus quando, & quomodo contrahat cognationem ſpirituale,& an eam contrahat per Procuratorem. 9.1.
Patronus præſentans beneficium digno prætermiſſo digniori an peccet. 19.2.
Patronus Laicus, & Eccleſiaſticus quomodo differant. 111. 112., & 103.
Patroni an teneantur prouidere ſuas Cappellas de neceſſarijs, eaſque reparare. 206.1.
Paupertas S. Ioannis Baptiſtę auſterior,at perfectior paupertas Chriſti.485.1.
Penſio non excedens valorem ſexaginta aureorum non datur loco Beneficij. 339.§.verum.
Percuſſionem Clericorum valens impedire, & non impediens an incurrat excommunicationem,151.1.§.dico 2. & 158.1.
Percutiens Clericum leuiter ex odio, an incidat excommunicationem. 26.2. Nota etiam.
Percutiens plures clericos vnico ictu, vel vnum pluribus ictibus an in plures incidat excommunicationes.273.2.
Percutiẽs Religioſũ Clericũ an duas incurrat cẽſuras. 274.1.
Percuſſus Clerici notorius, qui aliquo prætextu ſe poteſt defendere, debet citari,& audiri, antequam denuncietur.27.1.
Percuſſionem Clerici notorie mãdans ſi præmoriatur,& executionem non reuocauerit, an ſecuta percuſſione ex humanius tanquam excommunicatus. 277.1.
Percutere volẽs Clericum Petrum, & caſu percutiat Clericum Paulum, an ſit excommunicatus 283.2.
Pecora Clericorum damnificantia an à Iudice, vel Cuſtode laico valeant repræſaliari. 346.1.
Perſona indignitate conſtituta quænam, cuius ſigillo autenticatæ Bullæ Papali creditur. 189.
S. Petrus Cœleſtinus, V, opuſcula quædam de Virtutibus, & ſummam caſuum compoſuit. 1. 2.
Philippus macedonum Rex laudauit Vetulam ſibi exprobrantem quod non eſſet ocium ſibi eius ſupplicationes audiendi 97.2.§.dico quarto.
Præcepta in Religione. S. Patris Franciſci quænam dicantur eſſentialia, quænam perfectionalia, & perfectionalia vtrum modificantia intrinſecè,an extrinſecè. 484.1. & 2.
Præcepta perfectionalia Regulæ ſunt de iure poſitiuo, eſſentialia vero de iure diuino. 486.
Præcedunt etiam in proprijs Eccleſijs Regularium Clerici ſæculares proceſſionaliter incedentes, extra autem incedentes vt ſinguli, etiamſi forent Canonici Cathedralis Eccleſiæ debent dare locum habenti iuriſdictionem. 205.
Prædicatores præcipue fratres minores arguũtur ex curioſitate ad ſui gloriam, non autem ad ſalutem animarum relicta verbi Dei acie, mollibus Academicorum elocutionibus ſermones permiſcentes. 558.2.§.hæc nimium hodie.
Præſumptionis incapacia quænam dicantur. 186.
Princeps à Deo propter peccata populi puniũtur.480.1.§.dico.
Princeps ſupremus an poſſit ſine citatione,& defenſione morte damnare delinquentem ſibi notum. 371.2.
Principali conceſſo conceditur acceſſorium.369.2.§.dico 2.
Priores Dominicani poſſunt ex conceſſione Pij,V. abſoluere, & diſpenſare ſuos ſubditos, ſicut poſſunt Epiſcopi virtute Conc. Trid. in c. liceat 6.2.
Priuilegium habens, vt poſſit abſolui à reſeruatis an ſi ſub tali ſpe peccet, poſſit eius virtute poſtea abſolui. 1.
Principatus, & ſuperioritates ob publicam ſubditorum vtilitatem, non ob dominantium commoda principaliter inuenta. 97.c.1. §.Imo.
Priuilegia circa alienandas res Eccleſiaſticas etiam pro Regularibus reuocata ſunt ab Vrbano VIII.13.2.§.dico 3.
Priuilegiatus trahit ad ſuum priuilegium rem ſibi communem cum alio non priuilegiato. 364.
Priuilegium conceſsũ Dominis extẽditur ad familiares. 152.2.
Priuilegium conceſſum Regi Hiſpaniarum circa Tribunal, quod vocant, de la fuerza, & Reipublicæ Sereniſſimæ Venetæ procedendi contra Clericos in quibuſdam caſibus, nõ reuocata quo ad illos ex publicatione Bullæ Cœnæ. 334.§. quare Priuilegio.
Profectitia, paraſernalia,& aduentitia bona quænam dicuntur
Polluto voluntaria opere conſumata. Vide, Mollities.
Pœnam an teneatur ſoluere Cuſtodes Montium, vinearum,& ſimilium, ſi non denunciet damnificantes, qui tenerentur ſoluere pœnam iuxta ſtatuta. 539.§. dico 2.
Proceſſiones extraordinarias per clauſtra facere Regularibus ad finem, vt fœminæ ingrediantur, vtrum liceat. 314.2.
Pappæa Sabina pudicitiæ ergo, non in publico gradiebatur & ſi quando, velata oris parte, ne ſatiaret aſpectum 479.1.
Procurator nõ admittitur in quibus eſt neceſſaria ſpecialis diſpoſitio procurantis, bene tamen vbi ſolus requiritur conſenſus 31.1., vnde debet habere ſpecialem commiſſionem circa conſenſum præbendum electioni de ſe factæ, vel matrimonio contrahendo.103.1.§.dico 7.
Procurator Parlamẽtarij in quo loco ſedeat in comitijs.465.2.
Prohibita intelliguntur in contractibus ſtricti iuris omniaquæ expreſſe non ſunt conceſſa, in contractibus autem bonæ fidei conceduntur ea, quæ nõ ſunt expreſſe prohibita.368.2.
Pudicitia ex D. Auguſtino eſt virtus, qua quis verecundatur de actibus, de quibus homines honeſti verecundantur.479.1.
Pueros incidere in ſolam excõmunicationem latam in Canone ſi quis ſuadente, non autem in alias, probabile eſt. 272.2.
Pyxis noua pro Sanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ ſeruando, an neceſſario benedicenda. 191.

Q

QVi tacet conſentire videtur, quomodo intelligatur hoc axioma. 454.

R

RAtihabitionis conditionis quot,& quænam ſint. 155.2.
Regulares exiſtentes in Conuentibus, in quibus Regula non ſeruatur, quomodo poſſint in eis tuta conſcientia commorari. 499.2.§.dico tamen vltimo.
Regulares, ſi in conuentibus, vbi Regula non ſeruatur, aliorũ malo exemplo duci ad inobſeruãtiam probabiliter timeant, ad alium Conuentum eiuſdem ordinis, vbi ſeruatur Regula, debet conuolare cum licentia ſui Superioris, vel de ſummi Pontificis facultate ad alium ordinem tranſire curabit. 499.1. verum.
Regulares non valentes Regulam ſuam in eſſentialibus ſeruare in ſuis conuentibus, non ſolum ad aliam Religionem trãſire, verum etiam ad proprias domos reuerti a Papa indulgeri in praxi reductum eſt.490.2.§.Reſpondetur.
Regula Cancellariæ, per quam datur abſolutio à cenſuris ad effectum conſequendum an cuilibet excommunicato proſit. 169.1.
Riccardi ſententia explicatur contra aliquos Recentiores circa denunciationem peccati, de quo dubitatur recidiuum. 528.2.
Reliquiæ ſanctorum qua adoratione venerandæ,& an illę quę in pluribus locis eædem numero perhibentur eſſe, vt tales in omni eodem loco adorandæ vt veræ. 38.& 39.

S

SAlutare an teneatur quis ſuum inimicum,& an hic Salutatus ſub mortali obligetur reſalutare. 299.1.
Sanguinis precioſiſsimi Ieſu Chriſti Domini noſtri particula aliqua, quæ ex eius latere,& membris effluxerit e cruce, hodie reperiri in terra an licitè credatur. 37.
Senatores excelſi Concilij decemuiratus Sereniſsimæ Reipublicæ Venetæ publico edicto, ne mulieres quantumuis nobiles in Eccleſias aperto, & diſcooperto capite ingrediantur ſub grauiſsimis pœnis ſanxerant, declarantes huiuſmodi morem eſſe impudicum,& meretricium.48.2.
Satisfactio pro monacho, vel Religioſo quocunque percuſſo præſtanda monaſterio, vel Conuentui, non autem Religioſo paſso 293.1.
Scoti doctrina ex decreto Sac. Congreg. edito 1610. approbatur tota catholica 78. vnde impiè a quodam Neoterico iam Scoti diſcipulo arguitur recenter Epicurea,& Alexandrea, & Hæreſis fautrix.79.1.
Scotus defenditur contra Bartol. a Sancto Fauſto circa actum contritionis eliciendum. 31.

Elenchus rerum magis notabilium.

Scotus defenditur circa confeſsionis ſacramentalis inſtitutionem. 37. & an eius præceptum obliget infideles. ibid 2.

Scotus explicatur quid ſentiat de actu exteriori, an ſit diſtincta malitia ab actu interiori. 29 1.

Scotus defenditur contra Capreolum. 328. §. nec grauabor.

Scotus explicatur, quid ſenſerit de ſanguine Chriſti vnito diuinitati. 37. 2. §. Dico quod.

Scotus defenditur circa diſtinctionem ſpecierum contractuum contra Azorium, & alios. 493. 1.

Scotus explicatur circa iuſtitiam contractus. 496. 1.

Scotus defenditur circa confeſſionis ſecretæ eſſentiam 394. 1.

Scotus defenditur, & explicatur circa confeſſionem factam per ſcripturam 395. 1. §. vtramque opinionem.

Scotus defenditur circa confeſſionem laico faciendam 400. 2. §. attamen Scotus.

Scotus defenditur circa ſumptionem ſanguinis in neceſſitate a laico faciendam: 412. 2 §. miror.

Scotus declaratur, quid velit circa neceſsitatem Sacramenti confirmationis. 421. 1.

Scoti ſententia aperitur, an coniuges vtentes copula ſolum præciſè ad delectationem, peccent. 434. 2.

Scoti doctrina explicatur circa debitum reddendum coniugi leproſo, & non meſtruatæ. 437.

Scoti doctrina expenditur circa iuſtitiam reddendi debitum coniugale. 439. 2.

Scotus defenditur contra Sotum circa auctoritatem Epiſcoporum in ferendis cenſuris. 269. 2. §. quare non bene.

Scotus defenditur contra Comitolum circa exemptionem Eccleſiaſticam. 372. 1.

Scotus defenditur circa rationem, quare non debeat baptizandus in neceſſitate proijci in flumen, vel puteum. 86.

Scotus defenditur contra Recentiorem quendam circa peccata ante baptiſmum facta, neceſſario confitenda cum fictione a ficte recipiente baptiſmum. 89. 1.

Scotus explicatur circa ieiunij naturalis conditiones. 413.

Scotus defenditur, & explicatur circa intentionem actus phyſici ſoli Deo notam in contritione formam. 5 0. 2.

Scotus defenditur circa voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ. 506. 2. §. dico 3.

Solus cum ſola non præſumitur dicere Pater noſter. 41. 1. §. dico 3.

Syracuſanus potius imperialia ornamenta voluit vendere, quã populum etiam pro iuſto bello exactiones aggrauare. 47. 2. §. moneant.

Sodomia cum maſculo, vel fœmina vtrum diſtinguatur. 304. 1.

Spoliorum commiſſarij in quibus caſibus non poſſunt moleſtare hæredes Clericorum ſub titulo Negotiationis. 3 3.

Solemnitates iuris quomodo requirantur ad ſolemnitatem contractus. 495. 1.

Superiores debent in publico ſe bonos, & maximè morigeratos oſtendere. 97. 1. . Aduertant.

Superiores debent propria commoda relinquere, vt ſubditorum ſaluti, & vtilitati vacent. ibid § Imo.

Superioris qualitates referuntur. 98. vſque ad 100.

Superior Eccleſiaſticus an debeat ſeruare interdictum a ſe poſitum. 271. 1.

Superiores locales Regularium poſſunt determinare pœnitentias dandas etiam pro peccatis non reſeruatis. 247. 2. nequeunt tamen vti notitia habita in cõfeſſione in foro fori. ib.

Superior corrigens ſubditum cum verborum exceſſu iniurioſo ex odio, an teneantur petere veniam. 517. 2. dico 2.

Superior in peccato exiſtens an teneatur corripere ſubditos delinquentes, & quomodo. 517. . dico 4.

Superior quomodo debeat procedere contra ſubditum ſibi ſolum paternaliter delatum, & iam paternaliter correptum, & non emendatum. 528. & 529.

Superior quomodo debeat procedere in delicto ſibi per denunciationem iuridicam, vel accuſationem delato, ſi de ipſo delicto non fuerit d. linquens iuxta Euangelicum ordinem prius correp. s. 520. 2.

Superiores non tenentur ſemper, & pro ſemper peccata ſubditorum per ſe, vel ſuos exploratores inquirere, ſed ſolum iuxta opportunitates, & neceſsitates. 518. 2. §. An vero.

Subueniendum in neceſsitate prius parentibus, deinde vxori tertio filiis, quarto conſanguineis iusta gradus propinquiores, quinto perſonis publicis, 6. Amicis, vltimo cuilibet proximo. 2 9. 2. an vero in neceſsitate ſpirituali prius Patri ſpirituali, vide ibid.

Soſurronibus Superiores fidem præſtare non debent ex D. Gregorio. 518. 2. §. Aduertant.

T

TAbacchi ſumptio in fumo, puluere, & folio in mane ante ſacratiſsimam Communionem, an frangat ieiunium naturale. 413. 2

Taciti, & expreſsi eadem eſt vis in rebus conſuetis communiter. 487. 1. . quod autem.

Tactus inter coniugatos extra intentionem, & finem copulæ in partibus pudendis ſola delectationis cauſa peccaminoſi contra Recentiores aliquos probantur. 415. 1.

Theologi moderniores aliqui nimis faciles ad ſuum libitum in laxandis ſalutaribus Sac. Conc. Trid. præceptis. 422. 2.

Theatheæ ciuitatis metropolis Aprutij ciuium, & fœminarum virtutes, & mores. 483. 1.

Tempus certum a lege præſcriptum in actione eſt de ſubſtantia actus. 223. 2.

Terminus affixus præcepto intrinſecè elapſos facit, vt præceptum iterum obliget, ſecus ſi ſolum extrinſecè. 380.

Teſtificari poteſt quis, quod ab Amico bonæ æſtimationis tanquam verum accepit. 533. 1. §. Imo extendit.

Tiberij Cæſaris Reſponſio Præſidi ſuadenti collectarum impoſitiones. 47. 2.

V

VAſſallus qui dicatur in ſtricto iure. 373. 1. & in quibus caſibus, & quantum adiutorium teneantur exhibere Baronibus, & an cogi valeant a Baronibus ad ſua emenda, vel propria eis vendenda. 98. vſq. ad 100.

Vaſſalorum ad vtilitatem, non autem ad Dominantium commoda dati ſunt principatus. 97. c. 1. §. Imo

Venator Eſau, ideo malus ex gloſ. Clem. 1. de Cler. Ven. 97. c. 1. §. moneant.

Vendens rem vitioſam de qua culpa teneatur. 537. 2. §. 4. culpa

Vendi ne valeãt piſces, & fructus, & ſimilia in locum adducta prius quam ſib. notificentur, non poſſunt Barones prohibere. 110. . §. Nota tamen.

Venialia an, & quomodo deleantur aqua benedicta. 74. 1.

Vidua tacta monialis non poteſt hodie in Abbatiſſam eligi abſque expreſſo Indulto ſedis Apoſtolicæ. 7 2.

Viduæ legatum agrum, ſi non nubat ſecundo, an lucretur, ſi nubat, & an Bertæ innuptæ legentur, ſi non nubat, centum, & ſi nubat, quinquaginta, poſsit accipere centum, ſi nubat. 347. 1. §. collige . & 2.

Verba illa, quæ dicuntur poſt abſolutionem Sacramentalem ſcilicet paſſio Domini Ieſu Chriſti, & merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum &c. an inſtituta ab Eccleſia ad remittendam pœnam debitam pro peccatis 399. & 400.

Vere quod conſecraſſet Apoſtolus in triduo ſanguinem, quomodo poſſet defendi. 38. 1.

Vitium rei commodatæ an teneatur Commodans apetire Commodatario. 361. 1.

Votum ad emittendum ſicut nemo poteſt cogi, ita nemo ad eius augmentum. 484. 2. . Hinc Cœleſtinus. V.

Vſurario contractu, quem ſi Petrus ſciuiſſet talem, non celebraſſet, vtrum bona fide acquiſita teneatur reſtituere. 102. 1.

Vxori legans omnia, quæ ſunt in domo, non dicitur legare ea, quæ ibi cauſa infirmitatis, mortis negotij, vel alterius caſus. 10. 2.

Vxor, à qua per lõgum tempus etiam per vigintiquinque, annos abiuit maritus, & ignoret an ſit viuus, an mortuus, non poteſt alteri nubere. 1. 1.

Vxor an communicet cum marito acquiſita ex Adulterio, & an deprehenſa in Adulterio impune abſque ſcrupulo peccati mortalis ab ipſo occidi valeat. 41.

Vxoricidium cum promiſſione ducendæ Adulteræ an in confeſſione diſtincte aperiendum. 306.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google